Digitized by Google

8
9 N
8

THEOLOGIA SACRA.

IVXTA FORMAM EVANGELICÆ prædicationis distributa.

In qua praxis ter suo ordine per tempora distinctè traditur, & variis per annum haud imparibus opusculis cumulatissimè absoluitur.

Accedunt Catecheses Christianæ centum & viginti, omnia complectentes quæ necessaria sunt ad salutem.

AVTHORE

PAVLO METEZELLO PARISIENSI,
Congregationis Oratorij IESV Christi Presbytero.

Nunc primùm in lucem prodit tribus Indicibus locupletata: primo thematum omnium quæ tractantur; altero locorum S. Scripturæ: tertio demum rerum magis exquisitarum ac insignium.

BIBLIOTH. ... S. MARIÆ VICTORIÆ

Conuentus Sta[e] Seminarij

Mariæ de Victoria

LVGDVNI,
Sumptibus Ludouici Prost, Hæredis Rouille.

M. DC. XXIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

ÆTERNÆ SAPIENTIÆ INCARNATÆ IESV CHRISTO DOMINO NOSTRO.

MAGNVS es Domine IESV, & ſapientiæ tuæ, bonitatis, atque miſericordiæ non eſt numerus; non inuenio nomen quo tuam ineffabilem Majeſtatem nominare queam, Deus meus qui incomprehenſibilis es, & omni creatæ intelligentiæ ignotus ac ſemper abſconditus manes. Tu enim es Domine quidquid in te eſt: ſapientia in te eſt, & tua ſapientia es; bonitas in te, & ipſa bonitas tua es; miſericordia eſt in te, & ipſa miſericordia es, qui omnium miſereris diſſimulans peccata hominum, ſed iam talis miſericordia, vt noſtræ factus humanitatis particeps, etiam miſericordia mea dicaris. Gratias tibi ago, labiis, corde, & omni qua valeo virtute, pro cunctis miſerationibus tuis, in quibus præuenisti me, & adduxiſti ad te, vt de tuis donis ac datis ſeruirem Majeſtati tuæ. Adiutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es, Deus meus, miſericordia mea, benedico te, & nomen ſanctum tuum in æternum, omnipotens & miſericors Domine, pro admirabili dignatione magnificæ bonitatis tuæ; qua, cùm non eram, me creaſti, cùm nihil fueram, aliquid feciſti, & continuò adhuc in illo eſſe me conſeruas, quo me donaſti. Nam abſque te Domine eſſe non poſſumus, in quo viuimus, mouemur, & ſumus; vnde iam tibi debeo omne quod viuo, omne quod ſapio, omne quod valeo, à quo miſericorditer omnia habeo, quæ ideo tua ſunt & non mea, & qui mihi es in omnibus omnia, Deus intimior intimo meo, benedictus in ſæcula, magnificus in ſanctitate, laudabilis, atque terribilis, & faciens mirabilia, ſicut laudant te, magnificant, atque confitentur omnia opera tua quæ feciſti magnalia: verè enim tu es Deus virtutum, & qui facis mirabilia magna ſolus. Hanc magnificam gloriam tuam & virtutem enarrant cœli, & annuntiat firmamentum, laudant Angeli, adorant Dominationes, & ſuper ea omnes tremunt Poteſtates; illam omnis terra veneratur, plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo: vno denique ore magnum te omnia prædicant atque terribilem, te Deum laudant & Dominum confitentur. Et ego creaturæ tuæ pars vilis & minima, quantum adhuc poſſum ſuper omnia te glorifico, laudo atque magnifico, qui à cunctis operibus tuis omni laude dignus es, licet te laudent impari nomini tuo. In hoc enim magnus & potens es, quod nemo ſufficiens ſit laudare potentiam tuam, teque in laudem deceat ſilentium Deus. Propterea ego quem tu eduxiſti ex nihilo, ad maiorem gloriam tuam humiliter agnoſco, quod nihil dignum te, niſi temetipſum tibi retribuere poſſim, & calicem ſalutaris accipiam, vt tibi offeram ſacrificium laudis. Si enim ad

rependendum tibi debitas gratiarum actiones pro tot ac tantis beneficiis misericordiæ tuæ, etiam omnia membra mea in linguas verterentur, nequaquam tamen Domine sufficeret exiguitas mea, quæ aliunde tibi seruire & placere non habet, quàm de tuo munere. Tua enim omnem transcendit & supereminet vim & mentem diuina Majestas, & incomprehensibilis atque inæstimabilis bonitas, quam in me, mihique indigno seruo tuo ostendisti in cunctis bonis tuis, & misericordiæ tuæ infinitis beneficiis. Vnde etiam Domine Deus meus, Deus pie, Deus bone, Deus à quo bona cuncta procedunt, Deus à quo omne datum est optimum, & omne donum perfectum descendens, da mihi, obsecro, de bonis tuis, vt de illis tibi in veritate seruiam, ac semper & quotidie gratas tibi laudes rependam. Ad laudandum enim te tanto me obligatiorem esse conspicio, quanto amplius crescunt & augentur in me gratiarum tuarum dona & rationes: qui ex abundantia tuæ pietatis me famulum tuum Ecclesiæ tuæ esse filium, & tuis etiam sacris altaribus ministrum adstare voluisti, & oleo vnxisti tuo, quo & tu vnctus fuisti: vt à te Christo non solùm dicerer Christianus, sed etiam Sacerdos, in tuum sacrum ordinem gratia tua ex hominibus assumptus & sæculo. Tu Domine solus es qui in ipso conceptionis tuæ momento vnctus à Deo fuisti præ consortibus tuis, id est, cunctis hominibus, oleo lætitiæ, id est, donis Spiritussancti, quibus toti mundo exultationem salutis attulisti. Nomen hoc tuum à chrismate deductum est, qui Christus diceris: nuncupatio est tuæ potestatis, officij & honoris, non vnius naturæ, sed personæ duas naturas habentis: nomen denique Verbi quod caro factum est in vtero Virginis. In illo siquidem thalamo sacro verè & propriè vnctus fuisti, & Christus factus es, vbi naturam nostram humanam assumpsisti, & tibi tanquam sponsam coniunxisti. Quia priusquàm carnem indueres nostram, & caro fieres, ô æterni Verbum Patris, non eras Christus, sed tantummodo Deus: at vbi assumpsisti eam, Christus factus es, vt Christus Deus esset & homo perfectus; adeò vt in hoc tuo Christi nomine, Diuinitas vngens intelligatur cum inuncta humanitate: quia quod in te vnctum est, humanum & non diuinum est; non quod erat, sed quod in te factum est. Quod erat vnxit & saluauit; quod verò in te vnctum & factum est, passiones subiit ex abundantia ipsius olei gratiæ & diuinæ miserationis. Oleum misericordiæ signum est atque clementiæ. Vnde etiam eo inungebantur olim Sacerdotes, Reges, & Prophetæ, qui ideo christi, id est, vncti dicebantur, vt intelligerent se tuam in terra Majestatem referre, cuius est peccata purgare, populum regere, & docere scientiam salutis. Vnde etiam tu veniens in mundum, horum trium personá, & munera exercenda suscepisti, ad eaque exequenda oleo vnctus es non visibili, sed gratia & plenitudine Spiritussancti, cuius Sacramentum in vnctione est visibili, in qua, & qui de plenitudine tua accipiunt, tuique Spiritussancti gratia vncti sunt, à te Christo dicuntur Christiani, regale Sacerdotium, gens sancta, populusque acquisitionis: verè plebs acquisitionis, quam peccato alienam à te acquisisti sanguine proprio, qui hominibus verum & pretiosum extitit lætitiæ oleum, vulneribus ipsorum præsentissimum afferens remedium. Hac enim demum nos Domine vnxisti gratia, quando non satis fuit tibi dare nobis de plenitudine Diuinitatis tuæ, sed adhuc præterea voluisti humanitatis tuæ merita omnia elargiri, & sic nos reddere consortes donorum gratiarum vtriusque naturæ tuæ, atque illius singularis & superexcellentissimæ vnctionis, qua præ cunctis participibus tuis, pro iisque, à Patre vnctus es. Tu enim es caput nostrum, in quo omnis plenitudo Diuinitatis & gratiæ inhabitat, sicut vnguentum in capite, quod descendit in oram vestimenti tui, scilicet humanitatis tuæ, quæ ipsa Diuinitate tua vncta est, vt de ea accipiant omnes, sed non plenitudinem ipsam, quæ illi tantùm & singulariter conuenit. Vnde Domine secundum hanc naturam vnctus agnosceris & diceris, secundum quam Spiritu sancto repletus, etiá personá suscepisti Prophetæ, Regis, Sacerdotis, omniumque

omniumque exercuisti officia. Non enim secundum vtramque naturam exercuisti illa, sed iuxta humanam tantùm, quæ principium extitit, quo exercuisti opera mediatoris, idem sacrificium offerens in forma serui, quod in forma Dei cum Patre & Spiritu sancto suscipiebas. Hæc Domine fuit humilis forma, forma, inquam, serui, in qua pro salute mundi tot & tanta fecisti, mira pertulisti, laborasti, passus fuisti, docuisti, & omnia illa Regis, Prophetæ, & Sacerdotis munia obiisti. Regis, pro nobis pugnantis, hostem debellantis, electos tuos à potestate tenebrarum eripientis, Ecclesiam tuam ab hostium impetu protegentis, leges ei præscribentis, sanctitatem largientis, vires perseuerandi præbentis, vincentes coronantis, tibi rebelles pœnis afficientis, præmia tandem atque supplicia vnicuique pro merito retribuentis. Prophetæ, notitiam Patris mundo declarantis, eructantis verbum bonum, & mysteria quæ abscondita erant à sæculis in Deo, hæc quæ abscondisti à sapientibus & prudentibus, reuelantis ea paruulis: & qui denique non solùm vt Deus homines docuisti scientiam, illuminando interiùs; sed etiam vt homo aures exteriùs pulsando, iisque sic interiorem illuminationem mentis promerendo, quando multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in te eius filio, per quem fecit & sæcula. Verùm adhuc vt homo non tantùm oleo gratiæ vnctus, sed & Diuinitatis etiam, Domine in medio nostri dignatus es fungi sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius, cuius suprema quidem omnium in terris & nobiscum exercuisti officia; quando frequenter subleuatis in cœlum oculis, vt mediator Dei & hominum, Patrem orasti pro illis, preces & supplicationes sæpius cum lacrymis obtulisti, quando temetipsum in nouissima cœna ritu incruento obtulisti, & postmodum in ara Crucis, cum proprij effusione sanguinis immolando, tanti oblatione sacrificij, æternum Patrem placasti, & gratiæ, gloriæque munera hominibus promeruisti, ac simul impetrasti.

Hæc sunt, Domine IESV, sacerdotij tui sacratissimæque vnctionis præclara opera quæ fecisti: hic est status omnium quos habuisti in terra maximus & diuinissimus, in quo etiam plus honoris & gloriæ, quàm in cunctis Deo Patri exhibuisti: status in quo fecisti redemptionem mundi, peccata nostra abstulisti, & delesti chirographum damnationis nostræ affigens illud Cruci: status denique per quem omnia instaurasti & quæ in cœlis sunt, & quæ in terris, per quem & Deus erat in te mundum reconcilians sibi in sanguine Crucis. Ecce status tantum quidem admirabilis, quantum etiam tibi Domine est singularis; & tamen ad participationem eius dignatione tua homines assumere voluisti, quos & eiusdem tecum efficis consortes vnctionis & simul gratiæ, quæ huic tanto muneri adiuncta est: pro te enim Domine legatione funguntur, ob cuius gratiam exhortantur, orant, verbum reconciliationis in ore habent, dona offerunt & sacrificia pro peccatis. Talis est functio eorum hominum quos elegisti, & de mundo assumpsisti, vt habitarent in atriis tuis, & in domo tua in æternum, ad laudandum te cum hæreditate tua in bonitate electorum tuorum, & in lætitia gentis tuæ, quos, Domine, & gratiæ & ordinis tui oleo vnxisti, vt tuis adstarent sacris altaribus, & iugiter sancti tui nominis laudarent potentiam, vt ibi temetipsum tibi, sicut æterno Patri & Spiritui sancto offerrent, ministri Dominum & homines Deum. Quos denique in nomine tuo congregasti in vnum, vt & tu habitares in medio eorum, & illis existeres vitæ & actionum exemplar, qui es Sacerdos in æternum. Vnde Domine licet iam pro aliis infinitis beneficiis quibus me ab initio cumulasti, quo à te esse, ac vitæ vsuram accepi, infinitas, atque infinitas tibi gratiarum actiones referre debeam; adhuc tamen atque in immensum creuit obligatio, quod me indignum, vilissimum terræ vermiculum, & omnium hominum postremum, ex eis misericorditer in tuum sacrum ordinem assumpsisti, & dedisti statim Congregationi sanctæ, quam tu Domine

ab initio possedisti, sicut eam præuenisti, erexisti, & confirmasti in benedictionibus multis: me inquam Congregationi tuæ, etiam in ipsius institutione atque exordio dedisti, & partem quamuis minimam admisisti; qui vnus è sex primis electis, quos in hoc opus æterni consilij tui segregasti, minimus equidem omnium atque nouissimus veni per gratiam tuam, & occurri, vt particeps fierem primitiarum spiritus: & vtinam in his non minimis improbus non fuissem, sed fidelis. Crebrò Domine, crebrò hanc tuam gratiam recolo, & confundor; frequenter attendo hunc ordinem & statum quo subleuor, tibique associor, vnde & tibi gratias immortales ago; apud me & tacitus perpendo, & expauesco: statum, cuius authorem te vnigenitum, & dilectum Dei filium esse conspicio, non Patriarcham, non Prophetam, non Angelum.

O quantus & quàm sublimis, quàm dignus & ineffabilis est ille status! ô quantis debet abundare gratiis, ornari & præfulgere meritis, qui fontem ipsum omnis gratiæ Christum, vnigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, Institutorem suum præ aliis gloriatur habere! Tu enim Domine, à quo omne donum perfectum est descendens vt à Patre luminum, iuxta consilia tua, quæ ipsemet enarrasti nobis, & fideliter in sacrario Euangelij tui asseruata sunt, in Ecclesia tua religiosum statum sanctè instituens, gratiam hanc, formam, institutum, atque etiam exordium commisisti nonnullis Sanctis tuis & Patriarchis, quos in opus ministerij tui elegisti, & multorum filiorum tuorum duces ac parentes fecisti, qui renuntiantes sæculo, & te sequuti, perfectam vitam amplexati & assequuti sunt. Sed cùm sacerdotalem statum, ordinem vtique tuum instituisti, nō alteri præter te institutionem & initium commendasti. Tu enim es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui vinum & panem obtulit vt Sacerdos Dei altissimi: cuius sacerdotij etiam tu Domine sacramentum & figuram in veritate & oblatione corporis & sanguinis tui mirabiliter impleuisti. Cùm igitur hunc sacrum ordinem & statum erigere voluisti, tu Domine, & non alius, eius author, atque Institutor fuisti; vt iam inde maior appareret, ac supra omnem ascenderet ordinē dignitas & eminentia sacerdotij. Verùm & tempus huius institutionis sacræ magna adhuc consideratione dignū est, quando pridie quàm in Cruce pati deberes, & vt verus ac summus Pontifex in altari cruento sacrificium offerre, teipsum offerendo pro peccatis, Sacerdotes fecisti, & vicarios tuos consecrasti ministros tam ineffabilis mysterij: hunc, inquam, sacerdotij statum in illo vltimo die vitæ tuæ fundasti, instituisti, perfecisti; in illo pridie mortis tuæ & passionis: die in quo maiora reuerentiæ, dilectionis, honoris, obedientiæ, atque humilitatis officia Deo Patri exhibiturus eras: die in quo salutem & redemptionem hominum facturus, vitam propriam ponebas. O si sciremus cuius & quanti ponderis est illa vita tua, quantum statim diem hunc vltimum vitæ tuæ, atque etiam momentum æstimaremus! Diem & momentum in quo tanta tunc miracula patrabas, & mysteria nobis conferebas. Penes te Domine erat ab exordio prædicationis tuæ, hunc tuum instituere ordinem, sicut tunc tibi placuit septuaginta discipulos congregare, & ex eis duodecim eligere, quos & Apostolos nominasti, & semper extitisset, sicuti nunc est, sanctus & diuinus. Attamen in nouissimum diem distulisti, quo & corpus tuum Ecclesiæ commendabas, dignissimum pignus præsentiæ tuæ, & pro ea pati lætabaris, vt sacratior, memorabiliorque existeret. Plus honoris & gloriæ patiendo, quàm agendo, exhibuisti Patri, qui etiam redemptionem mundi & salutem per passiones & dolores Crucis impleturus eras. Vnde iam ex eo Domine dignitas sacerdotij summa esse perhibetur, quod nos tibi Dei filio in passionibus existenti vniat; quod statum efficiat indiuisum à te, indiuisum à Cruce, in quo & iugiter recolitur memoria tuæ Passionis.

Sed si finem attendo, expauesco magnitudinem, excellentiam non capio; dum adhuc considero ad sanctificationem Ecclesiæ tuæ, à te omnis sanctitatis fonte institutum

tutum

tutum esse: quidquid enim in ea nunc est sanctitatis, à sacerdotio emanauit, cuius est ex beneplacito tuo Sacramenta gratiæ tuæ vehicula administrare, spiritum tuum & corpus tuis tribuere & communicare fidelibus. Hæc est gratia quam huic præcellenti officio adiunxisti: hæc potestas magna & singularis, quam statui sacerdotali, & non alteri, etsi in Ecclesia tibi votis & religione deuincto, tradidisti. Si enim in Congregationibus religiosorum hominum, qui tibi piè, fideliter & cum perfectione seruire profitentur & satagunt, hæc quoque potestas & gratia inueniatur, non illis tamen vt propria, quam tantùm accidentario, atque ex ordine sacerdotij mutuatam retinent, cui ex dono ac priuilegio totam commisisti. Congregatio Sacerdotum pars tua est Domine, sors & funiculus hæreditatis tuæ, quam fecisti & instituisti primus, atque etiam primus possedisti ab initio in tuis Apostolis per te, in te, ac tecum congregatis in vnum, ipsos efficiens, in illo tuo conuiuio grandi, sacri tui ordinis consortes, ac tam sublimis in corpus tuum verum ac mysticum potestatis. Denique tibi eo statu ipso vniens multo arctiori nexu & vinculo, quàm si votis omnibus etiam semetipsos seruitio tuo tradidissent; nusquam enim tantum quispiam tuus esse potest, quantum est, cùm statu tuus est, etiam illo quem fecisti,& tuus est. Vnde nunc expendo quanta tibi perfectè seruiendi necessitate maneo deuinctus, cuius & gratia me Sacerdotem fecit & consecrauit, & Congregationi Sacerdotum, dum adhuc Spiritus tuus sanctus erectionem eius dirigebat, & nunc longè latéque diffundit in benedictionibus multis, magnificans lætitiam in multiplicatione gentis, abortiuum dedisti, & minimum commendasti. Hæc enim Congregatio tua, Domine, nisu sicut possessione, actione & statu obsequium omne atque officium Majestati tuæ debitum jugiter & quotidie impendit, continuò suspicit & miratur te authorem suum esse, obiectum & finem totius ministerij, ad quod per gratiam tuam selecta est, suis crebrò recolit alumnis seruis tuis, qua puritate se & omnia ad te debeant referre, & quo denique speciali cultu & honore obsequi voluntati tuæ ex illa nimia quidem dignitate, & sublimitate virtutis, qua eos donasti, cùm Sacerdotes, altaris tui ministros, supremæ tuæ potentiæ vicarios, mysteriorum dispensatores, atque Dei & hominum mediatores in medio Ecclesiæ tuæ fecisti. Illa enim, Domine, prima est dignitas Sacerdotis, quem olei tui & vnctionis participem esse voluisti, vt sit imago tua in terris: vnde & illi tota summáque nascitur obligatio tibi fideliter seruiendi; adeò vt, sicut homo qui per creationem suam imago Dei erat, si in sua innocentia perstitisset, sensum Majestatis Dei & magnitudinis eius in omnes creaturas diffundebat, quæ eum propterea vt Dominum suum verebantur & colebant: ita Sacerdos debeat imago tua te circumferre, diffundere, & formare in animis, sicut tuus agnouit Apostolus, & videtur insinuasse nobis dicens: Bonus odor Christi sumus. Altera dignitas, quam demum superadditam ex abundantia largitionis tuæ conspicio, illa est, quod Sacerdos, Domine, tuus specialis minister est & nuncius, eodem rursus Apostolo tuo dicente: Sic nos existimet homo vt ministros Christi; legatione enim pro Christo fungimur. Hæc est dignitas, quæ per te sacerdotio annexa, parem etiam seruiendi tibi necessitatem affert & inducit. Satis enim compertum est, nihil ita singulariter apud legatos, sicut Dominorum suorum agenda consilia, res & negotia Principum, gloriam atque honorem ipsorum commendari. Ita Sacerdos, qui in agendis pro te, Domine, legatione fungitur, tanto etiam ad seruiendum tibi, tuoque nomini confitendum obligatior est effectus, quanto præ cunctis nomen hoc hæreditauit, munus & gratiam filiis Ecclesiæ corpus tuum, verbum, & spiritum communicandi. O quantus & quàm sublimis, quàm diuinus & superexcellens est eiusmodi status, per quem tale ius, & talem potestatem dedisti hominibus, vt te, & quæ tua sunt, aliis conferre valeant, vt sumant & dent cæteris: per quem homo in corpus tuum dominium exercet, bonorum tuorum constituitur dispen-

fator, atque etiam in aliis fit quasi origo gratiæ; vnde adhuc fortè nomen ortum in illo paternitatis, quod honorem atque obsequium præstat summo tuo Patri, qui à Sanctis tuis fons dicitur Deitatis.

En excellentia status, non vt ex eo altum sapiamus, sed timeamus, discamusque in veritate tua nos humiliare, & non exaltare, agnoscentes quidem sublimitatem officij, sed defectum simul nostræ fidelitatis, & gratiæ tanti ministerij ad quod nos assumere dignatus es. Gratia enim quædam est & singularis, per te huic statui, officioque tam sublimi adimplendo concessa, & proportionata; ad quam etiam vrges nos vt continuò aspiremus, qui vnicuique nostrûm in hac sublimitate constituto clamas de cœlo; vide ministerium tuum impleas. Hanc Domine à te gratiam postulamus, præstolamur, obsecramusque vt à ministerio non discernas, non separes, non diuidas, sed ita simul coniungas, vt & tu sis in nobis, qui Spiritu tuo iugiter hoc nostrum ministerium impleas. Magnum enim planè & dignum est tuo Spiritu & gratia hoc ministerium, quod totum te respicit, totum ad te tendit & refertur, cuius etiam officia, Domine, hæc tria sunt, inter plura quidem memoranda atque præcipua: tuis sacris ac tremendis adstare altaribus: ore sacro carnes tua conficere, teque continuò ac in iuge sacrificium offerre: in medio Ecclesiæ tuæ nominis tui laudare potentiam, adorare, orare, in lege tua meditari, & in adinuentionibus tuis, tibique etiam in conspectu Angelorum psallere, tibi, inquã, psallere Domino qui habitas in Sion, & tua annunciare studia inter Gentes, tecum agere, & cũ proximo propter te: tecum in laudibus, oratione, & sacrificio: cum proximo in exhibitione & manifestatione tuæ voluntatis, in ministerio verbi tui, gratiæ & donorum salutis. Hæc est sors optima, quæ ex electione tua cecidit super nos, nobisque per gratiam tuam ex officio competit, sicut ille cui pontificium summum tradidisti, quem Apostolorum Principem, & Pastorem Ecclesiæ fecisti, atq; omnis veritatis oraculum, sibi tunc commissis, nunc autẽ nobis enarrauit dicens; Nos autem orationi & ministerio verbi Dei instantes erimus. Ecce quibus, Domine, & præ omnibus vitæ nostræ studiis intendere, atque incumbere debemus, tuis videlicet vacare laudibus, & orationibus, postulationibus, obsecrationibusque pro populo. Hinc ille sacer quem signasti & vnxisti cœtus Sacerdotum, qui tibi Christo Sacerdoti in æternum dicantur, teque in oratione pernoctantem singulariter reuerentur, Congregationis Oratorij nomen ex eorum officio, iure ac meritò accipere à te gloriatur: eò siquidem spectant omnia consilia eius & vota, vt quos complectitur, enixè muneris sui gratiæ atque officio inuigilent, instantes sint orationi & ministerio verbi tui: sed quid dicam? etiam te verbum Patris in ipsorum manibus tanquam in vtero Virginis incarnatum offerant in odorem suauitatis Deo, populo autem in alimentum animæ, & arraham salutis vitæque æternæ administrent. Ecce Domine IESV vere Sacerdos & æterne, quibus & quantis hunc tuum ordinem sacrum locupletasti gratiis, decorasti priuilegiis, sublimasti prærogatiuis; adeò vt nullus sit status, non dicam in terra, sed etiam in cœlo, post statum maternitatis Virginis matris tuæ, cui tot ac tanta gratiarum dona concessisti, quem tibi arctiùs deuinxisti, & potiori pignore largitionum tuarum, atque munificentiæ tuum effecisti. Et certè non modica, imò maxima esse videtur relatio & conuenientia inter statum Sacerdotis, & statum tuæ matris, id est, Dei matris: statim enim atque illa suum verbis consensum expressit, te verbum æternum in eius vtero incarnatum concepit. Ita Sacerdos non citiùs de mandato tuo verba consecrationis protulit, quin statim corpus tuum ore sacro conficiat sub elementis & speciebus mysterij. Ecce equidem memoranda inter statum vtrumque relatio, vbi idem corpus tuum productum à Virgine, & confectum à Sacerdote datur mundo. Admiranda planè relatio, qua vterque status quodam modo consimili, diuino & supernaturali te colit, ac mutuò vt idem penitus obiectum respicit. Vnde animaduertens qua pietate animi,

animi, & deuotione cordis, debeam ego, quem ad sacerdotij statum, quod tibi essentialiter est & deuinctum & deuotum, sublimasti, tuæ sanctissimæ matri honorem & famulatum impendere; hanc Theologiam Sacram, quæ præter te nihil sapit, docet, intendit, quam in Congregatione tua quæ colit te, didici, dixi, & nunc scriptam seruorum tuorum votis & consiliis obsequendo, typis ac luci commendo, huic præcellenti Auroræ matri tuæ, quæ te Iustitiæ Solem superuestiuit nube carnis nostræ, & te prodidit nobis Saluatorem mundi, humiliter, & ex beneplacito tuo deuoueo dedicoque, vt per eam, Domine, quod nec præsumo, nec audeo per meipsum tibi offerre, dignanter accipias: quod non satis dilucidum erit, benignus illustres; totum quod humanum erit aut profanum, ex pietate tua sanctifices; ac tandem omne quod non satis te dignum erit, ex consueta bonitate tua excuses: verùm adhuc propter eam si quid incongrui & mali inuito irrepserit, misericorditer indulgeas. Ignosce Domine, ignosce obsecro, & omnes ignorantias meas, offensiones & negligentias indulge; ac per illam dignare, quæ communicando tibi nostræ carnis infirmitatem, etiam exiguæ hominum scientiæ subiecit te, hoc opusculum scientiæ tuæ & cognitioni consecratum, etsi Domine impar, exiguum valde & te indignum, aliqua benedictione tua perfundere; vt in minimo magnus appareas, fortis in infirmo, sanctus & Deus in profano; & vt qui legerit quidquid potuit infirmitas mea de te scribere ac fari, te agnoscat, laudet, amare discat & prædicare. Hæc enim mea coram te, Domine, intentio fuit, te solùm quærere & sapere, tibi, non mundo placere: ideoque scribere & prædicare non cum sublimitate, & humanæ sapientiæ verbis, sed magis in ostensione virtutis tuæ, & cum simplicitate sermonis. Hæc enim est gratia mea, si quam mihi, Domine, cum tuo Apostolo elargiri volueris, sicut opto & postulo, tuas euangelizare inuestigabiles diuitias, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti tui absconditi à sæculis in Deo, vt innotescas.

SANCTISSIMÆ DEI GENITRICI VIRGINI MARIÆ.

MERITO in te omnium respiciunt oculi, sanctissima & incomparabilis Virgo, cui, in qua, & ex qua nobis fecit magna qui potens est. Tu obiectum fuisti Dei omnipotentia, bonitatis, & sapientia, vnde & singulare sacrarium facta es omnium differentiarum gratia, thronus, Ecclesia decus, gloria & firmamentum; inuentrix vita, dispensatrix salutis, per quam & benignissima manus Dei quidquid creauerat, reparauit. Magna plane & admirabilis es, magna in te, & magna extra te, magna in Deo, & in cunctis creaturis. Prima tua, & suprema in te magnitudo, ipsa fuit in te, & est adhuc Dei maternitas. Ipse Christus est, tuus, & Dei filius, qui te omni quo potuit, & digna fuisti, honore coluit; omni qua potuit, ipsumq; decuit, dignitate & gloria sublimauit; qui te, vt Deus, & te vt suam matrem honorauit. Ecce, inquam, tua in te magnitudo prima & suprema, qua electa, & effecta mater Verbi, continuo te refers honore ad paternitatem Dei. Vnde altera & secunda oritur, qua non solum in te, & in Deo magna prædicaris, sed etiam extra te, in nobis, & in omnibus creaturis: qua tibi terram & cœlum subijcis, & omnium Domina, super omnem principatum constituta, homines atq; Angelos ad seruiendum tibi, honoremq; præstandum, potenter attrahis. Angelos dico, qui dominationi tua, ac maiestati, etiam statum gloria suæ (te Dei matrem venerantes,) submiserunt; & cui subditum in terris viderunt, & adorauerunt Dei filium. Vnde etiam meritò, tantoq; magis huic tua ditioni superexcellentissima homines subijcis, quanto quidem inferiores sunt Angelis, atq; eis singulariter, & non illis genuisti Deum & hominem. Per te enim, ô Virgo intacta & sublimis, mater alma & admirabilis, paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius. Tu igitur Domina mundi es, & Regina orbis, qua mater es summi Regis: speciali tamen priuilegio gratia nobis facto, hominum Regina diceris, quia ex te ortus est Sol Iustitia, Dei filius, Christus Deus noster factus homo. Quare etiam nobis super omnes conuenit, ad te nos, & qua nostra sunt omnia referre. Hoc faciunt in cœlo beati, tuam ibi majestatem & maternitatis gloriam debito

cultu

cultu & obsequio honorantes; & nos pariter adhuc in exilio miseri, faciemus, hanc tuam honore consimili suspicientes dignitatem: cui semper nos & omnia humillimè subesse volumus. Vnde ego, omnium equidem minimus, & peccator, tuo licet accessu indignus, sed non aspectu, & misericordia tua oculis, qua non iustis, sed peccatoribus & despectis protulisti & dedisti Saluatorem; me tibi hodie, meaq; omnia quæ iam tua sunt, nunc & in perpetuum offero, committo, trado. Inter illa verò, præsens Sacræ Theologiæ opusculum; quod licet multis cum imperfectionibus meis, quæ has lucubrationes irritas fecerunt, confectum absoluerim; tamen quia totum ad notitiã & gloriam filij tui est, etiam ò Domina, tuum est: vnde & meritò illud tibi humiliter deuoueo. Tuus ipse filius, cœli est Theologia, quam quidem homini loqui non licet in terra: sed quia ipsemet in carne nostra veniens, est loquutus, & quæ audiuit à Patre nota fecit nobis, imò & præcepit nobis, vt annunciaremus, sicut iussit, sic facio. IESVM Christum filium tuum annuncio, prædico, scribo; neque enim iudicaui me aliquid scire nisi ipsum, & hunc crucifixum. Et vtinam hæc mea sit gratia cum Apostolo eius, & omnium tandem, quibus à Deo commissum est prædicandi munus, euangelizare inuestigabiles Christi diuitias, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, vt innotescat. Innotescat opto, precor, propter quod & in hoc opere exiguo solùm & enixè secundum tenuitatem ingenij mei ac laboris contendo, quodq; ideo, ò benedicta Virgo, sub nuncupatione & titulo Theologiæ Sacræ, tibi offerre, & consecrare cum omni humilitate præsumo & confido. Illud itaq; & meipsum cum illo, cunctisq; quæ mea sunt, & potiùs tua sunt, in æternum suscipe. Ac per te, ò inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, suscipiat nos, qui per te datus est nobis, per quem & accessum habemus ad Patrem æternum. Meritò in te omnium respiciunt oculi, ò sancta & incomparabilis Virgo, cui, & nobis per te, magna fecit Deus qui potens est, & sanctum nomen eius.

LECTORI

LECTORI SALVTEM.



LVBENS tu quoque, Lector, ad ipsum limen sta quod te salutat, dum inconsulti huiusce operis consilium aperit. Ecce tibi nouam, sed veram Theologiæ faciem tanquam ex vmbra in apertum Solem prodeuntis, quæ non quæsitis adumbrata verborum pigmentis, sed suo decore conspicua, suis ipsa micat coloribus. Habes enim hic reconditos scholarum apices, & matura digestione recoctos, habes elaboratam cœlestis Sapientiæ praxim, quæ doctrinam veritati, argutiam pietati conciliat. Sapit quidem Romanos mores Romana oratio, & hanc primùm vocem sub meo calamo inter scribēdum nacta est, licet postea in pulpito Gallicam obtinuerit, quoties contigit pro meo munere, cui satis mihi visus impar, verbum Dei, & Verbum diuinum IESVM Christum populis annuntiare: quem vnum scio, quem vnum scriptis & ore prædico. De stylo nihil te monitum velim, quia non tædebit, si parum luxuriantem in re sacra dixeris, si familiarem, si nullis dictionum schematis, & periodorum numerosis sonis, sed sponte tantùm nascentibus variegatum intellexeris, si tandem, vt arbitror, apprimè ad rem idoneum agnoueris, & qui mihi etiam tunc in opus tanti ministerij assumpto satis superque faciebat, aliisque posthac, qui vti voluerint, vt spero, faciet; præterquàm quod res ipsa quæ tractatur ἀνάγκη. Me Christi oratorem agere, & pro eo legatione fungi semper memini, vnde sacris sacra tantùm composui, & sicut Agar Saræ iussa est ancillari, sic humana diuinis seruire coëgi, non diuina humanis, iisque demum & studio selectis, quæ vtiliora esse iudicaui, potissimùm verò ad IESV Christi notitiam spectare, & fidei orthodoxæ veritatem: cui, sicut Ecclesiæ, & Pontificio culmini humile hic præstò obsequium. Itaque operam nostram, quantulacunque est, accipe, pie Lector, quam amicorum votis & precibus, non secus ac exercitationi tuæ concedo, Diuis offero, Virgini Deiparæ dicatam consecro, Apostolicæ authoritati & censuræ subiicio; & ea fruere, vt libebit, vt licebit. Si quid palato tuo sapit, Deo acceptum refer; si quid minus, humanitati: si quid verò non citra mendam, Typographorum incuriæ, & eorum minus castæ ac sollicitæ castigationi, cui præsens operis emendator, trecentorum milliariorum interuallo dissitus, interesse non potui, & sic quotidianam illi opem & recognitionis curam, quam exigit, impendere. Nam dum præter mentem prælo committitur, & iam de occulto in lucem mittitur; mutato consilio, ipse aliò vocatus ob vrgentia quædam negotia, quibus etiam nunc detentus maneo, idcirco prohibitus fui correctioni, vt constitueram, inuigilare, operam & diligentiam afferre, vt dilutis omnibus erratis emendatum prodiret. Quare si quæ iam legendo contigerint, si qui & verborum, distinctionumque defectus occurrerint, opto enixéque precor, vt pro eruditione & peritia tua aduertas; atque etiam, si velis, pro amore quo te in Christo amplector, & in illo à te coli spero, castiges, corrigas, emendes. Vale.

APPROBA

APPROBATIONES.

THEOLOGIA hæc ſacra quæ prælo mandetur, digniſſima eſt, & modo quodam generéque dicendi, docendi, ſcribendique minimè vulgari, omnia poma noua & vetera offert dilecto, & diuidit perbellè ſpolia domus ſpecioſæ: quæ legi, ſunt apprimè orthodoxa, & ſi ex vngue Leo dignoſcitur, homiliæ iſtæ Catecheſéſque Chriſtianæ, non ſolùm prædicatoribus, aliiſve in vinea Domini laborantibus, vtiles erunt, ſed & omnibus veræ pietatis ſanæque doctrinæ ſtudioſis & cultoribus. Ita cenſeo ego 14. Octobris 1622.

IOANNES PETRVS *Epiſcopus Bellicenſis.*

QVA pietas, qua eruditio commendantur, iſta ſacra Theologia commendatione & prælo digna. Sic cenſeo. Actum Lugduni vltima Octobris 1622.

FR. ROBERTVS BERTHELOT *Epiſcopus Damaſci.*

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE in ſacra Theologia Magiſter, in S. Pauli huiuſce Ciuitatis Canonicus, & in hac Lugdunenſi Diœceſi à D. Dionyſio Simone de Marquemont Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo in librorum cenſuram incumbere iuſſi, fidem facimus: Nos hanc Theologiam ſacram iuxta formam & praxim Euangelicæ prædicationis diſtributam, PAVLI METEZELLI Presbyteri Cõgregationis Oratorij Ieſu Chriſti vidiſſe, omniáq; in ea ſacræ, Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſię dogmatibus conformia non modò comperiſſe, ſed etiam vberrimo ſapientiæ & ſcientiæ fonte ſcatente pectoris prodeuntia, acutè, piè, ac iuxta SS PP. interiorem & genuinam doctrinam exponi viſum nobis. Lugduni apud S. Paulum, 14. Calend. Ianuarij 1622.

DE VILLE.

Facultas imprimendi R. D. Vicarij Generalis.

ERVCTAVIT aliquando verbum bonum P. PAVLVS METEZELLVS Congregationis Oratorij Presbyter, dum in Eccleſia noſtra Sancti Nicetij ſacrum agens Theologum, ſollicitè, efficaciter, ſuauitérque curabat vt Chriſtus formaretur in nobis: vt nunc lingua eius verſa in calamum ſcribæ velociter ſcribentis illud ipſum identidem calamo procurat; & ni ponamus obicem præſtat omnino: quippe vt non niſi ea caſta & diuino grauidata Matre Spiritu naſci dignatus eſt Chriſtus; ita non niſi caſtis & diuino fœcundatis Spiritu formatur Chriſtus eloquiis, qualia ſunt quæ exhibet Theologia ſacra, verè ſacra, quia omnia è Scripturę ſacræ fontibus & Sanctorum Patrum deprompta penu; quam à Theologis approbatam, noſtro etiam calculo, vtpote à nobis lectam, probamus, vtque in lucem edatur permittimus. Actum Lugduni Nonis Ianuarij anni 1623.

N. MENARD *Doctor, Canonicus & Sacriſta Eccleſiæ collegiatæ Sancti Nicetij, Vicarius Generalis ſubſtitutus in Archiepiſcopatu Lugdunenſi.*

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus literis cautum, ne quis in Regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos sex annos, à die impressionis primæ inchoandos excudat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet Librum, qui inscribitur: *Theologia sacra, iuxta formam Euangelicæ prædicationis distributa,* &c. Authore R. P. PAVLO METEZELLO Parisiensi, Congregationis Oratorij IESV CHRISTI Presbytero, præter LVDOVICVM PROST hæredem ROVILLE, Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipse concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus suis subditis, eundem Librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti LVDOVICI PROST. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum apud Sanctum Germanum 2. Iulij 1624. Regni nostri decimoquinto.

De mandato Regis

Signatum

LE LONG.

ELENCHVM
TRACTATVVM
SEQVENS PAGINA
INDICABIT.

Elenchus Tractatuum totius Operis.

INDEX



INDEX THEMATVM QVÆ IN TRIPARTITA THEOLOGIA DE CHRISTO IESV, consultò tractantur, & exponuntur.

ITINERARIVM INCARNATIONIS.

ANNVNCIATIO ANGELICA in Aduentu.

†† 2 De

COMMERCIVM SAcrum Verbi Dei cum homine, in Aduentu.

VERITATES EVANgelicæ in Quadragesima.

De pisci

CONVERSIO PECCAtoris ad IESVM Christum, in Quadragesima.

OPVS HVMANÆ REparationis per Christum, in Quadragesima.

De captu

TRIBVNAL CONfessionis in Sabbathis Quadragesimæ.

ELENCVS CONVERSAtionis diuinæ IESV Christi in terra. Iuxta Euangelia Dominicalia totius anni.

Post Natiuitatem.

MYSTERIA SACRA quæ in Ecclesia celebrantur.

FESTA SOLEMNIA Sanctorum.

CATECHESES CHRISTIANÆ centum & viginti, omnia complectentes quæ necessaria sunt ad salutem.

CAT. E

TERTIA PARS Catechismi.

QVARTA PARS Catechismi.



ITINERARIVM INCARNATIONIS, SEV ADVENTVS IESV CHRISTI IN MVNDVM.

Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum. Exod.3.

NIHIL est in Scriptura sacra, quod nobis magis exprimat, & explicet diuinam rationem incarnationis, & aduentus IESV Christi in hunc mundum, quàm longa afflictio, & dura seruitus populi Israëlitici in Ægypto, ad liberationem & salutẽ cuius visibilẽ se Deus Moysi præbuit. Ab initio Exodi illa declaratur seruitus, & quomodo Israëlitas opprimunt Ægyptij, atque ad amaritudinẽ eorũ vitam perducunt operibus duris. Illi autem ingemiscentes post multum temporis ad Dominum clamauerunt, qui audiens gemitum eorum, & recordatus fœderis quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Iacob, B statim respexit illos, apparénsque Moysi in flamma ignis de medio rubi, dixit illi. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, & sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam & spatiosam*, &c. *Clamor ergo filiorum Israël venit ad me: vidique afflictionem eorum*, &c. Sub hac figura vniuersalem viderat Deus generis humani afflictionem: quomodo eramus omnes in dura peccati seruitute oppressi, in Ægypto, domo seruitutis, sub crudeli Pharaone, & hostibus Ægyptiis. Clamor noster ascendit ad eum; gemitum audiuit, & recordatus est fœderis quod pepigit cum Patribus nostris. Cum Noë, cui dixit; C *Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines: ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos, & nequaquam vltrà interficietur omnis caro, neque erit deinceps diluuium dissipans terram. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram: videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum, & omnem animam viuentem.* Ita cum Abraham fœdus pepigit dicens: *In te benedicentur omnes cognationes terræ, & statuam* A *pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te.* & alibi; *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum: ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam.* & in illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham dicens; *Semini tuo dabo terram hanc*, ingentem videlicet & spatiosam, Chananæorum, Iebusæorum, & aliorum, &c. Illæ autem sunt misericordiæ Domini super nos, qui afflictionem nostram videns, descendit, vt liberaret nos de diluuio peccati, de incendio inferni, Pharaonis seruitute, & manibus diaboli, Ægyptiorúmque eius qui opprimunt nos: memor fœderis quod pepigit cum Patribus nostris, B & vt simul vindictam sumeret de hostibus suis, & qui oderunt nos. Quod quidem manifestatum est Moysi in deserto montis Sina, vbi ei Dominus apparuit, in flamma nubis, de medio rubi, duplicémque ipsius aduentum in hunc mundum ostendit, vnum ad salutem, alterum ad vindictam. Apparitio de medio rubi demonstrabat futurum eius exitum ad salutem afflictorum. Exitum eius dico in infirmitate nostra, in paupertate, spinea corona, & in diademate miseriæ nostræ. Vnde Proclus Episcopus, vt in Concilio Ephesino legimus, sic dicebat. Venit quidem ad saluandum, sed & pati quoque illum oportuit; vnde ipse spineam coronam portauit, & spinarum causam euertit. Miracula video, & diuinitatem C prædico: cerno passiones; & humanitatem non nego. Quod erat, saluauit; quod verò factum est, passiones subiit, &c. Verùm denuò apparet Deus de hoc rubo, in flamma ignis, vt simul ipsius notetur aduentus ad vindictam malorum qui opprimunt iustos. De quo quidem tremendo & formidabili aduentu, in diémque vltimum seruato, qui dicitur Iudicij, nobis hodie sermo est in Euangelio, vbi S. Lucas dicit; *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube*, filium hominis qui de medio rubi apparuit, venien

Exod. 1. 2. & 3.

Fœdus cum Noë. Gen. 8. & 9.

Gen. 12. & 17.

Fœdus cum Abraham. Gen. 15.

In apparitione Dei de rubo aduentus Christi significatur.

Proclus in Con. Ephes. to. 4. cap. 7

venientem tunc cum potestate magna & maiestate, videlicet in nube & in flamma ignis. [*Aduentus Christi vltimus in iudicio.*] *Tunc*, Euangelista dixit, vt eiusmodi nouissimus aduentus distinguatur à primo, in quo in infirmitate nostra, & de medio rubi, ad salutem nostram apparuit. Tunc enim, id est, in illo die, & aduentu nouissimo, videbunt venientem in flamma ignis, in nube cum potestate magna & maiestate, ea nimirum qua tanta cum gloria de humilitate terræ nostræ ad cœlos rediit, vt impleatur quod de eo in Actis dictum est ab Angelis, cùm eleuatus est videntibus discipulis, & nubes suscepit eum ab oculis eorum: [Actor. 1.] [*Ascensus Christi in cælis forma est descensus ad iudicium.*] *Hic* IESVS, inquiunt, *qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum eum vidistis euntem in cœlum.* scilicet, sic in nube veniet, & cum eadem maiestate.

Legibus decretum est, vt nulla vnquam sententia proferatur, nisi Iudex pro tribunali sedeat. Quodnã verò tribunal erit huiusce iudicis tantæ maiestatis? Nubes erit: sic enim per Sapientem dicit; [Eccles. 24.] *Ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis.* Ad hoc etiã Daniel respexerat, dicens: [*Tribunal Christi.*] [Daniel. 7.] *Ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat.* Cuius duplicem rationem affert Origenes. Prima est, de qua suprà diximus, vt videlicet, sicut, ipso ascendente in cœlum, nubes suscepit eum ad honorem: ita etiam reducat descendentem. Secunda, quia tunc tanta claritas erit humanitatis eius, vt, nisi in nube, minimè videri possit. Adeò vt non tam adhuc in nube, quàm in flamma ignis dicatur venire: sicut ita Moysi apparuisse legitur de medio rubi, videlicet in flamma ignis: & hoc vt ostenderetur ex supradictis, quia simul ad salutem veniebat, & ad vindictam; ad refrigerium, & simul incendium animarum. Vnde simul etiam Propheta coniunxit; [Psalm. 96.] *Nubes & caligo in circuitu eius, iustitia & iudicium correctio sedis eius. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota est terra à facie Domini. Annuntiauerunt cœli iustitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius.* O quis nostrum tunc stabit ad videndum eum, dicit Malachias? [Malach. 3.] Eo quod Daniel Angelum vidit lineis vestitum, [Daniel. 10.] cuius vultus erat species fulguris, oculi vt lampas ardens, statim emarcuit, nec habuit quidquam virium, & vt audiuit vocem sermonum eius, iacebat consternatus super faciem, & vultus hærebat terræ. Quidnam igitur erit videre istum Angelum magni consilij IESVM Christum, amictum lumine sicut vestimento, in nube venientem, & in flamma ignis? Quis occurret ei? cùm, vt ipsemet dicit, *Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem, ita erit aduentus filij hominis.* Quando tunc & tubarum voces audientur, cum strepitu & trepidatione ignis, &c. Huius quidem rei figura pulchra in veteri Testamento; [*Figura iudicij.*] videlicet in Exodo, vbi conuocato omni populo ad pedem montis Sinai descendit Dominus [Exodi 22.] legem ei daturus in forma horribili, ignibus & tonitruis præcedentibus ante ipsum, sonitu & clangore buccinarum. Quæ omnia ideo fortè peracta sunt, vt illo timore primò instrueretur populus, ne postea violaret & frangeret eam. Secundò, vt specimen quoddam & exemplar esset istius vltimi & terribilis descensus, cùm de lege iudicaturus veniet, omnibus populis conuocatis, vbi tunc erunt signa in sole, in terris pressura gentium, arescentibus hominibus præ timore & expectatione. [Malach. 3.] *O quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum?* Eum dico venientem cum potestate sua & maiestate ad iudicium. Tunc certè implebitur quod dixit Psaltes, *Gloria & honore coronasti eum, constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius.* Quod ipsemet Dominus IESVS affirmat de se, dicens, *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* [Matth. vlt.] Et rursus, *Pater omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem. Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, quia filius hominis est*, &c. [Iohan. 5.]

Hoc autem tribus de causis conuenit ei. Prima, quia in homine, seu in natura humana omnia salutis humanæ mysteria impleuit, vt mortis, resurrectionis, &c. [*Triplici ratione iudicium conuenit Christo vt filio hominis.*] Secunda, quia conueniens est vt qui iudicandi sunt, suum iudicem videant. Deum autem videre in sua natura apud quem est authoritas iudicis, præmium est: vnde oportet quod non in natura propria, sed in assumpta videatur ab hominibus iudicandis tam bonis, quàm malis; bonis quidem ad gaudium qui videbunt Regem in decore suo: [Isai. 33.] malis autem ad confusionem & luctum, vt dicit in Apoc. S. Iohan. *Videbit omnis populus, & qui pupugerunt eum, & plangent se super eum omnes tribus terræ.* [Apocal. 1.] Tertia est Sancti Augustini, quia sub iudicio hominis humiliauit se vt iudicaretur iniustè, propter quod exaltabitur ad iudicandum omnes. Ita Apostolus, *cùm in forma Dei esset, humiliauit Christus semetipsum, propter quod & Deus exaltauit illum.* [Philip. 2.] Sic Iob, *Causa tua quasi impij iudicata est, causam, iudiciúmque recipies.* [Iob 36.] Vbi quidem notandum est, quod ait Magister sentent. [Magister sentent. in 4. dist. 48.] ista videlicet non intelligi, quasi ipse ex virtute hominis sit iudicaturus; vel solus sine Patre; sed quia solus in forma serui iudicans apparebit & bonis, & malis, & in ista quidem forma serui non amplius infirma, sed gloriosa. Sicque ei meritò pro præmio tantæ humiliationis, eiusmodi dabitur iudiciaria potestas & exaltatio à Patre & Spiritusancto: Ita vt quamuis Pater & Spiritussanctus cum ipso iudicent, solus tamen hac ratione Filius dicatur iudicare. Nam vt dicit S. Augustinus, licèt opera Trinitatis ad extra sint indiuisa, ita vt quod facit vna persona, faciat & alia: tamen sicut solus Filius carnem assumpsit in opere incarnationis: ita iudicabit solus, in homine, non quidem ratione humanitatis, sed diuinitatis: hócque modo in Actis dicitur Iudex constitui omnium. *Ipse est*, dicit S. Petrus, *qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum*; [Actor. 10.] qui in momento & in ictu oculi congregatis omnibus, statim examinatis, & à se inuicem separatis, aliis vitæ, & mortis aliis sententiam proferet; [*Discrimen sent. iudicis.*] dicet aliis, *venite benedicti Patris.* Aliis verò, *discedite maledicti.* Quis non tunc perhorrescet? Si Adam ad solam vocem Dei deambulantis, abscondit se & perterritus est, [*Adam figura malorum in iudicio.*] interim adhuc nesciens, quid illi vellet Deus, sed sola conscientia tantùm correptus: quantus quæso timor erit eorum qui Dei vocem audient, & non ignorabunt ad quid vocabuntur, simulque conscientiam propriam cum vniuerso orbe testem & accusatricem habebunt? *Sagittæ tuæ transeunt*, inquiebat Psaltes, [Psalm. 76.] sed *vox tonitrui tui in rota*: Afflictiones quidem mundi huius, monentis amici sunt sagittæ, breues sunt & momentaneæ, transeunt & non durant; vox autem tonitrui tui, & iudicij, in rota, id est, minatur in æternum; horribilis certè illa vox est. *Maledicti ite in ignem æternum.* O vos qui obliuiscimini Deum, nunc auribus cordis percipite, & intelligite, audite me, & timorem Domini docebo vos; eum timere docebo qui potest animam & corpus mittere in gehennam. *Memorare nouissima tua*, inquiebat Sapiens, *& in æternum non peccabis.* Inter illa, terribile & formidabile iudicium est; quis non pauebit ad istud? S. Bernardus serm. de primordiis & nouissimis nostris dicit vnicuique nostrûm

ita contin

Sunt qui nō formidant iudicium: comparat S. Bernard. puero in carcere nato.

ita contingere, ac si puer in carcere natus sit & nutritus: & quia numquā viderit lucem, miretur super tristitia & anxietate matris suæ. Illa scit enim vnde doleat, & quia nouit bona, grauiora sunt ei mala, & recordatione pacis, amaritudo eius est amarissima. O puer homo, iam noli mirari amplius: sed in recordatione tuæ amissæ pacis, æternæque huius à Sole iustitiæ in iudicio separationis, cum tua matre Ecclesia plora & dole. An non tibi iustum videbitur (dicit ille Sanctus) vt qui modò iumentis insensibilior fueris, post iumenta compellaris abire, & in tormentis positus, locum teneas posteriorem? Erubesce quòd pro consortio Angelorum, non pecorum modò, sed dæmonum sortitus es consortium. Eras enim aliquando gloria & honore coronandus; vt incola paradisi, conciuis Angelorum, & domesticus Domini Sabaoth, & ab ista gloria filiorum Dei deposuisti temetipsum, ab illa fœlici & dulcissima patria, ab illo horto voluptatis exulem te fecisti in æternum ad inferos: hæc ille. O luminum pater oculos nunc illumina, vt quæ nos circumstant mala videamus, & ploremus, ne aliquando frustra, & cùm tempus amplius non erit, lugeamus. Dicitur in Genesi quod Esau lentis edulio primogenita sua vendidit, & quod postea eiulatu magno fleuit, videns sibi à fratre suo benedictionem patris præreptam. Sic & nos (vera etenim hæc miseriæ nostræ imago est) comedimus nunc, & vendidimus edulio lentis, primogenita cœli. Quid enim illa sunt omnia quæ amamus, & propter quæ Deum offendimus, nisi exiguæ lenticulæ, & res seu negotia nullius momenti? Quare futurum est vt cùm benedictionem nostram à iunioribus fratribus nostris viderimus nobis ablatam, ploremus, sed frustra. O irreparabile damnum! Quis dolor, & quale tormentum erit cùm talis audietur sententia Iudicis, aduenietque mutatio tam inexcogitati, & non expectati iudicij! Iacob commutat manus suas moriens, facitque sibi dextrum puerum qui sinister erat, & è contrà. Ita Christus non amplius moriens, sed in morte orbis, manus suas in iudicio commutabit, & quos mundus ei sinistros offerebat, faciet ipse dextros, & dicet his; *Venite benedicti patris*, vt attollant oculos ad Patrem omnis benedictionis, eique summum honorem tribuant, atque vt flumina redeant ad mare & fontem vnde exierunt. *Possidete paratum vobis regnum.* Infernus non paratur nobis sicut Paradisus: infernus paratur diabolo & angelis eius; regnum autem cœlorum hominibus, sicut Angelis. *Vobis paratum*, inquit Christus, ideo certè quia ipsi est primò præparatum vt capiti omnium electorum; in illudque primus introiuit vt pararet nobis. Deinde ab *origine mundi* paratum adiunxit, quia ab initio mundi nihil aliud Deus agit quam regnum parare electis suis. Quinam sunt illi quos despicit mūdus, & ponit ad sinistram Deus verò ad dexteram suam collocat excludens à se reprobos, & sinistros faciens quos mundus suspiciebat & magnifaciebat. Commutat Deus manus suas, benedictionem suam dans humilibus & paruulis, maledictionem autem superbis & elatis, quibus dicet: *Discedite à me in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius.* Qui paratus est diabolo, dixit, vt ostendat illis, quia ex illis est tantum si trahantur ad inferos. Neque enim eis, sed diabolo & angelis eius paratus est infernus. O verè maledicti qui per peccata vestra discedetis à Deo in æternum [illegible] diabolo paratum & non vobis! O crudelis [illegible] separatio dura, & exilium durum in æternum [illegible] cum diabolis in flammis! Quale, quam [illegible], & quam durum vale dicent

Gen. 25. & 27.

Bern. serm. de primordiis & nouissimis.

Gen. 48.

Primo sunt electorum, et [illegible] de iudicio.

A iustis? *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum Nos autem insensati.* &c. Mala ista euitemus, dilectissimi, & Deum rogemus, vt in dextera eius digni efficiamur benedictionibus Christi. Quidnam verò est propterea faciendum? Vtique iudicio præueniendum est Dei iudicium, *honor Regis iudicium diligit*, ait Dauid. id est, summè Rex honoratur, Christus Rex noster, si ante iudicium nosmetipsos iudicauerimus. Sic S. Bern. Nihil à nobis exigit Deus quàm vt dicamus iniquitates nostras, & tunc iustificabit nos gratis, vt gratia commendetur. Diligit enim animam Deus quæ in conspectu eius, & sine intermissione considerans se, semetipsam diiudicat; hoc autem iudicium non nisi propter nos à B nobis exigit, quia, vt Apostolus ait, *si nos ipsos iudicauerimus, non vtique iudicabimur, sed securi expectabimus Saluatorem nostrum Dominum* IESVM *Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori charitatis suæ.* verumtamen si priùs cor nostrum configuratum fuerit humilitati cordis eius qui dicit, *discite à me quia sum humilis corde.* Duplex est humilitas: vna cognitionis; altera affectionis, quæ dicitur cordis. Priore cognoscimus quod nihil sumus, & hanc à nobis ipsis discimus: posteriore calcamus gloriam mundi, & hanc ab illo discimus, qui cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, &c. vbi enim gloria & diuitiæ nisi in domo eius? Filij Adam, quid vobis cum terrenis diuitiis & gloria temporali, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Nō veræ: C Aurum enim & argentum nónne est terra rubra & alba quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam? Non vestræ; si enim vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum; sed scio quia cùm interierit homo, non sumet omnia, neque etiam descendet cum eo gloria eius. Quænam ergo diuitiæ veræ & vestræ sunt? Virtutes, quas secum ad iudicium Dei conscientia portat; quibúsque etiam disponitur & ornatur, vt Dominum suum dignè recipiat. Quænam similiter erit animæ nostræ gloria? Iuxta Apostol. *testimonium nostræ conscientiæ, & quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei, non in sapientia carnali sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo.* Sic enim stabimus securi ante tribunal Christi: sicut hodie aduen- D tum expectamus gloriæ & maiestatis eius, quia Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ, Christus IESVS, qui cum Patre viuit & regnat in sæcula sæculorum.

Psalm. 98.

Serm. 3. de Adu.

Iudicium Dei iudicio est præueniendum.

Duplex humilitas.

Virtutes diuitiæ nostræ sunt.

2. Cor. 1.

DE DIVINIS EGRESsibus IESV Christi.

Vidi afflictionem populi mei, & descendi vt liberem eum. Exod. 3.

E AD eum spectabat in plenitudine temporum egredi, cuius egressio à diebus æternitatis. Is est Dei Filius, IESVS Christus; in sinu Patris Deus de Deo genitus ab æterno: & in vtero Virginis, de ea in plenitudine temporum factus homo. Cuius itinerarij in carne nostra nunc & in posterum speculatores erimus, & si vultis, sectatores. Gloria Filij Dei, ipsius egressio est, æterna atque temporalis, adeòque istud ad naturam eius spectat, vt nomen etiam illi conueniat. Zacharias 6. cap. gloriam hanc videbat & præuidebat dicens; *Ecce vir, Oriens nomen eius.* Quis ille vir, nisi ipse, qui cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu

De gloria atque essentia Christi est egredi.

Zachar. 6.

inuentus

Soli christo filio Dei exire generatione conuenit.

inuentus vt homo? Ille cui & soli primò & generatione duplici, diuina & humana, exire conuenit? &c. Pater non egreditur, qui principium est sine principio; principium diuinarum processionum, diuinarum egressionum, atque emanationum, & sicut dicit S. Dionysius, diuinitatis fons, atque principium. Diuinitatis principium, non quod exinde sit intelligendum quod diuina essentia procedat à patre; diuinitas enim propriè, seu diuina essentia, sicut nec generat, sic nec generatur, nec procedit ab vllo. Ipsa æterna est, ingenita, increata, à seipsa; vna & eadem in tribus personis. Denique Deus ipse est æternus, infinitus, immẽsus, & incõmutabilis, vnde eo tantùm sensu & modo pater dicitur fons & principiũ diuinitatis, inquantũ principiũ est filij & Spiritussancti: in quibus singulis diuinitas tota est, adeò vt tria illa nomina in se comprehẽdat, respectu filij dicitur pater, respectu filij simul & Spiritussancti principium: respectu verò suiipsius dicitur ingenitus, ens à se, æternum, principium omnium absque principio. Neque enim egreditur pater ab vllo; vnde nec etiam illi conuenit, aut conuenire potest vlla egressio, quæ tantùm personis competit quæ procedunt, &c.

De cœl. hierarch. cap. 1.

Quomodo pater dicitur principium diuinitatis.

Quomodo tantum filio & Spirituisancto conueniat exire & mitti.

Quare cùm duæ tantùm sint in Deo processiones; vna, qua filius à patre procedit, de qua Ioh. 8. *Ego enim a Patre processi.* Altera, qua Spiritussanctus, iuxta symbolum, ex patre, filioque procedit, tanquam ex vno principio; ideo non solùm filio conuenit exire & mitti, sed etiam & Spirituisancto. Et quidem pulchra obseruatio illa est: filius sicut tantùm à patre procedit, ita etiam solùm à patre missus dicitur in mundum. Iohan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* & iterum: *Qui misit me Pater, testimonium perhibuit de me.* Ita de processione & missione Spiritussancti dico; sicut à patre filioq; procedit, ita etiã ab vtroque missus est. Ioh. 15. *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis a patre, ille testimonium perhibebit de me.* Et quæso hoc rursum obseruetur: Pater mittens filium suum qui ab eo procedit, de eo testimonium reddit; & Spiritui [illegible] idem facit cùm ab vtroque mittitur. [illegible] omnia, vt [illegible], quoniam Iesus est filius Dei, atque in hunc mundum venit, vt ipsum redimat a peccatis, &c. *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum.* Ecce ad quid venisti, tuumque [illegible]

Ioh. 3. & 5.

Iohan. 15.

Verùm ostendamus modò, [illegible] Spiritussancto in diuinis emanatio [illegible] specialiter primùm, ante omnia, & per [illegible] hic egressionem competere, & inquantum Deus, & inquantum est homo. Inquantum [illegible] Deus, scilicet Verbum, processione primus est, qui priùs origine egressus est, [illegible] Spiritussancti, qui idem cum vtroque Deus est. Quare etiam in diuinitate Deus [illegible] speciale est nomen eius. Inquantum quoque est homo, etiam illi primò & singulariter egressio conuenit; talisque, vt etiam dici queat quod sit extra se egressus, sic enim eam Apostolus agnouit, qui illam exinanitionem appellauit dicens ad Philipp. *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*, propter quod etiam de eo dicit Zacharias hac forma serui, videlicet in humanitate nostra considerans, *Ecce vir, Oriens nomen eius*, &c. O admiranda vtraque egressio! In diuina sic oritur, vt non extra egrediatur: sic oritur, vt in se maneat, in patre, & pater in illo: talis est illa processio, vt sit immanens, Iohan. 14. *Ego in patre, & pater in me est.* In humana autem sic oritur, vt extra se egre-

Quomodo specialiter Christo exire conueniat.

Filius Dei factus homo extra se est egressus.

Philip. 2.

Iohan. 14.

A diatur, egressio quidem est vsque ad exinanitionem transiens, &c. In diuina egressione exaltatur, in humana humiliatur: in diuina possidet Dei esse, in humana descendit ad non esse: in diuina operatur amorem & vitam, in humana patitur hominum odia, languores, & mortem: in diuina producit Spiritumsanctum, in humana concipitur de Spiritusancto: in diuina formauit omnia ex nihilo, & ex puluere terræ hominem, in humana, materna ex carne formatus est homo, eiusdem Spiritussancti cooperante virtute. *Quod natum est in ea*, (ait Angelus ad Iosephum de virgine) *de Spiritusancto est.* Hæc est egressio ex qua noua prodeunt & perspiciuntur my-

Comparatio & differentia inter egressionem diuinam & humanam.

B steria. Spiritussanctus hic in tempore & in virgine filio Dei reddidit, quod in æternitate & in patre communicare ei non potuit: retribuit ei in egressione ad extra, quod dare non potuit in emanatione ad intra. Magnum quidem hic percipitur sacramentum, in Trinitate pater filium generat ab æterno, Pater verò & filius producunt Spiritumsanctum amore mutuo. Quantum enim ad personã Spiritussancti nihil in hac æternitate operatur, sed infœcunda manet, nihil dat, nihil producit, nihil communicat; sed quid inde accidit? Quod in operibus Trinitatis ad extra, & quæ fiunt in tempore, Spiritus ipse est qui replet & format omnia; *Spiri-*

Spiritussanctus retribuit filio Dei in tempore quod accepit ab eo in æternitate.

Iohan. 6.

Sap. 1.

C *tus est qui viuificat*, dicit Dominus, & Sapientia, *quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia* (scilicet vniuersus orbis) *scientiam habet vocis*, quod ipse est qui format, replet, & viuificat omnia. Sed quid adhuc præterea accidit? Quod omnium maximum Dei opus ad extra, quod incarnationis [illegible] opus, in quam, [illegible] & admirabile diuini eius egressus extra [illegible] specialiter attribuitur Spiritui sancto, ita vt, sicut dicitur de elemento ignis, quod in propria sphæra & regione nihil producit, extra verò eam, vt in terra, fœcundissimum est, & res innumeras producit & format: ita Spiritussanctus immanè producit in sphæra propria quæ est

Fœcunditas Spiritussancti in operibus ad extra

Comparatio.

D æternitas, sed extra illam, scilicet, in tempore, ita fit fœcundus, vt [illegible] operetur, videlicet, incarnationem, [illegible] filio Dei, [illegible] amor [illegible] æternum sibilantem in æternitate, [illegible] in terra & in tempore [illegible] æternitate. Quod enim in ea natum est, dixit Angelus, in virgine natum est, de Spiritusancto est. De Spiritusancto, non quod solus sit author operis, opera enim Trinitatis ad extra, tribus sunt communia, sed quia talis egressus filij Dei in carne nostra, ex amore fuit: amor autem in Deo, est Spiritussanctus, qui ex amore procedit, & ipse est amor, qui [illegible] Dei descendere fecit. O Domine, dilectio tua, fuit egressio tua, descensio tua,

E exinanitio tua, amor tuus, tuum pondus. Duplicem considerat amorem S. Dionysius, vnum qui eleuat, alterum qui humiliat. Exaltans amor est creaturæ ad Deum, summè enim subleuat creaturam talis amor qui eam vsque ad Deum erigit: amor è contra humilians est Dei erga creaturam, [illegible] enim potest Deus amare eam, quin descendat ad eam, & humiliet se. Respectu itaque creaturæ ad Deum, amor ignis est qui transfert [illegible] respectu verò Dei ad creaturam, pondus est quod deprimit, [illegible] Quare in illo amore Dei duo præcipuè consideranda sunt. Primum est, à nobis nihil [illegible] aut excellentiæ Deum [illegible] Nos enim & omnia Dei in suo diuino [illegible] continentiæque [illegible] & sic [illegible]

In hierarch. Duplex amor

Duo cõsideranda in amore Dei.

Quis

ctiùs perfruitur creaturis ſuis vt in ſe comprehenſis, quàm vt à ſe ſeparatis. Secundum eſt, non parum etiam exinde ferre detrimenti, tam ratione creaturæ, minimè id quidem recognoſcentis, ſed potiùs heu! nimis frequenter ipſum contumeliis pro tali ac tanto beneficio afficientis: quàm ratione ſui, ſic ſe, & ad talem vſque exinanitionem humiliantis, vſque ad punctum talis ac tantæ egreſſionis. Amor Dei duobus modis ipſum fecit egredi ad extra, per communicationem ſui. Primo modo in creatione mundi. In hoc enim opere ſe communicando creaturis, ad extra egreſſus eſt, ſic tamen ad extra egreſſus, vt non extra ſe ſit egreſſus. In ſeipſo enim manens fecit hæc omnia, in ſe manens & immobiliter perſeuerans ſuas ſingulis perfectiones diuiſit, atque largitus eſt, Seraphinis amorem, & diuinum amorem: Cherubinis ſcientiæ plenitudinem: Thronis requiem: Principatibus & Poteſtatibus Majeſtatem: Angelis diuinam virtutem: eſſe denique & vitam cunctis inferioribus; quouſque tandem dederit homini imaginis ſuæ ſimilitudinem. Ecce ergo quomodo amor primo modo Deum fecit egredi ad extra, quando vniuerſum condidit, quando eſſe, vitam, ſuaſque omnes perfectiones creaturis communicauit; ſic tamen, vt diximus, vt ſemper intra ſe manſerit, nec ſit extra ſe egreſſus. Secundo modo ſic amor per communicationem ſui fecit ad extra egredi, vt etiam extra ſe egreſſus ſit, cùm nimirum ipſum amor reduxit vſque ad communicationem propriæ perſonæ infirmitati naturæ noſtræ; ſic enim fecit, vt extra ſe tunc exierit, quando ſemetipſum ſic exinaniuit. Hoc etenim ſenſu, iſtud myſterium amoris, exinanitionem appellauit Apoſtolus. Ille eſt quidem & ſolus amor qui Deum deſcendere fecit. Amor iſte qui filio Dei pondus fuit; pondus meum amor meus; illo feror quocunque feror; amore egreſſus ſum extra me. Denique ille eſt amor quo ſic à patre & à ſeipſo egreſſus, ſtatim etiam mundo apparuit de virgine natus, iuxta quod Baruch prædixit, *in terris viſus eſt*, Iſaias dixit, *paruulus nobis datus eſt*; cecinere Angeli, *Saluator natus eſt*: & ſcriptum Euangeliſta reliquit, *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*. Antè in occulto egreſſio erat, in vtero matris; nunc in aperto eſt, cunctiſque apparuit vti ſponſus procedens de thalamo ſuo, quando de virgine natus in Bethleem, foras egreſſus eſt, ſedentibuſque in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Christus, cùm naſcitur, foras egreditur; cùm naſcitur, nouæ vitæ ſuper terram, definitæ, atque temporalis genus admirandum aggreditur, ſui itinerarij curſum ingreditur, quod ſtatim poſt innumeris & miris abſoluitur egreſſibus. Vix naſcitur, & iam de Bethleem egreditur. Apud S. Luc. *Tulerunt illum parentes eius in Hieruſalem, vt ſiſterent eum Domino* O Domine, futurus es colonus ſuper terram, quaſi vir vagus & declinans ad manendum. Ecce enim ſtatim poſt hæc, *Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens: Accipe puerum & matrem, & fuge in Ægyptum* à facie quærentis & perſequentis. *Qui conſurgens accepit puerum & matrem nocte, & ſeceſſit in Ægyptum vſque ad obitum Herodis*, vnde poſtea eadem admonitione reuocatus venit in terram Iſraël, indéque ſecedens in partes Galilææ, habitauit tandem in Ciuitate quæ vocatur Nazareth; ſed ſic, vt factus annorum duodecim cum parentibus ſecundum conſuetudinem aſcendat Ieroſolymam in die ſolemni Paſchæ, vbi remanſit conſummatis diebus, poſtque triduum inuentus, [illegible] deſcendit cum eis, quibus erat ſubditus. Quouſque tandem, vt eſſet magis in his, quæ patris ſunt, [illegible] quaſi annorum triginta vt putabatur

Duobus modis Deus ad extra amore eſt egreſſus.

Chriſtus foras egreditur cùm naſcitur.

Diuerſi egreſſus Chriſti. Luc. 2.

Math. 2.

filius Ioſeph, à Galilæa egreſſus, tunc venit in Iordanem ad Iohannem, vt baptizaretur ab eo: vnde regreſſus, ſtatimque ductus à Spirituſancto in deſertum; indéque adhuc poſt conſummatam omnem tentationem, in eiuſdem Spirituſancti virtute regreſſus; exinde cœpit I E S V S prædicare: venit ſe omnibus manifeſtans; vocans ad ſe, & conuertens; tranſibat, & circuibat totam Galilæam (Iudæam, & Samariam) docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo, &c. dicit Euangeliſta Matthæus. Ecce ad quid per nos eſt egreſſus, per nos ſic pertranſiit, & terram noſtram circuiuit, noſtros vt equidem ſanaret languores: *vidi afflictionem populi mei, & ſciens dolorem eius deſcendi, vt liberem eum.* Chariſſimi, ſic Chriſto cóueniebat vt egrederetur pro nobis, cuius egreſſio, vt videtis, nobis eſt tantopere ſalutaris. Nobis vtiliter exiuit à patre, & venit in mundum, nobiſque adhuc vtiliter, vt redeat ad patrem, relicturus eſt mundum: egreſſio eius nobis ad omnia vtilis eſt. Sed quantum heu! ab ingreſſu differt egreſſio eius? Per vitæ myſterium ingreſſus eſt in mundum, & egreditur de mundo per mortis & amaræ paſſionis ſacramentum: *filius hominis*, ait, *ſecundum quod definitum eſt, vadit*, ad mortem, vt redeat ad patrem, &c. admirandiſque præuenit ante regreſſum ſuum egreſſibus. Egreſſus cum diſcipulis eſt trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, vbi & patrem ſuum orans, in agonia factus eſt. Exiuit & cum Pilato, portans coronam ſpineam, &c. Exiuit & cum Iudæis, militibuſque Cæſaris, baiulans ſibi crucem, in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, vt crucifigeretur cũ latronibus. De medio quidem noſtri ignominioſè exiuit, & de manibus noſtris: ſed vt hinc glorioſiùs ad patrem Aſcenſione rediret, quæ quodammodo complementum fuit itinerarij eius, vbi in æternum ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis, ſuamque magnificentiam eleuauit ſuper cœlos, ſcilicet humanitatem, quam aſſumpſit ex nobis.

Verùm quidnam boni de eius manſione & conuerſatione nobiſcum in terra colligemus? Primum eſt, vt ſimus ſectatores eius. Homo ſequendus non erat, ait S. Aug. qui videri poterat; Deus ſequendus erat qui videri non poterat: vt igitur, homo haberet, quem ſequeretur, Deus factus eſt homo, & habitauit in nobis. Secundum eſt, vt ad ſimilitudinem veniamus. Itaque ò homo ſi ſimilis Deo fieri cupis, vidẽdo eum ſicuti eſt, da nunc operam, vt ſimilis ei fias, videndo eum, ſicuti pro te factus eſt; ſic enim per imitationem ſacræ humanitatis, ad ſimilitudinem venies ſummæ diuinitatis. Propterea equidem adhuc vltimum ſuum regreſſum, ad nos in fine ſæculorum, reſeruauit: vbi tunc in eadem gloria & maieſtate diuinitatis, qua aſcendit, veniens apparebit, iudicaturus omnes, eóſque remuneraturus gloria, quos conformes & ſimiles ſibi inueniet in vita. Nunc autem gloria noſtra hæc eſt, & quam, vt occurramus regi gloriæ, habere conuenit, conſcientia pura, & victoria de peccatis; ſic enim dixit Mariæ Angelus quod regnaret in domo Iacob in æternum. Et quis ille Iacob, in domum cuius introducitur I E S V S, & regnat in æternum magnus rex noſter & Dominus? vtique is qui diabolum ſupplantat, mundum, atque carnem: qui luctatur cum Eſau, vt non regnet in eo peccatum, ſed regnet I E S V S in æternum, nunc quidem per gratiam, in æternum autem per gloriam. O Domine I E S V adueniat citò regnum tuum in me, & illius non ſit finis. Sed ò quàm glorioſum eſt illud regnum, ait S. Bernardus,

Math. 3

Math. 4.

Luc. 22.

Iohan. 18. & 19

Duplex bonum ex conuerſatione Chriſti in terra.

S. Aug. ſer. 22. de Natiu.

S. Bern.

D. Bern. homil. 4 ſuper miſſus.

in quo sunt multi reges congregati, & conueniunt in vnum, non amplius aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, sed ad laudandum & glorificandum eum qui super omnes est rex regum, & Dominus dominantium, de cuius splendidissima contemplatione fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. O si & mei peccatoris ad instar latronis, meminerit IESVS in beneplacito populi sui, cùm venerit in regnum suum; ô si me in illa die, quando traditurus est regnum Deo patri, visitare dignabitur in salutari suo ad videndum in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, vt etiam laudetur à me cum hæreditate sua. Veni interim Domine IESV, & aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, vt regnes & tu in ea sicut debes: venit enim auaritia, & vendicat in me sibi sedem: iactantia cupit dominari mihi, superbia vult mihi esse rex, luxuria dicit, ego regnabo; ambitio & inuidia in me certant de meipso, cuius ego ero: veni & aufer scandala; renitor quantum inuor, ac interim te Dominum meum IESVM reclamo, tibi me committo & dico, non habeo regem, nisi IESVM: veni ergo Domine, & disperge inimicos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipse rex meus, & Deus meus in sæcula sæculorum.

DE MANIFESTATIONE gloriæ & maiestatis Dei, atque rerum omnium renouatione in egressibus IESV CHRISTI.

Vidi afflictionem populi mei: clamorem eius audiui, & descendi vt liberem eum.
Exod. 3.

Nihil est in quo magis resplendeat perfectionum Dei magnitudo & maiestas, quàm in mysterio Incarnationis, & egressuum IESV Christi: S. Cyrillus dicit Deum amplius honorari ex dignitate & qualitate patris, quàm creatoris & domini vniuersorum, quoniam in priori dignitate relationem habet ad filium qui Deus est, sibi coæternus, consubstantialis, coæqualis, genitus à se, in se manens ac semper perseuerans: in posteriori verò respicit creaturas, quibus dominatur, extra se & ex nihilo productas. Quod igitur Deũ summè & infinitè magnum prædicat, in quo & summa relucet diuinitatis gloria & maiestas; æterna verbi sui generatio est: ita quoque nunc de Incarnatione dicam, nimirum opus Dei esse atque mysterium, quo verbum patris, egressibus suis summè manifestat potentiam diuinitatis. Si enim hodie aliquantulum considerare voluerimus consilium Dei æternum quo decreuit venire ad nos, & cum otio atque libertate animi meditari in adinuentionibus istis, proculdubio inueniemus Deum hic summam suam gloriam summæ hominum vtilitati coniunxisse, nihil ad gloriam, & nihil ad nostram vtilitatem cogitasse & fecisse conuenientius, cùm inde honorem qui per peccatũ hominis sublatus fuerat, ampliorem sibi restituerit; illiusque naturæ simul vnione tanta sibi deuinxerit factus homo: adeò vt huius mysterij & itinerarij tria illa motiua præsertim esse videantur.

Deus magis honoratur ex qualitate patris quàm creatoris.

Primum est manifestatio gloriæ, quæ maximè relucet in communicatione omnium diuinarum perfectionum & attributorum, quæ cum persona verbi, naturæ humanæ facta est, sicut Apostolus dicit, *quoniam in Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, id est, iuxta Theodoretum, tanquam in proprio corpore; vt in primis significet quomodo verum, & proprium templum Dei est illa Christi humanitas, quæ non tantùm plenitudine gratiæ, sed etiam plenitudine diuinitatis vncta & sanctificata est: Plenitudinem posuit Apostolus, vt iam secundò demonstret quomodo omnia attributa Dei transcendentia per talem vnionem illi communicata fuere, ac per se conueniunt cum persona. Ita vt, B sicut in Christo hic homo Deus est & filius Dei naturalis, ita etiam immensus, infinitus, omnipotens, æternus: ratione personæ Deus & Dei filius, sicut ratione illorum diuinorum attributorum quæ illi cum persona pariter conueniunt, immensus, omnipotens, infinitus; vnde etiam fit, vt vnam cum alia naturam adoremus; humanam cum diuina, eamque in omnibus perfectionibus quas ex diuinitate mutuatur. In quo equidem, plus quàm in cunctis quæ omnipotentia sua fecit, gloriam suam absconditam reuelare nobis voluit. Summè etenim nobis hic manifestatur Dei bonitas & amor, vbi esse personale Dei cũ omni diuinitatis plenitudine communicatur homini: summè misericordia, vbi dum totus mundus in maligno C occupatus erat & positus, ipse de salute ipsius etiam in æternitate sua cogitat, & ex multis modis quos in præscientia sua videbat, difficiliorem, sed quidem diuiniorem elegit, semetipsam offerens pro homine, diuinæ iustitiæ obiectam: summè liberalitas, vbi omnia statim ad commodum nostrum expendit, vitam & actiones, corpus & animam, labores & sanguinem, vt cætera missa faciamus.

Tria motiua Incarnationis.

Coloss. 2.

Theodoretus in Coloss. 2.

In Incarnatione perfectiones Dei manifestantur.

Iam secundum motiuum huius itinerarij consideremus, copiosam videlicet hominum redemptionem & liberationem ab omnibus eorum angustiis & miseriis. *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & descendi vt liberem eum.* Meruerat homo qui in Deum superbè peccauerat, vt eum Deus D abhorreret, detestaretur, & æternis traderet cruciandum suppliciis. Et ecce minimè contentus remisisse iniuriam eius, etiam excellentiorem, vtiliorémque, & vt cum S. Aug. dicam, conuenientiorẽ modum elegit sanandæ ipsius miseriæ, cùm formam serui accipiens, qui in forma Dei erat, statim in terris visus est, opera faciens nostræ salutis, prædicans regnum Dei, sanans omnem languorem, dans mortuis vitam, aliis remissionem peccatorum, amplioris dono gratiæ & melioris. In quo quidem adhuc tertium motiuum huiusce aduentus nobis considerandum superest; videlicet Christum in hunc mundum venisse, vt ipsum nouis institueret legibus, suisque thesauris & gratiæ, & gloriæ homines cumulatissimè locupletaret; denique nouum in eis mundum inchoaret, qui creati in illo initium essent creaturæ eius. Duplex est E mundus & creatura Dei. Mundus vnus est naturæ; alter verò gratiæ. Principium mundi naturæ & author Deus est, Adam initium: principium autem mundi gratiæ & author homo Deus est, & nos initiũ sumus: tota siquidem huius perfectio & complementũ est in cœlis. de mundo naturæ Moyses dixit; *In principio creauit Deus cœlum & terram*: & de mũdo gratiæ scripsit S. Ioannes. *Gratia per IESVM Christum facta est, & de plenitudine eius omnes accepimus. Ecce*, in Apoc. *noua facio omnia, dixit qui sedebat in throno*

Duplex mundus.

Gen. 1.
Ioh. 1.

Apoc. 21.

in throno. Ego sum α & ω, principium & finis; ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Ecce quid operatur Christi præsentia in mundo, quid eius gratia, quid aduentus & ingressus, simulatque venit, statim renouat omnia, & prodit gloriam suæ maiestatis. Ad Iudicium rediturus est in mundum nouissimis temporibus. Quid verò tunc fiet? à conspectu potestatis & gloriæ, in qua quidem tunc temporis apparebit, totius renouatio orbis, dicente denuò qui sedebit in throno; *Ecce noua facio omnia.* Vtique noua omnia faciet; tunc enim repurgabuntur renouanda omnia quæ ordinem ad incorruptionem habent, qualia sunt elementa, corpora cœlestia, potissimùm verò & inter omnia, homines quibus ex priuilegio & gratia datum est, & conuenit mysterium Resurrectionis. Dixi autem ea solùm innouanda quæ ad incorruptionem ordinem habent, vt excludamus animalia & plantas, quæ secundum totum & partes, ratione item materiæ & formæ corrumpuntur; vnde etiam tunc minimè renouabuntur, sed peribunt & penitus deficient. Quod non est dicendum de homine, elementis, & cœlis. Licèt enim homo (vt prius de eo loquamur) sit secundum materiam & corpus corruptibilis, ac omnino secundum totum destruatur & pereat cùm per mortem anima separatur à corpore, tamen ex parte formæ, videlicet animæ ipsius, quæ immortalis est, manet incorruptibilis, & sic ad renouationem suam ordinem habet, & gloriam resurrectionis. Quod similiter quantum ad renouationem de elementis dicimus & corporibus cœlestibus, quæ licèt secundum quasdam partes & contrarias qualitates in corruptionem tendant, tamen secundum totum, id est, secundum substantiam suam, minimè corrumpuntur, & sic tantùm innouabuntur iuxta quod ordinem ad incorruptionem habent, facta videlicet eorum purgatione per ignem. Et hoc modo illud Sancti Lucæ explicari potest, cùm sic de vltimo suo aduentu Dominus loquitur; *Cælum & terra transibunt*, non quidem quantum ad substantiam, sed quantum ad puriorem formam: illud similiter Isaiæ vaticinium; *Ecce ego creo nouos cælos, & nouam terram, & non erunt in memoria priora:* creo non quidem quantum ad substantiam, quia tu Domine, fundasti terram, & permanet, & dixisti etiã cœlum firmamentum; sed creo quantum ad nouam formam renouationis, alterius atque noui status, depositione adueniente priorum formarum, quæ alterationibus obnoxiæ erant. Huius autem quæ tunc fiet vniuersæ elementorum & cœlorum renouationis triplicem causam dare possumus.

In vltimo aduentu Christi renouabuntur omnia quæ ordinem ad incorruptionẽ habẽt.

Luc. 21.

Isa. vlt.

Prima petitur ex principiis constitutionis ipsorum, quæ sic ab initio & sapientia & decreto Dei creata sunt, nempe incorruptibilia. Secunda petitur ex occasione resurrectionis nostræ, & renouationis æternæ corporum nostrorum in statu gloriæ; quam rationem multum ponderat S. Thom. Quoniam sicut omnia propter hominem facta sunt, vt inquit Psalmista, *Omnia subiecisti sub pedibus eius*; vno quidem modo ad sustentationem vitæ temporalis, & alio ad perfectionem diuinæ cognitionis, vt dicitur ad Roman. *Quoniam inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus atque diuinitas.* Ita etiam fit, vt glorificato illo in resurrectionis gloria, non amplius ei seruiant creata. Siquidem nec primo eorum ministerio tunc indiget, quatenus fit incorruptibile corpus, nec item secundo, quia immediatè tunc Deum videt & facie ad faciem, vnde imprimis restat, vt quę corruptibilia sunt, non remaneant amplius, & quæ ex principiis suis incorruptibilia sunt, omni alteratione reiecta, innouentur, atque perseuerent. Tertia causa petitur ex ipsius Christi glorioso aduentu in illo die extremo Iudicij, vultui, & conspectui cuius omnia munda apparere conuenit, etiam cœlos qui non sunt mundi in conspectu eius, ait Iob. Et quæ illorum est macula? non alia est certè quàm quæ aduenit eis ex peccatis nostris. Igitur vt tunc mundentur necesse est, & quasi per ignem renouationem suam & puritatem acquirant. Intelligite hoc peccatores; si ita elementa & cœli purgentur, vt dignè præparentur in aduentu & concursu magni & iusti Iudicis, honorabiliusque appareant vultui eius, adeò vt ne minima quidem supersit macula quæ summo Iudici displicere possit. Quanto magis nos hodie necesse est mundari in aduentu gratiæ? Renouatio quam Christus hodie expostulat, cordium est. Ideo enim apud Ezechielem dicit, *Dabo vobis cor nouum, & auferam lapideum.* Quid plura? *Spiritum meum nouum ponam in medio vestri, & eritis mihi in populum, & ego vobis in Deum, & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis Idolis mundabo vos.* Amplius laua me, Domine, ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me; cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis; redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. O quis scire posset, quæ & quanta illa gratia sit quæ eiusmodi renouatis confertur. Purgationem omnis renouatio præsupponit, & iustificatio pœnitentiam. Hanc ergo, quæ in aduentu gratiæ necessaria est, facere discamus, ex renouatione corporum, quæ in aduentu iustitię & rigoris futura est, vt etiam nunc Christo conformiores appareamus, qui renouaturus omnia descendit: Iustificatio enim nostra quædam renouatio est, & quasi spiritualis animarum nostrarum resurrectio, quæ fieri debet in illo primo & humili aduentu Domini, ad instar corporum nostrorum in vltimo atque terribili.

Triplex causa renouationis futuræ elementorum & cælorum.

S. Thom. in 4. dist. 47.

Rom. 1.

Christus vult renouari corda nostra.

Ezech. 36.

Communiter autem huiusce resurrectionis corporum futuræ quatuor causas agnoscimus. Prima dicitur efficiens, quæ Christus est; in voce & virtute cuius resurgent mortui & excitabuntur de monumentis, vt ipse dixit in Euangelio: *Venit hora, & nunc est, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent.* Quod Apostolus 1. ad Thessalonic. nobis in tribus explicatum reliquit: *in iussu, in voce Archangeli, & in tuba Dei.* Vbi S. Thomas per iussum vult intelligi causam principalem resurrectionis, quę diuina est virtus, cui omnia obediunt: per vocem Archangeli, dignitatem Christi, qui princeps est Angelorum, & ille qui per excellentiam in Isaia dicitur magni consilij Angelus, & per tubam Dei, manifestationem gloriæ eius, atque imperij, quo demonstrat quia ipse est vniuersalis efficiens causa resurrectionis. Alia est materialis, & cineres sunt, in quos per mortem corpora nostra redacta fuerunt, & de quibus eadem Christus reformabit, sed clariora: antequam enim ad illam gloriam & renouationem resurgant, mori ea conuenit secundum ordinem naturæ, & diuinæ iustitiæ; naturæ, quia cùm in hac vita beatitudinem æternam ad quam sumus conditi, propter peccatum minimè consequi possimus, ex eoque necessitas moriendi acciderit, etiam mortem interuenire oportuit, vt ab illa reditus fieret ad immortalem vitam: diuinæ item iustitiæ, quæ ex primo peccato Adæ totam naturam morte damnauit, sicut Apostolus dicit, quod *per vnum hominem peccatum intrauit in orbem, & per pec-*

S. Thom. in 4. Sent.

Quatuor causæ resurrectionis corporum & totidem renouationis animarum.

Ioh. 5.

1. Thess. 4.

Rom. 5.

 catum

Heb. 9. [St]atum *mors in omnes pertransiit*; iuxta quod sic *statutum est homini semel mori*, sed vt resurgat ad meliorem vitam de cineribus humilitatis suæ & condemnationis. Tertia dicitur formalis, quæ vnio est animarum cum iisdem corporibus suis, ad gloriam, vel pœnam. Quarta & vltima finalis est, ipsa videlicet Dei possessio in æterna beatitudine, vel separatio, heu! & iactura in æterna damnatione.

Ita quoque dico, respectu iustificationis nostræ, seu renouationis animæ, quæ hoc tempore nobis necessaria est, quatuor illius causæ sunt. Prima & efficiens, quæ Christus est, Deus qui iustificat, gratiam confert, peccatorem vocat, & conuertit. Materialis, peccata sunt, & cineres nostræ exinanitionis, nostræ mortis, ex quibus ad vitam & gratiã nos reuocat. Dixi *ex morte*, siquidem ante necesse est mori animam peccato, quam ad vitam perfectè resurgat, & innouetur per gratiam. Nam & hoc natura exigit, & diuina iustitia: natura, quia resurrectio semper mortem præsupponit, sicque necesse est, ex Apostolo, vt in nobis destruatur corpus peccati, & non vltra seruiamus ei, vt existentes statim Deo in Christo, in nouitate vitæ ambulemus, qui enim sic mortuus est, iustificatus est, id est, renouatus: diuina etiam iustitia, quæ vult, ex eodem Apostolo, vt sicut exhibuimus membra nostra, arma iniquitatis peccato, ita & nunc exhibeamus nos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra nostra arma iustitiæ, Christo. Ecce renouatio vitæ, quam in aduentu Domini expedit [illegible], qui prope est, & intendit ex cineribus abiectionis nostræ. *Vidi afflictionem populi mei, & descendi ad liberandum eum.* Transiens per te, vidi te conculcatum in sanguine tuo, & dixi tibi, dixi inquam tibi, cum esses in sanguine tuo, viue, veni foras, tibi dico, surge. Causa formalis, vnio est animæ cum Deo per gratiam. Nam sicut separatio gratiæ ab anima, illius mors est: ita eius præsentia & vnio, resurrectio & vita est. Finalis denique eiusdem est cum Deo perfectissima & æterna vnio in gloria, vbi non solum tota innouatur, sed etiam in eamdem imaginem transformatur. Ecce relatio, & quidem apprimè conueniens inter nostrarum renouationem animarum, & resurrectionem corporum in vtroque aduentu Domini primo & vltimo: animarum in primo, sicut corporum in vltimo. Et fortè etiam hinc ratio & causa, cur Ecclesia in priori aduentu etiam in capite, posterioris memoriam fecit. Cur, inquam, nobis in aduentu misericordiæ, antea iustitiæ & iudicij aduentum obijcere voluit, propter illas videlicet quæ adhuc sequuntur, & has etiam referre rationes. Prima est, vt præsentis misericordia Dei non abutamur in conspectu iudicij, sed è contra timore huius perterriti, sedulius eam dum offert se, amplectamur, in motes exinde quoniam qui se indignos misericordia iudicabunt, diuinæ iustitiæ subiacebunt. Secunda est, vt illa iustitia Dei in obliuionem non veniat ex aduentu & præsentia tantæ misericordiæ, sed simul cum illa etiam nobis appareat & innotescat eius grauitas. Iam dederat Deus diuinorum suorum & præcipuorum attributorum mundo notitiam, in creatione illuxerat Dei omnipotentia, vbi omnia ex nihilo per solam Dei voluntaté prodierunt, sicut dicit psaltes, *quæcunque voluit fecit*; sicutque Moyses in Genesi sua describit. Sapiétia item innotuerat satis in distinctione rerum & ordine, sicut adhuc annotauit psaltes dicens, *omnia in sapientia fecisti*, & Salomon, *in numero, pondere & mensura*, & Paulus, *quæ à Deo sunt, ordinata sunt*, id est, in eis Dei sapientia relucet, in suaui scilicet rerum omnium regimine, & dispositione. Sicut enim si nauem ad portum dirigi

Rom. 6.

Multiplex ratio cur in aduentu de extremo fit mentio.

Attributorū diuinorum mundo facta cognitio.

A videamus, dicimus statim in ea nauclerum esse qui eam ratione & sapientia gubernat. Ita est de moderamine orbis, quod quidem docet nos rationem supremam esse & sapientiam, quæ à fine ad finem attingit fortiter, & omnia disponit suauiter. Perfectissimè item nobis innotuit Dei bonitas & misericordia, cùm Dei filius ad nos in nostra carne venire dignatus est iuxta beneplacitum patris. Sic enim ipsemet declarauit Nicodemo dicens; *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*; & Paulus Apostolus, *Deus qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem sua qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis conuiuificauit nos in Christo. Non enim ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam mi-*
B *sericordiam saluos nos fecit.* Ecce in aduentu Christi Domini perfecta cognitio dilectionis & misericordiæ Dei, & quomodo verè tunc apparuit benignitas & gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus: quia ex omnibus certè Dei perfectionibus nulla est quę tã eluxit nobis; apparuit, sicut dilectio, bonitas & misericordia in aduẽtu gratię Saluatoris nostri Dei.

Ioh. 3. Eph. 2. ad Tit. 3.

Quantum autem ad iustitiam spectabat, nondum illa innotuerat mũdo, neque enim satis reuelata est nobis, aut etiam apparere potest ex omnibus plagis illis quæ in terra euenire possunt. Quid igitur fecit Deus? nobis ob oculos posuit nouissimũ rerũ omniũ iudiciũ, in quo perfectissimè illa diuina iustitia manifestabitur, quando ipsemet non amplius in humi-
C litate carnis, sed in potestate, & gloria suæ maiestatis veniet facere vnicuique iudicium. Vnde igitur hoc tempore acceptabili & salutis, voluit Ecclesia, cum summa misericordia aduenientis Christi, nobis etiam summam eius in iudicio proponere iustitiam, quia vnanimes sunt & sorores. Imò anteponere illã cum terrore, vt incutiat timorem his qui non dignè præparantur ad hunc aduentũ gratiæ, & qui est per amorem: vnde quidem tertia & vltima sequitur ratio, nempe vt ostendat, quia maior accusator & iudex quem tunc, videlicet, illo die extremo sumus habituri, ille summus amor erit, quo pro nobis Deus homo fieri voluit, nisi dignè nos præparemus in occursum eius, nisi renouemur spiritu in conspectu eius qui
D nouam æternæ suæ naturam coniunxit, qui immutabilis Deus, aduenientibus tẽporibus quæ redẽptioni hominũ fuerãt præstitea, hæc infima est ingressus; ac tandem in nobis esse & manere quærit, cuius thronus & sedes Deus in sæculum sæculi.

DE SPIRITVALI ADVENTV IESV Christi in animam.

Vidi afflictionem populi mei, & descendi.
Exodi 3.

DIuersos inuenimus Christi Domini aduentus; inter omnes verò tres sunt præcipui & notãdi:
E primus aduẽtus est in humilitate carnis, de quo statim fusissimè loquuturi sumus; vltimus in maiestate & gloria iudicij, de quo iam satis pro tẽpore disseruimus. Medius autẽ est qui dicitur spiritualis, seu per gratiam, & de illo nobis nunc dicẽdum est, maximè verò in quantum est labor primi, gaudium & requies extremi. Non enim satis fuit Christo IESV ad nos venire, qui etiam proposuit in nos introire: & ille est aduentus summè amabilis, summè desiderabilis, nexus & corona duorum. S. Bern. disserens de aduentu fauet huic menti, vbi ex industria triplicem Domini aduentum commemorat, vnum, inquit, ad homines, alterum in homines, & tertium contra homines. Primus est præteritus, & fuit indifferenter pro

Triplex Christi aduentus.

S. Bern. ser. 3 de Adu.

pro omnibus, secundus est præsens, & pro bonis tantùm, vnde in desiderio animæ est; tertius pro malis, qui in expectatione est & futurus. Nunc igitur de secundo & præsenti, & qui in desiderio animæ est, loquimur, iuxta quod sponsus animæ Deus esse voluit, & à nobis talis haberi dignatus est. Hinc enim ad eum nata & transmissa sunt desideria animæ, voces & suspiria tanquam sponsæ ad sponsum suum dicentis; *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes, ne vagari incipiam.* & rursus, *Dilectus meus mihi, & ego illi: reuertere dilecte mi;* & iterum. *Adiuro vos filiæ Hierusalem si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei quia amore langueo.* Denique sibimet ipsi loquens dicit; *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Quartò nunc conuersionem itidem Dei ad animam videamus, ecce enim ait. *En dilectus meus loquitur mihi, surge amica mea, propera & veni, ostende mihi faciem tuam, facies enim tua decora: sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.* & iterum: *vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea sponsa, amica mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Tale demum inuenitur in Apoc. desiderium Dei dicentis, *Ecce sto ad ostium, & pulso. si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Ecce de quo nunc inspirationis aduentu Christi Domini, videlicet, in animam loquuturi sumus de spirituali ac inuisibili, antequam de visibili in hunc mundum sermonem longiorem faciamus. Propterea enim & præteritum natus est nobis, scilicet vt postea in nos venire posset; præterquàm quod adhuc spiritualis ille aduentus Christi in animam, facilè omnes alios antecedit. Parum enim vel certè nihil nobis profuisset, quod natus ille fuisset, aut etiam ad iudicium sit venturus, si non maneat per gratiam in nobis. Quare modò istius dignitatem supra alios ostendamus. Primò, alij duo aduentus, videlicet in carne & ad iudicium, indifferenter omnibus sunt communes: hic autem iustis tantum est particularis. Secundò, illi duo ad nos sunt & contra nos, vt Dominus ipse apud S. Iohannem dicit, *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem de peccato non habent.* Hic autem intra nos est. Tertiò venit, & veniet in cœlum rediturus: venit verò in mentem, nobiscum & in nobis in æternum mansurus, nisi forte peccatis nostris ipsum expellamus: nam gratia æterna est, permanet & non transit: dicit enim Christus, *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Et certè, vt loquitur S. Aug. De beatis ipsis nemo corrumpit, nemo interpellat, nemo aufert. Quis potens minabitur auferre, quis vicinus molestus, quis insidiator, quis latro tibi tollat Deum; & si potest tibi tollere totum quod possides corpore. Deum autem non potest tollere quem possides corde. Ita Apostolus dicens; *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum quia neque mors, neque vlla creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Deus noster similis diis gentium non est, qui furto, cùm ipsi sentirent & manibus tangi eorum obnoxij erant: sic enim Rachel vxor Iacob, idolum patris sui Laban furata est. Nemo autem est qui à nobis auferat Deum nostrum, immensus, permanens, æternus est: indéque est quod etiam factus homo, Emanuel, id est, nobiscum Deus appellatus est. Interim vnum est quod ipsum diuidit & separat à nobis, videlicet peccatum: sicut gratia ipsum semper præsentem facit, nam vbicunque gratia est, ibi semper præsentia Dei est. *Vos autem,* ait Dominus, *cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.*

Margin notes (left): *Tertius sponsus animæ.* — Cant. 1. 2. 3. & 7. — Conuersio Dei ad animam. Cant. 2. & 5. — Apoc. 3. — *Dignitas aduentus spiritualis super alios.* — Ioh. 4. — [illegible] — Rom. 8. — Gen. 31. — *[illegible] Deus abest, & [illegible].*

A Quartò adhuc de illo duplici aduentu Domini primo atque nouissimo dici potest, quod solius sit filij Dei. De isto verò qui gratiæ est, & spiritualis, quia totius est Trinitatis, vt rursus ait Dominus; *Si quis diligit me, ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:* quod quidem personaliter intelligendum est. Hoc autem accidere S. Aug. ait ratione triplicis potentiæ animæ nostræ, ad cuius sanctificationem sanctissima Trinitas venit & inhabitat, Pater vt sua omnipotentia & fœcunditate memoriam nostram repleat & confirmet ad perseuerantiam. Filius qui lux vera est & sapientia, vt intellectum illuminet: sic enim apud S. Ioh. dicitur lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sicut ipse dicit, *ego sum lux mundi.* Spiritussanctus verò, qui Dei amor est & ardor, vt voluntatem & affectum accendat diuino igne amoris, faciat denique vt humanum cor ardeat igne Dei, quia *Deus noster ignis consumens est.* & quomodo de eo loquens Christus dicebat aliquando, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* Quo etiam repleti & accensi duo illi discipuli ex sermonibus dicebant ad inuicem, *nonne cor nostrum ardens erat dum loqueretur nobis in via?* Hoc namque in nobis potissimum operatur Christus, vt diuino eius amore ardeamus ex plenitudine & abundantia Spiritus eius in nobis.

Quod autem hic dicimus de aduentu isto spirituali, & inhabitatione reali trium diuinarum personarum, probatur confirmaturque multis argumentis, Scripturæ, patrum, atque etiam rationis. Authoritas Scripturæ est apud S. Ioh. de qua iam diximus, *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Sic ad Romanos etiam loquitur Apostolus dicens, *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritumsanctum qui datus est nobis.* Vbi eundem Apostolum ducimur & distinguit donum Spiritussancti à Spiritusancto, dicens per Spiritumsanctum datum, nobis dari charitatem. Sic adhuc Angelus inquit ad Mariam, *Aue gratia plena, Dominus tecum,* adiungens plenitudini gratiæ eius, Domini plenitudinem atque præsentiam singularem.

Sequitur authoritas patrum & doctorum, maximè verò sancti Augustini, cuius rationem superius retulimus, atque etiam S. Thomæ Angelici doctoris, qui quidem eos sugillat errores qui contrarium docent. Huius autem doctoris eruditum & doctrina hæc est, supra communem modum essendi Dei in omnibus per essentiam, præsentiam & potentiam, adhuc vnum esse specialem respectu solius creaturæ rationalis, in qua per gratiam non solùm esse dicitur, sed etiam inhabitare. Inhabitare dicitur tanquam in templo suo, atque vt cognitum in cognoscente, & amatum in amato: quo etiam modo anima Deum attingit sua propria operatione informata charitate, & Deus dicitur eam inhabitare. Ex authoritate igitur Scripturæ, sicut patrum & doctorum, per gratiam esse Trinitatem in anima, est in confesso apud omnes.

E Nunc verò ad rationem veniamus, quæ talis est, videlicet propter amicitiam perfectam, quæ ex se requirit, efficitque quantum potest amantium præsentiam; adeò vt quò illa perfectior est, eò etiam intimior præsentia sit: vnde sic à S. Aug. definitur, iunctura duo aliqua copulans, & copulare appetens. Amicitia autem Dei omnium perfectissima est, & sic quantum potest, efficiens præsentiam amantium: vnde virtute sua realem & personalem Dei præsentiam importat, ita vt si fieri posset, vt modis iã allatis, nullibi Deus esset; quod quidem impossibile est, nam natura sua Deus ita intimè præsens est omnibus, nobisque adhuc non solùm adest, sed inest, vt intimior nobis sit quàm anima corpori, cùm etiam intra essen-

Margin notes (right): Ioh. 14. — *Quare Trinitas in animam venit.* — Deut. 4. — Luc. 12. — Luc. 24. — *Probatur in [illegible].* — Ioh. 14. Rom. 5. — Luc. 1. — 1. p. q. 43. — 8. de Trin. cap. 10.

Admirabilis Dei præsentia in nobis. tiam ipſius animæ ſit,cui ſicut & corpori, eſſe, mo-
tum & vitam tribuit : præterea adhuc ita nos Deus
natura ſua & omnia ambit , vt in illo ſimus velut
piſcis in mari , & puer in vtero matris , vnde ſuum
eſſe,alimẽtum, vitam & conſeruationẽ recipit,quo-
Iſa 46. modo dicebat ipſe per Prophetam ; *Audite me qui portamini à meo vtero,ego feci,ego feram,ego portabo & ſaluabo.* Si igitur ita accideret,quod quidem minimè
fieri poteſt,vt abeſſet Deus,aut certè modis illis po-
tentiæ ſuæ ſupradictis,non eſſet in nobis;hoc poſito
tamen quod nos amaret, adeſſet ſtatim & ineſſet, in
eo manſionem haberemus, & ipſe haberet in nobis.
Quomodo quidem de omnibus iuſtis dicẽdum eſt,
quibus veluti cœlum Deus eſt : cœlum ambit vndi-
Christus comparatur cælo. que & perfectè terram ; ita vt extra cœlum nulla
emanatio ſit & influentia;ita dico de Deo,de Chri-
ſto,qui reſpectu noſtri cœlum eſt,& cœlũ noſtrum;
nullaque extra ipſum influentia eſt, in quo & man-
Iohan.8. ſio noſtra eſt,vt olim dixit, *manete in me*; ita interim
in illo eſt,vt etiam in nobis ſit,& in pace locus eius,
qui nobiſcum eſſe , delicias ſuas eſſe dicit , indéque
nomen Emanuel habere voluit , quod eſt interpre-
tatum,nobiſcum Deus,adeò vt mutua manſione, &
quaſi cohabitatione nobis intimè præſens eſſe vo-
luerit , vt eius gratia maneremus in illo,& ipſe mu-
tuò in nobis,& ſecundum eſſentiam ſuam & perſo-
nas, in vna atque indiuidua Trinitate Pater , Filius,
& Spiritusſanctus. Ratio autem huius rei talis eſt,
quoniam ſicut tres diuinæ perſonæ vna ſunt eſſen-
tia & diuinitas,ita vna ſunt dilectio ; vnde quem fi-
lius diligit,diligit etiam Pater & Spiritusſanctus:vbi
autem eſt dilectio , & eorum eſt præſentia , & qui-
dẽ realis,penitiſſima,& perſonalis, iuxta quod amor
perfectiſſimus eſt. Quare Chriſtus apud S.Iohan.
ſimul hæc omnia coniunxit; *Qui diligit me,diligetur à Patre, & ego diligam eum , & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* O quàm magnus , &
quàm diuinus eſt iſte dilectionis effectus ! Quid
amator Dei,quid cultor Chriſti,tibi videtur de præ-
mio amoris tui!quid tibi mali nocere , aut boni de-
eſſe poterit,quando te diligit, qui te de nihilo crea-
uit? O nimis fœlix quem diligit pius pater,omnipo-
tens!& quid fœlicius quàm ab eo diligi qui eſt Do-
minus paradiſi,qui poteſtatem habet vitæ & mortis,
ſaluare poteſt & damnare ; ſaluare diligentes ſe , &
Pſal.144. damnare non diligentes? Sic enim dicit Pſaltes; *Diligit Dominus omnes diligentes ſe , & omnes peccatores diſperdet.* O beatus ille qui Dominum diligit , &
quem diligit Dominus , & apud quem manſionem
ſuam facit I e s v s ! Summè equidem beatus apud
quem manſionem facies Domine I e s v : *beatum dixerunt populum cui hæc ſunt* , ait Dauid , hæc quæ vi-
dentur,& temporalia ſunt. Sed *beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* Beatus ille in quo ſapientia ædi-
ficat ſibi domum , beata anima quæ ſedes eſt ſapien-
Quænam ſedes eſt ſapiẽtia æternæ. tiæ. Quænã illa? vtique iuſti. Iuxta quod dicitur,ani-
ma iuſti ſedes ſapientiæ. *Iuſtitia enim & iudicium*, ait
Dauid, *præparatio ſedis tuæ.* Ecce quę ſupellex conue-
nit animæ,vt mereatur Chriſtum excipere æternam
ſapientiam Patris, iuſtitia eſt , omnis virtus , mundi
contemptus,& deſiderium Chriſti, dicere inceſſan-
Pſalm.41. ter cum regio Pſalte,& dilecto ſponſi; *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum,quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.* Et quis ille Deus fortis , niſi
Iſa. 9. Chriſtus? cuius tale eſt nomen apud Iſaiam: *Paruulus natus & datus eſt nobis, & vocabitur Admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis* ,&c. Verterunt alij, *ad Deum fontem viuum*. iuxta quod verſu præcedenti ponitur,
ad fontes aquarum. Et quis adhuc eſt iſte fons viuus,
ſeu aquarum,niſi idem Chriſtus? Sic enim interpre-

A tatus eſt in hunc Pſal. Caſſiod. fons aquarũm Chri- In Pſal.41.
ſtus Dominus eſt , vnde omnia fluunt quæcunque
reficiunt. Eccl.1. *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis.* Eccl.1.
Ecce Chriſtus fons , à quo omnia bona procedunt;
propterea ſummè ac vnicè deſiderari debet à nobis,
& nos ſolùm conſolari eius præſentia,ſicut tædium
afferre abſentia, Sic enim rationẽ doloris proſequi-
tur Dauid,cùm ait, *Fuerũt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte,dũ dicitur mihi,vbi eſt Deus tuus? hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam , ſalutare vultus mei,& Deus meus.* Ita & nos clamemus poſt eum,
iure negantes iis rebus animam noſtram conſolari
quæ humanis appetuntur deſideriis;ſed agnoſcentes
omne gaudium noſtrum & conſolationem in Chri-
B ſto eſſe, ſolùm ad eum ſuſpiremus , atque hoſpitem
expectemus ; omnia præter ipſum nobis amareſcant,
& ille ſolus nobis ſit dulcis conſolator. O quàm fœ-
lix illa eſt anima,quæ ſcit ſe ita diſponere , vt talem
inhabitatorem mereatur recipere. Et quænam illa,
niſi quæ abiecta omni conſolatione mundi ſolum
Chriſtum quærit,& dicit? *Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei , & delectatus ſum.* Ecce vnica conſo- Pſal.76.
latio , omne ſuum cor in Chriſto ponere : en ratio,
memor fui Dei;extra ipſum conſolari renuo,&c. Iſti
ſunt clamores quos Dominus exaudit,propter quos
etiam ad nos maximè deſcendit , & dicit, *Vidi afflictionem populi mei , & clamorem eius audiui , & ſciens dolorem eius deſcendi vt liberem eum* ; id eſt , liberum
C reddam & ſolutũ curis ſæculi,libertate Spiritus. *Vos,*
ait Apoſt. *in libertatẽ vocati eſtis , quod ſi Spiritu ducimini non eſtis ſub lege.* Et certè hic videtur eſſe ſcopus Galat.5.
illius aduẽtus in carne,ſcilicet vt poſſet poſtea inte-
riori viſitatione & ſpirituali,nos abundantiori gratia
& gaudio replere. Quare etiã voluimus antè,de illo
ſpirituali aduentu,& qui fit per gratiam diſſerere,vt
faciliùs clariúſque poſtea videamus iter quod in mũ-
dum veniens elegit. Tunc enim ante omnia iti-
nerarij finem & conſilium agnoſcentes, diſtinctiùs
etiam vias referemus,modos,& rationes: ſicque iam
præmiſſa diuiſione trium aduentuum Chriſti , & fa-
cta hodie mentione ſpiritualis aduentus , tanquam
complementi & finis illius qui eſt ſecundum car-
D nem : nunc oculos penitus ad Chriſtum venientem
conuertemus , neque in itinerario ſuo laborantem
deſeremus , donec in medio noſtri appareat , & fiat
Emanuel,id eſt, nobiſcũ Deus ; ſic enim à principio
ad finẽ per media tranſeuntes, perueniemus ſemper
ad eum qui eſt omnia in omnibus Chiſtus I e s v s.

DE VOTIS PROPHETARUM CIRCA ADUENTUM DOMINI , & DE ADMIRABILI CONIUNCTIONE , IUXTA ILLA , DIUINI VERBI CUM CARNE.

E

Vidi afflictionem populi mei , & clamorem eius audiui. Exod. 3.

TAnta fuit neceſſitas aduẽtus Chriſti Domini in
mundum , vt ſine eo nobis defuiſſet omnis ſa-
lus. Hinc eſt quod Prophetæ hac illuminati gratia,
tantoperè ipſum deſiderauerunt , vt etiam ab vno
eorũ,videlicet Aggæo, deſideratus cunctis gentibus
fuerit appellatus: *Ego*,inquit,*cõmouebo cœlum & terram , & veniet Deſideratus cunctis gentibus.* Eadem Aggæi 2.
ratione vota ſua exprimit Iſaias , dicens , *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum,aperiatur terra & germinet* Iſa. 45.

Isai. 64.

minet Saluatorem: vtinam disrumperes cælos & descenderes: quasi diceret; desiderium tu es & expectatio cunctarum gentium, veni, & noli tardare. Sic sponsa in Cant.

Cant. 8.

Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te? Hoc certè votum Incarnationis est, vt modò dicemus: sicut adhuc satis manifestè declarauit Psaltes, parens & amicus sponsi dicens,

Psal. 66.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos; id est, filiũ suum nobis manifestet, qui est lux, splendor patris, & figura substantiæ eius, scilicet vt per eum in notitiam Dei perfectam veniamus.

Ioh. 14.

Nemo enim nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare, inquit ille: & rursus: *Qui videt me, videt & Patrem.* Quia facies eius sum. Vnde nihil aliud prætendere videtur Psaltes dicens: *Illuminet vultum suum super nos*, quàm, nobis manifestet Deus filium suum per incarnationem, seu Verbum caro fiat, alioquin minimè à nobis cognosci posset.

Sed dicet aliquis, numquid ipse est Lux? ita est, sed inaccessibilis, & omnino absondita, nisi reueletur, & appareat sub velamine carnis. Quare modò clariùs mysterium nostrum explicandum est ex similitudine & comparatione diuini Verbi cum humano: ex diuersa namque ratione producendi in lucem conceptus nostros, facile est ostendere quibus modis potuit nobis innotescere æternus conceptus, Verbum atque intelligentia Patris, scilicet filius.

Similitudine ostēditur quo modo potuit Christus apparere, & cognosci.

Itaque tribus modis considerari potest nostrorum conceptuum, atque intelligentiarum status. Primus est purè mentalis, oculis atque auribus omnino ignotus; animæ verò solùm cognitus. Secundus attingit aures, externo verborum sono præsentibus mentem nostram interpretans. Tertius etiam oculos tangit, interpretans absentibus scriptis, & characteribus conceptus nostros. Iuxta autem hunc triplicem & diuersum statum notitiæ mentis nostræ, increatum Dei Verbum considero & contemplor. Primus enim status mentalis est & purè internus, cùm videlicet ab æterno productum à patre, soli Deo cognitum est; quomodo etiam dicitur splendor Patris, & figura substantiæ eius. Secundus ad aures peruenit, cùm in tempore per voces Prophetarum, qui sunt veluti lingua Dei, mundo declaratum est, & veluti tunc solùm obiectum auribus audiendum. Quod quidem intendebat Apostolus, cùm ait;

Heb. 1.

Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis. Ecce in ore Prophetarum Verbum Dei, *Nouissimè verò, diebus istis locutus est nobis in filio.* Et ille est status tertius, nimirum cùm scripsit Deus & impressit calamo suæ omnipotẽtiæ, in candidissima humanitatis Christi pagina, Verbum suum diuinum, & æternum; sicque in Filio proprio nouissimis diebus istis loquutus est nobis, quando Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: adeò vt non solùm aures, sed & oculi perceperint. Sicque audiuit, & vidit omnis caro salutare Dei nostri; iuxta quod discipulus dilectus, omnibus postea veritati isti testimonium perhibuit dicens:

1. Ioh. 1.

Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ, testamur & annũciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. Nobis certè in auxilio opportuno apparuit, vt succurreret miseris. *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum.* Aliquando etiam dicebat illi Dauid:

Psal. 101.

Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. Et statim; *Prospexit de excelso sancto suo; Dominus de cælo in terram aspexit, vt audiret gemitus compeditorum.* Quod quidem fecit cùm per viscera misericordiæ suæ nos visitauit oriens ex alto, vt cecinit Zacharias, dicens;

Luc. 1.

Quibus modis visitauit nos Christus.

Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ visitauit per incarnationem, & fecit redemptionem per mortem & passionem crucis: visitauit plebem suam quasi longa infirmitate tabescentem, & quasi venditam sub peccato. Ergo nos visitauit sicut Medicus infirmos, vt August. dicit. Magnus de cœlo venit Medicus, quia magnus in terris iacebat ægrotus. Visitauit sicut pastor gregem suum desolatum; Ezech. 34. *Visitabo oues meas, sicut visitat pastor gregem suum.* Denique visitauit nos sicut magnificus benefactor pauperes, & contemptos; & sicut liberalis & diues redemptor captiuos: hodie *vidi afflictionem populi mei.* Iste quidẽ magnificus est visitationis modus, cùm nos oriens ex alto visitauit, id est, sinu Patris: ditissimus item & liberalis, cùm se, & omnia nobis dedit; denique dicam supra omnem modum familiaris; cùm quod incomprehensibile erat omni creaturæ, etiam Angelicæ, sensibus nostris subiectum est.

Admirandus visitationis Christi modus.

Apostolus dicit ad Corinth. post Isaiam,

1. Cor. 2. & Isaiæ 64.

quod oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit quod præparauit Deus diligentibus & desiderantibus se. Quidnam quæso Deus ab æterno præparauit dare hominibus, nisi Verbum suum incarnatum, hoc magnum mysterium & donum absconditum à sæculis in eo, sed expectatum à sæculis, & desideratum cunctis gentibus? Isa. dicit,

Isa. 33. & 64.

Domine miserere nostri, te enim expectauimus, esto brachiũ nostrũ in manè, & salus nostra in tempore tribulationis: vtinam disrumperes cælos, & descenderes. Et ille videns afflictionem, & clamorem audiens descendit nostra carne indutus, & se visibilem exhibens oculis nostris adeò, vt quod nunquam viderat oculus, auris non audierat, & non ascenderat in cor hominis, nunc oculus viderit, auris audiuerit, & in cor hominis ascenderit.

Serm. 3.

Tres admirabiles mixturæ in assumptione nostræ carnis.

Hoc optimè annotauit S. Bernard. in vigilia Nat. tres mixturas referens quas fecit omnipotens in assumptione nostræ carnis, ita admirabiles, vt nec vnquam tales factæ, nec amplius faciendæ super terram, vbi coniuncta sunt adinuicem Deus, & homo, Mater & Virgo, fides & cor hominis.

1. Mixtura.

De prima, iuxta Isaiam, oculus non vidit quomodo intra virginei vteri angustias, humano corpori diuinitas coniuncta sit. Auris non audiuit quomodo in persona vna sibi inuicem vnirentur Deus, & limus, Maiestas, & infirmitas, vilitas, & sublimitas tanta: nihil enim Deo sublimius, dicit Bernard. & nihil vilius limo, & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, vt quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur, & quidquid limus pertulit, Deus in eo pertulisse dicatur, tam ineffabili, quàm incomprehensibili sacramento. In cor hominis item non ascendit, quia sicut in illa singulari diuinitate Trinitas est in personis, vnitas in substantia: sic in ista speciali commixtione Trinitas est in substantiis, vnitas in persona. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit Trinitatem. Opus mirabile, opus singulare, inter omnia, & super omnia opera sua: Verbum enim & anima, & caro in vnam conuenere personam, & hæc tria vnum, & hoc vnum tria, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Hæc est prima, & inter alias superexcellens mixtura: hic aduerte homo quia limus es, & non sis superbus; quia Deo coniunctus, & non sis ingratus; quod oculus non viderat, auris non audierat, in cor hominis non ascenderat: ecce oculus vidit. Apud Iohan.

Ioh. 1.

Vidimus gloriam eius. & passim alibi: vt apud Luc.

Luc. 2.

Nunc dimittis seruum tuum Domine, quia viderunt oculi mei, &c. Auris audiuit

Luc. 1. diuit. Angelus Mariæ dixit; *Ecce concipies*, &c. Ioseph, *quod in ea natum est*. Pastoribus: *Ecce annuncio vobis, quia hodie natus est*, &c. in cor denique hominis ascendit, cùm Maria dixit: *Ecce ancilla Domini*. Dixerunt pastores; *Transeamus vsque Bethleem, & videamus verbum hoc quod factum est*. Alij denique, vt Reges, *vidimus stellam eius in oriente, & venimus adorare eum; vbi est qui natus est?*

2. *Mixtura.* De secunda mixtura similiter oculus non vidit virginem esse matrem, quia planè hoc est singulare: item à sæculo non est hoc auditum tale, virginem permanere quæ peperit. Neque etiam hoc vnquam in cor hominis ascendit, quia nunquam iuxta rerum ordinem virginitas est vbi fœcunditas prædicatur. Sola hæc est in qua obuiauerunt sibi, dicit S. Bern. Ibi enim semel factum est, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum, quia nec primam similem visa est habere, nec sequẽtem. Et tamen hæc omnia oculus vidit, auris audiuit, & in cor hominis ascenderunt. Oculus vidit, quia se fœcundam & virginem illa singularis Regina conspexit. Item & Ioseph cognouit, non minùs testis quàm custos tantæ virginitatis.
Isa. 7. Auris audiuit apud Isaiam; *Ecce virgo concipiet*: Et Luc. 1. ipsi virgini modus est ab Angelo declaratus. Denique hodie in cor hominis ascendit, cùm sicut factum est, ab omnibus creditum est, scil. virginem esse Dei matrem.

3. *Mixtura.* De tertia tandem mixtura, quæ respectu talium mysteriorum simul fidei est & cordis humani, dici etiam potest, hoc mirum esse, quomodo cor humanum duobus his tam à se diuersis fidem adhibuit; quomodo credi potuit, quod Deus homo esset, & virgo manserit quæ peperit. Ergòne credendum est quod iste Deus sit qui ponitur in præsepio, vagit in cunis, & omnium infantium necessitates patitur, qui flagellatur, crucifigitur, ponitur in sepulchro? Illáne etiam virgo erit quæ lactat puerum, & cui maritus est continuus comes? Quomodo hoc poterit persuaderi humano generi, & in cor hominis ascendere? Et tamen tam facilè persuasum est, tam potenter, dicit S. Bern. vt & mihi etiam credibile id faciat omnium credentium multitudo, quod & virgines, & iuuenes, & senes elegerunt potiùs mori, quàm ab ista fide deficere ad momẽtum. En igitur fidei cum humano corde coniunctio erga vtrumque tantum mysterium simul atque peractum est. Sed quid addam, cùm & in cor sponsæ ascenderit antequam impleretur? vt illo constat Cantic. *Quis mihi det te*
Vota sponsæ. Cant. 8. *fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te?* O virgo, ecce omnium mater eris quæ in vtero parentem omnium portabis! Ecce iam eunt ad te, & ad ipsum pariter, vota sponsæ suspirantis;
Explicatio. *Quis mihi det te fratrem meum*: Deum videre humanatum desiderat, primúmque quod expostulat illud est; *Quis mihi det te*: non dicit, mutuet, quia omne mutuum solùm est ad tempus: non adhuc, quis mihi te vendat, & ego emam te; quia scit, neque in terra, neque in cœlo esse pretium eius; ideóque donatione gratuita esse opus. Quare primò dicit; *Quis mihi det te*: Secundò, *Fratrem meum*; vt hic indicet quod cupiat, scilic. vnionem carnis, & vt adinuicem omnia diuidantur & communia sint. Quod quidem ita factum est cùm natura humana vnita diuinæ, communicauit ei infirmitates suas, & languores; natura autem diuina humanæ gloriam, merita & virtutes. Tertiò, *Sugentem vbera* videre vult, id est, paruulum & è collo pendentem matris, qui possit flecti munusculo pomi, sicut eius morsu pater æternus fuerat offensus. Denique iuxta quod similis nobis nasci debebat, ipsum petit; Isa. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*. Quartò vult inuenire foris (*vt inueniam te foris*.) Certè hoc desiderium minimè rationi consentaneum est, cùm intimè sit Deus præsens omnibus; Iouis omnia plena, inquit Poëta profanus, & sacer Psaltes; *Quo ibo à facie tua*, &c. Verùm duobus modis id intelligi conuenit. Primò, Deum inuenire foris, idem est atque ipsum vniri naturæ humanæ; hoc enim modo quasi à seipso egressus est, rem operans in se tam alienam à se: Sic Michol filia Saul irridens despexit Dauidem, qui quasi extra se positus detecto capite prosiliebat ante arcam, quia hoc existimabat incongruum Maiestati regiæ. Ita, quia quodammodo derogare videtur altitudini & gloriæ diuini verbi carnem assumpsisse, hominémque fieri, atque per hoc quasi egredi à se: ideo sponsa quærit ipsum inuenire foris, id est, incarnatum. Secundò foris, id est, natum & positum in præsepio, inuolutum pannis, & matris sugentẽ vbera; vt omnes cum pastoribus & Magis procidentes pedes eius osculentur & adorent. Osculũ enim oris virgini matri relinquimus, quæ ipsum plùs omnibus desiderauit, & nobis fratrem donare meruit. *Quomodo dicitur Deus inueniri foris.* 1. Reg. 6.

DE ARDENTIBVS votis MARIÆ Virginis, & Annunciatione ei facta ab Angelo, incarnationis.

Clamorem eius audiui, & descendi.
Exod. 3.

NONDVM satis efficacia fuerant desideria, quæ præcesserant Prophetarum, vt respiciens in ea Deus Christum filium suum mitteret: necesse adhuc erat vt nouissimè suum virgo exhiberet. Et certè nullum magis impulit ipsum ad veniendum accelerauitque quàm votum virginis. Alij omnes ad eum sua vota vt ad absentem direxerunt, vnde afflictione plena eorũ expectatio, illa verò venire meruit vsque ad osculum oris, & quem audiuit instare, suscepit votis. Illa procul dubio sponsa est feruentior cæteris, & magis dilecta, quæ satis Cant. 1. exprimitur in omnibus suis ornamentis, agnoscitur in facie, & cuius prima vox, votúmque vnicum tale est; *Osculetur me osculo oris sui*: sponsa sancta & ardens, qualis erat virgo erga Deum, nisi vnionem & osculum cogitare & petere nescit. O quantum vota omnium Prophetarum excedebat istud desiderium virginis! Cæterùm tale erat, vt cœlum penetrans etiam Deum attigerit, vulnerauerit, & accelerauerit aduentum eius. *Votum virginis describitur.* Cant. 1. *Osculetur me osculo*, id est, tangatur mihi; nam in osculo duo simul coniungi necesse est. Neminem verò sponsa nominat, quia hic Deus, cuius vnionem & osculum desiderat, ineffabilis est. Sed cur tam addit, *Osculetur me osculo oris?* Vtique vt magis hic exprimatur mysterium incarnationis, quod summum est Trinitatis opus: per osculum enim intelligitur Spiritussanctus, quo veluti osculo pater & filius coniuncti sunt, est enim nexus ipsorum, & quo illa tam admirabilis vnio diuinæ naturæ cum humana facta est. *Osculũ sponsæ mysterium incarnationis.* 1. *Expositio.* Exprimitur verò oris osculum, vt per os intelligatur verbum, quod humanæ carni hypostaticè vnitum est. Igitur hic vota sponsæ, quæ optimè virginem repræsentat, ad ordinem mysterij diriguntur, in quo tres diuinæ personæ simul operantur, ita vt, quando dicit illa; *Osculetur me osculo oris sui*, idem sit planè ac si diceret; Omnipotens pater per suum Spiritum

2. expositio. Spiritūſanctum, verbum ſuum humanæ carni vniat. Vel aliter dici poteſt, alludere eā ad creationē Adami, qui cùm eſſet maſſa terræ, quaſi per oſculum Dei accepit ſpiraculū vitæ, & factus eſt in animā viuentem. Ita enim dicit ſponſa noſtra, terra ſum & virginalis terra, ſicut illa de qua ſumptus eſt Adam, me igitur oſculetur Deus oſculo oris ſui, id eſt, inſpiret in me verbum vitæ, & carnem tamdiu peccato corruptam, verbo reparet in me, &c. Sicque ardentibus expetebat votis reconciliationem generis humani cum Deo ſignificatam in oſculo: & quod *oris* dixit, ſe illam velle reconciliationem oſtendit, non quæ celebratur per internuncios; quomodo per Ioab, & *2. Reg. 14.* mulierem Thecuitem legimus Abſalom rediiſſe in gratiam Dauid patris ſui, qui tamen non ſtatim admiſit eum ad videndam faciem, & recipiendum oſculum, niſi poſt duos annos: *Reuertatur in domum ſuam*, ait Rex, *& faciem meam non videat*, & manſit Abſalom in Hieruſalem duobus annis, & faciem Regis non vidit. Non ſic ergo reconciliationem noſtram expoſtulat ſponſa Spiritusſancti: neque ſufficit illi vt eam per internuncium, licèt Angelum, & venientem de cœlo, recipiat, niſi etiam ad oſculum oris Dei admittatur. Et rationem reddit ſui voti, *quia*, inquit, *meliora ſunt vbera tua vino*, Hebræum dicit, *boni ſunt amores tui.* Et quidem vbera, quæ plena ſunt lacte, & à pectore in locum ac vitam fœtus propendent, ſymbolum ſunt amoris. Itaque dixit, vbera tua, & fontes tui amoris, omne aliud quodcunque ſit, donum & gratiam ſuperant. Duplex autem Dei amor eſt, vnde in plurali dixit, vbera tua, & amores. Vnus eſt quo nos *in perpetua charitate dilexit*; alter quo nos in tempore, ſummóque dilectionis genere, ſicut Chriſtus dixit: *Sic Deus dilexit mūdum*; & Euangeliſta in ſua canonica: *in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam vnigenitum filium ſuum miſit Deus in mundum propitiationem, pro peccatis noſtris.* Et Apoſtolus, *vbi venit plenitudo temporis*: illa plenitudo non minus gratiæ, quàm temporis, in qua *filium ſuum miſit, factum ex muliere, factum ſub lege*, &c.

Deo vbera ſponſæ dat amores Dei.

Ioh. 3.
1. Ioh. 4.
Gal. 4.

Hæc igitur ratio eſt, cur immediatè ſponſa reconciliationem petit, oſculum, vnionem. Parum enim profuiſſet, ſi miſſus Angelus ad virginem ſolùm illam ſalutaſſet, & dixiſſet ei; *Ne timeas Maria, inueniſti gratiam apud Deum: ecce concipies*, oſculum oris accipies; *paries filium, & vocabis nomen eius* IESVM: *ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Ratio itaque cur tam ardenter, votiſque ſponſa noſtra incarnationis oſculum petit, imprimis illa eſt, quia in amore fundatur. Secundò, quia tempus in proximo erat, ſic enim Iſaias dicit: *Propè eſt vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur*: ſic Aggæus; *vnum modicum, & veniet deſideratus cunctis gētibus*, & alter; *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Quæ omnia ſatis demonſtrabant quia quaſi in itinere erat, & iam inſtabat dies eius. Quare Beata virgo, quæ hunc diem vidit & horā, addamus & momentum, cùm ab Angelo audiuit factam ſibi ſalutationem iſtam; *Aue gratia plena, dominus tecum: ecce concipies. Ne timeas, concipies & paries filium*; dies vniuerſæ reconciliationis venit, & tamdiu deſiderata & expectata hora: *ecce concipies*; plus vniuerſis certè exultauit ſpiritu in Deo ſalutari ſuo, eique ſua feruentiora vota obtulit. Dic ô virgo quæ tua vota fuere? *Ecce ancilla Domini*, &c. Multi exiſtimant tunc virginem, fuiſſe in profundiſſima meditatione recollectam Meſſiæ venturi, eiúſque deſiderio, cùm ad eam Angelus venit, annuente Deo votis eius. *Clamorem*, inquit, *eius audiui, & deſcendi*; miſſúſque eſt Gabriel Angelus pandens & præparans iter. O virgo, quàm citò heu, illa tua verba ad te eum attraxerunt; *Ecce ancilla Domini?* Salutaris plena gratia, & ſtatim plena Deo inueniris: os tuum aperuiſti, & attraxiſti ſpiritum, vota tua reddidiſti domino, dicens: *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum*; & ecce ſtatim exultauit vt gigas ad currendam viam, & à ſummo cœlo egreſſio eius. Hæc tua ſunt vota & deſideria, ô virgo, quæ cœlum penetrantia etiam Deum ardenti amore vulnerauerunt. Patrem, vt te aſſumeret in filiam, & filium ſuum tibi daret, & nobis; *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Vulnerauerunt item filium, vt te aſſumeret in matrem; & per te nos in fratres ſuos. *Neque enim confunditur vocare nos fratres, dicens, nunciabo nomen tuum fratribus meis. In medio Eccleſiæ mea laudabo te.* Denique etiam ſpiritumſanctum vulnerauerunt, vt eam aſſumeret in ſponſam; & nos in filios Dei per adoptionem. *Qui enim ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.* Quare etiam de ea dixit Spiritusſanctus. *Quæſiui eam mihi ſponſam aſſumere, & factus ſum amator formæ illius.* Vnde & illa pariter audiuit per Angelum; *Spiritusſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Sic de ea quoque pater æternus dixit; *vulneraſti cor meum amica mea, in vno oculorum tuorum*, votorum & deſideriorum tuorum, videlicet, cùm ab Angelo audiens: *Ecce concipies, & paries filium*, (filium vtique meum) dixiſti; *Ecce ancilla Domini. Vulneraſti cor meum* in hoc, amica mea; Septuaginta vertunt, *abſtuliſti cor meum*, filium meum; deſideraſti, & ſicut petiſti, fiat tibi. Dixit denique filius; *Clamorem eius audiui, & deſcendi.* Sed quis ille tuus fuit clamor, ô ſponſa, ô filia, & nunc mater verbi Dei? *Ecce ancilla Domini.* Ecce clamor qui cœlorum faſtigia penetrauit; *fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Ecce verba quæ ad Deum vſque peruenerunt, ipſúmque commouerunt, vt verbum æternum mitteret de cœlis, & caro fieret in vtero virginis: Ecce vota, ecce clamor in Canticis; *veni dilecte mi, omnia noua & vetera ſeruaui tibi.* Non fuit certè Maria virgo, ſicut Eua prodiga, quæ non ſeruauit Deo bona accepta ab eo, ſed diſſipauit omnia malè viuendo & cum intemperantia: diſſipauit noua vitæ dona, & vetera ſcientiæ, de quibus vt guloſa, atque inobediens, ad perniciem ſuam & noſtram voluit guſtare. Non ſic virgo, non ſic; ſed omnia ſeruauit, noua & vetera Domino. Primam gratiam ſeruauit, ſibi ab initio datam: & illam adhuc nouam atque ſingularem, quam poſtea apud Deum inuenire meruit, vt ei dixit Angelus; *inueniſti gratiam apud Deum.* Quam gratiam? vtique illam: *Ecce concipies*, &c. Illa eſt certè noua & ſingularis gratia Mariæ, & non alteri data, & propter quam maiora etiam votorum ſuorum dedit inſignia, dicens: *Ecce ancilla Domini. Oſculetur me oſculo oris ſui. Seruaui tibi omnia, dilecte mi.* Veni, & in hortum tuum deſcende. Hortus eſt concluſus, quia tibi ſoli eſt apertus, & tuus eſt, quia à te ſolo factus, & diſpoſitus eſt: *fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Quare penitus annuens votis eius ſummè ille dilectus, & deſideratus cunctis gentibus, ait; *Deſcendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea.* Hic vtique per hortum & vineam rectè Mariam intelligere poſſumus: vinea namque eſt de manibus Dei plantata, vt nobis illum fructum ferret & racemum, qui pro vita & ſalute noſtra in torculari calcandus erat, de quo Iſaias dicit; *Ego torcular calcaui ſolus, & aſperſus eſt ſanguis*, ſanguis peccatorum, *ſuper veſtimenta*

Luc. 1.
Iſa. 14.
Aggæi 2.
Abac. 2.

In qua occupatione virgo erat quando ad eam venit Angelus.

Virginis vota amore Deum vulnerantia.
Heb. 2. Pſ. 21.

Cant. 6.
Omnia dona ſeruauit Maria, non Eua.

Quomodo per hortū & vineam Maria intelligitur.

Iſa. 63.

menta mea. Inquinaui ea, & facta sunt rubra sicut calcantium in torculari. Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Vinea est quæ illam vuam protulit, ex qua pretiosissimus ille liquor expressus est, & illud admirabile vinum Altaris, quod inebriat animas, atque diuinitatis suæ dulcedine replet: vinea, quam plantauit dextera patris, excoluit gratia spiritussancti, & quæ floruit præsentia Christi, qui est flos qui de radice eius ascendit, flos campi & vineæ Mariæ virginis: vnde & Nazarenus dictus est, qui interpretatur floridus. Meritò igitur virgo vinea dicitur, & illa vinea, de qua sic propheta ad Deum loquebatur, *Respice domine de cælo, & vide & visita vineam istam*: visita, inquit, & *perfice eam, quam plantauit dextera tua.* Visitauit autem & perfecit eam hodie Deus, quando in ea verbum caro factum est, quando in eam ros de cœlo vt pluuia descendit, atque in agro eius vteri virginalis pretiosa illa margarita Euangelij formata est IESVS CHRISTVS. Satis equidem conuenit Christo nomen gemmæ, siue margaritæ. Sicut enim illa ex rore cœli defluente in conchile colligitur, & formatur: ita Christus ex verbo Dei, tanquam ex rore de cœlo fluente, & ex virginis substantia in vtero eius formatus est, factusque Deus homo. Quare enim in Isaia, sibi hæc formationis, pluuiæ & nubis superius est à nobis decantatum: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra*, terra virginalis, *& germinet Saluatorem.* Sicque tandem Psalmista dixit, quod descendit *sicut pluuia in vellus*, quia intime eam penetrauit & repleuit Deus: vt diceret quod inuenta est in vtero habens de spiritusancto; scilicet Christum de spiritusancto conceptum, pretiosam illam gemmam de rore cœlesti formatam, quam tot votis desiderans tandem inuenit. O benedicta terra, quam sic dominus visitans impleuit: visitasti Domine terram, & inebriasti eam. Quo quæso liquore, nisi illo diuinissimi Dei verbo, quod factum est caro: homo enim natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Domine multiplicasti locupletare terram, terram tuam, Mariam virginem: tuæ multiplicatæ sunt inuentiones, vt eam donis tuis locupletares.

Psal. 79.

Quomodo Christo conueniat nomen margaritæ.

Esai. 45.

Psal. 71.

Matth. 1.

Psal. 64.

Videtur verè Maria fuisse obiectum Dei omnipotentiæ, & cui fecit magna qui potens est, in cuius vterum Sacratissima Trinitas descendens, filiû Dei vnigenitum, effecit virginis filium, eique vt matri commisit. Æternus pater omnium donorum & gratiarum Spiritussancti capacem effecit, sicut ex Gabriele Archangelo audiuit, *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Filius Dei eam sua sapientia decorauit, nouem mensibus corporaliter habitans in vtero eius: & cùm neminem superiorem se habere posset vt Deus, matrem vt homo superiorem habere voluit, cui obsequium deferret & honorem. Denique Spiritussanctus duplici eam amore fecundauit, Dei, atque hominum simul, vt inter Deum & homines mediatrix constituta, quæ hominis erant, largiretur Deo; & quæ Dei, hominibus, sicque per eam fructum vitæ haberemus & communicaremus.

Maria virgo diuinæ omnipotentiæ obiectum.

Sed quia sic fructus vitæ, ô benedicta virgo, nobis per te datus, meritò dicitur ventris tui fructus benedictus, propter quem & tu benedicta inter mulieres prædicaris. Hortus enim ille es, in quem descendit cœlestis & magnificus sponsus, dilectus tuus, ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. Ego dilecto meo, dicis, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia virginitatis. Hortos diligit Christus. Quæso, illud notare: vt moreretur, hortum elegit, in quem prius introiuit: & vt nascatur hodie in

Quomodo virgo hortus dicatur.

A hortum descendit, in virginem hortum voluptatis, vt iam discamus locum eius in quo habitare delectatus est, quando conuersari nobiscum in terra voluit. Duplex hortus fuit: vnus Gethsemani seu Oliuarum, in quo in agonia factus est. Alter fuit vterus virginis, hortus delitiarum & paradisus voluptatis, hortus conclusus, quia non est apertus nisi regum regi IESV Christo, immortali, & inuisibili soli Deo. Conclusus, quia in custodiam eius stat Cherubin in porta, ne peccatum introeat. Conclusus, quia custos eius & hortulanus est ipsemet virginis filius IESVS Christus homo Deus. Et fortè hinc ratio, cur ipse post resurrectionem suam in illo habitu ac forma hortulani Magdalenæ apparuit. Ideo certè,

Duplex hortus Christi.

B vt ostenderet illi qui idem ipse erat qui filius virginis erat, quia certè illa hortus Dei erat, vel potiùs paradisus voluptatis, in quo nouus homo poneretur: paradisus odoriferans & fœcundus, & cuius emissiones erant paradisus. Sic enim in Canticis legitur; *Emissiones tuæ paradisus*, id est, vt ei ab Angelo dictum est, *Quod nascetur ex te sanctum, filius Dei vocabitur.* Natus enim in tempore de te paradiso, paradisus dicitur: sicut genitus ante sæcula, Deus de Deo dicitur. Talis ergo talis paradisi Christus est fructus, vtique in sæcula benedictus. Hortus ille virginalis figuratus fuit per illum de quo in Genesi mentio est, quem Moyses paradisum voluptatis appellauit, à principio plantatum à Deo, vt in eo hominem poneret, quem formauerat: sic enim Deus à

Cant. 4.

Paradisus voluptatis figura virginis.

Gen. 2.

C principio mundi gratiæ, paradisum plantauit omni suauitate refertum, virginalem Mariæ vterum, in quo filium suum poneret, nouum hominem factum; qui est Christus: benedictus fructus ventris eius, & propter quem etiam benedicta illa fuit terra quæ portauit eum. Neque enim, dicit S. Bern. ideo benedictus fructus ventris tui, quia tu benedicta, ô virgo, sed quia ille te præuenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Verè benedictus fructus, in quo benedictæ sunt omnes gentes: benedictus in odore, in gustu, & in specie. Huius quidem odoriferi fructus fragrantiam sentiebat, qui dicebat: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.*

S. Bern. Ser. 3 super missus.

Gen. 27.

D De sapore & gustu aliquid sciebat, qui alias dicebat, *Gustate, & videte quam suauis est Dominus*: sed idem adhuc multû speciositatê ipsius cômendabat dicens, *Speciosus es forma præ filiis hominû: diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Sed si ille fructus mortis nostræ, scriptura testante, fuerit suauis ad vescendû, delectabilisque aspectu: quanto magis ille erit vitæ fructus, in quem nobiscû Angeli desiderât prospicere, quo in terris pascimur, eodem victuri in æternum cum Angelis in cœlis.

Psalm. 44.

Gen. 3.

E

DE DVPLICI DECORE & fortitudine, quibus IESVS Christus ad liberandum nos indutus & præcinctus est.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Math. 11.

Vidi afflictionem populi mei, & descendi vt liberarum eum. Exod. 3.

NOn mirum est si in aduentu IESV Christi, & propter opera quæ facit, à discipulis Iohannis illi hæc interrogatio facta est; *Tu es qui venturus es?* Quo nobiliores & præstantiores sunt causæ, eò etiam sunt occultiores, rerumque altissimarum naturali-

naturalis effectus [illegible] & ignorantia coeli. Christus in diuinitate [illegible], sicut in humanitate [illegible], ita que in vtraque [illegible] absconditus: vnde non nisi ad illum spectabat inter natos mulierum, de hoc ne abscondito & vero testimonium perhibere, qui lucerna erat, & qui praecursor & Propheta praeibat ante faciem Domini parare vias eius. Quod in Euangelio satis ostenditur, cùm ille audiens in vinculis opera Christi, nec valens egredi, misit duobus ex discipulis suis, ait illi: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* [illegible], non haesitans quae probè nouerat, sed vt qui adhuc dubitabant discipulos suos in fide Christi confirmaret, cùm eius opera viderent. Quod etiam statim fecit Dominus, [illegible] & menti sui praecursoris, dicénsque illis: *Euntes renunciate Iohanni quae audistis & vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me*, id est, qui [illegible] humilitate carnis meae, gloriam [illegible] meae diuinitatis credet & confitebitur me liberatorem vniuersi, promissum à patre, praedictum à Prophetis, [illegible] desideratum cunctis gentibus. *[illegible] populi mei, & clamorem eius audiui, & [illegible] liberem eum.* Filius Dei, vt liberator hominum existeret, secreta dispensatione mysterij, [illegible] de coelesti sede descendens, [illegible] à paterna gloria recedens; naturam nostram humanam indutus est noua natiuitate generatus, qui immutabilis natura sua & generatione aeterna Deus est, & hoc vt Deo prius reddita gloria, hostem generis humani & subtilius vinceret, & fortius [illegible] nos ab illius dura seruitute liberaret; si enim sola cum maiestate suae gloriae & splendore mundo apparuisset, statim [illegible] hostis, sed cùm descendit inermis factus homo, & in infirmitate carnis nostrae abscondit fortitudinem suam, hostem prouocauit ad certamen, obijciens illi naturam, mortalem quidem participem, sed peccati totius expertem, vt sic & exinde gloriosior sequeretur ex victoria triumphus. Illud ipsum est quod nobis in Psalmo Dauid insinuat dicens: *Dominus regnauit, decorè indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & praecinxit se.* Quis est ille decor & fortitudo, qua indutus est? [illegible] eius vera humanitas, fortitudo & decor indumentum eius, ait Salomon de forti muliere in Prouerbijs suis.

Verùm [illegible] est, duplicem Christi pulchritudinem [illegible], & duplicem fortitudinem. Prima diuina est & aeterna, quae in eius diuinitate est, iuxta quam dicitur: *Splendor patris, & figura substantiae eius*, quia certè in identitate naturae similitudo eius est, & sicut dicit Scriptura, *imago bonitatis illius.* Optimè autem bonitatis imago, [illegible] & in hoc apprimè [illegible] pulchritudo, quae secundum Platonicorum philosophiam definitur splendor & manifestatio boni, ita vt nihil aliud sit pulchritudo quàm bonitas ipsa [illegible] manifestata est; bonum in se est absconditum, quod [illegible] tum pulchrum dicitur. Et quidem [illegible] maximè Dei filius dictus splendor patris, & imago bonitatis illius. *Nemo bonus*, inquiebat ille in Euangelio, *nisi solus Deus.* Deus ergo in se bonus est, intus manens, & in [illegible] reconditus bonus, imo bonitas ipsa, natura & fons omnis bonitatis: vnde vt in filio exprimitur, [illegible] pulcher dicitur & speciosus, indeque filius imago seu pulchritudo bonitatis, quia ipse est splendor & sapientia patris, illiusque similitudo per quam innotescit. Quo equidem sensu & modo ad discipulum suum aliquando dixit, *Philippe, qui videt me, videt & patrem meum.* Verùm [illegible] pulchritudo & imago respectu Dei [illegible] creaturarum. Quadam etiam [illegible] extrinseca pulchritudo Dei [illegible] ad extra, bonitas [illegible] filius Dei, idea est, exemplar [illegible] per quam, & ex qua omnia [illegible] in causa pulchritudine [illegible] quae Deum [illegible] est filius sapientia patris, in quo & per quem [illegible] in amore [illegible] & terrae. Thronum [illegible] angelicae in sublimitate [illegible] ipse denique in quo et in principio [illegible] Deus coelum & terrá, & quae in eis sunt, [illegible] & post omnia ad imaginem suam formauit hominem, complementum & [illegible] vt omnis [illegible] decor mundi sit [illegible] oculis nostris, & demonstraret splendorem & pulchritudinem filij Dei, in virtute & sapientia [illegible]. In virtute dico, quia in diuina illa pulchritudine, sapientia & splendore, fortitudo [illegible] & potestas ex nihilo creandi omnia, sicut [illegible] Christus Apostolus sapientiam & virtutem Dei, [illegible] Euangelista dicens, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum; omnia per ipsum facta sunt.*

Verùm [illegible] de aeterna & diuina pulchritudine, & fortitudine IESV Christi, vt ad eã transeamus quae illi in plenitudine temporum adiuncta est & humana est: illa siquidẽ & sola est quã induit qui diuinam semper habuit, & de qua propriè Dauid loquutus est dicens: *Dominus regnauit, decorẽ indutus, induit dominus fortitudinem & praecinxit se.* Sed quomodo & quãdo induit, nisi cùm homo factus est? vbi quidẽ nihil de maiestate sua amisit, nullũ gloriae suae [illegible] Dei [illegible] formam serui quã assumpsit, [illegible] hanc formam ad consortium & [illegible] gloriae suae transtulit & [illegible]. Humanitas ergo illa fuit pulchritudo quae induta est, & fortitudo qua ad defensionẽ & liberationem nostram praecinctus est. Iuxta quod etiam in Psalmo legitur, *Speciosus forma prae filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna.* Regna in gladio & fortitudine tua, & procede in pulchritudine [illegible] gloriã regnum [illegible], & potentiã loquantur, [illegible] & pulchritudinẽ videntes admirentur, et cum Moyse dicant, *Iste Deus meus, & glorificabo eum*, [illegible] *decorabo eum, & pulchrum praedicabo* hunc decor qui in nostra carne Christus indutus est. Quod quidẽ etiam optime animaduertit loquens de hoc mysterio S. Iohannes, vbi [illegible] *& verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti a patre plenum gratiae & veritatis.* [illegible] & pulchritudo Christi in duplici plenitudine fuit; vna diuinitatis, in qua [illegible] altera gratiae, quae illi [illegible] data est absque mensura, & ad [illegible] differentias referri potest. Prima est gratia vnionis, & quae [illegible] liberam [illegible] quã natura nostra [illegible] praecedentibus meritis, [illegible] Deus [illegible]. Secunda est singularis, qua [illegible] anima Christi plenitudine omnis gratiae repleta est, & [illegible] quod [illegible] diuinitatis vnita est, sicut dicit Apostolus, quia cõplacuit patri in illo omnẽ plenitudinẽ diuinitatis inhabitare, vnde & singularitatis gratia dicta est.

Tertia

Qua mente Iohannes misit ad Iesum discipulos suos.

Quin sit, in Christo non scandalizari.

Quare Christus induit carnem nostram, vt expugnet hostẽ.

Psal. 92.

Duplex in Christo pulchritudo & duplex fortitudo.

Quid sit pulchritudo ex Platonicorũ sententia.

Christus cum respectu [illegible] imago Dei.

Ioh. 1.

Plenitudo & [illegible] Christi in humanitate.

Psalm. 44

Exod. 15.

Ioh. 1.

Pulchritudo Christi in duplici plenitudine.

Triplex gratia Christo propria.

Tertia capitis, quoniam ex eo tanquam ex capite in omnes alios descendit, qui non eam tantùm sibi, sed etiam omnibus accepit, qui est caput corporis Ecclesiæ, vt sit in omnibus primatum tenens, sicut dicit Apostolus, & Euangelista dixit similiter; *vidimus eum plenum gratia & veritatis: & de plenitudine eius omnes accepimus*; homines acceperunt & Angeli. Ecce ergo quibus donis & gratiis decoratus est, adeò vt vnicum fuerit, solum & singulare obiectum complacentiæ patris, qui de eo super aquas & in monte dixit: *hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* In quo pater sibi complacuit, & in quē pariter Angeli omnes prospicere desiderauerunt. Prospicere dixit S. Petrus, quia non tantùm illis satis non fuit intellectu percipere pulchritudinem & perfectionem Christi in carne, sed demum oculis adinstar hominum intueri peroptassent. Et hoc est mysterium quod vidit Iacob in somnis, ad quem per scalam Angelorum caterua descendit, vt eam videlicet carnem contemplarentur in illo, quam de virgine Dei filius erat assumpturus, & in qua omnes gentes benedicendæ erant. Ecce quomodo & quousque in carne nostra Christus in oculis Dei Angelorum decorus inuentus, vt nunc etiam talis appareat in oculis hominum, quos adhuc sibi in illa complacens forma, quam ex eis assumpsit, dignatur suos appellare fratres. Et certè non aliò deberemus hodie quàm ad Christum mentes nostras & oculos conuertere, imò dicam claudere mundo & cunctis rebus, vt eum solum admirantes intueamur, qui cùm in forma Dei esset, nec rapinam illam arbitratus, in similitudinem nostram factus est, & Angelos non apprehendens, speciosus forma præ filiis hominum esse, & nuncupari dignatus est. Vbique Christus Dominus pulcher occurrit, ait S. August. ser. 9. de Nat. pulcher in cœlis, pulcher in terris, pulcher in patre, quia verbum: pulcher in matre, quia caro & verbum; pulcher in vtero virginis, vbi non amisit diuinitatem cùm suscepit humanitatem, quia cùm hic esset & portaretur manibus, locuti sunt cœli, gauisi sunt Angeli, magos stella direxit, adoratus est in præsepio: pulcher in miraculis, mortuos suscitans, non curans mortem: pulcher in sermonibus, pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher in cœlo, pulcher in sepulchro. Quis igitur, fratres charissimi, non admiretur, & non adoret primum & nouissimum, initium & finem, α & ω? S. Hieron. scribens ad Rustic. & S. Chrysost. in Marc. laudant S. Iohannem Baptistam in deserto & solitudine commorantem tot annos; rationémque referunt, quare non sit hinc egressus: Quia, inquiunt, oculis expectantibus & desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere; fortassis adhuc rationéque simili, *cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens ad eum duos ex discipulis suis, ait illi; Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Quare? quia tunc certè volebat, vt & facie, & virtute eum agnoscerent: & quia denique oculis expectantibus Christum, sicut dicit S. Chrysost. nihil aliud dignum est aspicere nisi Christum. Itaque & nos qui ipsum expectamus & desideramus (ipse enim est in desiderio animarum, qui est expectatio gentium) clausis mundo oculis & vniuersæ creaturæ, solùm & sedulò ad eum dirigamus, atque triplici intuitu, si fieri potest, aspiciamus.

Iohan. 1.

In visione Iacob Christus videtur decorus Angelis.

S. Iohannes moratus in deserto, & nihil aliud dignatur videre, quia Christu videre debebat.

S. Hier. ep. ad Rustic. & S. Chrysost. in Mat. homil. 1.

Primus sit cognitionis (neque enim aliud nisi Christum scire debemus) cognitionis, inquam, non simplicis & nudæ, aut speculatiuæ tantùm, hoc enim parum est; non etiam disputatiuæ, vti solet dari in schola & exercitationibus Theologiæ: sed cognitionis attentione & reuerentia plenæ; quia obiectum immensum & infinitum est. Solemus aspectu omnino dispari & diuerso differentia obiecta intueri, & ea quæ excellentiora sunt, & inter illa adhuc digniùs attentiúsque intuemur quæ propter maiorem eminentiam nos ad reuerentiam excitant. Eiusmodi autem obiectum, sed singulariter magnum & eminens est filius Dei: vnde ipsum aspectu minimè quidem simplici, sed qui adorationem & reuerentiam importat, intueri debemus; cognitionis, inquam, aspectu affectuosæ, & quæ vitam communicet & amorem. Vita Dei & sanctissimæ Trinitatis in mutuo, perpetuóque amoris respectu consistit; se enim inuicem amant personæ diuinæ: ita vita nostra, quæ ex Deo emanare debet, etiam in perpetuo amoris aspectu consistit, qui sit erga filium Dei; propterea enim & ipse dicitur lumen vitæ, atque; *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

Triplici aspectu Christum intueri debemus.

Secundus aspectus debet esse imitationis. S. Iohannes mittens discipulos suos ad Christum ait illi: *Tu es qui venturus es?* & respondens IESVS ait; *ite & renuntiate Iohanni quæ audistis & vidistis*: quæ in doctrina & verbis audistis, & in operibus vidistis. Per opera Christus respondet, qui dixerat olim: *opera quæ ego facio, & dedit mihi pater vt faciā, ipsa testimonium perhibent de me*; renuntiate Iohanni quæ audistis & vidistis. Ecce hodie quo aspectu Christum intueri debemus, imitationis. *Qui Christi sunt,* ait Apostolus, *carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis.* Non vtique verbis, sed operibus demonstrare debemus quoniam Christi sumus. Ille enim Christi est qui spiritu Christi ad virtuosa opera procedit, & ea quæ sunt IESV Christi. Christus imago est & similitudo patris; & nos similiter mēte & opere debemus Christū referre. Pater generat verbum suum; & nos debemus formare & exprimere in nobis operibus bonis IESVM Christum; *donec*, inquit Apostolus, *formetur in vobis Christus*, id est, sit in vobis forma vitæ. Filius Dei cogitationes terræ minimè habebat, viles & abiectas; ita neque habere nos debemus: cogitationes Christi omnes diuinæ erant, & nihil in eo erat quod diuinum non esset; ita in nobis diuinæ debent esse cogitationes, & omnes Christi. Quod autē de cogitationibus dico, de verbis pariter & operibus dico: *Renuntiate Iohanni quæ vidistis*, ait IESVS, *cæci vident, claudi ambulant.* Christus operibus ostendit, quia est filius Dei; & nos quoque operibus demonstrare debemus quoniam Christi sumus, & in eum credimus. Ad fidei enim veritatem pertinet, ait S. Thomas, non solùm credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio, quæ fit non solùm per verba, sed per facta, quibus homo fidem se habere ostendit, iuxta illud Iacobi, *ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.*

Iohan 5.

Ad imitationē Christi operibus & non verbis tantùm cuius sumus demonstrare debemus.

S. Tho. 2. 2. q. 124. art. 5.

Tertius aspectus debet esse dependentiæ, iuxta quod à patre constitutus hic est omnium Dominus, nouumque in assumpta carne nostra principium omnis esse & vitæ. Si radius solis aliqua præditus esset intelligentia, quantum heu dependentiæ à corpore solis ex quo prodiit, haberet? In statu autem & ordine diuini luminis & gratiæ, huius noui esse Christus author est atque principium, sicut Isaias de eo dixit, quia pater est futuri sæculi. Ab eo igitur maximè dependere debemus, ipsúmque semper oculis & aspectu dependentiæ intueri in his quæ sunt ad Deum, & opus nostræ salutis. Ipse enim hanc prouinciam suscepit & onus, sicut ait; *vidi afflictionem populi mei, & descendi vt liberem eum.* Sed qua quæso fortitudine & virtute liberabit? nostræ carnis quam

quam induit. In enim abscondita est fortitudo eius: in [illegible] virtus, in humanitate quam assumpsit Dominus. Rei huius nobile est mysterium in libro Iudicum. Cùm venisset Gedeon noctu [illegible] trecentis viris aduersus castra Madian quæ in ingenti multitudine erant, narrabat aliquis somnium proximo suo, in hunc modum. *Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo voluí & in castra Madian descendere, cumque peruenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subuertit, & terræ funditus coæquauit. Respondit is cui loquebatur, non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis, tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia castra eius.* Gedeon, qui conterens explicatur, Christus est, qui aduersus castra Madian descendit, & gladius eius panis est subcinericius, [illegible], atque ipsa eius humanitas sub qua abscondita est fortitudo eius. *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Domine,* dicit ad patrem, *in voluntate tua* secundum [illegible] descendi: *præ filijs hominum* [illegible]. Ipse humanitatis meæ decor, virtus est & fortitudo qua omnia vincam, & ad me ipsum trahentes. Xenophon dicit in hoc discrimen esse inter formosos & robustos, quod istos laborare oportet, & multis se obijcere periculis, vt sibi aliquid comparent: qui verò pulchri sunt, in otio suo & sine labore, omnia ad se pertrahunt. Domine, præstitisti decori meo virtutem, pulchritudo mea, meum est imperium atque victoria. Platonici definiunt pulchritudinem victoriam formæ supra materiam. Sic in Christo forma eius & pulchritudo, tanta eius victoriæ fuit supra omnia infima terræ & mundi. Domine præstitisti decori meo virtutem, [illegible] meus gladius erit bis acutus, quo percutiam [illegible] & confringam illos, nec poterunt stare. *Vidi afflictionem populi mei, & descendi vt liberem eum.* O Domine [illegible] specie tua & pulchritudine tua intende in adiutorium meum, prospere procede & regna. Nunc igitur vos exhortor vt consideretis cum S. Bernardo, quantus ille sit qui ingreditur ad saluandas gentes. Si personam venientis intueor, inquit, non capio excellentiam maiestatis, quia magnus est Dominus. Considero quid sit in cœlo, in mundo, in hominibus, in Angelis, in bonis, & malis, & quid in tempore. Cœli est dominator, mundi gubernator, Angelorum restaurator, hominum [illegible], bonorum [illegible], malorum terror, [illegible] & finis. Si [illegible] ad nos venerit, dignationis magnitudinem [illegible] stupent certè Angeli de nouo, [illegible] se quod supra semper adorant. Si propter quid [illegible] amplector quod possum, ineffabilem [illegible] charitatis. Si modum cogito, exaltationem agnosco [illegible] venit siquidem [illegible] Dominus, venit homo ad homines, & propter homines. [illegible] venit homo, qui Deus est, qui in principio erat verbum, & verbum apud Deum, & Deus erat verbum, qui dicit [illegible] principium & finis. Principium [illegible], *quia ex ipso, & per ipsum omnia* [illegible] finis in gloria, [illegible] in ipso namque est omne bonum. *Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius est. Qui habet filium, habet vitam, qui non habet filium, vitam non habet. Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius. Hic est verus Deus & vita æterna* &c. Denique [illegible] ille homo, qui Messias [illegible]. In [illegible] Christus, [illegible] Deus, qui [illegible] [illegible] testimonium reddit mulier Samaritana propè fontem: *Ego sum Messias qui loquor tecum.* & rursus: *Ego sum [illegible] mundi.* Lux cui testimonium Iohannes perhibuit. Et Euangelista dicens; *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem,* & Baptista: *Ecce agnus Dei. Cui demum,* vt inquit Petrus in Actis, *omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Credamus itaque, & ad eum accedamus, qui sic ad nos venit nostra carne indutus, [illegible] ad [illegible] homines. O nouissimum & altissimum! ô humile & sublime! opprobrium hominum facta est gloria Angelorum, de cœlis in terras, & de sinu patris in sinum virginis descendit Deus summæ maiestatis. Phil. 2. *Cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens,* &c. *Vidi afflictionem populi mei, & sciens dolorem eius descendi vt liberem eum.* Sed dicet aliquis, inquit Bern. quomodo dicitur venisse, & descendisse qui semper fuit vbique? Erat quidem in mundo, & mundus per ipsum factus est, sed mundus eum non cognouit. Non ergo venit qui aberat, sed apparuit qui latebat: venit & humanam in qua agnosceretur induit formam, qui in diuina habitat lucem inaccessibilem. Nec sanè inglorium est maiestati apparere in propria similitudine sua quam fecerat ab initio: nec indignum Deo, à quibus in substantia sua non poterat agnosci, in imagine exhiberi; vt qui fecerat hominem ad imaginem & similitudinem suam, ipse hominibus innotesceret factus homo. Hæc omnia Bern. Huius ergo tantæ maiestatis, humilitatis diuinæ, charitatis, atque etiam glorificationis nostræ memoriam digne celebremus: quia non solùm ad nos homines homo venit, sed etiam propter nos homines, & nostram salutem descendit de cœlis CHRISTVS IESVS, homo Deusque, non propter Angelos, Archangelos, atque principatus, thronos, aut Seraphim, sed propter nos homines, & peccatores homines, afflictos & peccati dura seruitute oppressos. Vidi afflictionem populi mei, & descendi vt liberem eum.

Iudic. 7.

Discrimen inter pulchros, & robustos quantum ad fortitudinem tribuit.

Quomodo definitur pulchritudo à Platonicis.

S. Bern. ser. de triplici aduentu.

Quæ. homo Christus est.

1 Iohan. 5.

Ioan. 4. & 8.

Actor. 10.

Philip. 2

Quomodo Deus dicatur descendisse.

DE DIFFERENTIA TEMporis, cur non in principio, neque in fine, sed in plenitudine temporum CHRISTVS nos liberare venit.

Vidi afflictionem populi mei, & descendi, &c. Exodi 3.

VENISSE CHRISTVM, ex testimoniis fidei & scripturæ [illegible] notum est, de hac veritate nullus restat ambigendi locus: omnia quæ de eo à Prophetis scripta fuerunt, completa sunt. Quod hic solum addi, & quæri potest, differentia temporis est, scilicet, cur non in principio, aut in fine, sed in plenitudine temporis CHRISTVS venit. Dicit enim Apostolus, *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret.* Vidi afflictionem populi mei, & descend. vt liberem eum. &c. Sed cur non statim, & ab initio quo peccatum commissum fuit? Cur distulit, & non nisi post multa tempora venit, post multas afflictiones, & multos auditos clamores? Cùm etiam in libro Genesis legatur Dei misericordia [illegible] hominem lapsum & fugientem occurrisse: Adam contra Deum peccauit, & se abscondit à facie eius, & ecce eum statim insequitur Dominus, dicens, *Adam, vbi es?* Insequitur non quidem animo vindictæ, sed miserationis. Quasi diceret, inquit Chrysost. homo de Adam, vbi [illegible] imago mea formosissima? vbi paradisi pretiosissimi [illegible]? vbi [illegible]? vbi [illegible] regni mei nuper depicta? vbi nunc es familiaris meus amicus? Abscondis te miserum & infirmum, & ego medicus insequor, vbi es? Et quidem hic à principio [illegible] Adamum & peccatorem misericordiam

Gal. 4

Genes. 3.

Chrys. ol.

cordiam Dei quæsiisse inuenimus: vnde ergo tandiu incarnationem suam distulit? & tunc de terra veritas orta non est, vbi iustitia de cœlo prospexit (ad misericordiam) vt dixit Psaltes; *Domine in cœlo misericordia tua.* Et rursus; *Misericordia tua plena est terra.* Adeò vt legatur Ps. 13. quod *Dominus de cœlo in terram aspexit, vt audiret gemitus compeditorum.* Hoc totum certè magno consilio factum est, videlicet vt adhuc amplior & illustrior hæc appareret misericordia, quando maioris necessitatis, atque afflictionis tempore, de cœlo in terram aspiceret, & nos visitaret, sicut ad Moysem dixit; *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & descendi,* &c. Scio quidem sensum litteralem Exodi, sicut huius Psalmistæ esse, Deum cōmuniter de cœlo respicere miserias nostras, vt auxilietur nobis. Tamen S. Greg. de incarnatione Christi interpretatur, filium Dei vocās oculum patris, quatenus infinita eius sapientia est, & sic in terram respexit Deus, quando eius filius in mundum venit compeditos & captiuos liberaturus. Ita Cassiodor. in hunc Psal. Descensurus ad instaurandam corporis nostri massam, ipsam carnem aspexit, id est, assumpsit. Et quidem ingeniosa metaphora & figura; dum enim oculi aliquid intuentur, speciem accipiunt rei quam speculantur, & illius quasi vestiuntur forma & similitudine. Ita cùm diuinum verbum massam nostram aspexit, quod quidem est velut oculus patris, etiam necesse fuit vt assumeret illam, vt incarnaretur, & hac forma indutus similis nobis appareret, & habitu inueniretur vt homo, sicut ait Apost. ad Philip.

Ps. 35. Ps. 13 & 101.

S. Gregor. *Per visum & aspicere Dei in terrā intelligitur incarnatio.* Cassiodor. *Repræsentatio incarnationis in oculo.*

Sed dicetis; nōnne ab initio peccati in terram aspexit? nōnne Adami afflictionem vidit? & nōnne etiam gemitum illius audiuit? imò & quærens ipsum sequutus est? Quomodo ergo tunc temporis incarnatus non est, cùm etiam id conuenientius videbatur ad remedium, si statim venisset & incarnatus fuisset post lapsum. Hæc quidem quæstio grauis, & grata est. Propterea S. Thom. huius dilationis aduentus Domini in plenitudine temporum, & non in principio, aut fine, rationes multas affert, auditu, scitu, & memoria dignissimas.

S. Thom. 3. p. q. 1. art. 5. *Rationes cur Christus non in principio, aut fine; sed in plenitudine temporum venit.*

Prima est, vt cum Dei misericordia saluaretur iustitia, quæ nullum patietur impunitum malum. Ecclesiasticus dicit, quia *Altissimus est patiens redditor;* sed propterea inquit, *ne dixeris: peccaui, & quid mihi accidit triste: misericordia Domini magna est. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius,* &c. Misericordia Dei nihil iustitiæ diminuit, sorores sunt: propterea Adam expellitur de paradiso, & omnis eius posteritas punitur infinitis calamitatibus, multo tempore ingemuit, sustinuit, redemptorem suum & liberatorem petiit, & non exaudita est. Clamitarunt Prophetæ, & non respondit, nec ven[illegible] iustitiæ satisfactum fuit, & misericordiæ tempus appareret, quæ ipsum impulit, vt veniret.

Ecclesiast. 5.

Hinc secunda sequitur ratio, scilicet vt homines maiorem notitiam morbi haberent, & sic validiori clamore medicū postularent, quando viderent quod neque Lex, neque Prophetæ, sacrificia, aut holocausta proficerent, sed quod necessarium erat, ad medicum supremum & redemptorem recurrere. Vnde Dauidis clamor; *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: Domine ad te clamaui, sana animam meam.* Et Ieremiæ semper luctibus & lamentis referti; *Sana me Domine, & sanabor, saluum me fac, & saluus ero.* Isaiæ similiter dicentis; *Ecce omne caput languidum est, & omne cor mœrens. O vtinam descenderes.* Denique Moysis dicentis; *Obsecro Domine, mitte quem missurus es.* Et rursus; *Domine Deus audi clamorem populi huius.* Deus pater audiuit, qui misit verbum suum, & sanauit eum: filius item audiuit, qui rursus afflictionem vidit, & venit, dicens Moysi in medio rubi, *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum.*

Exod. 4. Num. 20.

Tertia adhuc exinde sequitur ratio, nimirum vt ex dilatione tanta amplius augeretur desiderium, & redderetur feruentius (hæc ratio oritur ex secunda præcedenti, cui est conformis) Et quidem hoc satis expediens erat in gloriam eius, qui secum afferebat thesauros omnium gratiarum, vt satis ostenditur in Exodo vbi Moysi dicenti Deo; *Ostende mihi gloriam tuam: præcipis vt educam populum istum, & non indicas mihi quem missurus es; si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem & gloriam tuam;* Responsum est illi: *Facies mea præcedet te, & ego ostendam omne bonum tibi.* Facies Dei Christus est, in quo plenitudo omnis boni posita est, vt Iohannes dicit: *Vidimus eum plenum gratiæ.* Et Paulus dicit, quia *in eo sunt omnes thesauri reconditi gratiæ & sapientiæ Dei.* Conueniens igitur erat, vt antequam veniret, multis & multum ardentibus expeteretur votis. Si enim amicus ex desiderio expectatur, quanto magis qui omnia nobis dare venit & largiri amicitiæ & gratiæ dona? Hinc certè est quod ab Aggæo est appellatus desideratus cunctis gentibus: & *veniet,* inquit, *desideratus cunctis gentibus;* ille qui in desiderio animæ est, in corde & in ore omnium.

Exod. 33. Ioh. 1. Aggæi 2.

Quarta adhuc ratio, vt istius operis maior haberetur commendatio: quia, inquit Seneca, citò data vilescunt, licèt in magna sint æstimatione. Hinc est quod si statim post lapsum Deus hominem reparasset, periculum fuisset maioris contemptus; sed cùm ex dilatione innotuit difficultas, & quia ad hoc nihil proficiebat hominum gratia & Angelorum; &, sicut dicit S. Leo scribens ad Pulcheriam Augustam, reconciliationis nostræ sacramentum ante tempora æterna dispositum nullæ implebant figuræ; tunc necessitas cœlestis & diuini remedij cognita est & æstimatio. Nisi enim, ait S. Leo, nouus homo factus in similitudinem carnis peccati nostram susciperet vetustatem; & consubstantialis patri, consubstantialis esse dignaretur & matri, naturámque sibi nostram solus à peccato liber vniret, sub iugo diaboli generaliter teneretur humana captiuitas. Hæc ille. Hæc certè ratio cur tot clamores ad Deum directi sunt, & cur etiam sic bonum istud dilatum est, scilicet vt charius haberetur, & ne contingeret nobis vt filiis Israël, qui propter facilem & continuum pastum mannæ [illegible], *Anima nostra iam nauseat [illegible].* Quibus etiam de [illegible] terra postea in contemptu [illegible] David dicens; *Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem,* &c.

S. Leo ep. 13. ad Pulcheriam. Num. 21. Psal. 105.

Quinta denique, quam sumimus ex S. Leone, est, vt copiosius tempus mundus haberet ad [illegible] præparandum [illegible] tiora sunt. Hæc siquidem salutiferi operis mora capaciores nos suæ vocationis effecit, vt quod multis signis & mysteriis per tot sæcula fuerat prænunciatum, nobis in his diebus Euangelij non esset ambiguum; ita vt hæc omnia sæcula præterita fuerint quasi tempus aliquod tyrocinij in præparationem Christianæ nostræ professionis, & velut stadium nostræ instructionis ad capessenda sine difficultate abscondita mysteria ante reuelationis tempora; sic enim ad Corinth. vocatur incarnatio *Sapientia Dei in mysterio abscondita.*

S. Leo ser. 3. de Natiuit. 1. Corint. 2.

Ecc:

Ecce moræ & dilationis aduentus Christi rationes, & cur, iuxta Apostolum, in plenitudine temporum venit. Quod enim non distulerit ad finem vsque, hæc adhuc inter multas, ratio afferri potest, quia nimirum ad pœnitentiam nos vocare veniebat, ad saluandum, & non ad iudicandum. *Non enim, vt ait, misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.*

Cur Christus non ad finem vsque mundi venire voluit. Iohan. 3.

Hic interim est notandū, omne tempus eius moræ & dilationis quæ circiter 5000. annos continet reuolutos, tantum morā fuisse & dilationem respectu nostri, & nō Dei. Quid enim sunt ante Deum 5000. anni, nisi quinque dies, vt Psaltes ait, *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præterijt?* Vnde aliquo pacto dici potest, ab initio mundi & lapsus Adæ, Christum incarnatum fuisse, & descendisse, vt nos ab afflictione nostra liberaret. Licet enim secundum computum nostrū, spatium & mora fuerit 5000. annorum, secundum diuinum tamen tantū quinque dierum mora & dilatio fuit; vnde dicebat Abacuc Propheta: *Si moram fecerit, expecta eum quia veniens veniet, & non tardabit*: vbi certè hæc duo pugnare videntur, moram facere, & non tardare. Sed minime quidem illa pugnant. Moram enim faciebat secundum nos, sed non secundum se, veniebat enim & non tardabat, qui, vt Psaltes ait, exultauit vt gigas ad currendam viam. Hinc est quod apud Isa. hoc cognomē recipit, *Accelera* sic enim ait, *voca nomen eius Accelera*. Sic sponsa, *Venit saliens in montibus*, &c. contemplabatur ibi sponsi sui celeritatem, qua fugitiuum peccatorem & filium Adæ prosequitur: ita enim, & Malachias dicit, quia & *sanitas in pennis eius*. Quasi dicat; ad salutem nobis impertiendam, non amplius deambulans, aut etiā currens, sed venit volans, exultauit vt gigas. Quod si ita sit, præparemus & nos iter nostrum & habitaculum, talem hospitem hospitio excepturi, qui filius Dei est & virginis, vt & apud nos in æternum mansionem facere dignetur.

Psal. 89.

Abac. 2.

Respectu nostri mora erat, non respectu Christi venientis.

Isa. 8.

Cantic. 2.

Malach. 4.

DE ORIGINE CHRISTI, & quomodo verbum patris caro factum est in vtero virginis.

Vidi afflictionem populi mei, & descendi. Exodi 3.

ETsi transierint quinque annorum millia antequam in mundum Christus veniret, tamen satis velocem fuisse aduentum eius cōsiderauimus, si an te eum mille anni pro vno die habentur. Interim velociorem adhuc inde cernimus ex parte loci vnde prodiit, cōsiderabimus. *A summo cælo*, inquit Dauid, *egressio eius*: in instanti veniens ad nos de fine attigit ad finem; de vna extremitate infinita ad alteram; de cælo ad terram: sic dixit Sapiens, *Cum quietum silentium contineret omnia, omnipotens sermo tuus de cælo à regalibus sedibus in mediam exterminij terram prosiliit.* Te decet silentium Deus, tuisque conuenientes est absconditus mysterijs. Terra nostra, exterminij locus est & de cælo tuo regali sede in mediam huius afflictionis terram prosilijsti. *Vidi afflictionem populi mei*, &c. *& descendi.* Tam velox ille descensus extitit, vt saltum gigātis Psalmista appellet, & comparet ortui solis, dicens quia *ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam. A summo cælo egressio eius, & non est qui se abscondat à calore eius*, &c. Hodie suum iter Christus incipit, qui velut sol ardore sui amoris erga nos plenus, de cœlo suo in instanti prosilijt in terram, & de sinu patris in vterum virginis factus homo. Locus igitur loco, exitus eius, cœlum est, eius & aduentus terra est, exitus à patre est, & in virginem matrem aduentus, interuallum protinus admirabile & diuinum. Item dicit, *Ecce nomen Domini venit de longinquo*: idem, certè, quod inquit à summo cœlo: propterea que totties clamatur, *Propter Sion non tacebo, donec egrediatur vt splendor iustus eius*, scilicet de cœlo; & iterum: *Attende de cælo, & vide nos de habitaculo sancto tuo.* & iterum: *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes.* Non ita tamen quod deserat illos, sed quod humilis in terra inueniatur sub forma hominis, in qua in cœlis non erat; sicque visibilis mundo appareat, qui antea inuisibilis erat. Sicut enim sol præ nimia sua claritate in suo orbe videri non potest nisi per interiectum vaporem, ita Dei filius verus iustitiæ sol, non nisi humanitatis nube oculis videri potuit. Propterea Moysi dixit aliquando, *Nunc ad te veniā in caligine nubis*, id est, humanitatis, *non enim videbit me homo* (scilicet, in gloria diuinitatis) *& viuet.* Quod quidem præuidens Iob dicebat, *Scio quod in carne mea*; videlicet assumpta à verbo *videbo Deum Saluatorem meum.* Ita enim humiliatus in carne, nominis sui exaltationem accepit, quod est IESVS, qui Saluator dicitur, quando formam Dei inuisibilem non amittens, visibilis nobis factus est sub forma humana, sicut dicit Apostolus; *cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, &c. Atque hinc ostendimus de altiori adhuc cælo descendisse, quod est sinus patris, in humiliorem terram quæ est vterus virginis. Hunc exitum & mysterium explicat S. Iohannes, qui dicit, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*: & de eo Apostolus locutus est cùm dicit, *vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere*, &c.

Velox Christi exitus, & aduentus. Sapient. 18.

Psal. 18.

Vnde fuerit suus egressus.

Isa. 30.

Item 62. 63. & 64.

Similitudo.

Exod. 19. & 33.

Iob 19.

Philip. 2.

Iohan. 1.

Gal. 4.

Igitur scire vultis vnde egreditur? à cælo. *Ego sum panis*, inquit, *qui de cælo descendi*; propterea que in Bethlehem natus est domo panis. Item à patre, sicut dicit, *Exiui à patre, & veni in mundum*, & in Michæa, *à diebus suæ æternitatis*: ita vt nihil tam proprium sit illi quàm oriri, & etiam tale, sicut ab initio diximus, acceperit nomen apud Zachariam, *vir oriens.* Pulchra certè & valde conueniens Christo huius cognomenti ratio. Nam licet omnibus creaturis commune sit & conueniat oriri: (omnes enim originem suam habent & à sua causa & principio oriuntur) tamen earum duratio sicut productio finitur breui: filius autem Dei sic oritur à patre, vt numquam ab eo desinat oriri; vnde proprissimè iuxta Zachar. *vir oriens nomen eius.* Scilicet, quia semper illi oriri conuenit, sicque oriens à patre, nec eius linquens dexteram, in vterum descendit virginis, ex ea postea nasciturus, & conciliaturus ima summis, limo & vilitati terræ, gloriam Deitatis. Audite ergo, quòd in principio erat Verbum, & verbum apud Deum, & Deus Verbum, in tempore sit homo in virgine. Exitus eius à patre est; sed in matrem aduentus: à patre exit, & patrem non deserit, quia semper est in intellectu patris, & nullibi nisi cum patre & in patre inueniri potest. Propterea enim verbum dicitur apud Deum, vt ostendatur, quia sedes & mansio verbi pater est. Et de hac re etiam in nobis potest sumi exemplum, videlicet, in verbo quod in mente nostra formatur, sed in illo

Iohan. 6.

Michææ 5.

Quomodo Christo proprissimè oriri conuenit. Zachar. 6.

Differentia inter exitū & aduentū Christi.

Exemplum.

conceptu creato intelligentiæ nostræ, seu rationis; tandiu enim sedem habet in intellectu, quandiu intellectio durat. Ita dico & cum discrimine de verbo increato patris, semper oritur, & semper residet in intellectu patris, qui semper est in actu; vnde cùm sit æterna eius intellectio & stabilis, ita etiam eius verbum stabile est & æternum, quod est filius, & talis dicitur, quia ipsissima eius substantia est. In hoc enim discrimen est inter verbum Dei increatum, & mentis nostræ creatum; quod illud nostrum, accidens sit, & non substãtia, terminus tantũ intellectionis, & non filius: verbum autem increatum, ipsissima est substantia patris, & non accidens; filius, & non tantùm terminus: vtrumque enim illi conuenit & proprium est, sc. quod sit & filius, & terminus simul diuinæ intellectionis, quatenus simul est & imago patris, & omniũ creaturarũ exẽplar. Nam vt imago, filius est; vt verò creaturarum exemplar, etiam diuinæ intellectionis terminus est: sic enim per ipsum vt per sapientiam Dei, omnia facta sunt. Ecce igitur qualis est æterni eius exitus diuina ratio. Et quomodo semper remanens in patre, nec deserens, continuò oritur ex ipso.

Discrimẽ inter increatũ Dei verbum, & creatum nostra mẽte.

Exitus Christi ad patrẽ refertur.

Nunc de aduentu & exitu eius ad extra loquamur, videamus; inquam, quomodo de patre in virginem descendit per incarnationem: qui enim ab æterno filius Dei erat, in tempore filius virginis factus est, cùm, reclamãte vniuersa creatura cum omnibus Prophetis, de Spiritusancto conceptus nouo & admirabili modo, in virgine factus est homo; tam arcto vinculo sibi in vna & eadem persona coniungens naturam humanam, vt omnes actiones diuinæ attribuantur homini, & hominis in ipsum Deum transferantur actiones & passiones; hoc admirandum commercium in virgine factum est, cuius vterus nesciens virum, verbo concepit Dei filium. Admirandum planè commercium, quod prorsus nouo & inaudito matrimonio fuit completum, quando natura humana secluso supposito, diuinæ communicata est, & illi diuina cum suo supposito & persona, cæteris vtrinque se inter se ac inuicem communicantibus, languoribus vt meritis. Cuius rei figura satis conueniens est & pulchra in illa sancta muliere Ruth, vt eius historia refert, quæ cùm adeò egena esset, vt etiam mendicans colligeret spicas post terga metentium, tamen matrimonio collocanda erat cum Boos homine potente & opulẽtissimo; sic tamen vt qui propinquior erat, & iure consanguinitatis vir eius futurus, cederet iuri suo, seque eo penitus priuaret, in gratiam Boos viri magnarum opum, qui illius priuilegio vteretur & succederet, vt postea in coniugium illam sanctissimam fœminam sumeret, ditaret illam, & vniuersæ substantiæ suæ dominam constitueret: ita vt etiam ex ea postea Reges Israël sumpserint suam originem, Boos enim genuit Obed ex Ruth, Obed genuit Isai, Isai autem genuit Dauid. Ita nunc dico humanitati nostræ accidisse mendicanti, pauperrimæ, & omnibus bonis egenti, cùm à verbo ditissimo & potentissimo in vnionem & spõsam assumpta est. Opus fuit vt suppositum humanũ, quod ipsi quidẽ et legitimè debebatur, cederet iuri suo, seque penitus suo priuilegio priuaret & exueret, vt in eius locum diuinum succederet & substitueretur. Ita enim postea factum est, vt ex ea facta domina omnium substantiæ, etiam nasceremur per adoptionem etiam filij Dei, vt dixit Apost. Gal. 4. quod ideo misit Deus filium suum factum ex muliere, vt adoptionem filiorum Dei reciperemus. Verùm etenim multi sunt filij huius incarnationis cuius proles iusti sunt. *Quotquot receperunt eum, dedit potestatem filios Dei*

Aduentus ad matrem.

Commerciũ Dei cum homine.

Ruth. 1. & seq. *Figura incarnationis.*

Incarnatio [illegible] matrimonium. Iusti proles incarnationis.

A *fieri.* Sic 1. Iohan. 4. *Omnis qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* Et post. *Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.* Ecce qui ex hoc tam diuino matrimonio nascuntur filij. Locus verò in quo celebrauit sponsus, fuit venter virginalis. *Ecce concipies in vtero*, dixit Gabriel virgini. Conceptio Christi, eius incarnatio fuit, seu illud vnionis admirandæ mysterium quod celebratum & peractum à sanctissima Trinitate in vtero virginis, in filio terminatum fuit, atque in æternum completum remansit.

1. Iohan. 4. & 5.

Luc. 1.

Itaque pro maiori huius mysterij intelligentia sciendum est, sanctam Trinitatem, statim atque virgo dixit Archangelo Gabrieli, *Ecce ancilla Domini,* B formasse in vtero eius, & ex purissimo illius sanguine, pueri corpus speciosissimi; eodem etiam instanti animam creasse, & huic corpori coniunxisse: atque filium, qui est secunda persona, eodem momento hoc totum sibi vnisse; ita vt non priùs homo fuerit creatus, & postea assumptus in personam verbi: sed eodem temporis momento & factus, & assumptus est in illam, vnione admirabili, & vnitate singulari, vnione duarum naturarum distinctarum; vnitate hypostasis, quæ diuina fuit, ita vt illæ duæ naturæ perfectæ & distinctæ, humana & diuina, vna & eadem persona, quæ verbi erat, fulcirentur. Ecce mysterium explicatum vt potuimus, adhuc tamen explicandum à nobis distinctiùs. Diximus itaque C totum fuisse peractum opera Trinitatis; quia quæ ad extra fiunt, tribus personis communia sunt: vnde cùm tale sit hoc mysterium, etiam toti Trinitati cõmune fuit; proptereàque in annunciatione Angeli distincta mentio trium personarum facta est; *Spiritussanctus superueniet in te, virtus Altissimi obumbrabit tibi: & quod nascetur ex te sanctum, filius Dei vocabitur.* Quomodo autem ille solus filius incarnatus est, & non pater aut Spiritussanctus; ratio est, quia ille solus in vnitatem suæ personæ hominem assumpsit, vt exemplum demonstrat alicuius, qui aliorum duorum adiutorio & opera vestem indueret. Ita enim solus filius communi opera duarum aliarum personarum patris & Spiritussancti, naturam nostram in- D duit & assumpsit, sic tamen à diuina secretam & distinctam, vt vtriusque admirabilis in vnitate personæ coniunctio, neutrius fuerit confusio. Ita dicit S. Leo ser. de Nat. Nec interiorem consumit glorificatio, nec superiorem minuit assumptio. Sicque distinctè simul factus est Deus & homo.

Quomodo factum & completum fuit incarnationis mysterium.

Explicatur distinctiùs.

Tota Trinitas operatur.

Solus filius incarnatur.

S. Leo ser. 1. de Natiuit.

Sed adhuc vnum hic superest notandum, videlicet quod de Spiritusancto conceptus dicatur: ideo certè & valde conuenienti appropriatione, quia hoc opus summi est amoris. Iohan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Amor autem attribuitur Spiritusancto, sicut potentia patri, & sapientia filio. Quare sicut amoris itinere ad nos venit Christus; ita etiam dicitur de Spiritusancto E conceptus. Non quod tamen inferatur exinde, quod sit Spiritussanctus pater Christi, qui tantùm de eo est conceptus secundũ operationem, & non secundũ naturam: sicut faber non dicitur sui operis pater ex eo quod tantùm suam operationẽ & industriam ei contribuit. Ille enim solùm pater est qui naturam tribuit. Quapropter Christus secundum humanitatem suam, patrem non habet, sed solùm matrẽ, quæ Maria virgo est. De qua etiam inter multa, mirum hoc superest dicendũ, quod Christi mater sit effecta antequã nasceretur ex ea. Duplex Christi natiuitas est, vna in virgine, altera de virgine; hodie de prima sermo est, quæ incarnatio dicitur, cras sermo erit de secũda, quæ partus virginis dicitur. de vtraq; Angelus,

De Spiritusancto concipitur.

Duplex Christi natiuitas.

Ecce

Ecce concipies, & paries; de vtraque & Propheta, *Ecce virgo concipiet, & pariet.* Quod autem à conceptione virgo mater fuerit, Elizabeth reuelauit, dicens, *vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me.* Sed & illud quoque manet æterna admiratione dignum, quod simul mater sit & virgo: mater ante partum, virgo in partu, & post partum. Quis talia fecit? filius Dei, qui in ea homo factus est. *Fecit mihi magna qui potens est*, inquit, *& sanctū nomen eius*, &c. Sed dicens, quonam modo hæc fieri potuerunt? Ecce equidem modus & ratio facti, potentia facientis; *fecit mihi magna qui potens est*, nec primam similem habuit, nec sequentem. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* In me, non in se magnificatur Dominus, qui immensus est, & cui nihil gloriæ addi potest. *Magnificat* igitur *anima mea Dominum*, non quidem addendo, ad magnitudinem eius, quæ nec augeri, nec minui potest, sed illam prædicando in me, qui me tanto munere sublimauit, vt agnoscar mater Dei: votum certè quod viuo & sentio, in eius laudibus impendo. *Magnificat anima mea Dominum*, iam facto carnis indutum, hominem factum, & quem cœli capere non poterant, in meo vtero conclusum.

Ratione triū exultat spiritus virginis.
Cant. 1.
S. Aug. lib. de assumpt.

Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Ratione trium Maria hic exultat, ratione creationis in Deo exultat, reparationis in Deo salutari: & assumptæ à se humanitatis. *In Deo*, ait, *salutari meo*: & hoc, quia respexit & approbauit humilitatem ancillæ suæ. Dum esset Rex in accubitu suo & sinu patris, nardus mea humilitas dedit odorem suum, vt attraheret ipsum. O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innouauit, mundum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas liberauit! Facta est Mariæ humilitas scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terras.

DE EGRESSV CHRISTI in mundum, & de loco aduentus & natiuitatis eius.

Vidi afflictionem populi mei, & descendi. Exodi 3.

Triplex Christi exitus.

TRIPLICEM Christi exitum celebramus & colimus: vnus est à patre, & æternus, secundum quem eius est filius & ipsi coæternus, inseparatus ab eo, & semper in eo manens, & generatio æterna dicitur, de qua sic Iohan. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.* *Iohan. 1.* Alter est de patre in virginem, & incarnatio dicitur quæ in tēpore facta est, de qua dicitur, *Et verbum caro factum est*, &c. Tertius est de virgine in mundū, seu in præsepe Bethlehem, & dicitur Natiuitas, quæ vbi venit plenitudo temporis, completa est, de qua apud Lucā, *Ecce euangelizo vobis, quia natus est vobis hodie Saluator qui est Christus Dominus in Ciuitate Dauid*, verbū caro factū habitat in vobis. *Luc. 2.* Sic de se loquēs Christus, & diuersos illos exitus comprehendens dicebat, *Ego à Deo exiui: exiui à patre, & veni in mundum.* *Iohan. 16.* Per illud namque verbum, *Exiui*, notat generationē æternam, & per istud, *veni*, aduentum eius notat in virginem per incarnationē, & *in mundum*, per natiuitatem.

De duobus autem postremis tantū hic loqui prætendimus, & adhuc maxime de vltimo, quādo in carne nobis apparuit, tantùm enim hoc modo videtur quasi foras egressus. *Quis mihi det te fratrem meum, vt inueniam te foris?* *Cant. 1.* inquiebat sponsa desiderio ardēs videndi oculis corporeis verbum, quod caro factum est, & habitauit in nobis, dispensationem denique sacramenti absconditi à sæculis in Deo. Verbum in patre absconditum manet, & mysterium similiter dispensationis cū carne, nec tamen vtrumque reuelari potest sine carne. Opus est vt oculis appareat, & loquatur in carne nostra, qui venit se & sua abscondita mysteria hominibus reuelare, fides enim nostra ex auditu, auditus autē per verbum Dei, verbū Dei per os prædicantis; vnde necesse fuit vt is ad quem solum pertinebat illa Dei abscondita reuelare hominibus, scilicet filius Dei, etiam appareret illis, & similis fieret in natura, vt sic commodiùs posset cum illis conuersari & loqui: hinc Apostolus ait, *Multifariā multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in filio.*

Necessitas incarnationis ad reuelationem arcanorum.
Heb. 1.

Et certè sicut corporea nostra voce & exteriori noster cōceptus declaratur & mentale verbum, quod quidem tunc sermonem dicimus: ita Dei filius, per quem pater vt per verbum suum & conceptū sua omnia manifestat, nobis veluti factus est de verbo per incarnationem sermo, cùm in carne loquens nobis declarauit omnia consilia patris. Hoc notauit eleganter S. August. Nam sicut verbum nostrum fit quodammodo vox corporis illam assumēdo, vt in ea postea manifestetur sensibus: ita Dei verbum caro factum est in qua manifestaretur humanis sensibus. Caro enim certè in verbo vox fuit, quæ ipsum reuelauit, cum illa etiam patris delapsa cœlitus, & dicente de medio nubis; *hic est filius meus*, &c. *ipsum audite*. Audite vt eū qui ex intellectu patris tanquam eius verbum, & sapientia prodiēs, nunc os eius veluti factus est, sermo & vox omnium consiliorum eius. Nam sic à suis discipulis agnitus est, vbi ait illis; *Vos dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis.* & eadem ratione sic sublevatis oculis in cœlum, dicebat ad patrem, *Pater ego te clarificaui super terram, manifestaui nomen tuū hominibus quos dedisti mihi, verba quæ dedisti mihi dedi eis, & ipsi cognouerūt quia à te exiui, & crediderūt quia tu me misisti.* Ecce necessitas, vt oculis nostris appareret in carne, qui apud patrem absconditus erat à nobis in Diuinitate, &, sicut dicit S. Cyril. Alexand. vt in Conc. Eph. refertur, qui carnis commercia ignorabat, nostri causa carne indueretur: Verbum enim caro factum est. qui ob naturam corporis expertem sub tactum non veniebat, palpabilis efficeretur; qui principium nesciebat, secundum corpus initium sortiretur, qui absolutè perfectus erat, incrementa sumeret, qui diues est, in diuersorio gigneretur, qui cœlū nubibus tegit, fasciis inuolueretur; qui Rex erat, in præsepio deponeretur, quē pro nostra salute immaculato puerperio Maria virgo mater effudit: Maria, inquam, genitrix vitæ, mater pulchritudinis, magnificentiæ, lucisque parens. Hæc omnia Cyrillus.

Vocis cōparatio cū incarnatione.
S. August. in lib. 15 de Trinit.
Ioh. 15. & 17.
S. Cyrill. in Con. Ephes. Tom. 1. c. 5.

Sed his multa sunt obscura in Natiuitate ista, mihi dicens, & valde remota ab intelligētiis nostris. Quomodo imprimis fieri, atque concipi potest, virginem manere quæ filium concepit & parit? sed certè ratio, quia virgo Dei filiū concepit & parit, hanc enim maternitatē obtinuit ex integritate virginitatis. Si enim Deus debuit nasci, ait S. Ambros. ex virgine debuit; & si virgo cōcipere & parere debuit, Deum parere debuit. Ecce & intelligentiæ, sol penetrat crystallū absque vlla fractura, & verus sol iustitiæ Christus Deus noster in virginē splendidiorem crystallo sine virginitatis iactura introiuit & transmeatus est. Sed & de hac re adhuc naturale exemplum & valde familiare dari potest, quod etiā S. Chrysost. notat in Gē. videlicet,

Virginitas maternitatis diuinæ causa & ratio.
S. Ambros.
Exemplum.
Chrysost. in Genes.

in terra, quæ in principio creationis, cùm adhuc esset inculta, & suo modo virgo, omne genus virentium vi sola verbi diuini produxit. Sciunt omnes terram ex se non producere granum, nisi priùs colatur, accipiat semen, pluuiam & ardorem solis: & tamen ab initio vi verbi diuini cùm adhuc virgo esset, produxit. Ita minimè difficile erit comprehendere, vi & omnipotentia verbi virginem matrem esse; sicut dixit illi Angelus, quia nō erit impossibile apud Deum omne verbum. Illa fuit obiectum diuinæ potentiæ, in qua omnia Dei mirabilia in terra facta sunt, in qua maternitas cum virginitate perpari sit, & in qua qui Deus est immensus & æternus, homo in tempore factus est, paruulus & puer datus: illa fuit cisterna salutis, de qua saluator prodiit, illa fuit mater & virgo, de qua natus est IESVS qui vocatur Christus. Transeamus hodie vsque Bethlehem omnes: ibi enim hauriemus aquas in gaudio de fontibus Saluatoris; fons & cisterna aquarum vitæ Maria est, de qua natus est IESVS qui vita est. *In ipso vita erat.*

2 Reg. 23. *O quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem?* dicebat suis aliquando Dauid, forte huic alludens mysterio.

Sua Deus prodigia facit in Bethlehem.

Certè secundò hic locus est vbi sua prodigia Deus fecit in terra; Bethlehem est in qua nascitur filius virginis, qui filius Dei erat, Bethlehē est in qua fœno iacet & inter animalia ponitur, qui sedet super Cherubim, & inter omnia Sanctorum agmina diuinitatis maiestate fulget. Bethlehem est denique in qua infans inuolutus pannis, à pastoribus & magis adoratur, & in qua illa cisterna salutis inuenitur Maria, de qua natus est IESVS qui vocatur Christus, id est, Saluator. Quare nobis hodie hanc licet Bethlehem adire, & aquam petere salutis, cœlestem rorem gratiæ atque iustitiæ.

Ante incarnationem Deus terribilis erat: post verò mitis effectus est.

Notandum, olim Deum fuisse veluti torrentem inundantem & impetu plenum: cuius etiam diluuio obrutus est orbis, sed postquam è cœlo lapsus est in Mariam, velut in cisternam Spiritussancti ros ille gratiæ, tamdiu desideratus & expetitus à Prophetis, clamantibus; *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet saluatorem;* statim lætificauit ciuitatem Dei, id est, mundum, dulce flumen gratiarum. Similiter adhuc antequam in virgine carnem nostram Deus assumeret, & ex ea natus vocem infantium emitteret, adeò sua voce conturbabat audientium aures & corda, vt dicerent

Exod. 20. Israelitæ in Exodo, *non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Itemque terrorem primus omnium

Genes. 3. expertus est Adam, dicens, *vocem tuam Domine audiui, & timui,* &c. postquam verò supernatem illam ministerio virginis tanquam instrumenti concentus musici, cum humana voce maritauit, ex eaque ortus vagit infans inter arcta conditus præsepia, tunc tam gratam vocem emisit, vt sponsa audire eam sæpius concupierit, et videre faciem eius, dicens, *sonet vox*

Cant. 3. *tua in auribus meis, vox enim tua dulcis & facies deco-*

Cant. 8. *ra. Quis mihi det te, vt inueniam te foris, & deosculer te?* Transeamus itaque vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, caro factum est, panis factum est in Bethlehem domo panis, quod denique nobis omnia factum est, reconciliatio nostra, iustificatio, salus & vita, bonorum omnium fons & ple-

S. Ambros. lib. 4. de virg. nitudo. Ita enim dicit S. Ambros. Christus omnia nobis factus est. Si vulnus curare desideras, medicus est, si febribus æstuas, fons est, si grauaris iniquitate, iustitia est, si auxilio indiges, virtus est, si mortem times, vita est, si cœlum desideras, via est, si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, alimentum est. Transeamus ergo vsque Bethlehem domum panis. Bethlehem alio nomine dicitur Ephrata, quæ

Alio nomine Bethlehē dicitur Ephrata, quæ fertilis interpretatur.

vertitur abundans & fertilis. Ideo rectè quia nobis illa dedit abundantiam omnium rerum IESVM Christum, qui est omnia, panem nobis dedit omne delectamentū in se continentem, panem viuum qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, Diuinitatis plenitudinem, sub humilitate carnis absconditam. Sed vbinam eam inueniemus? Propheta respondet

Psalm. 131. dicens; *Ecce audiuimus eam in Ephrata,* id est, Beth-

Luc. 2. lehem ciuitate Dauid. Apud Lucam dixit Angelus pastoribus; *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid* (illa est Bethlehem, seu Ephrata.) *Et hoc vobis signum,* addit Angelus, *inuenietis infantem inuolutum pannis, & positum in præsepio.* Signum verè omni admiratione dignum, legitur antè, *quia non erat ei locus in diuersorio:* omnibus quidem erat, sed non ei cuius sunt omnia, terra & plenitudo eius, & qui dicit, *meus est orbis terræ;* & tamen ei non erat in diuersorio locus. Moriens in cruce non habuit vbi caput suum reclinet, nisi fortè coronam de spinis; & nascens inuenitur positus in præsepio, atque inuolutus pannis.

Christus nascens & moriens nō habet vbi caput suum reclinet.

In paupertate & humilitate sunt diuitiæ & gloria Christi.

Hic miracula crescunt, & innouātur signa, dum in paupertate stabuli, & humilitate carnis, videmus diuitias vitæ, & *gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.* Quæris à quo patre? *Et filius altissimi vocabitur,* ait Angelus. Diuitias autem quæris, quia certè thesaurus est tibi absconditus in agro, vnde vt aperiatur tibi est necesse: Ipsi igitur panni diuitiæ nostræ sunt, & equidem omni purpura pretiosiores. Iuxta S. Hieronymum, S. Antonius pluris æstimabat cilicium Eremitæ Pauli quàm purpuram Regum, quod ideo cum solemnitate magna tantùm gestabat temporibus Paschæ & Pentecostes: quanto verò nobis pretiosiores & ditiores sunt panni Saluatoris? Iam gloriam eius & quasi vnigeniti à patre quæris? Dicam etiam gloriosius esse hoc præsepium cunctis soliis Regum deauratis. Sed vis vt omnia comprehendam paucis? Christi paupertas nostrum patrimonium fuit, & eius infirmitas nostra virtus & gloria. Et fortè adhuc nō fuit ei in diuersorio locus, vt plures nobis mansiones conferret in domo patris sui, &c. sed reclinatusque est in præsepio, vt nos collocaret in cœlo.

Salutis nostræ mysteria in natiuitate Christi.

S. Gregor. Nyss. S. Greg. Nyss. oratione Natalis Domini de his sic loquitur: Speluncam vides, in qua nascitur Dominus. Cæcam cogita hominum vitam, & in terra demersam, in qua se ostendit sedentibus in vmbra mortis. Pannis obuoluitur & fasciis constringitur, qui peccatorum nostrorum vincula & catenas subiit. Præsepe in quo verbum gignitur, bestiarum domus est, vt cognoscat bos possessorem suum. E cœlo delapsus panis ponitur in præsepio Bethlehem, vt animalia expertia rationis cibo nutriantur. Hæc ille. Ecce igitur cur in Bethlehem Christus Dominus natus est, scilicet vt de ista terrestri ad cœlestem transiremus. Nunc de viis incarnationis, & aduentus Dominici.

DE VIIS QVIBVS CHRISTVS ad nos venit; ac primò de via misericordiæ.

Vidi afflictionem populi mei, & descendi. Exodi 3.

NIhil ita proprium est Christo sicut misericordia, nullaque est qualitas, quæ magis in ipso refulgeat quàm illa. *Quàm magna est misericordia domini* Eccles. 17.

mi[illegible]

Pſ.144. Pſ.14. *Misericordia prima via Christi.* Luc.1. *Nomen viscerum attribuitur misericordiæ.* Pſ.35. *Dimensiones misericordiæ.* Pſal. 102. & 118.

A inquiebat Sapiens Ecclesiasticus:& Dauid; *Miserationes eius super omnia opera eius.* Certè omnium prima cum illo in mundum egressa est & innotuit nobis,vultis dicam cum Propheta? *vniuersa via Domini misericordia & veritas.* Misericordia est quæ ipsum accelerauit vt veniret, & prima via fuit per quam ad nos descendit, misericordia est denique per cuius viscera visitauit nos oriens ex alto. *vidi afflictionem populi mei, & descendi,vt liberem eum.* Optimè autem nomen viscerum attribuit Zacharias propheta diuinæ misericordiæ quia inprimis nobis valde est occulta, & dimensiones suas habet omnes infinitas & incomprehensibiles. Excelsum eius cótemplari vultis & altitudinem? Audite quid dicat Dauid, B *Domine,in cœlo misericordia tua,iustitia autem tua sicut montes;* quasi diceret. Illa quidem non transgreditur terram;misericordia auté tua etiam in cœlo est,& exercetur illic: neque enim tu desines misereri, donec ad cœlum nos euehas. Vultis longitudinem? Ecce ait; *Misericordia Domini ab æterno vsque in æternum.* Ecce termini. Latitudinem desideratis? Ecce iterum dicit, *quia misericordia Domini plena est terra.* & iterum; *Misericordia tua multa, Domine.* vnde B.virgo etiam spiritu filia Dauid sic in Cantico suo dicit: *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* quasi diceret: extendit se ad omnes, singulariter tamen atque efficaciter ad iustos & Deum timentes. C Hinc iam profunditatem videre licet, & quomodo omnia implet, protegit & sustinet. Ad hoc declarandum miro locutionis genere Dauid vsus est in Pſal. dicens, *Secundum altitudinem cœli à terra corroborauit Deus misericordiam suam super timentes se.* Quasi diceret, iuxta S. Aug. Idem nobis misericordiam Dei præstare,quod cœlú vniuersæ terræ. Sed secundum cœli altitudinem dicit,vt ostendat, quia non solum super iustos, sed etiam super peccatores se extendit; sicque nobis idem præstare atque cœlum vniuersæ terræ. Attende,quia cœlum vbique est, atque vndique protegit terram;& nulla est pars terræ quæ non protegatur cœlo: sic diuina misericordia peccatorum protectio est. Ad Roman. *Sustinuit in multa* D *patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ,* &c. Ita vt nihil inueniatur quod non experiatur misericordiæ eius effectum. Sicut enim natura non patitur vacuum,sic est de misericordia quæ vbique inuenitur, in gloria, in gratia, & in natura: si enim motus est pes meus, misericordia tua adiuuabat me: in cœlo, in terra, etiamque in inferis, in Angelis, hominibus; adhuc etiam in damnatis, qui citra condignum puniuntur, vt docent Theologi: non enim infernum suum infinitum habent in pœna,sed solum in temporis duratione, vnde hæc veritas semper valet, quod non penitus priuantur diuina bonitate & misericordia. Cœlum vtique est misericordia Dei, quæ omnia vndique protegit. Cœlú E alterationibus non subiacet, nec inueteratur ex tot labentibus annis, firmum stat, neque impeditur vaporibus terræ quominus semper in eum benignè diffundat suas influentias. Ita Dei misericordia continuò in peccatores se diffundit, licet ipsum offendant,non minuitur nec alteratur alterationibus nostris, sed semper agit in nos, vnde sic dicit S. Aug. eadem cœli similitudine sumpta. Peccant homines sub cœlo, & tamen proteguntur à cœlo; inde enim lux ad oculos, inde aer & spiritus: sic diuinæ misericordiæ cœlum non cessat misericorditer in corda peccatorum influere quantumcunque offendant. Licet enim peccemus, illa Dei misericordia lucere præstat, dicente Iohanne, *lux in tenebris lucet,& tenebræ eam non comprehenderunt.* Licet peccemus, per

Pſ. 102. *Misericordia Dei cóparatur cœlo.* Rom.9. S.Augusti.in Pſal. 102. Ioh.1.

A ipsum respirat anima:ita Dauid, *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Licet denique peccemus, per ipsam reficimur,ne concupiscentiæ ignis consumat nos:ita Ieremias; *Misericordiæ Dei quod non sumus consumpti.* Docet Aristoteles,mundum hunc inferiorem contiguum esse lationibus supernis, vt inde tota mundi machina gubernetur: cessante enim motu cœli ait iste philosophus; in momento omnia illa inferiora cessarent,& interirent. Ita est de diuina misericordia, quæ si ad momentum suos contineret influxus, & iusti,vt peccatores,omnes simul deficerent,vt cognoscatur quia cœlum est quod omnia protegit. Quia denique illa est virtus & qualitas in Deo quæ B facit omnia, quæ nos creat, conseruat, lapsos subleuat,errantes requirit,& venit quærere,& saluum facere quod perierat:& quia,vt paucis omnia comprehendam, misericordia Dei est, per cuius viscera nos Dei filius visitauit oriens ex alto. Ecce visitatio magnifica, & prima via singularis, vbi misericordia facit,vt vnigenitus Dei de sinu patris oriatur in vterú virginis, & simul propter nos in cœlis maneat & in terris. Ecce igitur in quo nobis occultæ sunt eius infinitæ dimensiones,& nomen viscerum, primo illi attribuitur. Hoc enim simplex absconditum & inexplicabile remanebit,vt tantæ maiestatis Dominus de summis cœlorú ad carnis nostræ susceptionem descenderit, per viscera equidem misericordiæ Dei no- C stri,in quibus visitauit nos oriens ex alto.

Pſ.17. Thren 3. Meteor. 1. *Misericordia in Deo omnia facit.*

Secundò vt per hoc etiam magis innotescat nobis quàm nunc sit Christo intima, propria, & naturalis misericordia, ex quo carnem diuinitas assumpsit & viscera capacia doloris, ita vt etiam nostra carne assumpta, quod imperfectionis misericordiæ erat, susceperit, scilic. compassionem, &c. In misericordia tria inueniútur, in vno miseria; in altero verò potestas liberandi,& compassio,seu videre miseriam alicuius, posse liberare,& compati. Duo priora conueniunt Deo, sed non tertium, Deus enim optimè miseriam nostram videt, & quidem nos ab ea liberat, sed non compatitur illi. Hoc enim imperfectum minimè in Deum cadere potest. Christus autem se- D cundum omnem suam conditionem, habere illam voluit, etiam imperfectionem eius,quæ est compassio, vt nihil penitus illi deesset. Et hoc est quod Zacharias dicit, nos visitasse per viscera misericordiæ suæ,nostra scilicet carne assumpta. Quod clarè Apostolus explicauit ad Heb. dicens; *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: quoniam & ipse circundatus est infirmitate,vt condolere possit iis qui errant.* Igitur carnem nostram induit Christus, vt per eam miseriarum nostrarum particeps factus nos liberaret citius ab eis, & ampliora misericordiæ suæ officia reciperemus: *Vidi afflictionem populi mei,& clamorem eius audiui,& sciens dolorem eius descendi vt liberem eum.* Qua via descendit? E vtique misericordiæ, quæ Deo propriissima est & naturalis; vt etiam in prima requisitione hominis peccatoris videre est, quæ ab initio mundi in Adam facta est,cui semper plus misericordiæ Deus ostendit & fecit quàm iustitiæ:offendit ille, & eum vocat Deus ambulans ad auram post meridiem. Certè omnia hic misericordiam demonstrant: maximè verò quod ipsum vocat; hoc enim illi signum erat, vt euaderet iustitiam, & misericordiam adiret in auxilio opportuno. Optimè hanc adinuentionem Dei nouerat Dauid cùm ait; *dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui.* Hic sumit similitudinem omnino contrariam intentioni venatoris, qui conatur occidere prædam: vt capiat eam non solet clamare,sed vt videt, tacitus

Nomine viscerum intelligitur quàm sit intima & naturalis Christo misericordia. *In misericordia tria inueniuntur.* Hebr. 4. & 5. Gen.3. *In prima requisitione Adam peccatoris agnoscitur Dei misericordia.* Pſ. 59.

iaculatur sagittam. Alio autem prorsus modo vtitur A Deus: ille clamat qui prædam interimere non vult, ipso dicente, *nolo mortem peccatoris*. Clamat quidem vt fugiat Adam à facie arcus, &c. Huius rei admodum pulchræ sunt visiones & figuræ in Apocal. vbi cap. 8 refert S. Iohan. Deum cùm vellet vlcisci iniurias sibi illatas, statim misisse nuncium velocem instar Aquilæ, qui de instanti pœna peccatores admoneret, & vt supplicia parata euitarent; *Audiui*, inquit, *vocem vnius Aquilæ dicentis voce magna: væ, væ, væ habitantibus in terra.* Et cap. 16. alia visio similis est, & bellè congruit, vbi videt septem phialas plenas ira Dei dari Angelis, vt effunderentur in terram. Quare phialæ dantur potiùs quàm alia vasa? Aptè B equidem, vt significaretur misericordia: nam cùm ex illis liquor effunditur, tenuis rumor auditur, neque adhuc statim totus liquor effunditur, sed pedetentim & guttatim; maximè verò si orificium sit angustum. Ita est de Deo, cuius proprium est misereri semper, adeò certè est procliuis ad veniam, vt licèt punire sit paratus, semper tamen vox eius misericordiæ prius audiatur, & non nisi guttatim liquor furoris effundatur; ita vt etiam cùm punit flere videatur. Genes. 6. huius rei exemplum est. Videns Deus quod cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum; *tactus dolore cordis intrinsecus, delebo*, inquit, *hominem quem creaui à facie terræ: pœnitet me fecisse eum.* Quæ verba explicans Origenes dicit. Nónne lu- C gentis est illa vox, *pœnitet me*? vnde S. Ambros. hexam. 10. dicit, ita Deo propriam misericordiam esse, vt peccata dimittendo recreetur. Fecit, inquit, cœlum, & non lego quod requieuerit: fecit terram, & similiter non lego quod requieuerit; sed lego quod fecit hominem, & tunc requieuit. Quare? quia habebat cui dimittere poterat. In hoc enim est gaudium & requies Dei, si facere alicui misericordiam possit: & hinc certè est quod Apostolus Deum appellet diuitem in misericordia.

Figuræ Apocal. 8. & 16.

Gen. 6.

Origen.

S. Ambros.

Interim ex prædictis satis possumus aduertere, semper cum misericordia Dei aliquid extitisse iustitiæ & iræ, nec ante incarnationem, sicut post, perfectam & completam fuisse misericordiam. Postquam enim incarnatus est Dei filius, etiam totus miseri- D cordia factus est, & sic à Propheta passim expetitus qui sæpius dicit, fiat misericordia tua vt consoletur me: fiat misericordia tua super nos: & iterum, ostende nobis misericordiam tuam, & salui erimus: Quid quæso toties postulat Psaltes, nisi Christum, qui totus misericordia est? Eius persona misericordia est, & talis, vt etiam imperfectionem eius induere voluerit nostra carne assumpta, nihilque ei desit, sed eam secundum omnes suas conditiones habeat. Aduentus eius etiam misericordia est, neque enim venit, nisi vt eam erga nos exerceret. Denique via & prima via qua descendit, adhuc misericordia est, sicut Zachar. dicit, per viscera misericordiæ nos visi- E tasse. Atque inde equidem vt per eam viam primò veniret ad nos, clamauere Prophetæ. Et mihi certè videtur, quod mundus illud expertus est, quod de sole docent astrologi: cùm moratur in signo leonis, inquiunt, ardore suo comburit vniuersam terram, sed cùm est in signo virginis eam refrigerat & fœcundat. Ita ante incarnationem Deus zelotes erat & vlciscens iniurias, sicutque leo rugiebat aliquando non parcens iniquitati: sed cùm inuentus est in signo virginis, mansuetus factus est & agnus, Saluator, & non vltor dominus. Ipsa enim virgo est, de qua natus est IESVS qui vocatur Christus. Eamque ob causam dicitur Oriens ex alto nos visitasse per viscera misericordiæ suæ, vt non solùm sicut

Christus Iesus totus misericordia est.

Luc. 1.

Deus videndo miseriam nostram nos liberaret, sed etiam vt homo illi compatiens: Sicque secundum omnes misericordiæ rationes miserator fieret & misericors dominus, quæreretque hac via, & saluum faceret quod perierat.

DE VIA VERITATIS.

Vidi afflictionem populi mei, & descendi. Exod. 3.

INfinitæ sunt viæ quibus Dominus noster IESVS Christus in hunc mundum venire dignatus est: de iis loquens Dauid, duas tamen tantùm commemorat, misericordiam & veritatem, dicens; *Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas.* Verùm cur de istis duabus tantùm loquatur & mentionem faciat, in hisque omnes alias includat, difficultas postulat rationem. Illa autem talis est, quia virtutes sunt primariæ & vniuersales; misericordia enim se extendit ad omnia vt iam notauimus: veritas verò quod Deus promisit decreuitque facere, exequitur. Item quia absque meritis nostris Christus venit, & ecce misericordia: & quia etiam ex promissis venit, ecce veritas. Vnde & nos ab illis duabus incipere volumus, & suscipere laborem itinerarij nostri, vt faciliùs postea in nonnullis quæ post illas sequentur, commoremur. De misericordia itaque iam locuti sumus: nunc verò de veritate loquamur. Sicut enim & in promissione filij Dei, misericordia fuit, ita & in dono seu executione est veritas. Quare alibi dicebat ille Propheta, quia *misericordia & veritas obuiauerunt sibi*, in [illegible]tione scilicet promissorum Dei: promiserat [illegible] missurum & daturum filium, & filius veniens [illegible] promissum patris, viam veritatis elegit quando sic nos misericorditer visitauit: hic certè non seiungitur à misericordia veritas, quia quando venit per hanc viam veritatis, etiam *apparuit*, vt dicit Apostolus ad Tit. *benignitas & humanitas Saluatoris nostri, qui non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Adeò vt sicut pro nobis totus misericordia factus est, ita totus veritas. Iuxta quod dicit, *Ego sum via, veritas, & vita.* Et sic quia veritas sum, ideo viam veritatis elegi, ad hoc scilicet vt impleam per aduétum meum in carne, quod promisi hominibus, iuxta illud Psaltis, *Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita*, id est, quæ promisi per os Prophetarum, complebo. Quare quia, inquit Psaltes, *fidelis Dominus in omnibus verbis suis*; vnde quod promisit ex misericordia, cum veritate tenebit. Sancta virgo illud optimè cognouerat in suo Cantico dicens; *Suscepit Israël puerum suum recordatus misericordiæ suæ sicut locutus est ad patres nostros.* videbatur olim Deus oblitus generis humani ex ira peccati primi hominis, sed tandem pietate & misericordia victus, eius recordatus est, scilicet promissionis suæ quam misericorditer fecit patribus nostris, quod Israëlem seruum suum in gratiam susciperet, defensionem & libertatem: *vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & sciens dolorem eius descendi vt liberem eum.* Qua via descendit? veritatis. Multis modis olim promiserat Deus filium suum venturum in mundum, vt saluaret ipsum, etiámque cum iuramento, quod quidem ita Abrahæ & Dauid factum est. Primò Abrahæ; *per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicā sibi,*

Psal. 14.

Quomodo misericordia & veritas vniuersæ viæ sunt Domini.

Ad Tit. 3.

Psal. 88.

Luc. 1.

Promissa de Christo venturo cū iuramento primò facta Abrahæ.

Gen. 22. *tibi, multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ*; vnde Apostolus ait: Gal. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius*, videlicet in Christo IESV; vt expressè ibi notat Apostolus, qui quidem illi cum iuramento promissus fuerat, vt expressiùs notauit Zacharias dicens: Luc. 1. *Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis*, &c.

Secundò facta Dauidi. Secundò Dauidi eadem promissio etiam cum iuramento facta est, Ps. 88. *semel iuraui in sancto meo si Dauid mentiar*, id est, non mentiar illi, sed fidelis ero, *semen eius in æternum manebit*. Dicit, *semel iuraui*, quia eadem prorsus est promissio & cum eodem penitus iuramento, Abrahæ & Dauidi facta de Christo venturo. *Eadem fuit promissio facta Abrahæ & Dauidi.* Sicut enim præuidit Deus Christum ex Abrahæ semine nasciturum, ita etiam per quæ media ordinauit, nempe de Abraham per Isaac, Iacob, Iudam & Dauid: & sic in eo quod iurauit Abrahæ, idem & ipsi Dauid iurauit: Quare dicit, *semel iuraui, non mentiar Dauid: semen eius in æternum manebit*, videlicet Christus qui æternus est. Et iterum; *Iuraui Dauid seruo meo, vsque in æternum præparabo semen tuum*. Et in alio loco; Ps. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Quod quidem impletum est in Christo, de quo Angelus virgini quæ de domo Dauid erat, sic est loquutus; *Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regni eius non erit finis*. Hinc igitur rationes, cur postea illa Dei genitrix virgo recordata promissionum quas impleri videbat, dicebat, *suscepit Israëlem puerum suum recordatus misericordiæ suæ, sicut loquutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius*, videlicet Dauidi, qui hæc antè prædixerat dicens; Ps. 97. *Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israël*: præuidens enim ille Domini aduentum futurum iuxta promissiones, idem planè dicebat quod virgo postea quæ ipsum præsentem videbat.

Cur apud Lucam præit Dauid ante Abraham. Verùm hic egregia & curiosa quæstio [illegible] de Abraham & Dauid, quod Luc. 1. [illegible] loquens de illis duobus patribus, quibus [illegible] ter facta fuerat eiusmodi promissio, de Dauid priùs mentionem facit quàm de Abraham. Licèt ordine temporis, successionis & promissionis, Dauid sit posterior. In hoc certè non minimum declaratur mysterium, scilicet quod Abrahæ Ecclesia promissa est, & in Christo benedictio eius, *multiplicabo semen tuum, & in semine tuo benedicentur omnes gentes*: Dauidi verò Christus ipse promissus est; *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Quare, quia plus est promissum accepisse de Christo, quàm de Ecclesia quæ est per Christum, & ille potior est qui saluat, eo omni quod saluatur; propterea licèt Dauid Abrahamo fuerit posterior ordine successionis, prior tamen fuit illo ordine descriptionis, quatenus ipsum dignitate præcedit. Indeque est quod tantopere ac toties gestit Deum laudare, atque ipsius misericordiam & veritatem super se extollere dicens; *Recordatus est misericordiæ suæ & veritatis suæ domui Israel. Notum fecit Dominus salutare suum*. Quasi diceret: non iam obliuiscetur misereri Deus, nec amplius continebit in ira sua misericordias suas, quia filium suum incarnandum misericorditer promisit, & quod promisit, fideliter obseruabit, quia veritas est. Hoc autem domui Israël promisit, id est, fidelium. Primò quidem Iudæis, deinde verò gentibus: vno verbo omnibus promisit. *Tertiò omnibus facta est promissio de Christo venturo.* Iuxta quod etiam pro omnibus venit, & non tantùm pro vno; *Vidi afflictionem populi mei, & descendi*. Vnde dicit Esaias, Isa. 42. 45. *Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ. Dominus sicut fortis egredietur, vt saluator, propè est vt veniat tempus eius, & non elongabuntur dies eius; saluabit enim Dominus Iacob, & Israël saluabitur*;

A id est, omnis fidelis & videns Deum. Item; *In memetipso iuraui, egreditur de ore meo verbum iustitiæ*. Qua via egredietur? veritatis. *Ordo itinerarij Christi.* *In memetipso iuraui*. Sed quomodo egredietur? Cap. 7. dicitur; *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, &c. Sed quis erit ille qui egredietur? legitur cap. præcedenti, vóxque auditur Domini dicentis: *Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi*, ego videlicet qui fui promissus, & sum veritas patris; *Ecce ego, mitte me*. Viam veritatis elegi: & dixit, vade, fiat sicut promissum est, misericordiámque patris exequatur veritas, filius per suum aduentum quod pater promisit. Sic promissum agnouerat Iacob, dicens filiis suis, *non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est*; Gen. 49. *Silo*, mittendus; vnde postea Moyses clamare cœpit ad Deum; Exod. 4. *Obsecro Domine mitte quem missurus es*: B Et Dominus misit. Promissiones enim sequutæ sunt desideria Prophetarum, & expectationes: & post hæc veritas venit. Ecce igitur ordo. Quia ex Dei misericordia Christus fuerat promissus, inde etiam desideratus est, expectatus, expetitus; ac tandem iuxta veritatem missus & datus. Sic Aggæus; Aggæi 2. *Mouebo cælum & terram, & veniet desideratus cunctis gentibus*. Ita similiter Iacob, de quo iam suprà: *Salutare tuum expectabo Domine*. Vnde quæso illa spes? ex veritate in promissis; sicut enim ex misericordia promissa fuerunt, ita ex veritate seruata, iuxta quod dixit Propheta, Ps. 84. *misericordia & veritas obuiauerunt sibi*, scilicet, in incarnatione verbi: sic enim statim sequitur; *Veritas de terra orta est*. Illa inC quam veritas, quæ nec falli, nec fallere potest; illa veritas quæ de seipsa dicit, *Ego sum via, veritas & vita*. Illa veritas quæ de Maria virginali terra orta est, & cuius etiam omnes viæ sunt veritas. Rursus: Psal. 118. *Propè es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas*: propè equidem est qui per carnem nobis coniunctus est, propè qui statim quod promisit, veritate impleuit, propè qui statim vt vidit afflictionem populi sui, & clamorem eius audiuit, in auxilio opportuno affuit illi. Quia enim non venerat subitò, sed aliquandiu suum aduentum distulerat, clamores, vt iam notauimus, audiri cœperunt: & Moyses quidem pro omnibus, Num. 20. Num. 20. *Domine Deus audi clamorem populi huius, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ, vt satiati cesset murmuratio*. Ecce impleta veritas, & exauditio. D *Loquimini ad petram*, dicit Dominus, *& illa dabit aquas*. Quænam quæso est illa petra? vtique Christus, de quo sic Apostolus; *bibebant in deserto de spiritali consequente eos petra: (petra autem erat Christus.)* *Christus petra & fons.* omnium fons aquarum viuentium, vitæ, atque misericordiæ. De illa petra consequente Israëlitas in deserto, olim Deus dederat aquas: nunc autem istud per suum proprium filium facit fontem viuum. *Loquimini ad petram*. Quis obsecro, iste est loquendi modus? capáxne est petra vt ad eam sermo dirigatur, nisi per eam ille significaretur, qui fons vitæ venturus est. Memor enim Deus misericordiarum suarum, atque promissionum antiquarum misit, & direxit ad nos hunc fontem filium suum, & dixit ei quod in Prouerb. scriptum est: Prou. 5. *Deriuentur, fili mi, fontes tui foras: & in plateis aquas tuas diuide*. E Cui ille obediens dixit quod scriptum est in Psalmis de se; *In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei; ecce enim viam veritatis elegi, & legem tuam non sum oblitus*. Ideo fontes misericordiæ tuæ aperiam, vt in omnes deriuentur foras. Ita venit, & ita fons patens extitit domui Iacob, & omnibus habitantibus in Hierusalem, id est, Ecclesia: quando videlicet venit quærere peccatores, & saluum facere quod perierat. *Vidi afflictionem populi mei, & descendi*, &c. quando vt verus

Samarita

Samaritanus Euangelij misertus vulneribus nostris A descendit, liniens ea oleo misericordiæ suæ, alligans nexibus charitatis, & clamans; *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Quando denique & ipse passus est vulnerari pro nobis, patefaciens nobis istum puteum altum misericordiæ patris, & suas diuidens aquas singulis per illas quinque plagas maiores, quas in nostra carne assumpsit. Ita vt nunc accedere, & aperire os sufficiat: loquimini ad petram, & ipsa dabit aquas. Audite quomodo illa clamat; *Si quis sitit, veniat ad me.* Et alibi non solùm sitim, sed etiam famem promittit extinguere, *venite ad me omnes, ego reficiam vos.* Etenim simul fons & panis est: *Qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet in* B *æternum.* Non esuriet; *Ego enim sum panis vitæ,* &c. Non verò sitiet, quia *aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Hanc certè aquã mulier Samaritana accedens ad IESVM & petens inuenit: alia etiam Chananæa panem inuenit.

Ioh. 7. — *Matth. 11.* — *Ioh. 6.* — *Iohan. 4.* — *Matth. 15.*

Nos igitur accedamus sic ad eum; sed illarum ad instar mulierum per viam veritatis. Nam via illa est qua Christus venit ad nos: vias tuas, Domine, demonstra mihi. Vultis has scire? Et omnes viæ meæ veritas, *viam veritatis elegi.* Audiant quæso, qui obuiam Christo ire cupiunt; via Dei ad nos veritas fuit, ita hominis ad eum erit. Sed quid nobis erit illa via veritatis? vtique propriæ nostræ miseriæ atque indigentiæ cognitio, & peccatorum confessio. Ita Psalm. C *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte Sancto tuo? Qui loquitur veritatem in corde suo.* Ille certè veritatem loquitur in corde qui suam miseriam agnoscit, & interius conteritur: ille in ore, qui confitetur: gestat verò in manibus qui bona opera exercet, & satisfacit omnibus. Ecce igitur Dominus venit; & propè est. Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro: *Vidi afflictionem populi mei, ait, & clamorem eius audiui, & sciens dolorem eius descendi vt liberem eum.* Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei; propè est, & dies eius non elongabuntur. Ecce mox audietur, & nunc est vox clamantis in deserto; D *parate viam Domini, & rectas facite semitas eius.*

Via veritatis ad Deum est confessio peccatorum.

DE VIA IVSTITIÆ ET diuinæ rationis, cur filius, & non pater, aut Spiritussanctus venit.

Vidi afflictionem populi mei, & descendi. Exod. 3.

Ego vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini. Ioh. 1.

NOn sine ratione magnus noster præcursor Christi hodie vox appellatus est: vox denotat eius præsentiam cuius illa est. Vox autem non erat absolutè Iohannes, sed vox clamantis. Clamans noster Christus est verbum patris, cuius præsentiam Iohannes vt illius vox indicat; omnes alij Prophetæ nuncij quidem Messiæ fuerunt, sed non vox, vt Iohannes: hinc est quod non ipsum indicarunt, sicut ille. Cùm videmus & audimus nuncios alicuius A principis, non dicimus statim principem adesse, sed si vocem eius audimus, ipsum præsentem esse inferimus, & dicimus quia ibi est, nec longè à nobis. Ita est Iohannes, qui vt vox verbi Christum manifestat de propinquo, dominum præcursor; *Dirigite viam Domini, veniens veniet, & non tardabit; ecce enim iam auditur vox,* &c. Nunc ergo dicamus quid sit vox. Declaratio est conceptus nostri, seu manifestatio verbi mentis. Ecce autem Iohannes vox est, sed verbi æterni & conceptus patris; quia ipsum ostendere venit, declarare, manifestare, & dicere omnibus; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare, dixit mihi; Super* B *quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritusancto; & ego vidi, & testimonium perhibui quia hic est filius Dei: Ego vox clamantis in deserto; dirigite viam Domini,* &c. Quia verbum erat manifestatio patris, pater de eo testimonium dedit, & clamauit in aquis. Marci 1. *Vox facta est de cælis; Tu es filius meus dilectus:* in monte, cap. 9. & Matth. 17. *Ecce vox de nube dicens; hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Et ecce hodie Iohannes dicitur vox clamantis, scilicet patris, quia de filio eius nobis dare testimonium venit, & ipsum manifestare: vox dulcis & suauis valde nostris auribus, quæ Christum annunciat nobis, & simul clamat vt viam eius præparemus. C Fortè illa vox erat quam tantopere sponsa audire cupiebat dicens; *Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis.* Ecce vox dulcis; *dirigite viam Domini.* Ecce in ore & in aure melos, iubilúsque in corde: *rectas facite semitas eius.* Ecce sonus vniuersum orbem replens gaudio; *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini,* &c.

Quid sit vox. — *Iohan. 1.* — *Pater testimonium dat de filio, qui ipsius est manifestatio vt verbum.*

Sed quis ille est adhuc potissimùm clamans, cuius [illegible] nnes dicitur? Equidem in diuinitate filius [illegible] per quem omnia facta sunt, & prædicant [illegible], qui in se vt verbum, & extra se vt principium est notitia Diuinitatis. Et certè ab æterno vt verbum, similitudo est patris, eius notitia & manifestatio, talisque in se, & per se semper manet. In tem- D poris autem initio eadem adhuc fuit declaratio Diuinitatis in creaturis, de quo omnes vt de suo exemplari & principio exierunt. Quid enim est creatura vniuersalis, nisi vox quædam Dei quæ ipsum publicè annunciat? *Cæli enarrant gloriam Dei, &c.* Nouissimè verò, & in nostrorum plenitudine temporum voluit in carne per seipsum notitiam Dei dare, quando humana voce & clamoribus nostræ carnis omnia quæ audiuit à patre, nota fecit nobis. Vnde clamare cœpit nascendo, & desiit moriendo, cœpit in stabulo, desiit in patibulo, cœpit inter animalia & brachia matris, & desiit inter latrones, & manus iustitiæ patris. Adeò vt antè semper & sine intermissione in deserto mundi huius clamauerit, prædicando sic enim le- E gitur; *Clamabat IESVS in templo docens.* Resuscitando; sic iterum, IESVS *magna voce clamauit; Lazare veni foras.* Item. *Adolescens tibi dico, surge.* Sanando infirmos, mutos & surdos; & denique vocando omnes ad se. Ita vt etiam in monte Caluariæ clamando expirauerit; IESVS *clamans voce magna emisit spiritum, expirauit,* &c. Ad montes & deserta dimittitur filia Iephte vnigenita, vt ibi plangat virginitatem suam cum sodalibus suis, & deserta ista circumiens clamoribus suis & lamentis repleat, quousque expleto tempore ad patrem reuersa, offertur in holocaustum Domino pro victoria illi concessa. Ita Christus vnigenitus Dei filius in huius mundi desertum missus est, vt ibi vitæ suæ morti offerendæ innocentiam & meritum ploret, & cum sodalibus suis, id est, Apostolis

Filius vt verbum, & principium rerum propriè clamãs dicitur, maximè verò vt homo. — *Ioh. 7.* — *Ioh. 11.* — *Luc. 7.* — *Matth. 27. & Luc. 23.* — *Iud. 14.*

Quomodo Iohãnes dicitur vox clamantis.

Apostolis & domesticis, per castella & ciuitates circumiens vniuersum orbem suis diuinis clamoribus repleat, quousque etiam definito tempore expleto, eam diuinam vitam inter manus patris, clamando, expirauit. Marci 15. *Emissa voce magna expirauit. Clamans voce magna emisit spiritum.* Ecce IESVS clamans, Iohannes autem vox clamantis. Clamans equidem Christus fuit, talisque à Prophetis agnitus est. Apud Ieremiam dicit pater ad eum: *Ascende Libanum, & in Basan da vocem tuam, & clama ad transeuntes.* Et nunquid in cruce ipsum clamantem audistis? Et nunquid dicit Apostolus? *Accessistis ad mediatorem testamenti noui IESVM, & sanguinis aspersionem melius loquentem,* melius clamantem, *quàm Abel.* Ecce clamor; *pater ignosce illis. Terra terra, terra, audi clamorem,* audi sermonem, *Domini,* &c. *Locutus sum ad te in abundantia tua, & dixisti, non audiam.* Terra audi clamorem Domini. *Hæc est via tua ab adolescentia, quia non audisti vocem meam.* Terra audi clamorem Domini.

Ierem. 22.

Hebr. 12.

Hinc iam occasionem sumimus quærendi, cur potiùs filius venerit quàm pater aut Spiritussanctus. Ex iam dictis aliqua certè ratio dari potest: nimirum quia vt verbum, est notitia patris, & sic ad ipsum præsertim clamare pertinet, vnde & Iohannes eius præcursor dictus est vox clamantis. Verùm maiores nos hic rationes expectant, cùm certum sit ex S. Thom. sicut filium, hominem fieri potuisse patrem & Spiritumsanctum: eo quod omnia, sicut filius, requisita habent ad assumptionem nostræ humanitatis. Quæ scilicet tria sunt: virtus, principium, & terminus assumptionis. Illa autem tria tribus personis communia sunt. Virtus enim naturam; principium verò & terminus respiciunt suppositum, cuius est agere & terminare. Vnde cùm in tribus eadem penitus sit natura & diuinitas, & eadem quoque communis ratio personalitatis in tribus; quælibet enim persona est, poterunt certè cuilibet naturæ vniri quæ capax sit eiusmodi vnionis, quia ex se habent vt eam possint assumere & terminare. Quod cùm ita sit, iam demonstrandæ sunt rationes, cur igitur potiùs filius homo factus est quàm pater aut Spiritussanctus.

Quæstio, & rationes cur potiùs filius venit quàm pater aut Spiritussanctus.

S. Thom. 3. p. q. 3. art. 1. & 2.

Tria requisita in Deo ad assumptionem nostræ carnis.

Prima ratio. Omnium prima ad voluntatem & beneplacitum Dei referenda est, qui liberè agit in omnibus operibus suis, vt hic diuina eius adoretur Majestas, & non præsumamus vltrà introire in potentias Domini: sicut enim disposuit & voluit, sic fecit; sacramentum occultum est.

Secunda. Secunda, & inter conuenientiores prima est, vt magis innotesceret hominibus virtus & Sapientia Dei; quod quidem in scriptura fundatur, quæ filio hæc diuina attributa per appropriationem attribuit; sic enim Paul. ad Corinth. Christum virtutem & sapientiam Dei appellat; vnde S. Damasc. conformiter dicit, quia in mysterio Incarnationis manifestata est præsertim sapientia & virtus Dei. Sapientia quidem, quia difficillimi pretij solutionē inuenit quam decentissimam, cùm nimirum qui offenderat, in Deo soluit qui in se minimè poterat. Breuiter hoc iter iustitiæ, in qua summa sapientia relucet, explicabimus. Deus per peccata infinitè læsus fuerat, nec ei vnquam satisfieri poterat, nisi per personam infinitæ dignitatis, & cuius tales essent actiones. Præterea ipse qui offenderat, ex iustitia satisfacere, & non alius debebat: offendens autem homo erat, & offensus Deus. Homo ergo, & non alius ex iustitia Deo satisfacere debebat. Quisnam ergo erit modus? Iste equidem: Deus fit homo, vt ex iustitia homo satisfaciat Deo. Ecce in quo innotuit hominibus summa sapientia Dei, quando ille qui in Deo sapientia Dei est, scil. filius, factus est homo, vt plenissimè pro homine satisfaceret Deo: factus est IESVS, id est, saluator, factus est & Christus, id est, omni gratia vnctus; cuius etiam actiones infinitæ dignitatis, infinitam hominis offensam reparare possent. Valor atque dignitas actionum, multis aliis circumstantiis omissis, vt loci, temporis, &c. præsertim ab illis quatuor petitur, scilicet personæ operantis. Circumstantia enim personæ in actum descendit; talisque ac tantus est, qualis & quanta est persona; vnde si regia est persona, regia etiam erit actio. Secundò à circumstantia personæ, in quam tendit actio, vt, ministrare Regi admodum honorabile est. Tertiò, à circumstantia finis. Quartò denique modi. Hæc sunt autem quæ satisfactionem & actiones Christi pro nobis apud Patrem circumstant, atque dignificant: persona enim dignitatis est infinitæ, non solùm quà Deus & verbum, cuius quidem dignitas vt sic est in omni genere infinita, sed etiam quà homo, scilicet homo deificatus, & particeps istius infinitæ dignitatis quæ est in supposito: vnde tanta est eius actio, quanta est persona. Secundò persona, cui seruit & exhibet honorem, Deus est. Tertiò finis est reparatio diuinæ læsæ Majestatis, & totius mundi redemptio. Quæ omnia infinitatem demonstrant. Quartò denique in modo adhuc reperitur infinitas, qui est singularis & infinita Christi dilectio: siquidē illa fuit quæ ipsum, vt veniret, impulit. Eius charitas fuit & compassio, quæ via fuit qua ad nos misericorditer descendit. *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum.* Ecce igitur in iustitia virtus & sapientia Dei, quæ per Christum vincentem inimicum, & satisfacientem pro hominibus Deo patri, nobis in incarnatione sua apparuit, & fuit causa cur ipse, & non pater, aut Spiritussanctus venit.

S. Damasc. lib. 3. c. 1.

Explicatur quo pacto sapientes diuinæ iustitiæ satisfactum est.

Vnde petitur valor actionum.

Tertia sumitur ex motiuo & origine peccati. Homo inordinatè similitudinem Dei appetendo peccauerat. Genes. 3. callidior serpens suadens primis parentibus, vt de ligno vetito comederent, dicit illis, *eritis sicut Dij.* Nequam iste & superbus spiritus proponit illis & obiicit similitudinem Dei. Quare decebat, vt per eumdem qui similitudo Dei erat, scilicet filium, repararetur genus humanum: sicque ad maiorem confusionem hostis similitudo Dei perfectior redderetur homini, quam ille nequiter auferre tentabat.

Tertia ratio cur filius venit, & non Pater, aut Spiritussanctus.

Omissis aliis multis rationibus, quas alio in loco dicemus, hanc solam hodie explicabimus, eòque libentiùs quod eam fusissimè explicat S. Bern. sermone de Adu. Ionæ similitudine sumpta propter quem in mari tempestas orta est. Ita enim propter Christum, dicit, in cœlo & in terra tempestas orta est. Vnde ille, sicut alter Ionas dixit Trinitati, mitte me. Comparatio certè valde conueniens, vt videamus hic quàm congruum fuerit vt filius, & non pater, aut Spiritussanctus ad liberandum nos venerit, iuxta verba nostra Exodi 3. *Vidi afflictionem populi mei, & sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum.* Sic itaque dicit S. Bern. Lucifer videns pro eo quod Altissimi similitudinem vsurpare tentauerat, rapinam arbitratus esse se æqualem Deo (quod vtique filij est, illicò se præcipitatum, quoniam zelauit pater pro filio, dicens, mihi vindictam, & ego retribuam: miser ille inuidens homini, quam conceperat in se, in eo peperit iniquitatem; suadens primis parentibus vt lignū scientiæ boni & mali gustarent, dicens, eritis sicut Dij. Inobedientes illi mandato Dei, socij istius furis fuerunt, & pater non dissimulauit iniuriam filij: sed

Similitudo Ionæ à S. Bernardo explicata ser. 1. de Aduentu.

continuò

A debita reparet, quam nec potest. Qui enim Deum offendit, homo soluendo non est: neque etiam habet vnde reparatione assequatur suum finem. Quid igitur facto opus est? certè vt ipse Deus offensus de solutione nostra cogitet. *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & descendi*, &c.

Quomodo impediri & frustrari sit potuit per peccatum cõsilium Dei erga hominẽ.

Itaque ipse Deus, ô peccatores, admirabili sapientiæ suæ consilio fecit, vt, iuxta Apostolum, pro nobis factus maledictum, id est, particeps pœnarum nostrarum & afflictionum, ita etiam nostra fieret iustitia, atque redemptio, delendum suscipiens in se chirographum nostræ damnationis. Hæc via fuit nostræ reparationis in suo aduentu carnis. Sic Apostol. *Vos estis in Christo* IESV, *qui factus est nobis iustitia, sapientia, redemptio, & iustificatio*, &c. Vnde ad Roman. idem Apostol. incarnationem nuncupauit diuinæ iustitiæ opus, dicens quod IESVM Christum proposuit Deus *propitiationem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ*.

1.Cor.1. B

Rom. 3.

In vel misericordia cadit, in Deum iustitia.

Multa quidem de misericordia diximus, & de iustitia etiam aliqua, sed non obliuiscemur dicere, & agnoscere quia in homines cecidit misericordia; in Christum verò iustitia, quando debita nostra quasi sibi propria effecit, vt etiam pro ipsis persoluere voluerit, mundo testificans quia copiosa est apud eum nostra redemptio: quia & ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius. C Hoc autem ita factum est, dicit S. Augustin. illa Psaltis verba explicans, *longè à salute mea verba delictorum meorum*, scilicet quando nostra delicta effecit sua, vt iustitiam suam, nostram efficeret: quâ nimirum ex rigore iustitiæ æterno patri satisfaceremus, &c. Ita doctissimus Rupert. in Matth. Quia satisfactionem pro culpa non nisi homo debebat, & non nisi Deus perficere poterat, Deus homo factus est, quatenus vnus Christus, & vt verus Deus ab homine exigeret, & vt verus homo persolueret; sicque apud Deum copiosa esset nostra redemptio. Cassiod. hæc verba explicans, in copiam pretij scil. sanguinis effusi oculos dirigit, eumque mundanti aquarum diluuio comparat dicens, quod ille pretiosus sanguis tantæ fuit virtutis, D vt veluti quoddam salutare diluuium, orbem vniuersum à suis sordibus expiare potuerit, ita vt etiam diceretur in horto, Luc. 22. sudor eius fuisse veluti guttæ sanguinis decurrentis in terram. O diluuium admirabile! ô abundantem iustitiam! sed ô copiosam apud Deum redemptionem! Bene copiosa, siquidem non gutta, sed vnda sanguinis quinque per partes corporis emanauit. Quod si in aquis vehementibus submersit Ægyptios: modò de latere fundit aquam, vt paradisi viam nobis temperet, vt mundet sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorũ operum. Psalmista dicit tantam fuisse copiã vnguenti effusi, quo vngebatur caput summi sacerdotis Aaron, vt ad extremas vsque oras vestimenti deflueret, & E videretur magis effusum ad vngendas vestes quàm caput ipsius. Ita dico de copia sanguinis Christi maximè effusi ad abluendam vestem eius, videlicet hominem, quem induit; & vt copiosam faceret redemptionem eius.

Lib.4. de diuinis offic. cap.36.

Effuso sanguinis Christi diluuio comparata.

Psalm. 132.

Sed quâ via, quæso, ad hanc redemptionem & iustitiam venit? vtique obedientiæ: hæc est quæ ipsum de cœlo attraxit in terram, & ipsum postea exaltauit in terra: Christus factus est obediens vsque ad mortem crucis, inquit Apostolus. Nostræ vtique redemptionis iter obeditio Christi fuit diuinis promissis patris, quorum executio in illa iustitia fuit: venit enim ad nos vt promissus, & impleuit voluntatem patris vt fidelis in omnibus verbis eius. Sic dicebat Iohanni in Iordane eum decere implere omnem iustitiam, suam scilicet obedientiam demonstrando, quæ est omnis iustitia. Et quæso paucis in obedientia iustitiam obseruate: per inobedientiam omnes de paradiso deiecti sumus & de gloria, Angeli de cœlo, homines de paradiso. Sic ergo per aliam viam & contrariam, scilicet obedientiam, regredi oportet. Quod quidem figuratur in tribus Magis Matth. 2. qui per aliam viam reuersi sunt in patriam suam: ita enim nobis per aliam viam ab ea qua egressi sumus de cœlo, redeundum est, scilicet per obedientiam: nam inobedientia fuit quæ nos de eo deturbauit. Quare in obedientia iustitia est. Et ita Christus per hanc viam venire voluit, vt ex iustitia rediret homo in patriam suam. Rom. 5. comparatio est; *Sicut*, inquit Apostolus, *per inobedientiam vnius hominis multi constituti sunt peccatores*, id est, omnes: *sic per obedientiam vnius*, scilicet, Christi, *iusti constituentur multi*. Hæc itaque via fuit quam tenuit veniens, vt ait per os Dauid: *In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui*. Voluit pater vt de cœlis descenderet ad salutem populi sui, & ecce ita promptè obediuit, vt in instanti ad nos descenderit factus homo. *Vidi afflictionem populi mei, & descendi*. Voluit pater vt desereret omnia, nostra tantùm paupertate indutus; & ecce Ierem. 12. factus obediens dicit, *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam*: adeò vt etiam in vita & in morte non habuerit vbi caput suum reclinaret. Voluit pater vt suum daret sanguinem, & ecce vix egressus est de vtero matris cùm iam cogitat de implenda voluntate patris; circumciditur puer, octo dies tantùm habens, & fundit sanguinem. Sed quid persequar? pater voluit vt totum corpus exponeret flagellis, genas & faciem opprobriis; & ecce dicit per Isaiam: *Corpus meum dedi percutientibus, genas meas vellentibus, & faciem meam non auerti à conspuentibus*. Denique voluit pater vt etiam vitam exponeret pro nobis; & ecce procedit obuiam illis qui quærebant eam, & dicit illis; *Quem quæritis? ego sum, sinite hos abire*: de me enim scriptum est, *dedi dilectam animam meã in manus inimicorum eius*; quousque obediens factus vsque ad mortem crucis expirando commendauit eam in manus patris. Ecce in morte & in vita obedientia Christi. Egressio & regressio eius fuit vitæ suæ comes, & animæ cibus perpetuus, sicut ait; *Cibus meus, vt faciam voluntatem patris*. Ecce via, mors, & vita Christi, & omnis etiam via nostra ad veram vitam.

Via contraria ad Deum est redeundum.

Figura.

In obedientia Christi est iustitia hominum.

Psal. 39.

Quæ fuit voluntas patris & quæ obedientia filij.

Isai. 50.

Ioh. 18. Ierem. 12.

Ioh. 4.

Vnum hic notandum est, quod Deus dederat Adamo duo alimenti genera ad vitam, vnum corporis, alterum verò animæ. Primum sic erat; *Ex omni ligno paradisi comede*. Secundum verò, & quod ad animam pertinebat, totum erat in obedientia & obseruatione huius præcepti & prohibitionis; *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: qua enim hora*, &c. Quid fecit Adam? Memor tantùm ille sui corporis curauit comedere; oblitus verò animæ suæ, neglexit illi cibum suum dare, factus transgressor præcepti, vnde & illam inobedientiæ delicto interemit. Quid igitur fecit Christus, qui venit resuscitare animas, & saluare? retulit illis alimentum vitæ suæ, scilicet obedientiam, dicens; Cibus meus, & hominum cibus, vt faciant voluntatem patris. *Ego descendi*, inquit, *non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me patris*. Quid dicis Domine IESV, voluntatem patris, cùm etiam & peccatorum hominum voluntatem feceris, qui

Genes. 2. *Duo genera alimenti data homini à Deo.*

Christus non solùm Patri, sed etiã peccatoribus obediuit.

debita reparet, quam nec potest. Qui enim Deum offendit, homo soluendo non est: neque etiam habet vnde reparatione assequatur suum finem. Quid igitur facto opus est? certè vt ipse Deus offensus de solutione nostra cogitet. *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & descendi*, &c. Itaque ipse Deus, ô peccatores, admirabili sapientiæ suæ consilio fecit, vt, iuxta Apostolum, pro nobis factus maledictum, id est, particeps pœnarum nostrarum & afflictionum, ita etiam nostra fieret iustitia, atque redemptio, delendum suscipiens in se chirographum nostræ damnationis. Hæc via fuit nostræ reparationis in suo aduentu carnis. Sic Apostol. *Vos estis in Christo* IESV, *qui factus est nobis iustitia, sapientia, redemptio, & sanctificatio*, &c. Vnde ad Roman. idem Apostol. incarnationem nuncupauit diuinæ iustitiæ opus, dicens quod IESVM Christum proposuit Deus *propitiationem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ*.

Quomodo impediri & frustrari ab potuit per peccatum mõ... filium Dei erga homines.

1 Cor. 1.

Rom. 3.

Multa quidem de misericordia diximus, & de iustitia etiam aliqua, sed non obliuiscemur dicere, & agnoscere quia in homines cecidit misericordia; in Christum verò iustitia, quando debita nostra quasi sibi propria effecit, vt etiam pro ipsis persoluere voluerit, mundo testificans quia copiosa est apud eum nostra redemptio: quia & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Hæc autem ita factum est, dicit S. Augustin. illa Psalmi verba explicans, *longè à salute mea verba delictorum meorum*, scilicet quando nostra delicta effecit sua, vt iustitiam suam, nostram efficeret: quia nimirum ex rigore iustitiæ æterno patri satisfaceremus, &c. Ita doctissimus Rupert. in Matth. Quia satisfactionem pro culpa non nisi homo debebat, & non nisi Deus perficere poterat, Deus homo factus est, quatenus vnus Christus, & vt verus Deus ab homine exigeret, & vt verus homo persolueret; sicque apud Deum copiosa esset nostra redemptio. Cassiod. hæc verba explicans, in copiam pretij scil. sanguinis effusi oculos dirigit, eámque inundanti aquarum diluuio comparat dicens, quod ille pretiosus sanguis tantæ fuit virtutis, vt velut quoddam salutare diluuium, orbem vniuersum à suis sordibus expiare potuerit, ita vt etiam diceretur in horto, Luc. 22. sudor eius fuisse veluti guttæ sanguinis decurrentis in terram. O diluuium admirabile! ô abundantem iustitiam! sed ô copiosam apud Deum redemptionem! Bene copiosa, siquidem non gutta, sed vnda sanguinis quinque per partes corporis emanauit. Quod si in aquis vehementibus submersit Ægyptios: modò de latere fundit aquam, vt paradisi viam nobis temperet, vt mundet sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorū operum. Psalmista dicit tantam fuisse copiā vnguenti effusi, quo vngebatur caput summi sacerdotis Aaron, vt ad extremas vsque oras vestimenti deflueret, & videretur magis effusum ad vngendas vestes quàm caput ipsius. Ita dico de copia sanguinis Christi maximè effusi ad abluendam vestem eius, videlicet hominem quem induit, & vt copiosam faceret redemptionem eius.

In nos misericordia cadit, in Deum iustitia.

Lib. 5. de diuinis offic. cap. 36.

Effuso sanguinis Christi diluuio comparata.

Psalm. 132.

Sed qua via, quæso, ad hanc redemptionem & iustitiam venit? vtique obedientiæ: hæc est quæ ipsum de cœlo attraxit in terram, & ipsum postea exaltauit à terra: Christus factus est obediens vsque ad mortem crucis, inquit Apostolus. Nostræ vtique redemptionis iter obeditio Christi fuit diuinis promissis patris, quorum executio in illa iustitia fuit: venit enim ad nos vt promissus, & impleuit voluntatem patris vt fidelis in omnibus verbis eius. Sic

A dicebat Iohanni in Iordane eum decere implere omnem iustitiam, suam scilicet obedientiam demonstrando, quæ est omnis iustitia. Et quæso paucis in obedientia iustitiam obseruate: per inobedientiam omnes de paradiso deiecti sumus & de gloria, Angeli de cœlo, homines de paradiso. Sic ergo per aliam viam & contrariam, scilicet obedientiam, regredi oportet. Quod quidem figuratur in tribus Magis Matth. 2. qui per aliam viam reuersi sunt in patriam suam: ita enim nobis per aliam viam ab ea qua egressi sumus de cœlo, redeundum est, scilicet per obedientiam: nam inobedientia fuit quæ nos de eo deturbauit. Quare in obedientia iustitia est. B Et ita Christus per hanc viam venire voluit, vt ex iustitia rediret homo in patriam suam. Rom. 5. comparatio est; *Sicut*, inquit Apostolus, *per inobedientiam vnius hominis multi constituti sunt peccatores*, id est, omnes: *sic per obedientiam vnius*, scilicet, Christi, *iusti constituentur multi*. Hæc itaque via fuit quam tenuit veniens, vt ait per os Dauid: *In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui.* Voluit pater vt de cœlis descenderet ad salutem populi sui, & ecce ita promptè obediuit, vt in instanti ad nos descenderit factus homo. *Vidi afflictionem populi mei, & descendi.* Voluit pater vt desereret omnia, nostra tantùm C paupertate indutus; & ecce Ierem. 12. factus obediens dicit, *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam*: adeò vt etiam in vita & in morte non habuerit vbi caput suum reclinaret. Voluit pater vt suum daret sanguinem, & ecce vix egressus est de vtero matris cùm iam cogitat de implenda voluntate patris; circumciditur puer, octo dies tantùm habens, & fundit sanguinem. Sed quid persequar? pater voluit vt totum corpus exponeret flagellis, genas & faciem opprobriis; & ecce dicit per Isaiam; *Corpus meum dedi percutientibus, genas meas vellentibus, & faciem meam non auerti à conspuentibus.* Denique voluit pater vt etiam vitam exponeret pro nobis; & ecce procedit obuiam illis qui quærebant D eam, & dicit illis; *Quem quæritis? ego sum, sinite hos abire*: de me enim scriptum est, *dedi dilectam animam meā in manus inimicorum eius*, quousque obediens factus vsque ad mortem crucis expirando commendauit eam in manus patris. Ecce in morte & in vita obedientia Christi. Egressio & regressio eius fuit vitæ suæ comes, & animæ cibus perpetuus, sicut ait; *Cibus meus, vt faciam voluntatem patris.* Ecce via, mors, & vita Christi, & omnis etiam via nostra ad veram vitam.

Via contraria ad Deum est redeundum.

Figura.

In obedientia Christi est iustitia hominis.

Ps. 39.

Quæ fuit voluntas patris & quæ obedientia filij.

Isai. 50.

Ioh. 18.

Ierem. 12.

Ioh. 4.

Vnum hic notandum est, quod Deus dederat Adamo duo alimenti genera ad vitam, vnum corporis, alterum verò animæ. Primum sic erat; *Ex omni ligno paradisi comede.* Secundum verò, & quod E ad animam pertinebat, totum erat in obedientia & obseruatione huius præcepti & prohibitionis; *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: qua enim hora*, &c. Quid fecit Adam? Memor tantùm ille sui corporis curauit comedere; oblitus verò animæ suæ, neglexit illi cibum suum dare, factus transgressor præcepti, vnde & illam inobedientiæ delicto interemit. Quid igitur fecit Christus, qui venit resuscitare animas, & saluare? retulit illis alimentum vitæ suæ, scilicet obedientiam, dicens; Cibus meus, & hominum cibus, vt faciant voluntatem patris. *Ego descendi*, inquit, *non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me patris.* Quid dicis Domine IESV, voluntatem patris, cùm etiam & peccatorum hominum voluntatem feceris,

Genes. 2.

Duo genera alimenti data homini à Deo.

Christus non solùm Patri, sed etiā peccatoribus obediuit.

D 2 qui

A qui tantopere præstare obsequium omnibus & obedire concupiscis? Vos clamastis, ô peccatores, & dixistis ei; *vtinam disrumperes cælos, & descenderes*: & ecce clamori obediens descendit; *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & descendi.* Voluistis vt inclinaret cœlos, & ecce ad vocem non cœlum inclinauit, sed semetipsum, qui cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens; talem que se fecit, qualem desiderastis, seruum. Pauperem adhuc inuenire desiderastis, & ecce inuenistis infantem inuolutum pannis & positum in præsepio: scietisque breui omnes, iuxta Apostolum, gratiam Domini nostri IESV Christi, quoniam cùm diues esset, propter vos egenus factus est. Quid plura? Mortuum voluistis & postulastis dicentes, *Crucifige*, &c. & ecce, inquit S. Petrus in sua Canon. *Christus pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis*, &c. Sic itaque obediens Dei filius tantopere obedientiam dilexit, & amissam restituere voluit hominibus, vt etiã voluntatem ipsorum facere voluerit. Sed quid addã? cùm etiam & pater æternus ipsorum desideria & vota de filio suo impleuerit. Ecce enim cum Moyse omnes clamauerunt; *Mitte Domine quem missurus es*: & ille misit, vbi venit plenitudo temporis, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Fecit voluntatem nostram Deus, & in posterum adhuc est facturus, fecit, ad nos mittendo filium, facturus vero est nobis dando suum Regnum & quotidie adhuc facit nos exaudiendo, iuxta quod Psaltes dicit, *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos: hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra.* Annon igitur dignum est, vt voluntatem patris & filij adimpleamus in nobis qui nostram fecerunt?

2. Cor. 8.
1 Epist. 3.
Pater etiam hominibus obediuit.
Gal. 4.
Psal. 144.
1. Thess. 4.

Sanctorũ multi per diuersas vias ad cœlum peruenerũt. Sed vna hodie proponitur, in qua omnes aliæ includuntur, diuinæ est volũtatis obseruatio. O Domine, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Voluntatem tuam, & non meam, dicit. Quænam autem est illa voluntas patris? vt faciamus voluntatem filij. Et voluntas filij? vt faciamus volũtatem patris. Ecce patris voluntas declarata per filiũ; D *Hæc est*, inquit, *voluntas patris mei qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Quid est credere in filium, nisi mandata eius & consilia seruare? hæc est voluntas patris, ipsum audite, *vt vitam æternam habeatis.* Et rursus: *Hæc est voluntas eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi, nõ perdam ex eo. Pater quos dedisti mihi custodiui*, &c. Sed nunc videamus quæ sit voluntas filij: certè vt mandata patris obseruemus. Apud Matth. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata; Non enim omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit*, &c. cap. 7. *Sed qui facit voluntatem patris mei, ipse intrabit*, &c. Voluntas filij est, vt pœnitentiam agamus. Apud Marc. *Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, E pœnitemini, & credite Euãgelio.* Apud S. Luc. *nisi enim pœnitentiam habueritis, peribitis.* Voluntas filij est, vt cum eo regnemus in cœlis. Ioh. 17. *Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego & illi sint mecum, vt videant claritatem meam quam dedisti mihi*, &c. Denique hodie voluntas filij est, vt eius imago reparetur in nobis, vt ei reddatur sanctitas atque iustitia; *hæc enim est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Creauerat Deus hominem ad imaginem suam, rectum, sapientem, & iustum; vno verbo, omni perfectione & sanctitate absolutum: rectum, quia omnia in illo perfectè Deo erant subdita. Hæc enim est rectitudo hominis. Item sapientem & iustum fecerat, scilicet perfectè

Vnde & quomodo facienda a nobis est Dei voluntas.
Iohan. 6.
Voluntas patris.
Ioh. 16.
Ioh. 17.
Voluntas filij.
Matth. 19 & 7.
Marc. 1.
& Luc. 13.
Ioh. 17.
Creatio Dei hominis ad imaginem.

A præditum Dei notitia & inseparabili amore: hæc enim fuit prima hominis iustificatio, vniri cum Deo, iuxta quod ad imaginem eius creatus est. Quod autem separauit ipsum, peccatum est. Itaque Isaias dicit, *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum.* Et quidem ratio est, quia peccatum aufert omnem rectitudinem, sanctitatem, & iustitiam ab anima; vno verbo, imaginem Dei deturpat, corrumpit, deformat. Quidnam igitur faciendum est? Apud Isa. *Hic est omnis fructus vt auferatur iniquitas.* Ratio sola est & omnis modus reparandæ in nobis imaginis Dei: in eóque omnem curam nostram & operam, quantum fieri poterit, collocare debemus. Sed B quis hoc præsertim faciet? Spiritus Christi in nobis: neq; enim alius est qui hanc Dei similitudinem restituere possit, & amissam sanctitatem: Ita enim dicit Paulus ad Ephesios: *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Ecce reparatio, quæ quidem tunc accidit quando homo de nouo incipit per obedientiam perfectam Deo se per omnia subiicere, cui antea contrarius erat per inobedientiam. Hæc igitur via est nostræ reparationis, obedientia: hanc tenuit Christus, & nos eamdem post ipsum teneamus. *Qui mihi ministrat*, inquit Dominus, *me sequatur; vbi ego, illic & minister meus erit*, &c.

Peccatũ separat.
Isa. 59.
Cap. 59.
Spiritus Christi solus potest restituere in nobis sanctitatem amissam & Dei imaginem.
Cap. 4.

C

DE VIA POTENTIÆ.

Vidi afflictionem populi mei, & descendi vt liberem eum. Exod. 3.

IPsissimæ viæ per quas ad nos CHRISTVS venit, rationes sunt, vnde nobis potissimùm constat, cur filius, & non pater, aut Spiritussanctus venit. Hoc autem de via potentiæ inter omnes alias dici potest: iuxta quod incarnationis mysterium tale opus est, vt D in eo iungantur ima summis, & summè appareat Dei potentia. Dauid illud satis agnouerat, quando omnibus votis incarnationem postulans dicebat; *Excita potentiam tuam, & veni.* Vnde quæso potentia est opus vt veniat? certè vt superentur difficultates quæ in eiusmodi singulari & admirabili aduentu Dei in carne sese offerre debebant. Samsoni fortitudine fuit opus, vt difficultates superaret quæ ei propositæ fuerunt ex parte patris & matris; cùm in Thánatha descendens, vnam de filiabus Philistinorum, quæ placebat oculis eius, in vxorem accipere voluit. Ita filio Dei necesse fuit vt ad virtutem omnipotentiæ suæ recurreret, quando veniens ad nos, vnionem diuinitatis suæ cum nostra carne celebra- E uit, consummauitque: quando hæreditatem suam deserens naturam Angelicam, assumpsit humanam; cœlum relinquens descendit in terram, egressus à patre venit in virginem. Hinc est quod sic eum Psaltes alloquitur dicens; *Excita potentiam tuam, & veni*, &c. Olim visus est Dauid nimis audax seruis Saül, quod Regem de quiete sua excitasset, cùm quodam die vóce nimiùm elata illos vocasset, qui statim accurrentes dixerunt ei: quis es tu qui clamas, & inquietas regem? Et quis hodie non afficietur maiori stupore, quod ipse audeat Deum ipsum excitare, vt pro se, atque omnibus ineat certamen mortis, & omnes liberet à morte? dicens ei; Quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finẽ: qui sedes super

Psal. 79.
Figura Sãsonis.
Iudic. 14.
1. Reg. 26.
Quid significabat Dauid Saulem clamore excitans.
Psal. 43.

Cheru

A Cherubim, manifestare, id est, qui à sanctis spiritibus in cœlo gloriosus cerneris, ostende te in terra hominibus: à te enim pendet omnium salus & vita. Apprehende itaque arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi, excita potentiam tuam, & veni vt saluos facias nos. Talis certè in Dauid fuit totius humani generis audacia, & talis etiam benignitas Dei, vt huic nostro clamori respondeat. Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus; vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & sciens dolorem eius descendi vt liberem eum. Postulatus vt exurgam, & carnem induens mortalem descendam in auxilium, id libenter præstabo, atque etiam cum vitæ dispendio humanæ naturæ votis satisfaciam; B nunc ergo exurgam, & vt gigas exultabo ad currendam viam. Quam viam? vtique omnipotentiæ, per quam à summo cœlo egressio eius; per quam & Dominus prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram aspexit, vt audiret gemitus compeditorum, & solueret filios interemptorum, id est, auxiliaretur captiuis. Sic itaque ad filium clamor directus est, vt per hanc viam potentiæ veniret: & ita ad patrem similiter, vt per eamdem viam filium suum mitteret, ipso propheta dicente; *Emitte manum tuam de alto & eripe me.* Non equidem sine conuenientia & ratione hic filius Dei vocatur manus patris, manus enim est in artifice, quæ facit opera; manus est quæ in liberali largitore distribuit dona; C manus est denique quæ in principe & duce scutum apprehendit & arma. Ita de Christo Dei filio, ipse est per quem omnia Deus pater fecit, deditque sua dona hominibus: ecce manus patris, manus inquam patris, quæ gladium arripuit, vt nos defenderet à tyrannide hostis, scutum apprehendit & arma, videlicet Crucem, vt propulsaret fortis armati insultus & spirituales nequitias. Vnde etiam factum est, vt ipse procedens ad certamen mortis dixerit; *Nunc iudicium est mundi; nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Vnde trahet? & qua potentia trahet? nisi quia ipse est manus patris, &c. Magna ergo cum ratione filium Dei postulans psalmista D dicebat ad patrem; *Emitte manum tuam de alto.* Sed ad quid? videamus modò, *& eripe me,* inquit, *de aquis multis.* Hic certè diuina potentia consideranda proponitur: etenim vi opus est & magna vi, vt aliquid de profundo aquarum extrahatur.

Psal. 13.

Psal. 143.

Filius Dei manui comparatur.

Ioh. 12.

Conueniens nominũ impositio rebus quæ omnipotentiam Dei denotant.

Sciendum itaque est ad hoc propositum, Deum seu Spiritumsanctum nomina imposuisse operibus quæ omnipotentiam Dei denotant, digitorum, manus, manuum, & brachij. Si de cœlis quæstio est, sic psaltes loquitur; *videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum*: si de plenitudine terræ fit mentio, dicitur opus manus. Ps. 94. *In manu tua Domine sunt omnes fines terræ*: si verò de homine est sermo, certè duarum manuum Dei opus appellatur. Sic Iob, sic Dauid; E *Manus tuæ fecerunt me.* Quasi diceretur, vna manus formauit corpus, altera creauit animam, manus tuæ Domine fecerunt me. Videtis hunc loquendi modum conformem esse potentiæ operibus. Verumtamen cùm de incarnationis opere quæstio est, non iam digitorum opus, manus, aut manuum appellatur, sed brachij Dei. Sicut Beata virgo dicit instructa à Spiritusancto; *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Quænam tibi magna fecit? In me carnem assumpsit, qui absolutè potens est, & omnia quæcumque vult facit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis: in me magna, in me maiora, in me & maxima fecit Deus in me factus homo: & sanctum nomen eius, vt intelligeremus ex hoc quia hic glorificatur Dei nomen & redditur admirabile; fecit enim potentiam in brachio suo. Ecce qua ratione hoc diuinæ potentiæ opus attribuitur brachio Dei, vt etiam intelligeremus quia adhuc nihil antea brachium Dei fecerat, quod infinitam eius potentiam satis exprimeret: sed quia illius vsus & virtus ad istud omnium maximum opus, scilicet incarnationis, reseruabatur; hincque etiam est quod paranymphus cœlestis, quem Deus ipse elegit ad tractandum cum virgine de executione tanti mysterij, Gabriel Archangelus fuerit, cuius nominis significatio est, fortitudo Dei: vt certè agnosceremus quia in hoc opere nihil est, nisi brachium & potẽtia Dei; & quia in filio suo pater demonstrauit nobis omnem vim & virtutem potentiæ suæ. Ipse enim Dei filius ritè dici potest brachium patris, sicut manus: nam quemadmodum brachium est quo operamur, sic verbum Dei brachium eius dicitur quo operatus est mundum. Brachium adhuc immediatè oritur de corpore, & filius à patre. De hoc brachio Isaias dicit; *Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium: & viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*; scilicet quando verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à patre. In hoc suo brachio fecit potentiam Deus, quando ipso in Cruce extento, à captiuitate inferni vniuersum orbem liberauit, hostem percussit, & humiliatum hominem ad cœlum vsque leuauit, sicut psaltes dixit; *Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, eduxit autem Israël de medio eorum in manu potenti & brachio excelso.* Ista manus, & istud brachium Christus est, cui Deus pater dedit potestatem vitæ, mortis, & omnium, sicut dicit; *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Ista est manus patris, quæ cœcis lumen, & surdis donauit auditum: istud est brachium, quod mortuis vitam dedit, & dispersit superbos mente cordis sui, spiritus malignos eiecit, deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Eccl. 10. *Sedes ducum superborum destruxit Dominus. & sedere fecit mites pro eis.* Hæc est potentia Christi in humilitate carnis suæ, opprimere opprimentes, & oppressos liberare; *Vidi afflictionem populi mei, &c. & descendi vt liberem eum.* Brachij eius potentia est & virtus: sic enim apud Isaiam formosus iste in stola sua, & gradiens in multitudine fortitudinis suæ (ecce via potentiæ) dicebat; *Propugnator sum ad saluandum: circumspexi, & non erat auxiliator. & saluauit mihi brachium meum.* Hinc ergo comprehendens virgo quàm magnum & potens opus Deus fecerat, in incarnatione sui filij, dicebat, quod fecerat potentiam in brachio suo, veluti diceret in proprio filio relucere opus & potentiam patris: hic enim maximè brachium accipitur pro virtute, seu fortitudine patris; vt hic etiam innotescat quia in hoc præsertim opere, ampliusque quàm in alijs apparuit omnipotentia Patris.

Incarnatio dicitur opus brachij Dei.

Quomodo verbum Dei dicitur brachium patris.

Cap. 52.

Math. 28.

Cap. 63.

In opere incarnationis plus quàm in alijs omnibus Dei potentia & virtus apparuit.

Exemplum.

Notate, quæso, quod sicut in manualibus nostris operibus tria hæc simul inueniuntur, digiti, manus, & brachium: ita est in Dei operibus ad extra, tres simul personæ concurrunt. Spiritussanctus, qui digitus Dei dicitur, in quantum ad eum pertinet legem Dei scribere in cordibus nostris, sicut legitur in figura quod lex Dei digito Dei scripta fuit in tabulis æreis: filius item, qui est manus patris, vt magis expressè notauimus; est enim medius inter patrem & Spiritumsanctum, & per ipsum pater omnia fecit, donauitque. Pater denique, qui per appropriationem est veluti brachium in quo est tota

fortitudo & virtus: vnde licèt æqualiter in ſingulis operibus omnium virtus appareat, nondum tamen diſtinctè apparuerant opera brachij, ſicut digitorum & manus. Nunc autem fecit Deus potentiam in brachio ſuo, quando & ipſam manum creatricem omnium, ſcilicet filium, ad nos miſit, extenditque, vt nos eriperet de aquis multis. Sic enim nos omnes in profundo aquarum demerſos David conſiderabat, quando aiebat; *Emitte manum tuam de alto Domine, & eripe me de aquis multis*, videlicet afflictionibus: propterea enim filium ſuum vt manum ſuam nobis ad clamorem noſtrum porrexit. Sed quemadmodum heu! ille ſæpius, qui periclitanti in aquis manum porrigendo occurrit, & ſe ab eo permittit fortiter teneri, labitur in profundum cum vitæ propriæ diſpendio, & alterius ſalute: ita in myſterio incarnationis Dei filio accidiſſe videtur, qui neceſſitati noſtræ & ſaluti occurrens, ita ſe nobis nexu hypoſtaticæ vnionis agglutinauit & coniunxit, vt ipſum auxiliatorem noſtrum in profundum afflictionum noſtrarum attraxerimus dicentem; *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & ſciens dolorem eius deſcendi*. Quò Domine deſcendiſti? in profundum maris & tribulationis, vt nos inde eriperet, ita vt etiam ipſe coactus ſit poſtea auxilium petere qui auxiliator veniebat, dicens in cruce. *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti?* & rurſus; *ſaluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Laboraui clamans, & defecerunt oculi mei dum ſpero in Deum meum.* Hæc eſt mea ſpes Domine, premat mundus, inſurgant homines, nihil timeo, quoniam tu es Domine ſpes mea, tu ſolus es qui liberare ſcis, & potes, & dicis, quoniã in me ſperauit, liberabo eum. O magna virtus ſpei! hanc Domine cognoui & intellexi: ideo in te Domine ſperaui, non confundar in æternum.

Deus per filium ſuum liberat cum ſuæ vitæ diſpendio. Exemplum.

Pſal. 21.

Pſal. 68.

DE VIA SAPIENTIÆ.

Vidi afflictionem populi mei, & deſcendi vt liberem eum. Exodi 3.

IAm ſatis notum eſt & oſtenſum, cur neceſſe fuit, vt Chriſtus Dominus venerit in mundum, cur decuit filium, & non patrem, aut Spiritumſanctum hominis lapſum reparaſſe: ſed hic potiſſimùm quæſtionem inſtituemus, num id diuinæ ſapientiæ conueniens fuerit, atque etiam neceſſarium, vt fieret Deus homo. Primò itaque dico triplici ratione fuiſſe conueniens: Dei nimirum, finis quem in omnibus ſpectat, atque etiam ratione noſtri. Dei imprimis cui ſecundum naturam ſuam, quæ infinita bonitas eſt, competit ſe ſummè communicare ei potiſſimum creaturæ, quæ illius capax inuenitur, qualis eſt creatura rationalis. Illa autem eſt ſumma & maxima Dei ad extra communicatio, qua ſibi vnit in vnitate perſonæ naturam humanam, ſeque illi totam communicat; nec vlla vnquam maior illa concipi poteſt: longè enim omnis alia inferior eſt, cuiuſmodi eſſet diuinitatis communicatio per dona naturæ, gratiæ & gloriæ. Siquidem ab hac illa vt riuulus à fonte, & effectus à ſua cauſa dependet.

1. *Conueniens fuit Deum fieri hominem triplici ratione.*

Vnio hypoſtatica omnẽ aliam communicationẽ diuinitatis ſuperat.

Secundò ratione finis quem etiam Deus in omnibus ſuis operibus potiſſimùm reſpicit, qui eſt vt cognoſcatur, ametur, laudetur, & conglorificetur à ſuis creaturis. Talis enim eſt finis & ſcopus omnium operum Dei, ſiue naturæ, ſiue gratiæ, ſiue gloriæ, nimirum Maieſtatis ſuæ diuinæ reuelatio rationali creaturæ. Nihil autem ad hunc finem à Deo excogitari potuit altius ipſa Dei incarnatione, qua clariſſimè relucent, ſicut iam notauimus, Dei potentia, amor, & ſapientia: potentia quidem, cùm hoc opus ſit omnium maximum: amor videbitur ſtatim & quantus ſit; interim hoc dici poterit quod non potuit Deus maius bonum velle aut dare nobis, quàm cum filium ſuum nobis incarnatum dedit abſque vllis meritis noſtris. *Sic enim Deus dilexit mundum*, &c. Sapientia autem hic relucet maximè, quæ & tanti debiti expeditiſſimam ſolutionem inuenit, & tam excellentem reparandi generis humani rationem, Deo vincente ſua ſapientia aſtutiam & malitiam dæmonis. Cùm enim voluiſſet falſa inductione & ſpe diuinitatis nobis illam eripere, eamdem nobis Deus altiori modo reddidit factus homo, cum ſeruili noſtra forma ſuſcepta ſemetipſum exinaniuit, deiecitque. Verùm & in hoc adhuc ſummè ſapientia apparuit, quod per incarnationem verbi omnem ſuam perfectionem acquiſiuit homo, quæ in ſapientia & cognitione Dei conſiſtit; *Fons ſapientiæ*, dicit Eccleſiaſticus, *verbum Dei in excelſis*. Quare ad conſummatam perfectionem hominis prout eſt creatura rationalis, conueniebat, vt etiam perſonaliter ei verbum Dei vniretur; ſic enim facilius & perfectius ad tantam notitiam perductus eſt, cum nimirum ipſe Dei filius, qui eſt intelligentia patris, tali naturæ intelligibili vnitus eſt; in hoc enim perfecta conuenientiæ ratio inuenitur quam Dei ſapientia inuenit.

2. *Finis operum Dei.*

In quibus apparuit Dei ſapientia in myſterio incarnationis.

Cap. 1.

Vnde tertiò dicimus etiam ratione noſtri fuiſſe conueniens tale myſterium, non quidem ratione ſtatus & conditionis naturæ noſtræ, perfectioniſque quæ illi naturaliter debetur; hoc enim ſupra dignitatem illius eſt: ſed ratione perfectionis eius ſupernaturalis, ad quam poteſt, atque etiam creata eſt eleuari à Deo, nimirum vt ipſum Deum cognoſcat, & amet, eique perfectiſſimè vniatur. Hunc autem finem incarnatione magis quàm vllo alio quocunque opere aſſequitur.

3. *Ratio conuenientiæ incarnationis.*

Hinc S. Thom. rationes refert, & multas ponit, cur hanc tam admirabilem vnionem compleuit filius. Prima eſt ſimilitudo naturæ humanæ cum verbo diuino; nam ad mutuam coniunctionem ſimilia magis idonea ſunt: vnde cum filius qui eſt conceptus patris, & exemplar per quod omnia facta ſunt, ſit ſimilitudo omnis creaturæ, maximè autem hominis, qui ad ſimilitudinem Dei creatus eſt; maximè etiam fuit conueniens talis vnio in reparationem eius. Secunda eſt finis eiuſdem vnionis, qui eſt, dicit ille doctor, impletio noſtræ prædeſtinationis, quæ non niſi filiis debetur, & non niſi per filium Dei hominibus datur. Nam ſi filij & hæredes, hæredes quidem Dei, (vt filij) cohæredes autẽ Chriſti qui eſt primogenitus in multis fratribus. Vnde conſtat, decuiſſe vt per eum qui filius eſt naturalis, alij ſecundum adoptionem & ſimilitudinem filiationis eſſent participes cœleſtis hæreditatis: adoptiua enim filiatio quædam ſimilitudo eſt filiationis æternæ, per quam ex Dei bonitate admittimur ad participationem hæreditatis eius cum filio eius naturali Chriſto. Quos enim præſciuit, hos & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.

3 P q. 3. ar. 8.

Rationes diuerſæ.

Rom. 8.

Quid ſit adoptiua filiatio.

Sed dicetis, quonam modo participare poſſumus cum vnico filio hæreditatem quæ illi tota debetur per naturam? Sciendum ergo hoc eſſe diſcrimen inter bona ſpiritualia & corporis, quod ſpiritualia bona poſſunt ſimul à pluribus poſſideri, non verò corporalia; vnde quando nos Deus in filios adoptat per ſuum filium naturalem, vt dicit Apoſtolus

Diſcrimen inter bona ſpiritualia & corporalia.

stolus Galat.4. *Misit Deus filium suum vt adoptionem filiorum Dei reciperemus.* etiam fit vt in participationem hæreditatis eius admittamur. A

Sed rursum dicetur, introducta tantùm videtur adoptio in defectum prolis, & filij naturalis: Deus autem filium suum naturalem habet; quomodo ergo talis hominis adoptio esse potest? Respondet S. Thom. & dicit, quod hominis est operari ad suam indigentiam supplendam, Dei autem ad communicandam suæ perfectionis abundantiam; vnde accidit quod sicut per actum creationis communicatur Dei bonitas creaturis, vt dicitur Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona* (secundum quandam similitudinem.) ita per actum adoptionis communicatur hominibus similitudo & conformitas filiationis naturalis. Rom.8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri.* &c.

Quomodo hominibus accedit adoptio filiorum Dei. 3.p q.23. ar.1.

Gen.1.

Nunc ad necessitatem veniamus. Quod vt meliùs intelligatur, sciendum est hoc nomen (*necessarium*) dupliciter accipi. Primò absolutè, & sine quo aliquid esse non potest, vt fides, & gratia Dei respectu salutis; cibus item ad conseruationem vitæ. Secundò ad melius, & secundum quid, vt equus ad iter conficiendum. His positis, primo modo dicimus nor fuisse necessarium Deum incarnari: Deus enim per suam omnipotentiam poterat naturam nostram reparare multis aliis infinitis modis, etiam posito decreto de reparatione eius. Secundo autem modo fuisse necessarium dicimus, scilicet ad melius, & secundum quid, quia nullus erat conuenientior modus: vnde S. Aug. 13. de Trinit. Ostendamus, inquit, non alium modum possibilem Deo defuisse, cui omnia æqualiter subiacent, sed sanandæ miseriæ nostræ conuenientiorem alium modum non fuisse. *Vidi afflictionem populi mei*, &c. *& descendi*, &c.

Necessitas incarnationis.

Necessarium dupliciter accipitur.

13. de Trin. cap.10.

Rationes autem huius necessitatis sunt hæ, iuxta S. Thom. prima, quod, sicut antè dictum est, posito quod Deus voluisset ex iustitia, vt exegit, satisfactionem; nemo præter ipsum Deum qui læsus fuerat, satisfacere poterat, quia infinita offensa erat; omnis autem pura creatura finita est, vnde oportuit, vt secundum grauitatem offensæ ex parte offendentis & offensi, vnius vilitate & dignitate alterius, ipsemet Deus fieret homo, qui satisfactioni communicare posset infinitam dignitatem, & sic offenso Deo plenissimè & ad omnem iustitiæ æqualitatem satisfacere. Id iam antea satis ostensum est; vnde S. Leo scribens ad Flauianum ita dicit; salua proprietate vtriusque naturæ, & in vnam coëunte personam suscepta est à virtute infirmitas, à Maiestate humilitas; ab æternitate mortalitas, vt quod nostris remediis congruebat, vnus atque idem Dei, & hominum mediator Christus, ex vno & mori posset, & mori non posset ex altero, &c.

Rationes necessitatis. 1 p.q.1.ar.1.

Epist. ad Flauian.c 3.

Secunda est quantum ad plenam participationem diuinitatis, quę vltimus est finis vitæ nostræ, hoc autem in nobis factum est per Christi humanitatem, cui plenitudo diuinitatis corporaliter vnita est, realiter, substantialiter, & personaliter; vnde etiã nostra communis dignitas emanauit, vt omnes consortes facti fuerimus diuinæ naturæ.

Tertia est ad fidem excitandam in nobis & confirmandam: faciliùs enim, firmiúsque Deo ipsi per se nobis loquenti credimus quàm per quemuis alium, licèt Cherubim esset & Angelus. Quod quidem insinuare voluit Apostolus ad Heb. dicens, *Multis olim modis loquens Deus patribus in prophetis, nouissimè loquutus est nobis in filio*: vnde statim post grauiùs inde puniendos infert qui non credent ipsi, dicens; *propterea abundantiùs oportet obseruare nos ea quæ audiuimus, ne forte pereffluamus, si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tãtam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominũ, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, cõtestante Deo signis & portẽtis, & variis virtutibus*, &c. Ita ipsemet Christus Iudęos arguit, eo quod Niniuitæ Ionã audierunt, & Regina Saba Salomonem; se autem audire noluerunt qui plus quàm Ionas est, & Salomonem in omni sapientia superat: vt ostendat eis, quia ex quo venit & loquutus est, iam nullam excusationem esse de peccato incredulitatis; vnde etiam simulatque manifestauit se Sancto Thomæ, & loquutus est ei, credidit qui antea credere condiscipulis noluerat, & reputatum est illi ad iustitiam. Ioh. vlt. post dies octo venit IESVS ianuis clausis, & stans in medio dixit Thomæ; infer digitũ tuum huc, & noli esse incredulus, sed fidelis; & respõdens dixit Thomas: Dominus meus, & Deus meus. Ecce fides, & firma Thomę fides ex præsentia Christi. Sic Centurio credidit, sic Regulus, sic Samaritana, & Chananæa; sic denique cæcus natus & mente & corpore, ex præsentia & verbis Christi illuminatus est.

Cap.1.& 2.

Math. 12.

B

Quarta est ad spem nostram confirmandã: si enim, dicit Apostolus, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortẽ filij eius, quid amplioris spei superest nobis? Et nónne iam multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius? Gloriamur itaque in Deo, cum sancto Apostolo, quia nũc per Dominum nostrum IESVM Christum reconciliationem accepimus. Frater non redimit, redimet homo. Super quę verba psaltis dicit S. Basil. Redimet homo, non nudus homo, sed Deus homo IESVS Christus, quia nullus alius præter eum poterat condignum afferre pretium: nullus enim, ait S. Ambros. in Luc. tãti meriti esse potuit, qui totius peccata deleret mundi. Hæc ille. Ecce igitur vbi & in quo est nostra spes.

Rom.5.

C

Quinta est ad accẽdendam charitatem Dei in nobis. Quænam enim causa aduentus eius nisi charitas? sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Pondus & descensus Christi ad nos amor fuit; *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & sciens dolorem eius descendi vt liberem eum.* Vnde dicit Aug. si amare pigeat, redamare non pigeat, vt in æternum eius amore perfruamur, maneamus in amore.

D

DE VIA AMORIS.

Vidi afflictionem populi mei, & descendi, &c.
Exodi 3.

OMnium fons & origo bonorum, amor Christi est. Gal.2. de particulari amore Apostolus dicit, *Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me:* & de generali Eph.5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiã Deo in odorẽ suauitatis.* Ab effectibus cognoscimus causas. Nulla equidẽ alia re Deus compulsus est ad creandum omnia, quàm amore, qui omnia sua voluntate fecit, & non necessitate. Igitur omniũ rerũ causa diuinus amor est; ipse est qui omnibus esse dedit & vitam, nobis autem rationem; ipse est qui decreuit hominem facere ad imaginem & similitudinem Dei sui; ipsum autem Deum impulit vt acciperet formam & similitudinem serui: ipse est qui creauit hominem in iustitia, & lapsum cogitauit reparare in gratia; eodem enim compulsus amore Deus hominem fecit, & refecit, quia eius amor est qui omnia fecit,

Duplex amor Christi.

E

Amor Christi omnium causa est.

& via quam tenuit in omnibus amor est. Christi amor omnia dicit; *Vidi afflictionem populi mei, & descendi*. Quibus oculis vidit? Compassionis. Quibus verò vis & gressibus descendit? Amoris. Amor Christi pondus fuit Christi, &c. O Domine IESV qui verus es amor Dei & hominum, si liceat seruo interrogare Dominum suum, peto à te, quis te coëgit vt de cœlo in terram venires? Amor. Quis te exinaniuit vsque ad formam hominis & serui? Amor. Quis te inclinauit vsque ad præsepium, & inuoluit pannis? Amor. Quis te vsque ad crucem humiliauit, & funibus ligauit? Amor. Quis denique fecit vt pro hominibus tot tormenta passus fueris & mortem? Ipse tuus amor. Christi amor omnia fecit, omnia sustinuit, & vicit. Atheniensium mos erat amorem pingere & repræsentare cum fulmine in manu, eo quod sicut eò vehementior est vis fulminis quò maius obstaculum reperit; ita etiam amor maximè sæuit in ardua, præsertim diuinus amor.

Amor Christi via & pondus Christi.

Amoris, repræsentatio secundum Athenienses.

Huius significationem habemus in Christo apud Ezechiel. vbi legitur Deum vidisse cum triumpho venientem, similem fulguri: *Species eius erat*, ait, *in similitudinem fulguris coruscantis*; vt significaret quod de omnibus obstaculis triūphaturus Christus erat in suo aduentu, eáque suo amore vehementissimo propulsaturus. Quæretis quænam erant impedimenta quæ tunc occurrebant. Ista erant. Primum contractio immensitatis eius, qui cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, &c. Secundum inferni despoliatio & destructio: sic enim ait; *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Tertium reconciliatio peccatoris cum Deo. Paulus dicit, *Gloriamur in Deo per Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM, *per quem nunc reconciliationem accepimus. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est, in cuius sanguine nunc iustificati salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius.* Mira vis est huius argumenti Apostoli, in quo simul ostendit quo amore Dei filius superauit & abstulit obstaculum nostræ reconciliationis. Quartū erat eleuatio pōderis nostræ mortalitatis ad cœlū, & sublimitatē gloriæ: vnde propheta dicebat, *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomē tuū in vniuersa terra quoniam eleuata est magnificentia tua* (id est, humilis natura nostra à te magnificata,) *super cælos*. &c. Vnde hic nolo fabulosum Orpheum in medium adducere, qui amore captus sponsæ suæ fingitur in inferos descendisse, vbi illa erat detenta, suáque melodia omnia superasse obstacula, vt eam inde extraheret; nolo, inquam, istud hic referre, profanum enim odi & arceo. Veritas verò Christiana est, filium Dei tanto amore captum fuisse erga naturam nostram sponsam suam, in hac terra inferiori detentam, atque etiam inferorum captiuam, vt etiam descenderit ad eam, eleuaturus ad se & vsque ad gloriam suæ Maiestatis: liberaturus ab eius miserabili sorte, & sui diuini amoris melodia omnia obstacula propulsaturus, qualia sunt quæ diximus, & multa alia infinita. Hinc certè non minus quàm Dauid, Iob admiratione ductus dicebat; *Domine quid est homo, quia apponis erga eum cor tuum?* Sic apponis? & ecce responsio apud Ieremiam; *In perpetua charitate dilexi te.* Ecce causa & ratio: dilexi te ante tempora, dilexi te in tempore: & post tempora diligam te. Perpetuus eius amor est qui non habet principium, neque finem: ante tempora nos dilexit, qui in suo æterno consilio naturam nostram sibi

Cap. 1.

Vis amoris Christi.

Impedimenta quæ vicit amor Christi.

Eph. 2.

Ioh. 12.

Rom. 5.

Psal. 8.

Fabula amoris in Orpheo: veritas autē in Christo.

Cap. 17.

Cap. 31.

Christi amor æternus.

A vnire decreuit, & in cuius amore pater nos prædestinauit. Ad Ephes. Paul. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti.* In tempore similiter nos dilexit, qui vbi temporis plenitudo venit, inclinauit cœlos, & descendit, & patri factus obediens, missus ab eo in carne redemptor, habitauit in nobis, iuxta quod dixit Apostolus; *Vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.* Vidi afflictionem populi mei, & descendi vt liberem eum. Veni itaque dulcis Samaritane, ecce enim clamor filiorum Israël venit ad te, & videns afflictionem nostram redime nos ab Ægyptiis qui opprimunt nos. Ecce redemptor noster Deus, inuenio & sentio le-

B gem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati: & tu afflictionem nostram liberator vides? Io itaque magis me tua pietas subleuet, quò me fragiliorem & tot inimicis circumdatum intueris. Quis non misereatur infirmo? quis non compatiatur misero languido & captiuo? veni ergo Domine IESV, Samaritane, & redēptor, & priusquam moriatur anima mea descende, cura me vulneratum, subleua me semiuiuū, afflictum consolare, & me captiuum redime. Ecce enim veritatem dilexisti, veritatem inquam promissionum, quas humano generi fecisti, dilexisti equidem, quia & eas fecisti & seruasti: tuum enim diligere est facere, & promissa seruare. Quid est ergo veritatem tuam diligere, nisi seruare eam, & pro-

C missa tua implere? Abrahæ promisisti filium, cùm iam esset senex, Sara sterilis & vetula, & promissionem seruasti, quia veritatem dilexisti: filiis Israel terram fluentem lac & mel spopondisti, & tandem tradidisti, quia veritatem dilexisti: similiter iusiurandum Dauid admirabile fecisti dicens, *Iuraui Dauid seruo meo, & non mentiar, vsque in æternum præparabo semen tuum. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Hoc autem ita factum est, quia veritatem dilexisti, adeóque dilexisti, vt ipsam adhuc tradideris veritatem quam dilexisti filium tuum; qui dixit Ioh. 14. *Ego sum via, veritas & vita.* Ipse enim est veritas à qua omnis veritas in cœlo, & in terra nominatur. Hanc igitur Domine veritatem dilexi-

D sti & diligis semper, in eáque sola tibi complacuisti, qui dixisti; *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Ipse veritas est, & non est inuentus dolus in ore eius; filij hominum vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Hic est filius meus dilectus, ecce mitto ipsum ad vos, audite, via est, veritas, & vita; amore mittitur, & offertur quia voluit. Amor est qui patrem coëgit vt filium suum vnigenitum daret, ipsum autem filium, vt veniret: vnde nulla consideratione impeditus fuit quin statim definito tempore de cœlis in terram descenderit, omnia obstacula & contrarietates expellens. *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & sciens dolorem*

E *eius, descendi.*

Et certè iam mirari desinam, si cæca Gentilitas, & communiter adhuc hodie vulgus Amorem depingit alatum & cæcum; Amor enim non patitur moras, clausósque oculos habet ad omnia obstacula; adhucque præterea pharetram gestat suis ornatam sagittis, vt largitionibus suis & donis omniū corda vulneret & inflammet ad amorem. Sed diuino certè & cœlesti amori præsertim, & solùm proprietates istæ attribuendæ sunt, qui in Christo IESV ad omnia obstacula oculos clausos habuisse videtur, & solùm intendisse vt citò descenderet ad redimendum nos, & inflammandum corda nostra ad amorem multitudine

Cap. 1.

Gal. 4.

Quid sit veritatem diligere.

Gen. 15.

Psal. 88. & 131.

Amor Christum coëgit vt veniret.

Communis repræsentatio amoris.

Antiqua fictio Amoris, incarnat ionis mysterio multum conueniens.

tudine donorum. Sed, quæso, omnibus suis doloribus hunc qui in CHRISTO inuenitur, amorem pingamus. Antiquitus tale fingebatur simulachrum Amoris valde quidem mysterio nostro conueniens. Pingebant iuuenem pulcherrimum, indutum veste aspera, capite aperto, corde conspicuo & vitreo, vna manu tenentem calceamenta; altera verò hanc inscriptionem, *Ius meum alteri tribuo.* Ista sanè repræsentatio satis aptè amantium affectus refert & conditiones, quorum est nihil timere, nihil retinere; verùm hanc conuenientius diuino CHRISTI amori applicare possumus & debemus. Puer enim natus est nobis, & quidem speciosus forma præ filiis hominum: quis enim pulchrior est illo qui de sinu patris venit, & de virgine ortus est? Certè de illo dignius, quàm Esther de suo Assuero, dicere possumus; valde admirabilis Domine es tu, & facies tua plena est gratiarum. Sed veste aspera indutus est, videlicet carne nostra, & si vultis, adhuc inuolutus pannis; vt meliùs discat pati; & varios sufferre pro nobis labores; propterea enim, vt canit Ecclesia, *fœno iacere pertulit, nec præsepe abhorruit*, &c. Item capite aperto, vt ostendat, quia daturus venit vt caput Ecclesiæ omnes gratias: hinc est quod animæ suæ sponsæ dicit; *Aperi mihi soror mea sponsa, quia caput meum plenum est rore*, &c. Corde item conspicuo & vitreo, quoniam ipse nobis reuelare venit secreta patris, cùm ipse sit in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei: vnde ipsemet dicit; *Iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis.* Sic in Genesi legitur Deus sua consilia reuelasse Abraham, dicens; *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* Præterea tenet calceamenta sua vna manu, & altera inscriptionem hanc, *Ius meum alteri tribuo*; vt indicet venisse, & reddat nobis humanitatem quam assumpsit, & præterea cedat nobis & tribuat ius quod habet in hæreditatem suæ gloriæ & diuinitatis; quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: neque enim confunditur vocare nos fratres. O quis hic comprehendere poterit talem erga nos amorem filij Dei, qui non contentus nos suos cohæredes admittere, etiam formam serui accipiens in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo, habitauit in nobis, & pro seruis mori dignatus est! Laudat Valerius Maximus cuiusdam Pomponij seruum, qui cùm animaduerteret quod dominum suum hostes quærerent, vt ipsum occiderent; ille indutus vestibus domini sui, & talē se esse simulans, illis occurrit, mortémque pro domino suo libenter & æquo animo subiit. A profanis multum extollitur illud factum: Sed quis non magis exemplum charitatis CHRISTI admirabitur? qui vestibus serui sui indutus, & in similitudinem hominum factus, Dominus occurrit hostibus nostris, seque offert, vt moriatur pro seruis suis. O quis istam non admirabitur charitatem? Admiratur Paulus dicens; *Commendat autem in hoc charitatem suam Deus, quoniam cùm peccatores essemus, Christus venit, & pro nobis mortuus est.* Domine quid est homo, vt sic apponas erga eum cor tuum? Sed quis similiter in CHRISTO dilectionem patris comprehendere poterit, & non admirabitur; qui sic nobis ipsum dedit? Ipse quidem filius admiratus est dicens; *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Sic, inquit, vt comprehendamus hoc incomprehensibile esse; sic, si intelligamus, quis ille sit, & præterea ad quem vsum datus est nobis. Quantum ad primum, filius patris vnigenitus est; & ita, sic Deus dilexit mundum, vt filium suum daret, non paradi-

Explicatio.

Coloss. 2.

Iohan. 15.

cap. 18.

lib. 6. cap. 3. Exemplum memorabile.

Applicatio. Summa Christi charitas.

Tom. 5.

Charitas patris in Christo.

Duo consideranda in Christo, filij dignitas, & vsus.

A sum voluptatis, vt Adamo: non mundi dominium, vt Alexandro; non denique aliquem Angelum, sed filium & præterea vnigenitum, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula, &c.

Legimus Iacob vix adduci potuisse ad hoc, vt Beniamin minimus filiorum dimitteretur per modicum temporis, & abesset à domo, vt Simonem fratrem redimeret qui detinebatur in Ægypto; licèt plures alij filij superessent Iacob. Et ecce æternus pater ad nos redimendos vnigenitum dedit. Videamus itaque secundò, ad quem vsum. Ecce vsus, vt nos redimeret per mortem suam à lege mortis, & nos suo liuore sanaret; denique ait S. Damascenus, B vt pro salute ægroti sectionem venarum in se medicus pateretur: Dicamus adhuc iuxta Apostolum, vt eos qui sub lege erant, redimeret (de maledicto legis) & adoptionem filiorum Dei reciperemus. Hoc modo explicat illud Ephesiorum S. Thomas in commentario huius epistolæ, *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo*, &c. *scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Quam, inquit S. Thomas, pater fecit vobis per CHRISTVM: via enim est qua venit ad nos, & qua ad eum ire debemus, vt cum eo in æternum regnemus.

Gen. 43.

S. Iohann. et Damascen.

cap. 3.

DE SINGVLARI AMORE quo IESVS Christus naturam humanam assumpsit, & non Angelicam.

C

Vidi afflictionem populi mei, & descendi. Exodi 3.

Videbit omnis caro salutare Dei. Luc. 3.

MAGNA & mira est conuenientia inter vtrumque testamentum vetus & nouum in testimoniis CHRISTI. Isaias vox Domini, prædicens hunc aduentum Messiæ, præparat vias eius, & clamat di-D cens; *Consolamini popule meus, dicit Deus vester, loquimini ad cor Hierusalem, quoniam dimissa est iniquitas illius. Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons humiliabitur; erunt praua in directa, & aspera in vias planas, & reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. Vox dicentis: Clama, & dixi, quid clamabo? omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri: exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. Verbum autem Domini nostri manet in æternum*, &c. Coniunxit Propheta carnem quæ fœnum est, cum verbo quod firmum est & æternum, in eaque vnione tangit mysterium quod factum est; mysterium E quod in Deo absconditum & præparatum ab æterno, in tempore completum est; quod Angelis reuelatum, Prophetis declaratum, annunciatum virgini, manifestatum Apostolis, & iam toti mundo prædicatum & notum, tale est: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ecce caro, ecce verbum, ecce cum verbo carnis coniunctio, supraque omnem mentem diuinæ dispensationis cum carne modus. Ecce tandem causa & ratio cur videbit omnis caro salutare Dei, scilicet quia verbum caro factum est; & visibile apparuit nobis. Hinc enim præuidens Propheta præparabat vias eius, sicut Iohannes præcursor videns oculis & digito demonstrans, hodie similiter præparauit, iisdémque penitus verbis

cap. 40.

Mysterium incarnationis apud Isaiam descriptum.

Conuenientia vtriusque testamenti in Isaia, & Iohanne Bapt.

tudine donorum. Sed, quæso, omnibus suis doloribus hunc qui in CHRISTO inuenitur, amorem pingamus.

Antiqua fictio Amoris, mirarum iuxta mysterio multum conueniens.

Antiquitus tale fingebatur simulachrum Amoris valde quidem mysterio nostro conueniens. Pingebant iuuenem pulcherrimum, indutum veste aspera, capite aperto, corde conspicuo & vitreo, vna manu tenentem calceamenta; altera verò hanc inscriptionem, *Ius meum alteri tribuo.* Ista sanè repræsentatio satis aptè amantium affectus refert & conditiones, quorum est nihil timere, nihil retinere; verùm hanc conuenientius diuino CHRISTI amori applicare possumus & debemus. Puer enim natus est nobis, & quidem speciosus forma præ filiis hominum: quis enim pulchrior est illo qui de sinu

Explicatio.

B

patris venit, & de virgine ortus est? Certè de illo dignius, quàm Esther de suo Assuero, dicere possumus; valde admirabilis Domine es tu, & facies tua plena est gratiarum. Sed veste aspera indutus est, videlicet carne nostra, & si vultis, adhuc inuolutus pannis; vt meliùs discat pati, & varios sufferre pro nobis labores; propterea enim, vt canit Ecclesia, *fœno iacere pertulit, nec præsepe abhorruit*, &c. Item capite aperto, vt ostendat, quia daturus venit vt caput Ecclesiæ omnes gratias: hinc est quod animæ suæ sponsæ dicit; *Aperi mihi soror mea sponsa, quia caput meum plenum est rore*, &c. Corde item conspicuo & vitreo, quoniam ipse nobis reuelare venit secreta patris, cùm ipse sit in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei: vnde ipsemet dicit;

Coloss. 2.

C

Iohan. 15.

Iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis. Sic in Genesi legitur Deus sua consilia reuelasse Abraham, dicens;

cap. 18.

Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? Præterea tenet calceamenta sua vna manu, & altera inscriptionem hanc, *Ius meum alteri tribuo*; vt indicet venisse, & reddat nobis humanitatem quam assumpsit, & præterea cedat nobis & tribuat ius quod habet in hæreditatem suæ gloriæ & diuinitatis, quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: neque enim confunditur vocare nos fratres. O quis hic comprehendere poterit talem erga nos amorem filij Dei, qui non contentus nos suos cohæredes admittere, etiam formam serui

D

accipiens in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo, habitauit in nobis, & pro seruis mori dignatus est? Laudat Valerius Maximus

lib. 6. cap. 4.

Exemplum memorabile.

cuiusdam Pomponij seruum, qui cùm animaduerteret quod dominum suum hostes quærerent, vt ipsum occiderent; ille indutus vestibus domini sui, & talem se esse simulans, illis occurrit, mortemque pro domino suo libenter & æquo animo subiit. A profanis multum extollitur istud factum: Sed quis non magis exemplum charitatis CHRISTI admirabitur?

Applicatio. Summa Christi charitas.

qui vestibus serui sui indutus, & in similitudinem hominum factus, Dominus occurrit hostibus nostris, seque offert, vt moriatur pro seruis suis. O quis istam non admirabitur charitatem? Admiratur Paulus dicens;

E

Rom. 5.

Commendat autem in hoc charitatem suam Deus, quoniam cùm peccatores essemus, Christus venit, & pro nobis mortuus est. Domine quid est homo, vt sic apponas erga eum cor tuum? Sed quis similiter in CHRISTO dilectionem patris comprehendere poterit, & non admirabitur; qui sic nobis ipsum dedit? Ipse quidem filius admiratus est dicens; *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Sic, inquam, vt comprehendamus hoc incomprehensibile esse; sic, si intelligamus, quis ille sit, & præterea ad quem vsum datus est nobis. Quantum ad primum, filius patris vnigenitus est; & ita, sic Deus dilexit mundum, vt filium suum daret, non paradi-

A

sum voluptatis, vt Adamo: non mundi dominium, vt Alexandro; non denique aliquem Angelum, sed filium & præterea vnigenitum, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula, &c.

Legimus Iacob vix adduci potuisse ad hoc, vt Beniamin minimus filiorum dimitteretur per modicum temporis, & abesset à domo, vt Simonem fratrem redimeret qui detinebatur in Ægypto; licèt plures alij filij superessent Iacob. Et ecce æternus pater ad nos redimendos vnigenitum dedit. Videamus itaque secundò, ad quem vsum. Ecce vsus, vt nos redimeret per mortem suam à lege mortis, & nos suo liuore sanaret; denique ait S. Damascenus, vt pro salute ægroti sectionem venarum in se medicus pateretur: Dicamus adhuc iuxta Apostolum, vt eos qui sub lege erant, redimeret (de maledicto legis) & adoptionem filiorum Dei reciperemus. Hoc modo explicat illud Ephesiorum S. Thomas in commentario huius epistolæ, *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo*, &c. *scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Quam, inquit S. Thomas, pater fecit vobis per CHRISTVM: via enim est qua venit ad nos, & qua ad eum ire debemus, vt cum eo in æternum regnemus.

Gen. 43.

S. Iohannes Damascen.

cap. 3.

DE SINGVLARI AMORE quo IESVS Christus naturam humanam assumpsit, & non Angelicam.

Vidi afflictionem populi mei, & descendi. Exodi 3.

Videbit omnis caro salutare Dei. Luc. 3.

MAGNA & mira est conuenientia inter vtrumque testamentum vetus & nouum in testimoniis CHRISTI. Isaias vox Domini, prædicens hunc aduentum Messiæ, præparat vias eius, & clamat dicens;

cap. 40.

Consolamini popule meus, dicit Deus vester, loquimini ad cor Hierusalem, quoniam dimissa est iniquitas illius. Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons humiliabitur; erunt praua in directa, & aspera in vias planas, & reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. Vox dicentis: Clama; & dixi, quid clamabo? omnis caro fœnum; & omnis gloria eius quasi flos agri: exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. Verbum autem Domini nostri manet in æternum, &c. Coniunxit Propheta carnem quæ fœnum est, cum verbo quod firmum est & æternum, in eaque vnione tangit mysterium quod factum est; mysterium quod in Deo absconditum & præparatum ab æterno, in tempore completum est; quod Angelis reuelatum, Prophetis declaratum, annunciatum virgini, manifestatum Apostolis, & iam toti mundo prædicatum & notum, tale est: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ecce caro, ecce verbum, ecce cum verbo carnis coniunctio, supráque omnem mentem diuinæ dispensationis cum carne modus. Ecce tandem causa & ratio cur videbit omnis caro salutare Dei, scilicet quia verbum caro factum est; & visibile apparuit nobis. Hinc enim præuidens Propheta præparabat vias eius, sicut Iohannes præcursor videns oculis & digito demonstrans, hodie similiter præparauit, iisdémque penitus verbis

Mysterium incarnationis apud Isaiam descriptum.

Conuenientia vtriusque testamenti in Isaia, & Iohanne Bapt.

A pacem omnium. *Sed tu Domine Sabaoth, qui iudicas iuste, & corda probas, videam vltionem tuam ab eis* (nisi conuertantur) *tibi enim reuelaui causam meam:* Annuncio eis pacem tuam, pacem & viam pacis non cognouerunt. *Recordare* igitur *quod steterim in conspectu tuo vt loquerer pro eis bonum: & auerterem iram tuam ab eis.* Omnibus enim hodie pacem prædico. Sed quinam huius digni erunt fieri participes? Omnes? Minimè equidem; sed ij solùm quibus ab Angelo hodie nunciata est, hominibus bonæ voluntatis. Bonæ autem voluntatis illi sunt, qui quærunt Dominum dum inueniri potest, & inuocant dum propè est; vno verbo, qui peccata sua relinquentes ampliùs ea non committunt. Hodie itaque omnibus diuinæ misericordiæ thesaurus aperitur dum pax B annunciatur in terra, & ad nos venit princeps pacis; suósque nunc præcones habet, qui prædicant omnibus pacem, vbique reconciliationem. Quare ad Corinth. dicit Apostolus, *Si qua in Christo noua creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis: quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro* CHRISTO *ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Dum bellum viget, claues vrbis seu arcis penes C ducem sunt, subque ceruicali eius reponuntur dum in nocte quiescit, claudit, & nemo aperit: sed adueniente tempore pacis, aperiendi cura cuiuis demandatur. Ita ante incarnationem & annunciationem pacis, dum vigebat lex scripta, & nondum promulgabatur Euangelium, Deus solus penes se claues misericordiæ habebat. Ita enim Pharisæi apud Lucam, audientes CHRISTVM dicentem Magdalenæ & paralytico; *Remittuntur peccata tua,* dixerunt statim, *Quis est iste? Deus solus est qui peccata remittit.* Sed postquam ad nos venit, & per Angelum, sicut & per seipsum hanc pacem & reconciliationem promulgauit, statim etiam familiaribus suis ac domesticis hæc potestas clauium concessa est: quibus clarè dixit; *Accipite Spiritumsanctum, quorum* D *remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ecce vos ministros constituo æternæ reconciliationis. Quod vobis datur ad prædicandum, pœnitentia est in remissionem peccatorum: ecce reconciliatio & pax mundi cum Deo. *Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est,* &c. Quæso, si Rex ingrederetur hodie in hanc ciuitatem, & pro iucundo eius aduentu omnibus qui ad eum accederent, vel ad thesaurarium suum petituri solutionem debiti, statim petitionem concederet & remissionem, quamdiu saltem in ciuitate ista maneret, post verò discessum nihil omnino remitteret: quis, quæso, non subitò curreret ad impetrandam solutionem gratis? maximè E verò quando incertum esset de discessu Regis. Certè qui tunc plus deberet, magis etiam festinaret. Sic hodie, ô peccatores, in mundum CHRISTVS ingressus est condonaturus veniam & remissionem peccatorum: sed modò ipsum adeatis, & ab ipso, sicut etiam à vicario suo & thesaurario chirographum, & solutionem postuletis; nam postea nullum erit quærendi & inueniendi tempus: quærite dum inueniri potest, inuocate dum propè est.

Quibus pax annunciatur.

Quinã sunt homines bonæ voluntatis.

2. Corint. 5.

Exemplum.

Ante Christi aduētū Deus solus remittebat peccata, postea verò etiam hominibus hæc potestas concessa est.

Iohan. 20.

Exemplum.

DE VIIS QVIBVS CHRISTO exire obuiam debemus; ac primò de via puritatis, & contritionis.

Eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino. Exodi 5.

Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Luc. 3.

DE viis quibus ad nos CHRISTVS venit iam locuti sumus: nunc de iis quibus ei obuiam ire debemus, est loquendum. Clamat præcursor vt eas præparemus; proptereàque venit in omnem regionem Iordanis vox clamantis in deserto, & pœnitentiæ prædicans baptismum in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ; Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas eius. *Vias tuas Domine demonstra mihi.* Deus, & immaculata via eius. Idem Rex & Propheta qui petit sibi viam demonstrari, similiter immaculatam esse agnoscit. Sed quænam est illa? vtique via quæ ad Dominum ducit. Deus, immaculata via eius. Per ipsam ad nos CHRISTVS venit ex virgine natus; sicut ex patre ortus est candor lucis æternæ, & speculum sine macula: ita etiam per eamdem viam occurrendum illi est. Deus enim, & immaculata via eius. Quare interroganti, quis habitabit in tabernaculo eius? respondetur: innocens manibus & mundo corde. Quis enim videbit salutare Dei? respondetur; Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quis adhuc ibit obuiam ei? respondetur pariter, simile esse regnum cœlorum decem virginibus quæ exierunt obuiam sponso. Clamor factus est; Ecce sponsus venit, exite obuiam ei: Lauamini, mundi estote, & venite. Cor mundum crea in me Deus; Deus, immaculata via eius. Nobiscum & in nobis mansurus venit. & ecce Psalmista dicit; *Domum tuam Domine decet sanctitudo, innocentia vitæ.* Daturus etiam præmium venit, & idem Propheta ait; *Secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* Locum igitur & viam præparemus ei: eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro. Primus dies in sacrificio iustitiæ esse debet, quod est contritio & dolor de peccatis, ait Psaltes. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Non hircorum sanguine placari Deus potest; neque etiam vult, vt sacrificemus ei corpus nostrũ, qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat; quoniam si tale voluisset sacrificium, scilicet corporale, dedissem vtique: sed huiusmodi non delectatur holocaustis. Rationabile vult Deus obsequiũ nostrum: Hoc autẽ vnum inueni quod illi acceptissimũ est, & offeram sacrificium, spiritus contribulatus. Non enim caro contribulata illi placet, sed spiritus contribulatus ex recordatione peccatorum, qui tunc

Psalm. 24.

2. Reg. 22.

Ps. 14. & 23.

Matth. 5. & 25.

Isai. 1.

Psalm. 17.

Psalm. 50.

Quodnam à nobis sacrificium Deus exigit.

Quomodo vnguentum & sacrificiũ contritionis conficitur. illi est sacrificium suauissimi odoris. Dum enim peccata in mortariolo cordis colliguntur, & pistillo conteruntur compunctionis, dum denique reducuntur in puluerem, atque etiam lacrymarum aquis humectantur; inde certè vnguentum fit & sacrificium suauissimum Deo, quod oblatum nequaquam despiciet vt Psalmista dixit; *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Ita non despexit Publicanum Deus, qui stans à longè, & non audens oculos in cœlũ leuare percutiebat pectus suum dicens; *Deus propitius esto*, &c. Ita & Christus Magdalenam in ciuitate peccatricem non despexit, quæ tali vnguento confecto, & in alabastro cordis recondito, ingressa domum Pharisæi non timuit discumbentes, sed secus pedes Domini prostrata flere cœpit, nec erubuit inter epulas: dolore pressa non loquebatur, sed cor eius in lacrymas soluebatur, quibus lauit pedes, capillis tersit, vnguento vnxit, & osculari non cessauit. Hoc certè placuit sacrificium CHRISTO, adeòque gratum illi fuit, vt etiam Pharisæo qui sibi videbatur iustus, eam prætulerit quæ in ciuitate erat famosa peccatrix. Sed vnde hoc Domine, nisi quia cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Luc. 7. & 18.

Qua via Christo occurrendum. Hac itaque via nobis obuiam CHRISTO est exeundum, & in contritione cordis perficiendus dies primus itineris nostri; *Vox clamantis in deserto, parate viam.* En locus in quem est ingrediendum pœnitentiæ desertum. Locus certè multum est rei conueniens. *Solitudo pœnitẽtiæ locus conueniens.* Desertum & solitudo, vt plerumque, locus est spinis & tribulis plenus, sine solatio, & silentio austerus: sic est de pœnitentia, & corde quod conteritur, totum quidem in tribulatione & dolore de peccatis esse debet. In Iudicum lib. *Conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti*, scilicet contritionis & pœnitentiæ. Indic. 8. Desertum locus est bestiarum: & talis est conscientia peccatoris, quæ feris scatet atque criminibus. Apud Ezechielem: *Fili hominis, subuersores tecum sunt, & cum scorpionibus habitas.* Ezech. 2. In illud itaque desertum est ingrediendum, nobisque iter erit trium dierum, vnus erit contritionis, alter confessionis, tertius laudis seu sanctificationis. Eamus ergo viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro. Ecce nunc in primo die sumus, & in solitudinem cordis nostri ingredimur, vt de duricia eius, in ablutionem peccatorum lacrymas compunctionis extrahamus, & reliquum vitæ transigamus in lamentis, & fletibus pro peccatis commissis. *Fructus pœnitentiæ.* Isti enim sunt pœnitentiæ fructus: in nullo consolari quàm in vera contritione, & dicere; *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Psal. 76. Cassiod. in hunc Psal. Vbi Cassiodorus, Iure negat vir sanctus illis rebus consolari animam suam, quæ humanis desideriis appetuntur, quia tantùm Dei contemplatione gaudebat. Isti enim fuit vna consolatio, omnem intentionem ponere semper in Domino: sicut dicit, memor fui Dei, Dei venientis in carne, & ludentis in hominibus delicias habentis: propterea eum idem dicebat S. Augustinus, O summa veritas vnum precor à te, vt in nullo me permittas cõsolari quàm in te, omnia mihi amarescant, & tu solus mihi dulcescas. S. August. Quod autem ad hoc opus est, illud est, de gaudiis vitæ in delicias Dei transire, quæ sunt lacrymæ: & de Ægypto mundi in desertum pœnitentiæ: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini. Tertullianus libr. de spectaculis dicit, Nostræ cœnæ, nostræ nuptiæ nondum sunt, non possum cum illis discumbere: scilicet qui de mundo sunt; quia nec illi nobiscum, vicibus disposita res est; sæ- Tertull lib. de spectac. cap. 26.

A culum, inquit CHRISTVS, gaudebit, vos tristes eritis. Lugeamus ergo dum Ethnici gaudent; nunc illi lætantur, nos autem conflictamur. hæc ille. Illi in mundo sunt, nos in pœnitentiæ deserto esse & manere debemus; vt cùm isti lugere cœperint, ait Tertullianus, nos gaudeamus: vicibus enim disposita res est. Eamus viam trium dierum in solitudinem; Vox clamantis in deserto.

Legitur in Exodo quod statim atque de Ægypto egressi fuissent in desertum filij Israël, innumeris beneficiis Dei potiti sunt, quibus & ostendit terram promissionis, &c. sic nobis adueniet pro certo si de Ægypto peccati transeamus ad pœnitentiam & gaudia deserti, vt ibi cor contritum & humiliatum B sacrificemus Domino: Holocaustis enim Domine non delectaberis. Super quæ verba dicit S. Augustinus: Vnde Deum placabimus? offer, sanè in te habes, quod offeras, noli extrinsecus thura comparare, sed dic, in me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudes tibi. Noli extrinsecus pecus quod mactes inquirere, habes in te quod occidas; sacrificium Deo, spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Sed vbinam fit & Deo offertur tale sacrificium? vtique in deserto pœnitentiæ. O fœlix desertum, de quo etiam nobis ostẽditur cœlum, Luc. 3. Pœnitentiam agite, & appropinquabit vobis regnum cœlorum. O pœnitentia, dicit S. Chrysostomus, rutilentior auro, splendi- C dior sole, quid de te referam! omnia ligata soluis, paradisum aperis, infirmos sanas, tristes lætificas, & perditos ad vitam æternam reuocas. O si ritè veritates istas apprehenderemus! S. Augustin.

Virtutem eius cum definitione scire vultis? Sacramentum est institutum à Christo in Ecclesia, in quo ministerio sacerdotum remittuntur omnia peccata actualia & soluuntur omnia vincula ad culpam pertinentiæ, quibus quodammodo ligabatur ad pœnam conscientia. Præterea adhuc pœna æterna remittitur, & pars pœnæ temporalis, vel etiam tota, iuxta dispositionem pœnitentis. Ecce quid sit pœnitentia, & quæ eius definitio in qualitate Sacramenti. *Definitio pœnitentiæ, & virtus vt est sacramentũ.* In qualitate verò virtutis & habitus, est de- D relictio peccati in confessione cum æterna voluntate non peccandi. Ecce cum virtute fructus eius. *Definitio in qualitate virtutis.* Cuius modo necessitatem talem esse docet Concilium Trident. ad salutem, ratione actualis peccati; qualis est necessitas baptismi respectu originalis: *Pœnitentiæ necessitas.* Hæc autem exigit necessitas, vt citiùs quàm poterimus dignos eius fructus faciamus; *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*, &c. *Et quid exigit.* Vox clamat demõstrans quia vrget, & non patitur moras: qui enim differt, & in peccato diutiùs manet, eo certè maiora illi mala succedunt; & illa præsertim tria & maximum. Primum est quædam induratio cordis, & facilitas ad omnia peccata; Nam, vt S. Gregor. dicit, tanta est grauitas peccati, vt si non corrigatur subitò, suo pondere hominem trahat ad aliud, & illud ad aliud, & sic in infinitum fit progressus, & catena malorum omnium. *Quæ mala accidunt ex dilata pœnitentia.* *1. Induratio.* Secundum est, quod paulatim diuinæ misericordiæ porta occluditur, ita vt nihil fere tunc supersit, nisi vnum totalis salutis, & misericordiæ. *2. Desperatio misericordiæ.* Quid enim aliud superesse potest tali homini perseueranti in peccatis suis? Tertium est omnium bonorum operum iactura. *3. Bonorum omnium iactura.* Quamdiu enim aliquis in peccato manet, nihil prodest illi ad salutẽ; non ieiunia, non preces, non eleemosynæ: Ad istam quæso iacturam omnes attendite, & si hæc vos non afficiat, saltem faciat ipsius Dei in æternũ iactura & separatio. Permittite igitur mihi vt dicã vobis quod dicebat Moyses Pharaoni Exo. 5. Deus Hebræorũ vocauit

cauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino. Hic autem dies primus est nostræ conuersionis ad Dominum. In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur à te Domine. Ista sunt hodie quæ cum tribus pueris Hebræorum in fornace, dicere possumus. Hæc est via sacrificij, puritatis & contritionis quam primò ingredi debemus, procedentes obuiã CHRISTO. Cras iter faciemus confessionis, & die tertia laudis & sanctificationis.

Dan. 3.

Nunc igitur primum gressum inferamus in hanc solitudinem & desertum pœnitentiæ, per contritionem & dolorem de peccatis. Talis enim est vera & syncera pœnitentia secundum S. August. lib. de vera & falsa pœnitentia, quæ, inquit, quædam dolentis vindicta est, semper puniens in se quod dolet commisisse. Ita enim ex illa contritio emanat quæ etiam ita definitur; detestatio peccati quatenus est offensa Dei super omnia diligendi, cum proposito firmo numquam postea peccandi. Hic enim duo sunt potissimùm consideranda; videlicet quod sicut Deus, quia est summum bonum, debet super omnia amari: ita peccatum, quia est summum malum, debet super omnia odio haberi. Sunt enim inter se opposita & contraria. Vnde equidem fit, vt ratio contritionis sit bonitas Dei. In tribus autem illa bonitas consistit maximè. Primò, quia nos Deus creauit ad imaginem suam, & capaces suæ similitudinis, videlicet gratiæ & gloriæ. Secundò, quia post commissum peccatum in mundo, misit filium suum, vt de eo nos liberaret, &c. Tertiò, quia nobis adhuc quotidie innumera beneficia confert, & illud inter multa, quod patienter nos ad pœnitentiam expectat. Hæ sunt quidem rationes cur de peccatis conteri & illa odisse debemus, atque etiam adinstar Magdalenæ adire CHRISTVM ex charitatis feruore, vt ad illius pedes prostrati mereamur audire illa consolationis verba: Peccata vestra remittuntur, quoniam dilexistis multum: ite in pace.

S. Aug. c. 13.

Quid sit contritio.

Ratio contritionis bonitas Dei. In tribus bonitas consistit.

DE VIA CONFESSIONIS.

Eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino. Exodi 5.

Vox clamantis in deserto: parate viam Domini. Luc. 3.

PROCEDENTES obuiam CHRISTO venturo, iam primum diem fecimus, & satis ingressi sumus in desertum, vt dicamus cum Psal. *Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine.* Sed adhuc vlteriùs progrediendum est, nobisque hic dies secundus propiorem accessum dare merebitur ad CHRISTVM venientem, si humilitatis viam euntes, præoccupemus faciem eius in confessione. Vias tuas Domine demõstra mihi: & semitas tuas edoce me, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo: & in veritate tua Deus humiliasti me. Ecce hodie via quã debemus ingredi, vt ad CHRISTVM mereamur proficisci: In conspectu eius & veritate, humilitatis via est & confessionis. Hæc est via quam nos edocuit, ad præsepium vsque & mortem humiliatus: via quam tenuit veniens in mundum, & quam in tota vita exercuit. Quid enim fuit tota vita CHRISTI, nisi exemplum perfectũ veræ humilitatis? vnde si ad eum hodie accessum velimus habere, hæc via tenenda est; maximè verò in confessione, vbi in veritate & humilitatis spiritu agnoscitur coram Deo vilitas nostra, & nostra simul declaratur iniquitas; vnde dicebat S. Augustinus super 1. Canonic. Ioh. Cùm confessus fueris te peccatorem appropinquas ad lucem; quia confessio adiungit te CHRISTO, qui est sol iustitiæ, vt verificetur de te illud Ephes. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc lux in Domino. Quæso hic aduertatur quomodo vera lux & humilitas est in confessione, ex eo quod nos coniungit CHRISTO, qui est lux. Hinc Sapiens dicit; *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur,* (quia in tenebris manet.) *Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur,* coniungetur CHRISTO, & fieri particeps omnium bonorum eius merebitur. Hæc est humilis confessionis potentia & virtus. Confessio iustificat, sanat, peccanti veniam donat, ait Isidorus. Et S. Ambrosius, A morte animam liberat, paradisum aperit, spem saluandi tribuit. Hanc itaque ingrediamur viam: & quid sit confessio sacramentalis dicamus. Ita enim viam aperimus & accessum ad CHRISTVM.

Confessio dat accessum ad Christũ.

S. August. in 1. can. Ioh.

Ephes. 5.

In confessione lux.

Prouerb. 28.

Confessio est humilis, integra, & diligens peccatorum declaratio Sacerdoti tanquam Deo, cum proposito non ampliùs peccandi. Ecce conditiones quatuor sine quibus non prodest confiteri. Prima est, vt sit humilis confessio. Non debet enim qui peccata confitetur, esse superbus, vt ille Pharisæus Euangelij, qui coram Deo iactitabat mala sua opera; omnia enim faciebat in vanitate spiritus, vt multi adhuc faciunt, qui loco peccatorum iustitias suas enarrant, dicentes vt iste; Non sum sicut cæteri hominum, non hoc malum feci, neque istud, &c. sed adinstar publicani debet humilis esse accusator sui, qui, vt ille, misericordiam postulare venit, & se peccatorem confiteri: Ille Publicanus à longè stans nolebat nec oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Sic prodigus in se reuersus dixit; Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum & coram te, &c. Cùm autem longè esset, vidit eum pater, & misericordia motus, accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Vbi S. Bernardus, O beata spes confitentium quàm citò tremendum Iudicem conuertis in pijssimum patrem! Isaias dicit; Narra si quid habes vt iustificeris: & Deo dic cum Ezechia; Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et cum Dauid, exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Sic Magdalena ad pedes Domini prostrata & humiliata, iustificationem suam audiuit, & quia remissa erant peccata sua.

Quid sit sacramentalis confessio.

1. Conditio.

Luc. 18.
Luc. 15.

S. Bernard.

Isai. 43. & 38.

Secunda conditio est, vt sit integra, id est, secundum numerum & speciem peccatorum cum circumstantiis eorum; vt si cum furto aliquis habuerit alium finem pessimum, vtpote fornicandi, occidendi, & cætera huiusmodi, tunc circumstantias illas cum furto prodere & accusare debet. Idem est de concupiscentia ratione virginis, aut mulieris, vel aliqua affinitate coniunctæ, &c. Nihil omittendum, nihil tacendum, sed omnia sunt dicenda cum humilitate, veritate, & synceritate; sine excusatione sui, & accusatione proximi, vt multi frequenter faciunt, qui historias narrant, & proximos suos reuelant, aut diuerticula quærunt ad excusandas excusationes in peccatis: vel adhuc sæpiùs negant omnia, vt adhuc magis reddantur abominabiles. Dauid Psal. 140. *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas, &c.*

2. Conditio confessionis.

3. conditio. Tertia conditio est, vt sit diligens, id est, præeat examen cōscientiæ, adeo vt ante confessionē tempus eligatur ad peccata animo repetenda, curáque adhibeatur quæ adhiberi solet in rebus alicuius momenti. Modus autē erit iste. *Modus examinandæ conscientiæ.* Recordari locorum, temporum, rerum, personarum, actionum, verborum & cogitationum: Hæc omnia reuoluere apud se, & si opus sit, in schedula scribere, atque etiam in quo mortale sit videre, vt postea secundum speciem, numerum & circumstantias accusetur; vbi adhuc est curandum vt habeatur doctus & probus Confessarius, qui sciat mederi, secernere lepram à lepra, sanare, & consolari, &c.

4. Conditio. Quarta conditio est, propositum numquam peccandi, alioquin confiteri non prodest. *S. Aug. ser. 7. de tempore.* S. Aug. ideo sic conqueritur; Multi, inquit, assiduè se dicunt peccatores, & tamen adhuc eos peccare delectat, professio ista est, non emendatio. Accusatur anima, non sanatur, pronunciatur offensa, non tollitur, pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, amor Dei, &c. Quare accidit vt illarum conditionum defectu, plerunque confessio inualida maneat, & nullius sit valoris.

Casus in quibus nulla fit confessio. Casus autem in quibus nulla est, isti sunt. Primus est, vbi peccatum aliquod mortale obliuioni traditum est defectu diligentiæ necessariæ ad præparationem. Secundus vbi omissum est malitia, vel verecundia. Istius generis multa sunt horrenda exempla. Tertius vbi defuit voluntas relinquendi aliquod mortale peccatum, vel etiam occasionem illius. Quare iam ad duo præcipua libenter hodie vnumquemque exhortarer.

Vtilitates confessionis generalis. Primum est, vt saltem semel in vita, & ad melius adhuc quotannis fiat confessio generalis. Multæ enim sunt vtilitates quæ inde proueniunt. Prima est quod si in antecedentibus confessionibus aliquis defectus aduenerat contritionis, voluntatis, aut propositi peccata vitandi. Item accusationis peccatorum, vel etiam absolutionis ex parte ministri, totum id in generali confessione reparatur. Secunda est, quod ex generali confessione, in nobis renouetur dolor de peccatis, & sic noua occasio meriti: vbi ex tali memoria & repetitione delictorum præteritorum, adhuc in nobis amor excitatur in Deum, dum omnia simul peccata nostra nobis obueniunt, & in ea aspicientes, magis ac magis diuinam erga nos admiramur bonitatem. Tertia, quod dum tam multa simul peccata consideramus, ad bona opera excitamur, ne vincat numerus malorum, multitudinem & magnitudinem bonorum operum; memores istius communis verbi sancti Chrysostomi ad populum Antioch. *S. Chrysost.* Nisi tot fuerint bona, vt exuant crimina, & ex relictis aliquid in iustitiam nobis reputetur, de nobis à suppliciis liberabitur nemo.

Vtilitates confessionis frequentis. Secundum est, vt sæpiùs adhuc in anno fiant ordinariæ confessiones, & frequentes sint. Ex illis enim adhuc istæ oriuntur vtilitates. Prima est, quod qui sæpè & frequenter confitetur, magis est securus in vita, & ad moriendum paratus. Secunda facilius venis in cognitionem suipsius. Sicut enim pauimentum, vel pannus rarò versus & puluere respersus, minus videtur; ita peccator qui pluribus est peccatis opertus & sordidatus, suipsius minimam cognitionem habet. E contrà si mundum est pauimentum, facilè etiam minimam maculam detegit. Ita est de conscientia sæpiùs mundata, &c. Tertia est, quod magis ac magis sibi Deus complaceat in illo. Sicut enim pater qui videt filium hoc vnicè cauere ne offendat eum, non potest non amare illum: ita Deus gerit se erga eum, qui timet

A offensam, & peccatum horret. Quarta denique est, quod diabolum & tentationes expellat. Sicut enim aranea vitat loca quæ sæpiùs mundantur, qualia sunt cubicula diuitum: ita diabolus animas & corda fugit quæ crebrò pœnitentia purgantur.

Hæ sunt itaque rationes & motiua, quibus & ad generalem, & ad frequentem confessionem inducimur. *Tria quæ à confessione peccatorem retrahunt.* Tria autem sunt, quæ vtplurimum peccatorem & pœnitentem ab vtraque solent abducere. Primum est verecundia & pudor peccatorum. Cui oppono Dei scientiam omnia videntis, & cuius locum Confessarius tenet; item reuelationem rerum omnium in die magno iudicij, &c. Secundum est metus incurrendæ infamiæ, vel alicuius damni
B temporalis si restitutio iubeatur. Cui oppono æternam ignominiam in inferis, & bonorum æternorum iacturam. Tertium est timor alicuius pœnitentiæ grauis. Cui adhuc martyrum cruciatus & constantiam obiicio; & si fas est, æterna damnatorum tormenta. Certè ecce vnde omnis reiicienda est pusillanimitas, sed assumendus animus: sed maximè adhuc in eo in quo omnia possumus, in cuius gratia, misericordia, & fortitudine est omnis spes victoriæ nostræ, scilicet in Christo. Cui est omnis gloria, honor, & virtus in sæcula sæculorū. Amen.

C

DE VIA SANCTIFICATIONIS.

Eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino. Exodi 5.

Vox clamantis in deserto: parate viam Domini. Luc. 3.

EXEVNTES obuiam CHRISTO fœliciter viam duorum dierum confecimus; vltimus nobis dies restat vt inueniamus ipsum, dies est satisfactionis, per quam totum iter pœnitentiæ conficitur, & securè perueniumus ad CHRISTVM, dignique atque dispositi inuenimur vt ei offeramus sanctuarium
D cordis nostri. Qui venit pro omnibus soluere, & omnes libertate donare, neminem introducit ad se, nisi qui priùs omnibus satisfecit & liber est. *Tribus nos peccatum debitores reddit.* Debitores autem tribus peccatum nos facere solet, Deo, nobis ipsis, & proximo: vnde proximo satisfacimus, cùm ei ablatum restituimus siue in bonore, siue in bonis; firmum enim & irreuocabile stat S. Augustini dictum, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Fateor equidem quod multis durum hoc videatur & difficile. Interim verum est & certum, opus esse hāc vltimam custodiam & portam transire, quæ ferrea est, & dat libertatem; alioquin semper detenti in carcere remanemus: & sic legi-
E mus in Actis Apost. S. Petrum vinctum catenis & in carcere seruatum, excitatum ab Angelo, & sequentem ipsum transiisse primam & secundam custodiā, *Necessitas restitutionis & figura. Actor 12.* venisse autem adhuc ad tertiam portam ferreā, quæ ad ciuitatem ducebat, quæ vltrò etiam aperta est eis. Ita dico necesse est, si velimus exire de carcere peccati, vt excitati ab Angelo & inspiratione diuina, transeuntes primā & secundā custodiā, veniamus ad portam ferreā, quæ adhuc vltrò aperienda est, id est, vt post contritionem & confessionem peccatorum, quæ sunt vincula nostra, iam soluti & liberi ab illis ad voluntariam satisfactionem veniamus. Illa enim est quæ ad cœlestem ciuitatem ducit: porta equidem ferrea est; sed aperta nos ad Christum introducit. Eamus itaque viam trium nostrorum dierum, & sa-
crificemus

crificemus Domino, quodnam sacrificium? vtique iustitiæ, vt dixit psaltes; Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino, sperate accessum, sperate & introitum. Quis enim ascendet in montem Domini, dicit Dauid: aut quis stabit in loco sancto eius? innocens manibus, ait. Et rursus: Qui operatur iustitiam, nec fecit proximo suo malum. Qui facit hæc, benedictionem accipiet à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini.* Paratur equidem, vbi satisfactionem facere vnicuique curamus; Deo, nobis, & proximo: proximo per restitutionem: nobis per dolorem & confessionem oris; ita vt vnicuique liceat dicere, feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me, &c. Deo autem cùm non amplius dimissa peccata committimus, cùm restitutam nobis innocentiam seruamus; cùm denique per continuam pœnitentiam diuinæ iustitiæ satisfacimus, ne deterius contingat nobis. Hinc enim valuit hæc venerabilis sententia; iterum non pecces, ne maiorem damnationem peccati tui incurras. Quia qui pro peccato punitur, & ex pœna à peccato non retrahitur, iustum est, vt grauius puniatur: Reincidere enim, quàm incidere deterius est. Ille ergo dignè Deo satisfacit, qui operatur iustitiam, sanctitatem seruat & innocentiam.

Psal. 23. & 24.

Per satisfactionem via Domini præparatur.

Beda.

Si autem vnquam Deus postulauit à nobis sanctitatem, hoc præsertim tempore est, in quo ad nos venit qui sanctorum sanctus est, & omnium salutem debet operari. Dux Iosue volens arcam fœderis Domini hostibus exponere in medio Iordanis, dicebat ad populum, *Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.* Quanto magis nos hodie debemus vacare sanctitati, audientes quod crastina die delebitur iniquitas terræ, & nobis ad salutem apparebit in medio terræ arca fœderis Domini, sed plus quàm arca, Christus reconciliatio nostra? Sanctificamini igitur, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia. Quæ mirabilia? Nascetur in Bethleem Dei filius: inuoluetur pannis, & ponetur in præsepio, à pastoribus adorabitur & Magis: & reuelabitur gloria eius, gloria quasi vnigeniti à patre, ab Angelis & stellis. Ecce mirabilia quæ statim faciet Dominus: iam propè est, & cras nobiscum erit. Dicam, & in nobis erit. Ioh. 14. *Vos cognoscetis eum quia apud vos manebit & in vobis erit;* videlicet quando non solum in Bethleem Iuda, sed etiam in altari Ecclesiæ ipsum excipietis adorantes. Præparate ergo illi præsepia cordis vestri: domicilia inter vos præparate illi. *Vox clamantis,* &c. Certè absque consolatione non eritis sic Deum habere in vobis. Ad nos in Bethleem Iuda veniens, vtique rediturus in cœlum venit; veniet autem intra nos, nobiscum permansurus, & in æternum, hoc per Eucharistiam, & illud per gratiam. Solus in carne ad præsepe & in Bethleem venturus est, per gratiam vero in nos cum patre & Spiritusancto, vt ipse ait, *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia. Ad præsepe veniet pauper, petens lac, & nudus: in nos verò diues, daturus cœnam, & gloria coopertus, vt in Apocalyp. legitur, *si quis audierit vocem meam, & aperuerit, intrabo ad eum, & cœnabo cum illo.* Sanctificamini, cras enim, &c. Ad præsepe veniet delicias daturus bestiis terræ: in nos autem accepturus à nobis; sicut ait, *delicias meas esse cum filiis hominum.* Sanctificamini, cras enim, &c. Illi igitur præparemus corda nostra, quia & in nos venire ipse paratus est. S. August. in soliloquiis suis dicit; Domine, semper te præsentem exhibes, & semper te paratum offers, quando me paratum inuenies? &c. Præparatio ergo quam petit, probatio conscientiæ est; probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. Nascitur in Bethleem, quæ dicitur domus panis, quia ab omnibus manducandus venit. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Item in præsepio nasci voluit, quia iumentorum cibum se fecit, vnde verbum caro factum est: omnis autem caro fœnum, & fœnum iumentorum cibus, vt nobis proportionetur cœlestis iste & spiritualis cibus. Quare Ecclesia dicit: *O res mirabilis, manducat Dominum pauper, seruus & humilis.* Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.

Iosue 3.

Necessaria sanctificatio in aduentu Domini.

Ioh. 14.

Ioh. 14.

Apoc. 3.

Prou. 8.

S. Aug.

Quã præparationẽ Deus exigit à nobis.

Ioh. 6.

Quæ autem ad præparationem requiruntur, illa sunt. Primum fides, vt videlicet consideremus eum qui in hoc venerabili sacramento continetur, esse Dei verbum & filium, eum qui eiusdem est substantiæ, & Maiestatis cum patre & Spiritusancto, qui est, vt Apostolus dicit, splendor patris & figura substantiæ eius; portansque omnia verbo virtutis suæ. Item eum esse filium virginis, de Spiritusancto conceptum, in Bethleem natum. Denique vnum Christũ, Deum simul & hominem, qui per 34. annos cum hominibus conuersatus est, omnibus prædicans quod filius Dei erat, qui affixus est cruci & mortuus est; & resurgens à mortuis, ad cœlos ascendit, sedétque ad dexteram patris. Qui denique sciens quia venerat hora, vt de hoc mundo transiret ad patrem, ante exitum & mortem, sub ista minutissima panis specie se hominibus manducandum dedit & reliquit. Ecce, vt accedamus, necessaria fides. Secundum quod requiritur est spes obtinendæ misericordiæ & gratiæ, cùm ad immensum mare bonorum omnium accedamus. Tertium est amor qui ex præsentis beneficij memoria & consideratione oritur, in quo tam benignè, tam intimè, & tam familiariter nobis se communicat Deus, vt dignetur in sua Maiestate & gloria nostram domunculam ingredi, atque etiam se dare nobis in medicinam & cibum. Quartum est spiritualis fames, quæ ex indigentia & necessitate nostra oritur. Quintum est humilitas & reuerentia, quæ oriuntur ex vilitate nostræ conditionis, & dignitate simul diuinæ immensitatis; in cuius conspectu nihil sunt omnia: & tamen dicit Dominus, *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Vbi ait Bern. ser. de Aduen. Beatus apud quem mansionem facies Domine IESV: beatus in quo sapientia ædificat sibi domum: & beata anima quæ sedes est sapientiæ. Quænam verò illa est? Anima vtique iusti: & meritò planè, quia iustitia & iudicium præparatio sedis eius. Si quis itaque in vobis est, ait iste sanctus Doctor, qui in anima sua Christo parare sedem desiderat, ecce quæ tapetia oporteat præparari; iustitia & iudicium præparatio sedis eius. Iustitia, vt non regnet amplius peccatum in nobis: iudicium, vt dignos fructus pœnitentiæ faciamus. Iustitia denique & iudicium, vt reddamus ei animam & corpus, quæ redemit, & sibi sanguine suo acquisiuit. Vnde rursus S. Bern. ait. Quid ego infœlix quo me vertam, si tantum thesaurum, & tam pretiosum istud depositum quod Christus sibi proprio sanguine pretiosius iudicauit, contigerit negligentiùs custodire? Si stillantem in cruce sanguinem Domini collegissem, & apud me repositus fuisset in aliquo vitreo vase, quid animi habiturus essem in tanto discrimine? & certè id accepi, pro quo ille mercator cœlestis non dubitauit sanguinem suum dare. Custodiam ergo animarum nostrarum tenemus. Vnde oportet vt non simus negligentio-

Quænam ad dignam præparationem Euch. requiruntur.

1.

2.

3.

4.

5.

S. Bern. ser. de Aduen.

Anima nostra pretium sanguinis Christi valet.

res,sed vigiles, vt cùm Dominus venerit, & pulsauerit, confestim aperiamus ei. Hodie itaque cùm propè sit, & pulset, & iam vox clamantis audiatur in deserto cordis, nostras attollamus portas, & introibit Rex gloriæ.

DE AVGVSTISSIMO natali die Domini nostri & Saluatoris IESV CHRISTI.

Inuenietis infantem inuolutum pannis, & positum in præsepio. Luc. 2.

Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Iohann. 1.

MAgnum hodie est festiuitatis præsentis in natiuitate CHRISTI gaudium; quia priùs replet cœlum quàm terram: sic enim hodie nobis cecinerunt Angeli; *Gloria in excelsis Deo.* Et postea subiunxerunt: *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Veruntamen communia sunt gaudia nobis & illis. Cœlum gloriam Deo reddit adorans Maiestatem eius; & terra tali adoratione lætatur. Dicam amplius, Deum ipsum sibi hodie in hac temporali natiuitate gloriam dare. Et equidem non est vnde tanta lætitia, & adoratio cœli & terræ ostendatur & fiat circa tam humilem natiuitatem Saluatoris, nisi quia hæc ad honorem æternæ refertur. Si enim exinanitionem solùm spectaremus, nulla nobis appareret causa & ratio gloriæ: si verò relationem consideremus, vnionem atque vnitatem, magna est Maiestas & magna gloria, vbi natiuitas vna & generatio honorat alteram, & quod temporale est, in vnione & per vnitatem personæ fit æternum. *Verbum caro factum est*; ait S. Iohannes, *& habitauit in nobis.*

Triplex generatio & natiuitas Christi. Prima.

Hic de tribus generationibus seu natiuitatibus Christi est loquendum: de æterna in patre; de abscondita & temporali in virgine: & de visibili atque reuelata in Bethleem. Pro prima sciendum est istud verbum, de quo Iohannes loquitur tam altè & sublimiter, non esse quid Angelicum aut humanum, nec aliquid simile quod in libris scriptum legimus, atque etiam lingua proferimus, quod appellare solemus Dei verbum: hæc enim omnia creata sunt, & creaturæ. Sed est illud viuum & essentiale verbum quod Deus est, æterna ratio & sapientia patris, intelligentia incomprehensibilis, & incommutabilis veritas. Dicam: ipse Dei filius vnigenitus, qui in tempore homo factus est.

Cur à verbo Dei voluit S. Iohannes sub incipere Euangelium.

Cur autem dicatur verbum, vt explicetur, iam nobis necesse est introire in potentias Domini, & in arcana æternæ generationis eius. Sed antea notandum erit, voluisse sanctum Euangelistam à verbo Dei sumere suum exordium, vt ostenderet conuenientiam inter vtrumque testamentum, se non esse contrarium Moysi, sed eadem scribere quæ ille scripsit, scilicet verbum & filium Dei in Deo esse ante omnes creaturas, & per illum omnes fuisse creatas. Moyses de creatione loquitur in ipso: & Iohannes de generatione eius per quem omnia facta sunt. Vnde iste multo altiori tono exorsus est qui ad vtramque ascendit & descendit generationem, & omnium etiam postea creationem comprehendit dicens; *In principio erat verbum, & verbum caro factum est, per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est,* &c. Imprimis igitur dicimus appellari verbum, vt ostendatur quia generatio eius æterna spiritualis est, seu intellectualis, &

Cur filius Dei verbum dicitur.

A non carnalis; simplex & nō materialis. Non dixit autem Euāgelista; in principio erat filius, ne quis talem apprehendisset generationē carnalē & materialem: sed potiùs, atque ideo verbum dixit, quod propriè est mentis conceptus, Sapientia & notitia interior, quæ in Deo, ipsamet Dei est substantia; vnde tale verbum & talis Dei conceptus, Deus est, & simul Dei filius. In hoc enim differt intelligentia Dei à nostris & Angelorum intelligentiis, quod nostræ & illorum accidentia sunt; Dei autem, substantia Dei, vnde per intellectionem in Deo generatio accidit.

In quo differt intelligentia Dei à nostris intelligentiis.

Nobis itaque dicendum superest quomodo nominatur & verè est Dei filius, Dei verbum: & similiter generatio, intellectio eius. Sciendum ergo, in

B Deo primò naturam spiritualem & intellectualem esse, deinde seipsam & in se omnia intelligere: intelligens autem se Deus, concipit se; qui conceptus cùm ab intelligente sit distinctus, & in Deo substantia, & non accidens: propterea filius Dei dicitur. Ad hoc enim vt aliquis filius dicatur, requiritur distinctio personæ, & similitudo substantiæ cum patre: quod quidem in Dei filio accidit quatenus verbum est. Nam vt verbum, productum est, & ideo à producente realiter distinctum; vt verò Dei verbum, eadem Dei substantia est, & sic Dei filius. Quomodo verò ista intellectio in Deo dicatur generatio, declarari etiam potest ex eo quod per talem sui ipsius notitiam, & intellectionem Deus na-

C turaliter communicat suo verbo esse suum & substantiam.

Verùm de ista æterna & prima generatione, qua Deus de Deo est, ad humanam & secundam, seu absconditam in virgine, qua verbum caro factum est, descendamus; postquam in sinu intellectus patris considerauimus, nunc in vtero virginis natum, sicut conceptum contemplari debemus. Antequam enim ex ea nasceretur in Bethleem, in ea 9. mensibus in Nazareth natus est, quæ eius secunda Natiuitas fuit, de qua nunc dicendum, antequam adoremus natum in medio nostri. Iohannes paucis verbis totum hoc admirabile commercium, de quo tot & tanta dixerunt prophetæ, explanauit dicens; *Ver-*

Secunda natiuitas Christi.

D *bum caro factum est:* breue verbum, sed complectens vniuersum; cœlum & terram, Deum & creaturam. Dicit *verbum*, vt intelligamus non esse patrem aut Spiritumsanctum qui carnem assumpsit, sed filium. *Caro factum* dicit, vt ostendat quomodo pro nobis in extremam humiliationem descenderit. Quid est enim omnis caro, nisi fœnum? & quid omnis gloria eius, nisi flos fœni? & ecce verbum Dei caro factum est. Caro factum, non quod in carnem mutatum sit, sed ideo factum caro, quia sibi totum hominem assumpsit, scilicet animam & corpus in personæ suæ vnitatem. Ita vt simul fuerit Deus & homo perfectus, vnus CHRISTVS IESVS; exaltatus homo, humiliatus Deus. Sic Phil. 2. *Cùm*

E *in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* Verbum caro factum est. Vnde etiam & dicitur venisse in similitudinem carnis peccati, & pro nobis maledictum factum esse; dicam adhuc & maledictionem & peccatum, vt dicitur Gal. 3. Cùm videlicet in carne hac assumpta soluit & tulit pœnas & torméta pro peccatis nostris. O extremam verbi & vnigeniti Dei humiliationem! Ecce quid Isaias dixit; *Reputauimus eum nouissimum virorum:* & ipse in Psalmis; *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis:* quando nimirum verbum caro factum est, & habitauit in nobis.

2. Cor 5. Gal. 3.

Hæc nostra & terrena est, seu hodierna Christi Natiuitas ex virgine, quæ reuelata mūdo apparuit, & in Bethleem

Tertia natiuitas & vltima.

Bethleem hodie visibilis fuit. Ecce annuncio vobis A gaudium magnum, ait Angelus, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator CHRISTVS IESVS in ciuitate Dauid; & hoc vobis signum, inuenietis infantem inuolutum pannis, & positum in præsepio. Sed cuius matris infantē? Virginis. O coniunctionem admirandam! ô ineffabilem natiuitatem! filius Dei altissimi nascitur infans de virgine. Quid admirabilius quàm connexio Dei & hominis, sapientis & infantis, immensi & inuoluti, carnis & verbi, matris & virginis? In huiusce consideratione mysterij tot & tanta simul commendatione digna nobis se offerunt, vt in multis videatur ab aliis differre mysteriis quæ quotannis occurrunt. Cætera namque festa nobis quidem aliquod B singulare mysterium repræsentant, aut Christi tantùm, aut virginis: istud verò est vtriusque simul, eo quod filium Dei factum hominem minimè intueri possumus, quin statim etiam admirantes suspiciamus virginem Dei matrem constitui.

Quomodo ab aliis differt mysteria natiuitatis, & pro cunctis commendabile est. Refertur ad diuersos.

Sed vlteriùs progredior, & dico adhuc ad æternum patrem pertinere, in quantum quidē ille Deus, quem factum hominem hodie conspicimus, & filium virginis, vnigenitus etiā est æterni patris; quod plane admiratione dignum est, scilicet, virginem eum habere filium qui Deum habet patrem suum. Et hoc est certè inter omnia quod ipsam potiori commendatione illustrat. Vnde etiam nunc nobis quod ex illa tanta consequitur dignitate, in quam C eo statu est euecta, & perspicere & venerari conceditur; relationem videlicet sanctissimæ eius maternitatis ad paternitatem æterni patris, & præterea honorem superexcellentissimum quem reddidit & in æternum admirando illo statu est redditura huic paternitati. Omnes quidem creaturæ actu aliquo summam illam paternitatem honorare poterant, sed statu sola virgo potuit, statu, inquam, quia in æternum mater est eiusdem filij. O quantum decus decet eam quæ sic ac tantum sola potest honorare Deum! O quanta obsequia huic nouo cœli & terræ miraculo à cælestibus terræque ciuibus debent impendi! huic, inquam, virgini, quæ hodie in stabulo vt mater, & non vt ancilla tantùm, famulatur Dei filio. D Sed demum aliud in hoc mysterio contentum, potissimumque ad nos spectans mirabile videamus: quod nimirum Dei filius non solùm homo factus est, & virginis filius, sed frater noster & nostra caro, constituens nos in se adoptiuos filios Dei, talésque efficiens per gratiam, qualis ipse est per naturam.

Sed postremò adhuc inter omnia quæ hic admiratione digna sunt, vnum superest, quod absque consideratione minimè est prætermittendum; cur Dei filius non solùm derelicta Angelica & perfectiore natura, humanam imbecilliorémque assumpsit: sed etiam posito quod homo fieri dignatus est, nasci voluit & subire statum atque conditionem infantis. Ecce enim hodie Angeli dicunt; Annuncio E vobis gaudium magnum, quia natus est vobis Saluator Christus; inuenietis infantem inuolutum pannis. Quale gaudium? nonne maius multoque melius nobis extitisset, si absque nascendi infirmitate perfectus apparuisset nobis factus homo, corpus, sicut Adam, hominis perfecti & completi induisset ab initio? Quid proficit tam diuersa conditio ætatis & per tot transire status, infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ & virilitatis? Iam mundo prædicatione opus est, catechismo & salute, medico opus est malè habentibus: & ecce infans pannis inuolutus iacet, reclinatur, tenetur, & quia loqui nescit, inter arcta vagit conditus præsepia. O quanta hic percipiuntur

Cur Christus natiuitatis & infantiæ statum, & conditionem subire voluit.

sacramenta! Puer natus est nobis filius Dei, non solùm vt humilitatis & virtutum omnium nobis præberet exempla; sed iam intelligite mysterium quod paucis peruium est, vt natiuitate hac temporali generationem æternam honoraret. Æterna generatio verbi ab omni quidem æternitate ex se & per se infinitè adoranda erat; attamen non sic adorata est, aut etiam tali potuit adoratione honorari, nisi cùm Dei filius nasci temporaliter voluit. Tunc enim nouo generationis suæ ex virgine statu, atque ordine, verè & infinitè honorauit æternam suam generationem à patre: ita vt ex quo factus homo & natus est, æterna generatio summè adoranda, ex tunc infinitè adorata sit. Iam quidem adorata fuerat ab Angelis pro modulo cognitionis eorum, & vt in statu existunt comprehensionis; interea tamen parum, & non satis respectu illius supremi cultus & honoris, quem assumit ex parte huius sacrosanctæ humanitatis, quæ ad statum hypostaticæ & admirandæ vnionis cum verbo est eleuata. Ita vt etiam illa eo statu ac semper diuinitatem adorans, adoretur, & semper maneat adoranda. Et hoc quidem est quod nos hodie illi præstare debemus, IESVM videlicet adorare in primaria eius dignitate, quæ simul hominis Dei est. Neque enim homo iustus tantùm fuit & sanctus, angelicus, & seraphicus, aut etiam diuinus, sed homo Deus. Et hoc est diuinum opus, quod nobis hodie cum opifice conuenit adorare. Simul atque quidem in vtero virginis verbum caro factum est, Dei filius factus homo; Deus pater Angelis suis mandauit de illo, & adorent eum omnes angeli eius: & ecce hodie de cœlo facta est multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium, gloria in altissimis Deo. Cœlos Angeli deserunt vt ingrediantur stabulum, & adorēt infantem pannis inuolutum, eique omne suum esse referant, non quod exinde suprema eius sit dignitas, vt omnes ab illo creaturæ dependeant, nam aliunde summa, sed potius in hoc omnium est, & nostra, & quod adhuc hodie illius genus sumus. Quare etiam cum Angelis illi in omnibus subesse, & eius obsequiis nos totos deuouere debemus. Præterea ipsum adhuc in diuinitate sua singulariter adorare, vt carni nostræ est coniunctus: & mirari Deum in homine sic exinanitum pro homine. Item adorare ipsum in illa humanitate, cum tot ac tantis donis & prærogatiuis gratiæ, diuinitati personaliter associatam: & mirari pariter Deum talem ac tantam cum humano genere iniisse affinitatem.

Multiplex adoratio Christo præstāda.

Denique hanc debemus humanitatem sanctissimam in omnibus gratiis & priuilegiis adorare, quæ ex diuinitatis plenitudine accepit; & mirari simul atque suspicere dignitatem nostram, vt nihil tam ea indignum committamus, & adepti participationem generationis IESV Christi, carnis renunciemus operibus. Sicut S. Leo dicit: Agnosce, ô Christiane, tuam dignitatem, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire: memento cuius capitis sis membrum. Ecce hodie caput tuum positum in præsepio, verbum Dei tua carne indutum. Iam memento cuius capitis, & cuius corporis sis membrum, & quod erutus de potestate tenebrarum translatus es in Dei lumen & regnum.

S. Leo serm. de Nat.

Hæc est ratio hodiernæ & communis lætitiæ Angelorum & hominum; sed amplius quidem & antonomasticè hominum: dicunt enim Angeli, quia natus est nobis, vt Isaias prædixerat; *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Sed nobis hodie præsertim, ô Christiani, natus est. Multi enim Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis,

Isai. 9. Luc. 10.

E 4 & au

& audire quæ nunc vos auditis, ſcilicet quia natus eſt vobis hodie Saluator. Dixerunt iſti & clamauerunt: vtinam diſrumperes cœlos & deſcenderes; inclina cœlos tuos,& deſcende. & nobis deſcendit. Clamauerunt, vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine? & ecce nobis hodie miſericordia venit, quia natus eſt nobis hodie Saluator IESVS CHRISTVS; eúmque quem non ſolùm prophetæ videre voluerunt, ſed in quem Angeli etiã deſiderant proſpicere, aſpicimus, adoramus, &c. Tibi itaque dicitur hodie humana natura; Exulta ſatis captiua filia Sion,ecce enim Rex tuus tibi venit iuſtus & Saluator: exultate peccatores; ecce enim vnigenitus Dei filius hominis venit non perdere animas ſed ſaluare. Et vos etiam exultate iuſti in Domino. rectos enim decet hic collaudatio,quia hodie apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri omnibus hominibus,vt abnegãtes omnem impietatem & ſæcularia deſideria,in ſanctitate & iuſtitia occurramus illi. Ita enim illi audacter Bern. dicit ſerm.in Epiph. Numquid timeam ego quia venit Saluator? Numquid vt Adam fugiam? & numquid deſperem quia venit ille cuius legem præuaricatus ſum? cuius beneficio ingratus ſum? cuius patientia abuſus ſum? Non. Numquid enim maior eſſe poterit conſolatio quã in dulci hac voce Saluatoris? hodiéque ab Angelis audire quia natus eſt vobis hodie Saluator.

Cõmunis letitia vt egrediatur omnes obuiam Christo.

S. Bern. ser. 1. in Epiph.

Itaque nunc omnes tranſeamus vſque Bethleem cum paſtoribus illis, & videamus hoc verbum quod factum eſt & Dominus oſtendit nobis. Sed quodnam erit? ecce dicit Angelus, *inuenietis infantem* &c. Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gloriæ eius; feſtinemus, & properemus in diuerſorium illud in quo iacet puer Emanuel IESVS: feſtinemus in requiem eius ingredi: & paſtores interrogemus: Quem vidiſtis paſtores? dicite, annunciate nobis. In terris quis apparuit? Natum vidimus, inquiunt, & choros Angelorum collaudantes Dominũ. Eia curramus in deſiderio videndi puerum & dicamus; Sitiuit anima mea ad te Deum fortem fontem viuum: quando veniã & apparebo ante faciẽ Dei,qui factus eſt homo,& nobis hodie natus eſt Saluator? Vadam & videbo viſionem hanc magnam. Verè magna viſio eſt Deum videre puerum, natum in Bethleem; indutum carne,pannis inuolutum,& poſitum in præſepio: hodie impletur figura, vbi Deus apparet in flãma ignis de medio rubi & præſepij. Acceſus enim amore ad nos deſcẽdit vt liberaret nos; *Vidi afflictionem populi mei*, &c. *& deſcendi vt liberem eum.* Vbi S. Bern. Triumphat de Deo amor, vt ſcias amoris fuiſſe quod plenitudo effuſa eſt, quod altitudo adæquata, quod ſingularitas aſſociata eſt. Hodie paſtoribus veritas figuræ denunciatur: Moyſes paſtor paſcẽs oues ſoceri ſui Iethro, vidit viſionem magnam in rubo. Et paſtores hodie cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum, audierunt, & viderunt in præſepio, primique habere meruerunt,& nunciare nobis ſicut audierunt & viderũt. Verum etiam & nos cum ipſis ſicut audiuimus hodie, ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum, verè Dominus eſt virtutum: humilitatis extremæ & paupertatis. *Inuenietis infantem inuolutum pannis*, &c.

Exod. 3. Figura natiuitatis.

Vide iam ô anima mea, ad quid tibi filius Dei natus eſt: vide homo qualiter pro te factus eſt rex cœli. Ecce, inquit S. Bern. qui totum mundum variis veſtit ornamentis. Sine decore veſtium apparuit, ecce pauper in hoſpitio, non habet vbi caput ſuum reclinet,& ponitur in ſtabulo qui continet mũdum. Si Rex, vbi aula? vbi thronus? vbi curialis familia & frequentia? Rex eſt, ſed talis qui ſecum arma tulit noſtræ Redemptionis. Quid nam enim durum præſepe ſignificat niſi crucem? Quid duo animalia, niſi duos latrones à dextris & ſiniſtris? Quid ligamina & faſciæ, niſi funes & vincula quibus eum ſynagoga nouerca ligatura erat? Quid Maria & Ioſeph ante præſepe, niſi eamdem virginem cum Iohanne iuxta crucem? & quid adhuc fœtor loci & ſtabuli,

Christus naſcendo tulit ſecum inſignia noſtra Redemptionis.

B niſi horrorem Caluariæ? Ecce equidem quomodo puer natus eſt nobis: & principatus eius ſuper humerum eius. Ecce quomodo natus eſt ad mortẽ: & omnes natiuitatis eius circunſtantiæ fuere inſignia mortis, nihilque interuenit diſcriminis, niſi quod innouatio adueniet. Hic enim infans naſcitur,& vagiens inter arcta conditus præſepia: ibi verò erit clamans, & vir plenus ætate & fortitudine morietur: hic nudus; ibi ſpoliatus veſtibus: hic reclinatus in in præſepio; ibi affixus patibulo: hic natus media nocte, ibi occiſus in meridie: hic inuolutus pannis, & iacens fœno; ibi autem ſindone inuolutus & reconditus in ſepulchro.

Ecce quomodo in natiuitate eius ſigna tam in-
C auditæ mortis apparent. Sed vnde igitur ex his ratio & cauſa tanti gaudij quod hodie annuntiatur nobis, ſi in natiuitate pueri inſignia ſint eius paſſionis? Ideo certè quia nobis inde naſcitur Saluator. Propterea enim cœli & terra lætantur, & facta eſt multitudo militiæ cœleſtis laudantium Dominum, & dicentium; *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Propterea denique Maria lætatur,& cum ea Ioſeph, & paſtores ſimul. Maria ſicut Sara dicit, riſum fecit Dominus, & quicunque audierit, corridebit mihi. *Magnificat anima mea Dominum*; & vos congratulamini mihi omnes qui diligitis Deum, quia cùm eſſem paruula, placui Altiſſimo, & de meis viſceribus genui vo-
D bis Deum & hominem. Ioſeph item congaudet dicens; inueni quem diligit anima mea, teneo, nec dimittã. Et paſtores pariter parentibus & puero congratulantes in his omnibus quæ acciderant illis, dicunt vnuſquiſque de cordibus ſuis. Quid mihi eſt in cœlo,& à te quid volui ſuper terrã? defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei,& pars mea in æternum. Nos hodie pari cum illis afficiamur gaudio & exultatione cordis, & puero dicamus Emmanueli, qui eſt nobiſcum Deus; congratulemur ei qui natus eſt nobis, & dicat vnuſquiſque de intimo cordis: Quid mihi eſt in cœlo, qui te iacentem & reclinatum in præſepio video, Deus cordis mei? Dicamus & matri, etiam congratulantes ei: O quàm fœlix es
E virgo Maria, & omni laude digniſſima, quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ CHRISTVS Deus noſter, ora pro populo, & omnes tuum ſentiant leuamen, quicunque celebrant tuam ſanctam feſtiuitatem. Tua enim hodierna eſt feſtiuitas: & noſtra ſimul, quia nobis hodie natus eſt ex te Saluator & Dominus noſter IESVS CHRISTVS.

FINIS ITINERARII INCARNATIONIS.

AN



ANNVNTIATIO ANGELICA,

SANCTISSIMÆ VIRGINI MARIÆ, MYSTERII INCARNATIONIS ABSCONDITI, A SÆCVLIS IN DEO.

IN ADVENTV.

De necessitate humanæ reparationis per Christum.

Missus est Angelus Gabriel à Deo. Luc. 1.

Homo creatura Christi.



OMO qui complementum & perfectio est vniuersi, adeo proprium & peculiare CHRISTI opus est, vt ab eo tam in reparatione sua, quàm in creatione totaliter dependeat. Ad imaginem Dei formatus est; & ad reparandum ipsum, Deus sumpsit eius imaginem. *Verbum caro factum est*, ait S. Iohannes; & clarè, ad Philip. Apostolus: *Cùm in forma Dei esset*, id est, vnus atque idem cum Patre Deus; *exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Magnum planè & honore dignum super homines fuit illud admirandum Dei consilium, tam ratione conditionis nostræ, quàm casus; sedulóque illud est notandum.

Genes. 1. — *Ioh. 1.* — *Philip. 2.*

Duæ tantùm creaturæ capaces Dei, Angelus & homo.

Deus inter tot, duas tantùm creaturas fecit sui capaces, suam gestantes imaginem, idoneásque diuinæ obsequio gloriæ: Angelum videlicet & hominem; vnum in cœlo, alterum in terra; Angelum dignum cœlo, hominem terra dignũ & cœlo. Accidit autẽ vt à suo fine & officio vterque exciderit. Quid fecit Deus? eodem momento quo præuaricati sunt Angeli, eos perdidit: homines verò secundùm propositum voluntatis suæ, & bonitatis consilium atque misericordiæ, saluare constituit: huius autem rei rationes nobis hic inquirendæ sunt.

Quare Deus Angelis relictis homines saluauit.

Verùm vnam tantùm hodie de thesauris prouidentiæ diuinæ proferemus, videlicet iustitiam: quam petitam triplici ex parte considerabimus, Dei, hominis, atque etiam diaboli inimici eius. Primò, ex parte Dei reparare hominem iustitia erat, si non perfecta, & rigorosa, saltem rationis & prouidentiæ, si finem attẽdamus quem primò Deus intendit in creatione hominis: scilicet, illum beatum reddere, iuxta A quod gloriæ suæ capacem effecit dono & communicatione suæ imaginis. Vnde cùm tale habuerit Deus super homines consilium, quod minimè quidem à creatura impediri potest, ad ipsius diuinæ prouidentiæ iustitiam pertinebat, vt illi per peccatum à suo fine distracti, ad eum tandem quocunque modo redirent; alioquin accideret quod in nobiliori creatura intentio Dei frustraretur. Quod inconueniens indicauit Psaltes, dicens: *Numquid vanè constituisti omnes filios hominum!* Dixit omnes, quia quod nonnulli pereant & damnentur, minimè hoc contra finem facit; nam sufficit, quod aliqui eum finem assequantur, ipsisque destinata gloria perfruantur, vt non sit in vanum hoc Dei opus atque consilium. B Quare iuxta intentionem finis, in Deo iustitia erat vt non remaneret tota natura nostra in peccatis: sed tandem aliquando repararetur, & salua fieret. Secundò ex parte etiam hominis iustitia erat, qui Deũ in Adam offenderat vt in capite totius generis humani, cuius peccato ipsa eius posteritas, vt ille, culpam & reatum pœnæ incurrerat: hoc equidem magnum crimen erat, sic omnes delicto alieno reos inueniri criminis & mortis. Iuxta quod dicit Apostolus, quia per vnum hominem peccatum intrauit in mũdum: sed exinde etiam maxima compassio est quod omnes homines, voluntate non propria & personali; sed aliena tantùm, nimirum paterna, velut rei criminis & delicti, à Deo excidant suo fine, & sic sua hæC reditate frustrentur.

In reparatione hominis consideratur iustitia primò ex parte Dei.

Psal. 88.

Secundò ex parte hominis.

Hoc certè miseratione dignum erat; vnde etiam aliqua iustitiæ ratio apparebat vt liberarentur; quæ iustitia prouidentiæ dicitur, qua ita Deus mediis quæ illi amor suggessit, illos ad pristinum honorem euexit. Illa autem media, merita ipsius fuêre, eáque omnia quæ in augustissimo Aduentu suo & conuersatione in terra peregit. Videns enim quod ex vna parte, peccatum personale tantùm erat, vnius

Circa reparationẽ nostram iustitia fuit prouidentia, & quæ illa.

respectu

respectu & non omnium: & ex altera, quod ratione originis omnibus cœlum clauserat, absque vlla spe remedij siue ex nobis, siue ex Angelis: vtrunque interim iustitia exigente quod suum erat, scilicet, & assecutionem finis nostri, & simul pœnam, vel satisfactionem. Propterea hominem se fecit Dei filius, vt sic & pœnam nostram soluendo portaret, & satisfaciendo simul ad finem suum hominem reuocaret; in hoc seruans non solùm iustitiam prouidentiæ, sed etiam rigoris; sicut S. Anselm. dicit libro, Cur Deus homo. Satisfactionem enim, inquit, nec poterat facere nisi Deus, nec debebat, nisi homo. Igitur necesse erat vt eam faceret Deus homo. Et ad hoc, inquit capite decimo octauo, valuit in Christo diuersitas naturarum & vnitas personæ, vt quod opus erat fieri ad hominum restaurationem, si humana non posset natura, faceret diuina, & si diuinæ minime conueniret, exhiberet humana, vnus atque idem qui solueret per humanam quod illa debebat, & per diuinam posset quod expediebat. Ecce simul rigoris & prouidentiæ iustitia.

Lib. 1. Cur Deus homo. cap. 6. & 18.

Quodquidem adhuc ita factum est, vt etiam aduersus diabolum homini seruaretur iustitia. Hanc tertiam & vltimam rationem videamus. Hominem in peccatum cecidisse inuenimus inductione diaboli ex duobus motiuis: Primò ex inuidia, quia scilicet videbat ipsum imaginem & similitudinem Dei portare, loco suo regnaturum in cœlo, quod notatur Sapient. 2. *Quoniam*, inquit, *Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum, inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Secundò ex ira quam concepit exinde aduersus Deum ipsum, propterea enim hominem induxit ad malum: vt conaretur facere iniuriam Deo, & irritum facere consilium eius, si hominem diuerteret ab eo, & à recta via sui vltimi finis. Quare iustissime Deus & simul misericorditer homini lapso succurrere voluit; sicut etiam ipse iuste auxilium postulabat per Psalmistam, *Vsquequo Deus improperabit inimicus? irritat aduersarius nomen tuum in finem? Exurge Deus iudica causam tuam, & memor esto improperiorum tuorum. Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Exurge leua manus tuas in superbias eorum, & confringe capita draconum, quia gloriati sunt qui te oderunt*, &c.

Tertiò aduersus diaboli iustitia erat reparatio hominis.
Duobus motiuis induxit diabolus hominem ad peccatum.
Sap. 2.
Psal. 73.
Sapientia Dei sicut iustitia relucet in reparatione hominis.

Verum non minus sic adhuc ratione sapientiæ quam iustitiæ, hominem Deus de manibus hostis eripere voluit, & protegere aduersus eum, cum hominem se fecit; vt optime S. Ansel. libro iam allegato, his verbis ostendit. Subtilem subtiliter voluit Deus inimicum expugnare, & quasi sub esca humanitatis hamum celauit deitatis; quatenus ille qui omnem carnem subegerat, talem inueniret quæ sibi prorsus nihil debebat, quam dum illicite cõtingeret (in passione,) merito eam quam licitè quodammodo possidebat, amitteret; sic quippe serpens antiquus deludendus erat, vt qui homines deluserat, per hominem Deum ipse delusus fieret: hæc ille, sicque ex iustitia prouidentię suæ seu sapiẽtiæ victus remaneret. Hoc autẽ nullo cõuenientiori modo fieri potuit quam aduentu filij Dei in carne, sicut annotauit S. Aug. libro de Trin. Ostendamus, inquit, non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati omnia æqualiter subiacent, sed sanandæ nostræ miseriæ conuenientiorem modum alium non fuisse. Sic S. Tho. in compendio suæ Theologiæ, vbi tria maxima bona nobis inde accidisse ostendit.

Lib. 13. de Trinit. cap. 10.
Part. 1. cap. 16.
Tria bona quæ nobis ex Incarnatione acciderunt.
Primum.

Primum est Dignitas naturæ nostræ eleuatæ ad Deum vsque, vt inde non se subdat amplius homo dæmonibus, & cunctis rebus comparabilibus, sic

A Ieremias rectè exinde docet non esse amplius viuendum in carne, sc. ex quo filius Dei carnem nostram induit, *Vsquequo*, inquit, *deliciis dissolueris filia vaga? quia creauit Dominus nouum super terram, mulier circumdabit virum*, quasi diceret, superbiam pelle, cognita Dei humilitate & exinanitione, auaritiam, visa eius paupertate; inuidiam, bonitate; gaudia & vanitates sæculi, eius visis doloribus. Denique ex quo tecum sapientia patris delicias habere voluit, quære quæ sursum sunt & non amplius quæ sunt super terram. Seneca huius sapiens sæculi, adhuc intra naturæ suæ terminos hæc aiebat, Maior sum & ad maiora natus quam vt sim vile mancipium cupiditatum mearum. Quanto nunc magis hæc dicere debent Christiani, nam hodie iuxta S. Aug. lib. de vera Religione, demonstrauit nobis Deus quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, in hoc quod hominibus in vero homine apparuit.

Ierem. 31.
Lib. de vera relig. c. 16.

Sed ex eodem doctore addamus, in hoc, quod nos omnes diuinæ consortes naturæ fecit factus homo. Ita enim serm. 11. de Nat. ait, Deos facturus qui homines erant, homo factus est qui Deus erat; & alibi, factus est Deus homo, vt homo fieret Deus, sc. participatione, & vi eius diuinæ gratiæ. Nam per filium Dei qui vere hominem se fecit, omnes filij Dei facti sumus si non natura, certè adoptione & veritate. Quapropter dicit S. Leo serm. de Nat. Agnosce ô Christiane tuam dignitatem, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire, adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus. Ecce quo fine factus est homo, sc. vt magis agnosceret homo honorem suum, nec amplius rebus vilibus & inferioribus se subderet, hoc fuit primum bonum.

Quomodo participes sumus per Incarnat. diuinæ Naturæ.
S. Aug. ser. 9. & 11. de Natiu.
Serm. 1. de Natiu.

Secundum est immensitas diuini amoris erga homines, vt exinde, non amplius per metum mortis quam primus homo contempsit, Deo subdantur & seruiant: sed per affectum charitatis. Quomodo sic Aug. vrget nos lib. de catechizandis rudibus, vbi illam perpendens & ponderans rationem amoris, sic dicit. Quæ maior est causa Aduentus Domini, nisi vt ostenderet Deus dilectionem suam in nobis? & statim subiungit. Si amare pigebat, redamare non pigeat. *Nam*, vt dicit Apost. ad Titum. tunc *apparuit nobis benignitas Saluatoris nostri*; Græcè φιλανθρωπία, id est, amor hominum, verè hominũ amor. *Sic enim* vt ipsemet declarauit Christus, *Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, & sic filius ipse dilexit, vt pro nobis semetipsum traderet. Domine omnia mihi dicunt vt amem te, sed plus quam omnia ipsa tua specialis dilectio, &c.

Secundum bonum quod ex Incarn. processit.
Lib. de catech. rudib. c. 4.
Ad Tit. 3.
Ioh. 3.

Tertium bonum quod inde nobis adhuc accidit finique nostro congruum. Exemplum est, possibilitas & fides illius beatæ vnionis diuinæ, quam speramus & expectamus in gloria; qua videlicet intellectus creatus, increato spiritui, intelligendo vnitur. Non enim restat incredibile quin intellectus creaturæ Deo creatori vniri possit videndo eius essentiam, ex quo Deus homini coniunctus est, eius assumendo naturam. His itaque positis rationibus, Deus homo fieri voluit & venire ad nos, vt nos pertraheret ad se, misericorditérque & iustè ad nostrum finem perduceret; Atque etiam per hoc totius diuini sui operis generalitatem quodammodo perficeret, dum homo qui est vltimo creatus; circulo quodam redit in suum principium, ipsi rerum principio vnitus per incarnationis opus. Quæso ista omnium Dei operum consummatio attendatur, illiúsque iustitiæ & prouidentiæ diuinæ perfectissimus & absolutissimus ordo. Omnia propter semetipsum creauit Altissimus,

Tertium bonum quod nobis venit ex Incarn.
In Incarnatione perficitur generalitas vniuersi.

nimirum,

A nimirum, vt omnia reducantur ad se vt principium & finem,& sic circulum conficiant; talia expostulat quæ in Deo est diuinæ iustitiæ & rationis ordo. Quis autem ista implere poterit? Homo qui post omnia & vltimo creatus est, sed velut microcosmus,& omnium creaturarum summa, vnde Deo vnitus per incarnationẽ fecit vt vniuersa creatura à prima ad vltimam ad suum rediret principium vnde exierat. Homo summa est vniuersi: Christus verò in quo Deus est & homo, summa est & Dei,& vniuersi. Vt adhuc discamus ex eo ipsum esse scopum omnis fœlicitatis nostræ, & finem vltimum, in quo omnia sunt & constant, & quæ in cœlis,& quæ in terris: & quæ in Deo,& quæ in creaturis. Sic Apostolus ad Ephes. *Vt notum faceret nobis Deus sacramentum voluntatis suæ, proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporũ Instaurare omnia in Christo.* Iuxta Græcum: colligere omnia & ad summam referre; & quæ in cœlis, & quæ in terris. Sic alibi dicitur quia omnia & in omnibus Christus; vt iam nobis appareat quoniam in ipso omnia sunt, & quia ei soli singulariter adhærendum est, iuxta quod dicit *Omnia mihi tradita sunt, venite ad me omnes.* Ego sum primus & nouissimus, α,& ω. principium & finis: via, veritas, & vita. Amen.

Summa omnium Christus.

Ephes. 1.

Math. 10.

DE CONVENIENTIA & plenitudine temporis Angelicæ legationis.

In mense sexto missus est Angelus Gabriel à Deo: Luc. 1.

NIhil tam nostrum esse conspicio, quàm Dominum nostrum IESVM Christum, in quo nobis sunt omnia. S. Paulus dicit ad Corinth. quod D in illo sumus *qui factus est nobis sapientia à Deo,& iustitia, & sanctificatio,& redemptio*, id est, ex mente S. Chrysostomi, omnia, sic enim vertit, Qui nobis omnium author est, qui nos fecit sapientes, iustos & sanctos. Dixit autem Apostolus, *factus est nobis*, &c. doni ostendens abundantiam; perinde enim est ac si diceret seipsum nobis dedit, vt esset omnia;& vt qui gloriatur, quemadmodum scriptum est & subiungitur, in Domino glorietur à quo habet omnia: sapientiam in adhærentia, & intima vnione, iustitiam in satisfactione, sanctificationem in spiritu & gratia, & redemptionem in sanguine & passione, &c.

1. Cor. 1.

Christus omnia.

Iustitia ex Dei prouidentia, viso fine nostræ creationis, de reparatione nostra post lapsum decreuerat,& misericordia accelerauit illam; vnde *In mense sexto missus est Angelus Gabriel à Deo.* Distulerat aduentum suum Dominus ratione peccati, conueniens enim videbatur vt homo grauitatem illius, & miseriam propriam agnosceret, longóque humiliatus tempore peteret remedium. Sic olim Deus, eoque fine, dedit Moysi legem admodum duram & onerosam, scilicet vt ex vno homines peccati grauitatem agnoscerent: & ex altero onus sentientes, clamarent ad Dominum ad salutem obtinendam: sicut Prophetas & Patriarchas fecisse legimus; Dauid in Psalmis passim, *Quis dabit ex Syon salutare Israel?* In vno Psalmo, *cum auerterit*;& in altero, *cum cõuerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob & lætabi-*

Cur Christus aduentum suum distulit.

Cur Moysi lex dura data est.

Psalm. 13. & 52.

tur Israel. & rursus. *Qui sedes super Cherubim manifestare, excita potentiam tuam & veni vt saluos facias nos, ostende faciem tuam & salui erimus:* sic passim inter omnes, Isaias dicit, *Rorate cœli desuper*, &c. In alio loco, *Propter Syon non tacebo,& propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius.* Sic denique in Exodo ipsum Saluatorem Moyses cum obsecrationibus petebat dicens,& bis repetens, *Obsecro Domine, obsecro mitte quem missurus es, ex quo locutus es ad seruum tuum:* videlicet ex quo dixisti mihi te vidisse afflictionem populi tui, & clamorem eius audiuisse, vt eum liberes. *Obsecro Domine* (non sum ego eloquens vt mittas me:) *mitte* B *quem missurus es.* Hic ergo finis erat dilationis aduentus eius, vt necessitate cognita ardentius expeteretur,& sic postea nobis succurreret in opportuniori auxilio, tempore scilicet destinato gratiæ, sicut ait Apostolus, vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum. *In mense sexto missus est Angelus*, &c. In mense sexto, id est, à conceptione S. Iohannis, qui Martius erat, & Mensis sextus ab Octobri qui conceptionis S. Iohannis mensis fuit, incipiens enim ab illo, Martius fit sextus: consulto autem præmittitur, & exprimitur tempus & mensis conceptionis Baptistæ & præcursoris, quia ille erat noui mundi initiũ. In mense igitur sexto, scilicet Martio, *Missus est Angelus Gabriel à Deo*, &c.

Ps. 79.

Isa. 45. & 62.

Exod. 4.

Gal. 4.

Cur hic ponitur tempus conceptionis S. Iohannis.

C Omnia hic plena sunt mysteriis. Numerus & tempus: Primò, numerus senarius est; *in mense sexto:* Legimus die sexto creationis hominem conditum fuisse omnium Dei operum opus nobilissimum; & mẽse sexto cõcipitur nouus homo, CHRISTVS, Deus homo: nascitur item sexta feria, & similiter eadem feria patitur mortem. Quid præterea? in ea feria, hora sexta in cruce suspenditur, adeo vt etiam (vt omnia hoc numero compleãtur) in sexta mundi ætate, cũcta quæ creauerat reparet. Prima ætas fuit ab Adam vsque ad Noë, secunda numeratur à Noë vsque ad Abraham, tertia ab Abraham vsque ad Dauidem, quarta à Dauide vsque ad captiuitatem & trãsmigrationem Babylonis, quinta à captiuitate Babylonica vsque ad Christum, à quo sexta incipit vsque ad finem mundi, quæ sexta ætas omnium est vltima.

Mysterium in numero senario.

Diuisio ætatum mundi.

Item in tempore Mysterium est, quod quidẽ tempus vernũ fuit, scilicet Martiũ, sic adhuc fertur mundum conditum fuisse verno tẽpore & Martio, in quo omnia de nouo oriuntur & pullulant; ita hoc mense Christus concipitur qui dicitur flos Campi,& Saluator quem terra virginalis germinauit; In hoc mense, vbi etiã dies crescere incipiũt, saltẽ à vigesima quinta die, qua creditur conceptus & passus; sicut de illo dixerat Baptista. *Oportet illum crescere, me autem minui.* Sed dicamus etiam in die fuisse mysterium; feria enim sexta, seu die ante Sabbathum, conceptus E est, quo etiam die homo creatus est; vt sic eodem die repararetur homo, quo creatus fuerat: eo die quo primus Adam formatus fuerat, conciperetur secundus; atque etiam quo die homo peccauerat, moreretur Deus. Ita doctiss. Rupertus hæc omnia conuenire facit libro de diuinis officiis, vbi dicit quod feria sexta, die qua veterem formauit Adam de limo terræ, nouum sibi reformare cœpit hominem Deus de vera carne Virginis Mariæ, eadem die redempturus mortis passione; vt innotescat iam omnibus istis circumstantiis omnia aduentu suo compleuisse; iuxta quod loquitur Apostolus, dicens; *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*, &c. Hæc temporis plenitudo, tempus Incarnationis est,& Dominici aduentus, quia in eo omnia completa sunt, & circulo facto,

Mysterium in tempore.

Mysterium in die conceptionis Christi.

Lib. 3. de diuin. offic. c. 19.

Quænam sit plenitudo temporis.

facto ad suum principium redierunt, vbi homo, qui est omnis creatura, vnitur Creatori suo; vltimáque differentia temporis durationi æternæ.

Sect. 2. in 4. Galat.
Quibus modis interuentionis conuenit.

S. Thom. in. 4. Galatarum, tribus aut quatuor modis explicat fuisse hanc plenitud. temporis, seu istud plenum tempus; primò propter plenitudinem gratiarum quæ in eo dantur; venit enim Christus plenus gratiæ & veritatis, & de plenitudine eius omnes accepimus. Secundò propter impletionem Scripturarum & figurarum veteris legis. Iuxta quod apud Matthæum dixit se venisse vt legem adimpleret. Et Luc. vltimo incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Tertiò propter impletionem promissionum quæ de ipso factæ fuerant Prophetis. Iuxta illud Danielis, *Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna*, scilicet, vltima annorum eius, in qua operibus & miraculis se Messiam esse demonstrabit promissum multis, id est omnibus.

Matth. 5.
Dan. 9.

Hic autem requiritur, vt hanc Danielis prophetiam integram explicemus, omnium enim exactissima est, & plus cæteris connotans personarum circumstantias & temporum. præterquam quod ipse est Gabriel Angelus, qui ad hunc prophetam missus fuerat, vt in visione 70. hebdomad. hanc ei temporis plenitudinem indicaret. Daniel igitur orabat in captiuitate Babylonica pro liberatione Israel, & ecce Angelus qui Gabriel erat, prædicit ei statim in hac seruitute veram à seruitute peccati liberationem, atque in figura veritatem, dicens ei. *Daniel nunc egressus sum, vt docerem te & intelligeres: Ab exordio precum tuarum veni vt indicarem tibi quia vir desideriorum es, tu ergo animaduerte sermonem & intellige visionem. Septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ sunt super populum tuum vt consummetur præuaricatio* (videlicet primi parentis) *& finem accipiat peccatum: & deleatur iniquitas & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum*; Hæc est visio. Quàm autem perspicuè illa Messiam seu Christum declaret & tempus ipsius, videamus; Quis enim finem imposuit, iniquitati, præuaricationi & peccato nisi ipse Christus, qui illa omnia sanguine suo deleuit? Quis iustitiam de cœlo adduxit, impleuit visiones & prophetias nisi Christus? Qui vt scribit Tertullian. aduersus Iudæos, signaculum fuit omnium prophetarum, adimplens omnia quæ retro de eo prophetæ nunciauerant: Et quis adhuc est ille Sanctus sanctorum vnctus, nisi Christus qui dicitur vnctus? scil. spirituali & cœlesti oleo quod est Spiritussanctus. Sed quã clarè adhuc loquãtur de eo quæ sequũtur videamus. Nunc Angelus tempus prædicit Aduentus, prædicationis & mortis ipsius, eorum denique quæ aduenient postea, *Scito ergo*, ait, *& animaduerte, Ab exitu sermonis*, id est, decreti; *vt iterum ædificetur Hierusalem, vsque ad Christum ducem hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ erunt, & post illas occidetur Christus, & Ciuitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*; (scil. Rom. exercitus) *Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis* (istius scilicet & vltimæ) *deficiet hostia*. Quæ omnia explicationem postulant. Ac primò hebdomades illæ dierum non sunt, sed annorum; vt legitur in Leuitico. vbi Dominus Moysi, *Numerabis tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem*, vnde illæ 70. faciebant annos 490. à Daniele vsque ad Christum ducem & Messiam. Secundò dicitur quia abbreuiatæ fuerunt super populum, id est, definitæ, & determinatæ; quia non debebat Christus ampliorem moram facere, vt etiam ita accidit. Tertiò inuenimus illas septuaginta hebdomadas in tres partes fuisse diuisas, videlicet in septem, & sexaginta duas, cum vna vltima quæ septuagesima dicitur, in qua Christus occisus est. In prioribus autem septem, quæ faciebant quadraginta nouem annos, iterum Hierusalem ædificata est, *in angustia temporum*, iuxta verba Angeli, id est, cum magno labore, post illas autem & sequentes sexaginta duas quæ faciunt omnes quadringentos octoginta tres annos, à reuelatione Danielis facta, Christus mundo apparuit, populo concionari cœpit, & post multa opera & miracula in testimonium sui facta, tandem occisus est; videlicet, in vltima & septuagesima hebdomada, de qua sic Angelus prædixit, *Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium*. Hæc autem vltima fœlicissima dicitur, quæ illos septem continebat annos; in quorum dimidio, scilicet per tres continuos annos, pactum suum & promissionem confirmauit multis Christus, id est, omnibus: in doctrina, miraculis, sua passione & morte propria; multis, inquam, iuxta quod ante in cœna dixerat, *Hic est sanguis noui testamenti qui pro vobis, & pro multis*, id est, omnibus, *effundetur*. Vnde sequutum est statim, quod cæremoniæ omnes & sacrificia veteris legis defecerunt, facta Deo patri oblatione veræ & salutaris hostiæ quæ Christus est. Nam vt ait S. Leo homil. de pass. Carnalium sacrificiorum veritate cessante, omnes differentias hostiarum, vna corporis & sanguinis Christi implet oblatio; vnúmque est pro omni victima sacrificium. & sic iuxta verba Angeli ad Danielem, in medio hebdomadis defecit hostia & sacrificium, scilicet veteris legis, quando Christus ipse morte interueniente oblatus est, & sequuta sunt postea alia omnia, vt, expulsio populi, deuastatio vrbis, & captiuitas vsque in diem præsentem, (sed vsque in consummationem sæculi futura). Quæ omnia acciderunt sicut hic ordine posita sunt. Postquam enim de Messiæ morte prædixit, dixitque quod *non erit eius populus, qui eum negaturus est*. i. non erit amplius populus eius, populus iste qui negauit eum nec recepit, subiungit. *Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo* (Romano) *& finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio*. Sic terminatur hæc prædictio & visio Danielis. Iuxta quam etiam iisdem penitus verbis dominus loquutus est ita fore eo tempore, scilicet gentem idolis deditam (quales erant Romani,) vrbem Hierusalem euersuram, & affixuram vexilla sua in turribus templi, populis occisis, & in captiuitatem ductis. *Cum videritis*, ait, *abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat, &c. erit tũc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet*. &c. & Luc. 21. *Cum videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, scitote quia appropinquauit desolatio eius. Calcabitur à gentibus: & captiui ducentur in omnes gentes donec impleantur tempora nationum*, id est, vsque ad consummationem omnium desolatio perseuerabit. Et certè satis iam constat, in omnibus prædictionem istam habuisse locum etiam in minimis, vt etiam innotescat quia illud tempus Dominici aduentus, illa temporis plenitudo fuit, de qua Apostolus ad Gal. sic loquitur, *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere*, id est, Deum hominem factum, &c.

Explicatio prophetiæ Danielis.
Quoad personam.
Tertull. aduersus Iudæos.
Quoad tempus Aduentus, & eorũ quæ sequuntur.
Leuit. 25.
Hebdomadæ Danielis non erant dierum, sed annorũ, vnde vna 7. annos continet.
Quomodo per Christum omnia sacrificia veteris legis defecerunt.
S. Leo hom. 8. de passione.
Christus affert in testimonium visionem prædictam Danielis.
Matth. 24.
Luc. 21.
Gal. 4.

Hic iuxta S. Chrysost. duas causas refert Apostolus ad beneficia assumptæ carnis, Liberationem à malis, & subministrationem bonorum quæ nullus nisi

S. Chrysost. in Paul.
Duplex causa aduentus

Christi habita ratione nostræ vtilitatu.

nisi solus ipse præstare poterat. Quænam illa? liberari A ab execratione legis, & adoptari in ius filiorum Dei; qui filium suum ideo misit, ait Paul. factum ex muliere & sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus. O plenitudinem temporis! O tempus omnis gratiæ & plenitudinis. In mense sexto missus est Angelus. In mense Martio vbi oriri incipiunt omnia; In mense sexto à conceptione Iohannis, qui est initium gratiæ, noui mundi, & nouæ creationis, nouus homo concipitur vt vetus homo, qui die sexto conditus fuerat, reparetur: *Vbi venit plenitudo temporis* In hoc mense sexto, & mense Martio. Vt similiter repararetur mundus qui in illo fuerat conditus. Certè in hoc mense inuenitur B temporis plenitudo, vbi omnia plena sunt, id est, completa, iuxta æternam conditoris omnium ordinationem, ineffabilemque prædestinationem hominum. Quare simulatque illa venit plenitudo temporis, diuinæ eius gratiæ & promissionis, omniumque etiam adimpletionis prophetiarum, misit Deus filium suum; vt de lege seruitutis per eum redempti, libertatem & adoptionem filiorũ reciperemus. Tale est negotium præsens de quo hodie pro salute nostra tractaturus cum virgine, Angelus ad eam missus est.

Conuenientia reparationis mundi in mense Martio.

DE ANGELO NVNtio, & legatione eius.

Missus est Angelus Gabriel à Deo. Luc. 1.

MAGNA sunt hæc, Deum in Christo filio suo hominem prætulisse Angelis, *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*; cui & omnes Angelos subiecit. *Cui enim aliquando Angelorum dixit,* vt homini, *Filius meus es tu?* Ad Angelos quidem dicit, omnes estis *administratorij spiritus*, ad hominem verò, *Filius meus es tu, Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium, &c.* Angelos suos spiritus facit, id est, nuncios suos, hominem vero filium suum; Angelis dicit, vos estis throni, sedes & scabellum pedum meorum; hominis vero, *Sede à dextris meis, thronus & sedes tua Deus* & cum iterum introducit primogeniD tum in orbem terrarum dicit. *& adorent eum omnes Angeli Dei*: Inde Doctores multi cum S. Bern. referunt lapsum præuaricatorum Angelorum, quod noluerint, facta illis reuelatione verbi incarnandi, honorem ei præstare & adorationem. Sicut è contra boni & fideles fecerunt, ex eaque adoratione statim ei ab ipsis præstita, omnem suam gratiam & gloriam acceperunt; vnde postea dixit Apostolus, *Et cum iterum introducit eum, dicit. Et adorent eum.* id est, nunc factum hominem agnoscant Angeli Deum, & adorent; sicut ante fecerunt cum reuelaretur eis. Hoc enim (*iterum*) ex interpretatione S. Chrysostomi, Anselmi & Angelici doctoris ad incarnationé refertur, E secundum quam; Qui primò in mundo erat inuisibiliter per potentiam diuinitatis, iterum visibilis apparuit, & quasi introductus per præsentiam humanitatis, tam in conceptione sua quam natiuitate; vnde tunc ex decreto æternæ voluntatis patris, omnes Angeli adorauerunt ipsum, iuxta illud Esd. *Exercitus cœlite adorat*, & sicut prædixerat Psaltes. *Adorate eum omnes Angeli Dei, audiuit & lætata est Syon*, scilicet, virgo audiuit, hodie, & audiet adhuc postea, quia Dei mater electa est, & lætata est. Ita dicitur in Apocalypsi, quòd *Omnes Angeli stabat in circuitu throni*, throni virginalis. *& ceciderunt in facies suas & adorauerunt Deum.* Verisimile enim est multos Angelos tunc affuisse cum nuncio Gabriele, vt quem tunc virgo concepturа erat, simul adorarent, ministri Dominum.

Heb. 2.

Heb. 1.

Quomodo Deus in Christo hominem prætulit Angelis.

Christus causa lapsus Angelorum superborum.

Quomodo statim Incarn. facta boni Angeli Christum adorauit.

2. Esd. 9.

Apoc. 7.

A Videbant enim se nouam ab eo dependentiam accipere in omnibus, in esse, vita & gratia, vnde ei nouum honorem & nouã adorationem debebant, tanquam constituto à patre, nouo rerum omnium principio. Sicut enim Deo debetur ab omni creatura, supremus honor & adoratio, eo quod sit omnis esse & vitæ principiũ: Pater principium sine principio, filius principium à principio, & Spiritus sanctus ab vtroque procedens idem cum vtroque omnium principiũ: Ita dico, debetur Christo, ab omni creatura, noua adoratio, noua dependentia, nouus honor atque submissio, qui per incarnationem constitutus est nouum omniũ rerum principium; sicut dixit Apostolus ad Coloss. B quia in ipso omnia constant sicut creata sunt, & quia ipse est ante omnes, vnde constituit Pater ad dexteram suam super omnem principatum, scilicet vt adorent eum omnes. Sic Act. 10. dicebat Cornelio Petrus, *Hic est omnium Dominus*, Et in Apoc. S. Ioh. *Dignus est Agnus accipere diuinitatem, honorem & gloriã*; Itave audiuit Iohannes omnem creaturam & quæ in cœlo, super terram, & sub terra, omnes dicentes, *Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum, &c.* Igitur Angeli, quomodo super omnem principatum constituebatur agnoscentes, & quia cum omni creatura nouam ab eo dependentiã accipiebãt, venerunt vt adorarẽt.

Angeli se à Christo dependere cognouerunt.

Christus cõstituitur per Incarn. nouum omniũ rerum principium, vnde ei debetur ab omnibus noua adoratio & nouus honor

Coloss. 1.

Apoc. 5.

De his itaque ministris gloriæ Christi filij Dei loC quamur, & hic præsertim de vno Gabriele nuncio Mysterij. In primis sciendum ex S. Greg. hoc vocabulum Angeli nomen esse officij non naturæ, aut si vultis, non solũ naturæ sed etiã officij: Angelus enim propriè dicitur Nuncius, & maxime cum nunciare mittitur, natura enim spiritus est. Vtrumque complexus est Dauid hoc versũ, *Qui facit Angelos suos spiritus.* Ac si patenter dicat vt explicat S. Gregor. etiam cum voluerit spiritus suos Angelos facit, id est, nuncios. Ita S. Bern. super Missus: Sufficit eis, & pro magno habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt & vocati Angeli, testante Dauid, id est, Nuncij. Quo etiam sensu Episcopi & sacerdotes vocantur Angeli. Legimus in Apocalyp. Iohannem D ad Angelos septem Ecclesiarum quæ sunt in Asia, id est, Episcopos scripsisse. Et de Sacerdotibus, vt legatis & nunciis diuini verbi, legitur apud Malach. 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituũ est.* Sic etiã præcursor Christi Iohannes ab ipso Christo, ex ipsius Malachiæ testimonio, Angelus dicitur vt missus a patre, vbi de eo. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, &c.* Sic denique ipsemet Christus, vt missus à patre & nũcius pacis nostræ, dicitur *Angelus testamenti* per eundem Malach. sicut per Isaiam *magni consilij Angelus*, eo quod omnia quæ audiuit à patre, nobis nũciare venit: Sic igitur de spiritibus illis dicimus quos Angelos vocamus, id est, nuncios, quia noE bis quæ Dei sunt annunciauit. Quomodo hodie sanctus Gabriel qui inter Angelos primum locum obtinet, vt pote qui pro tanto negocio ad virginem missus est, nuncians ei verbum, verbum apud Deum, & in ea incarnandum.

De natura Angelorum.

Quid sit Angelus.

S. Gregor. hom. 34. in Euang.

S. Bernard. serm. 1. super Missus.

Sacerdotes cum Episcopis Angeli vocantur.

Malach. 2.

Item præcursor Iohãnes.

Etiam Christus Angelus dicitur.

Sed notandum est ex S. Thom. in 1. cap. Hebr. diuersa, aut etiam eadem ratione officij quod exercent; diuersimode etiam illos appellari, scil. & nuncios & ministros. Nuncij dicuntur seu interpretes, quia quæ in corde & in arcanis Domini sui abscondita sunt, reuelant. Ministri verò dicuntur, in quantum diuinorum operum mediatores sunt; ad quẽ sensum ipse refert verba supra allegati Prophetæ: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Cõparando Angelos aëri, (sic enim accipit

S. Thom.

Diuersimodè Angeli dicuntur Nuncij & Ministri.

Angeli aeri comparatur & igni.

hic, atque intelligit spiritus pro ventis, quibus comparat illos) & præterea igni; vt magis istarum rerum corporearum quæ subtilissimæ sunt, similitudine & proprietate, demonstret quales sint Angeli; significati & dicti nuncij per aerem aut spiritum, & ministri per ignem.

Tribus modis aeris proprietas nuncio conuenit & Angelis.

Verè hoc notatu est dignissimum, videlicet quomodo aëris proprietas conuenit Nuncio. Primò aër est receptibilis luminis & impressionis. Secundò optimè refert recepta. Tertiò habet velocem motum, hæc omnia notat Doctor Angelicus, & comparat ita, Hæc tria, dicit, habere debet bonus nuncius, vt scil. dicta benè recipiat, recepta benè referat, & vtrumque velociter faciat. Quæ omnia benè Angelis conueniunt; Primò enim optimè recipiunt diuinas illuminationes, cùm sint, sicut ait S. Dionys.

Angeli specula munda ante Deum.

munda specula ante Deum; vnde ait Christus, *Angeli eorum vident faciem patris.* Secundò optimè recepta reddunt. Et tertiò velocissimè omnia faciunt.

Apoc.1.

In Apocal. *Significauit Deus quæ oportet fieri citò per Angelum suum seruo suo Iohanni.* Sic hodie Gabriel missus est ad significandum opus quod velocissimè, & in puncto consummari debebat: sicut certè natura spiritus est, ita officio Angelus, id est, interpres & nuncius; fidelissimúsque etiam & promptissimus diuinæ voluntatis minister; vnde etiam ei conuenit proprietas ignis; iuxta quam Angeli dicuntur mini-

Psal.103.

stri altissimi: sicut dixerat Psaltes. Qui facit Angelos suos spiritus. Et ministros suos flammam ignis,

Psal.104.

ignem vrentem. & alibi, *Benedicite Domino omnes Angeli ministri eius qui facitis voluntatem eius.* Qua-

Quatuor modis proprietas ignis conuenit Angelis.

tuor autem modis Angelis conuenit proprietas ignis. Primò ignis calorem excitat, vnde designatur charitas in Angelis: vt in Zeraphim qui dicuntur ardere igne Dei. Secundò ignis illuminat, & Cherubim lucent plenitudine lucis. Tertiò ignis semper mouetur sursum, & ita omnes boni Angeli, qui semper omnia quæ agunt, ad Dei gloriam referunt; vnusque iste est illorum omnium finis, vt vnus

Thob.12.

ex illis, seniori & iuniori Thobiæ dicebat, *Benedicite Deum cœli*, non me, sed *Deum cœli benedicite, & coram omnibus viuentibus confitemini illi.* Quod quidem non est ita de malis, vt videre est de Sathana dicente Math.4. si cadens adoraueris me. Fidelis autem Dei minister quid homini conseruo suo dicit volenti

Apoc.vlt.

adorare ipsum? *Vide ne feceris.* DEVM *adora*; Ecce Angeli boni tamquam flamma ignis vrentis, & se sursum semper efferentes vsque ad Deum. Quartò denique ignis inter elementa cætera, maximè actiuus & ad agendum efficax. Sic sunt Angeli omnes fideles ministri Dei, vt de iis dicitur per Prophetam;

Psal.102.

Potentes virtute ministri Dei qui facitis volũtatem eius. Sic hodie in mense sexto, vbi venit plenitudo temporis, vt fidelis minister & nuncius *Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem*: Hoc finito de Angelis, iam cur iste missus est conuenientiam quæramus.

Conueniens missio Angeli.

1. Ex parte Dei.

In primis ergo dicimus ad hoc negotium Angelum mitti fuisse conueniens, tam ex parte Dei, quàm virginis, & naturæ etiam Angelicæ. Ex parte Dei ostendentis effectus amoris, quod salutem nostram [illegible] Sapientiæ, cùm per easdem causas hominem reparat quibus [illegible], ordinemque restaurat [illegible] mundi [illegible] seruat. Ita S.Chrysol. Agit,

Chrysolog. serm.142.

inquit, cum Maria Angelus de salute, quia cum Eua egerat Angelus [illegible], vt nostræ perditionis initio [illegible] nostræ reparationis principium respóderet. Ita Beda in Luc. Aptum dicit humanæ restaura-

Beda hom. in 1.Luc.

tionis fuisse principium, vt Angelus à Deo mitteretur ad virginem diuino partu consecrandam, quia prima perditionis humanæ fuit causa, cum serpens à diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiæ decipiendam. Sic igitur Deus summa sua sapientia eo ordine reparat ex colloquio Angeli cum Virgine Maria, quæ destructa fuerant ex colloquio diaboli cum Eua. Denique hic etiam ostendit Deus prouidentiæ suæ effectus, Cuius dispositio & suauitas exigit & postulat, vt infima medijs reducantur ad suprema, sicut docet diuinus Areopagita lib. de cœl. Hier. scilicet quod sic diuina lege & ordine sancitum est, vt per prima secundis diuini fulgoris radius influat, id est, per superiores Angelos illuminatio ad inferiores perueniat, per Angelos ad homines. Homo autem infimæ est & mortalis intelligentiæ; Deus immortalis & supremæ; Angeli verò medij sunt. Quare decuit vt per Angelos homines reuocarentur ad Deum. Ecce itaque quomodo ex parte Dei conueniens erat ad hoc negotium missio Angeli.

Quomodo quæ inferiora sunt à superioribus dependent.

S. Dionys. de cœl.hier. cap 4.

2. *Ex parte Virginis.*

S.Hieron.

Item ex parte Virginis, quia iuxta S.Hieron. ser. de Assumpt. semper est Angelis cognata Virginitas; in carne enim præter carnem viuere, non terrena profectò vita est, sed cœlestis. Angelum esse, ait, fœlicitatis est, esse virginem, virtutis.

3. *Ex parte Angelorum.*

Denique ex parte naturæ Angelicæ adhuc illa missio erat conueniens. De cuius honore & reparatione etiam hic agebatur. De honore quia videbantur Angeli aliquo pacto iniuria affici quod vnus ex illis Lucifer causa extitisset nostræ damnationis, vnde Deus eos sic honorare voluit, vt vnus eorum nuncius esset atque interpres nostræ salutis. De reparatione item eorum hic agebatur, cùm non minus eorum lapsus per incarnationem verbi restaurandus esset quàm hominum; iuxta illud Apostoli; *Quod in dispensatione plenitud. temporum, Deus propositum instaurare omnia in Christo, & quæ in terris, & quæ in cælis.* & Psaltis; *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas* scil. Angelorum qui ex singulis ordinibus & choris ceciderunt. Vnde videre est quomodo conuenientissimum fuit, Angelum mitti qui tale negotium ageret, ad naturæ suæ reparationem & quasi supplementum, pertinens.

Ephes.1.

Psal.109.

Missio Gabrielis inter alios Angelos fuit conueniens.

1. Ex parte Dei.

Verùm etiam secundò ostendamus quia non aliũ expediebat fuisse quàm Gabrielem. Primò ex parte Dei, à quo omnia ordinata sunt. Hic fuerat Angelus qui iam vt electus à principio istius mysterij interpres, primò ad Danielem fuerat missus illud reuelarem [illegible], & [illegible] septuaginta hebdomadarum. Deinde ad Zachariam, vt similiter nunciaret ei Natiuitatem Iohannis præcursoris eius: vnde postremo & nunc est [illegible] Virginem missus est, velut destinatus [illegible] Angelus, & inter Angelos supremus [illegible] sic tanti negotij Maiestatem, quod [illegible] Deum & Virginem.

2. Ex parte Virginis.

Gabriel fuit custos Virginis.

S.Ber. & Abulens. in Matth. 18. q.40.

Petr. Dam. orat. 1. de Nat.

[illegible] ex parte Virginis de[illegible] eumdem Angelum multi fuisse existimant, vt S. Petr. & doctiss. Abulensis in Matth. [illegible] habuisse duos Angelos custodes, vnũ per totam vitam, Angelici ordinis, & nobilissimum: alterum ex secundo ordine, sc. Archangelorum, Gabrielem, omnium adhuc excellentissimum & principem, quia à conceptione Christi vsque ad passionem eius illá adhuc speciali modo custodiuit. [illegible] digna honore est, ita sicut Cardinalis Petrus Dam. orat. 1. de Nat. vbi ait duos leones throni Salomonis figurasse vna ex parte Gabrielem Archangelum [illegible], alterum, Iohannem Euangelistam, [illegible] Virginem [illegible] solitudine [illegible] secundum mentem, alter [illegible], vt [illegible] doctissimus Cardinalis, Gabrielem custodem Angelum Virginis fuisse.

Tertiò ex parte mysterij & proprietate nominis missio Gabrielis conueniens erat.

Tertiò denique & vltimò ex parte mysterij, atque etiam etymologiæ nominis conueniens erat, vt non alter quàm Gabriel mitteretur; omnipotentiæ Dei opus, mysterium hoc erat; & Gabriel explicatur, fortitudo, virtus, & potentia Dei; item robustus Dei. Quapropter conuenientissime hoc magnum opus euangelizare missus est, verbi incarnationem, opus vere magnum, & Dei robur, in quo Deus fit homo, & homo est Deus, virgo fit mater & Dei mater, creator creatura, prima causa fit effectus, simplicissimus componitur, infinitus terminatur, immensus mensuratur, æternus tempori subiicitur, & incircumscriptus in vtero virginis includitur, Maiestas deprimitur, & omnipotétia infirmatur, immortalis fit mortalis, & primus vltimus, &c. Hæc sunt fortissima opera quæ nemo aliùs digne annunciare poterat nisi Gabriel Archangelus: vnde S. Greg. optime animaduertit quod ad Mariam virginem non quilibet Angelus, sed Angelus Gabriel mittitur, ad hoc quippe ministerium summum Angelum venire dignum fuerat qui summum omnium annuntiabat. hæc ille. Sed quid adhuc addam pro ista conuenientia. Si dicamus ex multis, quia hoc nomen Gabriel, significet & sonet, idem quod Deus & homo: Sic Theophyl. in S. Luc. Sic & Proclus Episcopus in hom. quæ extat To. 6. Conc. Ephes. c. 7. vbi sic ait, Reuerere nomen Archangeli qui nuncium illum lætissimum apportauit Mariæ, qui Gabriel est appellatus, Gabriel enim Deus homo. Geber enim homo est, el verò, Deus. Nomine ipso significans nuncium quem apportat, quoniam is quem euangelizat, Christus est, Deus & homo: Nomenclatura ipsa miraculum significat, verè miraculum vbi omnia mira sunt, vbi inquam, Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem quæ dicitur Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, vt eam salutet gratia plenam, & mundi salutem annunciet. Amen.

Quæ nimia Deo accidunt per incarnationem.

S. Greg. ho. 34.

Gabriel idem quod Deus homo significat.

DE STATV ET CONditionibus admirandis MARIÆ virginis.

Missus est Angelus, ad virginem desponsatam viro. Luc. 1.

INuestigabiles sunt diuitiæ Christi. Idem est ac si dicerem nunc cum S. Paulo, nos hodie loqui sapientiam non huius sæculi sed absconditam in Deo, reuelatam tamen hodie mundo per Angelum, missum ad virginem, ita vt modo dispensatio omnibus fiat sacramenti huius absconditi à sæculis in Deo; & quod Deus sibi seruauerat ab æterno suæ voluntatis sacramentum, in tempore reuelatum sit hominibus: hoc ipsum quidem est, quod hodie missus à Deo ad virginem annunciat Angelus.

Iam istius legationis magnitudinem agnouimus ex parte Dei mittentis, & similiter legati, seu missi Gabrielis Angeli: modo ex parte mysterij seu negotij, rem ponderabimus: si tamen antè dignitatem illius, ad quam legatio fit, consideremus: Virgo est, & talis virgo vt sit desponsata viro, præterea ciuitatem Nazareth inhabitat, illiusque virginis nomen, Maria est; vt infra dicemus. Hic obiter Euangelista circunstantias istas annotare voluit, vt inde clarius nobis illucescat certitudo & veritas historiæ, vnde etiam & nos illa seorsim & ordine considerabimus.

Ratione virginitatis magnis diuinius redditur opus.

Imprimis igitur virgo est, vt diuinius admirabiliusque sit opus, maioremque Deus sibi ex fide ho-

A minum conferat honorem. Illud exprimitur apud Isaiam in prædictione mysterij, vbi cum Deus dixisset domui Dauid, id est, Israëlitis, *si non credideritis non permanebitis*, statim adiecit Dominus loqui ad Achas dicēs. *Pete signum tibi à Domino*, & dixit Rex. *Non petam, & non tentabo Dominum*. Et tunc Dominus, aut Isaias potius; *Audite ergo domus Dauid*, scilicet, vos ô Iudæi audite ex quibus Messias ipse est nasciturus, vos qui increduli estis Deo & prophetis, audite. *Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* (scil. per incredulitatem vestram.) *Propter hoc*, scil. incredulitatē istam & duriciam cordis, *dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, &c. Hoc signum B est datum non solùm Regi Achas, sed etiā vniuersæ domui Dauid, signum inauditū, fideique mysterium; *Ecce virgo concipiet*, &c. Sed si vultis, adhuc aliū sensum excipite. O Iudæi quia non solùm molesti estis hominibus, & prophetis, affligentes ipsos; sed etiam Deo meo quem mærore & laboribus multis afficietis, crucifigentes ipsum aduenam in carne, *Propter hoc*, id est, vt crucifigatur, assumet carnem ex virgine, *Dabit Dominus ipse vobis signum*, signum cui contradicetur, signum mysterij, sacramenti, stuporis ac fidei, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel nobiscum Deus*. Quis vnquam talia audiuit? quod propter tale negotiū missus sit ad virginē Angelus? certè vt ex eo diuinius appa- C reret opus, quod Deum hominem conciperet virgo.

Isai. 7.

Explicatur

Alias adhuc rationes adiiciemus isti: vnam Anselmi, libro Cur Deus homo. videlicet vt hunc nascēdi modum sc. ex virgine, suæ ostenderet Deus subiici voluntati: vnde ille post S. Aug. dat quatuor genera humanæ generationis, seu modos quatuor quibus Deus hominem formare voluit: Primus est sine viro & fœmina, vt quando de limo terræ formauit primū hominem Adam. Secundus est de viro sine fœmina, vt quando de hominis costa formauit Euam. Tertius est in vsu cōmuni de viro & fœmina. Quartus penitus admirabilis & diuinus est de virgine, & fœmina, sine viro; quod quidem opus & mysterium tantum reseruabatur Christo, qui virginem matrem D in terris habuit, & Deum patrem in cœlis; & vt sic ostenderet talem generationis modum suæ subiacere potestati, simulque illum, & Deum & virginem decere, vt dixit S. Bern. homilia super Missus, scilicet non aliam natiuitatem decuisse Deum, quàm illā qua non nisi de virgine nasceretur, talemque etiam virgini congruisse partum, vt non pareret nisi Deum. Alia est S. Ambrosij ratio, vt videlicet tā filius quam mater nobis essent virginitatis & castitatis exēplum singulare; ipse enim nobis hic commendauit quod elegit in matre, quæ prima pium virginitatis & intemeratæ integritatis vexillum ex voto erexit, quod postea sequuta est multitudo militiæ cœlestis virginum. Sed alteram adhuc referam sumptam ex simi- E litudine & conuenientia Adæ, qui sicut de terra virgine formatus est, (nondum enim maledictioni fuerat tradita) ita Christum decuit, qui est secundus Adam, de Maria virgine, benedictionibus præuenta, omnique maledictione exempta nasci. Adam Dei manibus plasmatur de limo, & Christus formatur Dei spiritu in virginis vtero. Sed neque hanc omittamus adhuc conuenientiam; quando Eua mundum perdidit & corrupit, virgo erat (hoc certè mirum est) nondum enim Adam cognouerat eam; igitur multo magis decuit vt repararetur mundus per virginem. Quare ait Euangelista, Missus est Angelus à Deo ad Virginem, vt quæ prima destruxerat, repararet secunda,

Aliæ rationes cur Christus nasci de virgine voluerit.

1.
S. Ansel. lib. 1. Cur Deus homo.
S. Aug. ser. 16. de Nat.
Quatuor genera generationis.

S. Bern. ho. 2. super Missus.

Secunda ratio est S. Ambrosij ep. 81. ad Syricium. Virgo Maria prima fecit votum virginitatis.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

cunda; & quæ Eua amiserat, inueniret Maria.

Verùm de hac prima qualitate Mariæ, ad secundam veniamus, quod scilicet permanens Virgo fuerit desponsata viro. Huius autem conditionis, qualitatis & status apud S. Thom. multæ sunt conuenientiæ tam propter Christum & matrem eius, quàm propter nos: Primò propter Christum, qui vt Messias debebat recipi ab omnibus, & præsertim à Iudæis, quod quidem non fecissent, si ex adulterio natum fuissent suspicati; tunc enim potius tanquam indignum honore abiecissent. Ita S. Ambros. supra Luc. Quid enim Iudæis, & quid Herodi posset ascribi, si natum viderentur ex adulterio persequuti?

S. Tho. 3. 1. q. 29. art. 1. *Conueniens fuit Virginē viro desponsatam fuisse. Primò propter Christū.*

Secundò propter ipsam Virginem, vt pariter ab omni infamia liberaretur, quam certè minimè fugere potuisset, aut se excusare si non coniugata concepisset. Quis enim sermoni eius credidisset quod de Spiritusancto concepisset? Videte, quæso, in hoc mysterio mira Dei prouidentiæ consilia; Desponsata est Ioseph Virgo, vt ille custos esset & protectio illius honestatis ac puritatis: videmus frondes arboris, fructus defendere ab iniuriis cœli; sic Ioseph vt sponsus Virginis, illam protexit, & fructum vteri eius aduersus omnem iniuriam atque infamiam. Folium vnitum quidem est arbori, sed de folio non oritur, de arbore autem oritur: Ita Ioseph vnitus quidem Mariæ fuit in matrimonio, non tamen de illo natus est Christus Mariæ filius, sed solùm de illa Virgine. Quod notauit Isaias, dicens; *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*, ille flos Christus non de folio, non de Iosepho; sed de radice Virgine ascendit, natúsque est. Quod autem ille ei vnitus sit in sponsum, hoc ideo tantùm fuit, vt custos esset honoris Matris, & vitæ pueri, eísque auxilium & ministerium in necessitatibus exhiberet, sicut accidit in fuga & reditu de Ægypto; aliísque multis in locis, in quibus puer IESVS cum matre sua mansit in omnibus ætatis suæ differentiis, quibus Ioseph in victu & negotiis obsequium semper præbuit, & sufficienter prouidit. Simúlque etiam vt diximus, sapienter atque diuinitus prouideretur & honori matris, & tutelæ pueri.

Secūdò propter ipsam Virginem.

Exemplum.

Isa. 11.

S. Ignatius aliam affert rationem, & cum illo S. Ambros. in Luc. & S. Iohan. Damasc. lib. 4. c. 15. scilicet vt talis partus qui Dei erat, diabolo celaretur, & sic consulto deciperetur qui semper in sua sapientia gloriatur, sciebat enim Isaiæ prædictionem. *Ecce Virgo concipiet*, vnde sedulo, dicit S. Damascen. obseruabat Virgines nostræ salutis inimicus: sed vt deciperet eū Deus qui deprehendit sapientes in astutia eorū, ecce in desponsationem puella Ioseph à sacerdotibus traditur, vt nouus liber litteras scienti, id est, diuina & abscondita mysteria; Nam desponsatio custodia Virginis erat; & Virginis obseruantis expulsio, id est, diaboli. hæc ille. Deo nimirum prohibente, ne super hoc quidquā diabolus cogitaret in Virgine.

Ex S. Ignatio vt celaretur partus diabolo, Virgo desponsata fuit.
S. Damasc. lib. 4. c. 15.

Tertiò adhuc propter nos hoc erat conueniens, videlicet vt certius & omni acceptione dignum testimonium haberemus; & virginitatis matris, & istius tanti mysterij; vbi fidei Mariæ ac verbis, adhuc ipsius Ioseph sponsi eius, testimonium superueniret, qui ex reuelatione sibi facta ab Angelo, illam postea & sponsam suam accepit, & dominam agnouit, eamque vt de Spiritusancto obumbratam coluit; sicut ab angelo audierat. *Quod in ea natū est, de Spiritusancto est.* Hoc enim modo ipsemet firmiorem fidem nostram reddidit. Ita enim iuxta S. Ambros. Locupletior testis pudoris maritus adhibetur qui posset & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum. hæc ille. Sed quodnam est

Tertiò propter nos erat conueniēs vt viro despōsaretur Virgo.

S. Ambros. in Luc.

A illud? *Quod in ea natum est, de Spiritusancto est, pariet autem filium*, &c. Et hoc, vt adimpleatur quod dictū est à Domino per Prophetā, *Ecce Virgo concipiet*, &c.

Ecce itaque quomodo propter nos, id est, ad firmius astruendam fidem nostram conueniens erat vt virgo esset desponsata viro, qui omnium testis fidelissimus esset.

Sed adhuc vnam mysticam dat S. Thom. videlicet, vt per hoc significaretur vniuersa Ecclesia, quæ cum virgo sit, desponsata tamen est vni viro Christo, iuxta quod Apost. dicit ad Cor. *Despondi vos vni viro*, i. promisi vos, *virginem castam exhibere Christo*, i. vos omnes virgines & immaculatas sponsas esse Christi.

Ratio mystica à S. Thoma.
1. Cor. 11.

B Quæso istud ediscamus omnes ex illo augustissimo & sacrosancto matrimonio, vbi sponsus & sponsa virgines sunt. Nomen virginis spōsæ MARIA est. Et nomen similiter sponsi qui est virgo, IOSEPH. Ecce quis & qualis ille erat virginis sponsus; sicut sponsa, virgo erat. Et præterea adhuc iuxta S. Math. *vir iustus*, gratia & omni perfectione plenus. Et certe etiam nomine conuenientissime & proprissime sponsus erat Mariæ. Quid enim hoc nomen Ioseph significat, nisi augmentum & abundantiam? Vt notetur exinde qualis poterat esse ille fructus qui de tali coniugio in mundum prodire debebat, scilicet omnis gratiæ, & benedictionis fructus. Ita enim per Christū benedi-

Conditiones & qualitates Ioseph sponsi Virginis Mariæ.

Significatio nominis Ioseph.

C ctum fructum ventris virginalis omnis gratiæ plenitudo mundo collata est. Apud S. Iohan. *Gratia per* IESVM *Christum facta est, & de plenitudine eius omnes accepimus.* Ita ad Rom. *Vbi abundauit delictum, vt regnet in mortem: superabūdauit gratia per* IESVM *Christum, vt regnet per iustitiam in vitam æternam.* Hæc omnia sanctus Ioseph suo nomine declarabat.

Ioh. 1.

Rom. 5.

De hoc sanctissimo sponso, multa alia & maxima nobis nunc dicenda essent. Sed in crastinum diem remittimus, in quo plura de eo reseruantur. Vnum tamen hodie notabimus, videlicet in hoc titulo sponsi Mariæ virginis omnes ipsius laudes contineri, omnes prærogatiuas atque dignitates: Hoc namque superare dicit Moysem in virtutibus & prodigiis, hoc

Prærogatiuæ Ioseph ex qualitate sponsi Virginis.

D superare prophetas in mysteriis; hoc Euangelistas, & omne Apostolorum collegium in gratia & donorū priuilegiis. Hoc denique dicit statu etiam superare Angelos: & vt omnia dicam, eleuari supra omnem creaturam: quando hoc ipsum constituit tutorem & curatorem filij Dei in terra, facitque vt apud homines etiam pater habeatur. Ecce Ioseph augmentum sponsusque accrescens, & eleuatus non solùm super creaturas, sed etiam supra omnem intelligentiā creatam. O Ioseph ideo quidē magnus es, quia Virginis sponsus es! Déque tua sponsa, ô sponse, omnes tuos extrahis honores. Et quidem ratio vult & postulat, vt in illius laudibus vnus integer expendatur dies. Quare modo satis erit si exponamus hic quod de eo

E Euāgelista notauit. Quod scilicet *de domo Dauid* erat sicut ipsius sponsa: hoc autem consulto & ex instituto adiectum est. Iuxta quod promissio erat Messiam Christum nasciturū ex semine Dauid, In Ieremia dicitur; *Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex & sapiens erit*: & in Isaia, *Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit.* Ita psaltes, vbi etiam iuramentum exprimitur, *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponam super sedē tuam.* Quis est iste, obsecro, venter Dauid, qui fructum talem gestaturus est, & qui super ipsius sedem postea sedere debet? Virgo est Dauid filia, ad quam, vt dicit in hunc Psalmum S. Augustinus, vir non accessit: hoc enim modo appellatur venter Dauid. Interim necesse erat iuxta legem & rationes prædictas; vt viro desponsata esset, & suæ tribus, videlicet

Quare sit mentio domus Dauid.

Ierem. 23.

Isa 9.
Psalm. 131.

videlicet illi cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid ſicut illa. Ambo igitur ſunt de domo illa vt omnia adhuc magis conueniant, & conformis ſit executio promiſſis. Sed hic adhuc vnum notandum eſt. videlicet Christum magis voluiſſe dici filium Dauid, quam Abrahæ, cui etiam promiſſio facta eſt Gen. 22. Ideo quidem, vt nos doceret ſe maiori proſequi amore peccatores ad pœnitentiam conuerſos, vt olim dixit, quam iuſtos. Nihil legimus de peccatis Abrahæ. Sed multa è contrario de iuſtitia & obedientia eius. De Dauid verò legimus quod peccauit; ſed quia etiam fleuit &c. & ecce Dei filius hunc peccatorem pœnitentem ſupremo honore, etiamque ſupra Abraham honorat, vocans ſe filium Dauid: ſicut etiam ſecundum carnem de eo in veritate deſcendit, in ſimilitudinem hominum factus, & quid amplius dicam? in carnis peccati ſimilitudinem: iuxta quod in forma ſerui peccatores quærere venit, ſaluare, & mori pro illis; nobis omnibus verbis & factis ſignificans, quod ſi de peccatis noſtris pœnitentiam agamus, ipſiuſque præcepta obſeruemus, ſicut fratres & propinqui, gloriæ eius conſortes erimus in cœlis & cohæredes.

Cur Chriſtus potius dici filius Dauid quàm Abrahæ voluit.

DE LAVDIBVS ET prærogatiuis S. Ioſeph ſponſi Mariæ virginis.

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid. Luc. 1.

NON eſt opus vt arbitror alibi quærere laudes & præclaras ſanctiſſimi Ioſeph ſponſi Mariæ virginis, & matris IESV Chriſti prærogatiuas, quàm in Euangelicis Sanctorum Matthæi & Lucæ exordiis vbi illæ ſatis, conciſis licet verbis declarantur, verum ſenſu & intelligentia ampliſſimis, eoque etiam magis gloriam eius ac dignitatem exprimentibus. Quid enim amplius referri poteſt in honorem eius quàm ipſum hic dicere ſponſum virginis, ſponſum Dei matris? *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad virginẽ deſponſatam viro cui nomen Ioſeph.* Quid denique maius excellentiúſque de eo in hac ſponſi qualitate poteſt agnoſci, quàm apud S. Matth. in ordine ac ſerie genealogiæ Chriſti ſecundùm carnem ipſum contemplari velut extremum gradum ſcalæ Iacob, cui verbum patris æternum innixum eſt? *Liber generationis* IESV *Chriſti*, dicit S. Matth. *Abraham genuit Iſaac, &c. Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt* IESVS *qui vocatur Chriſtus.* Certè eo excellentior apparet cæteris in hac ſerie poſitis patribus, quo propius immediatiúſque Verbum æternum contemplatur ac ſuſtinet. Nam ſicut in illa ſcala quã Iacob vidit in ſomno de terra pertingentem cœlos, gradus ille ſupremus, eo excellentior erat cæteris, quo altior, Deúmque ipſum erat ſuſtinens. Ita noſter ſanctiſſimus ſponſus Ioſeph ſupra alios omnes, etiam ipſum Abraham, qui primus iſtius ſcalæ gradus eſt, vel certè à quo illa ſcala videtur initium accipere, glorioſus & eminens oſtenditur; velut is qui ſupremi gradus dignitatem obtinet, & cui innititur Deus. Hac ipſa ſimilitudine in Matth. Rupert. vtitur: Ecce inquit, ſcala quæ in ſomnis Iacob apparuit, quando parentibus obediens ibat in Syriam, vt de cognatione ſua vxorem acciperet, ſcala ſtans ſuper terram cuius cacumen cœlum tangebat, & Dominus illi erat innixus: Scala inquam iſta Generatio Chriſti eſt. Latera ſcalæ ſummi patres, vel certe duo principes huius generationis, Abraham & Dauid, ad quos promiſſio facta eſt: Gradus cæteri in ordine patres ab Iſaac ad Ioſeph, qui & omniũ ſupremus ſcalæ gradus eſt, cui Dominus innixus eſt tanquã viro Mariæ, de qua natus eſt IESVS, qui vocatur Chriſtus. Sed quomodo innixus? vtique tanquam tutori pupillus. Hæc ille: O rem admiratione dignam! Nihil dignius certè de eo ſponſo dici poteſt, &c.

Matth. 1.

Ioſeph præfertur cæteris patribus, & comparatur gradui extremo ſcalæ Iacob.

Rupert.

Myſtica deſcriptio ſcalæ Iacob.

Verum antequam longius progrediamur, operæpretium eſt, vt ex illo Euangeliſta omnes ſublimes eius gloriæ titulos depromamus. Imprimis nomen Iuſti accipit, *Ioſeph vir eius cùm eſſet iuſtus.* Deinde prærogatiuæ aliæ ſequuntur; Quarum prima eſt, quod ei ſollicito de Virgine prægnante apparet Angelus in ſomnis confortans eum: eique reuelat alta Incarnationis myſteria, etiam cum munere ei commiſſo imponendi filio Dei nomen ineffabile IESV; *Ioſeph noli timere, &c. quod in ea natum eſt, &c. vocabis nomen eius* IESVM. Dignitatem, quæſo, iſtam ſuſpicite; Brachium Domini (ſc. Incarnationis opus) cui reuelatum eſt? Ioſepho ante omnes; & qui adhuc meruit nomen illi imponere, qui rebus omnibus nomina vocat. & ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, vt dixit Apoſtolus.

Prærogatiuæ ſancti Ioſeph.

1.

Secunda, quod primus cum Maria matre puerum Deum meruit, ante omnes adorare, illi præparare præſepium: & totius eius infantiæ curam habere, in templum ducere; & in Ægyptum vt Herodem fugeret, de Ægypto in Nazareth; & ibi vſque ad diem oſtenſionis eius, ipſum & matrem manuum labore enutrire; adeovt tandem conſtituerit eum Deus dominum domus ſuæ, & principem fecerit omnis poſſeſſionis ſuæ; diſpenſatorem fideliſſimum dignioris cœlo, quàm terra, familiæ.

2.

Tertia tandem & vltima prærogatiua eſt ex Euãgelio, quod legitimus ſponſus fuerit Deiparæ Virginis: & conſequenter habitus pater Chriſti, filij eius & vnigeniti Patris. Hæc certè prærogatiua eſt quæ omnia excedit, ipſúmque ſuper omnia ſummis extollit honoribus: Nam ſi S. Gregor. Nazian. in oratione de laudibus Gorgoniç ſororis, loquens de marito eius, aliter non laudat, quàm quia vir illius erat; itavt dicere auſus ſit, vultis vno verbo talem virum vobis deſcribam, vir illius erat Gorgoniæ ſororis meæ; nec ſcio quid amplius dicere neceſſe ſit. Quanto, quæſo, nos id meliori iure ad laudem Ioſephi referre poterimus? Vultis talem virum vno verbo deſcribam vobis? ſpõſus erat Mariç virginis; nec aliud dicendũ ſcio.

3.

S. Gregor. Naz. orat. 11. de laudib. Gorgoniæ.

In Geneſi, Adamo creato, Deum dixiſſe legimus. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Ita de Virgine Deus dixit; Non eſt bonum matrem filij mei eſſe ſolam. Quare hoc? Ne infamia notaretur cùm pareret; & pudicitiam amiſiſſe videretur. Propterea faciamus ei adiutorium ſimile ſibi: Quodnam erit illud? Sanctiſſimus Ioſeph ſponſus eius, ei in virtutibus ſimillimus, licèt non cum proportione æqualitatis, ſed ſolùm ſimilitudinis & conformitatis; itavt multi nõ dubitent dicere, vt Gerſon, ipſum ſanctificatum fuiſſe ab vtero matris; vt Virgo à conceptione fuerat; vt ſimilitudo aliqua & conformitas inueniretur talis ſponſi ad talem ſponſam, de qua natus eſt IESVS, qui dicitur Chriſtus, i. gratia vnctus, ſeu potius & melius diuinitate vnctus; itavt ſicut laus Mariæ, laus & gloria eſt Chriſti: ita laus Ioſeph, in vtriuſque laudem redundet, matris & filij.

Gen. 2.

Quomodo & in quibus eſt ſimilitudo inter Ioſephum & Mariam.

Hanc autem gratiam ſimilitudinis ei collatam fuiſſe credere eſt ex conſideratione Virginis; ſicut adhuc

Ex consideratione Virginis gratia S. Iosepho datæ sunt.

adhuc ex sancta conuersatione eius cum illa, alia multa gratiarum dona collata fuisse. Nam si sola vox salutationis illius exultare fecit in gaudio & benedictionibus puerum, quem adhuc materna claudebant viscera, (sc. Iohannem præcursorem:) quantam putabimus illam fuisse S. Iosephi exultationẽ, & abundantiam gratiarum, cùm toties & eius vocem audire & faciem videre meruit? atque etiam eius non solùm præsentia frui, sed adhuc familiaritate & amicitia coniugali? Sed quid præterea dicam? ea adhuc cum prærogatiua honoris, vt illa Dominum suum ipsum appellare non erubuerit. Ita Gerson qui de illo talia dicit, Non confundebatur Maria vocare Ioseph Dominum suum, sicut Sara Abraham. Gen. 18. nam & præponit eum sibi, dicens, pater tuus & ego &c. Nec mirum, quia maior in Maria, quam in Sara humilitas, & Ioseph dignitas Abrahæ dignitatem superabat. Liceat igitur hic exclamare: O miranda prorsus Ioseph sublimitas tua & incomparabilis dignitas, vt mater Dei, Regina cœli, Domina mundi, te Dominum suum appellare non indignum putauerit. Nescio sanè quid hic magis admirari debeamus vel humilitatem in Maria, vel in Ioseph sublimitatem. Interim hoc minimè obstabat, quominus ille debitam ei reuerentiam vt genitrici summi Dei semper exhiberet. Nam si credimus S. Bernardo, cùm ille de Virgine prægnante turbatus est, & cogitauit occultè dimittere eam, hoc nihil aliud erat quàm honoris & reuerentiæ indicium. Ita S. Bern. super Missus. Quare voluit eam dimittere? accipe in hoc non meam, sed patrum sententiam; propter hoc, propter quod & Petrus Dominum à se repellebat, dicens, *Exi à me Domine, quia ego homo peccator sum.* Propter quod & Centurio *Domine non sum dignus,* &c. Ita ergo Ioseph & indignum & velut peccatorem se reputans dicebat intra se, à tali & tanta nõn debere sibi vltra familiare præstari contubernium, cuius supra se mirabilem expauescebat dignitatem; videbat enim & horrebat diuinæ præsentiæ certissimum gestantem insigne, & quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam; expauit Petrus potentiæ magnitudinem, expauit Centurio præsentiæ Maiestatem; exhorruit ita & Ioseph sicut homo huius tanti miraculi nouitatem, mysterij profunditatem: & ideo occultè voluit dimittere eam. Talia dicit S. Bern. vbi certè ostendit sanctum Iosephum penitus in stuporem ascendisse, admirationem ac timorem, cùm se cognouit sponsum esse Virginis Deum pariturae; Dominùmque constitui talis ac tam sanctæ familiæ; denique fieri custodem charioris Dei in terra possessionis. Etenim videbat tunc in Paradisum conuerti domum suam, in qua pretiosissimus Dei thesaurus erat absconditus: in qua diuitiæ omnes erant cœli & terræ, Verbum patris incarnatum, & Maria mater Verbi. Huius ergo possessionis patris, ex priuilegio gratiæ, constituitur fidelissimus & nobilissimus custos: imo dicam veluti pars excellentissima ad specialem Trinitatem constituendam in terra. O beatam domum in qua illa beatissima Trinitas habitabat, Christus, Maria & Ioseph. Cuperem, dicit Cancellarius Gerson, vt mihi verba suppeterent ad explicandum tam altum mysterium, tam admirandam, venerandámque Trinitatem IESV, Mariæ, & Ioseph. O quam dilecta Trinitati, Patri, Filio, & Spiritui sancto. Illius domus Trinitas, IESVS, Maria, Ioseph. Nihil charius, nihil melius, nihil in terris erat excellentius: inuidebat terris tales habitatores cœlum cœlo digniores quàm terris.

Virgo non erubuit Iosephum appellare dominum sui.

Ioseph honoris & reuerentiæ causa Virginem dimittere volebat.

Domus Ioseph fit paradisus.

Ioseph fit pars Trinitatis in terra.

Gerson.

Rursus hortus Canticorum erat conclusus & amœnissimus, in quo ille cœlestis Agnus inter lilia castitatis pascebatur, inter sponsam & sponsum virgines; Dicam potius, Cœlum erat in quo Deus habitabat, verè enim in illa manebat. Cœlum à cælando dictum, quia gloriam habitantium in eo, id est, beatorum tegit: sic ista paruula domus Ioseph ad instar cœli tegebat maiestatem infinitam Christi; Virginisque matris, & sponsi gloriam cælabat. Dixi tegebat & celabat; Quis enim vnquam scire & putare potuisset Deum incarnatum habitasse hanc domum, Virginem in ea Dei matrem esse; & Iosephum hominem & fabrum Virginisque sponsum, filij Dei nutricium & custodem fuisse? Verè cœlum erat domuncula illa, illa cęlans & tegens admiranda mysteria, domus conclusa, foris nigra sed intus formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis &c. O benedicte Ioseph quanta erat dulcedo tua, quam ex consortio Matris Dei & filij percipiebas? Nullus certe fuit, qui, vt iste, tantum communicarit consolationibus & donis IESV & Mariæ, qui vt creditur in hoc mundo cum eis est conuersatus per triginta annos: Nam communiter tenetur excessisse è vita, paulo ante baptismum Christi. O beatum virum cui donatum est conuersari cum Christo & Maria matre eius tot annis? videre & audire, quod multi reges & prophetæ videre voluerunt & audire; & non viderunt neque audierunt. Iste autem adhuc præterea meruit ipsum portare, deducere, amplecti, deosculari, enutrire, custodire, denique tot annis eius præsentia & conuersatione frui.

Domus Ioseph hortus erat Cantic. Cœlum erat.

Tempus obitus sancti Ioseph.

Mirabatur quondam Elisabeth, quod ad eam Maria venisset vt ancilla præstare sibi obsequium, & dicebat, *Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me?* Quid amplius Ioseph dicere potuit? ex illa tam familiari & seruili conuersatione matris Dei cùm illo? Vnde hoc mihi vt mater Domini mei & Dominus meus mecum conuersentur in domo? Vnde hoc mihi vt coniux fuerim electus matris Dei mei? Sed præterea vnde Pater Dei & Domini mei credar & nuncuper! Hæc enim maxima consideratio est quæ sequitur primam; scilicet quod ex matrimonio cum Virgine, pater Christi sit creditus. Ioh. 6. postquam Dominus dixisset, *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi*: Iudæi statim dixerunt, *Nonne hic est filius Ioseph, cuius nouimus patrem & matrem. Quomodo ergo dicit, Ego de cœlo descendi?* Sic Luc. 3. & *ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta vt putabatur filius Ioseph.* & cap. præcedenti sic eum mater alloquitur, *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Ecce Ioseph dignitas ex eo quod sit sponsus Mariæ; creditur & dicitur Pater Christi: imo amplius dicam, quia & multoties audiuit se talem à Christo vocari, maximè quando adhuc infantem & tenellum portabat ipsum, amplexabatur, deosculabatur; & sua arte manibusque ipsum sustentabat.

Luc. 1.

Ioseph ex matrimonio cum Virgine creditur pater Christi.

Ioh. 6. & Luc. 3. itẽ. 2.

Celebratur Euangelista Iohannes, quod à Christo Matris filius in cruce fuerit appellatus; cum dixit de eo. *Ecce filius tuus*; Sed quomodo non magis commendabitur Ioseph qui & ipsius matris sponsus agnoscitur, & eiusdem adhuc filij pater appellatur? Quidnam maius & excellentius est, aut filium esse adoptiuum Virginis, aut sponsum verum Virginis? Vel quid admirabilius est, aut Filium dici Virginis, aut patrem filij Dei? Verum adhuc, ait Ioseph, vnde hoc mihi, vt Deus obediat mihi? De Christo enim dicitur, quia Iosepho obediẽs & subditus erat: Mirabile erat, Solem stare in cœlo, obediente Deo voci hominis: tantùm autem hoc semel accidit. Sed multò erit admirabi-

Ioseph commẽdatur super omnes.

Luc. 2.

Iosue 10.

admirabilius, videre Solem iustitiæ descendisse in A terram, & humiliatum in carne sæpiùs voci Ioseph vt patris obediuisse, sicut scriptum est, *& erat subditus illis*, &c. O quantam dignitatem illa subiectio conferebat Iosepho! sicut enim illa in CHRISTO inæstimabilem denotabat humilitatem, sic in Iosepho incomparabilem dignitatem. Sed quid adhuc præterea dicemus quando familiariter & amorosè ipsa dulcedo paradisi tenellis brachiis suis amplexabatur eum; & suaui osculabatur osculo oris sui? O benedicte Ioseph, & sponse fœlicissime, sed electe desideratissimi sponsi amice, quonam modo tantam suauitatem sufferre poteras? præsertim cùm mutua erant oscula & amplexus? Cùm osculantem te puerum osculabaris, & te amplexantem excipiebas amplexibus charitatis? Denique cùm exceptum gremio tuo fouebas ipsum deliciis laudis, orationis, gratiarum actionis, reuerentiæ, & altissimæ contemplationis? Sanctissimus Sacerdos Simeon ipsum accipiens in vlnas suas, canticum suum cecinit lætus. Tu autem qui non semel excepisti eum, sed sæpiùs; quænam cantica tua fuerunt? quas dicebas laudes, quasve gratiarum actiones? &c. Iohannes semel dormiẽs in sinu IESV cum pari & inexplicabili consolatione, statim mysteria omnia penetrauit, sicut postea omnem intelligentiam illorum reserauit nobis. Et tu Ioseph qui toties recumbentem super pectus tuum, atque dormientem sustentabas; quid consolationis & intelligentiæ capiebas ex eo? Credo quod tu illi sæpissimè dicebas, IESV sole serenior, consolationes tuæ lætificauerunt animam meã. O beatos oculos qui toties CHRISTVM viderunt & contemplati sunt! siquidem dixit CHRISTVS; Beati oculi qui vident quæ vos videtis. O beatas manus quæ toties CHRISTVM tetigerunt, nec prohibitæ sunt sicut Magdalenæ, cui dixit Dominus; *Noli me tangere*, &c. O beata brachia quæ toties gestauerunt Dominum: sed tandem & semper illum beatum, qui etiam toties à CHRISTO meruit videri, tangi, atq; excipi verbis, amplexibus & osculis. Si enim cæcus natus solo digito Saluatoris tactus, cum luto ex saliua oris eius confecto illuminatus est, & si manus mortuæ puellæ manu eius contacta animã excipit vniuerso corpori; & si adhuc ipse pheretrum tangens adolescentis mortui statim eum resuscitat à mortuis. Denique si sola fimbria vestimenti eius curet, à quacunque infirmitate detineantur, omnes. Quid quæso gratiæ & vitæ contulerunt Iosepho oscula, & amplexus benedicti Saluatoris? Quid colloquia illius & familiaris conuersatio? Facies Moysis ex consortio sermonis Domini cornuta videbatur, id est, splendida, & quomodo facies Ioseph, cor & anima eius non resplenduerunt lumine, ex consortio sermonis Domini, non vnius horæ & diei spatio; sed ex multis annis conuictu & familiaritate? S. Franciscus de Deo loquens cum sancta Clara in talem ecthasim raptus est, vt etiam aliis monasterium ardere videretur. O quis non dicet illam domum Ioseph exarsisse totam deuotionis igne, quando ille continuò cum Maria virgine & sponsa de Deo etiam præsente loquebatur? S. Petrus assumptus in montem cum Christo, vbi vidit gloriam eius, & mysteria audiuit, dicit; *Domine bonum est nos hic esse*. Quid quæso dicere poterat Ioseph, Deum videns & figuratum in sua domo, & ibi manentem cum Maria matre eius? Agnoscens Deum in ea carnem assumpsisse, & in illa suspiciens & contemplans gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre? &c. S. Paulus in cœlum raptus audiuit arcana: Et S. Ioseph adhuc in terra supra cœlum raptus, audiuit in somnis arcana, Theologiam de CHRISTO audiuit, *Quod in ea natum est, de Spiritusancto est.* Hæc sunt altissimæ Theologiæ arcana & mysteria quæ hodie reuelare cœpit Angelus *missus à Deo ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph*, &c. Amen.

Luc. 2. Luc. 2. Ioh. 13. Luc. 7. Exod. 34. Matth. 17.

DE DIGNITATE NOminis ac loci MARIÆ Virginis.

Et nomen Virginis MARIA. Lucæ I.

PRIMVM omnium nomen scriptum in libro vitæ æternæ, est nomen IESVS. Secundum autem post illud est nomen MARIA. Non absque mysteriis suis nomina sunt imposita, Gen. I. Formatis cunctis animantibus adduxit ea Deus ad Adam vt videret quid vocaret ea, & appellauit cuncta nominibus suis, videlicet, conuenientibus. Ita eadem scriptura interpretatur & explicat nomen quod dederat Adam vxori suæ, scilicet, Euam, eo quod, ait, mater esset cunctorum viuentium. Sic hodie secundæ Euæ nomen datum est & quidem conuenientius: MARIÆ nomen est. Nomen certe post IESVM supra omne nomen, nomen mysteriis & significatione supereminens; nomen quod significat Matrem & Dominam; illuminatam, & illuminantem: mare, atque stellam maris: hæc quidem omnia eo quod futura erat Dei mater & omnium viuentium restauratrix. Sic S. Epiphanius serm. de laudib. eius, Mariam, inquit, interpretari solemus Dominam atque etiam spem, peperit enim Dominum qui est spes totius mundi IESVM CHRISTVM. Ita S. Athan. decet te Matrem & Dominam cognominari, eo quod ex te prodiit Rex regum & Deus noster. O Maria quàm magna fecit in te qui potens est, verè enim rerum omnium Domina facta es, quæ creatoris omnium mater futura es: Hæc est prima significatio nominis, Maria, Mater & Domina.

Quid significat nomen MARIA. 1. S. Epiph. ser. de laudib. virginis. S. Athan. tom. 3.

2. Secunda, illuminata & illuminans, propter singulare lumen quod accepit, mundóque effudit IESVM CHRISTVM Dominum nostrum. Lux à Deo creata est ad tenebras repellendas, decorandum orbem & manifestanda opera creatoris, &c. Ita virgo cuius nomen sonat lucem. Eua per serpentem tenebras mundo offudit quas ipsa primò acceperat, sicque vniuersum peccatis repleuit obscurauitque. Maria verò per CHRISTVM splẽdore ac pulchritudine gratiæ illuminata, etiam nos omnes illuminauit. Sed numquid meritò hodie illuminatam appellabimus ad quam missus à Deo est Angelus, vt annunciet ei mysterium absconditum à sæculis in Deo? salutet eam gratia plenam, dicátque ei, & reuelet quod conceptura sit filium Dei, verbum æternum patris? Sed etiam illuminantem appellabimus, cùm vox salutationis eius & præsentia puerum adhuc existentẽ in obscuris vteri materni illuminauit, vt Dominum suum agnosceret: & adhuc sine voce diceret matri, ecce mater Dei; propterea Elizabeth dixit, *Vnde hoc mihi vt mater Domini mei veniat ad me.*

3. Tertiò, hoc nomen MARIA mare, amarum, & stellam maris significat. Mare, quia omnium donorum & gratiarum Spiritussancti est Oceanus, Gen. I. Deus congregationes aquarum vocauit Maria. Sic virgo Maria appellata est, quia ei tota se infudit plenitudo gratiæ. *Omnia in mare intrant*, ait Sapiens, *& mare non redũdat*. Est quidem aliter de nostro Oceano

Genes. 1.

no gratiarum, videlicet Maria. omnes gratiæ intrant A in illam, & illa redundat in nos: Sic S. Bern. ser. de Nat. Totius boni plenitudinem posuit Deus in Maria, vt si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare. Intuere ò homo consilium Dei, consilium pietatis; Redempturus genus humanum, pretium vniuersum contulit in Mariam, inde est quod ille Sanctus alibi dicat, quod illa omnibus sinum misericordiæ suæ aperit, vt de eius plenitudine accipiant vniuersi; captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, Trinitas sancta gloriam, denique persona filij carnis suæ substantiam; vt non sit qui se abscondat à calore eius, & non recipiat de plenitudine eius. B Igitur mare fuit sed immensum & profundum, quia sicut nullus potest dinumerare guttas maris, sic nullus Mariæ excellentiam exprimere potest & gloriam. Mare certe immensum per quod Deus ad nos nauigauit per suauem flatum Spiritussancti: *Spiritussanctus superueniet in te*, dicit Angelus: Mare fuit non procellis obnoxium, sed mare in quo superbus Pharao submersus est. Ideoque mare amarum, amarum quidem non propter dolores solùm, quos ipsa in filij sui passione pertulit: sed etiam propter ruinam & submersionem quam diabolo attulit. Sicut enim rubrum mare amarum fuit Ægyptiis in eo submersis: ita Maria cunctis dæmonibus per eam submersis. S. Bernard. Non sic timent hostes visibiles multitudinem copiosam castrorum, sicut potestates aereæ, MARIÆ vocabulum, patrocinium, exemplum. fluunt quidem & pereunt sicut cera à facie C ignis, vbicunque inueniunt crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, sollicitam imitationem, &c. Recordemur igitur sæpius Mariæ, inuocemus deuote, & imitemur sollicite, sit in corde, sit in ore, & in operibus in eorum nostrorum: Et per illud mare nauigemus ad Deum, sicut ipse per hoc nauigauit ad nos. Si enim ex significatione nominis sui mare est, etiam stella maris est, vt illucescat nobis, & absque naufragij periculo ad portum vitæ nos ducat.

S. Bern. ser. 3 de Nat.

Serm. 51.

Quomodo virgo dicta ... amarum ...

D Stella virgo nuncupata maris, stella poli est, in hemisphærio nostro, omnium suprema & altissima: vnde aspectui nostro videtur minima: ita virgo quæ in oculis nostris & sui humillima semper extitit, super omnes ordines exaltata est, vt Deo propinquissima. Stella illa est notante Astronomi, mouet se in suo orbe & circulo, licet locum suum non mutet (quod saltem non apparet). Ita virgo intra ambitum sui amplissimi status, dignoscitur habere erga nos continuum motum charitatis & beneuolentiæ. Hæc stella, secundum quosdam veteres Philosophos, illa est ratione vtriusque poli quæ mundum firmum tenet, & in centro suo immobilem. Sed virgo verius hæc stella est quæ suis precibus & meritis E mundum retinet, ne tantam mole peccatorum pereat, corruat, &c. Denique stella illa est quæ nauigantes in mari ducit dirigitque ad portum; Sic Maria virgo vera stella maris est omnium ad vitam conductrix. Ita S. Bernard. In omnibus angustiis tuis & necessitatibus aspice stellam, inuoca Mariam. Hic sanctus in homil. super Missus, diuinè adhuc de hoc nomine philosophatus est, Mariam stellam vel sydus interpretans, vtriusque comparatione facta in suis generationibus. Loquamur, inquit, pauca super hoc nomine quod interpretatum dicitur maris stella, & matri virgini valde conuenienter aptatur; ipsa namque aptissimè syderi comparatur, quia sicut sine sui corruptione sydus suum emittit radium, (nota-

... virginem.

S. Bernard. hom. 2 super Missus.

te similitudinem) sic absque sui læsione virgo parturit filium. Nec syderi radius suam minuit claritatem, nec virgini filius suam integritatem; Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat, stella necessariò super hoc mare magnum & spatiosum sublevata micans meritis, illustrans exemplis: *Et nomen Virginis* MARIA Domina, illuminata, illuminans, mare & maris stella; stella quæ de terra orta est, vt cœlum decoraret.

Num. 24.

MARIA quæ ex elementis & litteris nominis sui, maiores suas mutuatur qualitates & titulos honoris. Quinque sunt litteræ, M. A. R. I. A. iuxta illas dicitur ordine mater misericordiæ, aduocata afflictorum, refugium redeuntium, inuentrix iustitiæ, amica Angelorum: Hodie missus est ad eam virginem Angelus, & nomen virginis Maria: Maria quæ adhuc intra ambitum horum quinque elementorum figuras continet & perfectiones illarum quinque præstantissimarum fœminarum quæ illam in veteri testamento præcesserunt. Prima est Maria soror Legislatoris Moysis, quæ in nomine & virginitate sua figura eius fuit: hæc præstantissima omnium fœminarum fuit quæ de Ægypto exierunt, & ea fuit quæ post transitum maris rubri gloriosum canticum Domino cecinit dicens; *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est*. Exod. 15. Ita Maria virgo, cuius illa typus erat; soror & mater simul secundi Legislatoris CHRISTI, & quæ prius à Deo conseruata benedictionibusque præuenta est quàm liberata, & redempta de seruitute, Dominum suum canticis & laudibus exaltauit dicens; *Magnificat anima mea Dominum*. &c. Secunda est Abigail, quæ humilitate & prudentia sua placuit Dauid, illiusque placauit iram, ne vlcisceretur de inimicis suis, & tandem ab eo in vxorem est assumpta. Sicut virgo humilitate sua & prudentia, sponsa facta est Spiritussancti & mater CHRISTI, Deique retinuit iram, ne sumeret vindictam de peccatis nostris. Tertia est Rachel; litterarum hic sequimur ordinem Rachel, inquam, tertia est, decora facie & venusto aspectu, quam Iacob tantopere dilexit vt pro ea quatuordecim annis seruierit Laban socero suo. In figuram pulchritudinis & gratiæ virginis, de qua dicitur; *Tota pulchra es amica mea*, verè pulchra tota & gratiosa, tanque à CHRISTO dilecta vt pro ea triginta tribus annis toti humano generi seruierit ad effusionem vsque sanguinis in cruce pro peccatis nostris. Quarta est Iudith, quæ tanta animi fortitudine excelluit, vt Holofernis caput amputauerit eius ense proprio. In typum Mariæ, quæ, vt olim dixerat Deus in Genesi, serpentis & spiritualis Holofernis caput contriuit, &c. Quinta est Anna Samuelis mater, quem illa Prophetam à Domino precibus impetrauit, ipsique postea consecrauit: Ita virgo precibus, desideriis & consensu IESVM Prophetam magnum nobis obtinuit: & postea in præsentatione in templo, sicut in cruce, Deo patri pro nobis obtulit. Ecce quæ fœminæ virginem præcesserunt & simul figurauerunt, omnes iuxta ordinem litterarum comprehensæ hoc nomine Mariæ, & nomen virginis Maria; Hæc certè Domina magna est & admirabilis valde, cui tot reginæ magnificæ ac sublimes fœminæ seruiunt vt famulæ.

Mysterium in litteris MARIÆ.

Perfectiones & figuræ quinque excellentissimarum fœminarum in veteri testamento comprehenduntur nomine Mariæ.

1. Maria soror Moysis.

2. Abigail. 1 Reg. 25.

3. Rachel. Gen. 29.

4. Iudith. Gen. 3.

5. Anna.

Videamus igitur modo & paucis, si adhuc locus magnitudini personæ ac dignitati respondeat; Domina vbi habitas? & cuias es? Venite, ait, & introeuntem Angelum videte: *Missus est à Deo Angelus in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem*, &c. Hæc itaque virgo nomine Maria, Naza-

De loco & ciuitate Mariæ virginis.

reta

retta est, sicut etiam est appellatus filius eius. Sed iam fortè mihi dicet aliquis, vt Philippo dixerat Nathanael, *A Nazareth potest esse aliquid boni?* etiam potest, à qua statim exibit CHRISTVS in virgine conceptus. Nazareth ciuitas parua erat Galilææ & sterilis, & de illa interim Maria oritur, sicut in ea concipitur IESVS: videte quæso quàm bene hic omnia conueniunt. Magnus Dominus humilia respicit: ab initio mundi animum suum Deus ostendit, scilicet quod amator humilitatis erat. Hoc testantur paginæ sacræ; De duobus primis filiis Adam, minorem eligit Abelem; ita de filiis Abraham, iuniorem Isaac super Ismaelem; de filiis Isaac, Iacob minorem; & de filiis Iacob qui duodecim erant, Ioseph minimum, vt dominaretur & Ægypto & fratribus: ita de octo filiis Isai, Dauid minimus & pastor electus est vt esset Rex, & Propheta magnus; qui antea paruulus erat & contemptus: Sic adhuc de Saule, qui de minima tribu & familia erat Israël, & cùm paruus & humilis esset in oculis suis, in regem electus est. Sic denique cùm in hunc mundũ venit CHRISTVS, non nisi humiles & pauperes sibi associauit. Quare cùm concipi & nasci voluit, & humilem matrem, & loca humilia elegit. Mater est humilis virgo, cuius nomen MARIA; Loca autem, Nazareth & Bethlehem, paruæ & humiles ciuitates, vt eo magis honoret & exaltet humilia; sicut de Bethlehem dicitur quod non sit minima ex principibus Iuda, eo quod ex ea exibit dux qui regat Israël, &c. Et certè hoc silentio prætereundum non est quod in humili & contempta Nazareth conceptus sit, & in humili & minima Bethlehem natus; atque etiam in sua vita omni habitatione destitutus: vt dicitur Lucæ 9. Econtrà mortuus sit in magna & superba Hierusalem: scilicet, vt intelligamus quia à cordibus humilibus concipitur & nascitur CHRISTVS, à superbis verò occiditur.

Nazareth ciuitas parua.

Deus humilia respicit & eligit.

Quid denotet cõceptio Christi in Nazareth, &c. & mors illius in Hierusalem.

Verùm adhuc videamus si sint alia maiora mysteria in hac ciuitate parua Nazareth abscondita ex significatione eius; Interpretatur enim florida & sanctificata; & mirè quadrat vtraque significatio, matri & filio; virgini & CHRISTO. Etenim virgo virga illa est florida Isaiæ, de radice cuius flos Christus ascendit. Nos spinæ tanquam peccatores sumus; virgo verò flos odoriferans in conspectu Dei. Flos, de quo in Cant. dicitur, *dum esset Rex in accubitu suo*, scilicet filius in sinu patris, *nardus mea*, id est, humilitas *dedit odorem suauitatis*, vt attraheretur ad me, & de me assumeret carnem. Et certè multum conueniens erat vt de illa virgine Nazarena & virga florida Iesse, ille flos CHRISTVS nasceretur; de quo, *Ego flos campi & lilium conuallium.* Campus iste est ciuitas Nazareth, vel potiùs Nazarena virgo, de qua natus est flos IESVS. Sicut enim flores qui in campis nascuntur, sola benignitate cœli oriuntur & non cultura hominum: ita CHRISTVS, qui dicitur Nazarenus, id est, flos, de Maria virgine, absque opera hominis, sed sola Spiritussancti virtute, conceptus natúsque est. Flos campi qui in odorem & medicinam totius mundi assumptus est: & propterea in cruce contusus; vt odor ad patrẽ, & ad nos liquor in salutem funderetur. Flos cuius fragrantia delectantur Angeli, peccatores recreantur, & trahuntur iusti dicentes; Trahe nos post te, & simul curremus in odorem vnguentorum tuorum. Iam ô Christiani mementote communis & vulgaris vsus floris huius singularis apud nos; quomodo ad hunc frequenter accedimus; hunc sæpè tractamus, sæpè masticamus, & sæpiùs etiam intra nos recipimus: vnde semper in cali statu esse debemus, vt cum Apostolo dicere possimus; *Christi bonus odor sumus in Deo. In iis qui salui sunt, & in iis qui pereunt*; videlicet, cunctis quibuscum versamur, aliis quidẽ qui pereunt & sunt mali, odor mortis in mortem, si malè viuimus: aliis autem sc. iustis, si bene viuimus, odor vitæ in vitam, &c. sensus est litteralis.

Interpretatio prima nominis Nazareth & quomodo virgini conuenit & Christo.

Cant. 1.

Vnde & qua virtute Christus flos dicitur.

2. Cor. 2.

Sed adhuc hoc nomen Nazareth exponitur sanctum, seu segregatum; quod quidem optimè adhuc conuenit virgini & Christo filio eius: Virgini, quæ à conceptione sua sanctificata est, & segregata ab omni peccato, etiam originali, vt dicemus postea. Atque etiam Christo, qui vt ait Apostolus, Pontifex ex hominibus assumptus est, *sed segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus*. Plenus gratiæ & veritatis, vt vnctus sanctorum, & omnis sanctitatis author. Cuius qui participes erunt in terra, etiam cùm eo in cœlo in æternum erunt, iuxta quod imitati fuerint ipsum qui in humilitate conceptus & natus est, vixit & mortuus est.

Interpretatio secunda, & quomodo cõuenit virgini & Christo.

DE SANCTO IOHANNE præcursore, & Angelo præparatore viarum Domini.

Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Matth. 11.

Et ingressus Angelus ad eam dixit, Aue. Luc. 1.

NON nisi ad Angelos pertinet viam CHRISTI præparare; de cœlo in terram venit, de sinu patris procedens in vterum virginis; & ecce, iuxta Luc. 1. Missus est Angelus à Deo ad virginem; ipse est Gabriel vnus Angelorum supremus, qui viam præparat; hodie ingressus ad eam dixit, *Aue*, &c. Hæc salutatio præparatio viarum Domini est, & Angelo multum conueniens. Apud Malach. Angelus dicitur testamenti, quia missus est à patre in mundũ, vt prædicet omnibus indulgentiam & pactum fœderis nostri atque reconciliationis, proptereáque conuenienter missus est Angelus vt præparet viam eius. Gabrielis erga Mariã virginẽ officium est, hoc curat, hoc intendit, hoc facit verbis suæ salutationis.

Non conueniebat nisi Angelis viã Christi præparare.

Malach. 3.

Verùm postquam in virgine verbum caro factum est; etiam necesse fuit, vt de terra mitteretur Angelus, sicut iam de cœlo missus fuerat, qui viam Aduentus eius & ostensionis in mundo præpararet hominibus. Is fuit Iohannes Propheta Altissimi, præcursor Domini, homo missus à Deo, inter natos mulierum maior, & plusquàm homo, quia verè officio & gratia Angelus fuit; De quo hodie ipse CHRISTVS ait Malachiam loquutum fuisse; *Ecce ego mitto Angelum meum*, &c. Dixi autem primò, Prophetam & præcursorem; sic enim eum agnouit Zacharias pater eius, dicens; *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis, praibis enim ante faciem Domini*, &c. quasi diceret, Tu fœliciter natus es ô fili, vt simul sis Propheta & præcursor Altissimi, vt præeas ante faciem eius & digito demonstres, *Benedictus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.* Ecce Propheta

S. Iohannes dicitur Angelus.

Luc. 1.

1. Cur S. Iohannes dicitur Propheta & præcursor Christi.

Altissimi

A Altissimi, qui non solum præuidit, & prædicet vt vt cæteri; sed omnibus demonstrabit salutare Dei. Propheta Altissimi, quia omnium prophetarum primus est & nouissimus. Nouissimus qui de Christo prophetauit, vt ostenderet eum primus. Vnde S. Chrysolog. eum vocat silentium prophetarum. Ita Christus hodie dicit, *omnes propheta & lex vsque ad Iohannem.* Sic S. Maximus de eo dicit, idcirco in hoc sæculum superna dispensatione directum esse, vt non solum prophetali sublimaretur gloria, sed etiam vt omnium prophetarum per eum præconia firmarentur; cæteri namque tantum adhuc venturi Christi fuere præcones, hic autem probatissimus venit præsentis assertor, scilicet, cum ipsum digito demonstrauit & dixit: Ecce agnus Dei. Hic erat quem dixi; Parate viam Domini. Hinc etiam est quod ab ipso Christo plusquam propheta hodie dictus est. Discipulis eius abeuntibus cœpit IESVS dicere ad turbas, *Quid existis in desertum videre? prophetam? etiam dico vobis, & plusquam prophetam.* Et certè ita est, cui adhuc, dicit S. Hieron. ad priuilegium prophetale accessit præmium, vt Dominum suum baptizaret. O verè præmium, gloriam & sublimitatem Iohannis: vt manibus eius tradiderit se baptizandum Dei filius, quod nulli vnquam concessum est prophetarum; Verè plusquam propheta est hic. Alij prædixerunt, iste vidit: Alij prophetauerunt, iste ostendit: Alij desiderauerunt, iste præiuit, baptizauitque. Sed rursus plusquam propheta; Alij enim non prophetauerunt nisi postquam nati sunt, & de vtero matris egressi; iste antequam exiret de ventre matris prophetauit; Quid dicam? de vtero Elisabeth sterilis, in vtero Mariæ Virginis Dominum suum agnouit, salutauit, exultauit præ gaudio, adorauit; sicque natus est in mundo videns; verè propheta & plusquam propheta, qui adhuc intra viscera matris Dominum suum iam viderat.

[S. Chrysol. ser 127. *S. Iohan. dicitur silentium prophetarum.* S. Maximus hom. 3. — *S. Ioh. plusquam propheta.*]

Verum quid ad ista dicent hæretici? Qui adhuc reclusus in vtero matris Messiam videt etiam adhuc absconditum in vtero virginis, istisque vt patet, duobus claustris interiectis, an non poterit idem nos de cœlo videre, vbi nunc adhuc multo lucidiores, & subtiliores habet oculos? Scimus ex Scriptura, quia Abraham melius, quam diues ille epulo in inferno sepultus, videbat statum fratrum eius in terra: item scimus ex Apocalypsi sanctos offerre Deo preces nostras. Denique ex S. Matthæo omnes futuros in resurrectione vt Angelos Dei in cœlo; qui quidem statum nostrum vident, Thobiæ 11. Quomodo ergo præsument dicere hæretici nos abscondi & ignorari à sanctis? Hoc solùm per transennam dictum sit ad correctionem errantium; & ante hanc lucem siue lucernam ardentem & lucentem, quæ adhuc in obscuris vteri materni toti mundo illuxit, & postea vt præcursor ei viam Domini præparauit; missus à patre vt testimonium perhiberet de lumine. Tale siquidem ipsius officium erat vt præcursoris.

[*Ex visione Iohannis adhuc in vtero matris argumentum cōtra hæreticos.* — Luc. 16. — Apoc. 5. — Math 22.]

Tribus autem modis præiuit Iohannes ante Christum, & parauit vias eius, nascendo, prædicando, moriendo. Triplex enim via Christi fuit, prima ingressus in hunc mundum per incarnationem: & præiuit Iohannes, illamque viam Christo præparauit, cum virgini turbatæ in sermone Angeli ipse in exemplum adductus est, qui iam in sterili ventre erat conceptus. *Ecce cognata tua Elisabeth, quæ concepit filium in senectute sua,* dixit Angelus. Ne timeas Maria, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum: quo audito Maria; *Ecce*, inquit, *ancilla Domini.* Sic Iohannes viam præparauit. Secunda via fuit conuersationis in mundo per prædicationem Regni cœlestis: & ecce præcurrit Iohannes ante Christum disponens hominum corda prædicatione & baptismo pœnitentiæ, vt Lucas dicit; *Venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Sicut scriptum est in libro Isaiæ. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini & videbit omnis caro salutare Dei.* Tertia via fuit exitus de mundo per mortem; & ecce præiuit Iohannes qui passus ante Christum & mortuus, patribus annunciauit aduentum Saluatoris. Ecce qualis Iohannes extitit; plusquam propheta, quia præcursor Domini & homo missus à Deo: denique plusquam homo, seu inter natos mulierum maior, quia Angelus Domini. De quo hodie ipse Christus ait, iuxta Malach. B *Ecce ego mitto Angelum meum*, &c.

[*Triplex via Christi & tribus modis ante ipsum Iohānes præiuit vt præcursor.* — Luc. 3.]

Constat autem hic Malachiam prophetam loqui de aduentu Christi, & simul de Iohanne Præcursore eius, quos diuersimode Angelos appellat, Christum Angelum testamenti: Iohannem verò Angelum præparatorem viarum eius, præcursorem & testem, vt innotesceret per eum. Sic enim sub his nominibus loquentem æternum Patrem introducit. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*, id est, filium meum qui est mea facies, vnde sequitur; *Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis*: Angelus iste testamenti Christus est, qui nobiscum amicitias iungere, pactumque & fœdus contrahere venit, & C propterea Angelus testamenti appellatus, sicut ex Isaia, *Consiliarius*; & hoc, ait Tertull. lib. de carne Christi, quia magnum cogitatum patris super hominum restitutione annunciaturus sæculo venit; inde magni consilij Angelus dictus, consiliarius, Angelus testamenti; item *Deus, fortis, princeps pacis, paterque futuri sæculi*: quia vt filius Altissimi venit salutem nostram operaturus & pacem. Interim Iohannes qui ante missus est, vt nuncius istius futuræ & proximæ pacis, etiam dictus est Angelus patris, quia & hoc patris consilium nobis nunciare venit; Messiam nobis declarare, monstrare digito, & parare vias eius, sicut scriptum est; *Ecce ego mitto Angelum meum, &* D *præparabit viam ante faciem meam.* Hoc certè mirum est quod hic nomen detur seruo, quod Domino proprium est; quod vterque in eodem negotio, & in eodem loco scripturæ vocetur Angelus: sicque nomen commune Messiæ, & præcursori, Christo & Iohanni: ita est, sed ita etiam commune vt æquiuocationem, & differentiam includat. Nam Christus est Angelus testamenti, Iohannes verò ministerij & nuncij, & qui præibit ante faciem Domini parare vias eius.

[*Diuersimode Christus & Iohannes dicuntur Angeli.* — Isa. 9. Tertull. lib. de carne Christi. — *Nomen Angeli commune Messiæ & præcursori.*]

Verum quomodo Iohannes Angelus sit videamus. Natura quidem non fuit, sed gratia, officio, & vita. Primò Angelus fuit gratia, & in hoc, ex mente sancti Chrysosto. hom. de laudibus ipsius, omnes superauit Angelos, gloriosius enim fuit illi quod cum E homo esset, Angelus vocaretur; quàm si illud esset nomine & natura. Nam plus est ad honorem euehi meritis & gratia quàm natura: Angeli natura sua assistunt & ministrant Deo, Diuinæ eius Maiestatis semper faciem contemplantes. *Angeli eorum*, inquiebat Christus de istis paruulis adductis coram se, *semper vident faciem patris*; Et S. Iohannes ex priuilegio gratiæ ab vtero vidit, sicut adhuc præire meruit ante faciem eius, vias præparare & demonstrare, &c. Secundò quantum ad officium videamus Angelum esse; sed dicamus plusquam Angelum, quia & omnium simul Angelorum officia exercet, omnesque trāscendit hierarchias, vt is qui specialiter dicitur

[*Quomodo S. Ioh. sit Angelus.* — *Primò gratia.* — Matth. 18. — *Secundò est officio Angelus.* — *Et plusquam Angelus qui omnium Angelorum officia exercet.*]

dicitur Angelus patris: Hæc animaduersio est sancti A Antonini, & digna quæ notetur ab omnibus.

Incipiamus igitur & videamus inprimis quomodo officio est Angelus, si hoc nomen spectemus; Angelus dicitur missus, quia Deus omnes mittit, vt nobis annuncient voluntatem suam. Ita ex 1. Iohan. *Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Iohannes, hic venit in testimonium*, &c. Item Angeli officio suo nos ad pœnitentiam sollicitant, delectantúrque de illa, vt refert ipsemet Christus, qui ait gaudium esse in cœlo coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Ita de Iohanne dici potest qui clamabat, *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cœlorum*. Officio igitur ipse est Angelus; sed plusquàm Angelum modò videamus; scilicet officio B Archangelum.

Iohannes officio Archãgelus.

Archangelorum est, maiora nunciare, sic datum fuerat Gabrieli Archangelo Incarnationis mysterium reuelare; hodiéque ingressus ad virginem, & salutans eam, declarat quæ in ea ventura sunt. Ita & Iohanni datum est eadem declarare, etiam adhuc in vtero matris; quæ videt reuelat matri, exultans adorat, & nondum natus in silentio clamat, & dicit, Ecce agnus Dei. sicut postea sæpiùs ostendit verbis, ac digito demonstrauit, etiámque vias omnibus præparauit.

Officio similis virtutibus.

Sed ordine videamus quomodo adhuc virtutum officium exercuit, quarum est, patrare miracula: & ecce Iohannes totus miraculis plenus est. Dum concipitur C mutum patrem efficit: Natus soluit linguã eius, secúmque charismata meliora Spiritus Dei atque Prophetiæ parentibus afferens, vniuersum mundum admiratione replet, dicentem; Manus Dei erat cum illo virtus Dei. Cùm loquitur, corda torpentia excitat, reges terret & potentes, prædicánsque in Iordane pœnitentiæ baptismum, omnes ad illam faciendam adducit; tantaque sermonum eius est virtus & operum nouitas, vt pro Messia habeatur à plurimis Iudæorum, qui *miserunt ad eum Sacerdotes & Leuitas, vt interrogarent eum, Tu quis es?* en quomodo virtutum exercuit officium.

Iohannes exercet officium secundæ hierarchiæ.

Sed numquid etiam in secunda hierarchia officium exercet potestatum, principatuum & dominationum? D quibus competit inimicas repellere potestates, dæmones, & alia mala; Nam Iohannis officiũ fuit peccata tollere de terra, & consequenter dæmones, omniáque alia mala, cùm baptismum pœnitentiæ prædicauit in remissionem peccatorum.

Exercet officium thronorum.

Verùm vsque ad tertiam hierarchiam ascendamus, & videamus hunc plusquàm Angelum facere officium Thronorum. Throni sunt pedes, & firmamentum Dei; & S. Iohannes, cuius ipsum nomen gratiam sonat, & cui donatum est, iuxta originem, an non fuit sapientiæ sedes; electúsque ab initio reparationis mundi, diuinæ gratiæ thronus? Sed adhuc Cherubim officium exercuit, qui dicuntur plenitudo scientiæ Dei, sed participio veritatis, non E enim ipsa sunt plenitudo & essentialis lux, sed participata, & ad quos vt sic pertinet Deum videre, & illuminare alios: Ita de sancto Iohanne dicitur, quia *lucerna erat*, id est Cherubim, plenitudo lucis, non quidem independens, sed participata; ideóque non lux, sed lucerna. Sapientia æterna lux est; *Erat lux vera quæ illuminat omnẽ hominẽ venientem in hunc mũdũ*, ait Euangelista. Iohannes autem lucerna, id est, lux participata, & Cherubim qui lumen à luce excipiẽs mũdo apparuit, vt illuminaret ipsum, & testimonium perhiberet de lumine. Sic Euangelista Iohannes de illo; *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Quidnam igitur erat? Lucer-

Officiũ Cherubim.

Iohan 1.

na & Cherubim, id est, plenitudo scientiæ Dei & lucis participatæ ad illuminationem orbis: Sic pater eius Zacharias; *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis*, id est, Cherubim. *Præibis enim ante faciem Domini*, &c. *ad dandam scientiam salutis plebi eius.* Cherubim es in hunc mundum missus *illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.* Missus certè in hunc mundum dare omnibus fidem & lumen Christi, sicut de illo dixit Euangelista; *vt omnes crederent per illum.* Ecce qualis & quantus Cherubim extiterit in tertia hierarchia Angelorum; ille splendor orbis & CHRISTI præcursor Iohannes. Sed vltimò videamus, vt nihil supersit, quomodo adhuc Seraphim officium exercuit, & nunc in æternum in cœlo exercet. S. Bernard. de illis ait libr. de consid. quod ardent igne Deo: Et de sancto Iohanne quidnam dixit Christus? quia lucerna erat; lucerna non solùm lucens, sed ardens; lucens vt Cherubim cognitione, ardens verò amore vt Seraphim; igne ardens, sed igne Deo & zelo gloriæ eius. Vnde etiam dicitur venisse in spiritu Eliæ, qui iuxta scripturam totus ignis erat: sic enim erat Iohannes, cuius officium, ardere erat in se, & inflammare alios simili Dei amore; Lucerna ardens erat vt Seraphim, & lucens vt Cherubim. Ecce qualis erat iste. Verè Angelus officio, sed plusquàm Angelus, qui omnium Angelorum exercebat officia.

Luc. 1.

Exercet officium Seraphim.

Verùm ostendamus adhuc tertiò, quia non solùm gratia & officio, sed etiam vita ipse erat Angelus, cuius tota in cœlis conuersatio est: viuit vt Angelus penitus à consortio hominum segregatus, in desertoque est vt in paradiso. Angeli non vtuntur cibo & potu nisi inuisibili: & de Iohanne dicitur, quia neque manducans, neque bibens erat, vt Angelus, non viuebat nisi de contemplatione Dei; simul erat in terra & in cœlo, & inter homines conuersans, iam Dei faciem videbat; videbat in vtero matris, in antris deserti, & in mediis aquis, & vt plura dicam, adhuc in terra gaudere & frui meruit alta visione sanctissimæ Trinitatis. Vidit enim patrẽ in nube, filium in carne, & Spiritumsanctum in columba, ita vt Angelorum adinstar, plus Deo quàm sibi viueret. Hanc prærogatiuam considerat S. Chrysost. & dicit, O miram in Iohannem Dei munificentiam! priùs peruenit ad cœlum, quàm tangeret terram, priùs cœlestes gratias, quàm membra humana suscepit, priùs cœpit viuere Deo, quàm sibi. Hac vita viuamus ô Christiani, hac vita qua Iohannes vixit, qua vixit Paulus, & qua viuunt omnes Sancti. Tales nos omnes cum Angelo & præcursore Iohanne decet esse testes CHRISTI, vt operibus sicut verbis dicere liceat, Viuo ego iam non ego, viuit verò in me CHRISTVS. Nostra conuersatio in cœlis est.

3. S. Iohãnes vita est Angelus.

DE PLENITVDINE gratiæ Virginis; Et qua à primo instanti conceptionis præuenta est.

Aue MARIA *gratia plena.* Luc. 1.

INTER puras creaturas, omnium nobilissima, & prima, in prædestinatione æterna Dei, MARIA est, virgo & mater CHRISTI. Deus, præuiso peccato hominis, statim etiam decreuit illi opem ferre, per incarnationem verbi sui: vnde accidit, quod prima

Comparatio inter Euam & Mariam.

prima creatura, quæ illi affuit in sua mente æterna, Maria fuit prædestinata mater verbi. Eua extitit viuentium mater, & Maria verbi vitæ: Eua in statu naturæ, omnium fœminarum prima, & Maria in statu gratiæ & gloriæ, omnium creaturarum prima. Illa sed. Eua adhuc virgo amisit gratiam, quia extra se exierat, per paradisum discurrens. Ista verò semper virgo manens, & intra se reclusa, integram seruauit & illæsam. Talem siquidem hodie Angelus inuenit ingressus ad illam, qualis semper fuerat ab initio, & ipso instanti suæ conceptionis, & dixit omni gratia plenam, sicut salutauit illam: ipsa enim salutatio cum reclusione virginitatis [illegible] non amisisse gratiam, sed semper tenuisse integram.

[illegible] Eusebius Emiss.

Et certè non [illegible] constat ex illo ingressu Angeli ad illam, tunc reclusam fuisse & reconditam in secretiori parte domuncule suæ, ac oratorij, vbi contemplationi vacabat & precibus; ita Euseb. Emiss. Aduirgo ingressus est Angelus, quia non erat in plateis, non in publico [illegible], non erat in [illegible], sola sedebat, nec tamen sola tanto virtutum exercitio [illegible], &c. Quæ quidem reclusio, seu recollectio conseruationi [illegible] ostendebat & augmentum [illegible]. Ita in

Cant. 4.

Canticis his sponsa [illegible]: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradisus.* Hæc sponsa virgo, quod [illegible] sed [illegible] sponsa figurata. Illa enim verè est hortus conclusus, & fons signatus, quia ad illam solus Deus ingrediatur atque Angelus: ideo emissiones eius paradisus, scilicet CHRISTVS animarum gloria atque paradisus: sicut statim dixit ad eam Angelus: Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Bona & fructiferæ arbores [illegible] in hortis [illegible], syluestres verò in [illegible]. Ita [illegible], quia illa bona arbor erat, quæ nobis fructum vitæ afferebat, & delicias Dei hortus, cuius emissiones paradisus, ideò propterea custodiri debebat & clausa, neque aperiri, nisi Deo & Angelis: Deo, ita

Ezech. 44.

Ezechiel, *Porta hæc*, scil. orientalis, *clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per illam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa* [illegible] est, pro CHRISTO: *Princeps ipse sedebit in ea.* Sic S. Ambrosius lib. de [illegible] virgine est hæc porta, illi Mariæ [illegible], & [illegible] generauit & solem attulit, &c. Item Angelo, ita hodie, *& ingressus Angelus ad eam dixit, Aue gratia plena.*

[illegible] S. Ambros. [illegible] virg. c. [illegible]

Quare virgo reclusa erat, cum venit Angelus, & quid agebat. S. Bern. hom. 3 super Missus.

Sed antequam vlterius progrediamur, paulò latius proponatur, ac explicetur nobis illa parum curiosa, sed sanctè quæstio superius allata, Cur tunc virgo erat reclusa, & quid tunc agebat? Existimant S. Augustin. & S. Bernard. super Missus, quia tunc in desiderio & meditatione Messiæ venturi occupata erat, illiusque magni consilij atque mysterij quod statim [illegible] ei debebat Angelus, circa quod tota versabatur mente, voluntate & animo: Ita Bernard. Puto Angelum ingressum in secretarium pudici cubiculi, vbi illa forsitan clauso super se ostio orabat patrem in abscondito: hæc ille. Sicut enim Sathan Euam [illegible] meditantem, & fructum ligni scientiæ boni & mali concupiscentem, est aggressus: ita Gabriel ad virginem ingressus est, & inuenit sub ligno & arbore vitæ altè & piè meditantem quæ Dei erant, illaque Esaiæ verba, *Ecce virgo concipiet*, &c. Certè mens [illegible] est quod tunc spiritu & voluntate [illegible] admirabilem extasim eleuata erat, videns aduenisse tempus, & completas Danielis hebdomadas: Habebat enim iuxta Origenem hom. 6. in Luc. perfectissimam legis & omnium prophetiarum scientiam, in qua quotidiana se exercebat meditatione; vnde tunc animo reuoluens hoc vaticiniū Isaiæ, *Ecce virgo concipiet*, magnoq; Messiæ desiderio exardescens cum eodem vate similiter dicebat & precabatur, *Rorate cœli desuper*, &c. Cum Dauid patre, *Exurge Domine, & miserere Sion, quia tempus venit miserendi eius.* Ecce sceptrum de Iuda ablatum est, & pro eo Idumæus atque alienigena regnat Herodes: Ecce completæ sunt hebdomades Danielis, & prophetiæ omnes. *Veni igitur Domine, & noli tardare. Qui sedes super Cherubim, manifestare*, &c. Sic denique cum Moyse ad Deum patrem clamabat, *Mitte Domine quem missurus es*, mitte filium tuum de cœlis: ostende nobis misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis: pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ. Pro [illegible] sua exaudita est, hodie data est, & [illegible] gratia super vellus aureum virginitatisque descendit. *Aue gratia plena.* Et sic dum in desiderio [illegible] Messias venturus, nominique ipsius vocat cum Propheta Isaia; *Accelera:* Missus est Angelus ad eam, qui [illegible] & desideratum, iam præsentem ei annunciat, ingressusque eam salutat dicens, *Aue gratia plena*, &c. Hic est qui cum [illegible] testimonium perhibet de plenitudine immaculatæ gratiæ virginis, Angelus est, Gabriel est & à Deo missus vt ei nuntius annunciet, quod futura sit Dei mater, & quod eam inuenit gratiam apud Deum. *Aue gratia plena.*

Isaiæ & hebdomadarum Danielis. Isa. 7.

Vota virginis.

Angelus testis immaculatæ gratiæ virginis.

Nō fuit alia vnquā salutatio similis.

Et certè non legimus in scripturis sacris similem salutationem inuenīri, nec fuisse vnquam qui sic ab Angelo exceptus fuerit & salutatus. Angeli apparuerunt multis, vt Abraham, Loth, Gedeoni, Tobiæ, & alijs & non legimus aliquos salutasse præter duos, ipsum Gedeonem, & Tobiam seniorem, ad quem ingressus Angelus, salutauit eum & dixit, *Gaudium tibi sit semper.* Similiter Gedeoni dicens, *Dominus tecum virorum fortissime.* Iucundæ quidem & honorificæ erant eiusmodi salutationes, sed non similes illi quæ Mariæ facta est, non ita dignæ atque magnificæ. Item & fœminis multis legimus apparuisse Angelos, vt Agar ancillæ fugienti Saram dominam suam; item ipsi Saræ, Gen. 18. Adhuc etiam matri Samsonis vxori Manue de stirpe Dan, sed nusquam legitur aliquam earum salutasse, vtpote quæ excommunicatæ erant omnes ex veteri seductione & peccato Euæ. Siquidem talis salutatio [illegible] Mariæ reparatrici Euæ, & omni [illegible] exemptæ: vnde etiam in salutatione dixit ei Angelus, *Aue*, quasi sine væ & miseria maledictionis Euæ. Est enim hic nomen Euæ [illegible] in Aue, sicut maledictio eius in [illegible] benedictionemque per aduentum Mariæ, *Aue gratia plena.*

Tob. 5. Iudic. 6.

Gen. 16. & 18.

Mysterium in particula Aue.

S. Augustinus verò optimè hic notauit, cur à salutatione incepit Angelus. Ideo, ait, quia salutem in [illegible] portauit, vnde Aue dixit; hæc enim dictio pacem & gaudium significat. Meritò ergo à pace & gaudio cœpit incarnandi verbi Angelica annunciatio, quod natum postea pastoribus alijsque omnibus ab Angelo euangelizandum erat, vt habetur ex S. Luc. ibi *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est saluator. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.* illa est pax, & illud gaudium quod hodie primò virgini ab Angelo annunciatum est, cùm in ipsa reuelatione mysterij sic ipsam salutauit & dixit: *Aue gratia plena.* gaude Maria virgo, pax tibi, pax huic domui, & pax vniuerso orbi. Ecce sine iactura recuperasti quod prima hominum mater amisit, plena es gratia, perditam

S. Augustin. Serm. 17. de Nat. Domi.

Luc. 2.

Virgo occupata erat in meditatione [illegible]

ditámque inuenisti. Iam pro Eua omnium viuentiū mater futura es, quæ mūdo Messiam patrem futuri sæculi cū gaudio paritura es. Aue igitur gratia plena, quæ vniuersæ terræ & cœlo gaudium attulisti. Hodie certè omnis maledictio Euę mutatur in benedictionem Mariæ, ait Euthym. in prooemium Luc. Gaudium hoc, inquit, scil. *Aue*, soluit maledictionem Euæ. Illa si quidem iussa est habere mœrorem Gen. 3. Nam id propriè significat λύπη vocabulum, quod *ærumnas* vertit & *dolorem*. Illa autem, scilicet virgo, gaudium audiuit quod mœrori contrarium est. *Aue*, sed *Aue gratia plena*, quia nunquam sine illa fuisti, vt tota pulchra, & immunis ab omni sorde peccati etiam originalis.

Gratia Mariæ tollit maledictionem Euæ.

Ostenditur Immaculata conceptio Virginis.

Hoc ipsum est quod modò verbis istis proposuimus ostendere, scilicet virginem ab omni peccato etiam originali immunem fuisse, quia gratia plena est. Quod vt meliùs intelligatur, sciēdum est discrimē esse inter gratiā, & gratiæ plenitudinem; gratia enim omnibus est cōmunis, quæ etiā omnibus à Deo generaliter offertur. Plenitudo verò Sāctis peculiaris est, vnde vt plus & minus differunt.

Propterea à gratia in communi separando illam plenitudinē, iam sciendum ex S. Tho. lect. 10. in Ioh. triplicem illam esse. Prima est sufficientiæ, quam possumus dicere abundantiæ. Secunda prærogatiuæ, seu redundantiæ. Tertia efficientiæ, seu superabundantiæ. Prima est Sanctorum, qualis in Stephano erat, de quo, *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine*; & qualis in Apostolis, de quibus, *repleti sunt omnes Spiritu Sancto*. Secūda est virginis Deiparæ, de qua hodie Angelus, *Aue gratia plena*; diciturque redundantiæ, quia ex ea in nos per filium redundauit gratia. Tertia denique est ipsius Christi, qui etiam plenus gratiæ dicitur & veritatis: sed illa plenitudo dicitur efficientiæ, quia ipse est author & causa, & de ipsius plenitudine accepimus omnes, Sancti, Angeli, & ipsa virgo regina omnium. Ita vt inde satis constet de istius triplicis plenitudinis imparitate & differentia. In Christo enim est per essentiam, in Sanctis per distributionem & partes, in Maria verò per redundantiam: in Christo vt in fonte; in Sanctis vt in riuulis, plus vel minus; in virgine verò, vt in canali & aquæductu. Sic Bern. Ser. de Nat. eius. Plenus quidem aquæductus, vt accipiant cæteri de plenitudine, non plenitudinem ipsam: (quæ videlicet in virgine super alios eminens est.) Nam, vt S. Hier. dicit, illa verba explicans Angeli, *plena gratia*. Bene ait, plena, quia cæteris per partes, Mariæ verò tota simul se infudit plenitudo gratiæ; tota simul & eodem puncto, tempore & momento conceptionis eius: ita vt nihil penitus ei defuerit gratiæ tam ex parte subiecti quàm temporis: simulatque enim anima eius vnita fuit corpori, etiam eodem instanti & capax fuit istius plenitudinis, & ornata simul. Adeò vt licet maximam non receperit quæ ex parte doni haberi possit, ex parte tamen subiecti, omnium maximam habuerit, quæ puræ creaturæ dari potuit. Vnde iam dicimus talem virginem habuisse, vt perfectè & secundum totam capacitatem puræ creaturæ, plena fuerit, id est, in plenitudine suprema, non quidem ex parte ipsius gratiæ, quia non habuit illam in summa excellentia qua haberi potest, quantum ad essentiam, & quantum ad omnes eius effectus, qualis in Christo solùm & perfectissimè fuit; sed ex parte subiecti, quantum ad maiorem & ampliorem capacitatem ipsius, iuxta quod proportionatum erat statui ad quem erat electa: vnde illi excellentissima

S. Tho. lect. 10. in Iohan. Triplex gratiæ plenitudo.

Act. 7.

Iohan. 1.

Quæ plenitudo conuenit Mariæ, & quomodo. S. Bern. S. Hieron.

Quò vsque peruenit plenitudo gratiæ Virginis.

A conguebat, atque etiam vt ea ab ipso initio repleretur, operæpretium fuit.

Et certè non decet, nec etiam accidit, vt supra sponsam honoretur sponsi amicus, & subditus: neque supra matrem honorabuntur ancillæ & famuli domus. Ecce autem Iohannes qui sanctificatur adhuc ex vtero matris, quia amicus erat sponsi: supra illum igitur in priuilegiis sponsa præualebit. Item Angeli in cœlo omnes administratorij spiritus, & Christi obsequio intenti, ab initio cum illo creati fuerunt amore, quo illi semper adhæserunt, atque illo instanti, quo naturam suam receperunt, etiam gratia donati sunt. Igitur mater non minus habuit, B imò & in priuilegiis superauit.

Virgo priuilegio sanctificationis & gratiæ gaudet supra omnes.

Sed quid dicam? in statu naturæ & creatione mundi, creati sunt Adam & Eua in originali iustitia; mundus autem gratiæ dignior est. Igitur parentem omnium Mariam, primam istius nouæ creationis creaturam, & reparatricem non solius Euæ, sed totius naturæ creauit Deus in plenitudine gratiæ. *Aue gratia plena. Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Figura pulchra est Cant. 6. vbi sponsæ sic loquitur dilectus; *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ*, (id est, dominæ ad honorem,) *& adolescentularum non est numerus. Vna autem est columba mea, perfecta* C *mea, vna est matris suæ.* Quænam illa quæso est? Maria virgo. *Viderunt eam filiæ Sion*, cœlestes intelligentiæ, *& beatissimam prædicauerunt, Reginæ, & laudauerunt eam. Quæ est ista pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Gabriel hodie ingressus ad eam, & terrore perterritus dixit, *Aue gratia plena*. Fluminis gratiæ impetus lætificat Ciuitatem Dei. Sāctificauit tabernaculum suum altissimus (omne, etiam originale, fugando peccatum.) Deus in medio eius, non commouebitur. Ita vt sicut Iudith abscisso capite Holofernis gloriosè reuersa in suam Ciuitatem dixit; *In me adimpleuit Deus misericordiam suam: quoniā custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorātem, & inde huc reuertentem, & non permisit me ancillam suā coinquinari,* D *sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria sua, in euasione mea, & in liberatione vestra, confitemini illi omnes quoniam bonus*, &c. Ita virgo meliùs quàm Iudith, serpentis capite abscisso, in me, ait, adimpleuit Deus misericordiam suam, confitemini illi mecum omnes. *Magnificat anima mea Dominum, fecit enim mihi magna qui potens est*, gratia eius custodiuit me, in victoria eius gaudeo & in euasione mea, scilicet quod liberata fuerim ab omni lege & seruitute peccati, originalis & actualis, mortalis & venialis.

Prou. vlt.

Cant. 6.

Vnica Canticoris sponsa figura Mariæ.

Psal. 45.

Figura immaculatæ Virginis.

Iudith 13.

Sic ei congratulatur sponsus, & liberator in Cant. dicens. *Quàm pulchra es amica mea! quàm pulchra es! Tota pulchra es, & macula non est in te.* Sic hodie eam omnis Ecclesia suspicit & honorat, E quæ vetat cōtrariam sententiam publicè enunciari: & sic omnis antiquitas venerata est, & credidit.

Cant. 4

Huc referam verba & fidem Idiotæ doctissimi & pij admodum viri, qui, iuxta aliquos, ferè ante annos octingentos viuebat, qui in contemplationibus suis de B. Virgine, illa verba Canticorum explicans, *Tota pulchra es*, sic dicit cap. 2. Tota pulchra es, in anima per virtutum omnium & charismatum perfectam pulchritudinem. Nihil enim vnquam affuit ei turpitudinis, vitij, aut peccati, & nihil defuit spiritualis gratiæ, & virtutis. Tota pulchra es, in tua conceptione; ad hoc enim solùm effecta es vt templū esses Dei altissimi, & tota pulchra ex generatione verbi diuini, quod

Quid Idiota author doctissimus & piissimus de cōceptione Virginis senserit.

G est

est speculum sine macula,& splendor paternæ glo- A riæ. Tota igitur pulchra es,non in parte, sed in toto, & macula peccati siue mortalis, siue venialis, siue originalis, non est in te, nec vnquam fuit, nec erit. Hæc ille.

Nihil certè verbis istis expressius dici potest, quæ etiam pro antiquitate gaudeo referre, & vt etiam super hanc rem videatur antiquorum fides. Sed illam adhuc à longiori tempore & maiori authoritate sumamus. S. Augustini est lib. de nat.& gratia. De sancta Virgine Maria,ait,propter honorem Christi, nullam prorsus cùm de peccatis agitur,habere volo quæstionem. Inde scimus (hæc notate) quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere B ac parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum. Hæc ille. Igitur satis constat ex his,ab hac lege prorsus immunem fuisse. Lex peccati pro nobis est,non pro Maria,quæ in sponsam Spiritussancti,& Dei matrem electa est.

Quid ex S. Aug. colligi potest lib. de natur. & grat. c. 36.

Lex peccati pro nobis,nō pro Maria est.

Huius rei figura est in Regina Esther, quæ loco Vasthi superbæ & reprobatæ assumpta est in sponsam Assueri,& de qua hæc dicútur. 1. quod placuit Assuero, & gratiam inuenit in conspectu illius, adamauítque eam Rex plusquàm omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare in loco Vasthi ingratæ ac inobedientis. Vnde cap. 15. legitur,quod cùm edictum mortis C tulisset Assuerus aduersus omnes Iudæos, qui pacem Imperij sui turbauerant, Esther excepit, quæ etiam Iudæa erat, ab illo edicto, cùm festinus de solio exiliens sustentauit eam vlnis suis, & ait, *Noli timere,nō morieris,nō enim pro te,sed pro omnibus hæc lex constituta est. Accede,& tange sceptrum meum.* Ecce equidem figura veritatis nostræ. Loco Euæ reprobæ & superbæ,humilis Esther,Maria & virgo assumpta est vt regnet,placuit Deo, & inuenit gratiam in conspectu illius,adamauitque eam Rex super omnes, adeò vt, lato edicto mortis in omnes qui peccato & reatu turbauerant Imperium, illa excepta sit, cùm festinus accurrit illi Deus, & sustentans illam vlnis suis,scilicet protectione gratiæ,ne caderet, dixit illi; non morieris tu, scilicet D peccati morte, etiam originalis, non enim lex pro te est. Accede igitur, tange sceptrum; & regina sis agnita & immunis.

Esther figura. cap. 2. 15.

Esther 15.

Tange sceptrum. O virgo,sceptrum istud,Crux filij tui est,causa tuæ præseruationis & immunitatis. Et tetigisti,cùm iuxta Crucem stetisti,sceptrum & virgam Imperij & dominationis filij tui,qui ibi meruit nobis delere chirographum nostræ damnationis,& edictum æternæ mortis,inuenta gratia quam amiseramus. Illam inuenisti, ô virgo, gratiam,gratiam apud Deum, illiúsque nobis reparatrix facta es. Te itaque cum Angelo salutamus, & dicimus, *Aue gratia plena*,quæ cœlis gloriam,terris E pacem, salutem miseris, & fidem gentibus, vitiis finem, moribus disciplinā, & vitam condemnatis afferre meruisti. Decet enim te,(vt cū S. Athanasio loquar) Matrem regeneratricem,dominam & heram cognominari, eo quod ex te prodiit Rex, Dominus,& Deus noster IESVS CHRISTVS, per quem reconciliati & saluati sumus, regnaturi per eum in gloria Dei patris, cum quo viuit & regnat in vnitate Spiritussancti, in sæcula sæculorum. Amen.

Sceptrum Assueri figura Crucis Christi, virtute cuius ab omni peccato virgo liberata est.

S. Athanas. Serm. de S Virgine tom 3. operum.

* * *

DE PLENITVDINE Dei in Virgine, & priuilegio benedictionum eius.

Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu, &c. Luc. 1.

TITVLVS Filij Dei in Christo Iesu, ratio & fundamentum est cur ei omnium gratiarum plenitudinem attribuamus, vt origini atque principio. B Ita in virgine titulus Matris Dei principium est omnium donorum & gratiarum,quibus cumulatissimè ornata est. Nebula simul & gloria Domini, Domini domum impleuerant: Ita dico, simul gratia & Domini Majestas Mariam verum & animatum Dei templum impleuerunt. Vtrunque dixit, & notauit Angelus dicēs, *Aue gratia plena. Dominus tecum.* Gratia sicut pluuia in vellus descendit,& vt nebula impleuit Mariam, vnde salutatur plena gratia, & statim Domini Majestas impleuit, *Dominus tecum.* Gratia non est absque Deo, neque Deus est separatus à gratia in animis, sed semper inueniuntur simul; *Aue gratia plena. Dominus tecum.* Hinc duplex colligitur gratia in Maria: vna C creata,altera increata, quæ per essentiam Deus est. Creata donum est; increata donator, qui cum illa semper est. Creata,est qualitas,& infusio splēdoris & miræ pulchritudinis in eius animā: sicut de Iudith dicitur,quod Dominus contulit ei splendorem, & in illam pulchritudinem ampliauit eam, vt incomparabili decore omniū oculis appareret. Sic etiam de Maria virgine dicimus,excellentiorique modo; ita vt Angelorum etiam oculis, vt Gabrielis,incomparabili decore apparuerit, qui sic salutauit, *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Ita S. Laur. Iustinianus Ser. de Annūc. Gratiæ ipsius plenitudinem persensit cœlestis nuncius, cognouit, manifestauit,& dixit, Aue gratia plena: ac si diceD ret Angelus, gaude quæ plusquam omnes de donis gratiæ accepisti,tibi datæ in plenitudine,& tibi in summa excellentia creatæ. Quia & increatam in supremo modo possides, quæ per essentiam Deus est. *Dominus tecum.* Gratia est secunda increata appellata, quia essentialiter est Deus ipse gratiarum author & creator,qui simul in virgine fuit cum gratia, & eam repleuit, obumbrauitque. *Dominus tecum.* &c.

3. Reg. 8.

In Maria gratæ Dei plenitudo.

Duplex gratia in virgine.

Creata, & quæ sit illa.

Iudith 10.

Laurent. Iustin. Serm. de Annun.

Gratia increata, & quæ sit illa.

De hoc genere gratiæ S. Ambros. in Luc. intellexit hunc locum, *Aue gratia plena.* Vbi inquit; Bene plena dicitur sola gratia, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, vt gratiæ repleretur authore. Vnde sequitur, *Dominus tecum.* E Quod quidem verbum ponderans S. Gregorius Neocæsar. cognomento Thaumaturgus, hom. de Annunc. ait similiter. Dominus tecum, non terrenus sponsus,sed ipse Dominus sanctificationis, pater castitatis,author immortalitatis, dator libertatis, salutis procurator, & verus pacis conseruator, & distributor, qui ex terra virgine fecit hominem Adam, & ex costa Euam, hic Dominus tecum, & rursus ex te (videlicet erit.) Hæc ille.

S. Ambros. in Lucam.

S. Gregor. Thaumaturg. hom. de Annun.

Sic in salutationem Angelicam Andreas Hierosol. Episcopus Cretensis. Dominus tecum,qui est ante te, hodie tecum est, & paulo pòst erit ex te. Illud quidem ab omni æternitate, hoc autem in tempore. O immēsam humanitatē! ô incredibilem benigni

Andr. Cretens.

benignitatem! Non fuit satis gaudium indicasse, nisi ipsum gaudij authorem inesse virgini significaret. Illud enim, Dominus tecum, perspicuè regis præsentiam declarat, qui sic ab ipsa corpus assumit humanum, vt à propria gloria non recedat. Hæc ille.

Prius Dominus ad virginem venit quàm Angelus.

Atque illud quidem est hic notandum, scilicet priùs quàm venisset Angelus, Dominum virgini affuisse: hoc bene vidit Angelus, & propterea non dicit, Dominus veniet, adorna thalamum tuum Sion: sed videns iam venisse dicit, *Dominus tecum*; salutatio non optantis, sed affirmantis Dominum iam esse. Ita S. Hieron. Serm. de Assumpt. Iam cum virgine erat qui ad virginem mittebat Angelum, & præcessit nuncium suum Dominus: sed ab eo non recessit, nec teneri potuit locis qui omnibus habetur in locis, & totus vbique est, sine quo nihil totum. Hæc ille. Et S. August. Dominus tecum, tecum in corde, tecum in animo, tecum in vtero, tecum in auxilio. Addamus & tecum ab æterno. Dominus enim (inquit) possedit me in initio viarum suarum, & ab initio, & ante sæcula creata sum (in prædestinatione æterna) & vsque ad futurum sæculum non desinam, (esse Dei mater.) Vnde de illa egregiè cum Angelo dicimus, *Dominus tecum*. Licet enim cum omnibus, & in omnibus inueniatur æqualiter Deus per essentiam, potentiam, & præsentiam, etiam in damnatis & lapidibus. Item licet speciali modo & per gratiam in iustis, vt Moysi aliquando dixit; *Ego ero tecum*. Tamen nouo adhuc modo, penitusque speciali cum virgine & in virgine fuit, nempe per assumptionem naturæ humanæ ex illa, vt singulariter de ea dici queat, *Dominus tecum*.

S. Hierony. Serm. de Assumpt.

S. August. in Serm. de Nat.

Quomodo ampliori priuilegio Deus est in Maria quàm in aliis.

Non legimus certè vnquam Angelum sic alterum eo sensu, eóque modo salutasse: inuenimus quidem, vt iam diximus, Angelum Gedeoni apparuisse, & sic salutasse, cùm purgaret frumenta sua, vt fugeret Madian, *Dominus tecum virorum fortissime*; sed per modum optantis hoc dicebat, scilicet sit tecum, & forti animo tu esto. Sed cùm Gabriel simile dixit virgini, erat affirmãtis, *Dominus tecum*, scilicet, est, & illo singulari modo quo diximus, nemínique vnquam concessum est. Vnde sequitur.

Iudic. 6.

Et benedicta tu in mulieribus, &c. Hic autem triplex ratio fuit Angelo gaudij in Maria, & dicendi illi *Aue*. Primò quia plena gratia. Secundò quia Dominus cum illa; denique quia benedicta erat in mulieribus, quod S. Hieron. explicat, plusquàm omnes mulieres.

Quot modis dicitur virgo benedicta in mulieribus.

Hoc autem verbum, sc. *Benedicere*, diuerso sensu accipitur, aliquando pro laudare, quomodo Iudith dictum est. *Benedicta tu filia à Domino*, id est, prædicaris. Itẽ quomodo ipsamet virgo dicebat de se: *Beatam me dicent omnes generationes*, id est, magnificabunt me, & prædicabunt. Ita hoc sensu benedicta in mulieribus, idem dicit, atque laudata super omnes mulieres. Aliquando, & magis propriè accipitur pro conferre dona & beneficia; ita vt benedictio sumatur pro munere: & hoc sensu propriissimè virgo dicitur *benedicta in mulieribus*, id est, gratificata in donis præ omnibus. Quo sensu illi conuenit illud Eccli. 39. *Benedictio illius quasi fluuius inundauit*, id est, gratiæ ei collatæ, omni ex parte diffusæ fuerunt, & illam operuere: nulláque fuit gratia in aliis, quæ in ipsa eminentiori modo non fuerit: ita vt simul habuerit in se virtutes & perfectiones omnium. Sicque dignior fuit atque antiquior Eua, doctior sorore Moysi Maria, verecundior Sara, amabilior Rebecca, fœcundior Lia,

Quomodo propriissimè benedictio cõuenit Mariæ.

Eccli. 39.

Virgo facilè omnes mulieres superat.

A Rachele pulchrior, Bersabee maior, prudentior Abigail, sapientior Regina Saba, fortior Iudith, gratiosior Esther, castior Susanna, diligentior Sunamitide, hospitalior vidua Sarephtæ, sanctior Anna continuò in templo orante, fidelior Samaritana, humilior Chananæa, officiosior Martha, contemplationi plus intenta quàm Magdalena. Et quid addam? Ipsa Angelos vicit puritate, Prophetas sanctitate, Apostolos dignitate, Martyres constantia, Doctores sapientia, Confessores abstinentia, Virgines pudicitia, Religiosos humilitate atque obedientia. Denique quid adhuc superaddam? Alij sunt nobiles, alij diuites, alij docti, alij fortes, alij prudentes, alij casti, & alij alias virtutes
B habent & perfectiones, hæc vniuersas complectitur, vt benedicta inter omnes. Nulláque est benedictio viri aut fœminæ, quæ certare possit cum benedictionibus Mariæ: si quidem omnes aliæ veluti fuerunt tenues tantùm vmbræ benedictionum Mariæ.

Etiam Angelos & omnes hominũ ordines.

Videamus nonnullas. 1. Reg. 25. Abigail veniens in occursum Dauid, ab eo benedicta appellata est: quia prohibuerat eum, ne iret ad sanguinem, vt vlcisceretur se de omni domo Nabal viri sui. Sed multo magis benedicta virgo, quæ iram Dei & vindictam eius super omnem domum Adam retinuit. Item Iudic. 5. à Debbora Iahel laudata est benedicta inter mulieres, eo quod percussit Sisaram, & clauo caput eius perforauit: similiter Iudith.
C Ista Princeps vidua sancta ab Ozia Principe populi Israël benedicta prædicata est, eo quod caput Holofernis absciderat, qui dixit ad eam; *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram. Benedictus Deus, qui te direxit in vulnere capitis Principis inimicorum nostrorum, quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, quæ subuenisti ruinæ nostræ ante conspectum Dei nostri. Et dixit omnis populus, fiat, fiat*, &c. Et quanto magis virgo, quæ fuit vera Iahel & Iudith, quæ non Sisaræ, aut Holofernis, sed diaboli caput amputauit hostis totius generis humani? Vnde hodie Gabriel vt alter Ozias Prin-
D ceps Israël ait, benedicta tu in mulieribus, & omnis dicat populus, fiat, fiat. Non solùm inter mulieres, sed inter viros sit benedicta; fiat, fiat.

Quæ præcesserunt in aliis benedictiones, figura benedictionum Mariæ fuerunt.

Abigail. 1. Reg. 25.

Iahel. Iudic. 5.

Iudith. cap. 15.

Præclara & maxima extitit illa benedictio Abrahæ, cui Deus ait; *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*: sed multo maior illa Mariæ, quæ tulit verum Isaac, in quo omnis benedictio Angelis & hominibus data est; *ex hoc* ait, *beatam me dicent omnes generationes*. Celeberrima adhuc illa fuit Iacob, cùm fratrem suum supplantauit; *Deus det tibi*, ait illi Isaac pater eius, *de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & esto dominus fratrum tuorũ*, &c. *& qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur*. Amplissima equidem & notabilis admo-
E dum illa est benedictio: sed multo dignior, & sanctior, & abundantior illa fuit Mariæ, quæ de cœlo accepit omnem plenitudinem gratiæ, & illum rorem, qui Deus est, iuxta quod apud Isaiam dicebatur: *Rorate cæli desuper*. Et certè nobis cœlum fuit quod nobis pluit iustum, illáque pinguis tellus quæ nobis germinauit Saluatorem, vnde Domina fratrum suorum effecta est, & populi seruiunt ei, & eam omnes tribus terræ adorant, scil. honore & adoratione hyperduliæ, supremo quidem cultu qui dari possit, & conueniat creaturæ: & hinc incuruantur ante eam omnes filij matris eius, scilicet Ecclesiæ, & triumphantis & militantis. In nomine enim Mariæ omne genu flectitur, & qui male-

Abraham. Gen. 22.

Iacob. Gen. 27.

Isa. 45.

dixerit ei, erit maledictus. Ita sunt omnes hæretici. *Qui me contemnunt, erunt ignobiles*, &c. Sicut è contrà, qui benedixerit ei, benedictionibus replebitur, vt dicitur, *qui me elucidant, vitam æternam habebunt.* Et alibi; *Qui me inuenerit, inueniet vitam: qui autem in me peccauerit, lædet animam suam.*

Eccli. 24. Prou. 8.

Illam igitur, sicut decet, honoremus, dicamúsque cum cœlesti paranympho, *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Verè super omnes benedicta in benedictionibus diuini fructus pretiosissimi ventris eius; quia virgo concepit, patrem suum genuit, & lacte vberum suorum Deum suum enutriuit, portantem se portauit, & vestientem se ineffabili gloria, carnis suæ substantia vestiuit. Benedicta super omnes mulieres, quæ simul virgo, & mater est, & sola priuilegia habet vtriusque testamenti. In veteri, si mulieres infœcundæ remaneant, & non concipiant, legis maledictum incurrunt, quæ dicit maledictam sterilem, & quæ non parit. Sic Exodi 23. *Non erit infœcunda nec sterilis in terra tua*, (hæc promissio benedictionis erat.) Interim si matres euadant, non effugiunt hoc maledictum Euæ; *In dolore paries*, &c. Virgo autem sine vlla maledictione, tota legis benedictione potita est, virgo mansit, & fœcunda virgo fuit, non mansit sterilis: peperit, sed sine dolore partus. Hinc de illa sponsus sic loquitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Benedicta inter mulieres, vtpote quæ non solùm legis veteris, sed etiam nouæ priuilegia habuit. In noua laudabilis virginitas est, etiam laudata super maternitatem & fœcunditatem matrimonij: & ecce neutrum horum Mariæ defuit, quæ simul virgo & mater extitit; gaudia simul matris habens cum virginitatis honore. Vnum hoc certè est, in quo nec primam similem visa est habere, nec sequentem. Mariæ priuilegium est, & singulare, non dabitur alteri: vt etiam dicamus ei soli, *Benedicta tu in mulieribus*, à Deo plus cæteris accepisti, & pluribus priuilegiis decorata es: *plena gratia, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Ecce in quibus superasti omnes, & tua benedictio est. Modò itaque superest vt eam secundum omnia priuilegia eius salutemus, dicamúsque cum S. Chrysostomo apud Metaphrastem. Aue igitur Mater, cœlum, puella, virgo, thronus, Ecclesiæ nostræ decus, gloria & firmamentum, assiduè pro nobis precare IESVM filium tuum, & Dominum nostrum, vt per te misericordiam inuenire possimus, & quæ reposita sunt iis qui diligunt Deum, bona consequi.

Rationes benedictionum Mariæ. Maria habet priuilegia vtriusque testamenti. Exod. 23. Gen. 3. Cant. 2. S. Chrysost. apud Metaph.

DE HVMILITATE Virginis, & duobus prudentiæ eius documentis.

Quæ cùm audisset, turbata est, & cogitabat, &c. Luc. 1.

NAta virtus in mundo est cum CHRISTO, humilitas; *Inuenietis infantem inuolutum pannis, & positum in præsepio, & hoc vobis signum*, dicit Angelus. Hæc cum illo creuit, hanc docuit homines in terra, sicut in cœlo Angelos; hæc est quæ illum secuta est in morte & sepulchro, quamque retulit in cœlum, vbi in æternum est Deus-

Virtus Iesu & Mariæ humilitas.

A homo, in æternum in dextera patris. Singularis virtus Christi & propria, est humilitas: & singulariter conuenit Virgini sanctissimæ eius Matri, illiusque propria est; in suo Cantico, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, &c. Hodie cùm salutationem audisset Angeli, *turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Dum laudatur iustus in facie, ait S. Greg. percutitur & flagellatur in mente: nam humilis ægriùs fert honorem quàm contemptum superbus.

Et certè, si comparatione vti liceret, diceremus cum fundamento veritatis, non minorem, imò maiorem accidisse turbationem Virgini humili, B cùm se ab Angelo exaltari audiuit, quàm superbo Angelo, cùm se in instanti de cœlo cecidisse aspexit. Heu! quid turbationis tunc sensit ille superbissimus Lucifer, cùm abiectionem suam vidit, atque se de altitudine gloriæ velut fulgur in profundum Inferni descendisse? Quis hoc explicare posset? Certè ita dico, sed meliùs Virginem pro ingenti & profundissima humilitate sua, penitus superbiæ Luciferi opposita, turbatam fuisse, imò magis, cùm audiuit sic se salutari ab Angelo dicente, *Aue gratia plena*, &c. Et ratio quidem est, quia vera humilitas facit, vt quanto quis altiores in virtute radices egerit, tanto de se humiliùs iudicet, & agnoscat sibi quasi infinita deesse. Hu- C milis est auaro similis, qui quo maiores habet opes, eo etiam magis videtur pauper sibi, & carere omnibus: vnde sitis & turbatio, seu cupiditas. Ita dico de humili, qui cùm sit multum diues, nihil tamen putat se habere, sed semper videtur sibi pauper esse, & carere omnibus; vnde sitis perfectionis acquirendæ continua, & turbatio, si aliquis credit, aut etiam dicit ei, quod aliquid habeat. Sic igitur Virgo cùm audisset quæ ei dixerat Angelus, turbata est, non quidem ex visione Angeli, quod notandum, sed ex sermone eius.

Cur in salutatione Angeli Maria Virgo turbata est. Humilis est similis auaro.

Olim cùm solùm apparuisset idem Gabriel Angelus Danieli, & Zachariæ, vtrumq; visione sua D perterruit. Sic de Daniele dicitur, quod ipse & qui cum eo erant, ex præsentia eius ita perterriti fuerunt, vt de suis comitibus dicat, *terror nimius irruit super eos, & fugerunt in absconditum. Ego autem relictus sum solus.* & de se addit, *& non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium*, &c. Ita similiter terruerat Zachariam, apud Lucam; *Apparuit illi Angelus Domini, qui dixit: Ego sum Gabriel. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum.* Isti igitur, licet Prophetæ maximi, ex visione Angeli territi sunt: non sic Maria, quæ Angelos frequenter viderat, & cum illis conuersari con- E sueuerat; sed ex sermone eius turbata est, scilicet cùm se laudari tam excellenter audiret, & tam humiliter de se sentiret. Ita Euseb. Emiss. hæc verba explicans. Turbata est, inquit, non in vultu Angeli (vt Daniel & Zacharias) sed in sermone: non enim Angelum, sed verbum Angeli attendebat, & quid illa tam officiosa salutatio prætenderet cogitabat. Ita S. Laur. Iustinian. in Ser. de Annunc. Non ex Angelico aspectu quasi insolito, quippe quæ iugiter visitabatur ab Angelis, sed ob excellentiam diuini præsagij, quod propria merita præcellere videbatur; vnde post turbationem dicitur quod non respondit, sed cogitabat, (vt prudentia simul aduertatur.) Hoc notat S. Ambros. dicens quod cogitans erat cum verecundia, quia pauebat; cum

Visione Angeli Daniel & Zacharias turbantur, Maria autē sermone. Daniel. 10. Luc. 1. Euseb. Emiss. S. Laur. Iustin. Ser. de Annun. In S. Lucā.

cum prudentia, quia benedictionis nouam formulam mirabatur, quæ nusquam lecta est, nusquam antè comperta: soli enim Mariæ hæc salutatio seruabatur. Ita post eum S. Bernard. homil. 3. super Missus. Turbata est, sed non perturbata; neque enim illi accidit vt Danieli, qui Gabrielem audiens, iacebat consternatus, & facies eius hærebat terræ. Non sic Virgo, quæ eundem audiens, modestia pleno vultu & animo stabat, & nonnihil turbata non protinus salutata respondit, sed cogitabat qualis esset noua ista salutatio. Quod igitur, inquit, turbata est, verecundiæ fuit virginalis: quod non perturbata, fortitudinis: quod tacuit & cogitauit, prudentiæ. Etenim optimè sciebat Sathanam aliquando se transfigurare in Angelum lucis, neque omni spiritui credendum, sed antè probandum, an ex Deo sit; ideo statim noluit respondere, nisi postquam considerauit, eiusque turbatio transacta est.

S. Bernard. hom. 3. super Missus.

Duo prudentiæ documēta in silentio Virginis.

In quo certè duo nobis præclara suo exemplo præbuit documenta. Primum est, nihil vnquam faciendum, aut dicendum, & præsertim in rebus magnis, dum adhuc animum occupat turbatio; sæpe enim accidit, multa nos facere & loqui ex ira & passione præcipiti, de quibus postea dolemus, & quæ perpetrasse pœnitet. *Impedit enim ira animum* (ait quidam sapiens & vates profanus) *ne possit cernere verum.* Sed psalmistam sanctum & regium audiamus. *Turbatus sum*, ait, *& non sum locutus.* Loquendi certè tempus non est, cùm perturbatio adest; & in hoc se hodie Virgo filiam esse Dauid ostendit, quæ ex sermone Angeli turbata non loquitur, sed cogitat qualis sit ista salutatio. Apud S. Iohannem cùm adducta est mulier in adulterio deprehensa, coram filio Dei, priusquàm ipse respondeat accusantibus, digito scribit in terra. Quo fine & exemplo? certè vt ostendat nihil decernendum, aut faciendum, aut proferendum in alterum, nisi priùs nosmetipsos contineamus, per aliquam moram conquiescamus, & tandem digito considerationis aduertamus quid nos facere oporteat.

Primum documentum, nihil agendū ex turbato animo. Psal. 76. Ioh. 8. *Exemplum prudentiæ Christi.*

Documentum est secundum, quod nobis adhuc Virgo suo exemplo præscripsit, scilicet omnia peragenda esse cum cogitatione, & præuia consideratione mētis; *turbata est, & cogitabat.* &c. Hoc multum à nobis requirit Dominus, videlicet vt in omnibus operibus nostris prudentes simus & circumspecti, & nihil vnquam præcipitanter faciamus: sicut aliquando sic filiis Israël exprobrauit, qui ipsum inconsideranter dereliquerant, vt diis quos ignorabant, seruirent ac immolarent, nec sua inde futura mala præuidebant. *Gens absque consilio est*, inquit, *& sine prudentia, generatio peruersa, populus stultus & insipiens, vtinam saperent*, &c. Hinc consilium Apostoli: *Videte fratres quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes*; scilicet vt quæratis quæ recta sunt. Est enim sapientia diuinarum rerum cognitio, cuius est omnia ad finem, id est, ad Deum dirigere. Prudentia autem quædam est particularis sapientia, & propterea dixit, voluitque Apostolus vt simus sapientes, id est, vtamur prudentia, & consideratione tali in omnibus, vt numquam à Deo recedamus, sed omnia semper ad ipsum referamus, ordinemusque. Quod concludit Apostolus dicens: *Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.* Prou. 4. *Oculi tui videant recta.* Eccles. 2. *Sapientis oculi in capite eius, & stultus in tenebris ambulat*, scil. quia omnia inconsideratè & præcipitanter facit. Quod igitur

Secundum documētum, nihil agendū sine cogitatione præuia. Deut. 32. Eph. 5. *Quid sit sapientia.* Prou. 4. Eccl. 2.

A suo exemplo nos edocuit Virgo, atque exigit Deus à nobis, est vt in rebus quæ ad gloriam eius spectant, nihil suscipiamus agendum, vel dicendum sine consideratione præuia & cognitione, nihil tractemus sine consilio & cogitatione, & non loquamur sine scientia. Exemplum vultis in Scriptura sacra? Deus Isaiæ prophetæ dicit; *Clama, ne cesses*: sed propheta sanctus vult scire quid sit dicturus antequam clamet, propterea ait; *Quid clamabo?* Ecce instructio omnibus qui clamare & euangelizare mundo missi sunt, & ad prædicandum vocati: scire antè debent quid sint dicturi, neque loqui quidquid in os sine cogitatione, & B præparatione venit, sed excipere à Deo os & sapientiam, videlicet eadem nunciare quæ Deus clamare iussit prophetam; omnia creata vanitatem esse, æternas & diuinas veritates, viasque Domini amplectendas esse: sæpius tandem dicere & proloqui; *Omnis caro fœnum, omnis gloria eius quasi flos agri qui cecidit, parate vias Domini, & reuelabitur gloria Domini. Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet.* Hæc certè sola sunt & similia, quæ dicenda & excipienda sunt auribus, ea inquam solùm quæ digna sunt mente & consideratione hominis, vt quæ ad profectum nostrum spectant & Dei gloriam.

Exemplum. Isa. 40. *Prædicatoris officium.*

Ita modò cùm audisset Virgo quæ ei Angelus dixerat mysteria profunda, turbata est præ humi- C litate, & summa prudentia, animique attentione cogitabat qualis esset ista salutatio: vnde Angelus qui venerat ei clarè reuelare omnia, deque suo fœlicissimo ingressu consolari, ait illi; *Ne timeas Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum*, &c. Quasi diceret, non ideo veni, vt sicut Daniel perterrita obstupescas, non vt sicut Zacharias obmutescas, quia non crediderat sermonibus meis; sed imprimis vt meo nuncio læteris: deinde sermonibus tuis & responsis mundum vniuersum perfecta iucunditate repleas. *Ne timeas*, quia non veni legem timoris & oneris allaturus orbi, vt ille qui Moysi apparuit in monte repræsentās Dominum: sed tibi verum legislatorē ānnūciaturus, qui dabit D præcepta amoris. *Ne timeas Maria*, quia non venio cum ignito gladio, vt claudam portas paradisi, sed vt annunciem eum qui clauem habet, vt aperiat eas. *Ne timeas*, quia missus non sum ad te, vt annunciem tibi euersionem mundi, & punitionem peccatorum, sicut illi qui venerunt ad Loth annunciantes Sodomæ incendium; sed vt aduentum authoris vitæ tibi annuncient, & Agni Dei qui tollit peccata mundi. *Ne igitur timeas Maria*; sed ex eo maximè *ne timeas, quia inuenisti gratiam apud Deum.* Nam qui Dei gratiam habet, nihil quod timeat habet, sed in secura & recta conscientia manet; perfecta charitas foras mittit timorem. *Fugit impius, nemine persequente*, dicit Sapiens, *iustus au-* E *tem vt Leo confidit.* Timeant igitur illi qui vitiis & sceleribus pleni sunt, timeant peccatores, timeant illud formidabile tribunal Iudicis, & rigorem seueri iudicij eius. Sed qui gratiam inuenerunt apud Deum, & quibuscum Dominus est, gaudeant; Dominus salus mea, fortitudo mea, firmamentum meum, quem timebo? Deus dixit aliquando Isaiæ; *Ne timeas, quia ego tecum sum.* Ita Angelus Mariæ dixerat, *Dominus tecum*; nunc autem: *Ne timeas, inuenisti enim gratiam apud Deum.* Hic S. Chrysost. dicit: Timet qui perdidit, sed non qui inuenit. Inuenit virgo, ideo, ne timeas. Quid enim timeret, quæ securitatem rerum concepit, gaudia peperit sæculorum, & suscepit eum, quem timent omnia

Explicatio responsionis Angeli ad turbationem Virginis cùm dixit illi, Ne timeas, &c. *Vbi gratia, nihil timendum.* 1. Ioh. 4. Prou. 8. *Qui debeant timere.* Psal. 26. Isa. 41. S. Chrysost. Serm. 2.

Quid sit inuenire gratiam apud Deum.

A

quæ timentur? *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.*

Omnia hic consideratione plena & digna sunt. Apud Deum inuenit. Etenim multi sunt qui gratiam suam apud homines quærunt, apud mundum, & non apud Deum: apud mundum, vbi nihil est nisi fallacia & mendacium, vbi caduca sunt omnia. Apud Deum verò, qui solus veritatem habet, & est ipsa veritas, omnia sunt æterna. Igitur apud Deum, & Deum solum gratiam nostram quæramus & inueniamus; gratia namque sola est qua indigemus, illudque vnum necessarium nobis est: & Deus præstò erit dare illam, si cor nostrum purum inuenerit, & vacuum omnibus curis & cogitationibus sæculi; vult solum vt manus porrigamus, os & cor aperiamus ei qui dicit in Psal. *Dilata os tuum, & implebo illud.* Igitur, si non dat ille, & non extendit manum, signum est & causa quia tu non aperis: nec enim abbreuiata est manus eius; sed plura adhuc hodie tibi potest conferre, quàm tu possis accipere, dummodo semper recipiendi capax sis, & Deo te offeras.

Quid requiris Deus vt gratiam inueniamus apud eum.
Psal. 80.

B

Exemplum.
4. Reg. 4.

Quandiu vidua apposuit coram Elisæo vasa vacua, tandiu oleum recepit & abundauit, ita vt cùm illa plena essent, diceret filio, affer adhuc mihi aliud vas: oleo non deficiente, nisi cùm vasa defuerunt, & vacua amplius non fuerunt. Ita dico, si tibi desit gratia, hoc accidit non quidem ex parte eius, olei, & dantis; sed quia vase cares, aut certè quia vacuum non est. Nam, vt vtar verbis S. Bonauent. in Magistrum Sent. Præstò est vnicuique gratia, nec aliquis ea caret quia deest illi gratia, sed quia ipse deest gratię: vult solum Deus vt cordium pandamus ostia, & tunc infundet gratiam, vt quæramus, & cum Maria apud ipsum inueniamus.

C

S. Bonau. in 2. Sent. dist. 28. artic. 1. quæst. 3.

DE GRATIA INCARnationis, & reuelatione ipsius.

Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum, ecce concipies, &c. Luc. 1.

D

GRatia & pax quæ de mundo omnem timorem sustulit, per Christum facta est: vnde meritò Angelus dixit Mariæ; *Ne timeas*, quia hanc inuenerat gratiam, illiusque admirabili modo consors erat. Plures antè inuenerant gratiam, vt Abraham, & Patriarchæ omnes, Moyses cum suis prophetis, Sara, Anna, Iudith, & tot aliæ sanctæ mulieres: sed non illam inuenerunt quam virgo inuenit. *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.* Quare quærendum est nobis quæ sit illa gratia specialis quam inuenit. Dicimus igitur, ne prolixiores simus, quia Incarnationis est gratia, Mariæ gratia, per quam in dignitatem Matris Dei euecta est. Ex qua etiam peractum est, vt homo Deus esset, & Virgo Dei Mater; simulque hæc in ea fierent, Incarnatio verbi, & maternitas Virginis respectu eiusdem verbi.

E

Gratia quã Maria inuenit, Incarnationis est.

Hanc explicationem gratiæ specialis, seu Incarnationis, ex vi verborum sequentium sumimus: vbi enim virginem turbatam vidit Angelus in sermone suæ salutationis, dixitque illi: *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum,* statim & sine intermedio subiungit: *Ecce concipies in vtero*, &c. quasi diceret; Ecce gratia quam inuenisti, non de ordine est gratiæ communis, non istius quæ Seraphinis & Potestatibus collata est: neque illius quæ in terra hominibus etiam sanctissimis dari solet: nec etiam adhuc de ordine & conditione huius quam ex priuilegio singulari, sola ab instanti conceptionis tuæ in supremo gradu excellentiæ recepisti, sed super omnes gratias illa est, & origo omnium gratiarum; nunc Incarnationis gratia est, *ecce concipies.*

Explicatio.

A

Accipio explicationem hanc ex Patribus, Chrysologo dicente. O virgo, gratia te matrem præstitit, non natura; sed quæ gratia? certè Incarnationis. Item S. Bernard. similiter dicente super Missus. Inuenisti quod quærebas, & quod nemo ante te inuenire potuit, inuenisti gratiam apud Deum, quam gratiam? Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. Hæc igitur est gratia quam inuenisti apud Deum. Ferè idem ait Richard. Victorinus in Cantic. Inuenisti apud Deum gratiam, quam quærebas omnium salutem; desiderauit, quæsiuit & obtinuit, imò salus omnium per ipsam facta est, vnde & mundi salus dicta est. hæc ille. (scilicet cùm mater salutis nostræ effecta est.) Cum illo insigni Episcopo Cretensi Andrea Hierosolymitano concludamus. Inuenit gratiam apud Deum, quam Sara non accepit; quam non sensit Rebecca, quam nec Rachel cognouit, nec digna inuenta est Anna mater Samuelis; denique quam nullus vnquam ab æterno nactus est sicut illa; & quæ illa? Incarnationis. Etenim sola hanc inuenit etiam ipso instanti quo salutata respondit; *Ecce ancilla Domini*, &c. Tunc enim IESVM concepit Saluatorem mundi, sicut ei Angelus prædixerat; *Ecce concipies.*

S. Pet. Chrysolog. Serm. 2. de Ann.
S. Bern. Ser. 3. super Missus.

B

Richard. à S. Victore in 6. Cantic.

Andreas Hierosolymitan.

C

Hoc autem posito, quæstio nascitur apud Theologos; Num aliquod meritum fuerit in virgine istam gratiam præcedens. Vnde imprimis respondemus, Incarnationem absolutè & simpliciter consideratam, sub nullum prorsus cadere meritum, nec condignum, nec congruum: est enim in se omnis meriti principium, & à sola Dei voluntate dependens. Posita autem tali voluntate, tanque expressa per os prophetarum, scilicet Christum venturum, vniuersaliter dicimus, omnes patres qui præcesserunt, precibus suis & desideriis ex congruo accelerationem promeruisse, id est, conuenienter. Sic apud Danielem legitur quod septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ fuerunt super populum, vt impleretur visio & prophetia; & sic vt festinanter veniret ex votis ardentibus patrum, iuxta illud Psal. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Si autem particulariter circunstantiam personæ spectemus, quæ Christum ipsum concipere debebat, quæ virgo est, aliter dicimus, scilicet in ea nullum quidem fuisse, sicut nec in aliis, meritum condignum præcedens eiusmodi gratiam & mysterium; interim fuisse in ea meritum congruum duplici ex causa. Prima ex Dei munere, qui illam ad hoc ex gratia sua disposuit. Et hoc docet S. Thom. qui ait, (vt illius verbis vtar) quod illa meruit ex gratia sibi data, illum puritatis & sanctitatis gradum, vt congruè posset esse Mater Dei. Hinc secunda congruitatis causa sequitur, scilicet propria dispositio eius, ex virtutibus ipsius nata, & bono gratiæ vsu, qualis erat humilitas, puritas animi, ardénsque diuini huius aduentus in mente desiderium, ratione quorum idonea reddebatur. Sanctus tamen Bonauent.

Quæstio, an Incarnationem meruerit Virgo.

D

Quomodo potuit cadere sub meritum Incarnatio.

Aliter sentiendum de Virginis merito quàm patrum.

E

Duplici ex causa Incarnationẽ meruit Virgo ex congruo.
1.
S. Tho. 3. p. q. 2. art. 2.
2.

Opinio Sancti Bonau. etiam ante Incarn. Virginem meruisse dignè, & non solùm ex congruo, post annunciationem & consensum, in 3. Sent. dist.4.q.1. S.Bern.

nauen.in 3.Sentent.dicit adhuc plura,scilicet fuisse in illa ante Incarnationem, & congruitatem, & dignitatem, (nam de condignitate hîc nihil loquimur.) Igitur, inquit, ante annunciationem congruitas erat & ex parte gratiæ eius & dispositionis, etiam virtutum; sed annunciatione facta per Angelum, & per eam consensu dato, habuit & dignitatem, iuxta quod Patres postea loquuti sunt, vt S. Bernard. Serm. 4. de Assumpt. Quæ, ait, Angelica puritas virginali illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritussancti sacrarium fieri, & habitaculum filij Dei? & Serm. de Nat. Magnum est Angelo vt minister sit Domini; sed Maria sublimius quiddam meruit, vt sit mater. Sed quomodo meruit? Si non condignè, certè eo quo diximus modo dignè & congruè. Dignè, audite vniuersalem Ecclesiæ consensum, quæ orando sic dicit: *Deus, qui gloriosæ Virginis Mariæ corpus & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti*, &c.

Dignè ex Ecclesia.

Congruè ex propriis eius virtutibus.

Congruè iam ex tot in ea miris virtutibus, & sanctissimis de desideratissimo Messia desideriis; vnde ei admodum conuenienter dixit Angelus, *inuenisti gratiam apud Dominum*, quasi diceret. Tu desiderabas illam, & quærebas multum, cùm iam tempus videbas aduenisse & adesse; modò inuenisti, tu plusquàm cæteri desiderasti, petiisti, quæsisti.Ecce modò illam *inuenisti gratiam apud Dominum*, vt sis ipsa vnici filij eius mater, *Ecce concipies in vtero.*

Isa.7. O Virgo,illam in memoriam Virginem reuoca, de qua Isaias loquitur: *Ecce Virgo concipiet*; tu enim Virgo illa es, *Ecce concipies, & paries filium*: hæc est gratia quam inuenisti apud Dominum. Legitur de Esther quod eam Assuerus adamauit plusquàm omnes mulieres, habuítque gratiam & misericordiam coram eo, vt iam retulimus. Illa est Esther virgo, quam magnus Rex cœli adamauit super omnes, & apud quem sola gratiam & misericordiam habuit, tamenque inuenit; *Ecce concipies in vtero.* In vtero, adiunxit, vt conceptum verum denotaret, & non phantasticum aut intellectualem, sed verum & secundùm carnem, seruata virginitate eius, & intacta immaculatáque semper remanente. Quare dixit; *Ne timeas, inuenisti enim gratiam apud Dominum*, hanc gratiam, efficieris grauida & mater, sed virginitatis detrimentum minimè patieris, in te illa implebitur admirabilis prophetia de Virgine conceptura, tu enim illa es; *Ecce Virgo in vtero concipies*, & paries mundo filium Emanuelem, qui est nobiscum Deus, & vocabis nomen eius Iesvm, Saluatorem populi.

Esther 2.

Cur adiunxit, in vtero, Angelus dicens, Ecce concipies.

Iam hîc quæri potest, vtrùm hoc necessarium fuerit B. Virgini reuelari, scilicet quòd ipsa Christvm conceptura esset, cùm potuisset Deus absque tali reuelatione, tale in ea opus & mysterium perficere. S. Thomas docet hoc ita necessarium fuisse, & conueniens quatuor de causis. Prima est, vt seruaretur ordo congruus coniunctionis filij Dei ad Virginem, scilicet vt priùs mens eius de ipso instrueretur, & crederet, quàm ipsum carne conciperet, & sic ipsa priùs conceptum Verbum haberet in corde per fidem, quam in ventre per carnem. Quæ ratio etiam S. Augustini est lib. de Virginitate, vbi dicit quod beatior est Maria percipiendo

Ex S.Thom. 3.p. q.30. *conueniens fuit huius mysterij reuelatio B. Virgini quatuor de causis.*

1.

S. August. lib. de Virgin. cap.3.

A fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi; & postea subdit. Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fœliciùs Christvm corde quàm carne gestasset. Igitur necessarium erat, vt fides in ea mysterium præcederet; licèt enim de tali mysterio futuro distinctam fidem haberet, non tamen cognoscebat quòd in ea, & per eam perficiendum esset, donec per Angelum instructa est. Vnde postea adhibita sua fide & consensu, beata ab Elizabeth prædicata est, cui hoc reuelatum fuerat, cùm dixit: *Beata quæ credidisti; perficientur enim in te quæ dicta sunt tibi à Domino.*& illa; *Magnificat anima mea Dominum.* Luc.1.

B Secunda, vt nobis certior testis esset talis ac tanti mysterij & sacramenti, modique etiam admirabilis quo filium suum concepit sine detrimento suæ virginitatis, fidem haberemus. 2.

Tertia,vt ex parte sua volũtaria obsequij sui munera Deo offerret,ad quod se promptissimam obtulit,dicẽs; *Ecce ancilla Domini.* Quare ad dignitatem, & maius bonum Virginis hoc maximè decuit, & vtilissimum fuit, vt scilicet suis propriis actibus pararet se, & quantum fieri poterat, etiam mereretur in exercitio & praxi virtutum, vt humilitatis,prudentiæ, obedientiæ, magnanimitatis,virginitatis suæ curæ ac solicitudinis; denique supremi etiam erga Deum amoris. 3.

C Quarta & vltima fundatur in suaui ordine diuinæ prouidentiæ, iuxta quam neminem trahit Deus ad amicitiam suam absque consensu, vnde ad dispositionem istius tractus prouidentiæ pertinuit voluntarium habere Mariæ consensum.Præterquàm quòd ex S. Thoma, agebatur hîc de matrimonio spirituali & admirabili, quod inter Deũ & humanam naturam, cuius hîc locum & personam Virgo tenebat, perficiendum erat, & ideo per annunciationem petebatur, expectabatúrque consensus illius loco totius naturæ. Sic Rebeccæ fuit explorata voluntas, & acceptus consensus, vt vxor Isaac fieret. Ita dico de Maria,loco totius naturæ nostræ,necessarium quidem fuit & conueniens,vt daret consensum;& sic antè de hoc tanto mysterio & matrimonio instrueretur,mysterio simul & matrimonio, propter quod,& in æstimatione cuius etiam humanum & carnale dicitur Sacramentum magnum. Sic Paul. *Sacramentum hoc magnum est,dico in Christo & in Ecclesia*,scilicet quia hoc refert spirituale matrimonium inter Deum & suam Ecclesiam, quod quidem in Virgine perfectum est, in qua consensu adhibito Verbum caro factum est: atque ita Diuinitas naturæ humanæ strictè vnita est, vt in perpetuum Deus homo futurus sit, & homo in æternum Deus, Christus Iesvs Dominus noster simul Deus-homo & homo-Deus, qui est Mariæ virginis filius, de quo prophetia Isaiæ; *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium:* & de quo hodie nostræ Virgini Angelus; *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* 4.

Gen. 24. *Rebeccæ consensus figura consensus Mariæ.*

D

E

DE NOMINE IESV.

Et vocabis nomen eius Iesvm, *&c.*
Luc. 1.

Qvo tempore reuelatur humilitas Christi in Virgine, eodem etiam prædicatur in nomine

mine gloria eius & maiestas: & sicut incomprehensibilis manet in sua essentia, ita etiam datum illi est nomen ineffabile, *vocabis nomen eius* IESVM. Secundùm nomen tuum Deus, ita & laus tua, gloria & maiestas in fines terræ, nomen quidem ineffabile, quia & incomprehensibilis natura eius est qua Deus est.

Dignitas naturæ facit, vt nullum, aut diuersa nomina recipiat.

S. Dionys. lib. de myst. Theol. c. 5.

S. Bonauen. dist. 22. lib. 1. c. 4.

Excellentissimarum naturarum illud proprium est, aut non posse nominari, aut multa & diuersa nomina posse recipere. Ita diuinus Areopagita Dionys. lib. de mystica Theologia de Deo loquēs dicit, quòd Dei neque est nomen, neque verbum, neque ratio, neque opinio, neque phantasia. hæc ille. Aut certè dicendum capacem esse omnium conceptuum & nominum: hinc apud S. Bonau. à nonnullis vocatur innominabilis, ab aliis verò omninominabilis. De primo ratio est, quia quod non potest à nobis perfectè cognosci, etiam nec potest perfectè nominari; hinc est quòd sicut solus Deus comprehendit se, ita etiam solus nominat se. A nobis autem dicitur innominabilis: vnde S. Aug. lib. 1. de doctrina Christiana. Nec ineffabilis quidem dicendus est, quia & hoc cùm dicitur, aliquid dicitur. Quare in Ps. 35. ait. Facilius dicimus quid non sit, quàm quid sit. Quæris quid sit? Quod oculus non vidit, auris non audiuit, &c. & Serm. 38. de verbis Domini, in Ioh. Loquimur de Deo, & quid mirum si non comprehendis? si enim comprehendis, non est Deus. Quare nec nominari potest: aut certè omnia potest nomina recipere, iuxta quod natura eius perfectissima est, & infinita; vnde & propterea diuersorum conceptuum capax, sicut & nominum. Hinc ratio cur diuersimodè Deus nominetur, creator, gubernator, æternus, immortalis, sapiens, bonus. Hinc ratio cur Christus tanta, & tam diuersa nomina recipit apud Isaiam c. 9. hodiéque nomen, quod est super omne nomen, *vocabis nomen eius* IESVM, nomen quod ineffabile omnia complectitur. Iuxta Isai. c. 62. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit.* Nomen nouum, quia de nouo additum nominibus æternis. Quæ sunt ista? Verbum, filius Dei, sapientia Patris, imago bonitatis, & figura substantiæ eius, immensus, omnipotens, æternus, &c. Quodnam verò nomen nouum est? IESVS. Nomen nouum, quia admirabile est, & Deo-homini datum. Isai. 9. *Vocabitur nomen eius, Admirabilis.* Quis iste Admirabilis? IESVS, qui est homo-Deus. Nomen nouum, quia est super omne nomen, & in eo flectitur omne genu, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Nomen nouum, quia nouo modo impositum: aliis imponitur nomen post ortum, huic antequam nascatur; imò antequam concipiatur, vt Mariæ dixit Angelus, *vocabis nomen eius* IESVM. Sic Isaias in persona Christi: *Dominus ab vtero vocauit me, & de ventre matris mea recordatus est nominis mei:* imo antequam conciperer in vtero eius. Si quidem ante & post conceptionem eius pater vocauit eum, & per Angelum imposuit illi hoc nomen. Ante conceptionem dixit nūc ad Virginem Angelus: *Ne timeas Maria; Ecce concipies, &c. & vocabis nomen eius* IESVM. Post, similiter ad Ioseph; *Noli timere, &c. vocabis nomen eius* IESVM. Vnde videmus hoc nomen ab ipso Deo fuisse datum, & tantùm ab Angelo declaratum, priusque etiam ab eo prolatum, quia secundum originem Angeli primò in ipso, & per ipsum saluati sunt, propterea primi etiam Saluatorem nominarunt, quia primi ex eo suæ salutis effectum receperunt.

S. Aug. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 6. In Ps. 35. itē Serm. 38. in Ioh.

Deus ex parte qua naturam infinitam habet, multorum est capax nominum.

Quibus modis dicitur nouum nomen Iesu.

Isa. 49.

Ex significatione nomen Iesus magnum est.

Si ergo hoc nomen à Deo est, & vt nomen, significatiuum rei nominatæ, id est, essentiæ & naturæ, quid excellentiæ & ponderis continere illud nomen existimamus? Legimus quod Adam, qui omnium naturas callebat, etiam secundùm earum proprietates, nomina rebus imposuit: *Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis,* ait Scriptura sancta, *ipsum est nomen eius*, id est, nomen perfectè adæquans rei nominatæ naturam. Iustiori igitur & meliori ratione dicimus, hoc nomen IESVS admirabile & magnum esse, vtpote rei nominatæ perfectè naturam significans, cùm illi sit non ab hominibus, seu ab Angelis, sed ab ipso Deo impositum, ac ideo in significatione sua nomen nouum. Quid enim significat IESVS? Saluatorem. *Deus in nomine tuo saluum me fac.* Hinc certè est cur dixerit Apostolorum Princeps Petrus, quòd *non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Et gentium Apostolus, quia nomen est super omne nomen, quod Deus Pater dedit illi, *vt in nomine* IESV *omne genu flectatur.* Atque etiam hinc ratio est, cur in proferendo hoc nomine caput denudamus, scilicet quia salus nostra, Saluator, ac salutare nostrum factus est CHRISTVS.

Gen. 2.

Cur tāta reuerentia nomini Iesu exhibeatur.

Nominum differentiæ comprehēsæ in nomine Iesu.

Has, quæso, nominum omnes differentias animaduertite sub nomine IESV comprehensas. Etenim vt Deus est, salus dicitur in abstracto. Isa. 45. *Israël saluatus est in Domino salute æterna.*, scilicet IESV. Ita cap. 12. vbi hæc distinctio salutis & Saluatoris est: *Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam, non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Hebræum fert, *factus est mihi* IESVS. Quomodo etiam S. Hieron. hoc nomen Saluatoris vertit in IESVM, vt homo est in concreto, id est, talis homo in diuino supposito. Sic enim pergit Propheta dicere: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, id est, IESV. & cap. 45. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*, id est, hominem hunc qui dicetur IESVS.

Salus.

Saluator.

Isa. 12.

Isa. 45.

Salutare.

Iam verò si consideretur vt Deus & homo simul, salutare dicitur, qua etiam ratione substantiuè ab Angelo Sanctum est appellatus. Sic enim dixit Virgini: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Igitur hoc modo salutare coniunctim, id est, sub vtraque ratione hominis & Dei simul. Ita Iacob moriens, & filiis annuncians quæ ventura erant in nouissimis diebus, dicebat; *Salutare tuum expectabo Domine*, id est, Messiam IESVM. Ita Dauid, *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*, id est, IESVM. Sic S. Aug. CHRISTVM tuum da nobis, in illo enim misericordia tua. Ita Isaias; *Reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro quod os Domini loquutum est.* Iuxta interpretationem Septuaginta, salutare Dei, id est, IESVM. Sic enim os Domini per Angelum loquutum est, *vocabis nomen eius* IESVM. Ita Virgo in suo Cant. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, id est, IESV filio meo. Ita denique senex Simeon; *Nunc dimittis seruum tuum Domine, quia viderunt oculi mei salutare tuum*, id est, IESVM filium tuum.

Ps. 84.

S. Aug.

Isa. 40.

Luc. 2.

Quæso, nūquid multū admirabile est tale nomē, quod

quod sic tot nominum nouorum,& tam admirabilium explicatur differentiis ? Nomen equidem est quod est super omne nomen. Super omne nomen, quia omnium aliorum nominum continet proprietates,& significationes. In Christo enim nomina sunt essentialia, personalia, negatiua & affirmatiua, relatiua item ad creaturas & gratiæ effectus. Essentialia, vt Deus; qui est, aut, ego sum. Personalia, vt Verbum, aut Dei filius. Negatiua, vt immensus & æternus. Affirmatiua, vt sapiens & bonus. Relatiua ad creaturas, vt principium, Dominus, creator & gubernator. Relatiua adhuc ad effectus gratiæ, vt Emanuel,& Redemptor. Illa autem omnia in nomine IESV continentur, qui Deus est, Verbum & filius Dei, immensus, sapiens, creator, Emanuel, nobiscum Deus & Saluator. *Vocabis nomen eius* IESVM. Dicámne? hoc nomine complectitur omnia qui Deus est & homo, primus & nouissimus, principium & finis. Ecce nomen admirabile.

Quomodo nomen Iesu est super omne nomen.

Duo habet Christus nomina propria, quæque illi ita propria sunt, vt nulli alteri etiam in diuinitate conuenire possint; vnum est intrinsecum,& natura substantiale, æternum,& inuariabile. Verbum est, nomẽ primarium & personale, per quod est imago patris ipsi adæquata & coëssentialis, & iuxta quod dixit; *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Alterum est extrinsecum ex institutione, & illi in tempore adueniens, scil. IESVS, perfectissimè Deum significans simul & hominem: hoc enim illi imposuit qui omnium naturas nouit Deus, *vocabis nomen eius* IESVM. Ecce nomen proprium,& quid ipse sit, magis significans.

Christi duo nomina propriissima. Vnu intrinsecum.

Ioh. 14. *Alterum extrinsecum.*

Quare si aliqui fuerint qui ante ipsum tale nomen habuerint, hoc ita accidit, quia in figuris adumbrabant ipsum. Isti tres fuerunt, Iesus Naue, Iesus Sirach, Iesus Iosedec; qui tres vt saluatores fuerunt, ita nomen habuerunt.

Tres nomen Iesu habuerunt vt figuræ Christi. Iosue.

Iesus Naue, Iosue fuit ille fortissimus bellator & dux populi Israël, qui illum eduxit de captiuitate Ægypti, & introduxit in terram promissam, de qua Chananæum eiecit: Christum autem IESVM figurauit, qui Chananæum diabolum de cœlo nostra promissa patria eiecit, & nos in illam per ascensionem suam introduxit.

Secũdus fuit Iesus Iosedec. 1. Esd. 3. Sacerdos magnus,& vir sanctissimæ vitæ, qui simul cum Zorobabel populum de captiuitate Babylonica reduxit in patriam, & templum Dei restaurauit. Is figura fuit Christi, qui fuit Sanctus Sanctorum, & Sacerdos magnus *secundum ordinem Melchisedech*, animarúmque restaurator, quæ templum sunt Spiritussancti: qui de captiuitate nostra & peccati in terram nostram,& ad libertatem gratiæ nos reduxit. Certè isti duo magni duces & saluatores mirum in modum Christum Saluatorem expresserunt, qui nos duplici captiuitate liberauit, Ægyptiaca & Babylonica originalis peccati, & personalis: nósque perfecta libertate donauit.

Iesus Iosedec. 1. Esd. 3.

Tertius denique fuit filius Sirach, ita adhuc Iesus appellatus, vir sapientissimus, qui Ecclesiasticum composuit, & doctrina suæ sapientiæ mundum vniuersum illuminans ab errore,& ignorantia saluauit, liberauítque. Is Christum Dominum expressit verbum & sapientiam Patris, qui veritatis ac vitæ verbis lucem dedit sæculo & vitam, ab omníque errore & peccato purgauit. Ecce tres, qui in figuris Christum præcesserunt nomine & gestis, primus in potentia, secundus in sanctitate, tertius in sapientia.

Iesus Sirach.

A Possem & quartum addere, scilicet Iosephum, filium Iacob, filium accrescentẽ, & benedictionis. Quem etiam Pharao mundi Saluatorem appellauit, eo quòd Ægyptum à fame & morte liberauerat, cùm prophetico spiritu donatus præcognoscẽs septem futuros fertilitatis annos,& totidem sterilitatis, iussit ad hoc tempus frumenta asseruari. In quo mira Christi figura extitit, qui frumento vitæ de cœlo allato, & in terra nostra, ac Ægypto ad necessitatem nostram asseruato, à morte & fame animas nostras liberauit. *Ego sum*, inquit, *panis viuus, panis vitæ, qui manducat me, viuet propter me*; in æternum viuet.

Gen. 41. *Ioseph Saluator mundi figura Christi.*

Ioh. 6.

Verè Domine, tu es IESVS, & Saluator mundi.

B Aperiatur terra,& germinet Saluatorem. O Maria, *ecce concipies*, &c. *vocabis nomen eius* IESVM: hoc etenim nomen proprium illi est. Et certè inde etiam ratio est, cur tantæ sit apud nos veneratio-nis, scil. quia redemptionem nostram sonat; quod est maximum omnium beneficium, & quia hoc nomen pretio sui sanguinis meruit Dominus, pretio sui honoris ac vitæ accepit, exinanitionis suæ, atque vsque ad mortem humiliationis. Nónne igitur exinde dignum est, vt secundùm voluntatem Apostoli, sed æterni patris, in hoc nomine IESV omne genu flectatur, cùm nõ sit in aliquo alio salus? Nec enim aliud nomen est sub cœlo datũ hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, vt

Ratio cur hoc nomen tantopere veneramur.

Act. 4.

C in Actis dicitur; *Deus in nomine tuo saluum me fac*, &c.

Verùm istius nominis conuenientiã videamus, & magnam veritatem ad significatum ipsius. Saluatorem significat & salutem; certè vndique intueri licet. Nam si ad verba, actiones, institutiones & Sacramẽta Christi respicio, etiam ad ministros & tempus, vndique salutem inuenio. Verba eius dæmones expellunt, peccata remittunt, curant ægrotos, mortuos suscitant, ita vt dixerit ei Petrus, *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.*

Conuenientia & veritas nominis ad omnia gesta Christi.

In verbis est salus.

Si actiones considero, eleuatio oculorum eius & benedictio panes multiplicat; expuit in terram, & oculos illuminat; aures tangit, & auditum re-

In actionib.

D stituit; manum,& pheretrum,& mortuos suscitat; vmbra & fimbriæ vestimentorum eius ægrotos curant: *Tetigit me aliquis*, ait, *& sentio virtutem de me exiisse.* Sic alibi dicitur, quia *virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Ecce vniuersa salus.

In vestibus.

Si institutiones ipsius & Sacramenta considero, Baptismus regenerat, peccata remittit,& lauat; Eucharistia dat vitam, & nutrit; Pœnitentia cœlum aperit; Matrimonium benedictionem confert; Ordo gratiam administrat; Confirmatio perficit; Vnctio extrema lenit, & ad certamen corroborat.

In Sacramentis.

Si tempus intueor, Apostolus dicit, quia vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum; & denique quod nos in die salutis adiuuit.

In tempore.

E Denique si ministros, video quia illos misit póst se, vt pœnitentiam prædicent, regnum cœlorum annuncient,& quia propè est nostra salus, sicut dixit eis: *Euntes prædicate, dicentes quia appropinquauit regnum cælorum.* Ita vt vnus ex illis dixerit Paul. 1. Cor. 9. *Omnia omnibus factus sum, vt omnes facerem saluos.* i. studui me saluti omnium accommodare,& vniuersum mundum, si possim, Christo comparare. Sicut etiam in nullo alio gloriari omnes quæsierunt, siue in vita, siue in morte, quàm vt hoc nomen omnibus innotesceret, & magnũ redderetur.

Matth. 10.

Gloria Pauli & omniũ Apostolorum in nomine Iesu.

Sed quid de Paulo iterũ dicã, qui vt cunctis gentibus portaret, electus est? Hoc animo Apostoli omnes *ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam* digni

digni habiti sunt pro nomine IESV *contumeliam pati*, hócque animo in gloria & dilatatione huius nominis viuebant omnes. Talis eorum erat cura & gloria; & talis sit nostra cum illis, scil. vt à solis ortu vsque ad occasum laudabile sit hoc nomen Domini; innotescat per nos & prædicetur, sempérque inueniatur in nobis, sicut nos in ipso, qui Christus est, benedictus Deus in sæcula.

DE OFFICIO ET MAGNITUDINE S. IOHANNIS PRÆCURSORIS IESV CHRISTI.

Tu quis es? Non sum ego Christus. Ioh. 1.

Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. Luc. 1.

OFficium Iohannis vt præcursoris Christi fuit, ipsum mundo ostendere & testari, ipsi præparare plebem, & omnibus prædicare. Propterea S. Ioh. Euangelista à primo cap. sui Euangelij de eo mentionem fecit dicens. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Iohannes, hic venit in testimoniũ, vt testimonium perhiberet de lumine* scilicet de Christo, notitia Patris, & mundi lumine. Ioh. 1.

Apostoli dicuntur missi, & quidem magno mysterio, quia illis dignatus est Christus aliquid impertiri suæ dignitatis ac honoris. Nam dicitur in Scriptura missus seu Apostolus Patris. Sic Moyses Exodi 4. *Mitte Domine quem missurus es*, id est, Messiam, filium tuum. Sic Iacob Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, &c. donec veniat Silo*, id est, missus: & Paul. Heb. 3. sub hac dignitate Christum nobis cõsiderandum proponit. *Considerate*, inquit, *Apostolum & Pontificem confessionis nostræ* IESVM. Ipsum quidem Apostolum nominat, quia missus à Patre fuerat in mundum, vt illuminaret eum luce veritatis: vnde similiter quos misit cum tali munere, etiam Apostolos nominauit, dicens eis; *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Euntes in mũdum vniuersum, prædicate*, &c. Duodecim autem isti fuerunt ad hoc munus specialiter electi & missi, iuxta numerum duodecim tribuum Israël, quia in omnem terram debebat exire sonus eorum. Verùm in suo genere vnicus fuit & solus numero Iohannes, specialis Apostolus Patris, non quidem vt Filius missus in mundum à Patre, sed vt de eius Filio testimonium perhiberet, sicut Euangelista dixit; *Fuit homo missus à Deo, vt testimonium perhiberet de lumine*, &c.

Christus dicitur missus seu Apostolus Patris.

Ioh. 10. Matt. vlt.

Iohannes specialis & solus numero Apostolus Patris.

Testes iam habuerat Christus aduentus sui, Legem, Prophetas, atq; Angelos. Verùm adhuc plusquàm Angelum in terra habere voluit, vt dicebamus præcedenti Dominica, & sic plusquàm Prophetam & plusquàm hominem. Lex & Prophetæ solùm quidem de venturo testimonium dederunt; Iohannes verò de venturo & de præsenti. De venturo, cùm dicit hodie; *Ipse post me venturus est, qui ante me factus est.* De præsenti, cùm ait digito demonstrans; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Cuius conditionis fuerunt testes Christi.

Eiusmodi testi tria necessaria erant, scientia rei, sanctimonia vitæ, pondus authoritatis: quæ quidem tria sublimiter in eo inuenta sunt. Primò scientiam habuit & notitiam Christi diuinitus ab vtero matris: vnde plusquàm Propheta, id est, plusquàm videns, natus est. Secundò tanta sanctitate

Tria necessaria habuit Iohannes vt testis Christi.
1.
2.

A vitæ excelluit, vt inter natos mulierum non surrexerit maior illo, ex proprio testimonio Christi. Et certè tam magnus ille in sanctitate fuit, vt etiam opus fuerit Euangelistam fuisse testatum, quòd non erat ille lux. Dicam amplius, & necessarium fuit vt ipsemet testaretur Iudæis, quia non erat Christus, sed tantùm eius præcursor & testis. Et quidem hoc fuit testimonium Iohannis, ait Euangelista, *quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum; Tu quis es?* (hodiernum est Euangelium.) *Et confessus est, & non negauit; & confessus est* (bis) *quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum. Quid ergo? Elias es tu? & dixit: Non sum. Propheta es tu? & respondit: Non. Dixerunt ergo ei. Quis es, vt responsum demus his qui miserunt nos? quid dicis de teipso?* B *Ait; Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini.* Ego sum illius testis. *Ipse quidem medius vestrùm stetit, sed quem vos nescitis, ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus vt soluam eius corigiam calceamenti*, &c. Ecce magnus testis Christi, magnus quidem in sanctitate vitæ. Et qui tertiò tantum pondus authoritatis apud homines habuit, vt etiam ab eis Messias existimaretur, vnde propterea Christus ex eius testimonio sumit occasionem conuincendi Iudæos cùm ait illis: *Vos misistis ad Iohannem* (hodie est) *& testimonium perhibuit veritati. Ego autem habeo adhuc testimonium maius Iohanne. Opera quæ ego facio*, &c. Vnde non tam propter me, quàm propter vos venit, ait, scilicet, vt eius testimonio C crederetis in me. Hic est sensus litteralis. Atque certè hinc est, vnde omni Angelo, & omni homine maior est.

Ioh. 1.

3.

Ioh. 5. Ex testimonio Iohannis Christus cõuincit Iudæos.

Iam supra omnem Angelum excelluisse ostendimus, modò supra omnem hominem esse ostendamus. Qua parte præcursor Domini est, & magnus coram eo qui solus absolutè magnus est, & ab omnibus Filius Dei agnoscetur, sicut dixit Mariæ Angelus, *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* Ecce vnde magnus extitit Iohannes; ecce ratio excellentiæ eius, & ob quam S. Aug. Ser. 21. de Sanctis prætulit omnibus dicens. Eminet vniuersis, antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere natus est, inferior D est Iohanne, solùm ille maior est qui de Virgine natus est; Iohannes est homo, Christus verò Deus. Hic erit magnus, scilicet Christus, per essentiam magnus, & filius Altissimi vocabitur: iste verò, scil. Iohannes, coram Domino magnus, qui præibit ante faciem eius. Apud Metaph. hæc pulchra magnitudinis eius similitudo datur per Theodorum Studitam, scilicet. Quomodo Rex aliquis, regaliter procedens ex Regiá, habet primùm quosdam præcedentes qui virgas ferunt, & quosdam qui sceptra gestant, deinde Consules & ductores ordinum, postremùm autem quemdam maiori dignitate præditum, post quem statim Rex apparet nullo interiecto: sic Christo Rege per carnem ingresturo in orbem, præcesserunt E quidem Patriarchæ, deinde vniuersa turba Prophetarum, & alij ordinum ductores; postremus autem extitit manifestus Iohannes, magnus corã Domino, & statim Rex & Dominus IESVS CHRISTVS; & sic qui erat vltimus ordine, maior extitit dignitate: erat enim magnus coram Domino, qui nullo interiecto præcedebat ante illum, ante faciem Domini parare vias eius. Hinc certè ratio est cur tãtopere illum Dominus super omnes exaltauit, vt de eo palàm dixerit Matthæi 11.

Ratio magnitudinis Iohannis.

S. Aug. Ser. 21. de Sanctis.

Apud. Metaphrast. similitudo.

Inter

Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista.

Plutarch. Appelletur fœlix ab Alexandro Achilles, eo quod Homerum habuit præconem laudum suarum. Nos fœlicissimum, & maximum Iohannem appellabimus, qui Deum ipsum, & Dominum suum habuit laudatorem, ac talem, vt dixerit de eo: *Inter natos mulierum non surrexit maior.* Samuel

1. Reg. 9. semel descripsit vitam & mores Saül filij Cis, & sic de eo loquutus est: *Erat vir de Beniamin nomine Cis, & erat ei filius vocabulo Saül, electus & bonus, & non erat vir de filiis Israël melior, ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* Sed meliùs apud Matthæum Christus ipse descripsit vitam & mores, excellentiam & sublimitatem Iohannis, cùm cœpit dicere de illo ad turbas: *Quid existis in desertum videre?* &c. *Amen dico vobis: Non surrexit maior,* &c.

S. Iohannes omnes facilè superat.

Olim Deus diuersis quosdam sublimauit laudibus, vt Noëmum, de quo Gen. 7. *Vidi te iustum coram me ex omnibus gentibus.* Iob, de quo ipse Dominus ad Sathan; *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus?* &c. Multique alij sic inueniuntur à Domino laudari, sed iste omnes superauit, qui hanc laudem à Christo accepit, *non surrexit maior.* O Domine, tu solus magnus es, & quia ille coram te magnus est, ex ore Angeli, ex ore tuo inter natos mulierum maior est. Maior quidem est Noë, qui duo sæcula vidit, vnum naturæ, & alterum legis, scilicet ante, & post diluuium. Nam Iohannes duo etiam, sed meliora vidit, qui simul initium fuit nouæ legis, & consummatio veteris. *Lex & Propheta vsque ad Iohannem*, ait Dominus, *& à diebus eius prædicatio regni Dei:* præibit enim ante faciem eius.

Gen. 7.

Iob. 1.

Iohãnes maior Noë.

Maior Adã. Sed dicamus quia etiam Adamo maior est. Licet enim Adam sit maior illo, quod non sit inter natos mulierum, vt ille, tamen in vno æqualis illi est Iohannes, quod primum Christi opus fuit in statu gratiæ, sicut Adam primum Dei in statu naturæ. Sed in altero maior illo, quod gratiam cum qua est natus, nunquam amisit, vt Adam. Sed inter natos mulierum absolutè maiorem videamus. Iob de muliere natus, sed tantopere laudatus à Deo, dicit quia nudus de vtero matris suæ est egressus.

Maior Iob. Illo certè Iohannes maior est, qui adhuc ex vtero matris, Spiritussancto repletus est.

Iohãnes maior Isaac. Isaac de Sara natus, gaudium dicitur & risus parentum. Sed Iohannes maior est, qui vniuerso mundo gaudium, gratiam, & exultationem attulit, prædicationem regni cœlorum, & pœnitentiæ baptismum in remissionem peccatorum.

Maior Iacob. Iacob adhuc in vtero matris Rebeccæ exiliens & mouens se, Esau supplantat, sed non sine dolore & tædio matris. Maior autem illo est Iohannes, qui adhuc in vtero matris exiliens cum pari eius gaudio, peccatum supplantat, &c.

Ioseph dicitur filius accrescens, & benedictione repletus: Iohannes autem, gratia, seu, ei donatum est. Certè non est qui comparetur ei inter omnes Prophetas & Patriarchas: dicam nec inter Apostolos, qui inter natos mulierum maior est. In hoc certè maior videtur Apostolis, quod illi tantùm post Ascensionem prædicauerunt Christum; & adhuc cum miraculorum gratia, vt eis fides adhiberetur. Marci vltim. *Profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante*, &c. Sanctus verò Iohannes præsentem prædicauit, de eoque testimonium perhibuit absque miraculis, quia dignus fide erat.

Maior Ioseph.

Maior Apostolis.

Marc. vlt.

Dicamne? Etiam discipulos suos primos fecit

A Apostolos Christi. Ecce verè maior inter omnes. Maior, quia vbique, & vndique magnus; magnus in natiuitate, magnus in officio & prædicatione, & denique in vita magnus. Magnus in natiuitate, vbi tot mirabilia acciderunt: magnus in officio, vbi præit ante Christum, & digito demonstrat: magnus in prædicatione, vbi viam Domini pœnitentia præparat, & iter regni cœlestis: denique in vita magnus, vbi creditur Messias & Christus, & necesse est, vt ipse testetur hodie, quia non est, misisique ad eum vt interrogarent, *Tu quis es?* dicat. *Non sum ego Christus: medius vestrum stetit.* Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. Non sum ego: post me venturus est, qui ante me factus

Iohãnes vndique magnus.

B est, cuius non sum dignus vt soluam corrigiam calceamenti: non sum ego Christus, &c.

Quid ergo es tu, ô Iohannes? Propheta? *Non sum.* Hoc certè mirum est, sed verum. Propheta non est, quia plusquàm Propheta est, vt qui inter natos mulierum maior est. Ita S. August. Serm. de Nat. Vis scire quid sit Iohannes? non est Deus, non est Christus. Quasi diceret, vt statim post explicat, quidquid eo maius est, non tantùm homo, sed etiam Deus est. Et sic post Christum, inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista, qui coram Domino magnus est, vt eius præcursor, &c.

S. August.

C Verum cùm ille talia diceret interrogantibus, scil. *Non sum:* hoc certè ex humili cognitione & æstimatione sui ipsius ante Christum, & solũ magnum, depromebat: *Non sum.* Qui est, Deus est solus, & Christus. Vnde Iohannes in hac veritate; *Nõ sum:* & adhuc certè nihilo minus ante eum dicebat Rex Dauid coram Domino; *Proiectus sum à facie tua, & in veritate tua humiliasti me.* Sic hodie Iohannes, *Non sum.* Ecce magnitudo mea, quia non sum. Aduertite, quæso, sæpius Christus dicit, *Ego sum.* Iohannes autem; *Non sum.* In non esse, Iohannis & omnium est magnitudo: sicut Christi, in esse. Et quidem in hoc etiam ostendit Iohannes quod ad summum sanctitatis & perfectionis peruenerat, cùm tale de se testimonium dedit, in ocu-

Magnitudo Iohannis in humilitate eius.

Esse conuenit Christo, non Iohanni, nec aliis.

D lis Dei & hominum, ad reuelationem Christi, dicens, *Non sum.* Ante Christum non sum, hic est magnus, & filius Altissimi agnoscetur: Ante Christum nihil sum, & penitus non sum: ad eum solum pertinet esse qui erat, est, & erit semper: hic erit magnus, ego non sum. Hæc est veritas, in qua magni efficimur coram Domino, cùm vsque ad non esse nos humiliamus coram eo qui solus est, & solus magnus est.

Refert S. August in Psal. 10. Lunam quanto à Sole remotior est, eo lucidiorem apparere oculis nostris; quanto verò fit vicinior, & ex superiori parte, luce plenior est, nobis è contrà obscuram apparere, & veluti absconditam, (hæc etiam Phi-

S. August. in Ps. 10. *Similitudo*

E losophorum experientia est.) Ita accidit sæpius, inquit S. August. vt quanto magis per peccata elongamur à Deo, iustiores apparere velimus, & magni coram hominibus. Iusti è contrà, & qui per gratiam Deo sunt proximi, magni coram eo, humiles sunt, & parui in oculis omnium, Dei & hominum, quia in veritate humiliant se, vident Deum solum esse, se autem non esse: & sic dicunt cum Iohanne, *Non sum.* Qui est, qui erat, & qui futurus est, Christus est; hic erit magnus. Nos autem humiles & abiecti, vel potius nihil, qui in veritate non sumus; hæc magnitudo nostra est. Duplex magnitudo, vna in oculis hominum, & hæc vanitatem habet. Altera in oculis Dei, & hęc veritatem habet.

Apocal. 1.

Duplex magnitudo.

habet. Quæramus istam, & curemus vt cum Iohanne in humilitate coram Domino magni simus.

DE MAGNITVDINE IESV Christi.

Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. Luc. 1.

INeffabilis, sicut incóprehensibilis est magnitudo IESV Christi. Conueniens fuit vt post declarationem futuræ eius conceptionis, & Natiuitatis, etiã declararentur eius conditiones. Primò, vt quis & qualis erat innotesceret Virgini: secundò, vt cum maiori reuerentia & honore mundus ipsum reciperet, neque cùm sub forma humilitatis suæ venientem videret, despiceret. Propterea dixit Angelus; *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.*

Cur magnitudo Christi declaratur.

Sic de Iohanne Baptista reuelatum fuerat, quia futurus erat magnus coram Domino, & Propheta Altissimi. Sed de Christo quidnam hic reuelatum est? quia hic erit magnus, & filius Altissimi ab omnibus agnoscetur: verè magnus, & solus magnus, qui omnia humilia respicit, id est, infra se omnia. S. Iohannes appellatus fuit nuper magnus, sed solùm ex relatione, & quia coram Domino erat magnus; sed CHRISTVS absolutè dictus est magnus, quia est ipse Dominus. Hic erit magnus, dicit S. Aug. non coram Domino, vt ille Iohannes, sed quia ipse est Dominus. Hoc etiam optimè notauit S. Ambros. in Luc. Magnus, inquit, fuit Iohannes coram Domino, quasi magnus homo: magnus autem Christus, & magnus Deus. Magnitudo Iohannis habet principium, habet finem; Dominus autem IESVS, idem est principium atque finis, idem primus & nouissimus, nihil ante primum, nihil vltra finem. Vnde Dauid: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.*

Psl. 137.
Christus absolutè magnus.
S. Ambros. in Luc.
Psl. 144.

Dedit quidem Dominus IESVS hominibus magnitudinem, sed limitatam; vnde magni secundùm quid fuêre, & tantùm secundùm partem, vt Salomon secundùm suam sapientiam fuit magnus: Dauid secundùm suam prophetiam: Samson secundùm suam fortitudinem: Elias secundùm zelum: Aaron secundùm eloquentiam: Moyses secundùm mansuetudinem, & miracula: Abraham secundùm fidem: Iohannes Baptista secundùm gratiam: denique Apostoli secundùm prædicationem, & Euangelium, de quibus dicitur; *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Optimè, ait S. Ambros. in fines orbis terræ: non enim in fines mundi, non in fines cœli, non vltra cœlos. At verò in Domino IESV omnia condita sunt in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, & *ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Cœlum aspice, IESVS illic est (quia Deus, & Altissimi filius.) Terram intuere, IESVS adest; descende cogitatione in abyssum, in infernum: hodie cùm loquor mecum est, intra hoc punctum; vbi ergo non est, qui cœlestia, inferna & terrena compleuit? Bene ergo magnus, cuius virtus mundum repleuit, qui vbiquè est, & erit semper, quia regni & *magnitudinis eius non erit finis.* Bene ergo magnus, quia latè funditur Dei virtus, & ille est Altissimi filius: latè cœlestis, sed infinitæ substantiæ magnitudo porrigitur, non loco clauditur, non opinione comprehenditur, non æstimatione concluditur; non ætate variatur,

Homines secundùm quid, & secundùm partem tantùm sunt magni.

A quia Deus & Altissimi filius. Hæc omnia S. Ambr.

S. Ambros. in Luc.

Sed mihi rursus addere liceat & repetere. Bene ergo magnus, quia solus est absolutè magnus, & in omnibus magnus. Absolutè magnus, quia non tantùm est homo, sed Deus; & non tantùm Deus, sed etiam homo, nouitate maximus, quia homo-Deus, & Altissimi filius. Ita dicit Apostolus ad Tit. *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri, erudiens nos, vt abnegantes omnem impietatem, piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri* IESV *Christi.* Vnde Hier. ibi. Vbi est, inquit, ille serpens Arrius? vbi Eunomius coluber? Ecce, magnus Deus & Saluator dicitur IESVS Christus, Christus secundùm carnem, Rom. 9. qui est Deus super omnia benedictus in sæcula,

Quomodo Christus dicitur absolutè magnus.
Ad Tit. 2.
Rom. 9.

B Amen (& sic absolutè, & simpliciter magnus.)

Denique dicã, in omnibus magnus, quia in omni genere prædicamentorum magnus est. In substantia magnus, quantitate magnus, qualitate magnus, relatione magnus, actione magnus, passione magnus, tempore magnus, loco magnus, situ magnus, & habitu magnus.

Quomodo Christus in omnib. prædicamentis magnus est.

Primò in substantia magnus, qua Deus est, & ab illa omnes perfectiones habet: etenim à seipso habet quòd sit omnipotens, bonus, sapiens, æternus, &c. Iuxta quod S. Damasc. dicit Deum pelagus esse infinitæ substantiæ, sic enim appellat; & cui soli nomẽ & realitas essentiæ cõuenit. *Ego sum qui sum*; atq; ita omnis alterius esse & essentiæ cõuenit

Magnus in substantia.
S. Damasc.

C esse principium. Quod enim ex se habent creaturæ, nihilum est, & non esse. S. Dionys. Areopagita dicit nihil esse sub cœlo perfectum, quod quidem de omni creatura intelligi debet, imò in perfectiori excellentiorique plus nihili esse quàm esse. Accipiamus, si vultis, perfectissimum Angelorum, constat, & verissimum est, Deum posse alterum creare multò excellentiorem, aut certè adhuc aliquam aliam creaturam ab Angelo differentem, multo nobiliorem illo: vnde sequitur quod in isto Angelo est defectus, & negatio omnium entitatum & perfectionum, quas Deus producere posset; & sic in eo, licet omnium Angelorum supre-

S. Dionys.
In omni creatura plus esse nihili quàm esse.

D mo, plus est nihili quàm entitatis & essentiæ. Si autem ita sit de incorruptibili Angelo, quid dicendum de materialibus creaturis, & de eo omni quod sub cœlo corruptibile est? Philosophus dicit omne quod materiale est, esse in priuatione alicuius formæ: hæc enim est materiæ conditio; & per consequens magis in priuatione quàm in possessione entitatis, esse, & perfectionis.

Notandum axioma Philosophi.

Præterea omne quod sub cœlo est, tendit per se & laborat ad destructionem sui esse, non quidem ex odio quod habeat aduersum se, sed ex defectu & impotentia ad conseruandum se: vnde sequitur in omni creatura plus nihili esse quàm essentiæ; imò omnem creaturam nihilum esse. Quare de ho-

E mine dicitur, qui omnis creatura est, quod vniuersa vanitas est. Cuinam ergo soli entitas conuenit, essentia, vel esse? Deo. *Ego sum qui sum* Christo, qui substantia magnus est, quia Deus, & sic omnis esse principiũ. Sic diuinus Ierothæus apud S. Dionys. lib. de diuinis nominibus, IESV Deitas est eorum quæ sunt, causa, esse, & vita. Sic diuinus Apostolus; *Omnia, inquit, in ipso constant, omnia, & in omnibus Christus,* &c. quia ille est substantia magnus, & Deus.

S. Ierothæus.

Secundò magnus etiam est quantitate, non molis, sed virtutis, quæ infinita est; omnia enim potest, & solo verbo vniuersa creauit, & in illo adhuc qui nos confortat, omnia possumus: virtus eius extendit

Magnus in quantitate.

extendit se ad verba, opera, & nutus, ad benedictiones,& vestimenta,ad conditiones ætatis & vitæ,etiam passionum & mortis;denique ad diuisiones gratiarum eius,quæ in singulis mira operantur & magna. Ecce quantitas, & quàm in quantitate magnus.

Magnus in qualitate.
Tertiò magnus est qualitate, ratione omnium diuinorum attributorum quæ ei conueniunt, vt bonitatis, sapientiæ, scientiæ,iustitiæ, misericordiæ,&c. *Hic erit magnus.* Magnus in bonitate,quia nemo bonus nisi solus Deus. Deus, cuius natura bonitas,ait Magnus Leo,voluntas potentia, opus misericordia. Ecce magnus. Magnus adhuc scientia & sapientia, iuxta quod in eo, vt refert Apostolus, *reconditi sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei.* Item iustitia magnus, qui Iudex venturus est viuorum & mortuorum, & reddet vni- B cuique iuxta opera sua. Denique magnus misericordia, & non solum magnus, sed qualitate illa maximus, quia apud eum copiosa est nostra redemptio, & ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius. Sed crebrò magnum in misericordia videre vultis? Misericordia motus est super turbam, super Ciuitatem,super lacrymas,Iairi, viduæ Naim, sororum Lazari, & mulierum quæ sequebantur ipsum in Golgotha locum Caluariæ, quousque tandem ibi sanguinem suum misericorditer pro omnibus effuderit.Ecce summæ qualitatis magnitudo eius.

Magnus in relatione.
Quartò relatione magnus est, qui & Altissimi filius est. Exinde certè dicebat Mariæ Angelus, *hic erit magnus.*Vnde magnus?quia,inquit,*& filius Altissimi vocabitur*,id est, agnoscetur.Nulla certè illa C maior est relatio, in qua pater est Deus, & filius Deus: & pater & filius cum Spiritu sancto vnus & idem Deus.Verè igitur ille in relatione est magnus, quia ex illa tantùm habet vt sit magnus. Etenim magnus non est, nisi quia Dei filius. *In principio erat Verbum*, &c. Propterea sequitur, *hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* Sed alterius adhuc relationis magnitudinem videre vultis?Hic filius iterum vocabitur virginis:& qui patrem habebat in cœlis,matrem habebit in terris. Ecce omni relatione magnus, in cœlis ad Deum, & ad virginem in terris.

Magnus in actione.
Quintò magnus actione tam interna & æter- D na, quàm exteriori & temporanea. Actione interna & immanente, seu æterna, Deum produxit cum patre Spiritum sanctum sibi coæternum, & patri. O magnitudinem actionis & potentiæ! Externa autem actione primò vniuersum creauit cum suis omnibus inuisibilibus & corporeis crea-
Gen.1. turis. Genes.1. *In principio creauit Deus cœlum &*
Ioh.1. *terram*, &c. & Iohan.1.*omnia per ipsum facta sunt.* Secundò alia etiam in hoc mundo in carne pro-
Ioh.15. pria tam admiranda patrauit, vt dixerit: *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, arguens scilicet Iudæos de peccato grauiori, quod postquam tot & tanta fecerat inter eos, prædicando, sanando, & alia pene innumera E miracula, & beneficia faciendo, rebelles fuerant & peruicaces.

Magnus in passione.
Sextò etiam in passione magnus est, iuxta quam in tota vita labores multos sustinuit. Maximè autem in Cruce passus est.Primò puros dolores,& sine leuamine, ex Isaia, *vere languores nostros ipse tulit*, &c. Secundò proportionatos viribus suis,ac fini, qui liberatio erat vniuersi. Tertiò ex omni parte vniuersales. Ex parte hominum, à quibus sustinuit: Iudæorum, Gentium, virorum

A ac fœminarum, Principum & ministrorum,amicorum & extraneorum. Vniuersales ex parte rerum in quibus patiebatur,vt in patre, in amicis,in fama per blasphemiam, in honore per irrisiones, & in rebus quibus despoliabatur.Denique ex parte adhuc subiectorum, vt animæ,per tristitiam & contradictionem, & consequenter omnium partium animæ,vt intellectus, memoriæ & voluntatis, per repræsentationem peccati, ingratitudinis nostræ, & mortis.Et tandem ex parte corporis, quod in omnibus membris & sensibus acerbissimos dolores persensit,ita vt Isaias eum appellauerit nouissimum virorum, virumque dolorum, Isa.53.
scientem infirmitatem.Ecce quomodo in passione magnus.

Magnus in tempore.
Septimò magnus in tempore,quia æternus. *Ego hodie genui te. Antequam Abraham fieret, ego sum. Ego principium, qui & loquor. In principio erat verbum.* Et Matth.vlt. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Ad Hebræos, IESVS *Chri-* Heb.13.
stus, ait Apostolus, *heri & hodie, ipse & in sæcula:* vbi ostendit æternitatem Christi. Similiter Apoc. Apoc.1.
1. *dicit Dominus Deus,qui est,& qui erat,& qui venturus est,omnipotens;*& Ps.10.*Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Ecce in tempore magnus, qui ante tempora erat,& in æternum erit.

Magnus in loco.
Octauò magnus in loco, qui in patris sinu Deus est, & immensus replens omnia. Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. In vtero matris sanctificat: in præsepio agnoscitur ab Angelis, à pastoribus adoratur & Magis, & timetur à regibus:in altari consecratur, adoratur, offertur, asseruatur, & est nobiscum Deus.Qui in Cruce Dei filius agnoscitur,in sepulchro quæritur, & in cœlo sedet ad dexterá patris.

Magnus in situ.
Vnde sequitur etiam quia iuxta ordinem nonò situ magnus est,quoniam ait,*Cælum sedes mea,terra autem scabellum pedum meorum.* Magnus in situ qui in Trinitate medius est, inter patrem & Spiritum sanctum; in principio creationis & temporum sedens super thronos: in plenitudine temporis inter animalia nascens, positus in præsepio, super fœnum iacens, & pannis inuolutus: in templo inuentus in medio doctorum: in Cruce moriens in medio latronum,extensis in ea manibus.Ecce situs eius,& magnitudo illius. Denique vbi ad iudicandum veniet, magnus in situ apparebit, qui tunc super sedem Maiestatis suæ sedebit cum potestate magna, eum circunstantibus Angelis,vt Luc.21.dicitur:*Tunc videbunt filium ho-* Luc.21.
minis venientem in nube,&c.

Magnus in habitu.
Denique pro decimo & vltimo prædicamento,in habitu magnus est, qui in forma hominis gloria & honore coronatur, superuestitur decore & fortitudine, amictúsque est lumine sicut vestimento: in monte transfiguratus est ante Apo- Matth.17.
stolos, & resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix, & vox de nube; *hic est filius meus dilectus.* Ecce in habitu magnus,& filius Dei Altissimi vocabitur. *Dominus* Psal.91.
regnauit. decorè induit,induit Dominus fortitudinem. S.August. ibi. Decorem in gloria, fortitudinem S.Aug.
verò in humilitate sua. Vbi enim se infirmum fecit, fortiorem se & fecit. Domine Dominus Psal.8.
noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? (scilicet in persona, & magnitudine tuæ diuinitatis.) Sic visitas, vt ille sit Deus, & Dei Altissimi filius:gloria enim & honore coronasti eũ,& con-

stituisti eum super omnia opera manuum tuarum: A *Hic erit magnus*, & absolutè magnus. S. Aug. adhuc in hunc Psalm. Filius hominis, ait, primus visitatus est in ipso homine Dominico nato ex Maria Virgine: quasi diceret quod Apostolus; *Angelos non apprehendit, sed semen Abrahæ. Neque confunditur vocare nos fratres, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis; ipse qui est primogenitus in multis fratribus. & omnis creaturæ*, magnus Deus, & Altissimi filius, IESVS Christus homo-Deus, qui est benedictus in sæcula.

B

DE REGNO IESV Christi.

Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. Luc. 1.

POst declarationem factam B. Virgini magnitudinis Christi quem conceptura est, etiam voluit Angelus ei statum & conditionem eius distinctiùs enarrare, dicens quia Rex super vniuersum mundum futurus est; *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid* inquit. Hîc autem non fit propriè mentio de regno temporali & terreno, vt ipse dixit aliquando, *Regnum meum non est de hoc mundo:* sed de æterno & spirituali sermo est, sicut respondit ei Nathanaël & dixit; *Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israël*, id est, credentium & fidelium Rex in æternum; licèt interea absolutè & in vniuersum omnium regnorũ sit Dominus, & quatenus Deus est, & quatenus homo. Apoc. 1. *Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à* IESV *Christo, qui est testis fidelis, & Princeps Regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos in sanguine suo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & patri suo*, (id est, hæreditatem sanctam.) *Ipsi gloria & imperium in sæcula, Amen.* Ecce corona duplex vtriusque regni, temporalis & æterni, terreni & spiritualis. Ita vt omnes Reges qui in hoc mundo regnant, ab eo diademata sua & coronas acceperint, vt dicit in Prouerb. *Per me Reges regnant*, &c. & legitur in Apocal. quòd omnes vigintiquatuor seniores procidentes super faciem suam in testimonium supremi honoris, mittebant coronas suas ante thronum, & adorabant sedentem in throno dicentes; *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem, quia tu creasti omnia* (diuisisti regna) *& propter voluntatem tuam erant.* Et sic in alio loco legitur scriptum habere in vestimento & in fœmore suo, scilicet humanitatis; *Rex Regum, & Dominus dominantium*, sicut ipsemet dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.*

Christi regnum non est temporale. Ioh. 1.
Christus omnium regnorum est Dominus.
Apoc. 1.
Prou. 8. Apoc. 4.
Apoc. 19. Matth. vlt.

Igitur ex eo videmus quia absolutus Rex est, & vniuersalis. Tamen quia hîc tantùm sermo est de excellentiori regno, diuiniorique, quod est spirituale & æternum, aut, si vultis, quod regnum est & imperium Ecclesiæ tam militantis in terra, quàm in cœlo triumphantis; propterea etiam solùm hîc de illo loquemur: & de quo etiam omnes simul Prophetæ & Euangelici scriptores sunt loquuti sub nominibus istis & terminis, Dauid, Iacob, Israël, Sion, iustitiæ, iudicij, æternitatis, & pacis.

Regnũ Christi est spirituale.

Incipiamus à Dauid, cui etiam promissio de Christo facta est. Psalm. 131. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*, id est, promisit, & non mutabit consilium: & sicut legitur; *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, id est, secundùm S. August. fructum & filium Virginis, quò vir non accessit, & quæ filia est Dauid, ponam super sedem Dauid: quod hodie distinctè notauit Angelus dicens; *Dabit illi Dominus sedem Dauid*, qui psallendo dicebat, *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* & mox; *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna*, id est, in sempiternum; vnde *& dominabitur à mari vsque ad mare, & adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes gentes seruient ei, & benedictum nomen Majestatis eius in æternum, & replebitur Majestate eius omnis terra.* Hæc videtur equidem esse exactissima Regni vniuersalis Ecclesiæ repræsentatio.

Regnum spirituale Christi figuratur per Dauid, in iustitia & pace.
S. August.
Psal. 71.

Prosequamur ordine. Ait Isaias; *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid. & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia, amodo & vsque in sempiternum.* S. Epiphanius contra Nazaræos disputans, hoc testimonium affert, & docet regnum C Christi esse Ecclesiam; Ecclesiam, quæ quidem in rebus fluxis, vt sunt ornatus & diuitiæ, columnæ templorum & pretiosa vasa, non subsistit, veluti illa mundi regna, quæ per ista cadunt; sed in iudicio & iustitia, per quæ in suis fidelibus confirmatur & permanet.

Idē testatur Isa. 9.
S. Epiphan. lib. 1

Sequitur Ieremias dicens; *Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra.* Ita explicat S. August. lib. 18. de Ciuit. Dei. Post ipsum est Ezechiel cap. 37. vbi ait; *Erunt mihi populus, & ego ero eis Deus, & seruus meus Dauid Rex super eos, & Pastor vnus erit omnium eorum.* Ecce Ecclesia; hoc enim nomine Dauid vult S. August. Christum intelligi. Sicut D Osee qui dicit; *Post hæc reuertentur filij Israël, & quærent Dominum suum, & Dauidem Regem suum:* sicut ipse loquebatur in persona Christi Psalm. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius* (id est, Ecclesiam) *prædicans præceptum eius*, scilicet Dei Patris. Sic enim dicebat apud S. Ioh. *Pater, ego te clarificaui super terram, opus cõsummaui quod dedisti mihi vt faciã.* Quodnã erat illud? *Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi: notum feci, & notum faciam*, &c. Vnde etiam in hoc Psalmo sequitur statim; *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Id est, Sacerdotij regnum erit, quod dominabitur animabus, sanctum erit, vndique diffusum, & stabit in æternum. E

Idem Ieremias cap. 23. ex S. Aug. lib. 18. de Ciu. cap. 33.
Idem Ezech. cap. 37. ex eodē S. Augustino.
Idem Osee cap. 3.
Psal. 2.
Ioh. 17.

Ita Daniel loquitur dicens, quia *potestas eius potestas æterna est, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Sicut etiam in visione statuæ Nabuchodonozoris explicatur, quomodo regnum eius superabit omnia alia regna mundi. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur, & populo alteri non tradetur. Comminuet autem omnia regna hæc: & ipsum stabit in æternum, secundùm quod vidisti, ô Rex, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam & ferrum, & æs, & argentum, & aurum.* Quæ omnia S. Aug. contra Iudæos explicat de Christo ex Virgine nascituro, sine vlla opera humana, & sibi omnia

Idem dicit Daniel c. 7.
Item cap. 2.

regna

regna mundi subdituro, sicut Imperio suo, quod est Ecclesia. Sic Isaias dicit: *erunt Reges nutritij tui* (hîc de Ecclesia loquitur,) *& Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demisso adorabunt te: & puluerem pedum tuorum lingent*, &c.

Isa. 49.

Quomodo in sede Dauid intelligitur fides spiritualis Christi in Ecclesia.

Hic igitur per sedem Dauid, sicut per domum Iacob, status Imperij Christi in sua Ecclesia intelligitur: per sedem Dauid, qui multo antè tempore vnctus est in Regem quàm in solio sederet, & qui Rex mansuetissimus erat, & multum misericors. Ita Christus à natiuitate, & priusquàm regnare videretur in sua prædicatione, morte, & resurrectione, iam Rex erat: totus mansuetudine & misericordia plenus; ita vt de illo Zacharias dixerit: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus & Saluator.*

Ad regnum autem spirituale, & regale Sacerdotium maximè pertinet misericordiæ vsus & exercitium. Et sic per sedem Dauid exprimitur optimè regni eius conditio & status: iuxta quod etiam thronus Dauidis, typus & figura throni Ecclesiæ erat. Vnde Angelus hodie ex S. Bernardo, non loquitur de illa typica sede Dauid, sed de vera; non de throno temporali, sed æterno; non de terreno, sed spirituali & cœlesti. Quæ sedes idcirco memoratur fuisse Dauid: quia hæc, in qua temporaliter sedit, æternæ illius gerebat imaginem. Ita S. Epiphan. contra Nazaræos dicens, quod thronus Dauid, & regia sedes, est Sacerdotium in Sancta Ecclesia. Quam dignitatẽ regiam, simúlque pontificiam, simul coniunctam largitus est Dominus Sanctæ Ecclesiæ suæ, translato in ipsam throno Dauid non deficiente in æternum. hæc ille. *Et regnabit in domo Iacob in æternum.*

S. Ber. hom. 4. super Missus.

S. Epiphan. hæres. 29. contra Nazaræos.

Similiter autem per domum illam Iacob magis exprimitur amplitudo atque duratio Ecclesiæ. *Et regni eius non erit finis.* Etiam Domine, regnum enim tuum, regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione, & generationem. Omnia regna mundi habuerunt finem: Assyrij, quibus Persæ successerunt, post Persas Græci, post Græcos Romani. Nunc isti finem habuerunt, & qui modò regnant, etiam breui finem habebunt. IESVS autem magnus Rex *regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* O Regẽ omni maiestate dignissimũ, qui nisi cum Regibus minimè regnare potest! *In domo Iacob*, ait, id est, supplãtatoris & Regis. Sed ô Regem omni amore dignissimum, qui magis nostra quàm sua commoda regnando quærit! Gaudeamus, ait S. Chrysolog. Serm. de Ann. quia qui sibi regnauit, regnaturus est nobis; gaudeamus, quia venit regnaturus in terra, vt nos cum illo regnare possimus in cœlo. Nobis natus est, nobis vtique regnum venit donaturus. hæc ille. Igitur forsitan si cum Rege nostro regnare cupiamus, etiam Apostolum ad Timoth. audiamus: *Si sustinebimus*, ait, *& conregnabimus.* Etenim regnabit in domo Iacob in æternum.

Per domum Iacob amplitudo Ecclesiæ exprimitur & duratio.

Cum quibus regnat Christus.

S. Petrus Chrysolog. Serm. 4. de Annun.

2. ad Tim. 2.

Hoc adhuc attentiùs considerandum est. Non dicit, in domo Abrahæ, licet fuerit pater credentium, nec in domo Isaac, cui factæ fuerant repromissiones; vnde hoc? Ecce mysterium, quia Abraham habuit Ismaëlem ante Isaac: qui quidem Ismaël ex Agar Ægyptia ancilla natus fuerat, homo ferus, cuius manus contra omnes, & manus omnium contra eum: ex quo denique Ismaëlitæ, gens idololatra & infidelis, ortum duxerunt; præterea quem in domo Abraham patris contra Isaac pugnasse legimus. Similiter

Cur Christus in domo Iacob, & non aliorum regnare dicitur.

A Isaac cum Iacob, Esau etiam habuit, ex quo Rex Edom ortus est cum suo populo adhuc Gentili & idolis dedito; præterquàm quod adhuc Esau homo rudis & ferox, totúsque terrenus, semper Iacob est persequutus, qui supplantauerat ipsum, & cum benedictione paterna eripuerat ei primogenituram. In domo autem Iacob, qui dicitur Israël, omnes filij eius fuerunt fideles, & ex quibus prodierunt duodecim tribus, quæ dicuntur Israël. Ideóque dicitur Christus in domo eius regnare, quia sanctior, & iustior fuit domus; non verò in domo Abraham, vel Isaac, quia ex eorum filiis orti sunt infideles. Et hoc, vt passim ostendatur, quia regnum Christi non est, vbi B sunt hæretici & infideles, sed vbi fideles, scilicet in Ecclesia, vbi non est Ismaël carnalis, & ex ancilla natus; aut Esau terrenus: sed vbi omnes filij sunt fideles, & secundum spiritum nati. Quales erant duodecim tribus Israël, filij Iacob, omnes fideles: licet enim inter eos peccatores fuerint multi, fides tamen salua & incolumis semper remansit.

Regnũ Christi nõ est, vbi sunt hæretici & infideles.

Ecce vnde dicitur Christus regnare in domo Iacob in æternum, & sedere super sedem Dauid; intelligendo per sedem Dauid, Ecclesiam, & per domum Iacob, omnem populum fidelem & Christianum; populum non carnalem & terrenum, sed spiritualem & supplantatorem vitiorum. Non C satis est enim fidem habere, vt saluemur, nisi habeamus charitatem, & opera, vt regnet Christus in domo Iacob supplantatoris. Sic ad Galat. *Cognoscite quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ.* Hoc quidem verum est, *sed scriptum est: Quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem*, (id est, supra naturam, & conditionem carnis, vt sit secundum spiritum.) *Nos autem fratres, secundum Isaac promissionis filij sumus. Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum: ita & nunc* (scilicet caro concupiscit aduersus spiritum & persequitur.) Quomo- D do persequitur? suis blanditiis & voluptatibus, quas caro proponit spiritui.

Quid Ecclesia excludit vt saluemur.

Galat. 3. & 4.

Hic quæso notate, quod cùm vidisset Sara filium Agar ancillæ Ægyptiæ, videlicet Ismaëlem, ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: *Eijce ancillam hanc, & filium eius, non enim erit filius ancillæ hæres cum filio meo Isaac.* Quid dicis Sara? tantùm ludit Ismaël cum Isaac. Iste ludus, ait, persecutio est. (Magnum istud quidem mysterium est.) Ista familiaritas, inquit, confraternitatem prætendit, & vult hæreditatem diuidere; *Eijce ancillam & filium eius.* Eiusmodi ludus persecutio est, taléisque deliciæ carnis extenuant spiritum. Quare Scriptura dicit: *Eijce filium ancillæ; non enim* E *hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit*, scilicet ab omni seruitute.

Gen. 21.

Familiaritas & deliciæ carnis persequuntur spiritum.

Nam si filius vos liberauerit, verè liberi eritis; dedit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

Ioh. 8.

DE RESPONSO VIRginis, & modo conceptionis, seu Incarnationis Verbi.

Quomodo fiet istud, quoniam, &c. Luc. 1.

INcomprehensibilis est generatio CHRISTI, & incredibile penitus humano spiritui Incarnationis Dei mysterium. Quis vnquam talia audiuit, quòd virgo filium concipiat, & Deum-hominem pariat? Propterea Apostolus ad Ephes. hoc mysterium appellat inuestigabiles CHRISTI diuitias, & dispensationem sacramenti absconditi à sæculis in Deo: & alibi, mysterium absconditum à sæculis & generationibus; nunc autem manifestatum Sanctis, quod est CHRISTVS. (Est enim ille sciētia Sanctorum, & eorum qui cum Apostolo dicunt: *Non indicaui me scire aliquid inter vos, nisi* IESVM *Christum.*) Ecce quibus manifestatum est mysterium, ita vt absque reuelatione semper remansisset absconditum, quia incomprehensibile, & supra omnem ordinem naturalis rationis, ante & post executionem ipsius.

Eph. 3. Coloss. 1. 1. Cor. 2.

Incomprehēsibilitas Christi, & quibus manifestatur.

Hæc est ratio cur B. Virgo iam turbata in sermone Angeli, dixerit hoc annuncianti, scilicet, quòd filium conciperet, & pareret; *Quomodo fiet istud?* Quasi diceret: hoc mihi est incomprehensibile, & mihi penitus incredibile remaneret, nisi aliunde reuelatum esset antè per prophetam, qui ait; *Ecce Virgo concipiet*, & quia etiam hodie placuit Deo mihi per Angelum suum reuelare: sed *quomodo fiet istud* de re iam non dubito, sed de modo, virgo sum, & votum feci, virum non cognosco, id est, non possum cognoscere, quia Deo virginitatem voui.

Ratio petitionis Virginis de modo concipiendi. Isa. 7.

Communis enim sanctorum Doctorum opinio est, vt SS. Aug. Bedæ & Bern. vouisse Virginem antequam desponsaretur Ioseph, ex reuelatione sibi facta, quòd ille sanctissimus sponsus virginitatem cum ipsa seruaturus esset. Sic de ea loquitur, & docet S. August. lib. de sancta virginitate. Priusquàm conciperetur (scilicet CHRISTVS) iam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit: hoc indicant verba quæ sibi prolem annuncianti Angelo Maria reddidit; *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quod profectò non diceret, nisi Deo virginem se antè vouisset (notate.) Sed quia hoc Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potiùs contra violentos custodituro quod illa vouerat. hæc omnia August.

Virgo antequam desponsaretur virginitatē voverat.

S. Aug. lib. de sancta virginitate cap 4.

Sic post eum Venerabilis Beda. Propositum suæ mentis Virgo exposuit, (vitam scilicet virginalem ducere se decreuisse.) Sic post eum S. Bern. Serm. 4. de Assumpt. Si rerum pretia de raritate pēsamus, certè quæ prima in terris Angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est. *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et hom. 4. super Missus. Non dubitat de facto, sed modum requirit, & ordinem. Nec enim requirit, an fiet istud, sed quomodo fiet. Quasi dicat: cùm sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, & quo ordine placebit ei vt fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, vt pariam talem filium, gaudeo de filio, & doleo de proposito. Quasi diceret: mihi magis gratum esset non frangere votum, & virginitatem

S. Bernard. Serm. 4. de Assumpt.

Item hom. 4 super Missus.

A conseruare, quàm Dei matrem esse, & propter hoc puritatem amittere: sin verò virgo concipiam, & virgo pariam, quod vtique si placuerit ei, impossibile non erit; tunc scio quia respexit humilitatem ancillæ suæ. hæc ille. Et S. Greg. Nyssen. hæc eadem verba explicans Serm. de CHRISTI Natiuit. *Quomodo fiet istud, quoniam*, &c. Audi, inquit, puræ Virginis vocem, Angelus partum denunciat, & illa virginitatem amplectitur, castitatem præferens Angelicæ apparitioni, addamus & tali Annunciationi. Ita vt si aliquam exinde virginitatis suæ passa fuisset iacturam, ex se noluisset mater Dei esse. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

S. Gregor. Nyssen.

B Ex quibus verbis antequam adhuc vltrà progrediamur, duo colligimus. Primum est, Virginē omnium mulierum primam fuisse, quæ virginitatem voto coluit, quæ antiquum opprobrium virginitatis abstulit, & tale exemplū virginitatis post se aliis reliquit, vt de illa à Sedulio dictum fuit; Tu sine exemplo placuisti Domino, scilicet, quia prima omnium fuit quæ vouit Domino. Ita S. Bernardus homil. 3. super Missus. Tu Virgo, non dicam præceptum virginitatis, sed nec consilium, nec exemplum habebas, nisi quòd vnctio docebat te de omnibus, ac Sermo Dei viuus priùs tibi factus est magister quàm filius. Ita Albertus Magnus post ceteros. B. Virgo est mater omnium in virginitate, C quæ prima sine præcepto, consilio, vel exemplo, virginitatis munus Deo obtulit, per quod omnes virgines per imitationem virginitatis genuit. hæc ille. Hinc dicitur virginum virgo; & si antè fuerint virgines, vt Maria soror Moysis, & filia Iephte, non ex voto fuerunt, imò legimus in lib. Iudic. filiam Iephte fleuisse virginitatem suam in montibus per tres menses cum sodalibus suis.

Virgo omnium prima vouit virginitatē. Sedulius. S. Bern. Alber. Mag. super Missus, cap. 82.

Secundum est, non dubitasse Virginem de verbis Angeli, vt Zachariam, quantum ad possibilitatem & factum; imò credidisse, iuxta quod iam Isaiā legerat dicentem: *Ecce Virgo concipiet*; sed modum quæsisse, quem nec legerat, nec sciebat aliunde. Ita S. Ambr. in Luc. Fidem non renuit, sed accommo-D dauit affectum, & spopondit obsequium: etenim cùm dixit; *Quomodo fiet istud?* non de effectu dubitauit, sed qualitatem ipsius quæsiuit effectus.

Virgo nō dubitauit de facto, sed modum quæsiuit. S. Ambros. in Luc.

Quanto temperantior ista responsio, quàm verba sunt Sacerdotis, sc. Zachariæ? Hæc dicit; *Quomodo fiet?* ille respondit, *Vnde hoc sciam?* Hæc iam de negotio tractat, ille adhuc de negotio dubitat, qui fidei quasi alium authorem quærit, *Vnde hoc sciam?* Ista autem se facere profitetur, quæ tantùm modum inquirit. Legerat Maria: *Ecce Virgo concipiet*; ideo credidit futurum, sed quomodo fieret non legerat: non enim quemadmodum fieret, etiam prophetæ tanto, scil. Isaiæ, fuerat reuelatum. hæc Ambros. Est enim omni spiritui occultum, vnde pru-E dentissimè Virgo hunc modum inquirit, quia virginem parere diuini est signum mysterij, nō humani: sicut in hac prophetia Isaias dixit, *dabit Dominus ipse signum; Ecce Virgo concipiet.* Igitur hoc signum est diuini mysterij, & per consequens absconditum hominibus. Quare *quomodo fiet?*

Sanctus Thomas dicit hoc verbum fuisse admirantis. Quasi diceret; incredibilem generationem audiui & credo, sed modum quæro, quoniam virum non cognosco. O Virgo, ecce modus, quoniam virum non cognoscis. Sic Sanctus Chrysostomus in Genesim. Ne quæras, ô Virgo, naturæ modum & ordinem, quando super naturam sunt quæ fiunt. Sanè propter hoc erit

Modus concipiendi quē quærit Virgo est, quia virum nō cognoscit. S. Chrysost. hom 49. in Genesim.

erit quoniam virum non cognoscis, nam si cognosceres virum, non fuisses habita digna vt huic mysterio seruires. Itaque quam ob rem de modo dubitas, eam ob rem iam crede, quia virum non cognoscis. Ecce modus: *Spiritussanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* totum operatione Spiritussancti implebitur, & hic tua necessaria est virginitas. Ecce modus, quoniam virum non cognoscis.

Figuræ mysterij rubus ardens. Exod. 3.

Huius mysterij figuræ fuerunt plurimæ. Prima in rubo ardente Moysi demonstrato, qui concepit ignem, & seruauit virorem, & Deus in medio rubi. Ita virgo, quæ Christum concepit ignem diuinum atque Deum, & virorem suæ virginitatis non amisit, & Deus in medio eius. Item in virga Aaronica, quæ absque humore & humano opere florem emisit. Sic virgo, quæ absque hominis opera Christum florem genuit. S. August. hac figura vtitur & similitudine, proferens de historia veteris Testamenti hoc necessarium exemplum contra infidelitatem & incredulitatem Iudæorum. Nam cùm Dominus Moysi præcepisset de singulis tribubus afferri virgas, duodecim sunt allatæ, inter quas etiam vna erat, quæ fuerat Aaron Sacerdotis. Cùm ergo à Moyse omnes positæ essent in tabernaculo testimonij: virga Aaron post alterum diem inuenitur subitò produxisse flores, frondes, etiam & nuces. Delectat hoc mysteriũ, ait S. August. vbi contra perfidiam Iudaicam figura interuenit sacramenti. Ecce virga protulit quod antè non habuit, non radicata plantatione, non defossa sarculo, non animata succo, non fœcundata seminario; & tamen cùm illi deessent vniuersa iura naturæ, protulit. Virga nuces contra naturã producere potuit, & virgo non poterit contra iura naturæ Dei filium generare? Dicat mihi Iudæus, quomodo virga arida floruit, & ego dicam illi quomodo virgo conceperit & pepererit. Huc pertinebat quod dicebat Isaias; *Egredietur virga de radice Iesse & flos de radice eius ascendet.* Ecce virga Iesse figurata in virga Aaron, Maria, & flos Christus. Ita Bern. in hoc Isaiæ testimonio, florem filium, virgam intelligit matrem, quoniam & virga floruit absque germine, & virgo concepit non ex homine; nec virgæ virorem floris læsit emissio, nec virginis pudorem sacri partus editio.

Virga Aaron. Num. 17. S. Aug. Ser. 3. de temp.

Isa. 2. Bernard.

Item in monte Danielis, de quo lapis sine manibus excisus est, (scilicet Christus ex virgine absq; viri opera natus.) Ita S. Epiph. in oratione de laudibus virginis. Virgo, inquit, mons nullatenus incisus habens petram Christum, de qua Daniel ait, *abscissus est lapis sine manibus,* id est, absque viro solidam petrã Christum virgo peperit. Ita S. Iren. dicens quod per eiusmodi lapidem sine manibus excisum de monte, significabatur quod non operantibus humanis manibus in hunc mundum Christi aduentus erat futurus, id est, non operante in eum Ioseph, sed sola Maria cooperante.

Mons Danielis. cap. 2. S. Epiphan. orat. de laudib. Virginis. S. Iren.

Et certè admodum expressa est ista figura, si etiã virtutem istius lapidis consideremus, qui statuam confregit Nabuchodonozoris, diuersa mũdi regna repræsentantem. Sic enim Christus subiecit sibi omnia. Ecce igitur figuræ quæ talẽ Christi de Virgine conceptionem præcesserunt & adumbrarunt: & sic Virgini dicenti, *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Responsio præstò est, ideo fiet, quoniam virum non cognoscis. Ecce modus & ratio.

Comparatio inter primum Adam & secundum.

Adam primus homo de terra virgine natus est, sic secundus Adam de virgine nascetur matre, qui

A primum venit reparaturus: Deus manibus suis formauit primum: & secundus efformabitur operatione Spiritussancti. *Spiritussanctus superueniet in te, ô Virgo, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; quod nascetur ex te Sanctũ, vocabitur filius Dei.* In hac re nullum viri opus interueniet, sed totum præstabit diuina virtus: *Spiritussanctus superueniet in te,* id est, vt principale agens, & per appropriationem; assumptam naturam humanam ex te cum verbo diuino coniunget. Dixi per appropriationem hoc Spiritui sancto attribui, quia amoris opus est: & Spiritussanctus præterea omnium donorum & gratiarum distributor, quorum omnium in Christo summa plenitudo fuit.

Hoc opus per appropriationẽ attribuitur Spiritui sancto.

Sed additur, *& virtus Altissimi obumbrabit tibi,* quod quidem verbum protegere & defendere significat, vt eodem modo ipsa se agnoscat securam de incolumitate suæ virginitatis, quam tantopere diligebat; & simul congaudeat cum tanto honore & admiratione filium Dei concepturam, vt dicatur & supernaturalis, & naturalis mater Dei. Supernaturalis, quia concipiet sine virili semine, & in instanti sine mora, ipsóque puncto temporis quo diceret: *Ecce ancilla Domini,* &c. Naturalis verò, quod ex substantia propria conceptura erat & paritura Saluatorem sæculi.

B

Quid significat obumbratio Altissimi.

Virgo supernaturalis & naturalis mater Dei.

In quo certè plus quàm reliquæ mulieres est operata, quod ex solo purissimo eius sanguine Christi corpus formatum est, ita vt quantum ad carnem non alterius filius fuerit quàm solius Virginis: sicut quantum ad diuinitatem vnigenitus est patris. Atque ita vt Christus, Dei & Virginis est vnigenitus, patrem in cœlis habens & matrem in terris; sicque vt frater noster effectus ex parte matris, nos ex parte sua reddat suos cohæredes, & filios patris.

C

DE OPERATIONE admirabili diuinarum personarum, & cooperatione Virginis circa Incarnationem Christi.

D

Spiritussanctus superueniet in te, & virtus Altissimi, &c. Luc. 1.

ANgelus inquisitus à Virgine declarat ei, & exprimit verbis istis modum admirabilem conceptionis Christi, cuius mater futura est. Illa in reuelatione tanti mysterij dixerat, *quomodo fiet istud?* & nunc ei annunciat Angelus; *Spiritussanctus,* inquit, *superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* De ratione instruit, qua virginitate illæsa filium conceptura est.

E S. Chrysologus de Annun. disserens. O Virgo, inquit, te gratia matrem præstitit, non natura, genitricem te dici pietas voluit, (scilicet Dei misericordia & gratia) quam non sinebat integritas; in tuo conceptu, in tuo partu creuit pudor, aucta est castitas; integritas roborata est, & solidata virginitas, & omnes perseuerauere virtutes (scilicet per Spiritum sanctum superuenientem in te.) Et S. Gregor. Nyssen. Ser. de Nat. Christi. O beatum illum ventrem, qui propter excellentiam puritatis omnia bona ad se attraxit (scilicet Spiritum sanctum.) Hinc profectò erat cur simili ratione apud

S. Chrysol. Serm. de Annun.

S. Gregor. Nyss. Ser. de Nat. Christi.

S.Luc. extollens vocem quædam mulier de turba dicebat Christo; *Beatus venter qui te portauit*; vnde? quia receptaculum fuit Spiritussancti, à quo es conceptus in illo, vnde prædicatur iste venter beatus.

Tria explicantur.

Hic autem tria explicanda sunt. Primum est, non solum Spiritum sanctum, sed totam Trinitatem hoc opus operatam fuisse. Secundum, per appropriationem attribui Spirituisancto. Tertium, etiam B. Virginem cooperatam fuisse.

1\. *Ad S. Trinitatem hoc opus pertinet.*

Quantum ad primum, dicimus hoc opus ad totam Trinitatem pertinere, iuxta quod omnia opera ad extra, seu externa ei communia sunt & indiuisa, id est, tribus personis communia, sicut indiuisa & communis essentia est Trinitatis. Hoc autem fundatur in eo, quod principium & causa omnium actionum Dei est natura, quę vna est & communis tribus personis, vnde accidit ex S. August. quod sicut personæ diuinæ sunt inseparabiles in essentia, ita etiam operantur inseparabiliter ad extra. Sic legitur in Genes. de creatione; *In principio creauit Deus, & Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Ita psaltes coniunctim, *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Sic denique de formatione particulari hominis dicunt simul tres diuinæ personæ: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Idem est de Incarnatione, si ad causam efficientem seu principium operationis respiciamus. Non enim vna persona hoc opus efficit, aut effectiuè operatur sine alia, licet terminatiuè tantum per vnam compleatur, qui est filius, qui solus naturæ humanæ assumptionem terminat: sicut si tres vnum induerent ex tribus, tres quidem operarentur, & tamen vnus indueretur, qui illam trium actionem terminaret. Ita dico in præsenti, quamuis solus Filius naturam nostram induerit, tamen istud opus tota Trinitas operata est. Illa est quæ corpus formauit, animam creauit, infudit corpori, & eodem instanti, in vnitatem personæ verbo vniuit. Hoc Dei proprium est, vt quidquid extra agitur, commune sit tribus personis. Atque ita cùm per gratiam illabitur in animam, etiam hoc non tantum vni, sed tribus conuenit personis. Tunc enim & pater, & filius, & Spiritussanctus replent animam. Idem est de gloria in cœlo. Sic igitur, si ad operationem huius mysterij respiciamus, tres simul personæ indiuisim & coniunctim operatæ sunt. Hoc etiam in verbis Angeli annotatur, distincta trium mentione facta: *Spiritussanctus*, ait, *superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Altissimus, pater est, virtus, filius: & præterea, Spiritussanctus. Ecce tres: ita tamen omnes inter se coniunctim operantes, vt diuisim & separatim singulis aliquid per appropriationem attribui possit: Patri principium, Filio assumptio, & Spiritui sancto corporis efformatio.

S. August. lib. 1. de Trin. cap. 4. — *Gen. 1.* — *Vna persona non operatur effectiuè Incarnationem sine alia, licet terminatiuè per vnam compleatur.* — *In verbis Angeli Trinitas ostenditur.* — *Quid singulis personis separatim, & per appropriationē attribui potest.*

2\. *Quomodo tripliciter Incarnatio per appropriationem attribuitur Spiritui sancto, ex Sancto Thom. 3. p. q. 32. art. 1.*

Et hoc secundum est quod posuimus, scilicet, etsi hæc operatio communis fuerit tribus personis, tamen per aliquam conuenientiam attribui Spiritui sancto. S. Thomas huius rei causam triplicem affert: primam ex consideratione causæ Incarnationis ex parte Dei: secundam ex eadem consideratione ex parte naturæ assumptæ: tertiam ex consideratione termini Incarnationis.

Amor prima causa Incarnationis.

Quænam sunt omnes istæ causæ, primæ, sequentes, & vltimæ, aut finales Incarnationis? Amor Dei, pura gratia, & animarum sanctitas. Primò enim si ex parte Dei causam considere-

A mus, amorem inueniemus, sicut Christus ipse ait; *Sic Deus dilexit mundum*, & post eum Paulus omnia attribuens nimiæ charitati eius. Spiritussanctus autem amor est patris & filij, quo se inuicem, & nos diligunt, vnde ei meritò huius mysterij amoris attribuitur operatio. *Ioh. 3. Eph. 2.*

Gratia, causa secūda ex parte naturæ assumptæ.

Secundò, si ex parte naturæ assumptæ causam etiam consideremus, quæ pura gratia est: non enim ex vllis meritis suis in illam dignitatem est euecta, vt à filio Dei in vnitatem personæ assumeretur; gratia autem Dei Spiritui sancto attribuitur vt eius authori: *Diuisiones gratiarum sunt*, dicit Apostolus, *idem autem Spiritus, qui operatur omnia, diuidens singulis prout vult.* &
B Sapient. 7. *Est Spiritus vnicus, & multiplex*, vnicus quidem in substantia, & multiplex in gratiis: hic est Spiritussanctus, omnis gratiæ & meriti author. Inde S. August. in Enchirid. Iste modus quo natus est Christus de Spiritu sancto, insinuabat nobis gratiam Dei, qua homo, nullis præcedentibus meritis, in ipso primo exordio suæ naturæ quo esse cœpit, verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis, & idem filius hominis, qui filius Dei.

Spiritussanctus author omnis gratiæ. Sap. 7. — *S. August. in Enchir.*

Sāctitas tertia causa & finalis Incarnationis.

Tertiò adhuc ei appropriatur hoc opus ex termino Incarnationis, qui est sanctitas & filiatio Dei; ad hoc enim terminata est Incarnatio, vt ille
C homo qui concipiebatur, sanctus esset, & filius Dei: iuxta quod dixit Angelus; *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Hoc autem maximè attribuitur per appropriationem Spiritui sancto, scilicet quod nos sanctos efficiat, & filios Dei, iuxta quod ad Rom. dicitur Spiritus sanctificationis, & ad Galat. dicimur per ipsum filij Dei. *Quoniam estis filij Dei, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, in quo clamamus, Abba pater.* Et alibi, *qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Sed de hoc statim & fusiùs, vbi de filiatione. Igitur quia nascebatur Christus sanctus, & filius naturalis Dei, eius conceptio attribuitur Spiritui sancto. *Gal. 4.* *Rom. 8.*

Quarta causa cur Incarnatio attribuitur Spiritui sancto, scilicet similitudo formandi verbi mentis.

D Quartam subiungemus conuenientiā sumptam ex compendio Theologiæ Sancti Thomæ, quæ est similitudo formationis humani verbi mentis. Nam verbum humanum existens in corde, similitudinem gerit æterni verbi in patre existentis: & sicut vocem assumit humanum verbum, vt hominibus sensibiliter innotescat, ita & Dei verbum carnem assumpsit, vt visibiliter hominibus appareret. Vox autem humana non formatur nisi per spiritum seu flatum hominis; vnde & caro verbi Dei per spiritum verbi formari debuit. Subtilis quidem & valde accommodata illa est conuenientia. *S. Thom. in cōp. Theol. p. 1. cap. 34.*

E Ecce itaque quo sensu appropriationis dicitur Christus de Spiritu sancto conceptus, iuxta illa verba Angeli ad Virginē, *Spiritussanctus superueniet in te.* Et idem etiam Spiritussanctus dicitur virtute sua efformasse corpus Christi ex purissimo sanguine virginis, iuxta illa, *& virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hic enim virtus Altissimi adhuc pro Spiritu sancto sumitur, secundum Euthymium, & S. Damasc. quomodo & Dominus exponit apud S. Lucam. *Vos autem sedete in ciuitate, quoad vsque induamini virtute ex alto.* & in Actis; *Accipietis virtutem superuenientis Spiritussancti in vos.* Ita vt hæc posterior formula loquendi in Angelo, *virtus Altissimi obumbrabit tibi*, sit solum clarior expositio prioris sermonis, *Spiritus sanctus superueniet in te;* quasi

Virtus Altissimi sumitur pro Spiritu sancto. — *S. Damasc. lib. 3. de fide cap. 1.* — *Luc. vlt.*

quò ostenderet hîc clarè quid tunc facturus esset superueniens Spiritussanctus, scilicet quòd virtute sua & potentia, de Virginis substantia CHRISTI corpus efformaret, locúmque in ea sponsi teneret, qui non solùm animam eius repleret spiritualibus donis & gratiis, sed etiam virginalem vterũ eius, diuina prole concepta. Non quòd dici queat exinde CHRISTI pater, sicut illa Virgo semper manẽs, eius vera mater appellari debet, eo quòd ille, non sicut illa, cum concepit de sua substantia. In hoc enim discrimẽ est, quod Spiritussanctus, seu Deus tantùm hîc operationem suam communicauit, seu virtutem, Virgo autem substantiam carnis suæ, id est, purissimum suum sanguinem, ex quo Deus humanum CHRISTI formauit corpus; vnde illa dicitur mater, non autem Spiritussanctus, qui solùm est operator, & non pater. Ad hoc enim vt aliquis pater dicatur, necesse est, vt alterum de sua substantia generet sibi similem: Spiritussanctus autem non communicauit substantiam suam CHRISTO, imò potiùs ille suã habet ab ipso CHRISTO, quatenus Verbum est; & vt homo, adhuc diuersam omnino naturam habet à Spiritu sancto. Vnde quod fecit ille, hoc tantùm est, quòd virtutem suam & potentiam, seu operationem dedit ministrauítque, vt de Virginis substantia formaretur CHRISTI corpus. Vnde sola mater eius dicitur.

Quomodo non possit dici Spiritussanctus pater Christi, licèt sit de eo conceptus.

Discrimẽ inter Spiritum sanctum, & Virginem, quantum ad formationem Christi.

3\. *Quomodo Virgo Incarnationi cooperata est, & vera Christi mater dicitur.*

Et hoc tertium est quod ab initio notauimus, scilicet Virginem altissimæ isti conceptioni cooperatam fuisse, quando ex se dedit atque ministrauit propriam suam substantiam, de qua, in suo vtero virginali, virtute Dei formatus est CHRISTVS: hoc enim sufficit vt sit vera Dei mater, scilicet, quòd substantiam suam dederit; neque enim amplius faciunt aliæ matres, quàm suas substantias dare filiis. Et non refert ad rationem matris qua virtute hoc fiat; satis est, si corpus & substantiam ministret. Vnde sicut illa huius hominis dicitur mater, eo quòd huius ab ea corpus sumptum est: ita Virgo vera CHRISTI mater dicitur, ex eo quòd eius ab illa corpus assumptum est.

Hoc notare voluit Apostolus, hanc scilicet maternitatem Virginis, dicens; *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere.* Vt innotescat aduersus hæreticos, ait Venerab. Beda, quia conceptus ex vtero virginali carnem non de nihilo, non aliunde; sed materna traxit ex carne. Alioquin nec verè filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine, scilicet ex Maria semper Virgine, quæ, sancti Spiritus operante virtute, nasciturо cum humanis membris vnigenito Dei, carnis suæ materiam ministrauit. Vnde & eadem ratione, qua aliæ matres sunt, illa etiam mater est: sed cum illa differentia, quòd aliæ cum concupiscentia, & iactura integritatis, hominúmque copula, matres sunt, & hominem concipiunt; illa verò cum virginitatis honore, & absque homine, sed ex virtute Dei, & operatione Spiritussancti; in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore. *Spiritussanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideóq; quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.*

Gal. 4.

Sed in vno adhuc aliud notabitur discrimen, quòd aliæ mulieres cum mora, & successu temporis concipiunt: illa verò vnico instanti, & sine successu; simúlque mater effecta est, vbi in ipso instanti simul hæc quatuor mira facta sunt: conceptio, seu formatio carnis CHRISTI ex purissimo sanguine Virginis: creatio animæ; vnio vtriusque, scilicet carnis & animæ: & assumptio vtriusque à Verbo. hæc omnia simul, & eodem temporis puncto. Nam iuxta S. Iohan. Damasc. non priùs caro concepta quàm animata, nec priùs animata quàm caro Verbi Dei facta: sed simul & formata caro, & animata caro, & Verbi Dei caro; quia eodem instanti quo formata est, in hypostasi & persona Verbi sustentata est: nec enim aliam vnquam habuit hypostasim, aut personam quàm Verbum. O mysterium à sæculis & generationibus absconditum! Fortè quidem ideo dixit Angelus; *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, quia res in sacramento erat, ait S. Bern. id est, soli Deo cognita, & occulta aliis. Sacramentum quidem & mysterium est iste conceptionis modus; *Nouum fecit Dominus super terram: mulier circumdabit virum*; hominem-Deum, hominem Dei filium ac Virginis, hominem qui hominibus potestatem dedit filios Dei fieri.

S. Damasc.

S. Ber. hom. 4. super missus.

DE FILIATIONE NAturali Christi, & adoptiua hominum.

Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei. Luc. 1.

SAnctus Sanctorum, & per essentiam Sanctus Christus est, & qui sic natus est Sanctus, is solus filius Dei est. Deo soli sanctitas debetur, à quo solo Sanctum est omne quod Sanctum est: ideo omnes Sancti incessanter clamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus; vnde qui filius Dei est, Sanctus Sanctorum est, Christus. *Quod nascetur ex te Sanctum*, &c. Quod sit Sanctus, id habet duplici ex parte; patris, qui Deus est, & virginis, quæ virgo est. *Quod nascetur ex te Sanctum*; ex te, dicit, & non solum in te, vt postea dixit Iosepho, *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, id est, Sanctum est, vt certè ibi ostenderet, quia ex parte virginis matris, & vndique spiritu sanctitatis repletæ, naturam etiam penitus sanctam, & ab omni labe immunẽ assumpsit, vt is qui omnis sanctitatis author & origo est futurus, & vt talis, scilicet homo, semper naturalis Dei filius.

Dupliciter Christus sanctitatem habet.

Quod vt bene intelligatur, sciendum est duplicem esse coniunctionem hominis ad Deum: vnam per affectionem aut inhabitationem; alteram per hypostasim & personæ vnitatem. Prima est communis omnium Sanctorum, & hæc per gratiam est, aut charitatem, quæ duo facit. Primũ est, quod hominem per affectionem & voluntatem vnum facit cum Deo, secundum illud ad Corinth. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum illo* (connexione amoris & voluntatis.) Secundum est, quod facit Deum per inhabitationem esse in homine, & mutuò hominem in Deo esse. Ita Dominus: *Si quis diligit me, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Sic 1. Ioh. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ecce quid facit prima coniunctio & gratia, inhabitationem & vnitatem per affectionem cum Deo; illáque conuenit & communis est omnibus Sanctis.

Duplex hominis coniunctio ad Deũ. Prima duo facit.

1. Cor. 6.

Ioh. 14.

1. Ioh. 4.

Secunda autem quæ fit per vnitatem hypostasis, aut personæ, vt scilicet vna & eadem persona sit Deus & homo, propria est IESV Christi, in quo

Secunda hominis ad Deũ coniunctio personalis, & propria Christi, iuxta quã dicitur naturalis Dei filius.

quo talis coniunctio hominis ad Deum inuenitur per vnitatem personæ, & hypostasis. Quæ gratia singularis est, omnem naturæ potentiam superans, sicut omne meritorum genus antecedens: imò potiùs omnium fons & origo gratiarum. Illa est in qua talis homo, scilicet Christus, est naturalis Dei filius: & de eo singulariter pater dixit, *Hic est filius meus dilectus*, &c. sicut Angelus virgini; *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei*, id est, inde mundus agnoscet filium Dei naturalem esse, quod naturam suam humanam non ex viro, sed ex Deo, id est, ex virtute Altissimi de virgine accepit.

Matth. 3. & 17.

Nam ex tali generatione temporali ex virgine, optimè colligi poterat, quod filius Dei erat, & ab æterno natus: cùm non alteri talis conueniat natiuitas, quàm ei qui est filius Dei. Vnde cùm simul ex Deo, & ex virgine sit genitus, simúlque futurus Deus & homo, filius Dei vocabitur, non quidem ab initio, quia tempus erit, in quo Deus absconditus erit, & vocabitur faber, & filius fabri, sicut apud Luc. 3. putabatur filius Ioseph: imò & publicè aliquando negabitur filius Dei; verùm statim post ab omnibus agnoscetur sicuti est: & mundus veritate conuictus, dicet cum Centurione; *Verè filius Dei erat iste*. Ita vt sicut verè filius naturalis est, & erit semper, ita etiam ab omnibus vocetur: à patre, *Hic est filius meus dilectus*: ab Angelis, vt hodie à Gabriele: à prophetis, vt ab Isaia, *filius natus & datus est nobis, & vocabitur Deus*: à Iohanne præcursore dicente; *Testimonium perhibui, quia hic est filius Dei*: ab Apostolis, vt Petro, qui interrogatus dicit pro omnibus; *Tu es Christus filius Dei viui*: à viris & fœminis, cæcus clamat, & idem turbæ multæ sæpenumero dicunt; sanctissimæ Lazari sorores talem prædicant, dicúntque quia filius Dei est: Martha, *Scio Domine, & credidi quia tu es filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti*. Sed quid dicam? cùm etiam à dæmonibus vi coactis talis agnoscatur, vocetúrque ab illis filius Dei, vt iam istius naturalis filiationis, quæ in ipso est, innotescat omnibus veritas.

Ex generatione Christi de Virgine colligitur quod naturalis sit filius Dei.

Ab omnib. Christus vocatur Dei filius.
Ioh. 1.
Matth. 16.
Ioh. 11.

Huius autem veritatis fundamentum in eo est, quod in Christo vna tantùm persona est, scilicet diuina, licet naturæ duæ sint. Secundum enim omnes Theologos, & doctorem omnium S. Thom. filiatio propriè conuenit hypostasi, & non naturæ; & fundamentum suum habet in supposito & in persona, non in natura. Est enim filiatio proprietas personalis, vnde cùm in Christo non sint duo supposita, (licet duabus naturis constet) sed vnum tantùm, quod est diuinum, & non alia in eo est persona quàm increata; manifestum est ei cóuenire, esse filium Dei per naturam, etiam quatenus homo est, quia in eo diuina persona est, & Deus est: vnde filiationem naturalem habet, & non adoptionis; quæ tantùm per participationem est in aliis, & per similitudinem naturalis.

Filiatio personæ conuenit, non naturæ.
S. Thom. 3. p. q. 23. ar. 4.

In hoc enim differt naturalis filiatio Christi à filiatione adoptiua Sanctorum, quod isti sunt filij per gratiam habitualem, Christus verò per gratiam hypostaticæ vnionis, seu coniunctionis personalis ad Deum. Inter vtramque autem gratiam hoc discrimen est, quod gratia habitualis existit in anima per esse quoddam habituale, & solùm illam vnit Deo per affectum & amorem: gratia verò hypostaticæ vnionis, seu personalis, non fit per talem habitum, aut quid tale habituale: sed per ipsarum naturarum coniunctionem in vna persona, ita vt tota humana natura Christi vnita sit Deo, non per solum amorem, aut affectum, sed per per-

In quo differt filiatio naturalis Christi ab adoptiua Sanctorum. Discrimen inter gratiã habitualem, & hypostaticã vnionis.

A sonæ vnitatem; ita vt hic homo sit Deus, & per consequens filius naturalis Dei. *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.*

Et certè nullus modus esse, aut excogitari potest, quo propinquius creatura Deo adhæreat, quàm quia ei in vnitate personæ coniungitur; vnde etiam accidit vt Christus ex tali vnione naturæ suæ humanæ ad Deum in vnitate suæ personæ, primò sit naturalis Dei filius, vt diximus, & talis agnitus. Rom. 1. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis*. & secundò præ aliis repletus omnibus donis & gratiis, non quidem vt illi dispositiones essent ad eiusmodi vnionem, quæ potius iam erant in eo effectus eiusmodi vnionis, B vt S. Iohan. ait, *vidimus eum quasi vnigenitum à patre, plenum gratia & veritatis*. Ecce duo simul. Primum est, quod sit vnigenitus, in quantum scilicet *verbum caro factum est*. Secundum inde procedens, vt esset *plenus gratia & veritatis*, scilicet, vt ex ipso adhuc in alios gratia redundaret & sanctificationis, & adoptiuæ filiationis: vt ipse, inquam, Dei filius factus homo, homines filios Dei faceret, iuxta illud quod diximus Rom. 1. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute.*

Explicatur quomodo intelligẽdũ sit; Qui prædestinatus est. Rom. 1.
Ioh. 1.

S. Chrysost. hunc locum vertit; Qui declaratus est filius Dei tribus modis. Primo ex virtute, id est, miraculis. Secundo ex spiritu sanctificationis, id est, gratiarum largitate. Tertio ex resurrectione C mortuorum, scilicet cùm seipsum excitauit à mortuis. Et hic sensus, seu explicatio admodum clara & facilis est.

S. Chrysost. *Filius Dei Christus declaratus tribus modis.*

Origenes legit; Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, id est, missus à Deo patre in mundum, tanquam verus Dei filius in virtute diuina ad operandum mira, sanctificandum corda, &c. Glossa alium sensum accipit, qui talis est; Christus prædestinatus est, id est, ab æterno præscitus, vt innotesceret in tempore quia filius Dei est in virtute.

Origen.
Glossa.

Verùm communiori sensu accepto, & sicut legitur; *Qui prædestinatus est*, explicabimus, qui præordinatus est filius Dei, referendo illam diuinam & naturalem filiationem Dei in Christo, ad æter- D nam prædestinationem Dei, qui ab æterno præordinauit futuram in tempore eiusmodi vnionem humanitatis ad verbum in vnitate personæ. Sicut enim hominem esse vnitum Deo per gratiam adoptionis, sub prædestinationem cadit: ita etiam humanam naturam esse vnitam Deo per gratiam vnionis in persona, cadit sub prædestinationem. Nam quid est iuxta S. Thom. prædestinatio? Diuina præordinatio ab æterno de his quæ per gratiam Dei sunt facienda in tempore. Vnde cùm in tempore per summam gratiam, eámque vnionis, Deus homo factus est, antecessio certè fuerat istius ordinationis ab æterno, quam dicimus præordinationem, aut prædestinationem. Non enim dici po- E test, quod Deus hoc non præordinauerit. Quare inde prædestinatus Christus dictus est, non quà Deus, sed quà homo: sicut etiam incepit vocari in tempore Dei filius, non quà Deus, sed quà homo. Hæc enim omnia, scilicet, & prædestinatio æterna, & temporalis filiatio Dei, absolutè & propriè personæ Christi non competunt, nec secundum se, vt persona est, vel secundum quod subsistit in natura diuina ab æterno: sed tantùm ratione solius humanæ naturæ cui vnita est in tempore, & secundum quod de nouo subsistit in illa. Quomodo dixit S. August. lib. de prædestin. Sanctorum. Ipsum Dominum gloriæ, in quantum homo factus est Dei filius, prædestinatum esse dicimus. Et Rom.

Communior sensus.
Quid sit prædestinatio. S. Thom.
Prædestinatio & temporalis filiatio Christi, personæ non cõpetunt, nisi ratione humanæ naturæ cui illa vnita est.
S. August. lib. de præd. Sanct. c. 15.

Rom. 1. Et Romanor. 1. *Qui factus est ex semine David secundum carnem*, (scilicet, filius Dei factus ex virgine verus homo Spiritussancti operatione,) *prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione*, &c.

Quomodo intelligitur Christus prædestinatus filius Dei in virtute.

S. Thom. In virtute dixisse notat S.Thom. in hoc 1.cap. Rom.ne hoc referatur ad filiationem adoptionis; sed vt per hoc innotescat naturalis,quasi diceret: prædestinatus est vt sit talis filius,vt habeat æqualem,imò eandem penitus cum patre virtutem,iuxta quod in Apocal.dicitur, *dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem & diuinitatem*. Quinimò ipse virtus Dei est,dicente Apostolo, *Christum prædicamus Dei virtutem & sapientiam*. Vnde ipse Christus dicebat, *quæcunque pater facit,hæc & filius similiter facit*; sicut ergo pater sanctificat,& suscitat mortuos,& ego propterea spiritum sanctificationis habeo,& communico. Ioh. 15. *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam spiritum veritatis*, (sanctitatis & virtutis,) eius enim etiam virtute sanctificamur, secundum illud 1. Cor. 6. *Sanctificati estis in nomine Domini nostri* IESV *Christi*, *in spiritu Dei nostri*.

Apoc. 5. 1. Cor. 1. Ioh. 5. Ioh. 15.

...em secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione.

Sed ex quo potissimum tempore? Audite; *Ex resurrectione mortuorum* IESV *Christi*, id est, maximè ex quo à mortuis resurrexit, extunc enim cœpit copiosiùs & magis communiter dari hominibus,ad sanctificationem ipsorum,dicente Euangelista: *Nondum erat spiritus datus*,(scilicet ita communiter) *quia nondum* IESVS *fuerat glorificatus*. At vbi resurrexit, & intrauit in gloram suam,iam cum abundantia missus est ad nostram sanctificationem, atque etiam vt virtute eius adoptaremur in Dei filios.

1.7.

Quomodo adhuc est intelligendum quod ille prædestinatus est filius Dei in virtute,scilicet quia exemplar est & causa prædestinationis,& filiationis adoptiuæ omnium; exemplar,iuxta quod nostra filiatio adoptiua est quædam similitudo participata istius naturalis & diuinæ filiationis,ad cuius formam prædestinamur, vt dicitur: *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, hos & vocauit,& iustificauit, & glorificauit*. Ecce ordo. Dico etiam causam,iuxta quod per ipsum completur in tempore:hoc notauit Apostolus alio in loco,dicens,quod pater prædestinauit nos in adoptionem filiorum per IESVM Christum.Hæc dictio (*per*) causam significat, scilicet quia per eum ordo & modus vnicuique datur, quo illam prædestinationem adimplere possit, & peruenire ad salutem. Item, quia in dono & virtute Spiritus eius,hanc consequimur adoptionem filiorum patris. *Quoniam estis filij Dei,misit Deus spiritum filij sui in corda vestra,clamantem,Abba pater.*

...istius exemplar & causa sanctificationis ...omnium.

1.8.

1.

4.

Duplex hominum generatio est, vna carnalis, altera spiritualis. Carnalis per semen carnis,spiritualis per semen spiritus,quod est gratia,quæ sicut semen quod quantitate paruum, virtute totum continet;ita ipsa gratia beatitudinis nostræ totam perfectionem virtute & potentia continet, iuxta quod ad Eph.Spiritussanctus in nobis vocatur *pignus hæreditatis æternæ*.

Sed fortasse quæretis quis sit locus istius generationis spiritualis,& ad quem illud spirituale semen transmittatur. Cor est, atque mens hominis, per renouationem cuius regeneramur, & filij Dei euadimus. Ezech. 36. *Dabo vobis spiritum nouum*, cum videlicet de quo Paul. *Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra, clamantem*, non magnitudine vocis, sed magnitudine & feruore affectus, *Abba pater*. Tunc enim,ait S.Tho. in illud Rom. clamamus quando per affectum accendimur calore Spiritussancti ad desiderium Dei. Qui enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei,&c. Spiritus est, scilicet, iste Christi spiritus, qui testimonium perhibet spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij,& hæredes,hæredes quidem Dei,cohæredes autem Christi,qui est primogenitus in multis fratribus, & Deus benedictus in sæcula.

DE VOCE IN VTERO matris, & in deserto Iordanis clamantis & præparantis Aduentum IESV Christi.

Ecce Elisabeth cognata tua,& ipsa concepit filium in senectute sua: & hic sextus est mensis illi,quæ vocatur sterilis.

Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, &c. Luc. 1. & 3.

IOhannes vocatus Baptista, & præcursor Christi, duobus modis parauit vias eius,in conceptione vnam, alteram in prædicatione: sic de eo Zacharias pater eius; *Tu puer propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Quænam fuerunt istæ viæ Domini, quibus nos visitauit oriens ex alto?

Prima est ipsius aduentus in mundum per carnem: altera verò per gratiam. De vtraque hodie apud S.Lucam; *Ecce*, inquit Angelus virgini, *Elisabeth cognata tua,& ipsa cõcepit filium in senectute sua.* Hęc via Domini prima est. Quæ conceptio Iohannis. Inauditus planè virgini erat,& incomprehensibilis cogitatu ille diuinæ dispensationis cum carne modus: ad salutationem Angeli turbatur, & minimè intuetur rationem mysterij,audit quia filium Altissimi conceptura est, & ait; *Quomodo fiet istud,quoniam virum non cognosco*. Turbatur amplius, & vtrinque in anxietate manet de virginitatis voto,& nuncio partus. Quid agit? de modo interrogat & quærit, vnde iam opus est aliquo qui hanc viam præparet,præcursore opus est, *Ecce Elisabeth cognata tua*,inquit Angelus, *& ipsa concepit filium in senectute sua*. Illa est senex & sterilis, tu virgo: illa concepit,tu concipies,illa in senectute,& cum sterilitate,tu cum virginitate: filius sterilis vocabitur Iohannes, tuus autem & virginis, IESVS: ille præcursor erit,hic Dominus,ante cuius faciem præibit ille parare vias eius. Ecce itaque prima via Christi, scilicet aduentus eius in mundum per carnem; cùm videlicet iste puer iam in vtero Elisabeth conceptus, in exemplum virgini adductus est,& sic viam Incarnationis disposuit, dicente Angelo; *Ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit in senectute sua.*

Duæ viæ Domini, quas Iohannes præparauit.

Prima via Incarnationis est, quam Iohannes adhuc in vtero præparauit.

Secunda via fuit aduentus per gratiam, in prædicatione eiusdem Baptistæ,& præcursoris,de qua hic in Euangelio: *Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ, sicut scriptum est*, Isa.

Secunda via, quæ prædicationis & pœnitentiæ est pro Christi aduentu in mundum per gratiam.

est, Isa. 40. *Vox clamantis in deserto*, &c. Hoc modo dicebat de eo Zacharias, quod ante faciem Domini præiret parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum. Scientia ista salutis, quam Iohannes vt præcursor Domini daturus est, prædicatio est regni cœlorum, & pœnitentiæ baptismus, vt innotescat inde quo fine & munere venit, præiuitque ante Christum, scilicet, vt iter ei præpararet voce pœnitentiæ in corda hominum. Tale ipsius officium est: iuxta quod non tantùm incarnatus est Christus, vt nobiscum conuersaretur per carnem, sed etiam vt habitet in nobis per gratiam, dicã & inhabitet. Vtriusque autem viæ, seu aduentus præcursor extitit Iohannes, cuius solum officium est, verbum patris declarare factum hominem in terra, vt innotescat & recipiatur ab hominibus; vnde vox dicitur clamantis.

Et certè digna illo laus est, quod vt præcursor & præparator viarum Domini, vox appelletur, & vox verbum patris manifestans, *vox clamantis*. Verbum incarnatum vox fuerat in mundo diuinitatem patris manifestans: audiamus vocem; *Ego*, inquit, *te clarificaui super terram. Pater venit hora; manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi, notum feci, & notum faciam, vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit*, &c. Ecce verbum patris caro factum, vox patris. Iohannes autem quid erit? vox verbi, vox clamantis, vox verbum manifestans.

Conuenienter Iohannes dicitur vox clamantis. Ioh. 17.

Hic vnum notandum occurrit, videlicet quod sicut verbum caro factum duplici constat natura, vna diuina, altera humana: ita opus fuit, vt duplici voce manifestaretur mundo, diuina vna, altera humana. Æternus pater primò declarauit ipsum diuina voce in Iordane, & repetita in monte; *Vox patris intonuit, hic est filius meus dilectus*. Iohannes verò secundò humana voce declarauit, cùm dixit venientibus ad se; *Ecce Agnus Dei*, non sum ego Christus, non sum Elias, non sum Propheta. *Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini*. Sicut apud S. Lucam dictum est, quia *venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini*, &c.

Notetur opus fuisse vt duplici voce Christus manifestaretur.

Ioh. 1.

O titulum laudis & gloriæ Iohannis! *Ego vox*, ait. In vniuersum vox Dei est, vox patris, vox filij, vox Spiritussancti. Pater in nube testimonium perhibuit de filio, filius verbo & opere de seipso, Spiritussanctus in forma columbæ super eum descendens: & ecce tribus vicibus Iohannes, vt communis omnium vox, etiam ipsum testatus est Iohannis 1. dicens: *Ecce Agnus Dei*; (& hoc bis) *hic est de quo dixi: propterea veni vt manifestetur*. rursus; *Ego nesciebam eum*, scilicet, ex facie, *sed qui misit me baptizare in aqua* (pater) *dixit mihi: super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei*, &c. *Ego vox clamantis in deserto: Parate viam Domini.*

Iohannes vox Dei in vniuersum.

Hoc autem vocis nomine comprehendi videntur potiores prærogatiuæ Iohannis. Sic Dauid de eo prophetico spiritu loquens Psal. 28. septies ei hoc nomen attribuit, vt ostendatur quantus sit illi ex eo honos. S. Basilij interpretatio est hom. 2. in hunc Psal. citatum, vbi ait; *Vox Domini super aquas, Deus Maiestatis intonuit, vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros, vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum, vox Domini præparantis ceruos*. Ecce septies vox repetita; quod, vt dixi, interpretatus est S. Basil. de Sancto Iohanne præcursore, qui est vox patris, vox filij, vox Spiritussancti, & in vniuersum vox Dei.

In vocis nomine præcipuæ laudes Iohannis.

Basil. hom. in Ps. 28.

A

S. Basil.

Qualis quæso (ait ille S. Doctor,) illa vox Domini est super aquas, nisi Iohannes in Iordane baptizans? illic enim Deus Maiestatis intonuit dicens: *hic est filius meus*. Ecce vox Domini in Maiestate, vox patris.

Et qualis vox est Domini in virtute? vox filij in humanitate; virtus enim de illo exibat, & sanabat omnes. *Prædicamus Christum*, inquit Apostolus, *vocatis Dei virtutem & sapientiam.* 1. Cor. 1.

B

Vox autem Domini in magnificentia, vox est Spiritussancti, qui replet omnia, & Deũ prædicat. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*, (scilicet, eius.) Spiritus Domini est qui magnificat ipsum & laudat, atque etiam de Christo in nobis testimonium perhibet, quia Spiritus est veritatis, ipso dicente: *Cùm venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à patre Spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me.* Ioh. 15. Hoc autem modo vox Domini extitit Iohannes in Iordane & super aquas; in maiestate, in virtute, & magnificentia.

C

Hoc modo vox confringens cedros (deprimens excelsos:) intercidens flammam ignis (singulis diuidens ardorem & zelum spiritus sui:) concutiens desertum (Gentilem populum ad Dei notitiam adducens:) & præparans ceruos, id est, fideles, ad agenda bona opera, & iustitiæ actiones. Quomodo de eo Zachariæ patri Angelus prædixerat dicens; *& conuertet filios Israël ad Dominum, corda patrum in filios* (sicut filiorum ad patres,) *& incredulos ad prudentiam iustorum parare Domino plebem perfectam*. Quasi diceret: ipse eamdem fidem & intelligentiam de Christo & Messia infundet filiorum cordibus, quam patres antiqui habuere; facietque prædicatione sua vt inuicem consentientes omnes in idem conueniant, & sic vnanimiter credentes in Christum, de fide sua & iustitia testimonium pœnitentiâ perhibeant.

D

Hac ratione igitur ait S. Luc. *Venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. Parate viam Domini, rectas facite semitas eius; omnis vallis implebitur, & omnis mons humiliabitur*. Ecce vox Domini confringentis cedros, scilicet superbos. *Erunt praua in directa, & aspera in vias planas*. Ecce vox Domini concutientis desertum, *& videbit omnis caro salutare Dei*. Prosequitur. *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Dico vobis, iam securis ad radicem arboris posita est.* Ecce vox Domini intercidẽtis flammam ignis. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ego vox clamantis in deserto. *Pœnitentiam agite, & parate viam Domini.* Ecce vox Domini præparantis ceruos, id est, fideles & iustos, qui dignos fructus pœnitentiæ reddunt. Tunc enim appropinquat illis regnum Dei: propterèaque dixit Christus, quia à diebus Iohannis regnum cœlorum vim patitur, iuxta quod vox pœnitentiæ fuit. Matth. 3.

Explicatio & conuenientia psalmi cũ Euãgelio & officio Iohannis.

E

Verè vox Iohannes fuit, sed vox clamantis, vox quæ nobis Regem, & regnum eius annunciat & ostendit, Christum Regem, & cœlum regnum eius. Iohannes est vox, & pœnitentiæ vox; vox in prædicatione & voce, in vita, baptismo, & loco.

Iohãnes vbique vox pœnitentiæ. In voce.

Vox in voce, quæ eiusmodi est. *Pœnitentiam agite, & dignos fructus; ecce enim appropinquauit regnum cœlorum.*

cælorum. Ecce in prædicatione pœnitentiæ vox. In vita similiter, quæ tota in pœnitentia est: à teneris annis, tertio vel quinto scilicet ætatis, vt multi æstimant, elongat fugiens, & manet in solitudine, habitãs cum bestiis; pilis camelorum vestitus, nõ sicut qui in domibus Regum sunt, vestibus pretiosis & mollibus: non manducat, nec bibit, & si ad id cogitur, pro cibo, potúque aquam habet, mel syluestre & locustas. Ecce in genere vitæ vox pœnitentiæ.

In vita.

In baptismo etiam, sicut S. Luc. refert, dicens quia *venit in omnem regionem Iordanis, pœnitentia baptismum prædicans.* Denique in loco, qui est solitudo, vnde dicit: *Ego vox clamantis in deserto.* Quid clamat? Pœnitentiam agite, parate viam Domini. Sed vbinam sic clamat? In deserto, loco pœnitentię penitus congruo. Certè hic omnia pœnitentiam resonant, sed vt discamus, quia si velimus aduentus Christi & regni eius esse participes, in pœnitentia eum præuenire oportet, per quam & nos ad Christum habemus accessum.

In baptismo.
In loco.

Duæ viæ sunt eundi ad ipsum, innocentia & pœnitentia; si innocentia desit, ad pœnitentiam est recurrendum. Et neminem decipiat error, nec vos seducat fallax mundus: aut hic facienda quando prodest, aut certè tunc quando non proderit.

Duæ viæ eundi ad Christum.

Quare operæpretium est scire multiplicem esse & diuersam pœnitentiam in terris, sicut in inferis. Alia est infructuosa & inutilis, iniqua & desperata; alia adhuc coacta simul & desperata: & vna tantùm bona est, quæ & necessaria est. In Esau video pœnitentiam, sed inutilem: sic ad Heb. Apostolus; *Scitote quoniam cupiẽs postea hæreditare benedictionem, reprobatus est, non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Video pœnitentiam in Antiocho, sed inutilem & infructuosam: *Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consequuturus.* Ecce pœnitentiæ inutiles.

Pœnitentiæ diuersæ.
Pœnitentia inutilis.
Gen. 27.
Hebr. 12.
2. Macha. 9.

Videamus adhuc iniquas & desperatas. In Cain desperatam video; *Maior est,* inquit, *iniquitas mea quàm vt veniam merear.* Etiam & in Iuda iniquam & desperatam video, qui *pœnitentia ductus,* (ecce peccati pœnitet apostatam,) sed ecce desperatio, *laqueo se suspendit.*

Pœnitentia desperata.
Gen. 4.
Matth. 27.

Sed alias adhuc videamus coactas & in inferno desperatas. De reprobis & condemnatis dicitur Sap. 5. *quia turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.* Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum: & quia nisi pœnitentiam bonam habueritis, hic peribitis. Pœnitentia bona, vna est & voluntaria, perseuerans, sancta, & vitæ meritoria. Illa est de qua S. August. lib. de pœnit. Sit pœnitentia continua, amara, ætatis meæ comes, peccatorum meorum continuus dolor, vitæ meæ terror; si nõ sũ dignus oculos ad cœlũ leuare orando, certè sum dignus illos exsiccare plorando. Quod certam pœnitentiam facit, odium est peccati, & amor Dei. Ecce notæ, & differentiæ bonæ & vtilis pœnitentiæ, cuius vsus & praxis in deserto est amaritudinis & gemitus, in amaritudine contritionis, & gemitu confessionis. *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, &c.*

Pœnitentia desperata & coacta in inferno.
Sap. 5.
Pœnitentia bona & voluntaria.
S. August. li. de pœnit.
Rom. 5.

Ingrediamur & nos in illud desertum: hoc autem est cor animæ pœnitentis. Desertum locus est spinarum, & totus solatio carens: ita debet esse cor nostrum, vt pœnitentiæ nostræ locus, scilicet, in tribulatione & dolore de peccatis, in amaritudine & carentia omnis solatij, nisi fortè

Cor hominis desertum est & pœnitentiæ locus.

A inueniatur in lacrymis, lamentis, mortificationibus, contemplationibus, aliisque similibus pœnitentiæ exercitiis: sicut psalmista dicebat; *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Extra pœnitentiam, aut innocentiam, ô homo, consolatio nulla est.

Legimus in Exodo, quod postquam filij Israël de Ægypto fuissent egressi in desertum, statim illos Deus repleuit innumeris beneficiis, maximè autem in quatuor est eos cõsolatus: pluit illis manna de cœlo, aquarum abundantia potauit, à morsu serpentum sanauit; & præterea ostendit illis, & promisit terram lacte & melle manantem. Ita dico, similia, & adhuc maiora nobis beneficia aduenient, si de Ægypto nostra ingrediamur ad pœ- *Bona quæ ex pœnitentia procedunt.*
B nitentiæ desertum. Primò, nobis illic descendere Deus faciet imbrem, pluétque copiosius manna gratiarum, iuxta illud Rom. *vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia in vitam æternam,* &c. Secundò, de duritia cordium lacrymas consolationis extrahet Deus, vt potet nos postea de torrente suæ diuinæ voluptatis. Hæ sunt lacrymæ quas peto, lacrymas Petri peto, Magdalenæ, Dauidis, non lætitiam peccatorum. Domine exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Rom. 5.

Tertiò, in hoc deserto contra morsus serpentum sanabimur Crucis, & Crucifixi aspectu: quem enim non sanabit à peccato, qui pro peccato mor-
C tuus est? Num. 21. dixit Moysi Deus; *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum viuet.* Ita ait S. Petr. *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini,* scilicet aduersus peccatum. Et Apostolus; *Deponentes omne pondus, & peccatum circumstans, curramus aspicientes in consummatorem* Iesvm, &c. Num. 21.

Quartò denique nobis hic promissionis terra demonstrabitur, dabiturque. Quod non sic accidit iis qui de Ægypto fuerant egressi, quia murmurati fuerant contra Dominum: nobis autem omnibus procul dubio dabitur, sicut promittitur. Solùm pœnitentiam agite, ait Iohannes, & appro-
D pinquabit regnum cœlorum. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius, & videbit omnis caro salutare Dei. Videbit certè, si præoccupemus faciem eius in confessione. Secunda vox pœnitentiæ est: sit diligens, sit integra & humilis. Istæ sunt tres necessariæ conditiones confessionis. *Cõfessio vox pœnitentiæ est.* *Triplex conditio confessionis.*

Prima est conditio, vt sit diligens tam respectu examinis conscientiæ, quàm temporis. Examen preces ad Deum requirit, mentisque applicationem, in quo peccatum commissum est, quomodo, quando, vbi, cum quibus, & quoties. Tempus dilationem non admittit, sed protinus exigit vt tollatur iniquitas. *Ne dicas, miseratio Domini magna est, peccaui, & quid mihi accidet triste? Ne quasi differas de die in diem conuerti, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Iam securis ad radicem arboris posita est,* ait præcursor Iohannes. Ecce conditio prima, diligentia. 1.
E Eccli. 5.

Secunda in integritate est, scilicet, vt omnia penitus declarentur peccata, iuxta species, numerum, & circunstantias. Neque enim, ait S. Ambros. potest quis à peccato iustificari, nisi peccatum confessus fuerit. Vnde qui defectu examinis necessarij, & fidelis declarationis peccatum omitteret, veniam non obtineret: sicut nec is qui minimè intenderet satisfacere. Sic enim contra confessionis integritatem peccaret. *Secunda conditio.* S. Ambros.

Tertia

est, Isa. 40. *Vox clamantis in deserto*, &c. Hoc modo dicebat de eo Zacharias, quod ante faciem Domini præiret parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum. Scientia ista salutis, quam Iohannes vt præcursor Domini daturus est, prædicatio est regni cœlorum, & pœnitentiæ baptismus, vt innotescat inde quo fine & munere venit, præiuitque ante Christum, scilicet, vt iter ei præpararet voce pœnitentiæ in corda hominum. Tale ipsius officium est: iuxta quod non tantùm incarnatus est Christus, vt nobiscum conuersaretur per carnem, sed etiam vt habitet in nobis per gratiam, dicā & inhabitet. Vtriusque autem viæ, seu aduentus præcursor extitit Iohannes, cuius solum officium est, verbum patris declarare factum hominem in terra, vt innotescat & recipiatur ab hominibus; vnde vox dicitur clamantis.

Conuenienter Johanes dicitur vox clamantis. Ioh. 17.

Et certè digna illo laus est, quod vt præcursor & præparator viarum Domini, vox appelletur, & vox verbum patris manifestans, *vox clamantis*. Verbum incarnatum vox fuerat in mundo diuinitatem patris manifestans: audiamus vocem; *Ego*, inquit, *te clarificaui super terram. Pater venit hora; manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi, notum feci, & notum faciam, vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit*, &c. Ecce verbum patris caro factum, vox patris. Iohannes autem quid erit? vox verbi, vox clamantis, vox verbum manifestans.

Noteturopus fuisse vt duplici voce Christus manifestaretur.

Hic vnum notandum occurrit, videlicet quod sicut verbum caro factum duplici constat natura, vna diuina, altera humana: ita opus fuit, vt duplici voce manifestaretur mundo, diuina vna, altera humana. Æternus pater primò declarauit ipsum diuina voce in Iordane, & repetita in monte; *Vox patris intonuit, hic est filius meus dilectus.* Iohannes verò secundò humana voce declarauit, cùm dixit venientibus ad se; *Ecce Agnus Dei*, non sum ego Christus, non sum Elias, non sum Propheta. *Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini.* Sicut apud S. Lucam dictum est, quia *venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini*, &c.

Ioh. 1.

Iohánes vox Dei in vniuersum.

O titulum laudis & gloriæ Iohannis! *Ego vox*, ait. In vniuersum vox Dei est, vox patris, vox filij, vox Spiritussancti. Pater in nube testimonium perhibuit de filio, filius verbo & opere de seipso, Spiritussanctus in forma columbæ super eum descendens: & ecce tribus vicibus Iohannes, vt communis omnium vox, etiam ipsum testatus est Iohannis 1. dicens: *Ecce Agnus Dei*; (& hoc bis) *hic est de quo dixi: propterea veni vt manifestetur.* rursus; *Ego nesciebam eum*, scilicet, ex facie, *sed qui misit me baptizare in aqua* (pater) *dixit mihi: super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei*, &c. *Ego vox clamantis in deserto: Parate viam Domini.*

In vocis nomine præcipuæ laudes Iohannis.

Hoc autem vocis nomine comprehendi videntur potiores prærogatiuæ Iohannis. Sic Dauid de eo prophetico spiritu loquens Psal. 28. septies ei hoc nomen attribuit, vt ostendatur quantus sit illi ex eo honos. S. Basilij interpretatio est hom. 2. in hunc Psal. citatum, vbi ait; *Vox Domini super aquas, Deus Maiestatis intonuit, vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros, vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum, vox Domini preparantis ceruos.* Ecce septies vox repetita; quod, vt dixi, interpretatus est S. Basil. de Sancto Iohanne præcursore, qui est vox patris, vox filij, vox Spiritussancti, & in vniuersum vox Dei.

Basil. hom. in Ps. 28.

S. Basil.

A

Qualis quæso (ait ille S. Doctor,) illa vox Domini est super aquas, nisi Iohannes in Iordane baptizans? illic enim Deus Maiestatis intonuit dicens: *hic est filius meus.* Ecce vox Domini in Maiestate, vox patris.

Et qualis vox est Domini in virtute? vox filij in humanitate; virtus enim de illo exibat, & sanabat omnes. *Prædicamus Christum*, inquit Apostolus, *vocatis Dei virtutem & sapientiam.*

1. Cor. 1.

Vox autem Domini in magnificentia, vox est
B Spiritussancti, qui replet omnia, & Deū prædicat. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*, (scilicet, eius.) Spiritus Domini est qui magnificat ipsum & laudat, atque etiam de Christo in nobis testimonium perhibet, quia Spiritus est veritatis, ipso dicente: *Cùm venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à patre Spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me.* Hoc autem modo vox Domini extitit Iohannes in Iordane & super aquas; in maiestate, in virtute, & magnificentia.

Ioh. 15.

Hoc modo vox confringens cedros (deprimens excelsos:) intercidens flammam ignis (singulis diuidens ardorem & zelum spiritus sui:) concutiens
C desertum (Gentilem populum ad Dei notitiam adducens:) & præparans ceruos, id est, fideles, ad agenda bona opera, & iustitiæ actiones. Quomodo de eo Zachariæ patri Angelus prædixerat dicens; *& conuertet filios Israël ad Dominum, corda patrum in filios* (sicut filiorum ad patres,) *& incredulos ad prudētiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.* Quasi diceret: ipse eamdem fidem & intelligentiam de Christo & Messia infundet filiorum cordibus, quam patres antiqui habuere; facietque prædicatione sua vt inuicem consentientes omnes in idem conueniant, & sic vnanimiter credentes in Christum, de fide sua & iustitia testimonium pœnitentiâ perhibeant.

D Hac ratione igitur ait S. Luc. *Venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. Parate viam Domini, rectas facite semitas eius; omnis vallis implebitur, & omnis mons humiliabitur.* Ecce vox Domini confringentis cedros, scilicet superbos. *Erunt praua in directa, & aspera in vias planas.* Ecce vox Domini concutientis desertum, *& videbit omnis caro salutare Dei.* Prosequitur. *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Dico vobis, iam securis ad radicem arboris posita est.* Ecce vox Domini intercidētis flammam ignis. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ego vos clamantis in
E deserto. *Pœnitentiam agite, & parate viam Domini.* Ecce vox Domini preparantis ceruos, id est, fideles & iustos, qui dignos fructus pœnitentiæ reddunt. Tunc enim appropinquat illis regnum Dei: proptereáque dixit Christus, quia à diebus Iohannis regnum cœlorum vim patitur, iuxta quod vox pœnitentiæ fuit.

Explicatio & conueniētia psalmi cū Euāgelio & officio Iohannis.

Matth. 3.

Verè vox Iohannes fuit, sed vox clamantis, vox quæ nobis Regem, & regnum eius annunciat & ostendit, Christum Regem, & cœlum regnum eius. Iohannes est vox, & pœnitentiæ vox; vox in prædicatione & voce, in vita, baptismo, & loco.

Iohānes vbique vox pænitentiæ. In voce.

Vox in voce, quæ eiusmodi est. *Pœnitentiam agite, & dignos fructus; ecce enim appropinquauit regnum cœlorum.*

cælorum. Ecce in prædicatione pœnitentiæ vox. In vita similiter, quæ tota in pœnitentia est: à teneris annis, tertio vel quinto scilicet ætatis, vt multi æstimant, elongat fugiens, & manet in solitudine, habitâs cum bestiis; pilis camelorum vestitus, nō sicut qui in domibus Regum sunt, vestibus pretiosis & mollibus: non manducat, nec bibit, & si ad id cogitur, pro cibo, potúque aquam habet, mel syluestre & locustas. Ecce in genere vitæ vox pœnitentiæ.

In vita.

In baptismo etiam, sicut S. Luc. refert, dicens quia *venit in omnem regionem Iordanis, pœnitentiæ baptismum prædicans* Denique in loco, qui est solitudo, vnde dicit: *Ego vox clamantis in deserto.* Quid clamat? Pœnitentiam agite, parate viam Domini. Sed vbinam sic clamat? In deserto, loco pœnitentiæ penitus congruo. Certè hic omnia pœnitentiam resonant, sed vt discamus, quia si velimus aduentus Christi & regni eius esse participes, in pœnitentia eum præuenire oportet, per quam & nos ad Christum habemus accessum.

In baptismo. *In loco.*

Duæ viæ sunt eundi ad ipsum, innocentia & pœnitentia; si innocentia desit, ad pœnitentiam est recurrendum. Et neminem decipiat error, nec vos seducat fallax mundus: aut hic facienda quando prodest, aut certè tunc quando non proderit.

Duæ viæ eundi ad Christum.

Quare operæpretium est scire multiplicem esse & diuersam pœnitentiam in terris, sicut in inferis. Alia est infructuosa & inutilis, iniqua & desperata; alia adhuc coacta simul & desperata: & vna tantùmbona est, quæ & necessaria est. In Esau video pœnitentiam, sed inutilem: sic ad Heb. Apostolus; *Scitote quoniam cupiēs postea hæreditare benedictionem, reprobatus est, non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Video pœnitentiam in Antiocho, sed inutilem & infructuosam: *Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consequuturus.* Ecce pœnitentiæ inutiles.

Pœnitentia diuersa. *Pœnitentia inutilis.* Gen. 27. Hebr. 12. 2. Macha. 9.

Videamus adhuc iniquas & desperatas. In Cain desperatam video; *Maior est*, inquit, *iniquitas mea quàm vt veniam merear.* Etiam & in Iuda iniquam & desperatam video, qui *pœnitentia ductus*, (ecce peccati pœnitet apostatam,) sed ecce desperatio, *laqueo se suspendit.*

Pœnitentia desperata. Gen. 4. Matth. 27.

Sed alias adhuc videamus coactas & in inferno desperatas. De reprobis & condemnatis dicitur Sap. 5. *quia turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.* Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum: & quia nisi pœnitentiam bonam habueritis, hic peribitis. Pœnitentia bona, vna est & voluntaria, perseuerans, sancta, & vitæ meritoria. Illa est de qua S. August. lib. de pœnit. Sic pœnitentia continua, amara, ætatis meæ comes, peccatorum meorum continuus dolor, vitæ meæ terror; si nō sū dignus oculos ad cœlū leuare orando, certè sum dignus illos exsiccare plorando. Quod certam pœnitentiam facit, odium est peccati, & amor Dei. Ecce notæ, & differentiæ bonæ & vtilis pœnitentiæ, cuius vsus & praxis in deserto est amaritudinis & gemitus, in amaritudine contritionis, & gemitu confessionis. *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini*, &c.

Pœnitentia desperata & coacta in inferno. Sap. 5. *Pœnitentia bona & voluntaria.* S. August. li. de pœnit. Rom. 5.

Ingrediamur & nos in illud desertum: hoc autem est cor animæ pœnitentis. Desertum locus est spinarum, & totus solatio carens: ita debet esse cor nostrum, vt pœnitentiæ nostræ locus, scilicet, in tribulatione & dolore de peccatis, in amaritudine & carentia omnis solatij, nisi fortè inueniatur in lacrymis, lamentis, mortificationibus, contemplationibus, aliisque similibus pœnitentiæ exercitiis: sicut psalmista dicebat; *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei. & delectatus sum.* Extra pœnitentiam, aut innocentiam, ô homo, consolatio nulla est.

Cor hominis desertum est & pœnitentiæ locus.

A

Legimus in Exodo, quod postquam filij Israël de Ægypto fuissent egressi in desertum, statim illos Deus repleuit innumeris beneficiis, maximè autem in quatuor est eos cōsolatus: pluit illis manna de cœlo, aquarum abundantia potauit, à morsu serpentum sanauit; & præterea ostendit illis, & promisit terram lacte & melle manantem. Ita dico, similia, & adhuc maiora nobis beneficia aduenient, si de Ægypto nostra ingrediamur ad pœnitentiæ desertum. Primò, nobis illic descendere Deus faciet imbrem, pluétque copiosius manna gratiarum, iuxta illud Rom. *vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia in vitam æternam*, &c. Secundò, de duritia cordium lacrymas consolationis extrahet Deus, vt potet nos postea de torrente suæ diuinæ voluptatis. Hæ sunt lacrymæ quas peto, lacrymas Petri peto, Magdalenæ, Dauidis, non lætitiam peccatorum. Domine exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.

Bona quæ ex pœnitentia procedunt.

B

Rom. 5.

Tertiò, in hoc deserto contra morsus serpentum sanabimur Crucis, & Crucifixi aspectu: quem enim non sanabit à peccato, qui pro peccato mortuus est? Num. 21. dixit Moysi Deus; *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo. qui percussus aspexerit eum viuet.* Ita ait S. Petr. *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini*, scilicet aduersus peccatum. Et Apostolus; *Deponentes omne pondus, & peccatum circumstans, curramus aspicientes in consummatorem* IESVM, &c.

C

Num. 21.

Quartò denique nobis hic promissionis terra demonstrabitur, dabiturque. Quod non sic accidit iis qui de Ægypto fuerant egressi, quia murmurati fuerant contra Dominum: nobis autem omnibus procul dubio dabitur, sicut promittitur. Solùm pœnitentiam agite, ait Iohannes, & appropinquabit regnum cœlorum. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius, & videbit omnis caro salutare Dei. Videbit certè, si præoccupemus faciem eius in confessione. Secunda vox pœnitentiæ est: sit diligens, sit integra & humilis. Istæ sunt tres necessariæ conditiones confessionis.

D

Confessio vox pœnitentiæ est. *Triplex conditio confessionis.*

1.

Prima est conditio, vt sit diligens tam respectu examinis conscientiæ, quàm temporis. Examen preces ad Deum requirit, mentisque applicationem, in quo peccatum commissum est, quomodo, quando, vbi, cum quibus, & quoties. Tempus dilationem non admittit, sed protinus exigit vt tollatur iniquitas. *Ne dicas, miseratio Domini magna est, peccaui. & quid mihi accidet triste? Ne quasi differas de die in diem conuerti, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Iam securis ad radicem arboris posita est*, ait præcursor Iohannes. Ecce conditio prima, diligentia.

E

Eccli. 5.

Secunda in integritate est, scilicet, vt omnia penitus declarentur peccata, iuxta species, numerum, & circunstantias. Neque enim, ait S. Ambros. potest quis à peccato iustificari, nisi peccatum confessus fuerit. Vnde qui defectu examinis necessarij, & fidelis declarationis peccatum omitteret, veniam non obtineret: sicut nec is qui minimè intenderet satisfacere. Sic enim contra confessionis integritatem peccaret.

Secunda conditio. S. Ambros.

Tertia

Tertia conditio.

Tertia denique conditio est, vt sit confessio humilis, id est, vt exterior sit confusio cum interiori compunctione cordis, adinstar publicani, de quo in Euangelio Dominus. Sic enim via præparatur Domino, qui non venit nisi ad humiles.

DE MOTIVIS CONsensus Virginis, allato exemplo Elisabeth, & omnipotentiæ Dei.

Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, quia non erit impossibile apud Deum, &c. Luc. 1.

ÆTerna sapientia Patris Christus est, & hoc mysterium sapientia abscondita dicitur, altitudo Dei in profunda humilitate hominis; vnde est quòd nisi reueletur, semper absconditum manet. Ideo missus à Deo Angelus Virgini reuelat, quæ iam aliũde & ãtè futurum sciebat, quod implendum in se nesciebat. Legerat Isaiam, & meliùs crediderat mysterio quã infidelis Rex Achab, cui hæc prophetia reuelata fuerat: Angelus ei annuntiat, quòd ipsa est de qua apud Prophetam sermo est; & illa humiliter turbata in sermone eius, cogitat qualis est ista salutatio, nec incredula facti modum quærit, & miratur potentiam facientis. Quid nunc itaque facit Angelus? Illam non amplius ad fidem, sed ad consensum inducit, proposita Dei omnipotentia, & supernaturali exemplo; *Ecce*, inquit, *Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit in senectute sua.*

Maria Virgo est, de qua sermo apud Isaiam.

Angelus exēplo Elisabeth non amplius ad fidem, sed ad cōsensum Virginē adducit.

Sed adhuc quàm bene omnia conueniant aduertamus, vbi dum miraculum miraculo additur, gaudium etiam gaudio completur, exemplo præsenti allato propriæ parentis; vt sic per omnia illam nunc faciliùs adduceret ad consensum. Animaduersio est Sancti Chrysostomi, vt videamus simul cum eo, quanta solertia vtitur Angelus: non ei in memoriam reducit Saram, Rebeccam, vel Rachelem; & hæ fuerunt steriles, & magnum in illis miraculum fuit; sed quia antiquæ erant, narrationem adducit eam ad hoc quod nuper contigerat, vt mentem eius ad credendum prouocaret, non vetera exempla producit, sed recens factum, & cognatæ, vt credentem magis confirmaret. Optimè dixit Apostolus; *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt.* Propterea notat S. Thom. Angelum in sua legatione & annuntiatione conuenientissimum ordinem obseruasse, vt ad hoc mysterium Virginem disponeret, in quo tria potissimùm intendit circa illam.

S. Chrysost. hom. 49. in Gen.

Rom. 13.
S. Thom. 3. p. q. 30. ar. 4.

Tria obseruat Angelus.

1\. Primum est, reddere mentem eius attentam ad tantæ rei considerationem, noua & insolita salutatione salutando eam, summáque reuerentia adhibita: vnde etiam accidit, vt ipsa turbata cogitaret qualis esset ista salutatio. Origenes in Luc. hic animaduertit, quòd si sciuisset ad alium quempiam similem esse factum sermonem, (vtpote quæ habebat legis scientiam) nunquam eam talis salutatio quasi peregrina terruisset. Ex eo igitur quòd insolita erat, magis etiam reddebatur attenta, in qua & Angelus dispositionem præmittebat ad conceptum, dicens; *Aue gratia plena:* conceptum verò,

Origenes in Luc. hom. 6. tom. 2.

A seu concipiendum exprimebat, dicens; *Dominus tecum:* & honorem consequentem prænuntiabat, dicens: *Benedicta tu in mulieribus.* Ecce prima dispositio, & quod primò intendebat.

Secundum est, quòd eam de mysterio instruere prætendit, vbi illi explicat quomodo implendum in illa erat; quod quidem facit, ei conceptum & partum referendo, dicens; *Ecce concipies in vtero, & paries:* prolisque conceptæ dignitatem demonstrãdo, dicens; *Hic erit magnus.* Denique etiam conceptionis modum ostendendo, cùm dicit, *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c. 2.

Tertium denique est, quòd animum eius inducere intendit ad consensum. Quod exemplo facit 3.
B Elisabeth, ratione sumpta ex diuina omnipotentia, exemplo addito, & non sufficienti argumento, argumento autem penitus efficaci ad confirmationem exempli: cuiusmodi est omnipotentia Dei. In senectute concepit Elisabeth, ecce exemplum: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum; ecce argumentum, & quidem efficax, & non solùm sufficiens, etenim conuictio est. Ita S. Ambros. & post eum Angelicus Doctor, docens quomodo quidem conceptus Elisabeth sterilis inducitur, non quasi sufficiens argumentum, sed quasi quoddam figurale exemplum, & ideo ad confirmationem huius exempli subditur argumentum efficax ex omnipotentia diuina: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

S. Ambros. in Hexam.
S. Thom.

C Mirari, quæso, liceat hunc ordinem diuinæ sapientiæ. Primò inducitur Virgo ad attentionem; secundò ad instructionem; tertiò ad consensum. Tria sunt hæc quæ ordine seruauit Angelus circa illam, omnia ex diuina potentia concludens, dicendo; *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Sciebat quidem nõ dubitare illam nisi circa modum, vnde hic est modus, ô Virgo, quem quæris, omnipotentia verbi Dei. Ita S. Aug. ad Volus. scribens. Tota hîc ratio facti, est potentia facientis. Ipse est qui dicit, & facta sunt, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Deus, cuius natura bonitas, ait S. Leo, & voluntas potentia; sicut etiam diuinus Psaltes: *Omnia quæcunque voluit fecit.* Et certè nihil est Deo difficile factu, in cuius potentia est per obedientiam omnis creatura. Propterea etiam potiùs dixit Angelus, *non est impossibile apud Deum omne verbum*, quàm, nulla res est illi impossibilis, quia dicere Dei, est facere. *Dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt.*

Modus concipiendi & pariendi in Virgine, omnipotentia Dei.

S. Augast. epist. 3. ad Volus.

D Psal. 103.

Cur singulariter dixit Angelus, nõ est impossibile apud Deum omne verbum.

Illud sit, quæso, ad solatium nostrum, & fidei nostræ robur, quòd sit omnipotens Dei verbum; & dicere Dei, sit facere. Dixit, *hoc est corpus meum.* O hæretice, & incredule, non sit iam ambigendi locus: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Eadem ratione & efficacia loquitur tantùm, & sanat; dat vitam, dimittitque peccata, vt aliquando dixit: *Quid est faciliùs dicere, dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: surge & ambula? Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam.* Vt ostenderet quia omnia eius verbo æqualiter possibilia sunt, & subiecta, siue per se, siue per suos loquatur; neque enim refert, modò Dei verbum sit, & secundùm voluntatem eius proferatur.

Dicere Dei est facere.

E Math. 9.

Olim dixit Elisæus ciuibus Samariæ, qui à Syris obsidebantur: *Audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus: In tempore hoc* (scilicet præsentis famis & extremæ necessitatis) *cras modius similæ vno statere erit,* 4. Reg. 7.

Ostēdit Elisæus omnia Deo possibilia.

& duo

& duo modij hordei statere vno in porta Samariæ. Respondens quidam incredulus, vnus de ducibus, super cuius manum Rex incumbebat, homini Dei ait, *Etiamsi fecerit Dominus cataractas in cœlo, numquid poterit esse quod loqueris?* Cui Elisæus; *Videbis oculis tuis, & inde non comedes.* Quasi diceret: videbis & tu, vt cæteri; sed statim morieris. Quod quidem sic aduenit, sicut prædictum fuerat. Nam hostibus ea nocte diuinitus perterritis, & fugientibus, mane factus est in porta ciuitatis modius similæ vno statere, iuxta verbum Domini, vt Scriptura notat; & ille dux incredulus, quem Rex ad portam constituerat, vt custodiret eam, præ turba conculcatus est & mortuus, iuxta quod locutus fuerat vir Dei: *Videbis oculis tuis, & inde non comedes.*

Audite ô increduli, & hoc exemplo discite, quia omne verbum Dei stabit, & nullum est impossibile apud Deum: vos autem in incredulitate vestra moriemini. Dicere Dei, siue per se, siue per alios, facere est. Ecce nostrum robur contra aduersarios, atque in difficilioribus solatium; *Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Apud homines multa quidem impossibilia sunt, & dicere multa solent, quæ nunquam futura sunt; quia nec facere possunt: Deo autem omnia possibilia & facilia sunt, licèt adhuc nobis ardua videantur supra vires, & quodammodo etiam impossibilia. Quomodo in Euangelio clarè adhuc ostendit, vbi de camelo loquens, qui faciliùs per foramen acus transire poterat, quàm diues intrare in regnum cœlorum, discipulis admirantibus, respondit: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* (hoc sedulò notetur.) Sic olim Ieremias dicebat: *Non erit tibi difficile omne verbum, qui facis misericordiam in millibus.* Quare solùm in virtute Dei, & efficaci verbi eius potentia confidentes simus, & nobis sufficit, satísque ad omnia est: sicut enim sine eius adiutorio nihil potest nostra fragilis infirmitas; ita cum virtute eius & verbo omnia possumus. Audite dicentem Paulum; *Omnia possum in eo qui me confortat.* & Isaiam; *Qui sperant in Domino, habebunt fortitudinem, &c.*

Matth. 19. — Ierem. 25. — Phil. 4. — Isa. 40.

Quod si iam tanta facere valeamus operantes cum Dei virtute, & eius gratia suffulti, quid poterit amplius, aut etiam faciet ipsa Dei virtus in nobis, cùm iam non amplius nos cum illo, sed ipse solus in nobis secundùm suam omnipotentem virtutem operabitur & faciet? Hoc ipsum certè fuit quod Angelus Virgini indicare voluit, cùm de illo mysterio, quod in ea ex sola Dei virtute & omnipotentia implendum erat, dixit ei; *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Verbũ dixit, quia tantum potest Deus, quantum vult & intelligit. Intelligere autem Dei, seu cõcipere Dei, est illud quod totum est in Deo verbum. Vnde sicut nõ est ei impossibile, & difficile quicquid vult mente sua concipere: ita neque erit apud eum impossibile omne verbum. Maximè adhuc cùm in eo intelligere sit velle; & verbum eius, seu voluntas, sit ipsum posse, & ipsum facere: facere enim non minus Deo facile est quàm velle & intelligere.

Tantũ Deus potest quantum intelligit. — *Intelligere Dei, in Deo verbum est.* — *Ratio omnipotentiæ in verbo Dei.*

Quapropter, ô Virgo, nihil nunc amplius superest, quàm vt modò propositis rebus ab Angelo cõsentias; hoc ipsum est quod Dominus petit à te, qui hunc nuntium misit ad te: hoc Dominus expectat, hoc Pater, hoc Verbum, hoc Spiritussanctus; hoc expectat Gabriel, & hoc omnes Angeli cum illo, hoc vniuersi homines, iusti, sicut peccatores. Ad hoc denique totus mundus, qui captiuus detinetur, te iam exhortatur & inuitat, qui sperat, & agnoscit ex illo tuo consensu salutem, libertatémque consequuturum. Da igitur, Virgo, da responsum, sed tuum consensum.

Expectatur cõsensus Virginis.

Ita S. Aug. alloquitur illã in die natali Domini. Deus, inquit, est in porta, & Angelum quem moraris, ô beata Maria, expectat: sæculum omne captiuum tuum deprecatur consensum; te Deo mundus suæ fidei obsidem facit, est nobis aditus, si assensus tuus fuerit commodatus.

S. August. Serm. 17. de Natal. Dom.

Et S. Bern. super Missus, etiam sic deuotè alloquitur illam. Expectat Angelus, ô Virgo, responsum. Tempus est enim, vt reuertatur ad Deum qui misit illum; expectamus & nos, ô Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Ecce offertur tibi pretium salutis nostræ, & statim liberabimur si consentis: in sempiterno Dei verbo facti sumus, & ecce morimur; in tuo breui responso sumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur. Hoc supplicat à te, ô pia Virgo, flebilis Adam exul de Paradiso cum misera sobole sua, hoc Abraham, hoc Dauid, hoc flagitant cæteri sancti patres tui, & qui habitant in regione vmbræ mortis: hoc totus mundus genibus tuis prouolutus expectat. & paulo post. Da igitur, ô Virgo, responsum, festinanter & Verbum. Responde, ô Domina, quod terra, quod inferi, quod expectant & superi; sed & ipse omnium Rex & Dominus: & cui placuisti in silentio, iam magis placebis ex verbo, cùm ipse tibi clamet è cœlo; O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Quam illam, *Ecce ancilla Domini.* Responde itaque citiùs Angelo, imò per Angelum Domino, responde verbum, & suscipe Verbum; profer tuum, & concipe diuinum; emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Quid trepidas? Tu desiderata es, tu expectata es, tu promissa, & cui hoc promissum est, an aliam expectamus? Tu illa denique in qua, & per quam Deus ipse Rex noster ante sæcula disposuit operari salutem in medio terræ. Ecce desideratus cunctis gentibus, foris pulsat ad ostium, & vult intrare; aperi ergo Virgo beata cor tuum fidei, labia confessioni, viscera creatori, & dic; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

S. Bernard. hom. 4. super Missus.

DE CONSENSV, OBEDIENTIA, & HUMILITATE BEATÆ VIRGINIS.

Ecce ancilla Domini, &c. Luc. 1.

Consensus Virginis necessarius erat ad Incarnationem Christi: volũtaria fuerat mors hominis; ita oportebat vt voluntaria esset reparatio vitæ eius. Consensus fecerat peccatum; ita operabitur consensus salutem: *Ecce ancilla Domini*, &c. Quàm longè distat Eua nostra secunda à prima! Prima Eua superba & inobediens turbauit vniuersum, & hominem Dei inimicum fecit: nostra verò secunda humilis & obediens pacem dedit sæculo & reconciliationem. Prima dæmoni consentiens, cum Deo diuortium fecit: & secunda humilis & Virgo, verbis Angeli consentiens cum Deo sublime & excelsum matrimonium celebrauit.

Comparatio inter Euam & Mariam.

Matrimonium admirabile, vbi Deo sponsatur natura humana, & omnes nascimur hodie filij Dei. Sponsalia matrimonium antecedunt, quod nexus indissolubilis postea sequitur, id est, ante nexum personalem consensus præcedit, fiunt promissiones, & de vnione voluntatum

I agitur.

Cum Virgine ordo seruatur matrimonij, de qua cõsensus exigitur.

agitur. Ita hodie cum Virgine actum est: sponsalia, consensus, & promissiones hoc diuinum matrimonium præcedere debuerunt, internuncióque debuit dicere sponsa & Virgo; *Ecce ancilla Domini.* Illæ ergo sunt causæ Incarnationis, voluntas Patris donantis Filium, voluntas eiusdem Filij, & adhæsio Virginis voluntati Patris & Filij, id est, consensus eius.

Figura in Rebecca. Gen.24.

Sic legimus factum in Genesi, vbi istius mysterij singularis figura est in Rebecca, cuius voluntas explorata est, an vellet Isaac acceptare in virum. Abraham iam senex dierum multorum, mittit seruum seniorem domus suæ, scilicet Eliezer procuratorem suum, & qui præerat cunctis quæ habebat, in Mesopotamiã ad Bathuelem, vt acciperet vnam ex filiabus eius in vxorem filio suo Isaac: & ecce cùm ille adhuc in via staret prope fontem aquæ, Rebecca filia Bathuel egrediebatur de ciuitate, inquit Scriptura; puella decora nimis, virgóque pulcherrima, & incognita viro, hydriam habens, vt impleret aqua, & statim reuerteretur. Cui ille salutatione occurrens, peténsque ab illa vt sibi de puteo aquam daret ad bibendum, tacitus contemplabatur eam, volénsque scire vtrùm prosperum iter suum fecisset Dominus, inaures illi apposuit, & armillas ad ornandum, dixitque ad illam: Cuius es filia, indica mihi, est in domo patris tui locus ad manendum? Quæ respondit cum humilitate, & pudore: Ego sum filia Bathuelis (qui interpretatur filiatio Dei,) ego soror Laban (qui dicitur candidus:) & addidit, est apud nos locus spatiosus ad manendum. Et statim onusta suis muneribus, & illa nouitate sortis ac sermonis turbata, in domum cucurrit cogitans apud se, & nuncians suis omnia quæ audierat. Quæ cùm etiam audiisset, vidissetque nuncius, inclinauit se, & adorauit Dominum, dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abrahã, qui perduxit me recto itinere, vt sumerem filiam fratris domini mei in vxorem filio eius. Vnde introductus statim eam petit in vxorem filio domini sui, & ornatam vestibus pretiosis voluit sine mora adducere eam ad dominum suum: verùm ante fuit opus consensum habere puellæ & virginis.

Cõsensus Rebeccæ in vxorẽ Isaac electa antè exigitur.

Quare dixerunt parẽtes, vocemus puellam, & quæramus eius voluntatem. Cúmque vocata venisset, sciscitati sunt, vis ire cum homine isto? Quæ ait; Vadam, ecce ancilla Domini: & dimiserunt eam imprecantes ei prospera, & dicentes; Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.

Applicatio.

Hîc quæso videamus quàm bene conueniat hæc historia & figura cum veritate nostra; hæc Eliezer missio & legatio, cum missione & legatione Gabrielis; hoc responsum & consensus Rebeccæ, cum responso & consensu Mariæ Virginis.

Imprimis in Abraham mittente, sene multorum dierum, & qui dicitur Pater credentium, optimè & conuenientissimè repræsentatur Pater æternus, antiquus dierum, & Pater omnium, qui misit Angelum, vt ab initio dicitur; *Missus est Angelus à Deo.*

In Eliezer, qui interpretatur adiutorium Dei, & procurator erat domus Abraham, aptissimè Gabriel Archangelus designatur, qui dicitur virtus, adiutorium, & fortitudo Dei, procurator huius negotij: sicut & salutis nostræ procuratores sunt omnes Angeli, omnes administratorij spiritus. In Isaac, qui interpretatur risus, Christus intelligitur gaudium vniuersi.

In Rebecca pulchra, virgine, & viro incogni-

A ta, & quæ etiam ouis interpretatur, optimè significatur Maria, tota pulchra, & in qua nulla est macula; Virgo, & quæ virum non cognoscebat, cœlestis ouis, quæ paritura est Agnum Dei qui tollit peccata mundi.

Eliezer inuenit Rebeccam egressam de vrbe, & prope fontem; & Gabriel inuenit Mariam in sua solitudine extra se positam, meditationi diuinæ vacantem in medio fonte, ac totam gratiarum fluentis irriguam.

Eliezer tacitus Rebeccam contemplabatur, inaures dedit, rogat cuius filia sit, & nunquid sit in domo patris eius locus ad manendum; & Gabriel in admirationem raptus salutat Mariam dicens,
B *Aue gratia plena, Dominus tecum*, filia es Dauid, filia Bathuelis, qui dicitur filiatio Dei. Tu igitur filia Dei, & futura mater es Altissimi Dei: *benedicta tu in mulieribus.* Ecce inaures & munera quæ illi offert; *Ecce concipies, Spiritussanctus superueniet in te*, &c.

Quibus auditis, vt altera Rebecca fugit intra semetipsam, & clauso super se ostio cordis, cogitat qualis est ista salutatio. *Quomodo fiet istud?* inquit. Quæ audit, non intelligit, & miratur. O Virgo, hîc opus est consensu, & hoc ipsum est quod modo nuncius expectat. Quæ sunt supra nos, intellectus obsequium, & voluntatis consensum
C expostulant: sine isto consensu & obsequio nihil agitur.

Angelus, ô Virgo, vult ad Dominum suum reuerti, & postulat vt dicas, *Ecce ancilla Domini.* Sic de Rebecca dicitur; Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem: sic hodie Mariæ quæritur voluntas & consensus. Soror nostra est, optemus illi & nobis cuncta prospera; optemus scilicet, vt dicat, *Ecce ancilla Domini.* O quàm bene ista puella Rebecca, & Virgo adumbrauit Mariam! Nisi in hoc disparitas appareat, quòd illa, scilicet Rebecca, in vxorem Isaac electa est: Maria verò in matrem vnigeniti Dei. Rebecca dicendo, *vadam*, vxor Isaac facta est: & Maria dicendo, *Ecce ancilla Domini*, Mater Domini effecta est.

Disparitas in figura inter Mariam & Rebeccam.

D Eximia certè dignitas illa est & vnica gloria, humilitatis verbo filium Dei concepisse. Illud est quod hodie nobis hîc notandum superest. S. Bern. hoc rectè notauit super Missus. Humiliter, ait, Virgo respondit, vt sedes gratiæ præpararetur: sicut enim aquarum sedes est vallium humilitas; ita gratiarum sedes humilitas hominum. Ita Psaltes ait: *Inter medium montium pertransibunt aquæ.* Fontium aquæ non ascendunt, sed descendunt & currunt per conualles: sic fons omnium gratiarum Deus minimè ascendit; nihil enim supra se eleuatum habet, sed potiùs descendit. In quem? certè in humilẽ, eóque promptiùs & ampliùs, quo is in quem venit humilior est. Quare simulatque dixit Virgo, *Ecce*
E *ancilla Domini*, in illam humillimam fons omnium gratiarum descendit. *Qui se humiliat, exaltabitur*, inquit Christus. Et illa de se in suo Cant. *Quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ. Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* S. Bern. vt suprà dicit hîc. Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se dicit & nominat. Ita ante illum S. Ambros. in Sanctum Lucam. Vide humilitatem, ait, vide deuotionem, ancillam se dicit Domini, quę Mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est; simul ancillam dicendo, nullam sibi prærogatiuam tantæ gratiæ vendicauit, quæ faceret quod iuberetur (scilicet humiliare se.) Mitem enim & humi

Virgo humilitatis verbo concepit Verbum. S.Ber. hom. 4. super Missus. Pf. 103. *Similitudo.* Luc.14. & 1. S. Bern. eadem homil. vt suprà. S. Ambros. in 1.c.Lucę. *Humilitas Virginis.*

humilem paritura, humilitatem etiam debuit ipsa præferre.

Ecce ancilla Domini: quasi diceret, scio quod creaturæ plus se subiicere debent Deo, quàm serui dominis; aut etiam quam lutum figulo: & scio etiam quia nulla creatura debet plus Deo, quàm ego Deo meo & Domino. Quare, *Ecce ancilla Domini.*

Abigail figura. 1 Reg. 25. Figura tantæ humilitatis in Scriptura sacra fuit Abigail, quæ cùm accepisset à nunciis se in vxorē eligendam à Dauid, statim venit ad Regem, & adorauit prona in terram, & dixit; *Ecce famula tua, sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei.* Ita Virgo, audiens à diuino nuncio Gabriele, se in Matrē Dei electam, magna certè tunc cum humilitate, & mēte & corpore prostrata, ipsum adorauit dicens: *Ecce ancilla Domini*; sine ipsius auxilio & gratia, etiam nec minimis apta sum, ipse me suo fauore dignam efficiet & idoneam maioribus; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

Quanā erat dispositio Virginis dū Angelo loquebatur. S. Hier. Ser. de Nat. S. Laur. Iust. Ser. de Annun. S. Hieron. Ser. de Nat. eius, narrat quòd manibus tunc expansis, oculisq; in cœlum leuatis, hæc verba dixit cum exercitio & praxi omnium virtutum, fidei, spei, & charitatis, humilitatis, obedientiæ, fiduciæ, & magnanimitatis, &c. S. Laur. Iustin. Serm. de Ann. dicit totum cor eius tunc ad Deum conuersum fuisse, irradiatum noua luce, insolito charitatis desiderio liquefactum, ac ineffabili repletū deuotionis affectu; & sic ipsam corpore & mente prostratam dixisse; *Ecce ancilla Domini* &c. Hæc particula,

Quid demōstrat particula, Ecce. *Ecce*, dat testimonium, quia in praxi omnium virtutum erat: ostendit humilem eius & promptā obedientiam. Sic Samuel dicebat Deo: *Ecce ego.* Sic

Isa. 6. Isaias; *Ecce ego, mitte me.* Sic Psaltes; *Tunc dixi, ecce ve-*

Ps. 39. *nio.* Denique ostendit fiduciam, & magnanimitatē. Ecce totam me committo in manus Domini, & introibo in potentias Dei mei: respiciet Dominus humilitatem ancillæ suæ, vt quod voluerit, faciat de illa. Illæ sunt virtutes quas illa nos docet.

Humilitas, virtus Sanctorum. Gen. 19. Prima est humilitas, virtus omnium Sanctorū. Dicebat ille sanctissimus fidelium pater Abraham: *Loquar ego ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis.* Et ille inter natos mulierum maior, omnisque

Iohan. 1. sanctitatis exemplar; *Non sum dignus vt soluam corrigiam calceamenti eius. Non sum ego*, aut nihil sum. Ita vas omnis electionis, Apostolus ille magnus

1. Cor. 15. 1. Tim. 1. Paulus: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* Et rursus ad Timoth. *Christus* IESVS *venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Sed inter omnes maxima virtus est Virginis: *Ecce ancilla Domini.* Sed quid addam? etiā & Christi præstantissima est virtus; *Discite à me*, inquit, *quia mitis sum, & humilis corde.*

Obedientia Virginis. Secunda virtus, obedientia est, quæ prompta est & cæca: *Ecce ancilla Domini.* Si vir obediens ex Prou. loquitur victoriam, & ego loquar, faciétque in me magna qui potens est. Ita certè, quia & Deus obtemperantibus sibi obedit, & voluntatem timētium se facit. Ad vocem Iosue stat Sol in medio cœli: & hodie ad vocem obedientis Virginis, Sol Iustitiæ, Sol qui Deus est, & lumen æternum, descendet in eā retrorsum decem gradibus; ille scilicet Sol Iustitiæ Christus minoratus ab Angelis, & hominum opprobrium factus, vermis, & non homo. Vermis de sola terra nascitur virtute Solis; & sic de sola Virgine nascetur Christus, virtute Altissimi, & operatione Spiritussancti. *Ecce ancilla Domini.*

Fiducia Virginis. Tertia virtus, fiducia fuit animi, quòd Deus eam ab omni suspicione & infamia liberaturus esset, atque dubitationi sanctissimi sposi Ioseph prouisurus.

A De Susanna legitur apud Danielem, quòd cùm falsò accusaretur, cor eius habebat fiduciam in Domino; sed magis confidebat Maria in Domino: *Ecce ancilla Domini.* *Dan. 13.*

Quarta est magnanimitas, quando circumstantibus illam verecundia & prudentia, cùm in sermone Angeli turbata, ait, *quomodo fiet istud?* acceptauit tandem pro salute totius vniuersi, dignitatem Matris Dei dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* *Magnanimitas Virginis.*

DE AVGVSTISSIMO & ineffabili mysterio Incarnationis filij Dei.

B

Fiat mihi secundùm verbum tuum. Luc. 1.

NOn potuerunt homines reconciliari Deo nisi per Incarnationem verbi sui: omnia per ipsum facta sunt, ait Ioh. & omnia reparanda sunt per ipsum; omnia dicendo fecit, dicendo fiat, & per idem fiat, reparabit omnia.

Verùm inter creationem rerum, & reparationem, differentia illa est, quòd sexies repetendo fiat, condidit omnia, vt legitur Gen. 1. *Fiat lux, fiat firmamētum, fiant luminaria in firmamento, congregentur aquæ,* quod idem est atque fiant maria; *terra germinet herbam, & producat animam viuentem in genere suo, iumenta,* &c. *Aqua item omnem animam motabilem*, seu pisces; *auesq; multiplicētur & volatilia sub cœlo.* Quod quidem idem est ac si diceret, fiant; sicut etiam de homine obseruatum est, cùm dixit Deus, *faciamus hominem.* Hæc omnia, inquam, creauit, & toties illo verbo, *fiat*, repetito, mundum vniuersum compleuit. Sed cùm reparauit, tantùm semel hoc, *fiat*, & adhuc per Virginem, dictum est; quia statim atque prolatum est, *verbum caro factum est*; nec sæpius repetere opus fuit, vbi eodem puncto & instanti Incarnatio peracta est. *Discrimē inter creationē & reparationem.* C *Efficacia verbi, fiat.* *In reparatione semel tātùm fiat dictum est, & Incarnatio facta est.* D

O fiat, in ore Virginis potentius quàm in ore summi Dei. Deus dicēdo *fiat*, elemēta fecit, luminaria, animalia, hominē; & si vultis, Angelos, Potestates, & Seraphinos: in Virgine verò dicēte idē *fiat*, hominem-Deum fecit, verbū suum filiū Virginis. Nouum quidē miraculum erat illud quod viderat Ierem. dicens: *Nouum creauit Dominus super terram, mulier circumdabit virum*; Deus-homo, & Deus incarnatus fiet in vtero Virginis. Ecce nouum Dei opus. Deus certè ex quo incarnari voluit, & humiliari vsque ad formam serui, ampliora fecit in homine quàm in se; plura in humilitate, quàm in gloria; maiora in ore Virginis, quàm in potentia & verbo suæ Maiestatis. *Fiat mihi*, ait, *secundùm verbum tuum.* Quidquid quod annuncias mihi; in me, inquam, fiat quod nec in Deo potest fieri. In me fiat verbum Dei incarnatum, quod in Deo fieri nequit. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi*, &c. *Ierem. 31.* E *Maiora Deus in ore Virginis fecit, quā in verbo suæ potestatis.*

Sic mirè S. Bern. hoc responsum exaggerat, & paraphrasi exornat super Missus est. Fiat, inquit, mihi de verbo secundùm verbum tuum, quod erat in principio apud Deum; fiat caro de carne mea secundùm verbum tuum; fiat obsecro mihi verbum non prolatum quod transeat, sed conceptum vt maneat, carne videlicet indutum, & non aëre: fiat mihi non tantùm audibile auribus; sed & visibile oculis, palpabile manibus, *S. Bernard. hom. 4 super Missus.*

manibus,& gestabile humeris: fiat mihi incarnatum & viuum,non scriptum & mutum mortui calami depictione in pellibus; sed forma humana castis meis visceribus viuaciter impressum, sancti Spiritus operatione: eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum est,& nemini post me faciendum. Multifariam, multisque modis olim Deus loquutus est Patribus in Prophetis:aliis quidem in aure, aliis in ore,aliis etiam in manu, vt Moysi memoratur factum esse verbum Domini(ad Pharaonem & populum.) Mihi autem oro vt in vtero fiat iuxta verbum tuum, silenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter inuisceratum. Verbum igitur quod in se nec poterat fieri, nec indigebat, dignetur in me, dignetur & mihi fieri secundum verbum tuum,fiat quidem generaliter omni mundo, sed specialiter fiat mihi secundum verbum tuum,&c.

Sanctus autem Euangelista minimè hîc exprimere voluit mysterium, & opus quod statim prolatis verbis impletum est, sicut fecit Iohannes dicens, *& Verbum caro factum est*: & hoc, vt incomprehensibilitatem eius ostenderet, & quia reuera ineffabile est.Etiam & Virgini tale fuit,vt quod in ea factum est, non comprehenderit: hoc soli Deo reseruatum fuit. Ita S.Athan.Ser.quodam de Sancta Deipara. Introgressa est, inquit, in Virginem diuina Filij essentia, adeò vt nec ipsa Virgo hæc cognouerit; cognouerit autem Dei filius quo pacto introierit.

S. Athan.

Mysterium Incarnationis omnino ineffabile.

Igitur neq; nos hîc modum explicare prætendimus,quia nec intelligimus. Sic enim de illa œconomia & diuina dispensatione loquens S. Iustinus Martyr lib. de vera fidei expositione. Ne me verò, ait,quisquam de illo vnionis modo percunctetur; non enim me pudebit fateri ignorantiam, quin è contrà potius glorabor me arcanis minimè vulgandis fidem habere, Doctorémque eorum sacrorum esse, ad quorum perceptionem ratio & mens propter debilitatem suam languet.hæc ille.

S. Iustinus Martyr lib. de vera fidei exposit.

Et S.Damasc.lib.1.de fide orthod. Quemadmodum semetipsum exinaniuit vnigenitus filius, & Deus homo factus ex virgineis sanguinibus, alia quàm naturæ lege plasmatus, ignoramus; & eloqui non valemus: fide enim ista sumus edocti tenere, diuinitus docti ex diuina Scriptura tradita. Modum igitur ignoramus, nec dicere valemus. rursus lib. 3. Opus est quod nouorum omniũ maximè nouum est, & quod solum nouum sub Sole, per quod infinita Dei apparuit virtus.

S. Damasc. lib.1.de fide orthod.

Idem lib. 3.

Quod autem hîc dicere volumus,est,eo instanti quo Virgo Angelo consensum præstitit,dixitque, *Ecce ancilla Domini,fiat mihi secundum verbum tuum*; etiam statim & momento eodem filium Dei conceptum fuisse & incarnatum, simúlque Virginem Dei Matrem fuisse. Hoc tenemo ex doctissimo Abbate Ruperto dicente, quòd Maria Virgo vix absoluerat sermonem, quin è vestigio adfuerit Spiritussanctus, & sese in Virginis vterum infuderit, vt Matrem illam faceret Emanuelis (qui dicitur nobiscum Deus.)

In puncto consensus Virginis Verbum fuit incarnatum.

Rupert. lib. 1. de Spiritu sancto.

Ita S. Aug. Ser.de Natali Domini, verba nostra explicans, *Ecce ancilla Domini*. Mox igitur,ait,Angelus Virginis accepto consensu,cœlestis regionis accolas repetiuit(sicut dicitur quòd postea discessit Angelus ab ea,) & ecce subitò secretum Virginis ineffabilis potentia penetrauit, intrat artifex mundi angustias ventris humani, efficitur grauida Mater intacta; & ecce tanquam sponsus de thalamo Mariæ Christus procedit ex vtero. Et lib.2.de Symbolo.Quãdo Angelus istam Virginem sic salutauit, tunc eam Spiritussanctus fœcundauit, tunc illa fœmina virum sine viro concepit,tunc est repleta gratia,tunc Dominum suscepit, vt esset in ea qui fecerat eam,&c.

S. Aug. Ser. de Na. Dom.

Idem lib. 2. de Symbolo.

Ecce quæ miracula tunc ac eo instanti facta sunt,vbi Virgo in ipsa cõceptione filij,& ante partum Mater facta est,& Dei Mater;hæc enim prima eius fuit maternitas: *Quod in ea natum est,de Spiritu sancto est*, ait Angelus Iosepho;& Elisabeth Virgini: *Vnde hoc mihi,vt Mater Domini mei veniat ad me?* Vbi adhuc in illa hæc quatuor iam à me antè relata miracula simul facta sunt:formatio corporis Christi ex eius purissimo sanguine; creatio animæ ex nihilo:animæ ad corpus vnio:& denique humanitatis à diuinitate assumptio in vnitate personæ. Hæc,inquam,quatuor simul & in eodem instanti. Non enim,vt ait S.Greg.scribens ad Quirinũ,priùs in vtero Virginis caro cõcepta est, & postmodum diuinitas venit in carnem; sed mox vt Verbum venit in vterum,mox Verbum seruata propria natura factum est caro.

In cõceptione Christi prima Virginis maternitas.

In conceptione Christi simul quatuor sunt facta.

S. Greg. ep. 61. ad Quirin.

Et S.Fulgent.lib.de fide,qui attribuitur S.Augustino. Firmissimè,inquit,tene, & nullatenus dubites,non carnem Christi sine diuinitate conceptam in vtero Virginis priusquàm susciperetur à Verbo, sed ipsum Verbum suæ carnis acceptione conceptum, ipsámque carnem Verbi Incarnatione conceptam. Quæ verba,sicut illa Sancti Greg.satis clarè,iuxta quod dicimus, explicant quid sit hoc Incarnationis mysterium, modúsue quo peractũ est, scilicet,quòd operatione Spiritussancti,humanitatis nostræ assumptio facta est à Verbo in vtero Virginis,in vnitate suæ diuinæ personæ.

S. Fulgent. lib. de fide ad Petrum Diaconum.

Quid sit Incarnatio.

Sic igitur admirantibus Angelis,exultante Virgine & gratias agente sanctissimæ Trinitati, facta est & peracta Incarnatio Verbi, omnium vnionũ, & vnitatum singularis & maxima.

Incarnatio est omnium vnionum & vnitatũ maxima.

S.Bern.lib.de consid.ad Eugen.multiplices vnitates constituit, quæ numero decem considerari possunt.Prima est numerica seu numeralis, quæ in creatis omnium prima est & maxima,sicut illa quę in subsistentia est, & per essentiam facit vnum, vt Petrus,Iohannes,&c.Secunda est collectiua seu accidentalis,vt multorum lapidum in aceruo.Tertia constitutiua, vt partium in toto, seu constituentiũ vnum.Quarta cõiugatiua,vt duorum in carne vna, sicut accidit in matrimonio.Quinta,natiua seu originalis intrinseca & substantialis, quæ in vnione est naturæ simul & personæ: vt cùm homo nascitur vnus anima & corpore. Sexta, potestatiua, vt Monarchia,qua vnus præsidet multis.Septima,cõsentanea,vt Respublica,& omnis Cõmunitas, vbi multorum est cor vnum,anima vna,& vna voluntas.Octaua,affectiua,votiua & spiritualis,transcendentalis & beatifica, vt cùm homo omnibus votis adhærens Deo,hîc per gratiam,in cœlo per gloriã fit vnus spiritus cum illo. Nona est dignatiua & ineffabilis,aut si vultis, hypostatica, diuina & personalis,qua limus noster, seu natura nostra à verbo Dei assumpta est in Incarnatione in vnam personam. Decima est Trinitatis personarum in vna essentia, qua N. Pater, Filius, & Spiritussanctus vnus Deus sunt.

S. Bern. lib. de consider.

Multiplex vnitas.

Inter omnes autem illas vnitates,ait Bern.arcem tenet vnitas Trinitatis, qua tres personæ vna substantia sunt, & illa simpliciter omniũ maxima est. Secundo verò loco illa præcellit,qua è cõuerso tres substantię in Christo, scilicet diuinitas, anima, & corpus vna sunt persona; & illa supra alias octo maxima

Vnitas Trinitatis simpliciter omnium est maxima; post illam vnitas hypostatica.

maxima est, propter simplicitatem diuinæ personæ, dignitatem vnitorum, & inseparabilitatem.

Vnde primò vnitate numerali maior est, quia increata est, & nō creata talis diuinæ personæ vnitas, per se subsistens, & cōpleta per se: non autem participata, vt est vnitas in creatis, & illa præsertim numeralis, cui cōpetit ratio partis: est enim sēper pars numeri in numeratis, & tenet adhuc rationem rei incōpletę, quę cōsideratur magis ex parte & vnione naturæ, quàm personæ. Non est autem ita de vnitate personali in Christo, cui cōuenit nō ratio partis, sed rei cōpletæ, & per se subsistentis. Nā si vellemus considerare hanc vnitatem ex parte naturarum vnitarum, omnium certè minima est, & vt dicam, nulla, vbi duæ istæ naturæ, scilicet diuina & humana, distant in infinitum, & adinuicem non sunt vnitæ, adinstar partium, vt naturam vnam constituant; quia semper diuersæ naturæ remanent, completæ in seipsis & perfectæ, sicut dixit S. Leo Ser. de Nat. Christi, quod salua proprietate vtriusque naturæ, suscipitur à Majestate humilitas; à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, vt vnus atque idem (quod nostris remediis congruebat) esset & verus homo, & verus Deus: & ex vno mori, & ex altero resurgere posset, vt Dei & hominum mediator.

Ex parte naturarum non est vnitas in Christo, sed vnio.

S. Leo Ser. de Nat. Christi.

Quare si rationem naturarum habeamus, vnio quidem est, sed non vnitas; si autem personæ, quæ perfectissima est, & per se subsistens, vnitas quidem est, & omnium maxima, vnitate numerali maior, sicut omnibus aliis. Maior collectiua, & partium, quæ est accidentalis & adhærens; hæc autem per se subsistens. Item eadem ratione maior vnitate constitutiua, quæ quidem partium est vnum quid efficientium. Item maior vnitate cōiugatiua & matrimoniali, quæ duarum est personarum in vno corpore, hic enim vnica persona est in duabus naturis. Maior natiua, seu originali substantiali, & intrinseca, qua anima & corpore homo nascitur vnus: etenim ibi fit duplex vnio, & in natura & in persona; hic verò vnica in persona. Maior vnitate potestatiua, vbi vnus regit cæteros imperio: vnitate etiam consentanea & communitatis, vbi amor, virtus & mutuus consensus simul vniunt diuersos; in Christo autem gratia est hypostaticæ vnionis, quæ excellit eminetque omnibus.

Ex parte personæ vnitas est, & omnium maxima.

Denique maior est vnitate votiua seu affectiua in mundo; adhuc etiam beatifica in cœlo, vbi homo intimè per gratiam & visionem coniungitur Deo; quia hic, vt diximus, scilicet in Christo, vnio est per coniunctionem in persona, & ex puro amoris Dei priuilegio peracta cum homine.

Vnde dicitur dignatiua, personalis, hypostatica, & post vnitatem Trinitatis in essentia vna, omnium maxima est quæ fieri possunt; vnitas quæ his quinque priuilegiis constat: vt sit vnione incomparabilis, ratione incomprehensibilis, sola fide credibilis, communicatione & hypostasi inseparabilis, & valore infinito ineffabilis. Tunc enim, & eo ipso instanti, homo perfectè reparatus est, & excellentior refectus quàm cùm creatus est: vbi personaliter natura eius vnita est Deo, & ad eius naturalem filiationem eleuata: vbi denique cœpit vniuersalem omnium reparationem & redemptionem, primùmque exercuit actum voluntarij sacrificij, cùm ex mente multorum, tunc primò sui ipsius Deo Patri oblationem fecit, & dixit quod de se scriptum erat in psalmis; *Ecce venio. Hostiam noluisti, & holocausta pro peccato non postulasti. Corpus autem adaptasti mihi. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum* A *est de me vt facerem voluntatem tuam, Deus meus, & pater, volui.* Ecce venio, & me offero pro peccatis.

Vnitas hypostatica Incarnationis quinque priuilegiis constat.

Quo instanti Deus incarnatus est, in perfectè homo reparatus est.

Psal. 39.

Hanc primam animæ Christi actionem fuisse in ipso cōceptionis instanti, multi credunt: sicut vltimam audiuimus illam in morte; *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Ita vt sicut obedientia & oblatione propria incarnatus est, & reparauit omnia, sic & in nobis glorificetur, si in omnibus & semper dixerimus cum virgine: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

Prima actio Christi in ipso instanti Incarnationis.

DE MAGNITVDINE doni, & amoris Dei in mysterio Incarnationis, & Eucharistiæ Sacramento.

B

Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Matth. 1. & Isa. 7.

NOn nisi ad Christum pertinet nos infinitè amare. Fundamentum & ratio talis infinitæ dilectionis in eo est, quod sit summum atque infinitum bonum, cuius est sic se ad omnes diffundere. C Quo enim modo aliquid bonum est, eo etiam sui communicatiuum est, non solùm quantum ad se, sed etiam quantum ad alios referri potest. Hinc Deus ab æterno summè bonus & beatus per infinitam, immensam, & semper æternam sui ipsius ad intrà communicationem, etiam vniuersum condidit, vt ad extrà amor eius & bonitas participarētur. Sed vt se hoc demum infinito modo exerere posset, adeò vt vltra progredi quasi minimè posse videretur, vnam inter omnes alias fecit creaturam, scilicet hominem, qui omnium amoris & bonitatis eius effectuum capax existeret, quos infinita D eius sapiētia posset perscrutari, & potentia exequi: quando videlicet propter eum omnibus creatis, illique propter se, totum se adhuc substantialiter & communicauit & vniuit, eò vsque vt fieret homo Deus, vniretúrque caro Diuinitati in vnitate personæ.

Homo creatura sola omnium effectuum capax amoris Dei.

Sed non satis: nam & hoc ipsum nobis totum reliquit in terra, ad consolationem nostram in sempiternum, & vt nobis cibus singularis esset, quo quotidie vnicuique nostrùm vniretur, communicaretúrque per ipsum continuò vita & gratia, ac tandem ostenderet, quid nobis adhuc reseruaret in futura & æterna vita. Ita loquitur S. Thom. dicens, E quod vnigenitus Dei filius suæ Diuinitatis nos volens esse participes, nostram naturam assumpsit, vt homines Deos faceret factus homo; & hoc insuper quod de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem; corpus obtulit, sanguinem fudit, dilectamque dedit animam. Sed non satis: nam vt adhuc tanti beneficij iugis in nobis maneret memoria, & corpus in cibum, & sanguinem in potum sumendum nobis dereliquit, scilicet vt in æternum nobiscum infiniti ipsius, & summi erga nos amoris pignus haberemus, atque in vno perceptis beneficiis omnibus quæ mundo fecit, simul adhuc donatorē haberemus, & in æternū esset nobiscū Deus.

S. Thom. opusc. 57.

Verū videamus antè, & nōnullos adhuc istius infiniti erga nos amoris effectus distinctè perpēdamus, ac tan

ac tandem quomodo secum nobis donauit omnia, & hominem omnium donorum suorum fecit esse participem.

Omnia creata vt homini deseruiant. Gen. 2. Eccli. 17. Deut. 4. Matth. 5. Act. 14. Ad quid creata sunt omnia? Certè vt homini deseruiant. Gen. 2. *faciamus hominem vt præsit*, &c. Eccli. 17. *Dedit ei potestatem eorum quæ sunt super terram* Deut. 4. *Solem & Lunam, & omnia astra cœli creauit Deus in ministerium omnibus gentibus.* Sic in Euangelio legitur, quod *Deus Solem suum oriri facit super bonos & malos.* & in Actis; *Non sine testimonio semetipsum reliquit Deus benefaciens de cœlo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra.* Ista omnia, inquiunt Barnabas & Paulus, B *non sine testimonio* (scilicet amoris.) Vnde exclamat Dauid; Ps. 18. *Domine, quid est homo, quod memor es eius?* & Aug. inde. O anima mea dilige Deum, qui dedit tibi cœlum cum syderibus, aërem cum volatilibus, aquam cum piscibus, terram cum graminibus, totum mundum cum omnibus quæ in eo sunt, &c.

Sed altiùs pertingamus vsque ad Angelos. Cuiusnam seruitio creati & deputati fuerunt? Nónne dicit Apostolus quia *omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?* *Angeli seruitio hominū deputati.* Heb. 1. S. Chrysost. Hinc est quod dicit S. Chrysost. ibi. O quantus honor nobis existit, quod Deus Angelos suos ad nos sicut ad amicos suos transmisit! S. Hieron. Et Hieron. Magna dignitas animarum, quod C vnaquæque vnum Angelum habeat ad custodiam sibi deputatum. Matth. 18. Quomodo Christus ipse de pueris dixit; *Angeli eorum semper vident faciem patris.* Vbi S. August. S. Aug. inde duplici ex parte hanc nostram dignitatem notauit dicens. Nostri Angeli dicuntur, & quia nobis seruiunt, & nos conciues suos habere cupiunt. Ecce ad quid committuntur nobis, vt in cœlis nos habeant conciues suos, in terris autem seruiant nobis. Exod. 14. Exod. 14. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via.* Sic Loth, sic Abrahomo, sic Iacob, sic Tobiæ, ac Danieli ministrarunt Angeli.

Ista quidem magna sunt erga nos testimonia amoris: sed non est contentus, nisi cùm adhuc post D omnia seipsum donauit. *Deus datur homini.* Hic est amor patris, quem filius ipse suæ equidem dignitatis conscius, & nostræ indignitatis minimè ignarus, exprimere sic voluit, cùm ait; Ioh. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.*

Hic est amor Spiritussancti, quem Mariæ Angelus annunciauit dicens: Luc. 1. *Spiritussanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrauit tibi. Ecce paries*, & donum Dei mundo trades.

Hic est amor quem idem Angelus Iosepho declarauit in somnis dicens: Isa. 9. *Noli timere, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet filium*, filium certè qui natus est nobis, qui datus est nobis: iuxta Isa. 7. quod prædictum erat per prophetā dicentem. E *Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus*; nobiscum verè in Altari, sicut in præsepio.

Concludamus tandem, & dicamus, hic est amor filij, qui taliter se & omnia sua donauit nobis, vt se & omnia sua in vsum nostrū expenderit, adeò vt ampliora facere non potuerit. Hic est amor quem Baruch exprimit dicens: Baruch. 3. *Post hæc* (post omnia amoris signa quæ fecit Israël dilecto suo) *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Quasi diceret: ecce summum indicium amoris, factus est Emanuel, nobiscum Deus, Ioh. 1. *verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, habitauit, & conuersatus est, vt nobis postea in omni angustia & necessitate succurreret, per ciuitates & castella regnum Dei prædi- A caret, languidos curaret & infirmos, ieiunos nutriret, cæcos illuminaret, leprosos mundaret, paralyticos erigeret, suscitaret & mortuos.

Hic est amor quem Paulus omnibus prædicauit, Tito, dicēs: Ad Tit. 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri* IESV *Christi omnibus hominibus, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Ephesiis, dicens: Eph. 5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis.* Galat. 2. Galatis, scribens: *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* & Philippensibus, dicens: Philipp. 2. *Hoc sentite in vobis quod in Christo* IESV; (eius amorem sentite in vobis.) *Qui cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*; Emanuel factus, nobiscum Deus.

Denique dicam, hic est amor quem ipsemet Christus nobis enarrare voluit, cùm ait; Matth. 20. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Luc. 22. Sicut alibi: *Ecce ego in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.* Adeò vt etiam conqueratur, & dicat apud Isaiam; Isai. 43. *seruire me fecisti in peccatis tuis.* Ecce ad quid Emanuel factus est, in medio nostrûm, & nobiscum Deus; adeò vt etiam à nobis manducari voluerit, & sic in nobis habitare.

Neque enim satis fuit ei ad nos venire, & ad tempus conuersari benefaciendo omnibus, sed voluit, antequam ad patrem suum rediret, modum inuenire ac dare nobis, quo perpetuò nobiscum remaneret, atque etiam per manducationem sacram habitaret in nobis. *Perpetuò nobiscum remanet Christus in Sacramento Eucharistiæ.* Quod quidem in finem instituit, & fecit pro pignore sui supremi erga nos amoris, vt habetur Ioh. 13. *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*; scilicet cùm discessurus ex hoc mundo ad patrem, se antea in institutione Eucharistiæ reliquit: vt nunquam postea nobis deesset præsentia, sed continuò in admirabilis speciebus Sacramenti nobiscum remaneret.

Legitur apud Pausaniam, quod Penelope filia *Historia in figura Sacramenti Eucharistiæ.* Icari apud Lacedæmones, cùm Vlyssi in vxorem fuisset tradita, & penes eam foret electio, vel manendi in domo paterna, iuxta vota parentum; vel iuxta voluntatem Vlyssis abeundi cum eo ad suam terram natalem, & patriam; illa anxia & nesciens cui consentiret, volens satisfacere, si posset, mutuis omnium votis, conuertit se ad Vlyssem velo faciem operiens suā. Quod cùm vidisset Icarus eius pater, Vlyssi statim dimisit eam; sed curauit antea domi fieri & erigi statuam eius marmoream, in signum æternum præsentiæ, quæ faciem velatam habebat, & sub pedibus cuius inscriptū erat, SIMVLACHRVM PVDORIS. Ita, dico, & quidē diuinitus factum est in augustissimo fœdere, quod verbum æternum cum nostra humana natura iniit in terris, cùm caro factum, & habitauit in nobis: definito tempore redire voluit ad suos, & secum hanc sponsam humanitatem nostram ducere in cœlum, vt in Euangelio legitur: Ioh. 13. *Ante diem festum Paschæ, sciens* IESVS *quia venit hora eius vt transeat de hoc mundo ad patrem.* Verùm quia hæc loquutus fuerat parentibus & cognatis huiusce naturæ, Apostolis Ioh. 16. scilicet, quod relinquebat mundum, & ad patrem suum redibat, qui miserat eum; statim tristitia impleuit cor eorum, quasi hic ostendere voluissent Apostoli, & amici sponsi & sponsæ, se dolere de discessu, & quia non amplius manebat apud eos, quos corporali sua præsentia priuabat, secum humanitatem nostram sponsam suā euehens ad cœlos, iuxta quod quidem sic fieri expediebat, & sibi, & nobis.

& nobis. Sed quid fecit amor? Velatur sponsa, & sub signo, specie, statua, & symbolis Sacramenti manere adhuc nobiscum gestit ac prætendit in sæcula. Etenim tunc & ipse sponsus eam sic ad cœlestem patriam transtulit, vt etiam propter eam & seipsum cum illa velatum in terris reliquerit: illudque augustissimum Sacramẽtum in signum corporalis & realis præsentiæ instituerit, volens in posterum vt nobis esset non simulachrum pudoris, sed memoriale sempiternũ amoris. Cũ enim dilexisset suos qui erãt in mũdo, in finem dilexit eos. *In finem*, cũ hoc Sacramentũ instituit, in quo se mãducandum dedit, & vniendũ in particulari omnibus.

A

Infinitus amor Christi ostenditur in Sacramento altaris.

Et quæso, in quonam magis ostendere potuit signum, imò excessum sui infiniti amoris, quàm cùm non contentus se hypostaticè vniisse naturæ humanæ, etiam voluit omnibus indiuiduis eius sacramentaliter, & sic realiter, verè, & substantialiter se iungere? In hoc certè est signum, & nota eius summi & præcipui amoris: neque vnquam ampliora nobis cõtulit, vbi hic & seipsum, & quæ in eo sunt facta nobis in perpetuum dedit.

B

Connexitas inter Incarnationem, & Eucharistiã.

Quænam in ipso facta sunt? Incarnatio facta est, vbi per operationem Spiritussancti, accedente verbo & consensu Virginis, verbum diuinum vnitum est carni: & ita in isto augustissimo Sacramento, accedente cum verbis consecrationis, Sacerdotis consensu, fit per omnipotentem operationem & gratiam Dei conuersio panis in carnẽ Christi, & prætérea vnio admirabilis ipsius Christi cum speciebus panis: quod quidem Sacramentum constituit.

C

Item inter Natiuitatem & eandem Eucharistiam.

Quænam in ipsa facta sunt? Natiuitas: in ea Betlehem verè fit domus panis, & præsepe est diuinitate repletum. Tale est nostrũ altare per hoc Sacramentum. Diuinitate plenum est, fit Betlehem domus panis, panis qui dat vitam omni carni, & de cœlo descendit. Ibi Christus erat inuolutus pannis: hic verò speciebus panis. Ibi audiebatur multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum: hic Sacerdotes psallentes; *Pange lingua gloriosi corporis mysterium* Ibi cum Angelis inueniebantur pastores & Reges adorantes Deum: hic autem cum eisdem Angelis, subditi inueniuntur & Reges continuò adorantes. Denique in Betlehem Emanuel factus est, nobiscum Deus: & in Altari nobiscum vsque ad consummationem sæculi. Sed talia dona, & quæ in eo facta sunt sileamus, vt ad ipsum donatorẽ veniamus, qui in hoc tanto Sacramento etiam datur in cibum.

D

In Eucharistia Christus datur ad perfectissimam vnionem, & nõ ad separationẽ vt accidit in aliis donis.

Magnum certè fuit se dedisse in fratrem & socium; magnum etiam in seruum, ad omnes necessitates nostras: & adhuc maius in redẽptionis pretium. Hæc tamen omnia dona in aliqua separatione sunt & distantia ab illo cui dantur. Cùm autem in cibum datur, nõ quidem ad separationem datur, sed ad perfectissimam vnionem, sicut dicit: *Qui manducat meam carnem, in me manet*; adeò vt quoniam Christus est Deus, ita etiam qui ipsum manducat, Diuinitatem in se manentem habeat, & filius sit Altissimi, particepsque omnium bonorum Christi. Vnde hoc? En testimonium; *Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem. Ita & qui manducat me, ipse viuet propter me.* Quasi diceret, ego sum Deus viuens, & author omnis vitæ, quia viuo propter patrem qui me genuit, & me misit, & qui semper in me est: sic, qui me habet, talis vitæ propter me erit particeps. Quis est ille? *Qui manducat me*, ait, *viuet propter me.*

E

Ioh. 6.

Et quidem nihil est quod magis nos alliciat quàm spes vitæ: hic autem inuenimus eam, & æternam, vt dicitur; *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Sed quomodo, nisi quia in eo sumus, & is in nobis, qui per essentiam vita est? Quare dixit; *Sicut viuo propter patrem*, qui sicut vitam habet in semetipso, sic & filio dedit vitam habere in semetipso. *Ita qui manducat me, viuet propter me.*

S. Hilar. lib. 8. de Trinit. Hęc vitæ nostrę causa est, inquit, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuri per eum ea conditione qua viuit ille in patre. Et quidem hæc vna est causa inter plures, cur ipse Eucharistiam instituit, scilicet vt fructum vitæ reciperemus. Primò, vnionis & gratiæ, cùm dicit: *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo.* Secundò, vitæ æternæ, cùm dicit ter: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* Denique concludit & dicit: *Hic est panis qui de cœlo descendit. Manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

S. Hila. l. 8. de Trinit.

Cur Eucharistia vsi instituta est.

Et certè multo maiora bona, & dilectionis signa nobis dedit in Altari, quàm patribus in deserto. Nam illis dedit manna quod seruatum in diem corrumpebatur, & quidem mortuum erat: nobis autem dedit panem viuum, vt dicit; *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi.* Ideóque talis panis, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Item panis verus, & Dei panis, sicut manna panis erat figuratiuus, & Angelorum opera formatus, vt ipsemet Christus dixit nobis: *Amen dico vobis, non Moyses, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum; panis enim Dei est qui de cœlo descendit, & dat vitam mũdo.*

Ioh. 6.

Itaque dicamus & nos cum turbis; Domine, semper da nobis panem hunc. Sed vbinam datur hodie? in Betlehem, quæ interpretatur domus panis, vbi Christus nascitur qui est panis viuus. Quare qui vult viuere, habet vbi viuat, accedat, credat, incorporetur vt viuificetur. Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat.

DE SANCTISSIMA ET augustissima Natiuitate IESV Christi Domini nostri.

Natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Luc. 2.

HODIE euangelizauerunt Angeli gaudium mundo in Natiuitate Christi, & multitudo militiæ cœlestis hodie cecinit in atriis ciuitatis Dauid, & porticu Betlehem; *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ideo certè quia in hac Natiuitate gloria Angelorum facta est pax hominum, eorum vita & reconciliatio.

Iob sanctissimus loquens de die natiuitatis suæ, exoptat vt pereat, dicens: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, & non illustretur lumine.* Similiter Ieremias sanctificatus in vtero matris, huic diei maledictionem precatur, & his qui natiuitatem eius annunciauerunt, dicens: *Maledicta dies in qua natus sum, dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta, & maledictus vir qui annunciauit patri meo dicens; Natus est tibi puer masculus, & quasi gaudio lætificauit eum.* Quare? Quia non est dies

Iob. 3.

 benedictus,

Solus dies natalis Christi lætitia plenus est.

benedictus, plenus lætitiæ, dignusque vt annuncietur mundo, nisi dies Natiuitatis Christi, Messiæ, & filij Dei. Iob natus est in peccato, sicut conceptus; vnde exoptat vt pereat, &c. Ieremias, licet in vtero matris sanctificatus, tamen ad vltionem est natus, vt eodem cap. ostendit. Christus autem ad ruinam peccati natus est, & hominum salutem, vnde gaudium cum gloria celebratur.

Vnde dies natalis Iohannis lætitia plenus est.

Et si in natiuitate Sancti Iohannis est nunciatum quod multi gaudebunt, ideo solùm quia præcursor Domini erat, multos ad eum conuertere debebat, & Domino parare plebem perfectam, vt dixit Angelus Zachariæ; vnde natiuitatis eius gaudium est per relationem ad Christum: quanto magis in Natiuitate Christi gaudendum, cuius gaudium absolutum est, ideóque magnum? *Nolite timere*, ait Angelus, *ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*, Iudæis & Gentibus, denique omnibus, cuiuscunque nationis sint, & códitionis. Et hæc ratio est, *quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus*. Vobis, ait, quia non tam illis natus est quàm nobis, vt Isa. dixit; *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis*. Quàm omnia bene conueniút, & clarè viderat propheta Natiuitaté istam!

Isa. 9.

Abraham vnus fuerat ex Patriarchis, qui ex relatione Christi, diem hunc videre desiderauerat; *vidit*, inquit Christus, *& gauisus est*, vidit per figuram in Isaac filio suo, cùm audiuit: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, & particeps huius noui, & magni gaudij factus est, sicut illi quibus hodie annunciatum est. Multi alij prophetæ, & Reges videre voluissent, & audire quæ etiam cum aliis videtis & auditis, & non potuerunt. Vos autem estis ij in quos isti beati sæculorum fines deuenerunt, in quibus ab Angelo de cœlis misso auditis: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis*, &c.

Ioh. 8.

Gen. 22.

Dies natalis Christi noua affert & insolita.

Gaudium verè magnum est, vbi omnia noua sunt & insolita, magna & mira. Quid enim magis nouú & insolitum, quàm Deus & homo, Mater & virgo, infinitus & finitus, æternus & temporalis, comprehensor & viator, diues & pauper, sapiens & infans, potens & infirmus, immensus & inclusus, splendor patris & inuolutus pannis? Hæc enim omnia vt noua & insolita, comprehenduntur his verbis velut signis lætitiæ communis: *Inuenietis infantem inuolutum pannis, & positum in præsepio.*

O Domine IESV, si te nunc inuenire infantem & inuolutum pannis, positum in præsepio, & in mediis reclinatum animalibus & bestiis, gaudium est: quodnam erit te videre gloriosum inter choros Angelorum, exaltatum & superexaltatum inter agmina omnium Sanctorum?

Certè tale gaudium quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Interim hodie maximum quod in terra haberi potest, annunciatum est, scilicet Emanuelem habere, nobiscum Deum, infantem, pauperem, inuolutum pannis, & positum in præsepio: habere in infantia æternam sapientiam, in infirmitate omnipotentiam, in pannis diuitias, in homine Deum, in stabulo omnem cœli gloriam, in præsepio omnem Dei Maiestatem, &c. Ecce gaudium, & magnum gaudium, gaudium omnium sæculorú, & omniú creaturarum, Angelorum & hominú, virginis Matris, & Dei Patris. *Quia natus est vobis hodie Saluator*, &c.

Sara filium quem genuit, Isaac vocauit, ex risu & gaudio magno quod habuerat, quando nunciatum est quod in senectute ipsum esset conceptura: ita vt cùm peperit, adhuc riserit præ gaudio dicens; *Risum fecit mihi Dominus, & quicunque audierit, corri-*

Gen. 21.

A *debit mihi*. Vnde ab Abraham Isaac est vocatus, id est, risus & gaudium parentum. Quanto nunc maius putamus gaudium attulisse Matri, & omni populo, nostrum verum Isaac, IESVM Christum? Risum fecit mihi Dominus, ait hodie virgo. Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, & filio. Ego autem, & meliùs quàm propheta Abacuch, in Domino gaudebo, & exultabo in Deo IESV meo. Delectationes in dextra mea vsque in finem; ecce enim quem genui adoro, & qui in æternum erit ratio & materia gaudij mei. Magnificat anima mea Dominum. Deus magnificauit hominem factus homo; & ego laudabo nomen Dei cum cantico nouo, & magnificabo B cú in laude. Magnificat anima mea Dominum. Lauda igitur, & benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Risum fecit mihi Dominus, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: & quicunque audierit, corridebit mihi, & congratulabitur, quia cùm essem paruula, placui Altissimo, & de meis visceribus genui Deum & hominem.

Abac. 3.

Quare adhuc cum Dauid dicit illa: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.* Cum sapiente Ecclesiastico: *Glorificantes, & benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis. Maior est enim omni laude omnipotens, terribilis, magnus vehementer, & mirabilis potentia & magnificentia ipsius.* C Item cum Moyse in Deuteronomio: *Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera.* Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.*

Psal. 33.

Eccli. 43.

Deut. 32.

Deus homo factus est, & carnis nostræ substantia indutus apparet oculis nostris. Ecce quod euangelizo vobis, gaudium magnum: gaudium quod erit omni populo, humano sicut Angelico: gaudium quidem Angelis, quia is natus est in terris, in quem desiderant illi aspicere. Ideóque etiam multitudo facta est militiæ cœlestis circumstátium Betlehem, laudantium Deum, & dicentium; *Gloria in excelsis* D *Deo.* Sed nobis etiam cómune sit gaudium. Ideóque maximè quod hodie Saluator natus est nobis, & pro salute nostra hác nostrá naturá assumpsit, & nó Angelicá. Nobis enim de virgine homo natus est.

S. Franciscus in ortu Solis videbat similitudinem Natiuitatis Christi.

Legitur de Sancto Francisco, quod oriente Sole semper súma & admirabili lætitia cor eius exultabat in Domino, eo quod in illo sibi cernere videbatur & contemplari quandam similitudinem Natiuitatis & diuini ortus Christi ex B. Virgine. Est enim similitudo expressissima, vbi radius sine corruptione de Sole procedit: sic enim de virgine ortus est Sol Iustitiæ Christus Deus noster, sine vlla corruptione, modo non minùs ineffabili quá incóprehésibili. Quare etiá & nos studeamus fieri par- E ticipes istius magni gaudij, eóque præsertim die, quo nobis annúciatur & recolitur memoria istius Natiuitatis & ortus admirabilis in mundo veri Solis Iustitiæ IESV Christi. Nobis enim ad vtilitaté nostrá, & gloriam natus & datus est, nó vt puniat in virga ferrea, dominetur & códemnet; sed vt parcat, iustificet & saluet: nó vt sumat vindictá de peccatis nostris, nósq; de cœlo deturbet in æternú; sed vt annuncietur nobis ab Angelis gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Christus ad gloriam nostram, natus est.

Ingressus Samuelis in Betlehem figura aduentus Christi.

Olim Samuel venit in Betlehé, vt vngeret Dauid in Regé, & admirati sunt seniores ciuitatis occurrentes ei, dixerútque: Pacificúsne est ingressus tuus? Et ait, pacificus, ad immolandum Domino veni, sanctificamini, & venite mecú. Ita hodie Christus filius

filius Dauid venit in Betlehem ciuitatem patris, & quod multo admirabilius est, filius Dei de semine Dauid, cuius ingressus in hunc mundum nobis multum fuit pacificus. Si enim admirantes ipsum rogemus, & occurrentes ei dicamus, pacificúsne est ingressus tuus? O summe propheta, summe Rex, summe Deus, venisne vt, sicut Adamum de paradiso eiecisti, ita & filios eius ob eorum peccata de orbe terrarum expellas? venisne vt, quemadmodum incolas & ciues Sodomæ sulphure & igne destruxisti, ita & nos horribili aliquo incendio consumas? pacificúsne est ingressus tuus? Pacificus, ait, ad immolãdum enim Domino veni, ad meipsum offerendum Deo patri, & vos omnes vngendos in Reges & filios Dei altissimi. Quod si pro ætate nondum ei liceat talia loqui, est enim natus infans; certè pro eo respondebunt Angeli quod olim Samuel Betlehemitis, est pacificus in orbem ingressus eius. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nolite timere: ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus vobis est hodie Saluator* &c.

Testimonia ingressus pacifici Christi in mundum.

Quod sit pacificus illius ingressus, testantur infantia, panni, præsepium, virgo, & pastores. Quod venit, non vt perdat, sed vt seruet, non vt occidat, sed vt vitam tribuat, non vt vindictam sumat, sed vt præmia donet, non vt de orbe terrarum homines expellat, sed potiùs vt in regna cœlorum introducat: denique non vt mundum sulphureo igne absumat, sed vt amoris incendio inflammet; non vt bellum, sed vt pacem afferat; hæc verba indicant, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Quod ad immolandum venit, manifestum est, non quidem oues & agnos de armento, sed semetipsum Pastorem & Agnum Dei immaculatum. Sanctificamini ergo, & venite ad eum. Quod vobis superest, sanctitas est; quod deletis & expiatis omnibus peccatis, sancti sitis & immaculati, sicut vobis ipse sanctus & immaculatus natus est. Pax enim hodie annunciatur hominibus bonæ voluntatis, scilicet iis qui recta animi voluntate Christum recipient, & in simplicitate cordis quærent eum, vt pastores. *Non est pax impiis* dicit Isaias: pax autem hominibus bonæ voluntatis, qui rectam & ab omni peccato puram conscientiam habent; his hodie gaudium magnum nunciatum est, quia his maximè natus est Saluator qui est Christus Dominus.

Isa. 48.

Triplex titulus Christi.

Isti tres sunt tituli magni huius pueri nati, quos adhuc mihi videtur necessarium explicare, vt quis & quantus sit agnoscamus. Primus est, quod sit Saluator. Sic in Isaia prædictum fuerat: *Deus ipse veniet & saluabit nos.* Sic in Osee: *Ego sum Dominus Deus, & non est Saluator alius præter me.* Ita hodie Angelus appellauit & designauit dicens, *quia natus est vobis hodie Saluator.*

1 Saluator. Isai. 3. Osee 13.

Duobus modis Christus Saluator dicitur.

Talis autem est, id est, Saluator, duobus modis, iuxtàque naturam duplicem quam habet, diuinam & humanam: per authoritatem & efficientiam principalem, & per meritum & causam instrumentalem. Secundum naturam diuinam Saluator est per authoritatem & hãc efficientiam principalem: quia vt sic est author, & dator omnis gratiæ & salutis. Secundum verò humanitatem ab eo assumptam, Saluator est per efficientiam instrumentalem: quia vt sic causa meritoria est omnis gratiæ & salutis.

Sic nascendo pauper, & inuolutus pannis in præsepio, & similiter moriendo in Cruce nudus, & vndique vulneribus plenus, nobis salutem promeruit. Propterea non dedit Angelus aliud signum quod natus erat Saluator, quàm quia, inquit, *inuenietis infantem inuolutum pannis,* &c. *& hoc vobis signum.* Hæc quidem hodie sunt potiora signa, abiectio & paupertas, afflictio, pœna, & passio.

Abiectio Christi maxime signum eius diuinitatis.

Exod. 2.

Sic de Moyse legitur, qui præcipuus fuit inter saluatores populi Israël, & qui liberauit populum à seruitute Ægyptiorum, & sic præcipua Christi figura extitit; is in abscondito natus, à matre positus est in fiscella scirpea, morti expositus in carecto ripæ fluminis. Qui inuentus vagiens à filia Pharaonis, & enutritus postea à propria matre inter Ægyptios, eorum tandem destructor fuit, & liberator Israël. Ita Christus Dominus verus Moyses assumptus & separatus de aquis peccati, nascitur in abscondito, dum medium silentium tenerent omnia; in stabulo & inuolutus pannis positus est in præsepio, in fiscella scirpea, in loco humili, abiecto, duro, affligente, & secum iam pericula & dolores mortis afferente, vagit infans inter arcta conditus præsepia, & à propria matre assumptus, enutritur inter Ægyptios fugiens Herodem & Pharaonem: sed vt eorum postea destructor esset, & populi sui liberator.

Moyses figura Natiuitatis Christi.

Quibus nunc armis? nuditate, paupertate, vinculis, & Cruce; & hoc vobis signum. Signum diuinitatis eius & potentiæ, cùm fortior sit in infirmitate quàm in Majestate, videlicet Saluator in vagitibus, lacrymis, in passione, inter latrones, in Cruce, in stabulo, in præsepio, inter media animalia, in pannis, in habitu hominis, & forma serui.

Legitur quod Achab Rex Israël mutauit habitũ suum, cùm aggressus est bellum cum Syris. Ita Rex noster & Messias Christus, vt aduersus hostes nostros pugnaret, mutauit habitum, & deposita omni fortitudine & gloria suæ Majestatis, infirmitatis nostræ habitum induit, carnem, infantiam, pannos, fascias & lacrymas.

Item Rex Achab. 3. Reg. 22.

Verùm cùm habitum mutat, suorum cognitionem non mutat: Angeli enim in carne, infantia, pannis, fasciis, & fœtibus, vident diuinitatem, sapientiam, majestatem, omnipotẽtiam & gloriam. Sicut si Rex aliquis purpuram suam mutaret, non propterea ignotus apud suos remaneret, sed tantùm apud extraneos. Ita solùm Christus nobis ignotus apparuit sub his vestibus abiectis & humilibus, diuinam Majestatem & regiam dignitatem velantibus: non sic autem Angelis suis, qui propterea quis & qualis puer iste esset sub talibus pannis & vilitate præsepij nobis indicarunt.

Similitudo, Quibus Christus fuit cognitus & incognitus.

Sed ô fœlices panni, quibus inuoluta est diuina Majestas! quibus manus omnipotentis & fortis vinctæ fuerunt, ne nostra puniret delicta! quibus, dicam, & nostra vulnera ligata fuerunt! Et ô fœlices gemitus & lacrymæ, quibus nos ab æterno luctu, & sempiterno ardore Christus liberauit! Denique fœlix præsepium, quod meruit reclinatorium illius esse, qui solo nutu Cœlum & terram sustinet. O Sanctissime infans, & Deus, ecce iam mundum ingressus Crucem sustines & portas! propterea etiam Saluator natus es: *& hoc vobis signum. Inuenietis infantem inuolutum pannis,* &c. *Annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator qui est Christus.*

Quæ fuerunt vilia in Christo, nobis initia salutis fuerunt.

Secundus est titulus, hoc nomen Græcum, scilicet Christus, Latinè vnctum significat. Tria autem hominum genera vngebantur apud Hebræos, scilicet Sacerdotes, Prophetæ, & Reges. Sacerdotes, quorũ munus erat Deo reconciliare peccatores, ideoque vngebãtur, vt per id, id est, per oleum,

Secundus titulus Christus.

Ad tria hominũ genera vnctio pertinebat.

Leuit. 8. Exod. 19. *Ad prophetas.*

repræsentaretur gratia. Vsus reperitur Leuit. 8. & Exod. 19. vbi Dominus ad Moysen de Aaron dicit: *Oleum vnctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur.* Prophetæ similiter, quorum etiam munus erat, fide & moribus populum instituere, & ei notitiam Dei dare, propter quod vngebantur. Vsus describitur 3. Reg. 19. vbi sic Elias vnxit Elisæum ex mandato Dei in prophetam. Denique vngebantur Reges, qui Dei gerunt imaginem in regendo, puniendo & præmiando. Sic Saül, sic Dauid, sic Salomon, sic Iehu, & multi alij vncti sunt à prophetis.

3. Reg. 19. Ad Reges.

Quali oleo ad differentiam aliorũ vnctus fuerit.

Quare? quia illa omnia officia & dignitates Christo competebant, vt summi Sacerdotis, Prophetæ & Regis: propterea etiam Christus dictus est, id est, vnctus; non quidem oleo exteriori vnctus, vt alij fuerunt, sed interiori & spirituali, scilicet Dei Spiritu. Apud Isaiam: *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me.* (ecce Christus, & officia mox sequuntur.) *Ad annunciandum mansuetis, misit me,* (ecce Propheta) *vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & annum placabilem Domino,* scilicet reconciliationem. Ecce Sacerdos. Denique *vt darem eis coronam pro cinere, & pallium laudis pro spiritu mœroris.* Ecce Rex.

Isaiæ 61.

Apud Isaiã inuenitur Christus officio Propheta, Sacerdos, & Rex.

En igitur vnde dicitur Christus, eo quod omni vnctione vnctus est, scilicet, Spiritu sancto, vt in Actis dicebat Petrus Centurioni Cornelio, & iis qui de domo & familia eius erant. *Vos scitis* IESVM *à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute;* scilicet vt dilectum filium Dei, plenitudine & prærogatiua omnis gratiæ. Iuxta quod per os Dauid dicitur: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: & vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Cæteris cum mensura spiritus datus est, vnctio & gratia: tibi autẽ cum plenitudine & prærogatiua, vnde verus es Christus, id est, omni genere gratiarum vnctus; is in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: fons in quo dulcedo gustatur, manna omnem saporem continens: panis omnem famem satians, & Arca quæ pretiosa & diuina sunt continens: Sol tenebras repellens, & flos campi odore suo vniuersum replens, & attrahens ad se.

Act. 10.

Psal. 44.

Christo Spiritus datur & vnctio in plenitudine.

O Saluator, vncte, IESV Christe, trahe me post te. O ciuitas beata, Betlehem domus panis, quando perueniam ad te, vt Christum comedam, & viuam de pane vitæ? Quæso, cum istis pastoribus transeamus modò vsque Betlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis: verbum quod caro factum est, & habitauit in nobis. Tale enim fuit gaudium magnum, quod euangelizatum est nobis, & quod erit omni populo, *quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus.*

A Tertius est titulus, verè Dominus est, quia solus, & κατ' ἐξοχὴν, id est, per excellentiam est Dominus iuxta naturam vtramque, licet ratione diuersa: secundum diuinam independenter & per authoritatem; secundum verò humanam dependẽter, & per concessionem, & meritum, sicut dicit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Atque ita in fœmore & in vestimentis scriptum portat, vt habetur in Apoc. Sed hodie in pannis dicamus, & in anteriori ac eminentiori parte stabuli, supraque præsepium maioribus litteris scriptum; *Rex regum, & Dominus dominantium.* Adeò vt dicendum nobis sit cum vniuersa Ecclesia: Tu solus Dominus, tu solus altissimus IESV Christe.

Tertius titulus Christi sc. Dominus.

Matth. 28.

B Sic refert Paulus Orosius, Cæsarem Augustum eo die quo Christus natus est, nescio quo spiritu statuisse ac mandasse, ne quis se deinceps Dominum vocaret, quasi ei tũc fuisset nota Natiuitas Christi solius ac veri Principis & Domini totius mundi. Et cùm adhuc consuluisset Sibyllam, num in mundo aliquis se maior esset futurus, illa eo ipso die quo Christus natus est in Iudæa, ostendit ei Romæ, hora circiter tertia, pleno die, circulum aureum prope Solem, in quo Virgo admodum pulchra residebat, quæ in suo gremio infantulum speciosum gestabat, quem dixit omnium esse Regem & Dominum; illáque vox audita est: Hæc est Ara Cœli. Vnde statim infantem ipsum Augustus
C adorauit. Quo postea factum est, vt propterea etiam in eodem loco insignis Ecclesia Romæ hoc nomine erecta sit, quæ adhuc visitur.

Paulus Orosius lib. 6. cap. 20. *Cæsari Aug. fuit quodãmodo reuelata Christi Natiuitas.*

Visio Sibyllæ.

Et Nicephorus Calixt. refert, eundem Augustum, non rarò consulentem Apollinem, num post ipsum aliquis regnaturus esset & imperaturus, illud tandem accepisse respõsum, scilicet quod puer Hebræus, qui Deus erat, omniaq; gubernãs, iubebat eũ redire ad inferos: & vt etiã discederet ipse ab Aris suis, & non amplius ei sacrificia offerret. Quo responso accepto, Augustus statim se ad Capitolium conferens, etiam ibi maximam Aram construxit cum hac Latina inscriptione, ARA PRIMOGENITI DEI.

Nicephorus Calixtus lib. 1. c. 17.

D Hæc Ara hodie Betlehem est, stabulum est, & præsepium, in quo iacet Dei primogenitus, in quo Christus omnium Deorum Dominus, regum & dominantium, sedet. Ara est primogeniti Dei: trãseamus igitur vsque ad illam, vt primogenitum Dei & virginis adoremus. Trãseamus vsque Betlehem, & intrantes hanc domum, & stabulum, Aram salutemus, & præsepium, atque in eo cum Virgine matre adoremus infantem natum, Saluatorem, Christum, Dominum. Quem genuit Virgo & adorauit, quemque viderunt pastores & procidentes adorauerunt: & nos pariter cum illis omnibus adoremus puerum, Saluatorem, Christum, Dominum.

Finis Annuntiationis Angelicæ.

COMMER



COMMERCIVM SACRVM VERBI DEI CVM HOMINE.

IN QVO HABETVR SVMMA totius Theologiæ.

IN ADVENTV.

In principio erat Verbum, &c. Iohan. 1.



HOc tempore aduentus gratiæ, de duobus egressibus Christi loquuturus, æterno & temporali, de diuinitate eius & humanitate, & simul de vtriusque operibus, vndique sum stupore præuentus, & nihil aliud, nisi vocem mihi superesse video, vt cum Isaia dicam & exclamem; *Generationem eius quis enarrabit,* diuinam & humanam, & omnia quæ in magnitudine sua sicut in humilitate fecit; in potentia sicut in infantia, in diuinitate sicut in humanitate, in æternitate vt in plenitudine temporum, vt vnus idemque Deus, & rerum omnium principium cum patre, atque vt homo-Deus, scilicet Christus? Quis, inquam, hæc dignè enumerare poterit? Sanctus vtique Iohannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, & velut Aquila inter alios Euangelistas altiora penetrauit. Gloriabatur ad Ephes. Apostolus dicens: *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, euangelizare inuestigabiles diuitias Christi in gentibus, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, vt innotescat.* Ecce gloria Pauli.

Isa. 53.

Eph. 3.

De hoc S. Iohannes magis glorietur, qui primus omnium penetrauit, & enarrauit nobis. Vnde Origenes in Ioh. multùm eum præfert Apostolo dicens. Paulus raptus est vsque ad tertium cœlum, sed Iohannes super omne cœlum. Paulus audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, & Iohannes vnum verbum audiuit, per quod omnia facta sunt, & quod ei licuit dicere & prædicare hominibus. Certè si altiùs volasset, totus mundus capere eum non potuisset; vnde comparatur Aquilæ. Et, quæso, quomodo de verbo loquitur videamus, & quod suis enarrationibus dat initium. Tale est Euangelij, quale Epistolarum eius. Sic enim Euangelium incipit: *In principio erat verbum. Verbum caro factum est, & habitauit, &c.* Et sic incipiunt Epistolæ, & locutiones familiares: *Quod audiuimus, & vidimus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, annunciamus vobis,* &c. Illa est Iohannis gloria, non scribere & loqui nisi de homine-Deo IESV Christo: & nostra sit etiam cum illo, & cum Paulo gloria, non nisi Christum prædicare hoc tempore, vt etiam & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum patre & filio eius IESV Christo.

Origen. hom. 1. in Johan.

A

1. Ioh. 1.

Christus Theologia cœli est, & non terræ. Memores estote, in cœlo audiuisse Paulum arcana verba, quæ non licet homini loqui. Hæc sine dubio erant spectantia ad Theologiam de Christo: etenim quod scimus de ipso, valde parum est respectu omnium quæ in eo sunt, & de eo sciri possunt. Hæc Theologia spectat ad Angelos, & nos cum ipsis hanc discemus in cœlis. Interim in terris didicit, & illam nos in terris docuit S. Iohan. dicens: *In principio erat verbum, & Deus erat verbum, & verbum caro factum est.* Hoc est quod ex doctrina Euangelistæ loquemur. Intelligere vultis ex Apostolo? *Sapientiam Dei in mysterio, quæ absconditа est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram,* scilicet Christum.

B

1. Cor. 2.

Hæc est nostra Theologia, sed totus Theologiæ Summa, quæ in quatuor libris Sententiarum, ac in Summa Angelica S. Thomæ amplissimè cõtinetur, quam ex illo 1. cap. Euangelij S. Ioh. elicere atque exponere cupimus, scilicèt in his quatuor hebdomadis Dominici Aduentus, hæc quatuor præcipua fidei mysteria pertractare, quæ sunt, processionum diuinarum, ac præsertim generationis æternæ filij; creationis rerum; Incarnationis verbi: & iustificationis ac glorificationis hominum per Christum.

Ordo materia quæ hic pertractatur.

C

Etenim & sub his quatuor conceptibus consideratur Deus, sub illisque tota fides nostra concluditur, & versatur tota Theologia. Primò enim consideratur Deus secundum se, vt vnus est in natura, & trinus in personis: & hoc sub his verbis continetur; *In principio erat verbum, &c.* Secundò consideratur vt principium creaturarum, & creator,

tor,& hoc ſub illis; *omnia per ipſum facta ſunt*,&c. Tertiò vt reparator creaturæ; & hoc ſub illis; *& verbum caro factum eſt*. Quartò denique vt finis ſupernaturalis noſtræ beatitudinis, quod quidem comprehendi poteſt ſub illis; *Vidimus gloriam eius, & de plenitudine eius omnes accepimus*, &c. Igitur vnicuique hebdomadæ dato proprio myſterio, à primo incipiamus. *In principio erat verbum, & verbum erat*,&c.

Hoc initium à magnitudine gloriæ eſt, à maieſtate & potentia diuinitatis, à diuinitate Chriſti. Sic S.Iohan. hoc Euangelium contra Ebionem & Cerinthum ſcribens, qui diuinitatem Chriſto detrahentes, negabant ipſum ante virginem extitiſſe, à prima origine exordium ſumpſit dicens; *In principio erat verbum.*

Cur Eccleſia tempus Aduentus incipit ab Euangelio Iudicij.

Et ſimiliter Eccleſia, quæ hoc tempore memoriam & myſterium celebrat huiuſce admirabilis aduentus, ſed in habitu & forma humilitatis, ſimile ex Euangelio quod proponit, initium dedit: vbi primò & ante omnia ſermo fit de vltimo Chriſti aduentu terribili & glorioſo cum majeſtate magna, & iudicandi poteſtate, quæ vna eſt ex diuinitatis ipſius prærogatiuis. Vnde ex verbis S.Luc.21. quæ in Euangelio huius Dominicæ nobis proponuntur, ſermonem hunc inceptum de diuinitate Chriſti abſoluemus, vt etiam appareat, quia non eſt ex mente noſtra deſerere quod proponit Eccleſia. (Luc.21.)

Videbunt (ecce quod nobis hodie proponit,) *filium hominis venientem in nube*, &c. Videbunt filium hominis eſſe verbum patris, videbunt in gloria & majeſtate diuinitatis, & quem in humilitate videre noluerunt peccatores, ait S.Greg. ſed deſpexerunt, venientem videbunt cum poteſtate magna & majeſtate.

Chriſtus in forma paupertatis venire debuit. Iſa.45. Phil.2.

Iuxta Prophetas venire debuit ad nos pauper & humilis, ac in forma Dei abſconditi. Sic de eo dixit Iſa. *In te eſt Deus, & abſque te non eſt Deus: verè tu es Deus abſconditus Deus Iſraël, & Saluator.* Ita enim exinaniuit ſemetipſum, cùm venit, ait Apoſtolus, vt cum in forma Dei eſſet, & æqualis Deo, ſit habitu inuentus vt homo: hoc interim abſque vllo detrimento ipſius gloriæ & majeſtatis. Quare etiam ne nimiùm oculos carnis noſtræ huic humilitati pro nobis aſſumptæ applicaremus, hodie Eccleſia nobis à capite huius temporis eum exhibere voluit ſub ratione & forma Iudicis in maieſtate ſua venientis, vt ſimul humilitate conſpecta, & gloriam contemplemur, noſque ſedulò præparemus, vt dignè in vtroque aduentu recipiamus.

Nihil gloriæ ſuæ in hac forma hominis amiſit.

Iſa.7. Sic quando Iſaias narrat eius aduentum, dicit quia tunc *mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Quid intelligat his verbis Propheta, explicat S.Bernard. dicens, quod velut apis veniet Chriſtus, mel & aculeum habens, ſcilicet miſericordiam & iuſtitiam. Ad nos primò veniens ſolum mel attulit, & non aculeum, id eſt, miſericordiam, & non iudicium; quia venit non vt iudicet mundum, ſed vt mundus ſaluetur per ipſum. Verùm nolite ſperare in iniquitate, aut peccare in ſpe miſericordiæ: habet enim aculeum ſuum, & illum acriter nimis infiget in medullas hominum peccatorum, quoniam pater non iudicat quemquam, ſed filio tunc omne dedit iudicium facere. (S.Bernard. Serm. 2. de Aduen.)

Hæc enim vna eſt ex prærogatiuis, & excellentiis quæ emanant ex diuinitate ipſius. Iuxta illud pſaltis: *Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis. In principio erat verbum*, filius in patre: *Verbum erat apud Deum*, filius coæternus patri: *& Deus erat verbum*, filius conſubſtantialis & idem cum patre Deus. Quare & ipſe ait: *Quæ habet pater mea ſunt.* & rurſus, *& tua mea ſunt, & mea tua ſunt.* Quaſi diceret: ego cum patre, & pater mecum operatur omnia. Per me fecit, per me reficit, & per me iudicaturus eſt omnia. Sic de creatione dicitur hoc 1.cap. Ioh. *Per ipſum omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt, in ipſo vita erat*, ſcilicet omnis, tam naturæ quàm gratiæ, & gloriæ. Sic de reparatione ad Corinth. *erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Sic de iudicio apud Iohan. *Pater omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem: ſicut enim pater ſuſcitat mortuos & viuificat: ſic & filius quos vult viuificat. Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala in reſurrectionem iudicij.* Hebræor.1. contineri hæc omnia videntur, vbi dicit Apoſtolus, quia *multis modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit* (ait) *hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula.* (Pſal.71. Iohan.16.& 17. Ioh.1. 2.Cor.5. Ioh.5. Heb.1.)

Sed quæ nobis eſt locutus? Verba vitæ, miſericordiæ & gratiæ: verùm diebus iſtis futuris & vltimis verba nobis loquetur iuſtitiæ & rigoris, cùm ſedebit vt ſplendor patris, & figura ſubſtantiæ eius, ad dexteram majeſtatis in excelſis, in nubibus cœli omnes nationes iudicaturus; verùm ad dexteram patris in poteſtate magna & majeſtate. Vnde proſequitur Paulus; *Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi*, in principio verbum, & verbum apud Deum. Ecce ſedes majeſtatis. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem*; ad præmium vnius, & condemnationem alterius. Ecce executio iudicij.

Propterea autem S.Thom. docet, hoc iudicium attribui Chriſto tribus de cauſis, & conditionibus neceſſariò requiſitis ad iudicandum. Prima eſt poteſtas coërcendi ſubditos, & illa in eo eſt, cui, vt ipſe dixit, omnis data eſt in cœlo & in terra. Secũda eſt rectitudo zeli, vt ſcilicet non ex odio, ſed ex amore iuſtitiæ iudicetur, & hæc adhuc in eo eſt, qui dicitur veritas, & iuſtitiam diligere, &c. Tertia denique ſapientia eſt, iuxta quam præſertim formari debet iudicium. Illa autem maximè filio Dei conuenit, qui eſt ipſamet ſapientia patris, & verbum diuini intellectus, & veritas ipſa æterna ab æterno procedens. Quare ei meritò attribuitur & datur omnis iudicandi poteſtas: cùm hoc tamen diſcrimine, vt iudicij authoritas ſit in patre, & à patre, in quantum eſt principium filij; *In principio erat verbum.* Colligitur ex his verbis; *In principio erat*, in patre principio ſine principio, & principio principij, ſc. filij. Ratio autẽ iudicij attribuitur ipſi filio, in quantum eſt ars & ſapientia patris: quia ſicut pater omnia per filium fecit, quatenus illius eſt ſapientia, Idea, & notitia: ita per eundem vt ſummam ſuam veritatem, & ſapientiam æternam, iudicabit omnia. (S.Tho. 3.p. q.59 art.1.)

Triplici ex cauſa iudicium attribuitur Chriſto.

Authoritas iudicij eſt in patre, & ratio in filio, vnde illi attribuitur, & quomodo.

Ad hoc videbatur reſpicere Daniel, dicens quod *antiquus dierum ſedit*, (ſcilicet pater æternus) *& millia millium miniſtrabant ei*, & aſſiſtebant; *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.* Et ſequitur: *Et ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit*, ſcilicet Chriſtus, quem verbum in principio & apud Deum dicimus; *& ecce, dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum, & omnes populi ſeruient ei, & poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur.* Hæc Daniel, qui hic (Dan 7.)

mirè

Malach. 3. mirè describit potestatem iudicandi datam filio à patre, quia, vt dixit, *filius hominis est*.

O quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum, scilicet tunc venientem in nube cum potestate magna & majestate? cùm, inquam, præter nubium amictus & Angelorum comitatus, *ignis ante ipsum precedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius: in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida, aduocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum*, id est, iudicare tunc palàm viuos & mortuos, &c. Horrendum & terribile est incidere in manus Dei viuentis. Regina Esther solùm videt faciem Regis viri sui induti purpura, & furorem pectoris sui indicantis lato edicto mortis in Iudæos gentem suam, & corruit penè exanimata. Quid, quæso, tunc erit videre? *Fugite à facie gladij*, aiebat Iob, *quia vltor iniquitatum est, & scitote esse iudicium*: sed horrescite illud, & timete.

Ps. 49. Terribilis aduentus Iudicij.

Esther 15.

Tria timenda esse docet S. Bern. Ser. de primordiis & nouiss. nostris, mortē, iudicium, & gehennam. Mortem time, quia in ea, inquit, separandus es à bonis omnibus corporis & animæ huius vitæ præsentis. Iudicium time, quia in eo, ei præsentandus es, in cuius manus horrendum est incidere, & quem nihil latet eo examinante, siquidem si inuenta in te fuerit iniquitas, alienandus es ab vniuersitate pacis & quietis, & à beatorum numero in æternum segregandus. Time & gehennam, quod in ea cruciatibus æternis & immensis exponendus es in sorte diaboli, & angelorū eius, in igne æterno, qui paratus est eis. Hæc time, hic timor initiū sapientiæ & altissimæ Christi notitiæ.

S. Bernard. Serm. de primord. & nouiss.

PRIMA PARS THEOLOGIÆ, DE DEO.

DE ÆTERNA GENERATIONE CHRISTI.

In principio erat verbum. Ioh 1.

A TIMORE iudicij, & majestate Iudicis venturi Christi, ad initium sapientiæ peruenimus, id est, cognitionis altissimæ verbi Dei, ab istius vltimi aduentus terrore, diuinitatem absconditam in carne agnouimus: & quomodo qui in plenitudine temporum à patre missus est, factus homo & ex muliere natus. *In principio erat verbum.* Hic itaque cum S. Ioh. à principio initium nostrum sumemus, à diuinitate, & Christi æterna generatione.

S. August. in Ioh. dicit hūc Euangelistam plusquàm hominem fuisse, cùm hæc scripsit & dixit; *In principio erat verbum.* Tunc etenim quod oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit, ascendit in cor Iohannis, aut fortè in eam altitudinem cor Ioh. ascendit, cùm dixit, in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Transcenderat enim omnia cacumina terrarum, omnes campos aëris, omnes altitudines syderum, omnes choros & legiones Angelorum, vt diceret; *In principio erat verbum.* Nisi enim transcenderet omnia ista quæ creata sunt, nunquam perueniſſet ad eum per quem omnia facta sunt, scilicet verbum. O qualis mons & quàm excelsus inter illos qui susceperunt pacem populo Dei

S. August. tract. 1. in Ioh.

A enunciandam! Igitur si intelligere vultis, ait Aug. leuate oculos vestros in montem istum, Euangelistam dico, & erigite vos ad sensum eius.

Imprimis præter aliorum Euangelistarum morem, qui ab humana Christi generatione exordium sumpserunt, vt S. Matth. & Luc. aut à baptismo & prædicatione, vt S. Marc. iste, scilicet Ioh. omnium altissimus, altiùs etiam & à prima origine sumpsit exordium, dicens; *In principio erat verbum* Primóque Ebionitas feriens & Cerinthianos, qui diuinitatem Christi negabant, & ante Mariam extitisse: eius diuinitatem proponit, per quam omnia facta sunt: deinde humanitatem, quæ fidelibus & vitam desiderantibus, via est regenerationis. Conuenientissimum enim est, vt qui per Christum creati sunt, B regenerentur per ipsum.

Quare Iohannes Euangelium suum exorditur à generatione æterna.

Ita S. Epiph. S. Chrysost. in Ioh. & S. Iren. lib. 3. c. 11. qui sic ait. Significans Ioh. quoniam per verbum, per quod Deus perfecit conditionem, in hoc & salutem his qui in conditione sunt. 1. creatione, præstitit hominibus, sic inchoauit; *In principio erat verbum.* Igitur tametsi IESVS Christus verus sit homo ex Maria virgine natus, in principio tamen verbum erat.

S. Epiph. hæresi 51. S. Chrysost. hom. 1. in Iohann. S. Iren.

Ante principium nihil est; vnde ex hoc loco S. Iohan. æternitatem Christi colligimus, sicut ex primo cap. 1. eius Epist. vbi sic incipit. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus*, &c. *attestamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, &* C *apparuit nobis.* Ecce initium omnino simile huic. *In principio erat verbum, verbum erat apud Deum, & verbū caro factum est*, &c. Quod autē adhuc æternitatis eius nota est, huius differentia est tēporis, *erat*.

1. Ioh. 1.

Explicatio tēporu, erat.

Sed quid sit æternitas videamus. Dici potest duratio tota simul. Item quod est & coëxistit omni tempori, præterito, præsenti, & futuro: duratio denique comprehendens præteritum absque initio, præsens absque desitione, & futurum absque fine. Vnde sic cum Boëtio definit S. Tho. Est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio, successione carens ac motu, ordine prioris & posterioris, (in quo est omnis ratio & forma temporis.) Æternitas igitur tota simul est possessio vitæ intermi-D nabilis, significata in Christo hac differentia temporis, *erat*.

Quid sit æternitas.

S. Thom. 1. p. q. 10. art. 1.

Hoc notauit Theophil. & non dixisse propterea S. Euangelistam: *In principio fuit*, sed, *erat*; hoc enim tempus præteritum, *fuit*, indicat rem præteriisse, & iam desiisse, nec esse amplius: illud autē, *erat*, quod est præteritum imperfectum, perennitatem significat & firmitatem durationis, seu possessionis indefinitæ, scilicet rē semper fuisse, esse semper, & fore semper. Sic non est vsus Moyses cùm de creatione mundi locutus est dicens: *In principio creauit Deus*; hinc enim intelligimus mundum incepisse, & ante ipsum fuisse principium, scilicet dicere & ver-E bum Dei, per quod omnia facta sunt.

Theoph.

Gen 1.

Quantum autem ad illud, æternum esse & idem principiū, vnde S. Ioh. dixit; *In principio erat*: certè in vno valde conueniunt Moyses & S. Ioh. quod simile principiū suis operibus principio dederunt. Sicque veteris & noui testamenti sibi initia respōdēt, dicēte vtroque; *In principio*: sed in hoc multùm differunt, quod vnus dixit; *In principio Deus creauit*: & alter; *In principio erat verbū.* Vnus loquitur (Moyses) de terra vacua, & alter (S. Iohan.) de verbo apud Deū; Moyses de tenebris super faciē abyssi, & S. Ioh. de vita & luce hominum; Moyses de Spiritu Domini incubāte aquis, & S. Ioh. de verbo Dei quod caro factū est, & habitauit in nobis: deniq; Moyses

In quo Moyses & S. Iohannes conueniunt & differunt.

de creatione mundi & temporis, & S. Ioh. de generatione æterna, & temporali Incarnatione Verbi. Quid concludam? vnus Moyses agnouit principium ante mundum, & S. Ioh. ante verbum non fuisse principium; sed coæternum esse patri qui principium eius est, sed non ante ipsum. *In principio erat verbum*, &c.

Principij explicationes.

1. Augu. Verùm ad maiorem intelligentiam diuersas adhuc huius principij interpretationes explicemus. Simpliciter sensus & magis litteralis ille est August. tract. in Iohan. scilicet vt hoc nomine intelligatur origo rerum: ita vt ostendatur & declaretur fuisse iam verbum in principio cùm omnia facta sunt, & sic non fuisse factum quod iam in principio & in origine omnium erat, scilicet æternum; & hoc sensu hoc Euangelium scripsit S. Iohan. contra Cerinthum, qui, vt diximus, Christum negabat fuisse ante B. Virginem.

2. Chrys. hom. 2. in Ioh. Heb. 7. Sic S. Ambros. Basil. & Chrysostom. in Iohan. conformiter de æternitate principium interpretati sunt. Hoc modo in Sacerdotio cum Melchisedech comparatur, qui neque initium vitæ, neque finem dierum habet: hoc modo & dicebat ipse Iudæis, *antequam Abraham fieret, ego sum*. Et ad patrem: *Clarifica me tu pater, claritate quam habui priusquam mundus fieret, apud te*, id est, ab æterno: hoc modo & S. Iohannes; *In principio erat verbum*, id est, in æternitate. (Ioh. 8. & 17.)

3. Orig. tract. 1. in Ioh. & S. Cyrill. lib. 1 in Ioh. c. 1. Psal. 109. Origen. & S. Cyrill. in Iohan. aliter principium interpretati sunt, scilicet æternum patrem, & maximè Cyrill. illud psalmistæ exponens, *tecum principium in die virtutis tuæ*, id est, tecum pater aderit in die exaltationis tuæ, scilicet crucis. Ita vt secundum eos; *In principio erat verbum*, idem sit, atque in patre erat, qui est principium principij & sine principio, fons diuinitatis, & sic principium filij aut verbi. Quo sensu ipse Christus dicebat; *Ego in patre*.

4. S. Athanas. orat. contra Arrian. Optimè omnes illæ explicationes conueniunt. Ita & Athanas. in Orat. contra Arrianos, hoc nomine Deum intellexerit; *In principio erat*, id est, in Deo: quomodo & colligendum videtur ex sequenti verbo S. Iohannis, *& verbum erat apud Deum*. Ad hunc sensum illud Dauid referri potest; *Sedes tua Deus in sæculum sæculi*, quod vertit Apostolus ad Hebr. *Thronus tuus Deus*. &c. (Ps. 44. Heb. 1.)

Generatio æterna. His autem quatuor explicationibus allatis, ex duabus præsertim vltimis, naturalem & æternam generationem Christi, vt est verbum patris, ostendimus. Iuxta quod ipse de se ait; *Dominus dixit ad me*, scilicet pater, *filius meus es tu, ego hodie genui te*. Et pater de filio (ps. 109. qui totus de Christo est:) *Ex vtero ante Luciferum genui te*, &c. (Ps. 2. & 109.)

Hic certè constat, Deum habere filium naturalem, eúmque Messiam esse, cuius etiam declaratur æternitas his verbis, *ego hodie*, & *ante Luciferum genui te*. Et certè hoc nulli nisi filio Dei conuenire potest: per hoc enim quod dicitur, *genui te*, ostenditur personarum distinctio, quia nulla res seipsam genuit: & per hoc quod dicitur, *ex vtero*, id est, ex substantia, ostenditur diuinæ essentiæ vnitas: per illud autem, *hodie*, & *ante Luciferum*, id est, ante creationem mundi, æternitas ostenditur.

Æterna generatio probatur triplici ratione.

1. Quodque sic triplici ratione probamus. Prima est, quod Deus pater producit suum verbum natura, non voluntate, necessariò, non liberè: vbi autem aliquid sic procedit, statim atque principium ponitur, etiam statim ponitur id quod ab illo procedit. Sic producitur calor simulatque existit ignis, quia necessariò procedit calor ab igne. Ita est de patre respectu diuinarum personarum, & consequenter verbi.

Secunda est, quod Deus verbum suum producit per sui & aliarum rerum perfectissimam intellectionem; hæc autem vnica est, simplicissima, tota simul, & æterna, cùm sit ipsissima substantia Dei. Igitur verbum per eam productum erit patri coæternum. 2.

Tertia est, quia pater generat filium sibi omnino consubstantialem, & cum omnibus suis perfectionibus, quæ à substantia eius non differunt: inter diuinas autem perfectiones est æternitas. Igitur ab æterno produxit & sibi coæternum. Hocque etiam sensu ab Apostolo primogenitus omnis creaturæ est appellatus, id est, ante quem nullus primò natus est. *In principio erat verbum*, &c. 3.

Filius dicitur verbum tribus modis. Cur autem iste in Deo filius dicatur verbum, hæc ratio est, scilicet vt quàm intimus & consubstantialis patri filius sit, ostendatur. Si quidem duplex inuenitur & consideratur verbum; vnum mentis, quod est internum: alterum vocis, quod est externum. Christus autem vt filius Dei est, à similitudine mentalis verbi dicitur verbum tribus modis. Primo, quia sicut mens & ratio nobis maximè intima est: sic Dei filius maximè est intimus patri, &, vt diximus, penitus consubstantialis. 1. Secundo, quia sicut verbum aut conceptus est ipsissima imago intellectus, ab eo sine corruptione procedens, & in ipso residens: ita Dei filius est simillima imago patris, ab illo cum omni simplicitate procedens, & in eo remanens. 2. Hinc est quod ab Apostolo dicitur splendor patris, speculum sine macula, imago & figura substantiæ eius. Tertio denique, quia sicut per verbum seu per intellectionem mens loquitur sibi, & scilicet seipsam intuetur in se; ita in filio quasi sibi ipsi pater loquitur, omniáque in verbo contemplatur, sicut in ipso omnia creauit, & reparaturus est. 3. Hinc ad salutem nostram necessitas, vt inueniamur in ipso, & maneamus, Apostolo dicente: *Nihil damnationis iis qui sunt in Christo* IESV; quasi diceret, illos omnes qui extra Christum sunt, perituros: vitam verò & salutem certissimè consequuturos, qui inuenientur in ipso, sicut ipse manet in patre. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*. (Rom. 8.)

DE IMMENSITATE Christi, & diuinis mansionibus eius.

Et verbum erat apud Deum. Ioh. 1.

His verbis immensitas Christi declaratur, ostenditúrque non definiri locis qua parte Deus est: sed mansionem suam apud patrem facere. Quo sensu paulo post idem Euãgelista dixit, & declarauit vnigenitum qui est in sinu patris. S. Chrysostom. cur id adiecerit S. Iohan. scilicet, *Et verbum erat apud Deum*, rationem reddit; ne quis audiens, inquit, *In principio erat*, putaret statim ingenitum verbum, & sine principio generationis: quare & apud Deum fuisse addidit. Nam si hoc non dixisset, dubitari poterat, vbi esse poterat. Igitur si nunc interrogaretur, vbi erat quod in principio verbum erat. Respond. apud Deum, id est, apud patrem, (Chrysost. hom. 2.)

Cur

Cur Euangelista dixit, verbū apud Deum, & nō apud patrē. Theoph. & S.Bas.

Cur autem *apud Deum* dixit, & non *apud patrem*, & similiter, *erat verbum*, *& non filius?* Secundum Theoph. & S.Bas. eadem est ratio, scilicet ne statim audito ab initio nomine filij & patris, cogitaremus generationem corporalem, & secundum carnem; vnde vti voluit nominibus istis verbi & Dei, vt illam intelligeremus intellectualem & diuinam esse. Hic non omittam rationem quam affert S. Thom. scilicet S. Iohannem propositum habuisse de Christo scribere quatenus à patre missus erat in mundum, ad manifestandam voluntatem eius. Respectu autem huius officij & muneris, magis ei conuenit nomen verbi quàm filij. Sicut enim verbum in nobis, seu interior conceptus intellectus qui formatur in mente, est ipsamet notitia, & quasi expressio mētis, & cùm exteriùs profertur, explicat quod latebat: ita Dei filius, qui gignitur & procedit ex intellectu patris, ipsius intelligentia est, & omnium quæ in eo sunt notificatio, appellatur verbum: cui ideo conuenit vt nobis loqueretur in carne, ac reuelaret quæ in Deo abscondita erant, vt ipse aliquando dixit: *Quæ audiui à patre meo, nota feci vobis*, vt verbum illius, & verbum apud Deum.

S.Th.in Ioh.

Ioh.15.

Quare Dei filius verbū dicitur apud Deum.

Verbum apud Deum, quia non est solitarium, nec vnquam à patre substantiâ separatum. Dico substantiâ, quia hic etiam nobis specificatur distinctio personarum: nam verbi subsistētia in Deo personam distinctam constituens, & subsistentem per se, à patris subsistentia distincta est; ita tamen, vt filius cum patre, & in patre amicabili & sociabili coniunctione, seu potiùs vnitate naturæ, semper deuinctus maneat, à quo & procedit. Vnde fit, vt ex his quatuor syllabis, seu verbis, *verbum, erat, apud, Deum*; nobis declaretur illud altissimum vnitatis Dei, & Trinitatis personarum mysterium, vbi vnitate naturæ, & vinculo eiusdem ac mutui amoris, qui est Spiritus sanctus, mansionem vnius in altero contemplamur & adoramus.

Mysterium Trinitatis declaratur.

Mansiones Christi.

Hic itaque speciales Christi mansiones referemus, multæ enim sunt & diuersæ tam in Deo quàm in suis creaturis, in terra vt in cœlo: & de duabus hic tantùm loquemur.

Prima, quæ diuina & æterna dicitur.

Prima omnium illa est æterna & diuina, secundum quam dicitur verbum apud Deum, vnigenitusque qui est in sinu patris. Hic est status & mansio quæ immensitatem eius constituit, facitque vt, sicut dictum est, nullo loco definiatur, sed vbique sit quà in patre est, in quo & cum quo in omnibus existit per essentiam, quia ad omnia diffunditur: per potentiam, quia omnia producit & conseruat: per præsentiam, quia omnia intuetur, iuxta illud Act. *Non longè est ab vno quoque nostrûm: in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Et illi maximè vt verbo conuenit, scilicet omnia implere & continere sua immensa Majestate, iuxta quam in cœlo & in terra est non definitus, sed superestusus. Apud Ierem. *Ego cœlum & terram impleo.* Vnde hoc, nisi ex mansione eius in patre, & quia verbum est apud Deum? Hæc certè mansio est in qua Deus est, splendor patris, & figura substantiæ eius. Illa est in qua cum patre vnum est principium amoris æterni, qui est Spiritus sanctus, in qua adhuc cum vtroque vnum est principium omnium creaturarum. Illa est mansio in qua & beatus & beatitudo ipsa est, in qua sedet in æternum regnantium Rex, & primogenitus omnis creaturæ; in qua agnoscitur hæres vniuersorum patris, gloria Angelorum & hominum, speculum sine macula, obiectum fœlicitatis

Act.17.

Ierem.23.

Heb.1.

A æternæ, & in visione gloriæ & majestatis cuius omnes beati erimus.

Denique dicam, illa est mansio in qua, & propter quam solum mansiones multæ sunt in domo Dei patris, & in qua nos speramus recipi omnes in æterna tabernacula. O mansionem sibi & nobis beatam! sibi & nobis gloriosam! *Verbum erat apud Deum.* Et dicit: *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Et vbi sum ego, illic & minister meus erit.* Vbinam es, ô Domine Iesv? In principio, & apud Deum, ait S.Iohan. & illic minister meus erit. vbi es, Domine Iesv? Ego in patre, & illic minister meus erit. vbi es, Domine Iesv? In sinu patris, ait Baptista, & illic B minister meus erit. Gratum mihi, & illi est hæc verba repetere, vbi es, Domine Iesv? In cœlo ad dexteram Majestatis in excelsis, in luce inaccessibili: denique in throno gloriæ, sed diuinitatis: Thronus enim tuus, Deus. Hebr.1. *Et verbum erat apud Deum.* Et ego volo, pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus, &c. Serui Christi, illic, quæso, simus omnes, vbi ipse est. Ille equidem honor altus est & suprema dignitas; si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Quo honore? mansionis meæ; vbi ego sum, illic & minister meus erit. Vbi es, Domine? *Et verbum erat apud Deum*, ait S.Ioh.

Ioh.14.

Ioh.12.

Ioh.14.
Ioh.1.

Heb.1.
1.Tim.6.
Apoc.3.

O Christiani, iam mente & votis, iam spiritu & C veritate ibi habitemus vbi Christus est. Quæ sursum sunt, & vbi Christus est, quærite & sapite, non quæ super terram. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. ecce vbi Christus est ab æterno vsque in æternum. Sic dicebat apud S.Ioh. *Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mūdum & vado ad patrem.* Igitur apud patrem habitemus & maneamus: ecce enim vbi est Christus. Apud Matth. dicebat; *Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit.* Et quis noster est thesaurus nisi Christus? in quo reconditi sunt omnes thesauri, iuxta quod homo simul & Deus est. Ibi ergo sit cor nostrum vbi ipse est. Vbi thesaurus, ibi cogitantis affectus, ait Fulgent. Nostra itaque con-D uersatio sit in cœlis, vbi ipse est. Nos ibi reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformabimur, vt non amplius nisi Deum quæramus & sapiamus, in quo manet in æternum Christus noster thesaurus. *Et verbum erat apud Deum.* Igitur apud Deum & patrem habitemus, in cuius sinu est vnigenitus; & ibi sit cor nostrum vbi est noster thesaurus.

Coloss.3.

Ioh.16.

Matth.6.

Fulgent.

Phil.3.

2.Cor.3.

S.August. hoc explicans dicit, his verbis voluisse Dominum de corde nostro nobis dare consilium, scilicet vt illud leuemus ad cœlum, ad patrem, ad Deum, ne putrescat in terra; consiliúmque eius esse, qui vult nos saluare, non perdere. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore E mortis huius? Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, terrenáque cogitatio sensum deprimit multa cogitantem, alta, diuina, & æterna, denique illam verbi apud Deum mansionem. *Et verbum erat apud Deum.*

S.Aug.Ser.1. Septuages.

Verùm de hac prima admirabili, æterna, ac paterna mansione ad secundam veniamus, quæ in plenitudine temporum peracta est, nec minus in sua ratione admirabilis est, quàm altera. Illa mansio hypostatica est, personalis, realis, & substantialis eiusdem diuini verbi in humanitate, in qua diuinitas tanquam in proprio suo templo & particulari inhabitat diuiniùs, admirabiliúsque quàm in ipso gloriæ statu: vnde & illam adoramus,

Mansio secūda, sc. hypostatica.

mus, tanquam rem post diuinitatem omnium rerum sanctissimam, quatenus diuinitate ipsa residente in ea sancta est, & sic vnione hac hypostatica vsque ad thronum ipsum diuinitatis eleuata.

Certè nulla post diuinam & æternam in patre, excogitari potest altior mansio quàm illa, qua scilicet *verbum caro factum est*, & vnigenitus Dei formam serui indutus est, qua plenitudo diuinitatis, vt loquitur Apostolus, in Christo corporaliter habitat, & simul Deus & homo viuunt vita cómuni & mutua, diuino-humana, & humano-diuina: denique qua Deus vitam ducit absconditam in humanitate, & homo in diuinitate. Hoc certè Isa.45. sensu dixerat Isaias: Verè tu es Deus absconditus Deus Israël, & Saluator, Saluator IESVS, & Deus Israël Christus, Messias expectatus, Deus absconditus, qui assumpta humanitate in terris visus est, Baruch.3. & cum hominibus conuersatus, apparuit vt homo despectus, &, vt dicit Apostolus, cùm in forma Dei esset, in similitudinem hominum factus, habitu inuentus est vt homo. *Quomodo Christus dicitur Deus absconditus.* Verè Deus absconditus in natiuitate, exilio, conuersatione, vita, laboribus, passione, & morte. Verè Deus absconditus, quia omni creato intellectui incognitus, & non sine reuelatione cognitus.

Matth.16. Sic apud Matthæum iste Deus absconditus interrogabat discipulos suos dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* &c. & respondit Petrus: *Tu es Christus filius Dei viui.* Dixit ei: *Beatus es Simon, quia sanguis & caro non reuelauit tibi, sed pater meus*, &c. Verè Domine, in te est Deus, & absque te non est Deus. Sed verè etiam tu es Deus absconditus, in homine absconditus. Sed quid dicam? vbique absconditus, in Deo patre, apud quem habitas lucem inaccessibilem. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.* Quis in hanc lucem ascendet? Et in homine item absconditus, in quo gloriam suæ Majestatis nube carnis nostræ & infirmitatis inuoluit. Ecce quàm admirabilis, quàm distans, & tamen simul vnita & coniuncta vtraque fuerit in Deo & in homine diuini verbi mansio. *Verbum erat apud Deum, & verbum caro factum est.* Quare sciendum, quia quomodo beati erimus in eius mansione æterna apud Deum; ita & erimus in eius personali & hypostatica in homine: denique si in Christo thesauro nostro manserimus. Ideoque in Euangelio monet nos, vt in ipso maneamus; & iterum dicit: Ioh.15.10. *Per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur*, de diuinitate in humanitatem, de vna mansione in alteram, *& pascua inueniet.*

DE ALIIS MANSIONIBUS Christi in creaturis.

Et Verbum erat apud Deum. Ioh.1.

IMmensa est mãsio Christi in patre; ex hac procedit quod non sit definitus loco, sed vbique maneat, tamen speciali modo in multis. Sapientia illa est quæ attingit à fine ad finem fortiter, quæ suis mansionibus altissima coniungit humillimis, Deum creaturis. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Apud Isaiam: Isa.57. *Deus sublimis & excelsus, habitans æternitatem, & cum humili spiritu, & contrito corde*, &c. Mira res, omnia non nisi centrum vnum habent: & sola sapientia patris, æternum verbum duo habet, sinum patris, & cor hominis. *Ego*, ait, *in altissimis habito.* & alibi: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Eccli.24. Pro.8. *Duplex centrum Christi.* Sic apud S. Iohannem, *ego in patre, & ego in eis.* & iterum: *In illo die cognoscetis, quia ego in patre, & ego in vobis.* Ioh. 14. & 17. Sed de hoc non est mirum, cùm dicatur esse lapis angularis, qui facit vtraque vnum, sinum patris & cor hominis esse vnum. Etenim cùm ad hominem venit, adducit & patrem; verbum enim est apud Deum, ipso dicente: *Si quis diligit me, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ioh.14.

Hoc sedulò retinete, dilectissimi, quid prosit Christum diligere. Sic iterum & paulo antè: *Si quis diligit me, diligetur à patre, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*, scilicet ad differentiam aliarum rerum, quæ tantùm mediantibus exteriori lumine, & emissione specierum suarum, videntur. Lucerna autem respectu visionis diuinæ, Agnus est, ipsum verbum & sapientia patris: & loco speciei erit tunc impressio, & penitissima ipsiusmet diuinæ essentiæ communicatio; vnde dicit, & manifestabo meipsum, per meipsum. *Deus videtur per seipsum.*

Hinc dixit S. August. Amare videre est, amor oculus est. *Amor oculus est.* O vim admirabilem diuini amoris, qui sic valet Deum imprimere in nobis! *Quanta sit vis amoris.* De quodam Apelle refertur quod sic amor picturæ ipsum extra se rapiebat, vt plerumque cùm ederet, non sibi edere videretur. *Exemplar.* Et de alio quodam Archimede, quem sic meditatio circulorum & dimensionum sphæræ detinebat, vt ab illa non fuerit amotus cùm vrbs, in qua tunc erat, capta ab hostibus tota euerteretur. Si cum admiratione enarrentur talia, quid de amore Dei dici poterit? Apelles versatur circa flores & animalia, & tamen delectatur: Archimedes circa circulos, & euersio vrbis ipsum ab attentione dimouere non potest. Quid igitur in anima facere & operari poterit amor Dei? ille amor qui dimensiones bonitatis Dei contemplatur, atque potens est ipsum Deum imprimere in nobis, & nos ferre in ipsum, vt ille in nobis maneat, & nos in illo maneamus. *Si quis diligit me*, inquit, *diligetur à patre, & manifestabo ei meipsum.* ecce eius communicatio & mansio in nobis. *Mansio Trinitatis in homine per gratiam.* Et rursus: *Si quis diligit me ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; non solus filius, sed adhuc pater cum Spiritu sancto, Deus in trinitate personarum.

O amator Christi, quid tibi nunc videtur de præmio tui amoris? Vnde igitur tam tibi difficile est, Deum tuum amare? Et quare tam parum curamus omnes hoc verbum amoris; *Manete* (ait) Ioh.15. *in dilectione mea, sicut & ego maneo in dilectione patris?* Quare ergo differimus, & non citò amamus, vt seipsum nobis, & omnia manifestet filius, & sic pater, filius & Spiritussanctus mansionem suam apud nos faciant? Vbicunque inuenitur filius, manet semper in dilectione patris, & sic apud patrem; & sic ibi est pater, vbi inuenitur & manet filius. Ita vt sine filio nec dilectionem, nec præsentiam patris habere possimus.

Recordemur propterea istius sermonis, & semper illius memores simus cum honore. *Pater meus*, inquit Christus, *amat vos, quia vos me amastis.* Ioh.16. Quasi diceret: nulla alia ratio est cur amat,

amat, quàm quia diligor, & quid inde præmij? *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* O præmium! Sufficit, si amemus. Beatus planè apud quem mansionem tuam facies, Domine IESV, beatus in quo sapientia ædificauit sibi domum, & beata anima quæ diuinæ sedes est sapientiæ. Quæ illa? Iusti, & meritò, quia sine iustitia, id est, sine complemento omnium virtutum non venit ad nos, nec requiescit sapientia æterna: si qua enim præparatio est sedis eius, amor est & iustitia. Vnde ij omnes in quibus specialiter Christus, qui est verbum & sapientia patris, permanet, siue in cœlo, siue in terra, inter homines vt inter Angelos, in iustitia & dilectione sunt; nec aliter in his, quàm cum gratia inueniri potest.

Iustitia præparatio est sedis, & mansionis Dei in nobis.

Quare prosequendo nunc mansiones nostras, dico Christi in suis creaturis, sicut in omnibus locis dominationis eius; hãc omnium primam recolo, & excellentissimam, quam fecit in terra, scilicet apud MARIAM virginẽ, cùm de cœlo Angelus ad eam missus est in gratiam Incarnationis. Non citiùs enim tunc consensum præstit, dicens; *Ecce ancilla Domini*, quin statim inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto, & verbum quod erat apud Deum, in eam descendit, illa plena Deo extitit, & Deus in ea factus homo, intra viscera eius spatio nouem mensium remansit: sicque apud Deum verbum erat, & simul in virgine Deus-homo; & qui in cœlo patrem Deum habebat, mulierem matrem in terris habere visus est: vnigenitusque qui erat in sinu patris, simul inuentus est in vtero virginis. Ita vt hæc verba dicere potuerit: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Dominus possedit me in initio viarum suarum*; quas scilicet in hunc mundum veniens, primò ingressus est. Tunc enim prima fui quæ ipsum excepi; *Magnificat anima mea Dominum*, &c.

Mãsio Christi in Virgine.

Eccli. 24.

Elisabeth diuinitus agnouit hanc mansionem incarnati verbi in virgine, cùm salutationem eius audiens dixit illi; *Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me? & beata quæ credidisti*, & excepisti, &c. Similiter paruulus Baptista & præcursor, qui adhuc in vtero agnouit, & inhabitantem in visceribus maternis Dominum suum exultans adorauit. Ita Chrysost. apud Metaph. qui sic Iohannem adhuc in vtero matris loquẽtem introducit. Video, licet adhuc in vtero, in vtero gestari Solem Iustitiæ; nascor iam vox magni verbi: & nouem mensium tempus mihi non est hic necessarium, exclamo, & exulto, quoniam vnigenitum patris video formam suscepisse hominis. Exilio & præcurro aduentum eius dicens matri, ecce Agnus Dei; & hæc est mater verbi Dei & hominis.

Luc. 1.

S. Chrysost. apud Metaph.

Sed quæso, quis non talem in Maria mirabitur filij Dei mansionem? Deum factum hominem nouem menses intra virginem manere? & quis non credet illam & venerabitur omni benedictione plenam? Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus, Deus in medio eius. Arca Domini habitans in domo Obededom tribus mensibus, illam benedictione repleuit. Quantis igitur & amplioribus gratiis impleuit Mariam Christus in ea habitans nouem mensibus? Illud est certè quod vniuersa creatura miratur, & cœlum & terra, maximè si consideremus electionem eius ad tantam gratiam, vt filij Dei mater existeret, templum, mansioque dignissima.

Psal. 45.

Figura. 2. Reg. 6.

In lib. Regum figura quædam videtur esse in illo throno grandi & de ebore, quem sibi Salomon

Alia. 3. Reg. 4.

A fecit, vestitum auro purissimo, habentẽ sex gradus, & summitatem rotundam, & de quo dicebatur quod non erat opus tale in vniuersis regnis. Talis virgo thronus erat, & regia domus, seu mansio diuini Salomonis, vestita auro purissimo diuinissimi amoris, excedensque in gratia & gloria omnes sex ordines Sanctorum, Angelorum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum & virginum. Sed & in vniuersis regnis & principalibus, seu thronis diuinæ Majestatis, non est tale opus Deo dignũ & mansione eius, sicut illa extitit. Quare de illa iam ad inferiores mansiones veniamus.

Post mansionem in Maria, vnam habuit Christus in Betlehem in præsepio; sic pastores inuenerunt, sicut dixerat illis Angelus: *Inuenietis infantem*, &c. *& venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio.* Admiremur omnes istas quæ sequuntur mansiones: sic enim & inuentum adorauerunt Reges procidentes. *2. mansio in præsepio.*

B

Luc. 2.

Matth. 2.

Alia est in Ægypto septem annis, vt legitur ex S. Matth. *Consurgens Ioseph accepit puerum & matrem eius & secessit in Ægyptum: & erat ibi vsque ad obitum Herodis.* Alia in Nazareth vsque ad diem ostensionis; vnaque triduana in Hierusalem, cùm adhuc esset annorum duodecim. Ita apud S. Luc. *Remansit puer IESVS in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Et factum est post triduum inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem & interrogantem eos: & iterum descendit cum eis Nazareth.* *3. In Ægypto.* *4. in Nazareth.* *5. in Hierusalem.*

C

Deambulatoriæ in terra sunt omnes mansiones eius, de terra in terram vadit, de domo in domum, & de ciuitate in ciuitatem. Apud Ierem. *Expectatio Israël & Saluator eius, quare futurus es velut vir vagus in terra, & quasi viator declinans ad manendũ?* Non solũ ædium tecta, sed & deserta mãsiones eius sunt. Matth. & Luc. 4. & alibi sæpius. Non solum domus Ioseph, sed Zachæi. Luc. 19. *Zachæe festinans descende, quia hodie oportet me in domo tua manere: & excepit illum gaudens.* Item domus Marthæ. Luc. 10. *Mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam* similiter & Maria cum Lazaro. Ioh. 12. vbi facta ei cœna in Bethania, Maria vngit, Martha ministrat, & Lazarus vnus est ex discumbentibus cum eo. Sed quid addam? & Pharisæorum domus, peccatorum, & publicanorum mansiones eius sunt. Matth. 9. ingreditur domum publicani, qui Matthæus erat; & Luc. 7. domum Pharisæi, cum quo manducat & discumbit. Ita vt factum sit deinceps, (cap. sequenti,) vt sic iter faceret per ciuitates, & castella prædicans regnum Dei, quasi viator declinans ad manendum. Hoc modo cuidam Scribæ sibi dicenti: *Magister, sequar te quocunque ieris.* Respondet. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Saluator Israël quasi colonus futurus est in terra, velut vir vagus, & quasi viator declinans ad manendum, &c.

Mansiones Christi in terra omnes deambulatoriæ. *Ierem. 14.*

6. mansio in deserto. *7. in domo Zachæi.*

8. Marthæ.

D

9. peccatorũ.

E

Verùm inter mansiones eiusmodi quas habuit in terra, vna est prodigiosa, quæ maximè veritatem huius verbi demonstrat. Mansio est Crucis. Illic certè non habuit vbi caput reclinaret; mansio in qua vitam suam terminauit, mansio in qua sex horis tam viuens quàm mortuus fuit. *10. mansio Crucis.*

Hanc altera similis sequitur, & vltima nõ minus adhuc prodigiosa. Mansio est sepulchri & inter mortuos, cum quibus antequam ad vitam resurrexit, triginta horis remansit. O mansiones omni stupore & admiratione plenas! vbi habitas Domine *11. sepulchri.*

IESV? & quomodo cum omnibus istis mansionibus stare & conuenire illa potest; *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum?* &c.

Sed non omittamus illas quas adhuc nobiscum in terra in perpetuum habere voluit. Tres sunt. Vna sacramentalis & Eucharistica in cõmunione: *Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo.* Ecce mutua mansio hominis in Christo, & Christi in homine. Alia corporalis & realis præsentiæ in Altari, in quo reseruatur idem Sacramentum. Figurabatur in Exod. *Facient mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum.* Similiter 2. Par. 7. *Sãctificaui mihi locum istum, vt permaneant oculi & cor meum ibi cunctis diebus,* &c. Alia spiritualis per assistentiam gratiæ & auxilij. Matth. vltimo. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Ita vt adhuc hodie nobiscum maneat, ac in Ecclesia per præsentiam sui Spiritussancti. Non relinquam vos orphanos, vado & venio ad vos: ego enim rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritũ veritatis. Et quis est ille Spiritus, nisi eiusdem Christi, quem Pater misit ad nos in nomine eius, postquam ad ipsum est reuersus, vt nunc cum eo in æternum maneat, qui in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum? Mansio eius æterna est, & nunc Christi, id est, hominis-Dei apud patrem in æternum mansio, qui filius Dei manet in æternum, & in æternum sedet ad dexteram majestatis eius in excelsis.

12. mansio Christi in Sacramento. *13. in Altari.* *Exodi 25. 2. Paral. 7.* *14. spiritualis. Matth. vlt. Ioh. 14.* *15. mansio Christi in cœlis.*

Ecce punctum & circulus mansionum Christi: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis,* & postea rediens ad patrem, manet hodie in æternum apud eum. Ioh. 16. *Exiui à patre, & veni in mundum. Iterum relinquo mundum, & vado ad patrem.* Iam ea mansio est, in qua est in beatis, qui in cœlis sunt, *omnia in omnibus*: in Angelis omnia, & in Sanctis omnia; in quibus diuersimodè manens, diuersitatem etiam ordinum & statuum gloriæ facit. O illi fœlices throni, in quibus in æternum manet Christus! Et nos beati etiam in terra, si contigerit per gratiam manere in nobis. Modum scire vultis? *Manete in me, ait, & ego in vobis. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum pater. In hoc clarificatus est pater meus, vt efficiamini mei discipuli, & in dilectione mea maneatis, sicut ego maneo in dilectione patris.* Et verbum erat apud Deum.

16. in Patre. *17. in beatis, in quibus diuersitatẽ ordinum facit.* *18. mãsio nostra in Christo, vt in nobis maneat.*

DE DIVINITATE Christi diuersis testimoniis cõprobata.

Et Deus erat verbum. Ioh. 1.

EX præcedentibus nobis iam satis manifestata est Christi diuinitas. Interim hoc absolutè, atque etiam ratione ostendere, non parum proderit veritati, sed potius illam multum iuuabit, exaltabitque aduersus hæreses, & scandala peruersæ rationis. Neque enim solùm est verbum apud Deum, sed idem Deus cum patre in quo est; *Et Deus erat verbum.* Præuidebat diuinus Euangelista Arrium venturum eiusque sectatores, nostræ tempestatis hæreticos, qui, cum Atheis eorum fautoribus & liberis, diuinitatem Christi negaturi erant, sicut hodie nimium, heu! audacter & manifestè videmus. Audiant itaque eiusmodi, si qui sint hic, vt de hac veritate tam aperta & non occulta non dubitent; *Et Deus erat verbum.* Verbum patris naturâ Deus est, distinctionémque eius à patre, in personis & hypostasibus agnouistis, quando verbum diximus fuisse apud Deum, &c.

Probatur diuinitas Christi.

A

Ecce nunc æqualitas, vnitásque naturæ, potentiæ, & majestatis cum patre; *Et Deus erat verbum.* Deus, qui vnus est, sicut à diuinitate sua, seu naturæ vnitate habet quod sit vnus Deus: ita etiam à proprietatibus personalibus habet quod sit trinus in personis, scilicet Pater, Filius, & Spiritussanctus. Vnde in Deo quæ distinctionem faciunt, personales illæ sunt proprietates, non quidem absolutæ, sed relatiuæ: quia in diuinis omnia vnum sunt; vbi illa non accedit relationis oppositio, filij ad patrem, & Spiritussancti ad vtrunque: scilicet paternitas, filiatio, & spiratio passiua. Actiua enim non distinguitur realiter à paternitate & filiatione, nisi tantum formaliter, aut ratione ratiocinata: vt vult Scotus, vel rationabili. Igitur cùm præcedentia distinctionem nobis demõstrarint; *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*: quod sequitur nũc; *Et Deus erat verbum,* nobis coæqualitatem naturæ, æternitatis, immensitatis, potẽtiæ, ac majestatis exponit & declarat. *Et Deus erat verbum.* Hoc autem expressè & consultò, vt dixi, vt aduersus omnes hæreses quæ fuerunt, nunc sunt, & futuræ sunt, itémque omnia scandala & contrarietates rationis confortaremur, vbi profitemur authorem fidei nostræ Christum, & consummatorem, esse filium Dei & Deum. Etenim opus est, & absolutè necessarium ante omnia, & ad ea quæ nobis proponuntur credenda, tale nos fundamentum habere; *Et Deus erat verbum,* Christus Deus est.

B *Vnitas & distinctio in Deo vnde procedat.*

C

Igitur quæ hic nunc dicturi sumus & explicaturi, maximè duo sunt. Primum est, nunquam fuisse Deum, aut etiam potuisse esse quin filium generauerit omnino sibi similẽ, qui dicitur verbum. Secundum est, hoc verbum seu filium factum hominem semper eundem cum patre Deum remansisse. Probamus primum quatuor aut quinque rationibus.

D *Generatio æterna verbi probatur 5. rationibus.*

1. Prima ex ipsa Dei natura sumitur, qui actus est, & semper in actu, nunquam otiosus in se, semperque seipsum intelligens, etiam antequam crearet mundum: vnde necessariò colligitur, quia ab æterno debuit, & nunc semper debet generare filium suum. Si enim semper se intelligit, ita semper verbum producit, & suum verbum. Sicut enim in nobis per intellectionem actualem verbum generatur internum, quod dicitur mentis: ita Deus intelligendo seipsum, verbum suum producit in se, quod dicitur filius.

E

2. Secunda ex summa Dei bonitate sumitur, cuius est summè se communicare. Bonum enim, secundum Arist. & S. Dionysium, ex se sui est diffusiuum: Deus autem, vt summum bonum, non potuit summè, & secundum se totum se communicare, nisi in productione diuinarum personarum, qualis fuit productio verbi aut filij, cui tota natura diuina communicata est. *Et Deus erat verbum.*

3. Tertia ex omnipotentia seu omnimoda perfectione eius, qua probatur euidentissimè debuisse generare filium omnino sibi similem, & quidem sic, quod potentia Dei in nullo alio esse, aut apparere potest, quàm in tali productione personarum diuinarum, vbi tota virtus Dei adimpletur & manifestatur.

festatur. Etenim cùm, exempli causa, verbum suum A producit omnino sibi simile, nobis certè omni ex parte declaratur omnipotentia & ex parte producentis, & ex parte rei productæ, & in modo producendi. Quod quidē in creatione mundi nō est; vbi licet ex parte producētis, & in modo producēdi, scilicet ex nihilo, inueniatur omnipotentia: non tamen ex parte rei productæ, quia mundus finitus est. In generatione autem verbi omni ex parte infinitas est & omnipotentia. *Et Deus erat verbum.*

4. Quarta ex similitudine causæ naturaliter agentis, & ex tota sua naturali virtute, seu potentia. B Tale enim agens, ex Arist. & omnibus Philosophis, totum producit quod producere potest; (vt ignis respectu caloris.) Deus autem respectu sui naturaliter agit, & ex tota sua potentia: vnde totum naturaliter producit quod potest, scilicet verbum suum, quod est filius, qui naturaliter etiam agens cum patre, totum quod potest cum ipso producit, scilicet Spiritum sanctum. Igitur quia pater totum quod dare potuit, filio dedit: ideo eum sibi similem in omnibus genuit, in natura, potentia, bonitate, cæterisque attributis. *Et Deus erat verbum.*

5. Quintam afferamus. Sumitur illa ex cōparatione maioris perfectionis quam Deus contulit suis C creaturis, cuiusmodi est perfectio & virtus generandi sibi simile. In Deo autem eminentiùs est, quidquid est perfectionis in creaturis, eique excellentiùs attribuitur: & sic consequenter ista summa ac diuina perfectio, seu potentia generandi verbi sui, & filij omnino sibi similis. Sic apud Isaiam aiebat (& ibi hoc mysterium continetur:) *Nūquid ego qui alios parere facio, ipse nō pariā, dicit Dominus? Si ego qui generationē aliis tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus? Antequā parturiret, peperit. Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic simile?* Quibus verbis ostenditur duplex eiusdem filij generatio, vna diuina, altera humana; & hoc est quod admiratur propheta. Diuina; *Si ego qui generationem aliis tribuo, sterilis ero, & non pariam ego qui alios parere facio?* Humana verò adiuncta diuinæ; *Antequam parturiret*, id est, formaret Deus in virgine Christum in tempore, seu virgo parturiret, ipse Deus pater peperit eum in æternitate. Quasi diceret: iam verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, quod in tempore caro factum est in virgine, & Deus-homo qui est Christus IESVS, Deus de Deo, & de virgine homo, simul Dei filius & virginis, qui est Deus benedictus in sæcula.

Duplex Christi generatio.

Iam hoc secundum punctum superest probandum, scilicet filium Dei hominem factum, semper eundem Deum remansisse: plenitudinem Diuinitatis verè, realiter, & hypostaticè in humanitate habitasse; sicque innotuisse octo præcipuis testimoniorum generibus, Scripturarum, Dei, Angelorum, & hominum, Cœli, & elementorum, miraculorum, & rationis.

Diuinitas in humanitate probatur 8. testimoniorū generibus.

1. Iohan. 5. Ad primum veniamus. Ioh. 5. ipsemet dicebat; *Scrutamini Scripturas* (siue Indicatiuè, siue Imperatiuè) *quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Ita bis Luc. vltimo. *Incipiens à Moyse & omnibus prophetis, interpretabatur illis* (scilicet discipulis) *in omnibus Scripturis quæ de ipso erant: quoniam,* inquit, *necesse est impleri omnia quæ scripta sunt de me in lege Moysi, prophetis, & psalmis.* Sic S. Petrus dicebat Act. 10. *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum,*

Luc. vlt.

Act. 10.

&c. Denique hic testimonium perhibeat vniuersa Scriptura à Genesi vsque ad Apocalypsim.

Quare ad secundum veniamus omni acceptione dignum; ipsiusmet Dei testimonium est. Christus Dominus ad ostensionem simul humilitatis & gloriæ, baptismum recipit à Iohanne, & ecce vox Patris de nube, dicens: *Hic est filius meus.* Item aliquem splendorem suæ diuinitatis ostendit in monte, vbi transfigurat se, & rursus eadem vox patris auditur; *Hic est*, &c. Similiter Ioh. 12. petit à patre clarificari apertè, & testimonium dari coram omnibus, dicens: *Pater, clarifica filium tuum*; & ecce vox venit de cœlo: *& clarificaui, & clarificabo*, &c. Quousque ipsemet dicat discipulis: *Non turbetur cor vestrum, creditis in Deum, & in me credite.*

2. Matth. 3. num. 17.

Ioh. 12.

Ioh. 14.

Quæ verba exponens S. August. in Ioh. dicit, hic Christum contestari se esse Deum; non enim creditur fide, spe, & charitate, nisi in Deum, sicut hæc forma loquendi explicat, *in me credite*, sicut creditis in Deum. Quod, inquit, non esset consequens, si Christus non esset Deus. In eum itaque credimus cui natura est, non rapina esse æqualem Deo; sic enim formam serui accepit, vt non amiserit formam Dei.

S. August. tract. 67. in Iohan.

Tertiò Angeli testati sunt, & signa dederunt. 3. Nam simulatque ipse natus est, facta est multitudo militiæ cœlestis laudātiū Deū, & dicentiū; *Gloria in excelsis Deo*, &c. vnusque eorum dixit pastoribus: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis Saluator*, &c. Item cùm resurrexit, Angelus descendens de cœlo hoc testimonium dedit mulieribus, & postea alij multi.

Luc. 2.

Matth. 28.

Quartò homines ipsi dederunt. Primus omnium 4. præcursor Iohannes, qui etiam ipsum digito demonstrauit; pastores & magi qui venerunt adorare. Petrus, sicut pro omnibus loquebatur, ita etiam palàm confessus est; *Tu es Christus filius Dei viui.* Matth. 16. Centurio talem in Cruce agnouit & clamauit: talem Regulus Capharnaum: talem Iairus princeps Synagogæ: talem cæcus natus: & talem omnis D plebs Iudæorum: talem denique quatuor Euāgelistæ & Secretarij, qui dicunt, & litteris reliquerunt quia IESVS est filius Dei, Deus noster in æternum.

CONTINVATIO TEstimoniorum.

Hoc erat in principio apud Deum. Ioh. 1.

VOlens sanctissimus Euangelista latiùs explicare æternitatem, immensitatem, & diuinitatem Christi, hac singulari repetitione vsus est; *Hoc*, scilicet verbum, *erat in principio apud Deum.* E S. Ambros. colligit inde, nullum esse locum de his omnibus dubitandi, vbi S. Iohannes quater posuit, *erat*, vt hic videri potest. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum.* Ecce (ait) quater, *erat, erat, erat, erat.* Vbinam igitur impius inuenit quod non erat? Satis certè ex hac repetitione nobis apparuit quod Christus erat Deus.

S. Ambros. lib. 1. de fide.

Hic autem memores estote, quia de Deo loquimur, & de homine-Deo. Et quid itaque mirum si cum S. Aug. non comprehendimus? Si enim comprehendimus, non est Deus. Sit pia confessio ignorantiæ magis, quàm temeraria hic professio scientiæ & Christi scientiæ. Attingere te aliquantulum mente Deum magna beatitudo: *hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te Deum*, &c. Te autem

S. Augu. Ser. 38. de verb. Domini. Ioh. 17.

autem comprehendere, omnino est impossibile. A

Christus manet incomprehensibilis, quia Deus. Hac itaque S. Augustini similitudine vtar pro ineffabilitate Christi. sicut, inquit, ad oculum pertinet videre corpus: sic ad mentem, intelligere Deum. Corpus autem non possumus comprehendere oculo: quod enim videmus oculis non totum videmus; & cuius faciem hominis videmus, dorsum non videmus eo tempore quo faciem videmus. Multo igitur minus Deum mente comprehendere poterimus, & sic Christum quem Deum dicimus. Etenim & hoc scilicet verbum, erat in principio apud Deum; *Ego in patre, & pater in me est*, ait, & vt sic, omnes diuinas continet perfectiones patris, quæ infinitæ sunt. Dedit enim ei omnia sua, vt filio; vt ait ipse: *Omnia mihi tradita sunt à patre*; & consequenter in eo perfectè comprehendi & explicari nequeunt. B

Ioh 14.

Matth. 11.

Quare non præsumimus hic cognitione attingere quæ Christi sunt; sed solũ incepta persequi testimonia diuinitatis eius, & ostẽdere ex quatuor adhuc quæ supersũt, esse verũ Deũ, licet sit verus homo. Quatuor iã allata de eo testimonia fuerũt Scripturæ, ipsius Dei, Angelorum, simul & hominum.

Quæ restant testimonia. Quatuor quæ restant, sunt Cœli, Elementorum, miraculorum, atque etiam rationis.

5. Quintũ igitur producamus. Ex Cœlo est, quod quidẽ Natiuitatẽ eius ortu & splẽdore nouæ lucis prædicauit, & certè enarrauit gloriã magni Dei. Sic dixerũt magi: *Vidimus stellã eius in Oriente, & venimus adorare eũ.* Sed nõ solũ hoc, quia etiã & mortẽ eius, vt filij Dei & creatoris, obscuritate sua & tenebris plorauit. Tunc enim obscuratus est Sol, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram. C

Matth. 2.

Luc. 23.

6. Ad sextũ veniamus. Ipsa Elemẽta loquuntur & manifestant. Terra Deũ esse testatur, cùm voci eius obediẽs, dat mortuos suos, vt Ioh. ad illa verba: *Lazare veni foras*, &c. Ipsaq; patitur cõcussionẽ in morte eius, rursus euomẽs mortuos monumẽtis apertis, &c. Item apud S. Matth. legimus quod *mare & venti*, aut aër, si vultis, *obediũt ei*, & testimonium perhibent ipsum Dominum esse.

Ioh. 11.

Matth. 8. Luc. 9.

Sed quid de igne dicemus? Dicũt ei filij tonitrui, vindictã in Samaritanos meditãtes, qui eum recipere in ciuitatẽ suã noluerãt; *Vis dicimus, vt ignis de cœlo descẽdat, & cõsumat illos?* vt ostenderent quia Deus erat, & omnium Dominus, summumque in omnia imperium habebat. D

Hæc sufficerent, sed veniamus ad opera etiam consultò facta in testimonium diuinitatis eius: si enim difficile est verbis credere, operibus minimè erit. *Hæc sunt enim*, inquiebat, *quæ testimonium perhibent de me.* Hæc autem sunt miracula, & 7. testimonium. De miraculis igitur loquamur. *7. testimonium.*

Quid sit miraculum. Miraculum ex S. Thom. est propriè illud omne quod est præter ordinem totius naturæ creatæ, & propterea signum manifestans aliquid supernaturale: vnde de ratione miraculi tria sunt. Primum est, quod sit arduum, id est, supra virtutem naturæ creatæ agentis. Secundum, insolitum, id est, præter modum eius solitum. Tertium, præter spem, id est, vt non habeat ad illud ordinem naturalem; sed tantùm obediẽtialem supernæ virtuti. Vnde fit vt miracula signa sint diuinitatis. Propterea S. Ioh. qui inter omnes Euangelistas gloriatur se diuinitatem Christi scribere, notat & refert consultò primum notum eius miraculum in Cana Galilææ, scilicet aquam in vinũ conuersam; maximè ideo, quia post illud primò crediderũt in eũ discipuli. *Hoc fecit*, inquit, *initium signorũ* IESVS, *& manifestauit gloriam suã, & crediderunt in eũ discipuli eius.* Similiter Nico- E

S. Thom. 1. p. q. 110. ar. 4. *Tria necessaria, vt aliquid dicatur miraculum.*

Ioh. 2.

demus veniens ad eum nocte dixit ei: *Rabbi scimus quia à Deo venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Item Samaritana, quia abscõdita ei reuelauerat, statim ad puteum Iacob hydriam suam relinquens, ad ciuitatem currit, & nunciat se vidisse hominem qui dixerat ei omnia; *Nunquid ipse est Christus?* inquit. Ioh. 3. Ioh. 4.

Sed si interrogaremus quinque millia hominum, qui in deserto satiati fuerunt ex quinque panibus hordeaceis, quid nobis dicerent, nisi quia *hic est verè propheta qui venturus est in mundum?* Sed si diuisim omnes, si Regulum, aut cæcum à natiuitate, si Iairum principem Synagogæ, si viduam Naim, & alios multos separatim interrogemus, quid nobis respondebunt, beneficiis sanitatis, oculorum, & vitæ acceptis, nisi quia credunt & agnoscunt, quia hic est filius Dei? Sed si adhuc Martham & Mariam sorores Lazari, & Lazarum ipsum iam in monumento quatuor dies habentem suscitatum, atque etiam omnem populum qui tunc aderat, & circunstabat, quid nobis referent? Hæc enim resurrectio potissimùm facta est vt crederetur in eum, sicut dixit ipsemet Apostolis suis, sororibus mortui, & omni populo qui venerat. Ioh. 6.

Primò Apostolis dicit: *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis; quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum.* Secundò dixit sororibus, quæ cùm illi dixissent, *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*, statim Mathæ respondit, *viuet frater tuus, credis hoc?* & illa, *vtique Domine: quia tu es Christus filius Dei viui.* Sed vbi posuistis eum? ait Dominus, & deducentes ad locum dicunt, quia *iam fœtet, quatriduanus enim est.* Sed vt viderent gloriam Dei, & omnis etiam populus qui circunstans erat, eleuatis oculis ad patrem clamans voce magna suscitat mortuũ iam fœtentem, adeò vt secundum quod prædixerat, petierãtque à patre, multi qui hoc viderant, *crediderint in eum*, scilicet quia filius Dei erat, & à patre missus in mundum ad resurrectionem & vitam nostram. Sicut etiam exinde Pharisæi consilium fecerunt aduersus eum, dicentes; *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum*, &c. Sufficiat hæc attulisse, & de aliis non loquamur amplius, tempus enim nobis deficeret. Ioh 11.

Quare pro maiori euidentia, & quasi extremo ac vltimo omnium testimoniorum, dabimus octauum, scilicet rationem, qua adhuc probare conabimur Christum esse Deum. Et certe si hoc ostendi ratione potest, animus conuincitur, & nihil superest dubij. Vnum autem hic supponendum est ante omnia, & quidem quod nemo potest negare, scilicet extitisse Christum: de eo enim loquuntur & testimonium perhibent omnes Scripturæ, tum sacræ, tum profanæ. *8. & vltimũ.*

Hoc iam supposito, nunc cogitemus, & ponamus ante oculos nostros Christum vt pauperem, & communiter pro filio fabri habitum, fatigatúmque ex longo itinere sic sedere supra fontem Iacob prope Samariam, & cogitabundum, atque interrogatum à nobis quid cogitet, ita respondere. Ego pauper & viator in terra cogito, atque delibero legem dare vniuerso orbi, eumque sic renouare legibus, vt homines me adorent, ac pro Deo venerentur cum patre & Spiritu sancto, & hoc postquam inter duos latrones crucifixus ero. Insuper cogito, & volo illam Crucem post hæc adorari, omniáque passionis meæ instrumenta, clauos, spinas, in summa veneratione apud *Quomodo ratione probatur Christũ esse Deum.*

apud omnes Gentes & Reges haberi, & osculis coli,&c.Si quis talia dixisset habitus homo, & vilis;certè insanus crederetur, neque audiretur, sed dimitteretur:sicut etiam ita accidit Ioh.10. cùm de hac sua voluntaria passione loqueretur; *Dissensio facta est*, ait S. Euangelista, *inter Iudæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis, Dæmonium habet,& insanit,quid eum auditis?* A

Iohan. 10.

Sed si his adderet,ac diceret. Plura adhuc volo, scilicet,parum panis & vini in corpus meum conuerti & sanguinem;hoc credi ab hominibus,atque etiam ab illis vt Deum adorari. Similiter aquam baptismi cum oleo & balsamo sanctificare animas, & purgare à peccatis. Item doctrinam meam prædicari omni creaturæ, cum summa reuerentia ab omnibus recipi,publicè legi aperto capite,luminaribúsque accensis, adeóque coli vt non licitum sit vnum iota addere aut tollere; sed haberi & teneri pro regula omnis veritatis, atque de illa libros infinitos componi.Certè qui de homine paupere & humili talia audiret, irrideret statim, aut diceret; non est qui possit ista nisi Deus. B

Sed si addendo rursus diceret.Et plura volo,scilicet Virginem haberi meam matrem, & Dei matrem, eámque ab omnibus coli, vt super omnes choros Angelorum exaltatam. Insuper volo pauperes piscatores ita coli ab hominibus, vt eorum ossa,cineres;ac reliquias osculis venerentur,honorent,atque,vt Sanctorum meorum ossa,in æstimatione habeant.Sed si perseuerando semper adderet & diceret. Volo & ab illis infimæ & abiectæ sortis hominibus, promissione inuisibilium prædicari visibilium contemptum; totum orbem renouari, diuitias contemni,paupertatem coli,& pro illa parentes deseri,& mortem patienter ferri.Quid plura?& ipsos volo ad me vniuersum mundum conuertere,& non aliis armis quàm linguæ,neque adhuc sublimitate sermonis, aut iactantia & facundia doctrinæ, sed simplicibus verbis & synceris; etiámque eorum morte & sanguine omnes sæculi potestates expugnare, quæ eis ferro & tormentis resistent. Dicā & Romam caput Imperij & orbis submittere Petro piscatori, & eius successoribus:& pro conclusione introducere,atque stabilire Religionem æternam,aduersus quam portæ Inferi non præualebunt;& hæc ita vt dixi,erunt,&c. Quæso,quis non obstupuisset,atque in admirationem non raptus fuisset, qui audisset dicentem talia?Et quis non dixisset statim;non est nisi Deus qui possit ista?Irridet ille,aut Deus est, insanit hîc homo,aut Deus est:quæ narrat Dei sunt, non hominis. C D

Igitur cū videamus modò hęc omnia verificari de Christo,& sic aduenisse, vt cogitauit decreuitque, eo enim modo quo enarrauimus, impleri in eo videmus; itaque vt Deum honoremus,agnoscamus, & adoremus,qui cùm in forma Dei esset,exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Propter quod,ait Apostolus, & Deus Pater exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen,vt in nomine IESV,qui in hac etiam forma serui non rapinā arbitratus est esse se æqualem Deo, omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur,quia Dominus noster IESVS Christus est in gloria Dei Patris.In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,& Deus erat Verbum:hoc erat in principio apud Deum. E

Phil.2.

Hactenus de Diuinitate Christi.

DE OPERE CREATIONIS, quæ ad diuinitatem Christi spectat, & cuius est principium.

Cùm audisset Iohannes in vinculis opera Christi. Matth. 11.

Omnia per ipsum facta sunt. Ioh. 1.

Diuinitatē Christi agnouimus ex natura ipsius, distinctione & generatione æterna;ex eo denique quod ipsi intimum est,internum, absconditum & essentiale. Nunc autem agnoscemus ex eo quod sibi est extrinsecum,& reuelatum oculis nostris,vt est creatio mundi, &c. *Inuisibilia Dei*, dicit Apostolus, *à creatura mundi*(homine)*per ea quæ facta sunt,intellecta conspiciuntur:sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.*Ecce à conditis operibus declarata diuinitas,& omne quod in Deo inuisibile est. Sed quodnam sit illud omnium in diuinitate principium,quæretis.Resp.*Verbum apud Deum*,& Deus in homine Christus:*omnia per ipsum facta sunt.* Hîc quidem confirmatur Christi diuinitas, & si antè probata non esset, apertissimè demonstraretur his verbis,sc.Verbum diuinum è numero creaturarum non esse, quod in principio erat: omnes verò illas non fuisse in principio, quæ per illud Verbū principium acceperunt.*Omnia per ipsum facta sunt*, &c.

Diuinitas Christi ex opere creationis agnita.

Quomodo verbū Dei è numero creaturarum non est, sed earū principium.

Quod hic S.Euangelista intendit,est, historiam Christi scribere, & illius sequi ordinem. Quare priùs de eo agit quatenus est Deus:deinde quatenus est homo.Vnde iuxta primum,de statu ipsius agit, antequam mundus fieret; & post,quid statim egerit in ipsa mundi conditione ostendit. Hæc sunt autem ea omnia quæ per ipsum facta sunt. S. Aug. tract.1.in Ioh. Quæcunque (ait) naturaliter facta sunt,& quæcunque in creaturis facta sunt, omnia omnino quæ in cœlo fixa sunt, quæ fulgent desuper, quæ volitant sub cœlo, & quæ mouentur in vniuersa natura rerum, omnis omnino creatura, dicam planiùs, vt intelligatis, ab Angelo vsque ad vermiculum, omnia per ipsum facta sunt. Quid præclarius Angelo in creaturis? & quid extremius vermiculo in creaturis? Per quem factus est Angelus, per ipsum factus est & vermiculus, Angelus dignus cœlo, vermiculus terra. Qui creauit, ipse disposuit; omnia per ipsum facta sunt, vniuersalis creatura, maior & minor;spiritualis & corporalis.& paulo antè.Attende fabricam istam mundi, & vide quæ sunt facta per verbum, vt cognoscas quale sit hoc verbum. Attende hæc duo mundi corpora, cœlum & terram. Quis explicat verbis ornamenta cœli? quis explicat fœcunditatem terræ? Quis dignè collaudat temporum vices? quis dignè collaudat seminum vim?Videtis quæ taceam, ne diu commemorando parum dicam? Ex fabrica ergo ista animaduertite quale verbum est per quod facta est,& non sola facta est. Nam & omnia per ipsum facta sunt, &c.

S.August. tract. 1. in Iohan.

S.Chrysostom.rectè hîc obseruauit, vno verbo plus Iohannem dixisse, quàm Moysem pluribus. Nam cùm lōga oratione rerum creationem Moyses exposuit, non nisi res corporeas tantùm complexus

S.Chrysost. hom.1.

plexus est, & quidem eas tantùm, quæ præcipuæ erant: vt cœlum, & terram, sic enim ait; *In principio creauit Deus cœlum & terram*, &c. De aliis autem, quæ sunt innumera, & de Angelis qui corpora non habent, nihil dixit. Iohannes verò vno verbo omnia omnino comprehendit; *Omnia per ipsum facta sunt*.

Gen. 1.

Vno verbo plura dixit S. Iohannes, quàm pluribus Moyses.

Verùm vim verborum obseruate (*per ipsum*.) vt intelligatur non solum esse principium, aut solitarium principium, sed adhuc consignificari aliud, scilicet Patrem, à quo per ipsum omnia facta sunt, & qui cum Spiritu sancto vnum sunt & idem principium omnium rerum. Hoc Moyses declarauit in sua Genesi: *In principio creauit Deus*, &c. *& Spiritus Domini ferebatur super aquas*: hoc Psaltes; *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Hoc sensu ipse Christus de se ait; *Ego in Patre, & Pater in me*. & paulo antè: *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Pater & ego vnum sumus*. Hocque sensu interrogatus à Iudæis; Tu quis es? respondit: *Principium qui & loquor vobis*. Per ipsum omnia facta sunt.

Verbum cũ Patre & Spiritu sancto idem principium rerum omnium.

Iohan. 14. Item 5. & 8.

S. Cyrill. hanc rationem reddit, quia Verbum est velut Idea Patris, exemplar & forma, iuxta quam omnia creauit; sicut etiam Psaltes dixit, *omnia in sapientia fecisti*. Nam sicut artifex omnia per suam Ideam & cognitionem facit: sic Pater per Verbum Ideam & sapientiam suam. Ps. 148. *Dixit* (per Verbum) *& facta sunt*, (omnia.) Et hoc, quia idem est omnium tam in Deo, quàm extra, cum Patre principium.

S. Cyril. *Verbũ Idea Patris, iuxta quam creauit omnia.*

Ps. 148.

Communiter Theologi docent, in Deo, seu in diuinis dupliciter considerari posse principium: vno modo, respectu productionum ad intrà: altero modo, productionum ad extrà. Ita enim dupliciter res Deo conueniunt. Principium productiuum ad intrà est tantùm in duabus personis, scilicet in Patre respectu Filij: & in Patre & Filio respectu Spiritus sancti. Principium autem productiuum ad extrà, vnum & idem est in tribus personis respectu creaturarum; quia vt illæ tres personæ vnus Deus sunt, ita etiam vnum sunt rerum omnium principium: quod ideo dicitur essentiale principium, quia diuinam essentiam respicit, quæ vna est & omnium causa. Cùm verò personas respicit, notionale dicitur: vbi adhuc hoc interuenit discrimen, quod notionale seu personale principium in Deo, seu ad intrà, est à productione inseparabile; id est, nunquam Deus fuit, quin Filium produxerit, & cum Filio Spiritum sanctum: quia & hoc est necessariũ. Principium verò ad extrà, à productione separabile est; quia liberum est, & sic ab æterno suo non creauit Deus suas creaturas, sed illas produxit in tempore, & liberè, sicut ab æterno disposuerat.

Duobus modis in Deo consideratur principium.

Hæc autem differentia principij satis apud S. Iohannem & Moysem cognita est. S. Ioh. dicit, cùm loquitur de æterna generatione Verbi; *In principio erat Verbum*, &c. Ecce ponit principium æternitatis, & æternitatem ipsam significatam, vt diximus, hac differentia temporis, *erat*. Etenim generationis ad intrà principium (sc. Pater) omnino est inseparabile a generatione: quia & æterna & necessaria est. Moyses verò, vbi de creatione, quæ libera est, vt ad extra, loquitur, dicit; *In principio Deus creauit*, significans similiter hoc tempore iam principium extitisse ante creationem, quia liberum erat a creatione, & separabile: creationem verò in principio temporis incepisse ab eo qui liberè omnia extrà se producit. Quid est enim creatio? Productio entis ex nihilo, seu ex nullo esse reali: vel ex

Distinctio principij in Deo ex verbis S. Iohan. & Moysis nota.

Quid sit creatio.

A S. Tho. emanatio totius entis vniuersalis à primo principio, quod Deus est; aut si aliter vultis, productio rei secundum totam substantiam suam nullo præsupposito.

Iuxta autem eumdem S. Thom. duplex est creatio, seu illa dupliciter consideratur; vna est actiua, altera passiua. Passiua ipsa est creatura; actiua verò ipsa Dei essentia cum relatione ad creaturas: vt scilicet productionis ipsarum causa est & principiũ. Quomodo hodie dicimus Christum creatorem, qui eiusdem est naturæ & essentiæ cum Patre, & Spiritu sancto. Quo sensu Moysem intelleximus: *In principio*, id est, in Filio creauit Deus omnia: quo sensu Iohannem; *In principio erat Verbum*, in Patre
B Filius: *& per ipsum omnia facta sunt*. Et hoc sensu similiter intelligendus est Apostolus, cùm ait: *Ipse est imago Dei inuisibilis* (loquitur de Christo,) *primogenitus omnis creaturæ* (ante omnes creaturas,) *quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia & inuisibilia, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes: & in ipso omnia constant, & omnia, & in omnibus Christus*. Et quid, quæso, magis diuinitatem Christi declarat, quàm istorum verborum series? In quibus videmus omnia habere esse, vitam & subsistentiam dependenter ab illo: vbi denique videmus quia ex S. Iohanne, *omnia per ipsum facta sunt*.

S. Thom. 1. p. q. 45.
S. Tho. ead. 1. par.

Duplex creatio.

Christus omnium creator.

Coloss. 1.

C Sic diuinè loquutus est de diuinitate Domini nostri IESV, diuinus ille Ierothæus apud S. Dionys. qui diuinè etiam de eo loquitur lib. de diu. nominibus. Omnium causa, inquit, & adimpletiua, est IESV Deitas; est & eorum quæ sunt causa, esse & vita; hominum qui à Deo prolapsi sunt reuocatio & resurrectio, sicut eorum qui lapsu diuinam in se effigiem perdiderunt, renouatio atque reformatio. Rursum eorum qui profana quadam agitatione quatiuntur, confirmatio sacra, ne collidantur: permanentium verò tota securitas; ad se proficiscentium porrecta manu productio: illuminatorũ fulgor: eorum qui perficiuntur principatus ipse perfectionis, vel eorum qui deficiuntur thearchia (id est, diuinitatis principium.) hæc verba omnia diuina
D sunt. Eorum qui simplices sunt ipsa simplicitas, qui in vnum conueniunt vnitas, & occulti sacratissimi quantum fas est benefica distributio: & vt simpliciter dicam, viuentium vita, existentium substantia, omnis vitæ & substantiæ principium & causa. Hæc omnia ille diuinus homo Ierothæus, & quæ adhuc à diuinis se eloquiis accepisse testatur, quod notandum, vt intelligant qui modò audiunt hæc diuina eloquia de Christo, quia *per ipsum omnia facta sunt* sicut enim Deus, sic & omnium rerum author est & principium. Simili omnino ratione cùm audisset Iohannes in vinculis opera Christi, omnia quæ per ipsum facta sunt, miracula multa, & diuinitatis opera, mittés duos ex discipulis suis,
E ait illi: *Tu es qui venturus es?* &c. Quibus statim ait Dominus: *Euntes renunciate Iohanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, mortui resurgunt* & similia quæ prænunciabãtur futura de Christo ab Isaia. Et quæso, nonne hic videtur apertè quia ipse est per quẽ omnia fiunt? Et *beatus est*, dicit Dominus, *qui non fuerit scandalizatus in me*, id est, qui pro forma & similitudine hominis quam habeo, non de mea diuinitate dubitabit, sed credet quia ego sum Christus, Deus de Deo, Verbum in principio, Verbum apud Deum, & quia omnia per ipsum facta sunt.

Sanct. Ierothæus apud S. Dionys.

Diuinitas Christi mirificè laudata.

Ex Euangelio.

Matth. 11.

Isa. 35.

DE TRI

DE TRIPLICI STATV, naturæ, gratiæ, & gloriæ per Christum.

Et sine ipso factum est nihil quod factum est. Ioh. 1.

IN creatione mundi tres status generales video, quorum author Christus est, naturæ, gratiæ, ac gloriæ. In his vniuersaliter continentur omnia, vt appareat quia *sine ipso factum est nihil quod factum est.* Natura secundùm multos dupliciter consideratur. Vna est creatrix,& naturæ principium, & Deus est creans omnes naturas, vel omnium naturas ordinans. Altera dicitur communiter principium intrinsecum motus & quietis, Deóque comparatur, vt instrumentum agenti principali,quia scilicet & Deus eam dirigit vt vult, ac de ea quod voluerit facit. Hæc distinctiùs accipi potest pro perfectione, endelechia & inclinatione insita rerum essentiis,qua seipsis quod conueniens est appetunt. Generaliùs potest definiri status ex mente & directione superioris agentis Dei, rerum conditioni conformis, neque earum vim & rationem excedens. Eò omnes particulares naturæ incidunt: vniuersalisque creatura in eo continetur statu, spiritualis & corporea;rationalis,animata & inanimata.

Duplex natura.

Quid sit natura multis modis demonstratur.

Totius autem illius status solus Christus cum Deo Patre & Spiritu sancto author est; ipse est enim qui dat elementis esse,viuere plantis,sentire animalibus,hominibus discursum & rationem,intelligentiam Angelis. Hoc sensu dixerat Paul. *Ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, omnia, & in omnibus Christus:* hoc sensu quod in Act. *In ipso viuimus,mouemur & sumus:* hoc sensu quod rursus alibi; *Ex ipso,in ipso,& per ipsum omnia, ipsi gloria in secula seculorum, Amen.* Hoc sensu quod suprà de diuino Ierothæo retulimus, IESV Deitas est eorum quæ sunt,causa, esse, & vita, viuentium vita, existentium substantia,omnis vitę & substantię principium & causa. Hoc denique sensu explicatur quod ait S. Euangelista; *Et sine ipso factum est nihil quod factum est,omnia per ipsum facta sunt*,&c.

Christus author naturæ.

Coloss.1.

Act.17.

Ioh.1.

Sicut autem per ipsum natura, sic ex eodem S.Ioh.& per ipsum gratia facta est; *Gratia*, inquit, *& veritas per Iesum Christum facta est, & de plenitudine eius omnes accepimus.* Acceperunt Apostoli,acceperunt Martyres,acceperunt Confessores, acceperunt & Virgines,& sic de cæteris. Communiter gratia Dei donum est,eleuans animam super se.Ita Theologi cum Angelico Doctore, qui dicunt esse statum excedentem conditionem & ordinem naturæ creatæ, & hominem super se & ad Deum vsque eleuantem.Tanta autem est istius status dignitas, vt bonum vnius gratiæ maius est bono naturæ totius vniuersi, & quo etiam efficimur noua creatura in Deo; vnde duo facit in homine ex doctrina S.Thomæ.

Quid sit gratia.

S. Tho.1.2. q.112. ar.1.

Dignitas gratiæ.

Primò, ipsum formaliter perficit ad esse spirituale, naturale destruens quoad vsum;gratia enim hanc vim habet, vt semper vno altiori gradu naturam eleuet quam inhabitat, vt, exempli causa, si inhabitet corpora nostra, spiritualia reddit in eorum functionibus, vsibus,& actionibus: & ita si animas, quæ iam sua natura spirituales sunt, reddit

Duplex operatio gratiæ. 1.

A diuinas;sicut dixit S.Petrus, *diuinæ consortes naturæ*, in veritate præsentiæ, & qualitatum similitudine. Vno verbo,quod in cœlo operatur gloria, in terra operatur gratia;gloria in cœlo corpora reddit spiritualia, & diuinas animas: sic suo modo in terris gratia.

2.Pet.1.

Secundò,perficit hominem ad opus, id est, dat ei vim exerendæ actionis vita æterna dignæ;vnde ex S.Tho.similitudo Dei est operans in virtute misericordiæ Dei infinitè.en virtus. Vnde etiam accidit quod in Sanctis principium actionum gratia est,& non amplius natura. Ad hoc multum iuuat doctrina S. Thomæ, qui docet gratiam esse in essentia animæ,& non in facultatibus,quia sicut ipsa B est anima,aut eius essentia, quæ est principium radicale omnium actionum naturæ, & non facultates;ita gratia spiritualium actionum & supernaturalium principium est, propter quam conuenientiam,inquit, gratia quæ in Sanctis omnium actionum principium debet esse, in ipsa animæ essentia residet. Ita vt adhuc sicut in Christo ex diuinitate eius omnia subsistebant,& sic omnia diuina erant; ita in Sanctis omnia per gratiam sint & subsistant, & illam semper secum ferant. Quis autem illā nobis promeruit? Christus,per quē omnia facta sunt, *& sine quo factum est nihil quod factum est.* Gratia & veritas, ait S. Ioh. per IESVM Christum facta est: C adeò vt in nobis sit velut extensio spiritus Christi ad operandum.

Secunda operatio gratiæ.

In Sanctis principium actionum est gratia.

Notanda similitudo.

Gratia, extensio spiritus Christi.

Docent Theologi Eucharistiam esse extensionem Incarnationis. Ita est de gratia Christi in nobis, extensio est spiritus eius in nobis vt operemur; huius doni dignitas est & conditio. Quintuplex autem est huius effectus ex S. Thom. animæ sanitas, volitio boni, efficacia operandi, perseuerantia in bono, & peruentio ad gloriam. Vltimus hic positiuus eius effectus est: *gratia* enim *vita æterna. Aqua quam ego dabo, fiet fons aquæ salientis in vitam æternam. Si scires donum Dei.* Donum verè Dei,& semper saliens,etiam in terra hominem super se eleuans ad esse supernaturale,& operationes eius reddens & quoad substantiam actuum,& quo- D ad modum supernaturales; cuiusmodi est Deum cognoscere & amare. Ad hoc enim datur principaliter,scilicet vt anima, siue hic, siue in cœlo per notitiam & charitatem Deo coniungatur.

Quintuplex gratiæ effectus ex S.Th. 1.2. q.111. art.3.

Ioh.4.

Mira virtus gratiæ.

Hîc certè vtilissimum erit sæpius hanc virtutem gratiæ considerare, ac nostram simul miseriam; quod natura nostra tam debilis & inefficax ex se,hâc vim gratiæ annihilet,sæpiúsque destruat. Hæc certè miseria magna est, & quod adhuc in multis sit gratia,veluti est anima, in aliquo paralytico corpore,destituta omnibus functionibus suis. O quantum ille reus erit in conspectu Dei, qui in se sic operationem gratiæ impedierit! Hoc sedulò notate;qui impedimentum dat gratiæ, in æternum E impedit effectus gloriæ. Quid igitur faciendum? Istud,videlicet,humiliter ei,fideliterque correspōdendum est;ad quod iuuabit triplex consideratio. Prima excellentiæ eius, quæ tanta est vt ex S. Tho. sit quædam participatio diuinæ naturæ. Secunda, quod ius in Deum habet; non potest enim denegare Deus præmium & gloriam ei qui in gratia est. Tertia, quod nihil minus quàm seipsum Deus dedit,vt eam nobis acquireret.Christi pretium est,& donum Dei per Christum,sicut ait S.Petr. *Per Christum maxima Deus & pretiosa nobis promissa donauit.* Dona hæc promissa & data,gratiæ dona sunt. Sic mulieri Samaritanæ dicebat: *Si scires donum Dei.*& nunc donum Christi,& ab eo datum ad operandū.

Quanta sit malitia non naturæ ad merita gratiam.

In gratia tria considerantur.

S. Thom. 1. 2.q.111.

2.Pet.1.

Negotiamini,

Gratia Christi talentum. *Negotiamini,ait,donec venio.* Gratia Christi talentum est negotiationis diurnæ.

Tempus istud,ô Christiani, fundus est, fundamentum huiusce negotiationis nostræ, & non nisi instans vnum nobis conceditur ad lucrandum de talentis nostris. Quid facimus?& cur otiosi stamus cum tanto talentorum nostrorum ac dierum dispendio? Sicut enim mercator sine suo fundo aut nummo nil facere potest, eóque vtitur ad negotiandum: ita nobis hoc momento temporis & talento gratiæ vtendum est,si ad lucrum gloriæ peruenire velimus.Ideo Apostolus ait: *Dum tempus habemus, operemur bonum. Post hoc enim,tempus erit in quo operari non possumus.* (Gal. 6.) His gratiis bene vsi sunt Sancti,bene Paulus,bene Apostoli,& bene omnes qui ad gloriam & præmium peruenerunt bono gratiæ vsu, vt ostendit Dominus, bono & fideli negotiatori dicens: *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* (Matth. 25.)

Status gloriæ in cœlo. Hic est tertius in cœlo status cõstitutus à Christo hominibus,videlicet gloria; *& sine ipso factum est nihil quod factum est,*non solùm in terra,sed etiam in cœlo. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, dixit Psaltes,ipse est qui vt in iustis diuersitatem gratiæ operatur:ita & in Sanctis differentiam gloriæ:omnia enim, & in omnibus Christus.Inde ad Ephes. Paul. *Benedictus* (ait) *Deus & Pater Domini nostri* IESV *Christi,qui gratificauit nos in dilecto Filio suo,sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi,vt essemus sancti.* (Ephes. 1.)

Quid sit gloria. Sed quid sit illa gloria,quæretis? Ex Boëtio,status est bonorum omnium aggregatione perfectissimus.Ex mente omniũ Theologorum,& D.Tho. status vltimæ perfectionis hominis, quæ in duobus,in visione & amore Dei, quem delectatio sequitur, posita est. Oculus non vidit Deus absque te,quæ præparasti diligentibus te. Quid sit gloria, quæritis? *Deus ipse est gloria hominis.* Ipsum gaudium Domini;*intra in gaudium Domini tui.*Quæritis quid sit?Ipsemet Dominus & Deus.Sic ad Abraham dixit:*Ego ero merces tua.* Ad hanc inardescit animus. O Domine, satiabor cùm apparuerit gloria tua. Et quis nos separabit à charitate Christi, qui nos vsque ad ista sublimauit? Quæso ista perpendite, & hæc tria eius insignia amoris. (*Tria diuina insignia amoris Christi.*) Primò, Incarnatione sua naturam nostram deificare voluit, ita vt nulla pars sit in ea quæ non sit deificata. Secundò, per gratiam suam vult nos ita sanctificare in terra, vt nihil in nobis sit, quod sanctum non sit. Tertiò denique in cœlo sic glorificare, vt nihil sit, quod non sit gloriosum in nobis, & ita, vt nihil inueniatur in nobis quod non dicat ad laudem & gloriam eius. Quia *sine ipso factum est nihil quod factum est.*

DE PRINCIPIO OMNIS vitæ, & creatione Angelorum in Christo.

In ipso vita erat. Ioh. 1.

PRincipium,differentia,& perfectio omnis vitæ nostræ Christus est. Dicam amplius,sicut omnis status principium extitit;sic omnis vitę erit. *In ipso vita erat*, sua vita, & aliorum vita erat; absque ipso non est vita,& qui absque Christo viuit, licèt

A viuat,mortuus est. Sic sibi ipsi respondet S.Iohan. in sua Can.dicens:*Qui habet Filium,habet vitam,qui Filium non habet,vitam non habet.* (1.Ioh. 5.) Vnde hoc? quia *in ipso vita erat.* Sic viuebat Paul.qui dicebat: *Viuo ego iam non ego,viuit verò in me Christus.* (Gal. 2.)

Christus principium vitæ. Tria dixi,esse principium, differentiam, & perfectionem vitæ nostræ, Christianæ, dico. Primò principium, quia nobis viuendum est alia vita, quàm ista communi & humana, scilicet interiori & diuina, cuius ipse est principium. Ideo namque dicebat; *Veni vt vitam habeant.* (Ioh. 10.) Certè non loquebatur hic de naturali vita,quia iam omnes illa viuebant; sed de alia quam erat daturus, quæ vera vita est:& respectu cuius cæteræ non sunt vitæ.

B *Christus differentia vitæ.* Vnde secundò differentiam dixi, quia per illam, quæ scilicet gratiæ est & spiritus, differimus ab aliis, qui tantùm ista purè communi & humana, seu naturali vita viuunt, & quæ respectu alterius, quæ tota diuina est & interior, etiam non est digna hoc nomine vitæ. Quæso, omnes gradus vitæ huius naturales sumamus, inueniemus quia sine gratia in his nulla vita est. *Quatuor gradus vitæ naturalis.* Quatuor sunt,vita vegetans in plantis, sensitiua in animantibus, humana in hominibus, Angelica in Angelis. Istæ omnes vbi gratia non est, pro morte reputantur, etiam in Angelis. Quis enim non dicat mortem esse in Inferno,& non vitam?vbi adhuc & ipsi præuaricatores Angeli cum damnatis hominibus viuunt sua
C vita naturali, sed in tormentis. Quænam est ergo vera vita, aut vitæ nostræ debet esse differentia? Christus IESVS. *In ipso vita erat.*

Christus perfectio vitæ. Vnde tertiò & omnis nostræ constituit perfectionem vitæ, quando per eum æternitatem vitæ possidemus.Sic S.Iohan.dicit: *Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius.* (1.Ioh. 5.) Sic Paul.ad Coloss. *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* (Coloss. 3.) Propterea inquit: *Mihi viuere Christus est, mori lucrum.* & Dominus ipse, *Veni vt vitam habeant,& abundantius habeant* scilicet in gloria. *In ipso vita erat,* omnis vita, vita per essentiã,& omnis vitæ principiũ, naturæ,gratiæ & gloriæ. Vita per essentiam, vnde dicit: *Sicut Pater*
D *vitam habet in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso.* (Ioh. 5.) *In ipso vita erat,*vita per essentiam:principium omnis vitæ. *Christus essentialis vita, & omnis vitæ principium.* Primò naturalis, *omnia per ipsum facta sunt,& quod factum est in ipso vita erat.* Secundò gratiæ, *gratia per* IESVM *Christum.* Tertiò gloriæ, quia qui credit in eum, viuet in æternum. *Hæc est vita æterna,vt cognoscant te, &c. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* (Ioh. 17. Ioh. 3.) Hæc omnia apud S.Iohannem.

Ita vt modò verum sit vobis dicere nihil esse in cœlo,sicut in terra,quod non sit, subsistat,& viuat dependenter à vita Christi. *Christus in cœlo & in terra omnis status & beati principium.* Ipse est qui omnibus vitam, & vitæ differentiam tribuit; qui in gloria
E diuersitatem Angelorum creauit, & communicatione sui constituit; sicut in gratia differentiam Sanctorum:qui in cœlo,sicut in terra diuersos ordines Angelorum fecit & hominum, & in quo omnium est vita.

Sed vt de Angelis primò loquamur, videamus quæso & creationem eorum,& vitam,& differentiam esse à Christo. *Angelorum creatio.* Inter Theologos magnum discrimen est, vtrùm ipsi fuerint creati ante hunc mundum corporeum, an simul cum illo. S.Thom. dicit simul; (S. Tho. 1.p. q.61.art.3.) quia, inquit, sunt pars vniuersi,& non constituunt per se vnum vniuersum: nulla autem pars à suo toto separata perfecta est. Hæc ratio suo authore digna est, & fundamentum habet in Scriptura,

Scriptura, vbi dicitur, quod in principio creauit Deus cœlum & terram. Quod quidem non videretur verum, si ante illa, iam aliquid creasset.

Interim S. Doctor, ex sententia S. Greg. Nazianz. & S. Hieron. contrariū non omnino reiicit: & ego apud S. Basil. in Genesim, hoc vnum inueni, quod quidem Moyses non dixit, scilicet statū fuisse quendam inuisibilem istius mundi corporei generatione superiorem, temporisque conditione anteriorem, æternum: in quo Deus naturas inuisibiles rationis vi præditas creauit, quæ istius mundi inuisibilis substantiam complent & ordinem. Naturæ illæ Angeli sunt. Verùm ad eorum creatorem agnoscendum, nihil refert, si ante, vel cum mundo creati sint. Admittatur vtrumque, volo, solùm quis illas inuisibiles naturas creauit, quærimus.

S. Basil. homil. 1. in Hexam.

B

Christum fuisse respondemus. *In ipso vita erat*, Angelorum vita, hominúmque. Dicitur in Actis, quod *ipse dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.* & ad Coloss. *Ipse est imago Dei inuisibilis*, ante omnes creaturas, *quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni*, (narratio est) *siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*, &c. *In ipso vita erat.*

Act. 17.

Coloss. 1.

S. Bernard. egregiè lib. de Consid. eorum creationem & naturam explicat, statum eorum & vitam in Deo, in Christo omnis esse ipsorum atque vitæ principio. Illos enim appellare videtur esse Dei creatum, & veluti diuinas participationes creatas: sicut S. Tho. rationes rerum in Deo. S. igitur Bern. sic ait; (hanc quæso Theologiam Angelicam attendamus.) In Deo est charitas, veritas, æquitas, majestas, principium, fortitudo, virtus, lux, pietas; ecce nouem (tale autem est Dei esse, & tale suipsius in se operatio.) Amat Deus vt charitas, nouit vt veritas, sedet vt æquitas, dominatur vt majestas, regit vt principium, tuetur vt fortitudo, operatur vt virtus, reuelat vt lux, assistit vt pietas. Quæ omnia, inquit, & Angeli faciunt, non vtique bono quod sunt, sed quod participant, siquidem hæc omnia contulit illis spiritibus ipse qui condidit illos, vnus atque idem summus Spiritus diuidens singulis prout vult. (Nam aliis amorem suum communicat, vt Seraphim, qui nihil aliud sunt quā creatus Dei amor, & eiusdem operari continuum erga ipsum, sicque de aliis ordinibus.)

Quomodo appellātur Angeli apud S. Bern. atque etiam apud S. Thom. 1. p. q. 108.

S. Bern. lib. 5. de Consid. c. 4. & 5.

C

Vnde pergit hoc modo S. Bernardus. In his qui Seraphim appellantur, cernere est, quomodo amet, qui vnde amet non habet (sc. extra se) cùm in se sit tota ratio amoris. Ipse qui est Dei filius Christus Dominus, qui propterea etiam dicitur filius dilectus, & dilectionis filius, à quo & amor procedit, qui Deus est, scilicet Spiritussanctus. In Cherubim, qui plenitudo scietiæ dicuntur, cernere est Dominum sciētiarum (Christum notitiam Patris) eum qui solus nescit ignorantiam, quia verbum: qui totus sit lux, quia sapientia; & in quo tenebræ non sunt vllæ, quia lux vera: qui totus sit oculus, quia Deus; & qui aliquando minimè fallitur & clauditur, quia veritas & via; qui extra se non quærit lumen cui admoueatur, vt videat ipse qui videt, & vnde videt omnis qui videt, quia ipse est fons luminis & vitæ; apud te est fons vitæ, &c. In thronis cernere est quàm non suspectus omni innocentiæ Iudex sedeat & cum pace, (Christus Iudex constitutus à Deo viuorum & mortuorum.) O, inquit S. Bern. de vultu tali iudicium meum prodeat opto, cui insit amor, absit error & perturbatio. In dominationibus, quantæ sit Dominus Majestatis, cuius nutu imperium constat, & imperio vniuersitas atque æternitas termini sunt. (apud Luc. & regni eius non erit finis.) In principatibus principium ex quo, per quod, & in quo sunt omnia. In potestatibus, quàm potesta-

Christus omnium esse, & differentia Angelorum principium. Matth. 17. & Coloss. 1.

In omnibus Angelorum choris agnoscitur Christus.

A

tiuè idem Princeps quos regit, protegit. In virtutibus cernere est vnam vbique æqualiter virtutem esse, per quam omnia sunt, scilicet Christum: viuificam, in ipso vita erat; efficacem, quia per ipsum omnia; inuisibilem, quia verbum; immobilem, quia apud Deum; omnia mouentem vtiliter, & tenentem fortiter, quia Deus. In Angelis, & Archangelis, veritatem & experientiam illius vocis S. Petri, *quoniam ipsi est cura de nobis.* Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis. Hæc sunt quæ in illis operatur Christus vt Deus, & non solùm operatur, sed & dedit illis eadem operari, licèt longè aliter.

1. Petr 5.

Etenim ardent Seraphim, sed igne Dei, vel potiùs igne Deo. (Quæso considerentur ista, & qui sit ipsorum status & conditio in Deo.) Quod præcipuum est in eis amant, sed non quantum Deus, nec quomodo. Lucent Cherubim scientia, sed participio veritatis, ac per hoc non vt veritas ipsa (Christus,) nec quantum. Sedent throni, sed beneficio insidentis; iudicant & ipsi cum tranquillitate, sed non ad mensuram, modúmve pacis pacantis, pacis quæ exuperat omnem sensum. Dominantur dominationes, sed sub Domino (Christo) & ipsi seruiunt pariter. Præsunt principatus & regunt, sed reguntur & ipsi; ita vt regere iam non norint, si regi desierint. Præcellit in potestatibus fortitudo, sed cui debent quod fortes sunt, aliter est fortis, & plus; nec tam fortis quàm fortitudo ipsa est. Virtutes pro suo ministerio satagunt excitare corda torpentia hominum, innouatione signorum: virtus verò in eis manens ipsa facit opera, (*Pater meus vsque modò operatur, & ego operor,*) faciunt & illæ: sed in comparatione eius non faciunt; ita vt ad eum singulariter dicat Propheta: *Tu es Deus qui facis mirabilia magna solus.* Adsunt Angeli, & Archangeli, sed ille germanior nobis qui non modò adest, sed inest. Quia & omnium vita est, vt dixit S. Iohan. *In ipso vita erat*, Angelorum, & nostra.

S. Bernard. lib. 5. de Cō-sid. cap. 4.

Christus dat Angelis eadē operari quæ ipse operatur in illis, licèt aliter.

D

DE CREATIONE HOMINIS per Christum.

Et vita erat lux hominum. Ioh. 1.

EXTRA Christum vitam & lucem nihil est quod permaneat & subsistat; necesse est pereant omnia, & morti soluant stipendia, quæ in Christo vita non sunt. In ipso viuimus, mouemur, & sumus; ex ipso & per ipsum omnia, omnia in ipsó constant. Non ergo aliò est eundum, vt esse quæramus, vitam, & omnia, quia in Christo inuenimus omnia. Omnia condidit, quia verbum est, per quod omnia facta sunt, in ipso vita est, per quam omnia viuunt; lux vera quæ illuminat omnem hominem viuentem in hunc mundum. *Et vita erat lux hominum.*

Act. 17. Rerum omnium dependētia à Christo.

E

Docuit iam in genere ex prædictis S. Euangelista, omnium creaturarū esse & vitam in verbo esse. Nunc autem ad homines singulariter se conuertit tanquam nobiliores creaturas, ostendens ipsorum vitam esse duplici nomine ac titulo. Primò, propter vitam corporalem & naturalem. Secundò, propter vitam animę & spiritus, seu gratiæ & gloriæ qua viuunt corā Deo. Vnde creator eorum agnoscitur, & simul reparator, seu author duplicis conditionis ipsorum, naturalis & supernaturalis. Et duo etiā hæc erūt, quę in Christo ex verbis istis cōsiderabimus; *Et vita erat lux hominū*, &c.

Christus dupliciter vita dicitur & creator hominum.

Homo verè imago & creatura Christi. Gen. 1. Coloss. 1.

Quantũ ad primum, dicimus hominẽ propriè creaturam esse Christi, vt imaginẽ ipsius. Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginẽ nostram.* & distinctiùs: *Ad imaginẽ Dei creauit illum.* Quenã est in Deo imago Dei: Verbũ, seu Filius sic appellatus ab Apostolo ad Coloss. *Gratias*, inquit, *agimus Deo Patri qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnũ Filij dilectionis suæ, qui est imago Dei inuisibilis.* principiũ, & *primogenitus omnis creaturæ* (sc. hominis.) Sic ad Heb. vbi dicitur splendor Patris, & figura substantiæ eius, speculum, seu imago sine macula. Ita igitur particulariter & singulariter homo dicitur imago ipsius & creatura, quia in eo diuinitatis intelligẽtia relucet quæ in Deo verbum est: vnde & principaliter dicitur, *& vita erat lux hominũ.*

Hebr. 1.

Gen. 2.

Vitam appellauit Christum, vt adhuc magis, distinctiúsque ipsius creaturam esse hominem agnoscamus. Istud animaduertitur in Genesi, vbi rursus sermo est de creatione hominis, his terminis: *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Nõ quidem sine mysterio à nobis hęc repetita annotatio est, nimirum, quod Verbum vita est, (*in ipso vita erat*) & factus est homo vt specialis ipsius imago, & creatura in animam viuentem: sed adhuc dicitur quia & illa vita erat lux hominum, sc. quia verè factus est homo in animam viuẽtem. Nõ solùm homo vitam habet, sed animam, quæ certa emanatio est, radius ac inspiratio (vt loquutus est Moyses) diuinæ vitæ & intelligẽtiæ, quę in ratione existit: vnde Christus vita, & lux hominum dicitur; *& vita erat lux hominum.* Hoc agnouit Psaltes cùm dixit; *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine,* id est, Filij tui, qui est facies tua Domine, & qua manifestaris. Nam *qui videt me*, ait Christus, *videt & Patrem.* Vnde statim; *Ego te clarificaui,* Pater, *& manifestaui nomen tuum hominibus.*

Quomodo homo dicitur factus in animam viuentem.

Psal. 4.

Joh. 14. & 17.

Eo itaque modo, ait Psaltes, quo Deus manifestatur in Filio vt in imagine eius: ita ille Filius in nobis, qui sumus imago & specialis creatura eius, quatenus in creatione nostra, anima viuẽte & ratione prædíti fuimus: sicque signatum est super nos lumen vultus Dei, id est, Filij. Sed quomodo heu! nunc obscuratum est? Igitur inde fit, vt licet ad imaginem totius Trinitatis homo factus dicatur, iuxta quod scribitur: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*; atque etiam ipse rationem gerat in anima sua, quæ in tribus potentiis vna est essentia, istos actus spiritus capax ac potens exerere; Deũ cognoscere & amare; ferri in ipsum notitia & amore: semper tamẽ aliquo speciali modo agnoscatur imaginem filij Dei gerere in se, ac singulariter se creaturam eius esse triplici ratione posse gloriari.

Tribus modis homo dicitur creatura Christi. S. August. Serm. 38. de verb. Domini.

Prima est, quia ipsum Pater sicut omnia, in Filio suo vt in sapientia sua fecit: maximè autem inter omnia ipsum hominem, qui intelligens est & sciẽtiæ capax. Ita S. Aug. de verb. Domini. Si omnia, inquit, per ipsũ, vtique & homo: si cœlum, si terra, & omnia quæ in eis sunt, vtique manifestiùs ille, qui ad imaginem Dei factus est, per verbũ factus est. hæc ille. Vnde specialis illius dicitur creator, iuxta quod principiũ, in quo omnia, & supra omnia hominem Deus creauit, Filius est.

Quomodo homo dicitur paruus mundus. *Specialis inde ratio cur filius Dei factus est homo.*

Secunda, quia sicut in Christo omnes sunt creaturæ velut in sua arte, causa & principio: sic etiã in homine omnes quodammodo inueniuntur, qui propterea dicitur paruus mundus, & quasi volumẽ omnium creaturarũ; siquidem in esse cõuenit cum elementis, rebúsque inanimatis: in vita & viribus naturæ, cum plantis: in sensu cum animalibus: in ratione cum Angelis, substantiisq; spiritualibus. Ita vt in illo, vt imagine Verbi, quod omniũ Idea est, abbreuiẽtur omnia. Hincq; etiã ratio, cur Filius, & non Pater, aut Spiritussanctus naturam humanam assumpsit, & in similitudinem ho-

A minum factus est, scilicet propter cõuenientiam, &c.

Tertia, propter principatum quem homo inter omnes creaturas, à prima die conditionis suæ, ex Deo adeptus est, vt habetur in Genesi; *Faciamus hominem vt præsit.* Sic enim ait Psaltes; *Constituit eum dominum domus suæ, & principem fecit omnis possessionis suæ,* super omnia opera manuũ suarum constituit, etiámque subiecit ei Angelos, in ministerium missos, ait Apost. propter eos qui hæreditatem capiũt salutis. Vnde in Propheta exclamandi ratio: *Domine, quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniã reputas eum? Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Et quid est hoc quæso, nisi imaginem Dei, & Filij eius in terra gerere, qui cùm

Gen. 1.

Psl. 8.

B sit splendor Patris & figura substantiæ eius, sedet ad dexteram Majestatis Dei in excelsis, cõstitutus hæres vniuersorũ Patris, cuique ex Euangelio data est omnis potestas in cœlo & in terra? Ex eo igitur quod homo specialis creatura, & imago Filij Dei creatus est, qui est imago & splendor Patris, & cui subiiciuntur omnia; tale in omnes creaturas dominium sortitus est, vt omnium creaturarum nobilissima.

Propter tria dominium rerũ omnium conuenit homini. S. Tho. 1. p. q. 96. art. 1.

Hoc autem dominium ratione status ipsius & excellentiæ conueniebat illi ex tribus. Primò, ex ipso naturæ processu, iuxta quam imperfectiora cedunt in vsum perfectorum. Exempli gratia, plantæ vtuntur terra ad sui nutrimentum; animalia plantis; homines animalibus & plantis: vnde quidem homo naturaliter dominatur cæteris creatis.

C Secundò ex ordine diuinæ prouidẽtiæ, quæ semper inferiora per superiora gubernat. Vnde cùm homo sit super cætera animalia, vtpote ad imaginẽ Dei factus, conuenienter etiam eius gubernationi omnia subduntur; (homine dignum est hæc scire.)

Eminentia hominis supra omnia animantia.

Tertiò, ex proprietate ipsius hominis, & aliorum simul animalium, quantum ad illud quod gubernationẽ spectat. In aliis enim animalibus tantũ inuenitur quædam participatio prudentiæ, & ad aliquos solùm particulares actus, & adhuc secundum æstimationem naturæ & imaginationis: in homine verò vniuersalis prudẽtia, & ratio omnium cũ fine & proposito agendorum. Vnde competit, vt hæc particularis & tantùm participata prudentia in animãtibus, subiiciatur ei quæ

D per essentiã est & vniuersalis: qualis homini data est, qui rationẽ habet & intelligẽtiam, ad hócq; creatus ad Dei imaginẽ & similitudinem Verbi; non quidem, ait S. Chrysost. in Gen. secundùm imaginẽ & similitudinẽ formæ; sed secundùm rationem & similitudinem dominij: qua parte, lumine rationis prædítus est.

S. Chrysost. homilia 8. in Genes.

Agnosce, ô homo, tuam dignitatem, & consors factus diuinæ naturæ, noli degeneri conuersatione animantibus comparari insipientibus. *Et vita erat lux hominum.* Christus vita, lux rationis extitit in hominibus. Lux est, non brutorum, sed hominum. Ita est, Domine IESV, apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen: à te luce vitæ lumen habemus vitæ, scilicet rationem, & à te vita lucem æternæ vitæ

E habebimus. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.*

Ratio multiplex cur solùm dicitur lux hominum.

Verùm hîc multæ fieri possunt quæstiones, cur dixit solùm Euangelista, *lux hominum.* Igitur prima est, cur etiam non dixit, lux omnium rerum, sed præcisè, hominum. Ratio est, quia maximè homines lucis & veritatis sunt capaces, qui prædíti sunt intelligentia & ratione, quæ in cæteris creaturis, (exceptis Angelis) non reperitur. Item quia hîc agitur de Christi aduentu, qui non aliarum rerum, nec Angelorum etiam causa venit, sed tantùm hominum; quibus propterea solùm, quæ illis allaturus est veniens, dona explicat, scilicet lucem & vitam. Eáque ratio & melior, & litteralis est. Ideo enim venit, vt supra esse naturale, nobis

nobis supernaturale largiretur, & supra rationem, gratiæ lumen. *Et vita erat lux hominum.*

Cur non dicitur lux Angelorum. Et hinc adhuc responsio ad secundam quæst. cur etiam non dixit, lux Angelorum. Quia scilicet non pro illis venit, sed maximè & singulariter pro hominibus, quibus solùm hoc nouum esse, hanc nouam vitam, gratiæque lucem daturus est.

Cur non lux Iudæorum. Hinc iterum responsio ad tertiam quæstionē, cur non dixit, Iudæorum, cùm etiam ex Scriptura dicatur missus ad oues quę perierunt domus Israël. Ideo certè, quia omnium omnino causa venit, sicut paulo pòst in vniuersum loquitur; *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Huc pertinet adhuc quod tam sæpe Christus dixit: *Ego sum lux mundi. Veni vt vitam habeant. Et vita erat lux hominum.* Ecce igitur quibus modis specialiter est vita hominum & lux.

Cur in Christo vita luci antecedit. Sed quæso, hic etiam verborum ordinem obseruemus; *Et vita erat lux hominū.* Primò ponit vitam, deinde lucem. Nō ait, lux erat vita hominū, sed vita erat lux. Cur istud? Certè vt significet in Christo omnia esse solida & vera; & non esse lucē sine vita, cùm vita sit causa luminis. In ipso vita erat, & vita erat lux: in hominib. è contrà, sępissime nescio quis fulgebit inanis splēdor sine vita, & sine veritate lumen, opera falsitatē, & nō veritatē virtutis habētia.

Act. 1. Luc. vlt. Christum imitemur, ô Christiani. In Actis legitur, quia *cœpit* IESVS *facere, & docere.* Et c. vlt. S. Lucæ, quod *fuit potens in opere & sermone.* Et hodie, quia *in ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Considerate quæso, quia hic opera & vita præcedunt sermonem & lucem. Hæc est, ô Christiani, vita lucis, & lux vitæ, quam Dominus IESVS vita & lux in reparationem nostram nobis dare venit.

CONTINVATIO. DE REPARATIONE HOMINIS PER CHRISTUM.

Et vita erat lux hominum. Iohan. 1.

S. Aug. tract. 1. in Ioh. Peccatū dicitur nihil: & vnde. Psl. 14. VNVM est considerandū in homine, quod sine Christo factum est. Illud est peccatum, *sine ipso factum est nihil.* Illud Iohan. explicans S. Aug. dicit hoc, nihil esse peccatū, quod quidem fit ab homine sine Christo; nihilque dicitur, quia ad nihilum reducit hominem, & peccando nihil fit homo. *Ad nihilum deductus est malignus in conspectu Dei:* ideo certè quia in veritate peccator nihil est. Quare operæpretium est hic separare quæ Christi sunt in homine, & quæ sunt hominis. *S. Aug. tract. 13. in Ioh.* Ex S. Aug. tract. in Ioh. Quasi duæ res sunt homo & peccator. Quod audis, homo, Deus fecit; quod audis, peccator, ipse homo fecit. Ecce igitur hominis opus, peccatum, cuius Deus, qui essentialiter bonus est, causa esse non potuit; *& sine ipso factum est nihil.* *Homo author est peccati.* Homo author est peccati, Christus verò gratiæ: homo causa mortis, & Christus vitæ. Quod fecerat Deus, destruxit homo; & quod fecit homo, destruxítque, reparauit Christus. Itaque vt sciamus quæ reparauit Christus in homine, scire oportet quæ bona ille destruxit & amisit, & quæ etiam mala fecit.

Septem dona quæ à principio Deus homini dedit. Ad hoc intelligendum, notandū est, Deum homini dedisse à principio conditionis suæ septē dona perfectissima, quæ continebantur in iustitia originali. Primum erat gratia eius, & amicitia, qua iustus efficiebatur, amicus Dei, & filius eius adoptiuus, bonorum omnium hæres, & dominus vniuersorum. Secundū, scientia discernendi bonum à malo. Tertium, submissio perfectissima carnis spiritui. Quartum, facilitas & promptitudo faciēdi boni, &

A mali fugiendi. Quintum, infatigabilitas, seu exēptio laboris & timoris; terra enim ex se proferebat necessaria ad vitam, & nihil nociuū producebat. Sextum, donum immortalitatis, quia posito quod non peccasset, mori non debebat. Septimum denique, translatio de terra ad cœlum post tempus aliquod, vt cum Angelis vitam in Deo ęternam ageret. Hęc autem omnia peccando primus homo amisit, & posteritas eius cum illo; & sic omnium donorum Dei destructor factus, malorum contrariorum ipsis author extitit. *Homo destructor donorū Dei, factus est author malorum.*

B Primò enim per hoc commune peccatum, quod originale dicimus, omnis gratia ablata est, & inimici Dei facti sumus, naturáque filij iræ. Secundò, ex hac priuatione gratiæ orta est cōtra scientiā ignorantia in nobis omnium rerum, ac præsertim boni. Tertiò, inclinatio peruersa contra obedientiam. Quartò, difficultas boni contra promptitudinē, & facilitas ad malum. Quintò, labor & timor contra quietem & pacem. Sextò, mors certissima corporis contra immortalitatē. Septimò denique, mors animæ, & æterna contra vitam æternam, nisi à peccatis liberemur ante mortē, & in gratiā Dei redeamus. Quod quidem ex Sacramentorū virtute nobis misericorditer accidit. *Quod factum est in ipso,* (sc. Christo) *vita erat. Et vita erat lux hominum.* Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

C Verùm non sunt hæc sola mala, & mortis opera quæ homo fecit. Alia sunt adhuc, & fortè eo maiora, quo personalia sunt & priuata, & non tantùm originalia & cōmunia. Illa peccata sunt quæ actualia nominamus, & quæ particularia sunt, quæque in vnoquoque in particulari, & quæ Dei, & quæ gratiæ Christi sunt, destruunt. Illa autem in duo capita, seu genera distribuuntur: quædam enim dicuntur mortalia, quædam venialia. *Mala personalia.*

Mortalia sunt quæ ex integro consensu voluntatis contra charitatem Dei, aut proximi fiunt: aut si vultis vno verbo, peccatum mortale est omnis commissio, aut omissio voluntaria contra legē Dei. *Quid peccata mortalia.*

D (hæc tria notētur.) Et hoc malū est, quod omnino Christi opus in homine destruit, scil. gratiā, & vitā, & rationem ipsam. Quod factū est in ipso, sc. Christo, vita est, lux, & gratia. Quod verò per peccatum in homine factum est, mors est, tenebræ, ac nihilum. Et illa sunt quæ Christus in homine reparare venit. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* *Peccatum mortale opus Christi in homine penitus destruit.*

Iam quantum ad venialia peccata, illa sunt quæ deuiant à recto & bono, ex subreptione aut fragilitate humana, & non adhibito pleno consensu voluntatis; vnde veniæ sunt capacia, & facilè remittuntur. Interim si opus Christi in anima penitus non destruant, tamen diminuunt, resistunt, & ad destructionem præparant. Hæc sunt hominis opera. *Quid venialia.*

E Sed adhuc præter ista considerari alia possunt, quæ vitia dicuntur. Quid sit vitiū, vno verbo dicā. Est omnis inordinatus habitus, frequenter repetitis actibus comparatus, vnde postea faciliùs & audentiùs persona peccat. Exempli gratiā, eum blasphematorem dicimus, qui ex mala consuetudine blasphemare solet; & tales qui ex mala habitudine quasi peccandi naturam adepti sunt, propriè appellantur peccatores, coniurati hostes Christi, sine quo factum est nihil, scilicet peccatum. *Quid sit vitium.*

Eiusmodi igitur sunt opera hominis; & ecce quid potest facere homo, (obstupescite Christiani) destruere per impotentiam quod Christus operatur per suam omnipotentiam. Dei factura sumus, creati in Christo IESV in operibus bonis, ait Paulus; & ecce peccando valemus hanc Christi creaturam, & nouum opus destruere. Sed quid dicam? *Ephes. 2. Dignitas gratia quæ annihilatur per peccatum.*

 cam?

cam? annihilare, quæ præstantior est omni creatura, gratiam; gratiam dico, cuius etiam minima pars omni mundo præstat. O prodigium actionum hominis! quod Deus facit, annihilat homo. Quod factum est in Christo, lux & vita est; & sine ipso factū est nihil opus hominis, destructiuum vitæ & lucis.

Verùm quis hoc ita ruinosum opus, atque labefactatum in pristinum suum statum restituet? Christus IESVS. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Mysterium Incarnationis Verbi, nobis lux & vita fuit, & ratio omnis reparationis nostræ. Apostolus dicit: *Ecce facta sunt omnia noua, omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum; quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* & ipse ait: *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Et vita erat lux hominum. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Nemo nouit eum nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Omnia mihi tradita sunt,* gratia & salus omnium. *Ego sum via, veritas, & vita.* Quod factum est in ipso, vita nobis erat. Temporalis eius natiuitas nobis vita est, infantia diuinissima vita, labores, peregrinationes, prædicationes, & verba vitæ, nobis vita sunt. Passiones & tolerantiæ, languores & flagella, claui, crux, fel, spinæ, & mors: omne denique quod in eo factum est, nobis vita erat, & vita erat lux hominum. Cæcos illuminauit, & sedentes in tenebris & in vmbra mortis, Pastores, Reges, Regulos, Centuriones, ac etiam latrones in Cruce, quos omnes conuertit ad se, & de tenebris in lucem restituit. *Huius rei gratia,* cum S. Paulo, *flecto genua ad Patrem Domini nostri IESV Christi, qui gratificauit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis, vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum quod proposuit in eo, in plenitudine temporum instaurare omnia in Christo.* Ecce omnium reparator. Et postea: *Deus,* inquit, *qui diues est in misericordia, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia saluati estis, vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo IESV. Ipsius enim nunc factura sumus, creati in illo in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Et vita erat lux hominum.*

2. Cor. 5. *Christus omnia reparat.*

Omnia in Christo nobis vita sunt.

Ephes. 1.

Ephes. 2.

Huc pertinet adhuc quod ad Corinth. ait: *Ex ipso vos estis in Christo IESV, qui factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Ecce reparator noster Christus; vniuersaliter omniū creaturarum, etiā mortuarum viuificator & lux. In se vita est, & quod in eo est, vita est. Quod factum est in ipso, vita est, & quod ab eo est, vita est: loquitur, & dat vitā; moritur, & dat vitā. Denique vbique & in omnibus vita est, nostræ vitæ reparatio & forma.

1. Cor. 1.

Verùm videamus hîc, quomodo S. Aug. tract. 1. in Ioh. explicat non solùm Christum esse vitam, sed etiam omnia esse vitam in ipso. *Quod factum est,* ait, hîc subdistingue, *in illo vita erat.* Quid est hoc? In ipsa sapientia, seu verbo Dei specialiter quædam ratio est qua terra facta est, qua cœlum, &c. & hæc vita est. Ergo quod factum est, in ipso vita est. Affert ille exemplum Artificis, qui fabricat arcam arte sua. Primò, inquit, habet arcā Artifex in arte, & priùs in arte quàm in opere. Ergo attendite arcam simul in arte & in opere. In arte inuisibiliter est, in opere visibiliter. In opere non est vita, in arte est vita, quia viuit anima Artificis, vbi sunt ista omnia antequam producantur. Arca enim non putrescit in arte sicut in opere.

S. Aug. tract. 1. in Ioh. *Omnia sunt vita in Christo.*

Exemplum.

Itaque dicit S. Aug. quia sapientia Dei per quam

A facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia. Quidquid factum est, in eo verbo vita est. Terram vides, in arte terra est; cœlum vides, est in arte cœlum; Solem & Lunam similiter, sunt & ista in arte. Foris quidem corpora sunt, in arte & in verbo vita sunt. hæc S. Aug. Idem docet S. Tho. qui ait, (vt ipsius verbis vtar) quod in Deo suum intelligere, est sua vita, sua essentia: vnde quicquid est in Deo, non solùm viuit, sed est ipsa vita, quia est sua essentia. Igitur res consideratæ vt in verbo, vita sunt. Simus igitur in eo, vt viuamus. *In ipso vita erat,* & quod factum est, etiam inanimatum. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Rursus ergo maneamus in illo, vt in luce vitam nostram feliciter agamus.

S. Thom. in Ioh.

B

DE DIFFERENTIA DIuinæ lucis in Christo, à tenebris mundi, nec cognitæ illi.

Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Iohan. 1.

DEVS lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Christus splendor Patris lux est, & veniens in mundum luxit in tenebris. Lux dicitur, quia Deus de Deo est, & à Patre inseparabiliter procedens, vt splendor à luce. Hinc dictus ab Apostolo splendor Patris, à Salomone, candor lucis æternæ; & ab Ecclesia, lumen de lumine. In vniuersum lux dicitur, quia omnem creaturam, etiāmque tenebras illuminat: & opera eius lux sunt.

C

Quare Christus lux dicitur.

Heb. 1.

Sap. 7.

Hoc dignū notatu est, quod antequam Christus, seu Messias lux esset secundum humanitatem, iam erat secundum diuinitatem in Deo. Cui consonat illud quod dicebat: *Antequam Abrahā fieret, ego sum.* & rursus: *Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat:* & lux in tenebris lucet, nec comprehenderunt eam. Vnde hoc? Certè quia nemo est qui in eum credat. Illud ipsum est quod dicit Isaias de Messia loquens: *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* Hoc quod Zacharias ait, quia *per viscera misericordiæ Dei nostri visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.* Hoc quod & Psaltes ait: *Exortum est in tenebris lumē rectis.* His certè illuxit Christus lux vera, tenebræ autem non comprehenderūt eam, sc. Iudæi & infideles, hæretici atq; peccatores. Etenim necessarius est oculus qui non sit tenebricosus, sed illuminatus fide, in qua solùm hîc cognoscitur Filius Dei. Ita loquitur Apostolus, dicens: *Quoniam Deus, qui à principio mundi dixit de tenebris lucem splēdescere, ipse illuxit in cordibus nostris,* sc. fide, *ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi IESV: quod si etiam opertum est Euangeliū nostrum,* (scil. de Christo) *iis qui pereunt opertum est, in quibus Deus huius sæculi* (& tenebrarum) *excæcauit mētes: vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei.* hæc Apost. *Et vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam nō cōprehenderunt.*

Christus lux est ab æterno in Deo.

Ioh. 8. & 11.

Per tenebras infidelitas intelligitur.

D

Isa. 9.

Luc. 1.

Psl. 111.

Quibus illuxit, & quibus non illuxit Christus.

2. Cor. 4.

E

Hîc de luce loquimur, & nihil est quod sit tam proprium Christo, amētque magis quàm lucem. Ab initio operū quod fecit primò, & bonum iudicauit, lux fuit, vt ait Moyses; *Terra erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Dixit statim Deus, *fiat lux,* & producta est; viditque lucem quod esset bona. Vbi animaduertitis quod & primā omnium fecit, & probauit, adeóque etiam amauit, vt eam posuerit

Lux propria est Christo.

Gen. 1.

Lux prima omniū à Deo probata est.

Tenebra sūt propria diabolo, & vnde. posuerit conseruaueritque in omnibus operibus suis, quia ipse est vera lux & essentialis lux. De diabolo contrarium est, qui tenebrarum est princeps. Ideo enim tenebras amat, & odit lucem, adeóque tenebris inuoluit sua opera, vt etiam appellentur tenebrarum opera, ex Apostolo dicente: *Nox praecessit, dies appropinquauit. Abuciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Lux in tenebris lucet, & tenebra eam non comprehenderunt.* (Rom. 13.) A

(Ioh. 3.) Inde etiam certè fit, quod *qui malè agit*, inquit Christus, *odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo facta sunt. Hoc autē est iudiciū mundi, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum mala opera, & tenebra non comprehenderunt eam.* Quid dicit peccator? *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*; tenebras petit, amat & quaerit, iisque vtitur pro luce, vt viuat in deliciis suis, sicut nycticorax in domicilio. Quid verò ait iustus? *Domine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam*, id est, casum, *& resurrectionem meam*. i. conuersionem. *Intellexisti cogitationes meas de longè, & vias meas omnes praeuidisti. Ecce Domine tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua; tu enim formasti me. Quò ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Dixi: forsitan tenebra conculcabunt me?* & sicut peccator & impius; *Nox illuminatio mea in deliciis meis?* Non Domine, *quia tenebra non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur* (ante te,) lux enim es, & vera lux etiam quae in tenebris lucet. Propterea *confitebor tibi. Quia imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.* Quare *proba me Deus, & scito cor meum; interroga me, & cognosce semitas meas, & vide si via iniquitatis in me est.* Quare? *quia tu possedisti me, & suscepisti me de vtero matris mea*, &c. Ecce verba iusti, qui agnoscit in Deo non esse tenebras vllas: & credit Christum eius filium Deum de Deo, lumenque de lumine venisse in mundum, vt illuminet ipsum, neque aliud lumen esse. (*Differentia inter peccatorem & iustum.* B; Ps. 138. C)

Christus figurabatur lux Exo. 35. In Exodo figura erat rei huius in mandato quod Iudaeis datum fuerat, ne die Sabbathi, qui Domini erat, ignem accenderent in domibus suis. Eiusmodi praeceptum erat: *Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diē Sabbathi.* Cur quaeso istud, & quo fine, sic priuari toto die Sabbathi lumine & igne? nisi quia Deus volebat singulari mysterio, vt Iudaei starent in tenebris, & obscuritate legis, donec veniret mittendus, scilicet Messias, Christus, qui futurus erat lux mundi, venturúsque vt illuminaret eos, aperiendo ipsis aenigmata & figuras legis, & declarando similiter eis veritatem mysteriorum, & Euangelij. Vnde constat quia qui ante Christum erant, in obscuritate erant & tenebris, in vmbris ac figuris: sicut hodie exquo Christus venit, iam nos in luce & veritate sumus. D E

Cur Christus lux dicitur. Verùm cur Christus lux dicatur, videamus. Optimè quidem. Lux propter tria quae communiter in ea sunt, ipsū repraesētat. Primò cera, quae absque vlla corruptione apum, sed cū maxima ipsarum puritate oritur, corpus Christi refert de immaculata virgine natum. Secundò cordula in cera latens, sanctissimam Christi animam in corpore latentem repraesentat. Tertiò ignis, vel lumen ardens, ipsius diuinitatem significat, corpori & animae vnitam; sicut lychno & cerae simul cōiūctus est ignis. Cuius adhuc est, velut ignis, nostrorum consumere rubiginem peccatorum: & simul gratiae & gloriae nobis lumē prestare. Propterea ergo lux dicitur Christus.

Adhuc si vultis, solùm propter duo praecipua quae inueniuntur in lumine, lux dicitur. In lumine splendor est, & ardor. Et haec sunt quae diffundit, & communicat nobis lux nostra Christus lumine suae diuinae gratiae: cognitionem scilicet veritatis, & amorem bonitatis ipsius. In his enim duobus lux nostra consistit, id est, gratia, quam à Christo excipimus: in cognoscendo vero, & in amando bono. Hi sunt duo radij nostrorum spiritualium oculorum, & de quibus Dauid cum tanto desiderio loquebatur dicens: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiā in morte*, ne, inquā, obdormiā in tenebris dū lucet lux, & tenebrae non comprehendant eam. (*Duo radij oculorum spiritus.* Ps. 12.)

Accedite itaque ad eam, & illuminamini (per donum gratiae praesentis.) Ecce enim viuit Christus lux nostra: eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. *Et vita erat lux hominum*: sed heu! lucet lux in tenebris, & tenebrae eam non cōprehenderunt. Haec lux, dicit S. Simeon, parata quidem erat ante faciem omnium populorum, ad reuelationem gentium, & gloriam filiorum Israël: proptereàque gratias Deo patri refert in suo Cant. dicens. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei*, (quid?) *salutare tuum*. quid viderunt? *lumen ad reuelationem gentium*, &c. O beatos oculos senis, qui vera luce illuminati, tot expectatum saeculis, & in quem semper desiderant Angeli respicere, viderunt! Interim & tenebrae non comprehenderunt eum. (Ps. 33. Luc. 2.)

Sed quaenā sunt illae tenebrae, quę Christū veram lucem cōprehendere non potuerunt? Hae sunt, natura, sensus & ratio, caro, mundus & peccatum. (*Quae tenebrae Christum nō cōprehēdunt.*)

De natura dicit Orig. in Ezech. quia, inquit, quantumcunque illuminetur illa, semper tamen comparatione istius lucis, tenebrae manet, illudque Christi mysterium comprehendere non valet. (Orig. hom. 9. in Ezech.)

De sensu & ratione dicit S. Leo Ser. 17. de Pass. qui respectu huius mysterij sensū & rationē vocat tenebras mentis: illudque psalmistae citat; *Mirabilis facta est scientia tua ex me, prę me, & nō potero ad eam.* (S. Leo Ser. 17. de Pass.)

De carne Theophil. qui dicit tenebras carnis nō cōprehendere quomodo diuinitas illuxit in carne: fides enim est quae illuminat, & spiritus qui viuificat, caro autem hic non prodest quidquam. (Theoph.)

De mūdo ita Chrys. & Greg. Naz. qui hoc sensu interpretantur haec verba Christi; *Confidite, ego vici mūdū.* Quasi diceret Dominus, inquiūt, me mūdus capere nō potest, nec apprehēdere, nec comprehēdere; vici mundum, & tenebrae non comprehenderunt. In mundo erat qui per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit, &c. (S. Chrysost. S. Greg. Nazianz. orat. 4. de Theol. Ioh. 1.)

De peccato & peccatorib. item, quia peccatū ipse nō fecit, ideóq; ipsū cōprehēdere nō potest. Peccatum quidē peccatores omnes cōprehendit, sed non Christū reparatorē peccatorū. Ecce igitur tenebrae quae Christū lucē cōprehēdere nūquā potuerunt. (1. Pet. 2.)

Sed videamus modò, ex quo tempore, & in quibus tales tenebrae fuerunt. Ab orbe condito, in primis Angelis fuerunt, quib. primò illuxit & reuelata est mysterij huius veritas, & fuerunt rebelles lumini, desertores, increduli, nec ipsum agnoscere Dominum suum voluerunt, vt habetur in Canonica B. Apostoli. Item ex eodem, in iis qui sub Enoch erant, tenebrae inuentae sunt, de quibus, vt ille B. Apostolus declarat, prophetauit septimus ab Adam Enoch dicens: *Ecce venit Dominus arguere omnes impios de operibus impietatis eorum.* & Christus: *Hoc est autem iudicium mundi, lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem; erant enim mala opera eorum.* Lux in tenebris (Canon. Beati Iudae. Ioh. 3.)

 lucet,

A Cain tenebræ incredulitatis in mundo fuerunt.

lucet,& tenebræ eam non comprehenderunt.

Quid dicam? Fuerunt eiusmodi tenebræ à Caino, à familia cuius cœpit incredulitas. In iis qui fuerunt ante diluuium erãt,cùm fabricaretur Arca Noë,& credere noluerũt. In iis etiam qui sub Loth erant ante incendium Sodomæ. Sub Pharaone ante submersionem. Sub Regibus ante deuastationem regnorum Israël & Iudæ:tunc enim tenebræ,per incredulitatem & idololatriam, lucem repulerũt,& non cõprehẽderũt. Denique in Iudæis inuẽtæ sũt,quãdo lux ipsa orta est eis & prædicata, quando Christus in eis illuxit,sed velut in tenebris, & ipsi nõ cognouerũt,nõ cõprehenderunt,sed per infidelitatem suam, & obstinatam malitiã repulerunt,& factus est illis postea lapis offensionis. Sed quid amplius addam? In Gentibus tenebræ inuentæ sunt, & tandem in Christianis ipsis, quibus modò annunciatur Christus,sed minimè excipitur: Euangelium prædicatur & lucet, sed in contemptu est: veritas auditur,sed ad vanitates,ad errorẽ,ad peccatũ itur. Verè lux in tenebris lucet,& huc vsque tenebræ eam non comprehenderunt. Comprehendamus nos, vt in æternum in beata luce viuamus.

1. Petr. 3.

TERTIA PARS THEOLOGIÆ.

DE INCARNATIONE Verbi: ac primò de præcursore Christi.

Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Iohannes. (Qui interrogatus:) Tu quis es? Et confessus est: Quia non sum ego Christus. Ioh. 1.

HActenus de diuinitate Christi loquuti sumus, de æternitate, atque creatione rerum. Nunc de Incarnatione eius in plenitudine temporum, rerum restauratione per illam, iustificatione, & glorificatione locuturi sumus, simúlque Euangelistæ ordinem sequuturi: hic est enim princeps & lumen nostræ Theologiæ,& meritò etiam à Patribus Theologus est appellatus. Iste igitur Theologus & Aquila inter Euangelistas, post sermonem de diuinitate verbi,statim de eius aduentu in carne dicturus, priùs atque ante omnia de eius præcursore Iohanne agere voluit, ipsumque testem huius admirandi mysterij præmittere, sicut missus à Deo fuerat, vt nunciaret mundo, & pararet vias eius. Omnes alij prophetæ qui præcesserunt,multa quidem de verbo prænunciauerunt,sed non tam apertè atque Baptista Ioh. qui ipsum digito demonstrauit, & ob id muneris peculiariter ordinatus erat; sicut etiam propterea mirabiliter natus, & præter communem ac solitum naturæ ordinem, vt probè agnouit Zacharias pater eius dicens: *Et tu puer propheta Altissimi vocaberis. Præibis enim ante faciem Domini,*&c.

Meritò Iohãnes est Theologus nuncupatus.

Luc. 1.

Cur præiuit Baptista Ioh. ante Christũ.

Mittebat Deus filium suum nulla extrinsecus fulgentem diuinitatis specie: obuolutum autem ista nube carnis nostræ, vt penitus fieret mundo incognitus, & verè Deus absconditus,vt multoties prædixit Isaias,& maximè vbi dicit: *Non est species ei,neque decor* (scilicet diuinitatis æternæ.) *Vidimus eum,& non erat aspectus,* (lux lucebat in tenebris,)*& desiderauimus eum: despectum, & nouissimum virorum,*&c. Igitur conueniens erat,& quasi necessarium,vt qui sic venturus erat in carne, & Cruce absconditus,ab aliquo magno teste,& misso à Deo reuelaretur,quique tanquam præcursor præmitteretur ad dandam scientiam salutis plebi, & aduenienti Regi viam præparandam. Iste est Iohannes Baptista,& præcursor. Fuit homo missus à Deo.

Isa. 53.

S. August. in Ioh. dicit, quia quod apparuit, sic erat homo, vt lateret in illo Deus. Missus est ante illum magnus homo,per cuius testimonium inueniretur plusquã homo,&c. Hic est Ioh. præcursor. Quod quidem & prædixerat Malach. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem meam, & præparabit viam,* &c. Quis est iste Angelus? S. Iohannes præcursor, homo natura, & officio Angelus. De hoc igitur præcursore hodie loquuturi sumus: vt de eo qui plus cæteris inter homines huic diuino Incarnationis mysterio participat, viam præparat, & ab eo omnem suam præeminentiam excipit: ideo enim ex S. Iohanne in Euangelio dicitur *homo missus à Deo:* quasi Apostolus patris ab eo in mundum missus,vt reuelet filium suum, digitóque demonstret: hic est enim scopus prædicationis eius & missionis, de Christo testimonium perhibere; *hic venit,* ait Euangelista, *vt testimonium perhiberet de lumine.*

S. Aug. tract. 2. in Ioh.

Malach. 3.

Vnde sumitur prærogatiua Baptistæ Iohannis.

Scopus missionis & prædicationis Sancti Iohannis.

O vtinam talem & similem omnes haberemus! Talis erat Pauli, qui cum gratiarum actione talia dicebat: *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, euangelizare inuestigabiles Christi diuitias in Gentib. & illuminare omnes,quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis, vt innotescat.* Hæc Pauli gratia,& hic missionis eius,sicut prædicationis scopus. *Cùm placuit ei* (ait) *qui me segregauit ex vtero matris, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me,vt euangelizarem illum in Gentibus, continuò non acquieui carni.* (continuò prædicaui.) Talis erat & Euangelistæ S. Iohan. scopus,qui sic finem ponit scriptis suis dicens: *Hæc scripta sunt,vt credatis quia* IESVS *est Christus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Talis fuit & omnium Sanctorum, & talis sit omnium nostrûm, & verbis & operibus, vbique & semper de Christo testimonium perhibere.

Ephes. 3.

Gal. 1.

Ioh. 20.

Verùm ad præcursorem nostrum redeamus. *Fuit* enim *homo missus à Deo,* ait Euangelista, *cui nomen erat Iohannes. Hic venit in testimonium.* Et certè in testimonium venit, qui adhuc ab vtero dedit;& dicam, iter ad mysterium præparauit. Videamus vtrunque,scilicet,quomodo & præcursor, & testis Christi fuit,antequam nasceretur, & posset loqui.

Ad quid præcursor Baptista missus est.

De primo,antequam conciperetur Christus,Luc. 1. dum turbatur virgo de sermone Angeli, & petit, *quomodo?* Iohannes adhuc in vtero viam præparat mysterij,quando in exemplum virgini affertur,vt præberet consensum,ei dicente Angelo: *Ecce Elisabeth concepit in senectute.* Vnde statim virgo: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Ecce Iohannes præcursor antequam nascatur, præitque ante faciem Domini iter præparans, &c. Ita vt dicere liceat, Baptistam iam conceptum quasi initium fuisse diuinæ Incarnationis; vnde ei nomen Iohannes, qui interpretatur gratia & misericordia Dei,scilicet quia ab illo gratia mundo prædicari cœpit, tempus misericordiæ, & remissionis, fuitque velut orizon legis & gratiæ, vnius finis,& initium alterius. *Lex & prophetæ vsque ad Iohan.* ait Dominus;à diebus autem eius, regnum cœlorum annunciatur. Sed nunciauit ipse & Regem, quem & digito demonstrauit,imò etiam & ei vt præcursor,licet

Iohãnes antequam nascatur præcursor Domini est.

Quàm conuenienter ei nomen imponitur.

Matth. 11.

sor, licet nondum natus, Incarnationis suæ viam suo exemplo præparauit. *Ne timeas Maria: ecce enim Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.* Ecce iam præiuit præcursor Domini, & præparat viam eius. Concipies ipsum, quia non est impossibile apud Deum omne verbum. Qui præit modò, testabitur statim.

Domini præparat aduentum & mysterium. Luc. 1.

De hoc secundo, quod scilicet adhuc in vtero matris S. Iohannes Christi testis fuit vt præcursor, S. Chrysost. apud Metaph. elegantissimam habet homiliam. Cùm (inquit) venisset ad nos Redẽptor, protinus ac priùs venit ad amicũ suum Iohannẽ, quem ille cùm ex vtero in vtero aspexisset, naturæ terminos concutiens exclamat, video Dominum, (reuelat matri, & de eo testimonium perhibet.) Non expecto, inquit, tempus nascendi, & nouem mensium tempus mihi non est hic necessarium, quia in me est iam qui æternus est, & naturæ terminos imponit. Egrediar, & rerum admirabilium compendiosam prædicabo cognitionem. Sum signum, significabo Christi aduentum: sum tuba, proferam filij Dei in carne dispensationem; tuba canam, & vterum maternum viuificabo. Auribus percipio quod nascor vox magni verbi; vox clamantis in deserto vteri materni: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. (Ecce ego Iohannes sanctificatus ab vtero, testimonium perhibeo matri, quia hic est filius Dei,) exulto, exilio, & præcurro aduentum eius, & annuncio priorem me esse qui post me venturus est. Hinc Elisabeth Iohannis mater ad Virginem: *Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me?*

S. Chrysost. apud Metaphr.

Iohãnes antequam nascatur dat testimonium de Christo.

Tale igitur fuit testimonium eius ab vtero matris, & tale postquam natus est, & exquo cœpit loqui & clamare. Euangelium, & totum illud primum caput Iohannis talibus ac similibus testimoniis plenum est. Simulatque dixit Euangelista: *Verbum caro factum est, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.* subiungit statim & immediatè; *Iohannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat quem dixi* (etiam ab vtero matris.) *Qui post me venturus est, ante me & prior me erat.* In principio erat verbum, &c. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus; ego præcursor gratiam sanctificationis meæ ab vtero matris. Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius, qui est in sinu patris, verbum apud Deum, & verbum caro factum in sinu virginis matris; ipse vnigenitus enarrauit mihi. Et hoc est testimonium Iohannis, ait Euangelista noster, quando miserunt Iudæi ab Hyerosolymis Sacerdotes & Leuitas ad cũ, vt interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est.

En testimonia eius, audiamus illa; *Non sum ego Christus.* Hinc certè innotescere satis potest præcursoris huius dignitas ac magnitudo, quod pro Messia fuerit habitus, oportueritque vt ipse testaretur de se, quia non erat Christus, & non ipse solùm, sed de illo Euangelista, dicens, quia *non erat ille lux, sed homo missus à Deo, vt testimonium perhiberet de lumine.* Hinc certè multum extollitur; & magna est victoria eius, ait S. Greg. hanc ex Dei comparatione perdidisse. Eo enim maior hic apparet omnibus, quo testimoniis & suis propriis conuincitur Deo minor. *Non sum ego Christus,* In tanta æstimatione serui, dignoscitur dignitas Domini: cuius etiam postea se indignum dicit vt soluat corrigam calceamenti. *Non sum ego Christus.* Quid ergo, inquiunt, Elias es tu? & dixit: *Non sum.* Propheta es tu? & respondit: *Non.*

Testimonia Iohannis de Christo.

Quã magnus iste præcursor fuerit.

S. Gregor. lib. 28. Moral. cap. 1.

O Sancte præcursor, verè neque Elias, neque A Propheta es, quia Elia, & omni Propheta maior es, qui ex ore Domini tui inter natos mulierum maior es. Vtique maior qui est par Angelis, tuba cœli, præco Christi, arcanum patris: & qui, vt S. August. dicit, præcellit cæteros, eminet vniuersis, antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere natus est, inferior est Iohanne: solus ille maior qui natus est de virgine; Iohannes est homo, Christus Deus est.

S. August. Ser. 21. de Sanctis.

Ideo non est Elias, quia illo maior est, cuius & spiritum & virtutem habuit, & plura. Elias clausit cœlum ex zelo vindictæ; & Iohannes aperit ex zelo misericordiæ, pœnitentiam clamat, gratiam promittit. A diebus Iohannis, ait Dominus, violenti rapiunt cœlum: pœnitentiam agite.

B Quid dicam? Patriarchis maior est. Maior Moyse, qui dat quidem in solitudine aquas, sed contradictionis: vnde non est ingressus populus terram promissionis. Iohannes in Iordane & solitudine aquas dat pœnitentiæ, quibus omnes cœlum ingredimur. Sed quid dicam? Etiam maior Abraham patre credentium. Nam si ille credidit, Iohannes autem venit vt omnes crederent per illum; Abraham solùm diem vidit, non faciem, Iohannes autem digito ostendit.

S. Iohannes maior omni homine.

Pergamus, dicamúsque quia etiam maior est Prophetis. Sed quomodo? Interrogatus enim ipse dicit quia Propheta non est; ideo certè, quia plusquàm Propheta est. Est enim Propheta Altissimi: C solus enim est Prophetarum qui ab vtero matris prophetauit, solus qui ex præsentia Messiæ exultauit, vidit, baptizauit, digitóque demonstrauit; denique solus qui missus est à Deo, vt de Christo eius testimonium perhiberet. Vnde tunc interrogatus quid de seipso diceret, respondit: Ego vox clamantis in deserto: Parate viam Domini. Clamat Iohannes, vt significet se non obscurè, aut figuratè, sed verè, palàm & apertè Christum declarare & testari: ideóque missum esse; vnde ter hoc primo capite S. Iohannis refertur ordine testimonium eius. Primum est, de quo iam iuxta interrogata Iudæorum locuti sumus, quando illis respondet; *Non* D *sum ego Christus*; non Elias, non Propheta, ego autem vox clamantis, &c. Et hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, vt notat Euangelista, vbi erat Iohannes baptizans.

Iohannes solus inter Prophetas qui ex vtero, & digito Christũ demõstrauit.

Cur Iohãnes clamat.

Altera autem die, & hoc est secundum testimonium quod sequitur, vidit Iohannes IESVM venientem ad se, & ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic erat de quo dixi: post me venit, qui ante me factus est,* id est, ante me fuit. (*Hic erat* Christum personaliter denotando, ipsum esse quem adhuc in vtero matris declarauit exultando, & postea digito, & voce coram omnibus.) Sed quid enunciauit de illo? *Post me venit, qui ante me fuit, & prior me erat* per vnum significando aduentum eius E in carne; & per alterum ostendendo Deitatem semper existentem. Quod quidem adhuc testimonio Spiritussancti confirmat, quem ait super eum vidisse in columbæ specie, dum baptizaret in aqua, patremque audiuisse dicentem sibi: *Hic est filius meus dilectus,* hic est qui baptizat in Spiritu sancto. *Et ego vidi,* (inquit) *& testimonium perhibui quia hic est filius Dei.*

2. testimoniũ S. Iohannis.

Iterum altera die (tertium testimonium est,) stabat Iohannes, & ex discipulis eius duo, & respiciens IESVM ambulantem dixit; *Ecce Agnus Dei.* Quo audito testimonio ex ore Magistri sui, isti duo discipuli statim IESVM sequuti sunt. Tali siquidem fine venerat ille homo missus à Deo,

3. testimoniũ.

Discipuli Sãcti Iohannis Christum sequuntur.

vt testimonium perhiberet huic veritati, & vt omnes crederent per illum. Hic est finis officiumque huius sanctissimi præcursoris: ideo enim prædicatione sua præcedit eum qui æternus est, & qui etiam post ipsum venturus est, id est, manifestabit semetipsum postea in opere & sermone, signis atque virtutibus. Quo etiam modo præcursor est, & præit prædicando, vt viam præparet prædicationi statim sequuturæ IESV Christi post ipsũ venturi.

S. Chrysost. hom. 2. Ita Chrysost. qui hæc verba, scilicet Christum venturum post Iohannem, interpretatur de manifestatione & prædicatione Christi, quæ subsequuta est prædicationem Iohannis: & qui multo maius nomen verbis suis, atque operibus apud Iudæos adeptus est. Ita vt si omnia consideremus, eò quidem tendere videamus, vt de Christo testimonium reddant. Christus etiam ipse non alio fine venit, neque etiam loquutus est, quàm vt de seipso testimonium daret, ac se manifestaret hominibus. Hic est omnium finis, & ratio propter quam etiam omnes saluabuntur: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* & alibi: *Pater, manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Nunc cognouerunt quia à te exiui, & quia verba quæ dedisti mihi, ipsi acceperunt, & crediderũt quia tu me misisti, ego pro eis rogo, & pro eis ego meipsũ sãctifico.* &c. Clarificatus sum in eis, & de me testimoniũ reddiderunt, *Pater sancte, serua eos in nomine tuo. Volo Pater, vt vbi sum ego, & illi sint mecum. Sanctifica eos in veritate: Pater iuste, mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, & hi cognouerunt quia tu me misisti. Et notũ feci eis nomen tuũ, & notum faciam, vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.*

Christus ipse dat testimonium de se.

Matth. 10. & Luc. 12.

Ioh. 17.

DE PROPRIO TESTIMONIO CHRISTI DE SEIPSO.

Hic venit in testimonium, vt omnes crederent per illum; non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Ioh. 1.

Diuinus Christi præcursor Iohannes connexionem tantam habet cum ineffabili mysterio Incarnationis verbi, vt vix S. Euangelista considerationem ipsius prætermittere possit, iuxta quod talis est missionis eius status, atque muneris obligatio, vt testimonium perhibeat de lumine, hic enim venit, vt omnes crederent per illum. Iam diximus quia sic erat homo in terra, vt in eo lateret Deus: & propterea, ex S. Aug. in Ioh. missus est ante illum magnus homo, per cuius testimoniũ inueniretur plusquã homo (Christus.) Sed quis est iste magnus homo? Baptista & præcursor Iohãnes, de quo; *Hic venit in testimonium, vt omnes crederent per illum.* O qualis & quantus est iste! dicit S. Aug. Magnum certè ex eo aliquid est, ingens eius meritum, gratia magna, magna celsitudo. Hic venit in testimonium, & vt testimonium perhiberet de lumine.

tract. 2. in Ioh.

Non erat quidem ille lux, sed lucerna dans fidem ac testimonium de lumine. Olim coram Arca diu noctúque lucebat candelabrum aureum, & totum templum illuminabat: Ita coram Christo Arca testamenti nostri, die ac nocte illuxit Iohannes, de quo Christus ipse dixit Iudæis; *Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.* Lucerna quidem ardens erat zelo amoris & pœnitentiæ, lucens verò splendore diuinæ lucis ac cognitionis, quo totam Iudæam,

S. Ioh. dicitur lucerna.

Figura. Exod. 28.

Ioh. 5.

A imò orbem illustrauit. Lucerna quidem, de qua & pater sic dixerat per Psalmum: *Paraui lucernam Christo meo*, scilicet hominem qui testimonium perhiberet de lumine; qui præiret ante faciem filij mei, & digito demonstraret. Scitis quoniam si noctu velimus cognoscere aliquem, opus est lucernam accendere. Noctu Christus natus est, & noctu venit in mundum, scilicet absconditus & ignotus, vt viderat & prædixerat Isaias. *In te est Deus, & absque te non est Deus; sed verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator* (IESVS Christus.) Hoc modo Apostolus mysterium Incarnationis vocat mysterium absconditum à sæculis in Deo. Quare igitur lucerna opus erat ad cognoscendum; & ille B est Iohãnes, qui venit ideo vt testimoniũ perhiberet de lumine abscondito in tenebris carnis nostræ.

Ps. 131.

Isa. 45.

Coloss. 1.

Sed quid apertiùs dicat ille Apostolus de hoc mysterio abscondito, audiamus. Cùm in forma Dei esset, inquit, formam serui accepit habitu inuentus vt homo. Quis ergo sub hac forma serui & hominis, Dei formam demonstrabit? Præcursor Ioh. vox verbi, & lucerna lucis, qui illuminat, & clamat dicens; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Ego vox clamantis in deserto: Parate viam Domini.* Et certè inter vocem & lucernam magna conuenientia est. Vox manifestiua est verbi in mente concepti: & Iohannes manifestat verbum patris. Lucerna lucet in nocte & tenebris: & C Iohannes reuelat mundo mysterium absconditum à sæculis. Non mirum igitur si vox & lucerna dicatur. Lucerna quidem, quia *non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* & sic tantùm lux per participationem. Quo sensu apud S. Matth. Dominus; *Vos estis lux mundi*, id est, lux participata à vera & essentiali luce, vt de illa testimonium perhibeatis. Propterea enim illuminati sumus omnes illo diuino lumine, vt simul omnes cum S. Iohanne testimonium perhibeamus de Christo lumine. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (scilicet ex eo quod creditis.) Tenebræ quidem aliquãdo eratis, non in Domino, sed in vobis: D nunc autem lux in Domino, addidit Apostolus, quia creditis. Lux enim est in fide, & testimonio de Christo lumine.

Phi. 2.

Conuenientia inter vocem & lucernã.

Iohãnes lux per participationem.

Matth. 5.

Homines tenebræ sunt in seipsis, in Deo autem lux.

Sic S. Iohannes in se quidẽ lux non erat, sed tenebræ, nunc autem lux fuit in Domino, qui venit vt testimonium perhiberet de illo. Et quidem satis hoc ipse declarauit, cùm bis dixit: *Et ego nesciebam eum*; (ecce tenebræ) *sed qui misit me baptizare, dixit mihi*; (ecce lux in Domino) *Super quem videris Spiritum*, &c. *Et ego vidi, & vt manifestetur, propterea ego veni, & testimonium perhibui quia hic est filius Dei.* Itaque, vt videtis, lux non erat Iohannes nisi in Domino, & in quantum testimonium perhibebat de filio eius IESV Christo.

Ioh. 1.

E Verùm S. Chrysost. quæstionem hic mouet, & petit, quomodo Iohannes in testimonium venerit, cùm dicat Christus se non accipere testimonium ab homine, maiúsque etiam Iohanne habere; videlicet, opera quæ facit, illa esse quæ testimonium perhiberẽt de illo. Quare etiam respondemus, non quidem ideo venisse Iohannem in testimonium, quasi eo Christus indiguerit; sed quia eo indigebant homines, vt crederent Christo: quia ipse & vt Iudæus, & vt sanctissimus, pro teste grauissimo apud Iudæos habebatur & acceptissimo; pro tanto adhuc dicam propheta, vt etiam apud eos Messias crederetur. Quare ipse Christus aduersus illos eius testimonio vtitur, & argumentatur sic. Vos misistis ad Iohãnẽ qui ipsum interrogarẽt; Tu quis es? & testi

Ioh. 5.

Non Christus, sed homines indigebant testimonio Iohannis.

& testimonium perhibuit veritati. Ego autem, inquit Dominus, *non ab homine testimonium accipio.* Quasi diceret: ego qui vt filius patris æterni de meipso testimonium do, non eius testimonio indigeo, sed vos indigetis, vt credatis. Non enim tam propter me venit, quàm propter vos, vt testimonio eius crederetis. Quod etiam statim addidit Euangelista, & coniunxit dicens: *Hic venit in testimonium, vt omnes crederent per illum.* Ita enim lux fuit Iohannes, vt Christo non fuerit, sed nobis, qui propter nos solùm hoc venerat testimonium dare; & agnoscit hoc lumen à lumine, ab eoque quem prædicat, accepisse. *Deum*, inquit, *nemo vidit vnquam, vnigenitus ipse enarrauit nobis.* Quasi diceret: quod de Christo hic dico, ex eiusdem reuelatione dico; neque illud est tam meum, quàm eius testimonium. Ipse est qui enarrauit, ipse qui modò loquitur per me, & testimonium perhibet de se.

Iohannes lumen suũ accipit à Christo.

Et hoc est ipsum hodie, quod quidem ante omnem enarrationem & explicationem huius absconditi mysterij ostendere volumus, scilicet, non alio quàm proprio & sui ipsius testimonio fuisse Christum reuelatum & cognitum hominibus. Idem namque est qui se reuelauit Prophetis, Iohanni, & nobis. Prophetis, qui antè futurum prædixerunt: Iohanni, qui digito præsentem demonstrauit, & voce; nobis, qui iam aduenisse credentes fidem recepimus. Hoc modo dixit Euangelista, quia erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, ab Adam, cui etiam primo hoc mysterium reuelatum est, vsque ad nos, & alios post futuros. Et si omnem, ait S. August. ergo & ipsum Iohannem, ipse enim eum illuminabat à quo se demonstrari volebat. Vnde non erat lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. *Qui est in sinu patris enarrauit nobis*; vt etiam protestetur his verbis Baptista cum Euangelista, quia hoc mysterium non potuit vnquam prædicari, agnosci & recipi, nisi in fide, authoritate, & reuelatione ipsiusmet luminis & veritatis æternæ reuelantis, quæ nec falli, nec fallere potest; & sine qua ad abscondita in Deo ferri animus non potest.

Propriũ Christus est qui testimonium dat de se.

S. Aug. tract. 2. in Iohan.

Et quæso, quis Plato, quis Aristoteles, quis Porphyrius, quis Trismegistus, dicam, quis Moyses, quis Paulus, aut alius Apostolus, imò quis Iohannes & Baptista, aut quis alius sanctior illo potuisset enarrare ista; *Misit Deus filium suum in mundum. In principio erat verbum, & verbum caro factum est. Ego & pater vnum sumus*, &c. *Qui videt me, videt & patrem. Ego in patre, & pater in me. Pater in me manens ipse facit opera*, &c. nisi ipsemet enarrasset qui est in sinu Patris? Et quis sic Paulum docuit dicentem; Christus IESVS cùm in forma Dei esset, formam serui accepit, nisi Christus ipse in Patre & in carne absconditus? In te est Deus, sed verè tu es Deus absconditus, Deus Israël & Saluator.

Nemo absque reuelatione, & fide Christũ potuit cognoscere.
Ioh. 3.
Ioh. 1.
Ioh. 14.
Phil. 2.

Hinc certè idem Apostolus ad Hebr. dixit, quia cùm olim multis modis Deus locutus fuisset patribus in Prophetis, nouissimè tandem loquutus est nobis in filio, per quem fecit sæcula; quia non alius quàm ipse potuisset nobis hæc enarrare consilia. Et certè eodem prorsus modo per reuelationem eius dixerunt omnes Prophetæ qui de eo vaticinati sunt, & Patriarchæ similiter qui diem Domini & faciem vidisse gloriati sunt: vt Abraham, Iacob, Moyses, Isaias, & quamplures alij. Christus ipse sic de Abraham dixit: *Abraham vidit diem meum, & gauisus est*; fide vidit, *credidit enim Deo*, ait Apostolus, scilicet in Christum venturum, *& reputatum est illi ad iustitiam.*

Heb. 1.
Christus seipsum reuelauit omnibus.
Abrahamo. Ioh. 8.

Sic in figura & mysterio Patriarchæ Iacob reuelatum fuit post luctam eius cum Angelo, & acceptam benedictionem; tunc enim dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Quomodo vidit? In claudicatione pedis; sic enim reuelatum ei fuit humanitatem in Christo priuatum iri sua subsistentia, & quod in diuinitate subsisteret. Vnde ait: *Vidi Dominum, & salua facta est anima mea*, id est, per fidem vidi esse Saluatorem, Messiam, & Christum, & credidi in eum.

Iacob reuelatus est, & quomodo. Gen. 32.

Ita de Isaia Propheta. *Vidi* (inquit) *Dominum in throno altissimo sedentem.* Quis ille, nisi Christus, & ille singularis homo & Dominus in diuinitate vt in throno subsistens? Heb. 1. Pater ad filium; *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi*, id est, in æternum. Quare & ipse Isaias tanta de Christo & Messia postea prophetauit, & quasi solus inter omnes omnia, quæ de illo erant, prædixit.

Item Isaia. Isa. 6.
Heb 1.

Sed & Moyses legislator similiter in rubo per reuelationem vidit, quando scilicet in flamma ignis Deus ei apparuit de medio spinarum, & hoc mysterium ei reuelauit; statim enim Deo dixit, qui eum ad Pharaonem mittebat: *Mitte Domine quem missurus es*; Messiam mitte. *Quis enim sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto? Non sum ego eloquens. Obsecro Domine, mitte quem missurus es*, mitte verbum tuum, mitte Christum, mitte desideratum cunctis gentibus, mitte expectatum à tot sæculis. Mitte denique verbum tuum carnem factum, mitte qui descendat & liberet populum suum.

Item Moysi. Exod. 3.

Et certè constat satis, tunc Moysem ab ipso verbo incarnando, agnouisse hoc mysterium incarnationis, eique fuisse reuelatum per visionem in præsentem. Quid videt? De medio rubi Dominum in flamma ignis, flammam & ignem cum rubo & spinis, sic Dominũ videt. Et quid quæso istud erat, nisi quædam figura, & reuelatio mysterij absconditi diuinitatis in humanitate, & humanitatis in diuinitate, istius admirabilis compositi, Dei & hominis, istius denique admirandæ & prodigiosæ vnionis, quæ facta est inter splendorem ac ignem Deitatis, & spinas nostræ carnis? Sic enim naturam nostram Christus assumpsit, ait Apostolus, vt in similitudinem carnis peccati eam assumpserit, scilicet mortalem & capacem passionis. Vnde Moyses ex reuelatione in admirationem raptus dixit: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam*; abscondénsque faciem suam, nec audens aspicere contra Deum, clamat; *Mitte Domine quem missurus es.*

Figura Incarnationis in rubo ardenti.

Ecce ergo quibus & quàm antiquis signis ac testimoniis seipsum Christus reuelauit nobis, ante & post aduentum ipsius, figuris, veritate, & verbis. In cœlo Angelis, quibus absque reuelatione manebat semper incognitus, ex 1. Cor. 2. vbi Paulus Incarnationem vocat sapientiam Dei in mysterio absconditam, & alibi, inuestigabiles Christi diuitias. Denique in terra se hominibus reuelauit, quousque nouissimè ipsemet loquutus est nobis in carne, atque de se testimonium perhibuit signis & virtutibus, vt iam, si verbis non credamus, operibus ipsis credamus: hæc enim sunt, inquit, quæ testimonium perhibent de me. Et nos similiter perhibebimus, si quod fide credimus & verbis, opere demonstremus.

1. Cor. 2.
Eph. 3.

DE

DE CHRISTO, SEV de notitia Incarnationis, quæ est vera lux mundi.

Erat lux vera. Iohan. 1.

COGNITIO Christi vita æterna est. Subleuatis oculis, *hæc est* (ait) *vita æterna, vt cognoscãt te solum verum Deum, & quem misisti* IESVM *Christum.* Omnia vita sunt in filio Dei: ipse vita est, Incarnatio eius vita est, & illa adhuc iter ad vitam æternam. De Christo loquuturus imprimis exopto, vt omnes sciant cum S. Paulo, quia sermo noster & prædicatio non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; neque enim hoc intendo: sed in ostensione Spiritus, & virtute Dei. Loquimur enim, ex eodem Apostolo, sapientiam inter perfectos, sapientiam non huius sæculi, sed Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, id est, Christum sapientiam Dei in mysterio absconditam, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram. En quomodo hac diuina serie verborum innotescit, & appellatur Christus. Quomodo ad Coloss. dicitur: *Mysterium quod absconditum fuit à sæculis & generationibus; nunc autem manifestatum est Sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ sacramenti huius, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, quem nos annunciamus.*

Ioh. 17.

Omnia quæ Christi sunt, vita sunt.

1. Cor. 2.

Coloss. 1.

Ecce absconditum, & ecce reuelatum. Sed adhuc lumine opus est; aliàs semper remanebit nobis in sua reuelatione absconditum. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, Christus ipse est qui lux vera est. Sic Moyses videbatur postulare, cui munus datum à Deo, & præceptum de educendo populo. Cùm enim ille reuerteretur in castra, postquam sic ad eum loquutus fuisset Dominus, sicut solet loqui homo ad amicum suum: statim dixit ad eum. Præcipis vt educam populum istum, & non indicas mihi quem missurus es mecum, præsertim cùm dixeris mihi, quia inueni gratiam coram te: si ita est, *ostende mihi faciem tuam, vt sciam te*; id est, reuela mihi Christum, qui est facies tua & splendor, veniat ille, & videam eum, illucescat lux vera, præcedat populum suum, & liberet eum in sua virtute & sapientia. Cui Dominus: *Et facies mea præcedet te, & verbum istud quod locutus es, faciam.* Interim *faciem meam videre non poteris: posteriora autem mea videbis.*

Reuelatio Incarnationis ad lucem ipsam spectabat, quæ Christus est.

Exod. 33.

Hæc omnia verba sensu plena sunt. *Facies mea præcedet te*, Deus ait, id est, in virtute Christi filij mei educam populum, & sic quod locutus es, faciam: verumtamen hic meus filius, & verbum nondum manifestabitur orbi caro factum: nondum subiacebit oculis, nondum in carne Christum meum videbis, quia nondum est tempus eius. Posteriora autem mea videbis, id est, in posterioribus sæculis, scilicet vbi venerit plenitudo temporis, mittam eum natum ex virgine, indutum carne, factumque sub lege, vt eos redimat qui sunt sub lege.

Notanda explicatio.

Per posteriora Dei intelligitur Incarnatio.

Sic S. August. lib. de diuina essentia, vbi ait, per posteriora filij Dei intelligi & accipi Incarnationem ipsius, quæ extremo quidem tempore ob redemptionem generis humani facta est. De qua, inquit, posteriori parte filius ad Moysem in monte Sinai per Angelum ait; Posteriora mea videbis,

S. Aug. lib. de diui. essentia. to. 1.

A faciem autem meam videre non poteris, id est, Incarnationem meam videbis, Diuinitatem meam videre non poteris. hæc Aug.

Lux æterna tenebras inhabitat, & non nisi in carne Diuinitas relucet, à qua omne lumen nostrum recipimus. Christus est. *Erat lux vera*: ipse est qui dicens de tenebris lumen splendescere, per fidem illuxit in cordibus nostris, vt credamus, quod nec comprehendere, nec loqui possumus. Itaque dum lucem hodie habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris* (ait Dominus IESVS.) *Erat lux vera*, &c.

Ante aduentum verbi in mundum fateor quasdam fuisse lucis species. Vna fuit qua gloriabantur Philosophi, scilicet naturalis: & hæc vana erat, B sicut dicit Paul. *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, euanuerunt*, &c. Altera, in qua gloriati sunt Iudæi ex doctrina legis, & illa in vmbris & figuris erat, adhuc tenebrosa; habet enim vmbram lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem, id est, veritatem. Alia quædam est participata, & vera, qualis est Angelorum & Sanctorum: vera quidem, quia in præsentia & manifestatione est, sed participata, quia per dependentiam est, & non per essentiam. Hinc est quod tantùm per essentiam vnica est, quæ Christus est: de quo nunc dicitur; *Erat lux vera.* Vera, quia non vana: vera, quia non figurata aut obscura: vera, quia non participata: sed vera, quia essentialis est, & æterna, aut C per essentiam lux; lux se diffundens per se, & omnem hominem illuminans. Ad hanc itaque lucem vt illuminemur, nobis est accedendum.

Rom. 1.

Diuersæ species lucis.

Solus Christus lux vera.

Docet Philosophus quod sagittarius non potest rectè sagittam dirigere, nisi signum præuideat & agnoscat. Ita nos ad finem nostrum tendere non possumus, nisi illuminemur, & hunc finem seu scopum vitæ nostræ cognoscamus. Quis autem ille est, nisi Christus? qui omnia nobis est, via, veritas, seu lux, & vita. Via est vt homo, lux vt Deus, vita & omnia, vt Christus, homo-Deus. Igitur hunc agnoscere est necesse, si de fine nostro, & via ad eum velimus perfectè illuminari. *Erat lux* D *vera*, &c.

Ethic. 1.

Christus debet esse scopus nostræ cognitionis.

Interim imperscrutabile est illud mysterium, neque exponimus modò vt comprehendatur, sed vt credatur & adoretur. Itaque vt possumus, ex Scriptura, doctrina Ecclesiæ, & mente Theologorum, quid sit explicabimus. Quid sit, inquam, Incarnatio, quod verbum caro factum sit, & Deus sit homo.

Primò igitur Scriptura docet, Incarnationem assumptionem esse humanæ naturæ à verbo diuino in vnitatem personæ. Hoc modo intelligendus Apostolus dicens; Christus cùm in forma Dei esset, formam serui accepit in similitudinem hominum E factus, &c. Item illud Hebr. 2. vbi dicitur, semen Abrahæ apprehendit, id est, naturam hominis. Hoc modo denique illud Iohannis explicatur; Verbum caro factum est. Non quod verbum in carnem sit mutatum, aut ipsum sit caro, sed quod idem semper manens & Deus & verbum, sibi verè assumpsit carnem nostram.

Quid sit Incarnatio,

1. Ex Scriptura.

Phil. 2.

Heb. 2.

Ioh. 1.

Talisque secundò est doctrina Ecclesiæ: scilicet quod Dei filius permanens quod in æternitate erat, in tempore factus est homo, quod antè non erat, seruata vnitate personæ, & naturarum distinctione absque confusione. Ita S. Athan. in suo Symbolo fidei, vbi ait. Est ergo fides recta, vt credamus quia Dominus noster IESVS Christus filius Dei, Deus & homo est, qui licet Deus sit & homo,

2. Ex doctrina Ecclesiæ.

Symbolum S. Athan.

& homo, non duo tamen, sed vnus est Christus; vnus non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum; vnus vnitate personæ, non confusione substantiæ. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo (hæc similitudinis comparatio in vnitate personæ est:) Ita Deus & homo vnus est Christus. Meliùs certè explicari non poterat; vnde post ait. Hæc est fides Catholica, id est, totius Ecclesiæ doctrina, quam nisi quisque firmiter crediderit, saluus esse non poterit.

3. *Ex mente Theologorũ.* Magist. Sēt. in 3. dist. 1. Quare tertiò post Scripturam, & Ecclesiæ doctrinam, ad mentem Theologorum veniamus. Dicunt omnes cum Magistro Sent. quod Incarnatio vnio est naturæ humanæ ad personam Christi. Ita vt verbum incarnari non sit pati, sed terminare dependentiam naturæ assumptæ, quæ in diuinitate subsistit & persona verbi. Clariùs, si fieri potest; Incarnatio propriè, seu incarnari, est actio illa qua verbum diuinum naturam humanam assumpsit in vnitatem suppositi & personæ. Talis (inquã) actio, Incarnatio dicitur, quæ si actiuè sumatur, toti Trinitati attribuitur quæ illam operata est: si autem passiuè, vt hîc consideratur, soli verbo; non quod per illam patiatur, vt iam diximus, sed quia sola eius persona hanc humanam naturam assumpsit, terminauitque absque patre & Spiritu sancto, licet ab vtroque inseparata sit.

Exemplum, & explicatio. Demus exemplum, licet difficile & improportionatum. In igne, qui est substantia, videmus semper inesse claritatem cum calore, nec vnquam vtrumque ab igne separari: è contrà videmus plerumque claritatem separari à calore, & calorem à claritate, vt in ferro calefacto sentitur calor, & claritas non videtur. Similiter in candela accensa, à longè claritatem quidem videbis, & calorem non senties. Interim neutrum ab igne separari potest, nec calor, nec claritas. Ita de Incarnatione dico, scilicet quod filius seu verbum, vt persona realiter à patre & Spiritu sancto distincta, ita absque patre & Spiritu sancto carnem assumpsit; nec ab vtroque tamen propterea recessit, aut diuinam substantiam, quæ in tribus vna est & indiuisibilis, separauit: vnde homo factus in vnitate eiusdem personæ, & sine naturarum confusione, idem semper Deus remansit cum patre & Spiritu sancto. Et quidem hinc ait: *Ego sum in patre, & pater in me est. Ego & pater vnum sumus.* & iterum: *Mittam vobis Spiritum à patre.* Distinctio personarum est, & manet semper in vnitate essentiæ, ratione cuius vna persona carnem assumens non recessit à duabus: & similiter singularitate vnius personæ, vnus Christus remansit Deus & homo.

Ioh. 10.

Ioh. 15.

Explicatur mysterium in scala Iacob. Sanctum illum Patriarcham Iacob non latuit hoc mysterium in illa visione scalæ, quam habuit dum requiesceret, stantis ex vna parte super terram, & ex altera superiori cœlum tangentis: in qua & Angelos vidit per eam descendentes, & ascendentes, Dominumque etiam innixum cacumini, & dicentem sibi; *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui,* &c. Hæc equidem scala optimè vnionem naturarum in Christo significat; ex duobus enim coniungitur lateribus, & ita Christum significat vnum suppositum in duabus vnitis naturis, diuina & humana.

Gen. 28. *Quid intelligitur per scalam in se.*

Rursus eadem scala erat quæ super terram stabat, & cœlum tangebat: & ita adhuc in eodem Christo & supposito Deus homini coniungitur.

Quid per pedem scalæ. Per pedem scalæ tangentis terram, designatur humanitas; iuxta quam conuenit Christus cum

A hominibus, in natura: sed absque peccato.

Quid per cacumen. Per cacumen verò ipsius cœlum tangentis, denotatur Diuinitas, in qua cum Deo conuenit & est idem Deus: ita vt hoc modo agnoscatur vnus mediator Dei & hominum.

Quid per gradus. Matth. 1. Per gradus scalæ significatur ordo & series generationis Christi secundum carnem, ab Abrahàm, cui primo promissio facta est, vsque ad virginem, de qua ille natus est.

Quid per Angelos descendentes. Per Angelos descendentes intelligitur, quod hoc mysterium ex voluntate Dei reuelatum fuit hominibus. Primò Patriarchis: secundò Prophetis: tertiò Apostolis, & cæteris noui testamenti & Ecclesiæ ministris.

B *Quid per ascendentes.* Per illos verò ascendẽtes intelligitur, quod exquo incarnatus est & descendit in terram, iam nostra conuersatio in cœlis est, & quæ sursum sunt, sapere & quærere debemus, nõ quæ super terram.

Quid per Dominum innixum scalæ. Ioh. 14. Ioh. 10. Quod autem dicatur quod Dominus erat innixus scalæ, ostenditur quia extra ipsum non est salus, & sine eo nemo peruenire potest ad patrem, vt ipse dixit aliquando: *Nemo venit ad patrem nisi per me.* Ego sum scala & ostium, per me si quis ascenderit, & introierit, saluabitur. Denique quia ipse solus est in quem pater aspicit, in quo sibi bene complacet, & in quo omni benedictione spirituali nos benedicit, qui est via nostra ad patrem, lux nostra, & vita, & Deus benedictus in sæcula.

C

CONTINVATIO.

DE NECESSITATE Incarnationis.

Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem, &c. Ioh 1.

Siqua lux diuinitatis relucet in aliquo, maximè & singulariter in Christo, in quo plenitudo eius corporaliter inhabitat. *Erat lux vera,* Christus

D erat, lux *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; lux diuinitatis, quæ in nebula humanitatis mundo illuxit, sub hac enim forma & caligine nobis se visibilem præbuit.

Figura aduentus Christi in carne. 1. A principio mundi & peccati hominis, sub tali forma humana & visibili venturum Deum legimus, vbi simulatque offendit Adam, vadit ad eum Deus deambulans, & clamans, Adam vbi es? Et ille abscondit se à facie eius & clamore. Ideo certè quia tunc se visibilem Deus Adamo præbuerat; non enim deambulasse dicimus quod inuisibile est. Hoc igitur tunc factum est, vt quasi per figuram ostenderetur quia Deus in plenitudine temporum venturus erat in forma visibili & humana,

Gen. 3.

E ad quærendum hominem qui perierat, vt ipse dixit: *Venit filius hominis quærere quod perierat.* Item multis in locis Exod. in exitu filiorum Israël de Ægypto, vbi legitur quod Deus præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore. *Erat lux vera.*

Matth. 19. *Secunda figura.* Exod. 13.

Quidnam autem erant, quæso, eiusdem columnæ ignis & nubis, in quibus erat Deus dux itineris, nisi signa quædam visibilia diuinæ præsentiæ? quibusque se eo modo visibilem Deus reddebat hominibus, qui alioquin propter suam substantiam oculis mortalium apparere non potest; non enim videbit me homo, & viuet: & consequenter signa

Exo. 33.

signa quibus ita venturum se demonstrabat tempore plenitudinis, & gratiæ sub visibili forma Incarnationis; vt adhuc sub pari figura dixit ad Moysem, & quidem promissione huiusce futuræ Incarnationis: Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, (id est, humanitatis.)

Exo. 19.

Moyses figura tertia visibilis aduentus Christi.

Vnde tādem accidit, vt Moyses ipse filiis Israël, & nobis huiusce aduentus visibilis filij Dei expressissima figura fuerit. Imprimis Moyses interpretatur (assumptus de aquis.) De eodē autē refertur, quod cùm descenderet de monte Sinai tenens duas tabulas, facies eius resplenduit ex consortio sermonis Domini. Quare posuit velamen super faciem suam, vt loqueretur populo cuncta quæ audierat à Domino. Nec enim aliter intendere poterant filij Isaël in faciem eius, nisi per velamen, vt confirmat Apostolus 2. Cor. 3. & ille operiebat se si quando loquebatur ad eos. Ita dico de Christo, qui descendens de monte cœli liberaturus populum, vt alter Moyses, assumptus est de aquis, id est, de hominibus in similitudinem carnis peccati, vt verus noster legislator, dux & redemptor veniens ad dandā legem libertatis & vitæ, tenénsque tabulas testimonij & fœderis, ad reuelanda nobis arcana quæ audiuit à patre; verùm plusquàm Moyses gloria & majestate resplendens, non solum ex consortio sermonis & cōsilij Dei patris, sed etiam ex forma diuinitatis, non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo. Videri à nobis non potuit, aut etiam nobis loqui, nisi per velamen nostræ carnis: proptereaque dicit Apostolus, *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*, & Moysis, *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Sicque vt loqueretur nobis, aut etiam videretur, operuit faciem suam, & super gloriam diuinæ Majestatis posuit velamen nostræ humanitatis. Hoc modo dicebat Dominus per Malachiam: *Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol Iustitiæ.* Sol iste Christus est, qui mundo ad iustitiam nostram ortus est.

Exod. 34.

2. Cor. 3.

Phil. 2.

Malac. 3.

Christus Sol appellatur, & quomodo ei comparatur.

Sed adhuc hic bene omnia comparate. Sol in suo orbe videri non potest, præ nimia claritate eius, nube aliqua opus est, aut exiguo aliquo velamine vaporis. Ita Christus lux vera, & Sol Iustitiæ inuisibilis quidem est sua claritate oculis nostris, sed visibilis factus est vapore nostræ carnis, & nube humanitatis. Sicque Sol gratiæ & iustitiæ ortus est nobis; *Erat lux vera quæ omnem hominem illuminat.* Et certè optimè Christus Sol dicitur, qui est fons omnis luminis, & per essentiam lux.

Triplex proprietas Solis.

Comparatur autem adhuc Soli propter triplicem proprietatem quam habet, scilicet illuminationem in radio ex reuerberatione; calorem in illuminatione, & in situatione medium. Est enim Sol in medio planetarum, habens tres infra se, Lunam, Mercurium, & Venerem; supra verò tres alios, Martem, Iouem, & Saturnum. Ita vt omnibus lumen suum communicet. Hincque tantopere admiratur ipsum Sapiens dicens: *Sol illuminans per omnia respexit, & gloria Domini plenum est opus eius.* Sic igitur de Christo dicimus fonte & corpore omnis lucis, & gratiæ, cuiusque est omnem hominem illuminare. Propter hęc tria comparatur Soli.

Eccli. 42.

Comparatur Soli propter tria.

1. Primò, ob situationem medij, quatenus Christus est, & Deus-homo, verè est Sol Iustitiæ, mediator Dei & hominum, &c. Sed in medio planetarum est, Angelorum & hominum; quà enim homo, paulò minor factus est Angelis; & quà Deus, infinitè excelsior est hominibus, & omnibus creaturis. Denique quà Deus-homo, id est, Christus, Sol

A est inter Angelos & homines, vt lux illuminans omnes: nulla enim est lux in Angelis nisi ab ista luce dependens, & nulla in hominibus pariter quæ non sit participata ab illa. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Ecce equidem vnde conueniens & necessarium erat, vt fieret Deus-homo, luxque nostra: alioquin in tenebris semper fuissemus. Sicut enim cùm Sol abest, tenebræ sunt, & nox tunc adest, ita vt tunc nihil videre possimus: è contrà cùm Sol oritur, dies appropinquat, & lux se diffundit, in qua omnia distinctè secernuntur. Ita fecit Christus lux vera & Iustitiæ Sol, cùm apparuit mundo, diem attulit, tenebras dispulit; suique prædicatione Euan-

B gelij illuminauit mentes hominum, vt abiectis tenebrarum operibus, veritatis opera ac lucis sectarentur.

Quare tantopere omnes Prophetæ Christū postulabant.

Et certè hinc ratio est, cur tantopere omnes Patriarchæ, & Prophetæ aduentum Domini & Messiæ expectabant, scilicet, quia ante Christum sub nube, sub vmbris, & in nocte omnes erant; ideóque lucem expetebant, & Christum venturum, in quo veritatem aspecturi erant occultam in vmbris. Hinc ipse Christus dixit de Abraham, quod quia viderat diem suum, gauisus est. Et Isaias Hierusalem de die illo gratulatur dicens: *Illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, & ambulabunt gentes in lumine*

Ioh. 8.

Isa. 54.

C *tuo*, (quod est Christus.) *Erat lux vera quæ illuminat*, &c.

2. Et hæc iterum ratio cur secundò Soli comparatur Christus, quia scilicet ad eum pertinet illuminare omnes. In hoc Sol verus est, & præter ipsum, alius non est. *Erat lux vera* (inquit S. Ioh.) *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Lux vera quæ omni lumine illuminat, naturæ & rationis: gratiæ & fidei: reuelationis & gloriæ. Primò itaque omnem hominem illuminat lumine naturali seu rationis, iuxta quod intelligentia præditi sumus. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Item omnem hominem lumine fidei seu gratiæ, scilicet, quicūque illumi-

Christus fons omnis luminis, naturæ, gratiæ & gloriæ.

D natus est. Vel secundum glossam, omnem hominem qui verè homo est, & non animalis homo; homo enim cùm in honore esset non intellexit. Vel, omnem hominem distributiuè pro generibus singulorum, scilicet viros, mulieres, senes, iuuenes, nobiles, ignobiles, doctos, idiotas. Vel, omnem hominem, quoad sufficientiam, quomodo Paulus dixit; *Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Denique omnem hominem, qui ad eum fideliter accedit: sicut Sol eos illuminat qui se radiis eius exponunt, & fenestras non claudunt. Sic itaque Christus venit vera lux & Sol Iustitiæ in mundum, vt illuminet. Quare modò si in tenebris nonnulli remaneant, hoc non est defectu lu-

Glossa.

1. Tim. 2.

Non est defectus lucis, nisi eorū respectu qui lucē respiciunt.

E cis, quæ ex se illuminat; sed eorum culpa qui tenebras amant, quærunt, nec ad lucem accedere volunt. *Omnis qui malè agit* (dixit Dominus) *odit lucem, & non venit ad lucem.*

Propterea Albertus Magnus dicit sic se habere hominum corda ad lucem Christi, quomodo videmus diuersimodè corpora recipere lumen Solis. Tribus modis (inquit) & valde contrariis corpora lumen Solis recipiunt. Quædam enim sunt per se ita coniuncta tenebris, vt non recipiant lucem nisi ad manifestationem suæ turpitudinis: qualia sunt quæ nigra sunt & opaca, veluti est terra, stercus, Æthiops, &c. Quædam verò alia sunt, quæ non nisi ad exteriorem & solùm apparentē pulchritudinem

Albert. Magnus in 1. Iohannis.

recipiunt,

recipiunt; intus autem sordida sunt: vt est Iris qui in aëre est, lumen quidem Solis recipit, sed tantùm ad pulchritudinem exteriorem: intus enim est nubes densissima & nigra. Alia verò sunt, quæ intus, & secundum veritatem lumen recipiunt, vnde postea interiùs, exteriúsque resplendescunt: qualia sunt corpora diaphana & transparentia, vt crystallum, gemmæ, lapidesque pretiosi, ita vt ex se videantur esse veluti quædam vasa lucis. Sic Albert. ille Magnus. Et certè talis similitudo conuenientissima est, suoque authore digna.

Quomodo corpora diuersè lumen Solis recipiũt: ita homines lumen veritatis.

Ioh. 3.

Iob. 24.

Quidam homines inueniuntur ita mente cæcati, & denigrati operibus malis, ita conuersantes in tenebris, vt non recipiant veritatem & lucem, nisi vt eorum turpitudo appareat; *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem, erant enim eorum opera mala.* Et Iob similiter, *ipsi fuerunt rebelles lumini, & ignorauerunt vias suas*, (cùm tamen luceat omnibus.) Alij sunt, qui exteriùs tantùm lumen recipiunt, gestus suos componunt, & quamdam decentiæ vanæ & exterioris venustatem affectant, sed interiori deuotione carent, habentes quidem, vt ait Scriptura, speciem virtutis, & non veritatem. Fallax gratia, & vana est hæc pulchritudo. Anima timens Deum ipsa laudabitur; date ei de fructu manuum suarum.

Prou. vlt.

Quinã sunt qui verè illuminantur à Christo.

Tertiò inueniuntur qui hanc lucem concipiunt ad interiorem deuotionem, & velut luminaria magna relucent per eam sicut in cœlo, & in terra; lapides sunt pretiosi, & verè vasa gratiæ & lucis: qui denique quod intus latet operibus demonstrant.

Exod. 34.

Matth. 16.

Ioh. 6.

Matth. 17.

Matt. 26. & Ioh. 13.

Ioh. vlt.

Iohan. 11. & 20.

Rom. 8.

1. Cor. 16.

Sic legitur de Moyse figura huius veritatis, quod dum respiceret in eum Dominus, splendida facta est facies eius. Sic ex aspectu Christi resplenduerunt Apostoli. Sic Petrus, qui totus illuminatus & accensus dicebat; *Tu es Christus filius Dei viui, & ad quem ibimus,* nisi ad te? *Verba vitæ æternæ habes. Domine, bonum est nos hic esse. Domine, etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, (tunc certè dicebat talia ex feruore charitatis,) quò vsque tandem ipsum Christum testem reddat sui ardentissimi amoris, cùm interrogatus ter ab illo, num ipsum diligeret, ter etiam respondit; *Domine, tu scis, etiam Domine, tu scis quia amo te.* Sic S. Thomas ardebat & lucebat dicens: *Eamus & nos, vt moriamur cum illo.* Et postquam Dominũ suum tetigit qui resurrexerat; *Deus meus & Dominus meus.* Sic Paulus in sua luce ardebat, qui dicebat: *Quis nos separabit à charitate Christi?* vt etiam Anathema pronuntiet iis qui non amant Dominum Iesvm. Sic denique noster S. Euangelista Iohannes & tonitrui filius, discipulusque quem diligebat Iesvs, qui vt totus illo plenus, etiam in Euangelio & Epistolis non nisi de hac luce & vita loquitur.

Tertium & vltimum.

Ex his certè adhuc constat satis, quare tertiò Christus Soli comparatur propter calorem, qui ex illuminatione eius resultat per reuerberationẽ. Similiter enim in Christo se res habet, ex notitia cuius resultat feruor charitatis in iis qui appropinquant ad eum. Accedamus igitur. Sed vnum etiam consideremus, quia multi sunt in lumine, & tamen in lumine non ambulant. In lumine autem ambulant, qui quod per lumen Christi cognouerunt, vita & moribus exprimunt, & secundum Euangelium viuunt: sic enim Christus est lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & erit semper.

Qui dicitur in luce ambulare.

A

DE PRÆDICATIONE,

& aliis in mundo Christi operibus.

In mundo erat. Iohan. 1.

Christus fuit in mũdo dupliciter.

Alber. Mag. in 1. Iohan.

Hic sanctissimus Euãgelista loci circunstantiã notare voluit, in quo Christus omnes suas diuinas actiones exercuit. *In mundo erat*, inquit. Ecce locus. Albert. Mag. in 1. cap. Ioh. explicat in mundo fuisse dupliciter, inuisibiliter & visibiliter. Primo modo ab initio creationis mundi, in eo fuit vt Deus per essentiam, potentiam, & præsentiam, & in eo quod, vt ipse interpretatur ex S. Aug. per omnia opera sua significationis suæ sparsit indicia.

B

Glossa.

Doctissimus Lyranus, seu glossa conformiter explicat dicens. In mundo erat, non vt pars eius, sed vt factor, omnibus creaturis infusus, & vt regens quas fecit creaturas. Alio adhuc modo antequam venisset in carne, iam in mundo erat in expectatione & prædicatione Prophetarum.

Ioh. 16.

Secundo modo dicitur quod in mundo visibiliter erat, scilicet quando incarnatus est, & nascendo secundum carnem mundo visibilis factus est, quomodo dicebat: *Exiui à patre, & veni in mundum*, non quidem locum mutando, sed carnem assumendo, in qua in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Sic ergo visibiliter in mundo erat.

C

Maldonat. in Iohan.

Maldonat. Interpres doctissimus ista verba explicans, simul etiam hæc tria inter se comparat. *In principio erat verbum, in propria venit, &, in mundo erat*; in illisque tribus simul non contemnendum notat sensum. Per primum, inquit, denotatur verbi æternitas. *In principio erat.* Per secũdum, eius aduentus in mundum. *In propria venit.* Et per tertium, conuersatio ipsius in mundo & exercitium. *In mundo erat.* Dicit itaque, hoc per anticipationem dictum fuisse, videlicet, *in mundo erat*, antequam diceret, *in propria venit*.

Quid per illa verba significatur, in mũdo erat.

D

Christi opera.

Ps. 34.

Licet enim hæc duo ferè eumdem sensum retineant, tamen plura intelliguntur sub illis verbis, *in mundo erat*, quàm sub illis, *in propria venit*. quibus præcisè tantùm significari videtur ipsius aduentus in mundum, qui quidem præcedere debet. Per illa autem verba, *in mundo erat*, intelligitur propriè, ex mente huius Interpretis, conuersatio Christi in mundo, & generalitas actionũ, quas in eo fecit: vt sunt, prædicatio, miracula, opera, & similia. Hoc enim modo, *in mundo erat*, salutem nostrã operans: *in mundo erat*, ipsum liberaturus à peccato; sub qua ratione etiam expectabatur & petebatur à Prophetis. Exurge Domine, in adiutoriũ mihi, apprehende arma & scutũ. Scutum & arma ad defensionem nostram, humanitas Christi sunt. Scutum certè caro eius est, in qua pro nobis omnes tormentorum ictus suscepit, arma contra peccata & omnes spirituales nequitias.

E

Exod. 4. & 3.

Filius Dei in mũdum venit, non per mutationem loci, sed per assumptionẽ carnis.

Hoc certè sensu dixerat Moyses ad Dominum; *Mitte quem missurus es*, (sc. ad saluandũ populũ tuũ,) ex quo apparuisset illi in rubo ardente, & dixisset ei: *Vidi afflictionẽ populi mei qui est in Ægypto*, (domo seruitutis) *& clamorem eius audiui, & descendi vt liberem eum.* (Descendi non quidem per mutationem loci, sed per assumptionem carnis.)

En igitur modus, quo in mundo erat, liberaturus sc. homines à peccato, & daturus eis remissionem & gratiam. Hæc autem bona sunt, quæ in mũdo & facturus, & daturus erat. Bona quidem, non temporalia & caduca; sed spiritualia & æterna.

M Hæc

Tria bona mundo collata per Christum.

Hæc autem bona præsertim tria sunt, salutis doctrina per prædicationem Euangelij; peccatorum remissio per institutionem Sacramẽtorum, & eorum vsum; & gloriæ æternitas in dono gratiæ.

1. Deut. 18. De primo illo bono, quod Euangelica lex est, & per Christum data, sic loquitur Deus Moysi dicens; *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi.* Certè hic propheta promissus, & Moysi similis, Christus est, qui vt ille legem erat promulgaturus, sed nouam, & meliorem; & suscitandus de medio fratrum suorum (filiorum Israël) quia de Abraham, ex promissione, debebat nasci. Præterea in eo posuit Deus pater omnia verba sua, & per ipsum locutus est nobis, vt dicit Apostolus: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in filio*; scilicet sub velamento nostræ carnis & specie hominis, quia aliter diuinæ vocis vim non poterat tolerare homo. Sed quid nobis locutus est? Omnia quæ præceperat ei pater; *Quæcunque* (inquit) *audiui a patre meo, nota feci vobis. Sermo* enim, vt alibi dicit, *quem audistis non est meus, sed eius qui misit me patris, hæc locutus sum vobis apud vos manens.* In mundo erat, in mundo vt alter Moyses, sed excellentior legislator, vt nobis hanc legem salutis daret.

Christus per legem Euangelij comparatur Moysi. Heb. 1. Ioh. 15. etiam 14.

In quinque differt Euangeliũ, seu lex Christi à lege Moysis.

Propterea multum differt illa à lege Moysis: Euangelium à tabulis legis, maximè autem in quatuor aut quinque. Primò, vetus lex non habebat nisi signũ & significationem Redemptoris, & promissæ salutis, scilicet Moysem cum lege ipsius & sacrificiis: illa autem quę noua est, & à Christo vero Redemptore, dat verè confertque ex se gratiam & efficaciam redemptionis, quæ immediatè à passione Christi deriuatur; vnde lex gratiæ dicitur & salutis.

2\. Secundò, vetus lex tantùm erat in signum futuræ solutionis, & pretij offerendi per Christum: hæc autem quæ noua est, in præsentem satisfactionem datur pro peccatis. Nam veritas in Euangelio est, neque amplius figura est.

3\. Tertiò vetus tota in rigore erat vindictæ, punitionis & iustitiæ; magisque iram videbatur excitare & operari quàm gratiam: noua autem tota in misericordia est & gratia.

4\. Heb. 7. Gal. 2. Quartò, vetus, ex Apostolo, nihil ad perfectum adducebat, quæ tota erat in exterioribus tantùm ceremoniis, & scilicet non iustificabatur homo ex operibus legis: noua verò & Euangelicã, quæ Christi est, virtute propria, & quia maximè de interiori hominis æstimat, remissionem peccatorum operatur & gratiam. Hinc ad differentiam vtriusque, noua dicitur perfecta, vetus imperfecta: noua scripta in cordibus, vetus autem in tabulis lapideis: illa data cum consolatione in monte Sion, ista autem, scilicet Moysis, cum terrore & tremore in monte Sinai. Ierem. 9. Exo. 24.

5\. Isa. 12. Quintò denique, vetus non nisi temporalia bona pollicebatur pro obseruatione eius, & adhuc minas adiungebat. Isa. 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* Non ita de noua est, quæ non nisi bona promittit & æterna, hic gratiam, in cœlo gloriam: denique cum remissione peccatorum, abundantiam confert consolationum. Apud Isaiam; *Dicetis in illa die: Confitemini Domino, & inuocate nomẽ eius. Ecce Deus Saluator meus factus est mihi in salutem; haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Confitemini, &* A *notas facite in populis adinuentiones eius.*

Secũdum bonum mundo collatum à Christo, videlicet gratia Sacramentorum.

Quænam, quæso, sunt illæ inuentiones, quibus nunc tam facilè & quoties volumus, haurimus aquas in gaudio & consolatione de fontibus Saluatoris? Sacramenta sunt, secundum bonum quod nobis Christus contulit in mundum veniens. Ideo enim ipse Sacramenta in Ecclesia instituit, vt in eorum virtute & vsu statim cùm opus esset, auxilium gratiæ inueniremus, & numquam deesset nobis. Apud Zachariam: *In illa die effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem, Spiritum gratiæ, & miserationis.* & rursus: *In illa die erit fons patens domui Dauid* (id est, Ecclesiæ) *& habitatoribus Ierusalem, in ablutionem peccatoris.* Zacha. 12 & 13. B Quis, quæso, fons ille, nisi Saluatoris & Sacramentorum quæ emanant è vulneribus sacratissimæ eius humanitatis? Refert S. Ioh. quod de vulnere lateris exiuit sanguis & aqua, certè in mysterium Baptismi, Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum. Et Dominus ipse quidnam dicit de his per Isaiam? *Spiritus Domini misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam*, libertatem, beneficia; denique & dona omnia quæ conferuntur Sacramentis. Hæc sunt bona quæ veniens Christus annunciauit nobis & dedit, bona non corporis, sed animi, non terræ, sed cœli, non temporis, sed æternæ vitæ. Ioh. 19. Isa 41.

Tertium bonum collatũ hominibus per Christũ, videlicet regnum Dei.

C Vnde tertium bonum apparet quod ex aduentu Christi consequimur, & quod ipse prædicare venit, scilicet regnum æternũ gloriæ. Etenim & hoc fecit, & in hoc semper laborauit dũ in mũdo erat, vt nobis per se, & per alios, regnum cœlorũ prędicaret, nobis mereretur, nobis spem daret, atq; etiã nobis ad illud iter aperiret, *gratiam & gloriam dabit Dominus*; & vt Apostolus ait, *gratia Dei, vita æterna.* Psal. 83.

Ecce equidem vnde tantopere necessarius erat eius in carne aduentus: tunc enim & faciliùs, & meliùs homo suam salutem assequitur, quando simul in Christo, virtutum omnium, quibus peruenitur ad gloriam, exempla habet, & iam iter paratum inuenit. Ostendamus paucis.

In Christo iter virtuti paratur homini, vt consequatur gloriam.

D Primò necessaria est fides: illa autem magis fundata est & certificata, ex quo Christus ipse loquutus est. Nam Deo ipsi loquenti magis credimus quam vlli Angelorum aut hominum. Proptereàq; etiam dixit Apostolus, *nouissimè loquutus est nobis Deus in filio.* Ita S. Aug. dicens. Vt fidentiùs homo ambularet ad veritatem, ipsa veritas filius Dei, homine assumpto constituit atque fundauit fidem. 1. *Virtus.* S. Aug. 11 de Ciui.

2\. Secundò, ex eodem Aug. nobis per eum spei iter dirigitur, quando hic nobis ostenditur, quò vsque Deus nos amauit, quod filius eius naturæ nostræ dignatus est inire consortium, vt ipsemet dixit; *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum daret.* Idem 13. de Trin.

3\. Vnde tertiò summa in nobis ex eo excitatur charitas, cùm nullam aliam causam, aut certè maiorem huiusce aduentus fuisse cõsideramus, quàm vt E ostenderet Deus dilectionem suam in nobis. Vnde Aug. Si amare pigebat, saltem iam redamare nõ pigeat. O Domine, ô Domine, recti diligunt te memores vberum tuorũ, id est, dilectionum. Ecce iam ergo in aduentu & cõuersatione Domini in mũdo, Theologicarum virtutum iter paratum videtis.

4\. Et adhuc certè quartò videbimus quantum ad operationem omnium aliarum virtutũ: ipse enim dum in mundo erat, omnium se nobis præbuit regulam & exemplum; *Cœpit* IESVS *facere & docere, vir potẽs in opere & sermone.* Sẽper in eo opera verba præcedũt. Et quis vnquã tam perfectè, tã exactè, tã dignè, humilitatẽ exercuit, patiẽtiam & voluntariã pauper Act. 1. Luc. 24.

paupertatem, vt filius Dei: Vultisne igitur ad vitam beatam ingredi? Ecce in Christo exemplum & iter.

5. Quintò denique quantum ad plenam participationem diuinitatis in ipso, vt iam ipsi adhærentes inueniamur beati in ipso, quousque perfecta conformitas ipsi nos in æternum vniat. Ex quo enim ita factus est humanitatis nostræ particeps, sic & nos omnes voluit & quærit modò diuinitatis suæ facere participes, hic gratiam, & in cœlo conferens gloriam. En igitur quomodo necessarium erat ipsum venire, & nobiscum conuersari: & hoc, vt dicit S. August. vt meliùs conuenientiúsque, dum in mundo erat, operaretur media ad salutem.

DE DVOBVS DIVERSIS decretis Dei circa Aduentum Christi.

Et mundus per ipsum factus est. Ioh 1.

POSTQVAM S. Ioh. dixit quod in mundo Christus erat, consultò & statim subiunxit; *Et mundus per ipsum factus est.* Et hoc propter duo. Primum est, ne putaremus verbum de hoc mundo aliquid fuisse; de illo enim, sicut dixit aliquando, non est regnum eius. Neque ideo fuit vt creatura aliqua in eo, aut velut vna pars ipsius, sed vt author, quia *& mundus per ipsum factus est.*

Christus non fuit aliter in mũdo quàm vt ipsius author.

Secundum etiam est, ne existimaremus non fuisse ante mundum, quoniam & ipsum æternitate præcedit, & ipsum in tempore fecit. *Et mundus per ipsum factus est.* Ita vt, licet apparuerit visibilis in eo per assumptionem nostræ carnis, habitúque inuentus fuerit vt homo, ipse tamen sit qui dicit per Isaiam: *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Et mundus per ipsum factus est; adeò vt omnia quæ in eo sunt, in aliquo Majestatem eius manifestent: magnitudo mundi, eius potentiam, dispositio sapientiam, conseruatio præsentiam, perfectio bonitatem, & reparatio inæstimabilem huius verbi quod caro factum est, charitatem. Hinc certè ratio cur ipse venerit reparaturus omnia, & non Pater aut Spiritussanctus: quia scilicet, *& mundus per ipsum factus est.*

Isa. 44.

Mundus in omnibus perfectiones Christi prædicat.

Cur Christus venit, & reparauit, & nõ Pater, aut Spiritussanctus.

Dicetis; Nónne etiam à Patre & Spiritu sancto mundus factus est, sicut per Filium? Sunt enim tres, vnus author, conditor, & creator; & in tribus vnicum reperitur & indistinctum principium rerum omnium quæ fiunt extra Deum. Quomodo igitur filio attribuitur creatio, vt ei etiam competat reparatio, & solus venerit ad instaurandum omnia? Ratio est, quia vt verbum Idea est & similitudo omnis creaturæ, seu exemplar ad quod omnia facta sunt, vnde ei creatio attribuitur tanquam notitiæ rerum & principio, sicut Moyses dixit: *In principio creauit Deus cælum & terram*, id est, in filio, qui vt verbum est cognitio rerum. Similiter S. Iohan. *Omnia per ipsum facta sunt*, & hoc dixit simulatque de verbo loquutus est, sicut adhuc nunc repetit dicens; *Et mundus per ipsum factus est.*

S. Tho. 3. p. q. 3. art. 8.

Igitur ipsa ratione qua creator agnoscitur, ei etiam conuenit vt sit reparator; & ad hoc naturam assumpsit, non Pater aut Spiritussanctus. Licet enim vterque potuerit sicut filius, cùm illi tres æqualiter omnia requisita habeant, virtutem seu potentiam, principium & terminum, id est, naturam & personam; naturam in qua est virtus, & personam, in qua est principium & terminus actionis. Est enim suppositorum agere & terminare, quod quidem Incarnationi necessarium erat. Tamen decuit magis vt hoc faceret Filius quà verbum, quàm Pater & Spiritussanctus. Et hoc duplici ratione.

Prima est S. Leonis Papę, sc. vt magis corresponderet reparatio facta per ipsum creationi, quæ per ipsum, vt verbũ, iã facta fuerat; Et mũdus per ipsum factus est. Sicque eadem reluceret sapientia in reparando, quæ eluxerat in creando: quando secundum idem exemplar mundus reformaretur, iuxta quod ante culpam formatus fuerat. Hinc dixit Apostolus; *quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cælis & in terra, vt sit in omnibus primatum tenens*, id est, vt omnia ab illo dependeant, tam in creatione quàm in reparatione. *In ipso complacuit* (Patri) *omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia.* Ita alibi & clariùs; *Vt nobis notum faceret sacramentum voluntatis suæ, quod proposuit in eo* (sacramento) *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo.* Hæc prima est ratio.

Duplex ratio Incarnationis Verbi. S Leo Serm. de Pass.

Coloss. 1.

Eph. 1.

Secunda est S. Iohan. Damasceni, videlicet, vt idem esset qui & filius Dei esset, & filius hominis, & ita tolleretur omnis occasio & suspicio erroris. Si enim Pater per Incarnationem filius hominis extitisset, facilè quis existimare potuisset, etiam in Trinitate filium fuisse. Igitur hoc magis ei competebat qui iam filius Dei erat, scilicet vt qui iam patrem habebat in cœlis, etiam matrem haberet in terris; idemque esset qui filius existeret Dei & virginis.

S. Ioh. Damasc. lib. 4. c. 4.

His autem sic positis, nunc grauis mouetur quæstio inter Theologos, vtrùm etiamsi Adam non peccasset, filius Dei incarnatus fuisset: alij enim assertionem tenent, alij negationem. Prima itaque opinio eorum est qui dicunt venturum, etiamsi homo non peccasset, non quidem vt reparatorem naturæ, sed vt ipsius glorificatorem. Sic Scotus, & alij multi ex recentioribus Theologis, qui sequuntur ipsum, quibus & ego non contradicam, licet secunda sequens mihi videatur probabilior, & plus dare Christo. Interim vt probabilé, & ex eorum mente fundatam in Scriptura honoramus; & etiam cum altera omni certè acceptione digna, vobis exponemus.

Duplex opinio, & diuersa de Christo venturo. Prima Scoti.

Ecce igitur eorum fundamentum & præcipuum, quod constet ex litteris sacris Christum esse primogenitum omnis creaturæ, primum prædestinatorum, in quo omnes eligimur, & per quem omnes prædestinamur etiam ante constitutionem mundi, adeò vt tamen cum ipso conformitatem imaginis habere debeamus, quia & in eo tota est ratio fundamenti. Sic Apostolus ad Rom. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Hæc autem conformitas consistit in participatione & plenitudine spiritus ipsius; si quis enim spiritum Christi non habet, hic non est eius. Quare ad Galatas idem Apostolus ait, quia *misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra clamantem, Abba pater.* Et quod quidem fecit sequi Apostolus, statim atque dixit antè; *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere*, (ratione autem peccati nunc commissi) *factum sub lege, vt eos qui sub lege erant,*

Coloss. 1. & Eph. 1.

Rom. 8. *In quo consistit conformitas imaginis Christi.*

Gal. 4.

redimeret, & vt adoptionem filiorum reciperemus, scilicet ex conformitate imaginis eius, secundum quam prædestinamur filij Dei. Igitur, cùm absque Christo, & ante eum nemo vnquam prædestinatus sit, propterea venire debebat ad prædestinationem eorum qui non nisi vt sint conformes imaginis filij Dei, sunt prædestinati. Ita prædestinatus fuit primus Adam, & aliter non potuit quàm ad istam conformitatem imaginis. Ita prædestinati omnes alij fuere, Abel, Enoch, Noë, Abrahã, Isaac, Iacob, Moyses, Aaron, Iosue, Maria virgo, Bapt. Iohãnes, Apostoli, & cæteri omnes. Sic enim constat Deum omnes elegisse, & prædestinasse in Christo. Vnde ratione talis prædestinationis quæ includit in se, & in nobis operatur eiusmodi conformitatem imaginis, venire debuerat, etiamsi non peccasset Adam; & quia adhuc illud decebat gloriam eius & nostram.

Absq. Christo nemo est prædestinatus.

Verùm hic præsupponitur ad maiorem intelligentiam, duplex decretum in Deo de mittendo Christo; vtrumque ab æterno & in Deo vnicum, sed consideratione nostra, nostroque concipiendi modo diuersum ac duplex. Vnum dicitur de futuro, alterum de præsenti. De futuro includit media ad finem virtualiter tantùm, & non formaliter. De præsenti verò, formaliter, & hoc est discrimen.

Duplex decretum de Christo mittendo.

Hoc iam explicemus in exemplo nostro de Christo mittendo. Ex vi primi decreti, scilicet de futuro, ipse quidem venturus erat in carne, & verè, siue passibili, siue impassibili: vi autem secundi, quod est de præsenti, passibilem assumpsit, quia tale decretum includit in se formaliter modum & rationem veniendi. Sed familiari vtar similitudine, vt hoc intelligatur meliùs. Aliquis decernit in Italiam ire, vel in Hispaniam, & dicit, in Hispaniam ibo, tale decretum de futuro est, & modum eundi formaliter non includit, sed tantùm virtualiter, scilicet vel per mare, vel per terram, vel equester, vel pedester ibo, sed ibo interim. Quod si iam de præsenti est, vt quando dico, vado, tunc formaliter, & non amplius virtualiter media, & modum includit: vado enim per mare, vel per terram, &c. Ita igitur in Deo, de Christo venturo, tale quidem decretum erat de futuro, & quidem æternum, vi cuius verè in mundum erat venturus. Quia autem in eadem æternitate decreti, peccatum hominis præuisum est: ita etiam eodem penitus instanti & momento, decretum de præsenti fuit veniendi, includens formaliter secum & determinatè modum veniendi, & media, vt in carne passibili, in tali tẽpore, cum talibus, & aliis similibus circũstantiis.

Exemplum.

O æterna, & in æternum colenda Domini mei Iesv charitas! Ecce vnde me dilexit ab æterno suo; sed ecce adhuc quò vsque & quantum: decernit venire ad me, & veniendo in carne passibili mori pro me. *Mundus per ipsum factus est*, redemptus est, *& mundus eum non cognouit*.

Sed quis est ille mundus qui per eum factus est? Cœlum & terra. Quomodo verò eum non cognouit mundus, quando in eius passione Sol obscuratus est? Quomodo eum terra non cognouit, quando pendente illo in Cruce contremuit? Sed, sicut dicit S. August. mundus eum non cognouit cuius princeps est ille, de quo dictum est apud Ioh. 14. *Ecce venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Homines mali mundus vocantur; inde acceperunt nomen ex eo quod amant. Amando Deum, efficiuntur dij; ergo amando mundum, mundus dicuntur. Et Deus erat in Christo mundũ reconcilians sibi. Mundus ergo eum non cognouit, talis mundus non cognouit, qui erga ipsum de tantis beneficiis semper ingratus fuit, & qui abutitur semper donis eius. Sed adhuc dicam, si vultis: & mundus eum non cognouit, quia superat omnem sensum, & eius charitas omnem intellectum excedit.

Serm. 28. de temp.

A

Maximéque adhuc si ad secundam opinionem veniamus, quam sequimur, & est S. Thomæ, scilicet, non venisse Christum nisi ob destructionem peccati, & reparationem mundi qui per ipsum factus est. Et quæso, hæc veritas, amorísque & charitatis excessus vobis paucis exponatur. Colligamus primò ex ipsius Scoti industria & subtilitate, & decretis ipsis in Deo ab ipso inuentis. O Domine, veritatem dixit, qui illa duo decreta in te vnum esse dixit, & ab æterno vnum; & sic ab æterno decretum de præsenti, veniendi in carne passibili pro peccatis, & totius mundi peccatis. Illa enim in tuo æterno vidisti, qui mundum per te factum hodie reparare venisti. Secundò clarè & doctissimè colligitur ex S. Tho. qui vnicã & illo dignam rationem affert. Quæ, inquit, ex sola Dei voluntate proueniunt, & supra omne debitum naturæ, nobis innotescere non possunt nisi per Scripturam, per quam Deus voluntatem suam declarat. In Scriptura autem legimus non venisse nisi propter peccata. 1. ad Timoth. & Matth. 19. Adeò vt Baptista Iohannes ipsum digito demonstrans dixerit; Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Mundi qui per ipsum factus est.

Secunda opinio S. Tho. de Christi aduentu.

B

C

DE PRÆDEFINITIONE temporis, & loci Aduentus Iesv Christi.

Anno quintodecimo Imperij Tiberi Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, vox clamantis in deserto: Parate viam Domini. Luc. 3.

D

In propria venit, & sui eum non receperunt. Iohan. 1.

Ioannis Baptistæ præcursoris Iesv Christi munus erat & officium, præire ante illum & parare vias eius, ideo & non abs re dictus est vox clamantis. Clamans Christus est, qui omnes vocat ad se, ad agnitionem veritatis & participationem suæ diuinæ gratiæ; sicut in Euangelio legimus, quod *in nouissimo die magno festiuitatis stabat* Iesvs, *& clamabat dicens. Si quis sitit, veniat ad me.* Ecce clamat Iesvs, & Iohannes illius vox est: vox præcurrit verbum, & præparat auditum ad intelligentiam eius, & vadit Iohannes ante Christum verbum patris, & præparat viam eius: vox declarat personæ præsentiam, & Iohannes vox verbi ipsum adesse annuntiat, digitoque ostendit dicens: Ecce Agnus Dei, parate viam Domini, rectas facite semitas eius, & videbit omnis caro salutare Dei nostri. Hora est iam nos de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus quàm cùm credidimus. Clamat Baptista tempus aduenisse, & dignos postulat pœnitentiæ fructus. Parate, ait, viam Domini. Locum verò Euangelista designat dicens; *In propria venit.*

Ioh. 7.

E

Quomodo dicitur Iohannes vox clamantis.

Duo illa sunt, cum quibusdam aliis testimoniis,

quæ

Testimonia plura Christum iã venisse.
Agg. 1.
1. testimoniũ.

quæ nobis hodie de Christo explicanda proponuntur, tempus videlicet & locus. Aggæus propheta iam venisse satis ostendit verbis istis: *Adhuc vnum modicum*, inquit, *& veniet desideratus cunctis gentibus*. Istud quidem modicum nunc excedit duo annorum millia, id est, ab illo propheta ad nos vsque, iam tot & plura annorum millia fluxerunt: nam anno secundo regni Darij Persarum Regis, hæc propheta dixerat, ante natum Christum plusquàm quadringentis annis. Tam longum verò tempus nequit vnum modicum dici in Scripturis sacris: vnde restat quod aduenerit Christus, & non amplius expectetur tanquam venturus.

Verùm maius adhuc testimonium colligitur ex sequentibus verbis, vbi addit, quia *magna erit gloria domus huius nouissimæ plusquàm primæ*. Ibi enim de templo loquitur reædificato ab Esdra post reditum populi de captiuitate Babylonis, cuius quidem prædicebat futuram gloriam maiorem quàm primi per Salomonem constructi. Quod interim minimè posset intelligi, si rationem haberemus opum, & cultuum, qui exercebantur in illo, quorum respectu, ferè nullius æstimationis erat secundum. Item si adhuc rationẽ habeamus Arcæ testamenti, quam legimus in primo, & non in secundo templo asseruatam fuisse, proculdubio maiorem constabit fuisse gloriam huius domus primæ quàm nouissimæ; nisi aliunde dignitas eius & gloria supra primam elucesceat, ex eo quod, videlicet, vidit & recepit salutare suum, & desideratum cunctis gentibus, qui sua præsentia, majestate & gloria, doctrina atque miraculis eius atria, altaria, & Sanctuaria decorauit. Vnde quidem iam venisse satis constat, neque alium esse venturum; præterquàm quod adhuc illud posterius templum, cuius gloria, vt diximus, ex Propheta, magna fuit plusquàm primi, propter Messiæ majestatem & præsentiam, iam ante mille quingentos annos destructum est.

2. testimoniũ.

Aliud item magnum huic adiungi potest testimonium: videlicet, post Christum, nullum Prophetam fuisse apud Iudæos qui aliquid de aduentu Messiæ prædixerit sicut ante.
3.
Item ex eo quod nunc penitus Iudæi à Deo derelicti sunt, neque Prophetas, neque hostias, neque templum habent. Licet enim eos Deus ante filij sui aduentum aliquando deseruerit in temporalibus, vt cùm illos bello & fame punitos afflixit; non legitur tamen vnquam deseruisse in spiritualibus, quia semper Prophetas habuerunt Moysem & Aaron, qui mira in deserto fecerunt: sicut in captiuitate Babylonica Ezechielem, Danielem, & alios. Nunc autem exquo Christus venit, omnino deserti sunt à Deo, hostiis priuati, & Prophetis: sicut tunc quidem ita fore illis Osee prædixit dicens: *Dies multos sedebunt filij Israël sine Rege, sine Principe, sine sacrificio, & sine altari; & post hæc reuertentur, & quærent Dominum Deum suum, & pauebunt ad bonum eius in nouissimo dierum.* Est namque in confesso apud omnes, quia ad fidem & notitiam Christi conuertentur antequam dies Domini magnus, scilicet Iudicij, veniat. Quod quidem testimonium maximum est, vt ostendatur Messiam venisse, & non alium expectandum esse.

Osee 3.
Ante Iudicij tempus debẽt Iudæi cõuerti ad Christum.

4.
Omnibus autem his testimoniis aliud adiungamus omni exceptione maius, nempe veritatem omnium Scripturarum iam impletarum, determinantium tempora, locum, veniendi modum, moriendi, atque etiam miracula faciendi. Tempora, quæ in fine septuaginta hebdomadarum Danielis esse debebant, quæ iam completæ sunt, exquo venit & occisus est Christus. Item in Abacuc hæc apparet prædefinitio temporum, qui ait: *Apparebit in finem, & non mentietur*; vnde, *si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Non mentietur*, dixit Propheta, vtique quia se venturum Deus pollicitus fuerat. Sed etiam determinat tempus; *In finem*, ait, *apparebit*, videlicet sæculorum, & in mundi vltima ætate, quæ per Apostolum nuncupatur plenitudo temporis, sicut ad Galatas dicit: *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*; plenitudo temporis à Sanctissima Trinitate definiti, temporis gratiæ quæ à Christo incepit. Gratia enim & veritas per IESVM Christum facta est. Plenitudo denique temporis, seu tempus plenitudinis, quia amoris, misericordiæ & consummationis omnium est. Vnde & nouissima dicitur mundi ætas; sicut iterum dicit Apostolus: *Nos sumus in quos fines sæculorum deuenerunt*. Vltimo die operum Dei creatus est homo: & ad reparandum illum, nouissimo tempore Deus factus est homo. *Vbi ergo venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, & adoptionem filiorum Dei reciperemus.* Ecce determinatum & completum tempus.

Prophetia de tempore aduẽtus Christi.
Dan. 9.
Abacuc 2.
Gal. 4.
Ioh. 1.
Quare tempus aduentus Christi dicitur plenitudo temporis.
1. Cor. 10.
Conuenientia temporis.

Verùm vt illa adhuc definitio temporis distinctiùs appareat, non prætermittenda est prædictio Iacob de hac re, cuius in Genesi mentio est: qui cùm morti esset proximus, conuocans filios suos, ait illis; *Congregamini vt annunciem vobis quæ ventura sunt in diebus nouissimis*, tunc prædicens Christum è Iuda nasciturum, atque tempus: ad eum se conuertens ait; *Iuda fili mi, te laudabunt fratres tui: manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui; ad prædam fili mi ascendisti.* & statim post. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium, qui lauabit in vino stolam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Descriptio est Christi, atque differentiæ temporis, quo ipse erat venturus, quando nempe sceptrum, id est, regnum tolleretur de domo & familia Iuda; quod quidem ita factum est, quo tempore venit Dominus. Iam tunc enim ablatum fuerat Hircano legitimo Iudæorum Regi, ab Herode Ascalonita, qui alienigena erat, cuius pater Idumæus & mater Arabita; & hoc iuxta hanc prædictionem Iacob, qui tali circunstantia tempus Messiæ notauerat & definierat. Quod etiam, & eam ob causam voluit animaduertere Sanctus Lucas, cùm narrat missionem eius præcursoris, & Baptistæ sub Herode Tetrarcha & Rege Galilææ; qui illius primi Herodis filius & successor erat, sub quo antè Christus fuerat natus. Igitur, inquit Sanctus Lucas, *Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha*, (omnia hic sedulò notat, & consultò ad fidem historiæ,) *factum est verbum Domini super Iohannem in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ, sicut scriptum est. vox clamantis: Parate viam Domini.* Ecce quoad tempus.

Genes. 49.
Isa. 40.

Nunc quoad modum veniendi dicamus, prædictum enim erat de omnibus. De natiuitate eius & modo, qui quidem iam satis aduenisse Christum

testatur,

Prophetia impleta circa natiuitatem Christi.
Isa. 7. 9.& 53.

testatur, vt multis in locis Isaias dixit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel,* (nobiscum Deus.) & rursus: *Paruulus natus est nobis,& vocabitur Admirabilis, Deus.*& rursus: *Generationem eius quis enarrabit?* De modo conuersationis sic etiam Baruch prædixerat: *In terris visus est,& cum hominibus conuersatus est*; & alius,quia futurus erat colonus in terra, & quasi vir vagus declinans ad manendum. Et hoc in eo impletũ est.

Circa cõuersatio nem.
Baruch 3.

Circa vitam & alia.
Zach. 9.

Vita quoque, doctrina & opera ipsum iam venisse testimonium perhibent. Sic enim apud Zachariam prædictum erat, quoniam pauper erat venturus,& prædicans omnibus remissionem peccatorum. Quod ipse quidem veniens impleuit, vt in sacris paginis videre est. Item apud Isaiam, quia facere debebat stupenda opera,qui dicit: *Ecce Deus veniet, & saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum*, & alia admiranda quæ sequuntur, & quæ quidem fecit ipse, sicut olim dixit discipulis Iohannis. *Euntes renuntiate quæ audistis,& vidistis.Cæci vident,claudi ambulant, mortui resurgunt.* Adeò vt Propheta dixerit; *Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis gentium omnium*, id est, filium, virtutem suam,in qua hæc omnia admiranda opera patrauit: vnde & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Iuxta quod nempe ipsa opera quæ facit, testimonium perhibent veritati.

Isa. 36.
Matth. 11.
Isa. 52.

Circa genus passionis.
Isa. 50.& 53.
Psal. 21.
Sap. 2.

Item de genere passionis prædictio impleta est, quæ dicit apud Isaiam; *Corpus meum dedi percutientibus*, &c. de qua & psaltes integrum sermonem composuit, qui sic incipit. *Deus, Deus meus respice in me,quare me dereliquisti? Foderunt manus meas & pedes meos. Ego sũ vermis, & nõ homo, opprobriũ hominũ,& abiectio plebis.* Et Salomõ in Sapiẽtiæ suæ libro, vbi sic introducit peccatores loquẽtes de illo. *Filiũ Dei se nominat;cõtumelia & tormẽto interrogemus eũ,probemus patiẽtiã illius,morte turpissima condemnemus eum.*

Circa mortẽ & resurrectionem.

Denique quæ de mortis & resurrectionis eius gloria adhuc prædicta sunt, etiam in ipso omnia consummata sunt. Ligno suæ Crucis diuinum reliquit honorem,de quo sic erat prędictum per Prophetam, *regnauit a ligno Deus.* Vitam quoque morti, & gloriam sepulchro suo reliquit, de quibus item sic fuerat locutus Isaias; *In die illa radix Iesse* (Christus Messias) *qui stat in signum populorũ,ipsum Gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum.* Nonne verò hæc omnia verificantur de Christo: Primò enim signum fuit contradictionis vsque ad mortem,sed statim post, signum vitæ & salutis, atque etiam nostræ resurrectionis exemplar: signum in quod iam aspicere oportet, si à morte liberari velimus. Secundò, gloriosum fuit eius sepulchrum, gloriosum Angelis, Magdalenæ, Apostolis, & omnibus qui adhuc ex vltimis mundi partibus ad illud videndum proficiscuntur.

Isa. 11

Circa Ascensionem.
Mich. 2.
Marc. vlt.
Act. 1.

Sed vt minimè etiam taceam,quod prophetauit Michæas de Ascensione eius dicens: *Ascendet pandens iter ante eos, Dominus in capite eorum*, legitur in Euangelio & in Actis, quia videntibus discipulis Dominus IESVS assumptus est in cœlum. Ita vt hic clarè omnia præterita,præsentia,& futura tempus eius aduenisse demonstrent.

Cur Christus non in principio, aut fine, sed in plenitudine temporis venit.

Solùm quæri potest,cur tali tempore,& non citiùs venit (Christus;) aut cur non distulit ad finem mundi,sed statim venit, iuxta Apostolum, vbi venit plenitudo temporis. Ita autem decuisse paucis respondendum est. Primò, non statim ab initio creationis mundi & lapsus hominis,vt nimirum ex dilatione tanta,& difficultate remedij, necnon necessitate cognita, ob tot mala, quæ exinde exorta

A sunt, magis attenderetur peccati grauitas;suamque homo expertus miseriam,ad suum liberatorem ardentiùs clamaret. Ideo,ait in sua glossa Lyranus, magno Dei consilio factum est, vt post hominis casum non illicò Dei filius mitteretur; reliquit enim Deus priùs hominem in libertate arbitrij in lege naturali, vt sic vires naturæ suæ cognosceret; vbi cùm illa deficeret,legem datam accepit,in qua & morbus inualuit,non quidem legis, sed naturæ vitio,vt ita cognita sua infirmitate clamaret ad medicum,& gratiæ quæreret auxilium. Lyran.

Igitur magno Dei consilio Christus venire citiùs non debuit. Sed neque secundò differre vsque ad finem mundi,qui vt ipsum saluaret,& non vt dã-
B naret,veniebat: atque sic venit vbi plenitudo temporis venit,vt ex vno iustitiã, & ex altero seruaret misericordiam. Quod etiam optimè Abacuc propheta annotauit dicens: *In medio annorum notum facies, & misericordiæ recordaberis.* Recordatus est Dei filius,qui venit in plenitudine temporis factus ex muliere,factus sub lege, vt eos qui sub lege erãt redimeret. *Vox clamãtis in deserto: Parate viã Domini, rectas facite semitas eius, videbit omnis caro salutare Dei.* Vtique videbit, hodie enim in propria venit. Abacuc 3.

Tempus Messiæ ex verbis Baptistæ agnouimus, nunc locum in quem venit, ex verbis Euangelistæ agnoscamus; ait enim quoniam *in propria venit.* Primò,venisse Christum in propria, ex nonnullo-
C rum sententia ad Iudæos refertur, qui propriè Christi esse dicuntur,iuxta quod eis præsertim fuerat promissus,& ex eis secundum carnem,videlicet ex semine Abrahæ nasciturus. Vnde sic de loco Michæas prophetauit dicens: *Et tu Bethelem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israël.* Præterea sibi etiam eos inter omnes elegerat in populum, vt dicitur in Deuteronomio: *Dominus elegit te hodie,vt sis ei populus peculiaris.*& rursus: *Quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël.* (quæso notetur hic gloria & dignitas istius populi.) *Pars autem Domini populus eius.*
D Quare etiam dicit,quia non missus fuerat, nisi, id est, primùm, ad oues quæ perierunt domus Israël. Vnde quando ad Iudæos venit, in propria venisse dicitur. Interim, & sui eum non receperunt, qui notus erat in Iudæa Deus. Sui non receperunt, Iudæi ingrati, ait Sanct. August. quos primitus fecit inter omnes gentes, sicut per Isaiam dicit: Filios enutriui,& exaltaui,& ipsi spreuerũt me,post signa & testimonia spreuerũt me. Ego enim,ait aliquãdo eis,veni in nomine patris mei,& nõ recepistis me. Imò & iuxta parabolam meam dixistis; Hic est hæres,occidamus eum.

Locus aduentus Christi. Quid sit Christum in propria venire.
Mich. 5.
Deut. 26. & 32.
S.Aug.tract. 2. in Iohan.
Ioh. 5.
Matth. 21.

Sic certè verificatur de Iudæis illud; *Et sui eum*
E *non receperunt*, id est,maior pars illorum, quæ quidem nec ipsum agnouit, nec recepit, imò & ad mortem condemnauit. Quidam enim fuere ex eis,qui ipsum agnouerunt,susceperunt,atque etiam vt missum à patre glorificauerunt. Huius rei figura erat in lucta Angeli cum Iacob. Post luctam mansit Iacob claudus vno pede, scilicet illo quo emarcuit neruus femoris eius; vnde postea gradiebatur vno pede recto, & altero claudicabat. Quo certè figurabatur, quod vna pars filiorum Israël (ex eo enim tempore nomen Iacob mutatum est in Israël) qui interpretatur videns Deum, pede recto obuiam Christo iret, reciperetque. Altera verò clauda remaneret, neque ipsum agnosceret, nimirum ij qui obstinato animo nollent

Gen. 32. *Iacob figura eorum qui receperũt,& nõ receperunt Christum.*

recipere,

recipere, de quibus hoc verificatum est; *Et sui eum non receperunt*, cùm scilicet ad eos venit, vt in propria.

Secunda explicatio. *Quid sit Christū venisse in propria.* Secundò, iuxta alios, vt Origenem & S. August. hoc, scil. *In propria venit*, de vniuerso mundo dicitur. Et certè hęc explicatio mundo consentanea est: propriè enim mundus suus est, per quem omnia facta sunt, vniuersus orbis, & quæ in eo sunt, Domini est terra & plenitudo eius, &c. Quare quo sensu dixerat antè: *In mundo erat*, *& mundus per ipsum factus est*, *& mundus eum non cognouit*: ita nunc dicit; *In propria venit*, *& sui eum non receperunt*, id est, in mundum venit per Incarnationem, qui mundus suus est, sed sui, id est, homines mundi non receperunt, ij qui dixerunt Deo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Et mundus eum non agnouit, dilectores mundi. Ioh. 1.

Sed quid dicam? Totus mundus, præter hominem, eum agnouit, recepit, glorificauit, Angeli & elementa ipsa agnouerunt. Num enim, ait Sanctus Augustinus, cœli non cognouerunt creatorem suum; aut Angeli non cognouerunt creatorem suum; aut non cognouerunt creatorem suum sydera, quem & confitentur dæmonia? Omnia vndique testimonium perhibuerunt. *In nomine* IESV, ait Paulus, *omne genu flectitur*. Quinam ergo non cognouerunt eum, & non receperunt? Sui, id est, homines; *& mundus eum non cognouit*, homo creatura mundi. S. Aug. tract. 2. in Ioh.

Verùm huius pronominis emphasim attendamus. Dixit indefinitè, *sui*, non autem *omnes*: quia & sunt nonnulli, imò & quamplurimi in mundo qui ipsum agnouerunt, & receperunt, quales sunt iusti, & omnes qui pœnitentiam agunt, & dignos pœnitentiæ fructus; denique omnes veri Christiani & fideles. Mundus autem eum non cognouit, homines isti qui mundum amando, mundus appellantur; qui non confitentur eum cum Petro, cum Magdalena non quærunt, & non sequuntur cum publicano. *Et sui eum non receperunt.* Parate viam Domini, ô Christiani: videbit enim omnis caro salutare Dei. *Per mūdum homines mūdi intelliguntur.*

QVARTA PARS THEOLOGIÆ.

DE IVSTIFICATIONE operata per Christum. Ac primò de fide.

Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. **Ioh. 1.**

SI sapiens Ecclesiasticus scribens de propheta Elia figura Christi, de eo dicit: *Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt, qui receptus in turbine ignis inscriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Dei, & restituere tribus Iacob.* Quanto magis illa de Christo dicenda sunt, qui pro nobis operiens ignem suæ diuinitatis, humanitatis nostræ cineribus, vt se præberet visibilem nostris oculis, descendit in terras de sede suæ diuinæ gloriæ, & majestatis lenire iracundiam Dei patris, & nos omnes restituere in gratiam adoptionis filiorum eius? *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Dicamus itaque illi, digniúsque & meliùs quàm Eliæ: Beati qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt; & beatiores adhuc dicamus post ipsum, qui non viderunt & crediderunt, qui non videndo crediderunt. Nam dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Sic vni dixit ex Apostolis suis, Thomæ, Ioh. 20. Eccli. 48. *Elias figura Christi.*

Sed superlatiuum hic ponamus, & beatissimos dicamus, qui simul & viderunt, & crediderunt, oculis corporis hominem viderunt, & mente Deum crediderunt: in carne Deum agnouerunt, & receperunt. Sic beatus à Christo prædicatus est Petrus: *Beatus es Simō Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est.* Sic omnes beati Apostoli, quibus ab eodem Christo dictum fuit: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Sic denique beati omnes prædicantur à Iohanne, quotquot receperunt eum, & crediderunt in nomine eius; quia & dedit eis potestatem filios Dei fieri. Matth. 16.

Vnum hic notandum, dixisse Euangelistam, *quotquot receperunt*, id est, & qui videntes, & qui non videntes crediderunt. Quod enim præcipuum est, credere est, quod est ipsum recipere. Sic dicebat Petrus Apostolus aperiens os suum Cornelio Centurioni viro iusto, & timenti Deum: *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Qui operatur iustitiam, ait, & quæ illa? Docet Apostolus: *Iustitia est Dei per fidem* IESV *Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum; non enim est distinctio.* Vnde hoc? *Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in eum, non confundetur. Nam non est distinctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum. Quotquot receperūt eū, dedit eis potestatē filios Dei fieri, his qui credūt in nomine eius.* Alioquin qui nō crediderit, licet videatur Apostolus, ex ipso ore Christi, cōdemnabitur; qui verò crediderit, saluabitur. Non est personarum acceptor Deus, illos acceptat qui recipiunt ipsum. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber, Apostolus, aut alienigena, omnes enim vos vnum estis in Christo IESV. Quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Et omnis qui crediderit quoniam IESVS est Christus, ex Deo natus est. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Et si Sanctus Thomas Apostolus in infidelitate sua permansisset, nec beatus, nec saluus fuisset. *Si nō credideritis,* ait Christus, *quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Et quidem ita est; hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti IESVM Christum. *Quid sit Christum recipere.* Act. 10. Rom. 3. & 10. Ioh. 5. Ioh. 1. Ioh. 8. & 17.

Nostra igitur beatitudo est in Christum credere. Et ratio est, quia vt talis, scilicet Christus, homo-Deus, idem est cum Patre & Spiritu sancto in cœlo nostræ beatudinis obiectum; & consequenter etiam in terra fidei nostræ cum iisdem obiectum, quæ visioni respondet. Hinc ait; Non turbetur cor vestrum, creditis in Deum, & in me credite. Quasi diceret: parem in me sicut in Deum fidem habere debetis; credere in me salus & iustitia est. *Necessaria ad salutē fides in Christum.* Ioh 14.

Sed dicetis; Fides, iuxta Apostolum, est rerum inuisibilium, est enim argumentum non apparentium: Christus autem cùm in mundum venit, in carne apparuit, & omnibus visibilis erat. Ad quod respōdemus, inuisibile Christi, seu fidei in Christo, in visibili *Quomodo Christo conueniat definitio fidei.*

A in visibili fuisse; in eóque quod apparebat, scilicet in carne, absconditam fuisse Verbi Diuinitatem, & Deum in homine. Hoc modo in Isaia Deus absconditus dicitur, in carne & in humanitate absconditus. Hoc modo dixit Apostolus; Cùm in forma Dei esset, & æqualis ei (ecce inuisibile Christi,) formam serui accepit & hominis, in qua hominibus apparuit. Hoc modo dixit Iohannes in sua 1. Can. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & annunciamus vobis vitam æternam quæ erat apud patrem, & apparuit nobis.* Quid quæso hic narrat, aut refert Sanctus Iohannes? Inuisibile Christi in visibili absconditum, Diuinitatem B in humanitate. O qualem fidem & operationem iustitiæ, credere hominem esse Deum, hominem videre, & credere Deum! Ita Sanctus Gregorius loquens de Sancto Apostolo Thoma simul tangente, & confitente Christum, ait aliud vidisse ipsum, & aliud credidisse. A mortali quippe homine, inquit, Diuinitas videri non potuit; hominem ergo vidit, & Deum confessus est dicens: Dominus meus & Deus meus.

Isa. 54.
Phil. 2.
1. Ioh. 1.
S. Greg. de fide S. Thomæ ho. 24. in Euang.

Quare etiam dicit hoc non casu, sed diuina dispensatione factum fuisse, vt videlicet eius incredulitas vulnera nostræ infidelitatis sanaret, quia dum ille palpando ad fidem reducitur, nostra C mens omni dubitatione postposita in fide solidatur, *Deus meus & Dominus meus.* Ecce quid nos edocuit dubitatio Thomæ. Sic de Christo sentire & dicere, *Deus meus & Dominus meus.* Idem cum Petro dicere; *Tu es filius Dei viui.* Idem cum Martha: *Ego credidi quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti.* Idem denique cum omnibus Sanctis profiteri, dicere, & confiteri. Hæc est enim fides iustificans, & ita credere, est IESVM recipere in se, in quo est omnis nostra salus & vita. Ita Sanctus Iohannes in Canonic. sua: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se, & hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius est. Qui habet filium, ha-* D *bet vitam qui non habet filium, vitam non habet. Hæc scribo vobis, vt sciatis quoniam vitam habetis æternam qui creditis in nomine filij Dei: & hæc est fiducia quam habemus ad eum.* Quare? Quia, inquit, *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.*

Matth. 16.
Ioh. 11.
1. Ioh. 5.

Per fidē Christi viuimus, & filij Dei sumus.

Sed videte quæso, qualem charitatem dedit nobis Deus, vt per filium, & fidem in ipsum, filij Dei nominemur & simus, vt non solùm denominationem habeamus extrinsecus, sed veritatem & realitatē intrinsecus. Sicut enim forma Dei in homine Christum verè filium Dei fecit per naturam, quando humanitati hypostaticè & personaliter coniuncta est: Ita in nobis coniuncta per gratiam, E & veræ ac viuæ fidei communicationem nos Dei filios efficit per adoptionem, & verè filios, hæredes eius, cohæredes autem Christi. Ita Gal. 3. *Omnes vos estis filij Dei per fidem in Christo* IESV. O beatam fidem, & beatam notitiam, quæ de Christo est, & redit in ipsum!

Gal. 3.

Triplex Dei cognitio.

1. Sciendum autem est triplicem esse Dei cognitionem datam hominibus. Vna est rationis; altera fidei seu deuotionis: tertia gloriæ. Prima seu rationis est per intuitionem creaturarum. Rom. 2. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Cœli enarrant gloriam Dei, &c. vt dicat Psaltes, *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terrā, vacate & videte. Dominus virtutū nobiscū, &c.*

Rom. 2.
Psal. 18. & 45.

A Secunda, quæ est fidei seu deuotionis, oritur ex prædicatione diuini verbi. Nā *fides ex auditu, auditus autē per verbum Dei. Quomodo enim inuocabunt, aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, sed non omnes obediunt Euangelio.* Vnde quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. 2 Rom. 10.

Vt sic ad tertiam notitiam perueniant, quæ est gloriæ & visionis in cœlo, & quæ non datur nisi filiis his qui conformes fiunt in terra imaginis filij Dei, & qui credunt in nomine eius. Ab eodem namque vt fonte omnis luminis lumen vitæ habebimus. Ita est Domine, quia apud te est fons vitæ, & B in lumine tuo lumen videbimus, de claritate in claritatem ibimus, de obscura & fidei, in intuitiuam & visionis, gloriam Domini speculantes, vt in eandem transformemur imaginem. 3.

Cuius sit virtutis visio gloriæ.

Hic vera viua fides conformitatem operatur in nobis, visio autem, & gloria dabit in cœlis transformationem. Coloss. 3. Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Cum ipso, ait, ita vt etiam dixerit, quia tunc corpora nostra configurata erunt corpori claritatis eius; & 1. Canonic. S. Iohannes cap. 3. Cùm apparuerit, similes ei erimus. Similitudinem certè & transformationem quandam operabitur & in anima & in corpore hæc visio gloriæ. Sed in quo & C à quo illam habebimus? A Christo, qui illius, & omnium simul bonorum, quæ habebimus cum illa, principium est, causa & meritum, vt S. Petrus ait; *Deus omnis gratiæ vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo* IESV. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. 1. Pet. 5.

S. Augustinus in hæc verba Ioh. Quid (ait) præstitit eis qui receperunt eum? Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Magna certè beneuolentia Dei, magna misericordia, vnicus natus est, & noluit manere vnus. Multi homines cùm filios non habuerint, peracta ætate adoptant sibi, & voluntate faciunt quod natura non potuerant: hoc faciunt homines. Si autem aliquis habeat filium D vnicum, gaudet de illo magis, quia solus omnia possessurus est, & non habebit qui cum eo diuidat hæreditatem, vt pauperior remaneat. Non sic Deus, vnicum eundem ipsum quem genuerat, & per quem cuncta creauerat, misit in hunc mundum, vt non esset vnicus, sed fratres haberet adoptatos per gratiam & cohæredes: sic enim dicit Paulus; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Non timuit ille habere cohæredes, quia hæreditas eius non fit angusta, si multi eam possederint. Illi certè fiunt hæreditas ipsius, & ille vicissim hæreditas ipsorū. Audi primò, quomodo ipsi fiant hæreditas ipsius. Dominus dixit ad me: Filius E meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. Sed audi secundò, quomodo ille sit hæreditas ipsorum. Psaltes dicit: Dominus pars hæreditatis meæ. Et nos igitur illum possideamus, & ipse nos possideat; ille nos possideat sicut Dominus, & nos illum possideamus sicut salutem, lucem & gloriam.

S. Aug. tract. 2. in Ioh.
Nos hæreditas Christi, & vicissim ille nostra est.
Psal. 2.
Psal. 15.

Quid ergo dedit his qui receperunt eum? Potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. hæc Augustinus.

* * *

DE

DE COOPERATIONE diuinæ gratiæ Christi.

Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis nati sunt, dedit his potestatem filios Dei fieri. Ioh. 1.

SPIRITVS Christi est in nobis, qui reddit testimonium spiritui nostro quod sumus filij Dei. Rom. 8. Vnde Apostolus dicit: *Nihil nunc damnationis iis qui sunt in Christo Iesu, qui* (inquit) *non secundùm carnem ambulant*, ecce nota; *lex enim spiritus vitæ in Christo* IESV. Et qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt, qui verò secundùm spiritum, quæ sunt spiritus sentiunt. *Prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita. Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Et alibi: Gal. 4. *Quoniam autem estis filij, misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra. Quare qui spiritum Christi non habet, hic non habet ius*, & consequenter in filium Dei adoptari non potest. *Dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, & qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.*

Gratia & spiritus Christi nos adoptat in filios Dei. Spiritus est & gratia, non sanguis aut caro quæ in nobis facit adoptionem filiorum Dei; voluntas est spiritus, & non carnis; voluntas Dei, & non hominis, quæ hanc sanctam filiationem, & diuinam adoptionem constituit. Denique dicam, cooperatio est animæ gratiæ Christi, quæ operatur in nobis iustificationem nostram & sanctitatem. Hoc vnum certè in nobis est quod sine nobis Deus exequi non potest. Deus operatur incipiens, ait S. Augúst. sed non nisi volentibus cooperatur perficiés. (*S. August. lib. de libero arb. c. 17.*) Sicut alibi dixit; Qui te fecit sine te, non iustificabit te sine te. Hinc ait: Ego sitienti dabo de fonte. Qui sitit, & qui vult, accipiat. (Apoc. 21. & 22.)

Certè fons Christus est, & ab eo omnis gratia est, quia secundum gratiam vnionis hypostaticæ filiis naturalis Dei est; sed nostrum est accipere & sitire, sicut per Isaiam dicit: Isa. 12. *Omnes sitientes venite ad aquas*; haurietis enim in gaudio de fontibus Saluatoris. Vnde etiam ipse sic clamabat dicens: Ioh. 7. *Si quis sitit, veniat ad me. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum*, de Spiritu sanctificationis, gratiæ, & adoptionis filiorum Dei. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*, ex spiritu nati sunt, qui Christi est, qui Dei est, & simul Deus est: & sic fons in nobis est omnis gratiæ, & salientis aquæ in vitam æternam. (*Voluntatis nostræ & cooperationis necessitas.*)

Quomodo gratia conseruatur in nobis. Vbi notandú est, iisdem modis quibus ille venit, conseruari in nobis, eiusque gratiam ipso manere effectu quem in nobis operatur. Spiritus Dei cum vehementia operando & disponendo ingreditur, & cooperatione conseruatur: gratia bonum operatur in homine, & conseruatur bonitate animæ, suis propriis effectibus permanet gratia in nobis. Eccli. 40. Apud Ecclesiasticum dicitur: *Gratia sicut paradisus in benedictionibus.* Ecce quid operatur illa; benedictiones multas, infinita bona & ingentia. S. Gregor. Operatur magna, si est; si renuit operari, non est. Gratia vbi est, bonitatem operatur, & semper; sed neque etiam conseruari potest nisi per bonitatem & fidelem cooperationem animæ. Ideo dicit (*Gratia bonitatem operatur, & bonitate conseruatur.*)

A Sapiens, *quia bonus est, hauriet gratiam à Domino.* Prou. 12. Hinc Dauid ante omnia bonitatem petit à Domino, dicens: Ps. 118. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Quod vltimum petit, scientia est, quod primum, bonitas est. Et alibi sic vnumquemque monet, dicens: *Delectare in Domino, & fac bonitatem, & pasceris in diuitiis eius*; Psal. 36. quia bonus est, hauriet salutem à Domino. Hinc denique ipse ait: *Omni habenti dabitur, & abundabit; ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Seruum inutilem eiicite in tenebras exteriores.* Matth. 25.

Eam ob rem exhortamur vos cum Paulo, vt 2. Cor 6. non in vacuum gratiam Christi Domini & aduentus eius recipiatis. Ecce gratia Christi; Nos accepisse per eum potestatem filios Dei fieri. (*Quænam est gratia Christi in nobis.*) B Talem enim veniens in mundum & nascens dedit potestatem hominibus, sed his qui credunt in nomine eius, & qui non ex sanguinibus nati sunt, neque ex voluntate carnis. Ecce gratia Christi; Accepisse omnia per eum, & de plenitudine eius quidquid in nobis est gratiæ & lucis. Sicut enim in prima natiuitate nostra & naturali, omnes de plenitudine Adam accepimus quidquid in natura habemus; ita in statu regenerationis nostræ, & gratiæ de plenitudine Christi omnia accepimus. Baptismum recepisse, de plenitudine Christi est: habere fidem, & pœnitentiam agere, vti gratia & gloria frui, similiter de plenitudine Christi est. Denique, gratiam Iohan. 1. C pro gratia accepisse, vt Baptista dicebat, de gratia Christi est, & de plenitudine eius.

Magna fuit gratia, quod ex tanta misericordia venerit in mundum naturam nostram assumens; (*Quomodo in Christo gratiam pro gratia accepimus.*) & pro gratia illa, gratiam apud Patrem habuimus & accessum, amicitiam & reconciliationem cum eo accepimus, vt ait Apostolus: Rom. 5. *Gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus*; gratiam pro gratia: & si adhuc vultis, gratiam pro gratia, id est, gloriam patris pro magnitudine & mensura gratiæ filij. Demum gratiam pro gratia, id est, pro gratia legis, quæ tantùm seruilis erat, cum iugo rigoris, & non nisi terram promittebat, gratiam Euangelij per D Christum accepimus, quæ lex gratiæ est & libertatis, & nobis regnum cœlorum promittit vt filiis Dei.

Hinc ad differentiam Euangelista dixit; Ioh. 1. *Lex per Moysem data est, gratia autem & veritas per Christum facta est.* (*Inter legem Moysis & gratiam Christi discrimen.*) Lex quidem quæ nos condemnatos declarabat & iræ filios, neque ex se nos iustificare poterat, tantùm data est per Moysem, qui illius author non erat: gratia verò, quæ nos verè iustificat, per Christum facta est. Quod quidem expressè notare voluit, vt ostenderet quia non solùm illius donator erat, sed etiam author.

Vnde S. Aug. in illa verba. Per seruú (ait) lex data est, reos fecit: per Imperatorem & Dominum in- (S. August. tract. 3. in Iohan.) E dulgentia data est, reos liberauit. Sic Paulus: Rom. 8. *Lex spiritus vitæ in Christo* IESV *liberauit me à lege peccati & mortis.* & rursus: Rom. 5. *Subintrauit lex* (per Moysem) *vt abundaret delictum; vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia* (per Christum.) Ita vt lex vitæ in eo me liberauerit ab hac lege peccati & mortis. Rom. 8. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne*, (id est, ex pœnis pro peccato susceptis in carne peccatum damnauit & abstulit:) & hoc, ait Apostolus, *vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non amplius secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.*

Illa

Illa equidem Christi gratia est, qui talem potestatem dedit hominibus, vt facti secundum spiritum filij Dei, non amplius ambulent secundum carnem, sed secundum spiritum. Et illa adhuc conueniens præparatio est, vt exeamus obuiam venienti Domino, & videat omnis caro salutare Dei. Omnis caro, inquam, illa vtique quæ purgabitur ab omni peccato. Lauamini, mundi estote, & venite; videbunt oculi non quidem carnis in carne, sed spiritus in carne; homines dicam, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Illi (explicat S. Aug.) in quibus non caro imperat, & spiritus seruit: sed è contra, in quibus spiritus imperat, & caro obedit; filijque Dei efficiuntur per gratiam Christi. Audite itaque, ait S. August. in Ioh. priùs ipsum Verbum nasci voluit ex homine, id est, ex Virgine filius hominis, vt tu securus nascereris ex Deo filius Dei, sc. ex ipso & per gratiam eius.

Conueniens præparatio ad recipiendum Christum.

S. August. tract. 2. in Iohan.

Quinā digni sunt videre, & in se recipere Christum.

Ecce ergo quinam merebuntur fieri participes diuinæ eius generationis, videre ipsum cum Maria matre eius, cum Angelis adorare, Pastoribus & Magis: denique recipere in seipsis. Ij scilicet qui non ex sanguinibus, neque ex carne, neque ex voluntate viri nati sunt, sed quibus data est potestas filios Dei fieri. Et qui sunt isti? Quæso omnes intelligant.

1. Primò, hi sunt qui gratiæ aduentus eius cooperantur expectatione & desiderijs, cum omnibus Patriarchis & Prophetis. Sic enim appellatur ab illis expectatus & desideratus cunctis gentibus: & ita cum illis dicunt; Sitiuit anima mea ad te, &c. Vtinam disrumperes cœlos & descenderes. Talibus dedit potestatem filios Dei fieri, & merebuntur eum recipere.

2. Secundò, qui animas pœnitentia & puritate vitæ præparant. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini. Adhuc tres dies, & videbit omnis caro salutare Dei, veniet & non tardabit, aperite illi portas iustitiæ, & introibit Rex gloriæ. Quæ sunt illæ portæ iustitiæ? Puritas conscientiæ, humilitas & dolor de peccatis, confessio, & digna satisfactio Deo, nobis & proximo, non peccandi amplius firma voluntas; vno verbo, digna pœnitentia & vera. Hæc porta Domini, & iusti intrabunt in eam, vt eant obuiam Christo, & Christus veniat ad eos. Quare cum Samuele 1. Reg. 7. dicam hodie: *Præparate omnes corda vestra Domino.* Dico corda, quia ideo in terra sine domo natus est, & in præsepio, vt ostenderet quia in cordibus nasci, viuere & manere volebat.

Quæ sunt portæ iustitiæ.

3. Quare tertiò, ij merebuntur videre natum, recipere, adorare, eius generationis fieri participes vt filij Dei, qui dignè ipsum excipient in cordibus suis. Qui in Virgine, & de ea natus est, nasci etiam vult & habitare in nobis, qui natus est nobis.

Proprium est filij Dei nasci semper. Nascitur seu generatur in Patre vt Verbum generatione æterna, in Virgine matre Verbum caro factum generatione temporali & voluntaria; in nobis autem generatione spirituali, per gratiam. Quare corda nostra quærit & animas: venit in Bethleem, & non erat ei locus in diuersorio, quasi vagus iam declinans ad manendum. Igitur quærit vbi nascatur, vbi quiescat, vbi pascatur, vbi pascat: quærit Bethleem, quærit animam, domum panis, quia ipse est viuus panis qui de cœlo in terram descendit.

Nasci semper proprium est filij Dei.

Non erat Christo locus in diuersorio, qui quærebat nasci in nobis.

O fœlicia nostra tempora! Non sumus amplius in desiderio animæ, sed in possessione versamur & fruitione: hæc temporis plenitudo nobis dedit quem sæcula præterita petierunt, & non amplius futura expectant. Natus est nobis ille promissus Patris, & desideratus cunctis gentibus, & dicit; Iam deliciæ meæ esse cum filiis hominum, nasci, viuere & manere in illis. Ecce deliciæ eius; & nostræ cum quo erunt? Cum filio hominis, & in filio hominis. Non permittamus itaque, vt diutiùs in præsepio maneat, sed curemus vt in nobis maneat, & nos in illo. Propterea conscientiam nostram curemus, mundemus, emundemus, & præoccupemus faciem eius in confessione. Prou. 8.

DE CONFESSIONE.

Qui credunt in nomine eius, ex Deo nati sunt. Ioh. 1.

QVOTQVOT receperunt Christum, & recepturi sunt; quotquot pœnitentia & confessione parauerunt viam eius, ij sunt qui ex Deo nati sunt. Exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro, laudem & gloriam demus Christo Deo & Domino nostro; præoccupemus faciem eius in confessione, aduentum eius & præsentiam in confessione peccatorum. Malach. dicit: *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol Iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Malach. 4.

Medicorum aphorismus est, semper in ortu Solis medicinam sumendam ab ægrotis, quia, inquiunt, in Aurora omnes morbi & febres languescunt. Sic in ortu Solis nostri Iustitiæ Christi, vbi maximè languescere debet peccatorum nostrorum morbus, omnis etiam peccator debet se magis præparare per medicinam pœnitentiæ, sciens adhuc quod ipse venerit ad nos vt medicus ad infirmos, inquit S. August. Magnus venit medicus, quia magnus vbique iacebat ægrotus. Ille de quo apud Isaiam dicitur; *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis, vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas.* Isa. 1.

Pœnitentia necessaria tempore Dominici Aduentus.

Itaque necesse est vt ad medicum accedere festinet anima ægrota, & à Christo medicinam pœnitentiæ sumat. Omnia nobis ille factus est, ait S. Ambros. Si esuris, panis est; si sitis aut febribus æstuas, fons est; si à vulneribus curari desideras, medicus est; si iniquitatibus grauaris, Iustitia est; si indiges auxilio, virtus; si mortem times, aut iam mortuus es, vita est. Omnia tibi Christus. *Ego*, ait, *sum via, veritas & vita.* Quà vis ire? Ego sum via. Quò vis ire? Ego sum veritas. Vbi vis permanere? Ego sum vita. S. August. in Ioh. Ambulare vis? Ego sum via. Falli non vis? Ego sum veritas. Mori non vis? Ego sum vita. Addamus, sanari vis? Ego sum medicina & medicus ille missus, sicut dixit per Isaiam, vt mederer contritis corde, id est, pœnitentibus. Et certè etiam propterea venit, & maximè. Ioh. 14. Isa. 61.

Christus est omnia animæ.

Figura est 4. Reg. 20. Ezechias Rex infirmabatur, & misit ad eum Dominus Isaiam, præcipiens ei vt tolleret massam ficorum, & cataplasmaret super vlcus eius, daretque ei hoc signum sanitatis quod Sol descenderet retrorsum decem lineis. Per infirmum Ezechiam intelligitur homo ægrotus ad mortem, ad quem missus est verus Isaias, qui interpretatur salus mundi Christus, portans secum massam ficorum, id est, humanitatem, vt applicaret illam vlceribus nostris, quando scilicet

Figura Aduentus Christi. 4 Reg. 20.

ſcilicet peccata noſtra & languores ipſemet pertulit in corpore ſuo, deſcenditque retrorſum decem gradibus ac lineis in ſignum ſanitatis noſtræ, & redemptionis,cùm infra nouem choros Angelorum deiecit ſe, & infra homines ipſos, pro iis pœnam & tormenta ſuſtinens, contraria contrariis curans,humilitate ſuperbiam noſtram,& tormentis voluptates noſtræ carnis.

Sed quid interim nobis eſt faciendum? Quod Ezechias fecit, qui condemnatus erat ad mortem; conuertit ſe ille ad parietem, fleuit & orauit Dominum. Ita oportet vt nos faciamus. Primò,conuertamus nos ad parietem peccatorum noſtrorum:(diuiſerunt enim inter nos & Deum) & ploremus, veniámque confitendo imploremus; ſic enim merebimur ad nos Dei oculos conuertere, & audire quod per os Iſaiæ dixit Dominus Ezechiæ: Audiui orationem, & vidi lacrymas tuas, & ecce ſanaui te.

Confeſſionis neceſſitas. De modo igitur confitendi,& nobis vtiliter applicandæ iſtius medicinæ ſalutaris, loquamur. Etenim ex omnibus partibus pœnitentiæ, maximè neceſſaria eſt confeſſio. Illa enim eſt quæ nos iuſtificat; Iſa.43. *Dic tu iniquitates,vt iuſtificeris.* Illa eſt quæ peccata remittit,vt S.Iohannes ait; *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus & iuſtus,vt remittat, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ipſa eſt quæ animam à morte liberat,& paradiſum aperit. Ita S.Auguſtinus.Nemo mihi dicat,ago pœnitentiam in corde; vt tibi cœlum aperiatur, aperi os tuum Sacerdoti: hæc ſola eſt porta paradiſi. Illa denique eſt quæ nos adducit ad Chriſtum,quæ fidei noſtræ ſignum exhibet & actum; & tandem nos in ſtatum reſtituit diuinæ filiationis amiſſæ per peccatum. Qui credunt in nomine eius, ex Deo nati ſunt;qui vt oportet dignam pœnitentiam agunt de peccatis ſuis, & confitentur ea,hi credunt in Chriſtum, in eum ſperant & accedunt,& dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.

Iſa.43. 1.Ioh.1. S.Auguſt.in Pſ.117. *Virtus confeſſionis.*

S.Auguſt.in 1.Can.Ioh. Ita S.Auguſtinus in 1.Can.S.Iohan. Cùm confeſſus fueris te peccatorem, appropinquas ad lucem,quia adiungis te Chriſto,qui eſt Sol Iuſtitiæ, vt verificetur de te illud Epheſ. *Eratis aliquando tenebræ:nunc autem lux in Domino.* Ecce equidem de confeſſione planè mira, & plena virtutis, adeò vt abſque illa non ſit pœnitentia. Et in illa ſolùm eſt pœnitentiæ complementum: virtualiter enim reliquas partes continet. Dicamus igitur quid ſit, & ex definitione eius, modum confitendi doceamus.

Epheſ. 5.

Quid ſit confeſſio. Confeſſio in genere eſt accuſatio peccatorum cum dolore, & propoſito non peccandi amplius. Diſtinctiùs definitur,actus hominis exterior propriorum peccatorum cum ſui accuſatione in foro ſpirituali,& ſecreto manifeſtatiuus. Sufficiet modò ſi ſolùm ſingulas illius definitionis partes explicemus, quæ datur à Doctoribus Canoniſtis.

Explicatur prima pars. Prima igitur eſt, quod per actum exteriorem fiat. Duplex enim in ea eſt actus hominis. Vnus interior, qui omnia coram Deo in veritate aperit & cum dolore:alter exterior, qui coram hominibus verbo & nutu aperit, & qui neceſſariò requiritur, vt ex S.Auguſt. diximus. Nemo mihi dicat, ago pœnitentiam in corde; vt tibi cœlum aperiatur,aperi os tuum Sacerdoti. Sic Dauid; *Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea*, ſcilicet ad peccata varia,ita vt vix ea dimittere potuerim.

Pſal.31.

2. *Triplex actus confeſſionis ad ipſius differentiam.* Hinc ſequitur ſecunda, ſcilicet vt ſit actus peccatorum manifeſtatiuus, qui propriè dicitur pœnitentiæ actus. Etenim iuxta triplicem differentiam confeſſionis, etiam triplicem actum inuenimus. Vna enim eſt confeſſio quæ dicitur fidei, & cuius etiam actus, fidei & iuſtitiæ actus dicitur. Altera quæ dicitur laudis,& exterioris cultus,cuius actus dicitur latriæ, & ſupremi honoris Deo exhibiti. Tertia denique peccatorum eſt confeſſio, quæ ordinatur ad abolitionem & remiſſionem ipſorum, & cuius etiam actus, verus actus exterior pœnitentiæ dicitur, qui in accuſatione eſt,cùm homo verè oſtendit & declarat quia peccaſſe eum pœnitet, vnde confitetur & propria peccata manifeſtat.

3. Tertia pars eſt,vt ſit confeſſio,propriorum delictorum manifeſtatio, & non aliorum;vt noſtra, & non proximi peccata declaremus. Sæpe enim multis accidit,vt cùm ſua peccata declarant,etiam aliorum detegăt, dominorum,ſeruorum,affinium inter ſe; & ſic proximorum plurima certè impertinentia reuelant. Non eſt ita faciendum.Confeſſio manifeſtatiua ſolùm eſt propriorum peccatorum.

4. Vnde additur quarta pars,cum ſui accuſatione. Vt autem in veritate fiat accuſatio, requiritur vt ſit ſimplex,& duo remoueantur in illa, excuſatio, & inutilitas rerum ſeu verborum quæ nihil ad accuſationem faciunt. Etenim in pleriſque duo hi abuſus inueniuntur. Imprimis quod multi dum confitentur, ſæpius peccata ſua diminuere tentant,contegunt illa,& declinant cor ſuum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis, alteri culpam imputando, dæmoni, tempori, occaſioni,tentationi, loco,ſociis; vel etiam,quod impiiſſimum eſt, Deo ipſi neceſſitatem & cauſam tribuendo, cùm dicunt ſe aliter non potuiſſe facere: cùm certum ſit, nullam aliam peccati cauſam eſſe quàm ipſius voluntatem hominis. Vnde ſolùm ſe accuſare debet,& dicere cum Dauid: *Tibi ſoli peccaui,& malum coram te feci.* Cum prodigo ſimiliter: *Surgam, & patri dicam: Peccaui in cœlum & coram te. Iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Et cum publicano item pectus percutiens dicere: *Deus,propitius eſto mihi peccatori.*

Duo abuſus in cõfeſſione. Pſ.50. Luc.15. Luc.18.

Secundus abuſus in enarrationibus inutilium eſt,in ſuperfluitate locutionis & rerum, vel etiam vanitate. Alij enim ſunt qui vbi tantùm paucis verbis opus eſt,hiſtorias faciunt,& hoc non eſt ſe accuſare. Alij verò,quod peius eſt,& penitus horribile, etiam cum vanitate (vbi confuſio requiritur,& humilis accuſatio) ſua verba componunt, in multiloquiis abundant, & oratores ſunt magis quàm accuſatores peccatorum.

Duo in confeſſionē requiruntur. Itaque quæ in confeſſione requiruntur, illa ſunt. Primum,accuſatio humilis & ſimplex omnium peccatorum,quoad numerum & ſpecies eorum. Secundum, declaratio omnium circumſtantiarum quæ peccatum mutant,aggrauant,aut multiplicant eius malitiam. Circumſtantia mutans ſpeciem, eſt quæ ex mortali vnius ſpeciei facit mortale alterius, vt ſi quis rem alienam clàm accipiat inuito domino in loco ſacro,tale peccatum ob circumſtantiam loci fit ſacrilegium,quod aliàs eſſet ſimpliciter furtum.Similiter copula, quæ cũ libera eſſet fornicatio, cum conſanguinea eſt inceſtus.Circumſtantia aggrauans eſt,quæ malitiam peccati intra eandem ſpeciem manentis notabiliter auget; vt qui rem notabilem furatus eſt, debet id in confeſſione exprimere, quia licèt furtum rei magnæ, & modicæ ſint eiuſdem ſpeciei, tamen circumſtantia grauitatis materiæ, ſeu rei furto ablatæ, facit vt furtum ſit peccatum mortale, quod in re

in re modica commiſſum eſt tantùm veniale; & A proinde talis circumſtantia in confeſſione aperienda eſt. Circumſtantia multiplicans malitiam peccati, ſumi poteſt ex multiplici fine quem peccans ſibi proponit, vt ſi quis cuſtodem Eccleſiæ occidat, eo fine vt inde vaſa ſacra ſurripiat, vel ædes effringat, vt adulterium committat. Hæc omnia in confeſſione exprimi debent, vt in his grauis diuerſitas peccati eſt & multiplicatio. Quæ omnia comprehendit illa quarta pars confeſſionis quæ dicitur accuſatio ſui.

Quinta & vltima pars cōfeſſionis explicatur.

Sequitur quinta pars, vt ſcilicet fiat in foro ſpirituali & ſecreto, vt ſic excludantur omnes confeſſiones quæ non ſunt ſacramentales, quales ſunt B ſæculares quæ condemnationem extorquent, non abſolutionem, vt ſimiliter Eccleſiaſticæ faciunt. Præterea dicitur in ſecreto, vt adhuc excludantur publicæ quæ in Miſſis fiunt & ſolemnitatibus Eccleſiæ. Denique in foro ſpirituali & ſecreto dicitur, vt illa ſingularis intelligatur quæ ſacramentalis eſt, propriorum delictorum manifeſtatiua, & eo fine facta, vt virtute clauium veniam impetremus.

Triplex neceſſaria conditio, vt ſit valida confeſſio.

His poſitis, cæteriſque prætermiſſis, demus nūc tres neceſſarias conditiones vt ſit valida confeſſio. Neque enim confiteri ſatis eſt, imò nihil prodeſt, ſi non fiat peccati remiſſio. Prima itaque conditio
1. eſt, vt ſit integra confeſſio ſecundùm ſpeciem & C numerum omnium peccatorum, ſecundum modū quem iam propoſuimus, & nullum ſcienter omittatur, aut negligentia, alioquin nulla eſt confeſſio.
2. Vnde ſecunda conditio ſequitur, vt ſit diligens. Quod quidem ad examen ſpectat; debet enim perquiſitio accuſationem præcedere, alioquin qui examinis defectu non cōfiteretur peccata omnia, inualida & nulla remaneret confeſſio. Huius diligentiæ eſt, reuocare ad ſe omnia Dei præcepta & Eccleſiæ, & videre in quibus iuxta conditionē noſtram deliquimus, tali circumſtantia temporis, loci, rerum, atque perſonarum. Et certè eam ſaltem diligentiam adhibere debemus, quam rebus momenti & ponderis daremus; alioquin nulla eſt, præſertim ſi rarò confiteri ſolemus. Quomodo D enim, quæſo, ille in iudicio reus non erit qui dies integros & vitam pro nihilo impendet, & pro re quæ ſpectat ad ſalutem eius negligens erit, minimèque curabit?

Triplex fidelitas in confeſſione.

3. Vnde ſequitur tertia conditio, ſcil. vt ſit fidelis. Triplex autem in confeſſione eſt fidelitas. Prima Deū reſpicit, & illa eſt in dolore de peccatis præteritis, in voluntate amplius non peccandi in æternum, potiuſque velle mori quàm rurſum peccare; alioquin quid profuit confiteri?

Secunda fidelitas proximum reſpicit, vt ei ſatisfaciamus, honore, recōciliatione, reſtitutione: honore, ſi famam læſimus; reconciliatione, ſi charitatem & amicitiam fraternam; reſtitutione denique, ſi bonis eius damnum intulimus, vſura, furto, vel E aliqua alia detentione iniuſta. Alioquin peccata confiteri, retinendo aliena iniuſtè, nec ſatisfacere, ſacrilegium eſt, non confeſſio pia & ſacramentalis. Sed quid iſtud prodeſt? Siccine à nobis contemnuntur diuitiæ bonitatis Dei, vt magis prouocetur in nos furor iræ eius?

Tertia fidelitas ſpectat ad nos ipſos, ſc. vt poſtea in iuſtitia æterna maneamus, ſemper vindictā ſumamus de peccatis per pœnitentiam, cum Deo & cum hominibus pacem ſeruemus, & intra nos ipſos tranquillitatem animæ ac ſpiritus, vt Chriſto Deo pacis æternum præparemus tabernaculum in nobis.

DE SANCTA COMMVNIONE, & ſacramentali receptione Domini IESV.

Verbum caro factum eſt. Iohan. 1.

Duplex Chriſti Natiuitas.

IN generatione temporali Chriſti duplex inuenitur Natiuitas: vna in Virgine, & altera de Virgine. Prima abſcondita fuit, & ſecunda reuelata. De prima dictum fuit Sancto Ioſepho: *Noli timere, quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Matth. 1. De ſecunda autem ipſi Virgini: *Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Et Matth. 1. *Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt* IESVS, *qui vocatur Chriſtus.* Luc. 1. Matth. 1.

Quando cœpit & conſūmata fuit Virginis maternitas.

In prima Natiuitate cœpit maternitas Virginis, in ſecunda verò conſummata fuit. Sic Eliſabeth Virginem ſalutauit, dum adhuc filium ſuū in vtero geſtaret: *Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me?* & ſic ab Angelo Ioſepho dictum eſt poſtquam peperit; *Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum.*

Cras hanc Natiuitatem ſecundam, & conſummatam & reuelatam hominibus multitudo militiæ cœleſtis & Angelorum laudantium Deum, & dicentium; Gloria in altiſſimis Deo, prædicabit; nóſque cum illis adorabimus puerum de Virgine natum. Sed hodie illam primam & abſconditam adhuc in Virgine matre Natiuitatem venerātes contemplabimur, de qua illud impletur Iohan. *Et Verbum caro factum eſt*, Deus-homo in vtero Virginis.

Hodie itaque ſcietis quia veniet Dominus, adhuc vnum modicum, & veniet deſideratus cunctis gentibus, veniens veniet, & non tardabit. Cras manè videbitis gloriam eius, infantem inuolutū pannis & poſitum in præſepio, gloriā quaſi vnigeniti à patre, puerum natum, plenum gratiæ & veritatis, ab Angelis & ab hominibus adoratum. Agg. 2. Abac. 2.

Nos ſumus in quos plenitudo temporum & fines ſæculorū deuenerunt, iam in deſiderio non ſumus aut in expectatione, ſed in poſſeſſionis & fruitionis gaudio. Natus in Virgine, de ea naſcitur, vt naſcatur in nobis; & non eſt ei locus in diuerſorio, vt inueniat in nobis. Ecce expectatio Iſraël, & Saluator eius quaſi colonus in terra, quaſi viator & vagus declinans & quærens ad manendum. *Filius hominis, ait, non habet vbi caput ſuum reclinet*, quærit certè qui in domum ſuam recipiat, & noſtram quærit animam, quia alium locum non habet in terra, vbi maneat, caput ſuū reclinet, paſcatur & quieſcat. Ierem. 14. Matth. 8.

Locus Chriſti in terra anima eſt.

Adorna itaque thalamum tuum Sion, & ſuſcipe Regem tuum & Dominum de cœlo ad te venientē & natum. En ſtat ad oſtium & pulſat, petitque introitum, vt nobiſcum epuletur & cōuiuat. *Ecce ſto*, inquit, *ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocē meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipſe mecum.* Apoc. 3.

Ipſum ergo audiamus, & quis ſit attendamus, vt ei promptiùs ianuam cordis aperiamus. Domine tu qui es? *Ego ſum qui ſum.* Domine tu qui es? *Ego Deus, & non mutor* (quia ſum æternus.) Domine tu quis es? *Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi.* Domine tu quis es? *Ego ſum vermis, & non homo.* Ita eſt, quia pluſquàm homo eſt. Vermis quæſo generationem attendite. Ille formatur ex materia terræ, Exod. 3. Ioh. 6. Pſ. 21.

virtu

Diuersæ qualitates Christi, & quibus se comparat.

virtute Solis, & non terræ: sic Christus ex materia terræ virginalis Mariæ ortus est virtute Spiritussancti, non autem ipsius Virginis, aut hominis. Ideo dicit: Ego sum vermis, & non homo, quia plusquàm homo. Domine tu quis es? *Ego flos campi, & lilium conuallium*: ac si diceret, filius Virginis.

Cant. 2.

Sicut enim flos campi sine sparso semine, & hominis labore de terra oritur, in eóque differt ab aliis hortorum floribus: Ita Christus sine humano semine de Maria intacta & virgine natus est flos campi. Intactus campus Maria, de qua natus est IESVS qui vocatur Christus, id est, gratiarum plenitudine vnctus; ideóque flos dictus. Sicut enim flos quædam mixtio est & condensatio humorum, & quasi succus essentiæ ipsorum, qui postea etiam igne vel pistillo totus in aquam resoluitur: Ita Christus gratiarum donis plenus est, Iohannis 1. Vidimus eum plenum gratiæ, & singulis illas diuidit.

Quam ob causam etiam lilio comparatur, sed lilio conuallium, quod maximè longè latéque odorem suum diffundit inter omnes flores; & de plenitudine eius omnes accepimus. Domine tu quis es? Ego vnigenitus Dei & Virginis, Christus diuinitate vnctus, IESVS animarum vita & salus, sponsus, pastor, mensa, & conuiuium. Si quis mihi aperuerit intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum.

Aperiamus ei & suscipiamus, dignus enim est & meretur. Et certè si consideremus personæ dignitatem, non valemus excellentiam capere Majestatis; apparet vt paruulus & homo, & Altissimi est filius, Deus in excelsis. Suscipiuntur qui in dignitate sunt constituti. Ecce quanta eius est dignitas qui filius est Dei.

Quot & quãtis titulis Christus meretur recipi.

Suscipiuntur amici; & ipse non solùm est amicus, sed sponsus noster, & frater, imò caro nostra. Ideóque puto, quod iam me non potest spernere Christus, quia os de ossibus meis, & caro de carne mea est. Et certè multum nos propinquitate & affinitate prætulit Angelis, qui nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ, & ex parte matris se nobis fraternitate coniunxit: vnde etiam meliorem & maiorem partem nobis euenire voluit quàm Angelis. In hoc priuilegio figurati eramus in Benjamin iuniore fratre Ioseph ex patre & matre; cui propterea in conuiuio maior pars venit & data est quàm aliis fratribus. Ita Christus supra Angelos, quos tantùm diuinitate reficit, nos diuinitate simul & humanitate pascit: ea certè ratione quia ex parte matris frater noster est. Ita vt dicere possimus; Ipsius genus sumus. Hæc etiam maxima est ratio cur ipsum digniùs suscipere debeamus; & quia ipse est, qui tot & tantis nos beneficiis super omnes creaturas erexit.

Quomodo homines in Sacramēto Altaris præferuntur Angelis.

Genes. 43.

Quibus bonis Christus homines amplificat, & maximè susceptus.

Suscipiuntur benefici. Et quis vnquam nobis ampliora bona dedit & promisit quàm Christus, qui nobis omnia quæ habet & possidet, dedit & promisit? Diuinitatem, humanitatem, corpus, animam, vitam, gratiam, & in futuro gloriam. Præterquàm quod etiam susceptus à nobis nostrum intellectum illuminat, quia lux est. Accendit affectum, quia ignis. Ditat memoriam, quia sapientia est & thesaurus omnium bonorum patris. Et sic ad bonum nostrum, & quasi ad vsum omnia quæ habet, liberaliter, imò prodigaliter impendit, corpus in cibum, sanguinem in ablutionem & potum,

A dicens: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*; sed sanguis qui effundetur in ablutionem peccatorum. Sic Apoc. *Lauit nos à peccatis in sanguine suo.* Si id non satis, & animam adhuc expendit in redemptionem nostram & vitam. Ioh. 10. *Animam meam pono pro ouibus meis.* Adeò vt post omnia, cœlum in possessionem det & diuinitatem in fruitionem. O quis inde non studeat ei dignè cor suum præparare?

Ioh. 6.

Apoc. 1.

Ioh. 10.

Vna mulier Sunamitis modum nos docebit. Illa Elisæum excipere volens, de eo sic ad virum suum loquitur. Video quod vir Dei sanctus est iste qui transit per nos frequenter, faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum B & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cùm venerit ad nos maneat ibi. Talis est domus & supellex quam Christo anima præparare debet. Quis enim est verus Elisæus, qui interpretatur Deus saluans, nisi Christus IESVS, qui dicitur Saluator, Deus saluans. Matth. 1. *Vocabis nomen eius* IESVM, &c.

4. Reg. 4. *Elisæus figura Christi.*

Comparationem instituamus; & certè inter omnes prophetas nullus est qui in pluribus Christum expressiùs repræsentet. Ita vt nihil ferè in eo sit, siue nominis, vt iam notaui, (Elisæus enim dicitur Deus saluans, & talis est significatio nominis IESV) siue status, actionum, & mysterij, quod non sit figura exactissima Christi Domini.

C Et primò, quantum ad statum Elisæus seruus erat Eliæ, qui etiam Deus magnus interpretatur. Sic fuit pro nobis Christus Dominus, qui cùm in forma Dei esset, ait Apostolus, & filius Dei, æqualis patri, formam serui accipiens, id est, hominis, magni Dei seruus pro nobis factus est, sub lege factus vt seruus, sicque à patre in mundum missus. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.*

1. Elisæus quantum ad statum figura Christi.

Gal. 4.

Secundò, quantum ad actiones & opera Elisæus pallio Eliæ tanquam instrumento ad mira opera patranda vsus est: & Christus pallio humanitatis accepto ex voluntate & manu patris, ad ostensionem suorum mirabilium vsus est. Elisæus D pallium Eliæ leuauit quod ceciderat: & Christus humanitatem nostram, quæ passione ceciderat, eleuauit supra omnes cœlos. Elisæus pallio suo percussit aquas, diuisit & pertransiit: & Christus per humanitatem diuidens aquas passionis transiit ad gloriam. In Elisæo requieuit spiritus Eliæ per pallium eius: & in Christo Spiritus Domini, ratione humanitatis, scilicet quia filius hominis est, & vsque ad hanc formam se humiliauit.

2. Elisæus quantum ad opera Christum repræsentat.

Tertiò, quantum ad mysterium, præsertim Incarnationis, cætera enim relinquimus. Ille inpetrato filio Sunamitidi, qui statim tactus ardore Solis super genua matris moritur, eundem postea re-E suscitat descendens ad eum, & incuruans se super eum, cùm antea nihil profuisset seruus eius quem ad eum miserat cum baculo. Ita Christus, per quem homo creatus fuerat, cùm ipse ardore Solis concupiscentiæ & peccati adhuc super genua matris Euæ, quæ altera Sunamitis, id est, dormiens, fuit, vitam expirasset, (nascimur enim omnes ex matre filij iræ & mortis) venit ille & descendit, vidensque quod nihil proficiebant prophetæ missi cum baculo legis, incuruauit se super puerum, & exinaniuit vniens se humanæ naturæ per Incarnationem in similitudinem hominum factus, Verbum caro factum est,

3. Quantum ad mysteriũ Incarnationis.

N   & ha

& habitauit in nobis, carnem nostram calefecit verbo vitæ,& hominibus restituit vitam. Ecce igitur verus Elisæus, Christus, Deus saluans & dans vitam.

Quare conuenit vt erga ipsum nos eo modo geramus quo Sunamitis erga suum Elisæum, & præparemus ei venienti primò cœnaculum paruum, scilicet cor angustum & solius Dei capax, non aliorum. Secundò, lectulum, id est, conscientiam puram, & mundam; probet seipsum homo, neque enim transfert se nisi in animas sanctas. Tertiò, mensam, scilicet rectitudinem intentionis ad omnia, & capacitatem diuinarum voluntatum in anima. Etenim cibus meus (inquit) voluntas Dei est, sicut potus lacrymæ & fletus pœnitentiæ. Quartò, sellam, quæ est humilitas & reuerentia. Quintò denique candelabrum, quod est fides amore instructa & accensa charitatis ardore: sic enim exinde vita nostra instituenda est, vt semper parati simus ad eum recipiendum, bonus odor Christi simus in omni loco, & intra nos continuò dicamus: *Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Christus.*

Ioh. 4.

DE AVGVSTISSIMA Natiuitate Domini IESV.

Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator. Luc. 2.

Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ioh. 1.

CHRISTO Domino reddere debemus, quod ab eo quando hominem se fecit, accepimus. Duo autem singulariter ab eo accepimus. Primum est amor quo diuina hæc vnio peracta est & completa. Quomodo dixit Christus: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, & sic filius dilexit eum, vt semetipsum, cùm in forma Dei esset, exinaniret, formam serui accipiens, &c.

Duo accepimus à Christo per Incarnationem.

Secundum est honor æternus homini redditus, talisque tantus, vt ipsum videatur honorasse omni quo potuit honore. Neque enim amplius potuit, quam cùm naturam eius sibi in vnitate personæ coniunxit & deificauit, Verbum caro factum est, & homo Deus agnitus est. Agnosce homo tuam dignitatem, diuinæ nunc consors factus naturæ. Iam antea homo multum fuerat à Deo honoratus eius imagine accepta, sed, vt ait Psal. cùm in honore esset non intellexit: verùm multo magis hodie in honorem est eleuatus, vbi Deus ipse imaginem eius sumpsit, similitudinem & naturæ veritatem, Verbum caro factum est.

Attendite mysterium. Deus infinitè merebatur honorari ab homine: & homo finitus talem honorem etiam debitum ei reddere non poterat. Quid fecit filius, qui non patitur Deum honore sibi debito priuari? Hominem se fecit, vt homo in Deo, & creatura in suo creatore debitum ei honorem infinitum redderet. Hoc est consilium quod cogitauit & compleuit in tempore æterna sapientia Patris, cùm videlicet Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & ipsum adhuc in carne, noua generatione Patrem à quo æterna exierat, honorare voluit.

Duplex honor Deo exhibitus per Incarnationem.

Attendite mysterium. Iam à creaturis honoratæ fuerant diuinæ perfectiones, eisque gloriam dederant creationis opera, vt productio Seraphinorum dat honorem & gloriam amori increato, seu bonitati essentiali quæ est in Deo: Cherubinorum, lumini Deo: Thronorum, Majestati eius; & sic de aliis. Emanationes autem quæ sunt in Deo, non fuerant honoratæ, nec poterant creationis ordine. Quare filius, vt Patrem honoraret à quo exierat æqualis in essentia, generatione æterna, necessaria & ineffabili, nasci voluit alia generatione quæ esset voluntaria & temporalis, sed cum altera ineffabilis, & aliquo pacto infinita; vt sic vna honorem & gloriam exhiberet alteri, temporalis æternæ, voluntaria necessariæ, & infinita ineffabilísque in exinanitione & vilitate, infinitæ & incomprehensibili in gloria & Majestate. Denique vt filiatio noua & humana secundum carnem ex Virgine, immutabilem & diuinam honoraret ex Patre: simúlque maternitas Virginis gloriam daret paternitati æternæ Dei. Vnde fit, vt Virgo in qualitate Matris Dei, referat se continuo honore ad paternitatem Dei, & sola reddat ei plus gloriæ, quàm aliæ omnes creaturæ. *Maria*, inquit S. Matth. *de qua natus est* IESVS. Et Angelus ad illam: *Ecce concipies in vtero, & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Hodie peperit, ex Euang. & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quem statim annunciarunt Angeli de cœlo Saluatorem mundi. O quis posset exprimere quantus sit iste honor, quem Virgo hodie maternitate sua reddit æterno Patri ratione eiusdem filij?

Diuinæ perfectiones à creaturis honorantur.

Emanationes diuinæ per Incarnationem honorantur.

In maternitate Virginis est relatio honoris ad paternitatem Dei.

Luc. 1. & 2.

Attendite mysterium, quod hodie sit completa eius maternitas, simúlque adoret quem genuit Virgo. O magnitudinem nascentis! Virginis nascitur filius, & matris suæ simul est pater & Dominus. Talis est gloria huiusce maternitatis, & talis etiam prærogatiua honoris, quē simul Deo reddidimus in filio Virginis. Ipse est qui ista admirabili vnione hominis cum Deo in vnitate personæ, obligationi satisfecit hominis, iuxta quam debitor erat Deo infiniti honoris. Deus enim iustè hunc exigit, & ei iure naturæ debetur, etsi creatura non possit ei dare conuenientem & proportionatum infinitæ dignitati eius: nam & hoc non impedit quin semper exigere possit vt debitum. Regi sæculorum immortali soli Deo honor & gloria.

Homo in Christo infinitum honorem Deo debitū reddit.

1. Tim. 1.

Quis igitur ei redditurus est? Christus homo-Deus. Proptereàque *Verbum caro factum est*, scilicet vt non solùm actione quæ præterit, sed etiam statu, & perpetuo statu hunc pro nobis honorē Deo Patri redderet. Etenim quandiu Deus erit, nunc semper & in æternum homo erit: & statu, continuóque gloriam dabit & honorem Patri. In hoc enim à cæteris differt hoc mysterium Incarnationis, seu hominis-Dei, Christi qui hodie natus est, quod omnia alia transierunt, & potiùs in actione fuerunt quàm in aliquo statu. Istud autem status quidam est & permanens, ita vt hodie nunc eodem adhuc honore Patrem honoret, quo ab initio mysterij, scilicet & conceptionis & natiuitatis, ipsum honorauit.

In quo differt mysterium Incarnationis ab aliis.

Quod si hoc ita sit, nósque adhuc eum tali honore

honore in æternum exhibito Patri, etiam in æternum honorauerit factus homo, quid retribuemus ei? Nonne hinc iustū est & rationabile, vt hodie & semper reddamus ei quæ ab eo in hoc tam ingenti mysterio accepimus, scilicet honorem pro honore, & pro amore amorem; neque permittamus vt in hac re Angeli nos præcedant, & soli hæc illi officia honoris & laudis reddant? Dicunt hodie in multitudine militiæ cœlestis: *Gloria in excelsis Deo*, & tamen non sunt consortes sicut nos huiusce honoris, non sunt sicut nos diuinæ consortes naturæ: *nusquam enim Angelos apprehendit sed semen Abrahæ*, hodiéque inter nos & Deū multo maior est propinquitas quàm inter ipsum & Angelos; Verbum caro factum est, nostra caro est & frater.

Quomodo tenemur cū Angelis Christo amorem & gloriam reddere.

Solus homo diuinæ honoris, sicut naturæ, fit particeps in Natiuitate Christi.

Quæ igitur nostra confusio erit, quod Angeli cum omni cœlo non cessent huic mysterio gloriā dare & honorem, & nihil de eo cogitent homines, propter quos solùm factum est? Existiment, quæso, ex omnibus quæ in cœlo sunt, illud vnum esse propter quod incessanter & in æternum Deum magnificabimus, & nunc debeamus collaudare, benedicere & prædicare. Præterquàm quod etiam hæc ipsa laus redundat in bonum nostrum, eiusdémque honoris quem nos ipsi reddimus, efficimur participes ratione communicationis nobis factæ omnium bonorum Christi, quæ nobis in eo accidit ex vnione naturarum.

Quomodo in nos ipsos redundat honor factus Christo.

Hinc est quod etiam dicimus illi quotidie in tremendo, altissimo & diuinissimo sacrificio Altaris: Gratias agimus tibi propter magnā gloriam tuam. Ideo certè quia etiam huius per eum participes sumus, sicut omnium aliorum bonorū eius. Iuxta quod Apostolus ipsum vocat hæredem vniuersorum Patris; nos autem Christi cohæredes, qui est primogenitus in multis fratribus.

Et hoc sensu dixit hodie S. Lucas quod Virgo peperit filium suum primogenitum. Primogenitum vocat, quia ipse est ante omnem creaturam. Sic Coloss. 1. dicitur ab Apostolo primogenitus omnis creaturæ. Item primogenitum vocat, quia ipse est, per gratiam & conformitatem cuius nos sumus omnes filij Dei, & prædestinati: vnde etiam Rom. 8. dicitur primogenitus in multis fratribus, id est, qui homines fratres suos fecit, & eos prædestinauit cohæredes qui ipsum recipiunt & honorant. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, &c. Adeò vt sicut per Incarnationem diuinæ sumus consortes naturæ; ita Natiuitatis eius, cùm dignè eum recipimus & cum honore. Nascimur enim per eum natum nobis, filij Dei Patris.

Cur Christus dicitur primogenitus.

Coloss. 1.

Rom. 8.

Ioh. 1.

Pro quo sciendum, triplicem in Christo inueniri & honorari Natiuitatem. Prima est æterna & diuina, qua dicitur Deus de Deo, in principio Verbum, & Verbum apud Deum. Secunda temporalis est & humana, qua dicitur filius hominis seu Virginis, in ea & de ea natus, iuxta hodiernum gaudium, quod ab Angelo euangelizatum est pastoribus, *quia*, inquit, *natus est vobis Saluator, qui est Christus Dominus*, de Maria natus. Tertia denique spiritualis est, qua dicitur habitare in nobis, sicut subiunxit S. Iohan. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Eò certè tendit intentio & fructus Natiuitatis huius, scilicet vt per gratiam nascatur in nobis, & ad hoc maximè & potissimum est laborandum, iuxta formam & exemplum præsentis hodiernæ Natiuitatis.

Triplex in Christo Natiuitas.

Nam si consideremus Natiuitatem aut generationem diuinam & æternam, nihil est in ea quod

In Natiuitate æterna est adoratio.

A non sit adorandum, quia totum quod in ea est, Deus est: si verò ad temporalem & humanam respiciamus, habemus in ea & quod imitemur, & quod adoremus. Adoratio Majestatis est, & imitatio seu exemplum humilitatis, infantiæ, & paupertatis. Et quidem illa sunt quæ nobis proponuntur ad imitandum in Christo, prestandúmque, vt spiritualiter & per gratiam nascatur in nobis, atque inhabitet. Quod quidem absque imitatione & labore fieri minimè poterit. In hoc enim differunt tres istæ allatæ natiuitates, quod in æterna nihil est imitandum, sed totum adorandum: in temporali est imitandum & adorandum: in spirituali verò imitationi est studendum, & laborandum vt habeatur.

In temporali est imitatio cum adoratione.

In spirituali est labor & studium.

B Propterea pastoribus annuncians Angelus cum gaudio, quia natus erat illis & nobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in Ciuitate Dauid, dicit illis; *Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem inuolutum pannis, & positum in præsepio.* Ecce infantia, ecce paupertas, ecce humilitas, ecce Christo modus & ratio nascendi, & potentiam suam ostendendi in nobis.

S. Thomas inter multas rationes cur Christus nasci, & viuere voluit in humilitate, & paupertate, præsertim duas affert, proposito nostro valde conuenientes. Prima est, inquit, quia sicut mortem corporalem assumpsit, vt nobis largiretur
C spiritualem vitam: sic humilitatem sustinuit, vt nobis largiretur exaltationem: paupertatem, vt nobis spirituales largiretur diuitias, iuxta illud Apostoli; *Scitis gratiam Domini nostri* I E S V *Christi, qui cùm diues esset, propter vos egenus factus est, vt eius inopia diuites essetis.* Ecce nascitur, & in præsepio ponitur, & inuenitur pannis inuolutus; & hoc vt ipsum imitemur, renouemur statu, renascamur cum illo, & fugientes perituram honoris & diuitiarum vanitatem, Dei paupertatem & humilitatem sectemur. Quos ditat Christus & exaltat, vult pauperes & humiles inuenire; vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Neque enim vllus commendatur, nisi quem imitatio & conformitas
D Christi commendat.

S. Tho. 3. p. q. 40. art. 3. *Duplex ratio cur Christus in humilitate natus est & vixit.*

1.

2. Cor. 8.

Secunda ratio, & illa altissima, est vt (inquit ille Doctor) tanto maior virtus diuinitatis eius ostenderetur (etiam in nobis) quanto per paupertatem videbatur abiectior. Ita Concil. Ephes. in quodam Serm. cuius hæc verba sunt, & illa refert S. Thom. Omnia, inquit, paupera & vilia elegit, omnia mediocria, & plurimis obscura, vt Diuinitas agnosceretur orbem transformasse terrarum; propterea pauperculam elegit matrem, pauperiorem patriam, egénsque fuit pecuniis. Et hoc tibi exponit præsepe. hæc Conc. Hoc, ait, tibi exponit præsepe, præsepe quidem vbi ille maiora fecit quàm in cœlo, vbi in infantia sua, nuditate &
E abiectione plura fecit quàm in omnipotentia & Majestate, vbi plura in vtero & brachiis matris & Virginis, quàm in sinu & virtute Patris. In Patre & gloria Majestatis Angelos fecit, & simul omnes visibiles creaturas: in vtero verò matris, humilitate præsepij, & infirmitate ætatis, seu infantiæ, fecit & perfecit opus Deiparæ Virginis, quod quidem omnem aliam creaturam excedit.

2.

Conc. Eph.

Maiora Christus fecit in humilitate sua quàm in gloria & majestate; maiora in præsepio quàm in cœlo.

Ecce quidem quomodo in hac noua & admirabili Natiuitate habemus quod ex vna parte imitari, & ex altera adorare conuenit: humilitatem imitari; adorare autem Majestatem in humilitate, omnipotentiam in infirmitate, gloriam in paupertate, & diuinitatem abscondi-

In Natiuitate Christi ratio imitationis & adorationis est.

N 2 tam

tam in humanitate. Sic hodie Angeli adorauere infantem inuolutum pannis, & positum in præsepio, & collætantes gratias egerunt Altissimo, omníque populo istud gaudium euangelizantes, vbi natus esset annunciauerunt pastoribus, in Bethleem, in stabulo, non in palatio. *Et hoc vobis signum*, &c.

Aduertite quæso signum diuinæ & regiæ Majestatis, panni sunt & vile stabulum; & ecce adoratio Majestatis. Quid pastores dicunt ad inuicem? *Eamus, & videamus hoc Verbum quod factum est*, Verbum quod caro factum est, quod in principio erat Verbum, & Verbum apud Deum, nunc autem Dominus ostendit nobis. Transeamus ergo vsq; Bethleem, & festinemus, quia quod à sæculis absconditum in Deo fuerat, hodie reuelatum est nobis: Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis. Et venerunt festinanter, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc, & reuersi sunt glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant. Ecce in infantia & in paupertate adoratio diuinæ Majestatis.

Matth. 2. Idem de Magis dicitur, quod intrantes domum inuenerunt puerũ cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Quem adorauerunt? Puerum inter brachia Virginis, quẽ Deum agnoscentes, in signum fidei & obsequij, ei munera sua obtulerunt.

Ecce igitur quid nobis in ista Natiuitate proponitur, imitatio ex vna parte, & adoratio ex altera. Denique nunquam obliuioni tradenda huius tam ineffabilis mysterij memoria. Et certè mundus iste nobis cum tempore datur, vt continuò hanc exinanitionem Verbi in humanitate contemplemur, sicut æternitas in cœlo ad speculandam gloriam eius: simúlque adhuc cum illa semper coniunctam exinanitionem, quia in æternum in cœlo siue in gloria Deus homo erit, sempérque illa videbitur vnio duarum naturarum & generationum in illo, temporalis cum æterna.

Quomodo in hoc mundo in contemplatione Incarnationis conuenit versari.

Quod interim faciendum nobis est, illud est, vt iugiter in hoc mysterio meditantes, spiritualem Natiuitatem curemus impleri in nobis, qua Christus per Dei gratiam habitat in nobis. Pro illa enim nunc laborandum est, illámque iuuabit multum amor & desiderium diuinæ voluntatis. Qui enim facit voluntatem Patris, ait Dominus, ipse meus frater, soror & mater est. Luc. 11.

DE GLORIFICATIONE per Christum. Et primò de visione Dei, in festo S. Stephani.

Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. Ioh. 1.

Stephanus cùm esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum, &c. ait: Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei. Act. 7.

MYSTERIVM Christi Domini non ideo in terra factum est, vt occultaretur eius gloria & Majestas. Non ideo Verbum caro factum est, & A Deus homo, vt eius penitus lateret nos diuinitas; sed potiùs ideo, vt quam secundum se intueri non poteramus propter nimium inde emicantẽ splendorem, humanitatis nube quodãmodo adumbratam perspicere possemus. Ita S. Aug. in Ioh. Gloriã eius (inquit) nemo poterat videre, nisi humilitate carnis sanaretur oculus. Irruerat homini quasi puluis in oculos, irruerat terra, & sauciauerat oculum, & videre amplius lucem non poterat: propterea illuc terra mittitur, vt sanetur, omnia enim medicamenta nihil sunt nisi de terra. De puluere cæcatus es, de puluere sanaris, caro te cæcauerat, & caro te sanat. Carnalis anima facta fuerat consentiendo affectibus carnis, & vnde fuerat oculus mentis cæcatus, hinc tibi collyrium fecit Medicus cœlestis, Verbum caro factum est, ideo vt tu dicere posses; *Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre.* hæc August. Quasi iam diceret Euangelista, talem ac tantam vidimus, vt non nisi vnigeniti filij Dei esse possit.

S. August. tract. 2. in Iohan.

B

Idem planè quod initio dixerat suæ Canonicæ: *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ, annunciamus vobis, vitam æternam quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Vidimus gloriam eius, cuius & nos testes in monte fuimus. Sic etiam S. Petrus dicit; *Non indoctas fabulas sequuti, notam fecimus vobis Domini nostri* IESV *Christi virtutem & præsentiam*, gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, *sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus*, &c. *& hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto, & nos testes sumus.* Sic Baptista testis fuit palàm dicens: *Ego vidi, & testimonium perhibui quia hic est filius Dei.* Vidimus gloriam eius.

1. Ioh. 1.

Quinã fuerint testes gloriæ Christi.

2. Petr. 1.

C

Iohan. 1.

Ita huc pertinet illud S. Pauli cùm ait: *Magnum est illud pietatis sacramentum*, scilicet Incarnationis, *quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu* (scil. credentium ab Abraham ad nos vsque,) *apparuit Angelis* (reuelatione,) *prædicatum est Gentibus* (verbo,) *creditum est in mundo* (fide,) *& assumptum est in gloria* (scilicet in Ascensione.) *Et nos testes sumus, quibus etiam apparuit in via*; & vidimus gloriam eius.

1. Tim. 3.

D

Sic denique cum aliis hodie S. Stephanus ocularis testis fuit istius in Christo magnitudinis gloriæ, cùm inter lapidantium manus intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & IESVM stantem à dextris Dei, & ait clarè & altè, *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.*

Act. 7.

Quis est iste, quæso, filius hominis? Christus, cuius, ait Iohannes cum istis omnibus, *vidimus gloriam, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* S. Chrysost. notat hic, S. Euangelistam in hoc voluisse docere cum aliis, quid inter Christi, & aliorum Sanctorum hominum gloriã interesset. Etenim & Moyses gloria aliquando visa est, cùm facie radiante rediit ad populum ex consortio sermonis Domini. Item Eliæ, cùm in curru igneo euectus visus est in cœlum ab Elisæo famulo. Sed horum omnium gloria non quasi vnigeniti à Patre apparuit, & participata tantùm erat, non eorum propria, ait S. Cyrill. Gloria autem Christi, gloria est quasi vnigeniti à Patre, id est, vera, propria & naturalis, & in cuius visione vt Dei, omnes beati erimus.

E

Exod. 34.

Differentia inter gloriã Christi & Moysis, Eliæ & aliorum.

Propterea enim, iuxta egregiam animaduersionẽ S. Basilij, visus est S. Iohãnes nomine (vnigeniti) vt indi

S. Basil. homil. de fide.

vt indicaret tantam fuisse eius gloriam, quanta est A gloria patris. Rationemque affert non minus egregiam. Cùm pater aliquis, inquit, habet multos filios, non omnem suam gloriam substantiam& facultates solet vni dare, sed diuidit inter omnes: cùm verò vnicum habet, (quod quidem est vnigenitum esse) quidquid omnino habet, illi tradit, nihil sibi reseruat, sibique in omnibus æqualem facit. Hinc equidem noster vnigenitus à patre Christus aiebat de se suis Apostolis: *Omnia quacunque habet pater, mea sunt. Ego & pater vnum sumus.* & iterum; *Qui videt me, videt & patrem, quia ego in patre, & pater in me est.*

Quomodo eadem penitus est gloria filij atque patris.

Ioh. 16.

Vnde hodie cum S. Stephano in visione Christi omnem beatitudinem nostram, & gloriam constituemus. Ecce video cœlos apertos, & IESVM B stantem à dextris Dei; vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. Ecce vbi omnis glorificatio nostra est, in gloria & visione Christi. Apud Ierem. *In hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me.* Ideo & Paul. ad Corinth. *Non iudicaui me aliquid scire, nisi* IESVM *Christum.* Hodie Stephanus in oculis Pauli, & ipsius intercessor, inter dolores martyrij ex ea visione gloriæ Christi, spiritu exultauit, & dixit: *Ecce video cœlos apertos*, &c. Sic in Christo gloriam suam posuerunt omnes Sancti.

In Christo omnis nostra est glorificatio.

Ierem. 9.
1. Cor. 2.

Sic ponebat Euangelista Ioh. dicens: *Vidimus gloriam eius*; & in Epistolis. *Nondum apparuit quid erimus: cùm autem apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*, gloriam eius videbimus, *gloriam quasi vnigeniti à patre.* Sic S. Petrus, qui in monte sancto, vt refert S. Leo Serm. de transfig. gaudio visionis repletus, ibi manifesta eius gloria lætabatur, & dicebat; Domine, bonum est nos hic esse. Hodie igitur in gratiam S. Stephani Deum videntis, & Majestatem Christi filij eius, gloriam cum S. Thom. in visione constituemus: sicut cras cum Scoto in amore, in gratiam discipuli dilecti à Christo, & ipsum summe diligentis.

1. Ioh. 3.

S. Leo.

Matth. 17.

Verùm vt bene intelligantur omnia, ante sciendum est, duplicem esse beatitudinem iuxta omnes Theologos, vnam obiectiuam, quæ Deus est, alteram formalem seu subiectiuam, quæ est ipsius animæ circa Deum operatio. Meliùs & distinctiùs si vultis: formalis ista & subiectiua beatitudo est ipsa Dei attingentia, seu illa prima animæ actio quæ Deum attingit; vnde iam accidit vt S. Thom. illam ponat in actione intellectus, quia ad eum propriè pertinet consequi obiectum, sicut ad voluntatem delectari in obiecto iam possesso.

Duplex beatitudo.

Quid sit formalis, seu subiectiua beatitudo.
S. Tho. 12. q. 3. art. 4.

Ex quo fit, vt prima actio quæ Deum attingit, sit visio; vnde ad obiectionem quæ fit ex præstantia amoris super cognitionem, respondet doctissimè dicens, quod dilectio quidem præeminet cognitioni in mouendo, sed cognitio præuia est dilectioni in attingendo, non enim diligitur nisi cognitum. Quare visio prima illa actio est quæ Deum attingit, & sic quæ animam formaliter beatificat. Atque inde est quod Christus ipse de vita æterna loquens dicebat: *Hac est vita aterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti* IESVM *Christum.* Sic Ps. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Et certè quod omnes petunt, ipsum videre est. Sic Moyses petebat; *Si inueni gratiam, ostende mihi faciem tuam.* Sic David, *Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus.* Sic denique Philippus cum omnibus aliis Apostolis: *Ostende nobis patrem, & sufficit nobis*, & cui Dominus; *Philippe, qui videt me, videt & patrem.*

1. actio quæ Deum attingit est visio.

Ioh. 17.

Exod. 33.
Ps. 79.

Ioh. 14.

Ecce hic quomodo in visione constituitur omnis nostra salus: & certè in illa est videre quod Angeli vident. Quid vident? Angeli eorum vident faciem patris. Quid? quod hodie videt Stephanus, cœlos apertos, thesaurum apertum beatitudinis. Et quid in illo thesauro videt? gloriam Dei magni & altissimi, filium hominis, IESVM stantem à dextris Dei. O iam dicamus omnes cum Stephano, cum S. Aug. & omnibus Sãctis, visio Dei erit tota merces. Aliquantulum attingere mente Deum summa beatitudo est. Ecce video cœlos apertos. O Domine, quàm dilecta tabernacula tua! concupiscit anima mea. Melior est dies vna in atriis tuis super millia in terris. Etiam videre te in tormentis breui spatio temporis, melius est quàm mille æternitates in gaudiis habere, & te non videre.

Matth. 18.

Tanta est, ait S. Ber. illius gloriæ & visionis fœlicitas, vt in comparatione illius omnis iucunditas mœror sit, omnis suauitas dolor, omnis dulcedo acerbitas, omnis decor horribilitas: & è cõtra, omnis mœror iucunditas. Adeò vt S. Aug. dicat, illam tantam esse vitæ iucunditatem in clara Dei visione, vt si etiam non liceret in ea amplius manere quàm diei mora, propter hoc innumerabiles anni deliciarum huius vitæ contemnerentur.

O te beatum, si talem gloriam ritè intelligas; beatiorem, si desideres, pro eaque patiaris; sed beatissimum, si consequaris, Deũ videre regnãtem, & patrem Domini nostri IESV Christi! *Domine*, inquiebat vnus ille ex discipulis, *ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Philippe, qui videt me, videt & patrem*, C respondit Dominus IESVS.

Visio hæc est qua in lumine videbimus fontem omnis luminis, qui pater est, videlicet, illa diuinæ superaddita humanitatis Christi visio, per quã dignificati sumus in natura, redẽpti in gratia, & beatificabimur in gloria. Etenim tunc videbimus claritatem illam, & transfigurationem longè maiorẽ ea qua lætificatus Petrus fuerat in monte, dicens: *Domine, bonum est nos hic esse.* Ideo enim ipse Dominus aliquando dixit; *Videbitis me, & gaudebit cor vestrum.*

Visioni diuinitatis additur visio humanitatis.
Quæ bona ibi sequuntur per humanitatẽ Christi.

Ioh. 16.

Quid adhuc addetur præterea? visio hypostaticæ vnionis duplicis naturæ, diuinæ & humanæ: propter D quam illud Ioh. implebitur; *Per me siquis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Ingredietur in cõtẽplationem diuinitatis, & de illa egredietur in gloriã humanitatis, & sic omnib. bonis replebitur desideriũ animę eius, vt loquitur Psaltes. O quãta erit ista fœlicitas! ô S. Stephane, dic nobis quid vides? Cœlos, inquit, apertos, gloriam Dei, & IESVM stantem à dextris. Et vos Sancti, vos etiam Angeli, de illa gloria aliquid enarrate nobis. Oculus non vidit, dicit Apostolus cum Isaia, nouum Testamentum cum veteri. Et quis oculus vidit? hodie Stephani. *Ecce*, inquit, *video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Delectationes, ait Ps. in dextra Dei E vsque in finem, in ęternum. Ibi est vbi beata vita est, vbi actio est, dicit S. Aug. sed non operosa, requies sine desidia, laus sine fastidio, vita sine defectu, vbi nulla deficientia est, sed omnis superefluentia: O Domine, hic vre, hic seca, hic lapida, modò in æternum parcas, nosque gloriæ & visionis tuæ participes efficias.

Item visio hypostatica vnionis.

Ioh. 10.

Si consideremus, ait S. Greg. quæ & quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, nonne vilescunt animo omnia quæ habentur in terris? Terrena namque substantia supernæ fœlicitati comparata, pondus est, non subsidium: temporalis vita æternæ cõparata, mors potiùs dicẽda est quàm vita. Quis autem intellectus capere sufficit illa supernæ ciuitatis

S. Greg. ho. 37.

ciuitatis quanta sint gaudia, Angelorum choris A interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentemque Dei vultum cernere? (gloriam Majestatis, & IESVM stantem à dextris Dei.) Ad hæc audita inardescit animus, iamque cupit illic esse vbi se sperat sine fine gaudere. Sed audi, ad magna præmia perueniri non potest, nisi per magnos labores: vnde Paulus; *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* hæc Greg.

Sic hodie Stephanus sicut nomine, ita etiam suis laboribus coronatus est; miles suum ducem Christum sequutus est. Stephane quid vides? Cœlos apertos, & IESVM stantem: stantem equidem, quia præstò est auxiliari, & coronare eos qui pugnabunt, & cum Stephano per scalam & aceruum lapidum B tribulationis ascendent in cœlum. Regnum enim cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

DE AMORE DEI IN gloria, in festo S. Iohannis.

Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Ioh. vlt.

Sanctus Iohannes discipulus ille quem diligebat IESVS, dignus inuentus est particeps fieri C gratiæ ineffabilis nostri mysterij, de quo tam altè loquutus est, & meritò etiā terminabit in se amore gloriæ, quod amoris gratia inceptum est. Et certè, si ordinem Euangelij eius consideremus, inueniemus ipsum à primo cap. vsque ad vltimum, eorum omnium quæ dixit veritatem expertum fuisse.

Primò, vidit & testimonium dedit non minus quàm Baptista, quod verbum caro factum est, & habitauit in nobis, plenum gratiæ & veritatis, (talis enim connexio esse debet) de eaque plenitudine omnem suam gratiam accepisse fatetur, & omnia etiam super alios priuilegia præcipui amoris.

Secundò, vidit adhuc quia plenum veritatis D erat, huius in se amoris æternitatem expertus. *Sic*, vel, *si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere.* Quasi Petro dixisset Christus; ipsum non habebis socium mortis, non morietur igne, gladio, vel cruce, sicut tu, volo eum ex priuilegio amoris manere, & vitam in terra ducere cum fruitione amoris, donec ad eum veniam die præordinato apud me suæ mortis, vt in æterna vita gaudeat sui semper priuilegio amoris. Etenim certissimè constat ex S. Hyeron. Com. in 20. Matth. mortuum esse, & nunc Deo frui in æterna vita.

Controuersia de morte Sācti Iohannis. 1. opinio. Interim apud authores de morte eius notabilis controuersia est, de câque quatuor inueniuntur E sententię. Prima est Bedę in Serm. de eodem Euangelista, scilicet non esse mortuum, sed adhuc viuere. Et qui eam sequuntur, probare conantur ex

Matth. 16. his verbis Christi: *Sunt quidam de his stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis*, &c. Contrarium tamen videntur dicere verba eiusdem Euāgelistæ dicentis: *Et non dixit ei* IESVS, *non moritur, se: sic, aut, si eum volo manere, quid ad te?* Videbatur enim Christus tunc curiositatem Petri & aliorum corrigere.

2. Secunda est, mortuum fuisse, & quidem morte

Matt. 20. violentia à Trajano, iuxta illa verba; *Calicem meum bibetis.* Ita Theophil. Sed non recepta est, cùm certum sit de contrario.

Tertia est, mortuum quidem fuisse, sed eodem 3. die resurrexisse, & translatum fuisse in cœlum cum B. Virgine. Ita Hugo à Sancto Victore & Niceph. Quæ quidem quodammodo probabilis videtur. *Niceph. lib. 1. cap. 35.*

Quarta tandem & omnium certissima est S. Hieron. & multorum aliorum, videlicet S. Iohannem plenum dierum, naturalem mortem obiisse, interim omni dolore mortis exemptam, sed in summa pace. Quid autem de eius corpore factum sit, quod nō inuenitur, & vbi sit repositū, vel an resurrexerit, nemo scit, & solus ille nouit qui omnia scit, & dixit de illo; *Sic eum volo manere.* Sicut enim hæc dixerat Christus, vt curiositatem argueret Petri Apostoli dicentis: *Domine, hic autem quid?* Ita adhuc nobis non reuelauit Christus, vt curiositatem nostram hic sanet, & in multis aliis rebus; maximè autem in hoc negotio Apostoli, vt priuilegium dilectionis Dei erga ipsum honoremus. *4. & certa opinio est, S. Iohānē mortuum esse.*

Ego interim sine ampliori perscrutatione crederem facilè iis, qui asserentes quod mortuus sit, etiam dicunt quod resurrexit. *Sic eum volo manere, donec veniam*, ait Christus, id est, cum hominibus diutissimè victurus est in hac vita amoris, donec veniam ad eum in morte, vt statim cum Angelis & mecum eadem viuat in gloria, in æternum. Sic eum volo manere.

Venerabilis Beda hic allegoriam facit cum Sancto Augustino inter Sanctum Petrum, & Sanctum Iohannem. Quid intelligitur per vtrumque? S. Augustinus dicit, quia per Petrum intelligitur vita actiua, quæ non debet semper manere; vnde dicitur illi, tu me sequere. Per Iohannem verò intelligitur vita contemplatiua, deuotionis & amoris, quæ manere debet & futura est in æternum. Vnde Christus, sic eum volo manere, scil. in hoc statu æterno amoris. Hinc etiam est quod magis illum diligit, & conseruat Christus: si enim hic incipit, semper etiam in cœlo remanebit. Sic eum volo manere. *Quid intelligitur allegoricè per S. Petrum & S. Iohannem.*

O quàm vtile est & diuinum, Deum in terra diligere! Amari à Christo, & Christum amare! Ecce discipulus quem diligebat IESVS, & ecce quid dicat de diligentibus se: Si diligetis me, mandata mea seruate. Si quis diligit me, diligitur à patre, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum, & Ioh. 14. ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, vt maneat nobiscum in æternum.

Hæc intelligite Christi amatores. Heri cum Sancto Thoma suspiciebamus Sanctū Stephanum videntem cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei. Nunc cum Scoto discipulum honorabimus diligentem Christum, & quem diligebat IESVS, aut si vultis, videntem simul & amantem ipsum; vt simul sequentes mētem vtriusque Doctoris, etiam inuicem conciliemus. Non est enim Dei visio sine amore, nec amor sine visione. Perfecta Dei fruitio complectitur vtrumque, visionem & amorem, & non est fœlicitas sine nexu vtriusque. Initiatiuè in visione est fœlicitas, in amore autem perfectè & cum vnione. Quare nunc de illa vita quæ amore inchoata in terris, fruitione completur in cœlis, loquemur hodie in gratiam S. Iohannis qui diligebat IESVM, & quem diligebat IESVS. Denique in huius gratiam amoris qui dilectum diligenti coniungit. *S. Thom. & Scotus cōueniunt in ratione beatitudinis.* *Initiatiuè fœlicitas est in visione, perfectè in amore.*

Et hæc certè ratio erat cur Scotus in amore formalem beatitudinem posuit, considerans quod voluntas suo actu operatiuo, (qui est amare) vnit sibi obiectum obtentum per intellectum, & modo eminen

eminentiori: nam facit ex duobus vnum; vnde licet illa subiectiua beatitudo consistat initiatiuè in actu intellectus, completiuè tamen & tanquam vltimatè consistit in actu voluntatis, qui est amor, ad quem consequitur delectatio. Hic est enim ordo in beatitudine; ex præsentia obiecti sequitur visio, visionem sequitur comprehensio, comprehensionem amor & delectatio. Quæ tria potissimum ac simul dicimus cum Sancto Thoma concurrere ad beatitudinem, vt agnoscamus etiam ipsum à Scoto non dissentire, sed conuenire.

Ordo beatitudinis.

S.Tho.1.2. q.4.art.3.

Explicemus itaque cum illo, hæc ita esse ex ipso ordine hominis ad finem suum. Dupliciter ordinatur homo ad beatitudinem, partim per intellectum, partim per voluntatem. Per intellectum iuxta cognitionem finis: per voluntatem autem duobus modis. Primò per amorem, qui est primus motus voluntatis ad aliquid. Secundò per realem habitudinem amantis ad amatum. Quæ quidem habitudo ex eodem Doctore potest esse triplex. Nam vel amatum est præsens amanti, & sic non quæritur: vel absens, & impossibile adipisci, & sic adhuc non quæritur; vnum ponit gaudium, alterum desperationem: vel denique acquiri potest, interim eleuatum supra facultatem adipiscentis, ita vt statim non possit haberi, & tunc mutatione quadam fit habitudo sperantis ad speratum, quæ propterea ad eius perquisitionem nos excitat.

Homo ordinatur dupliciter ad beatitudinem.

Quomodo amor conuertatur in spem.

Vnde in hac vita cognito & amato simul fine nostro, nondum tamen obtento, erigimur in spem, & cũ S. Augustin. dicimus: Fecisti nos ad te Domine, & inquietum est cor, & scilicet quia tantùm inchoationem habemus in terra istius summæ perfectionis quæ nos in cœlis expectat, vbi his tribus quæ in terra sunt, scilicet fidei, spei & amori, respondet in cœlo visio Dei clara, præsentia seu comprehensio, fruitio seu delectatio, clara Dei visione succedente fidei, quæ imperfecta est.

Tria in terris qua tribus respõdent in cœlis.

Gen 29.

Figura pulchra est huius mysterij in Iacob, cui post Liam, quæ lippis oculis erat, aduenit Rachel decora facie, & venusto aspectu. Ita in cœlo decori & splendori gloriæ vniemur, euacuato quod ex parte & in obscuris in terra possedimus, scilicet, fide, quæ lippis oculis est. Ita dicimus de cæteris, scilicet de comprehensione, quæ fit per totalem præsentiam Dei, speique succedit, quæ solùm in desiderio & expectatione est. Non quidem quod illa comprehensio inclusionem significet comprehensi à comprehendente, hoc etenim modo Deus solus se comprehendit; sed quia Deum præsentialiter tenet. Denique delectatione seu fruitione succedente dilectioni; ita vt nihil prorsus desit beatitudini hominis, sed totus in se beatus sit, & sicut Deus in se est, videt, tenet, delectatur.

Quid dicat in beatis cõprehensio.

O admirandam erga hominum genus dignationem diuinæ bonitatis! *Cùm apparuerit, similes ei erimus.* Ad hoc nati & vocati omnes sumus. *Sic currite vt comprehendatis*, ait Paulus. Ad magna certè nascimur, & ad magna vocamur, ad Dei possessionem, Dei fruitionem, & in amore eius delectationem æternam.

1.Ioh.3.
1.Cor.9.

A Sed similitudinem percipite: *Omnis qui in agone* (seu cursu) *contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Ac sic diceret; qui festinatis ad incorruptam, sic currite exemplo istorum, scilicet expediti ab omnibus, vt comprehendatis.

Quid faciendũ pro æterna gloria.

O Christiani, stadium nostrum spatium est vitæ præsentis, per quod currimus omnes ad finem nostrum: sine intermissione enim ad mortem currimus omnes, sed non omnes tamen ad brauium tendimus: vnde nec currere satis est, nisi in viis Dei curramus, alioquin ad brauium non currimus & præmium, nec comprehendemus. *Omnes quidem currunt*, ait Apostolus, *sed vnus accipit brauium*, gloriæ præmium. Quis ille? qui omnia contemnit B propter Christum, & ambulat in viis eius. Quæ sunt illæ? Domine, vias tuas demonstra mihi.

Hæ sunt, primò fides seu notitia Dei reuelata, quæ est, ex S. Augustin. illuminatio mentis ad summam veritatem cognoscendam & diligendam, & in ea omnem culpam abhorrendam. Sic Dauid: *Viam veritatis elegi, & legem tuam non sum oblitus.* Hæc est via veritatis & via mandatorum Dei, fides, qui illam non habent, extra viam sunt. Secundò, spes sicut charitas vitæ sunt similiter, & omnes viæ pulchræ & pacificæ. Tertiò, vniuscuiusque status & conditio via est qua ad Deum dirigitur, dum fideliter, & iustè gerit se ad omnes, & in qua C vocatione vocatus est, Deum semper quærit. Vnde fit vt si extra viam nostram simus, erremus quidem omnes, licet curramus. Currunt omnes, & beatitudinem volunt omnes, sed vnus accipit, pauci perueniunt. Sic currite vt comprehendatis.

Quænam sũt via ad gloriam.

Quid sit fides.

Etenim sciendum est, triplex genus esse currentium. Alij velociter currunt, & ij sunt qui diuina sequuntur consilia. Matth.19. Si vis perfectus esse, &c. Tales enim omnia impedimenta relinquunt, iuxta similitudinem ab Apostolo propositam: *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Illi autem figurati sunt in Ioseph, qui fugiens, pallium suum reliquit quod tenebat impudica mulier.

Triplex genus currẽtiũ.

Gen.39.

Alij tardè currunt, quos scilicet cura familiæ D occupat, significati per vaccas 1.Reg.6. quæ de terra Philistinorum ad terram Israël Arcam Domini portantes, mugientes gradiebantur, & anxiæ de vitulis qui reclusi domi remanserant. Ita enim sæpe accidit iis qui familiam habent, dicunt inuitanti, vxorem duxi, villam emi; alius ad negotiationem vadit, & alius penitus negligit cœnam paratam magni Dei.

Matth. 22.

Quare alij denique sunt qui retrogradè currunt, iique sunt qui penitus Dei consilia & præcepta negligentes, penitus sequuntur ea quæ mundi sunt, vt omnes Christiani falsi & mali, qui Deum E confitentur nosse, factis autem negant; similes isti filiis Israël, qui fastidientes manna, ad allia Ægypti redibant, & denuò seruitutem requirebant. Audiant omnes quid dicat Dominus: Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Sic currite vt comprehendatis.

Exod.14. & 16.

Finis Theologiæ de Christo, contentæ & explicatæ in primo capite Sancti Iohannis.

DE CIRCVNCISIONE, & gloria nominis IESV.

Postquam consummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius IESVS. Luc. 2.

INTER omnia nomina Christi, sanctissimũ, gloriosissimum, diuinissimumque est nomen IESVS, maximè illi proprium nomen est, maximéque conueniens; nomen quod significat vnionem duarum naturarum, & vnionis effectum, qui est humani generis salus. O nomen super omne nomen! Deus multorum capax est nominum, & de facto diuersa recipit. Communisque ratio est, quia cùm infinita sit eius natura, non potest vno conceptu, vnaque & sola mentis apprehensione concipi, & sic nec vno nomine explicari: vnde pro diuersitate conceptuum, etiam à nobis nominum diuersitatem recipit. A quibusdam Philosophis, vt à Platone, vocatur pater mundi, opifexque vniuersorum: ab Aristotele communiter causa prima & primus motor omnium: ab Auerroë contra Arabem Algazellum distinguũtur in duos ordines diuina nomina. Quorum alter est affirmantium in Deo, vt bonus, sapiens, &c. Alter negantium in Deo, vt immortalis, immensus, infinitus.

Quid nomen IESVS *significat.*

Deus capax multorũ nominũ ratione naturæ suæ infinitæ.

A Philosophis recipit.

Auerro. disput. 5.

Sed Philosophos relinquamus. Nunc à Theologis hanc differentiam nominum sumamus. S. Iohannes Damasc. aliam dat nominum Dei diuisionem. Et primò quidem vnum supponit, scilicet nullum nomen Dei explicare nobis quid ipse sit. Neque enim sumimus eius nomina ab eo quod de eius essentia est, aut intra ipsum est: hoc enim valde est remotum ab intellectu nostro, eique penitus inaccessibile; sed sumimus illa tantùm ab eo quod extra ipsius essentiam est.

A Theologis.

Damasc. lib. 1. de fide orotho. cap. 12.

Quo supposito, sic distinguit. Nomina quædam sunt, quæ quid nõ sit Deus significant, vt illa prędicta, immortalis, incorporeus, & cætera omnia quæ à negatione sumuntur. Alia dicunt qualiter in se Deus sit, non autem quid sit, vt bonus, sapiens, iustus, & misericors. Hæc enim omnia potiùs respiciunt proprietates diuinas, quàm naturam. Alia qualiter erga nos se gerit, vt Dominus, principium, causa prima, &c. Alia dicunt operationes eius, vt creator, & hoc nomen Deus; quia semper videt nos, prouidet, regit & protegit. Alia denique existentiam magis quàm essentiam, vt in Exod. hoc nomen, Ego sum. Qui est, &c.

Exod. 3.

Similiter inter Scholasticos Magist. Sent. etiam alias ex multis Patribus nominum Dei differentias affert. Quædam (ait) sunt nomina essentialia, scilicet quoad nos, vt illa iam allata, bonus & sapiens. Quædam personalia, vt pater, filius, & Spiritussanctus. Quædam collectiua, vt Trinitas, Deus. Quædam relatiua ab æterno, vt mittendus respectu Filij, vt donandus ratione Spiritussancti. Quædam ab initio temporis, vt creator, gubernator, & Dominus. Quædam denique relatiua in plenitudine temporum, vt Redemptor, Saluator, & IESVS. Post consummatos dies octo, vocatum est nomen eius IESVS. Etenim, vt vnus dixit propheta, & Paulus cum illo, in medio annorum, & plenitudine temporum viuificauit nos & redemit. Licetque hoc nomen IESVS ab æterno fuerit pręordinatum,

A Scholasticis.

Magist. Sẽt. in 1. distin. 22.

A & priùs reuelatum quàm impositum, tamen ait S. Luc. *Postquã consummati sunt dies octo, vt circũcideretur puer, vocatũ est nomen eius* IESVS. IESVS naturæ & impositionis nomen, æternitatem simul includens & tempora, duas naturas, diuinam & humanam. Nomen quod est super omne nomen, & per omnia adhuc alia nomina Dei effusum; *vocatum est nomen eius* IESVS. Ecce nomen Christi, nomẽ Maiestatis & gloriæ eius, sicut officij. In hoc nomine flectitur omne genu, & non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri. Nomen est Dei & Saluatoris.

B Quare de isto nomine tantùm, & non de aliis hodie loquemur, quia Christi propriissimum est triplici ratione. Prima, quia illi à solo Deo impositum est, qui optimè cognouit de filio quis & qualis sit, sicut ipse dixit; *Nemo nouit filium nisi pater.* Secundum ergo omnem suam proprietatem nomen dedit illi, iuxta quod Isaias dicit; *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Nomen nouum, IESVS nomen est, nomen super omne nomen. Itaque hodie in hac nouitate dicamus: Benedictus qui venit in nomine Domini. Domine IESV, oleum effusum est nomen tuum.

IESVS nomẽ Christi proprium triplici ratione.

1.

Matth. 11.

Isa. 62.

Cant. 1.

Secunda, quia omnia alia nomina quæ dari debent Christo vt Messiæ, comprehenduntur hoc nomine IESV. *Puer natus est nobis*, inquit Isaias propheta, *& vocabitur* (hæc sunt nomina) *Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Princeps pacis, pater futuri sæculi.* Ecce pulchra nomina. Sed vbi est istud quod est super omne nomen? nomen IESVS vbinam est? In omnibus istis, sicut omnia in illo. Vnde dicimus quia super omne nomen est, & qui dicit IESVM, dicit illa omnia. Quæso videamus.

2.

Isa. 9.

C

Et primò, quis magis admirabilis quàm ille qui suo nomine significat vnionem hypostaticam Dei cum homine? Quis magis consiliarius & melior quàm qui vias ad cœlum docet? Matth. 5. & alibi multoties. Et quis non credet ipsum Deum esse, qui sua authoritate peccata remittit, & aliis dat remittendi facultatem? Quis illo fortior, in cuius nomine & virtute omnia possumus? Marc. vlt. Et nónne etiam ille est princeps pacis vniuersæ, qui in sanguine Crucis suæ Deo homines reconciliauit, omniaque instaurauit, & quæ in terris, & quæ in cœlis? Denique, nónne ille est pater futuri sæculi, qui suscitat mortuos, & dat vitam omni carni, & dat vitam gratiæ hominibus in terra, & abundantiùs in cœlo vitam gloriæ? *Veni vt vitam habeant.*

Quomodo in nomine IESV omnia nomina Christi includantur.

Matth. 9. Ioh. 20.

D

Coloss. 1.

Ioh. 6. & 11. Ioh. 10.

Ecce quomodo hæc omnia nomina quæ apud Isaiam sunt, comprehenduntur sub illo: & de quo adhuc antea loquutus fuerat idem propheta, vbi de futura eius matre loquens ait; *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel* (quod interpretatur, nobiscum Deus.) Ecce nomen IESVS, præter alia, adhuc apud Isaiam prædictum. Nobiscum Deus, hoc nomen, vt videre est, continet quod nomen IESVS comprehendit, Diuinitatem & humanitatem inuicem vnitas: Deus, ecce Diuinitas; nobiscum, ecce humanitas. Nobiscum Deus, illarum duarum naturarum hypostatica vnio est.

Isa. 7.

E

Nomẽ IESVS in nomine Emanuel continetur.

Ecce quomodo in nomine IESV nomen Emanuel continetur, & IESVS in Emanuel comprehenditur. IESVS qui dicitur homo-Deus, Saluator, nobiscum Deus, prætérquàm quod adhuc hoc nomen IESVS significat effectum & operationem talis admirandæ vnionis naturarum, diuinæ & humanæ, in qua est nostra salus. Vnde apparet quantum

A quantum Christo hoc nomen conueniat, & proprium sit super omnia.

Tertia ratio.

Tertia ratio est, quia præter istud, quædam tantùm ei conueniunt, in quantum Deus est, vt omnipotens, æternus, &c. Quædam verò vt homo est, vt Agnus, mansuetus, humilis, &c. Hoc autem nomen IESVS conuenit illi simpliciter, scilicet vt est homo-Deus, & Christus, ad quem pertinet vt sic esse Saluatorem mundi. Ita definiebat Concil. Ephes. Ser. quē habuit in eo sanctissimus Antistes Proclus. Venit quidem ad saluandum; sed & pati quoque illum oportuit. At quomodo vtraque hæc fieri potuerunt? homo purus saluare non poterat, Deus solus pati nequibat. Quid igitur? Ipse Emanuel Deus factus est homo, IESVS Christus, homo-Deus, & id quidem quod erat saluauit, quod verò factum est, passiones subiit, &c.

Conc. Eph. tom. 6. c. 7.

Isa. 45.

Hoc sensu in Isaia ipse Christus dicebat: *Deus iustus & saluans non est præter me.* Quomodo etiam statim petebatur ab eodem Propheta, qui dicebat, clamans: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorē*, id est, IESVM. Quasi Propheta diceret, mysterij præuidens ordinem; gratia Spiritussancti desuper veniat, & virtus Altissimi obumbret Mariæ Virgini, & illa terra sancta & virginalis nobis pariat IESVM Saluatorem. Sic Dauid, qui inducit populum, vt recurrat ad istud nomen inuocandum ad salutem: *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius.* Quod nomen? (IESVS,) & tunc *annunciate inter gentes opera eius*, id est, virtutem eius prædicate, & quia in eo est salus.

Quomodo Isaias ordinē Incarnationis præuidet.

Psal. 105.

Sed quæso, quonam pretio magno hoc nomen magnum sibi meruit Christus? Videamus. Hodie meruit effusione sanguinis. *Postquam consummati sunt dies octo vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius* IESVS. Aduertite, priùs ille circunciditur & sanguinem fundit, quàm ei hoc gloriosum nomen imponatur.

Quo pretio sibi Christus meruit hoc nomen.

Sed quænam rogo, contradictio ista est, quod circuncidatur puer, & vocetur IESVS? Circuncidi signum est peccatoris: & IESVM vocari signum est proprium Saluatoris. Hæc pugnare inuicem viderentur, nisi hic ostenderemus quomodo conueniunt inter se, & vnum ad aliud ordinatur. Ex diuina ordinatione, sine effusione sanguinis non fit remissio peccatorum & salus. Alterius autem quàm Christi, & Dei Saluatoris nos sufficeret sanguinis effusio ad salutem. Ecce itaque vnde primò Christus circuncisionem passus est, & effusionem sanguinis, vt hoc nomen haberet Saluatoris. Hinc hodie Mater eius sanctissima Maria Virgo pro nobis eum offert patri vt Saluatorem, & reconciliatorem in sanguine ipsius.

Quomodo circuncisio Christi conuenit cū impositione nominis Iesus.

Sabinorū & Rom. historia.

Refertur Romanorum annalibus, quod cùm statim post Romam conditam, inter Romanos & Sabinos crudele bellum fuisset ortum, mulieres, Sabinorum filiæ, & Romanorum vxores, tunc inter brachia sua suos filios gestantes, constituerunt se medias inter vtraque castra, & persuaserunt sic pacem, Sabinis primò dicentes: Quid in vestra viscera sic irruitis? Nos filiæ vestræ sumus, & Romani vestri nepotes & generi, quia viri nostri sunt. Arma igitur deponite, & parcite sanguini. Similia postea Romanis dicebant: Desistite & vos contra Sabinos patres & affines vestros sæuire, quia & nos filiæ eorum sumus. Sic vtrinque vt mediatrices pacem obtinuere. Interim de vna re inter eos dissensione mota, quod Romanis sibi pro vexillo Aquilam eligentibus, sumpserunt Sabini istos quatuor characteres eorum vexillo apponendos, S. P. Q. R. quorum talis explicatio erat, Sabinis populis quis resistet? Sed prudentia cuiusdam Romanorum ducis facilè discordia tota consopita est & extincta. Nam Romanis dixit ille: Si litteræ istæ in gloriam sunt Sabinorum, nec minus in nostram erunt. Si enim dicant pro illis, Sabinis populis quis resistet? & pro nobis respondebunt, Senatus populúsque Romanus. Et sic vtrinque pax facta est.

Applicatio historiæ.

Hæc historia hodiernam pacem nostram adumbrare videtur inter Deum & homines, per Mariam Virginem IESVM gestantem, Dei filium B & Saluatorem nostrum inter brachia, & mediam vtrinque constitutam inter Deum iratum, & homines inimicos eius, cùm hodie offert ipsum patri sæuire volenti in peccata hominum, & dicit ei: Quousque Domine non misereberis? Ecce filius tuus, qui nunc particeps factus est naturæ istius. Ecce iam tibi ipse offert pro istis sanguinem. Hominibus autem eundem nunc in sanguine & doloribus circuncisionis suæ & gladij offerens, atque, vt ita dicam, in similitudinem nostræ carnis peccati, ait: Quid ô mortales, sic Deum patrem vestrum exasperatis? Deponite modò arma vestra quæ militant aduersus Deum, peccata vestra deponite. Pax facta est, iamque audita, sed mediantibus C vtrinque quatuor litteris & characteribus, S. P. Q. R. pro Deo, Sanctus, potens, qui regnat; & pro hominibus, Salua populum, quem redemisti: quem hodie redemisti in circuncisionis sanguine filij tui. Ecce ergo cur illam passus est, ideo vt nascendo Saluator esse inciperet. Hinc ei nomen impositum IESVS.

Aliæ rationes cur Christus circuncisus est.

Rationes quæ adhuc supersunt, cur circuncisus est Dominus, hæ sunt; vt in se ostenderet veritatem humanæ carnis, & testaretur se esse de genere Abraham. Item vt in humilitate sua & obedientia nobis daret exemplum virtutis, cùm ait: *Non veni soluere legem*, &c. Denique vt spiritualem nos doceret circuncisionem cordis nostri: vnde Deut. D 10. *Circuncidite cor*, &c. vno verbo, renouationem doceret. *Siqua in Christo noua creatura*, ait Apostolus, *vetera transierunt*, &c. & alibi: *Induimini Dominum* IESVM, *& carnis curam ne feceritis in desideriis.* Cum tempore & anno homo renouari debet in Christo IESV Domino.

Matth. 5. *Deut. 10.* *2. Cor. 5.* *Rom. 13.*

DE EPIPHANIA, ET adoratione Domini IESV.

E *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* Matth. 2.

MAXIMVS & ditissimus in terra thesaurus est puer IESVS, cum Maria matre eius. Quid, ait S. Chrysostom. Serm. apud Metaph. illa matre Virgine maius, aut illustrius vllo vnquam tempore inuentum est, seu aliquando inueniri poterit? Hæc sola cœlum & terram amplitudine superauit, (hodie namque est, & continetur ab illa quem cœli capere non poterant.) Inuenerunt puerum IESVM cum Maria matre eius. Quidnam illa

Chrysost. apud Metaph.

illa sanctius? Non Prophetæ, non Angeli, non throni. Eadem hodie ancilla Dei & mater est, eadem Virgo & genitrix, eius mater qui à patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli & homines, humilesque cum Regibus omnes agnoscunt Dominum rerum omnium, & procidentes adorant.

A

Dicam cum S. Hieronymo. Quid hodie & ab æterno nobilius, splendidiúsque illa, quam splendor elegit, & candor lucis æternæ prædestinauit, ad hoc vt nouem mensibus in vtero portaret, & huic mundo effunderet lumen æternum Iesvm Christum Dominum nostrum, atque etiam parens eiusdem ab Angelis & hominibus agnosceretur? Hodie nouum fecit Dominus super terram, vt mulier circundaret virum, nec alium quàm Christum Dei filium, in vtero gestaret, & in gremio verbum Dei incarnatum, portaret inter vbera, inter manus & brachia: & cum illo esset, vitæ & nutrimenti curam habens. *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* In terra inuenerunt omnis gratiæ thesaurum, Mariam cum Iesv.

B

Homil. cōtra Nestorium.

Hodie dicam cum S. Cyrillo Alexand. contra Nestor. Laus & gloria sit tibi Sancta Trinitas, quæ omnes nos ad hanc celebritatem conuocasti (ad hunc Epiphaniæ diem & manifestationis gratiæ & gloriæ, cum Magis & Regibus.) Sit etiam tibi Sancta Dei mater laus. Tu enim pretiosa illa margarita orbis terrarum (scilicet gratiæ thesaurus absconditus, & nunc apertus,) tu lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei, tu benedicta inter mulieres; eiusque parens qui benedictus venit in nomine Domini. Per te Trinitas sanctificatur, per te exultat cœlum, & ipse homo reuocatur ad cœlum: per te omnis creatura idolorum errore detenta, conuersa est ad agnitionem veritatis. Te adiutrice gentes veniunt ad pœnitentiam. Quid plura? Per te vnigenitus Dei filius, vera illa lux effulsit sedentibus in tenebris & in vmbra mortis. hæc ille.

C

Hodie ex S. Matth. *Cum natus esset* Iesvs *in Bethleem*, &c. *ecce Magi*, Gentiles in tenebris sedentes, *venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius. & venimus adorare eum.* Qui cùm audissent Bethleem esse locum, gauisi sunt, & intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, offerentes ei munera, aurum, thus, & myrrham.

D

Vis & efficacia pueri Iesv.

Hunc puerum à matre hodie separare non possumus, ipsum inuenientes cum illa: & ab eo non ab illa separato attracti. Quæso, efficaciam & vim istius pueruli attendite in præsepio & cum matre iacentis. Si nunc hæc & talia potest cum matre, quid in cœlo poterit cum patre, sedensque super thronos diuinæ Majestatis? Odor stabuli Reges trahit, & quærere facit dicentes: *Vbi est*, &c. Quid faciet odor gloriæ eius immortalis in cœlo?

E

Sed, quæso, virtutem eo maiorem suspicite, quod in infantia, & cum paupere Virgine & matre adoratur à Magis & sapientibus, & vt Deus agnoscitur à Regibus. Apparet illis stella noua & de cœlo lux, & statim discunt puerum natum esse Deum & Regem in terra; incunctanter deserunt omnia, Hierusalem petunt, inquirunt, Herodem turbant, & vniuersa commouetur Ciuitas; sed relictis illis, mox stellam præuiam sequuntur, lumenque lumine requirunt, vsque dum staret supra vbi erat puer, & videntes gauisi sunt gaudio magno valde, & intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Hic omnia Diuinitatem pueri Iesv, & adorationem eius ostendunt; stella, desertio regnorum & patriæ, inquisitio pueri, Herodis & Ciuitatis commotio, adoratio ipsa, & donorum seu munerum oblatio. Ordine omnia videamus.

Omnia in hac adoratione Christi Diuinitatem ostendunt.

1. Stella.

Primò, quantum ad stellam, eius nouitas ex ipsis verbis inquirentium Diuinitatem pueri demonstrabat, cùm dicunt, *Vbi est*, &c. *Vidimus enim stellam eius.* Etenim de nouo & expressè ad hoc creata erat, ex mente S. Tho. & Sancti Leonis in Epiph. Tribus Magis (inquit) in regione Orientis stella nouæ claritatis apparuit. (Illam enim in Oriente viderunt existentem, quæ & ipsos præcedebat in Iudæam.) Hæc stella igitur nouæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris, pulchriorque syderibus cunctis in se intuentium oculos animósque conuerteret, vt confestim aduerteretur non esse otiosum quod tam insolitum videbatur. hæc ille.

S. Tho. 3. p. q. 36. art. 7. S. Leo Serm. 1. Epiph.

Stella vndique Diuinitatem Christi declarat.

Etenim & tota penitus miraculosa erat, tam respectu loci, claritatis, & motus, quàm finis. Non enim erat in cœlo, vt aliæ, sed in aëre vicino terræ: & propterea tam in die quàm in nocte lucebat, quod non est proprium aliarum stellarum; quandoque etiam apparebat, quandoque occultabatur. Cùm enim Hierosolymam intrauerunt Magi, non amplius apparuit: deinde visa est vbi Herodem reliquerunt.

Quantum etiam ad motum miraculum erat. Neque enim continuum habebat, sed cùm oportebat stare, stabat; ita vt sapientibus istis & Regibus esset veluti filiis Israël illa nubis columna in deserto, quæ viam illis præparabat. Ita certè Regibus nostris hæc stella pro indice erat, quod Deus & magnus Rex natus erat.

Quidam putant Spiritū sanctum, aut Angelū apparuisse in specie stellæ.

Sed adhuc illius talis finis erat, scilicet vt indicaret hunc Deum hominem natum, ipsumque inquirere faceret. Vnde aiunt: *Vidimus stellam eius*, &c. Hinc est quod multi putarunt & dixerunt, quod sicut Spiritussanctus descendit super baptizatum Christum in columbæ specie, vt indicaret ipsum, ita hodie apparuit Regibus & Magis in specie stellæ. Alij verò putant, eumdem Angelum fuisse qui iam pastoribus in humana specie apparuerat, & qui hodie in forma stellæ apparuit Magis. Et quidem hoc cum ratione quadam & conuenientia, iuxta quam ipsi assueti erant & exercitati in meditatione cœlestium. Propterea conueniens fuit, vt ipsis cœli enarrarent gloriam Dei. Angeli enim cœlos habitant, & sydera cœlos ornant. Quod quidem competebat Natiuitati quæ non purè terrena, sed etiam cœlestis erat. Ecce igitur quomodo primò huius stellæ nouitas pueri nati Diuinitatem & adorationem prædicabat. *Vidimus stellam eius*, &c.

2. Derelictio omnium à Magis propter Christū, ipsum testatur Deū esse.

Secundò, derelictio patriæ & possessionū à Magis & sapientibus terræ, a Regibus denique & optimatibus seu capitibus populorum, ad quærendum puerum, Diuinitatis illius testis est. Sic enim hodie incipiebat Christus triumphare de mundo, & Diuinitatis suæ potentiam ostendere, quæ faceret aliquando vt multi potentes, nobiles ac diuites, omnia relinquerent, domum, patrem, matrem, vxorem, & filios, fratres, sorores, parentes, amicos, adhuc seipsos, & omnia, vt puerum quærerent, puerum

puerum IESVM, & paupertatem eius colerent, & sectarentur. A

Hæc tua Domine, dominatio est, hæc tua adoratio, & in humilitate tua Majestas. Ita cœpit in lege omnium fidelium primus Abraham. Sic hodie primitiæ Gentium, & duces nostri orientales Magi & Reges; gratia incepit vbi lex finiebat. Sic Apostoli ante & post promulgationem Euangelij. Sic tot alij post ipsos fecerunt, & adhuc faciunt. Illa est potentia tua in cunabulis Domine, in pannis, in præsepio, in Cruce; tuum est regnum, tuum imperium, tua adoratio, qui trahis ad te omnia.

3. Inquisitio Diuinitatem declarat. Isa. 60.

Tertiò, inquisitio ipsa Diuinitatem pueri declarat: requirunt eum in splendore luminis, iuxta illud Isaiæ: *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui*, id est, in stella Natiuitatis tuæ, B seu potiùs in lumine tuæ gratiæ, quæ à Natiuitate tua per vniuersum orbem diffundi cœpit; ipse enim mundo ortus est Sol Iustitiæ. Antequam Deus crearet mundum, lucem fecerat, sed errantem, sine subiecto & corpore: cùm autem compleuit, statim corpus luminis fecit, scilicet Solem, qui in mundo fons esset omnis luminis, & illud per vniuersum effunderet. Ita constituens Deus reparare mũdum, & de nouo illuminare ipsum, non fuit ei satis quasdam instabiles & exiguas luces gratiarum quæ apparuerunt, præmittere, sed ipsemet per Incarnationem voluit esse fons, & veluti corpus omnis gratiæ & luminis, vt ex ipso solo omnem gratiam C nostram, & lumen reciperemus. Propterea Sol dictus est, lux vera, plenusque gratiæ & veritatis. Quare simulatque ortus est, & apparuit mundo, gentes illuminauit, & attraxit ad se spendore sui luminis.

Similitudo.

Christus per Incarnationē fons omnis gratiæ & luminis.

Quot gratias in Epiphania Domini receperūt Magi.

Hodiernum Epiphaniæ nostræ & manifestationis mysterium est, vbi Magi nostri, & fidei nostræ duces quinque gratias receperunt. Prima est, inquirendi filium Dei. Secunda, inueniendi ipsum. Tertia, inueniendi cum Maria matre. Quarta, ipsum adorandi, & offerendi munera in testimonium perfectæ submissionis, obsequij & dependentiæ. Quinta denique, quod ab ipso regi & protegi reuertentes in patriam suam meruerint. D

Hæ sunt gratiæ, quas in Epiphania sua, & in ipso exordio ortus Solis Iustitiæ acceperunt, dum stellam sequentes præuiam lumen requirunt lumine, dum ambulant, locum petunt, interrogant & dicunt, vbi est qui natus est? dum Deum credunt, fatentur munere, fidéque qua ambulant & petunt, cæteris annunciant. Optimè hoc notauit S. Chrys. in Matth. dicens: Si Magi terrenum Regem quærentes venissent, confusi fuissent, quia tanti itineris laborem sine causa suscepissent, vnde nec adorassent, nec munera obtulissent. Nunc autem quia cœlestem Regem quærebant, etsi nihil regalis excellentiæ in eo viderent, tamen solius stellæ testimonio contenti eum adorauerunt, vident enim E hominem, & Deum agnoscunt. Vnde & S. Aug. dicit, quod Iudæi qui Magis interrogantibus locum indicarunt in Bethleem Iudæ, similes facti sunt fabris Arcæ Noë, qui aliis præstiterunt vnde euaderent, ipsi verò diluuio perierunt. Ipsi namque interrogantur, & locum indicant; sed quid accidit illis? Conturbantur, commota est vniuersa Ciuitas,

S. Chrysost. hom. 2. in Matth.

S. August. Serm. 6. de Epiphan.

& Rex Herodes cum illa, audiens turbatus est.

4. Turbatio Herodis & Ciuitatis adorationem Christi demonstrat. S. Greg. Ser. hom. 10. in Euang.

Quarta est Diuinitatis & adorationis nota pueri IESV, quod ex Natiuitate eius talis commotio sit secuta. S. Gregor. hom. 10. in Euang. Cœli Rege nato (inquit) Rex terræ turbatus est, quia nimirum terrena altitudo confunditur, cùm celsitudo cœlestis aperitur. hæc ille. Ecce adoratio in tremore. Et per illam turbationem primò manifestabatur cœlestis Christi dignitas in terra. Secundò, iudiciaria eius potestas. Sic S. Aug. Ser. de Epiph. Quid erit, inquit, tribunal iudicantis, quando superbos Reges cunabula terrebant infantis? Tertiò, per hoc etiam regni diaboli deiectio figurabatur, vnde vniuersa Ciuitas, seu mundus cum suo Herode Rege commouetur. Ita S. Leo Serm. de eo festo. Non tantũ, inquit, Herodes turbabatur in semetipso, & omnis Hierosolyma cum illo, quantum diabolus in Herode & populo. Herodes enim terrenum hominem æstimabat, sed diabolus Deum cognoscebat: & vterque regni sui successorem timebat; superfluè tamen ex parte Herodis, quia Christus nõ venerat regnum in terra habere, qui veniebat cœlestia dare. Ita est quidem. Non capit Christum regia tua, ô Herodes, nec mundi Dominus, potestatis tui sceptri est contentus angustiis. *Regnum meum*, dicet interrogatus, *non est de hoc mundo*. & vt hodie omnes illud cognoscatis, & quia ipse est super omnes Reges, ecce puer nascitur, & à Regibus adoratur; inquirunt vbi sit, & dicunt: *Vidimus stellam eius, & venimus adorare eum.*

Tria per turbationē Herodis declarantur.

S. Leo. Serm. de Epiph.

5. Nota Diuinitatis Christi in adoratione. Quid sit adoratio.

Ecce quinta nota Diuinitatis eius, ipsa adoratio est. Quid sit adoratio quæritis? Actus latriæ, seu exhibitio supremi cultus soli Deo debiti. Ecce autem quomodo Magi hunc puerum natum Deum professi sunt, *intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eũ.*

Duplex adoratio.

Duplex adoratio est. Vna interior, deuotione mẽtis: altera exterior, humiliatione corporis. Ecce autem hic testimonium & signum vtriusque: adorauerunt fide, procidentes humiliatione. In adoratione genu flectimus, nostram infirmitatem, & paruitatem designantes, respectu Dei, sed prosternimur aut procidimus quasi nihil nos esse profitentes. Quare & Magi adorauerunt procidentes, & apertis thesauris obtulerunt ei munera.

6. & vltima nota Diuinitatis Christi, oblatio munerum.

Sexta adhuc & vltima Diuinitatis nota est, scilicet in signum submissionis & dependentiæ, munerum oblatio. Illa autem sunt, aurum, thus & myrrha. Sed quæso hic vnum aduertatur, quod isti priùs prostrati, puerum IESVM adorant, deinde munera offerũt, vt nos videlicet edoceant, se priùs obtulisse animam & corpus, & postea munera minus pretiosa. Sic olim respexit Deus ad Abel primùm, deinde ad munera eius. Ita hodie & nos primùm cor ei & animã offeramus: deinde bonorum operum fructus. Christo vt Regi nostro aurum offeramus: thus vt Deo: myrrham vt homini. Primò aurum charitatis, eum super omnia diligendo; thus deuotiõnis & religionis, ad maiorem eius gloriam omnia faciendo; & myrrham mortificationis atque compassionis, cupiditates nostras reprimendo, & compatiendo doloribus quos pro nobis subire dignatus est in hac carne passibili, in qua nobis apparuit Deus-homo IESVS Christus.

Laus Deo vnitrino: laus Christo homini-Deo: laus Mariæ Virgini Deiparæ.

OPVS

OPVS TRIPARTITVM IN QVADRAGESIMA,

COMPLECTENS TRIA tempora prædicationis IESV Christi.

Scilicet,

Veritates Euangelicæ.
Conuersio peccatoris ad CHRISTVM.
CHRISTVS reparator.

o

VERITATES EVANGELICÆ IN QVADRAGESIMA.

Audite verbum Domini, filij Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, &c. vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Matth. 6.

DE DEFINITIONE VERITATIS.

De consideratione & multiplici definitione veritatis.
Ioh. 14. & 19.
Christus regula omnis veritatis.



REGVLA omnis veritatis est æterna & essentialis veritas Christus IESVS filius Dei. Ita de se loqués ait: *Ego sum via, veritas & vita.* & rursus: *Ad hoc veni in mundum vt testimonium perhibeam veritati.* Ecce quomodo veritas est veritatis regula. Etiam S. Aug. hæc explicans dicit. Cùm Christus testimonium perhibebat veritati, testimonium sibi perhibebat, eius quippe vox est; Ego sum via & veritas. Ex quibus verbis iam satis constat, quo fine in mundum ille venerit, scilicet, vt eum sua luce & cognitione illustraret, quæ est omnis veritas. Propterea ab Euangelista Ioanne dictus est lux vera quæ illuminat omnem hominem, & quæ interim in tenebris lucet. In mundo enim erat, & mundus eum non cognouit. (Ioh. 1.)

Eodem fine ante eum missus est præcursor Iohannes in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, id est, veritate. Eodem post ipsum fine Apostoli, & omnes alij quibus prædicandi munus commissum est, qui scilicet alio id fine non susceperunt, quàm vt verba veritatis & vitæ populo annunciarent. Ad hoc enim Spiritum veritatis receperunt, vt Dominus dixit eis: Dabitur vobis quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. (Matth. 10.)

Et quis est iste Spiritus? veritatis. Sed quidnam adhuc est loquuturus? vtiq; veritatem: sic enim ait Christus? Cùm venerit ille Spiritus veritatis quem ego mittam vobis à patre, ille vos docebit omnem veritatem. Et quæ est illa? Primò, testimonium perhibebit de me, clarificabit me, annunciabit vobis, & vos testimonium de me perhibebitis. Secundò, cùm venerit, arguet mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio: denique quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ecce omnis veritas; & similia annunciare debet prædicator Christi, ille qui iuxta (Ioh. 15. & 16.)

A S. Aug. ex abundantia amoris & charitatis Spiritussancti, omnique timore depulso, pro munere suo, arguendi debet habere libertatem: obsecrandi, increpandi in omni patientia & doctrina: & in scientia Dei Christianas edocendi veritates. *Conditio prædicatoris.*

In Exodo legimus, Deum præscribentem ordinem & modum vestimentorum summi Sacerdotis Aaron, præcepisse Moysi vt pectorali seu rationali iudicij, Vrim & Thümim, doctrinam & veritatem inscriberet. Pones, inquit, in rationali iudicij, Vrim & Thummim, doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur in Sanctuarium coram Domino: & gestabit iudicium filiorum Israël in pectore suo in conspectu Domini semper. Huius autem arcani & mysterij multæ ac diuersæ sunt explicationes. S. Augustinus & S. Cyrill. putant nomina, Vrim & Thummim, doctrinã, & veritas, scripta fuisse in tabella aurea quæ in hoc pectorali pontificio inclusa erat, eóque fine, addit Venerabilis Beda, vt hac veste indutus Sacerdos meminisset se studiis veritatis & doctrinæ inquisitioni consecratum fuisse. Tale etiam nostrum est officium, & munus, & finis, inquisitioni veritatum vacare. Et quidem conuenientissima illa explicatio est. (B) (Exo. 28. *Forma & modus vestimentorum Aaron. Et explicatio mysterij.*) (S. August. quæst. 117. S. Cyrill. lib. 11. de orat. *Diuersa opinio & explicatio descriptionis Vrim & Thümim, veritatis & doctrinæ. super vestimenta Aaron.*)

C Alij dicunt inscriptionem fuisse nominis Dei tetragrammaton cum duodecim litteris, in quibus vnitatis Dei in Trinitate personarum mysterium exprimebatur: eiusmodi autem nomen, Vrim & Thummim, illuminationem & perfectionem significare; ex eo quod ex tali intelligentia Dei, in qua est omnis scientia & veritas, mens nostra & illuminatur & perficitur.

Alij, vt doctissimus Abulensis, dicunt hoc pectorale seu rationale iudicij, pannum fuisse superhumeralem quadrangulum, in quo duodecim pretiosi lapides, & magnum splendorem emittentes auro inclusi erant & circumdati, & in illis duodecim nomina filiorum Israël inscripta, vt etiam

Exodi 28. legitur iuxta Dei præceptum. Cùm autem Sacerdos ingrediebatur Sanctuarium ad consulendum Deum, necessarium erat ad recipiendum responsum, fauorem, aut gratiam, vt in pectore suo eiusmodi memoriale beneficij Dei portaret. Proptereaque duodecim illi lapides dicebantur Vrim & Thummim, id est, illuminatio seu manifestatio, & perfectio, doctrina & veritas: quasi essent signa & notæ responsionum Dei, veritatis, & manifestationis; vt discamus & nos quod vt à Deo responsum in petitionibus nostris, & auxilium gratiæ in necessitatibus expectemus, antea necesse est & nos, & omnes gestare nomina filiorum Israël, id est, illuminationem & perfectionem, non quidem exteriùs super pectus, vt isti portabant, quibus omnia in figuris contingebant, sed in corde, vt Christianos decet & verè illuminatos: portare, inquam, doctrinam & veritatem, sine qua nullus est ad Deum accessus. Accedentem enim ad Deum oportet imprimis credere, dicit Apostolus, & sine doctrina non datur vera intelligentia: *Fides enim ex auditu; auditus autẽ per verbum Christi.* Rom. 10. vbi istorũ omnium egregius ordo ponitur. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? O hæretici, hæc sunt contra vos, sed de iis alibi.

Rom. 10.

Solùm verò ordinem hunc inseruimus, vt vnusquisque videat quibus modis veræ fidei splendore illuminari cõueniat, ac necesse sit. In qua equidem fide est omnis scientia & veritas, aut si vultis, scientia Dei, & summa ratio cognoscendæ & quærendæ veritatis in cunctis.

De hac itaque veritate & scientia hoc toto quadragesimali tempore loqui decreuimus, scilicet de cunctis veritatibus Christianis atque Theologicis, quas omnes ordine sumemus ex Euangeliis. Maximè verò cùm hodie in obliuionem omnium penè hominum venerint, & pauci sint qui illa suspiciunt, auscultantur, & sequuntur. Audite verbum Domini, filij Israël, inquiebat Osee, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, non est misericordia, & non est sciẽtia Dei in terra. Apud S. Iohan. interrogauit Pilatus Christum, & petiit ab eo; Quid est veritas? Ideo autem, inquit Theophylactus, quia ferè ab hominibus euanuerat, cunctisque erat ignota dum increduli erant. Certè hoc optimè dici potest de temporibus istis, vbi tot increduli, & in fide vacillantes, tot hæretici & infideles: vbi denique, vt cum Isaia dicam, omnis veritas in obliuionem facta est, fidei, sicut morum. Deus de cœlo prospexit, ait Psal. si est intelligens, aut requirens Deum, & inuenit quia omnes declinauerunt, & non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum: inuenit quod Michæas dicit, periit sanctus de terra, & in hominibus non est veritas.

Ioh. 19.

Cur Pilatus interrogauit Christum; Quid est veritas?

Isa. 59.

Mich. 7.

Quare non est sanctus? quia non est veritas. Quare hoc tempore nihil aliud agam, quàm vt vos veritates Euangelij edoceam. Hic meus totus labor erit, meus finis, & meum opus. Propterea igitur non intendo aliud sequi hic quàm Euangelium diei vniuscuiusque, & in singulis Euangeliis supremas, æternas, & Christianas veritates vobis aperire, exprimere, & dicendo imprimere; per contemptum caducorum, temporalium & terrenorum, ad æternorum & diuinorum veritatem & lumen vos ducere; & omni vanitate deposita, hypocrisi, errore atque falsitate, ad operationem

A bonarum actionum inducere.

Hæ sunt veritates quas hodiernum nos Euangelium docet, & Ecclesia initio huius quadragesimalis temporis præmittere voluit & proponere ex istis verbis Christi: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furãtur. Thesaurizate autem,* &c. Iuxta S. Chrysost. omnia bona mundi tollit triplex interitus, aut à seipsis veterascunt & tineant, vt vestimenta: aut ab ipsis dominis qui luxuriosè viuunt, comeduntur: aut ab extraneis vi vel dolo diripiũtur. Quid ergo melius est, an in terra reponere, vbi incertus est conseruationis euentus: an in cœlo, vbi est certa custodia? Quæ autẽ stultitia est illic relinquere vnde exiturus es, & illuc non præmittere quò iturus es? Illic ergo substantiam tuam colloca, vbi patriam habes; vbi enim est thesaurus tuus, ait Dominus, ibi est & cor tuum.

S. Chrysost. oper. imperfect. hom. 15.

B

Quod iterum Dominus adiunxit, adhuc ait Chrysost. in Matth. vt si nihil istorum veniret, scilicet quod thesaurus terrenus non destrueretur ab ærugine, aut tinea, aut per fures non auferretur, nõ minimam tamen semper iacturã sustineret his inferioribus defixus, & eorum seruus factus, à cœlestibus cadens, & nihil excelsiorum cogitare potẽs. hæc ille. Scilicet quia in his tantùm est veritas: sunt in aliis mendacium & falsitas. In veritate enim dicere possumus, quod in cunctis quæ extra Deum sunt, aut ad Deum non referunt, nihil est nisi error; etiam in actionibus quæ sanctæ & bonæ apparent hominibus: veritas enim nõ in exteriori, sed in interiori hominum est. Quod nobis hodie ostendit Christus omnis veritatis oraculum, exemplo allato ieiunij. Cùm ieiunatis, inquit hodie, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Fieri dicit, id est, simulare tristitiam, & exterminare faciem, non ratione continentiæ, sed arte fallaciæ, ait S. Leo, vt appareant hominibus: &, vt dicit S. Gregor. 8. Moral. nihil aliud hoc tanto labore, nisi humanam æstimationem cogitare. Amen dico vobis quia receperunt mercedem suam, scilicet quã quæsierunt. Hypocritarum fructus & merces, apparentia est & vanitas. Quare dicit Christus, cùm ieiunas tu, vnge caput, & faciem laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscondito, & videt te in abscondito, & reddet tibi.

Idem hom. 21. in Matt.

Vbi error, & vbi veritas.

C

S. Leo.
S. Gregor. 8. Moral.

D

S. Hieron. notat hic Christum loquutum fuisse iuxta ritum prouinciæ Palæstinæ, vbi diebus festis solebant capita vngere. Hic ergo præcipit, vt in ieiuniis nostris, & aliis operibus bonis lætos & simplices nos esse monstremus, virtutisque & pietatis veritatem, & non speciem nos habere. Quæ veritas propriè est in interiori, & non exteriori hominũ: in oculis Dei, & non hominum; sicut Dominus dicit; Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans: sed Deo patri tuo, qui est in abscondito, & videt te in abscondito. Ecce vbi & in quo est veritas.

S. Hieron.

E

Nam quid est veritas? Iuxta S. Hilar. id quod est declaratiuum, aut manifestatiuum esse. Ita S. Aug. lib. de vera religione. Veritas est, inquit, qua ostẽditur id quod est. Alia eiusdem definito. Veritas est summa similitudo principij, id est, intellectus: est enim omnis veritas principaliter in intellectu, & tantùm secundariò in rebus secundum quod comparantur ad intellectum, vt ad principium.

Quid sit veritas.
S. Hilar. & S. Aug. lib. de vera relig. cap. 36.

Iuxta hoc dicebat S. Ansel. in dialogo de veritate. Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis; nam rectum est quod principio concordat: & sic communis definitio illa est, adæquatio rei & intelle

S. Anselm. in dialog. de verit. c. 11.

intellectus, seu conformitas vtriusque, scilicet rei cum intellectu: dicit enim relationem qua esse ad intellectum ordinatur, ita vt tunc propriè veritas sit in intellectu, secundum quod apprehendit rem in se,& sicuti est:& similiter in re, secundum quod habet esse conforme, seu conformabile intellectui, qui non nisi verum apprehendere potest, vt voluntas bonum. Et hoc satis explicatione sua clarum est.

Intellectus Dei omnis veritatis regula.

Quia autem intellectus diuinus, qui est & suum esse,& suum intelligere, est etiam omnis alterius esse & intellectus, aut si vultis, omnis veritatis regula: propterea illa maximè vera esse dicuntur, quæ intellectui diuino conformia sunt. Et sic in veritate sumus tales, quales in oculis Dei sumus, qui videt nos in abscondito. Ecce vbi & in quo est summa omnium actionum nostrarũ veritas. Hinc hodie Christus loquens de ieiunio; sic ieiuna, inquit, vt non videaris hominibus ieiunans: sed patri tuo qui videt te in abscondito,& reddet tibi. Sufficit enim tibi, vt qui inspector est conscientiæ, sit remunerator.

Quod autem hic de ieiunio dicitur, de aliis dicendum virtutibus. Verùm si tam durè hodie corripitur & condemnatur ieiunans simulator & hypocrita tristis; quanto magis qui non ieiunat penitus cùm possit, atque etiam ieiunio fracto & spreto, illicita & vetita tẽporibus istis comedit, aliisque peccatis innumeris animam suã maculat? Sic ergo ieiunetis omnes, vt Deo ieiunetis, dicit glossa. Deo autẽ ille ieiunat, qui pro eius amore se macerat,& quod sibi subtrahit, alteri largitur. Si vultis, qui sibi & pauperibus miseretur, sibi, auferendo à se peccata: pauperibus, eis eleemosynas largiendo. Nam, vt optimè dicit S. Leo Ser. 6. de ieiunio, impleri debet ieiunium non ciborum tantummodo parcitate, sed maximè priuatione vitiorum. Tunc enim maximè caput nostrum vngimus,& faciẽ lauamus.

Quis Deo ieiunat. Glossa ordin.

S. Leo Serm. 6. de ieiunio.

Quodnam verò est caput nostrum? Christus. Et quæ facies nostra? Propria conscientia peccatorum sordibus fœda, quam lacrymis pœnitentiæ lauamus. Non dicitur autem quod caput lauemus, quia caput nostrum spiritualiter est Christus qui peccatum non fecit, sed dicitur quod vngamus, oleo scilicet charitatis & misericordiæ erga pauperes. Sic S. Chrysostomus in opere imperfect. in Matth. dicit. Sitientem pota, esurientem ciba,& sic oleo misericordiæ vnxisti caput tuum, id est, Christum, qui clamat in Euangelio; *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Quare præcipitur, vt caput nostrũ vngamus, nõ autem lauemus. S. Chrysost. hom. 12. in Matthæum operis imperf.

Ecce itaque qui in veritate & coram Deo ieiunat, scilicet qui vngit caput misericordia, lauat faciem, id est, conscientiam pœnitentia, omnique virtute & pietate animam suam ornat. Denique qui thesaurizat non in terra, sed in cœlo,& qui scit vbi est thesaurus verus, vt ibi ac in eo cor suum collocet, dicente hodie Domino: Vbi thesaurus tuus est, ibi est & cor tuum. Ecce, ait S. Aug. Dominus dat tibi consilium de corde tuo, dicens: Vbi fuerit thesaurus tuus. Leua ergo cor in cœlum, ne putrescat in terra. Consilium eius est qui te vult saluare, non perdere. Nolite thesaurizare in terra, sed in cœlo. Vbi enim est thesaurus (ait etiam S. Fulgent.) ibi cogitantis affectus.

S. August. Serm. 50.

S. Fulgent.

Sed quis noster est thesaurus? Christus, fidelium enim est thesaurus. Vbinam autem modò ipse est? Equidem in cœlis. Ibi ergo conuersatio nostra sit, in cœlis,& non amplius in terris. Nisi adhuc fortè in Altari, vbi est & versatur semper nobiscum in terra. Spirituales itaque delicias nostras ibi cum illo habeamus: vbi est thesaurus noster, ibi sit cor nostrum. Non est thesaurus noster in omnibus istis terrenis & corporeis, vbi omnia vanitas, cinis,& puluis; sed in spiritualibus, cœlestibus & æternis: vbi Deus est,& omnis cum eo veritas.

Christus fidelium thesaurus.

Tu igitur, ô homo, iam secundum corpus quo constas, memento hodie quia puluis es,& in puluerem reuerteris: secundum verò animam, quæ illud vile corpus informat, memento quia cœlum es, quia Altare Domini,& Altissimi habitatio es,& qui dicit; *Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum.* Iam itaque tuæ sint esse & manere cum filio hominis, cum Dei filio, qui pro te factus est homo. Istæ sint deliciæ tuæ,& illa sit omnis cura & possessio tua, non alias diuitias,& nullum alium thesaurum habere quàm Christum. Hæc summa veritas est, hoc initium & complementum omnis veritatis, possidere Christum.

Vbi est,& nõ est thesaurus hominum.

DE FIDE IN CHRISTVM, quæ est prima omnium veritas.

Amen dico vobis: Non inueni tantam fidem in Israël,&c. Matth. 8.

Non est veritas,& non est scientia Dei in terra. Osee 4.

IAM suprà diximus Christum Dominum esse regulam omnis veritatis, quia ipse est essentialis veritas: in quantum est verbum patris, omnis esse, luminis & veritatis principium, sicut Iohan. dicit; Omnia per ipsum facta sũt, in ipso vita erat,& vita erat lux hominum: lux vera quę illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum. Vnde dicebat ipse, quod nemo veniebat ad patrẽ nisi per ipsum; sicut alio in loco: Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur.

Ioh. 14. item 10. cap.

Huius rei exemplum in Centurione videri potest ex Euangelica enarratione. Cùm introisset IESVS Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum,& dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus,& malè torquetur. Quidnam illi dicit Dominus? Ego veniam,& curabo. Et quid illi respondet Centurio? Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum: sed dic tantùm verbo. Audiens autem IESVS miratus est,& sequentibus se dixit; Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël;& dixit Centurioni: Vade,& sicut credidisti, fiat tibi.

Ex discursu isto conditiones & qualitates fidei agnouimus. Sed quid præterea in transcursu enarratur? Quod multi ab Oriente & Occidente venient,& recumbent cum Abraham, Isaac,& Iacob in regno cœlorum, filij autem regni eiicientur,&c. Ita est certè; non est enim amplius veritas,& non est scientia Dei in terra.

Ecce quod mihi proposui vobis loqui & dicere hoc tempore, scil. veritatem, quia sermo Christi est veritas, sicut ipse etiam veritas est. Quare nihil de me nunc expectare debetis nisi veritates, non indoctas fabulas, neque humanæ sapientiæ verba, quæ in sublimitate sermonis,& profanarum rerum superfluitate & vana perquisitione huius sæculi ostenditur: sed altissimarum Scripturarum veritates,& doctrinam sanam, quæ est in ostensione spiritus & virtutis Dei, ad corrigendum,& cum libertate increpandum, reducendúmque errantem in

ciuitatis quantâ sint gaudia, Angelorum choris A interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentemque Dei vultum cernere? (gloriam Majestatis, & IESVM stantem à dextris Dei.) Ad hæc audita inardescit animus, iamque cupit illic esse vbi se sperat sine fine gaudere. Sed audi, ad magna præmia perueniri non potest, nisi per magnos labores: vnde Paulus; *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* hæc Greg.

Sic hodie Stephanus sicut nomine, ita etiam suis laboribus coronatus est; miles suum ducem Christum sequutus est. Stephane quid vides? Cœlos apertos, & IESVM stantem: stantem equidem, quia præstò est auxiliari, & coronare eos qui pugnabunt, & cum Stephano per scalam & aceruum lapidum tribulationis ascendent in cœlum. B Regnum enim cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

DE AMORE DEI IN gloria, in festo S. Iohannis.

Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Ioh. vlt.

SAnctus Iohannes discipulus ille quem diligebat IESVS, dignus inuentus est particeps fieri C gratiæ ineffabilis nostri mysterij, de quo tam altè loquutus est, & meritò etiã terminabit in se amore gloriæ, quod amoris gratia inceptum est. Et certè, si ordinem Euangelij eius consideremus, inueniemus ipsum à primo cap. vsque ad vltimum, eorum omnium quæ dixit veritatem expertum fuisse.

Primò, vidit & testimonium dedit non minus quàm Baptista, quod verbum caro factum est, & habitauit in nobis, plenum gratiæ & veritatis, (talis enim connexio esse debet) de eaque plenitudine omnem suam gratiam accepisse fatetur, & omnia etiam super alios priuilegia præcipui amoris.

Secundò, vidit adhuc quia plenum veritatis D erat, huius in se amoris æternitatem expertus. *Sic*, vel, *si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere.* Quasi Petro dixisset Christus; ipsum non habebis socium mortis, non morietur igne, gladio, vel cruce, sicut tu, volo eum ex priuilegio amoris manere, & vitam in terra ducere cum fruitione amoris, donec ad eum veniam die præordinato apud me suæ mortis, vt in æterna vita gaudeat sui semper priuilegio amoris. Etenim certissimè constat ex S. Hyeron. Com. in 20. Matth. mortuum esse, & nunc Deo frui in æterna vita.

Controuersia de morte Sancti Iohannis. 1. opinio. Interim apud authores de morte eius notabilis controuersia est, de cáque quatuor inueniuntur sententię. Prima est Bedę in Serm. de eodem Euangelista, scilicet non esse mortuum, sed adhuc E viuere. Et qui eam sequuntur, probare conantur ex Matth. 16. his verbis Christi: *Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis*, &c. Contrarium tamen videntur dicere verba eiusdem Euãgelistæ dicentis: *Et non dixit ei* IESVS, *non moritur, sed: sic*, aut, *si eum volo manere, quid ad te?* Videbatur enim Christus tunc curiositatem Petri & aliorum corrigere.

2. Matt. 20. Secunda est, mortuum fuisse, & quidem morte violentia à Trajano, iuxta illa verba; *Calicem meum bibetis.* Ita Theophil. Sed non recepta est, cùm certum sit de contrario.

Tertia est, mortuum quidem fuisse, sed eodem 3. die resurrexisse, & translatum fuisse in cœlum cum B. Virgine. Ita Hugo à Sancto Victore & Niceph. Quæ quidem quodammodo probabilis videtur. *Niceph. lib. 1. cap. 35.*

Quarta tandem & omnium certissima est S. Hieron. & multorum aliorum, videlicet S. Iohannem plenum dierum, naturalem mortem obiisse, interim omni dolore mortis exemptam, sed in summa pace. *4. & certa opinio est, S. Iohãnẽ mortuum esse.* Quid autem de eius corpore factum sit, quod nõ inuenitur, & vbi sit repositũ, vel an resurrexerit, nemo scit, & solus ille nouit qui omnia scit, & dixit de illo; *Sic eum volo manere.* Sicut enim hæc dixerat Christus, vt curositatem argueret Petri Apostoli dicentis: *Domine, hic autem quid?* Ita adhuc nobis non reuelauit Christus, vt curiositatem nostram hic sanet, & in multis aliis rebus; maximè autem in hoc negotio Apostoli, vt priuilegium dilectionis Dei erga ipsum honoremus.

Ego interim sine ampliori perscrutatione crederem facilè iis, qui asserentes quod mortuus sit, etiam dicunt quod resurrexit. *Sic eum volo manere, donec veniam*, ait Christus, id est, cum hominibus diutissimè victurus est in hac vita amoris, donec veniam ad eum in morte, vt statim cum Angelis & mecum eadem viuat in gloria, in æternum. Sic eum volo manere.

Venerabilis Beda hic allegoriam facit cum Sancto Augustino inter Sanctum Petrum, & Sanctum Iohannem. *Quid intelligitur allegoricè per S. Petrum & S. Iohannem.* Quid intelligitur per vtrumque? S. Augustinus dicit, quia per Petrum intelligitur vita actiua, quæ non debet semper manere; vnde dicitur illi, tu me sequere. Per Iohannem verò intelligitur vita contemplatiua, deuotionis & amoris, quæ manere debet & futura est in æternum. Vnde Christus, sic eum volo manere, scil. in hoc statu æterno amoris. Hinc etiam est quod magis illum diligit, & conseruat Christus: si enim hic incipit, semper etiam in cœlo remanebit. Sic eum volo manere.

O quàm vtile est & diuinum, Deum in terra diligere! Amari à Christo, & Christum amare! Ecce discipulus quem diligebat IESVS, & ecce quid dicat de diligentibus se: Si diligeretis me, mandata mea seruate. Si quis diligit me, diligitur à patre, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum, & Ioh. 14. ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, vt maneat nobiscum in æternum.

Hæc intelligite Christi amatores. Heri cum Sancto Thoma suspiciebamus Sanctũ Stephanum videntem cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei. *S. Thom. & Scotus conueniunt in ratione beatitudinis.* Nunc cum Scoto discipulum honorabimus diligentem Christum, & quem diligebat IESVS, aut si vultis, videntem simul & amantem ipsum; vt simul sequentes mẽtem vtriusque Doctoris, etiam inuicem conciliemus. Non est enim Dei visio sine amore, nec amor sine visione. Perfecta Dei fruitio complectitur vtrumque, visionem & amorem, & non est fœlicitas sine nexu vtriusque. Initiatiuè in visione est fœlicitas, in amore autem perfectè & cum vnione. *Initiatiuè fœlicitas est in visione, perfectè in amore.* Quare nunc de illa vita quæ amore inchoata in terris, fruitione completur in cœlis, loquemur hodie in gratiam S. Iohannis qui diligebat IESVM, & quem diligebat IESVS. Denique in huius gratiam amoris qui dilectum diligenti coniungit.

Et hæc certè ratio erat cur Scotus in amore formalem beatitudinem posuit, considerans quod voluntas suo actu operatiuo, (qui est amare) vnit sibi obiectum obtentum per intellectum, & modo eminen

eminentiori: nam facit ex duobus vnum; vnde licet illa subiectiua beatitudo consistat initiatiuè in actu intellectus, completiuè tamen & tanquam vltimatè consistit in actu voluntatis, qui est amor, ad quem consequitur delectatio. Hic est enim ordo in beatitudine; ex præsentia obiecti sequitur visio, visionem sequitur comprehensio, comprehensionem amor & delectatio. Quæ tria potissimum ac simul dicimus cum Sancto Thoma concurrere ad beatitudinem, vt agnoscamus etiam ipsum à Scoto non dissentire, sed conuenire.

Ordo beatitudinis.

S. Tho. 1. 2. q. 4. art. 3.

Explicemus itaque cum illo, hæc ita esse ex ipso ordine hominis ad finem suum. Dupliciter ordinatur homo ad beatitudinem, partim per intellectum, partim per voluntatem. Per intellectum iuxta cognitionem finis: per voluntatem autem duobus modis. Primò per amorem, qui est primus motus voluntatis ad aliquid. Secundò per realem habitudinem amantis ad amatum. Quæ quidem habitudo ex eodem Doctore potest esse triplex. Nam vel amatum est præsens amanti, & sic non quæritur: vel absens, & impossibile adipisci, & sic adhuc non quæritur; vnum ponit gaudium, alterum desperationem: vel denique acquiri potest, interim eleuatum supra facultatem adipiscentis, ita vt statim non possit haberi, & tunc mutatione quadam fit habitudo sperantis ad speratum, quæ propterea ad eius perquisitionem nos excitat.

Homo ordinatur dupliciter ad beatitudinem.

Quomodo amor conuertitur in spem.

Vnde in hac vita cognito & amato simul fine nostro, nondum tamen obtento, erigimur in spem, & cũ S. Augustin. dicimus: Fecisti nos ad te Domine, & inquietum est cor, & scilicet quia tantùm inchoationem habemus in terra istius summæ perfectionis quæ nos in cœlis expectat, vbi his tribus quæ in terra sunt, scilicet fidei, spei & amori, respondet in cœlo visio Dei clara, præsentia seu comprehensio, fruitio seu delectatio, clara Dei visione succedente fidei, quæ imperfecta est.

Tria in terris quæ tribus respondent in cœlis.

Figura pulchra est huius mysterij in Iacob, cui post Liam, quæ lippis oculis erat, aduenit Rachel decora facie, & venusto aspectu. Ita in cœlo decori & splendori gloriæ vniemur, euacuato quod ex parte & in obscuris in terra possedimus, scilicet, fide, quæ lippis oculis est. Ita dicimus de cæteris, scilicet de comprehensione, quæ fit per totalem præsentiam Dei, speique succedit, quæ solùm in desiderio & expectatione est. Non quidem quod illa comprehensio inclusionem significet comprehensi à comprehendente, hoc etenim modo Deus solus se comprehendit; sed quia Deum præsentialiter tenet. Denique delectatione seu fruitione succedente dilectioni; ita vt nihil prorsus desit beatitudini hominis, sed totus in se beatus sit, & sicut Deus in se est, videt, tenet, delectatur.

Gen 29.

Quid dicat in beatis cõprehensio.

O admirandam erga hominum genus dignationem diuinæ bonitatis! *Cum apparuerit, similes ei erimus.* Ad hoc nati & vocati omnes sumus. *Sic currite vt comprehendatis,* ait Paulus. Ad magna certè nascimur, & ad magna vocamur, ad Dei possessionem, Dei fruitionem, & in amore eius delectationem æternam.

1. Ioh. 3.
1. Cor. 9.

A Sed similitudinem percipite: *Omnis qui in agone* (seu cursu) *contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Ac sic diceret; qui festinatis ad incorruptam, sic currite exemplo istorum, scilicet expediti ab omnibus, vt comprehendatis.

Quid faciendũ pro æterna gloria.

O Christiani, stadium nostrum spatium est vitæ præsentis, per quod currimus omnes ad finem nostrum: sine intermissione enim ad mortem currimus omnes, sed non omnes tamen ad brauium tendimus: vnde nec currere satis est, nisi in viis Dei curramus, alioquin ad brauium non currimus & præmium, nec comprehendemus. *Omnes quidem currunt,* ait Apostolus, *sed vnus accipit brauium,* gloriæ præmium. Quis ille? qui omnia contemnit propter Christum, & ambulat in viis eius. Quæ sunt illæ? Domine, vias tuas demonstra mihi.

B

Hæ sunt, primò fides seu notitia Dei reuelata, quæ est, ex S. Augustin. illuminatio mentis ad summam veritatem cognoscendam & diligendam, & in ea omnem culpam abhorrendam. Sic Dauid: *Viam veritatis elegi, & legem tuam non sum oblitus.* Hæc est via veritatis & via mandatorum Dei, fides, qui illam non habent, extra viam sunt. Secundò, spes sicut charitas viæ sunt similiter, & omnes viæ pulchræ & pacificæ. Tertiò, vniuscuiusque status & conditio via est qua ad Deum dirigitur, dum fideliter, & iustè gerit se ad omnes, & in qua vocatione vocatus est, Deum semper quærit. Vnde fit vt si extra viam nostram simus, erremus quidem omnes, licet curramus. Currunt omnes, & beatitudinem volunt omnes, sed vnus accipit, pauci perueniunt. Sic currite vt comprehendatis.

Quænam sint via ad gloriam.
Quid sit fides.

C

Etenim sciendum est, triplex genus esse currentium. Alij velociter currunt, & ij sunt qui diuina sequuntur consilia. Matth. 19. Si vis perfectus esse, &c. Tales enim omnia impedimenta relinquunt, iuxta similitudinem ab Apostolo propositam: *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Illi autem figurati sunt in Ioseph, qui fugiens, pallium suum reliquit quod tenebat impudica mulier.

Triplex genus currẽtiũ.

Gen. 39.

Alij tardè currunt, quos scilicet cura familiæ occupat, significati per vaccas 1. Reg. 6. quæ de terra Philistinorum ad terram Israël Arcam Domini portantes, mugientes gradiebantur, & anxiæ de vitulis qui reclusi domi remanserant. Ita enim sæpe accidit iis qui familiam habent, dicunt inuitanti, vxorem duxi, villam emi; alius ad negotiationem vadit, & alius penitus negligit cœnam paratam magni Dei.

D

Matth. 22.

Quare alij denique sunt qui retrogradè currunt, iique sunt qui penitus Dei consilia & præcepta negligentes, penitus sequuntur ea quæ mundi sunt, vt omnes Christiani falsi & mali, qui Deum confitentur nosse, factis autem negant; similes isti filiis Israël, qui fastidientes manna, ad allia Ægypti redibant, & denuò seruitutem requirebant. Audiant omnes quid dicat Dominus: Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Sic currite vt comprehendatis.

E

Exod. 14. & 16.

Finis Theologiæ de Christo, contentæ & explicatæ in primo capite Sancti Iohannis.

DE CIRCVNCISIONE, & gloria nominis Iesv.

Postquam consummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius Iesvs. Luc. 2.

INTER omnia nomina Christi, sanctissimũ, gloriosissimum, diuinissimumque est nomen IESVS, maximè illi proprium nomen est, maximéque conueniens; nomen quod significat vnionem duarum naturarum, & vnionis effectum, qui est humani generis salus. O nomen super omne nomen! Deus multorum capax est nominum, & de facto diuersa recipit. Communisque ratio est, quia cùm infinita sit eius natura, non potest vno conceptu, vnaque & sola mentis apprehensione concipi, & sic nec vno nomine explicari: vnde pro diuersitate conceptuum, etiam à nobis nominum diuersitatem recipit. A quibusdam Philosophis, vt à Platone, vocatur pater mundi, opifexque vniuersorum: ab Aristotele communiter causa prima & primus motor omnium: ab Auerroë contra Arabem Algazellum distinguũtur in duos ordines diuina nomina. Quorum alter est affirmantium in Deo, vt bonus, sapiens, &c. Alter negantium in Deo, vt immortalis, immensus, infinitus.

Quid nomen Iesvs *significat.*

Deus capax multorũ nominũ ratione naturæ suæ infinitæ.

A Philosophis recipit.

Auerro. disput 5.

Sed Philosophos relinquamus. Nunc à Theologis hanc differentiam nominum sumamus. S. Iohannes Damasc. aliam dat nominum Dei diuisionem. Et primò quidem vnum supponit, scilicet nullum nomen Dei explicare nobis quid ipse sit. Neque enim sumimus eius nomina ab eo quod de eius essentia est, aut intra ipsum est: hoc enim valde est remotum ab intellectu nostro, eique penitus inaccessibile; sed sumimus illa tantùm ab eo quod extra ipsius essentiam est.

A Theologis.

Damasc. lib. 1. de fide ortho. cap. 12.

Quo supposito, sic distinguit. Nomina quædam sunt, quæ quid nõ sit Deus significant, vt illa prædicta, immortalis, incorporeus, & cætera omnia quæ à negatione sumuntur. Alia dicunt qualiter in se Deus sit, non autem quid sit, vt bonus, sapiens, iustus, & misericors. Hæc enim omnia potiùs respiciunt proprietates diuinas, quàm naturam. Alia qualiter erga nos se gerit, vt Dominus, principium, causa prima, &c. Alia dicunt operationes eius, vt creator, & hoc nomen Deus; quia semper videt nos, prouidet, regit & protegit. Alia denique existentiam magis quàm essentiam, vt in Exod. hoc nomen, Ego sum. Qui est, &c.

Exod. 3.

Similiter inter Scholasticos Magist. Sent. etiam alias ex multis Patribus nominum Dei differentias affert. Quædam (ait) sunt nomina essentialia, scilicet quoad nos, vt illa iam allata, bonus & sapiens. Quædam personalia, vt pater, filius, & Spiritussanctus. Quædam collectiua, vt Trinitas, Deus. Quædam relatiua ab æterno, vt mittendus respectu Filij, vt donandus ratione Spiritussancti. Quædam ab initio temporis, vt creator, gubernator, & Dominus. Quædam denique relatiua in plenitudine temporum, vt Redemptor, Saluator, & IESVS. Post consummatos dies octo, vocatum est nomen eius IESVS. Etenim, vt vnus dixit propheta, & Paulus cum illo, in medio annorum, & plenitudine temporum viuificauit nos & redemit. Licetque hoc nomen IESVS ab æterno fuerit preordinatum,

A Scholasticis.

Magist. Sẽt. in 1. distin. 22.

A & priùs reuelatum quàm impositum, tamen ait S. Luc. *Postquã consummati sunt dies octo, vt circũciderctur puer, vocatũ est nomen eius* IESVS. IESVS naturæ & impositionis nomen, æternitatem simul includens & tempora, duas naturas, diuinam & humanam. Nomen quod est super omne nomen, & per omnia adhuc alia nomina Dei effusum; *vocatum est nomen eius* IESVS. Ecce nomen Christi, nomẽ Majestatis & gloriæ eius, sicut officij. In hoc nomine flectitur omne genu, & non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri. Nomen est Dei & Saluatoris.

B Quare de isto nomine tantùm, & non de aliis hodie loquemur, quia Christi propriissimum est triplici ratione. Prima, quia illi à solo Deo impositum est, qui optimè cognouit de filio quis & qualis sit, sicut ipse dixit; *Nemo nouit filium nisi pater.* Secundum ergo omnem suam proprietatem nomen dedit illi, iuxta quod Isaias dicit; *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Nomen nouum, IESVS nomen est, nomen super omne nomen. Itaque hodie in hac nouitate dicamus: Benedictus qui venit in nomine Domini. Domine IESV, oleum effusum est nomen tuum.

Iesvs nomẽ Christi proprium triplici ratione.

1.

Matth. 11.

Isa. 62.

Cant. 1.

Secunda, quia omnia alia nomina quæ dari debent Christo vt Messiæ, comprehenduntur hoc nomine IESV. *Puer natus est nobis*, inquit Isaias propheta, *& vocabitur* (hæc sunt nomina) *Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Princeps pacis, pater futuri sæculi.* Ecce pulchra nomina. Sed vbi est istud quod est super omne nomen? nomen IESVS vbinam est? In omnibus istis, sicut omnia in illo. Vnde dicimus quia super omne nomen est, & qui dicit IESVM, dicit illa omnia. Quæso videamus.

2.

Isa. 9.

C

Et primò, quis magis admirabilis quàm ille qui suo nomine significat vnionem hypostaticam Dei cum homine? Quis magis consiliarius & melior quàm qui vias ad cœlum docet? Matth. 5. & alibi multoties. Et quis non credet ipsum Deum esse, qui sua authoritate peccata remittit, & aliis dat remittendi facultatem? Quis illo fortior, in cuius nomine & virtute omnia possumus? Marc. vlt. Et nónne etiam ille est princeps pacis vniuersæ, qui in sanguine Crucis suæ Deo homines reconciliauit, omniaque instaurauit, & quæ in terris, & quæ in cœlis? Denique, nónne ille est pater futuri sæculi, qui suscitat mortuos, & dat vitam omni carni, & dat vitam gratiæ hominibus in terra, & abundantiùs in cœlo vitam gloriæ? *Veni vt vitam habeant.*

Quomodo in nomine Iesv omnia nomina Christi includantur.

Matth. 9. Ioh. 20.

D

Coloss. 1.

Ioh. 6. & 11. Ioh. 10.

Ecce quomodo hæc omnia nomina quæ apud Isaiam sunt, comprehenduntur sub illo: & de quo adhuc antea loquutus fuerat idem propheta, vbi de futura eius matre loquens ait; *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel* (quod interpretatur, nobiscum Deus.) Ecce nomen IESVS, præter alia, adhuc apud Isaiam prædictum. Nobiscum Deus, hoc nomen, vt videre est, continet quod nomen IESVS comprehendit, Diuinitatem & humanitatem inuicem vnitas: Deus, ecce Diuinitas; nobiscum, ecce humanitas. Nobiscum Deus, illarum duarum naturarum hypostatica vnio est.

Isa. 7.

E

Nomẽ Iesvs in nomine Emanuel continetur.

Ecce quomodo in nomine IESV nomen Emanuel continetur, & IESVS in Emanuel comprehenditur. IESVS qui dicitur homo-Deus, Saluator, nobiscum Deus, præterquàm quod adhuc hoc nomen IESVS significat effectum & operationem talis admirandæ vnionis naturarum, diuinæ & humanæ, in qua est nostra salus. Vnde apparet quantum

quantum Christo hoc nomen conueniat, & proprium sit super omnia.

Tertia ratio.

Tertia ratio est, quia præter istud, quædam tantùm ei conueniunt, in quantum Deus est, vt omnipotens, æternus, &c. Quædam verò vt homo est, vt Agnus, mansuetus, humilis, &c. Hoc autem nomen IESVS conuenit illi simpliciter, scilicet vt est homo-Deus, & Christus, ad quem pertinet vt sic esse Saluatorem mundi. Ita definiebat Concil. Ephes. Ser. quē habuit in eo sanctissimus Antistes Proclus. Venit quidem ad saluandum; sed & pati quoque illum oportuit. At quomodo vtraque hæc fieri potuerunt? homo purus saluare non poterat, Deus solus pati nequibat. Quid igitur? Ipse Emanuel Deus factus est homo, IESVS Christus, homo-Deus, & id quidem quod erat saluauit, quod verò factum est, passiones subiit, &c.

Conc. Eph. tom. 6. c. 7.

Isa. 45.

Hoc sensu in Isaia ipse Christus dicebat: *Deus iustus & saluans non est præter me.* Quomodo etiam statim petebatur ab eodem Propheta, qui dicebat, clamans: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorē*, id est, IESVM. Quasi Propheta diceret, mysterij præuidens ordinem; gratia Spiritussancti desuper veniat, & virtus Altissimi obumbret Mariæ Virgini, & illa terra sancta & virginalis nobis pariat IESVM Saluatorem. Sic Dauid, qui inducit populum, vt recurrat ad istud nomen inuocandum ad salutem: *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius.* Quod nomen? (IESVS,) & tunc *annunciate inter gentes opera eius*, id est, virtutem eius prædicate, & quia in eo est salus.

Quomodo Isaias ordinē Incarnationis præuidet.

Psal. 105.

Sed quæso, quonam pretio magno hoc nomen magnum sibi meruit Christus? Videamus. Hodie meruit effusione sanguinis. *Postquam consummati sunt dies octo vt circunciderctur puer, vocatum est nomen eius* IESVS. Aduertite, priùs ille circunciditur & sanguinem fundit, quam ei hoc gloriosum nomen imponatur.

Quo pretio sibi Christus meruit hoc nomen.

Sed quænam rogo, contradictio ista est, quod circuncidatur puer, & vocetur IESVS? Circuncidi signum est peccatoris: & IESVM vocari signum est proprium Saluatoris. Hæc pugnare inuicem viderentur, nisi hic ostenderemus quomodo conueniunt inter se, & vnum ad aliud ordinatur. Ex diuina ordinatione, sine effusione sanguinis non fit remissio peccatorum & salus. Alterius autem quàm Christi, & Dei Saluatoris nos sufficeret sanguinis effusio ad salutem. Ecce itaque vnde primò Christus circuncisionem passus est, & effusionem sanguinis, vt hoc nomen haberet Saluatoris. Hinc hodie Mater eius sanctissima Maria Virgo pro nobis eum offert patri vt Saluatorem, & reconciliatorem in sanguine ipsius.

Quomodo circuncisio Christi conuenit cū impositione nominis Iesu.

Refertur Romanorum annalibus, quod cùm statim post Romam conditam, inter Romanos & Sabinos crudele bellum fuisset ortum, mulieres, Sabinorum filiæ, & Romanorum vxores, tunc inter brachia sua suos filios gestantes, constituerunt se medias inter vtraque castra, & persuaserunt sic pacem, Sabinis primò dicentes: Quid in vestra viscera sic irruitis? Nos filiæ vestræ sumus, & Romani vestri nepotes & generi, quia viri nostri sunt. Arma igitur deponite, & parcite sanguini. Similia postea Romanis dicebant: Desistite & vos contra Sabinos patres & affines vestros sæuire, quia & nos filiæ eorum sumus. Sic vtrinque vt mediatrices pacem obtinuere. Interim de vna re inter eos dissensione mota, quod Romanis sibi pro vexillo Aquilam eligentibus, sumpserunt Sabini istos quatuor characteres eorum vexillo apponendos, S. P. Q. R. quorum talis explicatio erat, Sabinis populis quis resistet? Sed prudentia cuiusdam Romanorum ducis facilè discordia tota consopita est & extincta. Nam Romanis dixit ille: Si litteræ istæ in gloriam sunt Sabinorum, nec minus in nostram erunt. Si enim dicant pro illis, Sabinis populis quis resistet? & pro nobis respondebunt, Senatus populúsque Romanus. Et sic vtrinque pax facta est.

Sabinorū & Rom. historia.

Hæc historia hodiernam pacem nostram adumbrare videtur inter Deum & homines, per Mariam Virginem IESVM gestantem, Dei filium & Saluatorem nostrum inter brachia, & mediam vtrinque constitutam inter Deum iratum, & homines inimicos eius, cùm hodie offert ipsum patri sæuire volenti in peccata hominum, & dicit ei: Quousque Domine non misereberis? Ecce filius tuus, qui nunc particeps factus est naturæ istius. Ecce iam tibi ipse offert pro istis sanguinem. Hominibus autem eundem nunc in sanguine & doloribus circuncisionis suæ & gladij offerens, atque, vt ita dicam, in similitudinem nostræ carnis peccati, ait: Quid ô mortales, sic Deum patrem vestrum exasperatis? Deponite modò arma vestra quæ militant aduersus Deum, peccata vestra deponite. Pax facta est, iamque audita, sed mediantibus vtrinque quatuor litteris & characteribus, S. P. Q. R. pro Deo, Sanctus, potens, qui regnat; & pro hominibus, Salua populum, quem redemisti: quem hodie redemisti in circuncisionis sanguine filij tui. Ecce ergo cur illam passus est, ideo vt nascendo Saluator esse inciperet. Hinc ei nomen impositum IESVS.

Applicatio historiæ.

Rationes quæ adhuc supersunt, cur circuncisus est Dominus, hæ sunt; vt in se ostenderet veritatem humanæ carnis, & testaretur se esse de genere Abraham. Item vt in humilitate sua & obedientia nobis daret exemplum virtutis, cùm ait: *Non veni soluere legem*, &c. Denique vt spiritualem nos doceret circuncisionem cordis nostri: vnde Deut. 10. *Circuncidite cor*, &c. vno verbo, renouationem doceret. *Siquis in Christo noua creatura*, ait Apostolus, *vetera transierunt*, &c. & alibi: *Induimini Dominum* IESVM, *& carnis curam ne feceritis in desideriis.* Cum tempore & anno homo renouari debet in Christo IESV Domino.

Aliæ rationes cur Christus circuncisus est.

Matth. 5.

Deut. 10.

2. Cor. 5.

Rom. 13.

DE EPIPHANIA, ET adoratione Domini IESV.

Inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Matth. 2.

MAXIMVS & ditissimus in terra thesaurus est puer IESVS, cum Maria matre eius. Quid, ait S. Chrysostom. Serm. apud Metaph. illa matre Virgine maius, aut illustrius vllo vnquam tempore inuentum est, seu aliquando inueniri poterit? Hæc sola cœlum & terram amplitudine superauit, (hodie namque est, & continetur ab illa quem cœli capere non poterant.) Inuenerunt puerum IESVM cum Maria matre eius. Quidnam illa

Chrysost. apud Metaph.

illa sanctius? Non Prophetæ, non Angeli, non throni. Eadem hodie ancilla Dei & mater est, eadem Virgo & genitrix, eius mater qui à patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli & homines, humilesque cum Regibus omnes agnoscunt Dominum rerum omnium, & procidentes adorant.

Dicam cum S. Hieronymo. Quid hodie & ab æterno nobilius, splendidiúsque illa, quam splendor elegit, & candor lucis æternæ prædestinauit, ad hoc vt nouem mensibus in vtero portaret, & huic mundo effunderet lumen æternum IESVM Christum Dominum nostrum, atque etiam parens eiusdem ab Angelis & hominibus agnosceretur? Hodie nouum fecit Dominus super terram, vt mulier circundaret virum, nec alium quàm Christum Dei filium, in vtero gestaret, & in gremio verbum Dei incarnatum, portaret inter vbera, inter manus & brachia: & cum illo esset, vitæ & nutrimenti curam habens. *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* In terra inuenerunt omnis gratiæ thesaurum, Mariam cum IESV.

Homil. cōtra Nestorium. Hodie dicam cum S. Cyrillo Alexand. contra Nestor. Laus & gloria sit tibi Sancta Trinitas, quæ omnes nos ad hanc celebritatem conuocasti (ad hunc Epiphaniæ diem & manifestationis gratiæ & gloriæ, cum Magis & Regibus.) Sit etiam tibi Sancta Dei mater laus. Tu enim pretiosa illa margarita orbis terrarum (scilicet gratiæ thesaurus absconditus, & nunc apertus,) tu lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei, tu benedicta inter mulieres; eiusque parens qui benedictus venit in nomine Domini. Per te Trinitas sanctificatur, per te exultat cœlum, & ipse homo reuocatur ad cœlum: per te omnis creatura idolorum errore detenta, conuersa est ad agnitionem veritatis. Te adiutrice gentes veniunt ad pœnitentiam. Quid plura? Per te vnigenitus Dei filius, vera illa lux effulsit sedentibus in tenebris & in vmbra mortis. hæc ille.

Hodie ex S. Matth. *Cùm natus esset* IESVS *in Bethleem*, &c. *ecce Magi*, Gentiles in tenebris sedentes, *venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius, & venimus adorare eum.* Qui cùm audissent Bethleem esse locum, gauisi sunt, & intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, offerentes ei munera, aurum, thus, & myrrham.

Vis & efficacia pueri IESV. Hunc puerum à matre hodie separare non possumus, ipsum inuenientes cum illa: & ab eo non ab illa separato attracti. Quæso, efficaciam & vim istius puerculi attendite in præsepio & cum matre iacentis. Si nunc hæc & talia potest cum matre, quid in cœlo poterit cum patre, sedensque super thronos diuinæ Majestatis? Odor stabuli Reges trahit, & quærere facit dicentes: *Vbi est*, &c. Quid faciet odor gloriæ eius immortalis in cœlo?

Sed, quæso, virtutem eo maiorem suspicite, quod in infantia, & cum paupere Virgine & matre adoratur à Magis & sapientibus, & vt Deus agnoscitur à Regibus. Apparet illis stella noua & de cœlo lux, & statim discunt puerum natum esse Deum & Regem in terra; incunctanter deserunt omnia, Hierusalem petunt, inquirunt, Herodem turbant, & vniuersa commouetur Ciuitas; sed relictis illis, mox stellam præuiam sequuntur, lumenque lumine requirunt, vsque

A dum staret supra vbi erat puer, & videntes gauisi sunt gaudio magno valde, & intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Hic omnia Diuinitatem pueri IESV, & adorationem eius ostendunt; stella, desertio regnorum & patriæ, inquisitio pueri, Herodis & Ciuitatis commotio, adoratio ipsa, & donorum seu munerum oblatio. Ordine omnia videamus. *Omnia in hac adoratione Christi Diuinitatem ostendunt.*

1. Stella. Primò, quantum ad stellam, eius nouitas ex ipsis verbis inquirentium Diuinitatem pueri demonstrabat, cùm dicunt, *Vbi est*, &c. *Vidimus enim stellam eius.* Etenim de nouo & expresè ad hoc

B creata erat, ex mente S. Tho. & Sancti Leonis in Epiph. Tribus Magis (inquit) in regione Orientis stella nouæ claritatis apparuit. (Illam enim in Oriente viderunt existentem, quæ & ipsos præcedebat in Iudæam.) Hæc stella igitur nouæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris, pulchriorque syderibus cunctis in se intuentium oculos animósque conuerteret, vt confestim aduerteretur non esse otiosum quod tam insolitum videbatur. hæc ille. *S. Tho. 3. p. q. 36. art. 7. S. Leo Serm. 1. Epiph.*

Stella vndique Diuinitatem Christi declarat. Etenim & tota penitus miraculosa erat, tam respectu loci, claritatis, & motus, quàm finis. Non enim erat in cœlo, vt aliæ, sed in aëre vicino terræ: & propterea tam in die quàm in nocte lucebat, quod non est proprium aliarum stellarum;

C quandoque etiam apparebat, quandoque occultabatur. Cùm enim Hierosolymam intrauerunt Magi, non amplius apparuit: deinde visa est vbi Herodem reliquerunt.

Quantum etiam ad motum miraculum erat. Neque enim continuum habebat, sed cùm oportebat stare, stabat; ita vt sapientibus istis & Regibus esset veluti filiis Israel illa nubis columna in deserto, quæ viam illis præparabat. Ita certè Regibus nostris hæc stella pro indice erat, quod Deus & magnus Rex natus erat.

Sed adhuc illius talis finis erat, scilicet vt indicaret hunc Deum hominem natum, ipsumque inquirere faceret. Vnde aiunt: *Vidimus stellam eius*,

D &c. Hinc est quod multi putarunt & dixerunt, quod sicut Spiritussanctus descendit super baptizatum Christum in columbæ specie, vt indicaret ipsum, ita hodie apparuit Regibus & Magis in specie stellæ. Alij verò putant, eundem Angelum fuisse qui iam pastoribus in humana specie apparuerat, & qui hodie in forma stellæ apparuit Magis. Et quidem hoc cum ratione quadam & conuenientia, iuxta quam ipsi assueti erant & exercitati in meditatione cœlestium. Propterea conueniens fuit, vt ipsis cœli enarrarent gloriam Dei. Angeli enim cœlos habitant, & sydera cœlos ornant. Quod quidem competebat Natiuitati quæ non purè terrena, sed etiam cœlestis erat. Ecce igi- *Quidam putant Spiritũ sanctum, aut Angelũ apparuisse in specie stellæ.*

E tur quomodo primò huius stellæ nouitas pueri nati Diuinitatem & adorationem prædicabat. *Vidimus stellam eius*, &c.

2. Derelictio omnium à Magis propter Christũ, ipsum testatur Deũ esse. Secundò, derelictio patriæ & possessionũ à Magis & sapientibus terræ, a Regibus denique & optimatibus seu capitibus populorum, ad quærendum puerum, Diuinitatis illius testis est. Sic enim hodie incipiebat Christus triumphare de mundo, & Diuinitatis suæ potentiam ostendere, quæ faceret aliquando vt multi potentes, nobiles ac diuites, omnia relinquerent, domum, patrem, matrem, vxorem, & filios, fratres, sorores, parentes, amicos, adhuc seipsos, & omnia, vt puerum quærerent, puerum

puerum IESVM, & paupertatem eius colerent,& A sectarentur.

Hæc tua Domine, dominatio est,hæc tua adoratio, & in humilitate tua Majestas. Ita cœpit in lege omnium fidelium primus Abraham. Sic hodie primitiæ Gentium, & duces nostri orientales Magi & Reges; gratia incepit vbi lex finiebat. Sic Apostoli ante & post promulgationem Euangelij. Sic tot alij post ipsos fecerunt, & adhuc faciunt. Illa est potentia tua in cunabulis Domine, in pannis,in præsepio,in Cruce; tuum est regnum,tuum imperium,tua adoratio,qui trahis ad te omnia.

3. Inquisitio Diuinitatem declarat. Isa.60.

Tertiò,inquisitio ipsa Diuinitatem pueri declarat:requirunt eum in splendore luminis,iuxta illud Isaiæ: *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in* B *splendore ortus tui*, id est, in stella Natiuitatis tuæ, seu potiùs in lumine tuæ gratiæ, quæ à Natiuitate tua per vniuersum orbem diffundi cœpit;ipse enim mundo ortus est Sol Iustitiæ.

Similitudo.

Antequam Deus crearet mundum, lucem fecerat, sed errantem,sine subiecto & corpore:cùm autem compleuit, statim corpus luminis fecit,scilicet Solem, qui in mundo fons esset omnis luminis, & illud per vniuersum effunderet.Ita constituens Deus reparare mũdum, & de nouo illuminare ipsum, non fuit ei satis quasdam instabiles & exiguas luces gratiarum quæ apparuerunt,præmittere,sed ipsemet per Incarnationem voluit esse fons, & veluti corpus omnis gratiæ & luminis, vt ex ipso solo omnem gratiam C nostram,& lumen reciperemus.Propterea Sol dictus est, lux vera, plenusque gratiæ & veritatis. Quare simulatque ortus est, & apparuit mundo, gentes illuminauit, & attraxit ad se splendore sui luminis.

Christus per Incarnationẽ fons omnis gratiæ & luminis.

Quot gratias in Epiphania Domini receperũt Magi.

Hodiernum Epiphaniæ nostræ & manifestationis mysterium est, vbi Magi nostri,& fidei nostræ duces quinque gratias receperunt.Prima est,inquirendi filium Dei.Secunda, inueniendi ipsum.Tertia,inueniendi eum Maria matre. Quarta, ipsum adorandi, & offerendi munera in testimonium perfectæ submissionis, obsequij & dependentiæ. Quinta denique, quod ab ipso regi & protegi reuertentes in patriam suam meruerint.

Hæ sunt gratiæ, quas in Epiphania sua, & in D ipso exordio ortus Solis Iustitiæ acceperunt, dum stellam sequentes præuiam lumen requirunt lumine, dum ambulant, locum petunt, interrogant & dicunt, vbi est qui natus est? dum Deum credunt, fatentur munere,fidéque qua ambulant & petunt, cæteris annunciant. Optimè hoc notauit S.Chrys. in Matth.dicens: Si Magi terrenum Regem quærentes venissent, confusi fuissent,quia tanti itineris laborem sine causa suscepissent, vnde nec adorassent,nec munera obtulissent. Nunc autem quia cœlestem Regem quærebant, etsi nihil regalis excellentiæ in eo viderent, tamen solius stellæ testimonio contenti eum adorauerunt, vident enim E hominem,& Deum agnoscunt. Vnde & S.Aug.dicit,quod Iudæi qui Magis interrogantibus locum indicarunt in Bethleem Iudæ, similes facti sunt fabris Arcæ Noë, qui aliis præstiterunt vnde euaderent, ipsi verò diluuio perierunt. Ipsi namque interrogantur,& locum indicant;sed quid accidit illis?Conturbantur,commota est vniuersa Ciuitas,

S. Chrysost. hom. 2. in Matth.

S. August. Serm. 6. de Epiphan.

& Rex Herodes cum illa,audiens turbatus est.

4. Turbatio Herodis & Ciuitatis adorationem Christi demonstrat.

S. Greg. Ser. hom. 10. in Euang.

Quarta est Diuinitatis & adorationis nota pueri IESV, quod ex Natiuitate eius talis commotio sit secuta.S.Gregor.hom.10.in Euang.Cœli Rege nato(inquit)Rex terræ turbatus est, quia nimirum terrena altitudo confunditur, cùm celsitudo cœlestis aperitur.hæc ille.Ecce adoratio in tremore. Et per illam turbationem primò manifestabatur cœlestis Christi dignitas in terra. Secundò,iudiciaria eius potestas. Sic S. Aug.Ser. de Epiph.Quid erit, inquit, tribunal iudicantis, quando superbos Reges cunabula terrebant infantis? Tertiò, per hoc etiam regni diaboli deiectio figurabatur, vnde vniuersa Ciuitas,seu mundus cum suo Herode Rege commouetur.Ita S.Leo Serm.de eo festo. Non tantũ,inquit, Herodes turbabatur in semetipso,& omnis Hierosolyma cum illo, quantum diabolus in Herode & populo.Herodes enim terrenum hominem æstimabat, sed diabolus Deum cognoscebat:& vterque regni sui successorem timebat; superfluè tamen ex parte Herodis, quia Christus nõ venerat regnum in terra habere,qui veniebat cœlestia dare.Ita est quidem.Non capit Christum regia tua,ô Herodes,nec mundi Dominus,potestatis tui sceptri est contentus angustiis. *Regnum meum,* dicet interrogatus,*non est de hoc mundo*.& vt hodie omnes illud cognoscatis, & quia ipse est super omnes Reges, ecce puer nascitur, & à Regibus adoratur;inquirunt vbi sit,& dicunt: *Vidimus stellam eius,& venimus adorare eum.*

Tria per turbationẽ Herodis declarantur.

S.Leo.Serm. de Epiph.

5. Nota Diuinitatis Christi in adoratione. Quid sit adoratio.

Ecce quinta nota Diuinitatis eius,ipsa adoratio est.Quid sit adoratio quæritis? Actus latriæ,seu exhibitio supremi cultus soli Deo debiti. Ecce autem quomodo Magi hunc puerum natum Deum professi sunt, *intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius,& procidentes adorauerunt eũ.*

Duplex adoratio.

Duplex adoratio est. Vna interior, deuotione mẽtis:altera exterior,humiliatione corporis.Ecce autem hic testimonium & signum vtriusque:adorauerunt fide,procidentes humiliatione.In adoratione genu flectimus, nostram infirmitatem, & paruitatem designantes, respectu Dei,sed prosternimur aut procidimus quasi nihil nos esse profitentes.Quare & Magi adorauerunt procidentes,& apertis thesauris obtulerunt ei munera.

6. & vltima nota Diuinitatis Christi, oblatio munerum.

Sexta adhuc & vltima Diuinitatis nota est, scilicet in signum submissionis & dependentiæ, munerum oblatio. Illa autem sunt, aurum, thus & myrrha.Sed quæso hic vnum aduertatur,quod isti priùs prostrati, puerum IESVM adorant, deinde munera offerũt,vt nos videlicet edoceant,se priùs obtulisse animam & corpus,& postea munera minus pretiosa. Sic olim respexit Deus ad Abel primùm,deinde ad munera eius.Ita hodie & nos primùm cor ei & animã offeramus: deinde bonorum operum fructus.Christo vt Regi nostro aurum offeramus:thus vt Deo:myrrham vt homini. Primò aurum charitatis,eum super omnia diligendo;thus deuotionis & religionis,ad maiorem eius gloriam omnia faciendo;& myrrham mortificationis atque compassionis, cupiditates nostras reprimendo, & compatiendo doloribus quos pro nobis subire dignatus est in hac carne passibili, in qua nobis apparuit Deus-homo IESVS Christus.

Laus Deo vnitrino: laus Christo homini-Deo: laus Mariæ Virgini Deiparæ.

OPVS

OPVS TRIPARTITVM IN QVADRAGESIMA,

COMPLECTENS TRIA tempora prædicationis IESV Christi.

Scilicet,

Veritates Euangelicæ.
Conuersio peccatoris ad CHRISTVM.
CHRISTVS reparator.



VERITATES EVANGELICÆ IN QVADRAGESIMA.

Audite verbum Domini, filij Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, &c. vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Matth. 6.

DE DEFINITIONE VERITATIS.

De consideratione & multiplici definitione veritatis.
Ioh. 14. & 19.
Christus regula omnis veritatis.



REGVLA omnis veritatis est æterna & essentialis veritas Christus IESVS filius Dei. Ita de se loquēs ait: *Ego sum via, veritas & vita.* & rursus: *Ad hoc veni in mundum vt testimonium perhibeam veritati.* Ecce quomodo veritas est veritatis regula. Etiam S. Aug. hæc explicans dicit. Cùm Christus testimonium perhibebat veritati, testimonium sibi perhibebat, eius quippe vox est; Ego sum via & veritas. Ex quibus verbis iam satis constat, quo fine in mundum ille venerit, scilicet, vt eum sua luce & cognitione illustraret, quæ est omnis veritas. Propterea ab Euangelista Ioanne dictus est lux vera quæ illuminat omnem hominem, & quæ interim in tenebris lucet. In mundo enim erat, & mundus eum non cognouit. (Ioh. 1.)

Eodem fine ante eum missus est præcursor Iohannes in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, id est, veritate. Eodem post ipsum fine Apostoli, & omnes alij quibus prædicandi munus commissum est, qui scilicet alio id fine non susceperunt, quàm vt verba veritatis & vitæ populo annunciarent. Ad hoc enim Spiritum veritatis receperunt, vt Dominus dixit eis: Dabitur vobis quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. (Matth. 10.)

Et quis est iste Spiritus? veritatis. Sed quidnam adhuc est loquuturus? vtiq; veritatem: sic enim ait Christus: Cùm venerit ille Spiritus veritatis quem ego mittam vobis à patre, ille vos docebit omnem veritatem. Et quæ est illa? Primò, testimonium perhibebit de me, clarificabit me, annunciabit vobis, & vos testimonium de me perhibebitis. Secundò, cùm venerit, arguet mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio: denique quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ecce omnis veritas; & similia annunciare debet prædicator Christi, ille qui iuxta (Ioh. 15. & 16.)

A S. Aug. ex abundantia amoris & charitatis Spiritussancti, omnique timore depulso, pro munere suo, arguendi debet habere libertatem: obsecrandi, increpandi in omni patientia & doctrina: & in scientia Dei Christianas edocendi veritates. (*Conditio prædicatoris.*)

In Exodo legimus, Deum præscribentem ordinem & modum vestimentorum summi Sacerdotis Aaron, præcepisse Moysi vt pectorali seu rationali iudicij, Vrim & Thūmim, doctrinam & veritatem inscriberet. Pones, inquit, in rationali iudicij, Vrim & Thummim, doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur in Sanctuarium coram Domino: & gestabit iudicium filiorum Israël in pectore suo in conspectu Domini semper. Huius autem arcani & mysterij multæ ac diuersæ sunt explicationes. S. Augustinus & S. Cyrill. putant nomina, Vrim & Thummim, doctrinā, & veritas, scripta fuisse in tabella aurea quæ in hoc pectorali pontificio inclusa erat, eóque fine, addit Venerabilis Beda, vt hac veste indutus Sacerdos meminisset se studiis veritatis & doctrinæ inquisitioni consecratum fuisse. Tale etiam nostrum est officium, & munus, & finis, inquisitioni veritatum vacare. Et quidem conuenientissima illa explicatio est. (Exo. 28. *Forma & modus vestimentorum Aaron. Et explicatio mysterij.*) B (S. August. quæst. 117. S. Cyrill. lib. 11 de orat. *Diuersa opinio & explicatio descriptionis Vrim & Thūmim, veritatis & doctrinæ, super vestimenta Aaron.*)

Alij dicunt inscriptionem fuisse nominis Dei tetragrammaton cum duodecim litteris, in quibus vnitatis Dei in Trinitate personarum mysterium exprimebatur: eiusmodi autem nomen, Vrim & Thummim, illuminationem & perfectionem significare; ex eo quod ex tali intelligentia Dei, in qua est omnis scientia & veritas, mens nostra & illuminatur & perficitur. C

Alij, vt doctissimus Abulensis, dicunt hoc pectorale seu rationale iudicij, pannum fuisse superhumeralem quadrangulum, in quo duodecim pretiosi lapides, & magnum splendorem emittentes auro inclusi erant & circumdati, & in illis duodecim nomina filiorum Israël inscripta, vt etiam

Exodi 28.legitur iuxta Dei præceptum. Cùm autem Sacerdos ingrediebatur Sanctuarium ad conſulendum Deum, neceſſarium erat ad recipiendum reſponſum, fauorem, aut gratiam, vt in pectore ſuo eiuſmodi memoriale beneficij Dei portaret. Proptereaque duodecim illi lapides dicebantur Vrim & Thummim, id eſt, illuminatio ſeu manifeſtatio, & perfectio, doctrina & veritas: quaſi eſſent ſigna & notæ reſponſionum Dei, veritatis, & manifeſtationis; vt diſcamus & nos quod vt à Deo reſponſum in petitionibus noſtris, & auxilium gratiæ in neceſſitatibus expectemus, antea neceſſe eſt & nos, & omnes geſtare nomina filiorum Iſraël, id eſt, illuminationem & perfectionem, non quidem exteriùs ſuper pectus, vt iſti portabant, quibus omnia in figuris contingebant, ſed in corde, vt Chriſtianos decet & verè illuminatos: portare, inquam, doctrinam & veritatem, ſine qua nullus eſt ad Deum acceſſus. Accedentem enim ad Deum oportet imprimis credere, dicit Apoſtolus, & ſine doctrina non datur vera intelligentia: *Fides enim ex auditu; auditus autē per verbum Chriſti*. Rom. 10. vbi iſtorū omnium egregius ordo ponitur. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? O hæretici, hæc ſunt contra vos, ſed de iis alibi.

Rom. 10.

Solùm verò ordinem hunc inſeruimus, vt vnuſquiſque videat quibus modis veræ fidei ſplendore illuminari cõueniat, ac neceſſe ſit. In qua equidem fide eſt omnis ſcientia & veritas, aut ſi vultis, ſcientia Dei, & ſumma ratio cognoſcendæ & quærendæ veritatis in cunctis.

De hac itaque veritate & ſcientia hoc toto quadrageſimali tempore loqui decreuimus, ſcilicet de cunctis veritatibus Chriſtianis atque Theologicis, quas omnes ordine ſumemus ex Euangeliis. Maximè verò cùm hodie in obliuionem omnium penè hominum venerint, & pauci ſint qui illa ſuſpiciunt, auſcultantur, & ſequuntur. Audite verbum Domini, filij Iſraël, inquiebat Oſee, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non eſt enim veritas, non eſt miſericordia, & non eſt ſciētia Dei in terra. Apud S. Iohan. interrogauit Pilatus Chriſtum, & petiit ab eo; Quid eſt veritas? Ideo autem, inquit Theophylactus, quia ferè ab hominibus euanuerat, cunctiſque erat ignota dum increduli erant. Certè hoc optimè dici poteſt de temporibus iſtis, vbi tot increduli, & in fide vacillantes, tot hæretici & infideles: vbi denique, vt cum Iſaia dicam, omnis veritas in obliuionem facta eſt, fidei, ſicut morum. Deus de cœlo proſpexit, ait Pſal. ſi eſt intelligens, aut requirens Deum, & inuenit quia omnes declinauerunt, & non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum: inuenit quod Michæas dicit, periit ſanctus de terra, & in hominibus non eſt veritas.

Ioh. 19.

Cur Pilatus interrogauit Chriſtum, Quid eſt veritas?

Iſa. 59.

Mich. 7.

Quare non eſt ſanctus? quia non eſt veritas. Quare hoc tempore nihil aliud agam, quàm vt vos veritates Euangelij edoceam. Hic meus totus labor erit, meus finis, & meum opus. Propterea igitur non intendo aliud ſequi hic quàm Euangelium diei vniuſcuiuſque, & in ſingulis Euangeliis ſupremas, æternas, & Chriſtianas veritates vobis aperire, exprimere, & dicendo imprimere; per contemptum caducorum, temporalium & terrenorum, ad æternorum & diuinorum veritatem & lumen vos ducere; & omni vanitate depoſita, hypocriſi, errore atque falſitate, ad operationem A bonarum actionum inducere.

Hæ ſunt veritates quas hodiernum nos Euangelium docet, & Eccleſia initio huius quadrageſimalis temporis præmittere voluit & proponere ex iſtis verbis Chriſti: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furātur. Theſaurizate autem*, &c. Iuxta S. Chryſoſt. omnia bona mundi tollit triplex interitus, aut à ſeipſis veteraſcunt & tineant, vt veſtimenta: aut ab ipſis dominis qui luxurioſè viuunt, comeduntur: aut ab extraneis vi vel dolo diripiūtur. Quid ergo melius eſt, an in terra reponere, vbi incertus eſt conſeruationis euentus: an in cœlo, vbi eſt certa cuſtodia? Quæ autē ſtultitia eſt illic B relinquere vnde exiturus es, & illuc non præmittere quò iturus es? Illic ergo ſubſtantiam tuam colloca, vbi patriam habes; vbi enim eſt theſaurus tuus, ait Dominus, ibi eſt & cor tuum.

S. Chryſoſt. oper. imperfect. hom. 15.

Quod iterum Dominus adiunxit, adhuc ait Chryſoſt. in Matth. vt ſi nihil iſtorum veniret, ſcilicet quod theſaurus terrenus non deſtrueretur ab ærugine, aut tinea, aut per fures non auferretur, nō minimam tamen ſemper iacturā ſuſtineret his inferioribus defixus, & eorum ſeruus factus, à cœleſtibus cadens, & nihil excelſiorum cogitare potēs. hæc ille. Scilicet quia in his tantùm eſt veritas: ſunt in aliis mendacium & falſitas. In veritate enim dicere poſſumus, quod in cunctis quæ extra Deum C ſunt, aut ad Deum non referunt, nihil eſt niſi error; etiam in actionibus quæ ſanctæ & bonæ apparent hominibus: veritas enim nō in exteriori, ſed in interiori hominum eſt. Quod nobis hodie oſtendit Chriſtus omnis veritatis oraculum, exemplo allato ieiunij. Cùm ieiunatis, inquit hodie, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Fieri dicit, id eſt, ſimulare triſtitiam, & exterminare faciem, non ratione continentiæ, ſed arte fallaciæ, ait S. Leo, vt appareant hominibus: &, vt dicit S. Gregor. 8. Moral. nihil aliud hoc tanto labore, niſi humanam æſtimationem cogitare. Amen dico vobis quia receperunt mercedem ſuam, ſcilicet quā quæſierunt. Hypocritarum fructus & merces, apparentia eſt & va- D nitas. Quare dicit Chriſtus, cùm ieiunas tu, vnge caput, & faciem laua, ne videaris hominibus ieiunans, ſed patri tuo qui eſt in abſcondito, & videt te in abſcondito, & reddet tibi.

Idem hom. 21. in Mat.

Vbi error, & vbi veritas.

S. Leo. S. Gregor. 8. Moral.

S. Hieron. notat hic Chriſtum loquutum fuiſſe iuxta ritum prouinciæ Palæſtinæ, vbi diebus feſtis ſolebant capita vngere. Hic ergo præcipit, vt in ieiuniis noſtris, & aliis operibus bonis lætos & ſimplices nos eſſe monſtremus, virtutiſque & pietatis veritatem, & non ſpeciem nos habere Quæ veritas propriè eſt in interiori, & non exteriori hominū: in oculis Dei, & non hominum; ſicut Dominus dicit; Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans: E ſed Deo patri tuo, qui eſt in abſcondito, & videt te in abſcondito. Ecce vbi & in quo eſt veritas.

S. Hieron.

Nam quid eſt veritas? Iuxta S. Hilar. id quod eſt declaratiuum, aut manifeſtatiuum eſſe. Ita S. Aug. lib. de vera religione. Veritas eſt, inquit, qua oſtēditur id quod eſt. Alia eiuſdem definito. Veritas eſt ſumma ſimilitudo principij, id eſt, intellectus: eſt enim omnis veritas principaliter in intellectu, & tantùm ſecundariò in rebus ſecundum quod comparantur ad intellectum, vt ad principium.

Quid ſit veritas.
S. Hilar. & S. Aug. lib. de vera relig. cap. 36.

Iuxta hoc dicebat S. Anſel. in dialogo de veritate. Veritas eſt rectitudo ſola mente perceptibilis; nam rectum eſt quod principio concordat: & ſic communis definitio illa eſt, adæquatio rei & intelle

intellectus, seu conformitas vtriusque, scilicet rei cum intellectu: dicit enim relationem qua esse ad intellectum ordinatur, ita vt tunc propriè veritas sit in intellectu, secundum quod apprehendit rem in se,& sicuti est:& similiter in re, secundum quod habet esse conforme, seu conformabile intellectui, qui non nisi verum apprehendere potest, vt voluntas bonum. Et hoc satis explicatione sua clarum est.

Intellectus Dei omnis veritatis regula.

Quia autem intellectus diuinus, qui est & suum esse,& suum intelligere, est etiam omnis alterius esse & intellectus, aut si vultis, omnis veritatis regula: propterea illa maximè vera esse dicuntur, quæ intellectui diuino conformia sunt. Et sic in veritate sumus tales, quales in oculis Dei sumus, qui videt nos in abscondito. Ecce vbi & in quo est summa omnium actionum nostrarũ veritas. Hinc hodie Christus loquens de ieiunio; sic ieiuna, inquit, vt non videaris hominibus ieiunans: sed patri tuo qui videt te in abscondito,& reddet tibi. Sufficit enim tibi, vt qui inspector est conscientiæ, sit remunerator.

Quod autem hic de ieiunio dicitur, de aliis dicendum virtutibus. Verùm si tam durè hodie corripitur & condemnatur ieiunans simulator & hypocrita tristis; quanto magis qui non ieiunat penitus cùm possit, atque etiam ieiunio fracto & spreto, illicita & vetita tẽporibus istis comedit, aliisque peccatis innumeris animam suã maculat? Sic ergo ieiunetis omnes, vt Deo ieiunetis, dicit glossa. Deo autẽ ille ieiunat, qui pro eius amore se macerat,& quod sibi subtrahit, alteri largitur. Si vultis, qui sibi & pauperibus miseretur, sibi, auferendo à se peccata: pauperibus, eis eleemosynas largiendo. Nam, vt optimè dicit S. Leo Ser. 6. de ieiunio, impleri debet ieiunium non ciborum tantummodo parcitate, sed maximè priuatione vitiorum. Tunc enim maximè caput nostrum vngimus,& faciẽ lauamus.

Quis Deo ieiunat. Glossa ordin.

S. Leo Serm. 6. de ieiunio.

Quodnam vero est caput nostrum? Christus. Et quæ facies nostra? Propria conscientia peccatorum sordibus fœda, quam lacrymis pœnitentiæ lauamus. Non dicitur autem quod caput lauemus, quia caput nostrum spiritualiter est Christus qui peccatum non fecit, sed dicitur quod vngamus, oleo scilicet charitatis & misericordiæ erga pauperes. Sic S. Chrysostomus in opere imperfect. in Matth. dicit. Sitientem pota, esurientem ciba, & sic oleo misericordiæ vnxisti caput tuum, id est, Christum, qui clamat in Euangelio: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Quare præcipitur, vt caput nostrũ vngamus, nõ autem lauemus.

S. Chrysost. hom. 12. in Matthæum operis imperf.

Ecce itaque qui in veritate & coram Deo ieiunat, scilicet qui vngit caput misericordia, lauat faciem, id est, conscientiam pœnitentia, omnique virtute & pietate animam suam ornat. Denique qui thesaurizat non in terra, sed in cœlo, & qui scit vbi est thesaurus verus, vt ibi ac in eo cor suum collocet, dicente hodie Domino: Vbi thesaurus tuus est, ibi est & cor tuum. Ecce, ait S. Aug. Dominus dat tibi consilium de corde tuo, dicens: Vbi fuerit thesaurus tuus. Leua ergo cor in cœlum, ne putrescat in terra. Consilium eius est qui te vult saluare, non perdere. Nolite thesaurizare in terra, sed in cœlo. Vbi enim est thesaurus (ait etiam S. Fulgent.) ibi cogitantis affectus.

S. August. Serm. 50.

S. Fulgent.

Sed quis noster est thesaurus? Christus, fidelium enim est thesaurus. Vbinam autem modò ipse est? Equidem in cœlis. Ibi ergo conuersatio nostra sit, in cœlis,& non amplius in terris. Nisi adhuc fortè in Altari, vbi est & versatur semper nobiscum in terra. Spirituales itaque delicias nostras ibi cum

Christus fidelium thesaurus.

A illo habeamus: vbi est thesaurus noster, ibi sit cor nostrum. Non est thesaurus noster in omnibus istis terrenis & corporeis, vbi omnia vanitas, cinis, & puluis; sed in spiritualibus, cœlestibus & æternis: vbi Deus est,& omnis cum eo veritas.

Tu igitur, ô homo, iam secundum corpus quo constas, memento hodie quia puluis es,& in puluerem reuerteris: secundum verò animam, quæ illud vile corpus informat, memento quia cœlum es, quia Altare Domini,& Altissimi habitatio es,& qui dicit; *Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum.* Iam itaque tuæ sint esse & manere cum filio hominis, cum Dei filio, qui pro te factus est homo. Istæ sint deliciæ tuæ, & illa sit omnis cura & possessio tua, B non alias diuitias,& nullum alium thesaurum habere quàm Christum. Hæc summa veritas est, hoc initium & complementum omnis veritatis, possidere Christum.

Vbi est, & nõ est thesaurus hominum.

DE FIDE IN CHRISTVM, quæ est prima omnium veritas.

Amen dico vobis: Non inueni tantam fidem in Israël, &c. Matth. 8.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

C

IAM suprà diximus Christum Dominum esse regulam omnis veritatis, quia ipse est essentialis veritas: in quantum est verbum patris, omnis esse, luminis & veritatis principium, sicut Iohan. dicit; Omnia per ipsum facta sũt, in ipso vita erat,& vita erat lux hominum: lux vera quę illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum. Vnde dicebat ipse, quod nemo veniebat ad patrẽ nisi per ipsum; sicut alio in loco: Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur.

Ioh. 14. item 10. cap.

Huius rei exemplum in Centurione videri potest ex Euangelica enarratione. Cùm introisset D IESVS Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum,& dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Quidnam illi dicit Dominus? Ego veniam, & curabo. Et quid illi respondet Centurio? Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum: sed dic tantum verbo. Audiens autem IESVS miratus est, & sequentibus se dixit; Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël;& dixit Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.

Ex discursu isto conditiones & qualitates fidei agnouimus. Sed quid præterea in transcursu enarratur? Quod multi ab Oriente & Occidente venient,& recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob E in regno cœlorum, filij autem regni eiicientur,&c. Ita est certè; non est enim amplius veritas, & non est scientia Dei in terra.

Ecce quod mihi proposui vobis loqui & dicere hoc tempore, scil. veritatem, quia sermo Christi est veritas, sicut ipse etiam veritas est. Quare nihil de me nunc expectare debetis nisi veritates, non indoctas fabulas, neque humanæ sapientiæ verba, quæ in sublimitate sermonis,& profanarum rerum superfluitate & vana perquisitione huius sæculi ostenditur: sed altissimarum Scripturarum veritates,& doctrinam sanam, quæ est in ostensione spiritus & virtutis Dei, ad corrigendum,& cum libertate increpandum, reducendúmque errantem in

viam ſalutis. Ecce igitur nunc loquor veritatem, arguo,& cum libertate dico : non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum & mendacium, dicit Oſee, homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt: veritas autem & miſericordia,& ſcientia Dei non eſt. Quidnam verò hiſce temporibus iſtá Dei ſcientiam abſtulit? peccatorum libertas, infidelitas hæreticorum, & eorum impietas qui dicunt in cordibus ſuis,non eſt Deus. Hæc ſunt tria hominum genera qui ſcientiam Dei,& lumen veritatis obſcurauerunt in terra, videlicet fidem, quæ vera ſcientia Dei eſt, veritatis lumen,& prima omnium veritas.

Triplex Dei cognitio. *In cœlo viſionis.* *1.Tim.6.* *1.Ioh.3.* *In terra rationis & fidei.*

Triplex Dei cognitio eſt: vna rationis, altera fidei, & tertia viſionis. Cognitio viſionis in cœlo eſt. In Deo comprehenſionis, qua perfectiſſimè & exactiſſimè ſemetipſum cognoſcit, & nemo alius ipſum, ſicut ad Timoth. Apoſt. dicit, quod ſolus ſuam lucem habitat inacceſſibilem. In Sanctis autem præſentiæ, intuitionis & fruitionis, de qua etiam S.Iohannes ait, cùm apparuerit, videbimus eum ſicuti eſt; nunc quidem, dicit S.Paulus, per ſpeculum, tunc autem facie ad faciem. Hinc eſt quod aliæ duæ quę in terra ſunt, dicūtur rationis,& fidei.

S.Thom. in Ep. ad Roman.

Per primam cognoſcimus naturaliter quia Deus eſt. Sicut enim ars, ait S.Thomas ſuper Epiſt. ad Romanos, manifeſtatur per artificis opera : ita Dei ſapientia manifeſtatur per creaturas. Inuiſibilia Dei, inquit Apoſtolus, per ea quæ facta ſunt, intellecta cōſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles, quod non glorificauerunt Deum, ſicut cognouerunt. Vnde qui ab illa veritate & notitia naturali ſe auertunt, Athei dicuntur, qui ſcilicet euanuerunt in cogitationibus ſuis, & quorum obſcuratum eſt cor inſipiens. Quia, inquit ille Apoſtolus, commutauerunt veritatem Dei in mendacium, ſeruientes creaturæ potiùs quàm creatori qui eſt benedictus in ſæcula : vnde etiam ſtatim in eos ſequitur iræ & vindictæ Dei reuelatio, vt ſic Apoſt. oſtendit dicens : *Reuelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.*

Qui Athei dicuntur.

Impietatem dicit, quia ſicut pietas cultum reſpicit qui Deo exhibetur vt ſummo parenti; ſic impietas peccatum dicitur quod eſt contra diuinum cultum. Dicit iniuſtitiam : contra iuſtitiam enim eſt peccare contra notitiam, lumen & rationem. Proptereàque adhuc ſubdit, eorum hominum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent, Deus enim illis manifeſtauit.

Dupliciter Deus manifeſtat ſe. *Pſal.4.* *Pſ.42.*

Dupliciter autem ibi S.Thom. manifeſtaſſe illis dicit. Vno modo, infundendo lumen interius, quo diſcernit homo & cognoſcit, ſicut pſaltes dixit: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine. Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona? Quis? Signatum equidem eſt ſuper nos lumen vultus tui,& ratio nobis indicat. ſic rurſus. Emitte lucem tuam & veritatem, id eſt, rationem.

Iob.35. *Pſ.18.* *Pſ.8.*

Alio modo ſemetipſum Deus manifeſtat, proponendo exteriora ſuæ ſapientiæ ſigna, vt ſenſibiles creaturas, in quibus ſicut in quodam libro legitur Dei cognitio. Sic Iob dicebat, docet nos ſuper iumenta terræ; & ſic Propheta paſſim : Cœli enarrant gloriam Dei. Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt nomē tuum in vniuerſa terra! Sed iſta ſufficiant pro tali cognitione ad confuſionem, ſi non ad eruditionem inſipientium.

De fide.

Nunc autem ad ſecundam veniamus, quæ eſt fidei,& per quam non ſolùm Deum exiſtere agnoſcimus; ſed etiam quid ipſe ſit. De ea fusè Apoſtolus ad Hebr. vbi abſolutā eius neceſſitatem oſtendit, quando in ſerie omnium iuſtorum & fidelium ab Abel vſque ad vltimum, miro ordine demonſtrat omnes qui vnquam Deo placuerunt, placuiſſe per fidem, quouſque tandem concludat, ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo. Credere enim oportet, inquit, accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Primò; quia eſt, propter eius æternitatem, tale enim eſt nomen eius, Ego ſum qui ſum, & qui eſt miſit me ad vos. Secundò, quia remunerator, propter prouidentiam eius, quæ ſe extendit ad omnia. Iſa.40. Ecce Dominus veniet,& ecce merces eius cum eo. Ita in Geneſi Dominus ipſe ad Abraham : Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Hinc ſiquidem eſt ratio accedendi ad eum per fidem, ſicut dicebat S.Iacobus, appropinquate Deo, & appropinquabit vobis; & pſaltes: Accedite ad eum & illuminamini.

Heb.11. *Quid ſit credere quia Deus eſt.* *Exod.3.* *Quid quia remunerator eſt.* *Iſa.40.* *Gen.15.* *S.Iacob.4.* *Pſ.33.*

Acceſſit hodie noſter Centurio, & inuenit illa omnia in Chriſto, quia ille appropinquauit, ipſum illuminauit, & propterea ſe ei remuneratorem exhibuit.

Omnia ordine videamus. Cùm introiſſet IESVS Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio rogans eum,& dicens, Domine, puer meus,&c. & ait illi IESVS: Ego veniam. Ecce appropinquat: ſed ſimul etiam illuminat & remunerat. Reſpondens enim Centurio ait; Domine non ſum dignus, &c. ecce illuminatio. Audiēs autē IESVS miratus eſt,& ſequentibus ſe dixit; Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël. Propterea ego remunerator ſum accedentibus ad me,& requirentibus me. Et dixit IESVS Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi, & ſanatus eſt puer in illa hora. Ecce fidei merces magna nimis, illius virtus atque poteſtas. De illa itaque loquamur nunc paulo fuſiùs, & quid ſit, ex eius definitione videamus.

Diuerſæ fidei definitiones. *1.* *S. Cyrill. Hieroſol. Catech.5.* *S. Cyrill. Alex. lib.4. in Ioh.c.9.* *S. Chryſoſt. ſuper Symbol. & in Matth.25.* *S. Aug. Ser. 38. de tempore.*

Diuerſas recipit fides pro ſua excellentia definitiones à Patribus. Sic eam definiuit S.Cyrill. Hieroſol. dicens, quia eſt oculus illuminans conſcientiam, & intelligentiam efficiens : hac ratione dicitur lumen animæ, docens quæ natura docere nequit, vt Deum vnum eſſe in eſſentia,& trinum in perſonis, incarnatum verbum Dei virginem peperiſſe, & alia huiuſmodi. Ex S.Cyrillo Alexand. in Iohan. eſt ianua & via in vitam, reductio à corruptione ad immortalitatem. Ex S.Chryſoſt. ſuper Symbolum, lumen eſt animæ, oſtium vitæ, fundamentum ſalutis æternæ : & in Matth. fides lampas eſt, quia ſicut lampas illuminat domum, ita fides animam. Ita ex S.Auguſt. illuminatio mentis ad ſummam veritatem cognoſcendam, & in ea omnem culpam abhorrendam : & Ser.38. de temp. eſt bonorum omnium fundamentum,& humanæ ſalutis initium, ſine quo nulli ſalus ; & alibi prima virtus, quæ animam ſubiugat Deo,& dat præcepta bene viuendi, quibus cuſtoditis, ſpes firmatur, charitas enutritur.

2. Definitio fidei à Theologis. *3. A Sancto Paulo. Heb.11.*

Ecce equidem multæ & pulchræ definitiones : ſed vnica comprehenduntur omnes, quæ à Theologis ſic traditur. Eſt habitus intellectus à Deo infuſus, quo firmiter aſſentimur iis quæ à Deo per Eccleſiam reuelata ſunt. Illa definitio, explicatio illius eſt quæ à primo omnium Theologorum Apoſtolo Paulo datur. Fides, inquit, eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Hæc eſt ſincera & vera definitio, quam modò conuenit explicare.

Dicitur

Explicatio. Dicitur ſubſtantia, Græcè ὑπόςασις, baſis & fundamentum. Argumentum, Græcè ἔλεγχος, demonſtratio, ſiue conuictio. Duas itaque proprietates continet: vnam, quod faciat ſubſiſtere in animo ea quæ futura ſunt & ſperantur; alteram, quod faciat intellectum aſſentiri iis quæ non intelligit. Ita vt per hanc particulam (ſubſtantia rerum ſperandarum) fides Chriſtiana diſtinguatur à fide politica & humana, tum quia fides humana poteſt eſſe & falſa & fallax, & ideo non meretur nomen ſubſtantiæ, & baſis ſeu fundamenti, tum quia etiam nomine rerum ſperandarum, diuinæ intelliguntur & æternæ, ad quas non attingit humana fides. *Diſtinctio fidei Chriſtianæ ab humana.*

Fides autē Chriſtiana, & cauſaliter, & eſſentialiter eſt rerum ſperandarum ſubſtantia. Cauſaliter merendo, & iam rem præſentem faciendo, quæ tantùm abſens erat. Eſſentialiter, quia eſſentia beatitudinis eſt Dei viſio, cuius principium eſt fides, in fide enim tanquam in principio ſuo viſio continetur. Per illam autem particulam (argumentum,) etiam diſtinguitur fides ab opinione, & dubitatione, quæ non conuincunt intellectum ad aſſenſum. Argumentum enim, ſi ſequamur etymologiam nominis, dicitur quaſi arguens mentem, & cogens ad aſſentiendum. Talis enim in fide eſt effectus, quæ pro obiecto Deum habet primam veritatem; vnde non minus inuiſibilia credit quàm ea quæ viſibilia ſunt. Quod denuò per illas duas voces explicatur (non apparentium,) per quas denique diſtinguitur ab intellectu & ſcientia, quæ euidentiam, lumen, & non obſcuritatem requirunt. Fides autem in obſcuritate, firma & certa manet; eſt enim argumentum non apparentium. Apparentia ſcientiam faciunt, non apparentia verò fidem. *Diſtinctio fidei ab opinione.* *Item diſtinctio fidei à ſcientia.*

Sic igitur fides diſtinguitur & ab humana fide, & opinione, & intellectu ſeu ſcientia. Quomodo optimè Hugo Victorin. ita explicauit dicens: Fides eſt voluntaria certitudo abſentium ſupra opinionem, & infra ſcientiam conſtituta; ſupra opinionem, quæ ſemper dubia eſt, & nunquam ſine timore: vt docet Ariſtot. 1. Poſt. 4. atque etiam infra ſcientiam, quæ per demonſtrationem acquiritur & rationis vias, quæ omnia minimè poſſunt fidei cōuenire. Vnde media ponitur, vt ex vna parte denotetur eius certitudo: & ex altera, conſtantia in certitudine, aut ſi vultis, infallibilitas perfecta, ex eo quod in prima veritate fundatur; ſicut etiam prima veritas dicitur. Ita 1. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas.* Ecce prima in ordine. *Hug. à S. Vict.* *Ariſt.* *1. Cor. 13.*

Verùm videamus modò quinam ſunt illi qui in hanc primam veritatem peccant. Iam diximus primò Atheos eſſe, qui dicunt in corde ſuo, non eſt Deus: & ſic veritatem Dei in iniuſtitia detinent. Inuiſibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus atque diuinitas. Sed iſti euanuerunt in cogitationibus ſuis, propter quod Deus tradidit eos in reprobum ſenſum, & dimiſit in deſideria cordis eorum ad immunditiam. *Tria genera hominū qui peccant in fidem. Athei.*

Secundò, ſunt hæretici, qui iuxta Apoſtolum in captiuitatem non redigunt intellectum ſuum in obſequium Chriſti; ſed ad libitum ſuum credunt, vnde extra fidem ſunt. Tales ſiquidem ſunt fidei actus. Primus eſt, firmiter credere ſtatim & ſine vlla hæſitatione omnibus, quæ nobis credenda proponuntur à Deo in Eccleſia. Secundus, humiliter ſe ſubiicere & committere Deo, cum omni ſimplicitate & captiuitate intellectus. Multum enim valet ad fidem humilitas: ſicut ad hæreſim multum iuuat ſuperbia & elatio ſpiritus. Prima hæreſis in cœlo ex ſuperbia nata eſt. Conſcendam, dixit præuaricator Angelus; & factus eſt primus hæreticus. Ita ex humilitate orta eſt prima captiuitas in cœlo & fidei ſubmiſſio. Quis vt Deus? *Hæretici.* *Duplex fidei actus.* *Humilitas ad fidem iuuat ſicut ſuperbia ad hæreſim.*

Similiter in terra omnis hæreſis ex ſuperbia & elatione animi orta eſt: penetrare volunt hæretici myſteria, & dicunt, conſcendemus, & erimus ſimiles Altiſſimo. Habemus Spiritum Dei, & ſuper ſydera exaltabimus ſolium noſtrum. Fides è contra, ô hæretice, prouenit ex humilitate, & in obſequium Chriſti captiuare oportet intellectum: eſt enim argumentum non apparentium, penituſque innititur omnipotentiæ Dei. Hodie noſter Centurio acceſſit ad IESVM, rogans, & cùm dicit ei IESVS, veniam, ſtatim reſpondit; Domine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum: ſed dic tantùm verbo. Ecce fides, & ecce etiam illius effectus & merces. Sicut credidiſti, fiat tibi: & ſanatus eſt puer in illa hora.

Olim ex relatione Venerabilis Bedæ, S. Gregorius Neocæſar. cognominatus Thaumaturgus, ſuæ fidei admirabilem effectum recepit, montem transferendo, iuxta verbum & veritatem Euangelij. Sed ipſum, & quoſcunque alios Centurio præceſſit: Dic tantùm verbo. Vnde & de illo hodie Chriſtus; *Non inueni tantam fidem in Iſraël.* Ita eſt, & nunc Domine, non eſt amplius veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra: omnes declinauerunt à fide, omnes à veritate, & ſcientia Dei; & non ſolùm Athei & hæretici, qui penitus auferunt fidem, ſed & flens dico, etiam multi Chriſtiani, qui minimè quod fidem habeant, operibus oſtendunt. *Effectus admirabilis fidei Sancti Thaumaturgi.*

Vnde tertiò adhuc dicimus peccare in fidem omnes malos Chriſtianos, qui ſcilicet arguuntur nullam fidem habere, operibus cōtrariis; qui, vt Apoſtolus dicit, confitentur Deum noſſe, factis autem negant. Etenim vnus adhuc fidei huius actus eſt, actionibus virtutum & maximè Religionis vacare, vt S. Iacobus ait; Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo, viſitare pupillos & viduas, denique operibus bonis veritatem fidei demonſtrare. Hoc enim modo, vt ſæpius nobis Eccleſia proponit, Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. *Tertiò mali Chriſtiani peccant in fidem.* *Iacob. 1.* *Hebr. 11.*

Hæc eſt fides iuſtificās, fides per dilectionē operans: fides de qua Apoſt. ô hæretice, dicit, ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Hæc eſt fides, ô hæretice, de qua iuſtus omnis viuit, fide nō mortua, ſed viua, fide quæ eſt per dilectionem operans. Hac fide credidit Abraham, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Hac fide, dicit Apoſt. Noe accepto reſponſo de iis quæ adhuc non videbantur, aptauit Arcam in ſalutem domus ſuæ. Hac fide Sara ſterilis virtutem in conceptionem Iſaac accepit, etiam præter tempus ætatis. Hac fide obtulit Abraham Iſaac vnigenitum, qui ſuſceperat repromiſſiones. Hac fide benedixit Iſaac Iacob, & Iacob moriens ſingulos filiorum Ioſeph. Hac fide etiam Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucūditatem; maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem. *Gal. 5.* *1. Cor. 13.* *Heb. 11.*

Et quid adhuc dicam? deficiet enim me tempus

enarrantem de Gedeon, Dauid, & aliis Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, vt iam vno verbo dicamus, quia hac fide credere oportet omnem qui ad Christum accedit. Ita hac fide cæci accesserunt ad Christum, & illuminati sunt. Hac fide Chananæa, & filia eius à dæmonio liberata est. Hac denique fide hodie Centurio, & puer sanatus est illa hora. Sic ergo & vos omnes accedite ad eum. Qui enim credit quia IESVS est filius Dei, ait Iohannes, ex Deo natus est. Signum autem quia in eum creditis, & per eum ex Deo nati estis, istud est, si eius opera faciatis.

DE MISERICORDIA, & iustitia, quæ in dilectione inimicorum seruatur.

Ego dico vobis: Diligite inimicos vestros, &c. Matth. 5.

Non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

Duobus modis tenemur inimicos diligere. Ioh. 15. Primo, vi præcepti.

NOTA Christiani, ac in veritate Christum profitentis, inimicorum est dilectio. Ad hoc autem tenemur duobus modis. Primo, vi præcepti: altero, via imitationis. Iohan. 15. præceptum est, vbi Dominus dicit: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. & rursus: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Iuxta id Iohannes Apostolus in sua Canonica dicit, Mandatum nouum scribo vobis, quod verum est, quia tenebræ transierunt, & verum lumen iam lucet. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. *1. Ioh. 2.*

Eiusmodi autem genera tenebrarum & lucis in Euangelio hodierno exprimuntur, vbi distinctiùs Christus aduersus antiquorum dicta suum præceptum proponit, lucem opponendo tenebris, sic dicens: *Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Suprà eodem cap. dixerat: Sic luceat lux vestra coram hominibus. Dico enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Hæc est autem iustitia quam præcipio, quam cupio. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo.

Hæc est iustitia, Christiani, misericordia & reconciliatio. Sed ô Domine, nõ est amplius veritas, non est misericordia, & nõ est scientia Dei in terra. Scientia Dei, inimicorum est dilectio. Audistis quia dictũ est antiquis: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dextram maxillã, præbe illi & alteram. Durus est hic sermo, dicet aliquis cum illo ex discipulis Domini, & quis potest audire eum? O Christiani, hæc est sciẽtia Christi, & hoc Domini præceptum. Ego autẽ dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habe-

A bitis? Estote ergo perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est, qui facit oriri Solem suum super iustos & iniustos. Nisi enim abundauerit iustitia vestra plusquàm Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Secundo tenemur inimicos diligere vi imitationis.

In hoc autem præcepto eiusmodi fundatur iustitia, & non solùm in præcepto, sed etiam in imitatione magistri nostri IESV Christi. Ita enim S. Petrus ait; Si benefacientes patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deũ. In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti *1. Petr. 2.*

B se iniustè. Apud Isa. Corpus meum dedi percutientibus, genas meas vellentibus: & faciem meam nõ auerti à conspuentibus in me. Sic in alio loco dicitur, quia adinstar agni extitit, qui coram tondente se obmutuit, super se disciplina pacis nostræ in silentio recepta. Ita vt, ait S. Petrus cũ isto Propheta, peccata nostra pertulerit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus. *Isa. 50. & 53.*

Hæc iustitia, illius imitatio est. Vnde ipse ait: Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit: mementote sermonis mei, quem ego dixi, scilicet Matth. 10. & quem rursus apud S. Iohannẽ repetit: Non est seruus maior Domino suo. Si me persequuti sunt, & vos persequentur. Eritis *Ioh. 15. & Matth. 10.*

C odio omnibus hominibus propter nomen meum. Sed sufficit seruo, si sit sicut Dominus eius. Si enim patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quãto magis domesticos eius? Qui perseuerauerit vsque in finem (scilicet plenus constantia & patientia) hic saluus erit. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Amen dico vobis, non est Apostolus maior eo qui misit illum. Sicut exinde dici potest & debet, non est Christianus maior Christo. Qui Christum profitetur, vtique in dilectione, & præsertim inimicorũ, imitari debet. Nam vt S. Iohannes ait; Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Charissimi, non mandatum nouum scribo vobis, *Ioh. 13.* *1. Ioh. 2.*

D sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio, videlicet istud à Christo quod audistis: Diligite inimicos vestros. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet. Qui verò odit, in tenebris ambulat, & nescit quò vadat, quia tenebræ obcæcauerũt oculos eius. Ita cap. seq. In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. Nolite mirari fratres, si odit vos mũdus. Nos scimus quoniam trãslati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui enim nõ diligit, manet in morte, & omnis qui odit fratrem suum, homicida est. In hoc cognouimus charitatẽ Dei, quoniam ille animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Filioli, non diligamus verbo, sed opere & veritate. *1. Ioh. 3.*

E Non est veritas, non est misericordia, & non est amplius scientia Dei in terra. Sciẽtia Dei lux Christi, & Christiana veritas est misericordia, & in dilectione inimicorum imitatio Christi. Quapropter percipite modò quousque dilexerit nos. Rom. 5. ait Apost. *Vix pro iusto quis moritur. Commendat autẽ charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus & inimici, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Inde est quod Iudæ proditoris & inimici, velut amici pedes in cœnaculo post cœnam lauit, eius osculum tanquam familiaris in horto excepit. Hinc est quod quærentibus se hilariter occurrit, & pro ipsis etiam crucifigentibus patrem orat dicens; *Pater ignosce*, &c.

Quousque Christus nos dilexit. Rom. 5.

Quo

Quo iam non erit supplicio dignus, quem pudeat, aut certè pigeat ipsum imitari, maximè adhuc cùm tali exemplo addat & præceptum? *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Præceptum atque exemplum, quod tot coluêre Sancti, & imitatione sequuti sunt. Multi præcepta Dei, inquit S. Hieron. in illa verba, imbecillitate sua, non Sanctorum viribus æstimantes impossibilia putant esse, & dicunt sufficere virtutibus, non odisse inimicos: cæterùm diligere, plus præcipi quàm humana natura patiatur. Hoc non est ita, sciendúmque est Christum non præcipere impossibilia, sed perfecta, perfecta quæ fecit Dauid in Saul, & in Absalone. Quæ impleuit Stephanus Martyr, qui pro lapidantibus deprecatus est. Quæ Paulus, qui anathema desiderauit esse pro persecutoribus suis, scilicet, Iudæis. Quæ denique IESVS & docuit, & fecit, dicens; *Pater ignosce illis.*

S. Hieron.

Verùm notandum est hìc cum distinctione, ad quid hoc præcepto & exemplo teneamur. Propter quod est sciendum, tria considerari in inimico, culpam, naturam & gratiam: seu quod primò sunt inimici & contrarij nostri; secundò, quod sunt homines; tertiò, quod beatitudinis capaces. Quantum ad primum, non sunt diligendi vt inimici & contrarij: imò hoc peccatum in illis odio est habendum, cùm scilicet nobis malum aliquod cupiunt, & nocere student; hoc enim modo dicebat Dauid Ps. 118, quia omnes iniquos odio habebat.

Tria considerantur in inimico.

Vt inimici & contrarij nobis non sunt diligendi.

Quantum verò ad secundum & tertium, diligendi sunt, & hoc duplici iure & præcepto, naturali & supernaturali. Naturali, si naturam eorum spectemus, homines enim sunt, & eiusdem nobiscum naturæ: hócque modo sub nomine generali proximi comprehenduntur. Supernaturali verò, id est, ex charitate, si gratiam spectemus, & quia cœlestis gloriæ sunt capaces, vitæque æternæ nobiscum aliquando erunt participes. Quomodo præsertim dixit hodie Christus: *Diligite inimicos vestros*, id est, secludendo peccatum, diligite vt homines, & quia sunt consortes eiusdem naturæ, atque etiam quia sunt gratiæ simul & gloriæ capaces.

Vt homines & beatitudinis capaces, sunt diligendi.

Duplex ius & præceptū inimicos diligendi.

Ita S. August. Sic sunt diligendi, vt eorum non diligantur errores. Et S. Gregor. Diligimus in proximis quod sunt, odio autem habemus quod in itinere Dei nobis obsistunt. Quo pacto Dauid dicebat: Nonne qui oderunt te Domine, oderam? Ita vt cùm in eodem homine & subiecto inueniantur opera Dei & hominis, culpa, natura & gratia, odisse debeamus peccatum & culpam opus hominis: Dei autem opera diligere, naturam scilicet & gratiam. Nobis hac discretione vtendum est, iuxta quam & pro ipsis orare, & ipsis benefacere tenemur, vt salutare, resalutare, loqui, & alia huiusmodi amicitiæ argumenta & officia præbere, maximè vbi consuetudo est, & spes lucrandi fratrem nostrum. Item subuenire bonis & consilio, vbi periclitantur corpore vel animo.

S. August.
S. Gregor.

Ps. 118.

Denique, vt tibi clariùs dicam, corpori tuo etiā in omnibus inimicum tuum debes præferre. Tibi enim omni corpore charior est, qui tibi sanguine Christi coniunctus est. Quatuor sunt ordine diligenda ex S. August. lib. 1. de doctrina Christiana. Vnum, quod supra nos est, scilicet, Deus. Alterum, quod nos sumus. Tertium, quod iuxta nos est, scilicet proximus. Quartum, quod infra nos est, proprium corpus: ita vt omni obligatione & iure magis teneamur proximum diligere, subque illa ratione inimicum, quàm proprium corpus, & sic magis saluti eius ac bono prouidere quàm corporis.

Quousque inimicus diligi debeat.

Quatuor diligenda cum ordine.
S. Aug. lib. 1. de doctrina Christiana c. 23.

A Quare & dicebat Apostolus; Charissimi locum date iræ, id est, omnia Deo, & eius iudicio committite. Scriptum est enim: Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi, hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

Rom. 12.

S. Tho. ibi. Congeres, inquit, super mentem eius amorem charitatis; quia, vt dicit S. Augustinus lib. de catechizandis rudibus, nulla est maior procuratio ad amandum, quàm præuenire amando. Ideóque noli vinci à malo, eius videlicet qui te persequitur, vt tu eum persequaris; sed vince in B bono malum illius, vt scilicet ei benefaciendo, eum retrahas à malo & lucreris: hæc est enim victoria quæ vincit mundum, fides nostra; hæc veritas, hæc scientia Dei, & lex quam in Ecclesia Christi profitemur: *Diligite inimicos vestros*; hæc est in veritate fides, quæ de mundo triumphat & victoriam reportat. Nescit mundus diligere nisi quod suum est. Amicitiam reddere amicis profitetur, vltionem verò inimicis. Hæc est lex & mundi fides: nostra verò, amicos & inimicos diligere, hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra: *Diligite inimicos vestros.* Vnde iam & asserere audemus, magis esse meritorium & melius inimicum diligere quàm amicum.

S. Tho. lect. 3. in Paul. ad Rom.
S. Aug. lib. de catechiz. rudib. c. 4.

1. Iohan. vlt.

C Apud S. Thom. hæc mouetur quæstio, & certè paradoxum esse videtur. Nam melius est rem meliorem diligere quàm deteriorem: melior est autem amicus qui amat, quàm qui odit inimicus. Hoc itaque dubium resoluamus, & sicut diximus, verum videamus.

S. Tho. 2. 2. q. 27. art. 7.
Vtrùm melius sit diligere inimicū quàm amicum.

Dilectiones istæ, iuxta S. Doctorem, dupliciter comparari possunt, vno modo ex parte proximi qui diligitur, alio modo ex parte rationis propter quam diligitur. Primo modo, dilectio quidem amici præeminet dilectioni inimici, quia amicus & melior est & magis coniunctus. Vnde certè materia est magis dilectioni conueniens: & consequenter actus etiam melior, sicut eius oppositum D deterius, quale est, odisse amicum deterius est, quàm odisse inimicum. Si verò dilectio ex parte rationis consideretur, iam dilectio inimici præeminet propter duo.

Primò, quia dilectionis amici potest esse alia ratio quàm Deus, vtpote fauor & gratia. Dilectionis autem inimici sola ratio Deus est. Secundò, quia præsupposito quod vterque propter Deum diligatur, fortior tamen ostenditur illa dilectio quæ ad remotiora extenditur, sicut ad inimicos, vt virtus ignis tanto ostenditur fortior quanto ad remotiora calorem suum diffundit, & minus combustibilia accendit. Ita eo fortior est dilectio, quo propter eam difficiliora facimus & amplectimur, E veluti est diligere inimicos. Hinc etiam ratio prouenit, cur illa dilectio sit magis meritoria, & ex parte difficultatis quæ in nobis est: & rationis quæ Deus est, & qui etiam sub hac conditione nobis præscripsit formulam orandi, & orando veniam petendi & nostrorum remissionem peccatorum, cùm ita quotidie his præceptis salutaribus moniti audemus dicere ad eum; Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ego autem dico vobis: Diligite, &c.

Sed dicetis; Nunquid sunt aliqui inimici odio prosequendi? Ita est, & eorum sunt quatuor genera, caro, mundus, diabolus, & peccatum, de quibus Dauid passim, vt Ps. 58. Eripe me de inimicis meis Deus

Quinam hostes sunt odio habendi.

Ps. 58.

Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me, quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes. Quinam sunt isti inimici? isti persequentes? & fortes irruentes in animam? Isti qui & plerunque capiunt; vtique caro, mundus, diabolus, & peccatum. Ecce inimici quos minimè vult Deus vt diligamus: sed potiùs vt odio prosequamur & persequamur, quia & nos persequuntur vsque ad interitum animæ. Ita Ps. 37. Inimici mei viuunt, & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè. Iniquè certè, quia ad mortem & gloriæ iacturam nos persequuntur. Sic caro, iuxta Apostolum, concupiscit aduersus spiritum; adeò vt dicat: Si vixeritis secundum carnem, moriemini.

Psal. 37. Rom. 8.

B Similiter mundus qui Deũ minimè cognoscit, & veritatis operibus contrarius est, vt ipse Christus dixit; *Pater iuste mundus te non cognouit*. Similiter diabolus, qui circuit quærens quem deuoret. Denique peccatum, quod inter nos & Deum diuidit. Ecce inimici persequentes, quos etiam & odio prosequi oportet, & continuò persequi: carnem fuga, mundum tolerantia, diabolum resistentia, & peccatum pœnitentia. Ecce odia, & conflictus, & certissimæ victoriæ rationes. Contra enim eiusmodi hostes continuò est decertandum, & nunquam deponendum odium: nunquam cum eis pax & amicitia iungenda; nó cum carne quæ aduersus spiritum concupiscit & operatur mortem. Nam vt Apostolus dicit: *Prudentia carnis mors est, & sapientia est inimica Deo*. Legi enim Dei non est subiecta, nec potest; vnde qui in carne sunt, Dẽo placere non possunt. Ergo fratres, ait S. Paulus, debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus: si enim secũdum carnem vixeritis, moriemini. Ita sapiens Ecclesiasticus. Si carni tuæ concupiscentias præstes, faciet te gaudium inimicis tuis, qui sunt mundus, peccatum, infernus, & dæmones. Quomodo denique ipse Dominus dixit: *Qui amat animam suam in hoc mundo*, id est, secundum carnem, & concupiscentias illi præstat, *perdet eam. Qui autem odit*, id est, concupiscentias negat, *seruat eam in vitam æternam*.

Ioh. 17. 1. Pet. 5. Rom. 8. Eccl. 18. Ioh. 12.

D Non est igitur amicitia iungenda cum carne, non cum mundo, qui totus in maligno positus est, & qui spiritum veritatis recipere non potest, Ioh. 14. Qui Deum non cognoscit, & pro quo Christus non rogat. Ioh. 17. Qui ipsum & suos odio habuit, qui contrarius est cunctis operibus bonis, qui transit, fallit, & sectatores suos ad interitum rapit. Non cum diabolo, qui est animæ nostræ coniuratus hostis, & sicut Leo rugiens circuit continuò quærens quem deuoret. Cui rogo resistite fortes in fide, vt fugiat à vobis. Denique non cum peccato, quod trahit in damnationem, amicitiam Dei tollit, & æternam operatur mortem. Domine, pacem habere non possum cum talibus inimicis qui insurgunt in me, & irruunt fortes, vt auferant animam meam. E O Domine, iniquitatem odio habui, & abominatus sum, carnem, mundum, diabolum, legem tuam dilexi. Ecce quod odi & arceo. Ecce quod diligo & amplector. Iniquitatem odio habui, carnem, mundum, & diabolum: legem autem tuam dilexi, & lex tua veritas. Ecce quam dilexi veritatem, legem tuam quæ mihi præcipit hodie vt inimicos meos diligam. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Quos? non carnem tuam, non mundum, non dæmones, aut peccatum; sed fratres & proximos tuos sicut teipsum.

Ioh. 14. Ioh. 17. 1. Pet. 5.

O Domine, lex tua veritas; hanc imprimis veritatem dilexisti inimicos tuos diligendo, ignoscendo & benefaciendo ipsis; vnde etiam hodie occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, dicens: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros; & lex tua veritas. Ita est Domine; plenitudo enim legis tuæ dilectio, & illa præsertim quæ inimicorum est. Verùm non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Veritas legis misericordia est, & scientia Dei in terra, symbolum & nota Christum in veritate profitentis, inimicorum est dilectio.

DOMINICA PRIMA.

DE EXCELLENTIA & necessitate ieiunij.

Ductus est IESVS *in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo; & cùm ieiunasset, &c.* Matth. 4.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

C OMNIS virtutis exemplar & imitationis Christus est. Nihil est actionum eius quod non præ se ferat honorem, reuerentiam non expostulet, & cui non debeatur profunda consideratio. Itaque antequam hic de tentatione eius loquamur, cur à Spiritu sancto in desertum ductus sit, & cur ibi quadraginta diebus & noctibus ieiunarit, considerabimus.

Imprimis igitur magna ratione factum est, vt à Spiritu sancto duceretur in desertum, quia Spiritussanctus super eum visus fuerat in Iordane vnde fuerat egressus, in testimonium quod filius Dei erat, vt habetur Ioh. 1. Sic apud Luc. IESVS plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, & D agebatur à Spiritu in desertum, scilicet illo quo plenus erat, & de quo Isaias dicit, Spiritus Domini ductor eius fuit. Hoc autem absque controuersia est, & verum manet, eo quod ad exequenda Dei Patris negotia illo Dei Spiritu sancto perductus est: præterquàm quod euidentissima filiorum Dei nota est, iuxta Apostolum, Spiritu Dei agi, & tunc ei placent nostra opera, si proficiscãtur à Spiritu. Sic de Simeone sene dictum est, quod in Spiritu venit in templum; & Abdias ab Achab ad Eliam missus dicebat ei: Cùm recessero à te, Spiritus Domini asportabit te in locum quem ignoro. Denique sic Elisæus ipsum Eliam orabat, vt in illo fieret duplex spiritus eius.

Luc. 4. Isa. 63. Rom. 8. *Christus ducitur à Spiritu sancto in desertum, & quare.* 3. Reg. 18. 4. Reg. 2.

E Cùm itaque omnium Prophetarum & Sanctorum qui filij Dei sunt per adoptionem, Spiritu Dei agi proprium sit in cunctis, & maximè vbi negotia Dei sunt; id certè etiam, & magis filio vnigenito & naturali Christo, qui est primogenitus in multis fratribus, in omnibus ac talibus negotiis conueniet: quod hic ad instructionem nostram notatur, cùm dicitur quod *ductus est* IESVS *in desertum à Spiritu*.

De illo deserto similis conuenientia est & multiplex ratio, cur in illud sit ingressus. Apud S. Ambros. super Luc. triplex inuenitur. Prima est litteralis, ex consilio, scilicet vt diabolum prouocaret ad certamen, & in suo proprio loco vinceret eum.

Triplex ratio cur Christus in desertum est ingressus. S. Ambros.

Quis

1. *Ratio.* Tob. 8. Matth. 11. Quis enim est diaboli locus nisi qui desertus est? Apud Tob. 8. legimus, Asmodæum per Angelum relegatum fuisse in desertum superioris Ægypti: & Matth. 12 dicit Christus, dæmonem ambulare per loca arida & inaquosa, id est, deserta. Eo igitur consilio ductus est IESVS in desertum, vt inimicum in proprio suo loco prouocaret ad certamen, & vinceret. Sic S. Ambros. cuius illa sunt verba. Plenus IESVS Spiritu sancto agitur in desertum consilio, vt diabolum prouocaret, nam nisi ille certasset (videlicet diabolus) non mihi iste vicisset (scilicet Christus.) Præterquàm quod adhuc communiter loca conuenientissima duellis sunt deserta. Indéque est quod cum eò ductus fuisset Christus vt in campum certaminis, dicitur statim, *vt tentaretur à diabolo.* Hæc prima ratio est & litteralis.

2. Secunda plena est mysterio, vt, inquit S. Ambros. nouus homo & secundus Adam veterem & primum Adam de exilio liberaret, qui de paradiso in desertum fuerat eiectus. In quo quidem se verè pastorem bonum declarare voluit, cùm in deserto mundi requisitum venit ouem quæ se in paradisi terrestris deliciis perdiderat. Iuxta quod ipse Christus Dominus dicit; *Venit filius hominis quærere,* &c. Matth. 19.

3. S. Tho. 3. p. q. 41. art. 1. ad 2. Tertia est propter exemplum, vt videlicet ostẽret Dominus nobis ad meliora tendentibus diabolum semper inuidere; quod aptè intelligitur per ire, aut duci in desertum. Per quod, ex Angelici Doctoris explicatione, intelligitur omne bonum, & magnum opus, quod non est secundum voluntatem carnis & mundi, sed ab omni tali praua affectione purgatum, alienum & totaliter desertum; vnde accidit, qui talia opera apprehendunt, & quasi à peccatoribus segregati ducuntur à Spiritu in desertum & puritatem actionum suarum, debere etiam animam suam præparare ad tentationem, talibus enim inuidet diabolus; & hoc est quod hodie exemplo discimus. Sicut adhuc ex eodem, quomodo hisce temporibus ciborum abstinentia, sicut peccatorum, ieiunium nostrum sanctificare debemus.

Sed audite verbum Domini, filij Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Quod hodie maximè in contemptum hominum venit & Christianorum, ieiunij obseruatio est. Non est scientia Dei in terra. Coluit Deus ieiunium, & illo vsus est aduersus inimicum nostrum, & tãquam scuto fortissimo aduersus tentationem præmunitus est. Nos autem parui faciemus, abutemur, infringemus & violabimus? Ieiunium quod inter arma iustitiæ Apostolus connumerat, dicens: Exhibeamus nósmetipsos in multa patientia, in tribulationibus, in vigiliis, & in ieiuniis per arma iustitiæ, à dextris & sinistris. Ieiunium quod secundum S. Ambrosiũ lib. de Elia & ieiunio, refectio est animæ, mors culpæ, excidium delictorũ, fundamentũ castitatis, vita Angelorum, radix gratiæ, & remedium salutis. Ieiunium de quo Ecclesia sic hodie Deo Patri loquitur in Altari tremendo: Qui corporali ieiunio vitia reprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia per Christum Dominũ nostrum; verè per Christũ qui sanctificauit ipsum. De illo igitur nonnulla hîc dicemus: *Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus* &c.

Obseruatio ieiunij.

2. Cor. 6. *Laudes ieiunij.* S. Ambros. lib. de Elia & ieiunio, cap. 2.

Rationes ieiunij Christi. Hîc primò diuini huius ieiunij rationes quærere mihi operæpretium videtur: & quidem S. Thomas multas refert. Prima est moralis, & ad nostrum exemplum seu informationem, scilicet vt nos edoceat quibus armis contra diabolum præmuniri debeamus. Vnde S. Petrus dicit: Fratres, sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide, fortes in ieiunio & sobrietate; sobrij estote. Ita ipse Dominus discipulis suis loquens de illo Lunatico puero dicebat; *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.* Vt discas, ait S. Chrysost. quàm magnũ bonum est ieiunium, & qualiter scutum est aduersus diabolum, & quoniam post baptismum, non lasciuiæ, sed ieiunio intendere oportet. Ideo Christus post baptismum ieiunauit, non ieiunio indigens; sed nos instruens. hæc ille. Si enim hostem expellere, & vires eius frangere volumus, expugnandum est Castrum & exterminanda caro; aut saltem extenuanda ieiunio. Ecce prima ratio, & moralis. 1. S. Tho. 3 p. q. 41. ar. 3. 1. Pet. 5. Matth. 17. S. Chrysost. in Matth. hom. 13.

Sequitur secunda, & litteralis, scilicet vt Christus ex esurie exinde orta, nempe ex ieiunio, præberet occasionem hosti tentandi ipsum. Sic enim dicitur; *Et cùm ieiunasset, postea esuriit, & accedens tentator dicit ei: Si tu es filius Dei, dic vt lapides isti panes fiant.* Post rationes istas, alias adhuc afferamus. 2.

Tertia est mystica, vt scilicet ieiunio restitueret, quod gulæ vitio Adam perdiderat. Item vt ostenderet in quo discrepat suum Euangelium, & doctrina orthodoxa Ecclesiæ, à nouella hæreticorum loquacitate. Sumpsit initiũ suum prædicatio Christi, sicut adhuc hodie Ecclesiæ eius, ab abstinentia: hæreticorum verò ab ingluuie & gula. 3.

Agnoscant quæso, quomodo primum Adam in præuaricatione & licentia sequuti sunt. Ille in esu vetiti cibi tentatus est, & corruit: & tales fuerunt, & sunt nostræ tempestatis hæretici, in esu vetitorum ciborum ab Ecclesia, tentati sunt. Et certè optimè dicere possumus, hæresim sæculi huius ab ebrietate suum exordium sumpsisse. Testis est Germania, vbi primò talis Reformationis, seu potiùs deprauationis prædicatio incepit. Nos verò qui Christum sequimur, & in Ecclesia ipsum imitari profitemur, eius exemplo ieiunium amplectimur, ac tale præsertim quale istud est solemne. Sic enim voluit Dominus ieiunare, vt simul expletis figuris, & veterum facta & exempla approbaret, atque etiam nos ad imitationem prouocaret, & obligaret. *Hæresis ab ebrietate sumpsit initium.*

Hæc vltima quidem est ratio, scilicet, & propter expletionem figurarum. Moyses enim vt legem ferret, antea ieiunauit quadraginta diebus. Ita igitur fecit Legislator noster Christus. Sic Elias cum Achab & Iesabel pugnaturus, ieiunauit totidem diebus, & ab omni penitus cibo abstinuit. Ita Christus cum Sathana & impia Synagoga pugnaturus, simili armatus ieiunio progreditur, & eis certamen proponit. Quadraginta dies Goliath aduersarium nostrum significans, stetit exprobrans contra populum Dei. Quare ita Christus, non verbo, sed facto, non hasta, sed ieiunio munitus quadraginta dierum, prouocauit inimicum nostrum, sed & vicit eum. Denique Niniuitæ ad prædicationem Ionæ per quadraginta dies ieiunium & pœnitentiam agentes, iram Dei meruerunt declinare. Sic Dominus noster IESVS Christus iustam peccatorum nostrorum vindictam per hanc suam pœnitentiam, & ieiunium, meruit auertere: & hoc etiam egit, vt suo nos exemplo ad imitationem prouocaret, obligarétque. *4. & vltima ratio ieiunij Christi.* Exod. 24. 3. Reg. 19. 1. Reg. 17.

Ita

S. Chrysost. in Matth. tom. 1.

Ita author operis imp. inter opera S. Chrysost. vel potiùs ille in Matth. Ieiunauit, inquit, 40. diebus propter duas causas. Prima est, vt nobis aduersus tentationes ieiunandi daret exemplum. Deinde vt quadragesimi ieiunij nostri poneret mensuram.

Chrysolog. hom. 2. de ieiunio Christi.

Ita S. Chrysologus loquens de ieiunio Christi. Non est humana inuentio, authoritas est diuina; non de terreno vsu est, sed de cœlestibus est secretis.

Obligatio ieiunandi in Quadragesima.

S. Aug. Ser. 62. de temp.

Quid, ô heretici, dicetis ad ista? Sed Sanctum Augustinum in medium proferamus. Aliis diebus ieiunare, aut remedium est, aut præmium; in Quadragesima autem non ieiunare, peccatum est. Alio tempore qui non ieiunat, accipiet indulgentiam; in Quadragesima qui non ieiunat, sentiet pœnam.

S. Ambros. Ser 34.

Et S. Ambros. spiritualis eius pater. Rescindis legem, qui exemplum ieiunij Dominici non custodis. Sicut enim reliquo anno ieiunare, præmium est: ita in Quadragesima non ieiunare, peccatum est. Illa enim voluntaria sunt ieiunia, ista necessaria: illa de arbitrio veniunt, ista de lege: ad illa inuitamur, ad ista compellimur.

Idem Serm. 36.

Et rursus ille Sanctus ostendens, ô hæretice, quàm exactè debeat obseruari hoc quadragesimale ieiunium, sic ait. Qui constitutum numerum vna die manducando præterit, non vt vnius diei violator accusatur, sed vt totius Quadragesimæ transgressor arguitur. Audiant etiam hæc Christiani.

Idem Serm. 25. in Quadrag.

Et alibi. Neque enim leue peccatum est fidelibus indictam Quadragesimam à Domino non ieiunare, & ieiunia consecrata ventris voracitate dissoluere. Scriptum est: Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare.

1. Ioh. 2.

Dixit autem ipse Magister & Dominus noster Christus: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.

Mos & vsus antiquus ieiunij quadragesimalis.

Sed adhuc aduersus hæresim, veterem vsum videamus. Ita enim scribit S. Hieron. ad Marcellam. Nos vnam sanctam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno tempore nobis congruo ieiunamus, non quod & per totum annum, excepta Pentecoste, ieiunare non liceat; sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.

S. Hieron. ad Marcellam.

Ecce vbi, & quibus rationibus S. Hieron. ieiunij quadragesimalis necessitatem affert etiam ex praxi & traditione Apostolica.

S. August. in Psal. 110. & epist. 19.

Et similiter S. August. super Psalmos, & in Epistolis. Quadragesima sanè ieiuniorum authoritatem habet, & in veteribus libris ex ieiunio Moysis & Eliæ, & in Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonstrans Euangelium non dissentire à lege & Prophetis.

Idem lib. 30. contra Faustũ Manich.

Et cõtra Faustum Manich. Ieiunium Quadragesimæ per totum terrarum orbem quotannis toto celebratur in conuentu Catholico, hanc qui ritè obseruant, necesse est abstinere à carnibus.

Satis clarè & fusè hoc explicatum, neque est necesse amplius vt immoremur authoritatibus, nisi vt magis ac magis hoc attendat hæreticus, hoc libertinus, & hoc etiam Catholicus. Domine non est veritas, & non est scientia Dei in terra.

Antiquitas ieiunij.

S. Basil. de laudib. ieiunij.

Verùm si à longiori adhuc & antiquiori hanc obseruantiam ieiunij conspicere vellemus, inueniremus etiam ipsa lege ieiunium esse antiquius, neque recens inuentum. Ita S. Basil. de laude eius disserens. Reuerere, inquit, ieiunij canitiem, tam vetus & venerabile est, vt simul cum homine condito cœperit, in Paradiso namque præscriptum est: & primum illud præceptum accepit Adam, ne de ligno scientiæ boni & mali ederet. Hoc autem verbum lex fuit abstinentiæ & ieiunij. Si à signo

A gno ieiunasset Eua, nequaquam hoc nunc ieiunio opus haberemus: non enim qui valent egent medico, sed qui malè habent. In morbum incidimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam. Sed pœnitentia sine ieiunio otiosa & infrugifera est. Maledicta terra spinas & tribulos progignit tibi; in tristitia viuere iussus es, non indulgere deliciis, per ieiunium satisfacito Deo.

Leuit. 16. & 23.

Quæso, hîc hæreticus audiat satisfactionem ex ieiunio. Audiamus & nos, & per ieiunium satisfaciamus Deo pro peccatis. In Leuitico multis in locis: *Affligetis animas vestras.* Omnis autem anima quæ in hac die afflicta non fuerit, peribit de populis suis. Ieiunij afflictio ad omnia vtilis est.

Ioël 2.

B Per Ioëlem Dominus dicit: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & in fletu. Sic Niniuitæ ieiunio suo & pœnitentia Deum placauerunt. Ieiunium ad omnia vtile est.

Effectus ieiunij.

Per ieiunium satisfacito Deo. Ieiunium illos três pueros in Babylone, qui de mensa Regis Nabuchodonozor edere noluerunt, ne contaminarentur, ab incendio fornacis liberauit: Elias post ieiunium suum in aërem raptus est in curru igneo: Gentium item Apostolus & Doctor S. Paulus tempore conuersionis suæ post ieiunium illuminatus est, & vt creditur, etiam vsque ad tertium cœlum raptus.

Act. 9. 2. Cor. 12 Act. 2.

C Quid dicam? cùm nec Spiritussanctus descenderit in Apostolos & discipulos Christi in die Pentecostes, nisi cùm adhuc sunt ieiuni, vt habetur in Actis. Et Anna mater Samuelis filij spiritus & gratiæ, ipsum non concepit, nec peperit nisi post ieiunium. Ieiunium ad omnia vtile est.

Victoria ieiunij.

Ieiunium carnem, mundum, & diabolum vincit. Carnem; sic Iudith armata ieiunio, impudici Holofernis caput amputauit. Mundum; sic Esther superbum & inuidentem Aman Iudæorum hostem capitalem, illo ieiunij scuto superauit & prostrauit, eodémque etiã meruit vt illius magni Principis Assueri vxor efficeretur, & Regina super omnem populum. Denique hodie in Christo ieiunium superauit diabolum. *Et cùm ieiunasset postea esuriit; & accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant,* &c.

Ordinẽ seruat diabolus tentãdo Christum, quem seruauerat tentãdo primum hominem.

D Hîc quæri potest num in hac trina tentatione fuerit seruatus ordo. Ita respondetur, & insuper esse mysterium, vbi videmus dæmonem eumdem penitus seruasse ordinem in tentatione primi hominis, procedendo à leuioribus ad grauiora. Primò enim tentauit ipsum de comestione & esu ligni vetiti, dicens; Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradisi? Secundò, de inani gloria, cùm dixit; Aperientur oculi vestri. Tertiò, de extrema superbia, & auaritia seu cupiditate; Eritis sicut Dij.

Gen. 3.

E Ita autem egit hodie circa secundum Adam Christum, & eumdem penitus seruauit ordinem, dicens illi: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Primò enim de esu tentat; *Cùm ieiunasset* IESVS, *accedens tentator dixit illi: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Secundò de inani gloria; *Si filius Dei es, mitte te deorsum. Angelis enim suis Deus mandauit de te, vt custodiant te.* Tertiò denique de extrema simul superbia & cupiditate tentat, cùm illi diuitias offert & gloriam mundi vsque ad contemptum Dei, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.*

In tentatione Adam corruit: Christus vicit.

Sed quid accidit? Primus quidem homo de terra terrenus corruit: secundus verò de cœlo cœlestis, & Deus de Deo, hostem superauit, tentatorem & tentationem profligauit, dicens. Scriptum est; Non in solo pane viuit homo, sed in omni

verbo

verbo quod procedit de ore Dei. Scriptum est, non tētabis Dominū Deum tuum. Vade Sathana. Scriptum est; Dominum Deum tuum adorabis,& illi soli seruies. Tunc reliquit eū diabolus, qui victus corruit. Et ecce accesserunt ad IESVM Angeli canentes de victoria triumphū, Osanna filio Dauid, gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ volūtatis: hostis superatus est, nunc eiicietur foras. Sed & nūc eiectus est; vicit Leo de tribu Iuda: Osanna filio Dauid. Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.

Quibus armis aduersus tentationem est vtēdum. Ecce igitur quibus nunc armis vincēdus est hostis. Ecce quibus exemplis & præsidiis per Christū, qui nostrum vicit hostem, aduersus ipsum in tentationibus nobis est vtendum, castris deserti, scuto ieiunij,& sacræ Scripturæ armis. Tentaris de auaritia? statim dic: Scriptum est, quàm difficile est diuitem intrare in regnum cœlorum; & sic de aliis. Semper Scriptura vtere.

Verùm adhuc hic vnum est obseruandum, scil. Christum non repulisse hostem à se in duab. primis tentationibus, sed iniurias solùm patienter tulisse: sed vbi in tertia sibi honorem Dei attribuere & vsurpare Dæmon præsumpsit atque ausus est, statim repulisse à se cum increpatione hac, vade Sathana. Vt etiam hoc exemplo discamus & nos, nobis illatas iniurias debere quidem patienter sustinere, commissas verò contra Deum, nec audire, nec sufferre, vt sic ex zelo pro eius honore & gloria semper decertantes, cū Angelis tandē aliquando mereamur in cœlis æterno eius prēmio perfrui.

DE IVDICIO FINALI & extremo.

Cùm venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, &c. Matth. 25.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

Nihil ita charum & pretiosum est Christo, sicut salus mundi. Apud S. Matth. dicit; *Venit filius hominis saluare quod perierat.* & apud S. Ioh. *Nō misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundū, sed vt saluetur mūdus per ipsum.* Hæc veritas diuina est. Quis ergo exinde capere poterit quod illi datū sit iudicium mundi? Ita enim ipse dicit: Pater non iudicat quemquam, sed omne iudiciū dedit filio, quia filius hominis est. Cùm venerit filius hominis in majestate sua, &c. (Matth. 18. Ioh. 3. Ioh. 5.)

Ratio autem huius rei potest accipi ex eo quod statim dixit: Si nō venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationē non habent de peccato. Ecce equidem vnde venturus est iudicare. Audite verbū Domini, filij Israel, ait noster Osee, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Qui dignatus est venire in carne nostra, vt loqueretur nobis, & excusationem de peccato non haberemus, ipse equidem in majestate veniet iudicaturus orbē terræ in æquitate & populos in iustitia: & tunc apparebit quàm iustè de misericordia eius in iustitiam cecidimus; & quomodo dignū erit & iustū, vt appareat sicut Leo hominib. qui venientem olim sub humili forma & specie Agni contempserunt. (Ioh. 15.)

Tria cōsideranda in Iudicio finali. Tria autem hic pro distinctione materiarū potissimum sunt notanda. Primum, quotuplex datum sit Christo iudicium faciendum. Secundum, quot sunt iudicandi. Tertium, quot Iudices.

1. Iudiciū triplex quod datū est Christo. 1. Distributionis. Quantum ad primum, omne illud iudiciū, quod Christo à Patre datū est, ad triplex iudicium reduci potest. Vnū est regiminis, prouidētiæ, seu distributionis. Alterū dicitur retributionis. Tertiū discussionis. Primū est in vita, secundū in morte. Tertium in die nouissimo generalis iudicij. Si de illo primo hic loquar, dicitur quidē distributionis seu dispensationis & prouidentiæ, & est illud quo à Deo humana vita iustè illo, vel alio modo dispensatur in hoc mundo; quo reguntur homines ad beneplacitum diuinæ voluntatis, isti cum successu & prosperitate, alij autē cum miseria & afflictione: denique quo vnicuique distribuitur ex thesauris inuestigabilibus consilij & sapientiæ Dei.

Exempla. Gen. 18. De iudicio tali loquebatur Abraham ipsi Deo, dicens: Absit à te Domine, (de Sodomitis loquitur) vt occidas iustum cum impio, non est hoc tuū qui iudicas omnem terrā, (i. iustè omnia dispēsas) nequaquam facies iudicium hoc, qui sc. omnia iustè disponis: hic ostendens quomodo prouidentia diuina non sinit bonos cum malis puniri. Sicut etiam aliquando ex eodem Dei iudicio accidit, vt bene sit malis, & è contrà malè bonis succedat. Quomodo Abacuc Propheta ait: Quare respicis super iniqua agentes (benefaciēdo eis,) & taces deuorante impio iustiorem se? Quasi diceret quod Psalmista: Iudicia Dei abyssus multa; sicut ipse de se postea testatur dicens; Mei autem penè moti sunt pedes, & effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns. In labore hominū non sunt, & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias. Et dixi; Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocētes manus meas, qui fui flagellatus tota die. Existimabam vt cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuariū Dei, & intelligā in nouissimis eorum, (vbi scilicet omnia manifestabuntur, & quia propter dolos posuisti eis hæc exteriora & apparentia, vt in nouissimis videant se deceptos; quando tunc diuinę apparebunt rationes cur illos res suas fœliciter Deus agere permisit, & iustos affligi.) (Abac. 1. Psal. 72.)

Ierem. 12. Quomodo adhuc de tali refert iudicio Ierem. dicens: Iustus quidem tu es Domine, si disputē tecum; veruntamē iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, & bene est omnibus qui prędicantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicē miserunt, proficiunt & faciunt fructum. Quasi diceret: hoc relinquitur iudicio Dei, quo nunc humana vita dispensatur in hoc sæculo, vnde & ad iudiciariam Christi potestatem pertinet, cuius pedibus etiam mali subiecti sunt, vt de abusu postea seueriùs puniantur, iuxta quod sic introducit Psaltes patrem loquentem ad filiū: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*; & ipse dixit filius Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra; & sic hoc primum iudicium, quod est distributionis.

2. Iudicium quod dicitur retributionis. Secundum dicitur iudicium retributionis, & fit in ipsa hora mortis, in qua vnicuique retribuitur quantum ad animam secundum quod meruit, gloriam, aut pœnam, vt dicit Apost. Nemo sibi viuit, nemo sibi moritur, siue viuimus, siue morimur, Domini sumus: omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Domino. Ita vnusquisq; nostrûm pro se rationem reddet Deo. hæc Apost. Scilicet vt qui iustè vixerunt, assumātur à Christo, (Rom. 14.)

P   & cum

Ioh.14. & cũ eo regnent, iuxta illud Ioh. Si abiero & præparauero vobis locum, iterum veniam, (scilicet in die mortis) & accipiã vos ad meipsum: vt vbi ego sum, & vos sitis, in dextera Patris. Sicut è côtrà, vt túc mortui peccatores in inferno sepeliãtur, iuxta quod Iob dicit; In bonis ducunt dies suos, & in puncto mortis ad inferna descendunt, qui dixerũt Deo: Recede à nobis, sciẽtiam viarum tuarum nolumus. Audite verbum Domini, filij Israel, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Dixerunt Deo peccatores: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Ecce vnde iudicium erit retributionis animæ, etiam in instanti mortis.

Verùm quia retributio non solùm animã respicit, sed etiã corpus, quod in resurrectione ab anima est resumendum, & retributio omnis requirit examen & iudicium; propterea necesse est, vt illud finale & extremum in resurrectione corporũ fiat, vt generaliter homini retribuatur secundũ ea omnia quæ gessit tã in corpore quàm in anima, quod adhuc competit Christo, vt proprium & debitum illi, sicut dicit, quia dedit illi Pater potestaté iudicium Dei facere, quia filius hominis est. Quomodo etiam Apost. dixit scribens ad Cor. Ideo contendimus omnes placere illi: nos enim manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonũ, siue malũ.

3. Iudicium, quod finale dicitur & discussionis.

2. Cor. 5.

Hoc itaq; finale & vltimum iudicium est, quod discussionis appellari potest, eo quod in eo de operibus iudicabitur, & secundum ea retribuetur; de quo etiã hîc loquitur Dominus: Cùm venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cũ eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ, & côgregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues à dextris suis, hœdos autem à sinistris. His dicet, venite: istis auté, recedite. His qui à dextris erũt, dicet; Esuriui, & dedistis mihi mãducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me, nudus, & cooperuistis me, infirmus, & visitastis me, venite, &c. His verò qui à sinistris erunt: Nihil istorum fecistis mihi, propterea discedite à me maledicti.

O quantum istud iudicium differt à cæteris! In iudicio distributionis latet plerunq; ratio profundæ dispensationis & prouidentiæ Dei, cur in hoc mundo mala bonis adueniant, & bona malis. Sed in hoc discutitur & manifestatur ratio; esuriui, & dedistis mihi manducare: esuriui, & non dedistis mihi manducare, venite benedicti, vos auté discedite maledicti, &c. Item in iudicio retributionis quod fit in morte, apparet quidé ratio retributionis, sed soli animæ tunc fit, & suã expectat corpus in sepulchro retributionem. Item in priuato, & nô in publico & corã cunctis illi sua retributio declaratur. In hoc verò iudicio finali & discussionis, retributio fit & animę & corpori corã cũctis populis.

Deniq; quid dicam? In iudicio dispensationis, boni commiscentur malis, & cômunis etiã omniũ mors est, vt diuersæ retributionis sumant iudiciũ. In hoc autem finali & vltimo iudicio separatio fit ouium ab hœdis, & bonorũ à malis: dispar animarum datur æternitas; vita æterna bonis, mors æterna malis: culpis suppliciũ, meritis autem præmiũ. Iudicantur mali ad morté, boni autem ad vitam.

In trib. differunt boni à malis in Iudicio.

Secundũ punctum est quod in illo iudicio consideratur, sc. quod quamuis ante Christum congregentur omnes gentes, differét tamen boni à malis in tribus, loco, meritis & iudicio. Loco, vbi separa-

A tio erit, vbi mali qui terrena diligentes à Christo recesserunt, in terra remanebunt, ex S. Thoma in Côpendio Theologiæ. Boni verò qui Christo adhæserunt, obuiam Christo ibunt in aëra subleuati, vt Christo conformentur non solùm configurati gloriæ claritatis eius, sed in loco consociati, iuxta illud Matth. 24. *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Intelligédo per aquilas Sãctos, sicut per corpus sanctam humanitaté Christi, quæ mortem passa est. Sic enim S. Hier. loco corporis legit cadauer, ad commemorandum passionem eius & mortem, per quam & talem sibi promeruit iudiciariã potestatem, & assumũtur homines ad societaté gloriæ eius, si sint côformes passioni ipsius, iuxta illud Apost. *Si compatimur, & conregnabimus.*

S. Thom. 1. p. Compen. Theol. c. 59

B Atque etiã inde est, quod circa locũ passionis, sc. montem Caluariæ, creditur tunc descensurus, vt in vallé Iosaphat, quæ proxima est Caluariæ, & môti Oliueti subiacet, iuxta illud Ioëlis: Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallé Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi. Vbi etiã Crux & alia passionis insignia apparebunt, iuxta illud Matth. Et tunc apparebit signum filij hominis in Cœlo, scil. Crux, vt crucientur videntes impij; & boni qui per eam redempti sunt, gaudeãt de gloria Redéptoris, tunc à dextris ipsius constituti; sicut alij à sinistris. Iuxta quod etiam ab inuicem discrepant operibus & meritis, & per consequens iudicio; vnde qui iudicabuntur ibi, in triplici differentia erunt.

Ioëlis 3.

Matth. 24.

C Quod vt meliùs intelligatur, considerãdum est, iuxta S. Tho. ad illud iudicium tria côcurrere Primum est, quod aliquis Iudici præsentetur iudicandus. Secundum, quod eius merita discutiantur. Tertium, quod sententiam à Iudice recipiat.

Tria concurrentia ad iudicium.

Quantum ad primum, omnes à primo ad vltimum, siue boni, siue mali, Christi iudicio subdentur, à generalitate quorum etiam non excluduntur paruuli baptizati & non baptizati. Congregabuntur ante eum omnes gentes.

1. In triplici differentia sũt qui iudicãtur.

Quantum ad secundum, sc. discussioné meritorũ, non iudicabuntur omnes tã de bonis quàm de malis: vbi enim in iustis bonũ absq; mali cômixtione erit, sicut in peccatoribus mali absq; cômixtione boni, ibi discussio non erit, sed sine discussione iudicium erit, vitæ bonis, mortis auté æternæ malis. Exempli gratiã, de bonorũ numero sunt qui totaliter bona temporalia contempserunt, & soli Deo adhæserunt, suáq; leuia peccata feruore charitatis consumpserunt: ita vt nihil se esse existiment. Isti equidem non iudicabũtur per discussionem meritorum. Sicut etiam ex parte malorum notandũ est, sc. quosdam esse qui principiũ accedendi ad Deum non habent, vt sunt hęretici & pagani, qui extra fidem sunt, & hi etiam iudicabuntur ad mortem sine discussione operum. Qui enim nô credit iam iudicatus est. Accedentem enim ad Deũ oportet imprimis credere Vbi verò accidet aliqua cômixtio boni simul & mali, tunc erit cum discussione iudiciũ: vt qui inueniẽtur fidé habere sine charitate & operib. bonis, tales quidé cũ discussione iudicabũtur ad mortem, & cum infidelibus partem suã habebunt.

2.

D

Quando iudicium cum & sine discussione fit.

E

Sic enim Reges terræ videmus cum audientia & disquisitione ciuem suum peccantem damnare ad mortem: hostem verò absque vlla facti discussione & examine. Talis erit, & est modò distinctio & differentia inter hæreticos, & malos Christianos: hoc enim solũ interest inter illos (ait S. Aug.) quod hæretici falsa credunt; illi verò, scilicet mali Christiani, vera credentes non viuunt ita vt credunt. Quare etiam in eadem damnatione erunt, nihilque discriminis

Exemplum.

S. Aug. lib. qq. Euang. in Matt. 11.

Quid discrimen intersit inter hæreticos & malos Christianos.

discriminis erit, nisi quod in malis Christianis discussio fiet meritorum, in hæreticis verò non fiet.

Quod itaque hîc de malis Christianis diximus, alio modo dici debet de iustis & fidelibus, qui in hoc mundo negotiis sæcularibus adhærentes, non quidem contra Deum, sed supra debitum rationis, ita defectum aliquem admiserunt, & admixtum habuerunt bono fidei & charitatis, & sic in Ecclesia, fide, charitate, & religione pleni mortui sunt: vnde iustum fuit vt cum suorum operum discussione & meritorum iudicium vitæ acceperint. De qua adhuc meritorum discussione illa duo notanda occurrunt.

Primum est, quod illa discussio non fit quasi necessaria tunc sit vt informetur Iudex, qui est Christus Dominus omnium inspector, (hoc enim solùm in humanis contingit iudiciis, sed non in diuinis, vbi omnia aperta sunt;) sed vt innotescat vnicuique de se & de aliis quomodo digni sunt pœna, vel gloria: & sic de iustitia Dei gaudeant boni, contrà verò irascantur mali.

Deceptio Lactantij de discussione in iudicio Dei.

Secundum est, minime putandũ esse quod eiusmodi discussio fiat verbo tenus, & cum tempore, vt deceptus fuit Lactãtius, qui putauit mille annis hunc diem Iudicij duraturum, propter immensum tempus quod requiri dicit ad discussionem operũ. Neq; enim tale adhuc sufficeret spatium, si omniũ & dicta & facta, sed vnius etiam dicam hominis enarrarentur. Igitur quod solùm hic accidet tunc temporis, illud erit, scilicet quod diuina virtute, statim atque in instanti, vnicuique omnia & bona, & mala quæ fecit, occurrent, pro quibus præmiũ, vel pœnã recipere debet; & similiter adhuc omnia quæ alij fecerunt: vnde etiam eodem penitus puncto & momento, omnium diuisio ac separatio fiet ex sententia Iudicis, lata in gloriam bonorum; & ruinam malorum.

3. Quod ad iudicium concurrit.

Et hoc tertium est quod ad illud concurrit iudicium, scilicet quod vnusquisque à Christo Iudice sententiam suam accipiet, vitæ vel mortis, salutis aut pœnæ. O quanta erit reprobis iactura Deũ infinitum bonum in æternũ amittere! Legimus quod cùm Absalon ex exilio suo reuocaretur Hierusalẽ, eáque cum lege vt non videret amplius faciẽ Regis, postea tanto dolore affectus est, cùm priuatum se agnouit conspectu patris, vt quãuis domi omnibus apud se affflueret diuitiis, & liberis, tamen mortem potiùs elegerit sibi, quàm sic permanere, vnde statim nuncium misit ad Regem patrem suum, qui diceret ei. Obsecro vt videam faciem Regis. Quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.

Figura in Absalon. 2. Reg. 13. & 14.

Quàm graue sit & durum à facie Dei in æternũ separari.

O infœlix peccator! quid tibi erit non videre in æternum faciem Dei Regis ac patris, & ab oculis eius eiectũ videre te exulẽ apud inferos? Domine, inquiebat ille Rex, ne proiicias me à facie tua; hoc enim vnicum & essentiale est tormentum, proiici à facie Dei, plus est certè quàm in ignes æternos mitti, & duriora adhuc absque comparatione pati. O vos qui nunc in patiẽtia obsequiũ præstatis Christo, modicũ sustinete, viriliter agite, & confortetur cor vestrum, in patiẽtia sustinete quidquid hic laboris offertur, vt valeatis tandem illos declinare æternos & immẽsos cruciatus: & leue illud & momentaneũ tribulationis cum gaudio tolerate, quod æternum glorię pondus operabitur in vobis. Non sunt enim condignæ passiones huius tẽporis ad futuram gloriam quæ hodie reuelatur nobis. Cùm venerit filius hominis in Majestate sua, tunc etiã & vos sedebitis cum ipso in gloria. His enim qui à dextris eius erũt dicet: Venite benedicti Patris, possidete regnũ: vos enim qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Israël, mecum sedebitis, & mecum iudicabitis, meque venientem cum potestate magna & majestate videntes exultabitis lætitia inenarrabili.

2. Cor. 5.

Rom. 8.

Hoc planè etiam mirum erit & nouum. Cùm enim primò venit in hunc mundũ pugnaturus cũ Diabolo in salutem hominum, apparuit inermis, & mansuetus vt agnus: nunc autem contra hominem ipsum veniens, ipsumque iudicaturus, procedit vt Leo armatus ira cũ potestate magna & majestate. O Domine IESV, quid sibi volũt ista, quod aduersus fortem armatũ pugnaturus venisti inermis & nudus, pauper & mansuetus: contra hominẽ verò infirmum & debilem vt foliũ, quod vento rapitur, sic ostendis potentiam tuam? Tunc enim, iuxta S. Lucam, arescentibus hominibus præ timore, virtutibusque etiam cœlorum commotis, videbunt omnes filium hominis venientem in nube cum potestate magna & majestate.

Admirabile est quod Christus cotra diabolum veniens apparet mansuetus, contra hominẽ verò ira plenus. Luc. 21.

Figura Christi in aduentu gratiæ, & iudicij in Dauid. 1 Reg. 17. & 25.

Sed simile aliquid video de Dauid in Scripturis sacris. Ille enim cũ Gigante Goliath pugnaturus, liberaturúsque Israëlẽ, depositis armis, quę Saül illi dederat, accessit ad certamẽ inermis velut pastor, in baculo & funda, & vicit hostem. E contrà volens punire quemdam rusticũ & pastorem nomine Nabal Carmelũ, qui nõ coluerat ipsum vt decebat, ad eum venit armatus, accinctus ense suo, quẽ secuti sunt quadringenti viri omnes ad bellũ exercitatissimi, & singuli accincti gladiis suis. Et hoc certè in signum huius mysterij, quod completurus erat Christus in suo primo aduentu & secundo. Nã in primo quia solùm venit vt nos à peccatis liberaret, pateretúrque pro illis: ideo tunc mansuetus, & sine armis apparuit. In secundo verò, quia ad puniẽdum & iudicandũ veniet, propterea seueritate & rigore armatus videbitur. In primo occultus venit, vt hostem deciperet; tunc autem, scilicet in secũdo, manifestè veniet in potestate magna & majestate, & omnes Angeli & iusti ante ipsum vnanimiter clamabũt: Exaltare qui iudicas terram, redde retributionẽ superbis. O quis tunc non erit perterritus, quando adhuc cum eo tot apparebunt Iudices: Hoc enim vltimum est quod in illo Iudicio considerandum adhuc proponitur, nimirum plures cum Christo sessuros, qui iudicabunt nationes.

Tertiũ quod proponitur considerandũ in iudicio, scilicet multos fore Iudices cum Christo.

Verùm vt de omnibus hîc loquar, sciendũ præsertim in triplici esse differẽtia. Alij enim sunt qui solùm alios comparatiuè iudicabunt; & ij tam mali quàm boni erunt. Boni enim comparatiuè minus bonos iudicabunt, sicut mali minus malos, iuxta illud quod dicit Christus: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.* Et sic inter Christianos boni minus bonos similiter per comparationem iudicabunt, id est, opera adinuicem comparata in iudicium venient.

Qui Iudices qui coparatiuè iudicant.

Alij sunt qui approbatiuè iudicabunt, videlicet omnes iusti, per approbationẽ sententiæ iudicabũt impios, de quibus dicitur in Sap. Fulgebunt iusti, iudicabũt nationes, & regnabit illorum Dominus in perpetuum. Et per Prophetam: Lætabitur iustus cùm viderit vindictam. Lauabit manus suas in sanguine peccatoris, & dicet; Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum: sed præualuit in vanitate sua, confundatur & pereat.

Qui approbatiuè. Sap. 3.

Qui iuridicè.

Tertij denique sunt qui iuridicè, id est, per potestatẽ iuridicam alios iudicabunt, & verè erũt cũ Christo Iudices, & cũ eo ad iudicandum sedebunt. Illi autẽ sunt Apostoli, pauperes, & prædicatores, omnesq; alij qui Christo adhæserunt, omnia pro-

Ioh.14. & cũ eo regnent, iuxta illud Ioh. Si abiero & præparauero vobis locum, iterum veniam, (scilicet in die mortis) & accipiã vos ad meipsum: vt vbi ego sum, & vos sitis, in dextera Patris. Sicut è cõtrà, vt tũc mortui peccatores in inferno sepeliãtur, iuxta quod Iob dicit; In bonis ducunt dies suos, & in puncto mortis ad inferna descendunt, qui dixerũt Deo: Recede à nobis, sciẽtiam viarum tuarum nolumus. Audite verbum Domini, filij Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Dixerunt Deo peccatores: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Ecce vnde iudicium erit retributionis animæ, etiam in instanti mortis.

Verùm quia retributio non solùm animã respicit, sed etiã corpus, quod in resurrectione ab anima est resumendum, & retributio omnis requirit examen & iudicium; propterea necesse est, vt illud finale & extremum in resurrectione corporũ fiat, vt generaliter homini retribuatur secundũ ea omnia quæ gessit tã in corpore quàm in anima, quod adhuc competit Christo, vt proprium & debitum illi, sicut dicit, quia dedit illi Pater potestatẽ iudicium Dei facere, quia filius hominis est. Quomodo etiam Apost. dixit scribens ad Cor. Ideo contendimus omnes placere illi: nos enim manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonũ, siue malũ.

3. Iudicium, quod finale dicitur & discussionis.

2. Cor. 5.

Hoc itaq; finale & vltimum iudicium est, quod discussionis appellari potest, eo quod in eo de operibus iudicabitur, & secundum ea retribuetur; de quo etiã hîc loquitur Dominus: Cùm venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cũ eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ, & cõgregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues à dextris suis, hœdos autem à sinistris. His dicet, venite: istis autẽ, recedite. His qui à dextris erũt, dicet; Esuriui, & dedistis mihi mãducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me, nudus, & cooperuistis me, infirmus, & visitastis me, venite, &c. His verò qui à sinistris erunt: Nihil istorum fecistis mihi, propterea discedite à me maledicti.

O quantum istud iudicium differt à cæteris! In iudicio distributionis latet plerunq; ratio profundæ dispensationis & prouidentiæ Dei, cur in hoc mundo mala bonis adueniant, & bona malis. Sed in hoc discutitur & manifestatur ratio; esuriui, & dedistis mihi manducare: esuriui, & non dedistis mihi manducare, venite benedicti, vos autẽ discedite maledicti, &c. Item in iudicio retributionis quod fit in morte, apparet quidẽ ratio retributionis, sed soli animæ tunc fit, & suã expectat corpus in sepulchro retributionem. Item in priuato, & nõ in publico & corã cunctis illi sua retributio declaratur. In hoc verò iudicio finali & discussionis, retributio fit & animę & corpori corã cũctis populis.

Deniq; quid dicam? In iudicio dispensationis, boni commiscentur malis, & cõmunis etiã omniũ mors est, vt diuersæ retributionis sumant iudiciũ. In hoc autem finali & vltimo iudicio separatio fit ouium ab hœdis, & bonorũ à malis: dispar animarum datur æternitas; vita æterna bonis, mors æterna malis: culpis suppliciũ, meritis autem præmiũ. Iudicantur mali ad mortẽ, boni autem ad vitam.

In trib. differunt boni à malis in Iudicio.

Secundũ punctum est quod in illo iudicio consideratur, sc. quod quamuis ante Christum congregentur omnes gentes, differẽt tamen boni à malis in tribus, loco, meritis & iudicio. Loco, vbi separatio erit, vbi mali qui terrena diligentes à Christo recesserunt, in terra remanebunt, ex S. Thoma in Cõpendio Theologiæ. Boni verò qui Christo adhæserunt, obuiam Christo ibunt in aëra subleuati, vt Christo conformentur non solùm configurati gloriæ claritatis eius, sed in loco consociati, iuxta illud Matth. 24. *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Intelligẽdo per aquilas Sãctos, sicut per corpus sanctam humanitatẽ Christi, quæ mortem passa est. Sic enim S. Hier. loco corporis legit cadauer, ad commemorandum passionem eius & mortem, per quam & talem sibi promeruit iudiciariã potestatem, & assumũtur homines ad societatẽ gloriæ eius, si sint cõformes passioni ipsius, iuxta illud Apost. *Si compatimur, & conregnabimus.*

S. Thom. 2. p. Compen. Theol. c. 59.

Atque etiã inde est, quod circa locũ passionis, sc. montem Caluariæ, creditur tunc descensurus, vt in vallẽ Iosaphat, quæ proxima est Caluariæ, & mõti Oliueti subiacet, iuxta illud Ioëlis: Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallẽ Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi. Vbi etiã Crux & alia passionis insignia apparebunt, iuxta illud Matth. Et tunc apparebit signum filij hominis in Cœlo, scil. Crux, vt crucientur videntes impij; & boni qui per eam redempti sunt, gaudeãt de gloria Redẽptoris, tunc à dextris ipsius constituti; sicut alij à sinistris. Iuxta quod etiam ab inuicem discrepant operibus & meritis, & per consequens iudicio; vnde qui iudicabuntur ibi, in triplici differentia erunt.

Ioëlis 3.

Matth. 24.

Quod vt meliùs intelligatur, considerãdum est, iuxta S. Tho. ad illud iudicium tria cõcurrere. Primum est, quod aliquis Iudici præsentetur iudicandus. Secundum, quod eius merita discutiantur. Tertium, quod sententiam à Iudice recipiat.

Tria concurrentia ad iudicium.

1\. Quantum ad primum, omnes à primo ad vltimum, siue boni, siue mali, Christi iudicio subdentur, à generalitate quorum etiam non excluduntur paruuli baptizati & non baptizati. Congregabuntur ante eum omnes gentes.

In triplici differẽtia sũt qui iudicãdi sunt.

2\. Quantum ad secundum, sc. discussionẽ meritorũ, non iudicabuntur omnes tã de bonis quàm de malis: vbi enim in iustis bonũ absq; mali cõmixtione erit, sicut in peccatoribus mali absq; cõmixtione boni, ibi discussio non erit, sed sine discussione iudicium erit, vitæ bonis, mortis autẽ æternæ malis. Exempli gratia, de bonorũ numero sunt qui totaliter bona temporalia contempserunt, & soli Deo adhæserunt, suáq; leuia peccata feruore charitatis consumpserunt: ita vt nihil se esse existiment. Isti equidem non iudicabũtur per discussionem meritorum. Sicut etiam ex parte malorum notandũ est, sc. quosdam esse qui principiũ accedendi ad Deum non habent, vt sunt heretici & pagani, qui extra fidem sunt, & hi etiam iudicabuntur ad mortem sine discussione operum. Qui enim nõ credit iam iudicatus est. Accedentem enim ad Deũ oportet imprimis credere. Vbi verò accidet aliqua cõmixtio boni simul & mali, tunc erit cum discussione iudiciũ: vt qui inueniẽtur fidẽ habere sine charitate & operib. bonis, tales quidẽ cũ discussione iudicabũtur ad mortem, & cum infidelibus partem suã habebunt.

Quando iudicium cum & sine discussione fit.

Sic enim Reges terræ videmus cum audientia & disquisitione ciuem suum peccantem damnare ad mortem: hostem verò absque vlla facti discussione & examine. Talis erit, & est modò distinctio & differentia inter hæreticos, & malos Christianos: hoc enim solũ interest inter illos (ait S. Aug.) quod hæretici falsa credunt; illi verò, scilicet mali Christiani, vera credentes non viuunt ita vt credunt. Quare etiam in eadem damnatione erunt, nihilque discriminis

Exemplum.

S. Aug. lib. qq. Euang. in Matt. 11.

..d discri- ..is interest ..r hæreti- & malos ..ristianos.

discriminis erit, nisi quod in malis Christianis discussio fiet meritorum, in hæreticis verò non fiet.

Quod itaque hîc de malis Christianis diximus, alio modo dici debet de iustis & fidelibus, qui in hoc mundo negotiis sæcularibus adhærentes, non quidem contra Deum, sed supra debitum rationis, ita defectum aliquem admiserunt, & admixtum habuerunt bono fidei & charitatis, & sic in Ecclesia, fide, charitate, & religione pleni mortui sunt: vnde iustum fuit vt cum suorum operum discussione & meritorum iudicium vitæ acceperint. De qua adhuc meritorum discussione illa duo notanda occurrunt.

Primum est, quod illa discussio non fit quasi necessaria tunc sit vt informetur Iudex, qui est Christus Dominus omnium inspector, (hoc enim solùm in humanis contingit iudiciis, sed non in diuinis, vbi omnia aperta sunt;) sed vt innotescat vnicuique de se & de aliis quomodo digni sunt pœna, vel gloria: & sic de iustitia Dei gaudeant boni, contrà verò irascantur mali.

..ceptio La..ntij de dis..ssione in iu..io Dei.

Secundum est, minime putandū esse quod eiusmodi discussio fiat verbo tenus, & cum tempore, vt deceptus fuit Lactātius, qui putauit mille annis hunc diem Iudicij duraturum, propter immensum tempus quod requiri dicit ad discussionem operū. Neq; enim tale adhuc sufficeret spatium, si omniū & dicta & facta, sed vnius etiam dicam hominis enarrarentur. Igitur quod solùm hîc accidet tunc temporis, illud erit, scilicet quod diuina virtute, statim atque in instanti, vnicuique omnia & bona, & mala quæ fecit, occurrent, pro quibus præmiū, vel pœnā recipere debet; & similiter adhuc omnia quæ alij fecerunt: vnde etiam eodem penitus puncto & momento, omnium diuisio ac separatio fiet ex sententia Iudicis, lata in gloriam bonorum; & ruinam malorum.

..Quod ad iudicium cō..rrit.

Et hoc tertium est quod ad illud concurrit iudicium, scilicet quod vnusquisque à Christo Iudice sententiam suam accipiet, vitæ vel mortis, salutis aut pœnæ. O quanta erit reprobis iactura Deū infinitum bonum in æternū amittere! Legimus quod cùm Absalon ex exilio suo reuocaretur Hierusalē, eáque cum lege vt non videret amplius faciē Regis, postea tanto dolore affectus est, cùm priuatum se agnouit conspectu patris, vt quāuis domi omnibus apud se affluerent diuitiis, & liberis, tamen mortem potiùs elegerit sibi, quàm sic permanere, vnde statim nuncium misit ad Regem patrem suum, qui diceret ei. Obsecro vt videam faciem Regis. Quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.

..igura in Absalon. ..Reg. 13. & 14.

Quàm graue ..t & durum ..à facie Dei ..n æternū separari.

O infœlix peccator! quid tibi erit non videre in æternum faciem Dei Regis ac patris, & ab oculis eius eiectū videre te exulē apud inferos? Domine, inquiebat ille Rex, ne proiicias me à facie tua; hoc enim vnicum & essentiale est tormentum, proiici à facie Dei, plus est certè quàm in ignes æternos mitti, & duriora adhuc absque comparatione pati. O vos qui nunc in patiētia obsequiū præstatis Christo, modicū sustinete, viriliter agite, & confortetur cor vestrum, in patiētia sustinete quidquid hîc laboris offertur, vt valeatis tandem illos declinare æternos & immēsos cruciatus: & leue illud & momentaneū tribulationis cum gaudio tolerate, quod æternum gloriæ pondus operabitur in vobis. Non sunt enim condignæ passiones huius tēporis ad futuram gloriam quæ hodie reuelatur nobis. Cùm venerit filius hominis in Majestate sua, tunc etiā & vos sedebitis cum ipso in gloria. His enim qui à dextris eius erūt dicet: Venite benedicti Patris, possidete regnū: vos enim qui sequuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicātes duodecim tribus Israel, mecum sedebitis, & mecum iudicabitis, meque venientem cum potestate magna & majestate videntes exultabitis lætitia inenarrabili.

2. Cor. 5.

Rom. 8.

Hoc planè etiam mirum erit & nouum. Cùm enim primò venit in hunc mundū pugnaturus cū Diabolo in salutem hominum, apparuit inermis, & mansuetus vt agnus: nunc autem contra hominem ipsum veniens, ipsumque iudicaturus, procedit vt Leo armatus ira cū potestate magna & majestate. O Domine IESV, quid sibi volūt ista, quod aduersus fortem armatū pugnaturus venisti inermis & nudus, pauper & mansuetus: contra hominē verò infirmum & debilem vt foliū, quod vento rapitur, sic ostendis potentiam tuam? Tunc enim, iuxta S. Lucam, arescentibus hominibus præ timore, virtutibusque etiam cœlorum commotis, videbunt omnes filium hominis venientem in nube cum potestate magna & majestate.

Admirabile est quod Christus cōtra diabolum veniēs apparet mansuetus, contra hominē verò ira plenus. Luc. 21.

Sed simile aliquid video de Dauid in Scripturis sacris. Ille enim cū Gigante Goliath pugnaturus, liberaturúsque Israëlē, depositis armis, quę Saül illi dederat, accessit ad certamē inermis velut pastor, in baculo & funda, & vicit hostem. E contrà volens punire quemdam rusticū & pastorem nomine Nabal Carmelū, qui nō coluerat ipsum vt decebat, ad eum venit armatus, accinctus ense suo, quē sequuti sunt quadringenti viri omnes ad bellū exercitatissimi, & singuli accincti gladiis suis. Et hoc certè in signum huius mysterij, quod completurus erat Christus in suo primo aduentu & secundo. Nā in primo quia solùm venit vt nos à peccatis liberaret, pateretúrque pro illis: ideo tunc mansuetus, & sine armis apparuit. In secundo verò, quia ad puniēdum & iudicandū veniet, propterea seueritate & rigore armatus videbitur. In primo occultus venit, vt hostem deciperet: tunc autem, sc. in secūdo, manifestè veniet in potestate magna & majestate, & omnes Angeli & iusti ante ipsum vnanimiter clamabūt: Exaltare qui iudicas terram, redde retributionē superbis. O quis tunc non erit perterritus, quando adhuc cum eo tot apparebunt Iudices! Hoc enim vltimum est quod in illo Iudicio considerandum adhuc proponitur, nimirum plures cum Christo sessuros, qui iudicabunt nationes.

Figura Christi in aduentu gratiæ, & iudicij in Dauid. 1. Reg. 17. & 25.

Tertiū quod proponitur con..rand.. in iudicio, scilicet multos fore Iudices cum Christo.

Verùm vt de omnibus hîc loquar, sciendū præsertim in triplici esse differētia. Alij enim sunt qui solùm alios comparatiuè iudicabunt; & ij tam mali quàm boni erunt. Boni enim comparatiuè minus bonos iudicabunt, sicut mali minus malos, iuxta illud quod dicit Christus: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.* Et sic inter Christianos boni minus bonos similiter per comparationem iudicabunt, id est, opera adinuicem comparata in iudicium venient.

Qui Iudices qui comparatiuè iudicant.

Alij sunt qui approbatiuè iudicabunt, videlicet omnes iusti, per approbationē sententiæ iudicabūt impios, de quibus dicitur in Sap. Fulgebunt iusti, iudicabūt nationes, & regnabit illorum Dominus in perpetuum. Et per Prophetam: Lætabitur iustus cùm viderit vindictam. Lauabit manus suas in sanguine peccatoris, & dicet; Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum: sed præualuit in vanitate sua, confundatur & pereat.

Qui approbatiuè. Sap. 3.

Tertij denique sunt qui iuridicè, id est, per potestatē iuridicam alios iudicabunt, & verè erūt cū Christo Iudices, & cū eo ad iudicandum sedebunt. Illi autē sunt Apostoli, pauperes, & prædicatores, omnesq; alij qui Christo adhærent, omnia pro-

Qui iuridicè.

pter ipsum relinquentes, de quibus ipsemet ait; Vos qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël, id est, omnes fideles qui in fidem Patriarcharum recepti sunt. Nam de infidelibus nullum erit iudicium, saltem discussionis, quia iam iudicati sunt.

Math. 19.

Sed & rursus pauperibus, sicut adhuc prædicatoribus Euangelij, hec iudicandi authoritas promissa est, vt Iob dicit; Non saluat impios Dominus, & iudicium pauperibus tribuit, ad confusionem videlicet superborum, qui tunc dicturi sunt. Nos insensati, putabamus eorum vitam sine honore, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & ipsi nostri sunt iudices. Rationabiliter autem hoc iudicium dabitur pauperibus, & eiusmodi discussio facienda de actibus hominum, iuxta quod bene vel malè rebus terrenis vsi sunt, quia videlicet isti ab his rebus liberum suum animum per renunciationem totaliter habuerunt. Sic enim ad rectitudinem iudicij requiritur, vt animus Iudicis sit omnino liber & immunis ab his rebus de quibus habet iudicare. Quare & hic tantùm de pauperibus voluntariis quęstio est. Quod adhuc Euãgelicis prædicatoribus conueniet, qui præcepta & consilia diuina populo annunciauerunt, & sparserunt verba vitæ.

Iob. 36.

Decet namque, vt optimè docet S. Thomas in Compendio suæ Theologiæ, vt illi discutiãt actus hominum circa obseruantiam diuinorum præceptorum, qui præcepta vitæ annunciauerunt. Vnde S.Aug. lib. de pœnit. illud nostri Euangelij explicans, (*& omnes Angeli cum eo*) prædicatores intelligit, quibus mandatum est consilia & voluntates Dei hominibus nunciare: vnde & Iudices erunt, sedebúntque cum Christo, vt appareat omnibus saluationis & damnationis ratio. Maximè verò si Christum prædicauerint, & fuerint in vita sequuti: alioquin & ipsi morti adiudicabuntur. Hinc Apostolus ait: *Nos autem prædicamus Christum, & hunc crucifixum.* Sed & hoc nõ est satis, cùm postea adhuc dicat; *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauero ipse reprobus efficiar.* Ecce Christianus prædicator, & qui etiam Angelos iudicaturum se gloriatur. Et cum illo opto, vt hodie, sicut heri & cras sit Christus, & semper prædicationis meæ obiectum.

S. Thom. in Cõp. Theologiæ.

S. Aug. lib. de pœnit.

CONTINVATIO DOMINICæ præcedentis.

DE MVLTIPLICI GEnere tentationum.

Commota est vniuersa Ciuitas dicens; Quis est hic? Matth. 21.

Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, &c. Matth. 4.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

PROPTER Ionam in mari tempestas orta est: sed propter Christum orta est in cœlo, in mari, in terra, & in inferorum abyssis. Quid dicam? obiectum omnis commótionis, tempestatis & tentationis Christus fuit. Propter ipsum tempestas & tentatio in cœlo oriri cœpit in præuaricatoribus Angelis, & adhuc viget & remanet in inferis, vbi ex ingressu ipsius in mundum turbatus est tenebrarum princeps, & omnis Ciuitas infernalis cum illo. Et Matth. 8. ascendente eo in nauiculam, ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Ipse verò dormiebat, quousque suscitatus à discipulis qui dicebant, Domine, salua nos, perimus; dicit eis: Quid timidi estis modicæ fidei? & surgens imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna. Porrò homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic, quia mare & venti obediunt ei?

Christus causa & obiectũ omnis tentationis.

Matth. 8.

Denique propter ipsum & in terra tẽpestas orta est. Natus in Bethleem quæritur à Magis, & audiẽs Herodes Rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Et hodie cùm intrasset eamdem plenus gloria & triumpho, iuxta Euangelium hodiernũ, commota est vniuersa Ciuitas dicens; Quis est hic? Populi autem dicebant, hic est IESVS Propheta à Nazareth. Et intrauit IESVS in templum, & eiecit vendẽtes & emẽtes, & mẽsas numulariorũ euertit, & accedentes ad eum cæcos & claudos omnes sanauit. Videntes autem Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamãtes in tẽplo Osanna, indignati sunt.

Matth. 2.

Ecce vndique propter filium Dei commotio, & vbique tentatio, in cœlo & in abyssis, in terra, in vrbibus, etiam dicam & in desertis. Dominica præcedenti, ex cap. 4. S. Matth. (cuius nunc adhuc continuationem prosequemur,) ductus est IESVS in desertum à Spiritu. Sed ad quid? vt tentaretur, dicit Scriptura; vnde & accedens statim tentator dixit ei: Si filius Dei es, &c.

Itaque hic de multiplici genere tentationum quibus subiicimur, loquuturi sumus. Sicut enim certantis Christi victoria nostra extitit ad meritũ; ita nobis eius pugna proposita est ad exemplum, dicente Apost. Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia, pro similitudine, absque peccato: id est, ex S. Thoma explicante hæc verba, vt similis nobis, omni tentatione tentatus est, excepta ea quæ cum peccato est. Tentatus est in prosperis & in aduersis: in prosperis, vt his quæ ad mundum pertinent, quæ sunt concupiscentia carnis, oculorum, & superbia vitæ. Talísque fuit trina tentatio, de qua Dominica præcedente. De concupiscentia carnis tentatus est in gula; Dic vt lapides isti panes fiant. De concupiscentia oculorum in mundi gloria; hec omnia tibi dabo. Denique de superbia vitæ in vana gloria, de qua, Mitte te deorsum, &c. Itẽ in aduersis tentatus est, insidiis, contumeliis & tormentis.

Heb. 4.

S. Tho. lect. 3. in 4. Heb. *Quomodo Christus intelligatur tentatus.*

Primò insidiis, Matth. 22. Iudæi eum capere conantur in sermone. Etiam contumeliis, cap. 27. *Vah qui destruis templum Dei!* Et alibi sæpe eum vocant Samaritanum & peccatorem, qui Dei legem non custodit. Tertiò denique diuersis tormentorum generibus tentatus est, sicut dicitur per Salomonem in Sap. Contumelia & tormento interrogemus eum, vt probemus patientiam eius; morte turpissima condemnemus eum. Adeò vt verè dicatur tentatus per omnia.

Matth. 22. & 27.

Sap. 2.

Vnde etiam illum proponit pro exemplo B. Petrus dicens; Christus passus est prò nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. & iterum: Christo ergo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini. In eo enim, dicit ille Apostolus, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur, auxiliari. Sicut victoria eius nobis fuit ad coronam; ita certè eius pugna nobis hodie proponitur ad exemplũ & imitationẽ. Ita Iacobus dicit: *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis*, i.

1. Petr. 2. & 4.

Hebr. 2.

Iacob. 1.

victoriam

victoriam & coronam æſtimate, ſi ad exemplum A Chriſti tribulationem ſuſtineatis. Iob dicit quia militia eſt vita hominis ſuper terram. Septuaginta habent, tentatio eſt. Igitur coram Chriſto ipſo tentato, de neceſſitate ac multiplici tentationum genere hodie loquemur. *Iob.7.*

Significatio nominis tentatio, & verbi tentare. Atque imprimis quid hoc nomen ſignificet eſt dicendum. Communiter tentatio experimentum eſt,& verbum tentare idem eſt atque experiri, & periculum facere,explorare,allicere, etiam & ſollicitare. His autem omnibus modis verbum iſtud acceptum commune eſt Deo,homini,mundo,carni,etiam & diabolo,(licèt in modo,& fine ſemper ſit reſpectu Dei diuerſitas.) Sic enim omnes tentant, vt appareat quod intus latens erat, alioquin B fruſtra experimentum fieret. Sic Deus hominem tentat:& ſic homo Deum tentat & hominem. Sic aliquando Deum tentauit diabolus, & quotidie hominem tentat. Sic hominem caro & mundus ſimiliter tentãt; vt videlicet quod eſt intus, palã fiat. *Quibus tentare conuenit, & in quo sit eis diuersa ratio tentandi.*

Verùm in omnibus & ſingulis hoc inuenietur diſcrimen,vt iam dicere cœpimus,ſi finem ſpectemus: quia Deus ſemper tentat ad bonum: dæmon ſemper ad malum: homo ad bonum & malum: caro & mundus ſemper ad malum.

Triplex acceptio tentationis. Ecce differentiæ iuxta quas tentare accipitur iã diuerſimodè, in bonam, indifferentem, & malam partem, ſcilicet aut pro recta & ſimplici, aut pro C callida,aut pro fraudulenta experientia:& hoc ſecundum diuerſitatem intentionum. Deus enim tẽtat vt erudiat,diabolus vt ſeducat,homo vt diſcat, mundus vt attrahat,decipiátque,caro vt inficiat & fœdet.

Finis Dei in tentatione. Cùm Deus tentat,ſemper eò ſpectat & ordinatur, vt probet,& erudiat; & quod ei antè cognitũ erat, incognitum verò aliis, nunc illis notum fiat, & ſe id probare oſtendat. Sic tentauit Deus Abraham,vt filium ſuum immolaret, ſcilicet vt promptitudo obedientiæ eius, quæ mundo incognita erat, mundo iam manifeſtaretur, & probaret eam Deus:vt dixit ei poſtea; Nũc cognoui quod timeas Deum, id eſt, feci vt alij cognouerint me id ſcire, & iam approbare. Sic Iob, ſic Tobiam, ſic Euſta- D chium, & alios multos Deus in tribulationibus tentauit, vt eorum poſtea omnibus innoteſceret, atq; probaretur patientia. Ita adhuc filios Iſraël in deſerto,de quibus Deut. 13. ſic habetur. Tentat vos Dominus Deus veſter, vt palàm faciat vtrùm diligatis eũ,an non,id eſt, vt hoc ab aliis ſciri faciatis. *Gen.22. Exempla.* *Deut.13.*

Ioh.6. Sic denique Dominus ipſe Philippum tentaſſe dicitur,licèt ipſe optimè ſciret quid eſſet facturus. Philippe vnde ememus panes? Hoc autem dicebat tentans eum, ſcilicet vt explorata eius fide, magis innoteſceret ex miraculo diuina virtus; atque inde boni quod factum eſt tunc ſumeretur occaſio: ſemper enim ad bonum Deus tentat, vt diximus,& nunquam ad malum: Deus enim intentator malorũ eſt. Ipſe autem neminem tentat,ſcilicet ad malum, ſed ſemper ad bonũ. Vnde Dauid: Proba me Domine,& tenta me, vre renes meos & cor meum. Item in alio loco: Proba me Deus,& ſcito cor meũ; interroga me, & cognoſce ſemitas meas, & vide ſi via iniquitatis in me eſt. *Iacob.1.* *Pſal.25. & 138.*

Finis tentationis diaboli. Atque præsumptio. Exempla. Diabolus è contrà ſemper ad malum tentat, vt ſeducat & præcipitet. Sic Deum in cœlo tentare auſus eſt, dicens: Conſcendam & ero ſimilis Altiſſimo. Sic Chriſtum in deſerto,dicens ei: Si cadens adoraueris me. Si filius Dei es,dic vt lapides iſti panes fiant Mitte te deorsũ. Sic adhuc Angelos auſus eſt in cœlo, & homines audet quotidie tentare in mundo. In Apocalypſi factum eſt prælium magnum in cœlo, Michaël & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat & Angeli eius,& non præualuerunt. Neque locus inuẽtus eſt eorum amplius in cœlo: & proiectus eſt Draco ille magnus, qui vocatur Diabolus & Sathanas,in terram, vt ſeducat vniuerſum orbem, & faciat prælium cum iis qui cuſtodiunt mandata Dei,& habent teſtimonium IESV Chriſti *Apoc.12.*

Ecce igitur modò officium eius, homines affligere,& ad malum pertrahere: vnde etiam propriiſſimè & antonomaſticè appellatur tentator. Sic tentauit Dominum in deſerto: & accedens tentator dixit; Mitte te deorſum.&,Si cadens adoraueris me. Sic Iudam Apoſtolum tentauit, vt Dominum ſuum traderet,dicente Scriptura: Introiuit in eum Sathanas. Sic Iudæos, vt interficerent eum. Nam,vt in Euangelio habetur, à die reſurrectionis Lazari cogitauerunt vt interficerent eum. Sic in Act. tentauit Sathanas Ananiam & Sapphirã mentiri Spiritui ſancto, & fraudare Apoſtolos de pretio agri, vnde ſtatim ſimul morte puniti fuerunt. Sic denique ſolet omnes alios variis nocendi artibus,& tentationum modis affligere,& ſi poſſet,inducere ad peccandum, tanquam Leo rugiens circuiens & quærens quem deuoret, cui propterea reſiſtite fortes in fide. *Non eſt enim vobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem*, dicit Apoſtolus, *ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum*,ſcilicet qui nos vndique certaminibus & tentationibus, impudicitiæ,auaritiæ, vanitatis & ſuperbiæ percutiunt, nobis apertas & occultas tentationes ingerunt, extrinſecas & intrinſecas,ante & retro,à dextris & à ſiniſtris. Quibus reſiſtite fortes in fide. Quare fortes? Quia ſcuto circumdabit te veritas eius. Non timebis à timore nocturno, id eſt,ab aduerſitate & tẽtatione. *Ioh.13.* *Ioh.11.* *Act.5.* *Eph.6.* *Pſ.90.*

Aduertendum verò eſt, quia non dicit, à nocte, ſed à timore noctis. Quia non illa quidem afflictio eſt tentatio,ſed tantùm afflictionis timor,quem facilè ſuperat fidei radius. Non eſt veritas,& non eſt ſcientia Dei in terra: ſcuto circumdabit te veritas eius, vnde non ſolùm non timebis ab illo timore, ſed neque etiam à ſagitta volante in die, & à negotio perambulante in tenebris,ab incurſu & dæmonio meridiano, id eſt,iam non timebis à tentatione ipſa,manifeſta & occulta: manifeſta per ſagittam volantem in die, per incurſum, & dæmonium meridianum: occulta per negotium perambulans in tenebris;& ſic vndique liberaberis illius diuinæ veritatis ſcuto circumdatus. *Manifeſta & occulta tentatio.*

S.Bern. explicans hunc Pſal. triplicem hîc tentationem intelligit. Primam vanæ gloriæ, per ſagittam volantem,quę leniter quidem penetrat,ſed non leniter aut leuiter vulnerat. Secundam auaritiæ, per negotium in tenebris. Omnino enim te- E nebroſa eſt cupiditas terræ, & ſecũ affert obliuionem Dei. Tertiam ſuperbiæ,per dæmonium meridianum; vult enim videri & ſemper apparere ſuperbia vitæ. *Triplex tentatio ex S. Bern.*

Ab his autẽ tẽtationib. ſicut cæteris protegimur, ſi veritate fuerimus vt ſcuto circumdati. Nõ eſt veritas,& nõ eſt ſcientia Dei in terra. Veritas omni tẽtationi opponitur, vanitati, auaritiæ, ſuperbiæ, & cęteris. Primò,vanitati,quæ tota in apparẽtia eſt & in errore. 2. auaritiæ, quæ pũgit animã ſollicitudine. 3. ſuperbiæ,quę tota in elatione eſt;& ſic nõ eſt in eis veritas. Vnde dixit Pſal. ſcuto circumdabit te veritas eius. Ecce aduerſus omnes diabolicos inſultus ſcutum atque protectio, veritas. Qui habitat in *Veritas omni tentationi opponitur.*

A adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, sperabo in eum.

Sed quis est ille? Vtique qui veritatis scuto est circumdatus: Deus enim veritas est. Audite verbum Domini, filij Israël, quia non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Quod nos protegit, est fides in Deum, & spes in Dominum nostrum IESVM Christum. *Quoniam in me sperauit*, inquit, *liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* Hinc idem Propheta de se ait: Impulsus euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me.

Psal. 117.

1. Cor. 10.

Hoc autem pendet ex eo quod Apostolus dicit, quod fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. B Verè fidelis est Deus, qui tale adiutorium in tentatione nobis præparat, qui dat potentiam ne vincamur, gratiam vt mereamur, constantiam vt etiam sustinendo vincamus. Si enim diabolo tentandi dat licentiam, dat simul tentatis prouentum & misericordiam.

Vnde protegimur in tentatione ne succũbamus.

Verùm hic adhuc tria in tentatione consideranda sunt. Primò, quibus ex causis diabolus tentat. Secundò, quibus motiuis vtitur. Et tertiò, cur illi Deus permittit vt nos tentet.

Tria in tentatione consideranda.

Quantum ad primum, dicendum multis ex causis moueri diabolum ad tentandum. Prima est malitia propria, & superbia illi ingenita, qua vult & malum omnibus, & præterea per vim dominari omnibus; hoc est quod per tentationem prætendit. Secunda est inuidia erga homines, sicut dicitur à Sapiente: *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Tertia denique ira & odium Dei, quo ille feruet & furit. In Apocal. dicitur: Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, & abiit facere prælium cum his qui habent mandata Dei & testimonium IESV Christi.

1. Quibus ex causis seu principijs diabolus tẽtat.

Sap. 2.

Apoc. 12.

Quantum ad secundum, motiua seu instrumenta quibus vtitur, illa sunt vt plurimum, caro, mundus, & homo, saltem ille qui peccator est, & certè Sathanæ instrumentum perniciosissimum. Hócque modo, vt iam alibi diximus, caro, mundus, & peccator tentatores appellantur. Sic de carne S. Iacobus ait, quod vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: quomodo dixit & Apostolus carnem concupiscere aduersus spiritum, id est, ex S. Tho. in hæc verba, animam ipsam virtutibus corporis affixam alligatámque concupiscere contra seipsam, vt non est illis affixa, sed libera. Denique quomodo idem dixit Apostolus, legem fuisse in membris suis contradicentem legi mentis, stimulúmque carnis habuisse Angelum Sathanæ, qui ipsum colaphizabat.

2. Quibus motiuis diabolus vtitur ad tentandũ.

S. Iacob. 1.

Gal. 5.
S. Tho. lect. 4. in 5. Gal.

Rom. 8. & 2. Cor. 12.

Sic de mundo dicimus quod tentat, non quidẽ vt creatura Dei est; sic enim mundus bonus est, vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: sed obiectiuè tentat, quantum videlicet ad ea quæ in eo appetuntur, vt sunt honores, diuitiæ, voluptates: atque etiam mala quæ in eo accidunt, iuxta quod Christus dicebat Ioh. 16. *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.*

Quomodo mundus obiectiuè tẽtat, & secundum mala quæ in eo accidunt.
Gen. 1.

Hæc autem tentatio mundi à tentatione carnis differt, quod illa ab extrinseco accidit, ista verò ab intrinseco: concupiscentiam enim intra nos gerimus. Quæ verò sunt mundi, & nos tentatione affligunt, extra nos sunt, tam respectu obiectorum, quàm etiam hominum qui nos persequuntur. Iuxta quod dicit Dominus; Si de mũdo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Intelligendo per mundum, homines qui in mundo mundum diligunt, & qui quę sua sunt quærunt, & non quæ Christi.

Ioh. 15.

Quomodo etiam dicimus tertiò, homines solere homines tentare. Quod quidem duobus modis accidit. Vno, explorando: quomodo Regina Saba legitur ad Salomonem venisse, vt tentaret ipsum in multis argumentis, & ænigmatibus. Altero modo, persequendo: quomodo olim dicebat Christus discipulis suis; Vos autem estis qui permãsistis mecum in tentationibus, id est, persecutionibus quæ mihi & vobis ex peccatoribus acciderunt. Ecce quibus instrumentis & hostibus ad perniciem nostram vtitur diabolus. Ecce qui nos persequuntur inimici, & circunstant, & quos etiam continuò expugnare expedit, diabolum resistendo: carnem fugiendo: mundum sufferendo: & peccatorem repellẽdo. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*, ait S. Iacobus. Sed quomodo? Fortes in fide, inquit S. Petrus. Aduersus carnem fuga singulare præsidium est, remedium Apostoli dicentis; Fugite fornicationem, scilicet cogitationes & occasiones: oportet enim etiã in principio tentationis huius fugere. Neque cunctandum est in cogitationibus repellendis, sed statim fugiendum: hoc vitium non tam resistendo, quàm fugiendo vincitur.

Duobus modis solent homines tentare alios.
3. Reg. 10.
Luc. 22.

Quibus modis conuenit superare diabolum, carnem, mundum, & peccatorem.

C Legitur apud Valer. Max. de Fabio Maximo, quod non dimicando, sed bellum declinãdo Hannibalem hostem Romanorum vicit. Multi alij duces aduersus eum missi fuerant, qui omnes offerentes se certamini aperto, deuicti sunt: sed postremò missus Fabius cogitauit solùm se defendere & sibi commissos, bellum & pugnam semper declinando, vt sic paulatim vires minueret hostis, tędióque afficeret. Quare sic eum deuicit, & Magni ducis nomen est assecutus, appellatúsque est Fabius Maximus. Ita ergo aduersus carnem nostram est faciendum, à qua vincimur si pugnare contendimus; victores verò efficimur si declinemus, & faciem auertamus.

D Sed conuenientius demus exemplum ex Scriptura. 2. Reg. 15. consilium dederat Achitophel Absaloni, vt dum Dauid erat in cãpestribus, ipsum cum ingenti exercitu inuaderet, antequam in aliquod Castellum & arcem intraret, quia tunc eum posset faciliùs capere & perdere. Ita est de concupiscentia nostræ carnis, quæ nititur aduersus spiritum insurgere. Si ipsum enim in aperto aggreditur, vincit; si verò cum Deo in interiori cordis absconditum reperit, statim tunc vires suas amittit & vincitur: illíque accidit dicere cum Propheta; Fugiendo persequar inimicos meos, & non conuertar donec deficiant. Vnde statim sequitur: Et eos dedisti mihi dorsum. Quasi diceret: fugiendo ab eis, etiam & ipsi contra me verterunt dorsum, & fugerunt, & sic odientes me disperdidisti, videlicet omnes carnis meæ affectus.

2. Reg. 15.

Ps. 17.

E Talis est aduersus hunc hostem victoria, fuga; quæ hîc honestior & laudabilior est quàm pugna. Quomodo S. Cypr. Ser. de ieiunio & tentationibus ostẽdit, dicens: Honestius cum spiritu quàm cum carne luctamur, quia carnis complexus fœdas exhalans nebulas, eum qui sibi adhæserit aliqua ex parte contaminat, nec libidinum morsibus quisquã euasit illæsus. Flatus ille pestilens etiam longè positos inficit, & hoc certaminis genus fugam potiùs quàm assultum requirit. hæc S. Cypr. Mundus autem patientia vincitur, sicut auersione peccator.

S. Cypr. Ser. de ieiunio & tentationibus.

Igitur

unt tentationum differentiis homo subiicitur.

Igitur ex istis agnoscat homo, quot & quibus tẽtationũ differentiis subiicitur. Vna est quæ dicitur probationis, & est à Deo. Altera præcipitationis à diabolo. Tertia delectationis à carne. Quarta deceptionis à mundo. Quinta persecutionis ab homine. Sextam & vltimam addam, videlicet cõsensus, à propria ratione & voluntate, quæ sæpius pessima omnium existit. Inter omnes autem diabolus nomen Sathanæ & tentatoris retinet, quia in omnibus istis hominem sollicitat ad malum: & ad hoc vtitur carne, mundo, & homine.

Diuersæ rationes cur Deus permittit hominem tentari.

Verùm iam ad tertiam quæstionem veniamus, cur videlicet permittit sic Deus hominem tentari. Diuersæ rationes ponuntur. Prima est exercitatio virtutum, & merendi occasio. Legitur de Scipione quodam Nasica, quod consulens Romanæ iuuentuti, & ne otio torpesceret, istud consilium Senatui dedit, vt minimè Carthaginem euerteret. Ita nobis Deus tentationem reliquit & tentatores, vt in virtutibus nos exerceamus. Tribulatio patientiam operatur, & vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Ita vt dicatur, & experientia comprobetur, quod virtus in infirmitate perficitur. *Rom.5. Eccli.27. 2.Cor.12.*

Secunda est ordo diuinæ Iustitiæ, quæ non coronat nisi qui legitimè certauerit. Vnde dicit S. Iacob. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. *2.Cor.2. Iac.1.*

Tertia est ordo sapientiæ & prouidentiæ ad gloriam electorum, de quibus ad Hebr. facti sunt, tentati sunt. Item ad exemplum & consolationem eorum qui similibus tanguntur afflictionibus: ad confusionem diaboli & peccatorum. Denique ad piam & misericordiæ plenam in hoc mundo peccatorum satisfactionem: quomodo Apostolus dixit, quod *momentaneum hoc & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Vnde sic orabat S. Aug. hic vre, hic seca, modò in æternum parcas. *Heb.7. 2.Cor.4.*

Chrysost. hom. 13. in Matth. Tentationes alia tentamur post baptismum.

S. Chrysost. alias refert, & quidem satis similes. Quisquis, inquit, post baptismum maiores sustines tentationes, non turberis; etenim propter hoc accepisti arma, non vt vaces, sed vt pugnes. Ideo autem tentationem à te non prohibet Deus. Primò quidem, vt discas quoniam multo factus es fortior. Deinde, vt magnitudine donorum non extollaris. Tertiò, vt diabolus experientia cognoscat perfectè quod ab eo abscessisti. Quartò, vt per hoc contra eum fortior reddaris. Quintò, vt crediti tibi thesauri signum accipias. Nec enim tibi diabolus ad tentandum superueniret, nisi te maiori honore affectum videret. hæc ille. Quare & suis dicebat Christus: *Ecce Sathanas expetiuit vt cribraret vos sicut triticum.* *Luc.22.*

Prouentus ex tentatione potest quatuor. Exemplo S. Antonij.

Sic igitur, ô Christiani, sustinete, vt cum tentatione faciatis prouentum. Qui quidem potissimùm hic ex quatuor sumi potest. Primò, ex humilitate, sicut quodam die ita Sancto Antonio in visione apparuit. Cui cùm ostenderetur mundus totus laqueis plenus, adeò vt qui nitebantur in cœlum ascendere, alij à principio, alij in medio, alij tandem in alto viderentur prohiberi, & multi etiam in infernum detrudi. Ille reuersus ad se, & quasi ex visione obstupefactus, interrogansque seipsum quis modus esset suæ salutis. Responsum accepit, humilitatem esse, & solum humilem pertransire omnia.

Secundò, ex diffidentia sui, & confidentia in Deo. Tertiò, ex patientia. Sicut enim proprium est Sathanæ, præcipitatione vti in omnibus: ita signũ est prouentus nostri, in tentatione patientiam exercere, sicut Apost. dicit: Patientia vobis necessaria est, vt scilicet post tribulationem promissionem reportetis, vobisque succedat post certamen & turbationem tranquillitas.

Exemplum.

Quartò denique ex communicatione sui ipsius alicui experto in viis Dei, & diaboli insidiis. Nihil enim magis formidat tenebrarum princeps quàm lucem, & vt manifestentur consilia eius. Nam sicut cuniculi ab hostibus cogniti frustra illis parantur, nec amplius prosunt: ita negotia & insidiæ hostis nostri si semel innotescant. Omnis tentatio si prodatur, fugit: coronatur autem dum in patientia superatur armis Christi.

DE MVLTIPLICI GEnere tentantium Deum, & de pœnitentia.

Generatio hæc praua & peruersa signum quærit. Matth. 12.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

Miracula signa Diuinitatis Christi.

VNVM ex multis & maximis signis & testimoniis Diuinitatis Christi, fuere miracula. Ratio est, quia omnem naturæ ordinem excedentia, non nisi à virtute & potentia superiori cui natura subiacet, proficisci queunt: absolutè quidem à Deo solo atque independenter: à Sanctis verò dependenter à Deo. Hinc est quod Prophetæ de Diuinitate Christi loquentes, etiã eius miracula connotauerunt, & talia qualia etiam ipse fecit postea, vt apud Isaiam videre est, & legitur Matth. 11. Ideo enim consultò notatum est primum Christi miraculum in Cana Galilææ, non tam propter admirabilem elementorum, quàm animarum conuersionem. Hoc initium signorum fecit IESVS, ait Euangelista, & crediderunt in eum Discipuli eius. Sic omnes passim qui videbant similia, credebant & sequebantur ipsum, vt in multiplicatione panum in deserto, suscitatione Lazari, aliisque penè infinitis miraculis videre est. Quæ cùm ita sint, & tot & tanta ab eo facta sunt, iam quæritur cur adhuc Iudæi miraculum ab eo quærunt, & dicunt, volumus à te signum videre. *Ioh.2.*

Quo animo signum petebant Iudæi à Christo.

Certè manifestum est & constans, quia nouum aliquod miraculi genus, non quidem amplius de terra, sed de cœlo, idque ex malitia petebant: vt Matth. 16. videre est, vbi hæc interrogatio repetitur, volumus à te signum videre, & dicitur quia de cœlo petebant, tentantes eum. Optimè sciebant ignem descendisse de cœlo iuxta verba oris Eliæ; item ad vocem hominis, scilicet Iosue, Solem stetisse. Ita ergo signum aliquod cœleste ab illo de nouo petebant, tentantes eum. Vnde Christus dixit eis: Generatio praua, honore indigna, & adultera, quæ Deum dimittit, signum petit, & non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ: signum non quale petit, sed quale non petit, dabitur ei. Signum enim hic de cœlo petit, sed non dabitur illi. *Matth.16.*

Signa Christi de cœlo. Ioh. 12. & Matth. 3.

Interim talia aliquando de cœlo signa dedit Christus, vt Iohan. 12. cùm vox de cœlo audita est, coruscationes & tonitrua. Item Matthæi 3. vbi illius describitur baptisma. Sed non propter petitionem

tionem ipsorum illa & alia similia facta fuerunt. Illa peruersa & adultera generatio non petebat signum quo crederet: sed dabitur ei, scilicet signũ Ionæ, qui figura & signum resurrectionis est, miraculi certè omnium maximi, & quo efficacissimè creditur Christi Diuinitas.

Christus dedit Iudæis signũ de cœlo in Iona præter intentionem.

Verùm adhuc, si vultis, videbimus hic dedisse illis quale petierunt signum, præter intentionem ipsorum. Signum petebant de cœlo magnificum, atque gloriosum, & non dabitur nisi signum Ionæ Prophetæ. Certè petitioni ac desiderio ipsorum signum penitus conforme: Messiam illi gloriosum desiderabant, & de cœlo signum aliquod petebant. Generatio adultera signum petit, & non dabitur ei nisi signum Ionæ. Signum gloriosum, quia resurrectionis est, & de cœlo signum, quando tunc corpus Christi cœlesti gloria & immortalitate vestiabit.

Ecce ergo quomodo præter intentionem ipsorum, quale petebant signum habuerunt: nimirum, fidei signum & Diuinitatis Christi, sed in ruinam & condemnationem eorum, vt modò dicemus. Non autem tale habuerunt, quale ex intentione mala petebant, quia tentantes ipsum petebant: volumus à te signum videre, inquiunt. Sic de illis dixerat psaltes: Tentauerunt Deum in cordibus suis, & malè loquuti sunt de Deo. & rursus: Tentauerunt Deum excelsum, & testimonia eius non custodierunt.

Ps. 77.

Hic itaque de multiplici genere tentantium Deum loquar, vt quem suprà incepimus de tentatione tractatum absoluamus. Iam quidem de variis tentatoribus loquuti sumus, sed nihil adhuc diximus de homine Deum tentante, hodie illa nascitur & offertur occasio. Accesserunt ad IESVM Scribæ & Pharisæi, dicentes: Magister, volumus à te signum videre, signum de cœlo. Hoc autem petebant tentantes eum.

Variis modis Deum homines tentant.

Variis modis Deum homines tentant. Nonnulli clementiam eius & bonitatem, alij potentiam, alij sapientiam, alij iustitiam, & multi patientiam eius. Clementiam & bonitatem Iudæi tentabant, cùm adduxerunt ad eum mulierem in adulterio deprehensam, experiri volentes quid diceret, & an clementiam præponeret iustitiæ. Hæc mulier, inquiunt, modò deprehensa est. Moyses autem mandauit nobis in lege huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant, dicit Scriptura, tentantes eum, vt possent accusare eum. Communiter autem omnes illi eius bonitatem & clementiam tentant, qui sub spe veniæ peccant; & tales difficilè veniam consequuntur.

1. Tentatur clemẽtia, & à quibus.
Ioan. 8.

Similiter eius patientiam tentant, qui semper in peccatis perseuerant, & de die in diem differunt conuersionem suam: sicque per totum vitæ suæ tempus in peccati luto iacentes sperant in fine pœnitere, & sic consequi misericordiam. Contra quos illud potest dici Apostoli: An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei te adducit ad pœnitentiam? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius: iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio (supple reddetur.)

2. Tentatur patientia, & à quibus.
Rom. 2.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.

A Tentauerũt Deum in cordibus suis, & malè de eo loquuti sunt. Patiens est retributor Altissimus, inquiunt. Ita est, dura ceruice & incircuncisis cordibus. Ita est, obstinati & peccatores, patiẽs est retributor Altissimus: neque enim effugietis manum eius. Tu igitur peccator, ne dicas: Peccaui, & quid mihi accidet triste? est mihi sufficiens vita, nihil enim tibi proderit in tempore vindictæ. Et ne dicas, miseratio Domini magna est, & multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te, quia vindicans vindicabit Deus. Altissimus est patiens redditor. Tu autem tentans patientiam eius, & illa abutens, thesaurizas tibi iram in die B iræ. Læsa patientia & exasperata irascitur, & punit vehementiùs. *Non est veritas*, &c.

Eccli. 5.

Alij sunt qui sapientiam Dei tentant, qui videlicet dicunt, vt hæretici, omnia ex necessitate fieri, propter præscientiã eius quæ falli minimè potest. Tales enim omnem experientiam reiicientes, nesciunt, aut certè nolunt videre & fateri, Dei sapientiam nullam imponere rebus præscitis necessitatem, cùm notum sit contingentiam rerum cum scientia stare, vt ipsa experientia docet. Sic autem Iudæi olim sapientiam Christi tentauerunt dicentes. Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non? Quorum cognita C malitia dixit statim eis: Quid me tentatis hypocritæ?

3. Tentatur sapientia, & à quibus.
Matth. 22.

Hanc demum Dei sapientiam tentant, qui negligenter, & sine deuotione seu attentione Deum orant. Vnde Sapiens dicit: *Ante orationem prepara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Item qui offerunt se & exponunt temerè ad docendum alios sine scientia, studio & præmeditatione. Isti sapientiam Dei tentant, de quibus intelligitur iam citatus psal. Tentauerunt Deum in cordibus suis. Vnde etiam sequitur, & hoc equidem sæpe ita accidit; & malè loquuti sunt de Deo. Malè enim loquimur dum absque cognitione loquimur. *Non est veritas, & non est scientia Dei in* D *terra.*

Eccli. 18.

Alij tentant eius iustitiam, ij scilicet qui iniustè optant de aliquo fieri vindictam, aut inferre. Mihi enim reseruatur, dicit Dominus. Et hoc modo correpti fuere discipuli, qui cùm Christo dixissent de Samaritanis qui noluerant eum recipere; Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos? Conuersus increpauit illos dicens, nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. *Non est veritas*, &c.

4. Iustitia Dei tẽtatur, & à quibus.
Luc. 9.

Denique multi potentiam tentant, vt qui in aliquo periculo existentes non penitus confidunt in Deo, sed seipsos tradunt imminenti malo, nisi statim & iuxta desideria & vota animi adiuuentur. E Ita Iudith loquebatur aduersus Sacerdotes qui statuerant dare se in manibus Nabuchodonozor, nisi Deus intra quinque dies liberaret eos. Qui estis vos, inquiebat illa, qui tentatis Dominum, & tempus vultis imponere misericordiæ eius? Item qui adhuc in aliquo periculo positi, & habentes vnde naturaliter, aut moraliter possint se eripere, tamen nolunt, sed experiri volentes fiduciam suam, totaliter Dei potentiæ se committunt, sicut cùm diabolus tentabat Christum vt de pinnaculo Templi se proiiceret, cùm gradus multi essent per quos descendere potuisset. Vnde etiam illi dictum fuit: Scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum.

5. Tentatur potentia, & à quibus.
Iudith 8.
Matth. 4.

Sic

'x Deus in eserto à Iu-ais tẽtatur.

Sic olim Iudæi in deserto bis Dominum de esu & escis tentauerunt. Primò, ante legem datam, cùm experiri volentes, an posset illis dare cibos ad sufficientiam, & quasi minimè hoc credentes, dixerunt Moysi: Cur adduxisti nos in hanc solitudinem, vt occideres omnem istam multitudinem fame? sicut à psalmista dicitur quia tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis,& sic malè loquuti sunt de Deo. Dixerunt enim: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?

'[77.

Secundò, post legem datam: & quando non contenti pane cœli, videlicet manna, carnes petierunt, dicentes: Quis nobis dabit carnes ad vescendum? Quibus adhuc Deus dedit, mittens illis coturnices innumeras.

Num. 11.

Similiter certè hæretici hodie Deum tentant de illa admirabili esca venerabilis Sacramẽti, aliisque eius potentiæ mysteriis, cùm adinstar Capharnaitarum dicant dubitantes: Numquid potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum? Numquid & panem dare poterit, qui in carnem suam possit conuerti vi verborum & omnipotentia eius? aut parare mensam populo Dei, & Ecclesiæ filiis? *Non est veritas,& non est scientia Dei in terra, & malè locuti sunt de Deo* &c.

Iaretici de ventia Dei ubitant, & iam tentat.

Denique sic hodie Iudæi potentiam Christi in Euangelio tentauerunt, quærentes ab eo signum de cœlo,& dicentes, volumus à te signum videre. Generatio praua & adultera signum petit, & signum ei non dabitur nisi signum Ionæ Prophetæ, signum futuræ ruinæ ipsorum, quæ optimè ostenditur in hoc Ionæ,& Niniuitarum exemplo, propter obstinationem eorum. Niniuitæ enim ad prædicationem Ionæ conuersi sunt. Hic autem plusquàm Ionas: & qui adhuc per ipsum Ionã significabatur. Ionas enim manens triduo in ventre Ceti,& egrediens ex eo, resurrectionem Christi ex mortuis figurauit: post quam certè debebant Iudæi deuastari à Romanis, eo quod minimè nunc cognouerunt tempus suæ visitationis.

'o exẽpla 'emnatio-Iudaorũ.

Duo autem hic cõdemnationis ipsorum exempla Christus affert, scilicet Niniuitarum, qui ad prædicationem Ionæ, pœnitentiam egerunt, & Reginæ Austri, quæ venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Hic autem plusquàm Salomon est, qui æterna est sapientia patris, & plusquàm Ionas, qui tot in terra coruscat miraculis & operibus: vnus figura fuit,& alter veritas. Missus est Ionas ad prædicandam pœnitentiam. Ita Christus à Patre. Venit IESVS, ait S. Marcus, prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitemini, & credite Euangelio. Missus Ionas sponte obtulit se præcipitandum in mare, vt sedaretur tempestas. Ita Christus sponte oblatus est ad mortem,& quia voluit, sicut dicit per Prophetam: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Saluum me fac Deus, &c. Hoc autem, vt nostra reconciliatio fiat, & sedetur tempestas. Ionam deuorauit Cete, & mors Christum; sed in vno est differentia, quod in Christo absorpta est mors. Ionas triduo fuit in ventre Ceti, & Christus triduo in corde terræ: videlicet corpus in sepulchro, anima in limbo. Ionas de ventre Ceti egressus viuus pœnitentiam prædicauit: Adhuc quadraginta dies, inquit, &c. Ita Christus viuus tertia die à mortuis resurrexit, & per quadraginta dies apparens regnum Dei, & pœnitentiam prædicauit. Vnumque est in quo cum Iudæis nostra est condemnatio, quod ad prædicationem Ionæ, Niniuitæ conuersi sunt; nos autem minimè ad prædicationem Christi conuertimur, sicut nec Iudæi conuersi sunt. Vnde dixit hodie illis: Generatio hæc praua & adultera signum petit, & signum ei non dabitur nisi signum Ionæ Prophetæ, scilicet ad condemnationem ipsorum, & nostram. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plusquàm Ionas hic. *Non est veritas,& non est scientia Dei in terra.*

'ras figura 'risti.

cõparatio.

Quod Dominus à nobis hic postulat ex prædicatione sua, pœnitentia est, in qua veritas prædicationis manet, videlicet in operibus bonis. Non enim auditores, sed factores verbi iustificabuntur & saluabuntur. Veritas Dei permanet, & scientia regni Dei in pœnitentia manet. Alioquin nisi pœnitentiam habueritis, peribitis: pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum Dei. Pœnitentia scientia Christi est, scientia & veritas Euangelij.

Veritas & scientia Dei in pœnitentia manet.

Luc. 13.

Matth. 3.

Motiua verò ad pœnitentiam sunt, amor Dei, iustitiæ eius atque misericordiæ. Item cogitare, omnia quæ in Deo sunt, Deum esse, etiam iustitiam, & sic amandam esse vt Deum, eique satisfaciendum amore. Sic ipsam quidem dilexit Christus, vt cùm videret quia nemo ei dignè satisfacere poterat,& sicut erat infinitè læsa, ei voluerit infinitè satisfacere. Item cogitare, in inferno vnicum mortale peccatum æterna damnatione & pœnitentia puniri, qua quidem peccator reus coactè atque inuitus diuinæ iustitiæ satisfacit. Etenim siue in hoc, siue in altero mundo satisfaciendum est & soluendum.

Motiua pœnitentiæ.

Quod autem super omnia & maximè pœnitentia requirit & exigit, spiritus est qui consistit in zelo satisfaciendi huic diuinæ iustitiæ: & in afflictione animi de peccatis vitæ. Pœnitentiæ spiritus, primus est quem Deus Ecclesiæ suæ communicauit: primus quem ipse in terra exercuit; & primus quem prædicauit hominibus.

Quid requirit pœnitentia.

Spiritus pœnitentiæ omnium primus in Ecclesia.

Duplex autem pœnitentia agnoscitur, seu duplex pœnitentiæ actus. Vnus humilians: alter affligens. Humilians in spiritu est: affligens in corpore. Iste autem humilians adeò est necessarius, vt sine illo nullius sit momenti ac ponderis affligens.

Effectus etiam triplex inuenitur, contritio & dolor de peccatis in honorem dolorum Christi, quos ob illa sustinuit: punitio per actus & exteriores & internos pœnitentiæ; & omnis elongatio peccati, adhibita humili & integra confessione oris, compunctione cordis, & satisfactione operis. Vultis vt hic omnia vno verbo complectar? Quod veram pœnitentiam facit, est odium peccati, amor Dei.

DE

tionem ipsorum illa & alia similia facta fuerunt. Illa peruersa & adultera generatio non petebat signum quo crederet: sed dabitur ei, scilicet signũ Ionæ, qui figura & signum resurrectionis est, miraculi certè omnium maximi, & quo efficacissimè creditur Christi Diuinitas.

Christus dedit Iudæis signũ de cœlo in Ionæ præter intentionem.

Verùm adhuc, si vultis, videbimus hic dedisse illis quale petierunt signum, præter intentionem ipsorum. Signum petebant de cœlo magnificum, atque gloriosum, & non dabitur nisi signum Ionæ Prophetæ. Certè petitioni ac desiderio ipsorum signum penitus conforme: Messiam illi gloriosum desiderabant, & de cœlo signum aliquod petebant. Generatio adultera signum petit, & non dabitur ei nisi signum Ionæ. Signum gloriosum, quia resurrectionis est, & de cœlo signum, quando tunc corpus Christi cœlesti gloria & immortalitate indutum abit.

Ecce ergo quomodo præter intentionem ipsorum, quale petebant signum habuerunt: nimirum, fidei signum & Diuinitatis Christi, sed in ruinam & condemnationem eorum, vt modò dicemus. Non autem tale habuerunt, quale ex intentione mala petebant, quia tentantes ipsum petebant: volumus à te signum videre, inquiunt. Sic de illis dixerat psaltes: Tentauerunt Deum in cordibus suis, & malè loquuti sunt de Deo. & rursus: Tentauerunt Deum excelsum, & testimonia eius non custodierunt.

Ps. 77.

Hic itaque de multiplici genere tentantium Deum loquar, vt quem suprà incepimus de tentatione tractatum absoluamus. Iam quidem de variis tentatoribus loquuti sumus, sed nihil adhuc diximus de homine Deum tentante, hodie illa nascitur & offertur occasio. Accesserunt ad IESVM Scribæ & Pharisæi, dicentes: Magister, volumus à te signum videre, signum de cœlo. Hoc autem petebant tentantes eum.

Variis modis Deum homines tentant.

Variis modis Deum homines tentant. Nonnulli clementiam eius & bonitatem, alij potentiam, alij sapientiam, alij iustitiam, & multi patientiam eius. Clementiam & bonitatem Iudæi tentabant, cùm adduxerunt ad eum mulierem in adulterio deprehensam, experiri volentes quid diceret, & an clementiam præponeret iustitiæ. Hæc mulier, inquiunt, modò deprehensa est. Moyses autem mandauit nobis in lege huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant, dicit Scriptura, tentantes eum, vt possent accusare eum. Communiter autem omnes illi eius bonitatem & clementiam tentant, qui sub spe veniæ peccant; & tales difficilè veniam consequuntur.

1. Tentatur clementia, & à quibus. *Ion. 8.*

Similiter eius patientiam tentant, qui semper in peccatis perseuerant, & de die in diem differunt conuersionem suam: sicque per totum vitæ suæ tempus in peccati luto iacentes sperant in fine pœnitere, & sic consequi misericordiam. Contra quos illud potest dici Apostoli: An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei te adducit ad pœnitentiam? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius: iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio (supple reddetur.)

2. Tentatur patientia, & à quibus. *Rom. 2.*

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.

A Tentauerũt Deum in cordibus suis, & malè de eo loquuti sunt. Patiens est retributor Altissimus, inquiunt. Ita est, dura ceruice & incircuncisis cordibus. Ita est, obstinati & peccatores, patiẽs est retributor Altissimus: neque enim effugietis manum eius. Tu igitur peccator, ne dicas: Peccaui, & quid mihi accidet triste? est mihi sufficiens vita, nihil enim tibi proderit in tempore vindictæ. Et ne dicas, miseratio Domini magna est, & multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te, quia vindicans vindicabit Deus. Altissimus est patiens redditor. Tu autem tentans patientiam eius, & illa abutens, thesaurizas tibi iram in die

Eccli. 5.

B iræ. Læsa patientia & exasperata irascitur, & punit vehementiùs. *Non est veritas*, &c.

Alij sunt qui sapientiam Dei tentant, qui videlicet dicunt, vt hæretici, omnia ex necessitate fieri, propter præscientiã eius quæ falli minimè potest. Tales enim omnem experientiam reiicientes, nesciunt, aut certè nolunt videre & fateri, Dei sapientiam nullam imponere rebus præscitis necessitatem, cùm notum sit contingentiam rerum cum scientia stare, vt ipsa experientia docet. Sic autem Iudæi olim sapientiam Christi tentauerunt dicentes. Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non? Quorum cogni-

3. Tentatur sapientia, & à quibus. *Matth. 22.*

C ta malitia dixit statim eis: Quid me tentatis hypocritæ?

Hanc demum Dei sapientiam tentant, qui negligenter, & sine deuotione seu attentione Deum orant. Vnde Sapiens dicit: *Ante orationem prepara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Item qui offerunt se & exponunt temerè ad docendum alios sine scientia, studio & præmeditatione. Isti sapientiam Dei tentant, de quibus intelligitur iam citatus psal. Tentauerunt Deum in cordibus suis. Vnde etiam sequitur, & hoc equidem sæpe ita accidit; & malè loquuti sunt de Deo. Malè enim loquimur dum absque cognitione loquimur. *Non est veritas, & non est scientia Dei in*

Eccli. 18.

D *terra.*

Alij tentant eius iustitiam, ij scilicet qui iniustè optant de aliquo fieri vindictam, aut inferre. Mihi enim reseruatur, dicit Dominus. Et hoc modo correpti fuere discipuli, qui cùm Christo dixissent de Samaritanis qui noluerant eum recipere; Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos? Conuersus increpauit illos dicens, nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. *Non est veritas*, &c.

4. Iustitia Dei tentatur, & à quibus. *Luc. 9.*

Denique multi potentiam tentant, vt qui in aliquo periculo existentes non penitus confidunt in Deo, sed seipsos tradunt imminenti malo, nisi statim & iuxta desideria & vota animi adiuuentur.

5. Tentatur potentia, & à quibus.

E Ita Iudith loquebatur aduersus Sacerdotes qui statuerant dare se in manibus Nabuchodonozor, nisi Deus intra quinque dies liberaret eos. Qui estis vos, inquiebat illa, qui tentatis Dominum, & tempus vultis imponere misericordiæ eius? Item qui adhuc in aliquo periculo positi, & habentes vnde naturaliter, aut moraliter possint se eripere, tamen nolunt, sed experiri volentes fiduciam suam, totaliter Dei potentiæ se committunt, sicut cùm diabolus tentabat Christum vt de pinnaculo Templi se proiiceret, cùm gradus multi essent per quos descendere potuisset. Vnde etiam illi dictum fuit: Scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum.

Iudith 8. *Matth. 4.*

Sic

Bis Deus in deserto à Iudæis tētatur.

Sic olim Iudæi in deserto bis Dominum de esu & escis tentauerunt. Primo, ante legem datam, cùm experiri volentes, an posset illis dare cibos ad sufficientiam, & quasi minimè hoc credentes, dixerunt Moysi: Cur adduxisti nos in hanc solitudinem, vt occideres omnem istam multitudinem fame? sicut à psalmista dicitur quia tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis,& sic malè loquuti sunt de Deo. Dixerunt enim: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?

Psal.77.

Secundò, post legem datam: & quando non contenti pane cœli, videlicet manna, carnes petierunt, dicentes: Quis nobis dabit carnes ad vescendum? Quibus adhuc Deus dedit, mittens illis coturnices innumeras.

Num.11.

Hæretici de potentia Dei dubitant, & illam tentāt.

Similiter certè hæretici hodie Deum tentant de illa admirabili esca venerabilis Sacramēti, aliisque eius potentiæ mysteriis, cùm adinstar Capharnaitarum dicunt dubitantes: Numquid potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum? Numquid & panem dare poterit, qui in carnem suam possit conuerti vi verborum & omnipotentia eius? aut parare mensam populo Dei, & Ecclesiæ filiis? *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra, & malè locuti sunt de Deo.* &c.

Denique sic hodie Iudæi potentiam Christi in Euangelio tentauerunt, quærentes ab eo signum de cœlo, & dicentes, volumus à te signum videre. Generatio praua & adultera signum petit, & signum ei non dabitur nisi signum Ionæ Prophetæ, signum futuræ ruinæ ipsorum, quæ optimè ostenditur in hoc Ionæ,& Niniuitarum exemplo, propter obstinationem eorum. Niniuitæ enim ad prædicationem Ionæ conuersi sunt. Hic autem plusquàm Ionas: & qui adhuc per ipsum Ionā significabatur. Ionas enim manens triduo in ventre Ceti,& egrediens ex eo, resurrectionem Christi ex mortuis figurauit: post quam certè debebant Iudæi deuastari à Romanis, eo quod minimè nunc cognouerunt tempus suæ visitationis.

Duo exēpla cōdemnationis Iudæorū.

Duo autem hic cōdemnationis ipsorum exempla Christus affert, scilicet Niniuitarum, qui ad prædicationem Ionæ, pœnitentiam egerunt, & Reginæ Austri, quæ venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Hic autem plusquàm Salomon est, qui æterna est sapientia patris, & plusquàm Ionas, qui tot in terra coruscat miraculis & operibus: vnus figura fuit,& alter veritas. Missus est Ionas ad prædicandam pœnitentiam. Ita Christus à Patre. Venit IESVS, ait S. Marcus, prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitemini, & credite Euangelio. Missus Ionas sponte obtulit se præcipitandum in mare, vt sedaretur tempestas. Ita Christus sponte oblatus est ad mortem,& quia voluit, sicut dicit per Prophetam: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Saluum me fac Deus, &c. Hoc autem, vt nostra reconciliatio fiat, & sedetur tempestas. Ionam deuorauit Cete, & mors Christum; sed in vno est differentia, quod in Christo absorpta est mors. Ionas triduo fuit in ventre Ceti, & Christus triduo in corde terræ: videlicet corpus in sepulchro, anima in limbo. Ionas de ventre Ceti egressus viuus pœnitentiam prædicauit: Adhuc quadraginta dies, inquit, &c. Ita Christus viuus tertia die à mortuis resurrexit, & per quadraginta dies apparens regnum Dei, & pœnitentiam prædicauit. Vnúmque est in quo cum Iudæis nostra est condemnatio, quod ad prædicationem Ionæ, Niniuitæ conuersi sunt; nos autem minimè ad prædicationem Christi conuertimur, sicut nec Iudæi conuersi sunt. Vnde dixit hodie illis: Generatio hæc praua & adultera signum petit, & signum ei non dabitur nisi signum Ionæ Prophetæ, scilicet ad condemnationem ipsorum, & nostram. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plusquàm Ionas hic. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.*

Ionas figura Christi.

Et cōparatio.

Veritas & scientia Dei in pœnitentia manet.

Quod Dominus à nobis hic postulat ex prædicatione sua, pœnitentia est, in qua veritas prædicationis manet, videlicet in operibus bonis. Non enim auditores, sed factores verbi iustificabuntur & saluabuntur. Veritas Dei permanet, & scientia regni Dei in pœnitentia manet. Alioquin nisi pœnitentiam habueritis, peribitis: pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum Dei. Pœnitentia scientia Christi est, scientia & veritas Euangelij.

Luc. 13.

Matth. 3.

Motiua pœnitentiæ.

Motiua verò ad pœnitentiam sunt, amor Dei, iustitiæ eius atque misericordiæ. Item cogitare, omnia quæ in Deo sunt, Deum esse, etiam iustitiam, & sic amandam esse vt Deum, eique satisfaciendum amore. Sic ipsam quidem dilexit Christus, vt cùm videret quia nemo ei dignè satisfacere poterat,& sicut erat infinitè læsa, ei voluerit infinitè satisfacere. Item cogitare, in inferno vnicum mortale peccatum æterna damnatione & pœnitentia puniri, qua quidem peccator reus coactè atque inuitus diuinæ iustitiæ satisfacit. Etenim siue in hoc, siue in altero mundo satisfaciendum est & soluendum.

Quid requirit pœnitentia.

Spiritus pœnitentiæ omnium primus in Ecclesia.

Quod autem super omnia & maximè pœnitentia requirit & exigit, spiritus est qui consistit in zelo satisfaciendi huic diuinæ iustitiæ: & in afflictione animi de peccatis vitæ. Pœnitentiæ spiritus, primus est quem Deus Ecclesiæ suæ communicauit: primus quem ipse in terra exercuit; & primus quem prædicauit hominibus.

Duplex autem pœnitentia agnoscitur, seu duplex pœnitentiæ actus. Vnus humilians: alter affligens. Humilians in spiritu est: affligens in corpore. Iste autem humilians adeò est necessarius, vt sine illo nullius sit momenti ac ponderis affligens.

Effectus etiam triplex inuenitur, contritio & dolor de peccatis in honorem dolorum Christi, quos ob illa sustinuit: punitio per actus & exteriores & internos pœnitentiæ; & omnis elongatio peccati, adhibita humili & integra confessione oris, compunctione cordis, & satisfactione operis. Vultis vt hic omnia vno verbo complectar? Quod veram pœnitentiam facit, est odium peccati, amor Dei.

DE

DE CONDITIONIBVS Orationis.

Miserere mei Domine fili Dauid: & accedentes Discipuli eius rogabant eum dicentes; dimitte eam, quia clamat post nos. Matth. 15.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

QVANTVS sit clamor, quantumque valeat facta ad Christum oratio, ex eo cognoscimus quod dicit ipse: *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Sic etiam dixit de oratione facta ad patrem: Amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modò non petistis quidquam in nomine meo, petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Istud hodie gaudium plenum mulier Chananæa experta est, quæ egressa à partibus Tyri & Sidonis obuiam Christo, clamauit dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur; quæ non protinus exaudita post discipulos clamat intercessores suos, ac tandem humiliter adorans, & in sua oratione perseuerans obtinet exaudiri.

Ioh. 14. & 16.

Tria hic de oratione dicere possumus. Nihil esse potentius, nihil vtilius, & nihil excellentius. Quantum ad primum, ex sententia Sancti August. Cœli clauis est oratio. Nam ascendit precatio, & descendit Dei miseratio; licet alta sit terra, altum Cœlum, audit tamen Deus linguam hominis. Iosue exemplum notum est, qui dum orat ad consecutionem victoriæ, ecce stetit Sol in medio Cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israël. Item in Elia, in cuius ore potentiam suam exercet non solùm super iustitiam Dei, sed etiam super misericordiã quam retinet. Ad vocem enim suam Propheta iste claudit Cœlum & aperit, aperit vt ignem mittat, & pluuiã, & claudit ne pluat tres annos. Viuit Dominus, inquit, in cuius conspectu sto, non erit annis his ros & pluuia nisi iuxta verba oris mei. Ecce Propheta iste Deũ iuramento ligat, ne etiam misericordiam faciat.

Tria notãda in oratione. 1.
S. Aug. Ser. 226. de tempore.
Iosue 10.
3. Reg. 19.
Quid apud Deum oratio valet.

S. Chrysost. hom. de isto Propheta. Deus, inquit, honorem præstat iuramento serui sui, & nõ pluit, nisi cùm Elias orat (Deo obediente voci hominis.) O supremam orationis vim & potentiam! Tanti facit historiam hanc Sanctus Iacobus, vt eam cap. vlt. suæ Epi. referat, & dicat sic: Elias homo erat similis nobis, passibilis, & oratione orauit vt non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex: & rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra fructum suum. Multum enim valet deprecatio iusti assidua. Nihil est certè potentius. Clauis est cœli: si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam, dixit Dominus IESVS; petite, & accipietis, &c.

S. Chrysost. homil. de Elia.
S. Iacob. cap. vlt.

Ad hoc propositum illam historiam referam trium iuuenum de aula Regis Darij, & qui custodes erant corporis eius, qui, dum ille post magnam cœnam quam fecerat omnibus vernaculis suis, & Magistratibus Mediæ & Persidis, in cubiculo suo dormiret, dixerunt alter alteri: Dicamus vnus-

3. Esdr. 3. & 4.

A quisque nostrum sermonem qui præcellat, scriptum signemus, & ponamus subtus ceruical Darij Regis, & cùm surrexerit dabimus illi scripta, & quodcumque iudicauerit Rex sapientius è tribus, dabitur illi victoria. Vnus ergo scripsit: Forte est vinum, & præualet iis qui bibunt illud, seducit enim mentem omnium. Alius scripsit: Fortior est Rex, (& is certè adulator erat) præcellit enim ille, inquiebat, super omnia; dominatur enim populorum, qui omne quodcumque dixerit illis, faciunt. Tertius autem scripsit quia fortiores sunt mulieres; statim tamen reprehendit se, & scribit: Super omnia vincit veritas; explicánsque dicere cœpit. Veritas quidem magna est & fortior præ omnibus: omnis terra veritatem inuocat, & cœlum etiam ipsam benedicit, & non est eum ea quicquam iniquum. Vinum iniquum, iniquæ mulieres, etiam Rex nõ est ab iniquitate immunis, quia iniqui omnes filij hominum, & non est in ipsis veritas. Vnde & in sua iniquitate peribunt. Hic certè est quod etiam nobis prædixit Propheta noster Osee dicens: *Audite filij Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, & non est scientia Dei in terra.*

B

Veritas super omnia vincit.

Igitur, dicit ille iuuenis, veritas manet, & non est in iudicio eius iniquum, sed maiestas omnium æuorũ. Benedictus Deus veritatis; & sic desiit loquendo. Omnes autem qui aderant dixerunt: Magna est veritas & præualet; & tunc Rex ait illi. Pete si quid vis amplius quàm quæ scripta sunt, & dabo tibi, secundum quod inuentus es sapientior proximis, & proximus mihi sedebis, & cognatus meus vocaberis. Ecce equidem magna ad obtinendum virtus veritatis, & iste in sua veritate dixerat verum, quia præ cæteris est potentior; illi enim nihil vnquam denegatur qui veritatem in corde suo loquitur, qui in omnibus præ se fert veritatem, in ore, corde, & opere, veritas orationis est robur, anima & spiritus; sed veritas quæ Christus est. Vnde qui in hac veritate loquitur, id est, orat in nomine Christi, facilè impetrat omnia, ipso dicente: Si quid petieritis me, vel patrem in nomine meo, dabit vobis, & ipse faciam.

C

Veritas in oratione impetrat omnia.

D O vim admirabilem orationis! Nihil certè illa potentius, quæ primò in Deum potentiam suam exercet; petite, & accipietis: voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos, propè est enim Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Ecce quorum preces exaudit Dominus, qui timent & in veritate ipsum inuocant. Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Scientia ista timor Dei est, cum quo ipsum inuocare & adorare oportet in spiritu & veritate. Nam tales adoratores quærit, vt suam petitionem obtineant.

Orationis admirabiles effectus.
Ps. 144.

E Secundò, eiusmodi oratio Deum ab ira sua reuocat & lenit. Sic Moyse orante Dominum, & dicente; Cur Domine irascitur furor tuus cõtra populum tuum? Recordare Abraham, Isaac, & Israël seruorum tuorum; (audiant hic hæretici intercessionem Sanctorum.) placatus est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum, quando eidem Moysi antè dixerat; Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. Igitur oratione Moysis placatus est Dominus, quousq; etiam fecerit populo suo misericordiam.

Exod. 32.
Sanctorũ intercessio iam mortuorum.

Nunc in Chananæa exemplum simile est, quæ egressa de finibus suis clamat ad Christum, & dicit:

dicit: Miserere mei Domine fili Dauid; & in principio non respondit ei verbum. Mira res, dicit S.Chrysost. rogat mulier, & Cœlum clamoribus implet, clamat & dicit, Domine fili Dauid miserere mei, qui non respondet ei verbum. O Domine, vbi illa veritas? Clamabit ad me, & ego exaudiam. O verbum æternum, verbum verum, da verbum, & non respondet, &c. Vnde hoc? Duplex est ratio. Prima est, vt excitaret suos discipulos ad commiserationem, atque etiam intercessionem pro ea, sicut ita hic accidit.

S. Chrysost.

Duplex ratio cur non respondit statim Christus Chananææ.

Sed adhuc aduertant hæretici, quia non solùm audit Deus preces seruorum suorum, sed etiam vult & postulat vt ipsum exorent. Et non est hic opus vt insumamus tempus ad ostendendam distinctionem & differentiam quæ est inter orationem quæ Deo offertur, & eam quæ offertur Sanctis eius: satis superque hoc clarum est, & solùm stat per eorum malitiam aut cæcitatem si non intelligant.

Ad secundam itaque rationẽ cur non respondit Christus Chananææ, veniamus. Ea est, vt ipsam ad exercitium fidei, aliarúmq; omnium virtutum quæ comitari orationem debent, prouocaret. In hoc enim maximè orationis est vtilitas, quod in ea omnes exercentur virtutes, vt statim dicemus.

Quare secundò dicimus iam non solùm nihil esse potentius, sed etiã nihil ea esse vtilius. Sanctus Dionysius lib. de diuinis nominib. Ante omnia, inquit, ab oratione incipere est vtile, sicut Deo nos ipsos tradentes & vnientes. In duobus autem hæc vtilitas maximè cernitur. Primum est, quod orãdo omnium amplitudinem donorum cœlestium cõsequimur: si quid petieritis me, & patrẽ. Non determinat quid Dominus. Oratione Spiritum sanctum impetrare meremur, gratiam & gloriam, peccatorum veniam, corporis vt animæ sanitatem, sicut in Ezechia videre est 4.Reg.20. Item in tẽtationibus auxilium, & aduersus Diabolum victoriam: denique singularis gaudij plenitudinem, vt habemus ex Euangelio: *Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.*

2. In oratione notandum, sc. nihil oratione esse vtilius.

S. Dionys. lib. de diu. nominibus cap. 3.

Omnia obtinet oratio.

4.Reg.20.

Ioh. 16.

Secundum est, quod in oratione omnes, vt diximus, virtutes exercemus, Morales, Cardinales, quæ & Architectonicæ dicuntur; maximè verò Theologicas omnium principes. Morales, vt sunt humilitas, modestia, reuerentia, perseuerantia. Illæ enim omnes orationem vniuscuiusque circumdare debent; & talis hodie videtur esse Chananææ oratio.

Omnes virtutes exercentur in oratione.

Morales.

Cardinales & Architectonicas, quæ sunt quatuor, vt prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia. Prudentia intellectum regit, & illa in oratione exercitium habet, cùm semper debeamus orando quærere finem nostrum, & media perueniendi ad ipsum. Iustitia regit voluntatem, & illa similiter exercetur, cùm in oratione non debeamus petere nisi quæ decent: est enim, vt dicemus statim, oratio decentium petitio. Item in ea exercetur iustitia erga proximum: tales enim tunc debemus esse erga proximum, qualem petimus Deum esse erga nos. Fortitudo appetitum irascibilem gubernat, eiusque officium est, difficultates vincere, & patiendo perseuerare, vnde illa maximè in oratione exercetur, quæ constantiam & perseuerantiam exigit. Temperantia denique concupiscibilem seu sensibilem appetitum regit, cuius propterea maximum est in oratione exercitium, quæ solet naturæ motus corrigere, & hominem supra se eleuare, ipsum spiritualem reddens & sectatorem donorum cœlestium. Sic enim definitur oratio, eleuatio mentis ad Deum. Sed istæ virtutes nónne in oratione Chananææ illuxerunt?

Cardinales.

A

Denique in oratione maximè illas exercemus virtutes quæ Theologicæ dicuntur, & omnium sunt reginæ, scilicet fides, spes, charitas. Fides primò exercetur, quia iuxta Apostolum, accedentem ad Deum oportet credere quia est remunerator. Quomodo enim inuocabunt in quem non crediderũt? Hæc autem virtus maximè innotuit in oratione Chananææ mulieris, quam etiam Dominus tantopere laudauit dicens; *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.*

Theologicæ virtutes in oratione exercentur.

B

Secundò spes, per quam certa cum fiducia salutis nostræ bona expectamus, quomodo Apostolus dicit quia spes non confundit, iuxta quod Dominus dicit: Omnia quæcunque petitis credite, id est, sperate, quia accipietis, & euenient vobis. Sic sperauit Chananæa, & sic euenit illi. Sanata est filia eius.

Marci 11.

Tertiò denique exercetur in oratione charitas, cùm videlicet eum agnoscimus quem oramus, authorem esse bonorum omnium, & continuò vtilitati nostræ ac saluti incumbentem. Quomodo ergo non amplectemur ipsum ardenti charitate, quem oramus & scimus esse tam bonum, tam liberalem, tam familiarem, & tam amicum? S.Chrys. lib. de orando Deo. Considera, inquit, quanta est tibi concessa fœlicitas, quanta gloria attributa: orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, & omne quod desideras postulare. Non iam miror certè cur dicebat psaltes: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Quis enim ex Dei colloquio non exardescet amoris incendio?

S. Chrysost. lib. de orãdo Deo.

C

Ecce tertiò vnde sequitur nihil esse excellentius. Ad hoc propositum referam quod dicit Seneca, videlicet quod nulla res cariùs emitur quàm quæ precibus empta est. Notabilis illa sententia est. vnde hoc? Certè quia oratione nihil est præstantius, qua homo alteri tradit & subiicit, non suum corpus, sed mentem & rationem. Vnde consequenter dicimus excellentiorem esse actum quem homo possit exercere, & vt homo, & vt Christianus.

3. In oratione notandum, sc. nihil esse excellentius.

Seneca lib. 2. de benef. cap. 4.

D

Primò dico, vt homo: quia oratio est actus rationis. Iuxta quod etiam sic definiuit Cassiodor. vetus Interpres Dauidis, dicens quia oratio est oris ratio. Quod vt bene intelligatur, sciendum duplicem esse rationem: vnam speculatiuam, quæ est solùm apprehensiua rerum; alteram practicam, quæ etiam causatiua est, id est, & cognoscit rem & facit. Hæc autem ratio vltima in genere causæ duobus modis consideratur, & respectu inferiorum, & superiorum. Respectu inferiorum necessitatem inducit faciendi, & imperat. Respectu verò superiorum, aut etiam æqualium, dispositionem inducit & precatur. Quare oratio in homine actus est huiusce practicæ rationis, Deum disponentis per exhibitionem honoris & reuerentiæ, ad dandum quod petimus: & sic causa est obtentionis. Iuxta quod à S. Damascen. definitur oratio, petitio decentium à Deo.

Oratio est oris ratio. Cassiod. in Ps. 39.

Duplex ratio.

Duobus modis ratio practica consideratur.

B

S. Damasc. lib. 3. de fide orthod. c. 24.

Oratio solùm est decentium petitio.

Ista intelligite quæso, & quæ petẽda sunt: vtiq; decentia, vtique rationabilia. Hæc enim sunt quæ Deum ad dona sua largiẽda disponũt, cùm scilicet æterna petimus, non caduca, necessaria, & non superflua; hæc sunt decentia: non vindictas, non honores, aut diuitias, non enim est petitio decentium à Deo. Mementote quæso illorum quos Dominus increpat, eo quod in Samaritanos vltionem petebant;

Luc. 9.

bant; quia ipsum recipere noluerant. Etiam eorum mementote qui primas sedes petebant, quibus di-

Matth. 20. 1. Tim. 6.

ctum est: *Nescitis quid petatis.* Eorum item qui diuitias cupiunt, iuxta enim Apostolum eiusmodi incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.

Narrant fabulæ de quodam Rege Mida, qui cùm petiisset vt omne quod tangeret, conuerteretur in aurum, sic postea factum est in perniciem eius. Nam hoc modo fame perire coactus est. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Radix omnium malorum est cupiditas. Tu autem ô homo Dei, hæc fuge. Neque enim illa sunt quæ decent, quæ vana sunt, superflua & caduca. Sectare verò iustitiam, pietatem, & vitam æternam apprehende, in qua vocatus es. Hæc sunt quæ decent, & rationabilia sunt, quæ sunt æterna & diuina, regnum Dei, & eius iustitia. Vnde quidem Domi-

Matth. 6.

nus dixit: Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius. Siquid petieritis me & patrem (si quid, dixit Dominus, videlicet substantiale & solidum,) dabit vobis. Omne enim datum optimum, & donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Oratio est oris ratio, & rationis actus, & sic decentium petitio. Adeò vt sit excellentior actus quem homo exercere possit vt homo.

Oratio est actus Religionis.

Secundò etiam vt Christianus, quia est Religionis actus, qui omnium quidem supremus est: vnde ex consequentia dicimus, quod oratione nihil est excellentius. Propterea in psal. comparatur

Psal. 141.

incenso, quod Religionis proprium est. Dirigatur oratio mea sicut incensum in cõspectu tuo. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Et hoc, vt tunc protestemur nos omnem exhibere Deo reuerentiam, dum ipsum orando confitemur authorem esse bonorũ omnium, cuius ope & auxilio indigemus, & sic totaliter nos ei submittimus.

S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 3.

Ita S. Thom. docet, dicens quod orando tradit homo mentem suam Deo, quam ei per reuerentiam subiicit, & quodammodo præsentat. In quo certè perfectio declaratur orationis: cuius officium est vt nos totaliter vniat Deo, & ex parte eius quod petitur, quod quidem est ipsamet cum Deo vnio, & omne quod ad eam refert: & ex parte petentis, quem etiam necesse est orando ad Deum accedere, & ad eum vsque se eleuare; sicut dicitur quod oratio est ascensus mentis ad Deum: quando enim, iuxta S. Dionys. orationibus Deum inuocamus, reuelata mente astamus ipsi. Orantes igitur præsentes Deo simus, mentem nostram Christo reuelemus, ac tandem vsque ad patrem, filium & Spiritum sanctum eleuemus.

DE PISCINA, ET Sacramento Baptismi.

Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Ioann. 5.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

Ioh. 1.

SVPREMVS omnium author & Dominus Christus est. Sic Iohannes dicit: *Per ipsum omnia facta sunt.* Gratiæ author est, sicut operum naturæ. Mundus, ait, per ipsum factus est. Ecce vniuersalis creaturæ conditor; & vt etiam ostendatur quia similiter est gratiæ, sequitur, gratia per Christum facta est. Ideo quidem facta, quia ipsius author est. Hoc ita notare voluit Sanctus Euangelista, vt differentia videatur inter Moysem & Christum. De Moyse enim dicit, quod per eum lex data est, sed non facta, quia tantùm promulgator illius erat, & non author seu factor; Deus enim erat. De Christo verò quia author est, dixit, gratia & veritas per Christum facta est. Hinc dicimus omnium Sacramentorum ipsum esse solum authorem, quæ instrumenta gratiæ sunt.

Christus author naturæ & gratiæ.

Côcil. Trid. sess. 7. can. 1.

Ita Concil. Trid. cuius hæc sunt verba. Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non esse omnia à IESV Christo Domino nostro instituta, Anathema sit. Omnia enim immediatè ipse instituit vt author gratiæ, quorum postea declarationem & promulgationem suis reliquit Apostolis. Ipsi enim fuere tantùm illorum promulgatores; vt seipsum explicat Concilium sess. 14. vbi loquens de Sacramento extremæ Vnctionis, ait ipsum immediatè à Christo institutum fuisse, à Beato autem Iacobo solùm declaratum, de quo Iacobi 5. & sic de aliis.

1. Cor. 4.

Ita Apostolus: *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*

Discrimen inter Sacramenta & ceremonias.

Quare sciendum illud esse discriminis inter Sacramenta, & ceremonias Ecclesiasticas, quod illa immediatè sunt à Christo instituta, ceremoniæ autem omnes ab illo mediatè, immediatè autem ab Ecclesia, cui ipse talem potestatem dedit institutionis atque regiminis in obseruationem diuini cultus, honorem & signum gratiæ, & supremæ reuerentiæ. Igitur quia Sacramenta in se continent simul & conferunt gratiam, quam quidem nullus hominum, sed neque Angelorum dare potest præter Christum, ipsum eorum authorem immediatum esse dicemus, cuius est vitam mortuis, sanitatem infirmis, & peccatoribus gratiam restituere: & consequenter in Ecclesia talia vitæ, sanitatis, & gratiæ remedia instituere, qualia sunt Sacramenta, & piscinæ salutares Ecclesiæ, vt nobis hodiernæ probaticæ demonstrabit exemplum.

Enarratio Euangelij.

In Euangelio nobis exprimitur multitudo infirmorum expectantium aquæ motum, cuius etiam virtus declaratur. Inter cæteros quidam erat ibi à multo tempore, & vt notatur, à triginta octo annis hominem expectans qui eum mitteret in piscinam, hunc cùm vidisset IESVS iacentem, & cognouisset quia multum tempus haberet, dicit ei, vis sanus fieri? Respondit ei languidus, Domine, hominem non habeo, &c. Hodie implet figuram veritas. O languide, ô peccator, ecce homo qui venit per viscera misericordiæ suæ visitare nos oriẽs ex alto: & in pennis eius, id est, humanitate, sanitas; veniet & saluabit, virtus de illo exibit & sanabit omnes. Vis sanus fieri? & ait, Domine, hominem non habeo. Ecce ô languide, ô infirme, ô peccator, ecce homo, homo-Deus Christus, ille homo quem expectas & quæris, ille homo qui te sanum faciet, & in ore cuius ac verbo est tua sanitas & vita, surge, tolle grabatum, & ambula. Ecce homo qui de sua humanitate piscinã probaticam facturus est, quæ à quacunque detineatur quis infirmitate, sanabit. Et ecce iam piscina facta est, quinque porticus habens, in quibus iacere possint languentes & infirmi. Quinque sunt vulnera maiora diuinæ eius carnis, ex quibus exierunt Sacramenta, scilicet eorum virtus. Gratiæ enim vasa sunt, & instrumenta, de quibus modò, sed de vno præsertim, quod est Baptismus, qui hic per piscinã singula

singulariter exprimitur, dicendum est.

Priùs autem contra hæreticos explicabo quid sit Sacramentum: & deinde quotuplex, omnium iam explicata causa & origine, Christi videlicet passione. Quantum igitur ad primum, communiter ex S. Aug. Sacramentum definitur inuisibilis gratiæ visibilis forma: communiùs rei sacræ signum. Quę definitiones omnibus Sacramentis, tam veteribus quàm nouis vniuocè & propriè conueniunt, si nudè signum accipiatur, & per rem sacram intelligatur gratia iustificãs; hoc enim modo etiã legales ceremoniæ Sacraméta sunt. Vel adhuc si per signũ intelligatur signũ practicũ, id est, quod simul significat & operatur; & per ré sacrã consecratio in genere, non descendendo ad sanctificationé particularem, internam, aut legalem, vel externã; adhuc illis vniuocè conuenit. Etenim veteris legis Sacramenta non tantùm pura signa erant, sed etiam practica, nempe munditiei legalis & externæ. Et sic, hoc nomen Sacramenti est quasi vniuocum genus.

S. Aug. lib. 10. de Ciu. Dei cap. 5.
Quid sit Sacramentum in genere.
Quid per signum, & per rem sacram intelligi possit & debeat in Sacramēto.

Si verò intelligimus simul & genus practicum, & gratiam iustificantem, tantùm per analogiã illis conuenit, id est, propriè Sacramentis nouæ legis: secundum quid verò & impropriè, veteris. Legalis enim iustitia, quam dabant ceremoniæ antiquæ, figura tantùm erat veræ, internæ, & iustificantis, quã operãtur, & simul significãt Sacraméta nouæ legis.

Quare nunc definitionem dabimus quæ illis solùm conuenit, & specifica est. Vna est Mag. Sent. & talis est. Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, eiusdem gratiæ imaginem gerens, & causa existens: id est, gratiam simul significans & operans; significans vt imago, & operans vt causa. Hoc enim modo signum practicum gratiæ dici potest.

Definitio specifica Sacramenti.
Mag. Sent. lib. 4. dist. 1.

Altera est Catechismi Rom. & Concil. Trid. quæ omnia distinctiùs explicat, & talis est. Sacramentum est res subiecta sensibus, quæ ex Dei institutione sanctitatis & iustitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet. Definitio ista omnia comprehendit, & maximè ea quæ ad rationem Sacramenti necessaria sunt, quæ vt plurimum tria sunt aut quatuor.

Definitio Sacramenti ex Catech. Rom.
Quatuor necessaria ad rationem Sacramenti.

1. Nam primò oportet vt sit signum sensibile. Est enim quasi manuductio ad spiritualia & occulta, vnde dicitur res subiecta sensibus, significandi vim habens: seu visibilis forma inuisibilis gratiæ. Signum enim ex definitione Sancti August. & omnium cum eo etiam Philosophorum, est res quæ præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit ex se in cogitationem venire. Hoc modo Baptismus est signum resurrectionis: Eucharistia signum mortis Christi: Matrimonium, coniunctionis Christi & Ecclesiæ, sicut olim circuncisio signum fœderis Dei cum hominibus.

Definitio signi.
Rom. 6. 1. Cor. 11. Ephes. 5. Genes. 19.

2. Secundò oportet, vt hoc signum ex institutione sit & voluntate, non autem naturale. Cuiusmodi sunt fumus, naturale signum incendij, & aurora vicini Solis, & similia. Item Cœlum respectu diuinæ potentiæ. Cœli enim, vt psaltes dixit, enarrant gloriam Dei. Sacramenta autem ex institutione sunt, interim cum re quam repræsentant, similitudinem aliquam & significationis aptitudinem habentia; vt in Baptismo externa ablutio signum est ac similitudo ablutionis internæ, quæ tunc fit in anima baptizati: & ita de cæteris, de Sacramento corporis Christi, Vnctionis extremæ, & Confirmationis; itemque de prolatione verborum in pœnitentia, Ego te absoluo: quę quidem quandã analogiam & similitudiné habent cum iustificatione interna,

Sacramenta, signa ex institutione.

A quam operantur & significant. Ita vt dicat S. Aug. scribens ad Bonifac. Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum sunt Sacramenta, non haberent, omnino Sacramenta non essent.

S. Aug. ep. 23. ad Bonifac.

Tertiò necesse est, vt significet rem sacram, & simul eam efficiat. Res autem illa quæ significatur, triplex est. Vna præsens, altera præterita, tertia futura. Præsens est, gratia iustificans: præterita, Christi passio, quæ causa est gratiæ: futura, vita æterna, quæ est gratiæ effectus. Quæ tria explicitè Baptismus & Eucharistia continent: alia solùm implicitè. 3.

Triplex res in Sacramēto significatur.

Dixi in Baptismo & Eucharistia illa simul tria esse explicitè. Etenim præter gratiam quam confert Baptismus, est prætereà præsuppositio passionis, & expectatio certissima salutis, modò non amittamus gratiam. Sic S. Paulus ad Romanos, qui illa tria distinctè ponit. *Quicunque*, ait, *baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus.* (ecce commemoratio mortis.) *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem*, (id est, ad mortem peccati) *vt quomodo Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* ecce iustificatio. Denique ecce gloria, vbi sequitur; *Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Rom. 6.

Ita clarè constat de Eucharistia. Apud Luc. Hoc facite, dixit Dominus, in meam commemorationem, videlicet, mortis, vt distinctè explicauit S. Apost. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis. Apud Iohan. autem mentio fit de gratia & de gloria. Qui manducat me, viuet propter me. Ecce gratia. Iterum; Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo. ecce, inquam, gratia, & singularis gratia. Sed & simul gloria cùm sequitur; Qui manducat hunc pané, viuet in æternum. Vnde etiã Ecclesia simul illa tria cómemorat dicens: O sacrum conuiuiũ, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius (ecce præteritum,) mens impletur gratia (ecce præsens,) & futuræ gloriæ nobis pignus datur (ecce futurũ.)

Luc. 22. 1. Cor. 11. Ioh. 6.

D Dixi etiam implicitè in aliis contineri & significari, quia cùm omnia gratiam præsentem significent, etiam consequenter causam & effectum, seu principium & finé gratiæ, quæ sunt passio Christi, & gloria: vnum quod præsupponitur, alterũ quod in expectatione est. Quod enim maximè, formaliter, propriè & vt præsens significatur, gratia est. Quia Sacramentum operatur quod significat, eodé instanti téporis quo adhibetur, si dispositio insit & adsit subiectis. In præsenti enim gratiam affert, & hoc, vt excludantur multa signa sacra significantia, vt manna, quod significabat spiritualem refectionem, quæ in Eucharistia danda erat, & quæ tunc temporis præsens non erat.

E Quartò requiritur, vt talis gratia vi ipsius Sacramenti fiat, ita vt Sacramentum instrumentalis causa sit iustificationis: & hoc contra hæreticos, qui omnem efficaciam tollunt à Sacramentis, & solùm dicunt, signa esse pura & nuda, contra expressam Scripturam, quæ dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Item; Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. & in Act. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in remissionem peccatorum. Item; Et nunc quid moraris, exurge, baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius, scilicet Christi. Verba sunt Ananiæ ad Paulum, quæ & ipse affert, narrans Iudæis modum suæ conuersionis: 4.

Gratia causa instrumentalis est Sacramentum. Ioh. 3. Marc. vlt. Act. 2. & 22.

Ad Tit. 3. & ad Titum scribens dicit quia Christus saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.

Ecce quibus testimoniis Sacramenta sunt instrumenta, & causæ iustificationis, eaque nunc in præsenti exhibetur vi ipsorum. Quare hinc ratione Sacramenti illę igneæ linguæ excluduntur, quę super Apostolos visæ sunt in die Pentecostes, significãtes illorum ardentissimam charitatem, quæ tunc ipsis cum aliis virtutibus infusa est. Neque enim eiusmodi dotes vi earum linguarum eis datæ sunt, sed tantùm signa, aut symbola illarum fuerunt.

Septem sunt Sacramenta contra hæreticos. His positis, etiam contra hæreticos Lutherum & Caluinum, qui communiter duo tantùm Sacramenta ponũt, Baptismum & Cœnam, quam etiam Lutherus Eucharistiam vocauit, septem esse ex vsu & receptione vniuersalis Ecclesiæ dicimus, Baptismum, Eucharistiam, Confirmationem, Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium.

De Baptismo fit mentio Ioh. 3. vbi ritus eius est, institutio, mandatum seu obligatio. Item Matth. vlt. vbi etiam gratiæ promissio est & salutis; Qui baptizatus fuerit, saluus erit.

De Eucharistia mentio est Ioh. 6. vbi est promissio, & Matth. 26. sicut 1. Cor. 11. vbi mandatum, atque institutio.

De Confirmatione Act. 8. & 19. vbi ritus est & effectus gratiæ, cùm per impositionem manuum Apostolorum dabatur Spiritussanctus.

De Pœnitentia Matth. 16. & 18. etiam Ioh. 20. vnde 2. Cor. 5. Apostolus dicit: Posuit Deus in nobis verbum reconciliationis; pro Christo ergo legatione fungimur. Sicut misit me pater, ait Dominus, & ego mitto vos.

De extrema Vnctione mandatum, ritus & promissio est Iacobi 5.

De Ordine Eph. 4. institutio refertur & mandatum: Ipse dedit quosdam Apostolos. Ritus item & promissio gratiæ, 1. Tim. 4. & 2. Tim. 1.

De Matrimonio, in ratione & qualitate Sacramenti, institutio est Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo non separet: vnde Apostolus Ephes. 5. ratione significationis magnum Sacramentum vocat.

Sacramentorum virtus contra vitia, & eorũ correspondentia virtutibus Theologicis & Cardinalibus. Ecce septem. Baptismus quidem Sacramentum est præcipuum contra originale peccatum. Pœnitentia contra actuale mortale. Extrema Vnctio contra reliquias peccatorum. Confirmatio contra infirmitatem. Eucharistia contra malitiam. Matrimonium contra concupiscentiam. Ordo contra ignorantiam. Baptismus respondet fidei. Confirmatio spei, Eucharistia charitati, Pœnitentia iustitiæ, extrema Vnctio fortitudini, Ordo prudentiæ, & Matrimonium temperantiæ.

Ecce quatuor virtutes Cardinales, quæ cum tribus Theologicis, septem faciunt. Numerus iste semper fuit celebris, mysteriisque plenus in Scripturis sacris. Interim non loquemur hic de cunctis illis septem, quia nimiùm pro tempore moraremur: sed de vno tantùm & omnium primo, nempe Baptismo, in quo finem facio, iuxta quod nobis hodie per piscinam nostram probaticam magis exprimitur. Piscina ista à quacunque detinebatur quis infirmitate, sanabat. Talis autem est virtus Baptismi. Apud Ezech. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor nouum. Quod de Baptismo intelligunt Cyprianus & S. Hieron. sicut illud Zachar. In die illa erit fons patens domui

Piscina probatica super omnia Sacramenta. Baptismum repræsentat. Ezech. 36. Cyprian. lib. 1. ep. vlt. S. Hieron. in comm. Zachar. 13.

A David, & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris.

Virtus Baptismi ex latere Christi. Virtus autem huius aquæ, sicut aliorum Sacramentorum, trahitur ex passione Christi, in cuius rei signum manauit ex latere Christi perfosso sanguis & aqua. Aqua enim, ex Theophylacto in Ioh. & Ambros. in Luc. sicut etiam ex Aug. in Ioh. Baptismũ significabat, qui ab omni iniquitate lauat, sicut dicitur; Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Theoph. S. Ambr. S. August. Ephes. 5.

Figura Baptismi. Figuræ sunt in hodierna piscina probatica, quæ ab omni infirmitate sanat. In Iordane sanante lepram. In diluuio saluante Noë, & reliquos qui in B Arca erãt, vt S. Petrus refert in Epist. sua, vbi cõfert aquam diluuij, & Arcam cum Baptismo. Item in transitu filiorum Israel per Iordanem ad terram promissionis. Etiam in mari rubro submergente Ægyptios, & liberante Israelitas. In hoc enim euidens figura erat Baptismi peccata delentis, & animas saluantis; vnde Apostolus dicit: Omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari. Hæc autẽ, ait, in figura facta sunt. Hoc tangit Dauid in psal. vbi narrat quomodo Deus per mare rubrũ deduxit filios Israel, & operuit aqua tribulantes eos. 4. Reg. 5. Gen. 7. Iosue 4. Exod. 4. 1. Cor. 10. Ps. 105.

Notabilis descriptio Baptismi in submersione Ægyptiorũ in mari rubro. Quem quidem modum submersionis & liberationis Origenes in Exod. notat esse figuram Baptismi, quo submersis peccatis animæ saluantur. Ita C etiam Isidorus dicens, quod mare rubrum Baptismum Christi sanguine consecratum significat. Hostes à tergo sequentes, videlicet Ægyptij cum Rege suo moriuntur; quia peccata præterita in Baptismo delentur, & diabolus suffocatur: premũt Ægyptij vsque ad mare, & peccata vsque ad Baptismum: post transitum maris cantat populus submersis hostibus, & fideles de lauacro ascendentes extinctis peccatis, hymnum decantant dicentes: *Cantemus Domino gloriosè, equum & ascensorem proiecit in mare, de manu inimici redemit,* &c. Origenes. Isidor.

Baptismi necessitas. Verùm quod in Exodo & in Apostolo legitur, est notandum, scilicet quod in nube & in mari baptizati sunt: vt expressius videatur figura Baptismi D nostri, qui in aqua est & Spiritu sancto, quem nubes obumbrans repræsentat. Sic in Euangelio dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto,* &c. Talis est autem noster Baptismus, scilicet in aqua & Spiritu sancto; & sic omnino ad salutẽ nostram necessarius, vt sic aduersus hæreticos definiuit Concil. Trid. Anathema pronuncians in eos qui contrariũ dicunt. Ita S. Aug. scribens ad S. Hieron. Qui dixerit quod in Christo viuificabuntur etiam paruuli qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam. Vbi quidem de Baptismo agitur, qui in Iordane communiter dicitur fuisse institutus, E quando Dominus ipse à Iohanne baptizatus est, & cœpit esse necessarius necessitate medij & præcepti à die Pentecostes. Ioh. 3. Cõcil. Trid. sess. 7. can. S. Aug. ep. 20.

Quando institutus, & quando necessarius fuit Baptismus. Duplex Baptismus necessarius. Communiter autem duplex ponitur necessarius Baptismus. Vnus qui dicitur fluminis, de quo iam, & qui præsertim contra peccatum originale necessarius est. Alter est flaminis, qui pœnitentia est, & animi contritio pro actuali mortali peccato. De quo quidem genere Baptismi dicitur Mar. 1. & Luc. 3. de Iohanne, quod venerit prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Baptismus iste, altera quidem piscina probatica, quæ ex doloribus & passionibus Christi omnem vim suam habet, piscina est quinque porticus

Piscina probatica applicatio pœnitentiæ.

porticus habens; illa quinque vulnera maiora humanitatis Christi, vt ad illa confugiant omnes infirmi & languentes, recipiantque sanitatem.

Quare amplius non est vlla alia re opus quàm vt sanari velimus, vnde non dicendum, hominem non habeo. Ecce enim homo Christus, & qui ait, vis sanus fieri? Dic illi citiùs, volo. Verùm quid sit præterea faciendum, audi. Surge, tolle grabatum tuum, & ambula: pœnitẽtia opus est, exercitio, atq; fructibus dignis pœnitentiæ in vitam æternam.

DOMINICA SECVNDA.

DE TRANSFIGVRAtione Christi, & beatitudine nostra configurata claritati gloriæ eius.

Assumpsit IESVS *Petrum, & Iacobum & Iohannem fratrem eius, & transfiguratus est ante eos; & ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus.* Matth. 17.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

HODIERNÆ transfigurationis Christi intẽtio & finis, reuelatio est similitudinis gloriæ nostræ, & inuitatio quædam ad vitã æternam & beatam. Ita per filium Dei naturalem qui adoptionis gratiam acceperunt, spem vitæ suæ & resurrectionis retinent, & qui præcesserunt, & qui sequuti, atque etiã futuri sunt postea. Sic mysterio quodam & sacramento, dum properaret ad passionem Dominus, & ingrederetur Hierusalẽ cum triumpho, turbæ quæ præcedebant & sequebantur, clamabãt Osanna, id est, gratiam, victoriam, salutem & vitam; quasi protestantes hac ceremonia, quod omnes adducebantur per ipsum ad libertatem & gloriam æternæ beatitudinis.

Vnde hodie dum transfigurat se, istiusque gloriæ radios nobis demonstrat, assumit secum testes, & præcedentes & sequentes. Præcedentes duo sunt Moyses & Elias, qui apparuerunt loquentes cum eo; sequentes verò tres, Petrus, Iacobus, & Iohannes. Assumpsit Iesus Petrum, Iacobum, & Iohannem, & transfiguratus est ante eos: & hoc vt, sicut ex Scriptura habemus, quod in ore duorum vel trium testium stat omne verbum & veritas, ita ex testimonio istorum duorum magnorum qui præcesserunt, & trium qui sequuti sunt, certò sciremus & absque vllo dubio, authorem vitæ, & donatorem gloriæ nostræ Christum esse, ad cuius similitudinem debemus omnes transfigurari & beari. Huius autem veritatis fert testimonium vox patris dicentis: Hic est filius meus dilectus, scilicet naturalis filius, ad cuius similitudinem & participationem adoptiuorum gloria est filiorum.

Christus exemplar nostræ transfigurationis & gloriæ.

Duo puncta. 1.

Verùm antequam hoc punctum & testimoniũ patris prosequamur, de illis quinque testibus, tam veteris quàm noui Testamenti, qui & præcesserũt, & sequuti sunt, atque in medio quorum transfigurauit se Christus, expedit vt loquamur. Et primò de duobus qui præcesserũt, scilicet Moyse & Elia.

S. Chrysost. in Matth. homil. 57. tom. 2.

S. Chrysost. super Matth. ait propter multas rationes hodie illa duo capita Prophetarum apparuisse. Vna est, quia turbæ dicebant eum esse Eliam, vel Ieremiam, aut vnum ex Prophetis: vnde vt exinde appareret differentia seruorum & Domini, transfiguratus est, & apparuerunt Moyses & Elias. *Causæ cur cum Christo apparis Moyses & Elias. 1. Ratio.*

2. Alia est, vt calumniam Iudæorum retunderet, accusantium ipsum vt trãsgressorem legis, & vsurpatorem diuinæ gloriæ: vnde cum ipso Moyses apparet, qui dedit legem, & Elias pariter, qui summus extitit zelator Domini, ambo iustitię & innocentiæ Christi testes omni acceptione dignissimi.

3. Tertia est, vt ostendat potestatem se habere vitæ & mortis, & Iudicem esse mortuorum & viuorum. Propterea Moysem adducit iam mortuũ, & Eliam adhuc viuum. Moysem, id est, eius animam, non quidem in proprio corpore, sed assumpto aliunde. Eliam verò in proprio corpore, vt nondum mortuum, sed viuentem.

4. Quarta est, vt illorum exemplo animas discipulorum ad tolerantiam passionum & mortis confirmaret, qui pro Deo morti se exposuerant. Nam Moyses pro Deo & salute populi obtulerat se Pharaoni cum periculo mortis: Elias verò Regi Achab ex zelo gloriæ Dei. Vnde tribus discipulis apparuerunt cum Christo, vt ipsorum exemplo, mori pro Christo minimè dubitarent. Vnde etiam ex Sancto Luca cum ipso loquebantur de excessu quem in Hierusalem completurus erat, scilicet de passione eius & morte: vt iam discant iter ad gloriam crucem esse & tribulationem.

5. *S. Hierony. in Matt. 17. tom. 9.* Quintam affert S. Hieronymus in Matth. vt iam credentium discipulorum augeretur fides dato eis signo de Cœlo, quod ante Phariseis incredulis petẽtibus, ac in sua infidelitate obstinatis negauerat. De terra signum dederat suscitando mortuos, & radices arborum exsiccando. De mari, ambulando supra illud, & iratos eius fluctus reprimendo. De aëre item, imperando ventis. Hodie, ait S. Hieron. dedit de Cœlo, & de inferis: de inferis, Moysis anima de limbis redeunte: de Cœlo, Elia inde descendente quò antè conscenderat.

6. *S. Hilar. can. 77. in Matt.* Sextam etiã S. Hilar. affert, scilicet vt ipsi ostenderent legem & Prophetas de Christo testimonium perhibere. Legem enim Moyses dedit, & illa Christum prædicauit. Item Prophetæ de illo prædixerunt, inter quos Elias præcipuus extitit. Hoc enim erat necesse, vt ipse Christus bis explicat Luc. vltim. vbi primò incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur duobus discipulis euntibus in Emaus, in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Secundò verò, vndecim, & multis aliis simul congregatis aperiens sensum vt intelligerent, dicit eis, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege, Prophetis & psalmis de me. *Luc. vlt.*

7. *Ratio & vltima.* Addam ego & septimam, scilicet quia duo illi Prophetæ Moyses & Elias, vt duo præcipui testes, & figuræ duorum aduentuum Christi venerant. Moyses quidem primi figura, & præcipuus testis extitit. Primò figura, dans legem, & in mansuetudine animi sui, atque prodigiis multis liberans filios Israël de manu Pharaonis & seruitute Ægypti. Secundò etiam & præcipuus testis, cùm ipse dixit Israëli: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, (sicut me, dicit,) qui veram legem & salutem afferet cunctis. Quare ipse Christus apud Ioh. hoc testimonium impletũ in se esse indicauit dicens: Si crederetis Moysi, crederetis forsitã & mihi. De me enim ille scripsit. Ita S. Philippus Nathanaeli dicẽs: Quem scripsit Moyses in lege inuenimus IESVM. *Moyses figura & testis præcipuus Christi. Deut. 18. Ioh. 5.*

Ita & apertiùs ipsemet Apostolorum princeps Petrus, cui hodie cum Christo apparuit & Moyses, Iudæis dixit in Act. Apost. Moyses quidem dixit, quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester. Placuit ei ipsissima verba Moysis afferre; sicut adhuc S. Stephano dicẽti. Hic est Moyses, qui dixit filiis Israël; Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris.

Act. 3.

Act. 7.

Quod testimonium & prædictionem Moysis eleganter ostendit Eusebius Cæsariens. aduersus Iudæos, de nullo alio intelligi quàm de Christo. Proinde igitur velut primi pacifici & salutaris aduentus Christi testis apparet: sicut etiam & Elias figura & testis locupletissimus vltimi & terribilis: figura in zelo vindictæ, testis in missione sua & prædicatione ante Domini iudicium, sicut scribitur apud Ecclesiastic. Receptus in turbine ignis, & inscriptus in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob. Sic apud Malachiam; Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor filiorum ad patres, & patrum ad filios. & in Apocalyp. Dabo duobus testibus meis (verbum meum scilicet, & virtutem,) & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti sacris, (id est, circiter tribus annis, & mensibus sex prophetabunt.) Hi sunt duæ oliuæ & duo candelabra ante conspectũ Domini, & cùm finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersus eos bellum, & occidet eos, vbi & Dominus eorum crucifixus est, &c.

Euseb. Cæsar. lib. 3. de demonst. Euang. c. 2.

Elias figura & testis præcipuus Christi.

Eccli. 48.

Malach. 4.

Apoc. 11.

Quinam sunt, quæso, isti duo testes amicti saccis, qui ante diem extremum venturi sunt, istæ duæ oliuæ & duo candelabra in conspectu Domini terræ? Enoch quidem & Elias. De Enoch enim in Ecclesiast. dicitur, quia in paradisum translatus est, vt det gentibus pœnitentiam. Ambulauit enim cum Deo, vt dicitur Gen. 5. & non apparuit quia tulit eum Dominus. Heb. 11. Translatus, ne videret mortem, velut ille qui reseruabatur venturus & dimicaturus cum Elia aduersus Antichristum in diebus nouissimis. Sic enim hodie de Elia Christus statim post mysterium transfigurationis completum dicit: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Quo tempore & quo fine? In diebus nouissimis, in iudiciis temporum, ad leniendam iracundiam Dei, ad dimicandum contra Antichristum & pseudo prophetam, ad perhibendum testimonium de Christo, & restituendas tribus Israël.

Duo testes Apocalyps. Enoch & Elias.

Hinc satis constat quàm iniquè hæretici nostri temporis iniuriã inferunt Sanctissimo Christi Vicario & Pontifici Summo, dicentes ipsum esse Antichristum, quãta cum ineptia & stupiditate animi hoc iactitant. Sciant Antichristum fore natiuitate seu generatione, & semel, & nõ successiua electione. Sciant Antichristum fore in nouissimis diebus, & non à S. Petro vsque ad vltimum Pontificem Maximum qui tunc erit in consummatione dierum. Sciant quia cùm apparuerit Antichristus, & sicut dicit S. Paul. ad Thess. (quem locum ineptè hæretici explicant, & ex malitia sua peruertunt) cùm reuelatus fuerit ille homo peccati, & filius perditionis, qui aduersabitur, & extolletur supra omne quod dicitur Deus: ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus: & cuius aduentus secundum operationem Sathanæ erit in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt. Cùm, inquam, ex Apost. reuelabitur ille iniquus,

Calumnia hæreticorum contra Papã.

Ex malitia peruertunt hæretici S. Paulum.

2. Thess. 2.

Probatur cõtra hæreticos, Papam non esse Antichristum.

A tunc veniet statim Deus Iesvs, qui interficiet ipsum Spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. hæc Apost. Scilicet, postquam illi duo testes Enoch & Elias ipsum annunciauerint, decertauerintque pro eo tribus illis annis & mensibus sex, vt iam ex Apoc. diximus.

Sciant iterum Antichristum vnum fore & non multos: ipsúmque futurum hostem Christi acerrimum & vltimum: vnde siqui sunt eiusmodi, constat modò esse hæreticos, dicente S. Iohanne; Si quis est mendax, & negat patrem & filium, hic est Antichristus. Omne mendaciũ ex veritate non est, & quis est mendax nisi qui negat quoniam Iesvs est Christus? Quis verò est ille, nisi Caluinus hisce temporibus? Sicut ergo audiuimus ex S. Iohanne, B quia Antichristus venit, & nunc multi Antichristi facti sunt, nempe hæretici omnes qui Christi veritatem oppugnant. Non est veritas, & non & scientia Dei in terra.

Probatur hæreticos esse Antichristos.

1. Ioh. 2.

Verùm mirè adhuc illos repræsentat & prodit S. Iohannes, cùm subiungit: Ex nobis prodierũt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum. Ecce notæ & signa euidẽtissima hęreticorũ, omniúmq; Antichristorum, nempe qui ex nobis prodierunt, & non erant ex nobis. Quinam enim quæso isti, nisi hæretici qui exierunt ex nobis? Igitur omnes Antichristi. Nam qui non est mecum, cõtra me est, inquit Dominus. C Ecce Antichristus. Et qui nõ colligit mecũ, dispergit. Ecce Antichristus. Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Nunc igitur multi Antichristi facti sunt, dicit S. Ioh. & hi maximè sunt hæretici, inter quos veritas & scientia Dei non est, sed maledictum & mendacium.

Hæreticorum notæ.

Itaque sciant illi, ad minus se esse iam semina veri & vltimi Antichristi; cuius aduentus futurus est in diebus nouissimis, in quibus etiam illi duo testes filij Dei Enoch & Elias aduersus eum pugnaturi venient; ac proinde nondum eum venisse, quia nondum duo isti testes venerunt, qui ipsius tempore prædicare debent.

Quod igitur hodie apparuit Elias in transfigu- D ratione cum Christo, ratio est, quia eius aduentus vltimi testis præcipuus futurus erat, sicut Moyses primi assertor locupletissimus & Propheta. Duplex enim est Christi aduẽtus; vnus præteritus, alter futurus. Primi & præteriti Moyses testis & Propheta fuit: Elias autem est vltimi & futuri. Vnde simul cum Christo ambo apparuerunt, qui duo etiam ipsius testes præcedentes fuerunt, vt diximus.

Nunc ergo de iis qui sequuntur, & qui tres fuerunt, dicamus. Assumpsit Iesvs Petrum, Iacobum & Iohannem fratrẽ eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum, &c. S. Tho. rationem ponit cur isti tres assumpti sunt, & non alij. Quia, inquit, alta mysteria, vt gloriæ, non sunt immediatè omnibus E exponenda: sed per maiores suo tempore ad alios debent deuenire. Tres autẽ potiores inter discipulos, ex S. Chrysost. in Matth. erant Petrus, Iacobus & Iohannes. Petrus propter excellẽtiam dilectionis quam habuit ad Christum, atque etiam sibi cõmissæ potestatis. S. Iohannes propter priuilegium amoris quo diligebatur à Christo: erat enim per antonomasiã discipulus quẽ diligebat Iesvs; atque etiam propter Euangelicæ doctrinæ excellentiam. Omnibus enim euolauit altiùs. S. Iacobus etiam propter prærogatiuã martyrij: fuit enim primus Apostolorum qui Hierosolymis profuso sanguine testimoniũ Iesu Christo dedit. Quare meruit cum aliis testis esse trãsfigurationis, & gloriæ eius, vt sic per

S. Tho. 3. p. q. 45. art. 3. ad 4.

Cur in trãsfiguratione isti tres Apostoli Petrus, Iacobus, & Iohannes assumpti fuerunt, & non alij.

S. Chrysost. hom. 56. in Matth.

per ipsos postea, tanquam per maiores, & primos, suo tépore reuelatio aliis fieret. Ita enim S. Petrus in sua Canonica dicit: Speculatores facti sumus illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et hanc vocem audiuimus de cœlo allatam cùm essemus cum ipso in monte sancto.

2.Pet.1.

Ecce reuelatio mysterij, vt discamus & nos, & vos ô hæretici intelligite, supernorum mysteriorum reuelationem accipere & intelligere à superioribus nostris, & illuminatis à Deo; minimè autem à nobis. Ita Sanctus Iohannes initio Epistolarum reuelationem eorum quæ viderat & audierat, enarrare incipit dicens: Quod audiuimus, & vidimus oculis nostris de verbo vitæ, testamur & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Deum, & apparuit nobis, scilicet cùm essemus cum illo in monte sancto, & ante nos transfiguratus est, voceque de cœlo delapsa audiuimus à magnifica illa gloria: Hic est filius meus dilectus.

1.Ioh.1.

2. Punctum.

Secundum punctum est, dum se transfigurauit filius, hæc verba patris audita sunt, vt omnibus cõstaret, gloriam nostram & gratiam deriuari à Christo naturali filio eius, sicut dicit psaltes: *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Propterea enim testimonio proprio filium suum esse naturalem declarat, ad cuius similitudinem & cõformitatem, & adoptari in filios Dei, & cum illo in gloria, omnium bonorum eius participatione perfrui debemus, vt cõformes imaginis filij Dei, sicut dixit Apostolus. Quos Deus præsciuit (saluandos & glorificandos,) hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, non solum antiquitate, sed etiam excellentia & virtute.

Omnis gratia & gloria deriuatur à Christo.

Rom.8.

Hæc autem imaginis conformitas ad Christum filium Dei naturalem, secundum S. Tho. fit dupliciter. Primò, per gratiam vitæ præsentis, quæ est conformitas imperfecta. Secundò, per gloriam patriæ, quæ erit conformitas perfecta, iuxta illud primæ Ioh. 3. Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Vnde? Quia in baptismo gratiam consequimur. In transfiguratione autem claritas futuræ gloriæ monstrata est. Adeo tam in baptismo Iordanis, quàm in præsenti transfiguratione, declarata est naturalis filiatio Christi testimonio patris dicentis in vtroque mysterio & sacramento; Hic est filius meus. Vtique vt sciremus quia per ipsum vt naturalem eius filium, vtramque consequimur cõformitatem, & similitudinẽ imaginis, per gratiam in terra, & per gloriam in cœlo. Vna est regeneratio prima & inchoata, quæ in baptismo declaratur. Altera regeneratio secunda perfecta & consummata, quæ est in Cœlo, & per transfigurationis mysterium reuelata. Quare etiam in vtroque mysterio ostensa est operatio & præsentia totius Trinitatis, Patris in voce, filij in homine, & Spiritussancti in specie columbæ, & lucida nube: super Iordanem in specie columbæ, hodie autem super montem sanctum in lucida nube.

Conformitas filiationis nostræ adoptiuæ cum naturali Christi, fit dupliciter.
S. Thom.

Duplex conformitas imaginis Christi in homine.

Et certè magna cum ratione ista fuit apparitio diuersa Spiritussancti, multúmq; cõgrua mysteriis. Quod .n. datur in baptismo à Spiritu sancto, innocentia est, quæ per simplicitatẽ colũbæ designatur. Quod verò accidit in resurrectione vitæ, claritas est gloriæ, refrigeriúmque & immunitas ab omni malo, quæ omnia designantur per nubem lucidam.

Diuersa Spiritussancti apparitio in Iordane, & in monte cõueniens mysteriis.

A Verùm hic vnum quæri potest circa testimonia Patris in baptismo & in transfiguratione, cur in transfiguratione nonnulli homines & testes assumuntur, vt ipsum audiant, in baptismo verò nullus assumitur. Ratio est, quia in mundum venerat Christus gratiam actualiter dare, gloriam verò tãtùm verbis promittere. Quare vbi actualiter gratiæ donum fit, sicut in baptismo, nullis est opus testibus: vbi verò est promissio, vt accidit respectu gloriæ, quæ in terra promittitur, & non datur, opus est. Quapropter hodie volens Christus aliquam istius gloriæ speciem, quam promisit, ostendere, testes assumpsit Petrum, Iacobum & Iohannem fratrem eius, & transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies eius sicut Sol: vestimenta autem eius, &c.

Quare in baptismo Christi nulli testes assumuntur, sicut in transfiguratione.

B Hic ostendit Christus, vbi & in quo transfigurationis suæ ratio & forma est, videlicet ex quatuor dotibus gloriosis. Illa autẽ quæ afficit personã claritas est: aliæ tres, scilicet impassibilitas, agilitas, & subtilitas, in actionibus & passionibus innotescunt. Claritas autẽ ipsius personæ est qualitas quæ & in ipso residet. Quare in illa sola fuit Christi transfiguratio. Etenim iam antè dederat aliqua indicia aliarum dotiũ, vt impassibilitatis, quando illæsus euasit de manibus lapidare & præcipitare volentium; sicut etiam postea, quando post cœnam factam corpus suum ad edendum discipulis dedit: C agilitatis, quando super vndas maris ambulauit: sicut & subtilitatis, quando de vtero virginis clauso est egressus. Interea non exinde dicitur fuisse transfiguratus, sed vbi facies eius resplenduit, & claritas ipsa personam circumfulsit. Tunc transfiguratus est, & verè quidem quantum ad essentiam claritatis à diuinitate & ab anima ipsius gloriosa in corpus redundantis, etsi non quantum ad modum, qui non erat permanens, sed solum transiens.

Ratione cuius dotis fuit trãsfiguratio.

Hic autem nobis superest, vt breuiter aliquid dicamus de omnibus dotibus gloriosis. Quarum tres dicũtur animæ, quatuor verò corporum. Iuxta quod in genere, dos gloriosa definitur, perpetuus animę, corporisque ornatus ex spirituali & intima D coniunctione Dei cum homine, ad beatam ordinatus operationem: seu beatæ vitæ sufficiens, & iugiter in æterna beatitudine perseuerans. Qua posita, tres animæ dotes illas esse dicimus, visionẽ Dei, dilectionem seu fruitionem, & comprehensionem: quæ tribus Theologicis virtutibus respondent, visio fidei, fruitio, seu dilectio charitati, & spei comprehensio, quæ nihil est aliud quàm in præsentia Deum habere, & in seipso tenere.

Tres dotes animæ, & quatuor corporum.

Definitio dotis gloriosæ generica.

Quanã sint tres animæ gloriosæ dotes.

O qualem gloriam, quales dotes, quales ornatus, & quales operationes animæ, iugiter Deum videntis, Deo fruentis, & Deum in se tenentis! Hęc est vita æterna, vt cognoscant te, ament te, & teneant te solum Deum verũ, & quem misisti IESVM E Christum. Domine, bonum est nos hic esse. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Oculus non vidit Deus absq; te, quæ præparasti diligẽtibus te.

Corporum verò quatuor sunt dotes, impassibilitas, subtilitas, agilitas, claritas: de quibus ad Cor. Apost. Quomodo resurgent mortui, qualive corpore venient? (hic loquitur Apostolus de resurrectione vitæ & iustorum.) Corpus, inquit, quod per mortem seminatur in corruptione, surget in incorruptione, quantum ad impassibilitatem. Seminatur in infirmitate, surget in virtute, quantum ad agilitatem. Seminatur animale, surget spirituale, quantum ad subtilitatem. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria, quantum ad claritatem.

Quatuor dotes corporũ, & quænam illæ.
1.Cor.15.

Q 3 Ecce

Ita & apertiùs ipsemet Apostolorum princeps Petrus,cui hodie cum Christo apparuit & Moyses, Iudæis dixit in Act. Apost. Moyses quidem dixit, quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester. Placuit ei ipsissima verba Moysis afferre;sicut adhuc S.Stephano dicēti. Hic est Moyses,qui dixit filiis Israël;Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris.

Act.3.

Act.7.

Quod testimonium & prædictionem Moysis eleganter ostendit Eusebius Cæsariens. aduersus Iudæos, de nullo alio intelligi quàm de Christo. Proinde igitur velut primi pacifici & salutaris aduentus Christi testis apparet: sicut etiam & Elias figura & testis locupletissimus vltimi & terribilis: figura in zelo vindictæ, testis in missione sua & prædicatione ante Domini iudicium, sicut scribitur apud Ecclesiastic.Receptus in turbine ignis, & inscriptus in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob. Sic apud Malachiam;Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam,antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor filiorum ad patres, & patrum ad filios. & in Apocalyp. Dabo duobus testibus meis (verbum meum scilicet,& virtutem,)& prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis,(id est, circiter tribus annis, & mensibus sex prophetabunt.) Hi sunt duæ oliuæ & duo candelabra ante conspectū Domini,& cùm finierint testimonium suum,bestia quæ ascendit de abysso,faciet aduersus eos bellum,& occidet eos,vbi & Dominus eorum crucifixus est,&c.

Euseb. Cæsar. lib.3. de demonst. Euang.c.2.
Elias figura & testis præcipuus Christi.
Eccli.48.
Malach.4.
Apoc.11.

Quinam sunt, quæso,isti duo testes amicti saccis, qui ante diem extremum venturi sunt, istæ duæ oliuæ & duo candelabra in conspectu Domini terræ? Enoch quidem & Elias. De Enoch enim in Ecclesiast. dicitur, quia in paradisum translatus est,vt det gentibus pœnitentiam.Ambulauit enim cum Deo , vt dicitur Gen.5.& non apparuit quia tulit eum Dominus.Heb.11.Translatus,ne videret mortem , velut ille qui reseruabatur venturus & dimicaturus cum Elia aduersus Antichristum in diebus nouissimis.Sic enim hodie de Elia Christus statim post mysterium transfigurationis completum dicit : *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Quo tempore & quo fine ? In diebus nouissimis , in iudiciis temporum, ad leniendam iracundiam Dei , ad dimicandum contra Antichristum & pseudo prophetam, ad perhibendum testimonium de Christo,& restituendas tribus Israël.

Duo testes Apocalypſ. Enoch & Elias.

Hinc satis constat quàm iniquè hæretici nostri temporis iniuriā inferunt Sanctissimo Christi Vicario & Pontifici Summo,dicentes ipsum esse Antichristum, quāta cum ineptia & stupiditate animi hoc iactitant. Sciant Antichristum fore natiuitate seu generatione,& semel,& nō successiua electione.Sciant Antichristum fore in nouissimis diebus, & non à S. Petro vsque ad vltimum Pontificem Maximum qui tunc erit in consummationē dierum. Sciant quia cùm apparuerit Antichristus,& sicut dicit S. Paul. ad Thess. (quem locum ineptè hæretici explicant, & ex malitia sua peruertunt) cùm reuelatus fuerit ille homo peccati , & filius perditionis, qui aduersabitur , & extolletur supra omne quod dicitur Deus: ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus : & cuius aduentus secundum operationem Sathanæ erit in omni virtute,& signis & prodigiis mendacibus,& in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt. Cùm, inquam, ex Apost. reuelabitur ille iniquus,

Calumnia hæreticorum contra Papā.
Ex malitia peruertunt hæretici S. Paulum.
2.Thess.2.
Probatur contra hæreticos, Papam non esse Antichristum.

A tunc veniet statim Deus IESVS ; qui interficiet ipsum Spiritu oris sui , & destruet illustratione aduentus sui.hæc Apost.Scilicet,postquam illi duo testes Enoch & Elias ipsum annunciauerint , decertauerintque pro eo tribus illis annis & mensibus sex,vt iam ex Apoc.diximus.

Sciant iterum Antichristum vnum fore & non multos:ipsúmque futurum hostem Christi acerrimum & vltimum : vnde siqui sunt eiusmodi, constat modò esse hæreticos , dicente S. Iohanne ; Si quis est mendax,& negat patrem & filium, hic est Antichristus.Omne mendaciū ex veritate non est, & quis est mendax nisi qui negat quoniam IESVS est Christus?Quis verò est ille, nisi Caluinus hisce temporibus ? Sicut ergo audiuimus ex S.Iohanne, quia Antichristus venit, & nunc multi Antichristi facti sunt,nempe hæretici omnes qui Christi veritatem oppugnant.Non est veritas,& non & scientia Dei in terra.

Probatur hæreticos esse Antichristos.
1.Ioh.2.
B

Verùm mirè adhuc illos repræsentat & prodit S.Iohannes,cùm subiungit:Ex nobis prodierūt,sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis,permansissent vtiq; nobiscum.Ecce notæ & signa euidētissima hęreticorū, omniúmq; Antichristorum, nempe qui ex nobis prodierunt , & non erant ex nobis. Quinam enim quæso isti, nisi hæretici qui exierunt ex nobis? Igitur omnes Antichristi. Nam qui non est mecum,cōtra me est,inquit Dominus. Ecce Antichristus.Et qui nō colligit mecū, dispergit.Ecce Antichristus. Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Nunc igitur multi Antichristi facti sunt,dicit S.Ioh. & hi maximè sunt hæretici,inter quos veritas & scientia Dei non est , sed maledictum & mendacium.

Hæreticorum nota.
C

Itaque sciant illi , ad minus se esse iam semina veri & vltimi Antichristi ;cuius aduentus futurus est in diebus nouissimis , in quibus etiam illi duo testes filij Dei Enoch & Elias aduersus eum pugnaturi venient;ac proinde nondum eum venisse, quia nondum duo isti testes venerunt , qui ipsius tempore prædicare debent.

D Quod igitur hodie apparuit Elias in transfiguratione cum Christo, ratio est, quia eius aduentus vltimi testis præcipuus futurus erat , sicut Moyses primi assertor locupletissimus & Propheta. Duplex enim est Christi aduētus;vnus præteritus,alter futurus.Primi & præteriti Moyses testis & Propheta fuit : Elias autem est vltimi & futuri. Vnde simul cum Christo ambo apparuerunt , qui duo etiam ipsius testes pręcedentes fuerunt,vt diximus.

Nunc ergo de iis qui sequuntur,& qui tres fuerunt,dicamus. Assumpsit IESVS Petrum, Iacobum & Iohannem fratrē eius,& ducit illos in montem excelsum seorsum,&c. S.Tho. rationem ponit cur isti tres assumpti sunt,& non alij.Quia,inquit,alta mysteria, vt gloriæ, non sunt immediatè omnibus E exponenda : sed per maiores suo tempore ad alios debent deuenire.Tres autē potiores inter discipulos,ex S.Chrysost. in Matth. erant Petrus, Iacobus & Iohannes. Petrus propter excellētiam dilectionis quam habuit ad Christum,atque etiam sibi cōmissæ potestatis. S.Iohannes propter priuilegium amoris quo diligebatur à Christo:erat enim per antonomasiā discipulus quē diligebat IESVS;atque etiam propter Euangelicæ doctrinæ excellentiam. Omnibus enim euolauit altiùs. S. Iacobus etiam propter prærogatiuā martyrij : fuit enim primus Apostolorum qui Hierosolymis profuso sanguine testimoniū IESU Christo dedit. Quare meruit cum aliis testis esse trāsfigurationis,& gloriæ eius,vt sic per

S.Tho. 3. p. q.45. art.3. ad 4.
Cur in trāsfiguratione isti tres Apostoli Petrus, Iacobus, & Iohannes assumpti sunt, & non alij.
S. Chrysost. hom. 56. in Matth.

per ipsos postea, tanquam per maiores, & primos, suo tépore reuelatio aliis fieret. Ita enim S. Petrus in sua Canonica dicit: Speculatores facti sumus illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et hanc vocem audiuimus de cœlo allatam cùm essemus cum ipso in monte sancto.

2. Pet. 1.

Ecce reuelatio mysterij, vt discamus & nos, & vos ô hæretici intelligite, supernorum mysteriorum reuelationem accipere & intelligere à superioribus nostris, & illuminatis à Deo; minimè autem à nobis. Ita Sanctus Iohannes initio Epistolarum reuelationem eorum quæ viderat & audierat, enarrare incipit dicens: Quod audiuimus, & vidimus oculis nostris de verbo vitæ, testamur & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Deum, & apparuit nobis, scilicet cùm essemus cum illo in monte sancto, & ante nos transfiguratus est, vocéque de cœlo delapsa audiuimus à magnifica illa gloria: Hic est filius meus dilectus.

1. Ioh. 1.

2. Punctum.

Secundum punctum est, dum se transfigurauit filius, hæc verba patris audita sunt, vt omnibus cóstaret, gloriam nostram & gratiam deriuari à Christo naturali filio eius, sicut dicit psaltes: *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Propterea enim testimonio proprio filium suum esse naturalem declarat, ad cuius similitudinem & cóformitatem, & adoptari in filios Dei, & cum illo in gloria, omnium bonorum eius participatione perfrui debemus, vt cóformes imaginis filij Dei, sicut dixit Apostolus. Quos Deus præsciuit (saluandos & glorificandos,) hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, non solum antiquitate, sed etiam excellentia & virtute.

Omnis gratia & gloria deriuatur à Christo.

Rom. 8.

Hæc autem imaginis conformitas ad Christum filium Dei naturalem, secundum S. Tho. fit dupliciter. Primò, per gratiam vitæ præsentis, quæ est conformitas imperfecta. Secundo, per gloriam patriæ, quæ erit conformitas perfecta, iuxta illud primæ Ioh. 3. Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Vnde? Quia in baptismo gratiam consequimur. In transfiguratione autem claritas futuræ gloriæ monstrata est. Adeo tam in baptismo Iordanis, quàm in præsenti transfiguratione, declarata est naturalis filiatio Christi testimonio patris dicentis in vtroque mysterio & sacramento; Hic est filius meus. Vtique vt sciremus quia per ipsum vt naturalem eius filium, vtramque consequimur cóformitatem, & similitudiné imaginis, per gratiam in terra, & per gloriam in cœlo. Vna est regeneratio prima & inchoata, quæ in baptismo declaratur. Altera regeneratio secunda perfecta & consummata, quæ est in Cœlo, & per transfigurationis mysterium reuelata. Quare etiam in vtroque mysterio ostensa est operatio & præsentia totius Trinitatis, Patris in voce, filij in homine, & Spiritussancti in specie columbæ, & lucida nube: super Iordanem in specie columbæ, hodie autem super montem sanctum in lucida nube.

Conformitas filiationis nostræ adoptiuæ cum naturali Christi, fit dupliciter.
S. Thom.

Duplex conformitas imaginis Christi in homine.

Et certè magna cum ratione ista fuit apparitio diuersa Spiritussancti, multúmq; cógrua mysteriis. Quod. n. datur in baptismo à Spiritu sancto, innocentia est, quæ per simplicitaté colúbæ designatur. Quod verò accidit in resurrectione vitæ, claritas est gloriæ, refrigeriúmque & immunitas ab omni malo, quæ omnia designantur per nubem lucidam.

Diuersa Spiritussancti apparitio in Iordane, & in monte cóueniens mysteriis.

A Verùm hic vnum quæri potest circa testimonia Patris in baptismo & in transfiguratione, cur in transfiguratione nonnulli homines & testes assumuntur, vt ipsum audiant, in baptismo verò nullus assumitur. Ratio est, quia in mundum venerat Christus gratiam actualiter dare, gloriam verò tátùm verbis promittere. Quare vbi actualiter gratiæ donum fit, sicut in baptismo, nullis est opus testibus: vbi verò est promissio, vt accidit respectu gloriæ, quæ in terra promittitur, & non datur, opus est. Quapropter hodie volens Christus aliquam istius gloriæ speciem, quam promisit, ostendere, testes assumpsit Petrum, Iacobum & Iohannem fratrem eius, & transfiguratus est ante eos, & B resplenduit facies eius sicut Sol: vestimenta autem eius, &c.

Quare in baptismo Christi nulli testes assumátur, sicut in transfiguratione.

Hic ostendit Christus, vbi & in quo transfigurationis suæ ratio & forma est, videlicet ex quatuor dotibus gloriosis. Illa auté quæ afficit personá claritas est: aliæ tres, scilicet impassibilitas, agilitas, & subtilitas, in actionibus & passionibus innotescunt. Claritas auté ipsius personæ est qualitas quæ & in ipso residet. Quare in illa sola fuit Christi transfiguratio. Etenim iam antè dederat aliqua indicia aliarum dotiú, vt impassibilitatis, quando illæsus euasit de manibus lapidare & præcipitare volentium; sicut etiam postea, quando post cœnam factam corpus suum ad edendum discipulis dedit: C agilitatis, quando super vndas maris ambulauit: sicut & subtilitatis, quando de vtero virginis clauso est egressus. Interea non exinde dicitur fuisse trãsfiguratus, sed vbi facies eius resplenduit, & claritas ipsa personam circumfulsit. Tunc transfiguratus est, & verè quidem quantum ad essentiam claritatis à diuinitate & ab anima ipsius gloriosa in corpus redundantis, etsi non quantum ad modum, qui non erat permanens, sed solum transiens.

Ratione cuius dotis fuit trãsfiguratio.

Hic autem nobis superest, vt breuiter aliquid dicamus de omnibus dotibus gloriosis. Quarum tres dicútur animæ, quatuor verò corporum. Iuxta quod in genere, dos gloriosa definitur, perpetuus animę, corporisque ornatus ex spirituali & intima D coniunctione Dei cum homine, ad beatam ordinatus operationem: seu beatæ vitæ sufficiens, & iugiter in æterna beatitudine perseuerans. Qua posita, tres animæ dotes illas esse dicimus, visioné Dei, dilectionem seu fruitionem, & comprehensionem: quæ tribus Theologicis virtutibus respondent, visio fidei, fruitio, seu dilectio charitati, & spei comprehensio, quæ nihil est aliud quàm in præsentia Deum habere, & in seipso tenere.

Tres dotes animæ, & quatuor corporum.

Definitio dotis gloriosæ generica.

Quænã sunt tres animæ gloriosæ dotes.

O qualem gloriam, quales dotes, quales ornatus, & quales operationes animæ, iugiter Deum videntis, Deo fruentis, & Deum in se tenentis! Hęc est vita æterna, vt cognoscant te, ament te, & teneant te solum Deum verú, & quem misisti IESVM E Christum. Domine, bonum est nos hic esse. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Oculus non vidit Deus absq; te, quæ præparasti diligétibus te.

Corporum verò quatuor sunt dotes, impassibilitas, subtilitas, agilitas, claritas: de quibus ad Cor. Apost. Quomodo resurgent mortui, qualive corpore venient? (hic loquitur Apostolus de resurrectione vitæ & iustorum.) Corpus, inquit, quod per mortem seminatur in corruptione, surget in incorruptione, quantum ad impassibilitatem. Seminatur in infirmitate, surget in virtute, quantum ad agilitatem. Seminatur animale, surget spirituale, quantum ad subtilitatem. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria, quantum ad claritatem.

Quatuor dotes corporú, & quænam illæ.
1. Cor. 15.

Q 3 Ecce

De impaßibilitate corporũ, & vnde oritur.

Ecce quatuor dotes,& gloriosæ qualitates corporum. Impassibilitas prima est, quæ procedit ex virtute & dominio animæ super corpus, ex eo quod illa immobiliter fruitur Deo: exinde enim oritur tale dominium; vnde fit vt, sicut illa perfectè tunc Deo subiecta est, ita etiam animæ suæ corpus perfectè subiectum sit: & sic non poterit ei accidere vlla mutatio contra dispositionem illam, qua ab anima perficitur, vnde equidem impassibilitas.

Vnde subtilitas.

Subtilitas est secunda, quæ ex eodem dominio procedit animæ glorificatæ, quæ est forma super ipsum, & ratione cuius tunc glorificatæ corpus istud gloriosum spirituale dicitur, quasi omnino spiritui subiectum. Vnde dos subtilitatis, secundum effectum potentiæ spiritualis in illo, atque etiam vis penetratiua aliorum corporum non gloriosorum ex diuina virtute,& perfecta subiectione anima gloriosæ; iuxta quod Apostolus dixit: Seminatur animale, surget spirituale.

Vnde agilitas.

Agilitas tertia est, adhuc ex illo animæ dominio proueniens, cui non tantùm vt formæ specificæ, sed etiam vt motori corpus subiectum est: ita vt absque labore, statim ad voluntatem & nutum spiritus transferat se de vno loco ad alium, vt dicit Isaias: Current,& non laborabunt, volabunt,& nõ deficient. & S. Paulus; Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Ita vt totaliter animæ obediens, & vt instrumentum motori agile reddatur, vt imperceptibili tempore quò voluerit feratur.

Isa.40. 1. Cor.15.

De claritate. & vnde oritur.

Quarta est claritas, cuius causa gloria erit redundans animæ, vt idem dicit Apostolus; Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Ita ex Mattheo Christus: Fulgebunt iusti sicut Sol in regno patris mei. Hodie in Christo exemplum est, resplenduit facies eius sicut Sol. Hæc qualitas in ipsa persona est & residet, vnde transfiguratio: scilicet vbi animæ gloria videbitur in corpore glorioso, velut in vitro lux, aut color corporis quod in eo continetur, vt dicit S.Gregor. super illud Iob. *Non adæquabitur ei* (videlicet corpori glorioso) *aurũ vel vitrũ.*

Matth.13. S.Gregor.

O quis tantæ gloriæ magnitudinem & multitudinem enarrare poterit, cùm, sicut dicit Daniel, qui docti fuerint & iusti, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates? Ita vt pro mensura gloriæ animæ, sit & corporum claritatis diuersitas, vt ait S. Paulus ad Corint. Alia claritas Solis, Lunæ, & stellæ. Stella enim à stella differt in claritate. Sic & resurrectio mortuorum.

Daniel.12. 1.Cor.15.

Sed quis nobis illã promeruit? Vtique Christus, ad cuius similitudinem sic transfigurari debemus, & configurari corpori claritatis suæ, sicut Phil.3. dicit Apostolus: *Saluatorem expectamus Dominum nostrum* IESVM *Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Propterea hodie transfiguratus est ante eos, scilicet discipulos,& vox patris audita est; Hic est filius meus dilectus: vt ostenderetur omnem gloriã nostram à gloria filij deriuari. Et propterea dum resplenduit facies eius, alba facta sunt vestimenta eius sicut nix: vt per illam adhuc claritatem vestimentorum, deriuatam à splendore vultus, designaretur futura Sanctorum claritas, quæ tantùm emanatio quædam est & effectus claritatis Christi, & quæ superabitur ab illa, vt candor niuis superatur à splendore Solis.

Phil.3.

Signis ostenditur quia nõ comprehēditur transfiguratio Christi.

O Petre, quid modò dicis ad ista? Domine, ait, bonum est nos hic esse. Sed, ô vos omnes qui adestis, & videtis, comprehenditisne quæ videtis & auditis? Minimè. Vnde dum hæc peragũtur mysteria, nubes lucida obũbrat eos: dumque vox de nube auditur; Hic est filius meus dilectus, audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde: vt illo terrore,& demissione vultus, ostēdatur iam quod tanta excellentia gloriæ etiam quæ tunc demonstrabatur, omnem sensum,& mortaliũ facultatem excedit. Iuxta id quod dicitur in Exod. Moysi: *Non videbit me homo, & viuet.* Denique, quia maioris gloriæ cõspectum, (ait etiam S. Hieron. in Matth.) humana fragilitas ferre non sustinet. Dicitur enim quod oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparauit Dominus diligentibus se. Ipsum ergo diligamus, ei seruiamus, vt iis quæ præparauit nobis, perfruamur in æternum.

Exo.33.

DE PATIENTIA ET longanimitate Dei,& de æterna punitione peccati.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Dicebant ergo ei: Tu quis es? dixit eis IESVS: *principiũ.* Ioh.8.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

SI vnquam nobis contingat occasio sedulò meditandi & cõsiderandi attentè diuina charitatis Christi beneficia, istud est maximè ratione ordinariæ bonitatis eius erga nos,& consuetæ misericordiæ, patientiæ in peccatis nostris, atque sensibilis qua afficitur in perditione nostra afflictionis. Nam si eos videmus qui ad scopum collimant, extenso priùs arcu, stomacho & pectori sagittã apponere. Ita equidem Deo accidit cùm de punitione nostra cogitat, primus omnium dolore ex perditione nostra afficitur. Gen.6. Tactus dolore cordis intrinsecus, ait, delebo hominē quem creaui, à facie terræ. Vbi ostendit quantũ ipsum hoc afficit & vulnerat: sed quia ad summum iam peccata nostra peruenerunt, propter quæ minimè expedit nos amplius supportare, prodit dolorem suum,& mõstrat quomodo seueritate iustitiæ suæ cogitur excessum flagitiorum nostrorum morte extinguere. *Ego vado,* inquit, *& quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* ô Dei lamentabilem recessum! *Ego vado,* ô infructuosam requisitionem! *Quæretis me.* ô luctuosam mortem! *& in peccato vestro moriemini.*

In perditione nostra Deus dolore tangitur. *Similitudo.*

Verùm tanta eius bonitas & misericordia est, vt nũquam ad hũc ad extremum rigorē procedat, nisi postquam diu nos ad pœnitentiam sollicitauit, & patienter expectauit, dissimulans peccata hominũ, & immemor ingratitudinis ipsorum, si ad pœnitētiam redeant, semper paratus vt optimus pater indulgere eis,& misericordiã præstare. Poëtæ & fabulosi scriptores Iouem dicunt, cùm vellet punire, priùs omnes Deos cõuocare, vt lentè ad vindictam procederet: cùm verò vellet misereri & parcere, solitum nullum tunc aduocare, sed statim gratiam præstare miseris. Hoc equidem fabulosum est: sed istud quod dicimus verissimũ, videlicet Christum, cùm punire cogitur, videri tunc quasi inire consilium, adeò ipse patiens est, & tãta animaduersionis eius protractio atque dilatio: si verò de venia agitur, illam dare subitò, tanta est in parcendo eius facilitas & promptitudo.

Dei clementia & patientia erga peccatores. *Fictio Poëtarum.* *Veritas apud nos de Christi clementia.*

Mirabile

Exemplum. Gen.3.

Mirabile hac de re exemplum eſt in Adam, qui ſtatim atque Deum offendit, ecce eum præuenit Dominus, vocat, & dicit, vbi es? Sed quod contigit antè, attendamus. Peccato Adæ & Euæ commiſſo, oculi eorum aperti ſunt, & cùm cognouiſſent ſe eſſe nudos, abſcondunt ſe à facie Domini. Sed quomodo? Cùm audiſſent vocem Domini deambulantis in paradiſo, ad auram poſt meridiem, vocantis Adam, & dicentis, vbi es?

Signa diuinæ miſericordiæ in Adā.

Talia quidē ſigna erāt diuinę eius miſericordiæ. Primò, Deus erat deambulans, non currens, vt oſtenderet ſe non ad vindictam feſtinare, ſed lentè procedere. Secundò, ad auram, id eſt, cum ſpiritu lenitatis ſuæ, & dulci Zephyro gratiæ, vel contra auram huius miſericordiæ quæ obuiam Dei iuſtitiæ veniebat, ſeque illi fauorabiliter pro Adā opponebat. Tertiò, poſt meridiem, vt oſtendat quia non exit ad puniendum niſi poſt meridiem, non ſummo mane, ſed ſerò, illúſque egreſſum eſſe ad ſalutem noſtram, & non perditionem. Iuxta quod ipſe Chriſtus dicit; *Filius hominis venit quærere, & ſaluum facere quod perierat.* *Matth.18.*

Verùm aliam adhuc, & ſatis conformem verbis iſtis explicationem illud myſterium ferre poſſet, ſcilicet Deum poſt meridiem ambulare, id eſt, de corde noſtro exire, & quaſi nos deſerere poſt meridiem, & feruorem in nobis extinctum charitatis; cùm, inquam, nulla eſt amplius deuotio in nobis, nec amor, nec zelus; cùm à facie eius nos abſcondimus. Tunc enim ad auram Deus ambulat, nóſque requirit cum flagello in manu. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.*

Sed primam noſtram explicationem reſumamus, dicamúſque, ideo quidem poſt meridiem Deū ambulare, quia tardior eſt ad pœnam quàm ad veniam, ſicut promptior ad miſericordiam & veniā, quàm ad vindictam. Vnde quartò vocauit Adam, & dixit ei, vbi es? Vocauit, quia intentio eius fuit, reducere ipſum & ſaluare, conuertere & ad pœnitentiam adducere: & dicit, vbi es? vt ſtatum miſeriæ ſuæ ille miſer homo meliùs agnoſcat.

Illa autem duo adhuc puncta ſuperſunt pro conſolatione & conſideratione peccatoris. Primum eſt, Deum neminem perire velle, qui, vt Apoſtolus dicit, omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. *Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra.* Vult Deus ſalutem omniū, & voluntate beneplaciti, & voluntate ſigni. Primò, beneplaciti quatuor modis, cauſaliter, diſtributiuè de ſingulis, diſtributiuè de generibus ſingulorum, & vniuerſaliter pro omnibus ex ſufficientia. *1.Tim.2.*

Duplici voluntate vult Deus ſalutē omnium. Voluntate beneplaciti quatuor modis.

Primò, cauſaliter, quia ipſe facit omnes Sanctos velle ſuam ſalutem; vt de Spiritu ſancto dicitur Rom.8. quia ille eſt qui poſtulat pro nobis, id eſt, qui poſtulare nos facit, & ſic poſtulat cauſaliter. Secundò, diſtributiuè pro ſingulis, quia qui ſingulariter ſaluantur, ſaluantur per voluntatem eius, & non aliter, & ſic vult ſaluari qui ſaluantur.

Tertiò, diſtributiuè pro generibus ſingulorum, id eſt, nullum hominum genus à ſalute excipit, ſaluat Gentiles vt Iudæos; Germanos vt Gallos; pauperes vt diuites.

Quartò denique vniuerſaliter, ſeu omnino vult omnes ſaluos fieri ſufficienter, &, vt dicimus, antecedenter. Eſt enim idem omnium Dominus. Quomodo S. Iohannes dicit quia ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed totius mundi, & hoc ſufficienter, quia ad ſalutem omnium ſufficiens obtulit pretium ſanguinis ſui. Interim efficaciam non habet niſi in electis, propter impedimentum quod interuenit ab aliis; vnde additur, & ad agnitionem veritatis venire. Etenim nulla eſt ſalus niſi per hanc agnitionem veritatis, Chriſto dicente; Agnoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. *1.Ioh.2.* *Ioh.8.*

Vnde iam mirum non eſt ſi tam pauci ſaluentur. En certè ratio, quia non eſt veritas, dicit Oſee noſter, & non eſt ſcientia Dei in terra. Et Dominus IESVS: Spiritum veritatis, inquit, mundus accipere non poteſt. *Ioh.14.*

Ecce cauſa noſtræ perditionis: exinde enim per Prophetam ſuum dicit; Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum. Verè auxilium noſtrum eſt à Deo, qui non ſolùm ex illa beneplaciti voluntate noſtram vult ſalutem, ſed etiam, vt diximus, vult omnes ſaluos fieri voluntate ſigni, quia proponit omnibus præcepta ſalutis, & conſilia, & remedia, nolens mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Propterea etiam quærit, vocat, expectat, & omnia neceſſaria præſtat. *Ezech.18.*

Deus voluntate ſigni vult omniū ſalutem.

Primò quærit, qui ad quærendum deſcendit. Fidelis ſermo, ait Apoſtolus, & omni acceptione dignus, quod Chriſtus IESVS venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere: & ſicut iā ex Matth. diximus, quærere, & ſaluum facere quod perierat; & alibi, animas ſaluas facere, non perdere: item drachmam perditam quærere, & quæ perierat ouem, ad quam vadit, & propter quam nonaginta nouem in deſerto dimittit. Figura etiam eſt in illa myſtica miſſione Iſaiæ ad Regem Ezechiā ægrotum pro ſanitate ipſius. *1.Tim.1.* *Matth.18.* *Luc.15.* *4.Reg.20.*

Secundò, expectat in patientia vt longanimis & multum miſericors. Ita S.Petr. Patienter (inquit) agit propter vos Dominus, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Ita Sapiens; Diligis Domine, omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quę feciſti, qui miſereris omnium, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Iuxta illud Iſa. Ecce ego, ecce ego ad gentem quæ non inuocat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, & contradicentem mihi, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas, populum qui ad iracundiam prouocat me. & in alio loco: Nunc ergo habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, iudicate inter me & vineam iſtā. Quid debui vltrà facere, & non feci? Expectabam ab ea vuas, & attulit labruſcas. Tacui, patiens fui, væ demum loquar tanquam parturiens, & abſorbebo ſimul. *Ego vado, & in peccato veſtro moriemini.* *2.Petr.3.* *Sap.11.* *Iſa.65.* *Iſa.5.*

Tertiò, vocat nos ante ad conuerſionem & pœnitentiam monitis gratiæ. Quod adhuc diuerſimodè præſtat; nunc ſuauitate & miſericordia, nunc caſtigatione & reprehenſionibus, modò intus, modò exteriùs. Intus quidem duobus modis. Primò, inſpirationibus veritatis, & nouis quibuſdā ſplendoribus gratiæ, quæ ſtatum noſtrum nobis ipſis demonſtrat. Secundò, remorſibus & compunctionibus conſcientiæ propriæ, quæ ſemper ſupereſt delictorum noſtrorum accuſatrix continua. Magna equidem vox eſt conſcientia noſtra, vnde S. Iohannes dicit; *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, tunc fiduciam habemus ad Deum.* Teſtis enim omnium eſt ante Deum conſcientia. Illa eſt quæ iuſtificat, aut accuſat: illa quæ omnium conſcia, omnia reuelat.

Multis modis Deus nos ad pœnitentiam vocat.

1.Ioh.3. *Magna vox & teſtis corā Deo conſcientia.*

Vnde optimè illa comparari poteſt cum ſeruis Iob, qui à ruinis & cladibus quæ ei accidebant,

A

ſemper incolumes & ſalui euadebant, vt ei omnia mala annunciarent. Sic enim vnus poſt alterum veniebat illi malum quod acciderat, referre. Iſte, quomodo Sabæi tulerant omnia, & pueros eius gladio percuſſerant, ſolus autem euaſerat, vt nunciaret ei. Et ecce dum loqueretur talia, venit alter, & dixit; Ignis deſcendit è cœlo, & tactas oues puerósque conſumpſit, & effugi ego ſolus, vt nunciarem tibi. Sed & illo adhuc loquente, venit alius, & dixit; Chaldæi fecerunt tres turmas & inuaſerunt camelos, tulerúntque, necnon pueros percuſſerunt gladio, & ego fugi ſolus, vt nunciarem tibi. Adhuc loquebatur ille, (mira res iſta eſt) & ecce alius intrauit, & dixit; Filiis & filiabus tuis veſcentibus in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt, & effugi ego ſolus, vt nunciarem tibi.

Tales quidem iacturæ erant, & talia mala quæ illi triſtes nuncij ad pauperem & deſolatum Iob deferebant. Taléſque etiam miſeriæ ſunt, quas nobis repræſentat conſcientia, aut conſcia mens noſtra peccati, ſcilicet omnia nobis mala noſtra obiicit, quomodo & bona, & liberi ſimul tolluntur à nobis, neque amplius ſunt illa bona opera, quæ ſimul cum gratia penitus extincta ſunt.

C

O ſtatum ſeptuagies ſepties Iob conditione peiorem & miſeriorem, qui non peccauerat! Solus ille equidem eſt hominis ſtatus, qui lacrymis & compaſſione dignus eſt. Sed quid facit Deus? Ipſamet vtitur conſcientia intus, cui & verba & lumen communicat, vt ad ſe reuocet hominem & conuertat; & ille eſt interior modus. Exterior autem eſt vt plurimum in afflictione, & diuini verbi prædicatione. Quibus etiam Deus vtitur, vt nos ad ſe conuertat, & legem ſuam nos ſanctè amplecti faciat.

Interni & externi modi, quibus Deus vtitur ad conuerſionem noſtrã.

Exod. 19.

In Exodo figura eſt, vbi Deus loquitur Moyſi, & Moyſes Deo, dum tonitrua audiuntur, coruſcationes ſcintillant, & totus mons fumat terroribus. Ita Deus plerunque & quotidie nobiſcum ſe gerit, cùm ad implenda ſua præcepta nos inducit: ſæpius enim apparet terribilis, & timore plenus.

D

Alter modus eſt conformior, ſuauior, potétior, conuenientiorque nobis, ſcilicet prædicatio Euangelij, cuius verba ſpiritus & vita ſunt: & iſte modus exterior eſt. O quot ad Deum per verbum ipſius conuerſi ſunt, & conuerterentur adhuc, ſi cum diſpoſitione ipſum audirent! Numquid enim verba mea ſunt quaſi ignis, (dicit Dominus apud Ierem.) & numquid malleus conterens petras? & apud Iſa. Quomodo deſcendit imber, & inebriat terram, eámque germinare facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud. (adde, ſi cum diſpoſitione ſuſceperint.)

Ierem. 23.
Iſa. 55.

E

Sed non eſt omnibus iſtis contentus Dominus, ſcilicet quod quærat, expectet, & vocet peccatorem; adhuc alia omnia quæ conuerſioni eius neceſſaria ſunt, adminiſtrat, vtpote Eccleſiæ Sacramenta, quæ ſemper præſentia ſunt & præparata omnibus. Quis nos impedit illis vti? aut nos à frequentia illorum auertit? Deus! Abſit vt talia excogitemus: hoc enim diuinæ bonitati eius repugnat & continuis inſpirationibus. Alias omnes friuolæ vocationes eſſent & omnino fruſtraneæ, niſi etiam media daret, & libertatem ipſum adeundi, & noſtram cum ipſo operandi ſalutem. Quaſi verò aliquis inuitaret alterum ad volandum ſine pennis & alis; vel ad rectè ambulandum confractis cruribus. Non eſt ita ſentiendum de Deo, de bonitate eius & ſapientia diuina: alias enim & paſſioni ſuæ contradiceret & morti, in qua nobis omnia auxilia promeruit, & vocationis omnis gratiam; ſed reſiſtimus nos atque renuimus. Vnde in Prouerb. conqueritur ſic: Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo. *Ego vado,* inquit, *& quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.*

Prou. 1.

B

Quare Ieremias dicit: Erudire Hieruſalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne fortè ponam te deſertam, terram inhabitabilem. Hoc namque eſt malorum omnium profundum, ſemel deſeri à Deo, & illud Pſ. audire: Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum. Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, relinquamus eam. Tunc enim inuocabunt me, & non exaudiam, ſcilicet cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, veneritque ſuper illos tribulatio & anguſtia, eo quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint.

Ierem. 6.

Pſ. 8.
Deſeri à Deo omniũ malorũ eſt abyſſus.

Quare dum tempus habemus, operemur bonũ: poſt hoc enim tempus erit in quo operari nõ poſſumus. Iſaias dicit: Quærite Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dum propè eſt. Quærite, dicit Dauid, & viuet anima veſtra. Quærite, & accedite dum manus habet ad miſericordiã & gratiam expanſas. Poſt illa enim tempora, alia venient, videlicet mortis & iudicij in quibus nullus amplius dabitur pœnitentiæ locus, & ad thronum miſericordiæ acceſſus. *Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra. Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.*

Gal. 6.
Iſa. 55.

Vnde ergo accidit, vt voci gratiæ minimè nunc aurem accommodemus? voci afflictionis, conſcientiæ & prædicationis? Vndenam non dicimus modò cum Propheta (antequam illa vox irremiſſibilis ſententiæ & iudicij audiatur:) Audiam iam quid loquatur in me Dominus Deus. Cur audiam? quoniam, inquit, loquetur pacem in plebem ſuam. Pacem dicit: & ita eſt; quia licèt vndique bella audiamus aduerſus mundum, carnem, & peccatum, diabolum & infernum; pax tamen ſemper eſt, & maximè ſuper Sanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor, id eſt, in veritate.

Vox mortis & iudicij exorabilis.

Illa igitur pacis verba auribus cordis audiamus & recipiamus. Maximè enim loquitur ad cor Deus. Ita vt S. Gregor. dicat; Niſi intus ſit qui doceat, in vanum lingua prædicatoris laborat. Nihil equidem prodeſt niſi loquatur Dominus, nihil verba proſunt, nihil afflictio. Sic enim nihil Antiocho Regi ſua afflictio profuit, vt 2. Machab. 9. videri poteſt. Denique dicam, nihil omnino prodeſt nobis ad pœnitentiam, niſi ſit intus qui nos doceat illam, & prouocet ad faciendam.

Ad cor loquitur Deus, & nil prodeſt niſi loquatur.
S. Greg.

Nunc autem vndique inuitamur ad illam. Ex parte miſericordiæ & gratiæ: neque enim iuſtos, ſed peccatores vocare venit. Ex parte etiam mutationis temporum, & rerum omnium, quæ nos ſecum ad conuerſionem & mutationem inuitant. Ex parte adhuc Inferni, qui clamat, & ſua nobis, ne ingrediamur, tormenta demonſtrat. Denique adhuc ex parte Purgatorij, vbi ignis vindex eſt & vltor venialium delictorum noſtrorũ, & negligentiarũ, niſi

Vndique prouocamur ad pœnitentiã.

niſi in hoc mundo pœnitentiam debitam agamus. Illam igitur citò & ſeriò pœnitentiam faciamus, ac eius dignos fructus: prompta enim & velox mors eſt, eius hora incerta; momentum autem iuſtitia & rigore plenum. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* Non eſt ſcientia Dei in terra.

Quibus peccator comparatur gratia deſtitutus. Secundum punctum eſt. Quidnam eſt anima in hoc mundo abſque gratia, & pœnitentiæ auxilio? vtique velut nauis vndique ventis & procellis agitata in periculoſo mari, gubernatore deſtituta, & velis, ſemperque naufragio ſuo proxima. Vel ſi vultis, & meliùs, ad inſtar iſtius deſolati, miſereque vulnerati & ſpoliati in via, qui incidit in latrones cùm de Hieruſalem deſcendebat in Iericho, cuius parabola eſt apud Lucam. (*Luc. 10.*) Ita enim eſt de anima quæ à gratia recedit, & ſine pœnitentia pergit ſuum iter ad peccatum, in manus latronum incidit qui eam ſpoliant, vulnerant, & non dicam ſemimortuam relinquunt, ſed penitus mortuam. Peccati namque proprius effectus eſt mors, & non ſolùm vna, ſed triplex, corporalis, ſpiritualis, & æterna ſeu finalis. (*Triplex mors ex peccato oritur.*)

Corporalis. Rom. 5. & 6. Corporalis eſt in ſeparatione animæ à corpore, & peccati eſt effectus. Ita Apoſt. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. Vnde dicit quod ab Adam regnauit vſque ad Moyſem, & ab illo vſque ad nos, etiam in his qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. Stipendia peccati mors.

Spiritualis. Ezech. 18. Spiritualis in ſeparatione Dei ab anima conſiſtit, de qua apud Ezech. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. (*Æterna & finalis omniũ terribiliſſima.*) Æterna ſeu finalis in obſtinatione peccati eſt, in iactura gloriæ & viſionis beatificæ, de qua ipſe Chriſtus apud S. Matth. & Luc. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Omnium certè terribiliſſima mors iſta eſt: horribilior prima, quia in ea datur reſurrectio ad vitam. Item terribilior ſecunda, quia de peccato quotidie fit reſurrectio ad gratiam: ſed in hac tertia & finali æternum eſt quod cruciat cum deſperatione vitæ, & continua poſſeſſione mortis. De qua quidem morte hæc verba poſſunt intelligi; *Ego vado.* (ecce abſentia, receſſus & ſeparatio Dei.) *Et in peccato veſtro moriemini.* (ecce æterna poſſeſſio mortis.) (*Peccati & mortis æternitas.*) Ex peccato nata mors per ſe non poteſt niſi æterna eſſe, peccatum enim ex ſe æternum eſt: vnde illa ſequitur æterna mors. Quare etiam qui in peccato moritur, in æternum damnabitur.

O quàm iſtud eſt horribile & intolerabile verbum! *Ego vado, & in peccato veſtro moriemini.* Non minus certè terribile eſt atque illud; Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. (*Quid ſit in peccato mori.*) Mori in peccato, eſt in ſtatu eſſe æternæ damnationis, & ſeparationis in æternum à Chriſto, in æternum ſeparari à Chriſto.

Chriſtus principium & finis omnium. Domine tu quis es? Ego, ait, principium qui loquor vobis; principium & finis omnium, α & ω. Principium, per quod omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil. Ex ipſo, inquit Apoſtolus, per ipſum, & in ipſo omnia, cui honor & benedictio in ſæcula ſæculorum. Principium in creatione, finis in conſummatione & gloria. Omne enim bonum noſtrum Chriſtus eſt, aut in Chriſto eſt.

Domine tu quis es? Ego ſum qui ſum, Verbum apud Deum, & Deus Verbum. Qui Filium habet, vitam habet. Qui Filium non habet, vitam non habet. O qualem mortem, quæ in æternum ſeparat à Chriſto vita noſtra!

Ioh. 14. & 10. Domine tu quis es? Ego ſum via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem niſi per me. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur.

Domine tu quis es? Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. (*Ioh. 1. & 3.*) Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.*

Domine tu quis es? Ego flos campi, & lilium conuallium: (*Cant. 2.*) flos ob plenitudinem gratiarum, & lilium ob communicationem illarum. Sicut enim flos ſucco plenus eſt: ita plenitudine gratiarum Chriſtus. Iohan. 1. Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. Et ſicut lilium latè ſuum diffundit odorem; ſic Chriſtus ſuam gratiam omnibus: & de plenitudine eius omnes accepimus, ait idem S. Iohannes.

Domine tu quis es? Ego ſum IESVS, Saluator & animarum medicus. Ego ſum Chriſtus diuinitate vnctus. Ego vnigenitus Dei, & Mariæ filius IESVS Chriſtus homo-Deus.

Domine tu quis es? Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Paſtor dat animam ſuam pro ouibus ſuis.

Domine tu quis es? Ego ſum panis vitæ qui de cœlo deſcendit. Si quis manducauerit me, viuet in æternum. In gloria Dei Patris, vita viuet, & non morietur in æternum. *Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra.*

Domine tu quis es? Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet. Qua vita æterna & gloriæ in ſæcula ſæculorum.

DE AVTHORITATE Eccleſiæ, & veritate eius doctrinæ, & prædicationis.

Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, &c. Matth. 23.

Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra. Oſee 4.

SAnctus Paulus electus Dei Apoſtol. 1. ad Tim. 3. digno cohoneſtat nomine ſponſam Chriſti Eccleſiam. Eam vocat columnam & firmamentum veritatis, ſcilicet quia nemo veritate inſtrui poteſt, & in illa confirmari, niſi per præcepta, myſteria & documẽta Eccleſię: cui Euãgelij gratia data eſt, curationis virtus, & omnis authoritas prædicationis, ſicut dicitur ab Apoſt. (*1. Cor. 12.*) Quoſdã quidem poſuit Deus in Eccleſia, primò Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. Sic rurſus alibi, vbi eadem ordinis & diuerſitatis (*Eph. 4.*) donorum repetitio fit cum additione Euangeliſtarum, hoc modo. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas: alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, videlicet Eccleſiæ, vt non circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris, &c.

Cęterùm

Quatuor notanda in verbis Apostoli.

Cæterùm tria hic aut quatuor notari possunt A ex duobus istis capitibus. Primò, Ecclesiæ vnitas: secundò, ordo & distinctio in illa donorum: tertio, finctus & vtilitas eorum: quartò, aduersus errorem doctrinæ diuersæ veritatis.

Quantum ad primum, hic similitudine corporis, vnitas Ecclesiæ exprimitur. Quod vt distinctiùs intelligatur, sciendum est ex Philosophorum doctrina, tripliciter aliquid vnum dici. Vno modo, indiuisibilitate, vt vnitas numeri, aut punctum, quæ totaliter multitudinem excludunt, & actualem & potentialem. Alio modo, continuitate, vt linea & superficies, quæ quidem vnitas licet actualem multitudinem excludat, non tamen potentialem. Est enim linea potentia diuisibilis, & sic multa. Tertio B modo aliquid integritate vnum dicitur. Quæ vnitas neque actualem, neque potentialem multitudinem excludit, sed admittit vtramque, vt domus quæ vna dicitur, licet ex multis lapidibus constituatur & lignis. Idem est de corpore hominis, cuius vnitas & perfectio integratur ex diuersis membris & organis, sicut ex diuersis animæ instrumentis.

Metaph. c. Tripliciter aliquid dicitur vnum.

Quomodo Ecclesia vna dicatur, & qualis sit.

Hac autem similitudine, vna Ecclesia dicitur, integritatis & perfectionis vnitate, quæ multitudinem non excludit. Est enim Ecclesia fidelium cōgregatio, qui in eamdem Euangelij doctrinam, & in eamdem Sacramentorum ritum consentiunt: iuxta quod illam comparat Apostolus corpori ex multis partibus consonantibus confecto, dicens sic C ad Corinth. Sicut corpus vnum est, & membra habet multa; omnia autem membra cùm multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus. Sic & Ephe. 4. Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum est & connexum per omnem iuncturam subministrationis.

1. Cor. 12.

Ephe. 4.

Vbi ostendit in quo, & per quem crescere debemus, vt vnius corporis sint Ecclesiæ membra. Primo, in veritate & charitate, id est, in veritate doctrinæ, seu in bonis operibus, & in eorumdem D forma, quæ duplex est, veritas & charitas. Veritas enim omne bonum dicitur: iuxta quod dicitur de Tobia cap. 1. quod in captiuitate positus viam veritatis non deseruit, id est, bona opera. Hæc enim sunt quæ nos iustificant, scilicet si, vt dicit S. Iacob. factores verbi simus, & non auditores tantùm, aut annunciatores. Atque etiam si hoc in charitate fiat, quæ forma est omnis boni operis: iuxta quod præcepit Apostolus nobis, vt omnia opera in charitate fiant. Etenim absque illa non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Denique dicam, absque illa nullius valoris esse omnia.

Duplex formatio bonorum operum, veritas & charitatis.

Iacob. 1.

1. Cor. 16.

Secundò, ostendit per quem hic crescere debemus, & operationum nostrarum motiuum accipere, scilicet per Christum, qui est caput, ex quo toE tum corpus compactum est & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem.

Vbi ex his verbis sciendum, omne corpus naturale & animatum tria communiter habere, compactionem, seu vnionem membrorum adinuicem; ligationem seu connexionem per neruos: deinde subministrationem, seu mutuam subuentionem per operationes; quæ omnia ex capite fluunt & dependent. Ita est in corpore mystico & spirituali Ecclesiæ. Ex capite nostro Christo fluit primò coadunatio fidelium, vt Abacuc ait: Congregabit ad se omnes gentes, & coaceruabit ad se omnes

Comparatio inter corpus naturale & spirituale.

Abac. 2.

populos. Vnde caput dicitur ex quo totum corpus compactum est, vt Ephes. 1. Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius. Secundò, ex eodem fluit connexio, seu colligatio in corpus vnum ex participatione eiusdem Spiritus. Tertio, mutua subuentio & subministratio in necessitate. Sicut in corpore oculus indiget opera pedis, & pes similiter oculo deseruit. Ita in Ecclesia, mutua est subministratio auxilij. Contemplatiui iuuant actiuos: & actiui contemplatiuis deseruiunt. Sic Martha satagebat circa frequens ministerium domus, dum sedebat Maria secus pedes Domini, & audiebat verba illius. Ecce modo qua ratione dicitur Ecclesia vna ex comparatione corporis.

Eph. 1.

Luc. 10.

Quo posito, sic eam distinctè definire possumus, vt ab omni alia falsa separemus Ecclesiam, quæ vnica, visibilis, & vera est, congregatio est hominum eiusdem Christianæ fidei professione, & eorumdem Sacramentorum communione simul colligatorum, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè vnius Summi Pontificis Romani, Vicarij Christi in terris. Tres sunt partes huius definitionis, ex quibus colligi clarissimè potest, quinam ab illa vera Ecclesia excludantur. Prima est professio veræ fidei. Secunda, eorumdem Sacramentorum communio. Tertio, subiectio Pastori legitimo Romano Pontifici, Christi vicario.

Definitio Ecclesiæ.

C Ratione primæ conditionis excluduntur ab Ecclesia omnes infideles, tam qui numquam in ea fuerunt, vt Iudæi & Pagani: quàm qui olim in ea fuerunt, sed postea recesserunt, vt hæretici, & apostatæ. Illi namque omnes carent fide, cuius professio & doctrina non est nisi in Ecclesia Catholica, Apostolica & Romana. Sicut olim legis doctrina & interpretatio non nisi in Synagoga, & super Cathedram Moysis prædicabatur, teste Christo dicente; *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ. Quæcunque dixerint facite.* Ita nunc nisi super Cathedram Petri Euangelium prædicatur & vera fides, ipso Christo dicente: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et rursus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Vnde & ter dicitur ei, Pasce oues meas, pasce agnos meos: cuius quidem ministerium & testimonium ipse Christus innuit in naui Petri, quadam die ascendit, quæ erat iuxta stagnum Genezareth, & sedens docebat de hac nauicula turbas, dixitque Petro, post factam statim in illa magnam piscium capturam: Ex hoc iam homines eris capiens, scilicet virtute spiritualis piscaturæ, & prædicationis diuini verbi, fideique, cuius columna eris.

1. Pars & conditio.

Luc. 22.

Matth. 16.

Ioh. 21.

Luc. 5.

2\. Ratione secundæ conditionis excluduntur illi qui nondum sunt admissi ad Sacramētorum communionem, vt catechumeni. Item & excommunicati, qui foras mittuntur, vt separati.

3\. Ratione tandem tertiæ schismatici excluduntur, qui legitimo Pastori non subduntur, qui extra veram Ecclesiam Sacramenta recipiunt, & foris profitentur fidem. Quos enim includit Ecclesia, ij sunt omnes, tam peccatores quàm iusti, qui in eamdem doctrinam Euangelij conueniunt, in eiusdem fidei Christianæ professionem & ritum eorumdem Sacramentorum, sub vno Pastore legitimo, & maxime Summo Pontifice Romano, Vicario Christi. Ecce omnes conditiones veræ Ecclesiæ, quasque eam habere oportet sine restrictione vlla.

Quæ

Quæ cùm ita sint, iam ad distinctionem ordinum veniamus qui in Ecclesia positi sunt, & visibilem reddunt. Punctum secundum est, vbi agere conuenit de diuersis donis, & gradibus Ecclesiasticis circa ministeria diuersa & officia in illa, vt ad Eph. 4. notauit Apostolus, & 1. ad Cor. 12. vbi dicit: Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primò Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Euágelistas, (hic ordo est ad Ephes.) quartò Doctores & Pastores, deinde virtutes, &c.

2. Punctum.

Distinctio ordinum in Ecclesia. Distinctio est & ordo donorum, & ministeriorum, inter quæ primus gradus est Apostolorum, quibus specialiter competit regimen Ecclesiæ. Iuxta quod dicitur in Apocalypsi, super duodecim fundamenta Ciuitatis describi duodecim Apostolorum nomina. Quare ipsi inter cæteros fideles, primitias, primatumque in spiritualibus gratiis obtinuerunt: sicut etiam in omnibus Christi donis priuilegiati sunt.

Apoc. 21.

Apostoli priuilegiati super omnes. Primò, in plenitudine gratiæ & sapientiæ, quátum ad reuelationem & notitiam diuinorum mysteriorum, vt eis dictum est: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. & iterum. Omnia quæ audiui à patre meo, nota feci vobis. Sic apud Luc. aperuit eis sensum, vt intelligerent.

Marc. 4. Ioh. 15. Luc. 21.

Secundò, in abundantia & vi eloquentiæ, ad prædicationem Euangelij. Vnde eis dicit: Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Euntes ergo in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.

Marc. vlt.

Tertiò, in prærogatiua auctoritatis, & potentiæ ad regendum, & corrigendú, sicut apud Lucá dicitur, quod conuocatis IESVS duodecim Apostolis, dedit illis virtuté & potestaté super omnia dæmonia, & vt languores curarét, & misit illos prædicare regnú Dei. Sicq; postea dixit illis: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctú. Specialiter tamen illa authoritas, & gubernandi prærogatiua Sancto Petro data est, cui dictum est; Pasce agnos & oues meas. Etiam & corrigendi authoritas Ecclesiæ, & qui præsunt in ea, Apostolis data est. Si peccauerit in te frater tuus, ait Christus, corripe eum; si te nó audierit, nec testes, quos adhibuisti tecum, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis, &c.

Luc. 9. Ioh. 20. *Authoritas S. Petri & priuilegium.* Matth. 18.

Apostolorum officia distributa aliis. Plures autem alij cum ipsis in eadem officia assumpti sunt. Quorum quidam per seipsos reuelationes à Deo acceperunt, qui dicuntur Prophetæ. Alij ante & alij post Domini Aduentum. De his dicitur, Prophetæ & Lex vsque ad Iohannem. De illis verò; Ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes, scilicet omnes discipulos & Leuitas, vt S. Stephanum, &c.

Matt. 11. & 23.

Ex eis autem quidam prædicandi quæ reuelata fuerunt, & conscribendi, officium habuerunt, & hi Euangelistæ fuerunt, de quibus dicitur: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem! Alij populum instruendi, & ea quæ reuelata sunt docendi. Alij gubernandi gregem Christi, munus acceperunt, & hi sunt Doctores & Pastores, de quibus in Actis dicitur, quod erant in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores. Et apud Hieremiam: Dabo vobis Pastores secundum cor meum; & pascent vos in scientia & doctrina. Hi sunt qui in Ecclesia sunt, extra quam veritas & scientia Dei non est.

Rom. 10. Actor. 13. Hierem. 3.

Talis igitur ordo est, & tale munus legitimorú ministrorum Ecclesiæ visibilis, quibus eam regere competit, & fouere in ædificationem & consummationem Sanctorum. Iuxta quod in Actis dicit Paulus: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritussanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et ad Timoth. Hæc tibi scribo, inquit, fili Timothee, vt scias quomodo te oporteat conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Cóuersatio quidem visibilis est, & non inuisibilis, vt appareat contra hæreticos, visibilem Ecclesiam esse. Sederunt super Cathedram Moysi Scribæ & Pharisæi: & si te non audierit frater contumax, dic Ecclesiæ, ait Dominus, &c.

Actor. 20. 1. Tim. 3. *Ecclesia visibilis.*

Hæc ipsa est Ecclesia, quæ Augustini tempore, & quatuor primorum Conciliorum, ô hæretici, in œconomia & dispensatione ministerij Ecclesiastici diuersos ordines, vt nunc fit, obseruabat, consecrabat ceremoniis, & benedictionibus diuersis, videlicet Episcopum, Presbyterum, Leuitam aut Diaconum, Subdiaconum, Acolythum, Exorcistam, Lectorem, & Ostiarium.

Antiquitas ordinum in Ecclesia.

Hæc est & eadem Ecclesia, quæ ex traditione Apostolica & diuino iure, inter Episcopum & Presbyterum, nominatim quátum ad rationem & differentiam ordinationis, semper distinctionem ponebat. Sic enim Apostolus ad Titum Cretę Episcopum: Reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per Ciuitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Ecce ius in Episcopis ordinandi Presbyteros ad distinctionem eorum. Sicut adhuc in illis præcipua remanet correctionis authoritas, iuxta quod sequitur statim: Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut dispensatorem Dei, amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem; vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere. Ad eum namque pertinet, vt præest Ecclesiæ, iudicij & excommunicationis authoritas & potestas: vnde Christus de fratre perdito & inobediente ait; Dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus.

Ad Tit. 1. *Distinctio inter Episcopum & Presbyterum.* Matth. 18.

Eadem adhuc Ecclesia est, quæ in ordine Episcopali diuersos agnoscebat iurisdictionis gradus. Hos iure positiuo, scilicet Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas: iure autem diuino, vnum supereminentem, qui est Papa, Max. & Opt. Pontifex, & sine quo nihil agi eorum vnquam poterat, aut definiri, quæ ad vniuersalem Ecclesiam spectabant. Cuius etiam præsentiæ defectus, vel Legatorum pro eo, vel confirmationis ab ipso, omnia Concilia, licèt prætenderentur vniuersalia, & œcumenica, irrita faciebat.

In ordine episcopali gradus diuersi. *Summus omnium Papa, sine quo nihil definiri potest.*

Persequar adhuc? Illa vna est & eadem Ecclesia, quæ successionem non interruptam Episcopatus ab originali missione Apostolorum, pro essentiali conditione & nota Ecclesiæ ponebat, & tenet adhuc hodie; eósque omnes qui non communicabant illi, velut schismaticos, & maledictionis Core, Dathan & Abiron reos habebat, sicut nunc adhuc declarat.

Episcopatus non interrupta successio pro nota essentiali Ecclesiæ.

Hinc S. Hieron. ad Damas. Pontif. Max. Cùm successore, inquit, piscatoris, & discipulo Crucis loquor. Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est, schismaticus est, hæreticus, reúsque maledictionis, iudicij & gehennæ. Et S. August. contra epist. fund. Tenet me in Ecclesia

S. Hieron. epist. ad Damas. S. Aug. contra epist. fundam. c. 4.

in Ecclesia Catholica, ab ipsa Sede Apostoli Petri, cui pascendas oues Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopum (qui Anastasius erat) successio Sacerdotum. Hæc omnia audiant hæretici: beatitudinem audiant, & successionem Pontificum Ecclesiæ.

Tertull. lib. de præscrip. Vnde & Tertull. Doctorum omnium primus (antè SS. Hieron. & August.) lib. de præscript. ad hæreticos loquens & contra ipsos. Edant, inquit, ipsi origines suarum Ecclesiarum, euoluant ordinem Episcoporum, ita per successiones ab initio decurrentes, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerarit, authorem habuerit, vel antecessorem. Hæc omnia ille Doctor antiquissimus.

Quomodo dicitur visibilis Ecclesia. Dic ergo Ecclesiæ, ait Christus, scilicet quæ in distinctione ordinum, & successione pastorum visibilis est, sicut adhuc in Republica, vsu, & praxi omnium ceremoniarum, legum, iurisdictionis & doctrinæ suæ. *Similitudo.* Hinc est quod sicut clara voce Pater manifestauit filium suum Apostolis, dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Ita Christus clarè manifestare voluit Apostolos, & Ecclesiæ suæ pastores, dicens: Vos estis lux mundi. Matth. 5. & 10. & rursus: Ite, ecce ego mitto vos. Luc. 10. Qui vos recipit, me recipit. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit, & eum qui me misit. Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, ait Dominus Iesvs. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlis, &c. Quæ omnia illis concessa sunt, ad vtilitatem quidem bonorum, & tutelam veritatis: ad malorum autem, atque erroris condemnationem.

Duo hic supersunt puncta, videlicet tertium & quartum, adhuc paucis & breuiter pertractanda, vt ex doctrina Apostoli optimè colligi possunt, quem ab initio citauimus. Vbi enim distinctionem ordinum, ministrorum, & donorum attulit, tam 1. Cor. 12. quàm Eph. 4. statim etiam vtilitatem & fructum demonstrat, dicens primò, ad cõsummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi. Quasi diceret Apostolus: ideo has differentias ordinum & donorum Deus in sua Ecclesia constituit. (Et quidem hoc est tertium punctum, quod notandum proponitur.) *3. Punctum.* Primò, ad consummationem Sanctorum, id est, ex S. Th. ad perfectionem credentium, & eorum qui iam sanctificati sunt per fidem Christi, scilicet vt Sancti tum numero, tum merito compleantur & perficiantur.

Secundò, in opus ministerij, id est, vt quisque opus ministrationis sibi creditæ strenuè exerceat, per quod scilicet procuratur honor Dei, & salus proximi. 1.Cor.4. Iuxta illud ad Corinth. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, scilicet quibus vt in officiis constitutis collata sunt spiritualia dona, & scientiæ, ad hoc vt Deo & proximis inseruiant, atque administrent. Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ. Quæ dicunt, facite.

Tertiò denique in ædificationẽ corporis Christi, scilicet vt etiam conuertantur infideles, ex quibus conuersis ædificatur Ecclesia Christi, quæ est corpus eius. (Vnde subdit, donec occurramus in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei.) Ad hoc enim vt ad finem tendunt omnia, sicut paulo antè dictum est; vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma: vnus Deus & pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Sic enim

A oportet conuenire omnes in agnitione vnius fidei & veritatis; & hoc, secundo loco, ait Apostolus, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, ad circumuentionem erroris, sed veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus.

4. Punctum. Quartum & vltimum punctum est, vbi etiam vltimus fructus ostenditur ex differentia ordinum in Ecclesia, & doctrina veritatis ministrorũ eius, qui vnitatem fidei & agnitionis filij Dei prædicantes, errorem ex animis auferunt, vt iam non simus sicut paruuli fluctuantes: sed vt viri perfecti, B firmi & stabiles in fide. Iacob. 1. Qui enim hæsitat, ait S. Iacobus, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Talis est hæreticus, qui omni vento doctrinæ circumfertur, quo liberatur Ecclesia; vento, qui est in nequitia hominum, ait Apostolus, in astutia & ad circũuentionem erroris. Talis enim ventus animas huc & illuc circumferens, est hæresis, & doctrina peruersorum, his tribus signata & distincta notis.

Tribus notis distinguitur hæresis. Prima originem eius respicit, cùm ait, (in nequitia hominum.) Hæc enim ex malitia & deliberatione propria, ad perditionem animarum tendit, & ruinam spiritualis ædificij.

C Secunda progressum respicit (in astutia,) quia cum dolo, intendit vnum, & simulat aliud. Reformationem simulat, & intendit destructionem, vt exempla declarant. Propterea Corinthiis dicebat Apost. 2.Cor.11. Timeo, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo Iesv. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.*

Tertia respicit effectum, cùm ait (ad circumuentionem erroris.) Talis enim est hæresis effectus, error atque seductio. Ita Apostolus ad Timoth. 2.Tim.3. Mali homines & seductores proficient in peius errantes, & in errorem alios mittentes. Aliter quidem est de Doctoribus Ecclesiæ, vbi veritas est. Quæ dicunt, facite, ait Dominus. Propterea enim illos D in Ecclesia posuit, vt veritatem quam prædicant, facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus.

Triplex veritas. Veritas triplex est, cordis, oris, & operis. Cordis, quæ stat in fide, & rectitudine intentionis. Oris, quæ stat in confessione & verbo veritatis, cùm videlicet lingua non discordat à corde & intentione. Iuxta quod Psaltes ille Rex sic Deum orabat; Psal. 118. *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis.* Adhúcque iungens simul illa duo, dicebat, cum certò ad Deũ Psal. 14. ascensurum, qui loquitur veritatem in corde suo, & non egit dolum in lingua sua. Ille enim verè dolum agit, qui cùm vnum dicit ore, aliud habet in corde.

Veritas operis est, quando fidei & rationi opera E concordant. 4.Reg.20. Iuxta quod sic Ezechias dicebat ad Deum: Memento quæso Domine, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim. O vtinam sic ambularemus omnes, vt quæ dicimus & profitemur, in corde perfecto & in veritate faciamus, in Christo Iesv Domino nostro.

DE IMI

DE IMITATIONE Christi, in appetitu gloriæ.

Nescitis quid petatis : potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Matth. 20.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

EX his verbis Domini IESV, *nescitis quid petatis*, non colligimus esse contra naturalem & propriam animæ dignitatem, grandia petere, honores dignos homine, ac dignitates magnitudini eius cōformes. Quia nati sumus magni, & quidem ad magna nati, sicut scriptum est: *Faciamus hominem ad imaginē nostrā, vt præsit*, &c. Philosophus Seneca naturę suę instinctu optimè hoc dicere solebat; Maior sum, & ad maiora natus, quàm vt sim vile mancipium cupiditatum mearum, id est, vt quæram inferiora me. Homo ad imaginem Dei formatus, debet præesse omnibus quæ sub se sunt, & non quærere nisi altiora se, vtpote diuina & cœlestia regna, sicut ait Dominus Matth. 6. Querite regnum Dei, & iustitiam eius. Et sic quod contemnere debet, vt ad imaginem & similitudinē Dei factus, est illud omne quod in mundo est, videlicet concupiscentia carnis, oculorum, & superbia vitæ, omne tandem quod visibile est. Quæ videntur, inquit Apostolus, temporalia sunt, quæ non videntur, æterna. Hæc sunt quæ homo quærere debet, quod oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit, & quæ tandem Deus præparauit diligentibus se, scilicet sedere ad dexterā Dei Patris. Aliàs enim accepimus frustra hanc animam ad imaginem Dei factam. Ideo in Psalmo quæritur: Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Qui non accepit in vano animam suam, ait Propheta. Vbi Cassiod. Ille equidem in vano accipit, qui putat desideranda quæ sunt caduca & transitoria. Vnde accidet, ex S. Ber. Serm. de primordiis & nouissimis nostris, vt post mortem habiturus sit locum etiam inferiorem iumentis, qui insensibilior factus est illis. Annō tibi hoc iustum videtur, inquit, vt positus in tormentis teneas locum posteriorem, videlicet Infernum? sicque post iumenta cogaris abire, qui iumentis insensibilior factus es? Eras aliquando gloria & honore coronandus, vt incola paradisi, conciuis Angelorum, & domesticus Dei. Nunc autem ab illa gloria deposuisti temetipsum exulem apud Inferos. Erubesce iam, ô homo, quod pro consortio Angelorum, non solùm pecorum, sed etiam dæmonum sortitus es consortium. hæc ille.

Gen. 1.

Quid quærere debeat homo ad imaginem Dei creatus.

Matth. 6.

Psal. 23.

Cassiod.

S. Bern. Ser. de primord. & nouiss.

Ecce quid aliquando proderit, in vano animam suam accepisse. Sicut è contrà ille in montem Domini ascendet, stabitq; in loco sancto eius, ad dexteram Majestatis Dei sedens in excelsis, qui nō accepit in vano illam, pro quo & accipiet benedictionem à Domino. Hæc est generatio quærētium Dominum. Verùm quis adhuc iste sit qu eretis: Idē declarabit Cassiodorus Qui, inquit, nouit se ad intelligentiam diuinitatis esse procreatum, ad cogitationes vitæ æternæ, ad legem Domini custodiēdam, & quidquid potest promereri vitam æternā, & locum in dextera Patris. Et S. Aug. in hunc Psal. 23. respondebit. Qui, inquit, in rebus permanentibus deputauit animam suam, & eam immortalem esse sentiens, æternitatem stabilem & incommutabilē desiderauit, vno verbo, sedere in regno Dei ad dexterā filij. Hoc est quod nō arguit Christus.

Cassiod.

S. August. in Psal. 23.

A *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra*, &c.

Vnde quod reprehendit in petitione filiorum Zebedæi per matrem, modus est iniustus, inordinatus & præsumptuosus. Dic vt hi duo filij mei sedeāt, vnus ad dexteram tuam, alter ad sinistram. Quibus respondit Dominus: Nescitis quid petatis. In hæc verba S. Chrysost. dicit. Quia nihil spiritale petebant, nec de cœlesti regno quidquam cogitabant, volebant autem præponi cæteris, & primatum impetrare, quoniam super duodecim sedes sessuros discipulos audierāt: ideo nescitis quid petatis. Neque turbetur quisquam, si adeò dicimus Apostolos imperfectos fuisse, nondum enim mysterium B Crucis erat consummatum; nōdum gratia Spiritussancti in corda ipsorum infusa. Vnde Dominus illis; Nescitis quid petatis. Nescitis quàm magnum sit hoc, quàm admirabile, ac ipsas superiores excedens virtutes, ait S. Chrysostomus.

Quid Dominus reprehendit in petitione filiorum Zebedæi.

S. Chrysost.

Nescitis quid petatis, quia hæc dignitas, & potestas non datur ambitiosis, elatis & cupidis: sed humilibus & paruulis. Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur, & è contrà. Ita enim Apost. dicit: Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo. Et sic non meum est dare vobis, vobis vt cupidis & ambitiosis. Dic, inquiebat mater, vt vnus sedeat. i. solus sedeat à dextris tuis. Sic enim in Scriptura vnus C accipi solet pro solo. Nescitis quid petatis per matrem. Vanum est vobis ante lucem surgere, Surgite postquam sederitis. Vbi S. Aug. Ante lucem Christum vultis exaltari, ô filij Zebedæi, antequam humiliemini; & Dominus vester Christus, qui est lux vera & vestra, vt exaltaretur priùs humiliatus est. Surgite igitur, sed postquam sederitis in humilitate: surgentes enim ab humilitate, ad regnum peruenietis.

Quibus gloria debetur.

Heb. 5.

Psal. 126.

S. Aug.

S. Gregor. hæc verba explicans Iob. *Deus potentiam non abijcit, cùm ipsemet sit potens*; dicit. Tumoris elatio, non ordo potestatis in crimine est: potentiā Deus tribuit, elationem verò potentię malitia nostræ mentis inuenit. Quod certè Deus exigit, humilitas est, non elatio, meritum, & non fauor. Vn- D de dixit illis Christus Dominus: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? potestis me sequi & imitari? Ecce enim qui mecum sedebunt in regno meo. Qui me imitatione sequentur. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra*. Christus imitatores exigit, & calicis sui participes. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?*

Iob. 36.

S. Greg. lib. 26. moral. cap. 19.

Imitatio Christi.

Idem S. Gregor. in Euang. Ad has vias, inquit, tumentia discipulorum corda reuocabat, cùm locum iam gloriæ quærerent, sed eiusdē gloriæ iter ignorarent dicens: Potestis bibere calicem? Nō nisi vincentibus regnum datur. Apoc. 3. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. Magnus quidem iste honor est cum Rege in eodem throno sedere. Aman magnus æstimator honoris, su- E premam illam dignitatē iudicabat, suspiciebàtque equo regio vehi. Quid igitur erit sedere cum omnium regum Rege Christo, in eodem throno suæ Majestatis? Sed cui sic sedere dabitur? Audite; Qui vicerit, ait Dominus, dabo ei sedere. Sedere, quiescentis est & regnantis: vincere autem est laborantantis & pugnantis. Vnde optimè ista duo coniuncta sunt; Qui vicerit, dabo ei sedere: quia labori debetur requies, & datur post prælium regnum.

S. Greg. homil. 27. in Euang.

Esther 6.

In quo quidē optimè proponitur nobis imitatio Christi & exēplum; quoniā oportet vt simus participes eius laboris, si velim' esse honoris; simus pœnæ, si velimus esse gloriæ. Si enim cōpatimur, & cōregnabimus. Si quis mihi ministrat, me sequatur,

Ioh. 12.

& vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis A mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Vnde statim post sic dicebat ad Patrem: Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecū. Notum enim eis feci nomen tuum, & notum faciā, vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Si quis mihi ministrat, me sequatur. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. Potestis bibere calicem? &c. Ita enim oportuit Christū pati, & ita intrare in gloriam suam. Vnde quidē Apost. dicit quia humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum. Si ergo cum illo exaltationis, & dexteræ participes esse velimus, ipsum oportet imitari & sequi.

Ioh. 17. Luc. 24. Phil. 2.

Sic Moyses, cùm peteret vt faciem Dei videret, B audiuit ab eo: Posteriora mea videbis, faciem autē meam videre nō poteris. Quasi diceret: prius oportet vt me sequaris, & posteriora mea videas; deinde faciem videbis. Qui aliquem sequitur, à tergo videt eum. Ita dixit Moysi in mysterio Dominus: Posteriora mea videbis, me sequeris, & sectator bonorū operum eris. Non est seruus maior Domino suo. Qui mihi ministrat, me sequatur. Qui dicit se in Christo manere, ait S. Ioh. debet sicut ambulauit, & ipse ambulare. A diebus Iohannis & proclamationis pœnitentiæ, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Itaque cōtendite intrare per angustam portā, quia multi quærent intrare, & nō poterūt. Vnde hoc, nisi quia angusta est porta? Vnde C vt aditus pateat, necesse est relinquere omnia. Ideo cōtendite. & alibi: Qui non renūciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Etiā qui non renunciauerit sibi ipsi, vt dixit iterū Dominus: Qui vult venire post me, abneget semetipsū. Ecce violentia quā patitur Cœlum. Contēdite, &c. Arcta est via quæ ducit ad Cœlum, neq; foramine acus latior est, vt de illo diuite ipse retulit Dominus dicens: Difficilius est diuitem intrare in Cœlū, quàm camelum per foramē acus. Ecce porta Cœli, contendite intrare, & omnia impedimenta relinquite. Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam, scil. si consilium Apostoli obseruaueritis, dicentis: Deponite veterem hominem cum actibus suis, qui D corrumpitur secundum desideria erroris. (optimè, quia in omnibus mūdus decipit.) Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis.

Figura imitationis Christi. Matth. 11. Luc. 13. Ioh. 12. Quomodo Christum sequi conueniat. Eph. 4.

Sed quid faciendū propterea vt induamur Christum? Certè intrandum est in angustā portam perfossi lateris eius, ad modum illius sanctissimi Equitis & Comitis Prouinciæ, nomine Eleazari, qui postquam 18. an. in virginitate sanctissimè cū Delphina vxore vixisset, ab eàque in solitudinem secessisset, vt Deo cum maiori silentio & quiete vacaret, postea sciscitanti per nuncium quomodo se E haberet. Respondit, in aperto Christi latere, & in foraminibus huius petræ, cauernaque maceriæ, delitescere; ibi, & non alibi se habere, aut inueniri posse. Et vos similiter cum illo intrare huc contēdite, & Dominum Iesvm sic induere, vt referre possitis, & in eo difficultates omnes vincere.

Secessus in latus Christi Eleazari Comitis.

O Christiani, nō parua vobis illa gratia est, pati cum Christo: etiam dicam, & absq; aliquo præmio pati pro ipso. Sic enim dicit Apost. Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Vbi S. Ambr. Pati pro Christo non datur nisi amatoribus Christi. Gratia & summa dignitas illa est. Sic igitur adimpleo, dicebat Apostolus, ea quæ desunt passionum Christi in carne mea. Noluit omnes passiones sustinere in carne propria Christus, sed aliquas reseruauit in carne suorum sustinendas: in carne Pauli, Laurentij, Vincentij, &c. Potestis bibere calicē, quem ego bibiturus sum, & meæ passionis fieri participes? Hoc S. Bern. dignè animaduertit in Cant. Super omnia, inquit, te mihi amabilē reddit, Iesv bone, calix tuæ passionis quem bibisti, opus nostræ Redemptionis. Hoc omnino certè facilè sibi vēdicat amorem nostrum: hoc est quod nostram deuotionem & blandiùs allicit, & iustiùs exigit, & afficit vehementiùs; scilicet vt dicamus cum duobus illis Apostolis, & tonitrui filiis: Possumus.

Gratia magna pati pro Christo. Phil. 1. S. Ambrof. Coloss. 1. S. Bern. Ser. 20. in Cant.

Hæc responsio ex mente & intelligentia Venerabilis Bedæ, non temeraria erat, sed plena feruore, confidentia & amore: Possumus. Cum Petro vidētur dicere, qui ardens zelo aiebat Domino Iesv, etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Quo sensu dicebat & Dauid: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicē salutaris accipiam, &c. Potestis ergo bibere calicem? dicunt ei: Possumus. Et nos, quæso, pariter cum illis dicamus: Possumus. Amāti nihil difficile: omniáq; possum in eo qui me confortat, dicit Apostolus.

Matth. 26. Ps. 115.

Quantæ fiduciæ vox ista est, ait S. Bern. Quidni omnia possibilia sunt innitenti super eum qui omnia potest? Et ad Corinth. Charitas omnia suffert, omnia sustinet, &c. fortis vt mors dilectio. Possumus, inquiūt; nihil est difficile diligēti Deū ex toto corde. Quis nos separabit à charitate Christi: Tribulatio? Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, &c.

S. Bern. Ser. 85. in Cant. 1. Cor. 13.

Vide, ait S. Chrysost. non dixit, pecuniæ, an honores, an ornatus? hæc enim valde vilia, & deridenda. Sed quæ videntur esse grauia posuit, fames, persecutiones, mortes, &c. & hæc tanquam nihil essent contempsit. Potestis ergo bibere calicem quem ego bibiturus sum? Vobiscum semper in tribulatione ero. Quid ergo impedit vt dicamus cum illis duobus ardentissimis discipulis, & tonitrui filiis: Possumus?

S. Chrysost. hom. 63. ad popul. Antioch.

Dixit filius aliquando æterno Patri in horto: Pater, si possibile est transeat à me calix iste, à me ad seruos meos, à me ad martyres meos. Ita Domine Iesv. Ita fiat: & à te ad me transeat. Absit enim mihi gloriari, viuere, & mori, nisi in Cruce Domini mei Iesv Christi. Mihi viuere Christus est, mori lucrum.

DE MISERA SORTE DIuitis in Inferno sepulti.

Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus in Inferno. Luc. 16.

Non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

Valde notandum est quod Dominus Iesvs in Euāgelio dicit de diuitibus, & pauperibus. Multum notāda loquendi de illis diuersa ratio. De diuitibus loquens ait: Væ vobis diuitibus, qui habetis hîc consolationem vestram. & alibi: Quàm difficilè qui pecunias habent, & confidunt in eis, in regnum Dei intrabunt. Amen dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem

Misera diuitum sors. Luc. 6. Marc. 10. & Matt. 19.

tem intrare in regnum cœlorum. Loquens verò de pauperibus dicit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati qui esuriunt, qui lugent, & persecutionem patiuntur: & beati estis cùm maledixerint vobis homines, & eiecerint. Gaudete, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Matth. 5. *Fœlix pauperum cõditio.*

Huius rei veritas & præsens euentus nobis in hodierno Euangelio ostenditur, vbi mentio fit de quodam diuite epulone, & de Lazaro paupere: atque de diuerso statu vtriusque in vita & in morte. Diuersus planè vtriusque fuit status, & differens omnino conditio.

Comparatio vtriusque status, diuitis & pauperis.

Diues dum viueret, non vnum nomen habebat, sed multa & varia, quæ & cognita erant omnibus: cùm autem moritur, ne vnum quidem cognitum est. *Homo quidam.* Ecce amplius non innotescit nomen eius: è contrà est de Lazaro paupere, cuius nomen vt pauperis cùm in obliuione esset omnium, dum viueret, qui non nisi vlcera eius ac miseriam intuebantur; nunc cognitum est omnibus, & hic in æternum ab æterno verbo mundo reuelatum. Potentes in terra, nec Deum agnoscere curant, nec eius nomen venerari & naturam. Sic Pharao dicebat Moysi: *Et quis est Deus tuus?* Ita etiam Deus eorum obliuiscitur in cœlo. Nescio vos. Quidam homo. In terra eorum nomina scribuntur, sicut dicit psal. Vocauerunt nomina sua in terris. Vnde & sicut puluerem delebo eos, dicit Dominus. Pauperum è contra nomina scripta sunt in cœlis, quoniam & ipsorum regnum est, dicit Dominus. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Diuitis status in hac vita gloriosus fuit, in diuitiis, & deliciis & honoribus: pauperis è contrà fuit conditio misera, in mendicitate, afflictione & contemptu. Iste in vbertate diuitiarum fuit: hic verò in extrema paupertate. Iste diues purpura & bysso erat amictus: & pauper vlceribus suis. Iste abundans epulabatur quotidie splendidè: hic verò pauper & mendicus iacebat ad ianuam, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mẽsa diuitis, & nemo illi dabat. Ecce in hac vita vtriusque sors & status diuersus. *Non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.* In paupere miseria est, & in diuite immisericordia.

Diuersus status diuitis & pauperis post mortem.

Videamus iam diuersum vtriusque statum post mortem. *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in Inferno.* Vterque quidem mortuus est, & vterq; raptus: sed diuersimodè. Sola morte naturali, & communi mortuus est pauper, qui in mundo viuebat per gratiam, nunc autem in cœlo & sinu Abrahæ per gloriam. Diues autẽ triplici morte mortuus est. Morte culpæ, dum adhuc viueret, sc. per peccatum mortale, quo Deus separatur ab anima, vt apud Ezech. dicitur: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Morte naturali, & communi tam bonis quàm malis, quæ videlicet fit per dissolutionem animæ & carnis, iuxta illud ad Hebr. Statutũ est omnibus hominibus semel mori. Et morte æterna seu gehennæ, per separationem æternam à Deo, & beatorum visione: itemq; sepulturam æternam in Inferno tormentorũ loco. Quomodo de hodierno diuite dicitur: Mortuus est autẽ diues, & sepultus est in Inferno. Eleuans autẽ oculos suos cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham; Fili, recordare quia

Tripliciter morte moritur diues. *Morte culpæ.* Ezech. 18. *Morte naturali.* Hebr. 9. *Morte æterna.*

A recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc hic consolatur, tu verò cruciaris: & in his omnibus, inter vos & nos chaos magnum firmatũ est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.

Ecce quæ admirãda rerum vicissitudo est in hoc spectaculo pauperis & diuitis. Euangelizatur pauper, & beatus prædicatur; sed qui humilis & patiẽs est velut Lazarus. Diues autẽ superbus damnatur, & rapitur ad Inferos. Cùm moritur ille, hæredes possident, plerunque cum vitiis, terrenam substantiam eius, vt dicitur de quinque ipsius fratribus, qui in eadem via damnationis erant: vermes in sepulchro carnem & fœtidum cadauer, sicut in Inferno

B supplicia & ignes animam possident quam deuorant. Horribile prorsus est illud mortis & sepulturæ genus: horribilis item atque infœlix gloriæ, superbiæ, deliciarum, atque vanitatis diuitũ est finis. Domus illorum in æternum sepulchra sunt, & sepulchra Infernus. Mortuus est diues, & sepultus est in Inferno. Diuitiæ eorum in egestatem transeunt, & deliciæ in tormenta. Eleuans oculos cùm esset in tormentis, clamans ait: Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti in aquam, quia crucior in hac flamma. Desperatorum & damnatorum hæreditas, ardor est & flamma, & dies illorum æternitas. In his omnibus, ait Abraham, inter nos & vos chaos magnum firmatum est, ita vt non detur liber trans-

C meatus. Infinitæ namque distantiæ sunt, & mansiones æternæ: atq; in vno & in altero ingressu, maiusculis scriptum est litteris, ÆTERNITAS.

Durum planè quod cruciat æternum, aiebat quidam, fœlix quæ beat æternitas; à morte pendent, mors à vita, hæc à momento. Elige, periisse semel æternum est. Tot equidem ac tam terribilia sunt eiusmodi tormenta, vt nec ea cogitare animus, nec explicare lingua vobis sufficiat. S. Paul. Corinthiis de gloria scribens, cum Isaia Propheta dicit, quia oculus non vidit, &c. quę præparauit Deus diligẽtibus se. Ita equidem de tormentis in Inferno dici potest, quia oculus non vidit, quæ mala & tormẽta Deus præparauit præuaricãtibus in se. Talis cer-

Inexplicabilia sunt Inferni tormenta.

1. Cor. 2.

D tè vox desperatorum est in tormentis: Circundederunt me mala quorũ non est numerus. Tot enim & tã innumerabilia sunt, vt minimè enarrari possint. Interim ad numerum quendam sumptum ex Euangelio redigemus, vt ex illo quanta sint, & quàm horribilia penetremus.

Diuersa Inferni tormẽta.

Primũ est Infernus, vt dicitur, quia diues sepultus est in Inferno: in Inferno, qui omniũ miserorũ & desperatorum est locus, æternus carcer damnatorum, & dæmonum horribilis domus. Qui & alio nomine stagnum ignis dicitur: sic enim in Apocal. dicitur quod diabolus missus est in stagnum ignis. Sic aliter per Psalmistam puteus interitus dicitur, quia ibi mors est, & vita nulla. Tu Deus, inquit, de-

1. *Quid sit Infernus.*

Apoc. 20.

Psal. 64.

E duces eos in puteum interitus, scil. peccatores. Puteus certè est, sed qui suis dimensionibus constat. Altus est, quia omnes pœnæ quæ in eo sunt, grauissimæ ac in supremo gradu doloris sunt. Longus, quia æternæ sunt durationis. Largus, quia omnes omnino continet. Et profundus, quia pœnæ puræ sunt. Quibus quidem rationibus Isaias dicebat: *Dilatauit Infernus animã suam, & aperuit os suum absque termino.* Atque equidem inde etiã ratio est, cur epulo & diues hodie dicitur esse in tormentis pluraliter, & non in tormento singulariter, scilicet quia vndique cruciabatur à Deo, & omnibus creaturis, omni etiam tormentorum genere, & in omnibus partibus tam animæ quam corporis.

Dimensiones pœnarũ Inferni.

Isa. 5.

Cur diues dicitur esse in tormentis pluraliter.

R 2 Verùm

De impassibilitate corporis, & vnde oritur. Ecce quatuor dotes, & gloriosæ qualitates corporum. Impassibilitas prima est, quæ procedit ex virtute & dominio animæ super corpus, ex eo quod illa immobiliter fruitur Deo: exinde enim oritur tale dominium; vnde fit vt, sicut illa perfectè tunc Deo subiecta est, ita etiam animæ suæ corpus perfectè subiectum sit: & sic non poterit ei accidere vlla mutatio contra dispositionem illam, qua ab anima perficitur, vnde equidem impassibilitas.

Vnde subtilitas. Subtilitas est secunda, quæ ex eodem dominio procedit animæ glorificatæ, quæ est forma super ipsum, & ratione cuius tunc glorificatæ corpus istud gloriosum spirituale dicitur, quasi omnino spiritui subiectum. Vnde dos subtilitatis, secundum effectum potentiæ spiritualis in illo, atque etiam vis penetratiua aliorum corporum non gloriosorum ex diuina virtute, & perfecta subiectione animæ gloriosæ; iuxta quod Apostolus dixit: Seminatur animale, surget spirituale.

Vnde agilitas. Agilitas tertia est, adhuc ex illo animæ dominio proueniens, cui non tantùm vt formæ specificæ, sed etiam vt motori corpus subiectum est: ita vt absque labore, statim ad voluntatem & nutum spiritus transferat se de vno loco ad alium, vt dicit Isaias: Current, & non laborabunt, volabunt, & nō deficient. & S. Paulus; Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Ita vt totaliter animæ obediens, & vt instrumentum motori agile reddatur, vt imperceptibili tempore quò voluerit feratur.

Isa. 40.
1. Cor. 15.

De claritate, & vnde oritur. Quarta est claritas, cuius causa gloria erit redundans animæ, vt idem dicit Apostolus; Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Ita ex Mattheo Christus: Fulgebunt iusti sicut Sol in regno patris mei. Hodie in Christo exemplum est, resplenduit facies eius sicut Sol. Hæc qualitas in ipsa persona est & residet, vnde transfiguratio: scilicet vbi animæ gloria videbitur in corpore glorioso, velut in vitro lux, aut color corporis quod in eo continetur, vt dicit S. Gregor. super illud Iob. *Non adæquabitur ei* (videlicet corpori glorioso) *aurū vel vitrū.*

Matth. 13.
S. Gregor.

O quis tantæ gloriæ magnitudinem & multitudinem enarrare poterit, cùm, sicut dicit Daniel, qui docti fuerint & iusti, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates? Ita vt pro mensura gloriæ animæ, sit & corporum claritatis diuersitas, vt ait S. Paulus ad Corint. Alia claritas Solis, Lunæ, & stellæ. Stella enim à stella differt in claritate. Sic & resurrectio mortuorum.

Daniel. 12.
1. Cor. 15.

Sed quis nobis illā promeruit? Vtique Christus, ad cuius similitudinem sic transfigurari debemus, & configurari corpori claritatis suæ, sicut Phil. 3. dicit Apostolus: *Saluatorem expectamus Dominum nostrum* IESVM *Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Propterea hodie transfiguratus est ante eos, scilicet discipulos, & vox patris audita est; Hic est filius meus dilectus: vt ostenderetur omnem gloriā nostram à gloria filij deriuari. Et propterea dum resplenduit facies eius, alba facta sunt vestimenta eius sicut nix: vt per illam adhuc claritatem vestimentorum, deriuatam à splendore vultus, designaretur futura Sanctorum claritas, quæ tantùm emanatio quædam est & effectus claritatis Christi, & quæ superabitur ab illa, vt candor niuis superatur à splendore Solis.

Phil. 3.

Signis ostenditur quia nō comprehēditur transfiguratio Christi. O Petre, quid modò dicis ad ista? Domine, ait, bonum est nos hic esse. Sed, ô vos omnes qui adestis, & videtis, comprehenditisne quæ videtis & auditis? Minimè. Vnde dum hæc peragūtur mysteria, nubes lucida obūbrat eos: dumque vox de nube auditur; Hic est filius meus dilectus, audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde: vt illo terrore, & demissione vultus, ostēdatur iam quod tanta excellentia gloriæ etiam quæ tunc demonstrabatur, omnem sensum, & mortaliū facultatem excedit. Iuxta id quod dicitur in Exod. Moysi: *Non videbit me homo, & viuet.* Denique, quia maioris gloriæ cōspectum, (ait etiam S. Hieron. in Matth.) humana fragilitas ferre non sustinet. Dicitur enim quod oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparauit Dominus diligentibus se. Ipsum ergo diligamus, ei seruiamus, vt iis quæ præparauit nobis, perfruamur in æternum. Exo. 33.

DE PATIENTIA ET longanimitate Dei, & de æterna punitione peccati.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Dicebant ergo ei: Tu quis es? dixit eis IESVS: *principiū.* Ioh. 8.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

SI vnquam nobis contingat occasio sedulò meditandi & cōsiderandi attentè diuina charitatis Christi beneficia, istud est maximè ratione ordinariæ bonitatis eius erga nos, & consuetæ misericordiæ, patientiæ in peccatis nostris, atque sensibilis qua afficitur in perditione nostra afflictionis. Nam si eos videmus qui ad scopum collimant, extenso priùs arcu, stomacho & pectori sagittā apponere. Ita equidem Deo accidit cùm de punitione nostra cogitat, primus omnium dolore ex perditione nostra afficitur. Gen. 6. Tactus dolore cordis intrinsecus, ait, delebo hominē quem creaui, à facie terræ. Vbi ostendit quantū ipsum hoc afficit & vulnerat: sed quia ad summum iam peccata nostra peruenerunt, propter quæ minimè expedit nos amplius supportare, prodit dolorem suum, & mōstrat quomodo seueritate iustitiæ suæ cogitur excessum flagitiorum nostrorum morte extinguere. *Ego vado,* inquit, *& quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* ô Dei lamentabilem recessum! *Ego vado.* ô infructuosam requisitionem! *Quæretis me.* ô luctuosam mortem! *& in peccato vestro moriemini.* *In perditione nostra Deus dolore tangitur. Similitudo.*

Verùm tanta eius bonitas & misericordia est, vt nūquam ad hūc ad extremum rigorē procedat, nisi postquam diu nos ad pœnitentiam sollicitauit, & patienter expectauit, dissimulans peccata hominū, & immemor ingratitudinis ipsorum, si ad pœnitētiam redeant, semper paratus vt optimus pater indulgere eis, & misericordiā præstare. Poëtæ & fabulosi scriptores Iouem dicunt, cùm vellet punire, priùs omnes Deos cōuocare, vt lentè ad vindictam procederet: cùm verò vellet misereri & parcere, solitum nullum tunc aduocare, sed statim gratiam præstare miseris. Hoc equidem fabulosum est: sed istud quod dicimus verissimū, videlicet Christum, cùm punire cogitur, videri tunc quasi inire consilium, adeò ipse patiens est, & tāta animaduersionis eius protractio atque dilatio: si verò de venia agitur, illam dare subitò, tanta est in parcendo eius facilitas & promptitudo. *Dei clementia & patientia erga peccatores. Fictio Poëtarum. Veritas apud nos de Christi clementia.*

Mirabile

Exemplum. Gen. 3.

Mirabile hac de re exemplum eſt in Adam, qui ſtatim atque Deum offendit, ecce eum præuenit Dominus, vocat, & dicit, vbi es? Sed quod contigit antè, attendamus. Peccato Adæ & Euæ commiſſo, oculi eorum aperti ſunt, & cùm cognouiſſent ſe eſſe nudos, abſcondunt ſe à facie Domini. Sed quomodo? Cùm audiſſent vocem Domini deambulantis in paradiſo, ad auram poſt meridiem, vocantis Adam, & dicentis, vbi es?

Signa diuinæ misericordiæ in Adã.

Talia quidē ſigna erāt diuinę eius miſericordiæ. Primò, Deus erat deambulans, non currens, vt oſtenderet ſe non ad vindictam feſtinare, ſed lentè procedere. Secundò, ad auram, id eſt, cum ſpiritu lenitatis ſuæ, & dulci Zephyro gratiæ, vel contra auram huius miſericordiæ quæ obuiam Dei iuſtitiæ veniebat, ſeque illi fauorabiliter pro Adã opponebat. Tertiò, poſt meridiem, vt oſtendat quia non exit ad puniendum niſi poſt meridiem, non ſummo mane, ſed ſerò, illúſque egreſſum eſſe ad ſalutem noſtram, & non perditionem. Iuxta quod ipſe Chriſtus dicit; *Filius hominis venit quærere, & ſaluum facere quod perierat.* — *Matth. 18.*

Verùm aliam adhuc, & ſatis conformem verbis iſtis explicationem illud myſterium ferre poſſet, ſcilicet Deum poſt meridiem ambulare, id eſt, de corde noſtro exire, & quaſi nos deſerere poſt meridiem, & feruorem in nobis extinctum charitatis; cùm, inquam, nulla eſt amplius deuotio in nobis, nec amor, nec zelus; cùm à facie eius nos abſcondimus. Tunc enim ad auram Deus ambulat, nóſque requirit cum flagello in manu. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.*

Sed primam noſtram explicationem reſumamus, dicamúſque, ideo quidem poſt meridiem Deũ ambulare, quia tardior eſt ad pœnam quàm ad veniam, ſicut promptior ad miſericordiam & veniã, quàm ad vindictam. Vnde quartò vocauit Adam, & dixit ei, vbi es? Vocauit, quia intentio eius fuit, reducere ipſum & ſaluare, conuertere & ad pœnitentiam adducere: & dicit, vbi es? vt ſtatum miſeriæ ſuæ ille miſer homo meliùs agnoſcat.

Illa autem duo adhuc puncta ſuperſunt pro conſolatione & conſideratione peccatoris. Primum eſt, Deum neminem perire velle, qui, vt Apoſtolus dicit, omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. *Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra.* Vult Deus ſalutem omniũ, & voluntate beneplaciti, & voluntate ſigni. Primò, beneplaciti quatuor modis, cauſaliter, diſtributiuè de ſingulis, diſtributiuè de generibus ſingulorum, & vniuerſaliter pro omnibus ex ſufficientia. — *1. Tim. 2.*

Duplici voluntate vult Deus salutē omnium. Voluntate beneplaciti quatuor modis.

Primò, cauſaliter, quia ipſe facit omnes Sanctos velle ſuam ſalutem; vt de Spiritu ſancto dicitur Rom. 8. quia ille eſt qui poſtulat pro nobis, id eſt, qui poſtulare nos facit, & ſic poſtulat cauſaliter. Secundò, diſtributiuè pro ſingulis, quia qui ſingulariter ſaluantur, ſaluantur per voluntatem eius, & non aliter, & ſic vult ſaluari qui ſaluantur.

Tertiò, diſtributiuè pro generibus ſingulorum, id eſt, nullum hominum genus à ſalute excipit, ſaluat Gentiles vt Iudæos; Germanos vt Gallos; pauperes vt diuites.

Quartò denique vniuerſaliter, ſeu omnino vult omnes ſaluos fieri ſufficienter, &, vt dicimus, antecedenter. Eſt enim idem omnium Dominus. Quomodo S. Iohannes dicit quia ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed totius mundi, & hoc ſufficienter, quia ad ſalutem omnium ſufficiens obtulit pretium ſanguinis — *1. Ioh. 2.*

A ſui. Interim efficaciam non habet niſi in electis, propter impedimentum quod interuenit ab aliis; vnde additur, & ad agnitionem veritatis venire. Etenim nulla eſt ſalus niſi per hanc agnitionem veritatis, Chriſto dicente; Agnoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. — *Ioh. 8.*

Vnde iam mirum non eſt ſi tam pauci ſaluentur. En certè ratio, quia non eſt veritas, dicit Oſee noſter, & non eſt ſcientia Dei in terra. Et Dominus Iesvs: Spiritum veritatis, inquit, mundus accipere non poteſt. — *Ioh. 14.*

Ecce cauſa noſtræ perditionis: exinde enim per Prophetam ſuum dicit; Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum. Verè auxilium B noſtrum eſt à Deo, qui non ſolùm ex illa beneplaciti voluntate noſtram vult ſalutem, ſed etiam, vt diximus, vult omnes ſaluos fieri voluntate ſigni, quia proponit omnibus præcepta ſalutis, & conſilia, & remedia, nolens mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Propterea etiam quærit, vocat, expectat, & omnia neceſſaria præſtat. — *Ezech. 18.*

Deus voluntate signi vult omniū salutem.

Primò quærit, qui ad quærendum deſcendit. Fidelis ſermo, ait Apoſtolus, & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Iesvs venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere: & ſicut iã ex Matth. diximus, quærere, & ſaluum facere quod perierat; & alibi, animas ſaluas facere, non perdere: item C drachmam perditam quærere, & quæ perierat ouem, ad quam vadit, & propter quam nonaginta nouem in deſerto dimittit. Figura etiam eſt in illa myſtica miſſione Iſaiæ ad Regem Ezechiã ægrotum pro ſanitate ipſius. — *1. Tim. 1.* — *Matth. 18.* — *Luc. 15.* — *4. Reg. 20.*

Secundò, expectat in patientia vt longanimis & multum miſericors. Ita S. Petr. Patienter (inquit) agit propter vos Dominus, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitiam reuerti. Ita Sapiens; Diligis Domine, omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quę feciſti, qui miſereris omnium, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Iuxta illud Iſa. Ecce ego, ecce ego ad gentem quæ non inuocat nomen meum. Expandi manus meas tota D die ad populum incredulum, & contradicentem mihi, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas, populum qui ad iracundiam prouocat me. & in alio loco: Nunc ergo habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, iudicate inter me & vineam iſtã. Quid debui vltrà facere, & non feci? Expectabam ab ea vuas, & attulit labruſcas. Tacui, patiens fui, væ demum loquar tanquam parturiens, & abſorbebo ſimul. *Ego vado, & in peccato veſtro moriemini.* — *2. Petr. 3.* — *Sap. 11.* — *Iſa. 65.* — *Iſa. 5.*

Tertiò, vocat nos ante ad conuerſionem & pœnitentiam monitis gratiæ. Quod adhuc diuerſimodè præſtat; nunc ſuauitate & miſericordia, nunc caſtigatione & reprehenſionibus, modò intus, mo- E dò exteriùs. Intus quidem duobus modis. Primò, inſpirationibus veritatis, & nouis quibuſdã ſplendoribus gratiæ, quæ ſtatum noſtrum nobis ipſis demonſtrat. Secundò, remorſibus & compunctionibus conſcientiæ propriæ, quæ ſemper ſupereſt delictorum noſtrorum accuſatrix continua. Magna equidem vox eſt conſcientia noſtra, vnde S. Iohannes dicit; *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, tunc fiduciam habemus ad Deum.* Teſtis enim omnium eſt ante Deum conſcientia. Illa eſt quæ iuſtificat, aut accuſat: illa quæ omnium conſcia, omnia reuelat. — *1. Ioh. 3.*

Multis modis Deus nos ad pœnitentiam vocat.

Magna vox & testis corā Deo conscientia.

Vnde optimè illa comparari poteſt cum ſeruis Iob, qui à ruinis & cladibus quæ ei accidebant,

semper incolumes & salui euadebant, vt ei omnia mala annunciarent. Sic enim vnus post alterum veniebat illi malum quod acciderat, referre. Iste, quomodo Sabæi tulerant omnia, & pueros eius gladio percusserant, solus autem euaserat, vt nunciaret ei. Et ecce dum loqueretur talia, venit alter, & dixit; Ignis descendit è cœlo, & tactas oues puerósque consumpsit, & effugi ego solus, vt nunciarem tibi. Sed & illo adhuc loquente, venit alius, & dixit; Chaldæi fecerunt tres turmas & inuaserunt camelos, tulerúntque, necnon pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus, vt nunciarem tibi. Adhuc loquebatur ille, (mira res ista est) & ecce alius intrauit, & dixit; Filiis & filiabus tuis vescentibus in domo fratris sui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus, vt nunciarem tibi.

Tales quidem iacturæ erant, & talia mala quæ illi tristes nuncij ad pauperem & desolatum Iob deferebant. Taléfque etiam miseriæ sunt, quas nobis repræsentat conscientia, aut conscia mens nostra peccati, scilicet omnia nobis mala nostra obiicit, quomodo & bona, & liberi simul tolluntur à nobis, neque amplius sunt illa bona opera, quæ simul cum gratia penitus extincta sunt.

O statum septuagies septies Iob conditione peiorem & miseriorem, qui non peccauerat! Solus ille equidem est hominis status, qui lacrymis & compassione dignus est Sed quid facit Deus? Ipsamet vtitur conscientia intus, cui & verba & lumen communicat, vt ad se reuocet hominem & conuertat; & ille est interior modus. Exterior autem est vt plurimum in afflictione, & diuini verbi prædicatione. Quibus etiam Deus vtitur, vt nos ad se conuertat, & legem suam nos sanctè amplecti faciat.

Interni & externi modi, quibus Deus vtitur ad cõuersionem nostrã.

Exod. 19. In Exodo figura est, vbi Deus loquitur Moysi, & Moyses Deo, dum tonitrua audiuntur, coruscationes scintillant, & totus mons fumat terroribus. Ita Deus plerunque & quotidie nobiscum se gerit, cùm ad implenda sua præcepta nos inducit: sæpius enim apparet terribilis, & timore plenus.

Alter modus est conformior, suauior, potẽtior, conuenientiorque nobis, scilicet prædicatio Euangelij, cuius verba spiritus & vita sunt: & iste modus exterior est. O quot ad Deum per verbum ipsius conuersi sunt, & conuerterentur adhuc, si cum dispositione ipsum audirent! Numquid enim verba mea sunt quasi ignis, (dicit Dominus apud Ierem.) & numquid malleus conterens petras? & apud Isa. Quomodo descendit imber, & inebriat terram, eámque germinare facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. (adde, si cum dispositione susceperint.)

Ierem. 23. Isa. 55.

Sed non est omnibus istis contentus Dominus, scilicet quod quærat, expectet, & vocet peccatorem; adhuc alia omnia quæ conuersioni eius necessaria sunt, administrat, vtpote Ecclesiæ Sacramenta, quæ semper præsentia sunt & præparata omnibus. Quis nos impedit illis vti? aut nos à frequentia illorum auertit? Deus! Absit vt talia excogitemus: hoc enim diuinæ bonitati eius repugnat & continuis inspirationibus. Aliàs omnes friuolæ vocationes essent & omnino frustraneæ, nisi etiam

A media daret, & libertatem ipsum adeundi, & nostram cum ipso operandi salutem. Quasi verò aliquis inuitaret alterum ad volandum sine pennis & alis; vel ad rectè ambulandum confractis cruribus. Non est ita sentiendum de Deo, de bonitate eius & sapientia diuina: aliàs enim & passioni suæ contradiceret & morti, in qua nobis omnia auxilia promeruit, & vocationis omnis gratiam; sed resistimus nos atque renuimus. Vnde in Prouerb. conqueritur sic: Vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo. *Ego vado,* inquit, *& quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Prou. 1.

B Quare Ieremias dicit: Erudire Hierusalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne fortè ponam te desertam, terram inhabitabilem. Hoc namque est malorum omnium profundum, semel deseri à Deo, & illud Ps. audire: Dimisi eos secundum desideria cordis eorum. Curauimus Babylonem, & non est sanata, relinquamus eam. Tunc enim inuocabunt me, & non exaudiam, scilicet cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, veneritque super illos tribulatio & angustia, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint. Ierem. 6.

Ps. 8. *Deseri à Deo omniũ malorũ est abyssus.*

Quare dum tempus habemus, operemur bonũ: Gal. 6.
C post hoc enim tempus erit in quo operari nõ possumus. Isaias dicit: Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est. Quærite, dicit Dauid, & viuet anima vestra. Quærite, & accedite dum manus habet ad misericordiã & gratiam expansas. Post illa enim tempora, alia venient, videlicet mortis & iudicij in quibus nullus amplius dabitur pœnitentiæ locus, & ad thronum misericordiæ accessus. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Isa. 55.

Vnde ergo accidit, vt voci gratiæ minimè nunc aurem accommodemus? voci afflictionis, conscientiæ & prædicationis? Vndenam non dicimus
D modò cum Propheta (antequam illa vox irremissibilis sententiæ & iudicij audiatur:) Audiam iam quid loquatur in me Dominus Deus. Cur audiam? quoniam, inquit, loquetur pacem in plebem suam. Pacem dicit: & ita est; quia licèt vndique bella audiamus aduersus mundum, carnem, & peccatum, diabolum & infernum; pax tamen semper est, & maximè super Sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor, id est, in veritate.

Vox mortis & iudicij inexorabilis.

Illa igitur pacis verba auribus cordis audiamus & recipiamus. Maximè enim loquitur ad cor Deus. Ita vt S. Gregor. dicat; Nisi intus sit qui doceat, in vanum lingua prædicatoris laborat. Nihil equidem prodest nisi loquatur Dominus, nihil verba
E prosunt, nihil afflictio. Sic enim nihil Antiocho Regi sua afflictio profuit, vt 2. Machab. 9. videri potest. Denique dicam, nihil omnino prodest nobis ad pœnitentiam, nisi sit intus qui nos doceat illam, & prouocet ad faciendam.

Ad cor loquitur Deus, & nõ prodest nisi loquatur. S. Greg.

Nunc autem vndique inuitamur ad illam. Ex parte misericordiæ & gratiæ: neque enim iustos, sed peccatores vocare venit. Ex parte etiam mutationis temporum, & rerum omnium, quæ nos secum ad conuersionem & mutationem inuitant. Ex parte adhuc Inferni, qui clamat, & sua nobis, ne ingrediamur, tormenta demonstrat. Denique adhuc ex parte Purgatorij, vbi ignis vindex est & vltor venialium delictorum nostrorũ, & negligentiarũ, nisi

Vndique prouocamur ad pœnitentiã.

nisi in hoc mundo pœnitentiam debitam agamus. Illam igitur citò & seriò pœnitentiam faciamus, ac eius dignos fructus: prompta enim & velox mors est, eius hora incerta; momentum autem iustitia & rigore plenum. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Non est scientia Dei in terra.

Quibus peccator comparatur gratia destitutus.

Secundum punctum est. Quidnam est anima in hoc mundo absque gratia, & pœnitentiæ auxilio? vtique velut nauis vndique ventis & procellis agitata in periculoso mari, gubernatore destituta, & velis, semperque naufragio suo proxima. Vel si vultis, & meliùs, ad instar istius desolati, misereque vulnerati & spoliati in via, qui incidit in latrones cùm de Hierusalem descendebat in Iericho, cuius parabola est apud Lucam. Ita enim est de anima quæ à gratia recedit, & sine pœnitentia pergit suum iter ad peccatum, in manus latronum incidit qui eam spoliant, vulnerant, & non dicam semimortuam relinquunt, sed penitus mortuam. Peccati namque proprius effectus est mors, & non solùm vna, sed triplex, corporalis, spiritualis, & æterna seu finalis.

Luc. 10.

Triplex mors ex peccato oritur.
Corporalis.
Rom. 5. & 6.

Corporalis est in separatione animæ à corpore, & peccati est effectus. Ita Apost. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. Vnde dicit quod ab Adam regnauit vsque ad Moysem, & ab illo vsque ad nos, etiam in his qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ. Stipendia peccati mors.

Spiritualis.
Ezech. 18.
Æterna & finalis omniũ terribilissima.

Spiritualis in separatione Dei ab anima consistit, de qua apud Ezech. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Æterna seu finalis in obstinatione peccati est, in iactura gloriæ & visionis beatificæ, de qua ipse Christus apud S. Matth. & Luc. Discedite à me maledicti in ignem æternum. Omnium certè terribilissima mors ista est: horribilior prima, quia in ea datur resurrectio ad vitam. Item terribilior secunda, quia de peccato quotidie fit resurrectio ad gratiam: sed in hac tertia & finali æternum est quod cruciat cum desperatione vitæ, & continua possessione mortis. De qua quidem morte hæc verba possunt intelligi; *Ego vado.* (ecce absentia, recessus & separatio Dei.) *Et in peccato vestro moriemini.* (ecce æterna possessio mortis.) Ex peccato nata mors per se non potest nisi æterna esse, peccatum enim ex se æternum est: vnde illa sequitur æterna mors. Quare etiam qui in peccato moritur, in æternum damnabitur.

Peccati & mortis æternitas.

O quàm istud est horribile & intolerabile verbum! *Ego vado, & in peccato vestro moriemini.* Non minus certè terribile est atque illud; Discedite à me maledicti in ignem æternum. Mori in peccato, est in statu esse æternæ damnationis, & separationis in æternum à Christo, in æternum separari à Christo.

Quid sit in peccato mori.

Christus principium & finis omnium.

Domine tu quis es? Ego, ait, principium qui loquor vobis; principium & finis omnium, α & ω. Principium, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Ex ipso, inquit Apostolus, per ipsum, & in ipso omnia, cui honor & benedictio in sæcula sæculorum. Principium in creatione, finis in consummatione & gloria. Omne enim bonum nostrum Christus est, aut in Christo est.

Domine tu quis es? Ego sum qui sum, Verbum apud Deum, & Deus Verbum. Qui Filium habet, vitam habet. Qui Filium non habet, vitam non habet. O qualem mortem, quæ in æternum separat à Christo vita nostra!

Ioh. 14. & 10.

Domine tu quis es? Ego sum via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Per me si quis introierit, saluabitur.

Domine tu quis es? Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Ioh. 1. & 3.

Domine tu quis es? Ego flos campi, & lilium conuallium: flos ob plenitudinem gratiarum, & lilium ob communicationem illarum. Sicut enim flos succo plenus est: ita plenitudine gratiarum Christus. Iohan. 1. Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. Et sicut lilium latè suum diffundit odorem; sic Christus suam gratiam omnibus: & de plenitudine eius omnes accepimus, ait idem S. Iohannes. Cant. 2.

Domine tu quis es? Ego sum IESVS, Saluator & animarum medicus. Ego sum Christus diuinitate vnctus. Ego vnigenitus Dei, & Mariæ filius IESVS Christus homo-Deus.

Domine tu quis es? Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor dat animam suam pro ouibus suis.

Domine tu quis es? Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendit. Si quis manducauerit me, viuet in æternum. In gloria Dei Patris, vita viuet, & non morietur in æternum. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.*

Domine tu quis es? Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Qua vita æterna & gloriæ in sæcula sæculorum.

DE AVTHORITATE Ecclesiæ, & veritate eius doctrinæ, & prædicationis.

Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, &c. Matth. 23.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

Sanctus Paulus electus Dei Apostol. 1. ad Tim. 3. digno cohonestat nomine sponsam Christi Ecclesiam. Eam vocat columnam & firmamentum veritatis, scilicet quia nemo veritate instrui potest, & in illa confirmari, nisi per præcepta, mysteria & documẽta Ecclesię: cui Euãgelij gratia data est, curationis virtus, & omnis authoritas prædicationis, sicut dicitur ab Apost. Quosdã quidem posuit Deus in Ecclesia, primò Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Sic rursus alibi, vbi eadem ordinis & diuersitatis donorum repetitio fit cum additione Euangelistarum, hoc modo. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas: alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, videlicet Ecclesiæ, vt non circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris, &c. 1. Cor. 12. Eph. 4.

Cæterum

Quatuor notanda in verbis Apostoli.

Cæterùm tria hic aut quatuor notari possunt ex duobus istis capitibus. Primò, Ecclesiæ vnitas: secundò, ordo & distinctio in illa donorum: tertiò, fructus & vtilitas eorum: quartò, aduersus errorem doctrinæ diuersæ veritatis.

Metaphoricè. Tripliciter aliquid dicitur vnum.

Quantum ad primum, hic similitudine corporis, vnitas Ecclesiæ exprimitur. Quod vt distinctius intelligatur, sciendum est ex Philosophorum doctrina, tripliciter aliquid vnum dici. Vno modo, indiuisibilitate, vt vnitas numeri, ut punctum, quę totaliter multitudinem excludunt, & actualem & potentialem. Alio modo, continuitate, vt linea & superficies, quæ quidem vnitas licet actualem multitudinem excludat, non tamen potentialem. Est enim linea potentia diuisibilis, & sic multa. Tertio modo aliquid integritate vnum dicitur. Quæ vnitas neque actualem, neque potentialem multitudinem excludit, sed admittit vtramque, vt domus quæ vna dicitur, licet ex multis lapidibus constituatur & lignis. Idem est de corpore hominis, cuius vnitas & perfectio integratur ex diuersis membris & organis, sicut ex diuersis animæ instrumentis.

Quomodo Ecclesia vna dicatur, & quæ sit.

Hac autem similitudine, vna Ecclesia dicitur, integritatis & perfectionis vnitate, quæ multitudinem non excludit. Est enim Ecclesia fidelium cōgregatio, qui in eandem Euangelij doctrinam, & in eundem Sacramentorum ritum conueniunt: iuxta quod illam comparat Apostolus corpori ex multis partibus constantibus confecto, dicens 1. ad Corinth. Sicut corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra cùm multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus. Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus. Sic ad Ephe. 4. Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum est & connexum per omnem iuncturam subministrationis.

1\. Cor. 12.

Ephe. 4.

Duplex forma bonorum operum, veritas & charitas.

Vbi ostendit in quo, & per quem crescere debemus, vt vnius corporis seu Ecclesiæ membra. Primo, in veritate & charitate, id est, in veritate doctrinæ, seu in bonis operibus, & in eorundem forma, quæ duplex est, veritas & charitas. Veritas enim opus bonum dicitur: iuxta quod dicitur de Tobia cap. 1. quod in captiuitate positus viam veritatis non deseruit, id est, bona opera. Hæc enim sunt quæ nos iustificant, scilicet si, vt dicit S. Iacob. factores verbi simus, & non auditores tantum, aut annunciatores. Atque etiam si hoc in charitate fiat, quæ forma est omnis boni operis: iuxta quod præcepit Apostolus nobis, vt omnia opera in charitate fiant. Etenim absque illa non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Denique dicam, absque illa nullius valoris esse omnia.

Iacob. 1.

1\. Cor. 16.

Secundò, ostendit per quem hic crescere debemus, & operationum nostrarum motiuum accipere, scilicet per Christum, qui est caput, ex quo totum corpus compactum est & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem.

Vbi ex his verbis sciendum, omne corpus naturale & animatum tria communiter habere, compactionem, seu vnionem membrorum adinuicem; ligationem seu connexionem per neruos: deinde subministrationem, seu mutuam subuentionem per operationes; quæ omnia ex capite fluunt & dependent. Ita est in corpore mystico & spirituali Ecclesiæ. Ex capite nostro Christo fluit primò coadunatio fidelium, vt Abacuc ait: Congregabit ad se omnes gentes, & coaceruabit ad se omnes populos. Vnde caput dicitur ex quo totum corpus compactum est, vt Ephes. 1. Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius. Secundò, ex eodem fluit connexio, seu colligatio in corpus vnum ex participatione eiusdem Spiritus. Tertiò, mutua subuentio & subministratio in necessitate. Sicut in corpore oculus indiget opera pedis, & pes similiter oculo deseruit. Ita in Ecclesia, mutua est subministratio auxilij. Contemplatiui iuuant actiuos: & actiui contemplatiuis deseruiunt. Sic Martha satagebat circa frequens ministerium domus, dum sedebat Maria secus pedes Domini, & audiebat verba illius. Ecce modò qua ratione dicitur Ecclesia vna ex comparatione corporis.

Comparatio inter corpus naturale & spirituale.

Abac. 2.

Eph. 1.

Luc. 10.

Definitio Ecclesiæ.

Quo posito, sic eam distinctè definire possumus, vt ab omnibus aliis falsis separemus Ecclesiis, quæ vnica, visibilis, & vera est, congregatio est hominum eiusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione simul colligatorum, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue vnius, Summi Pontificis Romani, Vicarij Christi in terris. Tres sunt partes huius definitionis, ex quibus colligi clarissime potest, quinam ab illa vera Ecclesia excludantur. Prima est professio veræ fidei. Secunda, communio in Sacramentorum communione. Tertia, subiectio Pastori legitimo Romano Pontifici, Christi vicario.

1\. Pars definitionis.

Ratione primæ conditionis excluduntur ab Ecclesia omnes infideles, tam qui nunquam in ea fuerunt, vt Iudæi & Pagani, quam qui olim in ea fuerunt, sed postea recesserunt, vt hæretici, & apostatæ. Illi namque omnes [illegible] fidei, cuius professio & doctrina non est nisi in Ecclesia Catholica, Apostolica & Romana. Sicut enim legis doctrina & interpretatio non nisi in Synagoga, & super Cathedram Moysis prædicabatur, hodie Christo dicente, *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ. Quæcunque dixerint, facite*. Ita nunc tantum super Cathedram Petri Euangelium prædicatur & vera fides, ipso Christo dicente: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et rursus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Vnde & ter dixit ei, Pasce oues meas, pasce agnos meos. Vt autem quadam [illegible] fidem & testimonium ipse Christus in vnam nauim Petri, quadam die ascendit, quæ erat secus stagnum Genezareth, & sedens docebat de hac nauicula turbas; dixitque Petro, post factam statim in illa magnam piscium capturam: Ex hoc iam homines eris capiens, scilicet virtute spiritualis piscaturæ, & prædicationis diuini verbi, fideique, cuius columna eris.

Luc. 22.

Matth. 16.

Ioh. 21.

Luc. 5.

Ratione secundæ conditionis excluduntur illi qui nondum sunt admissi ad Sacramētorum communionem, vt catechumeni. Item & excommunicati, qui foras mittuntur, et separati. 2.

Ratione tandem tertiæ schismatici excluduntur, qui legitimo Pastori non subduntur, qui extra veram Ecclesiam Sacramenta recipiunt, & foris profitentur fidem. Quos enim includit Ecclesia, ij sunt omnes, tam peccatores quàm iusti, qui in eandem doctrinam Euangelij conueniunt, in eiusdem fidei Christianæ professionem & ritum eorundem Sacramentorum, sub vno Pastore legitimo, & maxime Summo Pontifice Romano, Vicario Christi. Ecce omnes conditiones veræ Ecclesiæ, quas per eam habere oportet sine restrictione vlla. 3.

Quæ

Quæ cùm ita ſint, iam ad diſtinctionem ordinum veniamus qui in Eccleſia poſiti ſunt, & viſibilem reddunt. Punctum ſecundum eſt, vbi agere conuenit de diuerſis donis, & gradibus Eccleſiaſticis circa miniſteria diuerſa & officia in illa, vt ad Eph. 4. notauit Apoſtolus, & 1. ad Cor. 12. vbi dicit: Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primò Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Euāgeliſtas, (hic ordo eſt ad Epheſ.) quartò Doctores & Paſtores, deinde virtutes, &c.

2. Punctum.

Diſtinctio eſt & ordo donorum, & miniſteriorum, inter quæ primus gradus eſt Apoſtolorum, quibus ſpecialiter competit regimen Eccleſiæ. Iuxta quod dicitur in Apocalypſi, ſuper duodecim fundamenta Ciuitatis deſcribi duodecim Apoſtolorum nomina. Quare ipſi inter cæteros fideles, primitias, primatumque in ſpiritualibus gratiis obtinuerunt: ſicut etiam in omnibus Chriſti donis priuilegiati ſunt.

Diſtinctio ordinum in Eccleſia. Apoc. 21.

Primò, in plenitudine gratiæ & ſapientiæ, quātum ad reuelationem & notitiam diuinorum myſteriorum, vt eis dictum eſt: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. & iterum. Omnia quæ audiui à patre meo, nota feci vobis. Sic apud Luc. aperuit eis ſenſum, vt intelligerent.

Apoſtoli priuilegiati ſuper omnes. Marc. 4. Ioh. 15. Luc. 21.

Secundò, in abundantia & vi eloquentiæ, ad prædicationem Euangelij. Vnde eis dicit: Dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Euntes ergo in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.

Marc. vlt.

Tertiò, in prærogatiua auctoritatis, & potentiæ ad regendum, & corrigendū, ſicut apud Lucā dicitur, quod conuocatis IESVS duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutē & poteſtatē ſuper omnia dæmonia, & vt languores curarēt, & miſit illos prædicare regnū Dei. Sicq; poſtea dixit illis: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctū. Specialiter tamen illa authoritas, & gubernandi prærogatiua Sancto Petro data eſt, cui dictum eſt; Paſce agnos & oues meas. Etiam & corrigendi authoritas Eccleſiæ, & qui præſunt in ea, Apoſtolis data eſt. Si peccauerit in te frater tuus, ait Chriſtus, corripe eum; ſi te nō audierit, nec teſtes, quos adhibuiſti tecum, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis, &c.

Luc. 9. Ioh. 20. *Authoritas S. Petri & priuilegium.* Matth. 18.

Plures autem alij cum ipſis in eadem officia aſſumpti ſunt. Quorum quidam per ſeipſos reuelationes à Deo acceperunt, qui dicuntur Prophetæ. Alij ante & alij poſt Domini Aduentum. De his dicitur, Prophetæ & Lex vſque ad Iohannem. De illis verò; Ecce ego mitto ad vos Prophetas & ſapientes, ſcilicet omnes diſcipulos & Leuitas, vt S. Stephanum, &c.

Apoſtolorum officia diſtributa aliis. Matt. 11. & 23.

Ex eis autem quidam prædicandi quæ reuelata fuerunt, & conſtribendi, officium habuerunt, & hi Euangeliſtæ fuerunt, de quibus dicitur: Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem! Alij populum inſtruendi, & ea quæ reuelata ſunt docendi. Alij gubernandi gregem Chriſti, munus acceperunt, & hi ſunt Doctores & Paſtores, de quibus in Actis dicitur, quod erant in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores. Et apud Hieremiam: Dabo vobis Paſtores ſecundum cor meum; & paſcent vos in ſcientia & doctrina. Hi ſunt qui in Eccleſia ſunt, extra quam veritas & ſcientia Dei non eſt.

Rom. 10. Actor. 13. Hierem. 3.

Talis igitur ordo eſt, & tale munus legitimorū miniſtrorum Eccleſiæ viſibilis, quibus eam regere competit, & fouere in ædificationem & conſummationem Sanctorum. Iuxta quod in Actis dicit Paulus: Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spirituſſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Et ad Timoth. Hæc tibi ſcribo, inquit, fili Timothee, vt ſcias quomodo te oporteat conuerſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Cōuerſatio quidem viſibilis eſt, & non inuiſibilis, vt appareat contra hæreticos, viſibilem Eccleſiam eſſe. Sederunt ſuper Cathedram Moyſi Scribæ & Phariſæi: & ſi te non audierit frater contumax, dic Eccleſiæ, ait Dominus, &c.

Actor. 20. 1. Tim. 3. *Eccleſia viſibilis.*

Hæc ipſa eſt Eccleſia, quæ Auguſtini tempore, & quatuor primorum Conciliorum, ô hæretici, in œconomia & diſpenſatione miniſterij Eccleſiaſtici diuerſos ordines, vt nunc fit, obſeruabat, conſecrabat ceremoniis, & benedictionibus diuerſis, videlicet Epiſcopum, Preſbyterum, Leuitam aut Diaconum, Subdiaconum, Acolythum, Exorciſtam, Lectorem, & Oſtiarium.

Antiquitas ordinum in Eccleſia.

Hæc eſt & eadem Eccleſia, quæ ex traditione Apoſtolica & diuino iure, inter Epiſcopum & Preſbyterum, nominatim quātum ad rationem & differentiam ordinationis, ſemper diſtinctionem ponebat. Sic enim Apoſtolus ad Titum Cretę Epiſcopum: Reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Ciuitates Preſbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Ecce ius in Epiſcopis ordinandi Preſbyteros ad diſtinctionem eorum. Sicut adhuc in illis præcipua remanet correctionis authoritas, iuxta quod ſequitur ſtatim: Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut diſpenſatorem Dei, amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem; vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere. Ad eum namque pertinet, vt præeſt Eccleſiæ, iudicij & excommunicationis authoritas & poteſtas: vnde Chriſtus de fratre perdito & inobediente ait; Dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus.

Ad Tit. 1. *Diſtinctio inter Epiſcopum & Preſbyterum.* Matth. 18.

Eadem adhuc Eccleſia eſt, quæ in ordine Epiſcopali diuerſos agnoſcebat iuriſdictionis gradus. Hos iure poſitiuo, ſcilicet Archiepiſcopos, Primates, & Patriarchas: iure autem diuino, vnum ſupereminentem, qui eſt Papa, Max. & Opt. Pontifex, & ſine quo nihil agi eorum vnquam poterat, aut definiri, quæ ad vniuerſalem Eccleſiam ſpectabant. Cuius etiam præſentiæ defectus, vel Legatorum pro eo, vel confirmationis ab ipſo, omnia Concilia, licèt prætenderentur vniuerſalia, & œcumenica, irrita faciebat.

In ordine epiſcopali gradus diuerſi. *Summus omnium Papa, ſine quo nihil definiri poteſt.*

Perſequar adhuc? Illa vna eſt & eadem Eccleſia, quæ ſucceſſionem non interruptam Epiſcopatus ab originali miſſione Apoſtolorum, pro eſſentiali conditione & nota Eccleſiæ ponebat, & tenet adhuc hodie; eóſque omnes qui non communicabant illi, velut ſchiſmaticos, & maledictionis Core, Dathan & Abiron reos habebat, ſicut nunc adhuc declarat.

Epiſcopatus non interrupta ſucceſſio pro nota eſſentiali Eccleſiæ.

Hinc S. Hieron. ad Damaſ. Pontif. Max. Cùm ſucceſſore, inquit, piſcatoris, & diſcipulo Crucis loquor. Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum Agnum comederit, profanus eſt, ſchiſmaticus eſt, hæreticus, reúſque maledictionis, iudicij & gehennæ. Et S. Auguſt. contra epiſt. fund. Tenet me in Eccleſia

S. Hieron. epiſt. ad Damaſ. S. Aug. contra epiſt. fundam. c. 4.

in Ecclesia Catholica, ab ipsa Sede Apostoli Petri, cui pascendas oues Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopum (qui Anastasius erat) successio Sacerdotum. Hæc omnia audiant hæretici: beatitudinem audiant, & successionem Pontificum Ecclesiæ.

Tertull. lib. de præscrip. Vnde & Tertull. Doctorum omnium primus (ante SS. Hieron. & August.) lib. de præscript. ad hæreticos loquens & contra ipsos. Edant, inquit, ipsi origines suarum Ecclesiarum, euoluant ordinem Episcoporum, ita per successiones ab initio decurrentes, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerarit, authorem habuerit, vel antecessorem. Hæc omnia ille Doctor antiquissimus.

Quomodo dicitur visibilis Ecclesia. Dic ergo Ecclesiæ, ait Christus, scilicet quæ in distinctione ordinum, & successione pastorum visibilis est, sicut adhuc in Republica, vsu, & praxi omnium ceremoniarum, legum, iurisdictionis & doctrinæ suæ. *Similitudo.* Hinc est quod sicut clara voce Pater manifestauit filium suum Apostolis, dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Ita Christus clarè manifestare voluit Apostolos, & Ecclesiæ suæ pastores, dicens: Vos estis lux mundi. & rursus: Ite, ecce ego mitto vos. Qui vos recipit, me recipit. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit, & eum qui me misit. Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, ait Dominus IESVS. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlis, &c. Quæ omnia illis concessa sunt, ad vtilitatem quidem bonorum, & tutelam veritatis: ad malorum autem, atque erroris condemnationem. (Matth. 5. & 10. Luc. 10.)

Duo hic supersunt puncta, videlicet tertium & quartum, adhuc paucis & breuiter pertractanda, vt ex doctrina Apostoli optimè colligi possunt, quem ab initio citauimus. Vbi enim distinctionem ordinum, ministrorum, & donorum attulit, tam 1. Cor. 12. quàm Eph. 4. statim etiam vtilitatem & fructum demonstrat, dicens primò, ad cõsummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi. Quasi diceret Apostolus: ideo has differentias ordinum & donorum Deus in sua Ecclesia constituit. (Et quidem hoc est tertium punctum, quod notandum proponitur.) *3. Punctum.* Primo, ad consummationem Sanctorum, id est, ex S. Th. ad perfectionem credentium, & eorum qui iam sanctificati sunt per fidem Christi, scilicet vt Sancti tum numero, tum merito compleantur & perficiantur.

Secundò, in opus ministerij, id est, vt quisque opus ministrationis sibi creditæ strenuè exerceat, per quod scilicet procuratur honor Dei, & salus proximi. Iuxta illud ad Corinth. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, scilicet quibus vt in officiis constitutis collata sunt spiritualia dona, & scientiæ, ad hoc vt Deo & proximis inseruiant, atque administrent. Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ. Quæ dicunt, facite. (1. Cor. 4.)

Tertiò denique in ædificationẽ corporis Christi, scilicet vt etiam conuertantur infideles, ex quibus conuersis ædificatur Ecclesia Christi, quæ est corpus eius. (Vnde subdit, donec occurramus in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei.) Ad hoc enim vt ad finem tendunt omnia, sicut paulo antè dictum est; vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma: vnus Deus & pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Sic enim

A oportet conuenire omnes in agnitione vnius fidei & veritatis; & hoc, secundo loco, ait Apostolus, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, ad circumuentionem erroris, sed veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus.

Quartum & vltimum punctum est, vbi etiam vltimus fructus ostenditur ex differentia ordinum in Ecclesia, & doctrina veritatis ministrorũ eius, qui vnitatem fidei & agnitionis filij Dei prædicantes, errorem ex animis auferunt, vt iam non simus sicut paruuli fluctuantes: sed vt viri perfecti, *4. Punctum.*

B firmi & stabiles in fide. Qui enim hæsitat, ait S. Iacobus, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Iacob. 1. Talis est hæreticus, qui omni vento doctrinæ circumfertur, quo liberatur Ecclesia; vento, qui est in nequitia hominum, ait Apostolus, in astutia & ad circũuentionem erroris. Talis enim ventus animas huc & illuc circumferens, est hæresis, & doctrina peruersorum, his tribus signata & distincta notis.

Tribus notis distinguitur hæresis. Prima originem eius respicit, cùm ait, (in nequitia hominum.) Hæc enim ex malitia & deliberatione propria, ad perditionem animarum tendit, & ruinam spiritualis ædificij.

C Secunda progressum respicit (in astutia,) quia cum dolo, intendit vnum, & simulat aliud. Reformationem simulat, & intendit destructionem, vt exempla declarant. Propterea Corinthiis dicebat Apost. Timeo, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo IESV. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* (2. Cor. 11.)

Tertia respicit effectum, cùm ait (ad circumuentionem erroris.) Talis enim est hæresis effectus, error atque seductio. Ita Apostolus ad Timoth. Mali homines & seductores proficient in peius errantes, & in errorem alios mittentes. (2. Tim. 3.) Aliter quidem est de Doctoribus Ecclesiæ, vbi veritas est. Quæ dicunt, facite, ait Dominus. Propterea enim illos

D in Ecclesia posuit, vt veritatem quam prædicant, facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus.

Triplex veritas. Veritas triplex est, cordis, oris, & operis. Cordis, quæ stat in fide, & rectitudine intentionis. Oris, quæ stat in confessione & verbo veritatis, cùm videlicet lingua non discordat à corde & intentione. Iuxta quod Psaltes ille Rex sic Deum orabat; *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis.* (Psal. 118.) Adhúcque iungens simul illa duo, dicebat, cum certò ad Deũ ascensurum, qui loquitur veritatem in corde suo, & non egit dolum in lingua sua. (Psal. 14.) Ille enim verè dolum agit, qui cùm vnum dicit ore, aliud habet in corde.

E Veritas operis est, quando fidei & rationi opera concordant. Iuxta quod sic Ezechias dicebat ad Deum: Memento quæso Domine, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim. (4. Reg. 20.) O vtinam sic ambularemus omnes, vt quæ dicimus & profitemur, in corde perfecto & in veritate faciamus, in Christo IESV Domino nostro.

DE IMITATIONE Christi, in appetitu gloriæ.

Nescitis quid petatis : potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Matth. 20.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

EX his verbis Domini IESV, *nescitis quid petatis*, non colligimus esse contra naturalem & propriam animæ dignitatem, grandia petere, honores dignos homine, ac dignitates magnitudini eius cóformes. Quia nati sumus magni, & quidem ad magna nati, sicut scriptum est: *Faciamus hominem ad imaginẽ nostrã, vt præsit*, &c. Philosophus Seneca naturę suę instinctu optimè hoc dicere solebat; Maior sum, & ad maiora natus, quàm vt sim vile mancipium cupiditatum mearum, id est, vt quæram inferiora me. Homo ad imaginem Dei formatus, debet præesse omnibus quæ sub se sunt, & non quærere nisi altiora se, vtpote diuina & cœlestia regna, sicut ait Dominus Matth. 6. Quęrite regnum Dei, & iustitiam eius. Et sic quod contemnere debet, vt ad imaginem & similitudinẽ Dei factus, est illud omne quod in mundo est, videlicet concupiscentia carnis, oculorum, & superbia vitæ, omne tandem quod visibile est. Quæ videntur, inquit Apostolus, temporalia sunt, quæ non videntur, æterna. Hæc sunt quæ homo quærere debet, quod oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit, & quæ tandem Deus præparauit diligentibus se, scilicet sedere ad dexterã Dei Patris. Aliàs enim accepimus frustra hanc animam ad imaginem Dei factam. Ideo in Psalmo quæritur: Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Qui non accepit in vano animam suam, ait Propheta. Vbi Cassiod. Ille equidem in vano accipit, qui putat desideranda quæ sunt caduca & transitoria. Vnde accidet, ex S. Ber. Serm. de primordiis & nouissimis nostris, vt post mortem habiturus sit locum etiam inferiorem iumentis, qui insensibilior factus est illis. Annõ tibi hoc iustum videtur, inquit, vt positus in tormentis teneas locum posteriorem, videlicet Infernum? sicque post iumenta cogaris abire, qui iumentis insensibilior factus es? Eras aliquando gloria & honore coronandus, vt incola paradisi, conciuis Angelorum, & domesticus Dei. Nunc autem ab illa gloria deposuisti temetipsum exulem apud Inferos. Erubesce iam, ô homo, quod pro consortio Angelorum, non solùm pecorum, sed etiam dæmonum sortitus es consortium. hæc ille.

[Gen. 1.] [Quid quærere debeas homo ad imaginem Dei creatus. Matth. 6.] [Psal. 23.] [Cassiod.] [S. Bern. Ser. de primord. & nouiss.]

Ecce quid aliquando proderit, in vano animam suam accepisse. Sicut è contrà ille in montem Domini ascendet, stabitq; in loco sancto eius, ad dexteram Majestatis Dei sedens in excelsis, qui nõ accepit in vano illam, pro quo & accipiet benedictionem à Domino. Hæc est generatio quærẽtium Dominum. Verùm quis adhuc iste sit quæretis? Idẽ declarabit Cassiodorus Qui, inquit, nouit se ad intelligentiam diuinitatis esse procreatum, ad cogitationes vitæ æternæ, ad legem Domini custodiẽdam, & quidquid potest promereri vitam æternã, & locum in dextera Patris. Et S. Aug. in hunc Psal. 23. respondebit. Qui, inquit, in rebus permanentibus deputauit animam suam, & eam immortalem esse sentiens, æternitatem stabilem & incommutabilẽ desiderauit, vno verbo, sedere in regno Dei ad dexterã filij. Hoc est quod nõ arguit Christus.

[Cassiod.] [S August. in Psal. 23.]

A *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra*, &c.

Vnde quod reprehendit in petitione filiorum Zebedæi per matrem, modus est iniustus, inordinatus & pręsumptuosus. Dic vt hi duo filij mei sedeãt, vnus ad dexteram tuam, alter ad sinistram. Quibus respondit Dominus: Nescitis quid petatis. In hæc verba S. Chrysost. dicit. Quia nihil spiritale petebant, nec de cœlesti regno quidquam cogitabant, volebant autem præponi cæteris, & primatum impetrare, quoniam super duodecim sedes sessuros discipulos audierãt: ideo nescitis quid petatis. Neque turbetur quisquam, si adeò dicimus Apostolos imperfectos fuisse, nondum enim mysterium Crucis erat consummatum; nõdum gratia Spiritussancti in corda ipsorum infusa. Vnde Dominus illis; Nescitis quid petatis. Nescitis quàm magnum sit hoc, quàm admirabile, ac ipsas superiores excedens virtutes, ait S. Chrysostomus.

[Quid Dominus reprehendit in petitione filiorum Zebedæi.] [S. Chrysost.]

Nescitis quid petatis, quia hæc dignitas, & potestas non datur ambitiosis, elatis & cupidis: sed humilibus & paruulis. Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur, & è contrà. Ita enim Apost. dicit: Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo. Et sic non meum est dare vobis, vobis vt cupidis & ambitiosis. Dic, inquiebat mater, vt vnus sedeat. i. solus sedeat à dextris tuis. Sic enim in Scriptura vnus accipi solet pro solo. Nescitis quid petatis per matrem. Vanum est vobis ante lucem surgere, Surgite postquam sederitis. Vbi S. Aug. Ante lucem Christum vultis exaltari, ô filij Zebedæi, antequam humiliemini; & Dominus vester Christus, qui est lux vera & vestra, vt exaltaretur priùs humiliatus est. Surgite igitur, sed postquam sederitis in humilitate: surgentes enim ab humilitate, ad regnum peruenietis.

[Quibus gloria debetur.] [Heb. 5.] [Ps. 126.] [S. Aug.]

S. Gregor. hæc verba explicans Iob. *Deus potentiam non abycit, cùm ipsemet sit potens*, dicit. Tumoris elatio, non ordo potestatis in crimine est: potentiã Deus tribuit, elationem verò potentię malitia nostræ mentis inuenit. Quod certè Deus exigit, humilitas est, non elatio, meritum, & non fauor. Vnde dixit illis Christus Dominus: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? potestis me sequi & imitari? Ecce enim qui mecum sedebunt in regno meo. Qui me imitatione sequentur. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Christus imitatores exigit, & calicis sui participes. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?*

[Iob. 36. S. Greg. lib. 26. moral. cap. 19.] [Imitatio Christi.]

Idem S. Gregor. in Euang. Ad has vias, inquit, tumentia discipulorum corda reuocabat, cùm locum iam gloriæ quærerent, sed eiusdẽ gloriæ iter ignorarent dicens: Potestis bibere calicem? Nõ nisi vincentibus regnum datur. Apoc. 3. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. Magnus quidem iste honor est cum Rege in eodem throno sedere. Aman magnus æstimator honoris, supremam illam dignitatẽ iudicabat, suspiciebàtque equo regio vehi. Quid igitur erit sedere cum omnium regum Rege Christo, in eodem throno suæ Majestatis? Sed cui sic sedere dabitur? Audite; Qui vicerit, ait Dominus, dabo ei sedere. Sedere, quiescentis est & regnantis: vincere autem est laborantantis & pugnantis. Vnde optimè ista duo coniuncta sunt; Qui vicerit, dabo ei sedere: quia labori debetur requies, & datur post prælium regnum.

[S. Greg. homil. 27. in Euang.] [Esther 6.]

In quo quidẽ optimè proponitur nobis imitatio Christi & exẽplum; quoniã oportet vt simus participes eius laboris, si velim' esse honoris; simus pœnæ, si velimus esse gloriæ. Si enim cõpatimur, & cõregnabimus. Si quis mihi ministrat, me sequatur, [Ioh. 12.]

rem intrare in regnum cœlorum. Loquens verò de pauperibus dicit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati qui esuriunt, qui lugent, & persecutionem patiuntur: & beati estis cùm maledixerint vobis homines, & eiecerint. Gaudete, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Matth. 5. *Fœlix pauperum cõditio.*

Huius rei veritas & præsens euentus nobis in hodierno Euangelio ostenditur, vbi mentio fit de quodam diuite epulone, & de Lazaro paupere: atque de diuerso statu vtriusque in vita & in morte. Diuersus planè vtriusque fuit status, & differens omnino conditio.

Comparatio vtriusque status, diuitis & pauperis.

Diues dum viueret, non vnum nomen habebat, sed multa & varia, quæ & cognita erant omnibus: cùm autem moritur, ne vnum quidem cognitum est. *Homo quidam.* Ecce amplius non innotescit nomen eius: è contrà est de Lazaro paupere, cuius nomen vt pauperis cùm in obliuione esset omnium, dum viueret, qui non nisi vlcera eius ac miseriam intuebantur; nunc cognitum est omnibus, & hic in æternum ab æterno verbo mundo reuelatum. Potentes in terra, nec Deum agnoscere curant, nec eius nomen venerari & naturam. Sic Pharao dicebat Moysi: *Et quis est Deus tuus?* Ita etiam Deus eorum obliuiscitur in cœlo. Nescio vos. Quidam homo. In terra eorum nomina scribuntur, sicut dicit psal. Vocauerunt nomina sua in terris. Vnde & sicut puluerem delebo eos, dicit Dominus. Pauperum è contra nomina scripta sunt in cœlis, quoniam & ipsorum regnum est, dicit Dominus. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Diuitis status in hac vita gloriosus fuit, in diuitiis, & deliciis & honoribus: pauperis è contrà fuit conditio misera, in mendicitate, afflictione & contemptu. Iste in vbertate diuitiarum fuit: hic verò in extrema paupertate. Iste diues purpura & bysso erat amictus: & pauper vlceribus suis. Iste abundans epulabatur quotidie splendidè: hic verò pauper & mendicus iacebat ad ianuam, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mẽsa diuitis, & nemo illi dabat. Ecce in hac vita vtriusque sors & status diuersus. *Non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.* In paupere miseria est, & in diuite immisericordia.

Diuersus status diuitis & pauperis post mortem.

Videamus iam diuersum vtriusque statum post mortem. *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in Inferno.* Vterque quidem mortuus est, & vterq; raptus: sed diuersimodè. Sola morte naturali, & communi mortuus est pauper, qui in mundo viuebat per gratiam, nunc autem in cœlo & sinu Abrahæ per gloriam. Diues autẽ triplici morte mortuus est. Morte culpæ, dum adhuc viueret, sc. per peccatum mortale, quo Deus separatur ab anima, vt apud Ezech. dicitur: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Morte naturali, & communi tam bonis quàm malis, quæ videlicet fit per dissolutionem animæ & carnis, iuxta illud ad Hebr. Statutũ est omnibus hominibus semel mori. Et morte æterna seu gehennæ, per separationem æternam à Deo, & beatorum visione: itémq; sepulturam æternam in Inferno tormentorũ loco. Quomodo de hodierno diuite dicitur: Mortuus est autẽ diues, & sepultus est in Inferno. Eleuans autẽ oculos suos cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham; Fili, recordare quia

Triplici morte moritur diues. *Morte culpæ.* Ezech. 18. *Morte naturali.* Hebr. 9. *Morte æterna.*

A recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc hic consolatur, tu verò cruciaris: & in his omnibus, inter vos & nos chaos magnum firmatũ est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.

Ecce quæ admirãda rerum vicissitudo est in hoc spectaculo pauperis & diuitis. Euangelizatur pauper, & beatus prædicatur; sed qui humilis & patiẽs est velut Lazarus. Diues autẽ superbus damnatur, & rapitur ad Inferos. Cùm moritur ille, hæredes possident, plerunque cum vitiis, terrenam substantiam eius, vt dicitur de quinque ipsius fratribus, qui in eadem via damnationis erant: vermes in sepulchro carnem & fœtidum cadauer, sicut in Inferno B supplicia & ignes animam possident quam deuorant. Horribile prorsus est illud mortis & sepulturæ genus: horribilis item atque infœlix gloriæ, superbiæ, deliciarum, atque vanitatis diuitũ est finis. Domus illorum in æternum sepulchra sunt, & sepulchra Infernus. Mortuus est diues, & sepultus est in Inferno. Diuitiæ eorum in egestatem transeunt, & deliciæ in tormenta. Eleuans oculos cùm esset in tormentis, clamans ait: Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti in aquam, quia crucior in hac flamma. Desperatorum & damnatorum hæreditas, ardor est & flamma, & dies illorum æternitas. In his omnibus, ait Abraham, inter nos & vos chaos magnum firmatum est, ita vt non detur liber transC meatus. Infinitæ namque distantiæ sunt, & mansiones æternæ: atq; in vno & in altero ingressu, maiusculis scriptum est litteris, ÆTERNITAS.

Durum planè quod cruciat æternum, aiebat quidam, fœlix quæ beat æternitas; à morte pendent, mors à vita, hæc à momento. Elige, periisse semel æternum est. Tot equidem ac tam terribilia sunt eiusmodi tormenta, vt nec ea cogitare animus, nec explicare lingua vobis sufficiat. S. Paul. Corinthiis de gloria scribens, cum Isaia Propheta dicit, quia oculus non vidit, &c. quæ præparauit Deus diligẽtibus se. Ita equidem de tormentis in Inferno dici potest, quia oculus non vidit, quæ mala & tormẽta Deus præparauit præuaricatoribus in se. Talis certè vox desperatorum est in tormentis: CircundeD derunt me mala quorũ non est numerus. Tot enim & tã innumerabilia sunt, vt minimè enarrari possint. Interim ad numerum quendam sumptum ex Euangelio redigemus, vt ex illo quanta sint, & quàm horribilia penetremus.

Inexplicabilia sunt Inferni tormenta. 1. Cor. 2. *Diuersa Inferni tormẽta.*

1. Primũ est Infernus, vt dicitur, quia diues sepultus est in Inferno: in Inferno, qui omniũ miserorũ & desperatorum est locus, æternus carcer damnatorum, & dæmonum horribilis domus. Qui & alio nomine stagnum ignis dicitur: sic enim in Apocal. dicitur quod diabolus missus est in stagnum ignis. Sic aliter per Psalmistam puteus interitus dicitur, quia ibi mors est, & vita nulla. Tu Deus, inquit, deE duces eos in puteum interitus, scil. peccatores. Puteus certè est, sed qui suis dimensionibus constat. Altus est, quia omnes pœnæ quæ in eo sunt, grauissimæ ac in supremo gradu doloris sunt. Longus, quia æternæ sunt durationis. Largus, quia omnes omnino continet. Et profundus, quia pœnæ puræ sunt. Quibus quidem rationibus Isaias dicebat: *Dilatauit Infernus animã suam, & aperuit os suum absque termino.* Atque equidem inde etiã ratio est, cur epulo & diues hodie dicitur esse in tormentis pluraliter, & non in tormento singulariter, scilicet quia vndique cruciabatur, à Deo, & omnibus creaturis, omni etiam tormentorum genere, & in omnibus partibus tam animæ quam corporis.

Quid sit Infernus. Apoc. 20. Psal. 64. *Dimensiones pœnarũ Inferni.* Isa. 5. *Cur diues dicitur esse in tormentis pluraliter.*

Verùm quia in Euangelio ad certum numerum redacta sunt, post istud primum, ad secundum veniamus; *Crucior in hac flamma.* Ardor est flammæ & incendium ignis. Ita dicit Isaias: Ignis hostes tuos deuoret. Et Paul. ad Heb. Voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia. Terribilis autem expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Ignem æmulantẽ vocat, eo quod pertinax in vrendo, nunquam consumitur, consumẽnsque peccatorẽ cruciatibus, neque vitam, neq; sensum doloris illi eripit. Quo sensu Iob etiã dicit; deuorabit eum ignis qui non succenditur. i. qui per seipsum fouetur, & nunquam extinguitur; deuoránsque continuò, nunquam animas consumit.

2. Tormentum. Isa. 26. Heb. 10. Iob. 20.

Ita S. Cypr. tract. contra Demetrianum. Cremabit addictos ardens semper gehenna, & viuacibus flammis vorax pœna: nec erit vnde habere tormẽta vel requiem possint aliquando, vel finem. Quomodo miser ille diues clamans in tormentis, dicebat, crucior in hac flamma. Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.

S. Cyprian. tract. contra Demetrian.

Sed curnam in lingua magis crucietur ille miser videamus. S. Augustinum audiamus. Ideo, inquit, maiorem in ea sentit dolorẽ, quia per eam superbè loquendo contempserat pauperem: vnde quæ lingua noluerat dicere, vt pauperi eleemosyna daretur, grauiùs gehennæ flammis vritur. O diues, qua fronte quæris guttam, qui noluisti porrigere micam? Iustè nunc exigeres, si dixisses. O mũdi bona apud Inferos mala! hæc ille. Et S. Greg. Ecce, inquit, pauperes importunè se offerunt, & tamen patroni nostri sunt. Nos certè eos rogare debuimus, vt videlicet accipiant, & tamen rogamur. Non est veritas, non est misericordia, & non est sciẽtia Dei in terra. Iucundus homo qui miseretur, & cõmodat, ait Psaltes; ex Genebrardo, vtilis sibi est. Pauperes patroni nostri sunt, & tamen rogamur ab eis; importunè se offerunt, quos rogare deberemus. O bona mundi apud Inferos mala!

Cur diues in lingua magis cruciatur. S. Aug. Ser. 227. de tẽp. S. Gregor. hom. 40. in Luc.

Cùm esset diues in tormentis, guttã petit aquæ, & non datur illi qui negauerat micam panis. Tertium est tormentum, scilicet interior conscientiæ vermis, qui nunquam moritur, cum recordatione æterna præteritæ prosperitatis, & præsentis ignominiæ. Sic ait Dominus: Vermis eorum non morietur. & Sapiens; Vidẽtes turbabũtur timore horribili, &c. Quid nobis profuit superbia? quid diuitiarum iactantia? Transierunt ista omnia velut vmbra. Talia dixerunt in Inferno, ait Sapiens, hi qui peccauerunt: & talia hodie dixit miser ille diues in Inferno sepultus. Cùm eleuans oculos suos, vidit pauperem Lazarum in sinu Abrahæ accipere regnum decoris, & diadema de manu Domini, guttã aquæ petit ab eo, qui olim ad ianuam iacebat diuitis, & cupiebat saturari de micis, & negabatur illi. O bona mundi apud Inferos mala! Ecce stimulus iræ eius, & deuorans vermis in memoria præteritæ prosperitatis & ignominiæ præsentis. Iob dicit; Dulcedo illius vermes. Quod enim primò illi erat dulce in culpa, tunc vermes fuerunt amari in pœna. Ita est adhuc de omni gloria & vanitate superborum, quæ in opprobrium sempiternum transit, cùm vident se despectos à Deo, Angelis, & beatis omnibus, etiam iis quos in terra contempserunt. Dicam adhuc, à dæmonibus ipsis, & omnibus damnatis quibuscum in Inferno conuersantur. In Psal. 43. Confusio faciei meæ cooperuit me, à voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & per-

3. Tormentum. Marc. 9. Sap. 5. Iob. 24. Psal. 43.

A sequentis. Sic Prouerbiorum author: Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit, sed sequitur eum ignominia. Ita diues Lazarum contemnebat, sed eum ignominia sequuta est, atq; opprobrium. Sic enim postea ab Abraham & Lazaro despectus est, cùm in opprobrium & profundum malorum suorum & tormentorũ venit: vt illi guttula aquæ negata sit, & pro fratribus exauditio. Prou. 18.

Tales sunt, & innumeræ aliæ sensus pœnæ, quas omnes illi miseri patiuntur in Inferno. Præter vnã adhuc, quæ omnium maxima & grauissima est, nempe pœna dãni, quę in iactura Dei, & separatione æterna est.

B Quartum est tormentum essentiale, & in grauitate primum omnium, & maximum. Nihil enim intolerabilius est quàm excidere à Deo. Diues miserabilis cùm esset in tormentis, eleuans oculos vidit Abrahã à longè, &c. Nullius certè fuissent illi põderis alia tormenta, nisi istud contigisset, sc. videre Abraham à longè, & à visione, & fœlici Dei consortio separari, qui est summũ bonum, & vltimus finis hominũ. Hæc enim est vita æterna vt cognoscant te. Ita est; nam visio Dei tota merces. Tota equidem merces æterna præsentia eius, possessio, atque fruitio. Sicut è contra mors æterna est, seu essentiale tormentum, separari ab illo, & iacturam C facere eius præsentiæ & fruitionis. Istud quæso Isaiæ intelligite: Tollatur impius, ne videat gloriã Dei. Sed quod adhuc est extremum, in æternum separari, & cum ista adhuc separatione omnium pœnarum genera pati, & in æternum pati.

4. Tormentum. *Quàm graue sit tormentum, separari à Deo.* Ioh. 17.

Istud certè vltimum & grauius tormentum est, audire simul: Discedite à me maledicti in ignem æternum. Durum quod cruciat æternũ, fœlix quæ beat æternitas. Semel perisse, æternum est. *Non est veritas, nõ est misericordia, & nõ est sciẽtia Dei in terra.* O in æternũ audire cũ illo misero diuite; Magnum inter nos & vos chaos firmatum est! Magnum certè; quia æternum, firmatum & irreuocabile est.

Horribile æternum.

Centum annorum millia transibunt, & in fine illorum, & aliorum plurium infinitorum, adhuc D semper restabunt initia dolorum. Ex quo tempore diues epulo separationem Dei & flammarum incẽdia patitur, in nihilo de pœnis suis alleuatus est, quæ ad mensuram, modúmve æternitatis, semper initia habẽt absque fine. Tempus eius clausum est, & non erit amplius. Quod superest, æternum est. In his omnibus, magnũ chaos firmatum est. Quod autem magnum illud chaos fecit & firmauit, peccatum est, per quod separamur à Deo in æternum. Sic Isaias dicit: Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis.

Apoc. 16. *Peccatũ æternitatem pœnarũ facit.* Isa. 59.

Quæ cùm ita sint, ait S. Aug. non perseueremus in malis: sed medium istud obstaculum auferamus. Nihil enim est præter istud, quod nos Deo cõiun- E gi prohibeat. Cùm non eramus, fecit nos esse, vt bona æterna præstaret, non vt nos traderet gehennæ. Regnum cœlorum propter nos: gehenna propter diabolum facta est. Hæc ita esse testantur Euãgelia Matth. 25. vbi his qui à dextris eius sunt, dicit: Venite benedicti, percipite regnũ quod vobis paratum est. His autem qui à sinistris: Discedite in ignem æternũ, qui diabolo paratus est. Vnde subiungit ille S. Doctor. Si ergo gehenna propter diabolum: regnum autem cœlorum propter hominem; restat, ne nos ab ingressu bonorum, persistendo in malis, excludamus.

S. Aug. Ser. 181. Matth. 25.

Donec sumus in hac vita, quãtacunq; acciderint peccata, possibile est omnia ablui per pœnitẽtiam: cùm

cùm autē abducti fuerimus, nulla erit vtilitas pœnitentiæ, licèt nunc valde pœniteat nos; licèt sit fletus & stridor dentium, fundamus preces & proclamemus. Nemo audiet, nemo subueniet, nec extremo quidem digito aquam quis infundet linguæ nostræ positæ in flammis. Sed audiemus quid ille diues audiuit ab Abraham, quia chaos magnum firmatum est inter nos & vos. Nemo hinc illuc, neque inde huc transire potest.

Resipiscamus ergo, & simul recordemur, quid profuerit illis qui in præsentis vitæ voluptatibus vsque in diem vltimum permanserunt, intueamur sepulchra eorum, & videamus si aliquod in eis iactantiæ & diuitiarum vestigium supersit. Accedamus propiùs, & cineres solos videamus, vermiúmque fœtidas reliquias. Recordemur hunc esse corporum finē, licèt in delicijs trāsegerint vitam. Verùm si res omnis solùm veniret vsque ad cineres & vermes, parui penderentur hæc damna. Nunc autē conuerte oculos ab istis, & cogitationem reuoca tuam ad illud diuini iudicij tribunal horrendum, quod ardens fluuius flammeis ambit fluentis, vbi ignis qui nunquā extinguitur. Recordare, ait S. August. parabolam Lazari, & istius diuitis qui opum tantarum dominus, vnam aquę guttā inuenire non potuit, cùm esset in ardoris necessitate constitutus. Dic quæso, quid plus habet vita ista quàm somniū?

Exemplum. Exemplū dat, & ait. Sicut hi qui in metallis constituti, vel condēnati post multum duræ vitæ, cùm paululum relaxati fuerint in somnium, & vident se inter plures dapes positos, epulis copiosissimis perfrui, vbi surrexerint, nihil sibi gratiæ ex delectatione somnij inueniūt. Ita diues qui somnium habuit huius vitæ, vbi discessit, nihil in illo nisi præteritorum pœnitudo, & præsentium pœna permansit. Hæc recordare, & ignem illum æternum gehennæ, flammis libidinis & cupiditatis oppone. Ignis hic qui in præsenti est vita, absumit cuncta quæ recipit, ille verò quos susceperit, semper cruciat, & pœnæ suæ integros seruat, vnde & inextinguibilis dicitur. Ibi quid agetur, vbi sera erit pœnitentia? cessabunt auxilia, inualescent pœnæ, & solatium nullum. Verùm, ait S. Aug. has pœnas euadere, & æternam beatitudinem acquirere possumus, si modò de malis nostris pœnitentiā agamus.

Pœnitentia. O quanta est virtus pœnitētiæ. Nunquam Deus pœnitentiam spernit, si ei sincerè & simpliciter offeratur. Suscipit libenter, amplectitur, pro pœnitentia facit omnia: per quam ablui peccata omnia possibile est. Addamus & per misericordiam: cuius potissimùm defectu diuitem damnari legimus. *Non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.*

1. Tim. 4. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habēs vitæ quæ nunc est, & futuræ. Hanc Deus etiā cultui suo prætulit, & religioni dicens: Discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificium. Hæc virtutum omnium quæ ad proximum pertinent, maxima & potissima est, vtpote quæ nos similiores Deo facit, secūdum similitudinem operationis, nimirum subueniendo aliorum miseriis. Vnde S. Paulus ait: Induite vos sicut dilecti Dei viscera misericordiæ. Alioquin, dicit S. Iohannes in sua Canon. qui substantiam habuerit huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Fratres, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate. *Non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.*

Osee 4. & Matth. 10. Misericordia.

Coloss. 3. 1. Ioh. 3.

Scietia Dei, charitas est, & misericordia in pauperes. Luc. 11. Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Quare S. Ambr. dicit. Pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti: hoc modo Diues Lazarum occidebat. Et S. Basil. disserens ad diuites sic ait. An iniustus est Deus inæqualiter res nobis distribuens? Cur tu abundas, ille verò mendicat, nisi vt tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille verò patientiæ brauiis decoretur? Est panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclaui conseruas, & indigentis argentum, quod tu possides inhumatum. Quocirca tot iniuriaris, quot dare vales. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.

Luc. 11. S. Ambros. S. Basil. Ser. ad diuites in Luc. 12.

DE PROVIDENTIA diuina.

Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam. Matth. 21.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

INtelligentia parabolæ huius propositæ à Christo, ex triplicis sensus explicatione dependet, litteralis, mystici seu allegorici, & moralis. Litteralis ex S. August. spectat ad Synagogam, seu populum Israel, de quo Isa. 5. *Vinea Domini exercituum, domus Israël*; quem quidem plantasse Deus dicitur, cùm sibi illum assumpsit, & adinstar vineæ in Palæstina seu terra promissionis collocauit & plantauit, vt ex illis verbis Psalmistæ colligi potest: Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, (id est, Chananæos,) & plantasti eam, videlicet, populum tuū, liberans de seruitute Gentilium & Ægyptiorum. In terram patrum suorum introduxisti, quæ Chanaan erat, seu Palæstina promissionis terra. Moyses similiter in Cant. suo ait: Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ. Cùm scilicet eis, veluti vineæ omnem culturæ & prouidentiæ suæ curam exhibuit, nullis eos vnquam destituens auxiliis & emolumentis, quæ desiderari possent, & spectare ad eorū spirituale & corporale cōmodum.

S. Aug. Ser. 59 de verbis Domini.

Psal. 79.

Exod. 15.

Per vineam intelligitur primò populus Israel.

Quæ quidem in tribus istis in vinea necessariis significantur, videlicet sepe, torculari, & turri. Intelligendo per sepem, continuam diuinę custodię, cœlestísque præsidij munitionem, qua semper in necessitatibus suis protegebantur. Per torcular, Altaria & victimas pro delictis, seu legem, quę discernit & separat purum ab impuro, & exprimit ex populo dulce vinum bonorum operum. Per turrim, sublimitatem reuelationum & prophetiarum de aduētu & diuina expectatione Messię. Quę omnia illis cum summa cura exhibita fuerunt, vt in infidelitate sua nullam excusationis causam haberent de peccato suo.

Quid per sepem intelligitur.

Quid per torcular.

Quid per turrim.

Deus autē de iis iustè conqueri posset, vt videtur per Isa. dicens: Quid debui facere vineæ meæ, & non feci? Expectabam ab ea vuas, &c. Hodie ex Euangelio, cùm tempus fructuū appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius, & agricolæ apprehensis seruis eius, aliū cæciderunt, alium occiderūt, & aliū lapidauerunt. Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. Agricolæ autē videntes filium, dixerunt intra se: hic est hæres, venite, occidamus. Quinam hæc dixerunt? Iudæi & Scribæ. Ioh. 1. In propria venit, & sui eum non receperūt.

Isa. 5.

Ad vineam venit, & dixerunt, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius: & apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.

Gen. 37. Applicatio historiæ Ioseph Christo Domino.

Recordor historiæ Ioseph, ad quem, cùm illius fratres in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit pater: Fratres tui pascunt oues, veni, mittam te ad eos, & vide si cuncta prospera sint. Qui respondit: præstò sum; & missus ibat post fratres: & interroganti viro qui videbat eum errantẽ in agro, dicebat: Fratres meos quæro, indica mihi vbi pascant greges. Qui dicit, in Dothain: & perrexit, & inuenit eos: qui cùm vidissent eum procul, cogitauerunt illum occidere, dicentes: Ecce somniator venit, &c. Nulla quidem figura est ista conformior præsenti, & Euangelicæ veritati: vbi verus Ioseph, & augmentum Domini IESVS CHRISTVS homo-Deus, missus à patre in plenitudine temporum, vt quæreret fratres, & videret si cuncta prospera sint, cùm tempus fructuum appropinquasset, dixit, præstò sum, & venit. Sed quid accidit? procul eum viderunt. Ex inuidia nõ agnouerunt, nec receperunt, sed dixerunt: hic est hæres, & filium Dei se nominat, venite, occidamus, & apprehensum eum occiderunt.

O Domine IESV, patri obediens, præstò sum, dixisti, & quærens nos errans & vagus in terra, ad nos venisti, & inuenisti, dicens: Fratres meos quæro, tempus fructuum appropinquat. Pater sancte, nunciabo nomen tuum fratribus meis. Notum feci, & notum faciam, vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Verùm procul te Domine viderunt, qui videntes te, intra se cogitauerunt, & te extra vineam eiicere, id est, Synagogam, & te occidere, & apprehensum occiderunt. Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis, qui reddant ei fructum temporibus suis. Numquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Ideo dico vobis, quia à vobis auferetur regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Hic sermo de Ecclesia Dei est, quæ est regnum Dei de Iudæis ad nos translatum.

2. Per vineã intelligitur Ecclesia.

Quare de sensu litterali ad mysticum transeamus. Punctum est secundum. Iisdem rationibus, quibus hanc vineam Synagogam explicauimus, etiam, & quidem meliùs Ecclesiam intelligi ostendemus, neque enim amplius regnum est atque hæreditas filij Dei, ista Synagoga & angusta plebs Iudæorum: sed vniuersalis Ecclesia, & Christianus populus per totum orbem diffusus, à quo dignè sanctéque colitur.

Malach. 1.

Malachiæ 1. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, (Iudæis loquitur) & munus non accipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur mihi oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus. Magnum nomen, quia magnum est regnum; vt per Prophetam ait Pater ad filium: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

Ps. 2.

Eiiciunt te, ô fili mi, ex angusta & sterili vinea Iudæi: sed ampliorem possidebis & fœcundiorẽ, quæ plantata per totum orbem in abundantia & benedictionibus, fructus suos reddet, laudabit te, benedicet, prædicabit, & colet.

Moyses figura Christi.

Moyses liberator populi, & magnus legislator Dei, derelictus à paupercula matre, & expositus aquis, à Regina & filia Principis assumptus est, & honorificè receptus. Ita Christus summus legislator Patris, & populi Redemptor, eiectus à Synagoga matre paupere & misera, ab eâque passionum aquis & morti expositus, ab Ecclesia Regina & filia summi Principis Dei cum honore receptus est.

Ioseph figura Christi.

Sed in memoriam reuoco nostram historiam Ioseph alterius Saluatoris, qui de angusta domo paterna à fratribus suis eiectus est, per inuidiam venditus, ac morti traditus: posteàque super totam Ægyptum dominatus est. Ita in Ecclesia Christus regnauit, & in cunctis gentium partibus cùm de Synagoga eiectus est. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c.

Erectio Ecclesia pro Synagoga. S. Bern. Ser. 30. in Cant.

Exiguum Iudæorum regnum ablatum est, & magnum aliud erectum est, quod est Ecclesia, inter gẽtes, in quibus Christus regnat & colitur. S. Bern. hoc notauit in Cant. dicens: Non periit vinea, sed migrauit, etiam creuit, & dilatata est. Vnde & vniuersalis dicitur, quia per totum orbem diffunditur. Omnia illi benignissimè prouidit Deus, quæ ad ipsius complementum necessaria erant. Sepem diuinæ custodiæ & protectionis, cùm dixit; & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam. Torcular passionis, mortis, ac meritorum, vt ait S. Paul. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, & exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam: sed vt sit sancta & immaculata. Turrim & eminentiam legis nouæ super veterem: Euangelij & veritatis super vmbras, & figuras. Denique diuinorum quæ illi prouidentur, altitudinem, quæ minimè in Synagoga erant, & modò in Ecclesia sunt. Per Isa. Dominus dicebat: Si me audieritis, bona terræ comedetis. Si autem nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.

Matth. 16.

Eph. 5. Mira Dei prouidentia erga Ecclesiam.

Isa. 1.

Ecce quæ in Synagoga promissiones erant terrenæ, & adhuc minis commixtæ. Sed in Ecclesia longè aliter fiunt: promissiones sunt Cœli, & æternæ gloriæ. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Qui facit voluntatem Patris, ipse in regnum cœlorum intrabit. Vnde dicebat Apost. quia nihil ad perfectum adduxit lex. Introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum, Ecclesia quidem est, cui solùm altitudo competit, & quæ etiam in alto sita est. Iuxta illud Psalmistæ: Fundamenta eius in montibus sanctis. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.

Hebr. 7.

Ps. 86.

Verè dilexit eam Dominus: cui indistinctè & per ordinem veros & legitimos Pastores, vt agricolas suos prouidit, scilicet Apostolos, Euangelistas, & Doctores veritatis, in consummationem Sanctorum, & in opus ministerij. Vos estis lux mundi. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Euntes ergo docete, & prædicate Euangelium omni creaturæ. In hoc clarificatus est Pater, vt fructum plurimum afferatis, & fructus vester maneat.

Psal. 45. Status immotus Ecclesia, aliò sque trãslatio ratione peccatorum.

Verè dilexit eam Dominus, qui in ea posuit omnia genera gratiarũ. Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei. Sanctificauit eam Altissimus. Deus in medio eius, non commouebitur. Certè non commouebitur; quia in æternum stabit. Potest quidem aliò migrare & transferri, in pœnam peccati, & punitionem ingratitudinis nostræ, & indignitatis; sed non commoueri vnquam. Regnum, ait Sapiens, transfertur à gente in gentem propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & dolos diuersos. Hoc quidem constat satis in temporalibus regnis, quæ sæpe aliò propter peccata transferuntur atque dimouentur.

Eccl. 10.

Commu

A Communia sunt exempla Iudæorum, Ægyptiorum, Assyriorum, Babyloniorum, Persarum, atque etiam Romanorum; denique & aliorum multorum. Sed adhuc hoc verissimum est in spirituali regno, quod est Ecclesia: & exempla nimium recentia sunt. Et flens dico, non solùm de Græcia, sed etiam temporibus nostris de omni Anglia, & Scotia, multisque Germaniæ partibus: dicam adhuc, & aliquibus Franciæ, ad Indos translata est, & extremas orbis Insulas, vbi modò floret, & mirum in modum excolitur.

Sed vndenam hoc, dicetis? Certè ex abundantia peccatorum. Audite Prophetam nostrum, & quibus aduersum nos minis vtitur in sermonibus suis. Maledictum, inquit, & mendacium, furtum, & adulterium, & homicidium inundauerunt: neque est veritas, neque misericordia, neque scientia Dei in terra. Propter hoc lugebit terra: & infirmabitur omnis qui habitat in ea, &c. Quare, & vnde ratio? Sententiā Christi audiamus & timeamus: *Auferetur à vobis regnū Dei, & dabitur genti faciēti fructus eius.*

Osee 4.

Vnde iam de mystico sensu ad moralem trāseamus. Tertium punctum est. Vinea quam plantauit Deus, anima nostra est, singulare opus Dei, illiusque imaginis atque similitudinis viua repræsentatio. Illa est, de qua in Ieremia: Ego plantaui te vineam electam, omne semen verum. De qua in psal. Respice Domine, de cœlo, & vide, visita vineam istam, & perfice eam quam plantauit dextera tua. De qua denique plusquàm de quacunque alia Dominus dicit in Isa. Quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei? Quasi diceret: super omnia opera mea, priuilegiis decoraui eam, & præterea ad ferendos vberrimos fructus omnia ei necessaria dedi & prouidi, vt subiecto & operi diuinæ meæ prouidentiæ omnium maximo. Præter omnia quæ ad commodum eius, vsum, & delectationem creata sunt, Angelos meos constitui & commisi pro sepe & custodia vitæ eius: pro sanctitate vitæ omnia merita mea expendi, torcularia laborum, turres meas atque altaria construxi, & tandem post meipsum pro æternitate vitæ eius & gloria dedi.

3. Per vineā intelligitur anima.
Ierem 2.
Ps. 79.
Isa. 5.
Omnia beneficia & testimonia prouidentiæ Dei erga hominē.

Istud certè admirabile est, quod in hominem cadat omnis diuinæ prouidentiæ ordo & ratio. Iuxta Boet. Prouidentia ratio est diuina in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit. Hic duo sunt quæ ad prouidentiam spectant: vnum est æternum, alterum temporale. Quod æternum est, ordinis rerum in Deo ratio est, & propriè prouidentia dicitur, quæ sic à Sancto Thoma definitur; Ratio ordinis rerum in Deo ad finem. Quod autem est temporale, dispositio est ordinis, seu executio, quæ dicitur gubernatio.

Quid sit prouidentia.
Boët. lib. 4. consol. prosa 6.
Duo considerātur in prouidentia.
Quid sit ex S. Thom. 1. p. q. 22. art. 1.

Hoc iam posito, dicimus omnia creata tam in vniuersali, quàm in particulari totaliter dependere à prouidentia Dei, qui omnium est causa. Iuxta quod de diuina sapientia dicitur, quod a fine attingit ad finem fortiter, & omnia disponit suauiter. Interim verum est dicere, hominem illi subiici plusquàm omnia. Quod vt intelligatur, sciendum est duobus modis Deum prouidere rebus: vno modo immediatè; altero mediatè. Iuxta quod videlicet illa duo in prouidentia inueniuntur, ratio ordinis rerum, & executio seu dispositio.

Omnia à prouidentia dependent.
Sap. 8.
Homo plusquàm omnia.
Duobus modis Deus prouidet rebus.

Si primo modo rationem ordinis spectemus, quæ in intellectu diuino est, omnibus immediatè prouidet Deus à minimo ad maximum. Sic enim dicit S. Gregor. Mundum quem per seipsum condidit, per seipsum regit. Si verò dispositionem ordinis, seu executionem spectemus, quæ gubernatio dicitur, multa sunt prouidentiæ media, vt sic mediatè aliquibus Deus prouideat per superiora inferiora gubernans, non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, etiam creaturis dignitatem causalitatis communicans. Ita S. Tho. in Compendio suæ Theologiæ.

S. Gregor. lib. 24. mor. cap. 16.
Qua ratione Deus inferiora gubernat per superiora.
S. Thom. in Compend. Theolog. parte 1. cap. 123.

Vnde sicut ad perfectionem diuinæ bonitatis pertinet, & quod Deus in se bonus sit, & quod alia similiter ad bonitatem reducat: ita vtrumque creaturæ communicat, & quod in se bona sit, & quod vna aliam ad bonum inducat, vt in creaturis superioribus & perfectioribus videre est, quæ à primo agente & supremo formæ simul & actionis B similitudinem participant. Sic in Luna, quæ perfectius lumē recipit à Sole quàm alia corpora opaca: hæc enim, scilicet Luna, à Sole illuminatur & simul illuminat, formam accipiens & actionem; opaca verò corpora tantùm illuminantur, sed non illuminant.

Propinquiores Deo creatura alias ad bonum inducunt.

Ita dico de creaturis superioribus & intelligibilibus, quæ à Deo participant similitudinem bonitatis eius. Perfectiores, vt sunt Angeli, ex dispositione Dei & prouidentia, inferiores gubernant, vtpote quæ perfectiùs Deo appropinquant & participant, non tantùm in forma bonitatis, sed etiam in similitudine actionis, alias ad bonum inducendo.

C Quo posito, ostēdemus nunc hominē perfectiùs cæteris diuinæ prouidentiæ subiacere. Primò enim immediatè & per seipsum Deus illi prouidet gratiis, inspirationibus, & continuis auxiliis. Ego autem plantaui te vineam electam. Verè electam, pro qua pater dignatus est filium suum dare, & filius animam, sanguinem, mortem, cum vita, & omnis gratiæ plenitudinem.

Plus cæteris homo subiacet diuinæ prouidentiæ.

Secundò, mediatè & per perfectiores creaturas, quales sunt Angeli. Cætera enim taceo inferiora huius mundi, quæ adhuc deseruiunt eius vtilitati, fini, & saluti: sed præsertim ad Angelos respicio, qui ei dati sunt in custodiam & directionem vitæ, & vt dicam, æternæ. Sepes est, quæ D hanc vineam muniuit magnus paterfamilias. Angelis enim suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In omnibus, ait. O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei, & incomprehensibilis prouidentiæ eius, qui creatis ad gloriam suam Angelis, etiam illos pro nobis creauit, & salutis nostræ ministros, missos, sicut dicit Apostolus, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, sicut opus erat, in vita spiritus & gratiæ, quam in terra ducere debemus, directione aliqua & regimine supremo, cùm ex nobis, sine auxilio nihil omnino agere sufficientes simus: propterea Deus Angelos suos custodes nostros, & directores constituit. Angelis suis Deus mandauit de te, &c.

Ps. 90.

E Tria autem sunt præcipua, quæ in Angelis considerari possunt. Humilitas, quod cùm sint tam nobiles creaturæ, ac Deo semper adhærentes, se hominum obsequio subiiciant. Obedientia erga Deum, qui sic ex voluntate sua tam vili propter Deum se mancipant. Quis nostrûm, quæso, vellet & posset etiam pro Deo vilium muscarum aut formicarum curam habere, & continuam? Item amor, ex eo quod nobis sine vlla inuidia procurant maiorem gloriam in cœlo, quàm ipsi habeant.

Tria in Angelis erga hominem consideranda.

Post istorum trium considerationem, tria sunt adhuc præsertim honoranda in illis. Eorum naturæ dignitas & excellentia, quibus plusquàm Regibus & Monarchis reuerentiam exhibere debemus.

Tria honoranda in Angelis.

Secundò, eorum vigilantissima cura atque custodia, quibus propterea omnem gratitudinem & debitum reddere debemus. Si enim agnoscere cum tenemur qui nos de periculo aliquo eiueret, quanto quæso magis Angelos nostros? Tertiò, directio nostra particularis, & instructio in vita, vnde quidem illis dependentiam & perfectam obedientiam debemus, ne illis postea tristitiam inferamus. Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.

Torcular pænitentia.

Secundum medium seu effectus diuinæ erga nos prouidentiæ, post sepem & custodiam Angelorum, est torcular contritionis, & doloris de peccatis post amissam gratiã: seu, vt meliùs dicam, pœnitentia quæ nobis vitam restituit, & lætitiam Angelis. Pœnitentiam agite, & appropinquabit vobis regnum Dei.

Turris, seu Altare Ecclesia.

Tertium est Altare & turris Ecclesiæ, vbi illa omnia habet quæ ad vitam gratiæ necessaria sunt, Euangelium, prædicationem, Sacramenta, & vnctiones. In Templo Hierosolymitano Altare erat thymiamatis seu incensi; Altare item holocaustorum: panes propositionis, & candelabrum lucens. Ista quidem quæ in Templis & turribus nostris sunt, adumbrant. Ibi est Altare thymiamatis, & suauissimi incensi orationis, quæ in odorẽ suauitatis, de corde fidelium ad Dei aures ascendit. *Domus mea*, dicit Dominus, *domus orationis vocabitur*. Ibi etiam holocaustorum est Altare, scilicet tribunal & thronus confessionis: vbi non capreæ, sed peccatores mactantur. Est & propositionis panis, panis inquam propositus nobis, panis oculis nostris exhibitus, sed & adorandus à cunctis; panis viuus qui de cœlo descendit, panis verus animarum, & qui est Deus. Denique ibi est candelabrum fulgens, scilicet Dei verbum quod annuntiatur omnibus, & quo illuminantur auditorum mentes.

Templum Hierusalem vmbra nostra Ecclesia.

Propterea, vt iam ex Apostolo notauimus, ministrorum ordines Deus in Ecclesia distribuit, quosdam Apostolos, Euãgelistas, Pastores, Doctores constituens: & ad animæ istius culturam prouidens, quæ vinea electa eius est, quousque pro ea omnia sua bona, & seipsum libenter & continuò impendat, vt sit inexcusabilis creatura, si non reddat fructus suos, iusteque postea deseratur si in amaritudinem se conuertat. Gratos igitur reddamus fructus, vt repleti benedictionibus in terra, in æternum repleamur in cœlis.

DOMINICA TERTIA.

DE MVLTIPLICI ratione possessionis corporum à malignis spiritibus.

Erat IESVS *eijciens dæmonium*. Luc. 11.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

Homo gloriæ, & miseriæ habet principia.

HOMO, qui ad imaginem Dei sui conditus est, & qui reparatorem culpæ, Deum factum hominem habuit IESVM Christum, summæ gloriæ, & summæ simul miseriæ fert secum principia. Si ipsum in sua creatione considerem, gloriam video, & miseriam simul, præstãtiam cum defectu. Gloria in imagine Dei est, in iustitia & similitudine: A Faciamus hominem ad imaginẽ nostram. Item in dominio super creaturam omnem, vt præsit. Atque vt omnia dicam, in complemento, possessione & eminentia omnium perfectionum, quas singulis Deus creaturis largitus est & diuisit.

Quatuor gradus & ordines cõplentes naturæ amplitudinẽ.

Quatuor sunt ordines qui naturæ amplitudinem complent, & perfectionem. Esse, quod vulgò dicitur simpliciter existens: Esse vegetatiuum seu vitæ: Esse sensitiuum seu motus: & intelligibile seu rationis. Elementa primum habent; plantæ secundum; animalia tertium; Angeli quartum. Ita vt nihil restaret distinctum & separatum, quod homini in particulari assignari posset. Quare voluit B Deus, vt horum quatuor ipse particeps fieret, & simul corona, habens existentiam cum elementis, vitam cum plantis, sensum cum animalibus, & intelligentiam, seu rationem cum Angelis; & adhuc super omnia ista, Dei sui imaginẽ. Atque sic inter Cœlum & Infernum constitutus quantum ad residentiam; inter tempora & æternitatem quantum ad durationem; inter Angelos & animalia quantum ad naturam, velut quoddam nobilissimum centrum, quò omnes partes mundi se referunt: omniaque cum ipso habent affinitatem, materialia per corpus, & spiritualia per animam. Ecce dignitas, ecce & gloria hominis in conditione sua.

Homo fit particeps quatuor ordinum naturæ: & ita centrum quò omnes partes mundi se referunt.

Hominis defectus, & differentia cum aliis.

Verùm miseriam modò videamus. Qui enim C talis creatus est, fert secum perfectionis suæ defectum, & non complementum. Cætera, præter hominem, à primo instanti creationis ipsorum, perfectionem suam, & quasi vltimum gradum sui esse habuerunt. Quod ipsemet etiam Deus testatus est, cùm vnumquodque eorum approbauit, statim atque creauit, Moyse dicente; vidit Deus lucem quod esset bona, sic de terra, & aliis. Nam modò Cœlum perfectius non est, nec lux amplior, ignis efficacior, solidiorque terra, quàm à principio, vbi eorum esse tunc perfectè completum est. Quod quidem in creatione hominis omissum est: cui solùm inclinatio perfectionis suæ & facultas, non autem consummatio concessa est, vt sic successiuè D perueniret ad illam, & si vellet, adhuc ex libertate sua amitteret. Vnde & ipsum noluit Deus approbare cùm creauit, quia illi sua perfectio deerat, & tantùm ad illam liberam potentiam habebat.

Gen. 1.

Verùm & in hoc summa adhuc tua relucebat dignitas, ô homo, quod penes te erat operis Dei in te perfectio. In quo igitur tam miser fuisti, vt per culpam à Deo liberè recesseris, & imaginem eius peruerteris? Quod præuaricatoris Angeli in delicto socius fuisti, & prò familiaritate Dei, & consortio Angelorum eius, exul factus dæmonum sortitus es possessionem & consortium. Quod enim dæmones nunc homines inuadunt & persequuntur, hoc prouenit ex communi illorum lapsu E & exilio: dæmon de Cœlo, & homo de paradiso, vterque per peccatum, expulsus est.

Cur dæmones inuadunt homines: & vnde procurat.

Quare dæmon, qui amplius nequit cum Deo esse, quem deseruit: neque etiam cum Angelis, à quibus est separatus, cõuersari: nec adhuc in seipso quiescere propter deformitatis horrorem, circuit hominem, qui inter omnia associationis suæ solus est capax multis de causis.

Quomodo dæmon cum homine communicat rationes diuersa.

1. Prima est ratione affinitatis inter spiritum humanum & Angelicum, qui in vtroque immaterialis est: & per consequens capax mutuæ communicationis.

2. Secunda, ratione imaginis Dei, quam adhuc gerit in se homo, & contra quam furit dæmon, inexpli-

inexplicabilique excandescit odio. Vnde quia nihil aduersus Deum valet, ad imaginem eius reflectit se, sicut Panthera, quæ, vt ait S.Basil. rabiem suam conuertit in figuram eius cui minimè nocere potest.

3. Tertia, ratione peccati, quod illi contulit ius in hominem. Sicut enim ante peccatum originale iustitia æqualis erat Angelis, & superior Sathana, ita vt super omnia Dei opera Rex & dominus constitutus, nullum supra se agnosceret præter Deum: Ita simulatque in illo admirabili certamine & duello victus est à dæmone in paradiso terræ, eius quoque statim seruus factus est, omnique dominio spoliatus quod habebat, & imperio mundi, quod statim sibi dæmon vsurpauit; sicut etiam nunc titulum gerit principis mundi huius, vt habetur Ioh. 12. Ex eo igitur tempore tentat hominem, persequitur, & possedit ipsum. *Erat* Iesvs *eyciens dæmonium*.

4. Quartam adhuc rationem dabimus, scilicet libertatem hominis, qua dæmon aduersus Deum nititur vti. Dei potentiæ & voluntati nihil potest resistere. Non Angeli, qui faciunt verbum eius: non dæmones, qui contremiscunt: non cœlum & elementa, quæ voci eius obediunt. Cœlo dixit vt fierent luminaria in eo, & facta sunt, & enarrant gloriam Dei. Terræ dixit vt producat, & statim produxit, nec producere cessat. Mari terminum imposuit, vectem, & ostia: dixitque illi, vt Iob ait, vsque huc venies. Ipse denique est qui ad nutum suum meteora facit, grandinem, niuem, pluuiam, tonitru, & cui obediunt venti. Non animalia resistunt, quæ impetum naturæ & spiritus sequuntur, nec reuertuntur, & quæ adhuc natum in præsepio Dominum agnouerunt. Quis itaque Deo potest resistere? vtique homo, cuius libertatem nititur propterea trahere ad se diabolus, & cùm eam possidet peruertere: & hodie erat Iesvs eiiciens dæmonium, & illud erat mutum, & secundum Mat. 12. & Theophy. adhuc surdum, & cæcum, actibus functionibusque libertatis suæ priuatum. En vnde, & quam ob causam nunc Sathan cum homine communicat, scilicet, vt sicut Leo rugiens furorem suum & rabiem compleat aduersus Diuinitatis imaginem, & tanquam aduersarius & destructor ordinem positum à Deo in natura perturbet, dissipet, ab illo supernaturali ordine gratiæ lapsus.

Iob. 38.

Sed quid dicam, si modò considerem à tempore Incarnationis hoc malum adhuc esse frequentius? vt iam secundò ostendamus, hominem in reparatione sua, sicut in creatione, excellentiæ suæ & miseriæ simul causas & rationes habere. Nihil de homine dici potest excellentius quàm Incarnatio verbi, & per eam omnes homines affinitate Deo coniungi, in Christo nouam creaturam fieri, & sicut dicit S. Leo, in illius inueniri natura, quem adoramus in nostra. Illud certè mysterium est quod nos maximè extollit, atque dignificat. Cùm in forma Dei esset, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus est, vt nos efficeret Diuinitatis suæ participes, vt idem S.Leo dicit. In vtraque natura, idem Dei filius nostra suscipiens, & propria non amittens, in homine hominem renouauit, in se incommutabiliter perseuerans. Hinc est quod debitum nostrum inferens, sic clamat: Deponamus ergo veterem hominem cum actibus suis, & adepti participationem Christi, carnis renunciemus operibus. Agnosce, ô Christiane, tuam dignitatem, & diuinæ consors factus naturæ, noli

A tempore Incarnationis frequentior est dæmonũ possessio.

S.Leo Ser. 8. de natiu.

Idem Ser. 7.

Idem Ser. 1.

A in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire. Memento cuius capitis, & cuius corporis sis membrum. Reminiscere quod erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum. hæc ille.

Sed hæc verba Iohannis pro omnibus sufficiũt, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Quomodo ergo Sathan nunc habitare potest, cùm de potestate eius eruti, translati simus in Dei lumen & regnum? Ecce hodie erat Iesvs eiiciens dæmonium. Regnum eius diuisum est, neque stare potest. Fortior eo superueniens Christus vicit, & eiiciens dicit: Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Hæc ait ad-B uersus cogitationes, & calumniam eorum qui dicebãt, in Beelzebub principe dæmoniorum ipsum eiicere dæmonia. Filij vestri, inquit, scilicet discipuli mei, in quo eiiciunt? nonne in meo nomine? Ideo ipsi Iudices vestri erunt. Erat Iesvs eiiciens dæmonium; & ait, peruenit in vos regnum Dei.

Ioh. 1.

Si ita est, vnde igitur tam frequens etiam post Incarnationem, dæmoniorum possessio? Graue quidem iugum est super filios Adam, hæc est miseria & summa post peccatum, quæ sequitur gloriam nostram: horribileque malum, quod in omni loco & tempore exinde viguit, inter Iudæos, Paganos & Christianos, ante & post Domini Aduentum; & nulla habita ratione & exceptione C personarum, ætatis, atque conditionis.

Possessio dæmonũ post peccatu omni loco, & tempore viguit.

Si historiam sacram perscrutemur, duos Reges possessos à spiritu nequam legimus: Saülem primum vnctum & Regem inter Iudæos, de quo dicitur quia inuasit eum spiritus Domini malus, & exagitabat; & vt ostenderetur, quia realis inuasio illa erat, & possessio corporalis, seu visibilis, dicitur quia prophetabat in medio domus suæ; & quia talis agnoscebatur à suis, qui dicunt ei: exagitat te spiritus Domini malus, &c. Idem de superbo Nabuchodonozor apud Danielem, qui secundum Epiphan. lib. de vita & obitu Prophetarum, tunc fuit verè à dæmone possessus, cum septẽ annorum spatio in belluam mutatus est. Sed si pro-D phanas historias legamus, inueniemus Prophetissas quasdam fuisse apud Paganos & Gentiles, quæ non fuerunt aliæ quàm à dæmone & maligno spiritu commotæ & possessæ, & per quem exagitatæ futura prædicebant, de quibus apud Virgil. 5. & 6. Æneid. & Tragicum Senecam.

Saül possessus à dæmone. 1. Reg. 16. & 18.

Nabuchodonozor possessus secũd. S. Epiph. lib. de vita & obitu Prophetarum.

Sed omittamus ista, vt redeamus ad Annales sacros, & præsertim Euangelicos. Illo enim Euangelij & prædicationis tempore, & frequentiores, & violentiores possessiones fuerunt. Tantum enim tunc dæmoniacorum numerum fuisse legimus, vt vbique Christo offerrentur, in vrbibus, & pagis, in viis, atque Synagogis. Ita vt Marc. 1. dicatur pluraliter, quod vndique afferebantur ad eum omnes E dæmonia habentes, & quod Iudæi stupentes dicebant: Quidnam est hoc? & quæ doctrina hæc noua, quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei? Matth. 17. vnus est lunaticus. Luc. 13. alius est spiritus infirmitatis. Alius immundus. Marc. 1. Alij sæui nimis itinera occupantes. Matth. 8. Et taliter possessa & crudeliter vexata erat filia Chananææ. Matth. 15. Alius est cæcus. Matth. 9. Alius surdus, & mutus cap. 12. sicut Mar. 9. & hodie Luc. 11. erat Iesvs eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Ecce igitur tempore Christi quanta fuit dæmoniorum & possessorum multitudo, & secundum effectus possessionum discrimen.

Temporibus Euãgelij frequentiores possessiones fuere. Marc. 1.

Verùm

Verùm hic ratio quæri potest tanti mali, post tãtum bonum, cuiusmodi est Incarnatio. Dicamus ipsammet Incarnationem esse, tam ex parte Christi, quàm ex parte diaboli: ex parte Christi, qui permittit; & diaboli, qui exequitur. Vnde sciendum est, dæmonem, ex quo Verbum caro factum est, & per hoc se de mundi imperio eiectum agnouit quod vsurpauerat, inflatum superbia, incredibilique furore accensum erga hominem, & aduersus Deum inuidia, suæque semper dominationis & gloriæ cupidum, opus Dei imitari præsumpsisse, & velut simiam adinstar diuinæ Incarnationis, in corporibus humanis habitare & conuersari in terris, vt semper sui similis videretur, diceretque sicut olim; ero similis Altissimo.

In possessione corporis imitatur diabolus Incarnationis opus.

Sicut enim placuit altissimo Deo vnire sibi & hypostasi diuinitatis suæ naturam nostram: ita eidem naturæ vnire se nititur & gestit iste simia & simulator, inuidens diuinitatis gratiæ. Quod facit possessione quadam corporea, quæ est vmbra illius singularis & admirabilis in Christo possessionis nostræ humanitatis, quam Incarnationem dicimus. In hac Deus, & in ista dæmon corpore induitur. In prima summè honoratur, & exaltatur humanitas nostra: in secunda miserè humiliatur atque deiicitur. In prima, scilicet in Incarnatione, humanarũ actionum principiũ est verbum: in secunda autem possessione sola est dæmon; habitat enim & agit. In Incarnatione verbum perficit hominẽ, beat, sanctificat, glorificat, deificatque; & dæmon in possessione vexat, destruit, omniumq; miseriarum suarum participem reddit, talem, quam cum natura nostra affinitatem contraxit, vexationibus sæpissime cumulans, inexplicabilibusque tormentis. Quia enim videt malum culpæ diminutum esse, malum pœnæ nititur extendere: & quia in altera videt, scilicet Incarnatione, se priuatum iri possessione hominum, in hac illos habere contendit, amplius motus, vt dixi, exemplo inuidiàque istius diuini operis.

Differentia inter Incarnationẽ verbi, & possessionẽ diaboli.

Quare vexat corpora diabolus.

Ita vt diuina verbi Incarnatio sit ratio & exemplar tam horribilis Sathanæ operationis in homine. Et certè inuenimus Christi temporibus plures dæmoniacos fuisse, quàm omnibus aliis præcedentibus sæculis, & Synagogæ temporibus. Hodiéque adhuc diuersis locis multos esse constat; adeò istud diuinæ bonitatis, & potentiæ opus & obiectum (Incarnationem dico) rabiem, superbiam, inuidiámque diaboli incendit, vt simile faciat opus possessione corporum; hoc enim intendit.

Sed iam ex parte ipsius Christi causam videamus: non enim Sathan exequitur, nisi quia Deus permittit. Quare ratio tota prouidentia eius est, ex illiusque arcanis petenda. Quapropter sciẽdum, prouidentiam duas habere partes: operationem & permissionem, quibus velut canalibus voluuntur omnia, reguntur & gubernantur. Operatio spectat ad bonum; permissio verò ad malũ. Non est enim bonum nisi volitum à Deo: & non est malum nisi similiter ab eodem permissum, qui in vtroq; summè admirabilis est, tantúmque in operatione amabilis, quantum in permissione formidabilis.

Possessio dæmonum sub prouidẽtiam Dei cadit.

Duæ partes prouidentiæ. Operatio & permissio.

Vnde sicut à tempore Incarnationis, propter diuini verbi cum humana carne consortium, amplior extitit prouidentia Dei erga nos: ita magis singularis & extraordinaria erit eius permissio, sicut etiã illustrior fuit & diuinior eius operatio. Eius tunc operationis obiectũ Incarnatio fuit, supremum bonorum omnium. Quodnam ergo obiectum erit permissionis huius singularis, quæ non nisi super malum cadere potest? Non erit quidem malum culpæ, quod istud mysterium debet delere, & non tolerare. Igitur erit malum pœnæ, non quidem æternæ, quæ nec augetur, nec diminuitur, cùm sit absque fine. Igitur temporalis, sed extraordinariæ, vtpote quæ magis tali singulari permissioni conuenit. Sicut est illa maligni spiritus inuasio, quam possessionem appellamus, vnicum obiectum diuinæ permissionis, quæ aliquam relationem habet & conuenientiam cum Incarnatione, obiecto omnium maximo diuinæ operationis eius. Dicam adhuc, & illorum omnium malorum quæ naturam nostram circumstant vtilissimo: & per consequens magis conuenienti & proprio, quod sub hanc prouidentiam & permissionem diuinam caderet. Dei est consilia sua profunda scrutari, & scire vias suas super filios hominum. Nostrum autem est, effectus mirari & reuereri causas. Interim si velimus aliquantulum hunc particularem effectum examinare, illiusque causas requirere, non exigua inueniemus documenta salutis, & clarè constabit esse vtilem mundo, conformémque magnitudini, iustitiæ, bonitati & sapientiæ Dei.

Obiectũ operationis Incarnatio est. permissionis verò inuasio dæmonis.

Vtilis inuasio dæmonum.

Primò, magnitudini, quæ hic iustitiæ suæ visibilem effectum ostendit, sicut alibi omnium aliarum suarum perfectionum.

Secundò, iustitiæ, quæ armauit omnem creaturam in vltionem inimicorum, & consequenter eam quæ omnium prima est, iuxta Iob, qui Sathan vocat Behemot, id est, secundum S. Greg. principium viarum Dei.

Tertiò, bonitati & sapientiæ, vbi rebelles, qui nec Deum agnoscere voluerunt lumine indito naturæ, aut reuelatione fidei, hic dæmonis crudeli experientia, atque sensuum, coguntur venerari, adorare, formidare. Hic namque Atheus, qui quem ignorare non potest, minimè vult agnoscere, & vsque ad illud impietatis fastigium ascendit, (summa enim delicti est, ait S. Cyprian. nolle agnoscere quem ignorare non potes:) hic inquam conuincitur sensibus ipsis testibus credere spiritus esse, & vnum super alios dominantem Deum.

Proficit Atheus.

S. Cyprian.

Hic similiter Libertinus, qui Deum minimè curat, prouidentiam specialem agnoscit super hunc miserum inter tot vexationes & cruciatus tandiu superstitem: & denique videt fulguris scintillam, quo aliquando, sed breui, nisi ad pœnitentiam conuertatur, percutietur. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.*

Libertinus.

Hic demum Curiosus proficit, qui dum cum dæmone delectatur commercium facere, conuersari, & cum eo consortium inire & pactum, spectaculum videt & imaginem Inferni, in quo æternum erit cum homine in tormentis dæmonum consortium. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.*

Curiosi.

Hic denique proficit & iustus, qui videns quomodo Sathan magis operatur, & viuit in isto energumeno, quàm ipse energumenus in se, exinde discit, quomodo totaliter debeat se Deo committere, vt plus viuat, & operetur in se quàm ipse. Denique quantum bonum sit possideri ab eo qui per essentiam vita est, & vita nostra æterna, vitæ principium, gratiæ, sicut gloriæ. Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.*

Etiam & iustus.

Verùm dicamus adhuc & paucis quomodo talis possessio fit, & quæ illius sunt causæ. In diuina proui

prouidentia duas præcipuas eſſe inuenio. Aliæ dicuntur applicatiuæ, aliæ diſpoſitiuæ. Applicatiuæ diuerſæ ſunt. Aliquando enim ipſe Deus eſt qui malignum ſpiritum applicat, rationibus nobis occultis, nunc ad correptionem, nunc ad punitionem. Aliquando ad gloriam quoque ſuam, & noſtram vtilitatem, vt olim miſit Sathan ad Iob, & dedit ei poteſtatem in corpus eius, &c. Aliquando iuſti applicant. Sic S. Paul. inceſtuoſum quemdam tradidit Sathanæ in interitum carnis. Et ſic in Eccleſia data adhuc fuit illa poteſtas nonnullis Sanctis, quæ etiam ſæpius oſtenditur in multis ex virtute excommunicationis. Aliquando malefici, incantatores, & qui magicis artibus præſtant diabolo obſequium, ipſum applicant, Deo permittente. Sic in vita Sancti Hilar. S. Hieron. dicit. Vlulat & confitetur dæmon, vim ſuſtinui, & inuitus abductus ſum. O tormenta quæ patior! exire me cogis, & ligatus teneor, non exeo niſi me adoleſcens qui tenet, dimiſerit. Ecce applicatiuæ cauſæ.

Duæ præcipuæ cauſæ poſſeſſionis dæmonum. Applicatiuæ.

1. Cor. 5.

S. Hieron. in vita S. Hilar.

Veniamus ad diſpoſitiuas. Peccata ſunt, originale & actuale, mortale etiã & veniale. Mirum eſt quod Tertull. refert. lib. de Spectac. de quadã nobili Romana. Theatrum, inquit, adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaq; cùm in exorciſmo argueretur ſpiritus immundus, quod auſus fuerat fidelem aggredi. Reſpondit; conſtanter & iuſtiſſimè feci, in meo enim eam inueni. Simile eſt quod de quadam puella narrat Proſper, quæ eo quod impudico & laſciuo oculo in Veneris imaginem aſpexerat, à ſpiritu immundo ſtatum poſſeſſa eſt. *Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra; adulterium inundauit.* vnde & vexatio venit. Concludamus itaque, & dicamus adhuc etiam pro leuiſſimis peccatis hoc grande & horribile malum accidere in punitionem. Apud Caſſian. in collat. corporaliter traditos Sathanæ & viros ſanctos nouimus pro leuiſſimis delictis. Quid non formidabunt peccatores? Iam enim ſpiritu, ſi non corpore, poſſeſſi ſunt. Domine eiice dæmonia. *Erat* IESVS *eiciens,* &c. Domine cura vexatos à languoribus, vt videãt, audiant, & loquantur, & laudes tuas annuntient populis.

Diſpoſitiuæ.

Tertull. lib. de Spectac. c. 6.

Proſper.

Caſſian. collat. 7. c. 25.

DE PRODIGO, ET triplici ſtatu hominis.

In ſe autem reuerſus dixit: Surgam, & ibo ad patrem. Luc. 15.

Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra. Oſee 4.

GRAVIS eſt & magni momenti parabolæ ſenſus, quæ nobis à Christo in Euangelio propoſita eſt. Si tot aliarum ſenſum quæ referuntur in Euangeliis quæreremus; ex multorum Doctorũ explicatione inueniremus ſemper aliquem vitæ noſtræ, ſtatum repræſentari in illis. Ita multis aliis prætermiſſis quæ in cap. 15. Luc. continentur, tribus potiſſimum Chriſtus oſtendit deplorandum peccatoris ſtatum, & ſummam ſimul benignitatem Dei ipſum ad ſe reducentis, tacitus Phariſæos reprehendens, qui murmurabant ex eo quod publicanos & peccatores reciperet.

Tribus parabolis peccatoris ſtatus oſtenditur Luc. 15. & miſericordia Dei in illum.

Prima eſt paſtoris ouem, quæ perierat requirentes, & inuentam humeris reducentis ad gregem.

A Secunda eſt mulieris eadem ſollicitudine drachmam vnam, quam perdiderat ex decem quærentis, & pro inuentione vicinas ſuas & amicas ad congratulationem conuocantis.

Tertia eſt noſtri prodigi adoleſcentis, ad ſe & ad patrem ſuum poſt lapſum & diſſipationem bonorum reuerſi. Quæ quidẽ pluſquàm aliæ vniuerſalem ſtatum hominis repræſentat, & cuius etiam explicationem hodie, omiſſo currente Euangelio, ſuſcepimus.

Sciendum ergo triplicem eſſe in terra ſtatum hominis: innocentiæ, peccati, & pœnitentiæ ſeu conuerſionis. Status innocentiæ fuit ante lapſum: peccati poſt lapſum: & pœnitentiæ reſurgendo à
B lapſu ad meliorem vitæ ſtatum. Quæ tria ſimul in Euang. connotantur. Status innocentiæ eſt, dum filius in domo paterna, obedientia & amicitia patri eſt coniunctus: ſtatus peccati, cùm domum deſerit, & ſubſtantiam diuidit: pœnitentiæ, cùm reuertitur ad patrem.

Triplex ſtatus hominis in terra.

De vnoquoque iam diſtinctiùs loquamur. De primo igitur dicitur: Homo quidem habuit duos filios. Quid ſignificent iſti duo filij, diuerſæ ſunt Doctorum opiniones. S. Chryſoſt. putat hic Angelum & hominem intelligi, vtrumq; creatum in gratia, & filios Dei per adoptionem. Inter omnes enim creaturas Dei, ſolæ quæ capaces ipſius creatæ ſunt, & diuinæ ſimilitudinis, Angelus & homo
C fuerunt. Angelus ſenior frater eſt, & homo iunior.

1. Status qui gratiæ dicitur.
1. Interpretatio.
S. Chryſoſt.
Quando Angeli ſunt creati.

Maioritas Angelorum, iuxta S. Baſil. in Geneſ. ſumitur ex eorum creatione, quæ mundi huius conditionem præceſſit. Dicit enim ante hunc mundum viſibilem fuiſſe quemdam ſtatum inuiſibilem, quem natura Angelica compleuit. Secundum S. Epiph. cum Cœlo empyreo initio mundi conditi ſunt; & ſecundum S. Auguſt. eo die quo lux facta eſt. Imò etiã his verbis (fiat lux) Angelos intelligi exiſtimat, qui omnes ſplendores ſunt diuini numinis, & lumina capacia luminis. Vnde videre eſt ipſos natu eſſe maiores & ſeniores, homines verò qui vltimò conditi ſunt, adoleſcentiores & iuniores: interim in dignitate filiorum
D Dei pares, iuxta gratiam adoptionis, quæ vtrique data eſt naturæ, Angelorum, atque etiam hominum.

S. Baſil. in Geneſ.

S. Epiphan. hæreſi 65.
S. Aug. lib. 11. de Ciu. Dei.
Quomodo dicuntur Angeli fratres ſeniores.

Sed quid accidit? heu! Maior natu, id eſt, natura Angelica in domo paterna remanſit, paternis obediens mandatis: & humana, ſeu iunior diuidens ſimul & diſſipans ſubſtantiam, vt prodiga receſſit & cecidit. Natura Angelica vt ſenior dicit: Ecce tot annis ſeruio tibi (ab annis creationis ſuæ) & nunquam mãdatum tuum præteriui, videlicet ex quo adhæſit Deo, & dixit in principe & Archangelo Michaële; Quis vt Deus? Vnde etiam & illi dicit Deus, vt filio ſeniori; Fili tu ſemper mecũ es. Sic miſſus Angelus Gabriel ad Zachariam dicebat
E illi: Ego ſum Gabriel qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Et Chriſtus Dominus; Dico vobis quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem patris mei qui in cœlis eſt. Et omnia mea tua ſunt, dicit etiam Deus Angelo vt ſeniori filio; & videamus hoc.

Per filiũ ſeniorem intelligitur natura Angelica.

Luc. 1.

Matth. 18.

In Deo eſt amor, ſcientia, & quies: & ecce Seraphim, qui dicuntur Dei amor; Cherubim, qui dicuntur ſcientiæ plenitudo; Throni, qui ſedes Dei ſunt & ſcabella altiſſimæ Maieſtatis. Ecce prima hierarchia, & ecce dicit illi Deus; Omnia tua ſunt.

In Deo eſt potentia, Maieſtas, atque dominium: & ecce in ſecunda hierarchia Principatus, Poteſtates & Dominationes.

In

In Deo est gubernatio & assistentia: & ecce in inferiori hierarchia Virtutes, Archangeli & Angeli, qui nobis assistunt: omnes administratorij spiritus, ait Apostolus, propter eos missi qui hæreditatem capiunt salutis.

O fili, ô Angelica natura, omnia mea tua sunt. Ecce quidem illorum beatorum spirituum status in gratia, & quid illis profuit in domo manere paterna, in amicitia & charitate Dei.

Per filiũ iuniorem intelligitur homo.

Idem nunc de homine iuniore & adolescentiore conuenit dicere. Iste enim vt alter, videlicet Angelus, in eadem honoris ac dignitatis prærogatiua creatus est, factus quoque gratiæ & diuinæ similitudinis particeps, vt in Genes. dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Hæc gratia, hæc dignitas & prærogatiua similitudinis, ab Adam iam omnium propria extitit, ita vt per illam non minus quàm Angeli diuinæ efficiamur omnes consortes naturæ.

Gen. 1.

O statum admirabilem! intra quem remanens homo audit à Deo; Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Sic Adam in statu gratiæ & innocentiæ primæ, decoratur Dei imagine & similitudine, conuersatur cum Deo, in medio paradisi collocatur, omnibus deliciis affluit gloria coronatus, & super vniuersum orbẽ Rex & Dominus constitutus: intantum vt qui ad imaginem Dei factus est, postea daturus Deo esset similitudinem suam & formam serui. Et hinc certè ratio inuidiæ, quam habuit aduersus hominem natura Angelica.

Omnia Christus pro homine fecit.

Ecce igitur qualis Adam erat in primo statu gratiæ suæ, & qualis adhuc est omnis homo in statu reparatæ, cui Deus dicit: Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Non iam quæ creaui solùm tua sunt: sed quæ feci in me tua sunt. Mea Incarnatio tua est, mea natiuitas tua est, mea vita, mea prædicatio, mea passio, mea mors tua est, mea caro tua caro, meus sanguis, spiritus, atque diuinitas, vno verbo dicam? omnia mea tua sunt. Et certè hic occasio inuidiæ esse posset in Angelis, si capaces essent, videntes quod nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ, quod verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & talem dedit potestatem & gratiam homini, vt filius Dei possit fieri, & audire à Christo, omnia mea tua sunt.

1. Interpretatio.

Homo igitur quidam habuit duos filios: Angelum & hominem in gratia conditos; Angelum seniorem, hominem verò iuniorem, secundum S. Chrysostomum. Secundum verò S. Hieron. scribentem ad Damas. habuit populum Iudaicum seniorem, & Gentilem, seu nunc Christianum, qui respectu prioris iunior est. Et hic sensus litteralis esse potest: sicut adhuc ille Sancti Athanasij, qui per illos duos filios intelligit iustum, & peccatorem, vt quidem etiam intelligi videtur sequentibus parabolis, ouis quæsitæ, drachmæ inuentæ, ita & istius adolescentis prodigi ad patrem suum reuersi, &c. Hic enim occurrebat Christus detractioni Pharisæorum, qui murmurabant quod erãt appropinquantes ei peccatores & publicani, vt audirent eum: & quod ipse manducabat cum illis. Propter quod inquit, (post explicatas videlicet duas parabolas ouis & drachmæ inuentæ) homo quidam habuit duos filios; vnum Pharisæum, alterum publicanum, vnum Iudæum, alterum Gentilem; vnum iustum, alterum peccatorem. Iustum fortè superbum: peccatorem fortè humilem. Et dixit adolescentior ex illis: Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit, &c.

Intelligitur populus Iudaicus & Gentilis. S. Hierony. Epist. 15. ad Damas. *3. Interpretatio. Intelligitur iustus & peccator.* S. Athan.

A Hic est secundus peccati status; Et diuisit illis substantiam. Et non post multos dies congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. Ecce simul origo & effectus peccati, diuisio & dissipatio substantiæ; à domo paterna separari, & longiùs ire. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. O quàm miser ille est status, quàm calamitosus, & primo oppositus! *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.*

2. Status qui dicitur peccati.

Luc. 11.

Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Quidnam hic petit homo? portionem substantiæ. Meritò quidem, quia duabus partibus B constat homo, vna spirituali, altera corporali. Non ita de Angelo est, qui esse simplex & indiuisibile habet. Igitur homo portionem petit substantiæ, & quidem sæpius corporalis. Sed quid addit? quæ me contingit. Optimè adhuc. Nam esse contingens, liberum, & non necessarium habet homo; secundum quod etiam ex consultatione, contingenter, & non necessariò creatus est, vt de eo dictum est; *Faciamus hominem*, &c. Sic enim ait S. Tho. Non est de necessariis consultatio, sed de contingentibus.

Quod igitur ille petit, est libertas voluntatis: etiamsi contrarium sentiat doctissimus Maldonat. Ita enim S. Aug. & S. Ioh. Chrysost. qui ibi ita dicit. Vide quomodo pater iste nec illum discedere C volentem retineat, nec liberi arbitrij auferat potestatem, neq; alium manere cupientem cogat discedere. hæc intelligat Caluinus. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Iuxta Ecclesiastic. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. audiat ista hæreticus. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.*

Quid intelligitur per portionem substantiæ quæ contingit. S. Aug. & S. Chrysost.

Eccli. 15.

Duplex adhuc potest hic intelligi substantia in homine. Vna est naturæ communis omnibus: altera gratiæ propria iustis. Item potest intelligi ratio, & notitia libertatis: sed dicamus vniuersaliùs, libertas voluntatis; & cum S. Hieron. ad Damas. D Substantia est omne quod viuimus, & sapimus, & cogitamus, & in verba prorumpimus. Diuisit eis substantiam, id est, dedit eis liberum arbitrium, vt viueret vnusquisque non ex necessitate, sed ex voluntate. Et hinc abusus & omnis origo peccati, vt sequitur; Et non post multos dies congregatis omnibus adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.

Duplex substãtia hominis. Sensu multiplici capitur substantia hominis. S. Hieron.

Crederem adhuc ibi per substantiam intelligi omnia Dei dona, tam naturalia quàm supernaturalia: quæ per intemperantiam & voluptates adolescens prodigus dissipat, ex quo semel in regionem longinquam profectus est, iuxta S. August. (id E est,) in obliuionem Dei: non locum, sed animum mutando, ait Beda Venerabilis. Et certè si terras consideremus, vbique Deus est, si autem peccata, nihil magis distat à Deo quàm impius.

Sed quid amplius accidat videamus. Et postquam consummasset omnia, facta est fames, & cœpit egere. Fames peccatoris, ait S. Ambros. non epularum est penuria, sed virtutum: & vt S. Aug. dicit, indigentia est verbi veritatis. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.*

Quænam est fames peccatoris. S. Ambros. S. Aug. lib. 2. quæst. Euãgel. q. 33.

Et facta est fames valida in regione illa in qua Dei obliuio est; & cœpit egere. Famem patiẽtur vt canes, ait Propheta, & circuibunt ciuitatem. Et abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum

illum in villam ſuam, vt paſceret porcos, & cupiebat ventrem implere, & nemo illi dabat. Ecce miſerrimus peccatoris ſtatus. Fit dæmonis ſeruus, & plures adhuc alios paſcit ſuis abominationibus & deſideriis. Porcos enim paſcere, ait Beda, eſt ea quibus immundi ſpiritus gaudent operari: digna prorſus tali domino, & talibus ſeruis occupatio: cupiunt ventrem ſiliquis & fabis implere, quas porci manducant, ſordidis peccatorum ſuorum pabulis, dæmonum epulis, & nemo dabat illis. Adhuc appetitus eorum cruciatur fame: & in omnibus ſummam patiuntur egeſtatem. Miſer certè & deplorabilis peccatorum & prodigorum ſtatus.

Quod ſit paſcere porcos. Beda.

Nunc ad tertium ſtatum tranſeamus, qui eſt pœnitentiæ & conuerſionis. In ſe autem reuerſus, &c. B Hactenus ex parabola calamitoſum huius prodigi adoleſcentis ſtatum agnouimus. Nunc quomodo incipit reſipiſcere, & ad patrem redire videamus. In ſe reuerſus, ait Dominus. Prima ſui cognitio diſponit ad diuinam. Antequam ab initio creationis rerum, Deus Solem crearet, priùs lucem exiguã creauit, & hoc vt illa diſpoſitioni eſſet ad receptionem maioris luminis. Ita quidem in homine accidit, in quo prima cognitio ſui ſeu ratio maioris, diuinæque cognitionis diſpoſitiua eſt. In ſe autem reuerſus. Bene in ſe reuertitur, ait S. Ambroſ. qui à ſe receſſerat. In ſe reuerſus, vt recordaretur gloriæ paternæ domus. Quanti mercenarij in domo patris mei!

3. Status, qui pœnitētiæ dicitur.

Quid ſignificat & dicis, in ſe reuerti.

S Ambroſ.

S. Chryſolog. diſertiſſimè hoc declarat. In ſe antè redit, vt redeat ad patrem, qui antè à ſe receſſerat, cùm receſſit à patre, à ſe migrat, & ab homine totus tranſit in beſtiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus. Fames reuocat quẽ ſaturitas exularat. Fames dedit illi patrem ſapere, cui copia tulerat ſentire genitorem. Quãti mercenarij in domo patris mei, &c. Ego autem hic fame pereo. Ego qui filius Dei eram, ego hic? Ego qui hæres eram omniũ bonorum eius, ego hic? Ego qui conciuis Angelorum, & incola paradiſi eram, ego hic? Ego inquam, qui pane Dei veſcebar, hic fame pereo paſcens porcos. Ego autem hic, qui ciuis ſum & incola cœli?

S. Chryſol. Serm. 2.

Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum & coram te. Iam non ſum dignus vocari filius. Ecce nunc elegi abiectus eſſe in domo Dei mei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorũ. Surgam igitur. Optimè, inquit S. Aug. lib. quæſt. Euangel. quia iacebat ille. Nã peccatorũ iacere, & iuſtorum ſtare eſt. Et ibo. Optimè adhuc, quia aberat, &c. Ad patrem meum. Optimè rurſus, quia ſub principe porcorũ erat, vni ciuium huius regionis adhærẽs. S. Chryſolog. vt ſuprà aptè ſingula explicat dicens. Iacebat qui dixit, ſurgã; intellexit lapſum, & ſenſit ruinam: propterea, & ibo ad patrem. qua ſpe & fiducia? Illa qua pater eſt. Ego perdidi quod erat filij: ille quod patris eſt non amiſit. Et ſurgens venit ad patrem, &c.

Quare peccator ſurgere dicitur.

S. Aug. lib. quæſt. Euãgel.

S Chryſol. Serm. 2.

Hic egregiè ponitur ordo perfectæ pœnitentiæ & conuerſionis. Primò, ex parte prodigi & peccatoris dolor eſt, propoſitum efficax, confuſio, humilitas, cõfeſſio, & ſatisfactio, & alia quæ pœnitentiã notant. Ex parte autem Dei & patris, miſericordia eſt, & gratia cum reſtitutione hæreditatis amiſſæ. Cùm adhuc lõgè eſſet, vidit illũ pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrẽs cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Mira planè iſtius patris manſuetudo, & ineffabilis erga peccatorem Dei benignitas. Non citiùs cõuertit ſe homo quin ſtatim adſit illi Deus; & quadruplici genere gratiarum, quæ ad ſalutem eius neceſſariæ ſunt, circũdet, A præuenientis, iuſtificantis, cooperantis, & perſeuerantis, cuius corona & conſummatio eſt gloria.

Pœnitētiæ & conuerſionis ordo.

Quadruplex gratia adeſt animæ conuertenti ſe.

Primæ eſt præuenire: & ecce miſericordia motus pater accurrẽs cecidit ſuper collũ filij, & oſculatus eſt eum. Petebat ſpõſa oſculo ſuſcipi à ſponſo dicens: Oſculetur me oſculo oris ſui, id eſt, reconciliationis & amicitiæ.

Oſculum refert primam gratiam. Cant. 1.

Secundæ eſt peccati deformitatẽ tollere, & animam gratia induere. Vnde ad ſeruos ſuos paterfamilias dicit: Citò proferte ſtolã primam, & induite illum. Stola veſtis eſt longa, & ad talos vſq; demiſſa. Ita eſt de gratia, quæ totam animam operit: & ſtola prima. i. vetus, atque illa quam Adã amiſit.

Stola refert ſecundam.

Tertiæ eſt gratiã augere: & ecce iubet annulum dari in manu, in ſignum magnæ vnionis & ſinceræ amicitiæ; prætereaque cõmunionis & mutuæ participationis bonorũ omnium, ſicut dicitur à Paulo: Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. In quẽ credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtrę. Hic enim annulus eſt veluti nota Spiritusſancti, qui eſt in nobis, per quem in filios Dei adoptamur ad ſimilitudinẽ naturalis filij Dei, & ſecundum quẽ operãtes participes efficimur cum illo qui eſt primogenitus in multis fratribus, æternę hæreditatis.

Annulus refert tertiam.

1. Cor. 11. Eph. 1.

Quartæ denique eſt nos ad progreſſum, & perſeuerantiam excitare: vnde & calceamenta iubet afferri; vt iam diſcamus rectè & continuò ſurſum C ambulare, dicamúſque cum Propheta: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, quia eripuit animam meã de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu. Placebo Domino in regione viuorum. Non amplius in regione mortuorum, non amplius in regione porcorum, aut dæmonum & peccatorum, ſed in regione Angelorum, iuſtorum & ſanctorum. Illa eſt ſumma omnium gloria. Adducite vitulum ſaginatum, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus eſt. Rom. 5. Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia, vt ſicut regnauit peccatum in mortem; ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam, per D IESVM Chriſtum Dominum noſtrum.

Calceamẽta referũt quartam. Pſ. 114.

DE CORRECTIONE fraterna.

Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Matth. 18.

Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra. Oſee 4.

NIHIL vnquam tam gratum Chriſto Domino extitit quàm animarum ſalus, pro quibus pati dignatus eſt. Sic maximum quod Deo præſtare obſequium poſſumus, eſt de peccato fratrem noſtrũ E reuocare & lucrari. Scopus hic eſt vnicus, & ſolus finis fraternæ correctionis, quæ nobis hodie in Euangelio commendatur. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum. Si te audierit, lucratus eris.*

Duo ſunt bonorũ & beneficiorum genera, quæ poſſumus, atque etiam cùm neceſſitas exigit, tenemur exhibere proximis. Vnum eſt eorum quæ pertinent ad corpus: alterum eorum quæ ſpectant ad ſpiritum. Dona & beneficia corporalia ſunt eleemoſynæ, viſitationes infirmorum, & alia huiuſmodi. Spiritualia verò, correctiones fraternæ peccantium, cõſolationes afflictorũ, remiſſiones delictorũ atque

Duo genera beneficiorum, quæ proximo, præſtari poſſunt.

atque iniuriarum, & alia eiusmodi; quæ quidem aliis præferuntur, sicut præfertur corpori spiritus. Et vt de nostra correctione loquamur, illa quidem anteponitur eleemosynis.

Duo præcipua misericordiæ opera.

Inter misericordiæ opera, duo sunt præcipua, correctio fraterna, & eleemosyna: vna quæ animæ, altera quæ corporis curam habet. Tanta est autem illa correctio, vt etiam eleemosynæ nomen recipiat, & quidem dignius quàm ipsa. Quod vt meliùs intelligatur, sciendum est iuxta illud eleemosynas diuidi in corporales & spirituales.

Duplex eleemosyna.
7. Species corporalis eleemosynæ.
7. Quoque spiritualis.

Corporales sunt septem, & illæ minimè ignorantur; pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, colligere hospitem, visitare infirmos, redimere captiuos, & mortuos sepelire.

Totidem sunt spirituales; docere ignorantes, consulere dubitantibus, consolari afflictos, corrigere peccantes, (ecce hic correctio nostra,) remittere offendentibus, supportare defectuosos, & pro omnibus orare. Quas quidem omnes comprehendit Apostolus his verbis: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, quæ eiusmodi est; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum. In his duobus pendet tota lex & Prophetæ. (Galat. 5. Luc. 10.)

Vnde qui potest erga proximos corporales eleemosynas exercere, exerceat: qui verò spirituales, exerceat similiter, eóque sanctiùs & religiosiùs quo excellentiores & diuiniores sunt aliis. Licet enim nonnullæ corporales in aliquo præferantur spiritualibus, quomodo tenemur magis pascere fame morientem, quàm docere: magis captiuum redimere, quàm ipsum consolari. Tamen in vniuersum spirituales corporalibus præferuntur in tribus. Primò, ratione donorum quæ spiritualia sunt: secundò, actuum qui etiam tales sunt: tertiò, rei cui subuenitur, quæ anima est, spiritualis, & similitudo diuinæ imaginis.

In 3. spirituales eleemosynæ præferuntur corporalibus.

Hoc modo existimat S. Chrysost. præferendam esse omni bono corporali animæ salutem, dicens sic. Nullius rei pretium est cum anima conferendum, ne totus quidem mundus. Quamobrem etiamsi diuitias innumerabiles dederis pauperibus, nihil tale efficies quale is qui conuertit animam. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Vera Dei scientia, misericordia est, & animarum zelus salutis, perfectæ charitatis effectus. (S. Chrysost. hom. 3. in 1. ad Corint.)

Ad diuisionem charitatis zelus diuiditur.
Zelus Christi.
Zelus Eliæ & Moysis.

Ad diuisionem charitatis zelus quoque diuiditur. Vnus est qui Deum respicit & procurat gloriam eius, quatenus summum est bonum, & omnium bonorum principium. Talis in Christo zelus erat contra prophanatores Templi: & talis in Elia, qui iubet ignem de cœlo descendere, vt falsos prophetas deuoret: & talis in Moyse, & multis aliis. (Matth. 21. & Ioh. 2.)

Alter, qui respicit proximum, & salutem animæ eius. Cui vigilat, insistit, laborat & cooperatur exemplo, oratione, precibus, & vbi opus est, fraterna etiam correctione, vt citiùs spiritualibus eius necessitatibus subueniat, & à delictis retrahat in quæ ceciderat. Sic enim definitur correctio; Admonitio proximi de emendatione delictorum, ex misericordia & charitate fraterna proueniens. Hæc definitio sumitur ex eo quod S. Thomas dicit correctionem actum esse charitatis & misericordiæ, qua fratris malum, id est, delictum repellimus; quam ideo sic amplificare possumus. Est actus misericordiæ & charitatis, quo quis subuenit necessitati spirituali proximi, procurans eum à peccato reuocare ad virtutem, per aliquem sermonem ad id conuenientem. (S. Tho. 2. 2. q. 33. art. 1.)

Definitio correctionis fraternæ.

A

Explicatio.

Ex huius definitionis explicatione ordo, & intelligentia dependet cæterorum quæ de tali obligatione dicenda sunt. Primò igitur misericordiæ actum esse dicimus, quia obiectum formale misericordiæ respicit, quod est miseria spiritualis proximi. Est enim spiritualis subleuatio miseriæ fratris, & vt sic potissima inter opera misericordiæ: ideóque quædam eleemosyna spiritualis, vt iam diximus, sed excellentissima. Vnde S. Gregor. dicit. Fortasse aliquis panem, vt indigenti eleemosynam porrigat, non habet: sed maius est quod tribuere valeat qui linguam habet. Plus est enim verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quàm ventrem moriturum carnis terreno pane satiare. Egregia sententia ista est. Nolite fratres proximis vestram eleemosynam verbi subtrahere. Eleemosynæ animi, recta sunt consilia, monita, & correctiones fraternæ cum debitis circunstantiis. Ps. 140. *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Adulatione blanda & iniusta melior est misericors correctio.

1. Correctio actus misericordiæ est.
(S. Gregor. hom. 6. in Euang.)

B

2. Actus charitatis.

Secundò, est simul charitatis actus, cùm scilicet adhuc formaliter intendat, & expresè fratrem à peccato liberare, quod quidem charitati Dei contrarium est: & sic ex dilectione vult & procurat illi bonum. Ita dixit Sapiens: Meliora sunt vulnera diligentis, quàm oscula fraudulenta odiétis. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum. Si te audierit, lucratus eris.* Fratrem appellat, vt nos in correctione admoneret dilectionis. Sic enim adhuc de Deo ipso legimus, de quo dicitur; Quem diligit Dominus, corripit. Ita & nos ex dilectione corrigere debemus. Vnde etiam Paul. Nolite, ait, quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem. Vbi quidem S. Paul. vult inobedientem vt amicum & fratrem corripi ex charitate. Et hoc modo S. Ambros. dicit, laudabilis amicitiæ officium esse correctionem. Bonæ, inquit, sunt correptiones, & plerunque meliores quàm tacita amicitia. Etsi lædi se putat amicus, tu tamen corripe. Quare? quia non solùm ex charitate, sed etiam ex iustitia, quæ rectitudinem officij, & debiti vnius ad alterum respicit, eius spirituali necessitati subuenire tenemur. (Prou. 17. C Prou. 3. 2. Thess. 3. S. Ambros. lib. 3. de offic. cap. 16. D)

3. Iustitia duplex correctio.

Et hoc est tertiò notandum, iuxta quod etiam differentiam correctionis ponimus: vna enim est iudiciaria, & altera fraterna. Iudiciaria, seu iuridica ea est quæ bonum commune & Reipublicæ respicit, & qua Iudex punit delinquentes: fraterna autem, quæ salutem proximi curat, & qua cum amicitia alter alterius onera portat, & corrigit ipsum, amicus amicum, & frater fratré, vt lucretur ipsum. *Corripe, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Prima correctio actus est iustitiæ, atque illius quæ vindicatiua est, & bonum commune tuetur. Secunda verò & nostra, quam fraternam dicimus, misericordiæ & charitatis propriè est actus.

Iudiciaria correctio, & quæ sit. Fraterna quæ sit.

E

Alio modo coactiua & ostensiua.

Rursus aliter distinguitur. Vna est coactiua, & alia ostensiua tantùm. Coactiua respicit Prælatos, & omnes qui aliquam authoritatem habent, vt sunt parentes, & domini, &c. Ostensiua tantùm pertinet ad omnes, ad maiores, ad pares, ad subditos, etiam ad filios, omnibus seruatis obseruandis. Iuxta illud Eccli. *Mandauit Deus vnicuique de proximo suo.* Quæ omnia vltimò significantur his terminis (per aliquem sermonem ad id conuenientem,) scilicet ad eum finem vt emendetur proximus: hoc enim potissimum in correctione obseruandum est. Vnde fit, vt non tantùm (Eccli. 17.)

debeat

debeat esse actus misericordiæ, charitatis & iustitiæ, sed etiam prudentiæ, vt modis debitis & conuenientibus fiat. Etenim aliquis diuersimodè ad emendationem inducitur, nunc monendo, orando, iudicando, docendo, exhortando, &c. nunc etiam increpando, & reprehendendo. Apost. ad Timoth. Prędica verbum, insta, opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. His iam positis, dictis, & explicatis, facile est agnoscere quinam ad correctionem teneantur, & quomodo, & quando fieri debeat.

De iis qui ad correctionem tenentur. Quantum ergo ad primum, dicimus omnes pro loco & tempore teneri, vt statim dicemus, & iuxta illud Euangelij præceptum; *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum.* Item iuxta dictum Sapientis, dicentis quia *mandauit Deus vnicuique de proximo suo.* Interim diuersimodè omnes. Alij enim plus, alij minus. Superiores & Prælati, denique omnes in dignitate constituti, ecclesiastica, aut sæculari: etiam parentes & domini omnes non solùm ex charitate & misericordia, sed etiam ex iustitia, ratione officij, aut conditionis, ad correptionem subditorum tenentur cùm peccant. Aliàs in eadem cum ipsis damnatione & pœna erunt, iuxta illud Ezech. *Ezech. 33.* Si populus in iniquitate sua captus est, (id est, moritur in peccato,) sanguinem eius de manu speculatoris requiram, qui non insonuerit buccina. Et statim pòst: Si me dicente ad impium; Impie morte morieris: tu auté non fueris loquutus, vt se custodiat impius à via sua; ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius requiram de manu tua, &c. Istæ quidem comminationes, & similes, etiam fiunt parentibus, & dominis liberos & subditos negligentibus. *Non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.*

Modus quo debet correctio fieri. Modum autem correctionis forsitan quæretis? dicam nunc. Cum lenitate animi, si fieri possit, & non cum austeritate, nisi id expostulet occasio. Propterea adhuc Deus apud Ezechielem cap. 33. (vbi quidem totus est aduersus negligentes Prælatos, & qui in sublimitate constituti sunt) simul cum ignauia ipsorum, etiam nimis austeram eorum authoritatem reprehendit dicens. *Ezech. 34.* Quod infirmum fuit, non consolidastis; quod ægrotum fuit, non sanastis: quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia: & dispersæ sunt oues meæ. *S. Leo ep. 84. ad Anastas. Episcopum.* Hinc S. Leo ad Anastas. Episcopum. Plus, inquit, erga corrigentem agat beneuolentia, quàm seueritas, plus cohortatio quàm commotio, plus charitas quàm potestas. Ecce quomodo & qua ratione tenentur superiores corrigere inferiores suos.

Si de aliis verò iam quæstio est, omnes teneri dicimus ex charitate corrigere alios cùm delinquunt, & pares & superiores. *Mandauit Deus vnicuique de proximo suo.* Sed maximè adhuc si in nos peccauerit, iuxta hoc præceptum Domini; *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* *Deut. 22.* In Deuter. legitur; Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo. Quanto ergo magis nos fratres nostros Deo reducere debemus, & correctione fraterna lucrari? Inde equidem ansam accepit S. Bern. lib. de consid. vt diceret. *S. Bern. lib. 4. de consid.* Heu! cadit asina, & est qui subleuet eam: perit anima, & nemo est qui reputet. *Non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.*

Modus corrigendi superiores. Sed dicetis, quoniam adhuc modo illa facienda est correctio, maximè superioribus? Audite iam.

A Cum humilitate, prudentia, & reuerentia. Sic Nathan missus à Deo ad Dauidem, ipsum in sua corripuit prudentia. Sic serui Naaman Principis ipsum *4. Reg. 5.* aduersus Elisæum iratum, & abiicientem consilia salutis, humilibus verbis & reuerentia plenis corripiunt dicentes: Pater, si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras: quanto magis, quia nunc dixit tibi, lauare & mundaberis? Vnde & Apostolus ad Timot. scribit: Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem. *1. Tim. 5.* O vtinam hodie tales essent ministri Principum, & tales Prophetæ, qui scirent eos prudenter corripere, veritatem dicere, & non adulari. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.*

B Verùm si ista exhibenda sit correctio inter pares? Precibus adhuc opus est, & exhortationibus fraternis, atque summa instantia, vbi est probabilis spes emendationis. Animalia solent blanditiis mansuescere, & obtineri, ait S. Ambros. quæ authoritate non possunt. Sed est adhuc alter modus obseruandus, scilicet vt absque scandalo fiat correctio, propterea, *corripe inter te & ipsum solum*, ait Christus. Sic ipsum legimus non corripuisse Iudam, & peccatum eius reuelasse nisi obscuris verbis, ad euitandum scandalum, & vt famam simul seruaret & animam. Ita vult Deus vt famæ consulamus proximi; maximè cùm ex charitate debeat procedere correctio. C Quod si non audierit, & correctus adhuc peccauerit, maneatque pertinax, testibus iam adhibitis dic statim Ecclesiæ, id est, pastori. Quod si adhuc Ecclesiam non audierit, sit tibi iam tanquam ethnicus & publicanus. Qui enim non obedit Ecclesiæ, cui omnis potestas data est; (Dico vobis, quæ ligaueritis super terram, &c.) & qui eius authoritati & legibus resistit, censuramque separationis patitur, excommunicatus est, & pro ethnico & publicano habetur.

Tria obseruãda in praxi correctionis. Quare in praxi hæc tria obseruanda sunt. Primò, vt omne bonum commune præferatur particulari. Secundò, vt salus spiritualis proximi præferatur omni bono temporali. Tertiò denique, vt in correctione eius, semper famæ consulatur, si non D est publicum delictum: magis autem ac super omnia, lucro & saluti animæ eius. Talentum magnum, & lucrum magnum. *S. Chrysost.* Quid magni adhuc postulo? ait S. Chrysost. hom. 3. ad Cor. vnusquisque vestrûm, vnum mihi ex fratribus ad salutem reuocet. Donaria omnium pretiosissima, si animas errantium reduxerimus, & Christo lucremur.

DE IVSTITIA CHRIstiana.

E *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me. De corde exeunt cogitationes malæ, furta, &c.* Matth. 15. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium, homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt.* Osee 4.

VERITAS Christus est, & veritatem quærit in actibus nostris; propterea ipse dicebat: *Ioh. 3.* Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Hæc autem actionum nostrarum veritas in summa iustitia vitæ consistit, quæ est Christiana virtus veritatem habens,

habens, & non similitudinem: cor & non simulationem: integritatem, & non tantùm partem. Indéque etiam ratio est cur tantopere Christus Matth. 5. exaltat iustitiam inter virtutes omnes, & dicit: *Beati qui esuriunt iustitiam.* Inter omnes vult Dominus vt istam petamus, illiusque accendamur desiderio. Vnde hoc? quia illa est virtus perfecta, absoluta, integra, vno verbo dicam, omnis virtus quæ in sese omnes virtutes continet, mediúmque est certissimum quo Deum assequimur.

Matth. 5. *Inter omnes virtutes iustitia desideranda est, & quare.*

Iam quænam illa sit iustitia quæretis? Illa est quam Christianam dicimus, & de qua sic Dominus loquutus est. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Abundantiorem iustitiam vult Deus: iustitiam cordis, non labiorum: veram, & non fictam.

Matth. 5.

Tres autem sunt rationes. Prima est, quia istorum iustitia, scilicet Pharisæorum, seruilis erat: id est, sicut in timore legem acceperant, vt in Exodo sæpius habetur, ita etiam omnia seruiliter faciebant, & timore pœnæ, vel saltem spe temporalis præmij, vt habetur Isa. 1. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.

Triplex ratio cur vult Christus iustitiam nostram abundare plusquàm Pharisæorum.

1.

2. Secunda, quia tantùm exterior erat, in ceremoniis, & sic imperfecta & vana, minimeque potens Cœlum aperire: hoc enim modo dicit Apostolus; Non iustificatur homo ex operibus legis. Sic hodie Christus in Euangelio Scribas & Pharisæos arguit, qui tantùm in ceremoniis exterioribus legem obseruare simulabant, in lotione manuum, dilatatione phylacteriorum, magnificentia fimbriarum, & salutationibus in foro: denique in falso honore exhibito parentibus, cùm tantùm sufficere docebant dicere patri, vel matri ore & verbis, munus quodcunque ex me est, tibi proderit; interim minimè necessitati subueniebant, & sic non honorificantes, irritum faciebant mandatum Dei propter traditionem suam. Vnde dicit illis Christus: *Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias dicens: Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me, & sine causâ colunt me.* Quasi diceret: non est veritas, non est misericordia, non est lex, non est iustitia, & nō est sciētia Dei in illis. Iustitia eorum solùm apparens & exterior est, vana, in ceremoniis & imperfecta. Nihil ad perfectum, inquit Apostolus, adduxit lex ista: introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Quare dicit Dominus: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et quidem ratio est, quia tantùm exterior & apparens iustitia erat, non vera.

Gal. 2. *Heb. 7.*

3. *Exod. 21.*

Tertia ratio, quia adhuc talionis erat; Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente. Ecce vltionis lex, & tota in seueritate iustitia.

Nostra verò iustitia Christiana rationes suas tribus istis omnino contrarias habet. Primò enim eius obseruatio fit amore, non timore, expectatioque præmij est quod oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit. Secundò, eius principium ac intentio est cor & spiritus, interior veritas & non ceremoniæ; plus enim ad Deum respicit qui videt in abscondito, quàm ad oculos hominum.

Triplici ratione Pharisæorum iustitia opponitur Christiana.

. Tertiò, eius opera omnia in dilectione sunt & misericordia. Iuxta quod dicit Sapiens: Qui sequitur misericordiam & iustitiam, inueniet vitam

Prou. 21.

A & gloriam. Ecce qualis est, & esse debet iustitia nostra, vtique plusquàm Pharisæorum abundans: & quæ etiam debet esse talis ob eam caussam, quod multo plura & maiora nobis Deus donauit quàm illis. Si quidem tantùm isti beneficia creationis receperunt & conseruationis: nos verò præter illa, Incarnationis. Isti manna de cœlo & aquas de petra: nos autem propriam carnem de manibus, & de latere aquam & sanguinem. Isti de Ægypto liberati sunt: & nos de Inferno. Certè cui multum datum est, Luc. 12. etiam multum quæretur ab eo. Vnde & Christus Dominus dicit nobis: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Pharisæorum, (de quibus hodie;

Cur abūdare debet iustitia nostra plusquàm Pharisæorū.

B *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me,*) nisi abundauerit, inquam, vestra iustitia, non intrabitis in regnum cœlorum. Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium, homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt, ait noster Osee. Et Christus Dominus: De corde exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, adulteria, & illa coinquinant hominem. *Populus hic labijs me honorat.* Nisi abundauerit iustitia vestra, &c. Beati qui esuriunt eam. Quam? Christi iustitiam. Beati qui in Christo iusti sunt, & opera faciunt quæ fecit. Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.

C Sed fortassis mihi adhuc dicetis cum Propheta: Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino. Ecce aperio; hæc porta Domini, iustitia Christiana. Iustitiæ huius sex portæ sunt, videlicet naturalis iustitia, moralis, politica, cōmutatiua, distributiua, & legalis. Nam Christiana, quæ septima est, porta Domini est, qua ad octauam peruenimus, quæ diuina est; illiusque efficimur participes. Ecce octo iustitiæ. Sex primæ ancillæ sunt, septima domina & absoluta, in octaua enim beatitudo est. Itaque nonnihil dicamus de singulis.

Ps. 117. *Octo iustitiæ.*

Naturalis iustitia illa est quæ non egreditur, nec transcendit naturalem rationis facultatem, nullumque alium finem spectat quàm naturæ D proportionatum, vt curam vitæ, familiæ, liberorum, &c.

Naturalis.

Moralis, quæ spectat decorum in actionibus humanis, & rectitudinem cuiusdam honestatis ad laudem & exemplum aliorum, quæ iustitia dici potest sapientia & philosophia humana.

Moralis.

Politica, ea est quæ implet officium boni ciuis, & procurat commune bonum & Reipublicæ vtilitatem. Eáque in commutatiuam & distributiuam diuiditur.

Politica.

Commutatiua æquitatem spectat in mutuis commerciis: distributiua autem honores & munia publica partitur pro merito vniuscuiusque.

Commutatiua. Distributiua.

Legalis forinsecus præcepta legis exequitur. E Qualis hodie Pharisæorum erat, in quibus plus simulationis iustitiæ erat, quàm veritatis. Veritas enim intus est in corde & spiritu, & non in ceremoniis & apparentiis. Vnde hodie de illis Dominus; *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me,* &c.

Legalis.

Et quidem ad omnes illas iustitias Deus non respicit, vt propter eas conferat regnum cœlorum, nisi Christiana adsit. Tantùm enim sunt portæ iustitiæ, & non porta Domini. Vna est porta Domini, Christiana iustitia, & iusti intrabunt in eam, & beati qui esuriunt illam. Nisi enim abundauerit iustitia vestra plusquàm Pharisæorum, dicit Dominus, non intrabitis, &c. Illa igitur abundans iustitia

Tantū portæ iustitiæ. Iustitia Christiana porta Domini.

A iuſtitia Chriſtiana eſt, ſola porta Domini, & quæ hominem cum rectitudine ad finem ſuum ordinat & dirigit, & ipſum iuſtitiæ quæ in Deo eſt, participem efficit.

Iuſtitia diuina. *S. Bern. Ser. 5. in verba Iſa.* *Gradus quatuor diuinæ iuſtitiæ.*

Diuina namque iuſtitia, octaua eſt, ſpeique noſtræ perfectio. Hæc autem diuina iuſtitia ex Sancto Ber. quatuor gradus iſtos complectitur; quod recta ſit, pura, firma, & prorſus immutabilis: vno verbo, omnibus ſuis numeris & perfectionibus abſolutiſſima.

1. Reperitur in regeneratis.

Conditio prima ſeu gradus, quod ſit recta, reperitur in nobis viatoribus per gratiam regeneratis, in quibus amplius peccatum non regnat ad obediendum concupiſcentiis eius: hoc enim rectum & iuſtum eſt. Interim nondum pura eſt hæc B iuſtitia in nobis, eique deeſt ſecunda conditio, quia non ſumus prorſus immunes ab omni culpa.

1. & 2. in Adamo. *1. 2. & 3. in Angelis.*

In Adamo recta ſimul & pura inuenta iuſtitia eſt, qualis originalis erat: ſed non firma, quia perdidit eam. In Angelis verò tres iuſtitiæ gradus inuenti ſunt, ſcilicet quod in iis recta, pura, & firma fuerit: exquo enim acceperunt, ſemper poſtea Deo adhæſerunt. Non tamen in illis fuit prorſus immutabilis, & omnibus ſuis numeris abſoluta: quia eorum natura capax lapſus & iniuſtitiæ fuit.

Quatuor gradus in ſolo Deo.

Quare eiuſmodi iuſtitia gradibus iſtis quatuor & perfectionibus completa, in Deo tantùm inuenitur, vbi recta, pura, firma & prorſus immutabilis C eſt, vnde & diuina dicitur.

Interim Chriſtiana noſtra diuinæ huius conditiones ingreditur, & eſt præſertim duabus abundans, rectitudine & firmitate. Recta eſt, quia nos dirigit ad Deum vt finem creationis noſtræ: firma, quia id ſemper intendit.

Definitiones iuſtitiæ.

Vnde ſic definitur in qualitate virtutis & habitus; virtus ſeu qualitas animi qua quiſque eſt quod eſſe debet ad Deum, ad ſeipſum, ad proximum. In hoc enim dirigitur & fertur vniuerſalis finis noſtræ creationis. Et hæc definitio coincidit cum illa Iuriſconſulti; conſtans, inquit, & perpetua voluntas vnicuique tribuendi quod ſuum eſt. Deo quod ſuum, ſibi quod ſuum, & proximo quod ſuum eſt.

Quænam debeamus Deo ex iuſtitia.

Debemus Deo fidem, ſpem & charitatem. Vnde primò D qui non credit Deo & verbo eius ſufficienter promulgato, ille iniuſtus eſt, quia iniuriam facit primæ veritati. Item qui deſperat de ſua ſalute, tentationibus ſuccumbens, ſimiliter eſt iniuſtus, quia iniuriam Deo, & omnipotenti eius bonitati facit. Item qui non obſeruat eius mandata, & minimè diligit, iniuſtus eſt, & iniuriam Deo facit, qui eſt ſummum bonum, & amore digniſſimum.

In quo ſit iuſtitia. *Prou. 15.*

Iuſtitia enim nihil aliud eſt quàm non peccare, ait S. Hieron. Et non peccare eſt Dei præcepta ſeruare. Ecce omnis iuſtitia, declinare à malo, & facere bonum. Sic ex Prouerb. Mens iuſti meditabitur ſapientiam. Præterea adhuc totum quod ſumus, Deo de- E bemus, corpus & animam, eſſe & vitam, vſum vitæ, corporis & animæ. Debemus illi cor, memoriam, intellectum & voluntatem, vſum cordis, vſum memoriæ, intellectus & voluntatis.

Quænam proximo ex iuſtitia debemus.

Proximo etiam debemus ex iuſtitia quod ſuum eſt, amicitiam, miſericordiam, & auxilium, proficiendo omnibus, & nulli nocendo: hæc eſt enim nota Chriſtiani, & ex veritate Chriſtum profitentis.

In tribus violatur talis iuſtitia. *Matt. 5. & 6.*

Violatur autem in tribus illa iuſtitia, in corde, in ore, in opere, per odium, diffamationem, & læſionẽ. Audiant omnes quod ait Dominus: Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Et rurſus: Si non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis.

Quid ſibi debeat homo ex iuſtitia. *S. Auguſt.*

A Denique nobis ipſis etiam aliquid ex iuſtitia debemus, iudicium videlicet & iuſtitiam, vt peccatum primò puniamus, ne puniamur pro illo. Sic S. Auguſt. Sit homo punitor, vt Deus poſtea ſit defenſor. Aſcendat homo tribunal mentis ſuæ, ſit cogitatio accuſatrix, conſcientia teſtis, carnifex dolor cordis, ratio proferat ſententiam; inde ſanguis animæ per lacrymas fluat. Deinde dicat cum Pſal. 118. Feci iudicium & iuſtitiam, non tradas me calumniantibus me.

DE MISSIONE, ET authoritate prędicandi regnum Dei.

B

Alijs Ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei. Ideo enim miſſus ſum. Luc. 4.

Audite verbum Domini, filij Iſraël. Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra, &c. Oſee 4.

VNVM ex præcipuis fundamentis Theologiæ Chriſti miſſio eſt; primum eſt fidei noſtræ principium, baſis antiqua prædicationis & veri- C tatis in Eccleſia, & punctum vltimum ad quod aſcendere debet & peruenire ſalus fidelium, omnis ſtatus & exercitatio Chriſtianæ Religionis.

Miſſionis neceſſitas in Eccleſia.

Miſſio, inquam, de qua modò eſt ſermo habendus, tam neceſſariam & abſolutam influentiam habet in omnes diuinas & ſalutares actiones, quæ in ſtatu Eccleſiæ ſunt, vt vbi nulla eſt miſſio, ibi etiam nullus ſit qui ex parte Dei loqui audeat & poſſit, & per conſequens nulla ſit fides, nulla vera inuocatio Dei, nulla ſalus.

Rom 10.

Poſtquam, cum omni Scriptura, oſtendit Apoſtolus neceſſitatem fidei, & inuocationis nominis Dei ad ſalutem, dicens. Omnis qui credit in illum non confundetur. Nam idem Dominus omnium, diues in D omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit; ſtatim poſt & immediatè, quinque ſimul ſubiungit, quæ ſummam omnium exercitiorum Religionis conſtituunt, ſcilicet; Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt niſi mittantur?

Quinque in quibus eſt ſumma exercitiorum Religionis.

In pauciſſimis verbis iſtis, ſed altiſſima veritate refertis, omne ſalutis noſtræ opus in quinque actiones reducit. In tres ex parte eorum qui vocantur, quæ ſunt, inuocare, credere, & audire: E & in duas ex parte vocantium, quæ ſunt, prædicare & mitti.

Omnia ad miſſionem reducuntur.

Vbi quidem ordine videmus omnia reduci ad primum & vltimum punctum miſſionis. Sicut enim impoſſibile eſt inuocare Deum ſine fide, & fidem habere ſine auditu per verbum Dei: ita impoſſibile eſt audire illud ſine voce prædicantis, ſicut etiam illud prædicare abſque authoritate, & legitima miſſione recepta à Deo.

Singulare miſſionis exemplū in Chriſto.

Quod adhuc ipſo Chriſti exemplo confirmatur, ipſe ſiquidem vnigenitus Dei filius, ad quem omnium extra pertinet, & abſoluta poteſtas operandæ noſtræ ſalutis, in hunc mundum minimè venit ad annunciandum verbum veritatis & regnum Dei patris, niſi ex eiuſdem miſſione patris, vt ipſemet multoties dicit.

S 2 Hodie

Luc. 4. Hodie regressus in virtute spiritus in Nazareth A vbi erat nutritus, intrauit secundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & traditus
Isa. 61. est illi liber Isaiæ, ex quo applicat sibi hunc locum: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem, annum Domini acceptum & diem retributionis. Ita quoque post tot sanitates & facta miracula in domo socrus Simonis egressus cùm requireretur à turbis, & detineretur ne discederet ab eis, ait illis: *Quia & aliis Ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum.* Ostendens hic ex mente S. Thom. quia Incarnationem suam & finem eius, nec non etiam beneplacitum patris missionem suam appellabat. B

Heb. 4. Christus vocatur Apostolus, id est, missus. Hinc est quod Apostolus ipsum appellat Apostolum & pontificem confessionis nostræ. Apostolum, id est, missum per excellentiam, & immediatè à Deo, iuxta illud Exod. Obsecro Domine,
Exod. 4. dicebat Moyses, mitte quem missurus es. Et iuxta
Heb. 5. hoc dicit Apostolus; Christus non semetipsum clarificauit, vt pontifex fieret, sed qui dixit ad eum, filius meus es tu. Quasi diceret, non venit nisi à patre missus. Adeò vt sicut lex Iudæorum fundata erat super missionem Moïs: ita Christianorum lex seu Euangelium super missionem Christi, de qua in Deuter. dicitur Moysi; Prophetam suscitabo similem tui. Et à Moyse dictum est populo: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.

Lex Iudæorū fundatur super missionē Moysis. Ita Euangelium super missionem Christi. Deut. 18.

Matth. 17. In Euangelio istud præceptum repetitum est à patre cùm illa vox intonuit: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Amplioris enim gloriæ, vt
Heb. 4. dicit Apostolus, præ Moyse dignus habitus est. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant: Christus verò tanquam filius in domo sua. Adeò vt iuxta hæc verba, missio Moysis figura esset missionis Christi, super quam fides nostra fundata est, & veritas prædicationis atque
Ioh. 17. Euangelij. Quare Dominus Iohan. 17. gratias agit Deo patri, quod discipuli sui missionem suam à se acceperant & crediderant, dicens: Sicut tu me misisti in mundum; ita & ego misi eos in mundum, & cognouerunt quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti. Ecce equidem vnde gratias agit, quia nimirum hæc fides primum, est religionis & Ecclesiæ fundamentum. Iuxta quod super hanc missionem filij, Apostolorum missio & aliorum fundata est, & prædicandi authoritas.

Missio Christi omnis alterius missionis fundamentum.

Quare etiam additum est; Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum. Sic Io-
Ioh. 20. hannis 20. vbi eis dat Spiritum sanctum, dicit: Sicut misit me pater & ego mitto vos. Vbi qui-
1. dem duo obseruanda sunt. Primum est, missionem Apostolorum relationem habere ad missionem filij, & veluti substitutionem illius esse, atque dependentiam. Vnde sicut omnia filius habet à patre, diuinitatem, esse & vitam, virtutem, potentiam, & authoritatem: ita quod communicat, protinus refert ad patrem qui omnium est origo & principium. Hoc igitur primo sensu explicari potest & debet; Sicut misit me pater, & ego mitto vos, id est, à patre mitto vos, sicut ego ab eo missus sum, vel, sicut misit me, ita mittit vos per me.

Missio Apostolorum relationem habet ad missionem Christi.

2. Secundum est, neminem vnquam ex eo tempore missum fuisse, nec mitti nunc, aut postea mittendum nisi per Apostolos, aut eos certè qui in eadem authoritate sunt constituti. (Iam videant hoc hæretici ad confusionem suam.) Sicut enim ita mittitur à patre filius, vt nullus alius mittatur à patre nisi per filium; solus enim pater est qui mittit, & non mittitur: sicut solus filius qui à solo patre mittitur, quod quidem nec Spiritui sancto competere potest, qui ab vtroque coniunctim mittitur. Ita dico nunc, taliter missi sunt Apostoli à Christo, vt nullus iam nisi per illos mittatur, aut certè per eos qui in Ecclesia authoritatem eorum retinent. Neque etiam is qui extraordinariæ missionis priuilegium haberet, vt se iactitant habere nostri hæretici. Ita S. Paulus (& in hoc quidem multum distant ab illo) Paulus, inquam, cuius vocatio & missio, sicut conuersio penitus extraordinaria est, segregatus cum Barnaba à Spiritu sancto in opus Euangelij, mittitur ab Ecclesia quæ erat Antiochiæ, in qua tunc nulli Apostoli aderant, sed tantum Prophetæ & Doctores, mittitur inquam ab eis prædicare verbum Dei, & manuum impositionem recipit, quod est notandum, Actor. 13. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos; & ipsi quidem missi à Spiritu sancto prædicabant verbum Dei in Synagogis. Istud autem sic factum est, vt quod Dominus dixerat impleretur; Sicut misit me pater, inquit, ego mitto vos, id est, mitto vos, vt iam qui mittuntur, per vos mittantur, sicut qui mittuntur à patre, mittuntur per me. Ego enim sum via, veritas, & vita. C

Nulla nunc missio nisi ex authoritate Apostolica. Exemplum.

Missio extraordinaria S. Pauli.

Missio cum impositione manuum. Act. 13.

Hic egregiam harmoniam & conuenientiam video inter opera naturæ & gratiæ, seu inter Deum creantem mundum hunc visibilem & materialem, & eundem in ipso formantem Ecclesiam suam, vt nouum mundū, nouum Cœlum & nouam terram. Nam sicut in mundo materiali vnum hominem creauit Adamum, omnium parentem, voluitque omnes homines ab eo ducere originem, non quidem immediatè, sed mediatè per generationem eorum qui nos præcesserunt. Ita placuit Deo cùm hunc mundum spiritualem condidit, videlicet Ecclesiam, illi dare secundum Adam filium suum, quem sicut primum extraordinariè formauit per suam potentiam, non quidem de massa & substantia terræ, sed Mariæ Virginis, vt esset fidelium pater, ab eoque omnes esse & vitam, spiritum fidei & salutis ducerent, non quidem omnes immediatè ab eo: sed ab eo per Apostolos & pastores, eorumque non interruptam in Ecclesia successionem, vt per eam quoque nostra probetur legitima generatio, sine qua quidem nulla est nisi adultera, qualis est hæreticorum, qui nullam successionem habent continuam pastorum missorum à Christo, & mitterium alios. Ostendant si habeāt. Non est veritas, & non est scientia Dei in illis: mendacium, furtum & adulterium inundauerunt in eis. D E

Harmonia inter mundū & Ecclesiā, opera naturæ, & gratiæ.

Exemplum & similitudo notanda.

A non interrupta pastorum successione probatur nostra legitima generatio, cui hæreticorum adultera, qui successione continua carent.

De numero quidē eorum sunt, de quibus apud Ieremiam. Ipsi currebāt, & non mittebam eos, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant: vnde potest illis nunc optimè dici quod ante mille & quingentos annos dicebat Marcionitis & Valentinianis Tertull. lib. de præscript. Quinam estis? quando & vnde venistis? vbinam est missio vestra? Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquā Aaron. Non est veritas, & non est scientia Dei in eis. Nos verò cū S. Aug. dicimus contra epist. fundam. Tenet nos in Ecclesia Catholica ab ipsa Sede Petri vsque ad præsentem Episcopum Paulum Quintum successio Sacerdotum.

Ierem. 23. Tertull. lib. de præscrip. cap. 37. Heb. 5. S. Aug. contra epist. fund. cap. 4.

Et

Pastorũ successio scalæ Iacob comparata.

Et certè successio ista videtur esse adinstar scalæ Iacob, quæ vna extremitate graduum cœlum tangit, terram alia, & homines Deo coniungit in operatione salutis. Primus gradus Christus est Deo Patri iunctus in missione quam habet ab ipso. Qui misit me, mecum est, &c. Cæteri autem gradus in successione sunt Pastorum, quibus data est potestas nos euocãdi ad cœlũ. Quęcunq; solueritis in terra, erunt soluta & in cœlis. Euntes prædicate Euangelium & Dei regnum omni creaturæ. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. *Oportet me*, inquit hodie, *aliis Ciuitatibus euangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum.* ecce missio mea. Ecce & vestra; Euntes prædicate, dicentes quia appropinquauit regnum cœlorum. (Matth. 10.)

Origo in Deo & ratio missionum in Ecclesia.

Verùm demum altiùs ascendamus, & in ipso Deo rationem missionum in Ecclesia videamus. Deus quidem videns in se vnitatem essentiæ, etiam vnam Ecclesiam fecit: & videns idem pluralitatem personarum in se via processionis, ita etiam in Ecclesia sua constituit ordinum pluralitatem via missionis. Ita vt sicut duæ personæ procedentes, scilicet Filius & Spiritussanctus, in Trinitate minimè subsistunt nisi per viam processionis: ita in Ecclesia, nulla functio subsistat ad salutem animarum, nisi eadem via missionis, &c.

Hinc est quod illæ duæ personæ minimè etiam communicauerunt se nobis nisi per missionem: Filius enim in terram venit, & incarnatus est, sed à Patre missus. Spiritussanctus item in Apostolos descendit, sed à Patre & Filio missus, vt habetur Ioh. 15. & 16. Indéque est quod ipsi Angeli, qui primi quidem & nobiliùs etiam cæteris creaturis à Deo exierunt, ipsúmque quantum possunt, referunt, & fœliciter contemplantur, nihil vnquã aggrediuntur in Ecclesia & faciunt nisi per missionem. Iuxta quod dicuntur omnes spiritus missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, &c. Hæc est prima ratio omnium: hæc prima origo necessitatis missionis in Ecclesia, & successionis Pastorum. Sicut caput omnium, Angelorum & hominum, Christus suis dixit aliquando: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, hodiéque Ciuitatibus aliis oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum: ita & vos prædicate. Sicut enim misit me Pater, ita & ego mitto vos.

Angeli nihil vnquam nisi per missionẽ in Ecclesia faciunt. — *Hebr. 1.*

Quatuor prærogatiuæ Ecclesiæ à missionis origine & successione Pastorum.

In hac autem missionis origine & successione Pastorum est; vnde dicimus Ecclesiam habere hos quatuor titulos ac prærogatiuas honoris, quod sit diuina, Christiana, Apostolica, & Catholica.

1. Diuina est, quia Christum habet caput & authorem, qui ideo immediatè à Patre missus est, vt eam ædificaret.

2. Christiana est, quia ipsemet in ea doctrinam veritatis edocuit, & de mundo egrediens in ea suam authoritatem consignauit.

3. Apostolica, quia eam post se Apostolis suis commisit, quibus & prædicandi, ligandi & soluendi potestatem dedit & pontificium: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Ecce authoritas.

4. Denique & Catholica est, quia Apostoli alios post se miserunt, sicut & ipsi missi fuerant, & sic per successionem missionis per vniuersum orbem effusa est. Vnde qui extra illam sunt, alieni sunt, dicit S. Cypr. tractatu de vnitate Ecclesiæ, & simplicitate Prælatorum, profani & hostes, dicente Domino: Qui non est mecum, contra me est; & qui non colligit mecum, dispergit. Non est veritas, & nón est scientia Dei in eis. Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim ex nobis fuissent, nobiscum mansissent.

S. Cyprian. tract. 3. de vnitate Ecclesiæ. — *Luc. 11.*

Verùm, dicit S. Cyprian. gratulandum est, cùm tales de Ecclesia separantur, ne columbas & oues Christi sæua sua & venenata contagione prædentur. Cohærere & coniungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Qui pacem Christi & concordiam rumpunt, aduersus Christum faciunt.

Nota hæreticorum.

Sed quinã sunt isti? (inquietis.) Hæretici omnes qui missi non sunt, & à seipsis prophetant. Audite iterum Sanctum Cyprian. Hi sunt qui se vltrò apud temerarios conuenas sine diuina dispositione preficiunt, qui se præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, (perpendite omnia) Episcopi sibi nomẽ assumunt, quos designat in Psalmis Spiritussanctus, sedentes in pestilentiæ cathedra, pestes, lues fidei, & corrumpendæ veritatis artifices; dum enim conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Non est veritas, & non est scientia Dei in eis. Contra eiusmodi clamat Dominus apud Ieremiam, ab eorum errore plebem suam reuocans, sic: Nolite audire verba Prophetarum, (pseudoprophetarum) qui prophetant vobis, & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. Dicunt his qui blasphemant me; Locutus est Dominus, pax vobis erit, & omni qui ambulat in prauitate cordis sui, dixerũt: Non veniet super vos malum. Quis affuit in consilio Domini? & quis audiuit sermonem eius? (Ierem. 23.)

Ecce hic exprimitur verè modus loquẽndi hæreticorum. Nihil timete, inquiunt, credere sufficit: & non est veritas in eis. Si stetissent in consilio meo, dicit Dominus, vtique auertissem eos à via sua mala, & à cogitationibus suis pessimis. Sed non est scientia Dei in eis. Prophetant, & non mittebam eos. Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur? Ad prima ergo principia redeamus.

Duplex missio. Signum missionis immediatæ.

Duplex est missio: vna immediata à Deo; altera mediata, id est, medianté Prælatorum in Ecclesia authoritate. Immediatę missionis signum doctrina est veritatis cum omni obedientia, & submissione Ecclesiæ: vt S. Paulus qui extraordinariè missus postea Ecclesiam adiit, vt probaretur ab illa, abiit Hierosolymam vt videret Petrum. Item operatio miraculorum in testimonium est talis extraordinariæ missionis: aliàs enim minimè, licèt etiam pro re alia fiant. Hæretici autem nihil omnino istorum omnium habent. (Actor. 13. Gal. 1. & 2.)

Vnde missio mediata. — *2. Cor. 8.*

Mediata, vt diximus, ex authoritate Prælatorum est, Apostolo dicente Corinthiis: Misimus cum illo, nimirum Tito, fratrem nostrum, nimirum Lucam, cuius laus est in Euangelio. Ecce necessaria missio ad prædicationem Euangelij. Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur? Sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! (Isa. 52.)

Quare Apostoli dicuntur pedes speciosi.

Speciosi pedes pro Apostolis sumuntur, Synecdoche, pes pro homine, pars pro toto. Pedes igitur speciosi, vt eorum gratus ostendatur aduentus: sicut omnium legitimorum prædicatorum. Pedes autem isti, id est, Apostoli, laudari possunt à velocitate, qua orbem percurrentes, totum veritatis lumine illustrarunt: à fortitudine, qua vicerũt: & à mũditia vitæ & doctrinæ, qua ipsum ad Christum traxerunt. In cuius etiam rei symbolum Origenes docet, Christum lauisse pedes eorum in vltima cœna; túncque impleri cœpisse istud Isaiæ (*Origenes.*)

vaticinium; Quàm speciosi pedes euangelizantium bona! verè speciosi quos Christus lauit.

Item per pedes intelliguntur eorum gressus per legitimam missionem ordinati. Item eorum affectus recti, dum scilicet non intentione laudis, aut lucri verbum Dei prædicarunt; sed propter hominum salutem & gloriam Dei. Apud Ezechielem, pedes eorum pedes recti (vbi fit mentio de quatuor animalibus, quæ Euangelistas & Prædicatores repræsentãt,) iuxta quod dicitur, pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. *Ezech. 1.*

Hic autem tangitur rerum materia quæ prædicari debent: quæ duplex est. Prima est rerum quæ spectant ad vitam præsentem, & designantur per pacem, quæ triplex est. Pax cum Deo, illa videlicet quam ipse fecit Christus, vt dicit Paulus: Deus erat in Christo mundum reconcilians. & supra; Pacem habeamus ad Deum per IESVM Christum. Secunda cum proximis. Tertia cum nobismetipsis, vt ait Psaltes: Pax multa diligentibus legem tuam. Hæc sunt quæ prædicare debemus, prout videlicet in hac præsenti vita desiderari possunt & debent. Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem! *Duplex materia rerum quæ debent prædicari. Pax triplex. 2. Cor. 5. Ps. 118.*

Alia verò materia rerum est quæ spem respiciunt, & futuram vitam: vtpote bona gratiæ, gloriæ, & visionis diuinæ, bona denique æterna, quorum in regno Dei beata possessio est: de quibus etiam intelligitur; Quàm speciosi pedes euangelizantium bona! Quę bona? vera bona, regnum Dei, æternam vitam. Ideo hodie Christus dicit iis qui eum retinere volebant; *Alijs Ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum.* Propterea sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Euntes prædicate quia appropinquauit regnum Dei.

DE FONTE DIVINÆ gratiæ.

Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ioh. 4.

Non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

HISTORIA hodierni Euangelij multorum simul altissimorum mysteriorum Christi locupletissima enarratio est: sed vnum inter multa excellentissimum proponit, quod est cura, expectatio & sitis ardentissima salutis Samaritanę mulieris & peccatricis.

In consideratione huius non miror amplius cur Apostolus nimiam appellat charitatem Christi, & abundantes gratiæ eius diuitias: item supereminentem scientiæ Christi charitatem: & alibi adhuc diuitias bonitatis illius. Cùm non satis fuerit illi, homini dedisse esse & vitam, imagine sua ipsum decorasse, & illam reparasse corruptam: proptereàque naturam suscepisse hominis, atque in ea cum hominibus conuersantem, multa itinera fecisse, vt quæreret illos: sed etiam ea cum tanto labore susceperit, vt totus fatigatus, & sitis ardore confectus hodie sedere supra fontem cogeretur. *Eph. 2. & 3. Rom. 2.*

Pro exemplo est veritas hodierni Euangelij. Venit IESVS in Ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo, vbi fons erat. IESVS autem fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. Quare ante omnia hic loquuturi sumus de defectibus assumptis à Christo pro salute nostra: id est, quibusnam infirmitatibus ipsum decebat propter nos cũ plenitudine gratiæ obnoxium esse. Sicut enim ipsum oportebat pro salute hominum, naturam assumere omni gratia & sciẽtia perfectam: ita etiam necesse erat, vt talem assumeret in qua ad satisfaciendum pati posset IESVS fatigatus ex itinere. *De defectibus nostris à Christo assumptis.*

Pro quo iam sciendum, hominem peccando duo genera pœnarum & defectuum tam animæ, quàm corporis incurrisse. Alia sunt, & quidem solùm in anima, quibus homo separatur à Deo, vt ignorantia, inordinatio affectuum, priuatio gratię, & alia huiusmodi, quæ Christus assumere nũquam potuit, vt diuinitati suæ, & saluti nostræ contraria. Alia sunt in passibilitate, dolore & pœna sensus, non quidem damni, vt, sicut diximus, priuationis Dei, gratiæ, scientiæ & rectitudinis: sed in sola pœna sensus, seu passibilitate animi per tristitiam, & corporis per passionem. *Duo defectuum genera in homine ex peccato.*

Qui quidem defectus in Christo fuerunt, non quidem contracti necessitate naturæ & culpæ, sed voluntariè assumpti, vt conuenientiùs patiendo pro nobis satisfacere posset. Sicut enim homo per peccatum non solùm gratia Dei priuatus est; sed etiam passibilis secundum animam & corpus factus est, & in necessitate positus moriendi: (nam quod defectibus istis subiaceat, pœna peccati est, cùm ante peccatum ab illis immunes penitus fuerimus.) Ita conuenienter prouisum est, vt Christus per illas doloris & sensus pœnas voluntariè assumptas, hominíque ex necessitate debitas, ipsum ad Deum reuocaret; vnde factum est vt subiiciens se talibus defectibus dicatur similitudinem carnis peccati assumpsisse, secundum illud Apost. Deus misit Filium suum in similitudinem carnis peccati, videlicet in eo quod passibilis erat. *Quibus pœnis & defectibus potuit Christus subiacere. Rom. 8.*

Vnde ipsa Christi passibilitas, vel passio iuxta S. Thomam in Compend. Theol. ab Apostolo appellatur peccatum, cùm subdit; & de peccato damnauit peccatum in carne, id est, per passionem suam peccatum destruxit in nobis. Vel adhuc ex eo quod factus est hostia pro peccato, quæ in Scriptura sacra dicitur peccatum, vt in Osee dicitur: *Peccata populi mei comedent.* Vnde dicitur 2. Cor. 6. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis Deus fecit peccatum, (id est, hostiam pro peccato,) vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Sicque satisfaciendo pro peccato, & hostia factus pro illo damnauit peccatum in carne. Ioh. 1. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. *Passibilitas Christi vocatur peccatum. S. Thom. 2. p. Compen. Theol. c. 41. 2. Cor. 6. Osee 4.*

Verùm amplius considerandum est, eiusmodi defectus pœnales duplices inueniri in nobis. Quidam enim sunt communes omnibus; quidam proprij & particulares: vt qui nascuntur in quibusdam ex particularibus causis, vt sunt cæcitas, febris, &c. Tales autem nũquam in Christo fuerunt. Cõmunes verò & qui omnibus conueniunt, sunt esuries, sitis, lassitudo, dolor, &c. & hi in Christo fuerunt: volũtariè enim illos ab initio assumpsit. Sic hodie, IESVS autem fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. Ecce lassitudo, ecce sitis, etiámque esuries. Discipuli eius abierant in Ciuitatem, vt cibos emerent, hora erat quasi sexta, (scilicet meridies.) Fatigabatur Christus, vt nobis requiem daret: esuriebat, vt nos enutriret cibo paternæ voluntatis: sitiebat vt nos excitaret petere quod dare volebat. Scitis gratiam Domini nostri IESV Christi, qui cùm diues esset, propter nos egenus factus est, vt eius *Duplex pœnalis defectus. 1. Cor. 8.*

inopia

inopia diuites eſſetis. Propterea igitur oſtendit ſe hodie fatigatum, eſurire, & ſitire, vt mereatur nobis & donet cœleſtes aquas.

Venit mulier de Samaria haurire aquam, & dicit ei IESVS: Da mihi bibere. O mulier, ſi ſcires donum Dei, & quis eſt qui tibi dicit; Mulier da mihi bibere, forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. Dicebat Baptiſta Ioannes Iudæis; Luc. 3. Medius veſtrûm ſterit, quem vos neſcitis. Ita hodie Chriſtus de ſe; Mulier ſi ſcires. Et ne illi dicas; Domine neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt, vnde ergo habes aquam viuam? numquid tu maior es patre noſtro Iacob, qui dedit nobis hunc puteum? O mulier, audi reſponſum eius. Omnis qui bibit ex aqua hac, videlicet putei Iacob, ſitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua quam dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate: vltro & gratis offert Chriſtus; haurite iam in gaudio de fontibus Saluatoris. Sitiuit anima mea ad te Deum fontem viuum, quando veniam? apud te enim eſt fons vitæ.

Hic itaque diſtinguit Dominus dona cœleſtia à terrenis, & quæ æterna ſunt à temporalibus, ſeu gratiam & delicias ſpiritus, à voluptatibus carnis, comparatione facta & differentia inter aquam viuam & mortuam. Aquam viuam dicimus, quę fluit ex ſe & mouetur: aquam verò mortuam, quæ ex ſua origine non manat; ſed extrinſecus collecta eſt, & non fluit, vt paludes & ſtagna, quæ oriuntur ex pluuiis. *Diſtinctio inter aquam viuam & mortuam.* Viuam ergo aquam illam eſſe dicimus, quæ in ſe principium habet, vnde fluat & moueatur, qualis eſt fontium & fluminum. Sic Philoſophus ea viuere ait propriè quæ in ſe ſui motus principium habent, vt plantæ, animalia, homines, Angeli, & inter omnia Deus, qui vita eſt in ſe & omnis vitæ principium. Quæ verò extrinſecus tantùm principium motus ſui habent, minimè viuere dicuntur, vt elementa & lapides, aliàque huiuſmodi, quæ eſſe, & non vitam dicimus habere.

Igitur hac ſimilitudine & differentia voluit nobis Chriſtus oſtendere, omnia bona terræ, caduca & temporalia, quæ ex creaturis homines hauriũt, non eſſe aquam viuam, ſed mortuam, ſecundum quod omnis creatura vanitati ſubiecta eſt; vt verè dixit Sapiens Eccl. 2. Inueni in omnibus vanitatem, & afflictionem ſpiritus, & nihil permanere ſub Sole. E contrà bona cœleſtia, æterna & ſpiritus quæ à Deo procedunt, meritò eſſe aquam viuam, iuxta quod in ſe principium vitæ habẽt quod eſt Deus, & rectà ad ipſum perducunt.

Hiere m. 2. Hinc conqueritur Deus apud Hieremiam, cœlóſque mouet ad ſtuporem: Quia, inquit, me dereliquerunt fontẽ aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ non valent continere aquas. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, &c. *Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra.* Qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum. Qui autem ex illa quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Aqua mundi, aqua contradictionis eſt: aqua Chriſti, fons abundantiæ & pacis.

Gen. 26. In Geneſi, propter puteum iurgium fuit paſtorũ Geraræ, aduerſus paſtores Iſaac dicentium; Noſtra eſt aqua. Quamobrẽ ex eo quod pro illo rixati fuerant, vocauit Iſaac hũc puteũ Inimicitias & Calũniam. Vnde profectus inde fodit alium, pro quo non contenderunt. Itaque vocauit nomen eius Latitudo, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit creſcere ſuper terram. Ecce abundantia; vbi adhuc Dominum videre meruit.

Admirandæ proſus & ingentes Chriſti diuitiæ ſunt, qui non ſolùm aquam viuam promittit: ſed etiam fontem perenniter manantem, non ſolùm gratiam, ſed eius authorem Spiritum ſanctum. Quare iam non miror, ſi is qui biberit ex hac aqua, non ſitiet in æternum. Quomodo enim ſitiret qui fontem intus continuò manantem haberet? & quomodo ex rebus creatis vellet conſolationem ſuam haurire, qui per gratiam Dei habet Spiritum Dei manentem in ſe, & per eum eſt abundans in omnibus? Mirabilis omnino fons iſte in mente iuſti, ex dono, gratia, & merito Chriſti, de quo ipſe: Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Ioh. 7. & adiungit Euangeliſta: Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Mira virtus Spiritusſancti. Qui habet, vtique abundat in omnibus; in conſolationibus, actionibus, meritis, & donis. *Qui Spiritũ ſanctum habet, in omnibus eſt abundans.*

1. In conſolationibus. In conſolationibus. Sic enim apud S. Iohannem à Chriſto vocatur paracletus, id eſt, conſolator, & ſub huiuſmodi qualitate promittitur triplici ratione. Ioh. 14. Prima petitur ex altiſſimis Theologiæ principiis, videlicet ex proprietatibus perſonalibus huius ſanctiſſimi Spiritus & omnipotentis, qui eſt amor fruens, & infinitus amor, fruens infinito bono. Pro quo ſciendum eſt duplicem eſſe amorem. *Duplex amor.* Vnus eſt indigentiæ, priuationis, & paupertatis, amor deſiderans, requirens & mendicans, qui pro conſorte dolorẽ habet, & ſecum lamenta & querimonias. Alter è contrà, amor eſt fruitionis, plenitudinis, & opulentiæ, qui pro germano & ſorore gaudium & conſolationem habet. Talis autem eſt amor Spiritusſanctus; amor Patris & Filij, amor diuinitate fruens, quæ noſtrum eſt ſummum bonum; vnde conſolator & conſolatio noſtra dicitur.

Secunda ratio adhuc à Theologis petitur ex officio & munere eius, ſcilicet quia loco Chriſti, & propter abſentiam eius nobis datur ad conſolationem. Ego rogabo Patrem meum, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum. Qui amat Dominum IESVM, ſcit quid ſit priuari præſentia eius etiam corporali. Optimè ſciebant Apoſtoli, qui viderant & audierant ab eo: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Quare ratione eiuſmodi abſentiæ conſolatur eos promiſſione Spiritusſancti, qui eſt fons perennis omnis conſolationis.

Tertia ratio à S. Paulo petitur Rom. 8. & illa altiſſima eſt, eóque digna, ſcilicet quod Spiritus eſt qui teſtimonium dat ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei. Si autem filij, ergo & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Foris igitur omnis triſtitia, & longè à me omne tædium. Iniuriam facio Deo & Spiritui eius, qui eſt Spiritus veritatis, ſi triſtis hodie ſum cum tali teſtamento, cum tali certitudine, & pignore filiationis atque cohæreditatis.

Sed dicet aliquis. Ergo verum dixit Caluinus, qui obligat omnes fideles credere quòd ſunt filij Dei ac futuri hæredes. Ita eſt ô Caluine. Ita eſt ô decepte & deceptor. Ita eſt decipiens caterua miniſtrorum Sathanæ, ſi minimè Scripturam truncetis adinſtar diaboli contra Chriſtum diſputantis. Ita eſt, inquam, ſi minimè illam mutiletis, omnia autem integrè referatis, vt ſi quæ adiuncta ſunt verbis iſtis ſupra citatis Apoſtoli, afferatis, ſcilicet, ſi tamen compatimur, vt conglorificemur. Multæ enim ſunt cum Chriſto tribulationes ſuſtinendæ, vt cum

Luc. vlt. vt cum illo regnemus. Sicut enim oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam: ita & nos per multas tribulationes introire oportet in regnum Dei. Actor. 14.

Sed minimè intelligunt ista nostri hæretici. Et ratio est, quia non est veritas, & non est scientia Dei in eis. Tunc enim verè Spiritus Dei, spiritui nostro testimonium reddit quod sumus filij Dei, & cohæredes Christi, si cópatimur, si bona & quæ Spiritus Dei sunt facimus. Quapropter fratres, magis satagite, iuxta 2. Pet. 1. vt per bona opera certam vocationem vestram faciatis. Qui enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei, dicit Apostolus. Spiritus iste Dei sanctus, Spiritus vitæ est, qui non solùm consolatur, sed etiam facit operari quæ sunt Dei. Ita vt qui ipsum habet, non minus actionibus quàm consolationibus sit abundans.

Quandonam constat quod Spiritus Dei reddit testimonium spiritui nostro quod sumus filij Dei.

Vnde dicimus secundò, quia Spiritus Dei in homine pro lege est, quæ ipsum inducit & sollicitat semper ad bonum. Ita S. Thom. in Comm. ad Rom. illa Apostoli verba explicans; Lex Spiritus vitæ in Christo IESV liberauit me à lege peccati, & mortis. Lex quæ est Spiritussanctus, ait. Sicut enim lex datur ad hoc, vt per eam homines inducantur ad bonum (Legislatoris enim intentio est, ciues facere bonos:) ita Spiritussanctus mentem inhabitans simul illuminando docet affectum, & inclinat ad bene agendum, vt S. Iohannes ait, vnctio docebit vos de omnibus: & Apost. charitas Christi vrget nos; & Dominus IESVS: Cùm venerit paracletus, docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia. Sic apud Ierem. Dabo legem meam in visceribus eorum, scilicet legem Spiritus vitæ ad operandum. Quare dicit S. Gregor. Charitas operatur magna si est, si renuit operari non est. Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Si scires donum Dei. Qui biberit ex illa aqua vitæ, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Duo sunt vltima, videlicet tertium simul & quartum, in quibus abundat qui Spiritum vitæ habet, scilicet in meritis, & donis.

2. In actionibus abundat qui Spiritū Dei habet.
S. Thom. Comm. in Rom. 8.
1. Iohn. 2. Cor. 5. Ioh. 14.
Ierem. 31.

Vltimò in meritis & donis abundat qui Spiritū Dei habet.

Rom. 9. *Gratia Dei, vita æterna*, S. Thomas considerat duplicem hominis statum absque gratia. Primus est naturæ integræ in Adam: alter corruptę per peccatum. In neutro autem salus esse potest absque gratia. Quantum ad primum ratio est, quia gloria quoddam bonum est excedens proportionem naturæ creatæ, quatenus excedit omne desiderium eius & notitiam, iuxta illud 1. Corinth. Oculus non vidit, &c. Vnde nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorij vitæ æternæ, nisi superaddatur aliquod donum supernaturale, quod est gratia.

S. Tho. 1. 2. q. 114. ar. 2.
Duplex hominis status absq; gratia.

Quantum etiam ad secundum statum, scilicet naturæ corruptæ, propter impedimentum peccati, quod iterum additur cum præcedente ratione: peccatum enim offensa est Dei omnino à gloria excludens, eiúsque stipendium est mors. Vnde etiã nec post lapsum quis vnquam reparationem sibi mereri potest, nec condignè, nec congruè sine præuentione gratiæ. Nullum enim est meritum absque aliqua gratia præueniente, aut iustificante. Quare apud S. Thom. opus hominis iusti dupliciter consideratur ad rationem meriti.

Dupliciter consideratur opus hominis iusti.

Primò, secundum substantiã operis. i. iuxta quod procedit ex libero arbitrio: & sic condignitas non est propter maximam inæqualitatem, sed tantùm videtur decere diuinam bonitatem, vt homini facienti quod in se est, & operanti secundum suam virtutem, Deus non deneget gratiam.

Secundò consideratur tale opus iuxta quod procedit ex gratia Spiritussancti; & sic est condignitas: valor enim meriti dupliciter attenditur, & secundum virtutem Spiritussancti mouentis nos in vitam æternam, iuxta illud Iohannis, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam: & secundum gratiæ dignitatem, per quam homo consors factus est diuinæ naturæ, & adoptatur in filium Dei, cui ipso iure debetur hæreditas, iuxta illud Apost. Si filij, & hæredes.

Vnde valor meriti.
Ioh. 4.
Rom. 8.

Dicitur autem per gratiam homo diuinæ consors naturæ, & filius Dei, eo quod causat & ponit in nobis participationem diuini boni: in cóque differt ab amicitia hominum, quod illa nihil ponit, sed inuenit; gratia autem ponit, creaturam rationalem eleuans supra conditionem naturæ suæ vsque ad participationem Dei. Ita vt in nobis sit principium omnis meriti, quoties ex charitate agimus: hæc enim inter gratias quæ nobis dantur ad meritum gloriæ tenet principatum, iuxta ordinem allatum ab Apost. fides, spes, charitas; maior autem charitas. Ita super omnes adhuc eam exaltat 1. Corinth. vbi illam quatuor modis commendat.

In quo differt gratia & amicitia Dei ab amicitia hominum.
1. Cor. 13.
Quatuor modis charitas commendatur.

1\. Primò, quod sit via excellentior, & absque ea nihil penitus cætera valeant. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habuero, nihil sum: & si tradidero corpus meum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Et certè nihil prodest diabolo mysteria scire, nihil Doctoribus Theologiæ scientiam habere, nihil Christianis fidem, & nihil hypocritis multa opera bona facere ob vanam gloriam: nihil dicere; Domine, in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia etiam eiecimus. Qui offendit in vno, ait S. Iacobus, scilicet, in charitate, in illo vno quod necessarium est, factus est omnium reus.

2\. Secundò, omnia vitia excludit. Charitas non agit perperam, id est, peruersè, sed omnia bono fine, non æmulatur, non est ambitiosa, (cùm sit humilis,) non quærit quæ sua sunt, sed quæ Christi. Ita hodie Samaritana, relicta hydria sua, Christum prædicare currit. Charitas gloriam Dei quærit in omnibus; non gaudet super iniquitate, imò deflet, & sic omnia vitia excludit. Ita vt dicat S. Iohan. Qui charitatem habet, non peccat, videlicet, ad mortem. Nullum enim peccatum est in feruore charitatis quod non sit sicut aquæ guttula in igne, quæ potius inflammat, quàm ipsum extinguit. Ita equidem est de charitate respectu sordium peccatorum nostrorum & imperfectionum, quæ statim ipsa consumuntur, & augmento amoris adhuc inseruiunt. 1. Ioh. 4.

3\. Tertiò, omnes virtutes includit. Charitas patiens est, (scilicet, in aduersis) benigna (in omnibus,) omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Sic Samaritana hodie credit, sperat, & sustinet omnia quæ audit à Christo. Sed vultis vt omnia verbo vno dicam? omnia bona in se charitas continet, & in aliis omnia bona habet. Psal. 118. *Omnis consummationis vidi finem. Latum mandatum tuum nimis.* Latum mandatum est charitas, in qua tota lex pendet & prophetæ. Matth. 22. Matth. 22.

4\. Quartò, charitas numquam excidit. Quæ enim nunc datur ad meritum, etiam dabitur ad præmium: fiet enim in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Qui gratiæ & charitati adhærebit, coniungetur Deo, qui charitas est & fons gratiarum perennis. Prophetiæ, linguæ, fides & spes cessabunt,

bunt, vbi visio Dei erit & fruitio æterna: à charitate autem nullo pacto poterimus separari. Charitas nunquam excidit. Nunquam, ait S. Apostolus. Quis enim nos ab ea separabit? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque instantia, neque futura, &c.

Hanc igitur ingrediamur viam; indigemus gratia, postulemus eam. Deus in Cœlo nihil communicat dignius gloria; in terra nihil præstantius gratia. Dicamus ergo cum muliere Samaritana: Domine, da mihi hanc aquam, vt in me fiat fons charitatis & aquæ salientis in vitam æternam.

Qui in vacuum gratiã recipit. 2. Cor. 6. Hortamur vos cum Apost. ad Corinth. vt in vacuum gratiam Dei non recipiatis. Ille equidem sic recipit qui minimè respondet Deo, nec cum Samaritana dicit: Domine, da mihi hanc aquam. Item qui acceptam abscondit, nec sicut ista peccatrix reuelat aliis. Qui denique eam operari non facit, & nullum illius vsum Deo reddit, neque vtilitatem proximi amplectitur & quærit, sicut mulier nostra Samaritana, quæ & in Christũ credidit, & ipsum aliis prædicauit. Venite, ait, vidi hominem qui dixit mihi omnia, &c. Ecce mulier quæ Christum inuenit & prædicat, Samaritana est & peccatrix, quæ puteo Iacob & hydria relictis, vero & perenni fonti adhæsit, hausitque aquas in gaudio de fontibus Saluatoris: quæ denique relicto suo monte superstitionis, Deum verum in spiritu & veritate adorare didicit, agnouit, nósque hanc vt audiuit, veritatem edocuit. Vnde qui crediderit in eum, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ; & qui biberit ex aqua quam ille dabit, non sitiet in æternum: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

DOMINICA QVARTA.

DE MVLTIPLICATIONE quinque panum, & diuina liberalitate Christi.

Accepit IESVS *panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus, &c.* Iohan. 6.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

SAMARITANA ad puteum Iacob veniens vt hauriret aquam, Christum Dominum inuenit fontem viuum & semper manantem: hodie in deserto sequebatur eum multitudo magna hominũ, qui erant numero quasi quinque millia, & distribuentem inueniunt eum singulis de quinque panibus quantum ipsi volebant. Cùm abiisset IESVS trans mare Galilææ in montem, & subleuans oculos vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Ipse cuius diuina liberalitas & prouidentia se extendit ad omnia, qui lilia vestit, cœli volatilia pascit, & implet omne animal benedictione. Respondit ei Philippus; Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis. Et vnus ex discipulis, Andreas frater Simonis Petri, dicit ei: Est puer vnus hîc qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces; sed hæc quid sunt inter tantos? Opibus nostris non indiget Christus rerum omnium Dominus. Vnde Psaltes dicit: Conserua me Domine, quoniam speraui in te. Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Qui timetis Dominum, sperate in illum, dicit Sapiens Ecclesiasticus, & in oblectationem veniet vobis misericordia. Respicite filij nationes hominum, & scitote quia nullus sperauit in Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis eius, aut quis inuocauit eum, & derelictus est? Quoniam pius & misericors est Deus, & protector omnibus exquirentibus se in veritate, & non indiget Deus pane nostro, vt benefaciat nobis, qui omnes pascit diuitiis suis, & abundantiam fert in manibus suis.

Dei prouidentia. (Ps. 15.; Eccl. 2.)

Hodie dixit IESVS: Facite homines discumbere, vt sit quasi præludium miraculi quod facturus est, clariúsque appareat omnibus. Accepit ergo IESVS panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus quantum volebant. Ita vt ex illis pauculis duodecim cophini fragmentorum superfuerint his qui manducauerant, numero quasi quinque millia, exceptis mulieribus & paruulis, vt notat S. Matth. cap. 14. Vnde ratio cur illi homines cùm vidissent quod IESVS fecerat signum, dicebant, quia hic est verè Propheta qui venturus est in mundum, & Regem sibi facere voluerunt. Hîc itaque de diuina liberalitate & magnificentia Christi in distributione horum quinque panum sensu multiplici loquuturi sumus. Primus erit materialis: secundus spiritualis, qui in panem intellectus diuiditur, & voluntatis, & hic est tertius: quartus figuratiuus: quintus verò diuinus & cœlestis. Qui quidem omnes ordine inueniuntur in hoc 8. cap. Iohannis.

Quintuplex panis.

1. Hordeaceus & familiaris. Nunc ergo de primo loquamur. Hordeaceus est, panis familiaris, atque domesticus quem Deus omnibus prouidet, tam iustis quàm malis & peccatoribus, ad alimentum & conseruationem vitæ, pluit super iustos & iniustos. Isa. 1. Si audieritis me, bona terræ comedetis. & expressè de iusto dicitur in Psal. Senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Similiter de iniquis: Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias. Sed etiam de pauperibus dicitur quia edent (etsi de micis quæ cadunt de mensa diuitum) & saturabuntur. Item de mercenariis dicebat prodigus in se reuersus: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus! & solus miser, eo quod domum patris reliquerat, fame peribat. Vt appareat tantummodo hunc pati & egere, qui prouidentiam Dei deseruit, in cuius domo est omnis abundantia, carnium, frumenti, olei, vini, & vestium; denique rerum omnium quæ ad vitam necessariæ sunt. Ne solliciti sitis animę vestrę, id est, vitæ, dicentes; Quid manducabimus, aut quo operiemur? Scit Pater vester, dicit Dominus, quia his omnibus indigetis. Cura est illi, neque vult vt vllo modo cor nostrum illis apponamus.

(Isa. 1. & Ps. 36.; Psal. 72.; Luc. 15.)

Diuitiarum sæculi miseria & vsus. Panes hordeacei parui ponderis sunt, viles, & nihil magnificum habent quo mentes nostras ad se trahant. Sic autem sunt omnes panes mundi huius, hordeacei sunt, & eorum acquisitio cruciat & molestat, dicente Domino præuaricatori Adamo: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Hordeacei sũt, & eorũ cura possessoré torquet, nõ satiat: hordeacei sunt, & non dantur nisi vt détur aliis, distribuãtur egenis; & qui habent, illorum dispensatores sunt pauperibus. Hoc diuites aduertant huius sæculi, neque dicant. Quid hæc sunt inter tantos? & vnde

(Gen. 3.)

vnde ipsos quis poterit saturare? familiam habeo & liberos, multos cliẽtes & seruos. Quid hæc sunt inter tantos? Istæ sunt excusationes auarorum & diuitum.

S. Cyprian. tract. de eleemosy.

Sed Sanctum Cyprianum audiant tractatu de eleemosy. Metuisne patrimonium tuum ne fortè deficiat, si operari ex eo largiter cœperis? & nescis miser quia dum times ne res familiaris fortè deficiat, vita ipsa & salus deficit, & dum ne quid de rebus tuis minuatur attendis, non respicis quod ipse minuaris amator magis mammonæ quàm animæ tuæ, vt dum times ne patrimonium pro te perdas, ipse pro patrimonio tuo pereas. Finiri non potest, vnde in vsus Christi impenditur. *Non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.*

Exemplum viduæ Sarephtanæ affert ille sanctissimus Doctor dicens. Secundum diuinæ pollicitationis fidem (scilicet Eliæ) multiplicata sunt viduæ, quæ præstitit illa, nec filiis abstulit mater quod Eliæ dedit, (scilicet istud parum farinæ & olei) sed magis contulit filiis quod benignè & piè fecit. Et illa nondum sciebat Christum, nondum præcepta eius audierat, non cibum & potum pro sanguine dabat. Vt ex hoc appareat quantum nunc in Ecclesia peccet, qui se & filios Christo anteponens, diuitias suas seruat, neque indigentium paupertati communicat. Si ergo verè filios tuos diligis, reditus tuos diuide cum Deo, partire cũ Christo, & illi facultates tuas assigna, quas hæredibus seruas. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode seruatur. Hoc est charis pignoribus in posterum prouidere, hoc est futuris hæredibus paterna pietate consulere, secundum fidem Scripturæ dicentis. Iunior fui, etenim senui, & nunquam vidi iustũ derelictum, nec semen eius quærens panem. Tota die miseretur & commodat, & semen eius in benedictione erit. ex S. Cypriano hæc omnia.

Laus eleemosyna.

Psal. 36.

Hoc modo loquebatur Tobias ad filium suum. Ex substantia tua fac eleemosynam, & quomodo potueris esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis: quoniam eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat; & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. Ita Prouerb. 28. Qui dat pauperi non indigebit; & qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. Et Christus ipse quid dicit in Euangelio? Da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo.

Tob. 4.

Prou. 28.

Matth. 9.

S. Chrysol. Serm. 8.

Hinc S. Chrysolog. ait manũ pauperis esse thesaurum Cœli, & gazophylacium Christi. Da pauperi, inquit, vt det tibi: da terram, vt accipias Cœlum: da nummum, vt accipias regnum: da micam, vt accipias totum: da pauperi, vt det tibi, quia quicquid pauperi dederis, tu habebis; & quod pauperi non dederis, alter habebit. Colligite fragmenta ne pereant; date, & dabitur vobis. Superfluum perit quod asseruatur, & non datur pauperi. Ita quidem Ecclesiastes ait: Qui amat diuitias, non capiet fructum ex eis. Quod verò ex misericordia distribuitur, ei asseruatur & crescit in thesaurum.

Eccl. 5.

Hodie ex quinque panibus distributis tot millibus, adhuc superfuerunt fragmentorum duodecim cophini. Ita vt S. Cyrill. in Iohan. hodiernum miraculum eleemosynæ attribuat. Et vos quæso idem animaduertite. Nonne eleemosyna est quæ istud miraculum operata est: & nonne in distributione panum, multiplicatio eorumdem facta est?

S. Cyrill. lib. 3. in Iohan. *Multiplicatio panum eleemosynæ tribuitur.*

A Accepit IESVS panes, & cùm gratias egisset distribuit, & collegerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducauerant. Qui ergo abundant panibus sic vtantur, aliis cum gratiarũ actione distribuant in benedictionibus. Ita certè suadebat Apostolus Timotheo, dicens: Diuitibus præcipe in incerto diuitiarum suarum non sperare: sed facilè communicare, & diuites fieri in bonis operibus. Sed de panibus istis hordeaceis & terrenis iam satis.

2. Panis spiritualis, & duplex.

Nunc de spirituali loquamur, qui in duos diuiditur, in panem verbi Dei, & diuinorum præceptorum; seu in panem intellectus, & voluntatis. Non B solùm enim Deus prouidere voluit alimento corporis, sed etiam animæ. In Genesi hæc duo genera alimenti Deus homini dedit. Primum erat corporis: de omni ligno paradisi comede. Secundum animæ, & hoc in obedientia & obseruatione huius mandati: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Qua enim hora comederis, morte morieris.

Gen. 2.

Quid igitur facit Deus videns hominem peccato animæ vitam amisisse? Panem ei de Cœlo retulit & cibum, scilicet scientiam Dei & voluntatem Patris, panem intellectus & vitæ, fidei & charitatis. Hæc est vita æterna vt cognoscant te, &c. Notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, &c.

C

Ioh. 17.

Hinc Matth. 4. dicit: Non in solo pane viuit homo; sed de omni verbo quod procedit de ore Dei. Similiter & Iohan. cap. 4. vt exemplo suo doceret nos, quo nunc pane vesci debeamus, Apostolis suis dicentibus; Rabbi manduca. Respondit: Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius. Opus quidem eius ac cibus conuersio tunc erat Samaritanæ, salúsque omnium, iuxta voluntatem æterni Patris. Ita hodie post distributionem, & multiplicationem quinque panũ, videns IESVS quia hæc multitudo magna sequebatur ipsum, non quia signa viderant, sed quia mãducauerant ex quinque panibus, & saturati erant, dicit eis: Operamini iam cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Quasi diceret: nõ debetis amplius quærere saturitatem ventris, sed mentis, quærere non panem hordeaceum corruptibilem, & qui perit, sed quærere & operari cibũ qui permanet, scilicet gratiam, virtutes & bona opera. Sic enim intellexerunt qui audiebant, cùm ideo interrogant: Quid faciemus vt operemur opera Dei? hunc cibum & panem qui permanet in vitam æternam? Respondit IESVS: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille, id est, in me, & fidem cum charitate & bonis operibus coniunctam habeatis. Hic est spiritualis panis quem prouidit Deus Ecclesiæ suæ, & Apostolis post se, Doctoribúsque commisit distribuendum turbis. Euntes docete omnes gentes, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Nunc autem illud Isaiæ dixit Apostolis: Cum panibus (scilicet diuinę doctrinæ) occurrite fugienti. Euntes in mundum vniuersum prædicate, distribuite, & vos Christiani auditores, colligite fragmenta ne pereant.

Matth. 4.

Ioh. 4.

D

E

Quibus committitur distributio panis spiritualis.

Marc. 16.

Thren. 4.

Isa. 21.

Verùm adhuc nobis occurrit in hoc 6. cap. Ioh. quartus panis. Mãna est quod pluit Deus in deserto, & prouidit vt pater filiis Israël per 40. annos, Angelorum opera distributum ipsis, vt ait Dauid; Mandauit nubibus desuper, & ianuas cœli aperuit, & pluit

4. Panis figuratiuus.

Psal. 77.

& pluit illis manna ad manducandum, & panem Cœli dedit eis, panem Angelorum mãducauit homo, id est, factum & distributum per Angelos; cibaria misit eis in abundantia, manducauerunt, & saturati sunt nimis. Et hoc est quod Iudæi hoc Iohãnis cap. opponunt Christo, & dicunt, cùm audientes loquentem ipsum de hoc spirituali pane bonorum operum & fidei in ipsum, statim dicunt ei. Quod ergo tu facis signum vt credamus tibi? Patres nostri, inquiunt, manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est, panem de cœlo dedit eis manducare. Panis autẽ iste tantùm figuratiuus erat, & non verus, sicut dixit eis IESVS. Amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de Cœlo, scilicet verum, sed Pater meus dat vobis panẽ de Cœlo verum. Panis enim Dei est qui de Cœlo descendit, & dat vitam mundo. Ego sum panis vitæ & viuus; si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.

5. Panis verus & diuinus.

Hic est noster quintus panis ac vltimus, cœlestis & diuinus, solus verus & viuus, & qui dat vitam mundo, scilicet Eucharisticus. Patres vestri, ait Dominus, manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt; qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Hic est panis quem significauit manna, omni suauitate repletum, incomprehensibilitate & admiratione, vt in Exod. videre est: & hũc hodierna quinque panum multiplicatio præfigurauit, disposuitque humana corda ad tanti fidem mysterij. & hoc notate, obsecro. Antea istud multiplicationis miraculum operatur Christus: accepit panes, & cùm gratias egisset, distribuit discũbentibus quantum volebant, & secũdum S. Matth. acceptis quinque panibus, aspiciens in Cœlum, benedixit, fregit, & dedit discipulis panes: discipuli autem turbis; & manducauerunt omnes, & saturati sunt.

Exod. 16.

Matt. 14.

Has quæso circunstantias perpendite, & quomodo etiam exinde, & statim post, occasionem capit loquendi de illo suauissimo pane & vero, pane viuo & vitæ, pane qui de Cœlo descendit, pane qui caro ipsius est, & dat vitam manducanti, pane inquam, in benedictione, multiplicatione, miraculo, & institutione cuius easdem penitus circunstantias pridie quàm pateretur Christus obseruauit. Discumbentibus discipulis accepit IESVS panem, & gratias agens, benedixit, fregit, & dedit eis dicens: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis datur; & iuxta Apostolum, tradetur. Hoc facite in meam commemorationem; aliis, post me, distribuite. Ecce enim ego dispono vobis regnum meum, id est, Ecclesiam, sicut disposuit mihi Pater, vt edatis super mensam meam, & panem hunc vitæ aliis conseratis.

Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22.

Circumstantia in quinq. panum multiplicatione seruata in institutione Sacramenti Eucharistiæ.

O potentes & fœcundissimæ manus Christi! Hodie paucos panes accipiunt, & benedicens in alimentum quinque millium hominum conuertit & multiplicat, vnus sufficit vt alantur mille. Tantùm quinque sunt panes, & ecce quinque millia hominum enutriuntur, & adhuc duodecim cophini fragmentorum supersunt. Sed ô potentiores manus in pridie mortis & Crucis! Accepit IESVS panem, & in suum conuertit corpus ad alimentum omnium hominum. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita & accipiens panem, gratias egit, fregit, & dixit: Accipite & comedite, hoc est corpus meum.

In manibus Christi potentia & virtus.

Hodie illi homines cùm vidissent quod IESVS fecerat signum, scilicet quod in eius manibus, & discipulorum panes multiplicabantur, dicebant quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.

Interim adhuc signum aliud maius diuinitatis eius quærunt, & proponentes signum quod à Moyse acceperant, scilicet manna, quod cadens in terram in similitudinem pruinæ, omnes in admirationem & stuporem rapuerat dicentes, Manhu? Christo dicunt similiter; Quod ergo tu facis signum vt credamus tibi? Quidnam præterea operaris? Ecce ô Iudæi, ecce ô Capharnaitæ, ô filij Israël, non Moyses, ait Dominus, sed Pater meus dat vobis panem de Cœlo verum, & dat vitam mundo. Ego sum panis vitæ: ego sum qui de Cœlo descendi. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Hoc miraculum maius est, quod in manibus meis & discipulorum in nouissimis diebus abundantioris meæ charitatis facturus sum: signum est potentiæ meæ & diuinitatis, mysterium fidei, & omnium memoria mirabilium meorum. Verè memoria mirabilium Dei, in natura, gratia, & gloria.

Eucharistia memoria mirabiliũ Dei. 1. In natura.

In natura fecit Deus omnia ex nihilo, & in illo Sacramento & mysterio facit Deus desinere id quod erat, & conuerti in id quod non erat. In natura Deus vnam substantiam in aliam conuertit; terram in Adamum, & substantiam panis & cibi in nostram; & in hoc mysterio conuertitur substantia panis in substantiam corporis Christi. In natura nutrit Deus, & conseruat omnia paucitate seminum, & in hoc Sacramento & mysterio omnes animas Deus pascit hoc vnico grano frumenti cœlestis. In natura Deus videtur magis potens & admirabilis in minimis, vt in formica, in qua omnes naturæ gradus qui in Elephantum mole habentur, compendiosè continentur; & in hoc Sacramento sub exiguis speciebus continetur, qui continet omnia.

Sicut autem in natura, sic in gratia omnium adhuc mirabilium Dei est memoria, vbi illa velut in proprio fonte degustatur. In gratia Incarnatio est Verbi, & illud mysterium extensio quædam Incarnationis est. In gratia Deus nascitur in stabulo, & moritur in Cruce; & in hoc mysterio conficitur caro Christi in Altari, ibique offertur: præterquàm quod adhuc passionis eius & mortis commemoratio est; pridie enim quàm pateretur instituit, & ait, hoc facite in meam commemorationem. Vnde veritas simul, & commemoratio est. In gratia ad vitam nostram surrexit; & in vsu huius mysterij dicit: Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

2. In gratia.

Sed quid dicam, nisi quia etiam in gloria omnium mirabilium Dei memoria est singularis? In gloria præsentia Dei est ac vnio; & in hoc mysterio dicitur: Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo. In gloria confessio est laudis; & in hoc mysterio edent pauperes & saturabuntur, laudabunt Dominum qui requirunt eum. In gloria illuminatur intellectus, & accenditur voluntas; & hoc Sacramentum, fidei mysterium est & diuini amoris. In gloria est impeccabilitas; & in hoc mysterio ante omnia requiritur peccatorum ablutio atque remissio. Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. Vnde sicut manna fuit figuratiuus panis huiusce panis veri, & multiplicatio hodierna quinque panum, ratio atque præparatio ad istius fidem: sic spiritualis, qui fidei est, & obseruationis mandatorum Dei, dispositio est ad ipsius vsum & manducationẽ dignam;

3. In gloria.

1. Cor. 11.

quia hic solus est panis cœlestis, diuinus & verus qui omne delectamentum in se habet,& omnium mirabilium Dei operum memoriale est, naturæ, gratiæ, & gloriæ; vt in participatione ipsius cum omni Ecclesia clamemus: O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis,mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur Christus IESVS, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.

DE DIVINO CVLTV, & reuerentia Templis, rebúsque sacris exhibenda.

Ascendit IESVS *Hierosolymam, & inuenit in Templo vendentes, & dixit eis: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Iohan. 2.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

IAM pro secunda vice nobis Ecclesia zelum Christi contra profanatores domus Dei Patris exponere voluit. Ita legimus bis in ardore zeli vẽdentes de templo eiecisse; hodie primò, secundo autem post baptismum suum anno, cùm iam in Cana oppido Galilææ, suam gloriam demonstrasset, volens adhuc manifestare illam amplius tempore Paschatis & solemnitatis Iudæorum. Ascendit IESVS Hierosolymam, ait S.Ioh. & inuenit in Templo vendentes, &c. & cùm fecisset quasi flagellum ex funiculis omnes eiecit de Templo. Mirabile prorsus Christi factum. Adhuc Iudæis ignotus,& nulla apud eos authoritate valens, vir simplex & pro filio fabri communiter habitus; valet tamen ita terrere eos, vt tunc in conspectu Sacerdotum præparatas hostias, & earum venditores,arrepto ex funibus flagello, audeat de Templo eiicere, iam eis demonstrans, tam in opere & sermone, quàm etiam in specie & facie, vt notauit S.Hieron. majestatem & signum diuinitatis.

Bis eijcit Christus vẽdentes de Templo. 1.Eiectio.

S.Hieron. 2. Eiectio. Matth.21.

Secunda eiectio notatur Matth. 21. & de qua Ecclesia iam mentionem fecit secunda feria post Dominicam primam Quadragesimæ, quando iam multis miraculis clarus,& authoritate summa insignitus, pompa celebri cum ramis & clamoribus à populo paucis ante mortem diebus Hierosolymæ exceptus est,ingressúsque Templum cœpit,vt hodie eiicere omnes vendentes & ementes,mensásq; nummulariorum euertere,dicẽs.Scriptum est:Domus mea, domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Et recordati sunt discipuli eius quia scriptum est; Zelus domus tuæ comedit me.

Ecce iustissima causa & ratio ardentissimi furoris, & exactissimæ animaduersionis Christi in eos omnes qui Templum Dei violant,& diuinum eius cultum pro nihilo habent. Cur inquam bis in tales profanatores tam seuerè inuehit, & cur etiam bis hoc nobis Ecclesia repræsentat. Certè vt agnoscamus nihil tam Deo displicere quàm rerum sacrarum cõtemptum, Ecclesiarúmque profanationem.

A *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam domum negotiationis & speluncam latronum.

Hic quidem de reuerentia exhibenda Ecclesiis loqui conuenit, de modo negotiandi spiritualiter cum Deo,& quomodo seueriùs in eos agit qui sacra prophanant. Tria puncta sunt.

Quantum ad primum. Ratio reuerentiæ & exhibendi cultus est, quia locum hunc sibi elegit,& sanctificauit Dominus,vt habitet in medio nostri, promptiúsque nobis conferat effectus præsentiæ suæ. Ideo Exod.25. dixit: Facient mihi tabernaculum,& habitabo in medio eorum,scilicet ad vsum

1. Punctum. Quare debetur reuerentia & cultus Ecclesiis. Exod.25. Item Exod. 3.

B quem diximus. Sic Moysi accedenti ad rubum ardentem,in medio cuius Deus erat, præceptum est vt calceamenta de pedibus solueret. Locus enim in quo stas, dicit Dominus, sanctus est, terra sancta est. Et Israël qui Deum vidit, & in somnis exẽplar Ecclesiæ eius in illa scala stante super terram;& cacumine illius Cœlum tangente, Deo innixo scalæ, expauescens dixit cùm euigilasset de somno. Quàm terribilis est locus iste! Non est hîc aliud nisi domus Dei,& porta Cœli. Verè Dominus est in loco isto,& ego nesciebam. Quare etiam Dominus ipse præsentia & expressis verbis declarare voluit, qualem honorem talibus locis reddere debeamus:

Gen.28.

C cùm apparens nocte Salomoni post domum constructam, dicit ei. Elegi locum istum mihi in domum sacrificij,oculi mei erunt aperti,& aures erectæ ad orationem eius qui in loco isto orauerit. Elegi enim, & sanctificaui locum illum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Iuxta quod etiam impleuerat ante majestas & gloria Domini domum Domini. Verè locus iste sanctus est, honore magno & reuerentia dignus; locus præsentiæ & majestatis Dei. Sed quantò magis Ecclesiis nostris quàm Templo Hierosolymitano deferre honorem debemus?

2.Paral.7.

3.Reg.8.

Quod augustum, sanctum & venerabile hoc Salomonis Templum reddebat, nebula fuit exi-

Præfertur Ecclesia Templo Salomonis.

D gua operiens illud, Arca fœderis,paruula vrna quæ duas tabulas legis, manna & virgam Aronicam, seu Pontificiam continebat. Item propitiatorium, quod erat locus oraculi, & responsionum: mensæ & panes propositionis: æneum mare ad ablutionẽ victimarum: Altare holocaustorum: thymiamatis, seu incensi: sacer ignis, & candelabra aurea: Cherubim,& Sancta Sanctorum,&c. Hæc sunt omnia, & multa alia quæ vetus istud Templum augustum reddebant. Nostrum verò quod nouæ legis est, atque in quo quotidie versamur, venerabile reddunt & augustissimum, non nebula, sed Spiritussancti præsentia: majestas & gloria simul cum humilitate Verbi incarnati, & Emanuelis Christi,qui est no-

E biscum Deus. Non Arca & propitiatorium, sed Christus plenus gratiæ & veritatis,dicit Iohannes, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, ait Paul. qui est Legislator noster, Pontifex noster, & propitiatio pro peccatis, propitiator,& propitiatorium,oraculum omnis veritatis, veritas ipsa, & os Patris, vt Apostolus dicit; Multifariam multísque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè loquutus est nobis in Filio,per quẽ fecit & sæcula. Deniq; Templũ nostrum est,in quo hodie mensa est sacra & Altare tremendum, propositúsque panis ipse Christus. Ego sum panis viuus. Panis quem ego dabo caro mea est. Caro mea verè est cibus. Accipite, hoc

1.Ioh.1.

Hebr.1.

hoc est corpus meum. Accipite,& comedite,&c.

Leuit.24.

Differentia inter panem propositionis & Dominicum.

In Templo veteri proponebatur vt esset in monimentum futuræ oblationis Domini. Leuit. 24. In nostro autem nouo Templo viuus hic panis proponitur in memoriam oblationis præteritæ Domini Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Quod Paulus repetit dicens: Quotiescunque manducabitis panem hunc, &c. mortem Domini annunciabitis donec veniat. Panis iste, ô hæretice, non est laicus, non profanus, aut vsitatus panis, sed, vt sicut Achimelech Sacerdos ad Dauid, ita dicam, panis sanctus qui non datur nisi mundis; panis est qui de cœlo descendit, panis Angelorum & hominum Deus, Christus ipse homo-Deus: pinguis iste est panis Christi, & præbebit delicias Regibus. Panibus propositionis solis Sacerdotibus licebat vti: hunc autem panem cœlestem sumere licet non tantùm Sacerdotibus, sed etiam omnibus Christianis; & præterea omnium est memoria mirabilium quæ nobis in sua morte Deus fecit, iuxta Dauid, qui hoc in Psalmo suo optimè agnouit dicens: Memoriam fecit mirabilium suorum. Escam dedit timentibus se misericors Dominus; panem propositum omnibus.

Luc.22. 1.Cor.11. 1.Reg.21. Psal.118.

Prosequar, ampliúsque dicam. In nostro Templo plusquàm mare æneum est, in quo abluebantur victimæ, vbi scilicet apud nos est baptismus in remissionem peccatorum. Plusquàm Altare holocaustorum, vbi est Altare hostiæ viuentis, rationabilis & diuinæ Christi Domini: vbi denique est Altare pœnitētiæ, & tribunal Confessionis, in quo quotidie animæ contritæ & mortificatæ immolantur Deo vt victimæ. Plusquàm Altare thymiamatis, seu incensi, vbi de cordibus charitate inflammatis exeunt continuæ ad Deum preces, orationes mentales & vocales, publicæ & particulares. Domus mea domus orationis est. O qualis odor incensi orationes sunt Sanctorum! Adhuc in Templo nostro est plusquàm sacer ignis, qui egressus à Domino semper ardebat in Altari, vbi Spiritussanctus in linguis igneis ad nos descendit: & in perpetua charitate nobiscum accensus manet in cordibus, sicut Dominus dixit: Ignem veni mittere in terram; diffusaque sic illius gratia est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

Leuit.9. Luc.12.

In Templo veteri candelabra decem aurea erant & lucentia. In nostro autem sunt Doctores innumeri ardentes & lucentes ante Deum, in opere & sermone, de quibus scribitur; Vos estis lux mundi. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.

Matth. 5. Marc.vlt.

In veteri Templo Cherubini erant, scilicet imagines & figuræ. O hæretici hæc intelligite. Et in nostro non solùm eorum imagines sunt vt Sanctorum, sed etiam eorum præsentia, vt per figuram vidit Iacob in scala sua. Vnde S.Bern. postea sic loquitur. Omnino, ait, nos oportet in oratione (& orationis domo) Curiam intrare cœlestem. Quanta ergo cum reuerentia & humilitate illuc accedere debet à palude sua procedens & repens ranuncula vilis? quàm tremens & toto intentus animo majestati gloriæ in præsentia Angelorum, & congregatione iustorum assistere? Ita S.Basil. illum exponens versiculum; *& in Templo eius omnes dicent gloriam* vbi ait. Assistunt Angli verba describentes. Adest & Dominus intrantium affectus considerans.

S. Bern. Ser. de 4. modis orandi. S. Basil. homil.6. in Ps. 28.

Sed pergamus, & hoc primū punctum finiamus. Inter cætera quæ huic Templo veteri honorem & gloriam conferebant, duo loca erant præcipua, quę vocabantur Sancta, & Sancta Sanctorum. Ingressus in Sancta, vbi Altare erat incensi, non permittebatur nisi solis Sacerdotibus. Sic Luc. 1. legimus, Zachariam patrem S.Iohannis ingressum in Templū in ordine vicis suæ, vt incensum poneret. Omnis autem multitudo populi erat orans foris hora incensi, scilicet in atrio quod erat prima pars Tēpli. Quæso reuerentiam agnoscite. Sed adhuc videte amplius. In Sancta Sanctorum, vbi Arca testamenti erat & propitiatorium, non licitū erat ingredi nisi summo Sacerdoti, & adhuc semel in anno; tanta reuerentia erat quam Arcæ ligneæ erat & tabulis lapideis deferebant. Nos autem quibus & melius, & maius Templum contigit, quibúsque nunc omni legis seruitute liberatis datum est non solùm intrare in atrium, sed etiam ad Sancta, & Sancta Sāctorum accedere, ad Altare sanctius diuiniúsque, vbi ipsius summi Dei præsentia est & gloria Majestatis, coràm intueri mysteria quæ in eo fiunt, & eorum fieri participes. Nos inquam, quibus eiusmodi gratia data est, absque reuerentia aderimus? & flens dico, quæ Dei sunt, ipsius cultus, & Religionis profanabimus & conculcabimus? An ignoratis quia vltor iniquitatum est, scandali, omniúmque abominationum, quæ in eius domo, & in oculis fiunt? Si armatus zelo gloriæ suæ hodie negotiatores de Templo Hierosolymitano eiicit: quid faciet illis qui polluunt Templum sanctum eius, diuinæque præsentiæ & Majestatis oraculum? Nūquid enim magna est gloria domus istius nouissimę plusquàm primæ? vos autē illā fecistis speluncā latronum, & domum meam, domum patris mei, domum negotiationis. Quid est quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Pauete ad Sāctuarium meum, & nolite facere domū Patris mei, domum negotiationis. Si qua negotiatio facienda sit, expedit & oportet vt sit non diabolica & carnalis, sed spiritualis & diuina.

Quibus permittebatur ingressus in Sancta. *Et quibus in Sancta Sanctorum.* Ierem 11. Leuit.26.

Punctum hoc secundum est. S.Chrysost. in Genes. dicit Ecclesiā locum esse medicinæ spiritualis. Ecclesia, inquit, locus quidam est medicinæ spiritualis, & eos qui huc veniunt decet ne domum redeant nisi congrua remedia acceperint, illáque suis vulneribus adhibuerint. Et ad popul. Antioch. docet locum esse commercij spiritualis, hac comparatione. Mercator, ait, non propter hoc nauigat, vt tantùm nauiget, sed vt peregrinatione rem faciat maiorem. Sic nos in Ecclesiam conuenimus, non propter hoc solùm, vt illic immoremur, sed vt magnum aliquod lucrari & spirituale lucrum, discedamus. hæc ille. Negotiatio quidem quam in Ecclesiis tractare oportet, salutis nostræ esse debet, vacando orationibus, lacrymis, & peccatorū confessioni, concionibus diuinis, correctioni morum, petitioníque gratiæ & regni cœlestis: denique eleuationi mentis ad Deum, ac profundæ adorationi in spiritu & veritate diuinæ Majestatis eius.

2. *Punctum.* S. Chrysost. homil. 1. in Genes. Idem hom. 5. ad popul. Antioch. *Ecclesia locus commercij spiritualis.*

Magnum certè lucrum reportat, qui in Ecclesia ardentes fundit ad Deum preces. Oratio in medio fornacis ardentis extinxit impetum ignis. Oratio in mediis castris ac certaminibus Solem stare fecit in medio sui cursus. Oratio Prophetæ, sc. Eliæ, in domo viduæ mortuum suscitauit, farinā auxit & oleū. Et quid in Ecclesia faciet, quę dom⁹ orationis est, & in qua ex verbis ipsis & testimoniis Dei, eius oculi aperti sunt, & aures erectæ ad orationē eius qui in isto loco orauerit? Magnum certè lucrum reportat, qui in Ecclesia confessione peccatorum suorum remissionem recipit & gratiam. Magnum lucrum,

Laudes orationis Dan. 3. Iosue 10. 3.Reg.17.

qui in Ecclesia auribus verba vitæ, Eucharistiam pectore, & animo mysteriorum diuinorum fructum & vnctionem percipit. Magnum denique & in Ecclesia lucrum reportat, qui perituro tempore exiguóque diuitias nunquam perituras comparat. Qui non amplius in vmbris & figuris, vt olim Hierosolymis, in vanitate & errore, vt inter Samaritanos in monte Garizim; sed in spiritu & veritate Deum adoramus, magnum quidem inde lucrum reportamus; in veritate contra Samaritanos qui in errore adorabant: in spiritu contra Iudæos qui solùm in figuris adorabant. Et hic est sensus litteralis ex Theophylacto. In veritate adoramus, in vera fide & cognitione, quam Samaritani, pagani, & hæretici non habent. In veritate adhuc, id est, non in figura amplius, & ceremoniis carnalibus, sicut olim Iudæi; sed in veritate & spiritu, id est, ex intimo corde & affectu interno, qui sit conformis cultui & honori externo. Ita vt adoratio nostra sit adorato conformis, qui est spiritus & Deus: cultúsque noster sic Deo exhibitus, de spiritu procedat, & ad instar iusti senis Simeonis veniamus in spiritu in Templum.

Theophyl. *Quomodo in veritate Deus adorandus.*

Luc. 2.

Sed heu! quidnam eò sæpius deferimus? Corporis, & non spiritus præsentiam: oculos carnis, & non mentis. Verùm sæpius etiam contingit nos huc in spiritu venire; sed quo spiritu? non quidem Dei & deuotionis, sed alios cum spiritu fornicationis: (& flens dico,) alios vanitatis & ambitionis, vt videantur ab hominibus, & primos accubitus teneant: alios cum spiritu auaritiæ & rerum sæcularium: alios cum spiritu loquacitatis, detractionis & scandali. Et flens dico; pauci sunt qui in spiritu deuotionis, humilitatis, reuerentiæ & recollectionis veniunt. Deus in loco sancto suo, & tu ipsum profanabis? Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, inquiebat Rex iste: & tu vilis homuncio & peccator profanabis? Custodi pedem tuum, dicit Ecclesiastes, ingrediens domum Domini, & appropinqua vt audias. Quasi diceret: humiliter ingredere & cum reuerentia; terra enim sancta est in qua stas, & cum ingressus fueris, collige animum, & attentus esto quæ ibi sunt mysteriis.

Eccl. 4.

S. Chrysostom. in Epist. ad Hebr. ait: Stat Sacerdos Dei orationem offerens cunctorum; tu autem rides nihil timens? non contremiscis? non colligis teipsum? & in Matth. Verùm tu hæc cùm Sacerdotem videris offerentem, ne vt Sacerdotem esse putes hoc facientem: sed Christi manum inuisibiliter extensam. Scilicet vt animum ille attentum & reuerentem habeat, adeò vt Sacerdotes & Pastores exhortetur pariter, vt absque discrimine de mensa & Altari prohibeant quicunque indignè & cum irreuerentia accedit: siue quis dux militiæ sit, siue præfectus, siue Princeps diademate coronatus, siue Senator & Præses. Indignè autem si accedat, prohibe; maiorem illo potestatem habes. Propterea vos Deus hoc insigniuit honore, vt talia discernatis. Hæc vestra dignitas est, securitas, & omnis corona. S. Paul. Act. 20. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos & Pastores regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et vos omnes, ait Dominus Leuit. 26. pauete ad Sanctuarium meum, & nolite facere domum meam speluncam latronum, & domum orationis, domum negotiationis profanæ & sæcularis. Et hinc certè ratio omnis cur tam frequenter punit nos Deus.

S. Chrysost. hom. 14. in Epist. ad Hebr. Idem hom. 83. in Matt.

Act. 20.

Leuit. 26.

3 *Punctum.* Punctum tertiú est & vltimum. Legimus Deum

A Ezechieli Prophetæ facinora ostendisse quæ in Templo Hierosolymitano committebantur: deinde iussisse Israëlitas puniri, & vt à domo sua & Templo inciperent, qui puniendi prouinciam acceperant. Fili hominis, vidéstne quid isti faciunt in domo mea? abominationes magnas, quas domus Israël facit hic, vt recedam procul à Sanctuario meo. Transite vos per Ciuitatem & percutite, non parcat oculus vester, neque misereamini, & à Sanctuario meo incipite, (& ab his qui in eo habitât,) iniquitas enim domus Israël magna est nimis valde. Sic hodie Christus cœpit à Sanctuario suo & domo propria: cùm fecisset quasi flagellum ex funiculis, omnes eiecit de Templo, & dixit: Auferte B ista hinc. Et recordati sunt discipuli eius quia scriptum est; Zelus domus tuæ comedit me. Ecce quidem quod magis Deum prouocauit ad iram, profanatio domus eius. Et certè auderem dicere propter illud, sed nimis commune malum, multas plerunque perire familias: Deúmque etiam permisisse ad punitionem, Templa nostra ab hæreticis diruta fuisse. Tempus est & venit, dicit Petrus, vt iudicium incipiat à domo Dei, & hoc propter abominationes nostras. Pauete ad Sanctuarium meum, dicit Dominus, ne accipiat armaturam zelus illius, & vos percutiat morte.

Ezech. 8. & 9. *Punitio quæ oritur ex profanatione Ecclesiarum.*

1. Petr. 4.

C Baltassar Rex ex eo quod vasa Templi profanauerat, biberátque in eis, & concubinæ eius, in superficie parietis aulæ Regiæ & conuiuij, videt articulos manus scribentis iudicium suum, mane, techel, phares: & eadem nocte interfectus est. Antiochus Rex eo quod Templum Domini violauerat, insanabili plaga percutitur: orabátque hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consequuturus. Sed quid dicam, cùm & Oza manum extendens ad Arcam, & tenens ne caderet, à Deo percutitur super temeritate sua, & statim moritur? Calcitrabant boues qui deferebant eam, & declinauerant. Ille non satis reuerenter accedit, vt sustineat, & iratus indignatione Dominus contra Ozam percussit eum super temeritate, & mortuus est iuxta Arcam. Sed quid de Bethsamitis iterum addam? Qui cùm ex leuitate eleuassent oculos, vt viderent Arcam Domini, & in die illa temerariè immolassent victimas Domino, ecce percussit Dominus ex eis quinquaginta millia plebis. Nos autem qui tam insolenter coram Dei Arca viuentis astamus, & tam indignè preces & sacrificia in sancto Templo eius offerimus, quam punitionem expectare poterimus? *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.*

Dan. 5.

2. Machab. 9.

1. Reg. 6.

D

1. Reg. 6.

Rex Assuerus amplius sustinere Aman non potuit, cùm supplex corruit super lectum, in quo iacebat Regina, vt veniam ab ea peteret, dicens: Etiá Reginam vult opprimere me præsente in domo mea; suspendatur. Talis irreuerentia morte est E plectenda. Et quid merebimur nos, Deo præsente, & in domo eius, gloriam illius opprimere? iniuriámque facere diuinæ Majestati eius? Reginæ, Angelis, & Sanctis, cùm adhuc supplices ad eos venimus, vt veniam nostram impetrent? Domus mea, domus orationis est, & nolite facere domum negotiationis. Domum Patris mei nolite facere speluncam latronum. In Templo autem eius omnes dicant gloriam.

Esther 7.

DE DI

DE DIVINA SCIENTIA Christi.

Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me Patris. Iohan. 7.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

SIcut proprium est Christi, quod eius gratia infinita sit: ita ad eum pertinet omnis scientiæ plenitudinem habere, increatæ diuinæ & infinitæ: creatæ infusæ & acquisitæ. Hoc comprehendit S. Iohannes dicens: Vidimus vnigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis, id est, cognitionis. Ita Baptista de eo tale testimonium discipulis suis dabat dicens: Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius. Quem misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum, (videlicet Filio.) Omnes præter ipsum ad mensuram recipiunt. Diuisiones gratiarum sunt; idem verò Deus qui operatur in omnibus, diuidens singulis prout vult. Sicut autem gratiarum, ita equidem Spiritus & intelligentiarum, vt subdit; Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, vt per altissimas veritates possit persuadere quæ ad diuinorum cognitionem pertinent, quomodo Christus dicebat: Ego dabo vobis os & sapientiam cui non poterunt contradicere aduersarij vestri. & S. Paul. Nos autem loquimur sapientiam inter perfectos. Alij sermo scientiæ, vt per notitiam creaturarum manifestentur ea quæ Dei sunt, iuxta illud; Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Hoc enim discrimen est inter sapientiam & scientiam, quod sapientia notitia sit diuinorum, scientia verò creatorum ad diuina. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem.

[Ioh. 1. — Item 3. — 1. Cor. 12. — Luc. 21. — 1. Cor. 2. — Rom. 1. — *Quid sit discriminis inter sapientiam & scientiam.*]

Alij datur fides in eodem Spiritu, id est, specialis certitudo & notitia eorum quæ supra rationem sunt ad res fidei rectè proponendas & insinuandas. Alij prophetia, quæ est diuina reuelatio inter euentus, immobili veritate res denuncians: secundum illud Ioëlis 2. Effundam de Spiritu meo, & prophetabunt filij vestri. Alij discretio spirituum, vt discernere possit homo quo spiritu aliquis moueatur, charitatis, an inuidiæ. Iuxta illud 1. Iohan. 4. *Nolite credere omni spiritui, sed probate si ex Deo sit.* Alij gratia linguarum, vt intelligatur ab omnibus, quomodo Act. post descensum Spiritussancti loquebantur variis linguis Apostoli. Alij denique interpretatio sermonum, id est, Scripturarum, vt Dan. 5. Audiui de te, inquit Baltassar Rex, quod possis obscura interpretari. Manifestatio ista Spiritus, ô hæretice, non datur omnibus; sed diuisim, & cui vult Deus. Sic huic, & sic isti. Alij sermo sapientiæ: alij sermo scientiæ: alteri fides; alteri prophetia: alteri interpretatio sermonum, vnicuique ad vtilitatem. Non enim omnia singuli habent; sed in singulis idem est Spiritus diuidens eis prout vult. Qui rerum plenitudinem habet omnium, gratiarum vt scientiarum, Christus est, vnigenitus à Patre plenus gratiæ & veritatis, & de plenitudine cuius omnes

[1. Ioh. 4. — Actor. 2. — Dan. 5.]

A acceperunt, Angeli sicut homines. Vnde sicut non ad mensuram dedit Deus ei Spiritum; ita voluit, ex Apostolo, vt vnicuique nostrûm daretur secundum mensuram donationis Christi, id est, secundum quod Christus dator est; & singulis commensurauit, vt qui omnem plenitudinem habet sapientiæ, veritatis & scientiæ Dei, & sicut dixit Apostolus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.

[Eph. 4. — Coloss. 2.]

Deus quidem notitiam habet rerum omnium, & hæc notitia comparatur thesauro. Inuocaui illam, ait Sapiens, infinitus enim thesaurus est hominibus. Thesaurus quidnam est? Multæ diuitiæ congregatæ simul, & non effusæ, sed quæ in vno aliquo omnes sunt. Hinc est quod sapientia Dei, id est, ipsius notitia quæ diffusa est in omnibus creaturis, thesaurus propriè non dicitur; sic enim legimus Eccl. 1. quod Deus extra se effundit sapientiam suam super omnia opera sua, id est, sui cognitionem, & secundum hoc non habet rationem thesauri, sed secundum quod, vt ait S. Thomas in Paulum, huiusmodi diuinæ rationes vniuntur in vno, scilicet in sapientia diuina, quę est verbum diuinum. Iuxta quod idem Eccles. dicit: Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Et quæso istud notate. De creaturis dicitur, quod Deus super illas sapientiam suam effudit; ideo non sunt illæ thesaurus sapientiæ: de verbo autem quod fons sit, vt etiam agnoscatur thesaurus, sicut dixit Apostolus, quod in Christo omnes sunt thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Fons quidem & thesaurus est, vbi simul omnia congregata inueniuntur.

[*Notitia Dei comparatur thesauro.* — Sap. 7. — B — Eccl. 1. — S. Thom. in Paul. — C]

Sapientia, vt diximus, diuinorum est cognitio: scientia verò rerum creatarum. Quare quidquid de Deo sciri potest pertinens ad sapientiam & scientiam, id est, ad cognitionem rerum æternarum & creatarum, id totum in se cognoscit Christus, & nos in illo. Ita Apostolus ait Corinthiis: Non iudicaui me scire aliquid inter vos nisi IESVM Christum. Ita cap. præcedenti. Vos estis in Christo IESV, qui factus est nobis sapientia à Deo. Scilicet ei adhærendo omnia cognoscitis.

[1. Cor. 2. — 1. Cor. 1.]

D Cùm apparuerit, ait S. Iohannes, id est, cùm reuelabitur, similes ei erimus, scilicet omnia scientes. Sicut enim qui haberet librum, vbi esset tota scientia (similitudo est S. Thomæ in Paul.) non quæreret nisi vt sciret librum illum. Sic & nos non oportet amplius quærere nisi Christum. Quare ait; In hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Ecce scientia, scire IESVM Christum. Ipsum ergo sciamus, & nihil aliud præter eum, cùm in illo sint omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.

[1. Ioh. 3. — Ierem. 9.]

Sed cur Apostolus thesaurum absconditũ ipsum appellat, videamus. Hoc quidem duplici ratione. E Prima est propter debilitatem nostri intellectus, qui ad notitiam rerum diuinarum & altissimarum attingere non potest, nisi per similitudinem rerum creatarum: vt dicitur Rom. 1. Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Hinc suis dicebat Christus: Adhuc modicum lumen in vobis est.

[*Christus thesaurus dicitur duplici ratione.* — 1. — Rom. 1. — Ioh. 12.]

Secunda est propter velamen carnis, & nubem nostræ humanitatis; Verbum enim caro factum est. Quis enim vnquam cognouisset hunc esse filium Dei, qui videbatur & reputabatur oculis omnium filius hominis & fabri? nõne Isaias hinc dixit? Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël: Deus, & thesaurus sapientiæ & scientiæ Dei verè absconditus.

[2. — Ioh. 1. — Isa. 45.]

Num.20. Quare iam cum Moyse dicam. Domine aperi nobis thesaurum tuum; nam nisi aperias semper absconditus manet: neque sapientiæ tuæ infinitæ mysteria vnquam penetrare poterimus, nisi tu manifestes. Audiamus ergo. *Mea doctrina*, inquit, *non est mea. sed eius qui misit me Patris.* Quasi diceret: quæ scio, à Patre scio, & nihil scio separatus ab eo, sed omnia in ipso scio, siue cognitione mea increata, siue creata.

Duplex in Christo scientia. Quod vt meliùs intelligatur, sciendum est in Christo secundum duas naturas quæ in ipso sunt, diuinam & humanam, duplicem etiam esse sapientiam & cognitionem seu scientiam. Increata. Vna est increata & infinita, quæ diuina dicitur, & comprehensiua, eique competit secundum quod est Deus, & Dei verbum: seu genita sapientia Patris, & perfecta conceptio eius. Ita vt quidquid in sapientia Dei Patris continetur per modum ingeniti, totum etiam in verbo per modum geniti & concepti contineatur. 1.Cor.1. Hócque modo vocauit Apostolus Christum virtutem Dei, & sapientiam Dei. Sicut enim ex vnione hypostatica verbi cum humanitate Christus Deus est: ita etiam Dei increata sapientia est, qua Deum, essentiam eius, & virtutem comprehendit, scitque omnia quæ scit & facere potest. Matth.11. Quomodo dixit: Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius; de comprehensionis quidem hîc notitia loquens, quæ diuina est & sapientia increata.

Creata. Altera dicitur creata, quæ competit ei secundum quod homo est: eiúsque anima, vt aliorum, est natura sua in potentia ad cognoscendum. Sic enim vnio naturarum facta est in persona Christi, vt tamen earũ proprietas inconfusa permanserit. Adeò vt anima ipsius creata capax & in potentia ad cognoscendum, debuerit ad perfectionem suam & operationem habere scientiam creatam.

Quadruplex scientia creata in Christo. 1 Beata. Quadruplex autem illa fuit. Prima est quæ dicitur Deiformis, seu beata, quam ab initio conceptionis habuit ex vnione verbi, & secundum quam inter omnes creaturas, plenam Dei & omnium visionem possedit, seu Deum vidit per essentiam, & omnia alia in Deo, quæcunque fuerunt, sunt & futura sunt: omnia diuina opera, & rationes ipsorũ; etiam omnia quæ in potentia sunt omnis creaturę: non autem Dei, nisi sapientia sua increata, secundùm quam & eam quæ creata est, dixit Apostolus quia in ipso sunt omnes thesauri sapiétiæ & scientiæ Dei. Sapientiæ quæ diuinorum est, & scientiæ quæ est rerum creatarum: Heb.4. hócque pacto Heb. 4. dicitur quia omnia nuda sunt & aperta oculis eius.

2 Mysteriosa, & supernaturalis infusa. Secunda post illam beatam dicitur mysteriosa, seu supernaturaliter infusa, qua nimirum vt propagator gratiæ plenissimè cognouit quidquid naturalem hominis cognitionem excedit, & solùm ad mysteria gratiæ pertinere potest.

3. Infusa ad cognoscenda naturalia. Tertia ex suo genere acquisita ad omnia alia cognoscenda, ad quæ naturalis cognitio creaturæ, Angeli, vt hominis extendit se, vel adhuc extendi potest, quæ cognitio præ cæteris in excellentiori gradu perfectionis fuit in Christo vt capite omniũ Angelorum & hominum, & à patre omni creaturæ præposito.

4. Experimentalis. Quarta dicitur experimentalis, secundum quam quæ sciebat iam aliunde, adhuc per sensus & experientiam agnouit, vt accidit aliis, & naturæ nostræ conuenit. Luca. Ita dicitur quod proficiebat IESVS sapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines: & Heb. 5. Cùm esset filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam, id est, quæ simplici scientia

A sciebat, expertus est. Hæc est diuersitas scientiarum Christi; in vna tamen proficere potuit & sumere augmentum, scilicet in experimentali & acquisita per sensus secundum successionem temporis: in aliis verò tribus nunquam. Tripliciter parte infinita dicuntur scientia Christi etiã creata. Ipsæ etiam creatæ scientiæ suo modo & triplici ratione infinitæ dici possunt, & ex parte recipientis, & ex parte doni, & ex parte causæ.

Primò, ex parte recipientis, in quantum licet omnis creata capacitas finita sit, tamen tantum recipit quantũ natura creata capax est, & esse potest.

Secundò, quantum ad donum, licèt enim adhuc omnis creata scientia secundum essentiam finita sit, tamen secundum modum & rationem dandi,
B infinita dici potest, vt quando sine mensura datur, aut restrictione, sed datur quidquid ad rationem, modum & conditionem talis scientiæ pertinere potest. Et hoc modo totum quod dari potest, recepit Christus: excepto Christo, vnus sic, & alter sic; diuisiones gratiarum sunt, Christus autem cum omni plenitudine recepit.

Tertiò, ratione causæ, in qua continetur & consideratur effectus. Illa autem est sapientia genita & increata Patris, videlicet Verbum Patri coæternum, animæ hypostaticè vnitum, propter quod dicit: *Mea doctrina non est mea; sed eius qui misit me Patris*, id est, sicut exiui à Patre, ita omnia habeo à Patre, & in Patre. Igitur cum Iudæis non dicamus:
C Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit? & vnde huic omnia? iuxta S.Marc. & quæ est sapientia quæ data est illi? Docentem itaque nos ipsum audiamus. *Mea doctrina*, inquit, *non est mea; sed eius qui misit me Patris.* Ab illo, & in illo scientiam diuinam, beatam, supernaturalem & naturalem infusam habeo, & neque sine eo experimentalem & acquisitam. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: ego autem non quæro gloriam meam, sed eius qui misit me Patris. Quæ enim mea sunt, Patris mei sunt. Doctrina mea non est mea.

Si vultis adhuc, non est mea, id est, excogitata à me & inuenta sine Patre. Adhuc non est mea
D solùm mea, sed Patris. Adhuc non est mea vt particularis, & sine authoritate missionis: ego enim à me ipso non loquor, sed quæ audiui à Patre, hæc loquor. Ioh.8. Sic dicebat Apost. quia multis modis olim Deus loquens patribus nostris in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in Filio. Hebr.1. Quare dicit ille; Mea doctrina non est mea, vt à me, neque est contraria Patri, sed est eius qui misit me. Doctrina mea est, vt voluntatem eius faciatis. Quare addit.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina mea vtrùm ex Deo sit. Non cognoscunt hæretici de doctrina Christi, qui dicunt impossibile esse facere voluntatem Patris.
E Non est veritas, & non est scientia Dei in eis. Hæc summa totius doctrinæ Christi est, ô Christiani, & omnis perfectio nostra facere voluntatem Patris. Ecce quid nos doceat, & quid ipse fecit. Ecce quid in terra verbis & exemplis prædicat, voluntatem Patris. Finis & materia doctrinæ Christi. Hic est finis doctrinæ eius & Euãgelij. Nostræ etiam vitæ sit complementum & corona, sicut prædicationis huius conclusio & finis.

Nihil prodest homini scire nisi bene agat, nisi operetur. Scientia qua bene homo viuit, ea est quã nos docet Spiritussanctus, & petebat Rex Propheta dicens: Bonitatem, & disciplinã & scientiã doce me. Psal.118. Quod primò hic petitur bonitas est: quod secundò, disciplina & fidelitas ad rectè obseruanda mandata

mandata diuina: quod verò vltimò, est sciẽtia. Hæc itaq; scientia est Christiani hominis, bene implere mandata Dei: & hæc est doctrina Christi hodie dicentis; Si quis voluerit voluntatem patris facere, cognoscet de doctrina mea: de se etiam dicentis; Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me patris. Denique docentis nos sic orare & petere, vt à nobis talis fiat & impleatur voluntas sicut in cœlo & in terra.

Ioh. 6. Matth. 6.

Quatuor implenda in nobis ex voluntate Dei.

1\. Sciendum autem quatuor esse implenda in nobis ex voluntate Dei. Primum est, vt ad vitam æternam perueniamus, ad quam creati sumus. Neque enim Deus vanè constituit omnes filios hominum, vt inquit Dauid, sed illis vult & procurat gloriam quantum potest. Hæc est voluntas patris qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Ista autem voluntas iam completur in sanctis & beatis in cœlo, qui Deum vident, & amant, eóque fœliciter perfruuntur. Vnde petimus quotidie, vt sicut hæc voluntas iam completur in cœlis inter beatos; sic in terris compleatur inter nos, ad illam vitam & gloriam incessanter aspirantes.

Ioh. 6.

2\. Vnde secundum est, vt mandata seruemus, sine quibus ad illam vitam beatam perueniri non potest, vt ait Dominus; Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Hæc autem voluntas in iustis impletur, qui cœli sunt: nondum in peccatoribus, qui terra sunt. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.*

Matth. 19.

3\. Tertium est, vt restituatur homo ad pristinum statum conditionis suæ, innocentiæ & iustitiæ: perfectè spiritus subiiciatur Deo, & caro spiritui. Hic autem status perfectè in omnibus non erit nisi in resurrectione mortuorum, vbi mortale hoc & corruptibile incorruptionem induet & gloriam: vbi etiam ex voluntate Dei omnia mutabuntur in melius.

4\. Interim quartum est in terra quod Deus requirit de nobis, scilicet vt perfectè, & semper voluntati eius & prouidentiæ subiiciamur in omnibus.

Quinque signa diuinæ voluntatis.

In voluntate diuina, seu prouidentia, quinque sunt quæ dicuntur signa voluntatis diuinæ, tam respectu mali quàm ratione boni, signa dico quibus illa diuina voluntas dignoscitur, nimirum prohibitio & permissio respectu mali: præceptum, consilium, & operatio respectu boni. His autem positis, accidit vt diuina voluntas semper sit aut rerum præsentium, aut futurarum: non est enim propriè voluntas præteritorum. Vnde si præsentium est, refertur ad permissionem & operationem: ad permissionem quæ respicit malum præsens: ad operationem quæ respicit bonum. Si verò est futurorum, refertur ad prohibitionem respectu mali, ad præceptum respectu boni necessarij, & ad consilium respectu boni superabundantis.

Quibus modis referatur diuina voluntas ad præsentia & futura, & discrimen.

De his autem signis voluntatis diuinæ hoc est notandum, quod præceptum dicit obligationem ad bonum faciendum: prohibitio ad malum vitandum: consilium notitiam præmij, aut supplicij, si fiat, vel non fiat id quod consulitur: permissio priuationem dicit impedimenti malorum; estque signum diuinæ voluntatis, non quidem respectu mali quod accidit, sed respectu boni quod ex malo permisso trahitur: non enim Deus permitteret malum absolutè, nisi etiam ex eo bonum aliquod eliceret, vt in tentationibus patet, & in aliis etiam peioribus malis. Operatio verò dicit actum ipsum in re, & bonum præsens, per quod refert Deus creaturam ad se.

His autem omnibus modis quod prætendit A Deus, est vt in omnibus conformes simus diuinæ voluntati eius, faciendo quod præcipit, fugiendo quod prohibet, colendo quod consulit, tolerando quod permittit, & conseruando quod agit. Ita vt conformitas nostra eò veniat, vt quod ille vult, nos velimus, & quod vult nos velle, velimus quia vult, & eo modo quo vult. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Ecce scientia Dei, & doctrina Christi, facere voluntatem patris. Qui facit, Christo est conformis. Vnde qui sic voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina Christi.

B DE PRÆDESTINATIONE.

In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant. Iohan. 9.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

COELESTIS medicus venit IESVS Christus, & ante nos hodie præterit omnem languorem sanans & morbum. C Centurioni Cornelio S. Petrus dicebat: Verbum misit Deus filiis Israël annuncians pacem per IESVM Christum, (hic est omnium Dominus) qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes, quoniam Deus erat cum illo. Hodie præteriens IESVS vidit hominem cæcum à natiuitate, & facto luto ex sputo liniens super oculos visum ei restituit. Præterit IESVS exiens de Templo & Synagoga Iudæorum, sed non præterit nos, cùm oculos suæ misericordiæ & bonitatis in tenebras nostras, & miserũ statum cæcitatis nostræ coniicit, & conuertit. Quãdiu sum in mũdo, ait, lux sum mundi. Ecce, dicit S. Ambros. quasi lux Christus tetigit cæcũ, & lumen infudit, oculi Sole clariores, D oculos obscuriores tenebris illuminarũt, oculos cæci à natiuitate. Isti sunt duo oculi, qui vt duo sydera lucentia cœli hodie enarrant gloriam filij Dei, & opera manuum eius. Discipuli eius videntes hunc hominem qui sedebat & mendicabat olim, cæcum à natiuitate, dixerunt: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit IESVS. Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo, & ex præsenti miraculo, quis sim ego, eius & omniũ oculis appareat. Oportet me igitur operari opera eius qui misit me, donec dies est, id est, tẽpus ostensionis meæ & operationis. Quandiu sum in mundo, lux sum mundi, & lux huic cæco. Hæc E cùm dixisset, expuit in terram, & fecit lutum, & liniuit super oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloë, quod interpretatur Missus. Domine, tu es Missus, & non minus piscina & fluuius Siloë ad lauandum, quàm lux mundi ad illuminandum. Abiit ergo cæcus & lauit, & venit videns. Cœli enarrant gloriam Dei, inquit psaltes. Sed Domine, oculi cæci nati & illuminati hodie gloriam filij tui dicent, & potentiam eius loquentur. Neque peccauit hic, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo.

Act. 10.

S. Ambros. epist. 75.

S. Gregorius in præfatione lib. Iob. diuersos modos refert quibus Deus homines affligit. Vnus est pro præterita, aut præsenti culpa, vt absque

S. Gregor. in præf. lib. Iob. cap. 5.

Diuersi modi hominis affligendi.

retractatione & ex iustitia puniatur aliquis. Sic dicitur apud Ieremiam de peritura Iudæa: Castigabo te in iudicio, ô Israël, vt non videaris tibi innoxius. Plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. Quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua, feci hæc tibi. Ita in Deuter. pro præuaricatione legis Domini, inter multas maledictiones futuras & pœnas peccati, hæc numerabatur. Percutiat te Dominus cæcitate & furore mentis, vt palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas, omnique tempore calumniam sustineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te. Audiant hæc qui præcepta & meliora, & maiora violant. Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, mendacium, homicidium, furtum, adulterium inundauerunt. Propter hoc lugebit omnis terra, dicit Osee Propheta noster.

Ierem. 30. Deut. 28.

Alterum afflictionis genus est ad culpæ præteritæ punitionem simul & correctionem, videlicet vt nos emendemus. Ita dixit Christus Dominus homini iacenti in piscina, & triginta octo annos habenti in infirmitate sua, tuncque sanato: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Ioh. 5.

Tertium genus afflictionum est pro futura culpa vitanda. Ita Apostolus de se ait: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ.

2. Cor. 12.

Quartò denique permittit afflictionem Deus, non pro culpa vlla præterita, præsenti aut futura vitanda, sed vt sola Dei potentia & virtus innotescat; vt hodie accidit in Euangelio. Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo. O cæcum à natiuitate fœlicem, cuius oculi illuminati mundum illuminant, & reuelant hominibus gloriam filij Dei, coram vicinis, Iudæis, parentibus, atque etiam in conspectu & coram oculis Domini! Vicini dicebant qui viderant eum priùs: Numquid hic est qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant, quia hic est. Alij autem non, sed similis ei. Ille verò, quia ego sum. Interrogant quomodo aperti sunt oculi, & respondet. Ille homo qui dicitur IESVS, lutum fecit, & vnxit oculos, &c. Adducunt ad Pharisæos, qui rursus interrogant, & idem respondit eis. Et ecce schisma inter eos, quousque interrogatus denuo quid sentiret de eo, respondet altiùs, quia Propheta est. Non credunt, sed vocant parentes eius, qui etiam interrogati, de filio suo dant testimonium quia cæcus natus est; de cætero quod ei accidit nihil amplius sciũt. Ipsum interrogate, inquiunt, ætatem habet. Vnde iterũ vocatus, & interrogatus coram cunctis dat gloriam Deo, veritatem facti cõfirmans, & ipsis testimoniis Dei, & cõsilio dato eis vt fiant discipuli eius, quousq; foras eiectus, & denuo inuentus à Christo, ipsum Dei filiũ in præsentia omniũ agnoscens adorauit. Audiuit IESVS (refert Euangelista) quia eiecerunt eum foras, & cùm inuenisset eum, dicit ei. Credis in filiũ Dei? & ille. Quis est, Domine, vt credam in eum? & Dominus; Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. Tunc ille; Credo Domine, & procidens adorauit eum.

Nunc omnes audite & intelligite. Publicè & coram omnibus pauper & cæcus illuminatus reuelat & prædicat sapientiam Dei absconditam in

A mysterio, & adorat, quam nemo Principum & sapientum sæculi agnoscere voluit, & potuit; vnde quidem Christus ex consilio, eaque occasione nata dixit; *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* O formidabile Dei iudicium & admirabile! quis non pauebit? Recordor quod ait senex & iustus Simeon B. Virgini: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël. Sic ipsemet dicit hodie; *In iudicium veni*, &c. Luc. 2.

S. August. interpretatur in iudicium discretionis, quo improbi discernuntur à bonis, superbi à paruulis & humilibus, reprobi à prædestinatis, occasione sumpta Iudæorum & Pharisæorum, qui in B lumine & veritate proposita obcæcati sunt, & videntes non viderunt. Gentilium è contrà, qui à cæcitate sua & tenebris illuminati fuerunt, & ad veritatis notitiam peruenerunt.

S. August. *Quomodo intelligitur Christum in iudicium venire.*

In iudicium ego in hunc mundum veni, secundum doctissimum Maldonat. ad declarandũ prouidentiam Dei patris, & vt per me iudicium eius & decretum admirabile compleatur, Quomodo apud Matthæum dicebat: Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quia abscõdisti hæc à sapientibus & prudentibus, reuelasti autem ea paruulis. Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te, sic prouisum, sic decretum. In hoc ego iudicium veni, vt manifestetur & impleatur hodie, scilicet vt qui non vi-C dent, videant, & qui vident, cæci fiant: vt sicut in cœlo Angelos superbos deiecisti, & eorum lumen obnubilasti; ita in terra nimiùm elatos deprimas, eleues autem paruulos: oculis eorum qui vident, tenebras infundas, lucem autem illis qui antea non videbant; reprobentur superbi, & prædestinentur humiles.

Maldonat. Matth. 11.

Hæc sunt Dei iudicia, quæ admirabatur S. Paul. dicens: O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius! & Ecclesiastes; Alta profunditas, quis inuenit eã? Talium iudiciorum incomprehensibilis quidem est ratio, quia in eius imperscrutabili sapientia latent. Retulerat antè Apostolus ex Isa. 6. Dedit illis Deus D spiritum compunctionis (id est, inuidiæ,) oculos vt non videant, & aures vt non audiant; iuxta quod scriptum est: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videant oculis, & auribus suis audiant. Iuxta quod etiam dicit Dauid, obscurentur oculi eorum, ne videant (quantum ad intellectum,) & dorsum eorum semper incurua (quantum ad voluntatem, scilicet à rectitudine iustitiæ ad iniquitatẽ.) Hic autem Apostolus, qui omnia ista refert, de reprobatione Iudæorum loquitur, ex quorum delictis per occasionem dicit ortam esse salutem Gentibus: & ita ex eorum casu, & diminutione, diuitias prædestinationis, gratiæ & electionis ad gloriam toti E mundo fuisse exhibitas.

Rom. 11. Eccle. 7. Isa. 6. Ps. 68.

Hæc sunt Dei iudicia, propter quæ clamat Apostolus: O altitudo diuitiarum, quàm inuestigabiles sunt viæ eius! & psaltes; Iudicia Dei abyssus multa. Quod Gẽtiles assumpti sint & promoti ad dignitatem Iudæorum gentis: quod alienigenæ de longinquo veniant & recumbant cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum, filij autem regni eiiciantur in tenebras exteriores: quod videntes cæci fiant, & qui non videbant, videant: quod denique reprobentur superbi, & prædestinentur parui & humiles. Iudicia Dei abyssus multa; inuestigabiles viæ eius.

Ps. 35. *Viæ prædestinationis inuestigabiles.*

Nunc itaque de prædestinatione loquamur. Definitur

Quid sit prædestinatio.

finitur apud Apostol. altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Propterea neque prætendimus altitudinem illam ingredi: incomprehensibilia enim sunt Dei iudicia, & inuestigabiles, sicut dixit, viæ eius. Sed solùm quæ spectare possunt ad consolationem bonorum dicemus: multum enim iuuat electorum voluntatem ad bene agendum, sermo & notitia prædestinationis ipsorum.

Sex notanda in prædestinatione.

Itaque in prædestinatione sex sunt notanda, voluntas, vel æterna Dei dilectio, quæ præcedit omnia, vult enim primò Deus homini bonum, & salutem eius. Deinde mediorum cognitio, electio, vocatio, iustificatio, magnificatio, vel gloria. Ephes. 1. & Rom. 8. hæc omnia designantur.

Ephes. 1. Rom. 8.

Ephes. 1. dilectio est & electio. Benedictus Deus & pater Domini nostri IESV Christi, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per IESVM Christum secundum propositum voluntatis suæ, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, (in Christo omnia.) Rom. 8. ordine cognitio est, vocatio, iustificatio, & gloria. Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, hos & vocauit, & quos vocauit, hos iustificauit: quos autem iustificauit, illos & magnificauit, seu glorificauit.

Inter illa autem sex tale est discrimen, quod dilectio, vt iam notauimus, quæ præcedit omnia, vult salutem hominis & causat: cognitio media præparat & videt: electio tale vult bonum, scilicet præsentem gratiam: vocatio offert: iustificatio confert; & gloria consummat.

Definitio prædestinationis.
S. Tho. 1. p. q. 23. art. 1.

Iuxta quas differentias iam ponuntur diuersæ definitiones. Apud S. Thom. sic definitur prædestinatio. Transmissionis ratio creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ in Deo existens. Huius definitionis explicatio dependet ex eo quod finis ad quem creatura ordinatur ad Deum, duplex est.

Dupliciter creatura ordinatur ad Deum.

Vnus est naturæ proportionatus: alter virtutem excedens; vt, creari ad visionem Dei & fruitionem vitæ æternæ, quod est super virtutem naturæ nostræ: tunc quidem oportet vt ab alio transmittatur creatura sicut sagitta à sagittante mittitur ad signum. Quare creatura rationalis, quę ad talem finem & vitam æternam creata est, & capax dicitur perduci ad illam quasi à Deo transmissa: cuius trāsmissionis ratio in mente Dei existens, prædestinatio est, vt diximus.

Alia definitio explicatiua prioris.

Hæc definitio rursus per aliam explicari potest, quæ art. 2. ponitur. Prædestinatio, inquit, quædam est ratio ordinis aliquorum in salutem æternam in mente diuina existens. Rationem ordinis dicit, vt omnia comprehendat quæ in prædestinatione sunt; scilicet dilectionem, præscientiam, electionem, vocationem, iustificationem, & gloriam. Si quidem in vocatione, iustificatione & gloria, totius prædestinationis executio est.

S. Aug. lib. de bono perseuerant. & de prædest. Sanctor.

Multæ aliæ similes definitiones inueniuntur apud S. August. lib. de bono perseuerantiæ, & de prædest. Sanct. ex quibus omnibus hanc vnam faciemus. Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro: seu præordinatio alicuius ad gloriam.

Communis definitio.
Discrimē inter præscientiā, & prædestinationem.
Prædestinatio infallibilitatem cum libertate ponit.

Communiter autem in hoc differunt præscientia & prædestinatio, quod præscientia solam importat futurorum notitiam; vnde & de peccatis esse potest, caditque in reprobos: prædestinatio verò de bonis salutaribus tantùm est, & quandam adhuc causalitatem importat respectu illorum; non tamen rebus necessitatem imponit, cum qua seruatur semper libertas nostri arbitrij. Sic enim
A præuidet Deus aliquem saluandum, vt etiam modum quo saluari debeat præuideat, iungatque cum præscientia sua libertatem nostram. Ita vt infallibilitas euentus necessaria non sit, nisi hypotheticè, non autem absolutè, & nihil tollat aut violentet de concursu nostræ libertatis. Aliàs frustra proponerentur præmia bonis, supplicia verò malis.

Solutio obiectionis.

Hinc patet quàm ineptè quidam dicunt; Nihil interest, aut parum refert facere quod placuerit, si enim saluari debeam, saluabor, &c. Simili enim ratione dicere posset infirmus aliquis; Nihil ad sanitatem refert comedere, aut non comedere: sumere hanc medicinam, & non sumere, si enim debeo curari, curabor, si mori, moriar; scit enim Dominus.

Præscientia non ponit necessitatem.

B Verum equidem est, Deum scire an aliquis ex infirmitate sua debeat curari, vel mori: & tamen verum est, hanc præscientiam non ponere necessitatē; cùm potiùs libertati hominis coniuncta sit, qui liberè se habet ad sumendum, vel non sumendum: & sic quamuis illam ad hoc, vel illud inclinatam & determinatam videat Deus, tamen semper talem ex libertate sua videt. Ita dico in prædestinatione, Deus scit & præscit, videt & præuidet; verum est, sed ex tua voluntate libera futurum videt, nec propterea causa est cur accidit.

Exemplum.

Demus exemplum. Si quis alium videret facientem aliquid, non diceretur propterea causa ipsius operis. Ita est de Deo, in conspectu cuius futurum est vt C præsens. Verùm adhuc clarius ponamus exemplum. Si aliquis tantæ perspicacitatis oculum haberet, vt etiam futura videret, astringeretne propterea rem ad euentum, aut illius causa diceretur? Ita dicimus præscientiam Dei rerum causam non esse.

Sed aliquis dicet, quia præter cognitionem etiam additur diuina voluntas. Ita est, & quidem qua primò vult & antecedenter omnem hominem saluari: & iuxta quam sufficienter dat gratiam omnibus, neminique vnquam deest. Quid vultis amplius? Iam dicitis, volumus vt efficaciter velit, & sicut dicitur, consequenter. Sed non tenetur nisi ex pura gratia & misericordia, minimè D autem ex iustitia. Neque tibi vllam iniuriam facit, si non det tibi tantam gratiam. Interim si ex misericordia accidit, vt talis sit ipsius voluntas, nullam adhuc quidem tibi gratiam dabit, nisi prout libero arbitrio penitus est conformis, & illi dispotito ad finem; adeò seruat Deus libertatem.

Quadruplex causa prædestinationis.

Pro quo sciendum est, quadruplicem inueniri causam prædestinationis. Efficientem, quæ Deus est, qui prædestinat nos, inquit Apostolus, secundum propositum voluntatis suæ. Finalem, vt scilicet sancti simus & immaculati in conspectu Dei, sicut Apostolus dicit. Materialem, quæ est ipse homo. Et formalem, quæ est modus & ordinis ratio, vt videlicet primò detur gratia, vocatio, acce- E ptatio, iustificatio, & denique gloria.

Signa prædestinationis. S. Thom. in opusc. de humanit.

Quare modò si quis scire desiderat, num sit prædestinatus, & gaudere de tam ingenti bono debeat, hæc sunt signa apud S. Thom. opusc. de humanit. Primum est testimonium conscientiæ bonæ. Secundum, Dei verbum audire & retinere. Tertium, gustus interior diuinæ sapientiæ, & amor veritatis. Hæc signa sunt, & alia plura prædestinatorum.

Signa reprobationis.

Reprobatorum è contrà hæc signa sunt. Duritia cordis & inhabilitas ad recipiendam gratiam. Item adhæsio firma & inclinatio ad peccatum: & diuini verbi contemptus. Denique obcæcatio mentis, omniumque diuinorum consiliorum & mandatorum obliuio, atque rebellio, videntes mundo,

Ieremi.4. mundo, cæci autem Deo. Sic Ieremi. ait: Sapientes sunt vt faciãt mala; bene autem facere nescierunt. Contra hos Christus venisse in iudicium dicitur. O cæcitatem mentis omni cæcitate corporis maiorem ac peiorem! Qui corpore cæci sunt, necessitate tales sunt: qui autem mente, voluntariè tales sunt. Qui corpore cæci sunt, nihil penitus vident: qui autem mente, vident ea quæ videre volunt, & quæ nolunt, non vident: vident quæ sunt mundi & carnis; quæ autem Dei sunt non vident. Quæ videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna, inquit Apostolus. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.* Domine IESV, illumina oculos meos, vt te videam.

Discrimẽ inter cæcitatem mẽtis & corporis.

DE IVSTIFICATIONE.

Accessit IESVS, *& tetigit loculum, & ait: Adolescens tibi dico, surge. Et reddidit illum matri suæ.* Luc. 7.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

NVLLVS est melior occursus quàm IESV Christi, qui dat lumen cæcis, & vitam mortuis. Dicebat quondam; Ego sum lux mundi: & heri visum cæco à natiuitate restituit; sicut dixerat antè, quandiu sum in mundo lux sum mundi. Oportet me operari opera eius qui misit me, donec dies est. Similiter pro restitutione vitæ dicebat: Veni vt vitam habeant. & rursus: Ego sum resurrectio & vita. & tandem: Ego sum via, veritas, & vita. Quare hodie adolescenti mortuo dat vitam: cras autem quatriduano dabit. Via est quæ occurrit, veritas quæ loquitur, & vita quæ operatur; via quæ ambulat, veritas quæ reuelat, & vita quæ animat. Verbum caro factum est, inquit Iohan. & habitauit in nobis. Ex quo quidem verbum vitæ habitauit in nobis, viuificauitque hominem, mors nostra destructa est. Quare modò mortui peccatis, iustitiæ viuamus. Christus vt vita ad infirmorum sanationem venit, ad resurrectionem mortuorum, & salutem peccatorum.

Ioh. 10. 11. & 14.

Ioh. 1.

1. Petri 2.

Christus ad sanationẽ infirmorũ venit.

Matth. 8.

De primo olim dixit Centurioni; Ego veniam, & curabo eum. Infirmi omnes sumus: veniamus ergo in occursum eius qui medicus ad nos venit. Ad hoc inuitamur per Osee dicentem: Venite, reuertamur ad Dominum, quia ipse sanabit nos; percutiet, & curabit nos. Quæso contrarium hic videte modum curationis. Corporales medici vt sanent corpus, aliquando vulnerant animam, carni nimium indulgentes: Deus è contrà, vt saluet animam, percutit corpus, cuius etiam saluti prouidere scit. Vnde dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis infirmitatibus & ærumnis, & ego reficiam vos, sanabo vos. Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

Osee 6.

Matth. 11.

De secundo, scilicet quod venerit ad resurrectionem mortuorum, ipse etiam testatur cùm ait: Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & viuent. Inde venit in domum Iairi, & suscitauit filiam eius dicens: Puella surge. Et viuam reddidit cum stupore & gaudio parentibus. Cras veniet inuitatus in Bethaniam, & omnem lacrymam absterget ab oculis piarum sororum, suscitando à mortuis fratrẽ earum Lazarum.

Christus ad resurrectionẽ mortuorum venit.

Ioh 5.

Luc. 8.

A Hodie autem ibat IESVS in Ciuitatem quæ vocatur Naim, id est, pulchra & ornata, (certè ex miraculo in portis eius hodie patrato.) Ibant & cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Vndique magnum & admirandum est hoc spectaculum. Cùm autem appropinquaret portæ Ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ, & hæc vidua erat, & turba Ciuitatis multa cum illa. Quam cùm vidisset IESVS, misericordia motus super illam dixit illi: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum; & steterunt qui portabant. Et ait: Adolescens tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant

B Deum dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam. Verè eam visitauit Deus, qui non solùm misit filium suum, vt corpora suscitaret de morte, sed etiam de peccato animas, & illuminaret his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.

Vnde & de tertio constat, quod videlicet Christus qui est resurrectio & vita, ad salutem animarum venit, earumque resurrectionem seu iustificationem. Luc. 9. Filius hominis venit animas saluare. Matth. 18. saluare quod perierat. Quomodo & Iohan. 10. dicebat: Veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.

Christus ad salutem animarum venit.

Luc. 9. & Matth. 18.

C Hic ergo ex occasione resurrectionis filij huius viduæ, iustificationis materia proponitur, quæ nostra est spiritualis resurrectio, & de peccato euocatio ad gratiam: restitutio denique nostra matri nostræ Ecclesiæ. Hunc sensum assumo & veneror apud S. August. qui ait filium hunc vnicum viduæ mortuum, iamque extra portam delatum, peccatorem designare, qui non solùm peccat intus & consensu, sed etiam facto, forasque effert de corde suo peccatum, vt quod latebat in secreto, ait, appareat in publico. Sed ecce quid Dominus facit, cuius est iustificare impium, & dare vitam mortuis. Occurrit peccatori antequam in sepulchrum veniat, & in molem peruersæ consuetudinis peccandi, vitæque spirituali, statim præueniente gratia, ipsum

Iustificationis ordo in resurrectione filij viduæ.

S. Aug. Ser. 44. de verb. Domini.

D restituit, loculum tangit, eósque sistit qui portabant, & ait: Tibi dico, surge. Sicque qui erat mortuus resedit, cœpit loqui, & dedit illum matri suæ, peccatorem Ecclesiæ. Qui audiunt ista, intelligant. Antequam traderetur sepulchro adolescens, ad vocem veritatis surgit. Ita & nos ad Dei vocem surgere oportet à peccatis nostris, antequam mala consuetudo peccandi nos inuoluat, & sua mole nos opprimat. S. August. Ser. cit. Surgat, inquit, elatus mortuus, pœniteat facti, de mortuo reuiuiscat, non eat in profundum sepulturæ, non accipiat desuper consuetudinis molem. hæc ille. Quasi diceret: stet ad occursum Dei, & audiat, surgat, & incipiat loqui, vt viuus iam reddatur Ecclesiæ matri.

S. Aug. Ser. 15. de verb. Apostoli.

E Etenim ad iustificationem hominis eius requiritur voluntas & concursus: dicente S. Aug. Qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te.

Verùm antequam vlteriùs progrediamur, sciendum est duplicem esse iustificationem. Vna est quæ dicitur secunda, qua iustus fit iustior, & maiori iustitia crescit atque sanctitate, de qua in Apoc. dicitur: Qui iustus est, iustificetur adhuc; & qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Et de hac iustificatione non loquimur.

Duplex iustificatio.

Apoc. 22.

Altera est quam primam Theologi vocant, qua quis ex iniusto & peccatore fit iustus; ex inimico Dei amicus & filius: ex mortuo denique viuus. De illa sic ait Paulus: Neque adulteri, neque auari, neque

1. Cor. 6.

neque rapaces, neque maledici regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri IESV Christi, & in spiritu Dei nostri. & alibi: Gloriamur in Deo per Dominum nostrum IESVM Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Quoniam si cùm adhuc peccatores & inimici essemus secundum tempus pro nobis mortuus est; multo magis nunc iustificati in sanguine ipsius & reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Nam qui eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux. De hac igitur iustificatione nunc loquimur, iuxta quam de peccato ad gratiam, & de morte ad vitam resurgimus: vbi cum diuina operatione & meritis Christi etiam nostra cooperatio requiritur, & concursus nostræ voluntatis.

Rom. 5. — *Eph. 2. & 5.*

Quare rursus sciendum est, duo interuenire præparationum genera ad iustificationis complementum. Quædam enim sunt quæ nobis sine nobis à Deo solo præstantur, vt præuenientes gratiæ, quæ complectuntur & vocationes internas, illustrationes animi, piasque affectiones voluntatis, atque etiam occasiones externas conuersionis, quas Deus non opinantibus nobis immittit, exhortationes, afflictiones, &c. huiusmodi; vt cùm Paulus cœlesti lumine prostratus, etiam corde interiùs tactus est ad credendum in Christum: & cùm hodie occurrit Christus turbæ, & præueniente gratia, simul cum vita reddita huic adolescenti, omnibus etiam gratiam & gaudium spirituale confert. Accepit omnes timor, & magnificabant Deum dicentes, quia Propheta magnus surrexit in nobis.

Duo præparationum genera ad iustificationis complementum. — *Actor. 9.*

Alia autem præparationum genera sunt, quæ à Deo simul & nobis fiunt: iuxta quod Prou. 16. dicitur; Hominis est animam præparare Deo, videlicet per cooperationem. Initium viæ bonæ, facere iustitiam. Hoc modo Iohan. Baptista dicebat. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Hoc modo, vt diximus ex S. Aug. Qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te, id est, nisi consentias, & ipse accedas & coopereris. Sic adhuc loco Act. citato Apostolus fulgore cœlesti prostratus legitur dixisse: Domine quid me vis facere? & Dominus illi; Surge: & ecce statim ciuitatem ingressus ab Anania baptizatus est, factúsque vas electionis, continuò in Synagogis prædicabat IESVM.

Prou. 16. — *Matth. 3.*

Sic Magdalena accedens ad pedes IESV, & lacrymis suis irrigans iustificationem suam accepit, & audit; Remittuntur tibi peccata tua. Sic latro in cruce conuersus ad Dominum, & dicens, Domine memento mei, audit diuinum responsum; Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Sic denique hodie ad occursum Christi, & vitæ contactum, qui mortuum portabant steterunt, & ad vocem clamantis: Tibi dico, surge, surgens qui erat mortuus, cœpit loqui, & redditus est matri. Vt talibus quidem doceamur circunstantiis cooperandum esse resurrectioni nostræ spirituali, nouæ vitę & iustificationi.

Neque hoc mirum vobis videatur. Ex S. enim August. in Ioh. maius est impium iustificare, quàm cœlum & terram creare. Creando, vtitur solùm Deus sermone, voluntate, atque imperio: sed iustificando, clamore, & tactu. Et hoc adhuc non satis est, nisi surgat mortuus, & loquatur, vt reddatur Ecclesiæ. Aduertant hoc hæretici nostri, & cum istis impij omnes. *Non est veritas, & non est scientia*

S. Aug. tract. in Iohannẽ.

A *Dei in terra.*

Iustificationis causa est quadruplex. Efficiens, formalis, præparatiua seu materialis, & finalis. Efficiens Dominus IESVS Christus est, Deus-homo: vt Deus causa est principalis, cuius est tantùm gratiam & gloriam aliis dare; vt homo causa est instrumentalis, & illa est duplex. Vna coniuncta, ipsa humanitas, per quam eius diuinitas nobis gratiam confert & iustitiam, omniumque bonorum eius operum infinitum meritum. Alia est separata, & externa, vt sunt Sacramenta, & præsertim Baptismus & Pœnitentia, in quibus nobis communicantur omnia Christi merita. Sic ad Tit. Apostolus scribit; Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritussancti, quem effudit in nos abundè per IESVM Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Duo sunt in iustificatione termini. Terminus à quo, qui est remissio culpæ, & hæc est regeneratio, vt notauit Apostolus. Et terminus ad quem, qui est infusio gratiæ; & hæc ad renouationem pertinet, quam similiter notauit nobis per Christum dari vt hominem-Deum. Gratia & veritas per IESVM Christum, ait S. Ioh. cap. 1. facta est.

Quadruplex causa iustificationis. 1. Efficiens. — *Instrumentalis duplex.* — *ad Tit. 3.* — B — *Duo termini in iustificatione.*

Formalis est qualitas animæ inhærens iustificati, per quam in alium mutatur, scilicet de peccatore in iustum: & hoc donum gratia est, qua reuera fit Deo gratus & acceptus; non per imputationem iustitiæ & gratiam externam, vt dicit hæreticus, sed per internam & inhærentem, vt per Ezech. Dominus dicit: Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri. Hoc modo perfectè mutatur peccator, & qui antea mortuus erat, verè resurrexit & viuit. Peccatum fœditatem reliquerat animæ ipsius, seditiones & tenebras, vulnera & mortem. ecce fœtor & horror, vt in psalmo dicitur: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis: sicut in Prouerb. Abominabile est Domino cor prauum. ecce seditio. In Isa. Non est pax impiis, dicit Dominus. Sicut in psalmista: Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt. Quare? quia viæ illorum tenebræ: & sic nescierunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant. Hæc mala sunt quæ peccatum affert, præter vulnera & mortem. Sic enim Prouerb. 8. Qui in me peccauerit, lædet animam. Sed amplius Ezech. 18. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.

Causa formalis. — C — *Ezech. 36.* — *Peccati stipendia.* *Ps. 13.* *Prou. 11.* *Isa. 84.* — D — *Ps. 17. & 81.* — *Prou. 8.* — *Ezech. 18.*

Hic est miser status animæ, status in peccatis. Cùm autem iustificatur, in ea fit noua mutatio, interiorque conuersio status; de peccato ad gratiam, de tenebris ad lucem, & de morte ad vitam, dicente Apost. Nihil nunc damnationis iis qui sunt in Christo IESV, id est, nullum est peccatum in eis quod damnationem mereatur. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Qui eratis lõgè, factis estis propè. Iam enim accepistis Spiritũ adoptionis, in quo clamamus Abba pater. Et hoc exquo misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra clamantem Abba pater. Quare, ait S. Iohannes, videte nunc qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus. Adulterant istud hæretici (vt simus,) id est, non solùm denominatione extrinseca, sed intrinseca. Charissimi, nunc filij Dei sumus, translati de morte ad vitam. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.

Rom. 8. — E — *Gal. 4.* — *1. Ioh. 3.*

Hie

Quid sit iustificatio. Ps. 102.

Hic est iustificationis status: perfecta animæ resurrectio & renouatio, & cum omniũ peccatorum ablutione, vera, & realis positio gratiæ in illa, vt psaltes ait; Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Neque hic proponant nobis hæretici suas obiectiones, vt 1. Cor. 1. Christus est iustitia nostra. & Prou. 20. Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Nullius enim sunt pốderis, cùm fateamur nihil nos iustitiæ habere, gratiæ & meriti ex nobis tanquam ex nobis: sed à Deo ex passione filij & virtute operum eius.

Obiectiones hæreticorũ de iustificatione soluuntur.

Causa materialis seu dispositiua iustificationis. Ioh. 5. Marc. 11. & Luc. 24. S. Aug. lib. de pœnit. c. 2.

Verùm ad materialem & dispositiuam causam transeamus; illa est voluntas, submissio, & pœnitentia peccatoris. Ita Dominus dicit paralytico; Vis sanus fieri? & alibi. Pœnitemini & credite Euangelio. Sic Luc. 24. mittit suos discipulos, & mandat eis prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Adeò vt dicat S. August. Nemo vitam nouam inchoare potest & eligere, nisi quem veteris vitæ pœniteat. Hodie lacrymæ viduæ matris viscera Christi ad misericordiam & vitæ donationem commouerunt. Erat hic adolescens vnicus matri suæ, vnde dolor erat vehemens. Nullus enim superérat ei qui consolationem afferret. Ita tibi vnica est anima. Ideóque caue & attende ne moriatur. Quod si accidat mors, instar viduæ plora, vt mortua reuiuiscat. Ita S. Chrysost. loquens ad popul. Ant. Dum tempus habemus, venite dilecti, & animæ vulnera lacrymis curemus. Dat comparationem. Si enim Templum ex lapidibus constructum Ieremias lugebat euersum, quanto magis animam deplorare conuenit? Si morientibus compatimur, quis tam sine misericordia est qui animã suam morientẽ nõ deploret? hæc ille. Animam igitur nostram si mortuã esse contigerit, ploremus, & sistant gradum coram Christo occurrente qui portant illam, tactum recipiat Christi & sustineat, audiatque clamantem; Tibi dico, surge, obediat, surgat, & loquatur, proficiatque ad vitam, vt in consolationibus & benedictionibus dulcedinis reddat eam Deus Ecclesiæ.

S. Chrysost. hom. 22. ad pop. Ant.

Mors animæ ploranda est.

Finalis causa ista est nostræ iustificationis secundum S. Ambros. qui hoc factum & mysterium præsentis resurrectionis cum Sancto Aug. spiritualiter explicat, scilicet vt Ecclesia excipiat viuum per pœnitentiam, quem mortuum fleuerat in peccatis: flet namque nostra peccata Ecclesia, & gaudet sicut Cœlum super vno peccatore pœnitentiam agente, quia perierat, & nunc inuentus est: & tandem vt ad vitam æternam quæ in cœlis est, perueniat, quæ est finis creationis eius, & vltimæ resurrectionis gloria.

DE LACRYMIS IESV in morte peccatoris.

Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine veni, & vide. Et lacrymatus est IESVS. *S.* Iohan. 11.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

LACRYMÆ non conueniunt morti quæ vitam in IESV Christo reperit. Heri cùm iret in Ciuitatem Naim, & fieret obuiam defuncto, quem

A cum vidua matre amici ad tumulum deducebant, lacrymas prohibet, & dicit matri; Noli flere, vitamque statim restituens mortuo, reddidit viuum matri suæ. Duæ sorores hodie de infirmitate fratris afflictæ, miserunt ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur. (Sufficit enim Christo authori omnium, statum nostrum exponere.) Et audiens dixit: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, & vt glorificetur filius eius per eam; & mansit in eodem loco duobus diebus. Post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum, licet quærant me Iudæi lapidare, in me tamen non habebunt quidquam. Duodecim enim sunt horæ diei, & si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt. Hæc ait, & post

B hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum. Dixerat autem de morte eius, existimantibus aliis quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. Eamus etiam & nos, Thomæ Didymi animum & consilium sequentes, vt si expedit, moriamur cum illo, & in eo vitam inueniamus. Constat enim quia vbi Christus vita nostra est, locum non habent mors & tristitia. Et quæso in hac tam celebri resurrectione ista videamus.

Venit itaque IESVS Bethaniam, vbi Lazarus

C erat mortuus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt consolarentur eas. Martha ergo vt audiuit quia IESVS venit, IESVS vita & Dominus mortis, occurrit illi, & dixit: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus; sed & nunc scio quia quæcunque proposceris à Deo, dabit tibi Deus. Et Dominus illi, Martha noli flere, resurget frater tuus. Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet, credis hoc? Vtiq; Domine; vtique etiam & nos Domine cum illa credimus omnes quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti, vitam reddere mortuis, & viuis

D tollere metum & horrorem mortis. Et certè si iam aliqua mors timenda sit & horrenda, mors animæ est, non corporis, separatio atque interitus gratiæ Dei, & non naturæ.

Ita S. Cyprian. Mortalitas ista, inquit, scilicet naturæ, vt Iudæis & Gentibus, & Christi hostibus pestis est: ita Dei seruis salutaris excessus est. Huius est mortem timere qui ad Christum nolit ire. Ad Christum autem nolle ire, eius est qui non credit se cum Christo incipere regnare & viuere. Regnum Dei fratres dilectissimi, esse cœpit in proximo, præmium vitæ, & gaudium salutis æternæ, perpetua lætitia & possessio paradisi nuper amissa, mundo transeunte iam veniunt, iam terrenis cœ-

S. Cyprian. Serm. 4. de mortal.

E lestia, magna paruis, & caducis æterna succedunt. Quis hic anxietatis & solicitudinis locus est? Quis inter hæc trepidus & mœstus esse potest, nisi cùm spes & fides deest? huius est mortem timere qui ad Christum nolit ire. hæc S. Cyprian.

Hoc desiderio similiter vrgebatur magnus Gentium Apostolus, dicens: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Quare? quia, inquit, quandiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Propterea; Coarctor desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. Intelligite, cupit dissolui, non quidem simpliciter, qui addit, & esse cum Christo. Mihi enim viuere Christus est, mori lucrum.

Rom. 7. 2. Cor. 5. Phil. 2.

Quæ verba mirè adhuc explicat S. Cyprian. & ait.

S. Cyprian.

ait. Lucrum maximum computabat Apoſtolus iam ſæculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum preſſuris angentibus, & venenatis diaboli faucibus liberatum ad lætitiam ſalutis æternæ Chriſto vocante proficiſci. Hinc eſt, ait, quod Apoſtolus Paulus 1. Theſſ. 4. non permittit vt de dormientibus, id eſt, mortuis, contriſtemur, ſicut cæteri qui ſpem non habẽt. Hoc quæſo notetur, & quomodo Apoſtolus modificat triſtitiam; ſicut qui ſpem non habent, dicit. Quod enim prohibet hic, inordinata triſtitia eſt, & non moderata.

S. Tho. lect. 2. in Epiſt. ad Theſſal. *Triſtitia moderata de mortuis pietatem indicat quatuor modis.* Nam quod aliquis triſtetur de mortuis moderatè, hoc pietatem habet & notat, ex S. Thom. in Epiſt. ad Theſſ. quatuor modis. Primò, propter defectum vitæ corporis, & bonorum omnium externorum. Sic enim dicit Scriptura; Quàm amara eſt mortis memoria homini pacem habenti, &c. Secundò, propter diſceſſum & ſeparationem amici, quæ nũquam ſine aliquo dolore eſt. Sic Agag Rex Amalecitarũ ad Samuelẽ dicebat tremens & morti proximus: Siccine ſeparat amara mors? Tertiò, quia per mortẽ fit recordatio peccati. Nã ſtipendia peccati mors. Quartò denique, quia etiã mortis noſtrę mors aliorum commemoratio eſt. Vnde ait Eccleſiaſtes: Melior eſt dies mortis die natiuitatis, & melius eſt ire in domum luctus quàm in domũ conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum ſit. Per triſtitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. (Eccl. 41. 1. Reg. 15. Rom. 5. Eccl. 7.)

Ita ergo piè & cum moderatione de mortuis triſtari, bonum & ſanctum eſt: iuxta quod etiam dicit Eccleſiaſticus; Modicum plora ſupra mortuũ, quoniam requieuit. Modicum dicit, quia moderatè eſt plorandum, & non immoderatè, vt aliqui faciunt de morte naturali quæ tantum dormitio eſt & ſomnus, iis maximè qui reſurrectionis ſpem habent. Propterea enim dicebat Sanctus Apoſt. Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Si enim aliqua mors deflenda ſit, mors peccatorum peſſima eſt, qui nullam reſurrectionis & vitæ ſpem habẽt. *Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra.* (Eccli. 22.)

Mors peccatorum mors eſt; mors verò iuſtorum dormitio & vita. Vnde iſtorum peſſima mors dicitur, Sanctorum è contrà precioſa in conſpectu Domini, quia in ipſo moriuntur, in quo fœliciùs viuunt, vt in Apocal. dicitur; *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Ita enim moriuntur vt requieſcant à laboribus ſuis, inquit S. Iohannes. Quare eorum mors ſomnus eſt, potiuſq; vita quàm mors. Sic ergo vocauit Apoſtolus mortuos dormientes, & non vult vt de illis contriſtemur, ſicut ij qui reſurrectionis ſpem non habent. Ita etiam hodie Chriſtus de Lazaro dicit; Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado vt à ſomno excitem eum. Dixerat autem IESVS de morte eius. (Apoc. 14.)

Conuenientia inter ſomnũ corporis & mortem iuſtorum. Dormiens tria facit. Primò, cubat cum ſpe ſurgendi. Sic qui in fide moritur; ſi enim credimus quia IESVS mortuus eſt & reſurrexit, ita, ait Apoſtolus, & Deus eos qui dormierunt per IESVM adducet cum eo. Secundò in dormiente anima vigilat dum corpus aggrauatur ſomno, vt ſponſa dicit: Ego dormio, & cor meum, id eſt, anima vigilat. Ita qui moritur in Chriſto, viuit in illo, & memoria eius ſicut anima immortalitate plena eſt. Tertiò denique, qui dormit vegetior reſurgit. Ita certè qui in Chriſto moritur fidelis, incorruptibilis reſurget, vt dicitur 1. Cor. 10. (Cant. 5.)

Hæ ſunt rationes ob quas mortẽ corporis pertimeſcere non debent Chriſtiani, ſed dicere cum Apoſt. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt, vnde expectamus Saluatorẽ qui, &c. Nam qui nimium de tẽporali morte ſuorũ contriſtantur & timent, ij certè ſunt qui ſpem reſurrectionis & vitæ æternæ non habent. Qui autẽ ſpe viuunt, & in Chriſtũ credũt, cõſolatione pleni ſunt, Chriſto hodie dicente; Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Gaudent quod de morte ad immortalitatem tranſeunt, &, ſicut dicit S. Cypr. non poteſt vita æterna ſuccedere niſi hinc contigerit exire, non eſt exitus, ſed tranſitus: & tẽporali itinere decurſo ad æterna tranſgreſſus. Quis non ad meliora feſtinet? Quis nõ mutari & reformari ad Chriſti ſpeciẽ, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratũ corpori claritatis ſuę, citiùs exoptet, & venire ad cœleſtis gratię & glorię dignitatem? ipſo dicẽte: Pater tibi gratias ago. Scio quia ſẽper me audis. Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecũ, & videant claritatẽ meã, quã dediſti mihi priuſquàm mũdus fieret. (Phili. 3. *In quibus eſt conſolatio in morte.* S. Cyprian. Ioh. 17.)

Venturus ad Chriſti ſedem, ait ille ſanctiſſimus Doctor, & regnorũ cœleſtium claritatẽ, lugere nõ debet, nec plangere; ſed potius ſecundũ pollicitationẽ Domini, & fidẽ veritatis, in profectione ſua & tranſlatione gaudere. Quare paulo antè. Mori planè timeat, ait, ſed qui ex aqua & Spiritu ſancto non renatus gehennæ ignibus mancipatur. Mori timeat, qui non Chriſti cruce & paſſione cenſetur. Mori timeat, quẽ de ſæculo recedentẽ æterna flãma torquebit. Mori timeat, qui ad ſecundã mortem de hac morte tranſibit. Ecce equidem mors timẽda & plorãda, mors ſecũda, ſpiritualis & æterna. *Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra.* Multi mortuum corpus, & non animam ſuam plorabunt: &, ſicut ait S. Bern. corpus à quo receſſit anima, & non animam plorabunt à qua receſſit Deus. Non ſunt viſcera miſericordiæ in nobis. *Non eſt veritas, non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra.* (S. Bern.)

Iſtę fuerunt rationes in Chriſto, cur ante reſurrectionẽ Lazari iam fœtentis in ſepulchro, & quatriduani, ſtatũ & conditionẽ peccatoris repræſentantis, ipſe turbauit ſe, lacrymatus eſt, & fremuit in ſemetipſo. Secunda pars illa Euangelij eſt, vbi poſt mortẽ peccatoris, quẽ refert Lazari conditio fœtẽtis in tumulo, nobis cõſtat de lacrymis IESV. Martha ergo cùm abiiſſet, & veniſſet Maria ſoror ſilẽtio vocata & admonita ab illa, vbi IESVS erat, videns eum cecidit ad pedes eius (locus iſte eſt & ſtatio ordinaria Magdalenæ,) & dicit ei, quod dixerat antè ſoror eius: Domine ſi fuiſſes hic, non fuiſſet mortuus frater meus. IESVS ergo vt vidit eam plorantẽ, & Iudæos qui venerant cum ea, turbauit ſeipſum, & locum petens vbi poſuerãt, venit ad momentum, & lacrymatus eſt IESVS, & rurſus infremuit in ſemetipſo. Erat autem ſpelũca, & lapis ſuperpoſitus erat ei. Ait IESVS; Tollite lapidem. Et dicit Martha, Domine iam fœtet, quatriduanus eſt enim: & lacrymatus eſt IESVS. (*Lacrymæ* IESV.)

Hic controuertitur quã ob cauſam ſuper Lazarũ Chriſtus fundit lacrymas. S. Chryſolog. Ser. 64. non exiſtimat fuiſſe mœroris, ſed lætitię ex recordatione nouiſſimi temporis, quo nõ Lazarum, ſed mortales omnes voce ſua ad vitam æternam reſuſcitaturus eſt. Idem dicit S. Hilar videlicet fuiſſe lacrymas non quidem afflictionis ob mortem Lazari, ſed conſolationis, propter bonum quod ex illa morte emanauit: ſcilicet gloriã Dei, & fidẽ diſcipulorũ. Qui ſenſus litteralis videtur eſſe, & ex illis (S. Chryſol. Serm 64. S. Hilar. lib. 10. de Trinit.)

V verbis

verbis IESV desumptus; Hæc infirmitas non est ad mortem, sed pro gloria Dei. & rursus manifeste; Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis.

S. Chrysost. [illegible] S. Bern. S. Chrysost. dicit fuisse vt veritatem naturæ humanæ in se demonstraret. Idem existimat S. Bern. [illegible] communis officij & solum [illegible] Ideo, inquit, ad tumulum Lazari nec flentes arguit, vt alias fecerat [illegible] neque a fletu prohibuit [illegible] & cum flentibus ipse fleuit. Hic sensus valde conformis videtur esse veritati & litteræ.

S. Epiphan. [illegible] S. Epiphan. [illegible] ob obstinatam Iudæorum duritiam [illegible] peccata [illegible] Idem [illegible]

S. Cyrill. lib. [illegible] S. Cyrill. [illegible] hominis & [illegible] Christianorum [illegible] peccatum & mortem. Hæc quidem [illegible] explicatio homine digna est, & [illegible] implebit.

IESVS ergo Lazarum [illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] concludatur, [illegible] omni [illegible] talis, & nunc [illegible] cere in [illegible] & lacrymatus est IESVS. Recordabatur [illegible] domum & [illegible] Lacrymatus est IESVS. [illegible] dicit. Quam [illegible] Deus [illegible] in anima [illegible] lere & [illegible] : & lacrymatus est IESVS.

Hæc [illegible] lacrymantis Christi [illegible] Quid est [illegible] & quæ [illegible] potest hac [illegible] vitæ & supernaturalis [illegible] & deflet: Mortem carnis [illegible] S. Aug. [illegible] omnis homo timet, mortem animæ pauci. Pro morte carnis, quæ sine dubio ventura est, ne veniat curant omnes: inde est quod laborant. Laborat ne [illegible] homo moriturus, & non laborat ne pereat homo in æternum victurus. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* O si possemus excitare homines mortuos, & cum ipsis excitari pariter, vt tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis hæc [illegible]. Et lacrymatus est IESVS. Ieremias olim plangebat captiuitatem & desolationem Ierusalē dicens: Paruuli eius ducti sunt in captiuitatem, idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas. & iterum: Defecerunt præ lacrymis oculi mei super contritione populi mei. At verissimè Christus desolationem eius deflet. Videns IESVS Ciuitatem fleuit super illam. Si cognouisses & tu, &c. Ecce lacrymæ Christi, & adhuc pendens in Cruce super nos fleuit cùm semetipsum pro vita nostra hostiam obtulit, iuxta illud Apost. Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad

Ieremias Thren. & 2.

[illegible]

A eum qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis obtulit. Ecce lacrymæ in Cruce.

Hodie autem vt redderet vitam mortuo iam fœtenti, & quatriduano, lacrymatus est IESVS, vtique quia videbat in illo peccati & mortis animæ imaginem. Lapis superpositus erat ei, & ait IESVS; Tollite lapidem: & tulerunt. O peccatores, ecce quid faciēdum [illegible] nos resuscitet Christus. IESVS autem eleuatis sursum oculis dixit: Pater, gratias ago, &c. Sciebam quia semper me audis: sed propter populum qui circumstat dixi, vt credant quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, voce magna clamauit: Lazare veni foras. Et statim prodiit qui B erat mortuus. [illegible] clamore valido [illegible] lacrymis voce magna.

[illegible] Christus [illegible] ad resurrectionem [illegible] lacrymas & clamorem. [illegible] fletibus cōtribuamus lacrymas [illegible] miseriæ propriæ & [illegible] compunctionis & pœnitentiæ [illegible] : Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. & Lacrymis meis stratum meum rigabo. Cum Petro [illegible] fleuit amarè. Rursus [illegible] ad pedes Domini in C [illegible] lacrymis, capillis [illegible] Cum eadem [illegible] plorans; denique hodie ad pedes Domini in monumento [illegible] cum Christo [illegible] compunctionis [illegible] amoris, talisque vt duritiam [illegible] valeat, & ad verba Christi [illegible] clamantis, veni foras: & [illegible] per Apostolos & Ecclesiæ ministros absoluet a vinculis omnibus [illegible]

DOMINICA PASSIONIS.

D

DE VERITATE Æterna.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Antequam Abraham fieret, ego sum. Ioh. 8.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

E NOn potest peccatū conuenire Christo IESV, qui est prima [illegible] & æterna veritas. Non potest, inquam, [illegible] conuenire ex parte vtriusque naturæ, diuinæ & humanæ. Diuinæ, quæ ex se impeccantiā habet: humanæ item, cui ex hypostatica vnione verbi eadem impeccantia communicata est. Magister Sent. cū cæteris Theologis, ait Christum assumpsisse nostros pœnæ defectus, sed non culpæ. Ideo dixit Apost. qui nō nouerat peccatum, id est, culpam, pro nobis peccatum fecit, (id est, pœnam sustinuit, & se pro peccato hostiam fecit) vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. & alibi: Sanguis Christi, qui se obtulit immaculatum Deo, mundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis. Sic dicebat Iohannes Baptista; *Ecce*

Quomodo peccatum Christo non potest conuenire.

Magist. Sent. in 3. dist. [illegible]

2. Cor. 5.

Rom. 5.

Ioh. 1.

Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et ſponſa in Cantic. ſuo; Dilectus meus electus ex millibus, candidus & rubicundus; vtique ex innocentia vitæ atque laboribus multis. Quis ex vobis, inquit, arguet me de peccato? Videns Dauid Saülem ſibi parare inſidias, & mortem machinari, conquerens dicebat ſic Ionathæ. Quid feci? & quæ eſt iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam?

Cant. 5.

1. Reg. 20.

Eadem hodie, & quidem iuſtior aduerſus Iudæos Chriſti eſt querimonia, mortem illi meditantes, & iam parantes inſidias. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Veritas, inquiebat Comicus Poëta, odium parit: ſed vtique veritatem ille non dicebat; non enim veritas, ſed magis cor impium parit odium, quia nimirum vitia indicat & redarguit: ſicut lux non eſt niſi lippis oculis moleſta. Iohan. 3. Omnis qui malè agit, odit lucem, vt non manifeſtentur opera eius. Talibus autem iuxta Apoſt. Rom. 2. ira eſt & indignatio. *Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra.* Veritas, dicit Tertull. ſcit ſe peregrinam in terris agere, ac proinde inter extraneos facilè inimicos inuenire, cæterùm genus, ſedem, & dignitatem in cœlis habere. Peregrina certè fuit in Iudæorum auribus & mentibus: vnde & facilè inuenit hoſtes & contradicentes.

Impietas cordis, & non veritas odiū parit.

Tertull. in Apolog. de veritate Euang. c. 1. *Veritas peregrina eſt in terris.*

Duobus modis contrariatur veritati, & non creditur ei. Primò, cùm non approbatur illa intellectu: & hoc hæreticorum proprium eſt, qui fidem non habent. Secundò, cùm intellectu recepta non probatur operibus: & hoc peccatorum & malorum Chriſtianorum propriū eſt, de quibus Rom. 1. Reuelatur ira Dei de cœlo ſuper impietatē eorum hominum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent. De quibus omnibus illud Oſee tandem dici poteſt; *Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra.*

Duobus modis cōtrariatur veritati.

Rom. 1.

Duæ filiæ veritatis ſunt fides & charitas; fides ad credendum, charitas ad operandum. Hocque modo dixit Chriſtus Ioh. 8. *Veritas liberabit vos.* Sed non eſt veritas, & ſcientia Dei in terra. Iam itaque de veritate iſta cum diſtinctione nobis loquēdum eſt. Duplex igitur eſt veritas. Vna per eſſentiam, prima, æterna & increata veritas, qua vera ſunt omnia quæ exiſtunt, & illa Deus eſt, de qua ſtatim dicendum, ipſo Chriſto dicente: Ego ſum via, veritas & vita. Altera creata, accidentalis & participata, & illa eſt triplex ſecundum S. Hieron. & Gloſſ. ord. in Matth. 15. veritas vitæ, iuſtitiæ & doctrinę.

Duæ filiæ veritatis fides & charitas. Ioh. 8.

Duplex veritas.

Triplex veritas creata & participata.

Veritas vitæ eſt qua rectè aliquis viuit in ſeipſo: illa autem ſtat in operatione & exercitio mandatorum Dei, vt Iohan. ait: Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt. Et ſic de Tobia dicitur quod viam veritatis non deſeruit, id eſt, ſemper Dei mandata ſeruauit. Sicut adhuc in pſalmo de ſe dicebat Dauid; Viam veritatis elegi, & iudicia tua, id eſt, legem, non ſum oblitus.

Veritas vitæ, & in quo cōſiſtit.

1. Ioh. 2. & 3.

Tob. 1.

Pſ. 118.

Veritas iuſtitiæ reſpicit iura & rectitudinem legis, in his præſertim quæ ſunt ad alterum.

Veritas iuſtitiæ.

Veritas doctrinæ ſpectat ad fidem & credenda. Quælibet autem iſtarum veritatum accidentalis eſt & inſtabilis, quia vt plerunque deficit & minuitur in cunctis, vt ait Dauid, diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.

Veritas doctrinæ.

Pſ. 11. *Omnis veritas creata inſtabilis eſt & deficit.*

Prima veritas, ſcilicet vitæ, iam penè defeciſſe

A videtur in omnibus. Sic Michæas dixit: Periit ſanctus de terra, & in hominibus non eſt veritas. Sic Iſa. Facta eſt in obliuionem veritas, ſcilicet, quia penè omnes diuina mandata derelinquunt.

Mich. 7.

Iſa. 59.

Secunda veritas, ſcilicet iuſtitiæ, etiam ferè in omnibus deficit à primis vſque ad vltimos, à maioribus in dignitate conſtitutis vſque ad minimos, vt idem adhuc Iſaias dicit: Iuſtitia longè ſtetit, quia corruit veritas. & 1. Machab. 7. Non eſt in eis veritas & iudicium.

1. Machab. 7.

Tertia veritas, ſcilicet doctrinæ & fidei, ſimiliter defeciſſe videtur in multis, quia quamuis multi multa ſcientes vera loquantur, tamen faciunt pauca, & nihil ferè eorum omnium quæ docent &
B ſciunt; & ſic propriè in talibus non dicitur veritas eſſe, quæ eſt adæquatio rei ad intellectum. Et inde quidem ratio eſt cur Propheta noſter Oſee dicit quia *non eſt veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra.* Sic ſuper Ezechielem de talibus in quibus veritas non eſt, dicebat S. Greg. quod eorum intellectus ad ſpiritualia inuitat, & tamen vita in factis carnalibus permanens ab intellectu diſcordat. De quibus ſic Apoſt. Erit tempus (& hodie eſt,) cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, &c.

S. Greg. in Ezech. hom. 10.

2. Tim. 4.

Omnes quidem iſtæ veritates inſtabiles ſunt, vt videtis, defectuoſæ & accidentales: veritas autem eſſentialis, prima, increata & æterna, quæ Deus eſt,
C ſtabilis & firma: ſicut pſalmiſta ait, *Veritas Domini manet in æternum.* Hæc autem veritas quatuor modis conſideratur in Deo. Prima dicitur veritas rei, quæ eſt in eſſendo, ſeu tranſcendentalis, per quam diſtinguitur Deus à falſis Diis. Vnde Chriſtus; Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolùm Deum verum.

Veritas eſſentialis firma & ſtabilis.

Pſ. 116.

Secunda dicitur veritas cognitionis, per quam habet Deus certiſſimam ſcientiam & infallibilem omnium rerum; omnia enim nuda & aperta oculis eius.

Quatuor modis veritas conſideratur in Deo.

Tertia dicitur veritas voluntatis, quam in nobis moralem poſſumus appellare, ſcilicet virtutem per quam inclinamur ad loquendum verum. In Deo
D autem attributum, per quod determinatur ad dicendum ſemper verum, & non poteſt niſi verum loqui cùm loquitur. Vnde etiam prima veritas in dicendo nominatur, & ſub ea ratione obiectum fidei noſtræ eſt, indeque appellatur in Scriptura Deus veritatis, id eſt, Deus qui non poteſt niſi vera dicere. Audiant iſta hæretici. Apud S. Iohan. Ego quod vidi apud Patrem loquor.

Prima veritas noſtra fidei obiectum. Ioh. 8.

Quarta denique veritas dicitur locutionis, vel ſcripturæ quæ eſt in Deo, vel potius à Deo, quia eſt in externo verbo eius prolato, vel ſcripto; quod ideo appellatur verbum veritatis. Epheſ. 1. Cùm audiſſetis verbum veritatis, Euangelium ſalutis veſtræ. Et Chriſtus hodie: Si manſeritis
E in ſermone meo, cognoſcetis veritatem. Igitur ſi veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

Vnde dicitur Scriptura verbum veritatis.

Eph. 1.

Hæc veritas diuini verbi, quia maxima eſt veritas, propterea etiam ſignificari abſolutè ſolet hoc nomine veritatis. Ita ad Galatas Apoſt. Inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati? id eſt, verbo vero. Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Verba quæ ego loquor, ſpiritus & vita ſunt, quia in eis veritas.

Gal. 3.

Inter illa autem diſcrimina & modos diuerſos veritatis, hæc connexio eſt, quod veritas locutionis præſupponit veritatem cognitionis. Prius eſt

Connexio diuerſorū modorum veritatis in Deo.

enim determinari ad loquendum quàm loqui. Et similiter veritas voluntatis præsupponit veritatem cognitionis: veritas autem cognitionis veritatem rei, quia omnium ordine prima est, vt essentialis & æterna veritas. Ego sum veritas, sed æterna veritas, firma & stabilis. Ego Deus, & non mutor. Antequam Abraham fieret ego sum, principium qui & loquor vobis. Christus veritas nostra æterna est, ante omne tempus, & durationem omnem quæ ex aliquo priori componitur. Ad quod explicandum, operæpretium est vt dicamus quibus modis hoc nomen æternitatis accipitur, & quomodo conueniat verbo, de quo Iohan. 1. *In principio erat verbum*, id est, ab æterno. Diuisiones rerum principia sunt & origenes luminum; ordo & methodus in scientiis.

Quomodo nomen æternitatis Christo conuenit.

Tribus modis æternitas accipitur.

1\. Igitur tribus modis sumitur æternitas. Primò, pro duratione successiua, & hoc impropriè retinet nomen æternitatis, dum scilicet vna pars temporis succedit alteri, initium habens, sed non finem. Hoc sensu loquebatur Dei filius dicens: Ite maledicti in ignem æternum. Iste namque ignis quem vocat æternum, initium habet, durationemque successiuam; sed quia nunquam finem habiturus est, ideo æternus dicitur. Ite in ignem æternum, id est, ex S. Aug. nullo fine terminandum. In ignem cuius actio qua combureret, nullo terminabitur fine. Mille anni præteribunt, & centum millia mensurata non motu cœlorum, sed damnatorum pœnis, dæmonum crudelitatibus, & desperatorum tormentis, & post hæc adhuc excruciari incipient, nullumque tormentorum suorum finem inuenient. Qui habet aures audiendi, audiat. Lucifer superbia sua, inuidia & impietate dãnatus: Cain similiter sanguine fratris sui accusatus, & reus mortis ab initio mundi patiuntur in inferis, nullum vnquam finem in tormentis habituri. O æternitas! & ô in æternũ! Qui sapienter istud cogitaret, nó peccaret in æternum. Interim autem hoc temporis momentũ consumimus in peccatis, de quibus postea puniri oportet in æternum. O in æternum! *Non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.* Sed si hæc æternitas quæ omnium quidem minima est, vix comprehendi possit, quid de diuina & quæ ad Christum pertinet, dicemus?

Matth. 24. & Luc. 21.

2\. Secundò accipi potest æternitas pro duratione quæ neque principium, neque finem haberet, sed successionis ordinem, vt si tempus principio careret & fine; sicut mens fuit Aristotelis, & quod S. Thom. eius doctissimus interpres iudicauit possibile; quod non credimus tamen: sed si hoc ita esset, eiusmodi æternitas inueniretur principio & fine carens, vbi daretur ordo successionis. Tempus enim quod in motu est, successiuum est, suisque distinguitur momentis, quæ sibi inuicem succedunt, hæc ratio temporis est.

3\. Tertia tandem & propria æternitatis significatio, Christóque conueniens vt verbum est, & æterna veritas; ea est quam definit Boëtius, & Theologi omnes recipiunt, scilicet, interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Interminabilis vitæ, id est, quæ nullis constat terminis, & quod amplius est, possessio tota simul, in puncto collectam omnem ætatem habens, & cui adhuc nihil deesse potest, vnde perfecta possessio dicitur. Clariùs distinctiúsque dicamus; Æternitas, indiuisibilis & infinita est duratio. Indiuisibilis, ergo nihil prius & posterius habet, non partes post partes, neque horas, neque dies, non menses, non annos, non denique sæcula, sed in instanti vnico tota simul est. Etiam dicitur infinita: ergo permanens, stabilis & firma est, & ab omni motu separata, tota perfecta est, comprehendens in se quidquid est in duratione Angelorum & totius mundi; tota simul in vno puncto repræsentans ei qui æternus est, omnia momenta, & durationes successiuas omnium temporum & sæculorum.

Definitur æternitas vt Christo conuenit.

Boët.

Explicatur.

Nunc ergo ad Deum mente accedamus, & Christo laudem, eius magnitudine & æternitate dignam, demus. Et dicamus ipsum esse æternũ, non in prima ratione æternitatis, quia initium non habuit, vt verbum est & prima veritas. *Antequam Abraham fieret*, inquit, *ego sum. In principio erat verbum.* Neque etiam in secunda acceptione, quia in suo esse nulla est successio ætatis & durationis, iuuentutis & senectutis. Ipsi peribũt, inquiebat psalmista, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ipse quidem immutabilis est, & æternitas eius interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio est. Maneamus in hac æternitate IESV. Bonũ est nos hic esse, & quæso permittite vt quomodocunque comprehendamus in Christo IESV perfectionem istam quæ nos rapit in stuporem. Quis enim non miretur hodie dicentem ipsum; *Antequam Abraham fieret ego sum?* Sed ab initio & ante sæcula ego sum, & vsque ad futurum sæculum non desinam; neque initium, neque finem agnosco: principium agnosco, sed non initium. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio, verbum in patre, & patri coæternum.

Psal. 101.

Infra te, sed non supra te currunt & transeunt tempora, ô fili Dei veritas æterna. Sed quid dicam? antequam in se existerent, in te ac in vno instanti omnia cómprehensa erant. Imaginemur horam integram in quarta parte horæ, diem in hora, mensem in die, annum in mense, &c. Cogitemus præterea diem non amplius durare quàm horam, & tamen diei durationem habere: ita de mense respectu diei, & de anno respectu mensis, omnia inquam in eodem durationis instanti & æqualitate consistere, & absque successione. Hoc quidem aliqua imago erit & repræsentatio istius æternæ & primæ veritatis quæ est in Christo dicente; *Antequam Abraham fieret ego sum*, qui æternus sum, absque initio & fine. O Domine IESV, in tua æternitate & veritate gloriæ erimus omnes in æternum beati. O Domine IESV, in iactura & separatione istius tuæ æternitatis & veritatis essentialis, cruciati erunt omnes in æternum damnati, qui iuxta mensuram tuæ durationis erunt à te separati. Discedite à me maledicti in ignem æternum. O quale æternum, quod diuina duratione est mensuratum! Deus est semper, & in æternum erit, & sic in æternum sua tormenta patientur qui ab eo erunt separati. O Domine IESV, à tua æternitate pendet nostra desiderabilis gloria, vel horribilis damnatio.

Omnia sæcula in instanti æterno Christi comprehensa.

Imago æternitatis in Christo.

Æternus est igitur, & initium non agnouit, neque finem, nisi cùm in plenitudine temporum cœpit esse, & statim post desiit esse. In virgine verbum caro factum est; ecce vbi & quomodo initium sortitus est. In Cruce verò finem accepit, vbi mortuus est: & sic, vt rursus dicam, vitam in terra cœpit & finiuit, vitam diuino-humanam, diuinam in homine, & humanam in verbo vitæ; hominis-Dei mutuam vitam, qua nunc in æternum viuit sedens in dextera patris: & vitam dicam, cuius etiam nos consortes efficit ex merito eiusdem in terra vitæ & mor

Quomodo Christus initium agnouit & finem.

Quomodo consortes efficimur vitæ æternæ Christi.

Ioh. 1. & mortis. Quod factum est in ipso, ait S. Iohan. vita erat, scilicet nobis, vita est in Incarnatione, in natiuitate, in ipsa vita & conuersatione: vita est in prædicatione & miraculis, in laboribus, in contumeliis & passionibus. Quod factum est in ipso vita erat; vita in languoribus, in morte & resurrectione, vitæ & gloriæ: vita denique in omni quod factum est in ipso. Quod si ita sit, nunc igitur nobis vita sit in hoc omni tempore passionis. Si enim compatimur, & conregnabimus ad gloriam; & si moriamur cum illo, ad æternam vitam resurgemus.

DE GRATIA VOCATIONIS nostræ ad seruitium Christi.

In nouissimo die festiuitatis stabat IESVS, *& clamabat: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Ioh. 7.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

GRANDES ac pretiosæ sunt rationes pro quibus æternas gratias debeamus agere Deo patri Domini nostri IESV Christi, qui nos elegit in ipso ante mundi cõstitutionem, vt essemus sancti, dicit Apostolus; qui vocauit nos per ipsum ad æternam gloriam, in quo & gratificauit nos in dilecto filio suo: id est, fecit nos in eo inuenire omnem gratiã, vt perueniamus ad gloriam. Propterea enim clamat hodie in die festiuitatis magno, si quis sitit, veniat ad me, si quis vitam & salutem desideret, hauriat à me, veniat, & bibat; apud me est fons vitæ, & qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, flumina de ventre eius fluent, & fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. O qualem gratiam, sitire ad Christum Deum fontem viuum: inuenire, & aquas haurire in gaudio de fontibus Saluatoris, de vulneribus Crucifixi, & meritis sanctissimæ passionis eius! Ille equidem magnus est dies festiuitatis eius, in quo proximè sacros suos fontes nobis aperire debet, & pati vulnera, vt aquas suæ gratiæ in nos abundantiùs effundat. Quare clamat; *Si quis sitit, veniat ad me,* &c. O qualem gratiam, Apostolus dicit, quia non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum IESVM Christum, qui mortuus est pro nobis, (vt scilicet in eo viuamus) & de thesauris suis, id est, vulneribus, inuestigabiles Incarnationis eius extrahamus diuitias! (1. Thess. 5.)

Vnde dicit Chrysost. in hæc verba Apostol. Adeò desiderat Deus vt nos salui simus, vt filium suum etiam dederit ad mortem. Ne de te desperes, ô homo ad Deum veniens, ex his cogitationibus spes nascitur (nimirum salutis, & facilis ad eum accessus.) Clamat, si quis sitit, veniat. Si quis; quia certè pauci sunt qui veniunt. Si quis sitit; quia pauci sitiunt ad fontem vitæ: multi ad turbidas mũdi aquas sitiunt, ad cisternas dissipatas quæ non valent continere aquas, & pauci ad fontem aquarum viuentium; vnde Dominus dicit, si quis sitit. Si quis: quia pauci electi, licet multi sint vocati. Neque enim omnes in veritate Christum Dominum quærunt, omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ IESV Christi, inquit Apostolus, & pauci in (S. Chrysost. in hom. 9. in 1. ad Thess. 5.)

A veritate salutem animæ quærunt. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Si quis sitit, veniat ad me, dicit Dominus. Sed si quis; quia certè illa gratia est singularis, sicut Dominus dicit: Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum. Tractu patris opus est, vbi omnia deserenda illi qui vult esse sectator Christi, sicut ipse dixit: Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. (*Vnde tam pauci ad Christũ veniunt?* Ioh. 6. Luc. 14.)

Ecce quidem vnde tam pauci ad eum veniunt, & cur dicit si quis; vi enim magna opus est & singulari gratia, gratia certè singulari patris, vbi crux & abnegatio omnium requiritur, ad sequendum Christum. Ita enim suis proponebat dicens: B Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Quasi diceret: non omnes capiunt verbum istud, sed tantùm dictum est paucis; propterea dico, si quis. Gratia hæc non datur indifferenter cunctis, sed tantùm electis. Et certè ita est, quia maxima omnium gratia est Christũ quærere, ad ipsũ vocari, inuenire & sequi. (Matth. 16.)

Quare in duobus iam ostendere proponimus quàm sit excellens & sublimis hæc gratia nostræ vocationis, vocationis, inquã, ad sequendum Christum, & seruiendum ei. Primò, quod nemo ad eum peruenire possit nisi per tractum gratiæ & misericordiæ patris. Secundò, quod qui ad eum venit, statim fit particeps omnium donorum & gratiarum quæ in eo sunt. Duo sunt puncta. (*In duobus ostẽditur excellentia nostræ vocationis ad seruitium Christi.*) C

Quantum ad primum. Sublimitas gratiæ & vocationis ostenditur, quod ad patrem solum pertinet nos ad illas inuestigabiles Christi filij sui diuitias introducere. Sic Paul. ad Galat. dicit quod placuit ei qui segregauit ipsum ex vtero matris, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret in se filium suum, & euangelizaret illum in Gentibus. Hæc est gratia Pauli, & quæ illi singulariter data est à patre luminũ. Nam, vt Iacobus dicit, omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Datum optimum, & donum perfectum quod ad nos de supernis venit, Christus est, lumen descendens à patre luminum, D Deus de Deo, lumen de lumine; vnde etiam hoc donum nobis reuelare, ad eum solum pertinet qui sic dilexit mũdum, vt filium suum vnigenitum daret: cuius quidem reuelatio, nostra fuit vocatio & attractio ad ipsum. Adeò vt sicut nemo vadit ad patrem propter altitudinem eius, nisi per filium; nemo enim nouit eum nisi filius, & cui filius voluerit reuelare: ita etiam nemo norit filium nisi pater, & cui pater voluerit reuelare. Quare etiam dicit: Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. (1. Punctum. Gal. 1. Iacobi 1. *Gratia vocationis nostræ ad Christum, est à patre.* Matth. 11. Ioh. 6.)

Quid sit autem attrahi per patrem ad filium, nobis explicat S. August. in Iohan. eo modo quo iam notauimus, videlicet nobis filium reuelari per patrem, ac in eum credere. Quomodo S. Petrus, qui postquam pro cunctis respondisset; Tu es Christus filius Dei viui, audiuit statim ab eo: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, &c. Ecce igitur tractus patris, reuelatio filij sui facta nobis. Quem enim non dulciter traheret talis reuelatus filius, in quo est gratiarum odoriferans balsamum, & pretiosissimus omnium donorum thesaurus? Sic sponsa in Cant. trahi ad eum cupiebat dicens: Trahe me post te; speciosus enim es forma præ filiis hominum, ô homo-Deus, multóque meliùs de te quàm Esther de suo Assuero dicere licet, valde admirabilis Domine es tu, & facies tua (S. Aug tract. 26. in Ioh. *Quomodo per reuelationem attrahimur ad Christum.* Matth. 16.) E

plena est gratiarum ad nos pertrahendum ad te. Trahe me igitur post te,&c.

Duæ catenæ quibus anima trahitur ad Christum. S.August. *1. Amor.*

Duæ autem sunt catenæ ex S.Aug.quibus talis anima ad Christum trahitur ipsi reuelatum à patre,amor,& delectatio seu voluptas spiritus in illo. Amor natus ex cognitione & veritate omnium gratiarum,quæ sunt in Christo: dicit enim Apostolus quia in eo sunt thesauri omnes absconditi, & quia patri in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Quomodo autem non amaret, & amando ad eum non curreret quem videt esse fontem omnium donorũ?Nuces puero monstrantur,& trahitur,ait S.Aug.videlicet currendo ad illas.sed quomodo?amando trahitur, vinculo cordis & sine lesione corporis.O Domine IESV,quomodo tu reuelatus non trahes ad te fortiùs te amãtes?

Forsitan dices,non omnibus reuelatur Christus. Intellige:ama,& traheris,amando enim cognoscitur.Amor est origo luminis, reuelationis & notitiæ Dei. Sic enim dicit Dominus: Qui diligit me, diligetur à patre meo,& ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Vnde S. Aug. dicit; Amor oculus est,amare videre est:seipsum Deus manifestat ei qui illum amat,(ad differentiam rerum aliarum quæ videntur mediante interpositione luminis & specierum.) Non sic enim de Deo,qui seipsum tunc animæ per seipsum manifestat & immediatè:manifestabo ei,inquit,meipsum. Lucerna animæ Deus est. Amor autem animæ oculus Dei est, & amare videre est. Ama ergo, & eum cognosces.Sic dicebat illuminatus psalmista; Gustate,& videte quàm suauis est Dominus.

Amor Dei origo reuelationis & notitia Dei. Ioh.14.

Differentia inter Dei & rerum aliarũ notitiam.

Primò dicit, gustate,& postea videte. Et certè amor ex se perfectionum semper est scrutator,maximè autem Dei amor; vnde trahit, sicut delectatio quæ secunda catena est animæ. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.Fortè trahi petis? Delectare in Domino; trahit enim sua quemque voluptas. Reuela Domino viam tuam, & ipse faciet,id est,trahet te. Dic illi ergo & reuela:Renuit in cunctis consolari anima mea;memor fui Dei, & delectatus sum: & ecce traheris. In memoria enim & contemplatione Dei est gaudium cordis, voluptas animæ, & delectatio spiritus. Et ecce etiam statim in hac animi delectatione tractus ad seruitium Christi.Ita S.Aug.hom. citata.Trahitur,inquit,homo ad Christum,qui delectatur veritate, iustitia, beatitudine, sempiterna vita,quod totum est Christus.Quæso quatuor ista animaduertite.

2.Catena delectatio. Ps.36.

Quatuor delectationũ genera trahunt hominem ad Christum. *1. Delectatio veritatis.*

Primò trahitur ad Christum qui delectatur veritate, fugiendo caduca & temporalia, non est enim in eis veritas. Vnde Dauid: Filij hominum vsquequò graui corde?vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.*

Ps.4.

Secundò, qui delectatur iustitia, videlicet operando bona opera, & sectando æterna, ad quæ solùm natus est: vnde ipse Propheta; Delectare in Domino, & fac bonitatem, & pasceris in diuitiis eius.

2. Delectatio iustitiæ.

Tertiò,qui delectatur beatitudine,ad quam cõtinuò debet aspirare. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. Ecce vbi delectatio est quærentium Dominum.

3. Beatitudinis.

Quartò denique, qui delectatur sempiterna vita, quod totum est Christus, vt dicit Apostolus; Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius est, ait

4. Sempiterna vita. Coloss.3.

1.Ioh.5.

A Iohannes. Ita est Domine, inebriabuntur enim omnes ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ,& in lumine tuo videbimus lumen.

Ecce vbi sunt veræ deliciæ & delectationes Dei vsque in finem. Da amantem,& sentit quod dico, ait S.August. Da desiderantem,da feruentem,da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & ad fontem æternæ patriæ suspirantem; da talem, & scit quid dicam. Si enim frigido loquor, nescit quid loquor. hæc S. August. Non nisi amantes Deus quærit,non nisi feruentes, inspirantes,atque amore languentes; non nisi denique sitientes ad fontem aquæ viuæ, qui Christus est; vnde omnia bona fluunt quæcunque satiant atque reficiunt. S.August.

B

Secundum punctum.

Secundum punctum.Si quis sitit, veniat ad me, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Ecce in quo rursus apparet excellentia nostræ vocationis, quod qui ad Christum vadit, statim fit particeps omnium donorum & gratiarum quæ inueniuntur in eo. Qui enim adhæret Deo,& consequenter iungit se Christo,fit vnus spiritus cum eo; & sic particeps omnium bonorum eius. Hinc Samaritanæ dicebat: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ,&c. Hinc hodie quidem omnibus & publicè clamabat:Si quis sitit, veniat ad me,flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ,id est,gratiarum & donorum plenitudo & abũdantia, in ipso omnium gratiarum fonte Spiritu sancto.Iuxta quod addidit Euangelista;Hoc autem dicebat de Spiritu sancto quem accepturi erant. Ratio enim cur qui Christo vnitur,particeps efficitur omnium donorũ eius, est quia vnus fit spiritus cum illo.Si quis enim non habet Spiritum Christi, hic non est eius; vnde adhærentes illi, & Spiritus eius participes effecti, qui omnium dator est munerum,statim etiam de plenitudine eius omnes accipimus.Flumina fluent;ecce plenitudo.

Participatio omnium bonorum est in Christo. Ioh.4.

C

Triplex gratia in Christo.

Triplex gratia solet assignari & considerari in Christo.Prima est vnionis,iuxta quod natura humana nullis præcedentibus meritis,hoc singulare donum accepit vt vniretur filio Dei in persona. Secunda est gratia singularis, qua anima Christi præ cæteris fuit gratia & veritate repleta. Tertia est capitis, secundum quod ab ipso gratia in alios redundat. Quæ tria apud S. Iohan. ordine congruo sequuntur. Nam quantum ad gratiam vnionis, dicit, Verbum caro factum est. Quantum ad gratiam singularem,dicit, vidimus eum quasi vnigenitum à patre, plenum gratiæ & veritatis. Et quantum ad gratiam capitis,subdit, & de plenitudine eius omnes accepimus. Ioh.1.

D

Vnde & hinc inuitat omnes vt veniant ad se, dicens: Omnia mihi tradita sunt; venite ad me omnes qui laboratis, & inuenietis requiem animabus vestris. Fœlicitatem quæritis quæ in visione est Dei patris? omnia mihi tradita sunt. Qui videt me, videt & patrem meum, quia ego in patre,& pater in me est. Quæritis hanc notitiam? omnia mihi tradita sunt. Ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad patrem nisi per me. Omnia mihi denique tradita sunt,gratia & salus omnium. Hoc agnouit Paulus, & gratias agit Deo patri dicens: Benedictus Deus & pater Domini nostri IESV Christi, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per IESVM Christum secundùm propositum voluntatis suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo: gratificauit, (id est, omnem gratiam in eo inuenire fecit.) Ita vt, sicut omnes qui sunt extra eum reprobantur, ita qui in

Matth.11.

E

Ioh.14.

Ephes.1.

Rom. 8. eo inueniuntur, omnes salui fiant. Nihil enim nunc damnationis iis qui sunt in Christo IESV, (sed notate;) qui non secundum carnem ambulant, sed secundum desideria Spiritus. Ipse est enim qui testimonium dat spiritui nostro quod sumus filij Dei: si nempe quæ spiritualia sunt, & non amplius carnalia & terrestria, sapiamus & quæramus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

Sed qua vita, nisi illa quæ est in Christo IESV, & qua in ipso viuimus? In ipso namque est vita, & vita nostra. Vnde aliquando dicebat: Manete in me, & ego in vobis. Ego sum vitis, vos palmites. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis, fructum vitæ ferre poteritis. Qui manet in me, hic fert fructum multum. Omnem palmitem, è contrà, in me non ferentem fructum, tollet eum Pater. Si quis enim in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & in ignem mittent; id est, priuabitur vita & fructibus suis, neque amplius nisi ad ignem aptus erit. Ioh. 15.

S. August. tract. 8. in Iohan. S. Augustinus hæc verba, & comparationem explicans sic ait. Ligna vitis tanto sunt contemptibiliora si in vite non manserint, quanto gloriosiora si manserint: præcisa nullis agricolarum vsibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur; vnum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis. Si in vite non est, in igne erit. Vt ergo in igne non sit, in vite sit. hæc ille. Ita quidem de nobis est. Aut in Christo manendum, aut in igne; omnes enim qui extra ipsum sunt, perire necesse est, sicut iis qui in ipso sunt salus conceditur & vita. Si manseritis in me, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Si quis sitit, veniat ad me, flumina, &c. Hoc autem dicebat de Spiritu sancto quem accepturi erant credentes in eum, & qui in ipso manent. Manete ergo in me, ait, & in dilectione mea manete, sicut & ego maneo in dilectione Patris. O mansionem beatam! *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Scire vultis vbi manere debeatis? In Christo IESV, in quo omnia constant. Ego sum vitis, inquit, vos palmites.

1 Cor. 3. S. Chrysost. homil. 8. in 1. Cor. 3. S. Chrysostomus explicans illa verba Apostoli 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus IESVS; sic ait. Super ipsum ædificemus, & fundamento inhæreamus, vt palmes viti; & inter nos & Christum nihil sit intermedium, alioquin perimus. Palmes enim ex eo quod sit continens attrahit pinguedinem: & ædificium stat ex eo quod sit conglutinatum. Quod si disiunctum sit, perit. Non solùm ergo Christo adhæreamus, sed etiam ei agglutinemur: nam si disiuncti fuerimus, perimus. Domine qui elongant se à te, peribunt. Ei ergo agglutinemur, & per facta, & opera agglutinemur. Nam qui seruat, ait, mandata mea, ipse in me manet. Etenim per multa exempla vnit nos. & considera. Ipse est caput, nos autem corpus: inter caput autem & corpus nullum potest esse interstitium. Ipse est fundamentum, nos ædificium: ipse vitis, nos palmites: ipse est sponsus, nos sponsa: ipse est pastor, nos oues: ipse fons, nos riuuli: ipse est via, nos qui ingredimur. Rursus nos Templum sumus, ipse est qui inhabitat: ipse est primogenitus, nos fratres: ipse est hæres, nos cohæredes: ipse est vita, nos viuentes: ipse est resurrectio, nos resurgentes: ipse est lux, nos qui illuminamur; vt iam tibi appareat ex omnibus istis, quod qui ad eum venit, eique adhæret, & seruit, omnia etiam simul inuenit in illo, quia omnia in ipso constant; omnia, & in omnibus IESVS Christus.

DE TEMPORE POENITENTIÆ, & gratia conuersionis nostræ ad IESVM Christum.

Tempus vestrum semper est paratum. Iohan. 7.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

DIVINIORES effectus passionis IESV Christi, gloria sunt & gratia. In Cœlo nihil Deus communicat dignius, nihil maius gloria, in cuius lumine reuelatur diuina essentia, & eleuatur creatura vsque ad transformationem imaginis Dei, vt Iohan. ait; Cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Ecce in visione similitudo Dei. Quid quæso hoc dignius esse potest? Sed transformationem videamus; sic enim loquitur Apostolus: Nos autem reuelata facie (Christo IESV,) gloriam Domini speculantes, (adinstar speculi recipientes) in eamdem imaginem transformabimur. Hinc equidem considerans S. Thom. maiora Dei opera quæ facere potuit, tria solùm commemorat, Incarnationem Verbi, maternitatem Virginis, & gloriam beatorum in cœlis, vbi non in ænigmate, sed facie ad faciem videtur Deus ab illis. Vnde dicimus quod in Cœlo nihil maius gloria communicat, nihil dignius. 1. Ioh. 3. *Nihil in Cœlo dignius communicatur gloria.* 2. Cor. 3. *Tria maiora Dei opera ex S. Thom.*

Idem de gratia in terra dicimus, quod scilicet nihil ea Deus nobis hic communicat præstantius, si adhuc consideremus participationem quamdam esse diuinæ naturæ & similitudinis. Dico imprimis naturæ, quia gratia ex se illud habet, vt præsentem in nobis Diuinitatem constituat & Trinitatem, iuxta illud Apostoli Petri: Per Christum maxima & pretiosa promissa Deus nobis donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ. Per ista promissa donata sermo est de gratia. *Nihil præstantius gratia Deus cōmunicat in terra.* 2. Petr. 1.

Secundò similitudinis, quia præterquàm quod Deum præsentem constituit, & non est sine essentia eius, adhuc tamen in illa diuinas qualitates ponit & similitudines, vt videlicet ad nihil aliud sit intenta quàm vt Deo complaceat. Deus sibi ipsi complacet, se intuetur & amat, nullámque extra se beatitudinem habet: ita anima quæ in gratia est, non quiescit nisi in Deo; omnia illi displicent & vilescunt nisi ea quæ Dei sunt. Deus peccatum detestatur & horret; sic anima in gratia abominabile reputat & fugit; & sic quodammodo diuinæ fit consors similitudinis, supra se eleuata semper per illam in suis operationibus; adeò vt in nobis sit velut extensio Spiritus Christi ad operandum quæ Dei sunt, & reuera qualitas realis, quæ formaliter nos simul perficit & ad esse spirituale, & ad opus simile: formaliter ad esse spirituale, destruens naturale quoad vsum; & formaliter etiam nos ad opus spirituale perficiens, cùm videlicet nobis tribuit virtutem actionis exercendæ, vita æterna dignæ. *Gratia velut extensio Spiritus Christi in nobis.*

Ecce qualis & quantæ dignitatis est gratia, quæ nobis communicatur in hac vita, initium ac semen gloriæ in cœlis. Quare cum Apost. hortamur vos ne in vanum gratiam Dei recipiatis. Ait enim; Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. *Tempus vestrum semper est paratum*, dicit hodie Christus.

2. Cor. 6.

Quodnam quæso est istud tempus quod nobis semper paratum est? Tempus gratiæ & salutis: tempus pœnitentiæ & conuersionis ad Dominũ. Apud Ezech. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita viuet, & non morietur. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur, & viuat. Conuertimini, conuertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israël? Impietas impij nõ nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit: & si dixero illi, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, & in mandatis vitæ ambulauerit, vita viuet. Sic apud Ioelem; Nunc dicit Dominus: Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ. Conuertimini ad me in toto corde vestro. Sic apud Zachariam; Conuertimini ad me, & conuertar ad vos, & ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant Prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum; Conuertimini de viis vestris malis, & non audierunt: vos autem audite. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos: quia tempus vestrum semper est paratum, tempus misericordiæ & salutis. Marci 1. Venit IESVS prædicans Euangelium regni Dei, & dicens quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitemini & credite Euangelio. Euangelium dicit; Nisi pœnitentiam egeritis, peribitis. Credite Euangelio. Euangelium dicit: Facite fructus dignos pœnitentiæ: iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur. Credite Euangelio. Euangelium dicit: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Credite Euangelio. Euangelium dicit: Nescitis qua hora Dominus vester venturus est. Ideo & vos estote parati. Credite Euangelio. Tempus enim vestrum semper est paratum, Dominus adest, & vocat te. Credite Euangelio dicenti: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Ecce tempus quod nostrum est, & semper paratum, quo Dominus IESVS ad nos venit, vt conuertamur ad ipsum. Nostrum est, quia nobis datum vt eo vtamur ad libitum: semper autem paratum, quia misericordiæ est quæ nos vocat, expectat, præuenit. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.*

Ezech. 18. & 33. — Ioël. 2. — Zachar. 1. — Marc. 1. — Luc. 13. — Matth. 3. — Matth. 24.

Quomodo tẽpus aduentus Christi & præsens, nostrum est, & semper paratum.

Heu! & flens dico, neque enim sine lacrymis istud considerare valeo; modicum tempus, & momentum dicam, nobis datur ad pœnitendum, conuertendum, & gratiam promerendam, & negligitur. Non est scientia Dei in terra. Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ille quidem in vacuum recipit, qui tempore misericordiæ & gratiæ abutitur, & transigit otiosè diem suę salutis. Osee 8. Dominus Israëlitas arguit, quod de auro & argento sibi à Deo præstitis idola fecerunt, & seruierunt Baal: & cap. 7. conqueritur sic. Erudiui eos, & confortaui brachia, & in me cogitauerunt malitiam; Væ eis quoniam recesserunt à me. Sic hodie multi sunt, qui donis Dei & tempore gratiæ abutuntur in obsequium diaboli. Væ eis quoniam recesserunt à me, & non se conuerterunt. Apocal. 2. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Quasi diceret; aliàs non dabo. Quare curandum est vt fideliter cursum nostrum in gratia consummemus, dum in hac præsenti vita pœnitentia valere potest, clamemus dum audit Deus, & pœniteamus dum tempus habemus. Dum tempus habemus, operemur bonum: post hoc enim tempus erit, in quo operari non possumus.

Osee 7. & 8. — Apoc. 2. — Gal. 6.

S. Gregor. dicit omne tempus vitæ huius diem solum esse laboris, & tempus merendi. O quàm ergo inueniuntur culpabiles qui sunt otiosi! Quid hîc statis tota die otiosi? inquiebat Dominus. Sed quinam sunt isti? Vtique qui mundo seruiunt & carni. Mundus transit & concupiscentia eius; & in omnibus inutiles sumus, si Deo non seruiamus, propter quod solùm in hoc mundo sumus. Oportet me operari (inquiebat Dominus) opera eius qui misit me, donec dies est. Dies nostri breues sunt super terram, & velut vmbra, & tamen nihil eorum quæ Dei sunt agimus.

S. Gregor. — *In omnibus inutiles sumus vbi Deo non seruitur.* — Ioh. 9.

Hinc certè ratio est cur dicat S. Thom. contra Gentiles, illos solos gratia Dei priuari, qui in seipsis gratiæ impedimẽtum præstant; cùm ipse, quãtum in se est, paratus sit illam dare omnibus: dicens id quod in Apocal. est; Ego sto ad ostium & pulso. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum: post hoc enim, &c. Sic dicit Isa. Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate dum propè est. S. Bern. super Cant. Attende, inquit, tres esse causas quibus quærentes frustrari solent, scilicet cùm nec tempore, nec modo, nec loco quo oportet quærunt.

S. Tho. lib. 3. cõtra Gẽtil. cap. 15. — Apoc. 3. — Isa. 55. — S. Bern.

Quare primò præsens vita solummodo tempus paratum est & conueniens, quo Deus propè est, quæri & inueniri potest, quo vocat & offert se. Hinc ait S. Gregor. quod clamorem eius angustiæ tempore Dominus non audit, qui tranquillitatis tempore in præceptis suis clamantem Dominum non audiuit. Propterea enim Propheta dicit; Quærite Dominum dum inueniri potest, id est, tempore huius vitæ, & non post mortem, ne claudatur ianua misericordiæ. In Apocal. iurauit Angelus per viuentem in sæcula sæculorum, qui creauit cœlum & terram, quia tempus non erit amplius: tempus gratiæ, conuersionis & misericordiæ. Qui quærit florem in hyeme, vel in nocte, minimè inuenit. Sic qui misericordiam Dei quærit & gratiam post mortem, non inuenit, tempus clausum est. Fructum ne quæras vbi flos non apparuit. Nullum florem bonorum operum in hac præsenti vita produxisti. Noli etiam in futura quærere fructum. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Vnde dicitur de malis Prou. 1. quod comedent fructus viæ suæ. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam. Quare? quia conuersionem suam & pœnitentiam distulerunt, & tempore minimè opportuno quæsierũt. Exemplum est in epulone illo, & diuite purpurato, qui misericordiam Dei post hanc vitam quæsiuit dicens: Pater Abraham miserere mei; & non inuenit, quia certè non quæsierat hîc.

Tempus quo Deus quæri potest. — S. Greg. 20. moral. — Apoc. 10. — Prou. 1. — Luc. 16.

Visne itaque Deum in futuro inuenire, hîc eum in præsenti quære. Qui mane vigilauerint ad me, inuenient me, vt dicitur in Prouerbiis. Quærite ergo Dominum, dum inueniri potest. Quærite, & viuet anima vestra, ait Psalmista. S. Bernard. Nihil dignius ad quærendum, nihil dulcius ad inueniendum, & nihil vtilius ad habendum. Dic igitur illi: Sitiuit anima mea ad te Deum meum, eo quod audiui quia bonus est Dominus animæ quærenti illum; & sic Deum meum inuoco qui propè est. Nunc quidẽ propè est, & non videtur; tunc autem, id est,

Prou. 8. — Psal. S. — S. Bern. — Thren. 4.

id eſt, aliquando videbitur, & propè non erit. Nam cùm in iudicio apparebit, videri poterit, & non inueniri. Nunc autem, necdum in iudicio apparuit, & ſi quæritur, inuenitur. *Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra.* Tempus veſtrum, quod nunc eſt & præſens, ſemper eſt paratum: tempus meum nondum venit; veſtrum autem eſt paratum. Quærite Dominum dum inueniri poteſt. Inuocate dum propè eſt.

Locus & modus inueniendi Deum. Iam ad locum & modum inueniendi eum veniamus. Humilitas eſt & contritio cordis: cor locus eſt, contritio atque ſimplicitas, modus. Vnde Sapiens ait: In ſimplicitate cordis quærite illum. *Sap. 1.* & Iſa. Viam facite, præbete iter, & auferte offendicula populi mei de via. *Iſa. 57.* Quia hæc dicit Excelſus habitans cum contrito & humili ſpiritu, vt viuificet ſpiritum humilium, & cor contritorum. Ecce equidem vbi inuenitur Dominus, & inueniendi modus. Non in lectulo deliciarum. Ita enim ſponſa dicit: In lectulo meo per noctem quæſiui, & non inueni quem diligit anima mea. *Cant. 3.* Diuinus ſponſus non inuenitur in deliciarum nocte, & lectulo concupiſcentiæ, ſed in anguſto amari cordis: non in terra ſuauiter viuentium, vt dicit Iob, ſed in deſerto gementium, in terra, & plateis ſupernæ Hieruſalem, in cœlis, vbi iam anima per conuerſationem tota eſt, & elongationem corruptibilium mundi, noua facta creatura in Chriſto. *Iob. 28.* In hoc enim eſt tota perfectio noſtræ conuerſionis, vt omni depoſita forma ſæculi, nouam vitæ formam aſſumamus in Chriſto, diuinæ voluntati eius penitus adhærentes. *In tribus perfectio noſtræ conuerſionis conſiſtit.*

Tria ſunt hæc ad quæ nos exhortatur Apoſtolus dicens: Nolite conformari huic ſæculo. *Rom. 12.* ecce quantum ad primum: ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri. ecce quoad ſecundum, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta. ecce quantum ad tertium.

Triplex forma ſæculi. Circa primum autem eſt ſciendum triplicem eſſe formam ſæculi. Prima eſt terrenorum cupiditas: ſecunda, cupiditas carnis: tertia, ſuperbia vitæ; & de his tribus 1. Ioh. 2. *1. Ioh. 2.* Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Præterea ſciendum quod iſta triplex forma dat triplex eſſe, eſſe terrenum, animale, & diabolicum. *Triplex eſſe hominis ex triplici concupiſcentia.* Auaritia hominem facit terrenum; concupiſcentia carnis animalem; & ſuperbia diabolicum. De his tribus etiam Iacob. 3. *Iacob. 3.* Nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem, id eſt, vanitatem ſequi, & quæ ſunt mundi. Non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens; ſed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, pudica eſt, modeſta, plena miſericordia, & fructibus bonis. *Non eſt veritas, non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra.*

Ecce forma mundi, & qui conformantur ſæculo, auari, carnales, ſuperbi, & qui peribunt omnes; ſicut præterit figura huius mundi. Nolite conformari huic ſæculo. *Quare nõ debeamus inhærere mundo.* Mundus tranſit, & concupiſcentia eius, dicit S. Iohan. propterea nolite diligere mundum, nolite fugientem ſequi, inhærere labenti. S. Auguſt. Serm. Septuageſ. clamat ſic. *S. Aug. Ser. in Septuag.* Væ nobis, ruit mundus; ſi ruit, quare non migras? Si tibi Architectus diceret ruituram domum tuam, nonne priùs migrares quàm murmurares? *Exemplum.* Structor mundi tibi dicit ruiturum mundum, & non credis? Audi vocem prædicentis, audi conſilium commonentis. Vox prædicentis eſt Luc. 21. *Luc. 21.* Cœlum, inquit, & terra tranſibunt, &c. Vox commonentis eſt

A Matth. 9. Nolite vobis condere theſaurum in terra. Ergo ſi creditis prædicenti, & non contemnitis commonentem, fiat quod dicit; Nolite vobis condere theſauros in terra, experti quomodo pereat quod in terra reconditur. Nolite diligere mundum; nolite conformari huic ſæculo. Audiant, & faciant experti vnde non timeant, migrent in cœlum.

Aliud rurſus hîc exemplum proponit. Frumentum ponis in terræ inferioribus; venit amicus qui nouit frumentum, & terræ naturam, docet tuam imperitiam, & tibi dicit; Quid feciſti? humidus locus eſt, putreſcit quod poſuiſti, perdes laborem tuum. *Aliud exemplum.* Reſpondes, quid ergo faciam? Migra, inquit, in ſuperiora. B Audis ergo amicum conſilium dantem de frumento tuo, & contemnis Deum conſilium dantem de corde tuo vbi pones? Frumentum tuum times ponere in terra, & cor tuum perdis in terra? Ecce igitur conſilium quod Dominus tibi dat de corde tuo. Matth. 6. Vbi fuerit, inquit, theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum. In cœlo eſt. Leua igitur cor in cœlum, ne putreſcat in terra. Conſilium eius eſt qui te vult ſeruare, & non perdere. Quare non audimus eum, ſi conſilium eſt hoc? ne ſimus pigri in conſilio tam bono, ſi migraturi ſumus, incipiamus iam nos eò transferre, vbi ſine fine erimus. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. Quare & in nouitate vitæ ambulemus, noua induti forma C gratiæ.

Circa hoc ſecundum autem eſt notandum, quod illa noua forma vitæ tripliciter aſſumitur. *Tripliciter noua forma vitæ aſſumitur.* In rectitudine voluntatis & cordis, vt Apoſt. dicit: Facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate. *Eph. 6.* In operum iuſtitia, & veritate oris. De his tribus Epheſ. 5. *Eph. 5.* Fructus autem lucis, (ſcilicet quod in nouitate vitæ ambulamus) eſt in omni bonitate, iuſtitia, & veritate; in bonitate cordis, iuſtitia operis, & veritate ſermonis. *Triplex eſſe hominis perfecti.* Prima forma dat eſſe ſimile Angelis per bonitatem. Secunda ſimile Sanctis per iuſtitiam. Tertia verò ſimile Deo per veritatem, quia ipſe eſt ſumma veritas, & regula omnis iuſtitiæ & bonitatis in operibus noſtris. D Propterea enim in hac nouitate vitæ ambulamus, vt probemus quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta. Circa hoc tertium in quo conſiſtit omnis perfectio noſtræ conuerſionis & vitæ, ſciendum eſt hîc aſſignari triplicem voluntatem Dei, bonam in mandatis, beneplacentem in conſiliis, & perfectam in inſpirationibus ſecretis. *Triplex Dei voluntas, in mandatis, cõſilys, & inſpirationibus.* Præcepta ſunt in lege: conſilia in Euangelio: inſpirationes verò in ſecreto cordis. Quæ omnia ſigna ſunt diuinæ eius voluntatis bonæ, beneplacentis & perfectæ, vt in omnibus obſeruetur & fiat ſicut in cœlo & in terra, quia vita in voluntate eius.

E
DE PERFECTIONE, & æternitate vitæ noſtræ in Chriſto Iesv.

Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis. Iohan. 10.

Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra. Oſee 4.

QVAM ſit excellens vita gratiæ & ſpiritus quam in Chriſto Iesv ducimus, notum eſt ex his

Ecce qualis & quantæ dignitatis est gratia, quæ nobis communicatur in hac vita, initium ac semen gloriæ in cœlis. Quare cum Apost. hortamur vos ne in vanum gratiam Dei recipiatis. Ait enim; Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. *Tempus vestrum semper est paratum*, dicit hodie Christus.

2. Cor. 6.

Quodnam quæso est istud tempus quod nobis semper paratum est? Tempus gratiæ & salutis: tempus pœnitentiæ & conuersionis ad Dominũ. Apud Ezech. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita viuet, & non morietur. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur, & viuat. Conuertimini, conuertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israël? Impietas impij nõ nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit: & si dixero illi, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, & in mandatis vitæ ambulauerit, vita viuet. Sic apud Ioëlem; Nunc dicit Dominus: Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ. Conuertimini ad me in toto corde vestro. Sic apud Zachariam; Conuertimini ad me, & conuertar ad vos, & ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant Prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum; Conuertimini de viis vestris malis, & non audierunt: vos autem audite. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos: quia tempus vestrum semper est paratum, tempus misericordiæ & salutis. Marci 1. Venit IESVS prædicans Euangelium regni Dei, & dicens quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitemini & credite Euangelio. Euangelium dicit; Nisi pœnitentiam egeritis, peribitis. Credite Euangelio. Euangelium dicit: Facite fructus dignos pœnitentiæ: iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur. Credite Euangelio. Euangelium dicit: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Credite Euangelio. Euangelium dicit: Nescitis qua hora Dominus vester venturus est. Ideo & vos estote parati. Credite Euangelio. Tempus enim vestrum semper est paratum, Dominus adest, & vocat te. Credite Euangelio dicenti: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Ecce tempus quod nostrum est, & semper paratum, quo Dominus IESVS ad nos venit, vt conuertamur ad ipsum. Nostrum est, quia nobis datum vt eo vtamur ad libitum: semper autem paratum, quia misericordiæ est quæ nos vocat, expectat, præuenit. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.*

Ezech. 18. & 33. — Ioël. 2. — Zachar. 1. — Marc. 1. — Luc. 13. — Matth. 3. — Matth. 24.

Quomodo tempus aduentus Christi & præsens, nostrum est, & semper paratum.

Heu! & flens dico, neque enim sine lacrymis istud considerare valeo; modicum tempus, & momentum dicam, nobis datur ad pœnitendum, conuertendum, & gratiam promerendam, & negligitur. Non est scientia Dei in terra. Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ille quidem in vacuum recipit, qui tempore misericordiæ & gratiæ abutitur, & transigit otiosè diem suę salutis. Osee 8. Dominus Israëlitas arguit, quod de auro & argento sibi à Deo præstitis idola fecerunt, & seruierunt Baal: & cap. 7. conqueritur sic. Erudiui eos, & confortaui brachia, & in me cogitauerunt malitiam; Væ eis quoniam recesserunt à me. Sic hodie multi sunt, qui donis Dei & tempore gratiæ abutuntur in obsequium diaboli. Væ eis quoniam recesserunt à me, & non se conuerterunt. Apocal. 2. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Quasi diceret; aliàs non dabo. Quare curandum est vt fideliter cursum nostrum in gratia consummemus, dum in hac præsenti vita pœnitentia valere potest, clamemus dum audit Deus, & pœniteamus dum tempus habemus. Dum tempus habemus, operemur bonum: post hoc enim tempus erit, in quo operari non possumus.

Osee 7. & 8. — Apoc. 2. — Gal. 6.

S. Gregor. dicit omne tempus vitæ huius diem solum esse laboris, & tempus merendi. O quàm ergo inueniuntur culpabiles qui sunt otiosi! Quid hîc statis tota die otiosi? inquiebat Dominus. Sed quinam sunt isti? Vtique qui mundo seruiunt & carni. Mundus transit & concupiscentia eius; & in omnibus inutiles sumus, si Deo non seruiamus, propter quod solùm in hoc mundo sumus. Oportet me operari (inquiebat Dominus) opera eius qui misit me, donec dies est. Dies nostri breues sunt super terram, & velut vmbra, & tamen nihil eorum quæ Dei sunt agimus.

S. Gregor. — *In omnibus inutiles sumus vbi Deo non seruitur.* — Ioh. 9.

Hinc certè ratio est cur dicat S. Thom. contra Gentiles, illos solos gratia Dei priuari, qui in seipsis gratiæ impedimẽtum præstant; cùm ipse, quãtum in se est, paratus sit illam dare omnibus: dicens id quod in Apocal. est; Ego sto ad ostium & pulso. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum: post hoc enim, &c. Sic dicit Isa. Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate dum propè est. S. Bern. super Cant. Attende, inquit, tres esse causas quibus quærentes frustrari solent, scilicet cùm nec tempore, nec modo, nec loco quo oportet quærunt.

S. Tho. lib. 3. cõtra Gentil. cap. 15. — Apoc. 3. — Isa. 55. — S. Bern.

Quare primò præsens vita solummodo tempus paratum est & conueniens, quo Deus propè est, quæri & inueniri potest, quo vocat & offert se. Hinc ait S. Gregor. quod clamorem eius angustiæ tempore Dominus non audit, qui tranquillitatis tempore in præceptis suis clamantem Dominum non audiuit. Propterea enim Propheta dicit; Quærite Dominum dum inueniri potest, id est, tempore huius vitæ, & non post mortem, ne claudatur ianua misericordiæ. In Apocal. iurauit Angelus per viuentem in sæcula sæculorum, qui creauit cœlum & terram, quia tempus non erit amplius: tempus gratiæ, conuersionis & misericordiæ. Qui quęrit florem in hyeme, vel in nocte, minimè inuenit. Sic qui misericordiam Dei quærit & gratiam post mortem, non inuenit, tempus clausum est. Fructum ne quæras vbi flos non apparuit. Nullum florem bonorum operum in hac præsenti vita produxisti. Noli etiam in futura quærere fructum. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Vnde dicitur de malis Prou. 1. quod comedent fructus viæ suæ. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam. Quare? quia conuersionem suam & pœnitentiam distulerunt, & tempore minimè opportuno quæsierũt. Exemplum est in epulone illo, & diuite purpurato, qui misericordiam Dei post hanc vitam quæsiuit dicens: Pater Abraham miserere mei; & non inuenit, quia certè non quæsierat hîc.

Tempus quo Deus quæri potest. — S. Greg. 20. moral. — Apoc. 10. — Prou. 1. — Luc. 16.

Visne itaque Deum in futuro inuenire, hîc eum in præsenti quære. Qui mane vigilauerint ad me, inuenient me, vt dicitur in Prouerbiis. Quærite ergo Dominum, dum inueniri potest. Quærite, & viuet anima vestra, ait Psalmista. S. Bernard. Nihil dignius ad quærendum, nihil dulcius ad inueniendum, & nihil vtilius ad habendum. Dic igitur illi: Sitiuit anima mea ad te Deum meum, eo quod audiui quia bonus est Dominus animæ quærenti illum; & sic Deum meum inuoco qui propè est. Nunc quidẽ propè est, & non videtur; tunc autem, id est,

Prou. 8. — Psal. 8. — S. Bern. — Thren. 4.

id est, aliquando videbitur, & propè non erit. Nam cùm in iudicio apparebit, videri poterit, & non inueniri. Nunc autem, necdum in iudicio apparuit, & si quæritur, inuenitur. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Tempus vestrum, quod nunc est & præsens, semper est paratum: tempus meum nondum venit; vestrum autem est paratum. Quærite Dominum dum inueniri potest. Inuocate dum propè est.

Locus & modus inueniendi Deum. Iam ad locum & modum inueniendi eum veniamus. Humilitas est & contritio cordis: cor locus est, contritio atque simplicitas, modus. Vnde Sapiens ait: In simplicitate cordis quærite illum. *Sap. 1.* & Isa. Viam facite, præbete iter, & auferte offendicula populi mei de via. *Isa. 57.* Quia hæc dicit Excelsus habitans cum contrito & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & cor contritorum. Ecce equidem vbi inuenitur Dominus, & inueniendi modus. Non in lectulo deliciarum. Ita enim sponsa dicit: In lectulo meo per noctem quæsiui, & non inueni quem diligit anima mea. *Cant. 3.* Diuinus sponsus non inuenitur in deliciarum nocte, & lectulo concupiscentiæ, sed in angusto amari cordis: non in terra suauiter viuentium, vt dicit Iob, sed in deserto gementium, in terra, & plateis supernæ Hierusalem, in cœlis, vbi iam anima per conuersationem tota est, & elongationem corruptibilium mundi, noua facta creatura in Christo. *Iob. 28.* In hoc enim est tota perfectio nostræ conuersionis, vt omni deposita forma sæculi, nouam vitæ formam assumamus in Christo, diuinæ voluntati eius penitus adhærentes. *In tribus perfectio nostra conuersionis consistit.*

Tria sunt hæc ad quæ nos exhortatur Apostolus dicens: Nolite conformari huic sæculo. ecce quantum ad primum: sed reformamini in nouitate sensus vestri. ecce quoad secundum, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta. ecce quantum ad tertium. *Rom. 12.*

Circa primum autem est sciendum triplicem esse formam sæculi. Prima est terrenorum cupiditas: secunda, cupiditas carnis: tertia, superbia vitæ; & de his tribus 1. Ioh. 2. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. *Triplex forma sæculi.* *1. Ioh. 2.* Præterea sciendum quod ista triplex forma dat triplex esse, esse terrenum, animale, & diabolicum. Auaritia hominem facit terrenum; concupiscentia carnis animalem; & superbia diabolicum. *Triplex esse hominis ex triplici concupiscentia.* De his tribus etiam Iacob. 3. Nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem, id est, vanitatem sequi, & quæ sunt mundi. *Iacob. 3.* Non est enim ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem desursum est sapientia, pudica est, modesta, plena misericordia, & fructibus bonis. *Non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.*

Ecce forma mundi, & qui conformantur sæculo, auari, carnales, superbi, & qui peribunt omnes; sicut præterit figura huius mundi. Nolite conformari huic sæculo. Mundus transit, & concupiscentia eius, dicit S. Iohan. propterea nolite diligere mundum, nolite fugientem sequi, inhærere labenti. *Quare nõ debeamus inhærere mundo.* S. August. Serm. Septuages. clamat sic. *S. Aug. Ser. in Septuag.* Væ nobis, ruit mundus; si ruit, quare non migras? Si tibi Architectus diceret ruituram domum tuam, nonne priùs migrares quàm murmurares? *Exemplum.* Structor mundi tibi dicit ruiturum mundum, & non credis? Audi vocem prædicentis, audi consilium commonentis. Vox prædicentis est Luc. 21. *Luc. 21.* Cœlum, inquit, & terra transibunt, &c. Vox commonentis est

A Matth. 9. Nolite vobis condere thesaurum in terra. Ergo si creditis prædicenti, & non contemnitis commonentem, fiat quod dicit; Nolite vobis condere thesauros in terra, experti quomodo pereat quod in terra reconditur. Nolite diligere mundum; nolite conformari huic sæculo. Audiant, & faciant experti vnde non timeant, migrent in cœlum.

Aliud rursus hîc exemplum proponit. *Aliud exemplum.* Frumentum ponis in terræ inferioribus; venit amicus qui nouit frumentum, & terræ naturam, docet tuam imperitiam, & tibi dicit; Quid fecisti? humidus locus est, putrescit quod posuisti, perdes laborem tuum. Respondes, quid ergo faciam? Migra, inquit, B in superiora. Audis ergo amicum consilium dantem de frumento tuo, & contemnis Deum consilium dantem de corde tuo vbi pones? Frumentum tuum times ponere in terra, & cor tuum perdis in terra? Ecce igitur consilium quod Dominus tibi dat de corde tuo. Matth. 6. Vbi fuerit, inquit, thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. In cœlo est. Leua igitur cor in cœlum, ne putrescat in terra. Consilium eius est qui te vult seruare, & non perdere. Quare non audimus eum, si consilium est hoc? ne simus pigri in consilio tam bono, si migraturi sumus, incipiamus iam nos eò transferre, vbi sine fine erimus. Conuersatio nostra in cœlis est. Quare & in nouitate vitæ ambulemus, noua induti forma C gratiæ.

Circa hoc secundum autem est notandum, quod illa noua forma vitæ tripliciter assumitur. *Tripliciter noua forma vitæ assumitur.* In rectitudine voluntatis & cordis, vt Apost. dicit: Facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate. *Eph. 6.* In operum iustitia, & veritate oris. De his tribus Ephes. 5. *Eph. 5.* Fructus autem lucis, (scilicet quod in nouitate vitæ ambulamus) est in omni bonitate, iustitia, & veritate; in bonitate cordis, iustitia operis, & veritate sermonis. *Triplex esse hominis perfecti.* Prima forma dat esse simile Angelis per bonitatem. Secunda simile Sanctis per iustitiam. Tertia verò simile Deo per veritatem, quia ipse est summa veritas, & regula omnis iustitiæ & bonitatis in operibus nostris. Propterea D enim in hac nouitate vitæ ambulamus, vt probemus quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta. Circa hoc tertium in quo consistit omnis perfectio nostræ conuersionis & vitæ, sciendum est hic assignari triplicem voluntatem Dei, bonam in mandatis, beneplacentem in consiliis, & perfectam in inspirationibus secretis. *Triplex Dei voluntas, in mandatis, cõsilys, & inspirationibus.* Præcepta sunt in lege: consilia in Euangelio: inspirationes verò in secreto cordis. Quæ omnia signa sunt diuinæ eius voluntatis bonæ, beneplacentis & perfectæ, vt in omnibus obseruetur & fiat sicut in cœlo & in terra, quia vita in voluntate eius.

E
DE PERFECTIONE, & æternitate vitæ nostræ in Christo IESV.

Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis. Iohan. 10.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

QVAM sit excellens vita gratiæ & spiritus quam in Christo IESV ducimus, notum est ex his

Coloss. 3.

ex his verbis Apost. Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Hoc genus vitæ, aliqua participatio est ipsius vitæ Christi in seipso, vitæ Dei in humanitate absconditæ, & humanitatis in verbo vitæ: sic enim vitam duxit in terris, vt in humilitate communis vitæ & exterioris, sublimitas lateret interioris. Quare hanc vitam spiritus & gratiæ instituit in terra, vt ipsa qua nobiscum vixit sublimis honoraretur ac diuina; adeò vt illa sit alterius principium & finis. Propterea enim Dominus dixit: Ego veni vt vitam habeāt, & abundātiùs habeant. Primum donum vitæ per Christum, gratia est, & abundantior vita, æterna gloria. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis.*

Ioh. 10.

Ecce quà & quò tendere debemus. Gratia Dei vita æterna; per vitam gratiæ perueniendum est ad æternitatem vitæ. In negotio salutis nobis est omnia Christus. Initium est, medium, & finis, via, veritas, & vita. Per me si quis introierit, saluabitur. Ego sum via, ex S. Cyrill. in exhibitione legis, iis qui in mundo sunt, & adhuc remanent sub iugo timoris & seruitutis; vnde Dominus: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Item via est in declaratione consiliorum, quæ sunt pro amicis; præcepta enim ad seruos pertinent. Quare Dominus quibus sua consilia reuelabat, dicebat; Iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia quæ audiui à Patre nota feci vobis: vtique illa quæ Pater Dominus cœli & terræ abscondit à sapientibus, & reuelauit paruulis; vitam gratiæ absconditam in Deo, & omnia quæ sequuntur illam. Audite quæ illa sunt. Si vis, inquit, perfectus esse, (ecce hic de perfectione vitæ loquitur,) vade, vende, veni, & sequere me. Rursus; Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me. & iterum: Qui mihi ministrat, me sequatur; vbi sum ego, illic & minister meus erit; in Patre erit, in principio & æternitate vitæ. *Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis.* Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus. Hæc quæ non dicuntur, & quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit; hæc denique quæ præparauit Deus amicis & diligentibus se.

Omnia nobis est Christus in negotio nostræ salutis.

Via est in lege & consiliis.

Ierem. 6.

Non est scientia Dei in terra, dicit Ierem. state super vias vestras, & interrogate quæ sit via bona. Vultis vobis dicam, & quæ sit ostendam? Christus est: Ego sum via, & via bona quæ ducit ad vitam. Sic ad eum solum conuertens se Psalmista dicebat; Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te leuaui manum meam; te enim quæro solum Deum meum, qui via es & ianua ad vitam: te quæro & sequor, sed vt sequar, accersi: quia sine te nullus ascēdit. Tu enim via es, veritas, & vita. Suscipe nos igitur quasi via; confirma nos quasi veritas; viuifica quasi vita. Notas fac mihi vias vitę, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem. Ita faciam, dicit Dominus in Prouerb. viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis, id est, veritatis, ad vitam. Vnde postquam dixit: Ego sum via, statim addidit, veritas & vita. Veritas in exemplo & imitatione, vt sequētes lucē ad vitam perueniamus. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus. Lumen vitæ est veritas, quæ nobis ostendit vbi sit vita. Sed heu! *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Errauimus à via veritatis, dicunt peccatores desperati, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Vnde lassati sumus in via iniquitatis & perdi-

Prou. 4.

Christus est veritas, & lux in exemplo & imitatione.

Sap. 5.

A tionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus; viam Domini quæ ad vitam ducit, & ipsemet in possessione vita æterna est, ait S. Iohan. Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius. Qui habet filium, habet vitā, &c. *Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis.* Ego sum via, veritas & vita. Via ducens, veritas lucens, vita pascens. Si quis per me introierit, saluabitur, & pascua inueniet: ego enim sum panis vitæ. Via non errans quærentibus, veritas non fallens inuenientibus, & vita non deficiens, sed æterna in eo permanentibus.

1. Ioh. 5.

Quot modis Christus dicitur via, veritas & vita.

Hinc clamat errantibus, & viam ignorantibus:
B Ego sum via; dubitantibus & non credentibus: Ego sum veritas; ascendentibus autem: Ego sum vita. Via incipientium; veritas proficientium; vita perfectorum. Initium salutis nostræ est, de peccato ad gratiam, & de mundo transire ad Deum. Profectus autem est, illam veritatem agnoscere & sequi; gratia enim & veritas per IESVM Christum, ait S. Iohan. Omnis autem perfectio est in ipsa vita Christo. Qui enim filium habet, vitam habet, & omnia. O quàm ille est fœlix, qui cum Apostolo Paulo potest dicere; Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus: & qui tandem principium vitæ suæ, & vsum dependenter habet à Christo.
C Hæc enim est vita quam agere debemus in terra, in honorem eius quam nobiscum duxit: hæc est vita abscondita cum Christo, vita spiritus & gratiæ; vita interior, & qua viuere debent Christiani.

Ioh. 1.

Vt autem eiusmodi viuamus vita, tria maximè requiruntur. Primum est, puritas conscientiæ, quæ consistit in voluntate constanti & perpetua nunquam Deum offendendi etiam in minimis. Qui enim in committendis leuioribus culpis negligens est, etiam paulatim & facilè labitur in peccata maiora, quousque in profundum veniat, ita vt exinde amplius resurgere non possit.

Tria requiruntur ad viuendum vita interiori.

1. Puritas conscientiæ.

S. Thom. dicit venialia peccata disponere ad mortalia, & sic vitæ profectum impedire. Nam
D profectus hominis consistit & perfectio vitæ in feruore charitatis, quem certum est venialia peccata diminuere, sicut mortalia extinguere. Hanc enim differentiam ponit eadem parte quæst. 72. artic. 5. quæ reperitur inter morbum & mortem. Quidnam enim sunt mors & morbus in corpore nisi quædam deordinatio, seu remotio principij vitæ? In morte quidem irreparabilis secundum naturam suam: in morbo verò reparabilis. Sic est de peccato mortali & veniali quantum ad animam. Deordinatio quidem est & remotio quædam gratię, reparabilis in veniali, sicut in mortali irreparabilis. Pro diuersitate namque deordinationis quæ peccatum constituit, etiam inter vtrumque differentia ponitur: omne siquidem peccatum deordi-
E natio est.

S. Tho. 1. 2. q. 78. ar. 3.

Differentia inter peccata mortalia & venialia. Comparatio.

Illa autē duplex est. Vna quæ fit per remotionem & subtractionem principij actionum nostrarum, & spiritualis vitæ, quod quidem principium Deus est, finis noster vltimus, cui antè per charitatem eramus coniuncti, sicut tunc ab illo per talem deordinationem disiuncti: & ita peccatum mortale est; mors & lapsus ex se irreparabilis, æternalitérque puniendus.

Duplex deordinatio constituens peccati.

Altera est qua saluatur quidem principium; fit tamen deordinatio circa ea quæ sunt post principium, & citra auersionem à Deo: & tunc veniale peccatum est, & reparabile, quia saluatur principium. Sicut in exēplo allato corporis, deordinatio comple

complexionis vſque ad deſtructionem principij vitalis mors eſt: ſaluo autem vitæ principio, tantùm eſt ægritudo. Venialia ergo peccata licèt animam non occidant, debilitant tamen; puſtulis quibuſdam maculant, & deformãt. Propterea S. Greg. dicit; Vitaſti grandia, vide ne obruaris ab arena. & S. Auguſt. Minuta eſt arena, ſed ſi multa fuerit, premit & opprimit. Ecce igitur primum quod requiritur vt viuamus vita gratiæ, puritas eſt conſcientiæ.

S. Greg.

S. Auguſt.

Secundum eſt purus Dei amor ſuper omnia; talem ſępe actuare amorem, & venire ad effectum, qui in anima permanere debet; qui quidem eſt deſiderium feruens, & continua ad ipſũm amandum inclinatio, habitus & diſpoſitio huiuſce amoris. Ita vt ſemper ipſo ad operandum agamur, ad incipiendum, proſequendum, & conſummandũ quod facimus, per eleuationem cordis noſtri ad Deum.

2. Quod requiritur vt viuamus vita gratia, est Dei amor ſuper omnia.

Tertium eſt tota & totalis applicatio animæ noſtræ ad Deum, id eſt, attentio erga ipſum, voluntatis & ſpiritus. Voluntatis, per facilitatem noſtrę conuerſionis, & mobilitatem totius animę ad beneplacita eius. Spiritus, per ſingularem ipſius occupationem & plenitudinem, cum excluſione omnium aliarum rerum: & illa attentio dici poteſt vigilantia animæ ad Deum, cùm videlicet nos ipſi tradimus, applicamúſque in omni vſu animę noſtræ, potentiarum, cogitationum, & actionum; ita vt nihil in nobis ſit quod non illi ſeruiat, & honorem reddat. Quod quidem vt melius agatur atque impleatur, operępretium eſt conſiderare, quomodo Chriſtus ipſe totum ſe quodammodo tradidit nobis, atque bono noſtro & exaltationi penitus ſe applicauit.

3. Totalis applicatio animæ ad Deũ.

Primò, quod noſtram naturam in ſe deificare voluit, illam ſibi vniens, adeò vt tota deificata ſit in toto quod continet.

Triplex conſideratio diuina erga nos applicationis.

Secundò, quod rurſus nos omnes eo modo ſanctificare deſiderat, adeò vt nihil inueniatur in nobis quod non ſit ſanctum, & ſanctificatum per gratiam ſuam inhabitantem in nobis.

Tertiò denique quod adhuc nos omnes ita glorificare deſiderat in cœlis, adeò vt omnia in nobis glorioſa ſint, & talia appareant intuentium oculis.

En equidem quouſque nobis applicuerit ſe, & profectum noſtrum quęſierit Chriſtus. Nonne igitur æquum erit, vt ſimiliter nos ei totos applicemus, & fideliter correſpondeamus, nos ipſos tradentes deſideriis eius? Pudeat videre naturam noſtram tam debilem aſſurgere ſupra gratiam tam fortem, & illam ſępe annihilare penitus: Deum tantopere nobis applicari, & nos ſic diſtrahi: ipſum nobis adeſſe, nos autem ab eo tam lõgè eſſe: ipſum ſemper operari, & nos otiari. Ingens certè iſta hominis miſeria eſt, quod defectu talis vſus & applicationis animæ, non ſit nobis magis præſens Deus quàm lapidibus & elementis.

Igitur quod iuuabit nos ad faciendam in nobis & ſeruandam talẽ mentis applicationem, & interiorem vitam in Deo, primò erit, tollere amorem proprium, ſuiipſius & aliarum rerum omnium, quę nos ad ſe pertrahunt. Secundò, vacuitatem ſpiritus parentem omnium inutilitatum & diſtractionum. Tertiò, ſtudere imitationi vitæ & actionum Iesv Chriſti in terra, ipſum ſemper præſentem habere, conuerſari vt in conſpectu eius, adhærere illi, & propter eum rerum omnium abnegationem exercere.

Tria quæ [illegible] interiorem vitam.

Hæc eſt vita animæ Deum vnicè amantis, & quæ Deo inferiora ſunt paruipendẽtis, iuxta quod dicit S. Auguſt. lib. de ſpiritu & littera. O anima mirabilis quò te deiicis? Terram intueris, melior es. Cœlum contemplaris, altior es. Solem miraris, pulchrior es. Deo ſolo creatore tuo inferior es. Hæc eſt anima vitæ per gratiam & lumen Chriſti à mundo ad veritatem conuerſæ; vbi enim agnouit quis Deus ſit, nouit etiam quàm mundus non ſit. Omnes Inſulę quaſi puluis exiguus, & omnes gentes quaſi nihilum & inane reputatę ſunt ei, Iſa. dicit, & Sapiens, tanquam momentum ſtateræ.

S. Aug. lib. de ſpiritu & littera.

Iſa. 40. Sap. 11.

Hæc eſt vita animę ſoli Deo adhærere cupientis, dicentis continuò: Deus cordis mei, quid mihi eſt in cœlo? mihi adhærere Deo bonum eſt. Ac proinde horrentis quidquid huic adhæſioni impedimento eſt, vt eſt amor ſui, mundi & carnis. Nam, vt S. Auguſt. dicit, habet omnis amor vim ſuam, nec poteſt vacare amor in anima amantis, neceſſe eſt vt ducat. Sed vis noſſe qualis ſit amor, vide quò ducat. Amor immundus inflammat animam ad terrena concupiſcenda, & in ima pręcipitat. Amor verò ſanctus ad ſuperna eleuat, ad ea quæ non tranſeunt, de profundo Inferni ad Cœlum leuat. Vt ergo qualis ſit amor tibi innoteſcat, vide quò ducat. Non monemus, dicit S. Auguſt. vt nihil ametis; ſed monemus ne mundum ametis, vt eum qui fecit mundum, liberè ametis.

S. Auguſt. in Pſal. 121.

Verùm dicetis, quonam modo Deum liberè amamus? Vtique cùm in perfecta abnegatione rerum omnium ſumus, & ab omni amore ſæculi, & rerum corruptibilium ſoluti. Tunc enim omnibus diſruptis vinculis liberè in Deum tendimus, & liberè eum amamus. S. Baſil. dat rationem, docens vnde renuntiatio ſeu abnegatio illa procedit, & quid ſit. Renunciatio, inquit, initium ſumit (& potiſſimum) ab alienatione quatuor rerum externarum, veluti à poſſeſſionibus, ab inani gloria, à viuendi conſuetudine, à rerum inutilium amore. Renunciatio eſt vinculorum terrenæ huius ac temporalis vitæ ſolutio, atque ab humanis negotiis liberatio, per quam ad ineundam viam, qua ad Deũ peruenitur, aptiores & promptiores efficimur. Expedita ratio ad acquiſitionem, vſúmque rerum quę ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, longè ſunt pretioſiores. In ſumma, cordis humani ad cœleſtem conuerſationem tranſlatio; ita vt dicere liceat: Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. Et quod maximum eſt, initium quo ad Chriſti ſimilitudinem euadimus, qui cùm diues eſſet, propter nos egenus factus eſt.

Vnde libertas amandi Deum.

S. Baſil. homil. in 14. Luc.

Vnde renunciatio oritur.

Et quid ſit.

Ecce eximiæ renunciationis, ſeu abnegationis laudes. Quibus etiam hanc addere poterimus: quod videlicet illa ſit principium faciendi actiones noſtras per gratiam & Spiritum Dei, & quæ hominem dicere facit: Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Ecce ego, & non ego. Duplex eſt nihilum. Vnum naturæ: alterum gratiæ. Nihilum naturæ eſt non ego. Gratiæ verò, ego non ego. Inter autem vtrumque eſt hoc diſcrimen, quod naturæ deſtruit omne eſſe; nihilum verò gratiæ retinendo eſſe, tollit & deſtruit vſum iſtius eſſe, ita vt anima poſſit dicere; Viuo ego (quoad eſſe,) iam non ego (quoad vſum eſſe,) viuit verò in me Chriſtus. Hoc autem abnegatio præſtat, per quam homo ſpolians ſe proprio dominio, totum ſe tradit Deo, Ita vt iam non amplius homo, ſed Chriſtus ipſe ſit Dominus vitæ ſuæ, principium & forma. Viuit quidem homo, ſed in Chriſto; vel potius Chriſtus in ipſo.

Abnegatio principium eſt agẽdi per Spiritum Dei.

Duplex nihilum naturæ & gratiæ, & diſcrimẽ.

Ad hoc itaque vitæ genus laboremus omnes, & non deſiſtamus, donec formetur in nobis Chriſtus, donec

donec in gloria largiatur plenius,& cum ipso æternitate vitæ perfruamur. Sola etenim fruitio est, quæ sistere & terminare debet cursum actionum nostrarum, & eò vsque nobis est laborandum. *Oues meæ vocem meam audiunt,& ego vitam æternam do eis.* Omnia certè Christus nobis. Mihi viuere Christus est,mori lucrum.

DE ADMIRABILI conuersione B. Magdalenæ,de statu peccati ad vitam gratiæ & amoris.

Remittuntur ei peccata multa,quoniam dilexit multum. Luc. 7.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

Maiora opera in terra quàm in Cœlo.

DIFFICILE penitus ad credendum videtur,& ab omni ratione alienum, per Dominum nostrum IESVM Christum,Deum maiora opera fecisse in terra quàm in Cœlo. Nulla certè nobis apparet maior distantia quàm ea quæ cernitur inter Cœlum & terram.Cœlum est Diuinitatis domicilium;terra autem bestiarum.Cœlum in quo sunt Angeli ; terra vbi homines habitant. Cœlum tam ornatum;terra verò tam vilis & abiecta. Cœlum multum à nobis distans & remotum; & terra nobis è contra admodum proxima,quam pedibus calcamus. Cœlum tam immensum ; terra verò tam arcta, adeò vt in comparatione Cœli sit veluti punctum.!Et tamen,vt dixi, atque etiam sæpius alibi dixi,maiora in terra quàm in Cœlo opera facta sunt. Quid enim maius est & cogitari potest quàm Deus factus homo ? In terra autem factus est. Quod maius opus vnquam patratum est, quàm altissimum Incarnationis opus? In terra autem, non in Cœlo completur. Angeli Deum habent in Cœlo , sed non Deum hominem factum; vnde & ipsi suas sedes æternas deseruerunt , vt in terra adorent eum in Bethleem natum. Sed quid præterea post Christum maius inueniri potest Virgine Dei matre? Quid quæso illa dignitate maius? In terra autem istud completur opus , vbi Virgo Dei mater constituitur & colitur.

1. Opus, Incarnatio Christi.

2. Opus, maternitas Virginis.

Hoc certè deuotione dignum est,sed præterea lacrymis & confusione, videre Deum maiora operari in terra quàm in Cœlo , & homines in terra tam parum cogitare de Deo ! Deus homo factus conuersatur cum hominibus , & magna operatur in illis:nihil quidem hoc maius dici potest,homines autem magna operari,& cum Deo conuersari, nec curant,nec æstimant? Deus dicit:Deliciæ meæ esse cum filiis hominum : & graue hominibus erit dicere ; Deliciæ meæ esse cum filio hominis ? *Non est veritas,& non est scientia Dei in terra.*

3. Dei admirabile opus, Magdalenæ conuersio & amor.

Verùm vnum hic adhuc tertium Dei opus inter multa aduerto,& simul admiror confectum in terra,in quo planè admirabilis facta est Dei Majestas; Magdalenæ conuersio est ad Christum,vnum quidem inter maiora maximum Dei opus in terra.

Duo opera quæ magnum Deum prædicant.

Duo sunt opera quæ magnum Deum prædicant in terra,naturæ & gratiæ opera.Ex operibus naturæ Deus quidem agnoscitur admirabilis , dicente Propheta;Cœli enarrant gloriam Dei, &c. Domine, Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!Et certè quàm insignia sint opera creationis & naturæ,ex tribus patet.Primò, ex causa efficiente eorum, quæ infinita est Dei sapientia,bonitas,atque potentia. Secundò, ex effectu, qui est communicatio diuinæ bonitatis in illis. Sic in Genes. vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Tertiò,ex memoria tanti beneficij,quam nobis Deus immortalem reliquit, & cui etiam ad maiorem commendationem , diem vnum consecrauit. Ecce igitur in quantis opera creationis & naturæ excellunt.

Psal. 18. & Psal. 8.

Opera naturæ.

Gen. 1.

Opera gratiæ.

Verùm si ex illis tantopere Deus admirabilis cognoscitur & prædicatur , multò magis ex gratiæ operibus,eòque magis quò gratia naturam superat, quæ hominem vsque ad Deum eleuat,& naturam ipsam lapsam reparando , ad statum multo perfectiorem & præstantiorem euehit,atque constituit; Deus enim hominem se fecit , non solùm vt eleuaret hominem,factus homo,sed etiam vt ruinam Angelorum repararet per hominem. Hæc communis & digna omni acceptione est Theologorum opinio, videlicet, omnium Angelorum principem & antesignanum de suo statu cecidisse, & cum eo alios plures ex præcipuis. Sed quid factum est inde?O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei!Deus ipse de Cœlo descendit , vt istum casum repararet factus homo. Vnde quia ille primus & Seraphicus amor Cœli,de Cœlo cecidit in Angelo, cogitauit Deus alium creare in terra , non solùm æqualem, sed adhuc priore maiorem, & qui superabundaret in gratia. Audeo autem ego dicere quod fuerit in Magdalena. Dilexit multum,Magdalena gloria filij Dei,opus Christi , opus in quo mirabilis facta est diuina eius Majestas:& vt dicam, inter eius opera,miraculum in gratia.

Christus reparauit in Magdalena amorem Seraphim.

Magnum miraculum fuit,& quidem admirabilis potętiæ opus Lazari fratris resurrectio iā quatriduani,iam in sepulchro fœtentis.Sed multo maius,admirabiliúsque fuit hodiernum opus,quando in brachio potentiæ & misericordiæ suæ Deus euocauit non corpus de sepulchro , sed animam de Inferno, (Mariam videlicet Magdalenam,quæ mulier erat in Ciuitate peccatrix) ipsam de profundissimo peccatorum Inferno suscitans ad statum vitæ,& sanctitatis non solùm hominibus & Angelis , sed etiam ipsi Deo penitus admirabilis. Vnde dicit,quod propter se dixisse Psalmista videtur:Confitebor tibi Domine in toto corde meo,& glorificabo nomen tuum in æternum ; quoniam misericordia tua magna est super me,& eruisti animam meam ex Inferno inferiori.

Ioh. 11

Psal. 86.

Magna certè misericordia ea est,quia non communis & vsitata,sed rara,miraculosa,& tota admirabilis,qua animam eruit,non ab Inferno superiori,vt est Purgatorium, aut Limbus:sed ab inferiori & profundissimo, vt est damnatorum Infernus. Qua denique eruit non corpus Lazari à sepulchro & Inferno mortis : sed animam Magdalenæ sororis ab isto inferiori Inferno & æternæ damnationis.Propterea ergo,inquit,confitebor tibi hodie in toto corde meo , lacrymis, osculis, & melioribus vnguentis,pœnitentia,dilectione, & operibus bonis:& glorificabo nomen tuum in æternum, id est, hoc prædicabitur Euangelium conuersionis meæ in vniuerso mundo ad gloriam nominis tui,& vbique narrabitur hæc misericordia tua magna, qua eruisti animam meam de Inferno. Dextera enim Domini fecit virtutem , dextera Domini exaltauit me:

me: de peccato ad pœnitentiam,& de pœnitentia ad amorem; de peccatrice fecit pœnitentem,& de pœnitente Christi dilectam. Quare non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini. Narrabo quanta fecit animæ meæ. Ego nunc dilecto meo, & ad me conuerſio eius. Cant. 7.

Conuerſio Magdalenæ ad Chriſtũ. Iam mutuã conuerſionẽ iſtã videamus, Magdalenæ ad Christum,& Christi ad Magdalenam. Vt cognouit mulier peccatrix quod IESVS accubuiſſet in domo Phariſæi, omnibus relictis, vt tantùm adhæreret Domino, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat & oſculabatur,& vnguento vngebat. Sed huius verbi recordemur, (cœpit.) De ea dicitur quod cœpit lacrymis rigare pedes Domini. Cœpit, vtique quia prima fuit. Dauid ſtratum ſuum lacrymis rigauit: Magdalena autem pedes Domini; & quidem prima cœpit. Vbicunque inuenitur iſtud verbum, ſemper aliquid magnum notatur. Sic de Christo, quando lauit pedes diſcipulorum, dicitur: Cœpit lauare pedes diſcipulorum. Ioh. 13. Ipſe enim primus in mundo, rerum omnium Dominus, huc vſque ſe humiliauit. Sic igitur de Magdalena, quia prima fuit quæ lacrymis ſuis pedes Domini lauit, dicitur, cœpit lacrymis rigare pedes eius,& oſculabatur, & vnguento vngebat. Sic ad Chriſtum conuerſa Magdalena erat, vt relictis aliis, omnia in obſequium Christi impenderet;lacrymas,capillos,oſcula,vnguenta. Et ſimiliter conuerſus IESVS ad mulierem,(relictis conuiuis,& Phariſæo qui vocauerat eum)dixit; Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos,(Christo placet omnia eius charitatis & amoris narrare officia) capillis ſuis terſit, vnguento vnxit, & non ceſſauit, ex quo intrauit, oſculari. Babylon nunc dilecta mea, hodie poſita eſt mihi in miraculum. Propter quod dico tibi;Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Conuerſio Christi ad Magdalenã.*

Omnis laus & gloria Magdalenæ in eo quod dilexit multum. Hoc iam de ea nihil maius dici poteſt:hoc vnicum fuit quod etiam Chriſtum in admirationem adduxit vt diceret,dilexit multum. Ecce in quo eſt omnis gloria filiæ regis ab intus;omnis laus & gloria Magdalenæ, quoniam dilexit multum. Ita vt quidem Christus Dominus videatur magis ſilentio quàm voce magnitudinem amoris eius exprimere dicens,dilexit multum. Nec quantum determinat,nec quouſque dicit,ſed multum.Frequenter quod non poſſumus explicare verbis,hoc eſſe multum dicimus.Sic Dauid ad Dominum:Propitiaberis peccato meo,multum eſt enim, id eſt,in multitudine maximum,& tale vt in illius conſideratione, etiam nec loqui poſſim & exprimere. Sic in Apoc. S. Iohannes cùm non poſſet dicere quomodo irremediabilibus lacrymis fleret, eo quod non inueniebatur qui dignus eſſet aperire librum ſignatum,dicit; & ego flebam multum. Sic itaque Chriſtus,quaſi ſilere videtur magnitudinem amoris Magdalenæ pœnitentis,vt eam exprimat magis dicens,dilexit multum. Quaſi diceret:cætera quidem narraui & laudaui,lacrymas, vnguenta & oſcula; amorem autem eius non tam enuncio quàm ſileo, vt etiam amplius exprimam ſilentio.Dilexit multum,& tantùm,vt non etiam homines & Angelos,ſed filium Dei qui omnia nouit,ad ſe rapuerit,vt diceret,dilexit multum. *Pſal. 24. Explicatur particula Multum.* *Apoc. 1.*

Quod inuſitatum eſt ſæpe in admirationem rapit,& quod accidit contra ordinarium curſum naturæ,aut gratiæ cenſetur miraculum. Hoc modo Magdalena hodie, Babylon nunc dilecta, facta eſt hominibus,Angelis,& ipſi Christo in miraculum. Hominibus, quia hoc eſt præter ordinem & ſtatum naturæ noſtræ,vt ex aliquo dolore, aut amore tanta abundantia fluat lacrymarum, quæ adinſtar torrentis rigare queant pedes alicuius.Miraculum Angelis, quod tam ſubitò per gratiam facta ſit de peccatrice nunc dilecta Christi, & de Inferno inferiori,Paradiſus ſuperior.Denique quodammodo miraculum ipſi Christo,quod tantum illa in amore creuit & profecit, vt ipſe de ea dicere dignatus ſit,dilexit multum;& hoc ab ipſo inſtanti conuerſionis eius.

Si autem in principio tantùm in amore creuit, quid in progreſſu fecit? Certè dicere poſſumus quod illi ſemper conuenit, quod de illa Dominus dixit; Dilexit multum, & ſufficit. Illud Rom. 5.ei attribui poteſt;Vbi abundauit delictum,ſuperabundauit gratia.Item illud S.Pet.Charitas operit multitudinem peccatorum. Sic enim Dominus Phariſæo dixit:Propter quod dico tibi;Remittuntur ei peccata multa,quoniam dilexit multum.Fortis vt mors dilectio,dura ſicut Infernus æmulatio, lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere. Rom. 5. 1. Pet. 4. Cant. 8.

Magdalenæ attribuitur amoris explicatio. Mira hæc eſt explicatio amoris quæ Magdalenę cõuenit,in Cantic. Amore Magdalena mortua eſt ſibi & mundo; & eodem amore inuenit ſe viuere in Christo.Qui enim ſic mortuus eſt,ait Apoſt. iuſtificatus eſt à peccato, & viuit Deo in Christo IESV Domino.Fortis vt mors dilectio, & dura ſicut Infernus æmulatio. Zelus amoris idem facit in anima quod ſepulchrum in corpore iam mortuo. Præterquàm quod enim mors animam ſeparat à corpore, ſepulchrum adhuc corpus ipſum redigit in cineres,& carnem ſeparat ab oſſibus.Ita quidem in Magdalena fecit multus amor eius, qui totam conſumpſit, & liquefactam reliquit ad pedes Domini; fundit lacrymas,capillos ſpargit,oſcula repetit,& repleta eſt domus ex odore vnguenti,lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Affectiones cordis ſui ignitæ,ardent vt Seraphim igne Dei,vel potius igne Deo:vnde aquæ multæ. i. peccata multa, non potuerunt extinguere charitatem eius;ſed potiùs multa eius charitas operuit multitudinem peccatorum,ſicut Phariſæo Dominus dixit:Propter quod dico tibi;Remittuntur ei peccata multa,quoniam dilexit multum. Fortis vt mors dilectio. Rom. 6.

Sic illam cõparationem explicat S.Ambroſ. ſuper Pſalmos dicens,quod ſicut mors eſt peccatorũ finis,(neq; enim peccant amplius qui mortui ſunt) ita Dei dilectio,quando ſemel occupat animã,omnia illius peccata occidit & delet, eámque mortuã reddens mundo,vitam eius abſcondit cum Christo in Deo.Sic igitur faciebat fortis amor Magdalenę, qui eã peccato & mũdo mortuã reddebat, viuentẽ autem Deo in Christo IESV Domino. Audite;Remittuntur ei peccata multa,quoniam dilexit multum.Nõ dicit,quia fleuit,quia vnxit,& capillis ſuis pedes terſit,ſed quia dilexit multũ: vt intelligamus quia amor Dei operatur omnia, vitam & meritum operibus confert.Ipſe luget,vngit,& oſculatur pedes Domini IESV. Ipſe animam occidit pretioſa morte in oculis Christi,& viuere eam facit in gratia Dei.Denique ipſe eſt amor qui facit omnia. Et quæſo quid Mariam Magdalenam impulit,vt domum intraret Phariſæi? Amor vtique IESV Magiſtri ſui optimi. Ipſe fuit qui ad pedes eius S. Ambroſ. ſuper Pſal. 108. Ser. 15. *Amor omnia in Magdalena faciebat.*

X &

& retro eam constituit, qui patientem aduersus murmurantes fecit, qui tot effudit lacrymas; vnguento optimo & pretioso vngere fecit, capillis capitis pedes tergere, & deosculari. Iste quidē fuit diuinus amor Mariæ erga IESVM, qui hæc omnia in ea fecit; dilexit multum. Idem adhuc erat qui eum Virgine & dilecto discipulo eam faciebat stare iuxta Crucem. Idem qui post mortem, eam sollicitabat IESVM quærere, & ad monumentum plorare. Maria stabat, inquit S. Euangelista, ad monumentum foris plorans. Idem amor qui sic eam ad Dominum suum loqui faciebat: Dicito mihi si tu sustulisti eum, & ego eum tollam. Idem qui dicebat; Tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Hortulane dicito mihi, &c.

A

Ioh. 20.

Denique dicam. Amor Dei erat, amor Christi Domini sui, qui non dabat somnum oculis suis, nec requiem pedibus, donec inueniret quem diligebat, & quærebat. Ille amor qui faciebat illam dicere cum sponsa: Surgam, & circuibo, non Ciuitatem tantùm, sed omnia loca, donec inueniam locum vbi posuerunt eum, & ego eum tollam.

Origenes hom. 10. in diuersos.

Origenes sic eam introducit loquentem. Ambulate pedes mei, discurrite, & nolite quiescere. Effundite lacrymas oculi mei, plorate, & nolite deficere. heu! quò abiit gaudium meum? vbi latet amor meus? vbi es dulcedo mea? Cur dereliquisti me salus mea? O dolores! ô angustiæ! angustiæ mihi sunt vndique, & quid eligam ignoro. Stare iuxta monumentum irremediabilis dolor est, discedere à monumento, mors est, quia fortè si longiùs abiero, ipsum sublatum inueniam cùm rediero. Melius itaque mihi sepulchrum Domini custodire, & hic mori, vt saltem iuxta sepulchrum Domini sepeliar. O Domine, ne differas amplius illam consolari, tota pendet in te, tota manet in te, tota sperat de te, & tota desperat de se. Et tu, ô spes mea, ne confundas me ab expectatione mea; reuertere dilecte votorum meorum. O desiderabilis, redde mihi lætitiam salutaris præsentiæ tuæ. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, & sufficit animæ meæ. Et conuersa Maria vidit IESVM stantem, annuentem votis eius, & nesciebat quia IESVS est. Ille autem dixit ei: Quid ploras? & quem quæris? O Domine IESV, teipsum. Vnde & illa dicit; Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti; & ego eum tollam (putabat enim quia esset hortulanus.) Quid dicis ô Maria? Timuit Ioseph, & tollere non fuit ausus nisi de nocte, & consensu Pilati. Sed illa nec noctem præstolatur, nec Pilatum reueretur, sed dicit audacter, ego eum tollam. Sed quid ô Maria? si corpus positum esset in atrio Principis Sacerdotum, vbi calefaciebat se Petrus Apostolorum Princeps, & negauit Dominum, quid factura es? Ego eum tollam. O admirabilis audacia! Nullum locum excipit, nullum anteponit, sine timore dicit, & absolutè promittit, ego eum tollam. O mulier non mulier, nisi fortè illa Prouerbiorum fortis mulier. Et si ostiaria ancilla interrogauerit te, quid factura es? Dicito mihi, si tu sustulisti eum, & vbi posuisti, & ego eum tollam. O ineffabilis mulieris amor! O mulier, magna est fides tua, & iam mereris videre quem quæris. Quare tunc IESVS dixit ei, Maria; & illa conuersa statim, Rabboni: & procidit ad pedes eius, vt denuo osculetur quos lacrymis rigare cœperat.

Sequamur fratres (sic omnia Origenes concludit,) huius mulieris affectum, vt perueniamus ad effectum. Quærat vnusquisque fideliter IESVM, & ploret, quia non celauit se quærenti peccatrici & ploranti. Disce ô peccator homo à muliere peccatrice, cur & quomodo remittuntur ei peccata multa, quoniā dilexit multum. Disce à muliere plorare Dei absentiam, & quærere eius præsentiam. Disce à Maria IESVM amare, & in IESVM sperare, illum quærere, quærendo inuestigare, nulla aduersa formidare, nullam consolationem extra IESVM accipere, & omnia propter IESVM contemnere. Disce à Maria quærere IESVM in monumento cordis tui, reuolue lapidem, amoue duritiem, & omne obstaculum à

B

fide tua: diligenter perscrutare si sit in eo IESVS, & si non inueneris, sta foris, & plora, & plorando ora, vt dignetur venire, neque deficias, donec inuenias. Recordare quia Magdalena & apud leprosum, & in monumento quæsiuit. Recordare quia & quærendo plorauit. Sed recordemur omnes, quia verus eius amor mortuus erat, & ecce vt altera Sunamitis, venit & accessit ad verum Elisæum Christum IESVM & Dominum Saluatorem, vt resuscitet ipsum. Sic enim legimus quod illa mulier Sunamitis (filius cuius calore Solis fuerat mortuus,) ad Prophetam Elisæum venit vt suscitaret ipsum, & apprehendit pedes eius plorans; ad quam cùm accessisset Giezi vt amoueret eam, ait illi; Homo Dei, dimitte illam, anima enim eius in amaritudine est, & exauditam dimisit in pace filium eius resuscitans. Ita Magdalena nostra, vera Sunamitis, quæ interpretatur captiua, (videlicet peccati,) mulier in ciuitate peccatrix, ad verum Elisæum venit Christum; Elisæus enim dicitur Deus saluans, & IESVS Saluator. Venit ergo, & accessit ad eum stans retrò secus pedes eius, vt suscitaret filium suum amorem ardore Solis concupiscentiæ extinctum: Giezi autem Simon leprosus nititur amouere, & murmurat dicens intra se, hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens IESVS defendit eam, dúmque plorat, & anima eius tota in amaritudine est, ipsam iustificat, filium suum, id est, cordis sui amorem perfectum suscitat, reddit, & eam dimittens in pace consolatur, Pharisæo dicens; Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Sic & nobis remittentur multa, si multum dilexerimus.

4. Reg. 4. Figura conuersionis Magdalenæ in domo Pharisæi.

C

D

CONTINVATIO præcedentis.

E

DE STATIBVS MAGdalenæ diuersimodè Christo adhærentis.

Dilexit multum. Luc. 7.

Non est veritas, & non est scientia Dei in terra. Osee 4.

IAM satis cœpimus ostendere, exquo Verbum in Christo IESV caro factum est, opera quæ

quæ fecit Deus in terris multum superasse ea quæ facta sunt in cœlis. Et hoc quidem dignum fuit humilitate Christi, & exinanitione vnigeniti à Patre in humanitate nostra, in forma & humili conditione nostræ carnis, vt videlicet quod ab illa in eo reparandum erat, etiam fieret cum maiori plenitudine & gratia. Hinc certè est quod dicat Apostolus ipsum venisse in plenitudine temporum. Galat. 4. Vbi venit plenitudo temporis. Tempus quidem erat ante aduentum eius, sed non plenitudo erat. Similiter tempus quod postea elapsum est, tempus est, sed non plenitudo; vbi autem missus est à Patre, venerat tunc plenitudo temporis, quia in eo omnia tum plenitudine reparabat, & sic veniebat operaturus amorem in terra, qui superabundare & eminere illi debebat qui de Cœlo ceciderat. Is autem amor in Magdalena inuentus est. *Dilexit multum.*

Gal. 4. *Quomodo Aduentus Christi dicitur plenitudo temporis.*

Agnoscamus hîc igitur ampliora dona & priuilegia terram recepisse quàm Cœlum, & quod Dei filius de Cœlo descendit, vt maiora faceret & operaretur in terra, non solùm respectu suæ Incarnationis, quod quidem est de fide, sed etiam respectu peccatricis & mulieris pœnitentis, amantis, & in dilectione hac Domini supereminentis. *Dilexit multum.* Nam, si dicere audeam, puto quod fuerit in terra ad altiorem gradum amoris Seraphinorum eleuata. Et certè si is amor quem Lucifer & Angeli eius perdiderunt, in hominibus reparari debuit, vt Patres & Theologi docent, vtique hoc impleri debuit in iis qui familiariùs cum Christo conuersati sunt, & in amicitia eius decorati sunt. Inter omnes autem Magdalena maximè in familiaritate, amicitia & conuersatione Christi decorata est, adeòque familiariter, & tanto cum priuilegio gratiæ & honoris erga ipsum se gessit, vt etiam in illa familiaritatis gratia Apostolos qui semper cum ipso erant, præcesserit. Nullus enim vnquam ipsorum, sicut illa, tam liberum accessum ad Dominum suum habuit. Non solùm enim ipsum sequitur, vt faciebant alij, sed ad pedes eius sæpius prouoluta iacet, sedet, & vt humilis sponsa osculatur osculo oris sui, suis lacrymis irrigat, crinibus tergit, & vnguento vngit replens totam domum ex odore vnguenti: sed præterea adhuc contra vocem murmurantis impauida manet & quieta sub vmbra protegentis. *Dilexit multum.* Ecce gratia amoris Magdalenæ hîc in terris nobiscum concessa: & certè nos apprehendere rubor deberet, & faciem operire confusio, quòd nobiscum Deus tam magna operatur & sancta; & nihil nos interim sanctitatis habemus: nihil quod sanctitatem & amorem Dei redoleat agimus. Non est veritas, non est amor, & non est scientia Dei in terra. Scientia Dei est supereminens omni scientiæ in terra, dilectio Christi. *Dilexit multum.* Hoc dixisse sufficiat, vt innotescat quia eius amor omnem terræ scientiam superat.

Magdalena eleuata ad altiorẽ gradum amoris Seraphinorũ.

Quare ad hoc diuini amoris miraculum redeamus, & videamus, vbi istud tam admirabile donum, & tam efficaciter operans, factum & concessum est. Mulier vt cognouit quod IESVS accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti stans retrò secus pedes Domini, &c. Igitur ad pedes Domini hoc miraculum factum est, & tale perfectum diuini amoris opus, &, quod mirum, in silentio totum hoc factum est: præter Angelos enim qui videbant, & spiritu in

Datur amor Magdalenæ ad pedes Domini Iesu.

A Deo de hac magna gloria Christi exultabant, nullus sciebat quod ad illius pedes tunc in terra & in peccatrice reparabatur amor qui de Cœlo & de primo Angelorum ceciderat: quod ad pedes Christi inueniebatur mulier famosa, & mala vtique fama, quia peccatrix erat, quæ electa erat à Deo, supplere & perfectiùs habere in cœlo quod in cœlo amissum fuerat. Stupebant certè Angeli, & lætabantur simul, neque propter humilitatem suam inuidebant, videntes in terra, vnde sedes cœli & officia deberent tam perfectè repleri. Soli igitur Angeli videbant quod fiebat, & quod nondum in conuiuio Christus reuelauerat. Et certè nihil eorum quæ Deus perficiebat in ea, oculis apparebat, B sed neque ipsa videbat; stat retrò secus pedes Christi, lacrymatur, tergit, vngit, osculatur, & nondum ad eam IESVS conuertit oculos; manducat ille & loquitur, sed nihil adhuc de ea loquitur quasi neglecta. Et tamen interiùs tacitúsque operatur in ea maximum amoris opus, quod nondum in cœlo compleuerat, adeò vt miretur postea, & dicat; *Dilexit multum.* Neque adhuc agnoscunt qui astant, sed potius calumniantur & arguunt eam. Videns autem Pharisæus qui vocauerat IESVM, ait intra se quia hæc mulier peccatrix est. Et respondens IESVS dixit ad illum; Simon habeo tibi aliquid dicere. Nonne is plus diligit cui plus fœnerator donauit? Hoc rectè æstimas? Et conuersus ad mu-C lierem; Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, & aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis suis rigauit; osculum mihi non dedisti, nec caput meum oleo vnxisti; hæc autem non cessauit osculari pedes meos, quos & vnguento post lacrymas vnxit. Propter quod dico tibi; Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. O Domine IESV, verba tua ponunt quod sonant: vnde etsi ante defuisset amor, talis iam fuisset qualem tu dicis; *Dilexit multum.* Ingens igitur eius amor est & multus tam ex veritate rei in se, quàm tui sermonis.

Angelos non latebat quod fiebat in Magdalena.

Sed videamus adhuc vbinam completur talis amor? In conuiuio. Ingressus IESVS domum D Pharisæi vt manducaret cum illo, discubuit, & ecce mulier, &c. Optimè autem in conuiuio impletur opus quod præstat gaudium Angelis: in conuiuio in signum interioris lætitiæ animæ eius. Et quidem iam quæri non debet cur voluit Christus inuitari à Pharisæo vt manducaret cum illo, vt scilicet lætitiam sui cordis protestaretur in illo opere sui diuini amoris; & quia etiam gaudere conuenit & epulari in conuersione peccatoris. Quæ enim est conuentio lacrymarum cum epulis? Lacrymatur Magdalena, & manducat in conuiuio Christus, & dum peccatrix blanditur osculo & vnguento vngit, vocem audit epulantis; Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Quare in conuiuio amor tantus Magdalenæ datus est.

E O Magdalena, nihil, aut certè parum ad te pertinet quod te calumnientur superbi, & sustineas hominum opprobria & confusiones: neque enim confunderis ab expectatione tua, quæ in sermonibus Christi habes vnde iustificeris, & vincas cùm iudicaris. Dilexit multum, remittuntur ei peccata multa. Iudicatur peccatrix, & de ea Dominus dicit; *Dilexit multum.* Si tunc sensisset in lacrymis & in osculis illa ingentia bona, quæ illi Deus dare præparabat; sed tunc abscondita ab oculis eius, nihil certè fuisset passa ex parte hominum, vtilitérque effusas fuisse lacrymas suas credidisset, & adhuc ampliores optasset. Sed nihil horum omnium videbat: quin potiùs ne-

Mira iustificatio Magdalenæ.

cesse illi fuit & calumnias humiliter pati, & non A videre gratiam quæ latebat in illis & in lacrymis eius.

Nos verò statim impatientes videmur, si contingat aliquando minimum ferre contemptum, aut etiam aliquem rigorem & repulsam Dei, & sustinere non possumus, siue sciamus causam, siue ignoremus; sed benignè & cum suauitate tractari à Deo volumus. Non sic nostra iustificata peccatrix, non sic Magdalena nostra, quæ simul cum lacrymis, osculis & vnguentis, non vidit nisi rigores: non est perpessa nisi contemptus, opprobria & confusiones, quousque audiuit à Christo; *Remittuntur ei peccata, quoniam dilexit multum.*

B O quantum ista terra sancta est, in qua opera tam sancta facta sunt à Christo: vt etiam in eminentia, magnitudine & sanctitate superent ea quæ in cœlo facta sunt! O quàm gloriosa est illa Pharisæi domus, & odorifera aula conuiuij, amore vtique Magdalenæ magis quàm vnguenti eius fragrantia & suauitate! Cùm illam hodie ad Christi pedes deuolutam intueor, Christi gloriam considero, qui ad pedes suos tale fecit opus amoris; *Dilexit multum.*

Honorãda est Magdalena secundũ omnes status suos.

1. Vt pœnitens.

Hæc sanctissima pœnitens à nobis exigit, & iure optimo meretur vt eam secundum omnes suos status honoremus. Primò igitur honoranda est vt C pœnitens; vt stans hodie retrò secus pedes Domini, rigans lacrymis, vngens vnguento & osculans. Ibi fuit certè vbi omnium gratiarum quæ ei postea datæ sunt, semina accepit: denique locus ille fuit in quo hæc verba consolationis audiuit, *Dilexit multum*; remissa sunt peccata tua, vade in pace.

2. Vt Christũ sequens. Luc. 8.

Secundò honoranda est vt sequens Christum. Luc. 8. Iter faciebat IESVS per Ciuitates & castella prædicans regnum Dei, & duodecim cum illo. Maria quæ vocatur Magdalene, & aliæ multæ quæ ministrabãt ei de facultatib. suis. Sed ita adhuc ipsũ sequuta est, vt nũquam etiam in Cruce eum dereliquerit. Ioh. 19. ostendit quod plus cæteris ipsum

Iohan. 19. & 20.

liquerit. Ioh. 19. Stabant iuxta Crucem IESV Mater eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene D etiam in monumento sequitur. Iohan. 20. Maria Magdalena venit mane ad monumentum, stabat autem foris plorans. Digna certè nostro est honore, & vt sequamur sic continuò Christum sequentem.

3. Vt Christo adhærens.

Tertiò honoranda est vt Christo singulariter adhærens. Audistis quomodo constanter iuxta crucem & ad monumentum stabat? Res quidem consideratione digna; Apostolos & domesticos familiares in passione & cruce Dominum deseruisse, sed non Magdalenam quæ iuxta crucem stabat. In quo certè ostendit quod plus cæteris ipsum dilexit; & quia cum Christo amore confixa erat, pro ea etiam amore clauis crucifixo. O amator Christi Paule tu dixisti aliquando; Quis nos separabit à charitate Christi? Sed ante te Magdalena amans dixit quæ multum dilexit, vbi ad pedes Domini lacrymans dicebat, quis me separabit à charitate Christi? Dixisti ô Apostole Crucis amator; Absit gloriari nisi in Cruce Domini mei IESV Christi. Sed ante te, & fœliciùs Magdalena quæ in ipsa passione iuxta Crucem stabat.

Amoris contentio inter Paulum & Magdalenã. Rom. 8.

Gal. 6.

Quid quæso gloriæ, & quid gratiarum illam tunc accepisse putatis iuxta Crucem, de qua sanguis, aqua, & omnia merita Christi fluebant? Et certè sanguinis effusio tandem cessauit, & finem habuit: sed gratiarum, atque meritorum, per sanguinem largitio infinita extitit, & absque termi- E nis. O Maria vbique digna honore es.

4. Vt Dominum Iesum amans.

Quartò honoranda est vt Dominum IESVM specialiter & singulariter amans, id est, non solùm Deum, sed hominem-Deum. Amor IESV, amor est specialis erga humanitatem eius; Tulerunt, inquit, Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eũ. Talis autem Magdalenæ specialis amor erat erga Christum, hominem-Deum; *Dilexit multum.* Vnde & pedes eius rigat suis lacrymis, & ipsum adhuc plorat mortuum

Ioh. 20.

5. Vt afflicta.

Quare etiam quintò honoranda est vt afflicta & sustinens passiones, quæ illi maximè acciderunt ex parte Dei ratione ipsius diuini amoris. Quatuor enim inueniuntur præcipuæ afflictionum seu tentationum species. Aliquæ à nobis: aliquæ à mundo: aliæ à diabolo & spiritibus malignis: aliæ etiam ab ipso Deo procedunt.

Quatuor species afflictionum.

1. A seipso.

Tribulationem sæpius à nobis ipsis patimur, infirmitatibus atque imperfectionibus propriis, vnus sic, alter sic, ita vt aliquando sic nobismetipsis graues simus, vt nec etiam tolerare nos possimus. Quæ afflictio nihili nostri est pars aliqua, & licet nonnullis grauissima sit, nullius tamen est ponderis, cùm plerumque nec dare causam possimus huiusce doloris, vnde talem Magdalena non habuit.

2. A mundo.

Aliquando ex parte mundi patimur calumnias, confusiones, opprobria, insuper & verbera; & hoc genus tribulationis maius est, sed non adhuc tam magni momenti, vnde ex illa parte non multum Magdalena passa est.

3. A diabolo.

Adhuc ex parte diaboli maiora patimur, & quidem hæc tribulatio eo maior est, quo ad torquendum sunt potentiores inimici. Talem autem speciẽ afflictionis nõ est passa Magdalena, propter abundantiam gratiarum in illa, & prærogatiuam amoris; in tantã siquidem eminentia & multitudine gratiam habuit ex primo instãti suæ conuersionis, & ex illo die quo de ea Christus septem eiecit dæmonia, vt eis postea & semper terrori extiterit, & non ausi sint amplius aspicere eam. Vnde si quid meruit pati, ex parte Dei meruit; aliquando enim Deus ipse tribulationum nostrarum ratio est, causa & principium: & hoc ex priuilegio singulari Magdalenæ concessum est. Neque enim illi aliud obiectum doloris erat, quàm IESVS amor suus; *Dilexit multum.*

4. A Deo.

6. Vt electa à Virgine honoranda.

Sextò honoranda est vt multum dilecta à Virgine Christi matre. Constat enim profecisse multum in dilectione eius, quod multum dilexerit dilectum filium eius. Igitur vt talem adhuc, id est, à Virgine dilectam honoremus.

7. Vt solitaria.

Septimò, in solitudine honoranda est, vbi 30. annos vixit, diuinis vacans contemplationibus, & dedita penitus meliori parti.

8. Est honorãda pro omnibus gratiis illi collatis à Christo.

Octauò denique honoranda est pro omnibus gratiis illi collatis à Christo, & quæ non sunt cognitæ nobis. Excellentissimarum enim rerum proprium est, vt non appareant oculis, sed absconditæ remaneant. Quidam sunt Sancti, quorum vita & nomina scripta sunt in terris. Alij quorum vita scripta est in cœlis. Talis autem est Magdalena, cuius vita magis innotescit & commendatur in cœlis quàm in terris, dignior etiam vt dilecta Christi, cœlis quàm terris. *Dilexit multum.*

Quanta possit esse merces diuini amoris.

Sed quid interim præmij ex eo amore habebit in terris? Tu Domine, nihil dare potes nisi magnum qui magnus es. Magnus est amor, & magnam etiam expedit illius esse mercedem: & nihil adhuc amatoribus tuis nisi quod sit magnitudine tua dignum dare potes. Et certè quasi prodi

ſi prodigus in Cruce factus es. Latus apertum eſt, & manus confoſſæ vt nihil remaneret in illis. Domine omnia de manibus tuis cadunt, vt nos pauperes & mendici affluamus diuitiis. Latro in cruce deprecatur vt memor ſis eius, & tu illi regnum promittis. Alexander ſibi nomen liberalis attribuit, eo quod cuidam hortulano de regia ſtirpe oriundo Regnum Sidon dedit: & tu quanto magis qui latroni non terrenum, ſed cœleſte regnum donaſti & tuum! latroni inquam, qui fortaſſe adhuc filius erat latronis? Sancto adhuc Iohanni iuxta Crucem ſtanti & nihil peteti, Matrem tuam commiſiſti & commendaſti. Et Magdalenæ deuolutæ ad pedes tuos, oſculanti, lacrymanti, multúmque te diligeti, quid dignum ipſa dabis? iuxta Crucem ſtanti, & in te aſpicienti authorem fidei, & conſummatorem IESVM: denique quærenti te, foris ploranti ad monumentum, & te interroganti quid illi dabis præmij? Amorem dabis & remiſſionem peccatorum, benedictionem & pacem. Dilexit multum. Remittuntur ei peccata multa, gratiam & gloriam dabit illi Dominus.

Diuina Chriſti in Cruce liberalitas.

Et notabilis erga Magdalenam.

Ezech. 29. Recordor quod Dominus dixit Ezechieli: Fili hominis, Nabuchodonozor Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum aduerſus Tyrum, & merces non eſt reddita ei, propterea dedi ei terram Ægypti pro eo quod laborauerit mihi. O Domine, ſi ita te liberalem oſtendis erga infidelem Regem & barbarum, vt ſic laborem eius exiguum & inutilem remunerare volueris: quid Mariæ pœnitenti, omnia ad laudem & gloriam nominis tui impendenti, & te multum diligenti, dabis? Magdalenæ inquam, quæ lacrymas, oſcula, capillos capitis ſui, & vnguenta pro victoria tua aduerſus hoſtem ſeruire fecit. Quid inquam præmij dabis? Regnum terræ dabis? Non, niſi fortè terram illam Ægypti, videlicet ſolitudinem eius, in quam ducis illam, dum adhuc in terra viuit, vt loquaris ad cor eius, & illa continuò vacans lacrymis pœnitentiæ, & amoris, tandem ad te perueniat quem dilexit multum in terra deſerta, & ſic in ſancto appareat tibi, vt videat virtutem tuam & gloriam tuam, bonísque tuis fruatur in pace, in hac terra promiſſionis & abundantiæ, quam præparaſti diligentibus te.

DOMINICA PALMARVM.

DE RATIONIBVS æternis Aduentus Chriſti, & de modis exeundi obuiam ei.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Matth. 21.

Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra. Oſee 4.

NIHIL iuſtius eſt quàm cum gratiarum actione & laudibus miſſum à Patre in mundum IESVM Chriſtum recipere. Apud Eccleſiaſticum ſcriptum eſt; Gratiam fideiuſſoris ne obliuiſcaris, poſuit enim animam ſuam pro te. Hæc eſt ratio lætitiæ præſentis, & congratulationis exhibitæ Chriſto à filiis Iſraël, & ſimul à nobis in illis, quia pro omnibus dare animam ſuam venit, ſicut dicebat: Filius hominis venit dare animam ſuam in redemptionem pro multis. *Oſanna filio Dauid; Benedictus qui venit in nomine Domini.* Matth. 20.

Eccl. 2.

Hæc eſt charitas tantopere commendata à Deo per Apoſtolum ſuum: Commendat Deus, ait, charitatem ſuam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Verè eam commendauit in nobis, quia nimia eſt: vt adhuc Epheſ. 2. eam Apoſtolus appellat, & Deum propter illam, diuitem in miſericordia, qui, vt dicit, propter nimiam hanc charitatem ſuam qua dilexit nos cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto; videlicet in morte eius: verè illam commendauit charitatem in nobis, vt nunquam obliuiſcamur eam, ſed in perpetua gratiarum actione maneamus, & dicamus hodie & ſemper cum filiis Iſraël; *Benedictus qui venit in nomine Domini.* In hoc enim cognouimus, iuxta S. Iohannem, charitatem Dei in nobis, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit. *Oſanna filio Dauid; Benedictus qui venit in nomine Domini.* Non ſolùm quia miſſus venit à Deo, dicit Maldonatus, ſed etiam quia Dei perſonam gerit. Rom. 5. Eph. 2. 1. Ioh. 3. Maldon.

Charitas autem quam nobis hîc Chriſtus demonſtrauit duplex eſt, diuina & humana. Diuina, qua nos ab æterno amauit. Ierem. 31. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans. Iuxta quam Epheſ. 1. dicitur, quod nos elegit in ipſo Deus Pater ante mundi conſtitutionem vt eſſemus ſancti. Humana, qua nos in tempore redemit, Apoſtolo dicente; Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ſub lege, factum ex muliere, vt eos qui ſub lege erant redimeret. Hebr. 10. Habemus fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti. Ita Apocal. 1. Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Apoc. 1.

Duplici charitate nos Chriſtus amauit. Ierem. 31. & Eph. 1. Gal. 4. & Hebr. 10.

Hæc eſt denique charitas quam ipſe Dominus ſic commendat dicens: Sic Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, vt eos qui ſub lege erant redimat, ſub lege peccati, & cognoſcant, meminerintque redempti quouſque illos Dominus dilexerit. Totum eſt hoc dilectionis opus. Dilectio eſt in conſilio, dilectio in cauſis, dilectio in effectis, dilectio in modo, dilectio in fine, dilectio in omnibus. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sic hodie turbæ clamant; & ſic clamabat Rex Dauid: Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro, præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei. Ioh. 3. Pſal. 94.

S. Auguſtinus hunc Pſalmum explicans, quibuſdam longè poſitis à Deo dici & malè viuentibus, ſimiliter clamat & ait. Quo itis? quò receditis? quò itis? quò fugitis exultando mundo? Venite, exultemus Domino. Quò itis exultare vbi deficitis? Venite, exultemus in illo à quo facti & redempti ſumus. *Non eſt veritas, & non eſt ſcientia Dei in terra.* S. Auguſt. in Pſ. 94.

Duo ſunt lætitiæ obiecta, mundus & Deus. Quid facimus? Mundo exultamus, non Domino. Propterea igitur, inquit Pſaltes, venite, exultemus Domino; & cum pueris Hebræorum hodie turbiſq; Iſraël, ramos oliuarũ geſtantes in manibus, iubilemus Deo ſalutari noſtro; ſcilicet hodie Chriſto Saluatori & intranti Hieruſalem cum triumpho & acclamationibus populi, *Oſanna filio Dauid; Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Sed hîc adhuc S. Auguſtinus quærit, quid ſit iubilate. Gaudium, inquit, verbis nõ poſſe explicare, & *Quid ſit iubilare.* S. Aug.

& tamen voce testari quod corde conceptum est, & verbis explicari non potest, hoc iubilare est, vt clamare hodie Osanna, & simul palmas gestare in manibus: & sic in laudibus & victoriæ canticis Dominum præuenire, sicut Psalmista prosequitur dicens; Præoccupemus faciem eius in confessione. Hîc enim confessio pro laude accipitur, quomodo etiam duobus modis accipit eam S. Augustinus. Vna est, inquit, confessio laudantis, altera gementis. Confessio laudantis ad honorem pertinet eius qui laudatur; vt sternere ramos & vestimenta in via spiritu submissionis, præcedere, sequi, & clamare Osanna.

Duplex confessio.

Quid sit, & ad quem pertineat cõfessio laudantis.

Hæc autem vox, *Osanna*, habet duplicem sensum, & secundum multos refertur & ad Christum, & ad populum. Ad Christum per modum voti & optatæ prosperitatis, ac si diceretur: viuat Rex, viue Rex in æternum, gloria sit filio Dauid, & laus habitanti in excelsis, quomodo in Apocal. Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & Agno. Ad populum refertur per modum obsecrationis, hoc sensu quod illa acclamatio redemptionem domus Dauid significabat. Qui sensus est Sancti Iren. & Origen. Ita vt Osanna idem dicat, atque obsecro salua nos. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Omnis nostra salus in manu tua est, expectamus eam à te.

Sensus & relatio duplex huius vocis Osanna.

Leuit. 23. Ita figuratè in Leuitico præceptum erat, vt Iudæi in festo tabernaculorum ramos palmarum gestarent, & Osanna dicerent, in signum quidem lætitiæ quod ex bonitate Dei fuerant de Ægypto liberati. Ita hodie in signum & gratiam futuræ nostræ redemptionis & libertatis, vult Christus vt exeamus obuiam ei, ramos palmarum & oliuarum portantes, & clamantes Osanna.

1. Machab. 13. Similiter 11. Machab. postquam Simon Dux expulit hostem ex Israël, arcemque mundauit quæ erat in Hierusalem, statim ingressi sunt eam cum palmis, canticis, & laudibus. Ita hodie quo tempore Christus mundare Sancta Sanctorum & hostem eiicere debebat, cum palmis exeunt obuiam ei filij Israël, & clamant, Osanna, salua nos Christe Redemptor. *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

S. Hieron. Notat hîc S. Hieronymus illa verba sumi ex Psalm. 117. vbi sic scribuntur. O Domine saluum me fac. O Domine bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini. Proptereàque refert ille quotidie in Synagogis Iudaicis decantata fuisse ob desiderium & expectationem Saluatoris. Quare hodie meritò in illius aduentu & ingressu ad saluandum nos audiuntur à pueris Hebræorum, qui expectabant eum, & nunc venisse demonstrabant. Illa igitur prima erat confessio quæ debebatur illi, scilicet confessio laudantis, quæ quidem ad honorem eius pertinet qui laudatur.

Secunda confessio, qua denuo & simul à nobis præueniri & præoccupari debet, est confessio gementis: & ad pœnitentiam eius pertinet qui confitetur. Vna Deum, altera autem nos respicit, & vtraque Deum confitetur & laudat. S. Augustin. Confitentur homines cùm laudant Deum; confitentur cùm accusant se, & nihil dignius facit lingua. Verè puto, inquit, quod ipsa sunt vota de quibus alio in Psalmo; Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea. Nihil quidem distinctione ista sublimius, dicit S. Augustin. (scilicet laudis, & accusationis in confessione.) Nihil tam necessarium, & ad intelligendum, & ad faciendum. Quomodo ergo distinguis vota quæ reddis Deo? vt illum laudes: (Sacrificium laudis honorificabit me;) vt te accuses, (quia eius misericordia est quæ tua vult peccata remittere.) Et sic venite, & præoccupemus faciem eius in confessione laudis, & accusationis. S. Augustin. Confitendo damnemus quod fecimus, vt ille quod coronet, & non quod damnet, inueniat, & sic exultemus Deo salutari nostro, præoccupantes faciem eius in confessione, quoniam magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos; quoniam non repellet Dominus plebem suam. Magnus est Rex & Dominus, propterea ergo, ait S. Aug. exultemus ei. Non repellit plebem suam, propterea exultemus ei. Sic enim ex Zacharia fuerat prædictum dicente: Exulta satis filia Hierusalem, iubila filia Sion. Ecce enim Rex tuus venit tibi mansuetus. O filij Israël exite, vestimenta vestra, & ramos in via sternite, venite, adoremus, & procidamus ante Deum: dicite, *Osanna, Benedictus qui venit in nomine Domini.* O Hierusalem, ô Sion, diu expectasti Regem istum & Dominum tot promissum sæculis; ecce modò tibi venit, & præsentem cernis. Rex est, & tuus, non alienus, totus tuus, & totus tibi, & qui cuncta quæ habet, tua facit. Cœlum habet, & tuum est, cuius motu & influentia respiras & viuis. Terram habet, Domini enim est terra: & illam dedit filiis hominum, vt Psaltes loquitur. Mare habet, & tuum est. Denique & omnia quæ in eis sunt, tua sunt, qui subiecit ea sub pedibus tuis. Dicam? Angelos habet, & tui sunt, qui omnes, ex Apostolo, sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis; & vt vno verbo dicam omnia. Omnia vestra sunt; vos autem Christi, qui adhuc vester est. Ecce Rex tuus tibi venit. *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Tibi venit, id est, in tuum vsum & vtilitatem venit, & non vt quærat quæ sua sunt. Deus est & homo: vt Deus Diuinitatem tibi dat; vt homo carnem & sanguinem, spiritum & animam, etiámque in tuos vsus omnia adhuc tibi administrat & expendit. Vitam habet, & illam tibi in omnibus, etiam in morte communicat. Adeò vt dicat S. Ioh. Quod factum est in ipso, vita erat, scilicet, tibi vita erat.

Zachar. 9.

Quomodo Christus venit nobis, & omnia quæ eius sunt, nostra sunt.

1. Cor. 3.

Ioh. 1.

S. Ambrosius illa verba explicans in Psalm. 36. admodum veram hanc communicationem vitæ in Christo & in omnibus quæ de ipso sunt, inuenit, dicens. Aperi aures, nolo mihi credas, ne putes esse argumenta ingenij, non testimonia veritatis. Ipse Tonitrui filius, ipse qui in Christi pectore recumbebat, ipse cui secreta sua Dominus non tacebat, cui Petrus innuit, vt Dominum interrogaret; & ille interrogauit, & Dominus reuelauit; ipse exponat quid senserit de eo quod ait: Quod factum est in ipso, vita erat. Audi ergo interpretantem. Quod fuit, inquit, ab initio, quod audiuimus, quod vidimus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, testamur & annunciamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Istud quæso audiamus & intelligamus. Loquitur hîc S. Apostolus de vita abscondita in Patre, & manifestata nobis. Caro autem est, dicit S. Ambrosius, quæ in Christo apparuit, vel Christus in carne. Ipse igitur nostra in omnibus vita est: ipsius diuinitas vita est: ipsius æternitas vita est: & ipsius caro vita est: ipsius passio vita est. Vnde Ieremias Thren. 4. ait: In vmbra eius viuemus. Vmbra eius, Crucis passio est: ipsius mors vita est: ipsius vulnus vita est; ipsius sanguis vita est: ipsius sepultura vita est: ipsius resurrectio

S. Ambr. in Ps. 36.

Quomodo Christus in omnibus quæ de ipso sunt, vitam communicat nobis.

1. Ioh. 1.

Thren. 4.

rectio vita eſt vniuerſorum. Sed ſcire vis quoniam ipſius mors vita eſt? Apoſtolus dicit: In morte ipſius baptizati ſumus, vt cum ipſo in nouitate vitæ ambulemus. & ipſe Dominus; Niſi granum cadens in terram mortuum fuerit, ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert, ſcilicet vitæ in nobis. Fructus itaque mortis eius vita eſt. Quod factum eſt in ipſo, vita erat.

Rom. 6.

Ioh. 12.

Proſequitur S. Ambroſ. & dicit. Caro facta eſt in ipſo, & vita eſt: infantia facta eſt in ipſo, vita eſt: remiſſio peccatorum facta eſt in ipſo, vita eſt: vulnus factum eſt in ipſo, vita eſt: illuſio facta eſt in ipſo, vita eſt: diuiſio facta eſt in ipſo, vita eſt: ſepultura facta eſt in ipſo, vita eſt: reſurrectio facta eſt in ipſo, vita eſt. Vide ergo quanta in ipſo facta ſunt, quibus vitæ noſtræ facta conuerſio eſt, vt quæ perierat redderetur. Ad poſtremum venditio facta eſt in ipſo, vita eſt: redemptio facta eſt in ipſo, vita eſt. Ad mortem venditus eſt à Iuda, emptus à Iudæis, vt pretioſo eius ſanguine redimeremur ad vitam. Hæc eſt vita quæ facta eſt, hæc eſt vita quæ apparuit: ſed quæ hodie cum triumpho & gloria apparuit. *Oſanna filio Dauid; Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hæc eſt vita quam audiuimus, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. Quia ipſe qui erat in principio, ipſe poſtea eſt natus ex virgine, vt eſſet vita morituris. hæc S. Ambroſ. Venite, occurrite illi omnes. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Dicite filiæ Sion (in datiuo caſu.) Ecce Rex tuus tibi venit, ſcilicet tibi vitam daturus. Hac voce, Sion, exprimitur quibus venerit Chriſtus, ſcilicet fidelibus atque credentibus, & verbum Domini ſuſcipientibus. Dicite igitur filiæ Sion, & animæ fideli: Exulta filia, ecce Rex tuus tibi venit; tibi, vt à tuis malis liberet, & ſuis locupletet bonis.

Quid per Siō intelligitur.

Sed quænam ſunt mala à quibus nos venit eripere Chriſtus? Peccati captiuitas, ſeruitus legis, poteſtas diaboli, & mors æterna. Quum liberationem mirè commendat Apoſtolus in hunc modum dicens: Abſorpta eſt mors in victoria. vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? ſtimulus mortis peccatum eſt; virtus verò, ſeu potentia peccati, lex. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Iesvm Chriſtum (per quem ſcilicet & mortua eſt mors, & peccati regnum euerſum eſt.) *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sed quænam etiam bona ſunt quæ venit conferre nobis? Libertas, ſalus & vita: propterea Zacharias dicit. Exulta captiua filia Sion, ecce enim rex tuus tibi venit iuſtus & Saluator. Exultemus & nos Domino, qui exuere & induere nos venit. Exuere noſtris malis, & induere bonis ſuis. Propterea etiam dicitur apud eundem Zachar. quia pauper venit, & ſicut in Euangelio legitur, ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis. Scitis gratiam Domini noſtri Iesv Chriſti, quoniam cùm diues eſſet, propter vos egenus factus eſt, &c.

A quibus malis nos Chriſtus veniens liberauit.

1. Cor. 15.

Quibus bonis nos Chriſtus cumulare venit.

2. Cor. 8.

Figura eſt in Ionatha filio Saülis, qui Dauidem reuertentem de prælio contra Philiſthæum & cum victoria, humili & attrita veſte indutum, ipſum indumentis regiis quibus erat amictus, etiam ad baltheum vſque veſtiuit. Idem hodie videtur ſpiritualiter præſtare Chriſtus erga animas fideles & pœnitentes, cum gloria & triumpho reuertentes à cæde peccati, quando illas exuens ſordidis peccatorum veſtibus, ſtatim ornat pretioſis gratiæ ſuæ veſtimentis, & non dicam ad baltheū vſque, vſq; ad carnem & ſanguinem, ſed etiam vſque ad animam & vitam, quam pro ſalute noſtra & vita in Cruce

1. Reg. 18. *Figura.*

A profudit. Quibuſnam igitur eum laudibus ſuſcipere decet, pro tot ac tam magnificis donis? Meritò vnicuique noſtrum conuenit dicere cum Paulo: Mihi iam abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Iesv Chriſti. Hodiernus enim iſte eſt Crucis Triumphus. Glorientur alij in opibus & potentiis, in ſcientiis, honoribus, & patrimoniis: hæc eſt mea gloria, hoc patrimonium, & omnis mea fœlicitas, gloriari in Cruce Domini, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Vnde ſi hodie nobis exultare conuenit, exultemus Domino, non mundo, ſed Deo ſalutari noſtro. Ecce enim tibi manſuetus venit & Saluator, ô captiua Sion. Manſuetus venit ad tua improperia toleranda, & B ſuſtinenda tua mala vt Saluator. Venite igitur, & videte opera Domini quæ poſuit prodigia ſuper terram. Quænam enim maiora ſunt prodigia, quàm quod Majeſtatis Dominus, ſpendor patris, & Dei filius, non ſolùm nos exuerit noſtris malis, ſed etiam in ſe ſuſceperit, vt & nobis bona ſua conferret?

Mala noſtra duo ſunt, pœnæ & culpæ. Et ille, ô prodigia ſuper terram, vtraque ſuſcepit, mala pœnæ, vt ſuſtineret; mala culpæ, vt expiaret.

Quomodo intelligitur Deū ſuſcepiſſe mala noſtra, tum pœna, tū culpa.

Hinc S. Aug. in ſuis medit. Homo factus eſt hominis factor, vt ſugeret vbera regens ſydera, vt eſuriret panis, ſitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur, falſis teſtibus veritas accuſaretur, Iudex viuorum & mortuorum à Iudice mor- C tali iudicaretur, ab iniuſtis iuſtitia damnaretur, flagellis diſciplina cæderetur, virtus infirmaretur, ſalus vulneraretur, & vita moreretur. Ecce mala pœnæ tolerata, & culpæ expiata.

S. Auguſt. in medit.

Ita Euſeb. Emiſſen. Magnum mihi eſt, inquit de Deo, quod eſſe me ſentio opus ſuum, ſed multo plus eſt quod tranſiſſe ipſum video in pretium meum, quandoquidem tam copioſo munere ipſa redemptio agitur, vt homo Deum valere videatur. Itaque ô homo quàm pretioſus ſis, ſi factori non credis, interroga Redemptorem. Inter ipſa mundi principia, inquit ille, imaginem Dei ſui ſeruus accepit, ſed pene amplius eſt quod nunc D formam ſerui Deus author aſſumpſit. Tunc dignatione grandi primo homini ſpiraculum vitæ de ſuo prius formator infudit, ſed nunc pene maiori charitate pro eodem homine non iam ſua dedit, ſed ſeipſum impendit ac tradidit. Dicite ergo filiæ Sion; Exulta, ecce Rex tuus tibi venit iuſtus & Saluator, tibi venit manſuetus ad obediendum pro vita & ſalute hominum vſque ad mortem, mortem autem Crucis. Venite omnes, & ſequamur eum, procedamus & procidamus ante eum, circumferamus ramos noſtros, & clamemus Oſanna.

Euſeb. Emiſſen.

Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur clamabant dicentes, *Oſanna filio Dauid, Oſanna in altiſſimis.* Verùm quinam ſint iſti qui clamant, videamus. Hebræorum pueri ſunt. Ita Domi- E ne. Sic enim prædictum erat: Ex ore infantium perfeciſti laudem propter inimicos. Seniores clamant, tolle: & pueri clamant, Oſanna. Clamant pueri, benedictus: & ſeniores, maledictus. Pueri clamant, Benedictus qui venit in nomine Domini: & clamant ſeniores, in digito Beelzebub. Pueri clamant, Rex Iſraël eſt: & ſeniores clamant, non habemus Regem niſi Cæſarem. Quid tandem? cùm intraſſet Iesvs Ieroſolymam, commota eſt vniuerſa Ciuitas dicens, quis eſt hic? Populi autem & pueri dicebant, hic eſt Iesvs Propheta à Nazareth. Pueri denique lætantur, victoriam & fœlicem ingreſſum Iesv precantur:

cantur: seniores autem tristantur, & dicunt, crucificatur. Turbæ & pueri ramos oliuarum gestant, & seniores flagella, funes, spinas, & cruces præparant. O admirabile Dei consilium! Ex ore infantium & exultantium cordibus turbarum perfecisti Deus laudem tuam. Clamant omnes Osanna, palmas manibus gestantes. Et nos similiter cum ramis oliuarum, & operibus bonis misericordiæ & charitatis in manibus, clamemus exultantibus animis, *Osanna in altissimis; Benedictus qui venit in nomine Domini.*

DE SACRIFICIO Missæ, seu Altaris.

Cùm facta esset hora, IESVS discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Luc. 22.

NOSTRA Religio; quæ diuinitus à Christo IESV instituta fuit, iure optimo Christiana dicitur, eo quod ipse illius est author & simul obiectum. Author qui fundauit eam: & obiectum quod eadem semper in omnibus refert, suspicit, veneratur & adorat. *Religionis nostra Christus author est & obiectum.* Synagoga idem quidem obiectum habebat, scilicet Messiam: sed Moysem authorem suum agnoscebat. Non sic Religio nostra, cuius author & obiectum, idem & vnus Christus est, summum bonum quod in hac lege possidere debemus, & medium quo ipsum mereri & acquirere possimus. Authorem dixi, quia illa non ex humana institutione est, sed ex diuina vt penitus naturæ terminos excedens: & supernaturalis in suis principiis & effectis. Quare Eph. 5. Caput Ecclesiæ Christus nominatur, & Heb. 7. Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; iuxta illud psal. 109. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Iurauit & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. (Eph. 5. Heb. 7. Ps. 109.)

De illo Melchisedech sermo est Genes. 14. vbi dicitur, quod proferens panem & vinum benedixit Abraham: erat enim Sacerdos Dei altissimi. Vnde S. Cypr. ante 1300. an. scribens ad Cæcilium ait. Quis magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster IESVS Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit? & hoc idem quod Melchisedech obtulerat, panem & vinum; suum videlicet, ait, corpus, & sanguinem. Sed S. Paulus ad Hebr. Epist. citata distinctiùs figuræ istius veritatem explicat, vbi ordine refert, quomodo summus Sacerdos Melchisedech assimilatus est filio Dei, & illius figura extitit. (Gen. 14. *Per Melchisedech Christus intelligitur.* S. Cyprian. epist. 63. ad Cæcil. Heb. 7.)

Primò, in nomine (Melchisedech) qui interpretatur Rex iustitiæ. Talis enim est Christus, & quà Deus & quà homo. Quà Deus, qui per essentiam ipsa est iustitia, & consequenter Rex iustitiæ. Quà homo, Dominus iustitiæ & vindex, vtpote qui ex perfectissima iustitia pro omnibus satisfecit, nostráque coram patre iustitia factus est: quique omnium constitutus est Iudex viuorum & mortuorum in omni iustitia. (*In quantis Melchisedech est figura Christi. 1. In nomine.*)

Secundò, in statu; Melchisedech enim fuit Rex (*2. In statu.*)

A Salem, siue Hierusalem, id est, pacis, & primus Rex. Ita Christus, cuius nomen est Rex pacificus: & apud Isaiam, princeps pacis, vtpote qui pacem constituit inter homines & Deum, qui in Salem, siue Hierusalem terrestri à ligno regnauit, & in cœlesti vbi est pax summa, in æternum est regnaturus cum suis. Isa. 9.

Tertiò, in generatione, & duratione; Melchisedech enim dicitur esse sine patre & sine matre, sine genealogia, & neque initium dierum, neque finem vitæ habens. Sic enim de illo loquitur Apostolus. Et ratio imprimis est, & quidem litteralis, quia in Genesi nulla parentum eius, natiuitatis & mortis mentio fit: sed ita repentè inducitur, vt B nullibi amplius de eo antè & pòst sermo sit in Scriptura; & hoc cum mysterio, quia videlicet æterni Sacerdotij Christi typus erat. (*3. In generatione.*)

Primò itaque dicitur sine patre & matre, id est, pater eius tacetur & mater, vt iuxta S. Ambros. significetur Christus qui in terris quatenus homo, est sine patre: & in cœlis quà Deus, seu Dei filius, est sine matre. Et lib. de his qui mysteriis initiantur; Sine patre secundum Incarnationem, quia ex virgine natus est: sine matre secundum Diuinitatem, quia ex patre Deo genitus est in identitate substantiæ cum eo. (S. Ambros. ep. 82. Idem lib. de his qui mysteriis initiantur c. 8.)

Item sine genealogia; non quidem absolutè, quia, vt iam notauimus, parentibus non carebat: C sed respectu Sacerdotij, quia nō iure hæreditario, nec per carnis successionem, sed à Deo immediatè suum Sacerdotium accepit, iuxta quod dicitur; erat enim Sacerdos Dei summi. Ita Christus, &c. (*4. In genealogia.*)

Denique neque initium dierum, neque finem vitæ habens; iuxta quod adhuc tacetur tempus natiuitatis eius ac mortis, & non est in Scriptura mentio vlla quando natus sit, vel mortuus: vt per hoc etiam inculcetur Christi æternitas, qui est Sacerdos in æternum, & qui Sacerdotij sui, neque antecessorem, neque successorem habuit: semper enim idem est Sacerdos, in Cruce, & in Altari per ministros suos, continuóque etiam adhuc in cœlo passionis suæ sacrificium patri offerens.

D Vnde quintò Melchisedech in sui officio Sacerdotij, maximè Christi figura fuit. Sicut enim ille primus & vltimus in hoc genere Sacerdotij fuit (neque enim legitur aliquis ei successisse:) ita Christus nouum & æternum Sacerdotium habet; & propriè Sacerdotes ab illo instituti, non dicuntur eius successores, sed vicarij & ministri, per quos ipse vt summus Sacerdos continuò offert. (*5. In officio Sacerdotij.*)

Egregiè de hoc S. Chrysost. loquitur in Matth. dicens. Et tu laice cùm Sacerdotem videris offerentem, ne vt Sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam: principalis namque offerens in Altari Christus est. Vnde dicimus, ô hæretice, non fuisse extinctum E Sacerdotium eius in Cruce & morte ipsius, sed esse æternum & durare semper. Vbi? non in sacrificio Crucis, quia iampridem transijt & desijt; sed, ô hæretice, in sacrificio Missæ & Altaris, vbi adhuc quotidie (vt explicabimus modò) seipsum offert, & manibus ministerióque Sacerdotum, tremenda salutis nostræ mysteria operatur, perficitque, iuxta quod vnctus à patre est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, vt nobis in psalmis declarauit Spiritussanctus, ex persona patris ad filium dicentis: Ante Luciferum genui te; Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ecce absque principio, & fine, & sine genealogia. (S. Chrysost. hom. 83. in Matth. Ps. 109.)

Præterea

6 In benedictione.

Quomodo omnia quæ ad Sacerdotium Melchisedech spectant, referuntur ad Christum.

S.Cyprian. lib.2. ep.63.

Præterea Melchisedech in suo Sacerdotio benedixit Abraham, & ab eo decimas accepit & munera de præcipuis. Ita Christus cunctis fidelibus, filiisque Abrahæ, benedictionem suam diuisit, & de præcipuis accepit ab eis munera pretiosa, animas scilicet eorũ & corda. S.Cypr. epist. ad Cæciliam citata, optimè hanc benedictionem explicat. Circa Abraham, inquit, benedictio illa præcedens ad nostrum populum pertinebat, qui iampridem in Abraham fideli benedictus & iustificatus ostenditur. Qui enim ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ. Verùm quidnam adhuc benedictionem hanc præcedit, & in Sacerdotio eius præcipuum est & maximum? Ecce panem & vinum obtulit, iuxta quod erat Sacerdos Dei altissimi.

7 In oblatione.

Quod iterum doctissimè obseruauit S.Cyprian. vt omnium causam gratiarum & benedictionum, dicens. Vt ergo per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham posset ritè celebrari, præcedit antè imago sacrificij in pane & vino. Quam rem, inquit, perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit, videlicet cùm, sicut paulo antè dicit, sacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. hæc S.Cyprian.

Et quæso omnia attentè cõsiderentur. Christus (inquit ille S. Doctor) qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Panis & vinum Melchisedech erant figura, ô hæretice, corpus verò & sanguis Christi veritas, quam ipse adimpleuit. Apud S.Luc. cùm facta esset hora, ait discipulis: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Et accepto pane gratias egit, fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. 1. Cor. 11. quod pro vobis tradetur. Et similiter de calice: hic est calix in meo sanguine qui pro vobis fundetur. Et apud Matth. distinctissimè; Accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Nihil clarius, nihil distinctius, nihil verius. In remissionem autem peccatorum sanguis effusus, iis videlicet qui dignè de hoc calice bibunt. Qui enim, ait S. Paul. manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.

Luc. 22.

1. Cor. 11.

Matth. 26.

Qui dignè preparat se vt Eucharistiam sumat, fidem suam ostendit.

Hæc oblatio mũda non prodest nisi mundis, & per probationem, & puritatem nostri cordis, ostẽdimus veritatem carnis & sanguinis Christi; sic enim S. Apostolus dicit, quod qui indignè manducat, non diiudicat esse. Igitur propter veritatem, eiusmodi puritas requiritur sumentis, & hoc ita esse iudicantis. Alioquin ineptè de præsentia & veritate rei quæ nõ est, iudicatur, & si non sit, non est opus iudicio, quod fit. In enim nõ est falsitas & error; sicut nõ possum diiudicare aliquẽ esse absentẽ, & nunc hic præsentẽ esse. Igitur si ex iudicio præsentiæ corporis Christi tanta requiritur puritas in sumente; fundatur hoc in veritate corporis quod sumimus, & quod hic præsens est sub Sacramenti speciebus. Sicut etiam eos qui indignè sumũt, reos iudicij & mortis condemnauit Apostolus, quia sic accedentes non diiudicant ob suã infidelitatem, & improbitatem morum, esse Christi corpus: si enim diiudicarent verè, crederent, & discernerent; probarent se, atque meliùs se disponerent, vt manducarent.

A

Ecce igitur quale est, & quàm magnum sacrificium nostræ Religionis, cuius Christûs simul author est & obiectum. Author qui tale sacrificium instituit & fecit, & obiectum quod ipsa in omnibus respicit. Ita vt sit ipse in eo sacrificio offerens & oblatio, donator & donum. Sacrificium quod simul satisfactorium est, propitiatorium, & impetratorium. Satisfactorium, quia in eo est pretium nostræ redemptionis. Propitiatoriũ, quia ipsa est redemptio. Impetratorium, quia qui in eo offertur, Christus est: propterea Apostolus dicit ad Rom. quia Deus eum proposuit propitiationem in sanguine ipsius; & ad Titum, quod semetipsum dedit vt nos redimeret. Et ad Ephes. quod dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, quousque dicat 2.Cor.5. quod Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Et certè erat, quia adhuc hodie est, & semper est in hoc sacrificio reconcilians, in quo fons est reconciliationis nostræ, & omnium gratiarum. Sacrificium dicam quod Religionis nostræ fundamentum est, & perfectio.

Sacrificium Missæ satisfactorium est, propitiatoriũ, & impetratorium.

Rom. 3. ad Tit. 2. & Eph. 5.

B

2. Cor. 5.

Verùm si attentiùs adhuc statum hunc Religionis nostræ considerem, totum esse inuenio in fide & adoratione primi & maximi omnium mysterij, scilicet Incarnationis verbi diuini; in omnibus ab illa dependere admirabili vnione, consortio & fœdere quod nobiscum Deus contrahere in perpetuum dignatus est, cuiusq; adhuc pignus pretiosum, veritas & continuatio, in illo augustissimo sacrificio Missæ permanet. Quod vt meliùs intelligatur, sciendum est Deum fecisse hominem & omnia in seipso, qui ratione suæ immensitatis extra se nihil facit, cùm sit vbique; propter quod ait Apostolus Atheniensibus Act.17. In ipso viuimus, mouemur & sumus. Vnde cùm homo qui in malo potuit, quod Deus non poterat, diuisionis modum per peccatum inuenit, neque tamen vnquam redeundi instinctum amittere potuit: statim placuit Deo (cuius prouidentia est infinita, & qui in sua potentia & bonitate nullis limitibus terminari potest) ipsum ad se reducere, & modos inuenit, scilicet, Incarnationem verbi, & Religionem. Per Incarnationem enim tam intimè, arctèque hominem seiunctum à se vniuit sibi, vt nunc sit & in æternum Deus, qui homo est; & nunc inueniatur homo, qui Deus est, vnus Christus Deus-homo, homo-Deus.

Religio Christiana tota est in fide Incarnationis, & in omnibus credẽdis ab illa depẽdet.

C

Act. 17.

D

Incarnatio & Religio modi sunt quibus Deus hominem à se separatum vnit sibi.

Per Religionem similiter, quæ ex parte Dei legem continet datam hominibus; ex parte hominum, obedientiam Deo redditam: & rursus ex parte Dei, gratiarum multitudinem continet, quæ hominibus conferuntur, & manifestantur quibusdam signis sensibilibus, quæ Sacramenta dicimus: & ex parte hominum, submissionem, seu supremum honorem redditum Deo, externo latriæ cultu quem sacrificium appellamus. Diuinæ inquam prouidentiæ placuit hac via, inuentioneque admirabili suæ sapientiæ, omnes homines reducere ad se, & reunire, siquidem talis est huius nominis (*Religionis*) etymologia, quæ pactum fœderis dicit inter Deum & hominem: ita vt lex & obedientia, Sacramentum & sacrificium in Religione sint, velut vincula, quibus coniungimur Deo, & fundamenta quæ Religionis statum in terra sustinent.

E

Quid significat Religio.

Quinã sunt nexus quibus in Religione Deo coniungimur.

Iuxta nouum autem statum diuinæ huius & singularis cum carne vnionis, etiam nouam Deus Religionem instituere voluit, planè admirandam, & quæ tota existeret in fide & adoratione tanti mysterij. Illa est quam etiam Christianam appellamus:

Ad quid instituta Christiana Religio.

mus: & quæ eo est veteri perfectior, quod habeat pro principio, fine, & obiecto perfectissimam, & sanctissimam omnium vnionem, qualis est Incarnatio. Vnde etiam in nullo deficit eorum & quæ debemus Deo, & quæ nobis Deus dare desiderat. Qui sicut in Cruce voluit esse pretium nostræ redemptionis: ita etiam in Altari vult esse hostia nostræ adorationis; & sicut in cœlo idem Deus obiectum est beatæ contemplationis, & simul medium, ratio & species qua videtur à beatis: ita in terra idem Christus est simul & obiectum nostræ adorationis, & hostia per quam adoratur à Christianis.

Comparatio inter Christū in Cruce & gloria, & eūdem in Altari.

Hæc est Religio quæ in summa perfectione possidet, quidquid est perfectissimæ Religionis, scilicet cuius lex est sanctissima, obedientia perfectissima, Sacramentum diuinissimum, & sacrificium penitus augustum. Sacramentum vbi corpus Christi est cibus hominum: & sacrificium vbi Deus ipse in homine est offerens, & hostia hominum. Lex quæ Euangelium est; & obedientia quæ est cor & dilectio hominum. Hæc est Religio sancta, quæ perfectissimè relationem hominis ad Deum, & Dei ad hominem adimplet. Non enim veterem destruxit Deus quando hanc nouam instituit: sed solum in perfectiorem statum ac meliorem mutauit. Sicut non destruxit statum Sacerdotij & sacrificij, sed in meliorem formam commutauit, de figuris & vmbris ad veritatem corporis transiens. Ita vt minimè religiosas & sensibiles ceremonias deserens, quæ diuino cultui conueniunt, iuuant & inducunt hominem ad illum (veritate retenta,) figuras excludat, non annihilando statum, vt diximus, sed perficiendo, & in digniorem, veriorémque commutando: habemus enim Sacerdotium, sacrificium, & Altare non quidem amplius in figuris, sed in veritate. Natura quidem remanet, sed mutatur forma.

Laus Religionis Christianæ propter Sacramētum Altaris, & alia perfectissima quæ Religionem cōmendant.

Christiana Religio non vetera destruit, sed perficit.

Exempli gratiâ, vetera sacrificia legis omnia cruenta erant. Altaris verò incruentum est sacrificium. Etenim cruentum sacrificium Crucis, omnia alia ista cruenta sacrificia præterita terminauit, vt veritas figuras. Quare non est mirum si ante effusionem sanguinis Christi in Cruce, lex plena sanguine erat, & in Sacramentis suis, & in sacrificiis. Gladius enim erat qui circuncisionem faciebat, & alia sacrificia, eo quod scilicet ad sacrificium Crucis cruentum respiciebant. Nunc autem exquo impletum est, non est amplius necesse vt occisio interueniat & gladius, sed sufficit verbum, quod idem in Sacramentis nostris & sacrificiis operatur & facit, atque faciebat gladius & occisio in aliis. Quidnam facit baptismi Sacramentum, & alia? vtique verbum, & non amplius gladius. Quid sacrificium Missæ facit & Altaris? Rursus verbum: adeò vt iam in Altari, sine occisione & gladio, effusio fit sanguinis & oblatio corporis: hoc est corpus meum quod pro vobis datur, hic est sanguis meus, & hic calix qui pro vobis effunditur.

Cruentū sacrificiū Crucis omnia alia cruenta legis sacrificia terminauit.

Exquo impletum est in Cruce sacrificium cruētum, sufficit verbum, nec gladio opus est.
Matth. 26.
Luc. 22.

Quod vt meliùs intelligatur, iterum sciendum triplicem fuisse effusionem sanguinis Christi in vltimo die vitæ suæ. Vnam mysteriosam, inuisibilem, sacramentalem & sacram, in Altari & mensa Cœnæ inter discipulos. Alteram violentam & miraculosam in horto inter Angelos; in agonia factus est sudor sanguinis. Tertiā denique cruentam in Cruce inter latrones, in prætorio etiam Pilati inter tortores. Omnes autem effusiones istæ veræ fuerunt; & mysteriosa seu inuisibilis non minus vera fuit quàm cruenta. Hic est, inquit, sanguis

Triplex effusio sanguinis Christi.

A meus qui pro vobis effunditur; hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Ita vt hic instituerit Christus Sacramentum simul & sacrificium, seu immolationem absque occisione. Sacramentum vt manducetur; Accipite & manducate. Sacrificium vt immoletur & offeratur: corpus quod pro vobis datur; sanguis qui pro vobis effunditur. Sacrificium vbi immolatio est absque occisione, sicut Sacramentum vbi mãducatio est absque digestione. Denique sacrificium quod verum & perfectum est, licèt sit incruentum: in cruento tamen sacrificio Crucis penitus fundatum, ex quo omnem vim suam educit & naturam. Nam sine Cruce Christū quidem semper haberemus in hac mensa præsentem, non autem victimam. Quia per illud sacrificium Crucis fit victima, quotidiana immolatio & iugis oblatio in Altari. Ita vt tam in qualitate Sacramenti quàm sacrificij maneat semper incomsumptibilis.

In Altari Sacramētum & sacrificiū.

B

Per Crucem Christus est in Altari victima.

Hæc quidem oblatio est, sacrificium, & immolatio, de qua Malach. 1. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum (hic de Sacerdotibus Iudæorum Propheta loquitur, quos repudiat Dominus,) & munus non accipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. Ecce aptissimus locus pro prædictione & veritate sacrificij Altaris & Missæ. Non enim Propheta loquitur de sacrificio Iudæorum, quod prædicit cessaturum, & quod etiam, vt notauimus, repudiat Deus. Neque Ethnicorum, quia non est eorum oblatio munda, sed abominabilis Deo. Neque etiam de sacrificio Crucis, quia tantùm semel & in vno loco Caluariæ oblatum est. Igitur de sacrificio Missæ, & Altaris est intelligendum, vbi hostia munda est & in omni loco oblata. Sic interpretatur Tertull. contra Marcionem. S. Iustin. Martyr. cõtra Tryphon. ferè ante 1500. an. Item S. Iren. ferè eiusdē sæculi Martyr. & Galliæ nostræ Episcopus, lib. 4. cap. 32. Panem, inquit, qui est creatura eius accepit, & gratias egit dicens: Hoc est corpus meum, & calicem similiter, qui ex ea est creatura suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens Deo offert in vniuerso mundo, de quo sic inter duodecim Prophetas Malachias prædixit. hæc ille.

Malach. 1.

C

De sacrificio Missæ prædictio.

Tertull. lib. 3. contra Marcian. S. Iustin. cōtra Tryph. S. Iren. lib. 4. c. 32.

D

Sed vnde, inquiunt hæretici, Missæ nomen? Dicamus paucis, ita quidem esse, quod Christus huic actioni sacræ, diuinoque penitus mysterio non imposuit nomen, (& hoc nihil facit ad naturam, essentiam & veritatem mysterij:) obseruasse autem quod primò fecit in creatione mundi, vbi non ipse, sed Adam vt pater futurus & Dominus omnium, nomina cæteris creaturis quas ipse non formauerat, imposuit. Ita dico. Hanc authoritatem Deus commisit Ecclesiæ, quæ fidelium mater est, & dispensatrix mysteriorum Dei. Quare secundum diuersitatem effectuum, vsuum, atque etiam perfectionum, denique mysteriorum diuinorum, quæ in hac institutione agnoscit, diuersa etiam nomina impartitur. Aliquando enim Sacramentum appellat, quatenus est cœlestis panis animarum. Aliquando sacrificium, vt hostia est Deo pro humano genere oblata. Aliquãdo Eucharistiam, vt continet non solùm gratiam, sed ipsius authorem. Aliquando communionem, in quantum participatione

E

Quomodo reliquit Christus Ecclesiæ potestatem imponēdi nomen Missæ sacrificio Altaris, quomodo Adamo dedit imponendi creaturis.

Quomodo sacrificium Altaris diuersa nomina sortitur.

Quomodo illi nomen Missæ conueniat.

patione eius efficimur omnes vnum corpus. Denique Missam, à missione dupliciter. Primò, vt significetur quod ad nos à patre per consecrationem, & à nobis vicissim ad Deum Christus mittitur, illique offertur ad placandum. Secundò, vt significetur dimissio fidelium peracto sacrificio: horum, inquam, qui separari ab alienigenis & catechumenis admittebantur, aderántque mysteriis, vnde nomen, quo omnes Patres (vt neminem excipiam) vsi sunt. S. August. S. Hieron. S. Gregor. S. Ambros. qui maximè lib. 5. epist. 29. 33. Missam, inquit, facere cœpi, amarissimè flere, & orare in ipsa oblatione Deum cœpi. Ante eos Chrysost. Basil. Cyrill. Iustin. Irenæus, S. Ignatius discipulus Sancti Iohan. Euang. qui in epist. ad Smirnenses sic ait. Non licet sine Episcopo neque offerre, neque Missas celebrare. Et S. Clemens ipsius Apostolorum Principis discipulus, epist. 3. ad S. Iacobum fratrum Domini, dicit sic. Missas sine Episcopi iussu nemo presbyterorum in sua parœcia agat, nec quidquam absque eius permissu faciat. Hæc Apostoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt, hæc nos docemus. Ecce in ipsis Apostolorum temporibus Missæ nomen in vsu, & traditum ab illis.

Omnes Patres vsi sunt hoc nomine Missæ. SS. August. Hieronym. Gregor. & S. Ambr. lib. 5. ep. 29. & 33. S. Ignat. ep. ad Smirnenses. S. Clemens epist. 3. ad S. Iacob.

Quid igitur ad hæc amplius dicere hæretici poterunt? Sed fortasse adhuc nomen videre in Scriptura sacra volunt. Ostendamus: præterquàm quod Act. 13. mentio fit de liturgia & sacrificio, vbi dicitur, ministrantibus illis Domino, id est, sacrificantibus, iuxta Græcum. Item Deut. 16. sermo est de oblatione spontanea, quæ Hebraicè Missah dicitur, vbi celebrabis Missah, id est, oblationem spontaneam. Et quænam est illa nisi Christus, qui tradidit semeipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo? sic enim, vt Isaias dicit, oblatus est quia voluit. Accipite, hoc est corpus meum quod pro vobis datur.

Act. 13. Deut. 16. *Nomen Missæ in Scriptura.* Ephes. 5. *Christus oblatio spontanea.* Isa. 53.

Quid sit Missa.

Ecce oblatio spontanea, ecce Missa, & quid sit in sua natura, sacrosanctæ passionis Christi commemoratio. In qua ex institutione ipsius Christi sub speciebus consecratis panis & vini verũ Christi corpus, & sanguinem cœlesti patri offerimus in Altari, & in alimoniam animæ nostræ sumimus. Ecce quod celebramus sacrificium: ecce Missa oblatio spõtanea, veritas figuræ Deut. 16. Oblatio denique mũda quæ in omni loco Deo offertur, de qua prædixit Malach. Vna oblatio, & tamen in omni loco oblata. Munda oblatio, quæ continet Agnum sine macula, Agnum Dei qui tollit peccata mundi. Quæ defectu offerentium maculari non potest, sed quæ Deo gratissima semper ipsum placat nobis. Dilectum enim patris filium continet, reconciliatorem nostrum, & qui nostrorum purgationem fecit peccatorum.

Hæc igitur sufficiant ad infidelium confusionem, & consolationem fidelium, quod Altare habeamus, vbi Christus est offerens & Sacerdos, hostia & oblatio munda; quod denique mensam habeamus, vbi idem Christus homo-Deus panis est & vita fidelium.

* * *

A

DE SACROSANCTA Eucharistia, & communione corporis Christi.

Accipite & comedite: hoc est corpus meum. Matth. 26.

NIHIL vnquam de manibus Christi IESV excellentius, digniusque prodiit, quàm proprium ipsius corpus, Deo patri oblatum, traditum B Apostolis, & nobis. Opus quidem istud, omnium quæ fecit ad extrà, diuinissimum & est potentissimum, & in hoc singulariter magnus est Christus. In creatione mundi omnipotentia eius super nihilum operata est, & in resurrectione corporum super pulueres & cineres operabitur. Addamus: & si actiones quas miraculosas in vita fecit consideremus, tunc tantùm super statum & mutationem naturalium operabatur; hic autem super creaturam singularem, & omnium nobilissimam, qualis est sancta ipsius & deificata humanitas. Ecce opus dignum Deo, & diuinæ eius potens satisfacere potentiæ: dignum dicam Christi mente & manibus; dignum prouidentia eius & amore: ex Ioh. 13. C Sciens IESVS quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

Eucharistia opus dignum mente, potentia & manibus Christi. Ioh. 13.

Imprimis ergo hic operatur ex notitia potentiæ, & potentia manuum quibus omnia pater commisit, vt non nisi maxima expectemus ex illis. Secũdò opus facit quod eius vitam terminare debet, sciens quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, (hic pari opere potẽtię, egressum suũ, & regressum ad patrem vult claudere.) In mundum veniens, humanitati nostræ vnitus coniungitur nobis: rediens verò incorporatur in nobis: & sic duobus maximis mysteriis, atq; operibus vitam suã incipere voluit D & finire, scilicet Incarnatione nascendo; & Eucharistia moriẽdo. O opus dignum quod esset terminus omnium eius operum! Sed tertiò si magnitudinem amoris spectemus ex quo prodiit, maximum opus esse videbimus. Cùm enim dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos, scilicet cùm taliter ipsum exinaniuit amor, dico infinitum, ineffabilem & altissimũm, vt vnicuique nostrûm se communicare ex toto dignetur; & puluerem nostrum vsque ad diuinitatis suæ consortium eleuare, se incorporando in nobis, & nos associando sibi. Huc vsque humiliauit ipsum amor, nos autem erexit & sublimauit.

Incarnatione & Eucharistia incipit & terminatur vita Christi.

Eucharistia maximum opus ex parte amoris.

Triplicem emanationem Dei, seu communica- E tionem, & operationem extra se, & eius essentiam agnoscimus, quæ triplicem statum & differentem inter res creatas constituit. Primus est naturæ, in quo diuersimodè omnes Dei esse participant, id est, secundum gradus diuersos participationem naturalem diuini esse recipiunt.

Triplex communicatio Dei extra se.

Secundus est gratiæ, intelligibilium creaturarum tantùm proprius; siue purè spiritualium, vt sunt Angeli, siue spiritualium & corporearum simul, vt sunt homines: & hoc vt non solùm esse, sed etiam sanctitatis & fœlicitatis Dei reddantur participes.

Tertius est hypostaticæ vnionis, quem statum vnicè & singulariter ingreditur sancta humanitas Christi,

Eleuatio & dignitas admirabilis status hypostatica vnionis.

mus: & quæ eo est veteri perfectior, quod habeat pro principio, fine, & obiecto perfectissimam, & sanctissimam omnium vnionem, qualis est Incarnatio. Vnde etiam in nullo deficit eorum & quæ debemus Deo, & quæ nobis Deus dare desiderat. Qui sicut in Cruce voluit esse pretium nostræ redemptionis: ita etiam in Altari vult esse hostia nostræ adorationis; & sicut in cœlo idem Deus obiectum est beatæ contemplationis, & simul medium, ratio & species qua videtur à beatis: ita in terra idem Christus est simul & obiectum nostræ adorationis, & hostia per quam adoratur à Christianis.

Comparatio inter Christū in Cruce & gloria, & eūdem in Altari.

Hæc est Religio quæ in summa perfectione possidet, quidquid est perfectissimæ Religionis, scilicet cuius lex est sanctissima, obedientia perfectissima, Sacramentum diuinissimum, & sacrificium penitus augustum. Sacramentum vbi corpus Christi est cibus hominum: & sacrificium vbi Deus ipse in homine est offerens, & hostia hominum. Lex quæ Euangelium est; & obedientia quæ est cor & dilectio hominum. Hæc est Religio sancta, quæ perfectissimè relationem hominis ad Deum, & Dei ad hominem adimplet. Non enim veterem destruxit Deus quando hanc nouam instituit: sed solum in perfectiorem statum ac meliorem mutauit. Sicut non destruxit statum Sacerdotij & sacrificij, sed in meliorem formam commutauit, de figuris & vmbris ad veritatem corporis transiens. Ita vt minimè religiosas & sensibiles ceremonias deserens, quæ diuino cultui conueniunt, iuuant & inducunt hominem ad illum (veritate retenta,) figuras excludat, non annihilando statum, vt diximus, sed perficiendo, & in digniorem, veriorémque commutando: habemus enim Sacerdotium, sacrificium, & Altare non quidem amplius in figuris, sed in veritate. Natura quidem remanet, sed mutatur forma.

Laus Religionis Christianæ propter Sacramētum Altaris, & alia perfectissima quæ Religionem commendant.

Christiana Religio non vetera destruit, sed perficit.

Exempli gratiâ, vetera sacrificia legis omnia cruenta erant. Altaris verò incruentum est sacrificium. Etenim cruentum sacrificium Crucis, omnia alia ista cruenta sacrificia præterita terminauit, vt veritas figuras. Quare non est mirum si ante effusionem sanguinis Christi in Cruce, lex plena sanguine erat, & in Sacramentis suis, & in sacrificiis. Gladius enim erat qui circuncisionem faciebat, & alia sacrificia, eo quod scilicet ad sacrificium Crucis cruentum respiciebant. Nunc autem exquo impletum est, non est amplius necesse vt occisio interueniat & gladius, sed sufficit verbum, quod idem in Sacramentis nostris & sacrificiis operatur & facit, atque faciebat gladius & occisio in aliis. Quidnam facit baptismi Sacramentum, & alia? vtique verbum, & non amplius gladius. Quid sacrificium Missæ facit & Altaris? Rursus verbum: adeò vt iam in Altari, sine occisione & gladio, effusio fit sanguinis & oblatio corporis: hoc est corpus meum quod pro vobis datur, hic est sanguis meus, & hic calix qui pro vobis effunditur.

Cruentū sacrificiū Crucis omnia alia cruenta legis sacrificia terminauit.

Exquo impletum est in Cruce sacrificium cruētum, sufficit verbum, nec gladio opus est.
Matth. 26.
Luc. 22.

Quod vt meliùs intelligatur, iterum sciendum triplicem fuisse effusionem sanguinis Christi in vltimo die vitæ suæ. Vnam mysteriosam, inuisibilem, sacramentalem & sacram, in Altari & mensa Cœnæ inter discipulos. Alteram violentam & miraculosam in horto inter Angelos; in agonia factus est sudor sanguinis. Tertiã denique cruentam in Cruce inter latrones, in prætorio etiam Pilati inter tortores. Omnes autem effusiones istæ veræ fuerunt; & mysteriosa seu inuisibilis non minus vera fuit quàm cruenta. Hic est, inquit, sanguis meus qui pro vobis effunditur; hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Ita vt hic instituerit Christus Sacramentum simul & sacrificium, seu immolationem absque occisione. Sacramentum vt manducetur; Accipite & manducate. Sacrificium vt immoletur & offeratur: corpus quod pro vobis datur; sanguis qui pro vobis effunditur. Sacrificium vbi immolatio est absque occisione, sicut Sacramentum vbi mãducatio est absque digestione. Denique sacrificium quod verum & perfectum est, licèt sit incruentum: in cruento tamen sacrificio Crucis penitus fundatum, ex quo omnem vim suam educit & naturam. Nam sine Cruce Christũ quidem semper haberemus in hac mensa præsentem, non autem victimam. Quia per illud sacrificium Crucis fit victima, quotidiana immolatio & iugis oblatio in Altari. Ita vt tam in qualitate Sacramenti quàm sacrificij maneat semper incomsumptibilis.

Triplex effusio sanguinis Christi.

In Altari Sacramētum & sacrificiū.

Per Crucem Christus est in Altari victima.

Hæc quidem oblatio est, sacrificium, & immolatio, de qua Malach. 1. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum (hic de Sacerdotibus Iudæorum Propheta loquitur, quos repudiat Dominus,) & munus non accipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. Ecce aptissimus locus pro prædictione & veritate sacrificij Altaris & Missæ. Non enim Propheta loquitur de sacrificio Iudæorum, quod prædicit cessaturum, & quod etiam, vt notauimus, repudiat Deus. Neque Ethnicorum, quia non est eorum oblatio munda, sed abominabilis Deo. Neque etiam de sacrificio Crucis, quia tantùm semel & in vno loco Caluariæ oblatum est. Igitur de sacrificio Missæ, & Altaris est intelligendum, vbi hostia munda est & in omni loco oblata. Sic interpretatur Tertull. contra Marcionem. S. Iustin. Martyr. cõtra Tryphon. ferè ante 1500. an. Item S. Iren. ferè eiusdẽ sæculi Martyr. & Galliæ nostræ Episcopus, lib. 4. cap. 32. Panem, inquit, qui est creatura eius accepit, & gratias egit dicens: Hoc est corpus meum, & calicem similiter, qui ex ea est creatura suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens Deo offert in vniuerso mundo, de quo sic inter duodecim Prophetas Malachias prædixit. hæc ille.

Malach. 1.

De sacrificio Missæ prædictio.

Tertull. lib. 3. contra Marcian. S. Iustin. cõtra Tryph. S. Iren. lib. 4. c. 32.

Sed vnde, inquiunt hæretici, Missæ nomen? Dicamus paucis, ita quidem esse, quod Christus huic actioni sacræ, diuinoque penitus mysterio non imposuit nomen, (& hoc nihil facit ad naturam, essentiam & veritatem mysterij:) obseruasse autem quod primò fecit in creatione mundi, vbi non ipse, sed Adam vt pater futurus & Dominus omnium, nomina cæteris creaturis quas ipse non formauerat, imposuit. Ita dico. Hanc authoritatem Deus commisit Ecclesiæ, quæ fidelium mater est, & dispensatrix mysteriorum Dei. Quare secundum diuersitatem effectuum, vsuum, atque etiam perfectionum, denique mysteriorum diuinorum, quæ in hac institutione agnoscit, diuersa etiam nomina impartitur. Aliquando enim Sacramentum appellat, quatenus est cœlestis panis animarum. Aliquando sacrificium, vt hostia est Deo pro humano genere oblata. Aliquãdo Eucharistiam, vt continet non solùm gratiam, sed ipsius authorem. Aliquando communionem, in quantum participatione

Quomodo reliquit Christus Ecclesiæ potestatem imponendi nomen Missæ sacrificio Altaris, quomodo Adamo dedit imponendi creaturis.

Quomodo sacrificium Altaris diuersa nomina sortitur.

patione eius efficimur omnes vnum corpus. Denique Miſſam, à miſſione dupliciter. Primò, vt ſignificetur quod ad nos à patre per conſecrationem,& à nobis viciſſim ad Deum Chriſtus mittitur, illíque offertur ad placandum. Secundò,vt ſignificetur dimiſſio fidelium peracto ſacrificio: horum,inquam, qui ſeparati ab alienigenis & catechumenis admittebantur, aderántque myſteriis, vnde nomen,quo omnes Patres (vt neminem excipiam) vſi ſunt. S. Auguſt. S. Hieron. S. Gregor. S. Ambroſ. qui maximè lib. 5. epiſt. 29. 33. Miſſam, inquit, facere cœpi, amariſſimè flere, & orare in ipſa oblatione Deum cœpi. Ante eos Chryſoſt. Baſil. Cyrill. Iuſtin. Irenæus, S. Ignatius diſcipulus Sancti Iohan. Euang. qui in epiſt. ad Smirnenſes ſic ait. Non licet ſine Epiſcopo neque offerre, neque Miſſas celebrare. Et S. Clemens ipſius Apoſtolorum Principis diſcipulus, epiſt. 3. ad S. Iacobum fratrum Domini, dicit ſic. Miſſas ſine Epiſcopi iuſſu nemo preſbyterorum in ſua parœcia agat, nec quidquam abſque eius permiſſu faciat. Hæc Apoſtoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt, hæc nos docemus. Ecce in ipſis Apoſtolorum temporibus Miſſæ nomen in vſu, & traditum ab illis.

Quomodo illi nomen Miſſa conuenit.

Omnes Patres vſi ſunt hoc nomine Miſſa.
SS. Auguſt. Hieronym. Gregor. & S. Ambr. lib. 5. ep. 29. & 33.
S. Ignat. ep. ad Smirnēſes.
S. Clemens epiſt. 3. ad S. Iacob.

Quid igitur ad hæc amplius dicere hæretici poterunt? Sed fortaſſe adhuc nomen videre in Scriptura ſacra volunt. Oſtendamus: præterquàm quod Act. 13. mentio fit de liturgia & ſacrificio, vbi dicitur, miniſtrantibus illis Domino, id eſt, ſacrificantibus, iuxta Græcum. Item Deut. 16. ſermo eſt de oblatione ſpontanea, quæ Hebraicè Miſſah dicitur, vbi celebrabis Miſſah, id eſt, oblationem ſpontaneam. Et quænam eſt illa niſi Chriſtus, qui tradidit ſemeipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo? ſic enim, vt Iſaias dicit, oblatus eſt quia voluit. Accipite, hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur.

Act. 13.
Deut. 16.
Nomen Miſſa in Scriptura.
Epheſ. 5.
Chriſtus oblatio ſpontanea.
Iſa 53.

Ecce oblatio ſpontanea, ecce Miſſa,& quid ſit in ſua natura, ſacroſanctæ paſſionis Chriſti commemoratio. In qua ex inſtitutione ipſius Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis panis & vini verū Chriſti corpus,& ſanguinem cœleſti patri offerimus in Altari, & in alimoniam animæ noſtræ ſumimus. Ecce quod celebramus ſacrificium: ecce Miſſa oblatio ſpōtanea, veritas figuræ Deut. 16. Oblatio denique mūda quæ in omni loco Deo offertur, de qua prædixit Malach. Vna oblatio, & tamen in omni loco oblata. Munda oblatio, quæ continet Agnum ſine macula, Agnum Dei qui tollit peccata mundi. Quæ defectu offerentium maculari non poteſt, ſed quæ Deo gratiſſima ſemper ipſum placat nobis. Dilectum enim patris filium continet, reconciliatorem noſtrum, & qui noſtrorum purgationem fecit peccatorum.

Quid ſit Miſſa.

Hæc igitur ſufficiant ad infidelium confuſionem,& conſolationem fidelium, quod Altare habeamus, vbi Chriſtus eſt offerens & Sacerdos, hoſtia & oblatio munda; quod denique menſam habeamus, vbi idem Chriſtus homo-Deus panis eſt & vita fidelium.

***

DE SACROSANCTA Euchariſtia, & communione corporis Chriſti.

Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum. Matth. 26.

NIHIL vnquam de manibus Chriſti IESV excellentius, digniuſque prodiit, quàm proprium ipſius corpus, Deo patri oblatum, traditum Apoſtolis, & nobis. Opus quidem iſtud, omnium quæ fecit ad extrà, diuiniſſimum & eſt potentiſſimum, & in hoc ſingulariter magnus eſt Chriſtus. In creatione mundi omnipotentia eius ſuper nihilum operata eſt, & in reſurrectione corporum ſuper pulueres & cineres operabitur. Addamus: & ſi actiones quas miraculoſas in vita fecit conſideremus, tunc tantùm ſuper ſtatum & mutationem naturalium operabatur; hic autem ſuper creaturam ſingularem,& omnium nobiliſſimam, qualis eſt ſancta ipſius & deificata humanitas. Ecce opus dignum Deo,& diuinæ eius potens ſatisfacere potentiæ: dignum dicam Chriſti mente & manibus; dignum prouidentia eius & amore: ex Ioh. 13. Sciens IESVS quia omnia dedit ei pater in manus,& quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

Euchariſtia opus dignum mente, potentia & manibus Chriſti. Ioh. 13.

Imprimis ergo hic operatur ex notitia potentiæ, & potentia manuum quibus omnia pater commiſit, vt non niſi maxima expectemus ex illis. Secūdò opus facit quod eius vitam terminare debet, ſciens quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, (hic pari opere potētię, egreſſum ſuū,& regreſſum ad patrem vult claudere.) In mundum veniens, humanitati noſtræ vnitus coniungitur nobis: rediens verò incorporatur in nobis: & ſic duobus maximis myſteriis, atq; operibus vitam ſuā incipere voluit & finire, ſcilicet Incarnatione naſcendo; & Euchariſtia moriēdo. O opus dignum quod eſſet terminus omnium eius operum! Sed tertiò ſi magnitudinem amoris ſpectemus ex quo prodiit, maximum opus eſſe videbimus. Cùm enim dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos, ſcilicet cùm taliter ipſum exinaniuit amor, dico infinitum, ineffabilem & altiſſimūm, vt vnicuique noſtrûm ſe communicare ex toto dignetur; & puluerem noſtrum vſque ad diuinitatis ſuæ conſortium eleuare, ſe incorporando in nobis, & nos aſſociando ſibi. Huc vſque humiliauit ipſum amor, nos autem erexit & ſublimauit.

Incarnatione & Euchariſtia incipit & terminatur vita Chriſti.

Euchariſtia maximum opus ex parte amoris.

Triplicem emanationem Dei, ſeu communicationem,& operationem extra ſe, & eius eſſentiam agnoſcimus, quæ triplicem ſtatum & differentem inter res creatas conſtituit. Primus eſt naturæ, in quo diuerſimodè omnes Dei eſſe participant, id eſt, ſecundum gradus diuerſos participationem naturalem diuini eſſe recipiunt.

Triplex communicatio Dei extra ſe.

Secundus eſt gratiæ, intelligibilium creaturarum tantùm proprius; ſiue purè ſpiritualium, vt ſunt Angeli, ſiue ſpiritualium & corporearum ſimul, vt ſunt homines: & hoc vt non ſolùm eſſe, ſed etiam ſanctitatis & fœlicitatis Dei reddantur participes.

Tertius eſt hypoſtaticæ vnionis, quem ſtatum vnicè & ſingulariter ingreditur ſancta humanitas Chriſti,

Eleuatio & dignitas admirabilis ſtatus hypoſtaticæ vnionis.

Christi, eleuata personali vnione vsque ad thronum ipsum diuinitatis. Status in quo non gratia, aut gloria solùm, sed propria subsistentia & persona verbi homo decoratur. Status in quo tam propriè & intimè Deum attingit, vt ipsum non amplius in operibus suis, aut in imagine sua & similitudine teneat, possideatque, sed in propria persona. Status qui in plenitudine temporum, gratiarum & luminum, mundo apparuit. Status denique qui nouissimis diebus istis impletus est velut vltima linea, & vltimum punctum quo eleuari & ascendere natura posset. Non est enim altior dignitas ad quam suam creaturam Deus eleuare potest, quàm illa qua statu, & permanente statu homo in Deo subsistit, & personaliter Deus est. A B

Ad participationem diuini status hypostaticæ vnionis nos Christus per Eucharistiā vocat.

Placuit autem ei, qui se filium hominis nominare dignatur, postea homines, & non Angelos, ad communicationem & associationem huiusce diuini status vocare, sicut ei placuerat antè non Angelos apprehendere, sed semen Abrahæ: placuit, inquam, illi nos omnes illius status efficere participes, viis quas sola eius sapientia nouit, & amor exequi potuit. Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos; cùm videlicet nobis mysterium sacrosanctæ Eucharistiæ instituit, & nobis præcepit corpus suum sumere in alimentum animæ & panem vitæ nostræ: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Mysterium planè amoris. Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. Mysterium in quo corpus nostrum templum fit Diuinitatis eius: cor nostrum altare humanitatis, spiritus noster thronus gratiæ; & anima requies gloriæ. Denique in quo mirabili associatione concorporamur ipsi, & illius diuini status participes efficimur. Adeò vt sicut ab ipso introitu ipsius in mundum, Virginem voluit huic diuino ordini associare Incarnatione sua, non quidem in natura, sed officio maternitatis: ita in exitu & fine vitæ quos dilexit, & summè dilexit, scilicet Apostolos, eiusdem dignitatis & ministerij voluerit esse participes, data eis potestate consecrandi, & idem conficiendi corpus quod in vtero Virginis formatum est. Et preterea adhuc diuina hac institutione & Eucharistia placuit ei, vniuscuiusque personæ propriæ vnire se, sicut Incarnatione vnierat se naturæ. C D

Eleuatio hominis secundum omnia per Eucharistiam.

Per Eucharistia participes efficimur dignitatis Virginis.

O admirabilem amoris & actionum Christi erga homines, in introitu, & exitu ab hoc mundo, conformitatem! Sciens IESVS quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, exiens à patre vnit se per Incarnationem naturæ nostræ: & vadens ad patrem per incorporationem vnit se personæ nostræ. Accipite & comedite: hoc est corpus meum. Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. Ecce amor constans & perseuerans vsque in finem in iisdem gradibus vnionis erga suos.

Conformitas exitus Christi ab hoc mundo cum ingressu.

Hæ sunt nuptiæ ad quas inuitamur hodie, vt in gaudio celebremus duplicem affinitatem, quam hic duobus mysteriis nobiscum contrahere voluit, Incarnationis & Eucharistiæ. Incarnationis, qua naturæ nostræ vnit se in persona. Eucharistiæ, qua personæ nostræ in mysterio & Sacramento corporis sui vnit se. Hæc sunt duo mysteria, quæ in eodem opere circulum vitæ Christi conficiunt & complent diuinitus. Dico in eodem opere. Quidnā enim est Eucharistia, nisi Incarnatio continuata, seu huius extensio mysterij? Duo sunt denique puncta illa, quæ duo extrema vitæ suæ adinuicem vniunt, primum & vltimum diem in eodem cum hominibus amoris & vnionis effectu, iuxta illa E

Duplex nobiscum affinitas Christi.

In Eucharistia circulus vitæ Christi completur.

verba; Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, primò scilicet Incarnatione inter homines factus homo; in finem dilexit eos, institutione Eucharistiæ hominum factus alimentum. Incarnatio in Natiuitate exhibetur, & Eucharistia in morte.

Inter omnia Dei opera, duo sunt illa quæ in nos procedunt de centro diuini amoris. Et quantum ad Incarnationem primò videamus. Apud S. Iohannem, vbi de hoc mysterio & ipsius in mūdum diuino aduentu Christus loquitur, Nicodemo dicit: Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret. Hodie verò vbi agitur de institutione Eucharistiæ, ait idem S. Iohannes; Sciens IESVS quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos, scilicet, cùm in mundo in æternum reliquit quod in eo operatus fuerat in plenitudine temporum, ineffabilem & veram præsentiam eius. Vnde sicut iturus ad patrem alium paracletum promittit & consolatorem, non quidem visibilem, vt erat, sed consolatorem & Deum sicut erat, vt hac mutatione diuina & dono sui Spiritus, iacturam suæ cōpensaret præsentiæ; & in diuersitate personæ quam mittebat, substitueret, & relinqueret nobis eumdem Spiritum suum, & eamdem substantiam in diuinitate, (est enim eadē penitus essentia filij & Spiritussancti.) Ita dico de humanitate ipsius quam ad Cœlum euecturus erat: ideo enim nobis hoc pretiosum donum relinquere voluit sub differenti forma: & quasi substituere visibili præsentia humanitatis eius eleuandæ ad Cœlum, eandem humanitatem sub velamine & forma augustissimi Sacramenti: quod quidem nobis extitit pignus amoris & præsentiæ, in die suæ Ascensionis & gloriosi exitus, multo pretiosius quàm Elisæo pallium & duplex spiritus Eliæ. Et hoc certè dignum erat nouissimis eius voluntate & amore. Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.

Duo præcipua erga nos diuini amoris opera, Incarnatio & Eucharistia. Ioh 3. & 13.

Comparatio institutionis Eucharistiæ cum missione Spiritussancti.

In finem dilexit, quando nos vsque ad hunc tertium statum diuinæ vnionis per Eucharistiam euexit, vt illius cum Virgine matre participes essemus; non quidem vt illa dantes ei substantiam nostram vt in verbo subsistat; hoc enim in illo diuino statu Mariæ Virgini proprium est, singulare priuilegium, & non datum alteri: sed recipientes in nobis propriam substantiam verbi, Diuinitatem eius, humanitatem, spiritum, sanguinem, & corpus, quo admirabiliter, diuinitusque incorporatur in nobis. Ecce quousque nos Christus dilexit, & diligendo semetipsum exinanuit. O vim admirabilem increati amoris! Sed ô victoriam infiniti amoris, qui sic potuit ad nos humiliare altissimum, atque nos sic erigere vsque ad supremum cum Deo affinitatis gradum, & altissimum fastigium honoris! In finem dilexit, &c.

Quomodo per Eucharistiā eleuamur ad statum hypostaticæ vnionis.

Vnum hic quæso concipite. Poterat quidem Deus in mundum venire, & homo fieri absque matre, absq; generatione & genealogia, vt Adam. Sed de virgine natus est, vt fieret illa Dei mater, & particeps istius diuini ordinis & status. Et hoc supernaturale opus & admirabile ferre Sathan nō potuit, qui illud per Nestorianos impugnauit, qui virginem dicebant matrem Christi, & non Dei. Ita dico, poterat quidem Christus absque institutione & Sacramēto præsentiæ suæ realis iugis ac veræ in mundo, ire ad patrem: sed ei placuit in ipsa hora exitus sui & mortis, mysterium & Sacramētum instituere, quo maneret nobiscum vsque ad

Gloria virginis Sathan per Nestorianos impugnauit.

consum-

consummationem sæculi, atque in vnoquoque nostrûm vnionem extenderet, & consummaret, quam in vna singulari natura per Incarnationem compleuerat.

Sicut olim Sathan per Nestorianos virginem oppugnabat, sic nunc per Caluinistas Eucharistiam.

Et hoc similiter opus infinitæ erga nos dilectionis, Sathan qui est inuidiæ spiritus, ferre non potest, qui per hæreticos huius tempestatis acerrimè oppugnat veritatem huius mysterij. Ecce autem veritas, & ecce in veritate claritas: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Sed quid dicũt hæretici veritatẽ oppugnantes? Quia Dominus accepit panem. Ita est, hoc dicitur; sed etiam dicitur, ô hæretici, quia corpus datur & accipitur. Igitur cùm panem accipit Christus, panis est; sed cùm datur à Christo, corpus est, & non amplius panis. Ecce veritas, & claritas in veritate. Panis, inquit, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Intelligite, ô hæretici, panis non quem ego accipiam, sed quem ego dabo, caro mea est. Dum enim accipitur, adhuc panis est, sed cùm datur, & dicitur, hoc est corpus meum, corpus eius est, non panis: sed corpus, quod quidem panis animæ est, & ille panis Dei qui de cœlo descendit, vt ipse ait: ille, inquam, de quo idem Christus ait: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ego sum panis vitæ. Caro mea verè est cibus. Ecce veritas, & in veritate claritas. Quare iam nolite, ô hæretici, aduersus hanc veritatem & claritatem litigare vt Iudæi.

Soluitur argumentum hæreticorum.

Ioh. 6.

Sed quid adhuc dicunt? figura est, & non veritas. Sed in eis quidem non est veritas, quia loquuntur mendacium, addentes falsò interpretationem suam, & cum iniuria Scripturę, in qua nulla planè mentio est, neque vllum verbum de figura. Quare ergo, vt modò aperiant oculos, & intueantur veritatem, post Magistrum & Dominum, audiant Apostolum eius Paulum 1. Cor. 10. & 11. & quæso nihil addant.

Dicitur cap. 10. Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. Ecce imprimis
1. verbis expressis dicit, panem qui frangitur esse participationem corporis, & non signum participationis. (nihil quæso addant Scripturæ.) Panis quem frangimus; vt hoc de Eucharistiæ Sacramento intelligatur, vbi fractio est speciei panis, & non corporis Christi, quod participatur & datur in Altari, integrum sub illis speciebus panis fractis & diuisis. Idem est de calice effuso Luc. 22. qui ad sanguinem qui est in calice referri debet, vt hic ostendatur præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia & sacrificio Altaris.

Luc. 22.

2. Secundò ait quia ex participatione illius vnius panis, multi sumus vnus panis, & vnum corpus, quasi diceret: vnus panis qui corpus est; vt non pro communi pane & ordinario accipiatur, sed pro illo pane qui mutatur, non quidem effigie, sed natura, & fit caro Christi; iuxta illud promissum eius: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Denique vnum corpus, quod panis est & cibus animæ, vt non referatur ad mysticum corpus, quod est Ecclesia, sed ad naturale Christi corpus, qui vt natiuitate factus est filius hominis; ita in Eucharistia fit panis hominis.

3. Tertiò dicit quod panis iste vnus est in multis, vt existentia ostendatur istius panis viui in multis locis & personis, quia multi recipiunt; ita vt non

A solùm vnitate fidei, vt volunt hæretici, sed precisè hic vnitate illius panis & corporis, omnes sumus vnum corpus, quia de illo participamus. Ecce veritas clara & clarè explicata huius 10. capitis Apostoli ad Corinth. Quod etiam fidelis eius Interpres S. Chrysost. hic clarè explicauit dicens. Sumus ipsum illud corpus. Quid enim est panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt qui sumunt? Corpus Christi, nõ corpora multa, sed vnũ corpus. hæc ille.

S. Chrysost. hom. 24. in 1. Corin.

Videamus eamdem claritatem cap. 11. & audiãt hæretici. Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis, ait Apost. ecce veritas; quoniam Dominus IESVS in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Omnia quidem hic fideliter refert quæ in ea institutione gesta sunt; & quæ non didicit ab homine, sed ab ipso Christo, vt iam nemo de his dubitare audeat, scilic. quia Dominus IESVS accepit panẽ & gratias agens fregit, deinde dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Quæ omnia, inquit, facta sunt in qua nocte tradebatur Dominus. Vbi tria notanda.

Primum est, accepisse panem & fregisse qui tunc panis erat: deinde dixisse; Accipite & manducate, hoc est corpus meum; & tunc non est amplius panis, sed corpus, sicut ait, hoc est corpus meum. Operatorius enim est sermo Christi, ait S. Ambros. Ipse dixit, & factum est. Sed ponamus exemplum, vt nostri obcæcati videant. Ioh. 11. vadit Christus ad monumentum vbi corpus, seu cadauer Lazari erat, non autem Lazarus. Loquitur Christus; Lazare veni foras, & tunc surgit Lazarus, & non cadauer Lazari. Quid quæso in sepulchro erat antequam loqueretur Christus? Cadauer. Quid verò prodiit cùm Dominus loquutus est? Lazarus, & non cadauer Lazari. Ita dico, ante consecrationem & prolationem verborum Christi, panis est, sed post illam, corpus Christi est: & sic panem quidem accipit, sed suum dat corpus. Sciens IESVS quia omnia dedit ei pater in manus, (omnia commisit & subiecit potentiæ eius,) cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Accipite, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Vt inde adhuc intelligant hæretici verum esse corpus, naturale, & quod traxit de Maria virgine, non autem phantasticum, & corpus in figura.

S. Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 4.

Ioh. 11.

Propterea notandum tertiò, clarè & sine ænigmate tunc locutum fuisse discipulis: quod etiam Apostolus notauit, dicens, in qua nocte tradebatur, quando videlicet nouissimè de rebus suis cum discipulis agebat, de sua disponebat substantia in proximo mortis, & velut cum Ecclesia sua transigebat. Post hanc enim actionem amoris, non est amplius nisi tristitia & passio: neque enim Christum amplius inuenietis quàm inter Iudæos & tortores. Quando, inquam, finem tunc imponebat figuris Mosaicis, & illas omnes terminabat, certè opus erat locutionibus claris, & vbi de testamento agebatur, non de parabolis; vbi adhuc quæ dicebat receperunt Apostoli sine interrogatione vlla, & omnes Euangelistæ sic postea sine vlla additione, glossa & explicatione retulerunt nobis. Et Apostolus similiter, qui sic ait se accepisse à Domino. Denique vt finiam, vbi de nouo tunc agebatur Testamento, quod ita quidem est elongatum ab vmbris & figuris antiquæ legis, sicut illud quod corpus continet, atque veritatem. Sed quid adhuc dicam? Quod testamentum vetus,

Multiplex ratio veritatem Eucharistiæ demonstrans.

licet figuris refertum, tamen in sua institutione cum locutionibus claris, veris, & non figuratis transactum est. Exod. 24. Sic enim Moyses mediator fœderis & legis, sanguinem sumptum respersit in populum, dicens: Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum. vbi sanguis accipiebatur pro sanguine. Christo autem dicente mediatore & authore nouæ legis: Hic est sanguis meus, hoc est corpus meum; dicent infideles quia loquitur in parabolis & figuris? ille qui terminat figuras, & est veritas? Credamus, & non hæsitemus; sed cum fide, humilitate, deuotione & charitate accedamus, vt participemus.

Exod. 24.

Quare ante institutionem Eucharistiæ Christus lauat discipulorum pedes.

Antequam nobis tale institueret conuiuium, placuit ei inclinare se vsque ad pedes Apostolorum, & lauare eos, vt ostenderet quàm voluntariè & libenter ea ipsa hora in os eorum & pectus intraret, & quid etiam peteret ab eis, scilicet humilitatem & munditiam cordis: amorem denique & reuerentiam. Vnde hic S. Chrysostom. Cum timore, inquit, & summa puritate ad ipsum accedamus, & quando ipsum videris propositum, dic: propter hoc non sum ego amplius terra & cinis; non sum amplius captiuus, sed liber: propter hoc spero me accepturum cœlos, & omnia bona quæ in eis sunt, vitam immortalem, Angelorum conditionem, cum Christo consuetudinem. Hoc corpus clauis confixum & flagris cæsum non tulit mors; hoc ipsum est quod fuit cruentatum, quod lancea percussum, & salutares emisit fontes vniuerso orbi terræ. Vnum sanguinis, alterum aquæ. Hoc corpus nobis dedit & tenendum, & comedendum. Accedamus ergo ad eum cum feruore & charitate ne subeamus supplicium. Hoc corpus etiam iacens in præsepi venerati sunt Magi. Tu autem non in præsepi vides, sed in Altari, non fœminam tenentem ipsum, sed Sacerdotem astantem, tenentem, præbentem. Hæc est mensa quæ fiduciæ est fundamentum, spes, salus, lux, & vita est. Quid dico? hic tibi adhuc terram Cœlum facit hoc mysterium. Aperi quæso portas Cœli, & perspice quia quod illic est omnium pretiosissimum, & maximè honorandum, hoc tibi ostendo situm in terra. Sicut enim in Regia, id quod est omnium magnificentissimum, non sunt parietes, non tectum aureum, sed corpus Regis sedens in solio: sic in Cœlis Regis corpus; & hoc tibi nunc licet videre in terra, & non videre solum, sed etiam tangis, & comedis, & eo accepto domum reuerteris. Igitur absterge & munda animam, & præpara mentem ad horum mysteriorum susceptionem. Probet seipsum homo, ait Apostolus, & sic de pane illo edat. Vnusquisque mundet conscientiam suam, fidem afferat, spem, atque charitatem. Purget conscientiam; qui enim manducat indignè, iudicium sibi manducat non diiudicans corpus Domini. Fidem afferat, quæ timorem dat & reuerentiam. Sic enim in carne procedentes in faciem suam adorauere Virgo, Angeli, Pastores, Magi, Reguli, Centuriones, leprosi, & cæci nati. Spem afferat, ob summam mutationem eius: Venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam vos; & ob singularem virtutem quæ de illo exit, quotquot tangebant eum, sani fiebant. Quanto magis qui manducant & in se recipiunt? Ibi enim est refectio spiritualis. Caro mea verè est cibus. Ibi est vnio animæ cum Christo. Qui manducat meam carnem, in me manet. Ibi est vita & robur ad bene operandum. Qui manducat me, & ipse viuet propter me. Ibi denique arrha immortalitatis & gloriæ. Qui manducet meam carnem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum, &c.

S. Chrysost. hom. 24. in in 1. Cor.

Afferat adhuc charitatem, ob recordationem infinitorum in hoc mysterio beneficiorum: Incarnationis, gratiæ, redemptionis, gloriæ, & præsertim passionis & mortis. Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. Memoriam fecit Deus mirabilium suum, escam dedit timentibus se. Accedamus cum desiderio, alacritate & gaudio admirantes cuius rei & cuius doni sumus participes. Quid enim habuit amplius in vtero Deipara virgo? Et quid iam amplius habent in Cœlo ipsi beati? Vbi ergo canticum meum erit & sonus epulantis? Dicamus ergo cum Maria: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Dicamus & cum omnibus Sanctis, in cœlo & in terra; In voce exultationis & confessionis sonus epulantis. Sicut nouellæ oliuarum omnes filij Ecclesiæ sint in circuitu mensæ Domini. Edent pauperes, & saturabuntur, laudabunt Dominum qui requirunt eum, & viuent corda eorum in sæculum sæculi. Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus. Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus.

FERIA SEXTA IN Parasceue.

PASSIO IESV CHRISTI Domini nostri.

Egressus est IESVS *cum discipulis suis.* Iohan. 18.

NVLLA est mors cui lacrymæ debeantur omnis creaturæ, nisi ea penitus inaudita & admirabilis mors IESVS Christi. Ieremias lamentatione & lacrymis plenus propter plurimos populi, qui ob scelera sua interfecti fuerant, dicebat: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo? Sed quis iustiùs nobis hunc dabit fontem lacrymarum, vt indesinenter mortem filij Dei hodie ob scelera nostra ploremus? Ipse portans peccata nostra super hoc lignum Crucis mortuus est, & cum lacrymis & clamore valido exauditus est pro reuerentia sua. Iuxta Crucem igitur hodie stantes ploremus, clamemus, ad eamque salutationis nostræ vocem dirigamus; *O Crux aue spes vnica.*

Ierem. 9.

Incipere non possum nisi cum stupore & lacrymis, cùm hodie de morte filij Dei compellor dicere. Legimus in Machab. lib. Matathiam ducem, cùm suorum cladem & mortem vidisset sic exclamasse: Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & Ciuitatis sanctæ, & sedere illic cùm datur in manus inimicorum suorum? ecce pulchritudo nostra & claritas nostra desolata est: quò ergo nobis adhuc viuere? & scidit vestimenta sua Matathias, & filij eius planxerunt valdè. Sed quanto magis, & meliori iure conuenient nobis planctus iste ob triste spectaculum mortis Dei! Clamemus igitur hodie, & dicamus: Væ nobis, vt quid nati sumus dicere,

1. Pars Passionis.

1. Machab. 2.

dicere, audire, & videre oculis, triſtitiam, agoniam, paſſiones & mortem Dei noſtri, hic ſedere in horto Gethſemani cùm datur in manus inimicorum, pulchritudo noſtra, & claritas noſtra, cùm ſplendor paternæ gloriæ, opprobriis afficitur & deſolatione? Scindamus itaque veſtimenta noſtra & corda, & ploremus.

Rex Dauid mortem Ionathæ amici & Saülis inimici quæ acciderat in Gelboë montibus, non potuit patienter audire ab illo Amalecita ſeruo qui in Saülem præſertim ſæuierat, quin ſtatim fuderit lacrymas ſcindens veſtimenta ſua, & ſtatim etiam Nuncium crudelem iuſſerit occidi, ſic lamentans: Montes Gelboë, nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos. Ergone poterimus hodie abſque lacrymis & excidio peccati Deicidæ crudelis, audire mortem filij Dei ſuper montes Caluariæ? Aſcendamus ſuper montes iſtos, ſed vt ploremus: & introëamus modò in hunc hortum Gethſemani, ſeu Oliuarum, vt cum Chriſto contriſtemur, lacrymaſque & ſanguinem cum ipſo fundamus.

1. Reg. 31. & 2. Reg. 1.

Ibi quidem contriſtandum eſt, vbi lætitia Angelorum triſtis eſt, & vbi Iacob noſter tota hac nocte non ſolùm cum Angelo luctatus eſt, ſed etiam cum principe & exercitu tenebrarum, & non claudus vt ille, ſed mortuus remanebit in Cruce. Ibi certè lugendum, vbi noſter Iuda lauabit in vino torcularis ſtolam ſuam, & in ſanguine ſuo pallium ſuum & veſtem: vbi ſtatim ſudor apparebit velut guttæ ſanguinis decurrentis ſuper terram, & ſic pallium penetrantis. Ibi denique triſtandum & lugendum, vbi noſter Ioſeph falsò accuſatus à Synagoga & adultera muliere, pallium Diuinitatis, id eſt, corpus relinquet, flagellis & tormentis tradet. Nunc igitur ibi incipiamus lugere, & cum Chriſto in hunc hortum Gethſemani introire, vt eius triſtitiæ priùs participes effecti, etiam mereamur aliis doloribus fideliter compati. Tantùm enim hic initium dolorum eſt: & neceſſe erit non ſolùm pati, ſed etiam mori: non ſolùm in doloribus aliquam vitæ partem ducere, ſed morte finire.

In ea autem excellentia eſt paſſio iſta, quod paſſio Dei ſit. Et quidem mirum non eſt quod homines ſubiiciantur paſſionibus, & quod etiam inde ſubeant mortem. Sed Deum pati & mori, qui omnino à paſſione & morte eſt remotus, hoc quidem ſtupendum eſt. Reuereamur itaque inuentionem & modum, quo paſſioni & morti pro hominibus ſe ſubiicere voluit. Compatiamur & nos Chriſto in carne paſſo, & ſequamur ipſum. Egreſſus eſt IESVS trans Torrentem Cedron.

Vnde eſt egreſſus? ex vrbe Hieruſalem. O miſeram vrbem quæ à Deo deſerta es! Hodie impletur quod olim dixerat Dominus Iudæis ciuibus eius: Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Hodie quidem deſerta eſt, vt apud Ierem. ait: Reliqui domum meam; dimiſi hæreditatem meam, (Synagogam.) Hieruſalem quæ occidis Prophetas: & non tantùm Prophetas, ſed Deum Prophetarum & Dominum. Egreſſus eſt IESVS: ſed vnde adhuc egreſſus? Diſtinctiùs & immediatiùs notauit S. Euangeliſta Iohan. ſcilicet de cœnaculo, in quo priùs Paſcha fecerat, & poſt cœnam, ſermonem habuerat ad diſcipulos; & pro ipſis orationem ad Deum patrem: illam ſcilicet in qua præcedenti cap. quod 17. eſt, ſubleuatis IESVS oculis in Cœlum dicebat: Pater, venit hora, &c. Et cùm hæc dixiſſet, egreſſus eſt IESVS. Egrediamur & nos: & quò ingreditur videamus.

Matth. 23. Ierem. 12.

Explicatio egreſſus Chriſti.

Ioh. 17.

Trans Torrentem Cedron vbi erat hortus, ſcilicet ad montem Oliueti, ſeu Oliuarum, egreditur, ad cuius pedes villa erat & hortus Gethſemani, qui dicitur torcular abundantiæ & plenitudinis. Ita Domine, quia ibi torcular paſſionum ſolus calcabis, & in agonia dolorum ſudorem ſanguineum exprimes, qui veſtimenta tua purpurabit. Inter montem autem iſtum, & vrbem Torrens Cedron interponebatur. Quare dicitur quod Chriſtus egreſſus eſt trans Torrentem, vt in ipſum montem iret, ad quem frequenter; vt S. Iohan. animaduertit, & ſecundum conſuetudinem, vt notat S. Luc. cum diſcipulis conueniebat vt oraret; vnde propterea Iudas locum ſciebat, ait S. Iohan. Sciebat autem Iudas locum, &c.

O Domine, in montem hodie aſcendere geſtis, qui iuxta deſiderium ſponſæ veniſti ad nos ſaliens in montibus. Hodie à cœnaculo, quod in monte Sion erat, egreditur ad montem Oliuarum, vt de horto montis, & orationis, ſtatim ducatur in montem Caluariæ ad mortem. Sed antea Domine, de Torrente in hac via bibes: dolores mortis, anguſtias, & conflictus patieris, contradictionéſque, agonias, & amaritudines guſtabis, vt poſtea caput in Cruce exaltes. Egreſſus eſt itaque IESVS trans Torrentem Cedron, vbi erat hortus. *Cant. 2.*

Legimus in Geneſi, quia ab initio creationis plantauerat Deus hortum, in quo poſuit hominem quem formauerat, & iſte paradiſus erat voluptatis. Nunc autem ab initio reparationis mundi, plantauit Deus hunc hortum Oliueti, in quem nouus Adam, nouus homo introiuit, Chriſtus IESVS: & iſte eſt paradiſus triſtitiæ & dolorum, in quo Dei filius pane anguſtiæ veſcens vt impleret voluntatem patris, vitam mundo reddidit, quam primus Adam pane gulæ & inobedientiæ ſuæ, tradiderat imperio mortis, in ſudore vultus ſui veſcens pane ſuo, & nos paſcens terra ſuæ maledictionis, ſpinis & tribulis. Iam ergo in hoc horto maneamus cum Chriſto: & cum attentione videamus quæ peraguntur ibi, inter ipſum & Apoſtolos, inter ipſum & Angelos, inter ipſum & patrem æternum.

Explicatio horti, & comparatio. Gen. 2.

Explicatio eorum quæ in horto acciderunt.

S. Matthæus dicit, & cum eo S. Marcus, quod aſſumptis ſecum Petro & duobus filiis Zebedæi, cœpit primò contriſtari & tædere, & tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, ſuſtinete hic, & vigilate mecum. Vnum hic notandum, eoſdem hic teſtes fuiſſe Chriſti triſtitiæ, qui antea in Transfiguratione vocati fuerant teſtes gloriæ; vbi etiam Moyſem & Eliam loquentes audierant. Hodie igitur cœpit contriſtari Chriſtus. Cœpit, quia hic, ſcilicet in horto iſto, triſtitia initium habuit in Chriſto: cui minimè conueniebat, vtpote qui eſt gaudium beatorum. Verbum iſtud (cœpit) ſemper dicit aliquid memoria dignum: maximè verò in Chriſto, in quo omnia ſunt; vnde quando dicitur, cœpit contriſtari, tunc intelligitur quia triſtitia illi accidit, quæ minimè illi conuenit, vel quæ in illo non potuit eſſe niſi maxima, ſicut ipſemet explicauit dicens: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.

1. Inter Chriſtum & Apoſtolos.

Hæc autem verba duplicem ſenſum continent. Vnus eſt diminuens triſtitiam, vt ſi diceremus. Triſtitia mea finietur breui, ſcilicet morte, quare triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Alter eſt augens triſtitiam, hoc modo. Tam eſt triſtis anima mea, ſeu eius tanta triſtitia eſt, vt vitam penetret & afferat mortem; angit me & ſuffocat,

Duplici ſenſu accipitur triſtitia Chriſti.

S. August. S. Hieron. in Matth. 26. S. Tho. 3. p. q. 46. art. 4. Ita S. August. & S. Hieron. in Matth. 26. S. Thom. & alij, qui dicunt huiusmodi tristitiam fuisse animæ Christi in horto, qui dolebat, ait S. Thom. tristisque hoc modo erat, non pro amissione sola vitæ suæ corporalis & deificatæ; sed etiam & maximè pro peccatis nostris. Vnde dicere in veritate possumus, inter præcipuas causas tristitiæ eius, *Causa tristitia Christi.* illas fuisse, scilicet perfectam omnium peccatorum nostrorum notitiam, pro quibus hoc sacrificium tristitiæ & doloris patri exhibere voluit. Et præterea nostram erga tantum beneficium passionis eius extremam ingratitudinem. Ionas doluit & contristatus est vsque ad mortem, quod hedera quæ vmbra sua protegebat eum, verme exaruerat. *Ion. 3.* Sed aduersus peccata nostra & ingratitudinem irascitur Christus, quæ cor nostrum exsiccat, nullum fructum affert recognitionis, & radicem succidit omnis gratiæ & consolationis. Cœpit IESVS contristari, & dicere; Tristis est anima mea, &c.

Quibuscum circumstantiis Christus oret. Verùm quæ sequuntur adhuc, & circumstantiæ ista videamus; initia enim tantùm sunt ista dolorum. S. Matth. dicit quia pusillum progressus procidit in faciem suam. Marc. super terram. Et S. Luc. quod à discipulis auulsus quantum esset iactus lapidis, positis genibus orabat. Ecce tria, genua flectit, procidit in terram, & in faciem suam orans. Aduertamus quæso quanta cum humilitate & reuerentia Dominus hic oret. *Matth. 2.* O Domine IESV, te natum pannis inuolutum, & positum in præsepio sapientes & Reges procidentes adorauerunt; & quid dicam? Legimus in Apocalyp. *Apoc. 4.* quia 24. seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum. Nunc autem vita omnium & viuens pro nobis ante Deum patrem prosternitur, positis genibus procidit in faciem suam super terram orans. Venite omnes, adoremus, & procidamus ante Deum, Deum hodie in faciem suam & super terram prostratum. Ploremus coram Domino, qui fecit nos, & hodie morte sua dignatur nos de morte liberare. *Heb. 5.* Video nunc cur iuxta Apostolum pro reuerentia sua exauditus est; positis genibus orabat, & coram patre pro nobis prosternitur in faciem.

Verùm quid ad patrem oret, attentiùs examinemus. Tres Euangelistæ dicunt ipsum orare, vt si fieri posset, transiret ab eo calix iste & hora, vnde ter ait: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. *Petitio Christi.* Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer à me calicem hunc. Pater, si vis, transfer calicem istum à me; verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. Magnæ certè deuotionis, dilectionis, atque pro nobis consolationis hæc verba sunt: Pater mi, Abba Pater. Quem quidem sic à nobis appellari voluit cùm ipsum oramus: & in communicatione donóque Spiritus eius, vt Apostolus dicit, similiter clamamus, *Rom. 8.* Abba Pater; sicut adhuc quotidie diuina institutione formati audemus dicere, Pater noster qui es in cœlis.

Quid per calicem intelligatur. Iste igitur sermo nobis quidem consolatione plenus est: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Quid autem per istum calicem intelligat, facile est agnoscere, scilicet Passionem. *Et per illius repulsam.* Verùm cur eam sic à se transire precatur, qui olim tantopere exoptabat? Accipite hic non meam, sed Sancti Epiphanij sententiam, dicentis Christum hic se gessisse adinstar alicuius magni Ducis, *S. Epiph.* qui simulat fugam & pauorem, vt melius prouo-

A cet hostem ad pugnam, & superet eum. Prouocat, inquit, per hunc modum Christus aduersarium, id est, diabolum, vt illo opinante Saluatorem timere, inducat illi mortem. hæc ille. Et certè bellicoso aliquando fugere, artis est, non pauoris.

Alij communiter sentiunt voluisse Christum tali conflictu veritatem humanæ naturæ in se ostendere, quæ naturaliter mortem refugit & horrescit. *Communis opinio cur Christus mortem horrescebat.* Nam sciendum ex S. Thom. parte 2. Compend. Theolog. duplicem esse animæ passionem. *Duplex animæ passio. S. Tho. p. 2. Compend. Theol. c. 47.* Vna est ex parte corporis: altera ex parte obiecti. Iuxta primam, corpore patiente, totam etiam accidit animam pati, quia anima forma est corporis B secundum suam essentiam. In essentia autem animæ omnes potentiæ radicantur: vnde relinquitur quod corpore patiente, quælibet etiam potentia animæ quodammodo patitur. Si verò consideretur ex parte obiecti, non tota anima, aut omnis potentia animæ patitur, sed solùm pro ratione obiecti, differentia & determinatione ipsius.

Sed quid adhuc inter orandum acciderit ei, videamus. *Dum Christus orat Angelus apparet.* S. Lucas inter alios tria notat, videlicet apparuisse Angelum ipsum confortantem: factum in agonia prolixius orasse; & præterea sanguineum sudorem emisisse, postquam ter ad discipulos venisset dum oraret, monuissetque vt vigilarent, & orarent. O Domine, quid hoc sibi vult, C vt Angelus veniat confortans te? *Matth. 4.* Cùm desertum petis, vincisque hostem, veniunt Angeli, & tibi ministrant, vt Domini sui, inquit Beda, diuinitatem ostendant. Nunc autem in horto, vbi hora est & potestas tenebrarum, apparuit Angelus confortans eum, scilicet vt humilitatem Domini sui indicet & humanitatem. *Figura.* Confortauit Angelus Gedeonem contra Madianitas dimicantem, dicens: *Iudic. 6.* Dominus tecum virorum fortissime, vade in hac fortitudine, & liberabis Israël de manu Madian. Ecce hodie in Christo figuræ veritas.

Similiter confortauit Angelus Eliam fugientem Iesabel, *3. Reg. 19.* cibumque ei dedit, in cuius fortitu- D dine ambulauit postea vsque ad montem Dei Horeb. Ita hodie Christo fugienti Synagogam, & de conflictu carnis triumphanti, apparuit Angelus confortans eum, & cibum præbens, in fortitudine cuius vsque ad montem Caluariæ ambulaturus est. Quisnam est ille cibus fortis? Audite: Non mea, sed tua voluntas fiat. Cibus enim meus est vt faciam voluntatem patris. *Sudat sanguinem.* Vnde prolixior oratio, factúsque est sudor eius sicut guttæ sanguinis.

Quæso mementote, vt iam notauimus, olim dictum fuisse primo homini in horto, eo quod inobediens extiterat Deo; In sudore vultus tui vesceris pane tuo, terra tibi proferet spinas, &c. Ita E hodie fuit expediens, vt nouus homo, & secundus Adam Christus IESVS, factus obediens illo pane vescatur, impleatque pro reparatione hominum, voluntatem patris, in sudore non tantum vultus, sed etiam totius corporis, sibique spinas assumens, irriget terram nostræ maledictionis rore sui sanguinis, vt iam nobis proferat fructus omnis benedictionis. Sudat Christus sanguinem, & non aquam. Quanti igitur pretij est eiusmodi sudor, & quanti mysterij?

S. Prosper in lib. Sententiarum ex S. August. excerptarum, *S. Prosper lib. Sent. ex S. Aug. excerptarum.* ideo dicit Christum sanguinem sudasse, vt significaret de corpore suo quod est Ecclesia, emanaturas post ipsum Martyrum passiones.

passiones. Quid enim martyribus cunctis robur A promeruit, & desiderium patiendi? vtique sanguineus ille sudor & agonia Christi. Et factus in agonia prolixiùs orabat, scilicet vt post se plures nominis sui testes martyres haberet. Ipsi enim sunt qui Deum in Cruce confitentur.

Christus fit in agonia. Sed qualis quæso esse poterat agonia ista, quæ talem potuit exprimere sudorem? qualis conflictus, & quale certamen? Illud fortasse, & non est dubium, se fideiussorem nostrum habere coram patre, in similitudine carnis peccati, subire mortem & pro peccatis nostris, & vt dicam, talem aduersus semetipsum sustinere contradictionem. Vnde Paulus dicit: Recogitate eum qui talem aduersus semetipsum sustinuit contradictionem. Eum de quo ait S. Ioh. In principio erat verbum. Eum de quo ibidem, vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à patre. Eum de quo Baptista Ioh. dicit: Qui post me venit, ante me factus est, & non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius. Eum de quo S. Petrus: Tu es filius Dei viui. Eum de quo S. Paul. Qui est splendor patris, & figura substantiæ eius. De quo omnes Apostoli dicunt in Act. Non est aliud nomen sub cœlo, &c. Eum de quo Angelus dixit Mariæ; Paries filium, & regni eius non erit finis. Item Iosepho: Quod natum est in ea, de Spiritu sancto est. De quo & multi alij Angeli dixerunt pastoribus; Natus est vobis Saluator. Eum denique de quo pater ipse bis loquutus est sic: Hic est filius meus, &c. Et ecce hodie tradit eum morti pro peccatis nostris. Quare rursus eum quæso recogitate qui talem sustinet contradictionem ex parte patris, qui tradidit ipsum. Hæc est hora vestra, inquit, & potestas tenebrarum. Possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum. Sed hæc est hora vestra. O qualis hora!

(Margin: Hebr. 12. — Math. 16. — Heb. 1. — Act. 4. — Luc. 1. — *Quot modis Christus contradictionem sustinet.*)

Sciens IESVS quia venit hora vt transeat de hoc mundo ad patrem, cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. In finem dilexit, talem pro ipsis aduersus semetipsum contradictionem sustinens: contradictionem ex parte Angelorum, qui creaturæ confortant suum creatorem, & serui Dominum & consolatorem omnium, vt istud Moysis scriptum impleatur iuxta versionem Septuaginta, Deuter. 32. Confortent ipsum omnes filij Dei, id est, Angeli. Sic hodie Angelus apparuit de cœlo confortans eum. Et dicamus etiam, contradictionem ex parte omnium hominum, amicorum & inimicorum, domesticorum & alienigenarum. Inimici concilium fecerunt in vnum aduersus eum, & amici recesserunt; inuaserunt alienigenæ, & domestici tradiderunt: vnus est traditor, & cæteri fugerunt.

(Margin: Deut. 32.)

Traditio Iesv Christi. Sciebat autem Iudas qui tradebat eum, locum, ait S. Iohan. Cúmque accepisset cohortem & ministros à Pontificibus & Pharisæis, venit illuc cum armis. Dederat autem eis signum traditor, dicit S. Marc. Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete, &c. O Domine, non parua est tibi ista traditio ex parte hominis contradictio, quod ab illo tradaris in mortem, quem ad Apostolatus dignitatem & fastigium sublimaueras. Sed ô miser, quid prætendis, osculo tradere, pretioque nummi, qui iam pro nobis sanguinem sudauit, & nos statim infinito vitæ suæ pretio est redempturus? Sed adhuc Domine, illam quæso nobis contradictionem manifesta, quam aduersus temeipsum hic sustines. Surgit, & obuiã it hostibus. Ecce aduersus semetipsum contradictio eius.

IESVS itaque sciens, ait S. Iohan. omnia quæ ventura erant super eum, processit. & apud Matth. ait: Ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum, & dixit eis; Quem quæritis? & abierunt statim retrorsum, vocem hanc audientes, Ego sum. Et confestim accedens Iudas ait: Aue Rabbi, & osculatus est eum. Cui Dominus: Amice ad quid venisti? Iuda osculo filium hominis tradis? Non me latet tua proditio Iuda, & cognosco cuius rei sit signum illud osculum. Osculo filium hominis tradis, quod deberet esse insigne pacis. Seruus Dominum; discipulus magistrum osculo Iuda tradis. Vos autem qui cum illo ad me, tan- B quam ad latronem venistis cum gladiis & fustibus comprehendere me, quem quæritis? dixerunt, IESVM Nazarenum. Et IESVS respondit: Dixi vobis quia ego sum, si ergo me quæritis, sinite hos abire.

O Domine, videmus sanè ad quid venisti, scilicet, nos saluare, & pro nobis pati. Pater, quos dedisti mihi, inquiebat cap. præcedenti, ego custodiui; hodie certè custodit dicens, sinite hos abire: & nemo ex iis periit nisi filius perditionis (videlicet Iudas proditor.) Hodie adimplet Dominus quod dixerat: Bonus pastor dat animam suam pro ouibus suis. Ego sum pastor bonus, & animam meam pono. Propterea non C vocat in subsidium legiones Angelorum, nec permittit vt amplius Petrus & discipuli alij ad defensionem vtantur armis: imò damnum quod Petrus fecerat seruo Malcho, miraculi gratia compensat restituens ei abscissam auriculam: finénsque se comprehendi, ait illis; Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Et sic fugientibus discipulis, comprehenderunt & ligauerunt eum.

(Margin: Ioh. 17. — Ioh. 10.)

O Christiani, ecce modò comprehenditur qui datur est libertatem captiuis. Sed quibus vinculis captus est? peccatorum; hæc est tenebrarum potestas. Samson sua vincula disrupit, & manet hodie diuina virtus ligata; hæc est tenebrarum D potestas. Israëlitæ Arcam in medio Philisthæorum captam reliquerunt tristes: & discipuli hodie captum Christum Arcam veram quæ omne pretium redemptionis nostræ continet, in medio Iudæorum reliquerunt. Ploremus Christiani Israëlitæ ac fideles, ploremus huius Arcæ Domini capturam. Vxor Phinees, vt illa Regum fert historia, statim vt audiuit quia capta esset Arca Domini, sensit partus dolores, filiumque peperit dicens: Translata est gloria de Israël, quia capta est Arca Domini. Ita nos hodie sentiamus audientes, comprehenderunt IESVM & ligauerunt eum. Dicamusque, translata est gloria Domini ex Israël; nunc ad Gentes salus venit de E Israël & Iudæis. Itaque nunc dolores patiamur parturientis, dolores contritionis, quæ de cordibus nostris filium iniquitatis & peccati expellat. Arca Domini capta est, Arca Dei, peccata lugeamus: & iuxta lignum quod tale pondus, taleque pretium portabit, lugeamus. Crucem adoremus. *O Crux aue spes vnica.*

(Margin: *Captura Iesv Christi.* — 1. Reg. 4.)

Secunda pars Passionis. Cohors ergo & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt IESVM, & ligauerunt eum, & adduxerunt ad Annam primùm, &c. De his quæ in horto Gethsemani gesta sunt diximus; nunc de gestis in ædibus Annæ, Caiphæ, & Pilati loquamur. Ad illos Pontifices & Iudices ductum fuisse Dominum narrant Euan-

gelistæ, & ad Annam primùm, notat S. Iohannes, honorisque causa, quia socer erat Pontificis illius anni Caiphæ. Quare etiam eum apud se parum retinuit Annas: sed statim ad Caipham generum suũ & Pontificem misit, nihil de ipso statuens: neque enim ad eũ pertinebat iudicare, sicut ad Caipham, qui Pontifex erat anni illius. Id asserunt tres Euangelistæ Matth. Marc. & Luc. Et videtur confirmare S. Iohannes dicens: Pontifex ergo, videlicet Caiphas, interrogauit IESVM de discipulis, & de doctrina eius.

Christus ducitur ad Annam & Caipham.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite, filius Dei innocens à nocentibus captus, ligatusque funibus, de horto Gethsemani & orationis loco, in domos Annæ & Caiphæ immaniter ducitur morti adiudicandus. Ille Caiphas fuerat qui collecto concilio & consilio Pontificum, dixerat eis: Vos nescitis quidquam, ne cogitatis quia expedit vt vnus homo moriatur pro propulo, ne tota gens pereat. Hodie autem, notant SS. Matth. & Marc. apud eum conueniunt omnes Sacerdotes, Scribæ, & Seniores, multique falsi testes, vt eum morti tradant. Omne concilium falsa quærit testimonia aduersus eum, dantur à multis, sed non sunt conuenientia.

Ioh. 11.

Nouissimè prodeunt duo falsi testes, qui dicunt: Nos audiuimus eum dicentem, possum destruere Templum Dei, & post triduum reædificare illud. Item filium Dei se fecit. Interrogatus autem de his à Pontifice, IESVS tacebat, ait S. Matthæus, non respondet quicquam. O silentium admirabile! Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Posui ori meo custodiã cùm consisteret peccator aduersum me: obmutui, humiliatus sum, & silui à bonis. IESVS autem tacebat. Interim denuò interrogatus de discipulis & doctrina eius, atque adiuratus si filius Dei esset, respondens in veritate, & humilitate ad omnia, recipit alapas, sputa & condemnationem mortis. In occulto, inquit, locutus sum nihil, semper palàm, in Synagoga, & in Templo, quò omnes conueniũt; & ad illa verba, alapam recipit ab eo cui nuper benefaciens, auriculam amputatam restituerat. Domine, tibi durior est istius nequissimi serui ingratitudo quàm alapa eius. Et similiter adiuratus per Deum vt dicas si tu es Christus filius Dei, dicis Domine, ita, & veritatem loqueris, Ego sum. Et ecce summus Sacerdos scindens vestimenta sua, dicit statim: Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus? Audistis blasphemiam, quid vobis videtur? & omnes Domine te condemnauerunt esse reum mortis, vnde statim faciem sputis & colaphis velare cœperunt.

Christus accusatur.

Ps. 37. & 38.

Christus afficitur opprobriis dum loquitur, & veritatem dicit.

A seruo cæditur.

Cõdemnatur à cũctis reus mortis.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite nunc & videte, dicit Dominus, si est dolor sicut dolor meus. Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput; percutiebant velatum, & dicebant: Propheriza nobis Christe, quis est qui te percussit? Ita splendor patris factus est derisio seruorum: Deus æternæ Majestatis, nouissimus virorum, & hominum creator Deus, vir dolorum. O vos omnes attendite. Et quid dicam? Author vitæ, vita ipsa, & immortalis Deus, à reis reus condemnatur mortis. Quid vobis videtur? dicit Caiphas: ille qui dixerat ante, expedit vt vnus homo moriatur pro populo. Nunc habentes hominem, clamant omnes; Reus est mortis. Clamor iniquus, condemnatio iniusta; sed mors necessaria.

Thren. 1.

Ps. 21.

Irridetur à multis, & colaphis percutitur.

Hic moueri quæstio potest, vtrùm necessarium fuerit Christum Dominum & pati, & mori. Quantum ad vtrumque, necessarium fuisse existimat S. Thom. necessitate finis. Qui finis tripliciter potest considerari. Primò, ex parte nostra, videlicet hominum, qui per passionem ipsius liberati sunt, & non aliter, secundum illud Ioh. 3. Oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Quomodo necessariũ fuit Christũ pati & mori.

S. Tho. 3. p. q. 46. art. 1.

Ioh. 3.

Secundò, ex parte ipsius Christi, qui per humilitatem passionis & mortis meruit glorificationem & gloriam suæ Resurrectionis, iuxta illud Luc. 24. oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.

Luc. 24.

Tertiò, ex parte Dei patris, qui definierat sic, iuxta illud Luc. 22. Filius hominis secundum quod definitum est, vadit, &c.

Luc. 22.

Quartò denique, vt ostenderet Christus quia verus homo, & verus Deus erat. In hoc enim ostẽdit quia erat verus homo, quod passibilis fuit, & morti subiecit se: in hoc etiam quia verus Deus erat in resurrectione à mortuis ostendens virtutem suam & diuinitatem, qua in morte mortem superauit, & nobis omnibus qui eramus obnoxij morti, spem dedit à mortuis resurgendi.

Hæ sunt rationes necessitatis, vel potiùs conuenientiæ in Christo & patiendi, & moriendi. Iuxta quæ verum dixerat Caiphas, cùm prophetauit; Expedit vt vnus homo moriatur pro populo. Talis homo Christus, Deus-homo. Sed iniquissimè interim eum nunc cõdemnauit Caiphas ad mortem, his annuens qui impiè clamauerunt; Reus est mortis. Sicut eorum crudelitati pari impietate exposuit, qui statim expuentes in faciem eius, & velantes omni genere opprobrij affecerunt, & condemnatum tanquam reum mortis alapis percutere cœperunt.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor eius. Sed attendite quia dum intus Pontifex interrogat blasphemando, & cædebant eum ministri, foris grauiùs discipulus Petrus affligebat negando. Pontifex ipsum interrogat de discipulis, de doctrina eius: & discipulus negat quod de his asserebat Dominus. Dominus & Magister confitetur discipulum, & discipulus negat Dominũ. Adiuratus Dominus si filius Dei est, confessus est & non negauit, loquutus est veritatem, & dixit, Ego sum. Negat verò Apostolus, & ait ancillæ & ministris Caiphæ, non noui hominem. O Petre, vbi est tua publica & solemnis cõfessio? Interrogatus olim à Domino; Quem dicunt esse homines filium hominis? statim respondes, & pro omnibus dicis: Tu es Christus filius Dei viui. Nunc autem ipsum negas? O Petre, vbi iuxta promissa tua zelus animi, & constantia? vbi illa verba, etiamsi oportuerit mori, non te negabo? & hodie ad vocem ancillæ trepidas, & Dominum negas? O Petre, dum ministri Pontificis faciẽ Domini tui alapis cædunt, tu discipulus Domini animam eius negatione vulneras. O Petre, in Dominum peccasti, & te excusare non possum: grande peccatum tuum desle. Qui nuper in domo Dei & Domini tui IESV Christi sedebas in mẽsa cum discipulis, ecce nunc in domo Caiphæ, ad ignẽ sedes cum seruis. O Petre, Caiphæ ignis, ignem Christi in corde tuo extinxit. Ter interrogatus de Domino, ter ipsum negasti in malorum consortio. Ecce nunc Petre, ecce gallus cantat, verbi IESV recordare. Sed ecce Dominus ipse respicit te. Iam itaque foras egredere, & plora amarè. Ita autem Petrum

Negatio Petri.

Matth. 16.

Pœnitẽtia & lacrymæ Sancti Petri.

Petrum fecisse dicunt Euangelistæ: Et recordatus est Petrus verbi Domini; Priusquàm gallus cantet, ter me negabis: & egressus foras fleuit amarè.

S. Basil. homil. de humilitate. De hoc lapsu S. Petri loquens S. Basil. dicit accidisse, vt postea in superioritate constitutus, intuitu propriæ infirmitatis disceret misereri & parcere aliis. Sanctus Leo ex diuina prouidentia hoc accidisse ait, vt videlicet illi esset humilitatis occasio, atque etiam in eo tanquam in Principe Ecclesiæ conderetur pœnitentiæ remedium. Iuxta quod legimus, quod statim egressus foras fleuit amarè, domum deserens Caiphæ, in qua negauerat Dominum, omnésque peccati sui occasiones, vt fleret amarè. Itaque nobis hodie datur in exemplum pœnitentiæ, vt sicut ipse, statim & peccata nostra deseramus, & ploremus, atque etiam nunc de domo Caiphæ egrediamur in prætorium Pilati, vt quæ ibi rursus contra Dominum aguntur cum dolore contemplemur.

S. Leo Ser. 9. de Passione.

S. Petrus pœnitentiæ exemplum.

Iesus in prætorium Pilati adducitur. Adducunt ergo IESVM, dicit noster Euangelista, à Caipha in prætorium, scilicet Pilati, vt alij tres Euangelistæ confirmant. Quod mane facto, & consilio inito aduersus IESVM, vt eum morti traderent, & vinctum adduxerunt eum, & tradiderũt Pilato præsidi. O vos omnes qui transitis per viam, attendite. Exiuit ad eos foras Pilatus, & stat ante præsidem IESVS. Qui filius Dei est, & constitutus à Patre Iudex viuorum & mortuorum, Dominus omnium, peccatorum accusationem sustinet, & interrogationem terreni Iudicis. Qui iudicabit orbem terræ in æquitate, vt dicit Psaltes, & populos in iustitia, à Pilato iniustè patitur, & subiit condemnationem flagelli & mortis. O vos omnes attendite. Accusant innocentem peccatores, & dicunt quia est malefactor, subuertens gentem, prohibens tributa dari Cæsari, & dicens se Regem esse. O Pilate, falsi sunt omnes isti testes, pleni omni dolo atque inuidia, ne audias eos. Ingreditur in prætorium præses, & vocans IESVM, ipsúmque interrogans dicit ei. Quid fecisti? Nihil Pilate, nisi quod vitam mortuis dedi, sanitatem infirmis, famelicis panem, & doctrinam veritatis errantibus. Quid ergo fecisti? Tu es Rex Iudæorum? Ita Pilate, ipse est Rex. Sic declarauit Angelus; & regni eius non erit finis. Regnabit in domo Iacob, in domo Israël, in æternum. Sic Reges terræ agnouerunt eum & adorauerunt. Sed tu ipse Domine responde pro te. Tu dicis, ait IESVS, quia Rex sum ego; sed regnum meum non est hinc. Ego in hoc natus sum, & veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Quid iam ad ista Pilate respondes? Pilatus quærit quid sit veritas, & responsum non expectat factus impatiens veritatis. Neque etiam illi declarat Christus, iuxta quod, vt aliquando dixit, Spiritum veritatis mundus accipere non potest.

De quibus Christus accusatur ante Pilatum.

Quare de veritate non fuit facta responsio Pilato.

Sed si agnosceres ô Pilate, quis est iste, quem tu de veritate interrogas, ipsum esse inuenires veritatem primam, æternam, essentialem: neque aliam ob causam in hunc mundum venisse, quàm vt testimonium perhiberet veritati, id est, vt homines doceret scientiam primæ & æternæ veritatis, notitiam Dei, Trinitatis, Incarnationis, & æternæ beatitudinis. Sed quid? *Non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Mundúsque nec Spiritum, nec verbum veritatis recipere potest. Propterea etiam notat Theophylactus Pilatum petiisse à Christo quid sit veritas. Quia, inquit, ferè iam ab hominibus euanuerat, & à cunctis erat incognita, dum increduli erant. Et ita etiam minimè responsum expectauit

Theophyl.

Pilatus, quia nequit eam audire mundus vt sibi contrariam & absconditam.

Quibus solet abscondi veritas. Ioh. 16. Duabus autem de causis solet veritas abscondi quærentibus. Prima est, quia capaces non sunt vt eã intelligant. Sic olim Dominus dicebat discipulis: Multa habeo vobis dicere, sed nõ potestis portare modò. Secũdò, quãdo odio vel cõtẽptu quæritur, quomodo Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos. Similiter hodie non respondet Dominus Pilato, quia per contemptum, & quasi per transennam tantùm ipsum de veritate interrogat, vt bene ostendit S. Iohan. qui ait statim post hanc interrogationem, & sine vlla mora, iterum exiisse ad Iudæos Pilatum, vt eis diceret, quia nullam in eo inuenio causam. Est autem consuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum? Clamauerunt, non hunc, sed Barabbam. O Pilate, veritatem nunc dixisti, sed non dilexisti, quia in eo nullam causam inuenisti. Sed non secuturus es eam, qui eorum voluntati acquiesces.

Matth. 7.

Ducitur Christus ad Herodem, & reducitur ad Pilatum. Interim mittit eum ad Herodem, qui spretum cum omni suo exercitu statim remisit alba veste indutum: vnde Pilatus, & monitis etiam vxoris suæ, quæ tota hac nocte multa propter eum passa fuerat, & miserat qui diceret, vt nihil aduersus iustum hunc ageret, ipsum dimittere tentabat. Sed inualescentibus clamantium vocibus; tolle, crucifige: aliter enim non es amicus Cæsaris, miser iste satisfacere volens populo, Cæsari, & sibi, dimisit illis seditiosum Barabbam. IESVM autem flagellatum tradidit vt crucifigeretur, & sicut ait Euangelista noster; Tunc ergo apprehẽdit Pilatus IESVM, & flagellauit.

Iesus postpositus Barabba, flagellatur.

Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer. Deus cœli nunc ad columnam ligatus, flagellis cæditur, disciplina pacis nostræ super eum, quæ non rapuit, exsoluit. Omnes nos errauimus, vnusquisq; in viam suam, & posuit in eo Dominus iniquitatem omnium. Vnde & vidimus eum hodie tanquam percussum à Deo, & à planta pedis vsque ad verticem capitis non est sanitas.

Tripliciter Christus flagellatur. S. Vincent. Tripliciter autem flagellatũ fuisse narrat S. Vincentius. Primò, virgis: secundò, funibus cordatis: tertiò, catenulis ferreis. Dicuntur esse multa flagella peccatoris Psalm. 31. vt ostendatur quia plagas multas merebatur peccator. Quare etiam multa erunt flagella Redemptoris, qui pro peccatore debet soluere. Et propterea etiam Pater æternus dixit: Propter peccata populi mei percussi illum. Per manus Sathan, Deus percussit Iob sedentem in sterquilinio suo vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem capitis. Et hodie per manus Pilati, id est, per ministros Impietatis ipsius filium sedentem in sterquilinio prætorij, & ad columnam ligatum percutit vlcere nimio: ita vt splendor patris leprosus videatur, & non sit ei amplius species, neque decor. Obstupescite cœli super hoc, & vos omnes attendite.

Quomodo ad exemplũ Iob, dicitur Deus filiũ percussisse.

Domus Pilati Theatrum mundi. Rupert. Doctissimus Abbas Rupert. in Iohan. 19. ait, domum Pilati fuisse hodie quasi Theatrum totius mundi, vbi grande spectaculum, inauditum, & penitus admirabile, toti mundo, Angelis, atque hominibus propositum est. Cùm, inquit, à seruis peccati, Princeps libertatis seruilibus modis cæditur, grande equidem spectaculum, stupendum & inauditum est, Deus-homo flagellis cæsus instar serui contẽptissimi. Quis non obstupescat? Obstupescite

cœli, obstupescite Angeli, qui Regem vestrum,& Dominum gloriæ, Maiestate & omnipotentia relucentem cernitis ligatum columnæ, & præbentem terga verberibus & flagellis. Obstupescat terra,& vos obstupescite homines, qui propter peccata vestra intuemini Deum cæsum flagellis. Hodie igitur grande proponitur spectaculum in pretorio Pilati,mundo,Angelis, & hominibus, inauditum planè & stupendum.Sed iterum quæ in illo Theatro terribili adhuc geruntur,videamus.

Iesvs spinis coronatur & illuditur.

Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum, & genu flexo ante eum dabant ei alapas dicentes, Aue Rex Iudæorum. O vos omnes qui transitis per viam,attendite.In hoc prætorium introite omnes,obstupescite, & videte si est dolor sicut dolor eius. Super dolorem vulnerum meorum (ait Dominus,)addiderunt,super flagella,spinas & irrisiones.O qualis corona ista est, quæ spinea est, & ex iuncis marinis contexta ! ô quale sceptrum est arundo ! ô quales denique salutationes sunt alapæ,& sputa!

Ecce igitur Rex Iudæorum,Rex Angelorum & hominum. Obstupescite cœli super hoc. Æterne pater,tu gloria& honore coronasti eum vt filium, & Synagoga coronauit eum corona infamiæ.Cùm Ecclesia loquitur de gloria iusti,Deo dicit: Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso ; & hodie super caput iusti filij tui plectentes coronam de spinis imposuerunt peccatores. Obstupescite cœli, obstupescite Angeli super hoc,& vos qui transitis,attendite.

Theatrum apertum est , & prodit in publicum Deus flagellatus,spinisque coronatus , vt appareat oculis hominum. O quale spectaculum , & obiectum dolorum nostrorum ! fit Deus opprobrium hominum. Exiuit foras Pilatus & Iesvs, cum eo portans coronam spineam, quem omnibus vt virum dolorum ostendit dicens : Ecce homo. O vos omnes qui transitis iã videte si est dolor sicut dolor eius.Ecce homo,homo qui tot miracula fecit,dedit visum cæcis,auditũ surdis,loquelã mutis, gressum claudis, panem famelicis , sanitatem infirmis, & mortuis vitam.Ita est,ô Pilate,ecce homo qualem tu dicis. Ecce homo qui filius Dei est & virginis, Deus homo Christus. Ecce attritus est,& non est ei species , neque decor , non est amplius Maiestas, neque dignitatis splendor ; vnde nec reputauimus eum, nisi nouissimum virorum , virum dolorum, & scientem infirmitatem nostram. Verè languores nostros ipse tulit , & dolores nostros ipse portauit. A planta pedis vsque ad verticem capitis,non est in eo sanitas.

Iesvs exit foras, & populo ostẽditur coronatus.

S. Tho.3. p. q. 46. ar. 45 & 46.

S. Thom. Doctor Angelicus quæstionem mouet,vtrum passio Christi,omnes aliorum passiones & dolores excesserit in hac vita. Et respondet,esse, propter quatuor. Primò , si consideremus causam sensibilem doloris , quæ est læsio corporis , quæ quidem summam & extremam acerbitatem habuit ex generalitate passionis, quæ maximè ex triplici parte considerari potest. Ex parte hominum, à quibus passus est;passus est enim à Iudæis, Gentilibus,viris & fœminis,à Principibus & eorum ministris , à Sacerdotibus & plebeis. Denique etiam à familiaribus & notis.

In quatuor passio Christi omnes aliorũ passiones excedit

Generalitas passionis triplex ex parte attenditur.

Item ex parte eorum in quibus est passus : in amicis & domesticis ipsum deserentibus : in fama per blasphemias : in honore & gloria per irrisiones & contumelias : in rebus per despoliationem: in anima per tristitiam:in corpore per flagella,alapas & spinas.

Denique ex parte omnium membrorum corporis , atque sensuum. In capite per coronam ; in manibus pedibusque per clauos, in facie per sputa,atque in toto corpore per flagella. Ex parte sensuum,in gustu,tactu,olfactu,auditu,& visu.

Secundò , omnium maxima fuit passio, si consideremus eius constitutionem corporis,quod optimè erat complexionatum , vt miraculosè formatum per operationem Spiritussancti,& per consequens magis capax passionis & dolorum.

Tertiò , si puritatem dolorum consideremus, quibus omnino relictus est. In aliis patientibus est semper aliqua ratio, & commixtio solatij ex parte & redundantia virium superiorum ad inferiores & debiliores : Christus autem cùm passus est, vnicuique virium suarum permisit agere quod sibi proprium erat : iuxta quod voluntariè omnia passus est.

Vnde quartò , si consideremus quod ab illo voluntariè assumptus fuerit dolor passionis ad hunc finem vt homines liberaret à peccato , certum est superasse omnes. Ideo enim , ait S. Doctor, tantam quantitatem doloris assumpsit quæ esset proportionata magnitudini fructus, qui inde sequebatur, scilicet liberationis omnium. Iuxta quem sensum dicitur etiam apud Isai. suscepisse iniquitatem omnium in se, id est, pœnam & dolores omnium: propterèaque dicitur vir dolorum.

Ecce homo.O Iudæi, ad hoc spectaculum quid dicetis ? Cùm ergo vidissent eũ,clamabãt dicentes, tolle , crucifige.Et tu Pilate quidnam respondebis, & dices illis, qui nullam in eo causam inuenisti mortis?Videns autem Pilatus,ait S.Matth.quia nihil proficeret , sed magis tumultus fieret , volens satisfacere populo,& sedens pro tribunali,adiudicauit fieri petitionem eorum,inquit S.Luc.Iesvm autem tradidit voluntati eorum, & vt dicit S.Ioh. tradidit eis,vt crucifigeretur.O Domine,quantum nunc nos vrget charitas tua , vt tuis fideliter obtemperemus mandatis , tuamque sedulò exequamur voluntatem, qui propter nos hodie voluntati peccatorum & quærentium te traderis! Sic enim apud Isaiam dicis : Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum , ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.

Christus à Pilato traditur Iudæis.

Isa.43.

Hoc considerans S. Ambros. Peccatum , inquit, aut donatur , aut tegitur, aut deletur. Donatur per gratiam , tegitur per charitatem , deletur per sanguinem Crucis:& hoc modo dicit Dominus;peccatorum non recordabor , quia ego sum ipse qui illa deleo in sanguine Crucis , qui deleo quod aduersus homines erat chirographum decreti , affigens illud Cruci.

S. Ambros. c. 13. Apolog.Dauid. Colos.2.

Susceperunt ergo Iesvm & eduxerunt. Et ipse baiulans sibi Crucem exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum. Egredimini filiæ Sion,& videte Salomonem vestrum, Regem pacificum in diademate & sceptro quibus eum decorauit Synagoga. Rex est, & coronam in capite portat, sed spineam. Rex est , & sceptrum suum gestat super humeros. Crux est & principatus super humerum eius , vt prædixerat Isaias. Nunc igitur egredimini filiæ Hierusalem & fideles , vt post Christum Regem vestrum ductum ad mortem lamentemini , sequamini , & Crucem portetis post eum. O fœlix qui Crucem Christi ferre dignus inuenietur ! Sed vni soli hæc gratia data est.

Inuene

Simon portat Cruci Iesu.

Inuenerunt exeuntes hominem Cyrenæum nomine Simonem, venientem de villa: hunc angariauerunt, vt tolleret Crucem eius. O delectabile pondus! Simon dignus fuit portare Crucem IESV. Simon qui dicitur obediens. Obediens fuit Christus vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Ecce obediens qui meretur Crucem Christi portare. Sequamur omnes, & Crucem nostram portantes post eum in via obedientiæ ambulemus vsque ad montem Caluariæ. Interim Crucem Christi adoremus; *O Crux aue spes vnica.*

3. Per Passionem. *Philip. 2.*

Susceperunt autem IESVM & eduxerunt. Et bajulans sibi Crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè Golgotha. Ad Philip. 2. prætendit vnum Apostolus, nimirum, vt nunquam memoriam & considerationem mortis Christi amittamus, cùm ait: Hoc sentite in vobis, quod in Christo IESV, qui cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens; (verba ista de Incarnatione ipsius sunt,) humiliauit autem se, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Vt videtis, Incarnatio ipsius infert exinanitionem: mors humilitatem & obedientiam. Virtutes sunt quæ ei competere non poterant absque generatione humana & morte.

Vnde competit Christo humilitas. Item obedientia.

Et vt de morte hîc loquamur, expressè Apost. Heb. 5. dicit: Cùm Filius Dei esset, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam. Didicit, quia in eo minimè esse poterat nisi ratione assumptæ infirmitatis, quæ illum capacem reddidit, vt obediens fieret vsque ad mortem Crucis. Vnde sciendum, virtutes omnes, quæ in intellectuali parte hominis sunt, scilicet in spiritu & voluntate, ab initio fuisse in Christo, exceptis humilitate & obedientia: in ipso perfectissimè fuisse sapientiam: verè fuisse charitatem, non autem sic humilitatem, & obedientiam, quia in natura sua infinita, non potuit, neque adhuc potest esse humilis; humilitas enim in eo consistit, vt aliquis cedat alteri, & superiorem agnoscat. Ita est de obedientia. Christus autem neminem supra se vt Deus agnoscit, nec videre potest: vnde etiam humilitatem exercere non potuit, nisi cùm ex infirmitate nostra, cui communicauit, hanc didicit, & simul obedientiam. Didicit, non virtutes alias, quas iam ex se & in seipso habebat, sed illas quæ ei conuenire non poterant, didicit propter infirmitatem nostram cui communicauit; ex his quæ passus est, didicit obedientiam.

Heb. 5. *Quomodo intelligitur Christum didicisse obedientiam.*

Duplex genus scientiæ, seu cognitionis: vnum per obiecta, quod inuentionem dicimus & experientiam; alterum per magistros, quod disciplinam nominamus. Primum, & non secundum conuenit Christo, qui nihil vnquam per magistros & per disciplinam didicit, sed solùm per obiecta & experientiam, didicit ex his quæ passus est, obedientiam.

Duplex scientiæ genus.

Duplex obedientiæ genus: vnum diuinis præceptis; alterum prouidentiæ. Obeditur præceptis labore, & patientia prouidentiæ. Discuntur præcepta fortiter faciendo; prouidentia autem patienter recipiendo. Didicit Christus ex his quæ passus est, vtramque obedientiam: vnam præceptis, laboribus, & faciendo; alteram prouidentiæ, patientia, & recipiendo. Etenim secundùm S. Tho. in Compend. suæ Theolog. non fuisset satis ad satisfaciendum, vel merendum, quod Christus nostros assumpsisset defectus, & passibilitatem absque passione in actu: sicut non dicitur aliquis bonus ex eo quod bona potest facere, sed ex eo quod illa facit. Ita dico, non erat satis vt Christus passibilitatem haberet, seu pati posset, ad hoc vt pro nobis mereretur & satisfaceret, nisi actu passus fuisset.

Duplex genus obedientiæ. *S.Tho.part. 3. Compen. Theol. c. 42.*

Quare & illa passus est, quæ nos ex peccato primi parentis debebamus pati, inter quæ mors erat. Rom. 6. stipendia peccati mors. Ideo & illam voluntariè subiit. Primò, vt dum sine culpa hanc nobis debitam pœnam sustineret, nos à reatu mortis liberaret. Et bajulans sibi Crucem exiuit, factus obediens, &c. Secundò, vt mors eius esset nobis & satisfactionis remedium, vt iam dixi, & salutis sacramentum, id est, vt ad similitudinem mortis eius, moreremur & nos vitæ carnali, in vitam spiritualem translati, iuxta illud 1. Pet. cap. 3. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. Tertiò, vt nobis mors eius esset perfectæ virtutis exemplum. Primò quidem quantum ad charitatem. Maiorem nemo habet, olim dicebat, quàm vt animam ponat quis pro amicis suis. Quanta ergo illa fuit qua pro inimicis bajulans nunc sibi Crucem exiuit in eum qui dicitur Caluariæ, locum, & mortis? Et certè qui amat magis, tanto etiam maiora & grauiora pati pro amico non recusat. O quantum nos dilexisse iam Christus ostendit ex his quæ passus est! sed maiora adhuc restant. Et bajulans sibi Crucem exiuit, &c.

Rom. 6. *Propter tria fuit conueniens Christum subire mortem.* *In trib. mors Christi perfectæ virtutis nobis est exemplum. 1. Charitatis.*

Secundò, quantum ad fortitudinem & patientiam, quæ nunquam sinunt hominem in aduersis tristitia absorberi, aut propterea à virtute recedere. Vnde omnium malorum terribilissimum sustinuit, videlicet mortem; & per quam etiam destruxit eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, vt adhuc liberaret eos qui obnoxij erant eius seruituti.

2. Fortitudinis. *Heb. 2.*

Tertiò, quantum ad obedientiam, quæ tanto laudabilior est, quanto quis in difficilioribus obedit. Vnde vt illa commendetur in Christo, dicit Apost. quia factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Et bajulans sibi Crucem exiuit, &c.

3. Obedientiæ.

Non solùm autem laudem accipit hæc obedientia ex eo quod mortem difficiliorem respicit, sed etiam & maximè quia voluntariam respicit. Oblatus est, ait Isaias, quia voluit. Et bajulans sibi Crucem exiuit, &c. O mors quantum à nostra differs! Necessitate morimur omnes: sed mors tua Christe, voluntaria est. Bajulans sibi Crucem exiuit IESVS.

Mors nostra necessaria est, Christi autem voluntaria. Et distinctio vtriusque.

Verùm ad intelligentiam huius mysterij, mortem à morte distinguamus. Quantum enim ad id quod est de ratione mortis, quæ consistit & est in separatione animæ à corpore, mors Christi nostræ similis est & conformis, deificatam enim animam eius separauit à corpore. Veruntamen multum differt à nostra, quantum ad illud quod nos omnes necessitate morimur vt subiecti mortis imperio, vel necessitate naturæ, vel violentia alicuius, vndique necessitas accidit. Christus autem non necessitate moritur, sed voluntate propria & potestate, ipso dicente: Potestatem habeo ponendi animam, & iterum sumendi eam. Et ratio adhuc vtriusque discriminis est, quia voluntati nostræ non subiacent quæ in nobis naturalia sunt: cuiusmodi est coniunctio animæ ad corpus, quæ in nobis naturalis est, In Christo autem accidit, vt omne quod ei secundum naturam humanam naturale est, voluntati eius subiaceat propter diuinitatis virtutem, cui subest tota natura. Quare in potestate Christi erat mori & non mori. Hoc Centurio agnouit, cùm vidit eum expirare clamantem clamore valido, &

Ioh. 10. Ratio discriminis inter necessariam mortem hominis, & voluntariam Christi.

do,& diuinam virtutem manifestantem in se. Non A enim sic homines in isto articulo mortis expirare solent, qui vix linguam mouere possint & palpitare. Vnde dixit statim; Verè filius Dei erat iste. Ex quibus modò licet colligere, ipsum mortem voluntariam subiisse. Et bajulans sibi Crucem exiuit,&c.

Satis ergo superque vidimus in hac parte Passionis tertia, sicut in secunda præcedenti, cur & qua necessitate Christus mori debuerit,& sic satisfacere pro peccatoribus. Nunc cur hoc genus mortis,scilicet Crucis,sustinuerit,quæramus rationes. Et quidem ferè illæ sunt similes præcedentibus. Prima itaque ratio est,quia sic conueniens erat quantum ad remedium satisfactionis pro peccato B primi parentis, qui in ligno offenderat. Conuenienter enim quis punitur per ea in quibus peccauit. Igitur cùm primum hominis peccatum fuerit per lignum cum transgressione præcepti: ideo voluit Christus ligno per obedientiam affigi, vt sic ex iustitia solueret quæ non rapuit,quasi restituens quod Adam sustulerat. Ita S. Augustin. in quodam Sermone de Pass. Contempsit Adam præceptum accipiens de arbore pomum: sed quicquid Adam perdidit, Christus in Cruce inuenit.

Rationes cur mortẽ Crucis Christus sustinuit. 1.

S. Aug. Ser. de Pass.

Secunda quantum ad mysterium, scilicet vt sic ad superna & cœlestia eleuaretur noster animus; vnde aliquando dicebat: Ego si exaltatus fuero à terra,omnia traham ad meipsum.

2. *Ioh. 12.*

Tertia quantum ad exemplum perfectæ virtutis,quæ non horret humilia, neque contemptibilia refugit. Nullum autem genus mortis erat vituperabilius quàm Crucis,iuxta illud Deuter. Maledictus à Deo qui pendet in ligno. & Sapientiæ; Morte turpissima condemnemus eum. Et ecce,ait Apostolus, vt nos redimeret de maledicto legis, factus est pro nobis maledictum. Sicque,vt dicitur Heb. 12. sustinuit Crucem confusione contempta. Et bajulans sibi Crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, montem & locum, vbi crucifixerunt eum.

3. *Deut. 21. Sap. 2. Gal. 3. Heb. 12.*

O vos omnes qui transitis per viam, attendite. Christus ducitur in montem Caluariæ vt moriatur ibi,vbi secundum S. Epiph. Adam fuerat sepultus. Exinde enim, vt interpretantur multi, locus iste Caluariæ dicitur sic à capite Adam. Et certè conuenienter istud hodie factum est,vt ibi darentur primitiæ vitæ nostræ,vbi mortis fuerant exordia: ibi constitueretur medicus,vbi iacebat ægrotus: ibi denique erigeretur & clamaret mortis & vitæ Dominus,vbi sepultus fuerat mortuus.

S. Epiph. hæres. 46. Conuenienter Christus in monte Caluariæ moritur,vbi Adã fuerat sepultus.

Hic recordor quòd cùm Dominus IESVS voluisset resuscitare Lazarum, dixit ad sorores eius; vbi posuistis eum? Et illæ: Domine veni,& vide. Sic hodie volens suscitare peccatorem à mortuis, dicit; vbi posuistis eum? vbi posuistis Adam? Domine veni,& vide: ecce locus, Caluariæ mons est. Propterea igitur eduxerunt eum foras, extra portam,in Caluariæ locum,vbi crucifixerunt eum.

Ioh. 11.

O vos omnes qui transitis per viam, rursum quæso attendite,& videte Christum foras eductũ. Videte innocentem Abelem ab inuido fratre Caino eductum foras, vt illi inferat mortem. Et bajulans sibi Crucem foras exit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum. Videte verum Isaac ligno holocausti sui onustum, pergentem ad montem iuxta voluntatem Patris. Lignum tuum,ô Isaac, tantùm portasti; sed non immolatus fuisti. Neque enim verus Isaac eras, sed solùm mysticus. Ecce cuius figura eras Christus, qui bajulans sibi lignum Crucis ex voluntate Patris, exiuit in montem immolandus.

Figura Christi. Gen. 4. Gen. 22.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte. Videte Iacob submissum scalæ suæ, & portantem eam,per quam nobis viam parat & erigit ad Cœlum. Videte Moysem portantem virgam virtutis suæ,quam emisit Dominus ex Sion,ex Hierusalem, vt dominetur in medio inimicorum suorum,tartareas disperdat potestates,& homines saluet. Videte Abimelech super humeros ramum arboris ferentem,& dicentem sociis: Quod me videtis facere,citò facite. Ecce Christus dux noster arborem Crucis grauem pondere fert humeris suis, & nos hortatur vt imitatione sequamur. Qui non accipit Crucem,& sequitur me,ait,non est me dignus. Quod me videtis facere,citò facite. Bajulans sibi Crucem exit extra portam. Exeamus & nos extra castra improperium Crucis portantes: nullúsque sit ex nobis hodie qui nõ sit particeps ponderis ac dolorum Crucis Christi.

Gen. 28. Exod. 4. Iudic. 9. Matth. 10. Heb. 13.

O vos omnes, inquit, qui transitis, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus. Non est similis Domine,& tibi compatimur omnes. Quis dolor,& quale aggrauans pondus? Quàm graue tam grauem, & tanto itinere Crucem gestare suis humeris totis iam contritis vulneribus! O beatas mulieres,quæ ipsum sequentes, lacrymis vestris itinera irrigatis! O beatam Veronicam,quæ occurrens C Domino,illiúsque compatiens doloribus, sanguineum eius sudorem & lacrymas sacro velo capitis tui abstergis, in eóque expressam diuini eius vultus refers imaginem! Et de te quid referam Virgo & dolorosa mater in hoc filij tui occursu,& itinere mortis? Nihil; tuum enim dolorem ad Crucis pedem explicare differo, iuxta quam stabis modò lacrymosa, tristis & afflicta, gladióque sauciata doloris.

Nunc igitur perueniamus ad montem istum, vt ibi filium Dei,& majestatis Dominum crucifixum contemplemur, & duos latrones cum eo, vnum à dextris, & alterum à sinistris eius, vt impleatur Scriptura quæ dicit; & cum iniquis reputatus est. D O vos omnes qui transitis per viam, attendite,accurrite omnes, & state aspicientes in authorem & consummatorem IESVM, & videte si est dolor sicut dolor eius. Ascendite, & accedite simul ad montem istum tractabilem, vbi Cruci affigitur Deus.

Olim Dominus descendit ad montem Sinai, vt legem daret Moysi;& mons terribilis erat: sed nũc in Caluariæ montem ascendit,vitam suam daturus sua morte & gratiam, terribilisque est mons. In monte Sinai audiuntur tonitrua; in monte Caluariæ,collisiones armorum, & malleorum ictus,terræ motus,& fractiones lapidum, monumentorum & veli Templi. In monte Sinai,clangores buccinæ; & in loco Caluariæ,clamores Christi, clamoribus E peccatorum interrupti. Mons Sinai totus fumabat, & caligine erat plenus;& mons Caluariæ cum vniuersa terra Solis Eclipsim patitur. Certè multo terribilior est mons iste quàm alter. Si enim alter adhuc ardebat ignibus corporeis,iste ignibus & flammis spiritualibus amoris Dei.

Exod. 19. Comparatio inter montes Sinai & Caluariæ.

Verùm vnum est in quo mons noster Caluariæ nõ solùm terribilior est mõte Sinai,sed etiam gratior,quia videlicet omnibus datur accessus ad illũ, vt audiant Deum loquentem. In monte Sinai dum loquebatur Deus Moysi seorsum,& os ad os,vt dicitur, Israëlitæ ad pedem montis remanebant, & non permittebatur illis ascendere: imò populus dicebat

dicebat ad Moysem perterritus; Nō loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Non sic est hodie, vbi omnibus nobis datur ad Caluariam accessus, vt loquentem Dominum audiamus. Cùm exaltatus fuero à terra, inquit, omnia traham ad meipsum. Ascendamus igitur per Crucem attracti, & de illa Cathedra summæ sapientiæ audiamus loquentem. Ecce clamat, & septies, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

Christus septies in Cruce loquitur. Ante omnia erat charitatis actū exercet.

Primus est clamor orationis simul & amoris. Quæso antè omnia attendite quod hîc Christus actum charitatis in Cruce exerceat, & quidem excellentissimum, vt est deprecatio ad Deum pro inimicis & persequentibus. Hoc notauerat Isaias dicens: Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit, Pater dimitte illis. Mementote quia aliquando dixerat: Orate pro persequentibus vos, vt sitis filij patris vestri qui est in cœlis. Et ecce quia ipse est naturalis filius, dicit; Pater ignosce. Hinc certè exemplo & sermone didicerunt Sancti orare pro inimicis. Sic Stephanus, & alij.

Isai. 53.

Matth. 5.

Præceptum & exemplū orandi pro inimicis.

Sed Domine quonam tempore sic oras? Dum pedes & manus confodiunt & crucifigunt; dum in medio latronum constituunt, dum vestimenta eius diuidunt, & de illis sortes mittunt; dum super caput eius, causam ipsius scriptam, id est, accusationem imponunt; dum illudunt ei, & vnus etiam de his qui pendebant latronibus, blasphemat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac teipsum & nos. Et tu Domine dicis tunc; Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Etiam inexcusabiles excusare apud Patrem nititur, nesciunt quid faciunt, ignosce illis. O excessum amoris! Et quis audebit coram Patre Domini nostri IESV Christi apparere, qui in corde suo statuit inimicis amicitiam & veniam negare?

Secundum verbum, promissio fuit Paradisi, & primò quidem latroni pœnitenti, qui cùm increpasset socium blasphematorem, & Christum iustificasset, ad eum conuersus dixit: Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum. Cui Dominus; Hodie mecum eris in Paradiso. O latronem illuminatum, qui in opprobriis Crucis & mortis, Diuinitatem contemplatur & adorat! Ecce in Cruce pendens latro, primus prædicator salutis & gloriæ Crucis.

2. Paradisū Christus promittit.

Latro in Cruce prædicator gloriæ Crucis.

S. Ambrosius hoc notat, & ait. Intellexit latro quod pro alienis peccatis has plagas Christus susciperet, & sciuit quod illa in corpore Christi vulnera, non essent Christi vulnera, sed latronis. Iusta patimur, inquiebat socio, hic autem nihil mali gessit. Domine memento mei. & Dominus: Hodie mecum eris in Paradiso; hodiè visione diuinæ meæ essentiæ in limbis Patrum cum ipsis frueris. Sed quid ais Domine? Crucifixus es, & Paradisum promittis? Ita, & vt in ipsa Cruce meam virtutem agnoscas (ex S. Augustino.) Et quia sum Deus non confundens Paradisum, ipsius latronis introitu; sed illustrans: non conculcans istius pietatis opere, sed honorans. hæc S. Augustinus. Mementote Angelum qui nobilis erat, Paradisum peccato suo inhonorasse, & ex illo expulsus est: & hodie latro qui ignobilis erat, in Paradisum introductus, ipsum gratia & pœnitentia illustrauit. Hæc sunt mysteria, & primitiæ Crucis. Hodie mecum eris in Paradiso.

S. Ambros. Serm. 45.

S. Aug. Ser. 130. de tēp.

Comparatio inter Angelum lapsum e Cælo, & latronem in illud introductum.

Iam ad tertij verbi explicationem veniamus, quod ad B. Virginem directum est: & certè simul hîc statum doloris eius considerare tenemur. Stabat autem iuxta Crucem IESV mater eius, ait Euangelista Iohannes. Hæc quidem qualitas matris dedit locum Virgini iuxta Crucem filij: sicut etiam eius præsentia huic videbatur esse necessaria sacrificio, vt correspondentia & conformitas esset cum præcipua figura, quæ erat immolatio Isaac. Isaac non offertur solus super lignum, sed pater eius Abraham cum obedientia adest. Ita Virgo iuxta lignum Crucis, in obedientia & patientia vulnerata gladio doloris, offert ipsum Patri altissimo. Quod videtur notasse S. Iohannes dicens; Stabat autem iuxta Crucem.

3. Christus loquitur ad Virginem, quæ erat iuxta Crucē.

Immolatio Isaac præcipua figura sacrificij Crucis.

Necessitas præsentiæ Virginis iuxta Crucem.

Stabat, actio est & dispositio oblationi conueniens. Sciebat ex ore Angeli quod ipse saluum faceret à peccatis populum suum. Sciebat ex fide filiorum Israël, & prophetia Simeonis, quod ipse lumen erat ad reuelationem gentium, & gloriam plebis Israël, quod positus erat in ruinam & resurrectionem multorum: & quia doloris gladius pertransiret animam eius. Sciebat ex ore Dauid, à quo descendebat, quia ipse à ligno regnaturus erat: & ita quod eiusmodi actio in Cruce, actio ipsius sacrificij erat. Quare etiam stabat, vt in eam aspiceret, tanquam penitus conformis & obediens diuinis consiliis Patris. Et sic perfecta obedientia Deo, erga populum amore, & sanctissima voluntate atque patientia magna, filium Patri offert in odorem suauitatis. Propterea igitur dicitur quia iuxta Crucem stabat.

Virgo iuxta Crucem Deo filium offert. Et cōstantia eius.

Memoria digna est & mirabilis illa Machabæorum mater, quæ pereuntes septem filios suos simul sub vnius diei interuallo conspiciens, bono animo ferebat, & offerebat propter spem quam in Deum habebat. Sed Virgini comparari nequit, talem hodie filium Deo æterno offerenti, & propterea constanter iuxta Crucem stanti; sciebat enim quæ Dei erant. Cùm S. Petrus diceret Christo de sua morte loquenti; Absit hoc à te Domine. Respondet ei statim Dominus: Vade post me Sathana, non enim sapis quæ Dei sunt. Optimè autem Virgo sciebat quæ Dei erant, & magis ad illius gloriam spectabant. Vnde hodie iuxta Crucem filium & seipsam voluntariè Deo Patri offert. Stabat autem iuxta Crucem IESV mater eius.

2. Machab. 7.

Matth. 16.

Notant aliqui Theologi antiqui, Virginem tunc inuenisse iuxta Crucem dolores quos in partu non pertulerat, & sic eos prædixisse illi Simeonem, cùm ait; Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit. Pertransibit, hoc notetur, vt doloris excessus demonstretur. Iephte filiam suam Deo ex voto offerens, & agnoscens quia aliud facere non poterat, nisi vt immolaret eam, statim dolor pertransiit animam eius, & ait: Heu me! os meum aperui Domino, & aliud facere non potero. Et sic eam repletus amaritudine obtulit in holocaustum Domino. Ita hodie Virgo iuxta Crucem dolore sauciata est videns quod filium suum Deo Patri offerebat in sacrificium, & quia ex voto aliud facere non poterat, vt penitus conformis voluntati diuinæ. O quātùm sacrificium tale filij & matris æterno Patri complacuit!

Prædictio Simeonis de dolorib. Mariæ Virginis in Cruce.

Luc. 2.

Iudic. 11.

Cùm Abraham voci Dei obtemperans obtulisset filium suum, mox audiuit; Quia fecisti hanc rem, benedicentur in te omnes gentes. Ita hodie audit Virgo quod in ea, & in semine eius benedicentur omnes populi, & nationes terræ. Et quidem extunc Iohannes benedicitur in ea, cui ipsa commen

commendatur à filio, & ipse illi; Mulier ecce filius tuus, &c. O benedictionem fœcundam! Non minus nostra est mater quàm Iohannis. Si quidem hodie his verbis commendatitiis simul cum Apostolo benedicimur omnes in Virgine quæ nobis mater à filio data est: in ea inquam benedicimur omnes, qui in eius semine, Christo, benedictionem, gratiam, & reconciliationem accepimus. Pater ignosce.

Patitur Virgo dum commendatur discipulo.

Verùm cum tali benedictione, quæ nostra est, quali nunc stupore plena erit illa mutua commendatio Virginis discipulo, & discipuli Virgini, cùm, inquam, Virgo à filio derelicta vidit se ab eodem commendari in matrem discipulo, & vicissim, illum discipulum, sibi in filium. Non minimam certè hîc contradictionem passa est & dolorem. Verùm sustinuit patienter, cùm statim etiam ipsum filium ex ipsius ore audiuit à Patre derelinqui, cùm circa horam nonam exclamauit; Eli, Eli, lammasabacthani, hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?

4. Christus clamat ad Patrem, vt quid dereliquisti me? Euthymius. Multiplex derelictionis Christi interpretatio.

Quartum est verbum. Huius autem derelictionis multiplex est interpretatio & sensus. Primus est Euthymij; vt veritatem humanæ naturæ in se ostenderet, quæ mortem naturaliter refugit, vt iam in horto Gethsemani ostenderat, dicens: Si possibile est, transeat à me calix iste; & sic tam in principio quàm in fine maximos extitisse dolores eius ostenderet. Et ita Patrem omnes illi ianuas consolationis exclusisse, vt puriores illius essent dolores. Ita vt dixi, Euthymius, & communis interpretatio est contra hæreticos.

S. Bern. Ser. 5. de verb. Isaiæ.

Alia est S. Bernardi explicantis illa verba Isaiæ; Vidi Dominum, scilicet ratione absentiæ & priuationis, ibi, omnis gloriæ & majestatis. Ibi, inquit, quasi quædam derelictio fuit, vbi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla ostensio majestatis.

S. Cyprian. tract. de Pas.

Tertia est S. Cypriani, & quidem deuota est, scilicet, vt causas inquiramus cum filio. Tu Domine, inquit, de morte & de opprobriis non contendis: sed hoc vis intelligi quæ sit causa mortis, & quis quæstus, vt vtraque re cognita, peccatum appareat & gratia. Ecce causa, peccatum: ecce quæstus, gratia.

Origen. in Matth. 25.

Quarta est Origenis, qui hanc interpretationem refert ad salutem paucorum, vnde ad Patrem conqueritur, statímque post ardentiùs ostendens se omnium desiderare salutem, clamat voce magna; Sitio.

5 Christus clamauit, Sitio.

Quintum est verbum. Quid sitis Domine? Salutem nostram, & vitam omnium. Et ecce in siti mea potauerunt me aceto. Pater, vt quid dereliquisti me? vt quid tam pauci de mea morte viuunt? Mementote quod olim Samaritanæ dixit iuxta fontem & puteum Iacob; Mulier da mihi bibere. & nunc adhuc in Cruce; Sitio. Quid sitis Domine? animas pro quibus morior. Et tandem ait sextum verbm; Consummatum est. Et nouissimè clamans voce magna expirauit dicens septimum & vltimum verbum; Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato capite tradidit spiritum.

Ioh. 4.

6. Clamat consummationem. 7. Commendat spiritum & expirat.

O momentum vitæ simul & mortis! momentum inæstimabile & præferendum cunctis temporibus; momentum in quo Christus filius Dei mortuus est, vita nostra expirauit, & lux mundi extincta est. Vt quid adhuc nos viuimus? & quare non morimur, & peccatis non morimur, pro quibus Deus mortuus est? Ecce compatiuntur omnia, & in sensu doloris est vniuersa creatura. Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, & Sol obscuratur: velum Templi scinditur in duas partes; terra quatitur, commouetur, & petræ scissæ sunt; aperta sunt monumenta, & corpora surrexerunt. Omnes stupor inuadit. Et videns Centurio dicit: Verè filius Dei erat iste. Et qui simul aderant ad istud spectaculum, & videbant quæ fiebant, reuersi sunt percutientes pectora sua. Nos autem propter quos hæc omnia prodigia fiunt, insensibiles erimus? Cum elementis itaque compatiamur, & cum natura.

Ad vltimum vnus militum lancea latus eius aperuit, & exiuit sanguis & aqua, in ablutionem & purgationem peccatorum; atque vt abluti & sanctificati maneamus in æternum absconditi in Christo, si cum illo peccatis morimur. Mortui nunc estis, ait Apostolus, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

DE RESVRRECTIONE Dominica in die Paschæ.

Iesum quæritis Nazarenum crucifixum. Surrexit, non est hic. Marc. vlt.

Resurrectio Iesv Christi ab eodem prædicta & nunciata fuit, sicut mors, verbis & exemplis. Verbis Marc. 8. vbi accepta confessione Petri, qui coram aliis filium Dei agnouerat, cœpit discipulos docere, quoniam oportet filium hominis occidi, & post tres dies resurgere. Similiter Iohan. 2. vbi de Templo negotiatores eiecit, mensas subuertit, & æs nummulariorum effudit, dicebat Iudæis; Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui. Sicut etiam post Resurrectionem recordati sunt discipuli eius, vt expresè notauit Iohannes. Item cap. 10. dicebat quia animam suam ponebat, vt iterum sumeret eam, quia talem potestatem habebat.

Prædictio mortis & resurrectionis Christi ab eodem. Marc. 8.

Ioh. 2.

Ioh. 10.

Sicut autem verbis: ita etiam prædixit & exemplis & figuris. Ionæ, Matth. 12. vbi hoc exemplo nihil expressius. Similiter Iohan. 12. vbi comparans se grano frumenti, dicit: Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Et vt ostenderet quia in hoc exemplo de se loquebatur, antea immediatè dixit; Venit hora, vt clarificetur filius hominis, scilicet Resurrectione propria, postquam in terra mortuus fuerit, & sepultus.

Figura & exempla resurrectionis Christi. Matt. 12. Ioh. 12.

Granum ergo istud mortuum, atque reconditum in terra, Dominus Iesvs est: frumentum vitæ, & panis viuus qui de cœlo descendit in inferiores partes terræ, cùm videlicet in Cruce mortuus, postea in monumento positus est: vnde resurgens gloriosus nobis fructum multum attulit, scilicet resurrectionis nostræ, salutis & vitæ.

Resurrectionis, de qua ita Apostolus; Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormien- *1. Cor. 15.*

dormientium: quoniam quidem per hominem mors,& per hominẽ resurrectio mortuorũ,scilicet Christum, in quo omnes viuificabuntur, sicut in Adam omnes moriuntur. Nostra enim resurrectio Christus est,qui vita nostra est: vnde in ipso resurgimus & ad vitam gratiæ,& ad vitam gloriæ.

Rom.4.& 5. Ad vitam gratiæ. Rom. 4. Christus traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Ad vitam gloriæ, cap. 5. vbi; Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius; multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius, id est, in resurrectione eius.

Ecce igitur fructus illius, resurrectio nostra, salus & vita. Ecce quid multiplicauit & nobis attulit granum istud in terra mortuum, quod quidem ex explicatione S. Augustin. ipse Dominus IESVS erat: granum quidem mortificandum & multiplicandum. Mortificandum in infidelitate Iudæorum; & multiplicandum in fide populorum, qui scilicet credituri erant in eum, & cum eo resurrecturi ad vitam. Christus resurgens rediit non ad vitam communem, sed diuinam & immortalem, vt Apostolus dicit; Resurgens ex mortuis iam non moritur. Quod enim viuit, viuit Deo. Ita & nos per eum resurrecturi sumus ad vitam penitus Deo conformem.

S.Augustin. tract. 51. in Iohan.

Rom. 6.

Hic est Resurrectionis Christi fructus: hæc dies quam fecit Dominus nostræ resurrectionis, exultemus in ea. Cantemus Alleluya, & in Domino lætemur. IESVM *quaritis,* &c. *Surrexit, non est hic,* &c.

Epitaphia Christi in monumento. Admirabile est hoc Epitaphium in sepulchro Christi; *Surrexit, non est hic.* Inaudita planè à sæculis talis inscriptio in monumentis mortui; *Surrexit, non est hic.* Hoc Epitaphium Christi proprium est, & duo alia similia inueniuntur in Scriptura. In Apocal. vbi; Fui mortuus, & ecce sum viuens. Habeo claues mortis & Inferni. Ita Psalm. 87. Factus sum sine adiutorio inter mortuos liber; liber ab omni iugo, lege, & imperio mortis.

Apoc. 1.

Ps.87.

Quid facit mors? Mors redigit corpora in cineres, animámque separat à corpore vsque ad diem nouissimum & temporum consummationem, in quibus innouabuntur omnia. Corpus autem Christi, corruptionem non vidit, nec in limbis est derelicta anima sancta eius, quæ tertia die corpus suum resumpsit virtute propria: & sic resurrexit sine adiutorio inter mortuos liber.

Gen.39. *Figura libertatis Christi in morte.* Ioseph in carcerem coniectus, liber erat inter vinctos, tantámque inuenerat gratiam in conspectu principis carceris, vt etiam in manu illius cunctos tradiderit. Ita hodie Christus in monumenti carcerem coniectus liber factus est inter captiuos, & eorum Redemptor, quem Deus, Act. 2. suscitauit, etiam solutis doloribus Inferni, videlicet aliorũ; Patres ab anxietatib. suis & ærumnis redimẽs, qui tandiu exitum suum, & libertatem filiorum expectabant. Iuxta quod dicit Actorum textus; Impossibile erat ipsum detineri, qui inter mortuos liber venerat, & eorum Redemptor erat. Et Zachar. dicit: Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos de lacu in quo non est aqua.

Zachar.9.

Explicatio loci Zacharia contra hæreticos. Non hoc interpretentur hæretici nostri de captiuitate Babylonis; clarè enim constat hic Prophetam loqui de efficacia sanguinis Christi, vi cuius captiuos qui in limbis erant redemit, & nunc adhuc redimit in Purgatorio. Fugere hæretici volunt tertium & quartum locum, sed non possunt; hic textus premit eos.

Et primò de Babylone istud intelligi non potest, cuius captiuitas iam finem acceperat tempore Danielis, præterquàm quod & copia aquarum hâc vrbem irrigabat, & consolationum multitudo populum hunc miserè captiuum.

Neque secundò de specula Caluini, quam ridiculè constituit in aëre, in qua, inquit, omnes Patres erant expectantes beatam spem & aduentum gloriæ Redemptoris.

Igitur locus iste intelligitur clarè, aut de limbo Patrum, aut certè & clariùs adhuc de Purgatorio igneo lacu, in quo non est aqua; vnde postea animæ, quæ soluêre ex iustitia reliquias peccatorum suorum, exeunt gloriosæ in sanguine Testamenti, scilicet Christi Redemptoris, qui factus est sine adiutorio inter mortuos liber, & de captiuitate & lacu educens vinctos.

Sed prosequamur omnia. Factum fuisse dicit liberũ inter mortuos sine adiutorio, id est, de morte ad vitam resurrexisse virtute propria, in signum & confirmationem quod filius Dei erat. Hoc enim est singulariter notandum, maius Diuinitatis Christi testimonium hoc mysterium fuisse hodiernæ Resurrectionis. S. Iohan. in Apocalypsi dicit, quia dignus est Agnus qui occisus est, accipere Diuinitatem, &c. *Resurrectio Christi maius testimonium Diuinitatis eius.* Apoc.5.

Certè omni tempore hoc testimonium accipere dignus fuit. Adhuc incarnatus accepit in vtero matris. Mater prædicat, infans exultat. Accepit in stabulo natus, annunciant Angeli, pastores accurrunt, & veniunt stella duce Reges adorare eum. Luc.1. *Omni tẽpore & statu Diuinitatis Christi testimonia.*

Côuersans in mundo, per verba, miracula, actiones, prodigia & virtutes manifestè hoc testimonium accepit ab omnibus; ab Apostolis & alienis, à Regibus, Centurionibus, Doctoribus legis, Scribis & Pharisæis, viris, fœminis, pueris, cæcis, surdis, mutis, leprosis, paralyticis, infirmis, dæmoniacis, & mortuis. Ita vt ipsa opera referat in testimonium dicens: Si verbis non vultis credere, operibus credite. Et certè antea difficillimum erat conuincere: nunc autem minimè, positis tot & tantis miraculis.

Moriens item virtutem & Diuinitatem accipere dignus fuit, tot ac tantis prodigiis quæ in Passione eius & languoribus Crucis acciderunt. Tenebræ factæ sunt, tremuit terra, scissæ sunt petræ, monumenta sunt aperta, velum Templi diuisum est, & clamauit Centurio quia filius Dei erat iste.

Ad vltimum, dignus est Agnus qui occisus est, accipere Diuinitatem in Resurrectione, quæ omnium signorum Diuinitatis eius & potentiæ fuit maximum, ipsúmque Dei filium magis esse declarauit.

Ita S. Paul. Rom. 1. qui ordine hæc tria ponit ipsius Diuinitatis signa. Qui prædestinatus est filius Dei (hic de Christo sermo est,) in virtute secũdum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum. Qui prædestinatus est, id est, declaratus & agnitus filius Dei, secundum S. Chrysost. Theophyl. & Damasc. Primò, in virtute, scilicet miraculorum: secundò, in sanctificatione animarum per communicationem Spiritus: tertiò, ex resurrectione mortuorum, seu resurgendo à mortuis, virtute propria, quod omnium est maximum, factus sine adiutorio inter mortuos liber. In quo quidẽ ostendit, non solùm ius habere in vitam, sed etiam esse ipsam vitam & originem vitæ, & cõsequenter Dei filium,

Rom.1. *Tria Diuinitatis Christi signa.*

S. Ioh. Damasc. lib. 4. de fide orthod. c. 19.

Z

filium,vt olim ipsemet apud Ioh.dixit.Sicut pater habet vitam in semetipso:sic & dedit filio habere vitam in semetipso, scilicet, vitam esse, & principium vitæ, vt ait; Ego sum resurrectio, & vita.

Sic de illo ipse Iohannes dicebat, quia in ipso vita erat, vita per essentiam, & vita omnis vitæ principium, sicut ait Psaltes; Apud te est fons vitæ. Igitur ex eo quod ex se vita erat, de morte resurrexit ad vitam: & ex eo quod similiter per se resurrexit, se vitam esse declarauit & filium Dei. Hinc est quod Iudæis signum ab eo petentibus diuinæ suæ potentiæ, aliud non dedit quàm signum Ionæ Prophetæ figuræ Resurrectionis eius.

Isa.26. Procopius.

Pulchra sunt verba Procopij illa Isaiæ explicantis; *Morientes non viuant, & Gigantes non resurgant.* Quem Gigantum, inquit, hactenus experti sumus ita fortem, vt mortuus, atque in sepulchrum clausus, seipsum potuerit inde viuum atque liberum suscitare? Vis itaque scire quàm necessaria illatione sequatur Christum esse Deum? Seipsum à mortuis suscitauit, factus est sine adiutorio inter mortuos liber. Solus Gigas fuit, qui vi propria monumenti lapidem excussit, & morte superata viuus egressus est. O mors, ero mors tua,& morsus tuus Inferne. Liber inter mortuos, liber in sepulchro, & liber in Inferno, educens corpus de sepulchro, & de Inferno seu limbo captiuos. Propterea dixerunt Angeli mulieribus ad sepulchrum venientibus:Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hic, surrexit, sicut dixit. Venite, videte locum vbi positus erat Dominus,Dominus vitæ & mortis. Quod superest, locus est, & sudarium capitis eius separatim positum ab aliis linteaminibus. Surrexit, non est hic; virtute propria & sine adiutorio surrexit, inter mortuos liber.

Luc.24.

S. Thomas 3. p. q. 53. art.4. *Quomodo ... virtute propria resurrexit.* ... vit.

Quomodo autem virtute propria surrexit docet S.Thomas, videlicet quod ex virtute Diuinitatis vnitæ, & nunquam per mortem ab anima & corpore separatæ, corpus resumpsit animam quam deposuerat, & anima corpus quod dimiserat, teste Apostolo, qui ait: Christus crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei: id est, vt Diuinitatis resurrexit, in morte viuus fuit,& inter mortuos liber. Liber,quia sponte ad sepulchrum & Inferos descendit,& potuit ascendere cùm voluit. Liber, quia vt victor, & non debitor descendit, non vt reus, sed vt Deus, non vt vinctus, sed vt liberator, & in potestate sua mortem habens & vitam, vt dixit; Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam, & iterum sumo eam. IESVM *quæritis Nazarenum crucifixum*, ait Angelus mulieribus. *Surrexit, non est hic.* Sed de hac virtute & potentia Diuinitatis Christi in Resurrectione satis dictum est.

Ioh.10.

Qualitas Resurrectionis.

Nunc ad qualitatem veniamus, & quantum gloriosi fuit videamus. Corpus illud virginis, dico Christi filij eius, quod nuper audistis doloribus, opprobriis, passionibus, atque Crucis languoribus,morti denique subiectum, nunc gloriosum resurrexit, & omnibus immortalitatis dotibus, atque prærogatiuis insignitum, subtile, resplendens, impassibile, immortale. Sanctus autem Thom. hoc dicit accidisse triplici ratione.

S.Thom. 3. p.q.14.ar.8. *Triplici ratione accidit Christo claritas Resurrectionis.*

1.

Prima sumitur ab ipso principio gloriæ in anima; videlicet, quod peracto mysterio passionis & mortis, statim anima iam à principio suæ conceptionis gloriosa, per fruitionem perfectam Diuinitatis, in corpus in Resurrectione resumptum suam gloriam deriuauit, vnde gloriosum resurrexit. Ex dispensatione enim factum est ante mortem, vt ab anima non redundaret gloria in corpus, ad hoc vt mysterium Redemptionis nostræ sua passione & morte Christus impleret. Quare peracto statim in illud gloria animæ redundauit; & sic,ait S. Gregorius, ostenditur corpus Christi post Resurrectionem fuisse eiusdem naturæ,sed alterius gloriæ.

S. Greg. hom. 26. in Euang.

2.

Secunda sumitur ex humilitate passionis, qua quidem talem meruit gloriam Resurrectionis. Iohan. 12. dicebat; Nunc anima mea turbata est, (hoc ad passionem pertinet) propterea veni in hanc horam. & subdit statim: Pater clarifica nomen tuum. (in hoc gloriam petit.) Quare venit vox de Cœlo, dicens; Et clarificaui, & iterum clarificabo. Ecce clarificatio. Clarificaui iam in terra in monte Thabor, in gloria Transfigurationis, vbi vox patris intonuit: Hic est filius meus dilectus. Et iterum clarificabo in gloria Resurrectionis, in qua palàm ab omnibus filius Dei agnosceris. Ita vt eiusmodi gloria illi data fuerit ad diuinæ Iustitiæ commendationem, ad quam pertinet illos exaltare qui propter Deum humiliant se.

Ioh.12.

Quia igitur Christus per charitatem & obedientiam se humiliauit vsque ad mortem Crucis, oportebat vt exaltaretur vsque ad gloriam Resurrectionis, vt ex eius persona dicitur in Psalm. Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem, id est, approbasti humilitatem meam in Passione & morte, & similiter glorificationem in Resurrectione.

Ps.138.

3. Ratio gloria Resurrectionis Christi.

Tertia ratio:quia Resurrectio Christi, causa est & exéplar nostræ resurrectionis.Causa; sic Apost. Si Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? quasi inferret, & nos propterea resurgemus. Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit; qui videlicet ideo resurrexit, vt nos resurgeremus: & sic inanis prædicatio nostra esset & fides.Et alibi;Si Spiritus eius qui suscitauit à mortuis IESVM habitat in vobis: qui suscitauit IESVM à mortuis, suscitabit mortalia corpora vestra. Ecce causa.

1.Cor.15.

Resurrectio Christi, causa nostra resurrectionis.

Ità exemplar. Phili.3. Rom.8.

Videamus vt exemplar. Ad Philip. dicit; Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Quos enim præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui: (non quidem minus secundum corpus, quàm secundum animam) vt sit ipse primogenitus in multis fratribus; id est,causa efficiens & exemplaris nostræ resurrectionis tam spiritualis quàm corporalis. Vnde etiam nata est occasio cur Corinthiis Apostolus diceret; Sicut portauimus imaginem hominis terreni, portemus & imaginem cœlestis. Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget spirituale. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Dotes sunt & prærogatiuæ resurrectionis nostræ, quas ex Christi Resurrectione tanquam causa efficiente, & exemplari trahimus.

1.Cor.15.

Recor

Gen. 49. Chriſtus reſurgens Leoni comparatur. Apoc. 5. Recordor hic, in perſona Iudæ Chriſtum in Geneſi Leoni comparari, (quantum ad hoc myſterium.) Iacob benedicens filios ſuos, dicit ad Iudam: Ad prædam fili mi aſcendiſti. Requieſcens accubuiſti vt Leo, quis ſuſcitabit eum? Leo de tribu Iuda Chriſtus eſt: in Crucem aſcendit vt prædaretur, requieuit vt Leo oculis apertis, & viuus in morte, quis ſuſcitabit eum? Deus in illo. Ita vt ſicut ille alter Iudas dux Machabæorum, ſimilis factus ſit Leoni in operibus ſuis. 1. Machab. 3.

Generoſitas Leonis. Et applicatio. Referunt Naturaliſtæ, Leonem adeò liberalem & generoſum eſſe, vt aliis animalibus capturam ſuam & prædam diuidat. Ita fecit Leo noſter Chriſtus in Crucem aſcendens ad prædam, nobis illam partitus eſt, cùm reſurgens nos omnes gloriæ ſuæ ac immortalitatis fecit participes. Præda Chriſti in morte Reſurrectio eſt cum omnibus gloriæ prærogatiuis; & illas dotes per eum omnes conſequimur, qui cauſa eſt & exemplar noſtræ reſurrectionis.

Sed duo adhuc nobis explicanda ſuperſunt, antequam finiamus: cur die tertia Chriſtus reſurrexit, & cur iſte dies Reſurrectionis, Paſcha appelletur.

Cur Chriſtus tertia die reſurrexit. S. Tho. 3. p. q. 53. art. 2. Rationes. Quantum ad primum, poſita neceſſitate Reſurrectionis, ad fidem de veritate diuinitatis & humanitatis Chriſti confirmandam; dicimus cum S. Thom. hoc fuiſſe conueniens multis de cauſis.

Prima eſt, quia ſi diutiùs fuiſſet dilata Reſurrectio, Diuinitas latuiſſet: & ſi citiùs, nullaque interpoſita fuiſſet mora inter mortem & reſurrectionem, non apparuiſſet humanitas. Et ſic neque mors, neque reſurrectio agnita fuiſſet; vnde fuit expediens, ad illarum omnium veritatum confirmationem, vt intra tempus ſufficiens reſurrectio fieret, ad demonſtrandam & veram mortem, & veram reſurrectionem. Ad hoc autem tres dies ſufficiunt.

Aliæ rationes myſteriis plenæ ſunt ſuper hunc ternarium numerum, qui eſt omnis perfectionis initium, progreſſus, & complementum, vt habens principium, medium & finem.

Item, vt per hoc ſignificaretur, quod per reſurrectionem Chriſti, tertium tempus incipiebat. Nam primum fuit ante legem: ſecundum ſub lege: tertium autem ſub gratia.

Item, vt etiam in reſurrectione Chriſti iam demonſtretur incipere ſtatim tertium ſtatum Sanctorum. Nam primus Sanctorum ſtatus fuit ſub figuris legis, Patriarcharum, atque Prophetarum. Secundus ſub veritate fidei Eccleſiæ militantis. Tertius erit in æternitate gloriæ, quam Chriſtus inchoauit.

Denique vt oſtenderetur quia Chriſtus ſua morte corporali, quæ lux eſt propter iuſtitiam & innocentiam, duplicem in nobis mortem deſtruxit: corporis & animæ; pœnæ & culpæ, quæ propter peccatum tenebris comparatur. Et ideo, ait S. Auguſtin. die integra & duabus noctibus permanſit in morte. Ecce dies lucis ſuæ, & duæ noctes mortis noſtræ. S. Aug. 4. de Trinit.

Hoc modo circa diluculum reſurrexiſſe Chriſtus dicitur die iam illuceſcente, ad ſignificandum quod per reſurrectionem de tenebris nos ad lucem, & de morte ad vitam vocabat.

Cur dies Reſurrectionis, Paſcha dicitur. Nunc quantum ad ſecundum & vltimum dicamus, cur dies iſte Reſurrectionis, Paſcha nominatur. Paſcha tranſitum ſignificat. Ideóque hic dies Paſcha dicitur, quia Chriſto extitit à morte tran-

A ſitus ad vitam, & de paſſionibus ad gloriam: vt etiam & nos diſcamus quia hodie noſtrum ſtatum mutare debemus; à vetuſtate noſtra tranſire ad nouitatem vitæ; à vitiis ad virtutes; à peccatis ad gratiam, & de morte ad vitam. Chriſtus traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum concupiſcentiis, ait Apoſtolus. & alibi: Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Ita & vos exiſtimate mortuos eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto IESV Domino. Gal. 5. Rom. 6.

Quid ergo? peccabimus? abſit. Moneo itaque vos cum S. Ambroſio, vt ritè Paſcha celebretis, id B eſt, tranſitum faciatis de peccato ad gratiam, & de morte ad vitam & immortalem reſurrectionem, id eſt, cum Apoſtolo, vt quemadmodum Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & vos in nouitate vitæ ambuletis. S. Ambroſ. Ser. de Paſc.

Hæc ſunt quidem indicia ex Apoſt. Si conſurrexiſtis cum Chriſto. Quæ ſurſum ſunt, quærite, quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram. Hæc ſunt indicia. Si cum ſanctis mulieribus valde manè ad quærendum Dominum exeatis: ſi iuxta Crucem & monumentum Domini ſtetis; ſi ploretis, obſtacula frangatis, introëatis, odorem vnguentorum, id eſt, bonorum operum afferatis, & effundatis. Tunc enim non ſolùm viſione Angelorum C gaudebitis; ſed conſpectu & præſentia Domini, & cum eo tandem reſurgere, viuere, & regnare digni in æternum eritis. Coloſſ. 3.

DE NECESSITATE Crucis ad gloriam Reſurrectionis.

Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Luc. 24.

NVLLVS eſt ſtatus vitæ in Chriſto IESV, qui D non ſit in nobis principium vitæ, cauſa gratiæ, origo gloriæ. In ipſo, inquit S. Iohan. vita erat, & quod factum eſt in ipſo, vita erat, vita nobis. Ita vt omnia ipſius myſteria, & ſtatus, nobis vitam in gratia communicauerint. Incarnatio ipſius communicauit nobis, & manſio eius nouem menſibus in vtero Virginis: Natiuitas, atque omnis infantia: Circunciſio eius & præſentatio in Templo: fuga in Ægyptum, & ibi manſio: omnis vita eius abſcondita & conuerſatio in mundo: reuelatio majeſtatis diuinæ, prædicatione atque miraculis: tentatio in deſerto: denique ipſa paſſio & myſterium mortis. Hæc omnia, inquam, vitam gratiæ communicauerunt nobis. Ioh. 1. In omni ſtatu vitæ Chriſti, nobis gratia communicatur.

E Si autem quilibet horum ſtatuum potens ſit operari in nobis eiuſmodi vitam; maximè ille qui longiſſimus fuit in terra, & diutiùs perſeuerauit. Qualis eſt ſtatus paſſibilitatis & Crucis. Iſte enim inter omnes permanens fuit, & in omni curſu & alio ſtatu vitæ eius, excepto duntaxat illo exiguo tempore ſuæ Transfigurationis in monte Thabor (vbi adhuc ſermo erat de exceſſu mortis, quem completurus erat in Hieruſalem.) Status permanens vitæ Chriſti in terra, eſt ſtatus paſſibilitatis.

Cæteri omnes vitæ Chriſti ſtatus fuerunt quidem, præter iſtum, breuis interualli & durationis: ſicut ſtatus nouem menſium in vtero ſanctiſſimæ Matris. Item ſtatus infantiæ,

qui tantùm per quatuor, quinque, aut sex annos durauit. Status vitæ absconditæ vsque ad triginta annos: prædicationis in mundo trium annorum spatio, &c. vbi è contrario iste passibilitatis suæ, & Crucis, omni tempore, quo in terra fuit, durauit, atque etiam ad omnes alios eius vitæ status se extendit. In infantia enim, conuersatione, vita abscondita, & prædicatione, Crux semper, & passibilitas fuit: quousque mortem patiendo, vitam finiuit. In infirmitate natus est, vixit in humilitate, mortuus est in passionibus multis.

Passibilitas Christi ad omnes status vitæ eius se extendit.

Verùm vt meliùs comprehendatur magnitudo, & excellentia huiusce status, quid sit Deus scire oporteret, quid sit gloria, & quid sit Dei gloria. Vnde sicut pauca scimus de istis, sic etiam cōprehendere satis non possumus, & dicere quid sit ille admirabilis, & continuus in Christo passibilitatis status, qui cum statu eius gloriæ inuentus est. Hoc etiam mirum est, quòd in Christo illi duo status simul permanserunt, status gloriæ, & status passibilitatis. Adeò vt dum fruitur gloria suæ diuinitatis, & immortalitatis, dicat: Tristis est anima mea vsque ad mortem Crucis: dum est in æterna requie, inueniatur fatigatus ex itinere: dum est denique in perfecta & necessaria possessione vitæ, illam vi tormentorum cogatur, subiiciens se illis & voluntariè assumens, dimittere; & sic noluerit sine passione in gloriam suam intrare.

Duo status permanentes in Christo, passibilitatis & gloriæ.

Sic enim hodie discipulis euntibus in Castellum nomine Emmaus, & de his quæ Ierosolymis acciderant adinuicem loquentibus, ipse IESVS appropinquans interpretabatur in omnibus scripturis quæ de ipso erant; & dicebat illis: *O tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Hæc in Christo mira est passionis simul cum gloria coniunctio. Gloria semper debetur Christo, non autem passio; & tamen gloriæ suæ passionem coniunxit, & dicam amplius, per passionem in gloriam suam intrauit.

Quod verò debetur nobis, passio est, & non gloria. Vnde gloriam in Christo velle & amare debemus; nobis autem passionem, quæ ad nos spectat & propria est, & quidem adhuc necessaria ad gloriam. Oportuit Christum pati: sic & nos; & ita intrare in gloriam. Si compatimur, & conregnabimus: per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei, ait Apostolus in Actis. Regnum cœlorum vim patitur. Matth. 11.

Duo sunt quæ desiderare tantùm in hoc mundo debemus: amare Deum, & pro eo pati, iuxta quod officia animæ erga Deum in hisce duobus punctis consistunt, agere & pati. Fidelitas autem maior est in patiendo quàm in agendo: secundùm quod via passionum difficilior est, & per consequens sublimior, atque Deo gratior. Tempus datur ac terra vt patiamur, æternitas & cœlum vt perfruamur.

Duo officia animæ erga Deum.

Duo sunt status qui summè Deum honorant, & ei reddunt gloriam, status Cœli & terræ. In Cœli statu, ipsa gloria gloriam reddit Deo, & ibi non est Crux, sed omnis laus & gloria, pax summa, & æterna requies. In cœlestibus regnis Sanctorum habitatio est, canit Ecclesia, & in æternum requies eorum: lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt. Et in Apocalypsi: Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt. Hæc dixit qui sedebat in throno. Ecce noua facio omnia. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vicerit, possidebit hæc; & ero illi Deus, & ille erit mihi filius: videlicet vt iam æternorum meorum hæres sit gaudiorum.

Duo status in quib. Deus summè honoratur.

Status cœli & gloriæ.

Apoc. 21.

O beati qui habitant in domo tua Domine. In sæcula sæculorum laudabunt te. Sicut enim lætantium omnium habitatio est in te, lætantium de te, cuius aspectus est delectabilis ad videndum; præsentia suauis ad habendum; possessio dulcis ad perfruendum; habitatio denique lætantium de bonis tuis, sicut dicit Dauid; Replebimur in bonis domus tuæ. Quæ est illa domus in qua est talis repletio? Paradisus Sanctorum habitatio, atque lætantium, Paradisus in quo Sancti ardent igne Deo, lucent & illuminantur luce Deo; in quo denique omni deliciarum genere perfruuntur. In gustu, cùm ait Dauid; Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, &c. In visu, iuxta quod Isaias dicit: Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur. In auditu, ex Apocalypsi 19. vbi; Vox exiuit de throno dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, & qui timetis Deum, pusilli & magni. Et audiui quasi vocem dicentium Alleluya, quoniam regnauit Dominus Deus noster (resurrexit,) gaudeamus, & demus gloriam ei. Ecce qualis est status Cœli in quo gloria gloriam Deo reddit, in quo nulla est Crux, sed quies & omnis abundātia boni.

Ps. 64.

Ps. 35.

Isa. 53.

Apoc. 19.

E contrà, in terra status qui Deo gloriam reddit, (& hic est secundus) Crux est, non gloria. Primum Dei consilium erat, ante hominis peccatum, ipsum de Paradiso introducere in Paradisum, de Paradiso deliciarum, atque voluptatis terræ, in Paradisum æternitatis & gloriæ; & sic de fœlici domicilio terræ, transferre in æternam cœlorum requiem. Vnde primò ipsum hominem posuit in illo Paradiso voluptatis, quem ab initio plantauerat in medio terræ, vt ibi primò afflueret deliciis, si iustitiam seruaret, & inde postea ad gaudia æterna transiret.

Status terræ & Crucis.

Admirabile Dei consilium super hominem.

Sed vbi peccatum accidit, & per hominem in orbem terrarum intrauit; statim etiam mutauit suum consilium Deus, & aliter statuit quàm antè: videlicet, & hominem eiicere de Paradiso terræ, & ipsum ad cœlum per Crucem, & non amplius per gloriam reducere. Vnde statim eiectus iussus est de laboribus suis comedere, & in sudore vultus sui vesci pane suo; vt quidem sciret inde, quia modò illi daretur terra & tempus ad patiendum: & quia via ad gloriam Crux erat. Quare etiam grauiter fallimur si aliam viam in terra sequimur, & glorificandi Deum, & perueniendi ad gloriam; cùm ipse adhuc illam viam tenuerit ex quo venit in mundum. *Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?*

Gen 3.

Cœlum datur ad fruendum, terra autem ad patiendum. Dei filius in terra Crucem portauit, mortem Crucis passus est, per Crucem Deum Patrem summè honorauit, & intrauit per eam in gloriam suam. Quanto magis igitur nos? Et quæso quid præcessit in Christo gloriam Resurrectionis, nisi mors & passio Crucis? Igitur si velimus resurgere ad vitam, necesse est antè sustinere Crucem, & dicere cum Apostolo: Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

Christus per Crucem gloriam dedit Deo Patri.

Gal. 6.

In hoc

S. Bern. In hoc mundo, inquit S. Bernardus, quasi in A stadio certaminis positi sumus vbi Christus mortuus est. Qui ergo liuorem, vel plagam hic non susceperit, in futuro iudicio miles inglorius apparebit, quia non decet sub spinoso capite delicatum nutrire corpus. *Quomodo in Cruce Christo debeamus conformes fieri.* Membra sumus omnes Christi: omnes ergo conformes simus nostro capiti. Si cum ipso resurgere & regnare velimus; à ligno Crucis regnauit Deus, oportuit Christum pati, &c. Ita & nos, vt per Crucem regnemus. Rom. 6. Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris. Ita & nos à mortuis resurgamus, vt in nouitate vitæ ambulemus. 1 Cor. 5. Insipiens tu, quod seminas non viuificatur, nisi priùs moriatur. Audi parabolam dicentis; Ioh. 12. Nisi granum cadens in terram mortuum B fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert: Itaque vis tu afferre multum fructum resurrectionis, & comparare tibi dotes immortalitatis? vt moriaris prius necesse est, & portes iugiter in terra mortificationem Crucis. Mors enim resurrectionem præcedit. Et si quod in nobis est signum resurrectionis, in hoc maximè est si moriamur peccatis. Iuxta quod Apostolus dicit quia Christus traditus Rom. 4. est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.

Exemplar nostræ mortis & resurrectionis Christus est. Propterea dicit S. Gregorius. Redemptor S. Greg. 14. moral. cap. 94. noster sustinuit mortem, ne mori timeamus: ostēdit resurrectionem, vt nos resurgere posse consideremus. Phil. 3. Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesvm Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

S. Aug. Ser. de Pasch. Refert S. Augustinus de Panthera, quod si triduo dormit, ita suauem de ore emittit odorem cùm surgit, vt attrahat post se cuncta animalia quæ suum odorem persentiunt. Ita quidem est de Christo post triduum suæ mortis & dormitionis in sepulchro; tantum odorem gloriæ & immortalis vitæ sparsit, cùm resurrexit, vt nos omnes post se, ad exemplum & formam nouæ vitæ attraxerit: & præterea spem dederit & formam futuræ nostræ resurrectionis. Modò equidem participes simus ipsius Crucis, per quam Deum glorificare tantùm in terra possumus, & nos gloriari in illa, sicut Apostolus dicit; Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesv Christi. De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesv in corpore meo porto.

Quomodo in Cruce inueniantur omnia de quib. homines solēt gloriari. Ecce quidem in quo omnem suam gloriam collocat Apostolus. Nam, vt S. Augustinus dicit, vnusquisque in ea re gloriatur per quam reputatur magnus. Sic qui putat se magnum in diuitiis, gloriatur in illis: & sic de aliis. Eo igitur modo Apostolus, & omnis alius imitator Christi, qui omnem suum thesaurum in Cruce agnoscit, quia in illa se magnum reputat, propterea etiam gloriatur in illa: in qua vt in thesauro omnia inuenit de quibus homines solent gloriari.

Aliqui de amicitia Principum gloriantur; in Cruce autem maiorem dilectionem inuenit, cùm ait: Rom. 5. Commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.

Alij gloriantur in scientia; illa autem omnium est maxima in Cruce, vbi totius legis est perfectio, & ars bene viuendi omnibus: vnde S. Paul. ad Corinth. dicit; 1. Cor. 2. Non æstimaui me aliquid scire nisi Iesvm Christum, & hunc crucifixum.

Alij de potentia; illa autem summa est in Cruce, eodem dicente: 1. Cor. 1. Verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salui fiunt, virtus Dei.

Alij de libertate; & illam in Cruce comparasse rursus gloriatur Apostolus, dicens quod vetus Rom. 6. homo noster simul cum Christo crucifixus est, vt non vltrà seruiamus peccato.

Denique alij de honore gloriantur & gloria; & in nulla alia re quàm in Cruce honores inuenit Apostolus, dicens; Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesv Christi. Quod enim in me mortuum est, mundus est. Quod autem in me viuit, Christus est. Ecce gloria & triumphus Crucis. Quod in terra gloriam Deo reddit, Crux est, non gloria. *Oportuit Christum pati*, &c.

Ecclesia pax suos Martyres habet. Dicetis autem quia persecutionis tempus finem accepit, & non est amplius in Ecclesia sermo de martyrio & de passione Crucis. Sed cum S. Leone respondebo, S. Leo Ser. 9. in Quadrag. quia nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit obseruantia pietatis. 2. Timot. 3. Qui piè viuere volunt in Christo, persecutionem patientur: & quidem vndique patientur; à dæmone, cui mille nocendi artes; ab hominibus & concupiscentiis, vt Sanctus Iacobus ait: S. Iacob. 4. Vnde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris ve- C stris?

Propterea dixit S. August. S. Aug. Ser. 32. de Sanctis. Tota vita Christiani hominis si secundum Euangelium sit, Crux est & martyrium. Nemo dicat quod temporibus nostris martyrum certamina esse non possunt, habet enim pax nostra martyres suos. Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, iustitiam custodire, auaritiam contemnere, superbiam humiliare, magna pars martyrij est. Crux enim Domini non tantùm illa dicitur quæ Passionis tempore ligni affixione construitur, sed illa quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur, de qua mihi videtur Saluator dixisse: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suam, & sequatur me.

D Numquid enim omnes martyres qui sequuti sunt Dominum, crucifixi sunt cum eo? Numquid omnes Virgines quæ sequutæ sunt Agnum, crucifixæ sunt vt sequantur? Numquid Paulus crucifixus erat cùm dicebat; Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini mei Iesv Christi? Hæc verò dixit vt intelligas Crucem non esse ligni patibulum, sed vitæ virtutisque propositum.

Ecce itaque ex S. Augustino conueniens, præsens & optima occasio martyrij, propositum virtutis. Sic Hebr. 11. dixit Apostolus de omnibus iustis, Hebr. 11. quia per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.

Pudeat nos, quod Plato apud Macrob. agnouerit duplicem mortem hominis: Macrob. lib. 1. de somnio Scipionis. *Duplex mors hominis ex Platone.* E vnam dicebat naturam præstare; alteram virtutes. Virtus igitur proposita istis Philosophis & sæculi sapientibus, occasio erat mortis cuiusdam propriæ illis. Quanto autem magis nobis, qui discipuli sumus Christi, & sectatores Crucis, debet Crux esse & genus martyrij, propositum virtutis? Christiani vita si sit secundum Euangelium, Crux est continua; habet enim pax nostra martyres suos.

In quatuor Crux ista consistit. Verùm in tribus aut quatuor consistit illud martyrij genus. 1. Primò, in pœnitentia & dolore continuo de peccatis. Iuxta quod ipse Dominus

 dixit

dixit quod à diebus Ioannis, qui pœnitentiam A prædicauit, Regnum cælorum vim patitur.

2. Secundò, in compassione etiam, & tristitia animi de peccatis alienis; & illa Crux iustorum est, qui certè multum & non parum ex peccatis mundi patiuntur, iuxta quod dicebat Dauid Psal. 118. Vidi præuaricantes, & tabescebam.

3. Tertiò, in perfecta renunciatione omnium, qua aliqui abnegatione voluntatis & vitæ, & consequenter omnium inferiorum, Christum testantur, si non potuerunt sanguine. Martyr Græcè, dicitur Latinè testis: sic enim qui in sanguine suo Christi testes fuêre, Martyres dicti sunt. Ita certè est de illis qui amore Christi omnia reliquerunt, & ipsam vitam quantum ad vsum & proprietatem, dicuntur B Martyres, quia de se perfectum Deo holocaustum faciunt.

Differentia inter holocaustum & sacrificium. Inter sacrificium, & holocaustum, istud est discrimen, quod in holocausto totum offertur Deo consumptum igne, nihilque ex eo reseruatur vsui sacrificatoris: in sacrificio è contra; pars enim aliqua remanet pro vsu & vita eius qui sacrificat. Sic qui accensus igne diuini amoris omnia Deo offert, holocaustum facit præstantissimum martyrij genus, in corpore suo mortificationem IESV Christi semper circumferens, vt vita IESV manifestetur in illo: in spiritu verò interitum vitæ & cupiditatum omnium, vt vita ipsius remaneat perfectiùs abscondita cum Christo in Deo. Qui autem facit sacrificium, hic est qui in mundo iustè viuit, qui retinens vsum vitæ suæ & bonorum, in obsequium Christi impendit.

Quartò denique qui de bonis suis eleemosynas 4. facit & pietatis opera, qui vigiliis & orationibus vacat, tribulationem cum gratiarum actione sustinet: & vt piè viuat in Christo, persecutionem patitur, atque sic beatus suffert tentationẽ, vt accipiat coronã vitæ, quã repromisit Deus diligentibus se.

Ad laudem & gloriam Dei Opt. Max. & IESV Christi Domini nostri.

Laus Deiparæ Virgini.

OPVS
QVADRAGESIMALE
DE CONVERSIONE PECCATORIS AD CHRISTVM.

CONVERSIO PECCATORIS AD IESVM CHRISTVM.

IN QVADRAGESIMA.

Venit IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens; quoniam impletum est tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.* Marci 1.

FERIA QVARTA CINERVM.

DE FVGA PECCATI, ET DE POENITENTIÆ lacrymis, cum cinerum aspersione.

Tu autem cùm ieiunas, faciem tuam laua. Matth. 6.

NON potuit infinitus Dei amor amplius nobis commendari à Domino IESV Christo, quàm cùm Nicodemo dixit: Sic Deus dilexit mundũ, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. (Ioh. 3.) Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. (Finis aduentus Christi.) Talis est Incarnationis finis & Dominici aduentus, animarum conuersio & salus. Sic electus Christi Apostolus ad Timoth. (1. Tim. 1.) Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus IESVS venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Quibus verbis satis adhuc admonemur, quatenus deponentes peccatum circunstans, debeamus nos ad ipsum conuertere, si velimus veraciter illuminari, purgari, & ab omni cæcitate & fœditate cordis liberari. Satis est, satis est, vt finem nunc imponamus concupiscentiis nostris. (Isa. 55. Ioel. 2.) Derelinquat impius viam suam, & reuertatur ad Dominum, ait Isaias. Similis & quotidiana exhortatio est quæ hoc tempore in Ecclesia fit, iuxta Ioëlem Prophetam, vbi. Nunc dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde, in ieiunio & fletu; conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est. Canite tu Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, coadunate senes & paruulos, sanctificate Ecclesiam. Inter vestibulum & Altare plorabunt Sa- A cerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo.

Satis, satis vobis est, ô Christiani, à Deo tandiu vos fuisse auersos, sufficiat vobis, nunc ad ipsum reuertendi tempus est. *Venit* IESVS, ait S. Marc. Euangelista, *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.* Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra, sed ea scindite, & non vestimenta vestra, & conuertimini. Ecce enim tempus acceptabile, & dies salutis. Occasionem omnes accipite. Ecce Dominus IESVS venit prædicans, & dicens, pœnitemini, & credite Euangelio. Duæ illæ sunt viæ nostræ conuersionis, pœnitentia & fides. (*Duæ viæ nostræ conuersionis, pœnitentia & fides.*) B Viæ Domini, viæ rectæ, & omnes semitæ eius pacificæ.

Peccatum auerterat nos à Deo, & in omnium malorum profunda demerserat. De quantis heu bonis in quanta mala cecidimus! Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Fecisti nos ad te Domine, & inquietum est cor nostrum, donec conquiescat in te. Itaque omnino necessarium est diutiùs conuersionem nostram non differre. Nunc enim propior est nostra salus quàm cùm credidimus: vbi & tempus & prędicatio Christi ad pœnitentiam nos vrget. Verùm C vt ad hoc fortiùs animemur, multum proderit miseriæ nostræ præsentem statum cernere, & quid olim à primo ortu nostro fuimus, manuum & consilij Dei eximium opus, ipsique præ omnibus charum, &, vt nihil taceam, diuinitatis imago: nunc autem per peccatũ artificiũ diaboli & similitudo.

S.Bern.



CONVERSIO PECCATORIS AD IESVM CHRISTVM.

IN QVADRAGESIMA.

Venit IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens; quoniam impletum est tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.* Marci 1.

FERIA QVARTA CINERVM.

DE FVGA PECCATI, ET DE POENITENTIÆ lacrymis, cum cinerum aspersione.

Tu autem cùm ieiunas, faciem tuam laua. Matth. 6.



ON potuit infinitus Dei amor amplius nobis commendari à Domino IESV Christo, quàm cùm Nicodemo dixit: Sic Deus dilexit mundũ, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. (Ioh. 3.) Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. (*Finis aduentus Christi.*) Talis est Incarnationis finis & Dominici aduentus, animarum conuersio & salus. Sic electus Christi Apostolus ad Timoth. (1. Tim. 1.) Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus IESVS venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Quibus verbis satis adhuc admonemur, quatenus deponentes peccatum circunstans, debeamus nos ad ipsum conuertere, si velimus veraciter illuminari, purgari, & ab omni cæcitate & fœditate cordis liberari. Satis est, satis est, vt finem nunc imponamus concupiscentiis nostris. (Isa. 55. Ioel. 2.) Derelinquat impius viam suam, & reuertatur ad Dominum, ait Isaias. Similis & quotidiana exhortatio est quæ hoc tempore in Ecclesia fit, iuxta Ioëlem Prophetam, vbi. Nunc dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde, in ieiunio & fletu; conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est. Canite tu Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, coadunate senes & paruulos, sanctificate Ecclesiam. Inter vestibulum & Altare plorabunt Sa- A cerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo.

Satis, satis vobis est, ô Christiani, à Deo tandiu vos fuisse auersos, sufficiat vobis, nunc ad ipsum reuertendi tempus est. *Venit* IESVS, ait S. Marc. Euangelista, *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.* Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra, sed ea scindite, & non vestimenta vestra, & conuertimini. Ecce enim tempus acceptabile, & dies salutis. Occasionem omnes accipite. Ecce Dominus IESVS venit prædicans, & dicens, pœnitemini, & credite Euangelio. Duæ illæ sunt viæ nostræ conuersionis, pœnitentia & fides. (*Duæ viæ nostræ conuersionis, pœnitentia & fides.*) B Viæ Domini, viæ rectæ, & omnes semitæ eius pacificæ.

Peccatum auerterat nos à Deo, & in omnium malorum profunda demerserat. De quantis heu bonis in quanta mala cecidimus! Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Fecisti nos ad te Domine, & inquietum est cor nostrum, donec conquiescat in te. Itaque omnino necessarium est diutiùs conuersionem nostram non differre. Nunc enim propior est nostra salus quàm cùm credidimus: vbi & tempus & prædicatio Christi ad pœnitentiam nos vrget. C Verùm vt ad hoc fortiùs animemur, multum proderit miseriæ nostræ præsentem statum cernere, & quid olim à primo ortu nostro fuimus, manuum & consilij Dei eximium opus, ipsique præ omnibus charum, &, vt nihil taceam, diuinitatis imago: nunc autem per peccatũ artificiũ diaboli & similitudo.

S. Bern.

S. Bern. in Cantic. S. Bern. illa verba explicans; *Homo cùm in honore esset non intellexit*. In quo honore, inquit, habitabat? In paradiso & in loco voluptatis. Conuersatio eius nihil molestiæ & indigentiæ sentiebat: fulcitus floribus, gloria & honore coronatus, & constitutus super opera manuum plasmatoris: magis autem ob insigne diuinæ similitudinis præcellebat, cui erat sors ac societas cum plebe Angelorum. Sed heu! quia non intellexit, mutauit istam gloriam in similitudinem vituli comedentis fœnum, terram affectantis. Et lib. de primordiis & nouissimis nostris. Erubesce quod pro consortio Angelorum, pecorum sortitus es consortium, & ab illa gloria filiorum Dei deposuisti temetipsum, nunc comparatus iumentis, & factus similis illis.

S. Chrysost. homil. in Ascens. S. Chrysost. Peius est comparari quàm nasci. Naturaliter rationem non habere, tolerabile est: sed hominem ratione decoratum, irrationabili naturæ comparari, voluntatis crimen intolerabile est. Homo cùm in honore & in tanto honore esset.

Diuersimodè honor hominis consideratur. Honor à fine, qui Deus est: honor ab imagine & similitudine, quæ Dei est. Ita vt si in eo integra remaneret, statim Deus se ei plenissimè communicaret, non enim potest non amare suam Deus imaginem. Honor à consilio & modo creationis.

Tertull. lib. 2. aduersus Marcioné. Tertull. sic aduersus Marcion. In creatione hominis non est vsus Deus imperiali verbo, vt fecerat in aliis, videlicet, fiat; sed blandiente, quasi cum magno consilio accederet ad creandum eum, ait, faciamus hominem.

Hugo Victorin. in Didasc. lib. 1. Honor ab imperio & supremo in omnes creaturas dominio; faciamus vt præsit. O homo, mundus tibi dicit, ait Victorinus Hugo, vide quomodo amauit te qui fecit me propter te. Seruio tibi, quia factus sum propter te, sed vt seruias illi qui fecit & me & te, me propter te, & te propter se; si sentis beneficium, redde debitum. Dictum est cuidam, accipe, redde, caue; accipe beneficium, redde debitum; alioquin caue ne puniaris in æternum.

S. Chrysost. super S. Matth. Honor ab auxiliis. S. Chrysost. super Matth. Omnem creaturam sensibilem Deus armatam creauit, & munitam suis viribus: hominem solum sic disposuit, vt virtus illius sit ipse Deus. Atque in eo quo inferiorem eum fecit, in ipso fortiorem esse voluit in se, vt necessitate infirmitatis coactus semper necesse habeat Dominum suum requirere.

Quis non miretur eius gloriam ex istis? Verùm quis non stupebit magis vniuersam eius per peccatum fecisse iacturam, per quod & à fine, & ab imagine, & à blanditiis, & ab imperio, & ab auxiliis cecidit? O deplorandum facinus! Memento homo quia cinis es, &c. Tristis mutationis nostræ

Cinis egregiè hominem repræsentat. pulchra similitudo illa est. Cinis primùm fuit arbor, referta frondibus, aut aliud quidpiam simile gratum oculis: postea igne in puluerem versum vento agitandum. Et tu memento homo quia cinis es, &c. Eras aliquando honore indutus & gloria, & in paradiso Dei, arboris vitæ speciem referebas, plantatus in horto voluptatis, & in atriis domus eius. Nunc autem consumptus morte in puluerem conuerteris. Memento homo quia cinis es, & in cinerem demum reuerteris. Vbi est decor tuus, gloria & virtus? Memento homo quia cinis es.

Cinis colorem habet admodum tristem, gustum amarum, & statum instabilem. Talis est conditio nostra orta ex peccato. Cineres sumus infirmi, instabiles, teste Dauid, qui ait; Recordatus est quoniam puluis sumus, homo sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri. S. Greg. super illud Iob. Ps. 102. S. Gregor.

A *contra folium quod vento rapitur*. Homo, inquit, fœnum est & folium, quia in paradiso ab arbore cecidit, folium quod tentationibus rapitur, desideriis leuatur, quasi diceret, nihil infirmius: & tamen, ô Domine, potentiam tuam contra hoc folium ostendis. Iob. 13.

Item cineres sunt obscuri, tristes, & amari. De amaritudine gustauerat qui dicebat: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Item qui dicebat: Panem meum tanquam cinerem manducabam. Obscuritatem agnouerat qui dicebat; Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Sed & aliter experiuntur eam, qui miserè in profundum & obscurum Inferni delapsi sunt, & in tenebras exteriores missi, B manibus pedibúsque ligatis.

O vos adhuc viuentes illuc descendite, & cognoscetis quàm tristis, amara, & horribilis sit facies peccati in damnatis. Apud Ierem. Denigrata est facies eorum super carbones, & non sunt cogniti in plateis. Vnde hoc? quia tenebræ ibi, horror & confusio. Quænam enim est in illis causa & ratio deformitatis? Peccatum. Thren. 4.

Verùm de profundo isto si ad cor peccati redeatis, nihil minus horribile videbitis. Primò inuenietis in eo gratiam penitus ad nihilum redactam: secundò, animam in cineres: & tertiò denique etiam in Infernum conuersam, vt Sap. ait; Cinis est cor eius, & luto vilior vita eius: & in Apocal. de Babylone dicitur quod facta sit habitatio C dæmoniorum. En igitur quomodo denigrata est super carbones facies eius. Sap. 15. Apoc. 18.

Quare nobis hodie lauacrum pœnitentiæ ex lacrymis nostris, & cinere conficiendum est. Aquæ lauant, cineres tergunt; his remediis, & ieiunio debet componi & construi piscina nostra spiritualis. *Et tu cùm ieiunas*, dicit hodie Christus, *faciem tuam laua*, videlicet conscientiam. Quibus aquis? Audi psalmistam; Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. *Quibus componi debeat pœnitentiæ lauacrum.* Ps. 6.

Sed quid præterea addes? Cineres. Memento homo quia cinis es & puluis, & quia de limo terræ D formatus, in terram reuerteris. De eiusmodi cinere & lacrymis Iob dicebat: Operui cinere carnem meam, & facies mea intumuit à fletu. Item de Esther dicitur, quod Regina illa vestimenta apta & conuenientia fletibus suscepit, & pro vnguentis variis & pretiosis, cinere impleuit caput, & humiliauit corpus suum ieiuniis. Iob. 16. Esther. 1.

Antiquitus cineris aspersio signum erat fletus & tristitiæ. Sic hodie in Ecclesia signum est pœnitétiæ, & doloris in purgationem animæ. Figura in cinere vitulæ erat, de qua Hebr. 9. Cinis vitulæ aspersus inquinatos purificat ad emundationem carnis. Vnde de Sacerdotibus Iudith. 4. dicitur, quod præcincti ciliciis offerebant sacrificia coram Domino, & erat cinis super caput ipsorum. E Et de virginibus Ierusalem apud Ieremiam, quod consperserunt cinere capita sua virgines, accinctæ sunt ciliciis. Et de eo qui pœnitentiam agit, Iob ait; Ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in cinere. & Daniel: Posui faciem meam ad Dominum rogare, & deprecari in ieiunio, sacco & cinere. Denique & de iustis, vt excipiatur nullus, Num. 19. Colliget vir mundus cineres, & effundet in loco purissimo. Sic in Leuitico præcipiebatur, cinerem qui de Altari mouebatur, reponi in loco mundo ad Orientem. *Cinis tristitiæ signũ erat, & est hodie in pœnitentia aspersio. Figura.* Heb. 9. Iudith. 4. Thren. 1. Iob. 42. Dan. 9. Num. 19. Leu. 6.

Sic igitur in corde nostro iugiter cineres peccatorum nostrorum reseruare debemus, vt ex illis motti

Ioël 2.

mortificemus facta carnis. Hodiéque præsertim ieiunium nostrum sanctificemus, vt in Ioële dicitur: Sanctificate ieiunium, sanctificate Ecclesiam, &c. Quidnam est istud, sanctificare ieiunium, nisi castigare membra ieiuniis, & animas virtutibus saginare? Ieiunij causa sancta velle, iusta facere, iniqua vitare?

S. Aug. lib. 50. hom.

Sanctificat ille ieiunium, dicit S. August. cuius cor neque adulatio amicorum, neque parentum gratia, neque seruientium munera à recto tramite auertunt. Item cuius iustitia pretio non vilescit. Item qui flammas iracundiæ mansuetudine restringit. Item qui oculos à turpi aspectu auertit. Qui conuitia patientiæ scuto dispergit. Qui inopias egenorum pro quantitate suæ substantiæ consolatur. Qui præceptis diuinis intentus, diabolica à suo corde respuit tentamenta. Nihil enim prodest (& notate,) tempora ieiunandi custodire, & legem non tenere ieiunij. Vis vt tibi prosit? simul cum ieiunio abstine à vitiis. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite peruersè agere, & discite bene facere, &c.

DE MISERA SERVITUTE peccati.

Puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Matth. 8.

Venit IESVS *dicens, pœnitemini, & credite Euangelio.* Marc. 1.

Duo remedia aduersus peccatum.
1. Pœnitentia.
S. Aug. serm. 181. explicās 54. Isaiæ.

DVo sunt simul iuncta remedia aduersus peccatum, pœnitentia & fides in IESVM Christum. S. August. explicans illa verba Isaiæ, *Deus appropians ego sum*, sic de pœnitentia loquitur dicens. Non perseueremus in malis, non reconciliationem desperemus, sed dicamus, redeamus & approximemus Deo: ipse enim dicit, Deus appropians ego sum. Numquam, crede, auersabitur ad se conuersum. Et si peccata sunt, quæ nos à Deo separant, auferamus media ista obstacula. Donec sumus in hac vita, quantacunque nobis acciderint peccata, possibile est omnia ablui per pœnitentiam. Numquam Deus pœnitentiam spernit, si ei sincerè & simpliciter offeratur, suscipit libenter, amplectitur; qualemcunque & quamlibet breui gestam non respuit, pro pœnitentia omnia facit. Magna est virtus eius, quæ Deum ita ad se pertrahit, in piissimum patrem conuertit, & in Euangelio Christi cunctis prædicatur in remissionem peccatorum. Vnde etiam in aduentu filij Dei, ipsa est quæ præiuit ante faciem eius; vt de Baptista præcursore dicitur quod venit prædicans in deserto baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum, & dicens; Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum, sicut de eo prædixerat pater eius Zacharias in cantico suo dicens: Et tu puer propheta altissimi præibis ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum.

Matth. 3. & Marc. 1.

Pœnitentia, scientia salutis.

Quænam est illa salutis scientia? vtique pœnitentia, præparatrix viarum Domini: & quæ in Euangelio eius primùm debebat prædicari, vt duobus Discipulis ipse in Scripturis explicabat, quia sic oportebat Christum pati, resurgere à mor-

Luc. vlt.

A tuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes. Adeò vt quod primum in exordio Euangelij poni debeat, pœnitentia sit: sic enim ipse exorsus est, vt notauit S. Marc. Euangelista dicens; *Venit* IESVS *prædicans, &c. pœnitemini & credite Euangelio.*

Secūdum remediū, fides in Christum.
Actor. 10.

Ecce remedium secundum iunctum priori, fides in Christum, iuncta pœnitentiæ: Credite, &c. Sic S. Petrus in Actis Cornelium docebat, de Christo dicens quod huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Sic Rom. 3. Apost. quod iustitia Dei est per fidem IESV Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum. Adeò vt S. Iohannes dixerit: Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se, & hoc est testimoniū, quoniam vitam æternā dedit nobis Deus in filio eius. Hæc est victoria quæ vincit mundum, quæ vincit peccatum, fides nostra; qua nempe credentes in Christum, & quoniam est filius Dei, etiam filij Dei sumus. Dedit enim potestatem hanc filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Omnisque qui credit quoniam IESVS est Christus, ex Deo natus est. Omnis autem qui natus est ex Deo, ex eiusdem Epist. cap. 3. peccatum non facit, quia in eo manet, & sic non peccat: nam qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. Hæc est victoria quæ vincit peccatum, fides nostra. Atque in hoc, ait S. Iohannes, apparuit filius Dei, in carne apparuit, vt dissoluat opera diaboli, videlicet vt peccata nostra tolleret, ipsa enim sunt opera diaboli. Et qui facit peccatum ex diabolo est, inquit S. Iohannes. Ipsius enim opus est, quoniam ab initio peccat, neque aliud scit quàm peccare, & ad peccatum alios inducere.

Rom. 3.
B
1. Ioh. 5.
1. Ioh. 3.
C

Verùm vt hoc dissoluat opus, venit, & in mundo apparuit Dei filius. *Venit* IESVS *prædicans Euāgelium regni Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.* Credidit Centurio, & meruit curationem serui sui; & non illud tantùm, sed etiam vt fidem ipsius admirans diceret Dominus sequētibus se. Dico vobis quod multi ab Oriēte & Occidente D venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorū. Cùm enim introisset Capharnaū, accessit ille Centurio ad eū, rogans & dicēs: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi IESVS: Ego veniā, & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum; sed tātùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate cōstitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit, & alij, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit. (Tu autem qui constitutus es omnium rerum Dominus, quid poteris?) Dic tantùm verbo, & sanabitur puer meus. Audiens autem IESVS miratus est, & E sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham in regno cœlorum. Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Et dixit Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi: & sanatus est puer in illa hora: paralyticus, & qui malè torquebatur, Centurionis fide sanatus est.

Enarratio Euangelij.

In paralytico viua imago peccatoris.

Hic viua peccatoris imago exprimitur, ciúsque per Christum curationis modus & gratia. In Capharnaum contrahitur infirmitas. (quæso notate omnia.) Et qui infirmus est, puer & seruus est, iacens, in domo, paralyticus, (hoc enim infirmitatis genus est,) & malè torquetur. Peccatorū nostrorū condi

conditiones illæ sunt. Omnium quidem malorum abyssus peccatum est; locus incurabilium vulnerum eius infernus, desperatorumque omnium horrendum & inexpiabile ergastulum.

Quid intelligitur per Capharnaum. Primò igitur locus vbi contrahitur peccatum, Capharnaum est: cuius interpretatio pro mundo in triplici differentia est, significat enim agrum pulchritudinis, abundantiæ, & consolationis. Quę tria sunt ex quibus homo & peccator infirmatur in hoc mundo.

Mundus ager pulchritudinis. Gen. 34. 2. Reg. 13. 2. Reg. 11. 3. Reg. 11. Iudith. 13. Infirmat mundi gratia, & fallax creaturarum pulchritudo. Sic Sichem propter pulchritudinem Dinæ sororis filiorum Israël, infirmatus & correptus est. Sic de Amnon dicitur quod propter pulchritudinem Thamar sororis, & amorem eius ægrotaret. Sic Dauid videns mulierem lauantem se, Bersabee vxorē Vriæ, eius pulchritudine infirmatus, tulit eam, & occidit virum eius. Sic denique Salomon omnium Regum sapientissimus, per alienigenas mulieres, cùmque iam senex esset, notat Scriptura, deprauatus est, vt sequeretur Deos alienos, & auersa est mens eius à Domino Deo Israël. Et de Iudith, licet castissima, quid dicitur? Quia pulchritudo eius captiuam fecit animam Holofernis. Fallax & vana est omnis creaturarum pulchritudo; infatuata est, & ad nihilum valet vltrà, nisi vt intuentium oculos infirmet, & corda vulneret.

Ager abundantiæ. Ezech. 16. Ierem. 5. & 13. Cuiusmodi etiam est abundantia temporalium, quæ alia infirmitas est quæ in Capharnaum contrahitur. Apud Ezechielem; Iniquitas Sodomæ fuit saturitas panis, abundantia & otium: &, sicut dicit psalmista, prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum; transierunt in affectum cordis. Et apud Ierem. Saturaui eos, & mœchati sunt. Vnde Deus huic prophetæ præcepit, vt lumbare quod circa lumbos eius erat (quod repræsentat castitatem,) & absconderat in Euphrate (qui explicatur copia frugum,) tolleret de loco, & ecce computruit, ita vt nulli vsui aptum esset. Adam in paradiso terræ, non inopia, sed copia præuaricatus est.

Ager consolationis. Luc. 6. Isa. 22. Ps. 72. Tertia differentia infirmitatis ex vana & præsenti consolatione mundi prouenit. Qui enim ea nunc perfruuntur, futurā non inquirunt, minusque de illa cogitant; & sic eorū infirmatur affectus ad amorem cœlestium. Vnde de eiusmodi dicit Dominus: Væ vobis qui habetis hic consolationem vestram, quia lugebitis. Quod præuidens & attendens Isaias dicebat sic: Nolite incumbere vt consolemini me. Et Dauid; Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum. Quasi diceret: nullam præter diuinam consolationem admitto. Quæ retrò sunt & præsentia obliuiscens, ad futura & æterna me conuerto.

Quomodo peccator puer est. Ps. 4. Prou. 1. *Duplex pueritia.* Isa. 65. Sed persequamur, & videamus iam quomodo qui sic in Capharnaum & mundo infirmitate peccati laborat, puer euadit; puer quidem, quia vt ratione carens & iudicio, tantùm delectabilia & sensibilia quærit, fugiensque ardua & quæ præstantiora sunt, inanibus adhæret. Filij hominum, non Dei, vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem? Paruuli vsquequò diligitis infantiam? Duplex pueritia est. Vna directionis, & hæc bona est. Altera electionis, & hæc mala est, qua videlicet, vt infantes, quæ nullius sunt momenti & sæpius noxia sunt, æstimamus. Vnde Isaias dicit: Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.

Quomodo peccator seruus peccati est. Ecce quomodo in Propheta nullum discrimen est inter peccatorem & puerum. Puer quidem est,

A sed qui etiam seruus vitiorum est & peccatorum, vt ait Dominus. Qui facit peccatum, seruus est peccati. Item & seruus diaboli, vt Iohannes dicit: Qui facit peccatum, ex diabolo est. & S. Petrus; A quo quis superatus est, huius & seruus est. Vbi clarè S. Aug. Tot dæmoniorum peccator seruus est, quot vitiorum. Qui superbus est, Luciferi seruus est: qui auarus, Mammonæ seruus est: qui impudicus, Asmodæi, & sic de cæteris. Testis est Magdalena, de qua dicitur quod Dominus eiecit septem dæmonia, quia totidem vitiorum & peccatorum serua & captiua erat. Qui facit peccatum, seruus est peccati, & simul diaboli. Vnde ait per Ieremiam Dominus: Seruietis Diis alienis in terra nō vestra, id est, diabolis, peccatis & vitiis. In terra non vestra, id est, aliena, quia serui & captiui estis. Iudic. 19. Dereliquistis me, & coluistis Deos alienos, idcirco non addam vltrà, vt liberem vos; & sic semper serui manebitis. *Iohan. 8. 1. Iohan. 3. 2. Pet. 2. S. Aug. Ierem. 5. Iudic. 10.*

B Triplex genus seruorum est. Alij sunt nati: alij emptitij: alij conductitij. Sic & nos, primò nascimur omnes serui, qua quidem seruitute nobis à natura pœna damni accidit, id est, carentia diuinæ visionis. Præterea emimur à diabolo, vt in Propheta dicitur, pro nihilo venundati estis. Tertiò denique & nos ipsos voluntariè ei seruos conducimus, quando ad quodcunque peccatum voluntatem nostram ei tradimus, vt non illi amplius resistere valeamus. Vnde de eiusmodi puero, & seruo peccati dicitur quia iacet. Iacentes nihil virium habent ad operandum & laborandum, suntque ad omnia impotentes. Sic est de pueris istis centum annorum, & seruis vitiorum, non quidem resurgere amplius à peccato possunt, sed nec minimæ quidē tentationi resistere. Sic in Lament. Ierem. Infirmata est virtus mea (inquit ille qui iacet peccator,) dedit me Dominus in manu de qua non potero resurgere, id est, permisit tradi. Vnde generaliter postea loquens dicit: Iacuerunt in terra foris pueri & senes: id est, qui in puerilibus senuerunt, iacuerunt extra se deiecti; sunt enim paralytici omnes peccatores. *Triplex genus seruorū.* C *Quomodo peccator iacere dicitur.* *Thren. 1 & 2.*

D Paralysis morbus est afferens membris languorem & defectum virtutis, ita vt amplius mouere se nequeant. Ita est in anima de quocunque peccato. Et certè sicut in paralytico corpore est anima: sic in anima quæ languore & paralysi laborat, sæpius gratiam captiuam videre licitum est; & potiùs, heu, penitus extinctam. Paralysis adhuc tremorem causat & relinquit in membris. Sic de peccatore est, qui tremit cùm bene agere desiderat, pœnitere, restituere, ieiunare. Sic Dauid: Trepidauerūt vbi nō erat timor. Timor & tremor venerunt super me, & concussa sunt omnia ossa mea. Vnde etiam Abacuc in persona peccatoris ait; Audiui, & conturbatus est venter meus: à voce E pœnitentiæ, ieiunij, restitutionis & misericordiæ, contremuerunt labia mea. *Omnes peccatores paralysi laborant.* *Et quid sit.* *Ps. 13.* *Abacuc. 3.*

Quomodo peccator malè torquetur. *Peccator vbique torquetur.* *In prosperis.* *Cic.* Quare etiam dicitur quod ille paralyticus & peccator malè torquetur, inter prospera, & aduersa, in præsenti, in futuro; intus pauor, foris timor, vbique equidem suam secum fert torturam; inter prospera, curis, ambitione, inuidiis, &c. Refert Tullius quod Dionysius Tyrannus cùm vidisset quemdam qui gloriam eius admiraretur, & beatum diceret, iussit statim vt mensæ regiæ accumberet, & appenderetur ensis super caput eius. Cui tunc ait; Talis vita mea est, quam tu beatam esse putas.

Si in prosperis ita torquentur peccatores & Tyran

In aduersis. Tyranni, non minus certè, imò magis in aduersis, videlicet vitæ anxietatibus, ita & vindictæ cogitationibus, pœnarumque etiam formidine. Ita vt ad agitationem, & lapsum folij trepident, mortis, iudicij, Inferni horrore. Vnde S. August. in Confessionibus ait: Iussisti Domine, & ita est, vt omnis inordinatus affectus sibi ipsi sit pœna. Et certè non est peior Tyrannus quàm conscientia mala. Peccator vbique & semper malè torquetur, in præsenti, futuro, intus atque foris. *S. Aug. lib. 2. Confess.*

In præsenti. In præsenti, cùm non est adeptus quod malè concupiuit, vel cùm etiam pœnitudine torquetur de adeptis, iuxta illud Iob. Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum, noctem vertetunt in diem, & diem in noctem. *Iob. 17.*

In futuro. In futuro similiter, dum non amplius præstolatur virtutis præmium, sed iugiter in expectatione est torturæ infernalis. Sic enim Isaias dicit, quia torsiones & dolores tenebunt eos, & quasi parturientes dolebunt. Hodie timent pruinam, tunc autem cadet nix super eos, adeò vt nullus eis fuerit locus fugæ & ereptionis, sicut dicit adhuc psaltes quod Deus pluet super eos laqueos. Et sic non habebunt quò fugiant: quia & intus & foris, intra & extra conscientiam suam secum tormenta portant, & sibi ipsis domus sunt & Infernus in quo malè torquentur. De paralytico hodierno dicitur quia in domo iaceret, & malè torqueretur. Ita quidem de peccatore est, qui etiam in hoc corpore peccati iam senio fortasse & languoribus affecto, malè torquetur, dum est expectans æternos cruciatus in Inferno: & nunc in expectatione sua sibi dicere potest; cum conscientia mea, etiam Infernus domus mea est, & domus æterna. *Isa. 13.* *Intus & foris.*

Quid adinstar Centurionis agendũ sit ad curationem peccati. Ecce quales miseriæ sunt paralysis nostræ. Quid verò in ea agendum sit, nunc audite. Pœnitemini, & credite, dicit Dominus. Ecce introit Capharnaum, & in fide Centurionis curat paralyticum. Accessit ad eum Centurio rogans; & nos orantes accedamus cum illo, & dicamus: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, anima mea in corpore suo paralytica est, & malè torquetur. Statum quæso illi ostendamus, & cum sororibus Euangelij adhuc illi dicamus: Ecce quem amas infirmatur. Summe pastor animarum Deus succurre, & occurre animæ quæ perit. Verùm non sum dignus vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea. In ditione tua cuncta sunt posita: dixisti enim, & facta sunt. Dic tantùm igitur verbo: Spiritus gratiæ tuæ vbi vult spirat.

O beate miles, vbinam hoc didicisti & legisti? Vtique in Propheta dicente; Misit verbum suum, & sanauit eos. Ecce enim agnouit ille Centurio quia verbum illud missum à patre ad curationem infirmitatis nostræ, ipse est Christus. Quare accessit ad eum rogans: Ecce puer meus iacet in domo paralyticus. Sed non sum dignus vt intres sub tectum meum. Domine dic tantùm verbo, & sanabitur.

Miles quidem iste omnium Doctor gentium est. Alijs enim non vtimur verbis, eodémque modo quem nos ille docuit, ad Deum accedere solemus, si exaudiri, & sanitatem animæ obtinere velimus. Si quidem conditiones illæ sunt, humilitas, fides, spes, charitas. Domine non sum dignus aspectu, nec ingressu: dic tantùm verbo. Moyses & Abraham in conspectu & coram Maiestate gloriæ tuæ & diuinitatis contremiscunt: & ego Gentilis & peccator quomodo te suscipiam? Domine dic tantùm verbo. Hæc est mea fides, hæc mea spes, & meus in te amor; sanabitur, & laudabit te anima mea. *Conditiones necessariæ in oratione.*

DE INIMICITIA DEI, quæ incurritur per peccatum: & de modo redeundi in gratiam, &c.

Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, &c. Matth. 5.

Pœnitemini, & credite Euangelio. Marc. 1.

INGENS malum est quod nos à IESV Christo separat. Istud malum peccatum est. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, dicit Isaias, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis. S. August. in Soliloquiis. Malum illud est quod priuatur illo bono, per quod omnia facta sunt, (nempe verbo.) Et peccatum huiuscemodi boni priuatio est, sine quo quidem factum est, & ideo malum vt separatum à verbo. Quid sit autem separari à verbo, quæretis. Quare si iam scire vultis, audite primò quid sit verbum; Ego sum (inquit Christus, verbum illud æternum quod caro factum est,) via, veritas, & vita. Separari ergo à verbo, est esse sine via, veritate, & vita; & sic nihil: sine ipso enim factũ est nihil. Vultis vt distinctiùs explicem? Est ab omni quod est, deficere, à facto transire in defectum. Quoties ergo, ait ille Sanctus, à bono deuias, à verbo te separas: quia ipsum est bonum, per quod omnia facta sunt valde Bona. Væ mihi misero, vt quid hoc non cognoscebam, quia te deserens nihil fiebam, nisi velut Idolum quod nihil est, quod quidem aures habet, & non audit, oculos, & non videt; denique omnia lineamenta habet membrorum sine sensu eorum? Cùm igitur fui sine te, non fui, sed nihil fui. O quàm ingens malum peccatum est, quod sic ad nihilum hominem redigit, etiam dicente Dauid; Ad nihilum malignus deductus est! Hic est malignus & horribilis peccati effectus. *Isa. 59.* *S. Aug. Soliloq. cap. 5.* *Quantũ malum sit separari à Christo.*

Item inimicum Dei constitui, malorum omnium maximum est: & hoc facit peccatum. Sapiens dicit: Similiter odio sunt Deo impius & impietas eius. Ita Dauid: Abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis. & in alio loco; Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti enim omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. Quis quæso vellet aduersum se concitare iram & odium Regis? Et quis audeat, aut si audeat, quomodo Dei odium sustinere poterit, qui potest corpus & animam perdere in gehennam ignis? Gratiam & amicitiam Dei amittere: ô summum scelus! Amicitia hominum nihil ponit in nobis; Dei autem gratia qualitatem ponit diuinam in nobis, per quam etiam diuinæ consortes efficimur naturæ: & hanc peccatum annihilat & destruit. Delet enim penitus Dei opus, in tantum vt etiam per illud euadat homo suipsius destructor & hostis. Tobias dicebat quia qui faciunt peccatum & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. *Peccatũ hominem inimicum Dei constituit.* *Sap. 14.* *Ps. 52. & 6.* *Differentia inter gratiã Dei & hominum.* *Peccatũ hominem suipsius hostem constituit.* *Tobiæ 12.*

Quis igitur non summopere desideret in gratiam Dei redire, & reuniri ipsi? Dicere cum Propheta; Mihi adhærere Deo bonum est. Conuerte nos Deus salutaris noster: & auerte iram tuam à nobis. Conuerte me, & conuertar? Modum autem scire vultis? Ecce facilis est. Venit IESVS prædicans Euangelium Regni Dei, & dicens: Credite Euangelio. Euangelium dicit. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum. Non lex, sed traditio est seniorum. Dictum est: fortè ex illis verbis Exod. Inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, vt dicebat Dominus populo suo Israël. Et ex illis pariter: Caue ne cum habitatoribus terræ Chananæorum ineas amicitias. Id peruersè Pharisæi & Scribæ collegerunt, & tale apud eos dictum valuit: Odio habebis inimicum. Neque enim ex lege, sed ex eorum peruersa traditione istud dictum est.

Exod. 23. & 34.

Vnde hoc dictum vetus; Odio habebis inimicum.

Quare Christus legem Euangelij sui statuens & prædicans dicit. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est, qui facit oriri Solem suum super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Vetus error abiit. Dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Vnde & apud S. Iohan. ipse Christus dixit; Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. & iterum: Hoc est præceptum meum, vt diligatis, sicut dilexi vos. Ego autem dico vobis: Lex neminem ad perfectum adducit, animalisque homo non percipit quæ Dei sunt. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, sicut ego dilexi vos. Vnde quidem dixit Apostolus; Commendat Deus charitatem suam in nobis, quia cùm adhuc peccatores & inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Sic ad Ephes. Deus qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, etiam cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in filio. Sicut ipse Dei filius ait Nicodemo: Sic Deus dilexit mundum (licet inimicum eius & totum in maligno positum,) vt filium suum vnigenitum daret. Ita igitur & vos diligite inimicos vestros: hoc est præceptum meum. Ego autem dico vobis, &c.

Apoc. 21. Ioh. 13. & 15.

Rom. 5.

Ephes. 2.

Ioh. 3.

Verùm dilectionis huius ratio duplex est. Vna honoris: altera imitationis. Honoris, vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est. Imitationis, qui Solem suum oriri facit, &c. Et quidem vtraque ratio consideratione & omni acceptione digna est.

Duplex ratio cur inimicos debeamus diligere.

Quoad primam igitur. Attendite omnes qui laboratis cupiditate honoris; en vobis iter apertum est & proponitur: si inimicos vestros diligitis, filij Dei estis. Aliquando beatos dixit pacificos, quia filij Dei vocabuntur: sed hodie non solùm vocari, sed fieri etiam potestatem dedit, his nimirum qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt, cuius est inimicos diligere, & benefacere illis. Et certè minimè Deus esset, nisi sic latam & diffusam charitatem haberet, vt etiam diligeret inimicos. Ita dico, minimè vnquam filij Dei erimus, si non habeamus dilectionem quæ se ad inimicos extendat. Parentum generositas & virtus in prolem deriuari debet. Sic autem nos Deus dilexit, licet inimicos, vt etiam nos adoptauerit in filios. Vnde S. Iohannes dicit in canon. sua. Videte qualem

1. Honoris.

Quomodo inimicorum dilectio filius Dei cōpetit.

1. Ioh. 3.

A charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus; nobis ideo, sicut vnigenito filio, hæreditatis suæ bona potiora reseruans, vt nobis Apostolus dicit ad Rom. Non accepistis spiritum seruitutis iterum; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater: quia si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Rom. 8.

Patrem itaque nostrum cœlestem imitemur, ne pro adoptione iam facta filiorum Dei per Christum, nobis reprobatio contingat, vt cuidam Sapricio accidit, qui cùm noluisset parcere Sancto Nicephoro, & cum eo reconciliationem habere, quam ille tantopere postulabat, perdidit coronam martyrij, quæ concessa fuit alteri, videlicet
B Nicephoro, de quo memoriam Ecclesia facit septimo Februarij. Sic enim, dicit Dominus noster IESVS Christus, pater meus cœlestis faciet vobis, si non dimiseritis vnicuique de cordibus vestris.

Quocirca ad secundam rationem veniamus, videlicet, imitationem. Dilectio enim Dei & ad bonos & ad malos se extendit, vt in exemplis Solis & pluuiæ propositum est. *Qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Beneficia hæc sunt communia omnibus: & meritò his duobus, Soli videlicet & pluuiæ, Christus dilectionem comparat. Proprium Solis est illuminare & viuificare. Ita est quidem de charitate proximi
C & dilectione, dicente S. Iohan. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet; qui autem odit, in tenebris est. & iterum: Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Igitur in dilectione lux & vita est.

2. Ratio, imitationis.

Quare dilectio cōparatur Soli & pluuiæ.

1. Ioh. 2. & 3.

Pluuia item germinare facit, atque refrigerat in æstu & ardore Solis. Ita est de charitate, quæ primò germinare facit in nobis omnes virtutes. Vt enim multi arboris rami ex vna radice prodeunt, dicit S. Greg. sic multæ virtutes ex vna charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non maneat in radice charitatis. Charitas est quæ proximum illuminat, accendit,
D corrigit, docet, consolatur, quæ illum cibat, vestit, & liberat: & quæ præterea omnem in nobis ardorem concupiscentiæ extinguit. Ardorem refrigerabit ros, ait Ecclesi. ros misericordiæ & dilectionis. Charitas pluuia est, quæ descendit ad omnes; nostráque item culpa erit si intelligentiæ Sol non oriatur nobis, qui omnem hominem indifferenter illuminat venientem in hunc mundum.

S. Gregor. hom. in Euang.

Eccli. 18.

Præter ista, Deus adhuc duo nobis excellentissima dona contulit, per Solem & pluuiam significata. Per Solem, quem oriri facit super bonos & malos, nobis repræsentatur Incarnatio verbi Solis Iustitiæ, eiusque aduentus in hunc mundum pro salute omnium. *Venit IESVS prædicans Euangelium*
E *regni Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.* Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros; lux in tenebris lucet.

Per Solem & pluuiam incarnatio & merita Christi intelliguntur.

Per pluuiam similiter significatur nobis effusio sanguinis pro omnibus, & præterea omnia merita eius. In Deuteronom. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, vt tribuat pluuiā terræ tuæ in tempore suo, (pluuiā sanguinis, meritorum, gratię, & omnis benedictionis.) Sed quo tēpore hęc fecit? cùm inimici eius essemus, & omnis iniquitas abundaret in nobis. Sed Domine cur non potiùs effudisti iram tuam in gentes quæ te non nouerunt,

Deut. 28.

runt,& te offenderunt? Responsio est, quia multæ misericordiæ est Deus, tamque potens & efficax in dilectione, vt quasi glorietur illam effundere etiam in inimicos, & gestiat illos innumeris cumulare beneficiis. Iuxta quod illi conuenit misereri & parcere semper. Hinc est quod non statim à creatione mundi & initio culpæ, saluare hominem venit, sed tandiu distulit, expectauit, & passus est, donec fuerit completa omnis iniquitas, vt sic amplius adhuc posset misereri.

Deus in patientia multum misericors.

Sic eo magis Paulum, Petrum, Magdalenã, Matthæũ, & latronem exaltauit post lapsum, quo illis maiorem præ aliis gratiam ostẽdit. Quam quidem gratiam optimè scit iactitare, ostentare, & prædicare cunctis Apostolus dicens: Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi, in vitam æternam. Regi autem sæculorum immortali & inuisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula, Amen.

1. Tim. 1.

Ecce in quo magna est gloria Domini, in dilectione peccatorum, inimicorum. Satis adhuc id explicat figura & parabola prodigi, super quem pater misericordia motus, magis in eum ostendit vim sui amoris, quàm in seniorem qui numquam mandatum suum prætererat. Tanta est dilectio Dei erga peccatores, & pœnitentes.

Luc. 15.

Ita igitur & nos pari animo, & charitate consimili ad exemplum Dei, & filij eiusdem Domini nostri IESV Christi, erga proximum nostrum affecti simus, vt adhuc filij Dei, & patris nostri qui in cœlis est, nominemur & simus. Magnum brauium huic dilectioni proximi præparatur, quæ speciali præcepto Christi commendatur: Ego autem dico vobis, &c. Ad amandum Deum exigitur charitas: sed aliquo pacto non ita magna videtur requiri cùm ad id etiam teneamur natura. Ad amandum seipsum nulla exigitur: natura enim sufficit, & minimè vnquam oblita sui est. Sed ad amandum inimicum magna prorsus dilectio exigitur. Iuxta modum autem charitatis, brauium erit & corona.

Verùm dicet aliquis; Suntne omnes inimici diligendi, & nulli odio habendi? Dicit enim Dauid quia iniquos odio habuit, sicut iniquitatem, & omnes peccatores terræ. Propterea sciendum est tres esse inter inimicos quos prosequi debemus odio, vt eos quidem qui tantum possunt, sicut volunt, nobis inferre malum, videlicet diabolum, proximum allicientem ad malum, & amorem proprium. Qui tertius etiam peior est cæteris. Hi tres inimici designantur per tres inimicos Dauid, Goliath, Saülem, & Semei. Per Goliath Gigantem designatur diabolus. Per Saülem, quem agitabat spiritus malus aduersus Dauid, proximus quem inflammat malignus spiritus aduersus electos Dei, vt peruertat eos, & faciat labi in peccatum.

Psal. 118.

Tres inimici odio habēdi.

Isti sunt quidem proximi verè inimici, quos etiam licet odio prosequi, sicut dicebat Dauid: Iniquos odio habui, quia legem tuam dilexi. & iterum. Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Vnde quod in eis adhuc odisse licet, vitium est, & non natura. Imò si nos persequantur tantùm, & exerceant ad virtutem, etiam tunc diligendi sunt.

Per Semei autem domesticum Dauid, (Semei qui explicatur, Audi me, seu nomen meum,) designatur amor proprius & domesticus, seu homo exterior, interioris hominis hostis coniuratus, qui sicut Semei proiicit lapides & pulueres contra Dauid, contra Regem, & spiritum qui est vnctus gratia Christi, scilicet terrenis cogitationibus ipsum prouocans, & aliis eiusmodi peruersis tentationibus exagitans, vt de sede & throno gratiæ eiiciat. Talis certè inimicus maximo odio est habendus, de quo etiam Dominus dicit: Qui odit animam suam in hoc mundo, id est, voluntatem propriam, & denegat illi quod petit, in vitam æternam custodit eam.

DOMINICA PRIMA.

DE VICTORIA CHRIsti aduersus authorem peccati.

Ductus est IESVS *in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Matth. 4.

Pœnitemini, & credite Euangelio. Marc. 1.

IMMORTALES hodie referimus gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per IESVM Christum. Inter summa mala & damna quæ patitur Respublica, bellum est: & Iob. 6. dicitur quia vita hominis super terram militia est. Sed vnde hoc malum? vtique à peccato omnium malorum scaturigine & principio. Nam ex quo ortum est, statim etiam bellum prodiit, adeoque sanguinolentum fuit, vt omnes huc vsque ab Adam in eo perierint. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. Neque pax est decantata in terris, nisi cùm nouus homo secundus Adam natus est, per quem gratia, & per cuius gratiam vita nobis facta & concessa est. Pax quidem tunc temporis audita est, quia etiam tunc spes nobis fuit victoriæ, vbi antea non erat. Interim militia remansit & subiectio tentationibus, vt bene conscij nostræ infirmitatis, cùm premimur, virtutem nostram, quæ est Christus IESVS, adiremus. Ad hoc enim nobis hodie ipsum Ecclesia proponit veluti ducem cum aduersario nostro in acie dimicantem, de eoque triumphantem, sicut Euangelium nostrum declarat. Sic enim legimus quia *ductus est* IESVS *à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.*

Bellum est peccati effectus.

Quia creaturæ inter delicias & plenitudinem gloriæ non cognouerunt Deum, ab eoque discesserunt; Lucifer cum suis in Cœlo, & Adam pariter cum omni sua posteritate in paradiso: placuit Dei filio in desertum introire, & de hominum salute cogitans, & non Angelorum qui deseruerunt principatum suum, voluit in illo deserto quæ hominis erant proposito certamine, sed victoria obtenta, gloriosiùs omnia reparare.

In Leuitico præcipiebatur Aaron summo Sacerdoti, vt acciperet hircum super quem imponeret peccata populi, & statuens eum viuum coram Domino emitteret in solitudinem. Caper iste emissarius, figura Christi erat, qui personam hodie gerit peccatoris, super quem, vt Isaias dicit, æternus pater iniquitates omnium posuit; vnde Spiritus expulit eum in desertum, vt ibi coram Domino positus oret pro populo, & pœnitentiam agat pro peccatis omnium.

Leuit. 16.

Figura introitus Christi in desertū.

Isa. 56.

Tres eminentissimæ solitudines solitudinē Christi in deserto circumstant.

Mirabilis quidē illa est solitudo Christi in deserto, quam aliæ tres eminētissimæ circunstant. Solitudo in sinu patris, vt Iohannes ait, vnigenitus qui est in sinu patris. Spiritussanctus non est in sinu propriè, sed potiùs in corde, vt amor vtriusque. Filius verò vnigenitus est in sinu patris. Item solitudo eius animæ in personalitate verbi, præter ipsum enim nullus est qui talem solitudinem habeat. Solitudo denique ipsius in gloria: solus enim inter homines in hac possessione erat.

Illæ tres solitudines eleuationis & eminentiæ, solitudinem humiliationis in qua ipse in deserto erat comitabantur. In deserto, in quo cum bestiis erat. In deserto, in quo ieiunans erat. In deserto denique, vt tentaretur à diabolo, & superato eo armis potentiæ suæ, nos de deserto pœnitentiæ in regnum promissæ terræ transferat.

Certè figuræ optimè respondent veritati. Filij Israël in desertum adducti sunt, vt inde ad possessionem terræ promissæ vocarentur. Ita nos hodie in Christo, & per eum in desertum ducimur, vbi omnium est penuria rerum, vt inde in cœlestem patriam vocemur, in qua omnium est copia rerum. Et hoc est quod nobis hodie à Christo proponitur ad salutem. Locus pœnitentiæ, desertum est, à deserendo vanitates, delicias mundi, & malos vitæ præteritæ actus. Vnde S. Gregorius. Pœnitentiam agere, inquit, est perpetrata mala plangere, & plangenda non amplius perpetrare. De tali deserto in Exodo dicebat per Moysem Deus Pharaoni: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto. Sed quodnam huius deserti est sacrificium? Psalmistam audi: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Quæso intelligite, & auribus percipite omnes. Quod in pœnitentia præcipuum est, spiritus pœnitentiæ est.

Desertū locus conueniens pœnitentiæ. S. Gregor. Exod. 5. Psal. 50.

Spiritus pœnitentiæ duobus modis accipitur.

Ille autem spiritus duobus modis considerari & accipi potest; aut actiuè, aut passiuè. Actiuè gratia est quæ nobis confertur, atque etiam nos mouet ad pœnitentiam: ille Spiritus Dei qui in desertum nos ducit. *Ductus est* IESVS *à Spiritu.* Passiuè est illa omnis actio pœnitentiæ quam exercemus, ipsa moti gratia, & Spiritu Christi, qui in hoc nobis debet esse imitationi & exemplo. Quos præsciuit & prædestinauit Deus, hos prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Ille est exemplar secundum quod omnia operari debemus. Illud fortè, de quo à Deo Moysi dictum est: Inspice, & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.

Rom. 8. Exod. 25.

Vis itaque tu prædestinari & saluari? Esto conformis huic imagini. Agere vis pœnitentiam? Inspice iam, & fac secundum exemplar quod tibi hodie in deserto monstratum est. Ecce IESVS Dei filius in solitudine est, in ieiunio, & in certamine, & tali certamine quod aduersus diabolum est. *Ductus est* IESVS *in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, accessit tentator.*

Disce igitur ex istis quid te oporteat facere. Primò, solitudinem petere, & pristinam conuersationem relinquere; dicere cum psalmista: Ecce elongaui fugiens, &c. Præterea ieiunare, quod est animam cibare, curare & armare. Vnde Ioël. 2. Dominus dicit: Conuertimini ad me in ieiunio. Sicut enim corpora epulis; sic animæ saginantur ieiuniis, ait S. Ambros. & hac dicta

Ioël 2. *Virtus ieiunij.*

A curantur. Galenus dicit plures moti gula & cibo quàm gladio. Quod antè dixerat Sapiens Eccles. 37. Propter crapulam, inquit, multi perierunt. Nonne crapula mortuus est Holofernes? Iudith, dum illa orationi vacat & ieiunio, caput hostis amputauit, cùm ipse in lecto iaceret nimia ebrietate sopitus. Et apud Luc. similiter, diues ille mortuus est qui epulabatur quotidie splendidè, & sepultus est in Inferno.

Galen. Eccles. 37. Iudith. 13. Luc. 16.

Denique qui ieiunant, armantur contra diaboli tentationes, sicut S. Petrus ait: Fratres, sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in ieiunio & fide. Etenim dicit Dominus

1. Pet. 5.

B ipse; hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi in oratione & ieiunio. S. Ambros. lib. de virginitate post initium, mira de ieiunio recenset, etiam hoc Domini exemplo allato. Ieiunium morbos sanat, dæmones fugat, prauas cogitationes expellit, mentem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus sanctificat: denique ad thronum Dei hominem sistit. Et ne putes hoc temerè dici, habes huius rei testimonium in Euangelio à Saluatore prolatum. Cùm enim quæsiuissent discipuli, quonam modo immundi spiritus eiicerentur, respondit Dominus; hoc genus non eiicitur nisi in oratione & ieiunio.

Matth. 17. S. Ambr. li. de virgin.

C Quisquis igitur ab immundo spiritu vexatur, si hoc animaduertat, & hoc pharmaco vtatur, nimirum ieiunio, statim abscedet, vim ieiunij metuens. Magna vis in ieiunio, & magna ac præclara fiunt per illud. Illa magna & præclara scire vultis? Esther ieiunando tribus diebus, reuocat latam aduersus Iudæos sententiam mortis. Tres pueri & Daniel speciosiores apparuerunt ieiunio præ cæteris, qui nutriebantur cibis mensæ Regis. Ieiunium Angelorum cibus est, dicit S. Ambros. & qui eo vtitur, ordinis Angelici censendus est.

Dan. 1.

Ecce igitur quibus armis aduersus Sathanam nobis vtendum est: siquidem in acie & quotidie dimicantes sumus. Interim ait S. Iacob. Beatus

D vir qui suffert tentationem: sed adhuc beatior quod Dominus vicerit tentatorem. Introductus in paradisum homo fuit, & missus ad pugnandum, & victus corruit: venit Rex in desertum, sumpsit arma, & vicit. In Iosue figura est. Nam cùm dux ille misisset viros de Iericho contra Hai, percussi corruerunt, & tunc veniens ipse percussit viros Hai. Ita Christus cùm totum genus humanum cum capite corruere & occidi videret, ipsemet armaturam induit, & habitu inuentus vt homo, deuicit hostem in campo deserti. Hac certè de causa, multisque aliis in hoc prælium Christus descendit, seque etiam tentari permisit. Nunc rationes istas perquiramus.

Figura. Iosue 7. *Rationes cur Christus tentari voluit.*

E Prima est Sancti August. vt ad superandas tentationes diaboli ferret opem, & exemplum. In eo enim in quo passus est & tentatus, potens est & iis qui tentantur auxiliari.

1. S. Aug. l. 4. de Trin. Heb. 2.

Secunda est, vt omnia machinamenta diaboli frangerentur, quando dirigerentur contra petram: petra autem erat Christus. Sicut enim in sanguine Crucis, ille flammeus ensis qui ante ianuam paradisi erat, & custodiebat introitum, extinctus est: ita & tentationes diaboli, in tentatione Christi omnes euanuerunt. Et quæso quis potuisset vnquam impetum diaboli sustinere, nisi priùs eum Christus confregisset in se?

2. *Similitudo.*

Et

Et hoc equidem est quod Paulus asserit, videlicet, A quod non permittit Deus nos tentari supra id quod possumus. 1.Cor. 10.

3. Vnde tertia ratio sequitur, ne in tentatione perturbemur. Nam non habemus Pontificem qui non possit compati, ait Apostolus, tentatum per omnia pro similitudine, &c. Vnde Ierem.ait: Ego non sum turbatus te pastorem sequens. Heb.4. Ierem. 17.

4. Quarta ex præcedenti sequitur, vt ipse Christus ab omni culpa probaretur immunis, sicut de se ait: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Tentauit me per omnia pro similitudine, sed absque peccato. Ioh.14.

5. Quinta, vt doceret non esse malum,tentari; sed B præbere consensum tentationibus. Vnde & nos Christus orare sic docuit; Et ne nos inducas in tentationem: id est, ne permittas consentire. Sic enim concordat cum eo quod dicit S. Iacob. Beatus vir qui suffert,&c.

6. Sexta denique ex S. Thom. vt ostenderet Dominus omnes, etiam sanctissimos tentationibus subiici. Militia enim est vita hominis super terram, ait Iob, sicut etiam Ecclesiasticus sic; Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum,& sustine: sustine sustentationes Dei, coniungere Deo, coniungere Christo,& sustine, vt crescat C in nouissimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum; homines verò receptibiles in camino humiliationis. Ecce conditiones præclaræ tentationum, & earum virtus. S.Th. 3.p.q. 41.art.1. Iob. 7. & Eccl. 2.

Verùm diligentiùs, & paucis tentationem Christi & victoriam simul inspiciamus. Cùm ieiunasset quadraginta diebus, & 40. noctibus, postea esuriit. In hoc numero quoddam mysterium S. Leo considerat, figuratum in diluuio quadraginta dierum, quo diuina Iustitia mundus purgatus est. Sic, vt Dei misericordia hominem purget à delicto, 40. diebus Christus est ieiunans in deserto. Numerus iste pœnitentiæ est symbolum. Sic Ionas clamabat: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, id est, ciuitas peccati. Sic filij Israël totidem annis in solitudine & deserto fuerunt, captiuitatem suam & afflictionem sustinentes. Igitur cum mysterio fuit Christus in deserto ieiunans. Et cùm ieiunasset, postea esuriit: & accedens tentator, dixit; Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. *Mysteriũ in numero 40.* Ionæ 3.

Acies prima de gula est, famisque captat opportunitatem hostis. Hac sæpius arte ad perniciem nostram vtitur, & vt Leo circuit quærens animi nostri affectus, ad quid procliuiores sumus, vt deuoret; facitque adinstar illius qui vult de silice ignem excutere ferro, debiliorem partem lapidis explorans. Vel certè instar hostis vrbem obsidentis, murosque explorantis, vt ex debiliori parte aggrediatur. Sic, inquam, facit diabolus cum ferro & tormento bellico tentationis. Verùm de manu Christi arma accipienda sunt, & defensiones, efficaciaque verbi Dei & Scripturæ nobis est vtendum. Non in solo pane viuit homo, ait Christus, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. *Acies prima, & quomodo resistendum.* *Similitudo duplex.*

Secunda acies est de vana gloria. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam Ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum Templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te. Hac iterum arte, vana nempe gloria, ad perditionem nostram vti solet inimicus. Nihil enim ita arridere homini conspicit. *Acies secũda, & quomodo resistendum.*

De Catilina patricida idem refert Sallustius, quod videlicet munusculis, officiisque gloriæ & honoris vnumquemque ad coniurationem suam allicere & pertrahere nitebatur. Ita, inquam, tentator facit, videt nihil ita placere homini, sicut propriam gloriam, & illam obiicit. Verùm ô filij hominum, & non Dei, vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quis finis gloriæ & ambitionis? Mitte te deorsum, dicit diabolus. Quare nobis armis Christi occurrendum est, & dicendum. Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.

Tertia acies de auaritia est & imperio. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendens ei omnia Regna mundi, dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadés adoraueris me. Cum Regnis mundi adorationem proponit Sathan: ideo equidem quia auaritia Idolorum est seruitus. Sed quæso quomodo circuit hostis attendite. Aucupes variis escis vtuntur, pro varia auium natura quas illaqueare cupiunt. Sic noster hostis variis irritamentis vtitur pro diuersa indole hominum. Verùm aduersus eum arma Christi sumenda sunt, & resistendum fortiter dicendo: Vade Sathana, scriptum est enim; Deum adorabis, & illi soli seruies. Tunc enim futurum est vt diabolus relinquat nos, & Angeli accedant victoriam & triumphum canentes, atque etiam ministrantes nobis. Sic enim Iacob vidit Angelos, cùm Esau veniret contra eum. Sic Elisæus circa se habuit exercitum Angelorum, cùm eum obsiderent Syrij. Sic tribus pueris in fornace Angelus astitit: & sic ad Daniel misit Deus Angelum suum, & conclusit ora Leonum, & non nocuerunt. Angelis enim suis Deus mandauit de te, dicit psaltes, vt custodiant te in omnibus viis tuis. *Acies tertia, & quomodo resistendum.* *Angelorum custodia.* Gen. 32. 4.Reg.6. Dan.6.

DE POENA DEBITA peccato.

D *Ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.* Matth.25.

Pœnitemini, & credite Euangelio. Marc.1.

NIHIL est quod iustiùs debeatur IESV Christo, quàm facere iudicium. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Cognoui quia æquitas iudicia tua. Æquitas est & rectum iudicium, quod peccatum puniatur in æternum, conuertantur peccatores in Infernum, eantque hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Ecce ad quid erit magnus Iudicis aduentus, ad quem pertinet iudicare de omnibus. Quia sicut omnium creator est, ita & remunerator; propterea E dicit Apostolus: Nos omnes manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum, & ideo contendimus placere illi. Contendimus quidem. Et ratio magna in Euangelio est. Cùm enim venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, dicit S. Matth. tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, separationeque facta, tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete Regnum. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c. Tunc respondebunt ei iusti dicentes: Ita Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te? &c. Et respondens 2.Cor.5.

Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis, (pauperes fratres ſuos Chriſtus appellat) mihi feciſtis. Tunc dicet & his qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam.*

Terret me formidabile iſtud iudicium: terrent me & illa verba Danielis; Thronus eius ſicut flamma ignis, quia ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida; quando videlicet aduocabit cœlum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum. Apocal. 4. viſio & forma deſcribitur huius formidabilis iudicij. Ecce ſedes, & ſuper ſedem ſedens, & ſimilis erat aſpectui lapidis Iaſpidis & Sardinis: & Iris in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ. Et in circuitu ſedis, ſedilia viginti quatuor, & ſuper illos thronos totidem ſeniores ſedentes circumamicti veſtimentis albis, & in capite eorum coronæ aureæ: & de throno procedebant fulgura & voces. Et in conſpectu ſedis tamquam mare vitreum ſimile cryſtallo. Iudicium vltimum & generale, explicatio eſt huius viſionis.

Dan. 7. *Pſ. 49.* *Apoc. 4. Viſio & forma iudicij.*

Cùm venerit filius hominis in majeſtate ſua, ſuper ſedem ſedebit Majeſtatis, &c. Qui ſedet ſimilis eſt Iaſpidi, coloris viridis, pro conſolatione bonorum. Similis etiam Sardini, flammei coloris, pro terrore malorum. Sedes eſt in ſimilitudinem Iridis, coloris ſmaragdini, in quo diuinæ arcus potentiæ repræſentatur, de quo emittuntur ſagittæ vitæ & mortis. In circuitu eius ſunt ſedilia viginti quatuor Senatorum & Iudicum, eorum videlicet qui reliquerunt omnia; vt refertur Matth. 19. Ante thronum Iudicis, mare vitreum eſt. Omne genus humanum eſt ibi congregatum, quod olim adinſtar maris fluxum ſuum & refluxum habuit; nunc vitreum, quia conſcientiæ transparebunt, omniúmque tunc corda patebunt: ſed ſimile cryſtallo, quia opera eorum permanebunt, & ſequentur illos, neque amplius mutationi, aut pœnitentiæ ſupererit locus. De throno procedent voces ſuper iuſtos: Venite benedicti patris. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. Et ſimiliter fulgura ſuper malos: Diſcedite à me maledicti. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare, &c.

Hic autem eſt notandum ex S. Gregor. & Venerabili Beda, quatuor eſſe ordines eorum qui in hoc iudicio comparebunt, duos electorum, & duos reproborum. Electorum primus eſt illorum iudicantium cum Domino, qui minimè vt alij iudicabuntur, ſed regnabunt alios iudicantes: & iſti perfecti ſunt qui omnia reliquerunt, & ſequuti ſunt Dominum, qui non ſolùm mandata, ſed etiam conſilia ſeruauerunt. De quibus apud Matth. Dominus: Vos qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, ſedebitis & vos iudicantes, &c. apud Sapient. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Igitur dabitur illis pro præmio paupertatis, cum ſalute iudicandi poteſtas. Ita quidem Iob ait: Non ſaluat impios Dominus, & iudicium pauperibus tribuit; ad confuſionem quidem impiorum & reproborum, qui dicent attoniti: Quorum vitam putabamus inſaniam, & finem ſine honore, ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.

S Greg. 17. moral. Beda in 19. Matt. Quatuor ordines hominum futuri in Iudicio. *Matth. 19. Sap. 3.* *Iob 36.*

Secundus eſt eorum qui iudicabuntur, & regnabunt cum aliis, qui nempe non pariter omnia reliquerunt, ſed tamen de his quæ habebant, quotidianas dare eleemoſynas pauperibus Chriſti curabant; vnde & audituri ſunt in Iudicio: Venite benedicti patris mei, poſſidete præparatum vobis Regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. O mortales, Regnum Dei venale eſt, clamat S. Auguſt. & pretium eius in minimo eſt, in denario, in potu, & fruſtulo panis. O homo, clamat ſimiliter S. Chryſolog. da pauperi, vt des tibi: da partem, vt accipias totum: da micam, vt accipias panem: da nummum, vt accipias Regnum. Vt des tibi, da pauperi, quia quidquid pauperi feceris, tu habebis.

Secundus ordo. *Regnum Dei venale.* *S. Auguſt. S. Chryſolog. Ser. de epulone.*

Denique in ordine iſto omnes illi ſunt, qui præcepta Dei ſeruauerunt, & egerunt pœnitentiam de peccatis ſuis. Dignum eſt enim vt eorum opera examinentur, pro quibus mercedem accepturi ſunt. Ad quos etiam omnes referri poſſunt beatitudines, quas in monte Dominus docuit dicens: Beati pauperes, miſericordes, qui lugent, qui iuſtitiam ſitiunt, qui perſecutionem patiuntur, quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum. Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum. Ecce quantum ad electos.

Matth. 5.

Quantum autem ad reprobos, tertius ordo eorum eſt qui ſine iudicio damnabuntur. Cuiuſmodi ſunt infideles, qui fidem & myſteria Chriſti vel numquam ſuſcepêre, vel ſuſcepta per apoſtaſiam deſeruêre, de quibus dicit; Qui autem non credit, iam iudicatus eſt. Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo: accedentemque ad Deum oportet imprimis credere, ſicut Dominus IESVS venit prædicans Euangelium Regni Dei, & dicens; Credite, &c.

Tertius ordo. *Mar. 1.*

Quartus denique eorum qui iudicabuntur, & peribunt. Cuiuſmodi ſunt peccatores, qui fidei Chriſtianæ myſteriis initiati, opera fidei exercere contempſerunt, & pœnitentiam agere. Quibus propterea in Iudicio hodie teſtatur Dominus: Diſcedite à me, &c.

Quartus ordo.

Ecce itaque vnde omnium congregatio fiet in iudicio, & ſtatim omniũ ſeparatio, vt per Soph. ait: Congregans congregabo omnia à facie terræ, congregans hominem & pecus, id eſt, iuſtos & peccatores; volatilia & piſces, id eſt, cœleſtes ſpiritus & infernales. Congregabo omnia, ſed vt in inſtanti cunctorum ſeparatio fiat. Matth. 13. & ſeparabunt malos de medio iuſtorum; ſicut hodie refertur ex Euangelio. In hoc mundo omnia permiſta ſunt; tunc autem minimè. Oues enim audient vocem paſtoris, & collocabuntur à dextris: hœdi autem à ſiniſtris. Comedet impius ad ſiniſtram, & non ſaturabitur, ait Iſaias; imò ſiti & fame cum diuite in æternum peribit. Crucior in hac flamma. Diſcedite à me maledicti, &c. Diſcedite à me qui declinaſtis à mandatis meis. Qui operamini iniquitatem, diſcedite à me in ignem æternum. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, ait Dauid, & in furore ſuo conturbabit eos. Diſcedite à me. Apud Ierem. Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me non eſt anima mea ad populum iſtum, eiice illos à facie mea.

Soph. 1. *Pſ. 2.* *Ierem. 15.*

Quanti doloris ſit excludi à Deo, iſtud mihi videtur grauius eſſe ipſa gehenna. Sed cùm præterea gehennæ incendium additur, tunc eſt omnis pœna. Diſcedite à me in ignem æternum. De his pſaltes dicit: Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui, id eſt, in tempore aduentus tui in majeſtate & iudicio. Dominus in ira ſua conturbabit

Quanti maloris ſit à Deo ſeparari. *Pſ. 20.*

bit eos, & deuorabit eos ignis. Sed qualis ignis? Ignis qui succensus in furore Dei, ardebit vsque ad nouissima Inferni, deuorabitque terram cum germine suo. Sed qualis ignis? æternus. Deuorabit impium ignis, ait Iob, qui non succenditur, videlicet aliunde, quia ardorem habet ex se, & est æternus. Ignis Inferni, ait S. Gregor. in Iob. creatus semel durat inextinguibilis, & succensione non indiget; & ardore non caret.

Deut. 32. Iob. 20. *Qualitates ignis Inferni.* S. Grego. in Iob.

S. Augu. Ser. 25. ad frat. Vnde S. August. Caueamus dilectissimi, ne veniamus ad illum ignem, qui habet cruciationem, nec finem, nullamque luminis consolationem. O quis exprimere potest dolorem qui ex tali oritur captiuitate æterna? Experimur, inquiebat quædam insignis Sancta Catharina Genuensis in vita ipsius, spiritum non posse permanere in angustia positum, nisi quia vel vis adigit ipsum; vel aliquam exinde remunerationem expectat. Qualis igitur & quanta desperatio animæ in Inferis erit, vbi nec finem vis habet quæ illam adigit, nec pœna præmium; sed vbi ardoris materia, ipsamet est anima? Equidem Domine Deus, si auris minimè vnquam audiuit quæ præparasti in cœlis diligentibus te, nec etiam quæ præparasti superbiæ eorum qui te oderunt semper in Inferis. Nihil quidem est in isto igne quod non sit formidabile; natura eius, actio, & qualitas. Natura; inextinguibilis enim est & duratione æternus. Actio; ad mortem enim vsque cruciat, & minimè tamen consumit. Adeò vt damnati per eum vitam perpetuam in morte habeant.

S. August. vt supra. Corpora, inquit S. Augustinus, licet ab igne patiantur, non tamen consumentur. Sicut enim Salamandra viuit in igne: sic mali in igne; & erit ibi finis sine fine, mors grauior omni morte, semper mori desiderantes, mori tamen non valentes: mors hic quæritur, & non inuenitur. Et Iob. Luet impius omnia quæ fecit, nec tamen consumetur, iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit. Vbi S. Gregor. Fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere desinit. Vnde psaltes; Sicut oues in Inferno positi sunt, mors depascet eos: quasi diceret, & notate similitudinem, mortis sunt æternum pabulum.

Iob. 20. S. Gregor 9. moral.

Similitudo. Herba partim pastu abscinditur, & partim etiam relinquitur & remanet in radice, vt iterum raparata depascatur. Ita quidem erit in Inferno de reprobis, mors depascet eos, morte sua renascentur, vt iterum moriantur, vitam in morte, & mortem in vita inuenient. Ignis deuorabit, & non consumet.

Quantum autem ad qualitatem huiusce modi ignis, ardorem habet sine luce. Supercecidit ignis, & non viderunt Solem: foris dolor, intus pœna cæcitatis, vt sit in ardore confusio sempiternæ noctis. Hæc terra est miseriæ, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Ibi Sol non lucet, quia qui in peccatis vixerunt, in tenebris fuerunt, & tenebras dilexerunt magis quàm lucem; erant enim eorum mala opera. Sicut è contrà, qui in Deo & in in luce veritatis opera sua fecerunt, veniunt ad lucem, vt eorum manifestentur opera, & lux perpetua luceat eis.

Ioh. 3.

A

DE OBLIVIONE DEI, & eius cultus contemptu in mundo per peccatum.

Quis est hic? Matth. 21.

Venit IESVS *prædicans regnum Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.* Marc. 1.

B CHRISTVS IESVS mala omnia reparare venit, quæ mundo peccatum attulit. Inter plura autem obliuio Dei fuit, & cultus diuini contemptus. Sic notat S. Iohan. quod venientem in propria minimè sui receperunt. Clariùs ad Rom. hæc vniuersalis miseria exprimitur. Sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt. & paulo antè: Qui non glorificauerunt Deum, sicut cognouerunt, euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, vt sint inexcusabiles. Inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur; C propter quod reuelatur ira Dei de cœlo super impietatem eorum hominum, qui hanc veritatem Dei in iniustitia detinent, id est, agnitam celant, vt sic iniustè Idolis suis & concupiscentiis seruiant. Nolentesque agnoscere veritatis lumen Christum Dominum, dicunt; *Quis est hic?* Sic primò Iudæi fecerunt, qui primi in hac obliuione Dei fuerunt, aliisque dederunt omnis impietatis exemplum.

Ioh. 1. Rom. 1.

Cùm intrasset IESVS Ierosolymam, commota est vniuersa Ciuitas, dicens. Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est IESVS propheta à Nazareth. Et intrauit in Templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium co-D lumbas euertit, & dicit eis. Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Videntes autem Pharisæi, principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes Osanna, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Vtique, sic enim legitur; Ex ore infantium perfecisti laudem. Et relictis illis abiit foras extra Ciuitatem in Bethaniam.

Numquid vidistis nunc ignorantiam Dei, & diuini cultus contemptum ex cupiditate, & peccato hominum? Quomodo non glorificauerunt Deum, nec gratias egerunt sicut cognouerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, obscuratumque E est insipiens cor eorum? Quomodo commutauerunt veritatem Dei in mendacium, seruientes creaturæ magis quàm creatori, qui est Deus benedictus in sæcula? Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, & in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt. Indignantur aduersus Dominum, vniuersáque est cõmota Ciuitas dicens. Quis est hic? Venit IESVS prædicans Regnum Dei, cultum patris, decorem domus eius, locum intrat habitationis gloriæ, profanatum videt, & pollutum negotiatione, vult auferre scandala, ementes eiiciens & mensas vendentium euertens, & dicit eis; Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur, non negotiationis,

Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis A vni ex his fratribus meis, (pauperes fratres suos Christus appellat) mihi fecistis. Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Amen dico vobis, quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. *Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.*

Terret me formidabile istud iudicium: terrent me & illa verba Danielis; Thronus eius sicut flamma ignis, quia ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida; quando videlicet aduocabit cœlum desursum, & terram discernere populum suum. Apocal. 4. visio & forma describitur huius formidabilis iudicij. Ecce sedes, & super sedem sedens, & similis erat aspectui lapidis Iaspidis & Sardinis: & Iris in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ. Et in circuitu sedis, sedilia viginti quatuor, & super illos thronos totidem seniores sedentes circumamicti vestimentis albis, & in capite eorum coronæ aureæ: & de throno procedebant fulgura & voces. Et in conspectu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo. Iudicium vltimum & generale, explicatio est huius visionis.

(Dan. 7. — Ps. 49. — Apoc. 4. *Visio & forma iudicij.*)

Cùm venerit filius hominis in majestate sua, super sedem sedebit Majestatis, &c. Qui sedet similis est Iaspidi, coloris viridis, pro consolatione bonorum. Similis etiam Sardini, flammei coloris, pro terrore malorum. Sedes est in similitudinem Iridis, coloris smaragdini, in quo diuinæ arcus potentiæ repræsentatur, de quo emittuntur sagittæ vitæ & mortis. In circuitu eius sunt sedilia viginti quatuor Senatorum & Iudicum, eorum videlicet qui reliquerunt omnia; vt refertur Matth. 19. Ante thronum Iudicis, mare vitreum est. Omne genus humanum est ibi congregatum, quod olim adinstar maris fluxum suum & refluxum habuit; nunc vitreum, quia conscientiæ transparebunt, omniúmque tunc corda patebunt: sed simile crystallo, quia opera eorum permanebunt, & sequentur illos, neque amplius mutationi, aut pœnitentiæ supererit locus. De throno procedent voces super iustos: Venite benedicti patris. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Et similiter fulgura super malos: Discedite à me maledicti. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.

C

D

Hic autem est notandum ex S. Gregor. & Venerabili Beda, quatuor esse ordines eorum qui in hoc iudicio comparebunt, duos electorum, & duos reproborum. Electorum primus est illorum iudicantium cum Domino, qui minimè vt alij iudicabuntur, sed regnabunt alios iudicantes: & isti perfecti sunt qui omnia reliquerunt, & sequuti sunt Dominum, qui non solùm mandata, sed etiam consilia seruauerunt. De quibus apud Matth. Dominus: Vos qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, sedebitis & vos iudicantes, &c. apud Sapient. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Igitur dabitur illis pro præmio paupertatis, cum salute iudicandi potestas. Ita quidem Iob ait: Non saluat impios Dominus, & iudicium pauperibus tribuit; ad confusionem quidem impiorum & reproborum, qui dicent attoniti: Quorum vitam putabamus insaniam, & finem sine honore, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.

(S. Greg. 27. moral. Beda in 19. Matt. *Quatuor ordines hominum futuri in Iudicio.* — Matth. 19. Sap. 3. — Iob 36.)

Secundus est eorum qui iudicabuntur, & regnabunt cum aliis, qui nempe non pariter omnia reliquerunt, sed tamen de his quæ habebant, quotidianas dare eleemosynas pauperibus Christi curabant; vnde & audituri sunt in Iudicio: Venite benedicti patris mei, possidete præparatum vobis Regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. O mortales, Regnum Dei venale est, clamat S. August. & pretium eius in minimo est, in denario, in potu, & frustulo panis. O homo, clamat similiter S. Chrysolog. da pauperi, vt des tibi: da partem, vt accipias totum: da micam, vt accipias panem: da nummum, vt accipias Regnum. Vt des tibi, da pauperi, quia quidquid pauperi feceris, tu habebis.

(*Secundus ordo.* — *Regnum Dei venale.* S. August. S. Chrysolog. Ser. de epulone.)

Denique in ordine isto omnes illi sunt, qui præcepta Dei seruauerunt, & egerunt pœnitentiam de peccatis suis. Dignum est enim vt eorum opera examinentur, pro quibus mercedem accepturi sunt. Ad quos etiam omnes referri possunt beatitudines, quas in monte Dominus docuit dicens: Beati pauperes, misericordes, qui lugent, qui iustitiam sitiunt, qui persecutionem patiuntur, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. Venite benedicti patris mei, possidete regnum. Ecce quantum ad electos. Matth. 5.

Quantum autem ad reprobos, tertius ordo eorum est qui sine iudicio damnabuntur. Cuiusmodi sunt infideles, qui fidem & mysteria Christi vel numquam suscepêre, vel suscepta per apostasiam deseruêre, de quibus dicit; Qui autem non credit, iam iudicatus est. Sine fide enim impossibile est placere Deo: accedentemque ad Deum oportet imprimis credere, sicut Dominus IESVS venit prædicans Euangelium Regni Dei, & dicens; Credite, &c. Mar. 1.

(*Tertius ordo.*)

Quartus denique eorum qui iudicabuntur, & peribunt. Cuiusmodi sunt peccatores, qui fidei Christianæ mysteriis initiati, opera fidei exercere contempserunt, & pœnitentiam agere. Quibus propterea in Iudicio hodie testatur Dominus: Discedite à me, &c.

(*Quartus ordo.*)

Ecce itaque vnde omnium congregatio fiet in iudicio, & statim omniũ separatio, vt per Soph. ait: Congregans congregabo omnia à facie terræ, congregans hominem & pecus, id est, iustos & peccatores; volatilia & pisces, id est, cœlestes spiritus & infernales. Congregabo omnia, sed vt in instanti cunctorum separatio fiat. Matth. 13. & separabunt malos de medio iustorum; sicut hodie refertur ex Euangelio. In hoc mundo omnia permista sunt; tunc autem minimè. Oues enim audient vocem pastoris, & collocabuntur à dextris: hœdi autem à sinistris. Comedet impius ad sinistram, & non saturabitur, ait Isaias; imò siti & fame cum diuite in æternum peribit. Crucior in hac flamma. Discedite à me maledicti, &c. Discedite à me qui declinastis à mandatis meis. Qui operamini iniquitatem, discedite à me in ignem æternum. Tunc loquetur ad eos in ira sua, ait Dauid, & in furore suo conturbabit eos. Discedite à me. Apud Ierem. Si steterit Moyses & Samuel coram me non est anima mea ad populum istum, eiice illos à facie mea.

(Soph. 1. — E — Ps. 2. — Ierem. 15.)

Quanti doloris sit excludi à Deo, istud mihi videtur grauius esse ipsa gehenna. Sed cùm præterea gehennæ incendium additur, tunc est omnis pœna. Discedite à me in ignem æternum. De his psaltes dicit: Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui, id est, in tempore aduentus tui in majestate & iudicio. Dominus in ira sua conturbabit

(*Quanti malum sit à Deo separari.* — Ps. 20.)

Deut. 32. Iob. 20. *Qualitates ignis Inferni.* bit eos,& deuorabit eos ignis. Sed qualis ignis? Ignis qui succensus in furore Dei, ardebit vsque ad nouissima Inferni, deuorabitque terram cum germine suo. Sed qualis ignis? æternus. Deuorabit impium ignis, ait Iob, qui non succenditur, videlicet aliunde, quia ardorem habet ex se, & est æternus.

S. Grego. in Iob. Ignis Inferni, ait S. Gregor. in Iob. creatus semel durat inextinguibilis,& succensione non indiget; & ardore non caret.

S. Augu. Ser. 15. ad frat. Vnde S. August. Caueamus dilectissimi, ne veniamus ad illum ignem, qui habet cruciationem, nec finem, nullamque luminis consolationem. O quis exprimere potest dolorem qui ex tali oritur captiuitate æterna? Experimur,inquiebat quædam insignis Sancta Catharina Genuensis in vita ipsius, spiritum non posse permanere in angustia positum, nisi quia vel vis adigit ipsum; vel aliquam exinde remunerationem expectat. Qualis igitur & quanta desperatio animæ in Inferis erit, vbi nec finem vis habet quæ illam adigit, nec pœna præmium; sed vbi ardoris materia, ipsamet est anima? Equidem Domine Deus, si auris minimè vnquam audiuit quæ præparasti in cœlis diligentibus te, nec etiam quæ præparasti superbiæ eorum qui te oderunt semper in Inferis. Nihil quidem est in isto igne quod non sit formidabile; natura eius, actio, & qualitas. Natura; inextinguibilis enim est & duratione æternus. Actio; ad mortem enim vsque cruciat, & minimè tamen consumit. Adeò vt damnati per eum vitam perpetuam in morte habeant.

S. August. vt supra. Corpora, inquit S. Augustinus, licet ab igne patiantur, non tamen consumentur. Sicut enim Salamandra viuit in igne: sic mali in igne; & erit ibi finis sine fine, mors grauior omni morte, semper mori desiderantes, mori tamen non valentes:

Iob. 20. mors hic quæritur, & non inuenitur. Et Iob. Luet impius omnia quæ fecit, nec tamen consumetur, iuxta multitudinem adinuentionum

S. Gregor 9. moral. suarum, sic & sustinebit. Vbi S. Gregor. Fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia & mors viuit,& finis semper incipit, & deficere desinit. Vnde psaltes; Sicut oues in Inferno positi sunt,mors depascet eos: quasi diceret, & notate similitudinem, mortis sunt æternum pabulum.

Similitudo. Herba partim pastu abscinditur, & partim etiam relinquitur & remanet in radice, vt iterum raparata depascatur. Ita quidem erit in Inferno de reprobis, mors depascet eos, morte sua renascentur, vt iterum moriantur, vitam in morte, & mortem in vita inuenient. Ignis deuorabit,& non consumet.

Quantum autem ad qualitatem huiuscemodi ignis, ardorem habet sine luce. Supercecidit ignis, & non viderunt Solem: foris dolor,intus pœna cæcitatis, vt sit in ardore confusio sempiternæ noctis. Hæc terra est miseriæ, in qua nullus ordo,sed sempiternus horror inhabitat. Ibi Sol non lucet, quia qui in peccatis vixerunt, in tenebris fuerunt, & te-

Ioh. 3. nebras dilexerunt magis quàm lucem; erant enim eorum mala opera. Sicut è contrà,qui in Deo & in in luce veritatis opera sua fecerunt, veniunt ad lucem,vt eorum manifestentur opera,& lux perpetua luceat eis.

A

DE OBLIVIONE DEI, & eius cultus contemptu in mundo per peccatum.

Quis est hic? Matth. 21.

Venit IESVS *prædicans regnum Dei,& dicens: pœnitemini,& credite Euangelio.* Marc. 1.

B CHRISTVS IESVS mala omnia reparare venit, quæ mundo peccatum attulit. Inter plura autem obliuio Dei fuit, & cultus diuini contemptus. Sic notat S. Iohan. quod venientem Ioh. 1.

in propria minimè sui receperunt. Clariùs ad Rom. Rom. 1.

hæc vniuersalis miseria exprimitur. Sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt. & paulo antè: Qui non glorificauerunt Deum,sicut cognouerunt,euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, vt sint inexcusabiles. Inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur;

C propter quod reuelatur ira Dei de cœlo super impietatem eorum hominum, qui hanc veritatem Dei in iniustitia detinent, id est, agnitam celant, vt sic iniustè Idolis suis & concupiscentiis seruiant. Nolentesque agnoscere veritatis lumen Christum Dominum, dicunt; *Quis est hic?* Sic primò Iudæi fecerunt, qui primi in hac obliuione Dei fuerunt,aliisque dederunt omnis impietatis exemplum.

Cùm intrasset IESVS Ierosolymam, commota est vniuersa Ciuitas,dicens. Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est IESVS propheta à Nazareth. Et intrauit in Templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo,& mensas numulariorum, & cathedras vendentium co-

D lumbas euertit, & dicit eis. Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Videntes autem Pharisæi, principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes Osanna, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Vtique, sic enim legitur; Ex ore infantium perfecisti laudem. Et relictis illis abiit foras extra Ciuitatem in Bethaniam.

Numquid vidistis nunc ignorantiam Dei, & diuini cultus contemptum ex cupiditate, & peccato hominum? Quomodo non glorificauerunt Deum, nec gratias egerunt sicut cognouerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis,obscuratumque

E est insipiens cor eorum? Quomodo commutauerunt veritatem Dei in mendacium,seruientes creaturæ magis quàm creatori,qui est Deus benedictus in sæcula? Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, & in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt. Indignantur aduersus Dominum, vniuersáque est cōmota Ciuitas dicens. Quis est hic? Venit IESVS prædicans Regnum Dei, cultum patris, decorem domus eius, locum intrat habitationis gloriæ, profanatum videt, & pollutum negotiatione, vult auferre scandala,ementes eiiciens & mensas vendentium euertens, & dicit eis; Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur, non negotiationis,

aut spelunca latronum, sicut hodie eam facitis. Credite Euangelio, & libro sermonum Isaiæ, hoc enim apud hunc prophetam scriptum est, vbi dicitur: Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ. Holocausta eorum,& victimæ eorum placebunt mihi super Altari meo, quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis. Vos autem, dicit hodie Christus,fecistis speluncam latronum.Et indignati sunt, commoti sunt,tremor apprehendit eos.Cùm intrasset IESVS Ierosolymam,commota est vniuersa ciuitas.

Isa.56.

Duplex ingressus Christi Ierosolymam, & in Templũ, ad duplicẽ Christi aduentum refertur, in mundum, & in animam.

Duplex hodiernus ingressus Christi Ierosolymam, & in Templum Dei, cum commotione tanta populi, & indignatione Iudæorum, optimè referri potest ad duplicem aduentum eius, in mundum primò, & secundò in animam vniuscuiusque hominum per gratiam.

Aggæi 2.

In primo namque aduentu qui fuit in carne, commotus est vniuersus orbis.Cœlum commotum est. Sic in Aggæo prædictum erat dicente: Adhuc modicum,& ego commouebo Cœlum; non Cœlum solùm, sed & terram, & non solùm terrá, sed præterea mouebo omnes gentes,& veniet desideratus cunctis gentibus.Tunc certè motum est Cœlũ, quando Angeli de Cœlo in terram descenderunt, factáque est multitudo militię cœlestis in Bethleem laudantium Dominum, & dicentium; Gloria in excelsis Deo.Vidit item & commota est terra,iuxta psalm.17.videruntque omnes populi gloriam eius. Accurrerunt pastores, vt viderent verbum hoc quod factum fuerat illis. Magi ab Oriente venerunt in splendore nouæ lucis, quærentes & dicentes,vbi est qui Rex natus est? Turbatur Herodes, & omnis Ierosolyma cum illo. Scribæ tunc & Pharisæi conueniunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius; fremunt & meditantur inania: scrutantur Scripturas, & inueniunt de Bethleem oriturum ducem, qui regat populum Israël. Philosophi disputant, & scandalizantur Iudæi.Interea Gentes credunt,dæmones confunduntur,Idola euertuntur,Oracula cessant, Euangelium recipitur,Regnum Dei prædicatur,nouaque in hoc mundo vita instituitur.

Quomodo aduentus Christi in carne commouit vniuersum orbem.

An non,quæso,istud est commoueri totum mundum?Resurgunt mortui,Sol obscuratur,Crux adoratur. An non hoc satis est vt commoueatur orbis, & dicatur de Christo qui facit hæc mirabilia magna solus; Quis est hic?Cùm manna de Cœlo cadebat,mirabantur omnes dicentes Manhu?quid est hoc?Sic hodie omnes de Christo dicunt qui descẽdit de Cœlo in terram,innouaturus omnia;Quis est hic qui facit hodie mirabilia magna solus,qui eiicit, euertit,imperat,& sibi omnia subiicit?Istud quidem plusquàm miraculum est. Mundus videt hic leges suas infringi;virginem audit parere,hominẽ Deum esse,Angelis imperare & ventis,pauperes euangelizari, diuitias & delicias contemni, diabolum vinci, & pœnitentiã prædicari & coli. An nõ istud quæso admirabile est, vt de eo dicatur qui hæc facit; Quis est hic? vniuersusque commoueatur orbis, & admiretur, quia plusquàm Salomon,plusquàm Ionas,& plusquàm homo est hic?

Exod.16.

Iesus plusquàm Salomon.

Ad famam sapientiæ Salomonis omnes veniebant,& admirabantur eum;plusquàm autem Salomon est hic. Ille terrenus de terra loquebatur, de cedro & hyssopo: hic autem qui de Cœlo & super omnes est, loquitur non sapientiam huius sæculi, sed quæ audiuit à patre loquitur, sapientiam non mundi, sed Dei, sapientiam Dei quæ in mysterio

A abscondita est, &c. Item ad prædicationem Ionæ, tota Ciuitas Niniue commota est, & ad pœnitentiam conuersa. Sed plusquàm Ionas hic,qui totum orbem prædicatione Euangelij sui commouit, & simul ad pœnitentiam conuertit.Veni t IESVS prædicans Euangelium Regni Dei, & dicens meliùs quàm Ionas: Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit Regnum Dei, pœnitemini,& credite Euangelio.

Quæso parum attendite. Qualis erat mundus ante aduentum Domini? Certè plusquàm Niniue in peccatis erat, qui totus in maligno positus erat, in vanitate, & terræ negotiis, in deliciis atque honoribus. Telonium erat, & mensa plena nummulariis & publicanis, in circuitu cuius multi ementes & negotiatores impij. Ecce qualis mundi facies erat. Nunc verò, exquo venit Christus, statim in Dei domum totus conuersus est. Ægyptus suis Eremitis referta est, aliáque terræ deserta similibus incolis: Ciuitates Religiosorum conuentibus, & vbique terrarum nomen Christi & laudes simul personant. Ecce iam quomodo vniuersus orbis Templum eius est, in quo vbique locorum colitur; interim sanctiùs & augustiùs in Templis, in quibus etiam specialiùs habitat. Cœlum Regia Dei est, & Templum in terra, quod est Sancta Sanctorum.

Mundi conditio ante aduentũ Christi.

B

Orbis Templum Dei.

C Sed heu!dicit Christus: Domum meam, Templum & orbem, orationis domum, fecistis speluncam latronum. Nobis orbis datur, in eoque positi sumus,vt in illo enarremus gloriam Dei: vnde huiusmodi gloriæ fures sumus cùm peruersè illo abutimur. O quot latrones conuersantur nobiscum in terra!Templum similiter seu Ecclesia datur nobis, vt ibi Deum adoremus, feruentiúsque mentes ad eum eleuemus. Sic Lucæ 2. ascendit Christus in Templum, dicitque matri quærenti eum, oportere ibi esse in his quæ patris sunt. Ecce quibus rebus nobis vacandum est in Templis; orationi, & his quæ patris sunt. Ecclesia schola est orationis: & qui in Templo non orat, perinde est ac si puer in schola non discat. Vos autem fecistis illam domum negotiationis & speluncam latronum. Ita D sanè hodie Christiani faciunt, qui penitus curis auaritiæ suæ & concupiscentiarum, etiam dum orant,dediti sunt.Deum in Ecclesia adeunt, non vt dent illi gloriam,sed vt auferant.

Quid in Templo agere debeamus. *Luc.2.*

Inueniuntur in Ecclesia tria genera latronum. Primò, peccatores omnes qui animas suas auferunt à Deo,vt Inferno tradant. Neque animæ nostræ sunt, sed Dei, qui creauit & redemit eas. Secũdò, in particulari omnes auari & fœneratores, à quibus non defecit, inquit Dauid, vsura & dolus. Propterea, inquit, fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum & in scandalum. Sed Domine euerte, & nisi conuertantur, effunde super eos iram tuam; & furor iræ tuæ comprehendat eos. Hæc est male-E dictio propter quam dicitur ab Ecclesiast. Non zeles gloriam & opes peccatoris, id est, auari & fœneratoris, non enim scis quæ futura sit illius subuersio. Dominę, inquit Dauid, quis habitabit in tabernaculo tuo? & respondet. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Vnde in Exodo Lex dicit: Si pecuniam dederis mutuò, non tamen vrgebis quasi exactor, nec vsuris opprimes. Imò nec sperabis.Ita Luc.6.vbi Dominus ipse dicit:Mutuum date, nihil inde sperantes. Aliàs enim quod vltra sortem accipitur, restituendum est, & maledictionem infert. Opes peccatoris non zeles, proxima est enim illius subuersio.

Tria latronum genera in Ecclesia.

Maledictio quę auaritiã sequitur. *Eccl.9.*

Psal.14. *Exod.22.* *Luc.6.*

Diuitię vt plurimum causa sunt mortis diuitibus: quibus

quibus plerunque accidit quod Midæ Regi, qui, ex inuentione Poëtarum, ab Apolline petierat, vt quidquid tangeret, aurum fieret; quod illi in punitionem conceſſum eſt. Ita enim exauditus miſerè mortuus eſt. Sic qui volunt, ait ad Timoth. Apoſtolus, diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa nociua, quę ducunt homines ad interitum: adeò vt radix ſit omnium malorum cupiditas. Quare hodie Chriſtus cathedras & menſas nummulariorum & vendentium in Templo euertit. Auferte iſta hinc, &c.

1.Tim.6.

Tertiò, omnes Simoniaci qui vendunt & emunt gratiam Spiritusſancti, aut alio aliquo illicito modo beneficia Eccleſiæ inuadunt. O quot ſunt eiuſmodi, heu, ſedentes in cathedris! Et hi quidem omnibus cæteris ſunt peiores: quos & Dominus anathemate & maledictione euertit apud Malachiam; Maledicam, inquit, benedictionibus veſtris. Vnde & in Paralip. animaduertitur quod Dominus altaria peregrini cultus ſubuertit; & in Eſdr. quod de Sacerdotio eiecti ſunt qui non inuenerunt genus ſuum, quod eſt gratia, & non pactum, aut emptio, &c. Sic denique libro Numer. Præcipite filiis Iſraël, dicit Dominus, vt eiiciant de caſtris omnem leproſum; quo Simoniacus omnis ſignificatur. Giezi enim, primus Simoniacus, factus eſt leproſus. Ecce igitur quid Dominus in Templo inuenit, & eiecit ex eo: cateruam latronum, &c.

Simonia.
Malach.2.
2.Paral.14.
1.Eſd.2.
Numer.2.

Verùm quid etiam in anima noſtra auferendum inueniat, paucis dicendum eſt. Neque enim minus ciuitas eius eſt, & orationis domus, atque Hieruſalem & Templum illius. Anima iuſti ſedes ſapientiæ, Chriſti, ſapientiæ Patris. Fili, præbe mihi cor tuum. Ego, ait, ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis mihi aperuerit, intrabo. Intrare vult Chriſtus, vt in nobis cum Patre & Spiritu ſancto in æternum permaneat, nobiſcum delicias accepturus. O beatum illum, apud quem manſionem facies Domine! Si quis diligit me, inquit, ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Sed heu, quidnam accidit in iſto plerunque ingreſſu? quod in commotione eſt omnis ciuitas. Cor meum conturbatum eſt intra me, dicebat Dauid, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non eſt mecum. Et ſic anima in ſe quaſi conturbata dicit; Quis eſt hic? Domine ante te omne deſiderium meum. Quis eſt hic? Sic Paulus percuſſus à Deo lumine gratiæ, dicit illi; Quis es Domine?.

Anima ciuitas & Templum Chriſti.
Ioh.14.
Pſ.37.
Actor.9.

Verùm tibi tunc reſpondendum eſt ô anima. Hic eſt IESVS à Nazareth, Dominus Deus tuus. Domum ſuam vult ingredi, vt in ea illi ſeruiatur. Quare ergo & tu eam feciſti ſpeluncam latronum? An neſcitis quia Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos? Vos autem feciſtis domum meam, domum negotiationis & ſpeluncam latronum? Quęſo quinam ſunt iſti latrones? Dæmones ſunt. Parabolam hic intelligite illius hominis qui deſcendebat de Hieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui eum deſpoliauerunt, ſemiuiuo relicto. Ecce enim quid ſciunt facere iſti latrones, deſpoliãt, & cum bonis vitæ ſplendorem auferunt. Et in Apocal. de Babylone nonne dicitur quia facta eſt habitatio dæmoniorum?

Luc.10.
Apoc.18.

Ecce igitur latrones qui per peccatum animã ingrediuntur atque inhabitant, dæmones ſunt, quorũ ſit habitatio & ſpelunca horribilis peccatrix anima. Commercium fit in ea, homo vendit, diabolus emit. Quid vendit homo? animam propriam vendit. Quo pretio? Nihilo vendit. Da mihi animas, inquit Rex Sodomorum ad Abraham, ait diabolus

A rex filiorum peccati ad hominem. Cætera tolle tibi. Ecce nummus qui offertur pro anima ab emptore, nihilum eſt & peccatum. Verùm vult Deus recuperare Templum gloriæ ſuæ, quod eſt anima tua; permitte itaque vt ingrediatur, & euertat, & poſtmodum ſibi ædificet in requiem ſempiternam.

DE PECCATO INFIDELITATIS.

Generatio adultera ſignum quærit, & non
B *dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Matth.12.

Pœnitemini, & credite Euangelio. Marc.1.

PETVNT hodie Iudæi à Chriſto IESV; Magiſter volumus à te ſignum videre. O vtinam illud verbum nunquam ex ore noſtro prodiiſſet, volumus. O vtinam noſtra voluntas nunquam noſtra eſſet, nec vnquam poſſemus dicere, volumus. Quis vnquam ſuſtineat ſeruum dicere coram Domino ſuo, volo? Audite, quia voluit, damnatus eſt homo, ſoláque eſt adhuc voluntas noſtra quæ ardet, & in futurum ardebit in Inferno.
C O Domine, doce me non meam, ſed tuam velle & facere voluntatem, quia Deus meus es tu. Mihi enim adhærere Deo bonum eſt. Omnes Sancti vna via ad Deum peruenerunt, diuinæ videlicet impletione voluntatis: etiam ipſe Dei vnigenitus non aliam habuit in terra quàm voluntatem Patris. Iohan.16. Deſcendi de Cœlo non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me. Vnde ait in agonia horti, & conflictu mortis: Pater, non mea, ſed tua voluntas fiat.

Via communis ad Deum diuina voluntas.

Quomodo ergo nos ſerui poſſumus dicere, & audemus, volumus? Non ſumus noſtri: ſed conditione ſerui, vtique duplici titulo, creationis & redemptionis, natura & emptione. Natura; hoc ſatis
D notum eſt omnibus. In Iſaia Dominus ait: Formaui te, ſeruus meus es tu Iſraël, ne obliuiſcaris mei. Emptione; ſic enim poſt immediatè ſequitur: Reuertere ad me, quoniam redemi te. Pro filiis Iſraël in Deut. dicit Moyſes: Redemit nos Dominus de domo ſeruitutis, de domo Pharaonis. Pro Chriſtianis Apoſtolus dicit: Empti eſtis pretio magno. Verè magno, quia non corruptibilibus auro & argento: ſed pretioſo ſanguine immaculati Agni Chriſti.

Serui Dei ſumus duplici titulo.
Iſa.44.
Deut.7.
1.Cor.6.
1.Petr.1.

Si ergo tot & tantis titulis Dei ſumus, quid iuris habemus, vt Deo dicere poſſimus, volumus? Hæc eſt nota generationis adulteræ & infidelis: ſicut probatæ & fidelis, animi ſubmiſſio, & diuinæ in
E nobis voluntatis adimpletio. Fortaſſe quęretis quę ſit illa. Ex ipſo Chriſto accipite. Hæc eſt, ait, voluntas Patris mei qui miſit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Hæc nota eſt quod filij ſumus, & ſerui fideles, ſi credamus in filium Dei, non ſignum petamus ab eo, ſed ſtatim per pœnitentiam conuertamur ad ipſum. Hic eſt omnis fructus, inquit Iſaias, vt auferatur iniquitas, & peccatum infidelitatis, vt ad lumen veritatis redeuntes, imaginem Dei in nobis reparemus.

Ioh.6.
Iſa.29.

Hominem Deus creauit ſapientia & iuſtitia præditum, videlicet gratia & cognitione ſua; vt ſic diuinæ capax fieret per intellectum ſuum & voluntatem

Peccatũ auſert ab homine imaginem Dei & vnionem cũ illo.

luntatem vnionis. Hæc prima fuit institutio hominis, tantúmque in eo factus est particeps imaginis Dei. Peccatum autem hanc fœdauit imaginem, quod hominem seiunxit à Deo, auferens ab eo sapientiam omnem & rectitudinem voluntatis.
Isa. 59. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & absconderunt faciem eius à vobis.

Hinc equidem carentia omnis rectitudinis in nobis, hinc error, infidelitas, & voluntatis rebellio, vt dicamus modò, volumus, & signa petimus.

Non dirigere cor suum, generationis est adulteræ, & signa petere, infidelis. Sic hodie accesserunt Pharisæi ad IESVM, & dixerunt ei; Magister volumus à te signum videre. Qui respondens ait illis: Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ (ad condemnationem ipsorum.) Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquàm Ionas hic.

O vtinam vellemus hic signum conuersionis nostræ à Christo petere! Sed vultis scire quodnam sit illud? Signum est Ionæ Prophetæ, ipsemet Christus in nobis, Spiritus est eius qui omnia damna peccati reparat in nobis, qui nos perfectè Deo subiicit, & ad faciendam pœnitentiam inducit. *Spiritus Christi in nobis damna peccati reparat.*
Eph. 4. Vnde Apost. ad Ephes. dicit: Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Quis est iste spiritus nostræ mentis? Christi Spiritus, qui rectitudinis est Spiritus & veritatis, ipse qui facit vt simus filij Dei, & vnam cum eo voluntatem habeamus, sicut Paulus dixit: Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra clamantem Abba Pater. Pater noster, non mea, sed tua voluntas fiat sicut in cœlo & in terra. Ipse est denique qui in obsequium Dei Patris, & filij eius captiuat intellectum nostrum, & subiicit omnibus fidei mysteriis, & nos præterea ad synceram & veram pœnitentiam excitat. Generatio peruersa signum petit, & non dabitur ei, nisi signum Ionæ, quod est Christus. *Venit IESVS prædicans regnum Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.* Ecce plusquàm Ionas hic. Ionas est signum, Christus autem veritas; sed interim cui contradicetur. Signum ad ruinam, sicut ad resurrectionem multorum. Volumus à te signum videre.

Pharisæi forma infidelii. Hic Iudæi atque Pharisæi contumaciam repræsentant infidelium, etiam eorum qui inueniuntur inter Christianos. Solebant enim illi semper in negotiis diuinis signa petere, vt valde increduli in omnibus. Sic Moysem recipere noluerunt nisi visis signis. Ita hodie à Christo quærunt, sed de Cœlo, quia ipse maiorem se Moyse faciebat. Ostēderat se Moyses illis, multis signis, missum fuisse à
Exod. 4. Deo, & maximè quando virga eius quam in manu tenebat, in terram proiecta versa est in colubrum, tótque mira per eam postea coram Pharaone & populo operatus est. Quod quidem signum missionis eius erat, neque minus figura Christi quàm Ionas Propheta, vterque enim ad Christum refertur, iuxta quod in vtroque signum est missionis.

Moyses figura Christi. Et vt de Moyse hic aliquid referam. Signum quod ipse missionis suæ ostendit, virga est recta, quæ in terram proiecta in serpentem vertitur, ita vt ipsemet fugeret, in serpentem qui alios serpentes magorum deuorabat, & qui denuo per caudam apprehensus à Moyse in virgam reuersus est. Hic mysterium magnum est, & signum Christum re-

A præsentans. Christus secundum Diuinitatem virga recta est. Virga directionis, virga Regni tui, ait David. Illa cadens & proiecta in terram, quando videlicet inclinauit cœlos & descendit, serpens facta est in similitudinem hominis, & carnis peccati, quando verbum caro factum est; vnde etiam & serpenti se comparare voluit, dicens: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis. *Explicatio.* *Ioh. 3.*

Et quomodo adhuc serpens iste deuorauit omnes alios serpentes magorum: sic Christus mortem nostram, & peccatum, moriendo destruxit, sicut in Osee legitur; Ero mors tua ô mors. Moyses fugiebat à facie colubri: & populus Iudaïcus, qui hic *Osee 14.*
B per Moysem denotatur, videns Christum mortalem esse sicut nos, similitudinem habere hominis & serpentis, ab eo fugit, & non vult in eum credere. Propterea cùm diceret Christus: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, significās hic qua morte esset moriturus. Respondit turba: Nos scimus, & ex lege audiuimus, quia Christus manet in æternum; & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis & mori? In te non credimus. Interim iste populus adinstar Moysis, caudam serpentis tenuit, id est, extremitatem mortis Christi, scilicet sepulchrum eius, quod signauit positis custodibus: verùm eo tempore quo magis reclusum ipsum tenere putabant, resurgit Christus, *Ioh. 12.*
C & ad pristinum statum, in quo antè erat, reuertitur, adinstar quidem serpentis, qui tanto velociùs exit de manibus, quanto fortiùs eius cauda constringitur. Ecce signum & figura Christi in serpente Moysis.

Sed aliud hodie Iudæi signum petunt. Signa nostra non vidimus, (dicunt) signum istud fuit Moysis. Iam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius. Nostrum volumus, & quo tu demōstres, quomodo Propheta noster es, & desideratus cunctis gentibus. Volumus à te signum videre. Quid vultis ô miseri, qui tot habuistis? Ecce mortui resurgunt, leprosi mundantur, cæci vident, & pauperes euangelizantur. Signum videre vultis? qui omnes per os Nicodemi dixistis: Rabbi scimus quia à *Ioh. 3.*
D Deo venisti Magister. Nemo enim potest ista facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Et tamen hodie dicitis, volumus à te signum videre.

Sed quid illis respondet Christus? Non dabitur. Quid ais Domine? Numquid tu ille es qui facis mirabilia magna solus? Ecce cæcos illuminas, infirmos sanas, mortuos suscitas. Ita est; & hæc signa Diuinitatis erant, sed non in signum data Iudæis, quibus Isaias mortis & resurrectionis signum dandum esse prædixerat, ipsi Domino dicente: Pete tibi signum à Domino Deo tuo, in profundum Inferni, (ecce mors) siue in excelsum supra, (ecce resurrectio.) Vnde Christus nunc eos remittit ad signum Ionæ, dicens: Sicut Ionas fuit in ventre Ce- *Isa. 7.*
E ti, &c. sic erit filius hominis in corde terræ, &c.

Conformiter huic signo adhuc apud S. Iohan. respondet Iudæis, quærentibus quod signum daret eis quia talia faciebat. Soluite, inquit, templū hoc, corpus hoc, & in tribus diebus reædificabo illud. Hoc signum est Diuinitatis quæ in me est. Et simile hodie do vobis. Generatio peruersa signum petit, & non dabitur nisi signum Ionæ. *Ioh. 2.*

Nunc autem videamus, quomodo Ionas signum fuit IESV Christi Saluatoris. Ionas prædicare mittitur pœnitentiam Niniuitis; & Christus vniuersis. Marc. 1. Venit IESVS prædicans Euangelium Regni Dei, & dicēs: pœnitemini, & credite Euāgelio. *Ionas signum Christi.*

Niniuitæ

Niniuitæ condemnabunt nos qui receperunt Ionam. Quia ecce plusquàm Ionas hic. Aduersus Ionam conturbatum est mare, commoti sunt & venti, & nautæ: & aduersus Christum commota est vniuersa Ciuitas, astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum. Ionas in hac tempestate, tantóque periculo securus dormit; & Christus securus, atque intrepidus ad mortem processit. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Ionam suscepit Cetus; & mors auida Christum. Ionam Cetus digerere, & retinere non potuit, quem post tres dies emisit viuū. Ita Christū mors assueta mortuos digerere, Dominum vitæ non potuit, sed post tres dies viuum ipsum emisit.

Et verè eum digerere non poterat, quia petra erat, illa de qua Apostolus: petra autem erat Christus. Imò & mors per ipsum absorpta & vulnerata est; quia ipsius caro vt petra acutissima perforauit fauces mortis, dum ipsum sicut alios deuorare appetens, potiùs citiúsque capta & deuorata est, sicut dixit Apost. Absorpta est mors in victoria Christi, qui eam resurgendo penitus deglutiuit, vt nos efficeret hæredes vitæ æternæ, modò per pœnitentiam nos ad ipsum conuertamus. Niniuitæ condemnabunt generationem istam. Cum generatione hac peccatores omnes comprehendo. Quia isti pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plusquàm Ionas hic.

2.Cor.6. Quare hodie cum Apostolo hortamur vos ne in vacuum gratiam hanc Dei recipiatis. Gratiam Dei in vacuum recipit, qui de die in diem differt pœnitere. Ecce nunc tempus acceptabile & dies salutis. Venit IESVS prædicans regnum Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio. Tempus acceptabile, in quo magnus venit medicus, omnibus offerens vnguenta misericordiæ, & vulnera peccatorum nostrorum curans oleo gratiæ suæ: dies salutis ad promerendam gloriam. Ne differatis igitur obsecro de die in diem conuerti ad Dominum. Sed dum tempus habemus, operemur bonum; post hoc enim tempus erit in quo operari non possumus. Tempus resolutionis meæ instat, dicit Apostolus, videlicet, mortis. De hoc tempore nihil habemus, nisi vnum Nunc, sicut Iob ait: Tenent cytharam, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Qui tempus pœnitentiæ congruum perdidit, ait S.Greg. in hæc verba, clausa est ianua; frustra ad ianuam precibus pulsat: morbus vrget, pœna terret, vox clamat, (moriendum est.) Agenda maturè est pœnitentia.

Gal.6. — 2.Tim.4. — Iob.21. — S.Greg. lib. 1 Moral.

Duæ causæ cur non sit differēda pœnitentia.

Causæ cur non debeamus pœnitentiam differre, sunt hæ. Prima, quia tempus nunc est in quo misereri Deus paratus est, & extra quod non est pœnitentiæ locus. Huius verbi Domini memento te, nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis. Stat & manet hæc sententia, aut ardendum, aut pœnitendum. Væ illis qui in finem ista reseruant, & nunc contemptui habent; væ inquam illis qui hæc priùs experiri debent quàm credere.

4.Reg.4. Secunda est breuitas vitæ, & incertitudo horæ mortis quæ iam in ianuis est. Elisæus mittens puerum suum vt suscitaret filium hospitis suæ, iussit illi vt non tardaret, sed velocissimè iret. Sic animæ tuæ in peccatis mortuæ velociter succurrendum est, dum adhuc spes est tuæ resurrectionis. Ante pugnam præparanda sunt arma, non in pugna: murúsque disruptus, non in bello, sed in pace est reficiendus. Ita de tempore destinato pœnitentiæ; nunc facienda est, & non ad extremam horam mortis reseruanda, Domino sic dicente filiis Israël contemnentibus se: Dereliquistis me, & coluistis Deos alienos, idcirco non addam vt vltrà vos liberem. Quinam quæso sunt isti Dij alieni? Voluptates vestræ & peccata, de quibus nemo in extremis liberabitur, nisi tunc temporis ad Dominum conuertatur. Iudic.10.

DE VEXATIONE DIAboli ex peccato.

Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Matth.15.

Venit IESVS *prædicans regnum Dei.* Marc.1.

SANCTVS Ioannes Discipulus ille quem diligebat IESVS, in 1. Epistola sua dicit, in hoc apparuisse filium Dei, vt dissoluat opera diaboli. Inter opera diaboli, corporum vexatio est & possessio, quæ accidit ex peccato. Peccatum quis non pertimescat & horrescat? & quis non consideret quæ damna inferat? Imago existentis animæ in peccato, filia est Chananeæ. Vbi peccatum est, ibi equidem dæmon est. Non regnet ideo peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius, dicit Apostolus. Cruciatus quē exercet, indicium est regni eius. 1.Ioh.3. — Rom.6.

Chrysologus loquens de prodigo, dicit quod sicut qui se iungit Domino, spiritus vnus est cum eo: ita qui se iungit diabolo, dæmon est, & dæmonis qualitates habet, damnum & cruciatus, sicut Sapiens dicit: Imitantur eum qui sunt ex parte eius. Peccatum format animam ad imaginem diaboli, & tormentorum reddit participem. Abyssus abyssum inuocat, pœna pœnæ adiungitur, & sic de vna in aliam transibunt. S. Chrysol. Serm. 5. de prodigo. — Sap.1.

Verùm hodiernæ abyssus miseriæ, inuocauit abyssum misericordiæ. Ecce mulier Chananæa à finibus Tyri & Sidonis egressa, clamauit dicens; Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui tamen non respondit ei verbum. Ita vt dixerit etiam Apostolis rogantibus pro ea: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. At illa perseuerans venit, & adorauit eum dicens: Domine, adiuua me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Cui illa statim: Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa Dominorum suorum. Tunc respondens IESVS, ait illi: O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

Duo hic sunt aduertenda. Primum est, egressum IESVM secessisse in partes Tyri & Sidonis. Secundum, mulierem Chananæam à finibus illis esse egressam. Tyrus afflictionem significat & angustiam: Sidon venationem. *Quid significat Tyrus. Et quid Sidon.*

Quantum igitur ad primum mysterium attendite. IESVS propter nos egressus à Patre, Diuinitatísque gloria, in afflictionem nostram descendit factus homo, teste Apostolo, qui ait: Cùm in formà Dei esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, &c. Et rursus: Scitis gratiam Domini nostri IESV Christi, qui cùm diues esset, Phil.2. — 2.Cor.8.

esset, propter nos egenus factus est, &c. Denique qui cùm innocens esset, & segregatus à peccatoribus, Patrisque splendor esset, in similitudinem venit carnis peccati; & maledictum pro nobis factus est, qui peccatum non fecit, & in ore cuius non est dolus inuentus. Item; In pace erat locus eius, cùm venit in Sidon locum venationis, & Heb. 4. tentationis, vt ait Apost. quia habemus nunc Pontificem tentatum per omnia pro similitudine absque peccato; quomodo antea in deserto considerauimus.

Mundus quidem iste tentationis locus est, & afflictionis, seu peccati: vt nos ab illo eriperet, opprobria nostra & aduersa amplectens, quasi venator persequens, teste Apostolo, venit in similitu- Rom. 8. dinem peccati, vt de peccato damnaret peccatum. O Domine IESV, quæ te vicit clementia, vt ferres nostra crimina, crudelem mortem patiens, vt nos à morte tolleres? & diceres: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis? Certè, quia si ingressus non fuisset ille in pœnas peccati nostri, nemo potuisset egredi de peccatis.

Mysterium ingressus Christi in partes Tyri & Sidonis. Hinc dictum aduerte, in partes Tyri & Sidonis, non autem in Tyrum & Sidonem venisse: vt intelligeres, non in peccatum introisse, sed tantùm in pœnas, quæ veluti sunt confinia & partes peccati. Talis autem ingressus causa fuit & ratio nostri regressus. Quare enim quæso de Cœlo egressus, ad nos est ingressus, nisi vt homo qui de paradiso exierat, in ipsum rediret? *Venit* IESVS *prædicans regnum Dei.* In Chananæa explicatur hoc mysteriũ.

Quare quantum ad secundum nunc istud considerate. Ecce ingredienti Christo in illas partes Tyri & Sidonis, mulier Chananæa à finibus illis *Quid significat Chananæa.* obuiam egressa est. Chananæa, reuertens explicatur & mutata. Typus hic est nostræ conuersionis. De finibus nostris exeundum est, de curis & deliciis sæculi; vni tantùm Christo debemus esse intenti, hoc vnum necessarium est. Mihi adhærere Deo bonum est: de cætero nemo mihi molestus sit. Qui offendit in vno, omnium reus est. Sanctorum finis est vnicus: peccatorum autem multi.

Ecce mulier Chananæa egressa est de finibus istis. Sic sponsa iubetur obliuisci populum suum, & domum patris sui, de terra egredi & omni cognatione sua: sic Loth de Sodomis: sic Israël de Ægypto cum omni substantia sua. Sic denique Iacob nihil relinquere voluit de omni possessione sua apud idololatram socerum suum Laban. Quid *Quid sit pœnitentia.* enim est pœnitentia, nisi egressus, seu quidam perfectus motus interior animæ, quo à vanitate ad veritatem, ab amore sæculi ad amorem Dei, à morte ad vitam, & à peccato denique transit ad gratiam?

Sed quid præterea facere oportet? Imitari Chananæam. Egressa illa statim misericordiam Dei quærit, non gratiam hominum. Clamauit ad Dominum: Miserere mei Domine fili Dauid. Vox ista S. Chrysost. pœnitentis est, & doloris indicium. S. Chrysost. conuertit se ad hanc mulierem, & dicit. Quid opus habes mulier? & illa; Misericordiam quæro. Cui quæris? Mihi. Quid causæ habes? Filia mea, &c. Quid ergo petis, miserere mei, & non filiæ? Illa nescit quid habeat. Ego sola misera doleo: sola totum sentio. Quò vadam nescio, solam relinquere non valeo, nec in domo sedere, quia intrinsecus est inimicus, horribilis clamor, fluctus in portu, & in tranquillitate tempestas. Considerate omnes af-

A flictionem. Compassio naturæ me trahit ad filiam, & timor dæmonis me repellit, & arcet.

Similia quæso sentiamus de animabus à dæmone per peccatum possessis: vbi enim viscera misericordiæ erunt, filiam flere, & non animam possessam & malè vexatam? Sed ad quem mulier clamat attendamus. Fili Dauid, ait, miserere mei. Sed dic mihi mulier, prosequitur S. Chrysostom. vt quid ausa es, cùm sis peccatrix, ad Christum accedere? Sursum in Cœlis Cherubim & Seraphim tremũt. Et illa; Tremant isti, & omnis cœtus Angelicus obstupescat. Ego noui quid agam. Ego ipsa pergam. Ego carnem meam, ego Deum & hominem alloquor, propterea enim descendit, hanc carnem
B assumpsit, vt audeam ei loqui. Fili Dauid, Agne Dei qui tollis peccata mundi, miserere mei.

Verùm quænam in miseria ista eam comitantur? Fides & pœnitentia. Fides, cùm pro filia absente intercedit & patrocinatur. Domine miserere mei: filia mea malè à dæmonio vexatur. Sed quare mulier nomen eius taces? petit Sanctus Chrysostomus; dic quæ sit filia. Et illa; Quo nomine illam vocabo inuenire non possum. Mortuam dicam? sed mouetur. Viuam appellem? sed nescit quid faciat; cerno oculos eius transuersos, contortum collum, ora spumantia, tortorem clausum, neminem interrogantem; & illam tantùm cum clamore loquentem. Nomen eius in-
C uenire non possum; fili Dauid miserere mei: filia mea à dæmonio malè vexatur. Qui non respondit ei verbum. O mira res! rogat mulier, clamoribus Cœlum implet: attamen non respondit ei verbum. O Verbum da verbum. O Verbum æternum & verum, vbi verbum; vbi veritas? Dixisti, clamabit ad me, & ego exaudiam. Ecce clamat Chananæa: Fili Dauid miserere mei; vbi propitiatio tua? O Verbum da verbum. Hoc est summopere mirum, videre vocem silentem, verbum mutum, veritatem tacentem, & indeficientis misericordiæ fontem clausum. Fili Dauid miserere mei. Domine clamat post te, clamorem eius audi. Et non respondet.

D Ratio autem cur non responderit Christus, ad nostram est instructionem, videlicet, vt amplius prouocaret fidem eius & perseuerantiam; atque etiam alios excitaret ad commiserationem. Vnde & Apostoli rogant pro ea dicentes: Dimitte illam, quia clamat post nos. Vbi denuò dicit S. Chrysostomus, & Christum introducit dicentem Apostolis. Vos ô discipuli, clamorem *Cur Christus non respondit Chananææ.* eius de foris auditis: ego intrinsecus video. Grandis vox ex ore procedit: sed maior est mentis. Clamorem eius ego facio, ego video, audio, exaudio.

Et illa mulier denuò veniens, & adorans ait: Domine adiuua me. O libertas nunc detentam
E dimitte. O potestas adiuua oppressam. Misericordia culpam tollit & pœnam. Domine adiuua me: fili Dauid miserere mei. Qui respondit: Non est *Cur Christus durius respondit Chananææ.* bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. O dura Domini responsio! ô vulnus! O clementia medici vbi es? Sic durè vulnera contrectas? Clamantem dissimulat, intercessores redarguit. Antè enim dixerat Apostolis: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël, & nunc etiam adorantem afficit conuitiis.

Verùm iuxta Sanctum Chrysostomum, verbis istis amaris amaritudinem miscebat mulieris, durisque obiurgationibus stringebat cor eius, & pungebat mentem, vt inde dulcedinem exprimeret.

primeret. Attendamus igitur, & profectum fidei eius videamus, & humilitatis. Admittit se esse catellam: & vt talis quærit colligere de micis quæ cadunt de mensa misericordiæ Domini, quæ pœnitentium est panis, ipsos confortans & viuificans. Sed fortasse vultis omnes illo refici? Priùs miseriam vestram adinstar Chananææ agnoscite, & cum ea dicite; Fili Dauid miserere mei: filia mea, anima mea, malè à dæmonio vexatur; Domine adiuua me. Si enim in fide tua, & pœnitentia sic perseueraueris, audire mereberis sicut hæc mulier; fiat sicut vis. Quid enim per pœnitentiam prætendimus? Vtique quæ peccatum abstulerat, recuperare omnia, gratiam videlicet & gloriam. Et illæ sunt vtilitates pœnitentiæ.

Duplex vtilitas pœnitentiæ. Prima vtilitas est in restitutione gratiæ, & quandoque maioris. Lib. 2. Paralipo. egit pœnitentiam Manasses, & restitutus est in Regnum. vbi S. Cypr. (2. Paral. 33. S. Cyprian.) O pœnitentia, quæ vitam de interitu reuocas, statum restauras, honorem reddis, & abundantiorem gratiam infundis. Sic apud Luc. (Luc. 15.) iussit pater vt filio iuniori & prodigo reuertenti statim prima stola proferretur, etiam daretur & annulus. In cuius etiam gratiæ signum dicitur Ioël. 2. (Ioël. 2.) Reddam vobis annos quos comedit locusta; id est, peccatum consumpsit.

Secunda vtilitas pœnitentiæ, est restitutio gloriæ. Sic Baptista dicit: Agite pœnitentiam; appropinquauit enim regnum Dei. (Matth. 3. Apoc. 2.) Propterea in Apoc. sic ad pœnitentiam inuitat Iohannes: Memento vnde excideris, age pœnitentiam, & prima opera fac, videlicet innocentiæ tuæ. Alioquin, sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Et quidem pœnitentiæ est, innocentiam restituere. Agite igitur pœnitentiam. *Venit* IESVS *prædicans regnum Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.*

DE INFIRMITATE animæ ex peccato.

Vis sanus fieri? Iohan. 5.

Pœnitemini, & credite Euangelio. Marc. 1.

SERMO omni acceptione dignus, iuxta Apostolum ad Timoth. (1. Tim. 1.) Christum IESVM venisse in hunc mundum saluos peccatores facere, animas saluare, & non perdere. Hoc consilium diuini eius aduentus exprimitur apud Isaiam, (Isa. 61.) vbi sic Dominus ait: Spiritus Domini super me, ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, prædicarem captiuis indulgentiam, consolarer lugentes, & darem gaudij oleum pro luctu, &c. Satis vbique nobis apparent miseriæ peccati, satísque nobis constat de illis: huc vsque nihil aliud vidimus quàm cruciatus, languores; vulnera & infirmitates. Lamentatio est communis. Conqueritur, atque dicit Ieremias: (Ierem. 4. Isa. 1.) Ventrem meum, ventrem meum doleo. Isaias: Omne caput languidum, & omne cor mœrens; à planta pedis vsque ad verticem capitis non est sanitas. Rex Dauid: (Ps. 37.) Ecce ego infirmus sum, non est sanitas in carne mea à facie peccatorum meorum. Quasi diceret: totus sum in languoribus. Et hoc quidem malum

A omnibus attribui potest. Vnde S. Augustinus (S. August.) dicit necesse fuisse vt propter ægrotantium multitudinem, magnus medicus veniret de cœlis. Magnus, inquit, venit medicus; quia per totum mundum magnus iacebat ægrotus.

Hoc ipsum est quod nobis hodie in Euangelio demonstratur, vbi spectaculum miserabile refertur piscinæ quinque porticus habentis, in quibus iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, & aliorum multorum infirmorum expectantium aquæ motum. Angelus enim Domini descendebat secundum tempus in hanc piscinam, & mouebatur aqua: & qui prior post motum aquæ descendisset, B sanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate. Erat autem inter alios quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cùm vidisset IESVS iacentem, & cognouisset quia multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? O Domine, ab infirmo petis si sanitatem velit? Hominem ille quærit, & dicit, quia non habet. Sed tu Domine ille es quem quærit, ille es qui descendisti vt hominem curares. Dic igitur tantùm verbo, surge, tolle grabatum tuum, & ambula. & ecce sanus factus est. Ecce quid Christo propositum est cùm descendit ad nos, spectaculum iacentium, miserorum & languentium: vnius autem inter alios, C qui à triginta octo annis in infirmitate erat, & hominem non habebat qui mitteret eum in piscinam. Languens iste sic derelictus, & omni auxilio destitutus expressior est imago peccatoris, in derelictione sua & in infirmitate iacentis. *Languidus iacens in piscina, imago expressa peccatoris.*

Primò itaque dicamus quænam est animæ infirmitas, vitium. Suprà dixerat Psaltes, à facie peccatorum non esse in carne sua sanitatem. Vnde, miserere mei, quoniam infirmus sum: sana animam meam, quia peccaui tibi. Peccatum igitur animæ est infirmitas. Ille autem infirmus, dum non cogitat pœnitere, iacet. Ita Ieremias in Lament. Iacet in terra foris puer & senex. (Thren. 2.) Peccator puer est; & dum induratur & D inueterascit in peccatis suis, senex dicitur. Sic Daniel ad lubricum senem: (Dan. 13.) Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua. Et quidem languidus iste triginta octo annorum, imago est peccatoris iam longo vsu peccati inueterati. Numerus enim iste triginta octo, impœnitentiam denotat; sicut numerus quadraginta, pœnitentiam. *Numerus impœnitentiam denotat & pœnitentiam.* Christus ieiunauit in deserto quadraginta diebus: & filij Israël totidem annis in deserto fuerunt. De peccatore autem impœnitente & inueterato rursus illud Danielis dici potest: (Dan. 5.) Appensus es in statera, & inuentus es minus habens. Licet enim aliquando velit conuerti peccator, & sanus fieri, in duobus sæpe deficit, adiungendo E videlicet noua peccata veteribus; tantùm abest vt vetera & prima derelinquat, quin etiam noua committat. Sic lib. Iudic. (Iudic. 10.) Dominus conqueritur quod filij Israël peccatis veteribus iungentes noua, fecerunt malum in conspectu Domini, & seruierunt idolis, dimiserúntque Dominum, contra quos iratus tradidit eos in manus Philistiim.

In his igitur duobus peccator deficit, quod videlicet derelicto Deo adhæreat creaturæ, vt in Ierem. (Ierem. 2.) dicitur: Obstupescite cœli super hoc. Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerũt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas,

quæ non valent continere aquas. Quare etiam his accidit quod sic remanentes in peccatis, & conuersionem suam protrahentes præueniantur ab aliis qui misericordiam consequuntur; sicut ille dicebat languidus: Dum venio, alius ante me descendit. Ecce dilationis punitio. Vnde apud Ierem. dicit Dominus: Non est anima mea ad populum istum. Eiice illos à facie mea, & egrediantur. Quod si dixerint: Quò egrediemur? dices ad eos; ad mortem, ad gladium, ad famem, ad captiuitatem. Ita in Euangelio: Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei, quia crediderunt Iohanni; vos autem nec pœnitentiam habuistis, &c.

Punitio dilationis. Ierem. 5. Matth. 21.

Hinc item accidit quod lamententur, quod hominem non habeant, scilicet quia alienati sunt peccatores à seipsis: sicut erat Nabuchodonozor, qui in bestiam mutatus est. Vel etiam quia verè interiorem hominem non habeant, de quo sic Paulus loquitur: Deponentes veterem hominem, induite nouum qui secundum Deum creatus est; id est, ad imaginem Dei, & mentem sanam, seu rationem, quam amplius peccator non possidet.

Dan. 4. Heb. 4.

Igitur amplius libertatem animi sui peccatores non habent, sed serui sunt. Amen dico vobis, ait Dominus, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Vbi S. Augustin. Tot dæmoniorum seruus est peccator, quot vitiorum. Legitur de Alexandro quod cùm coram Diogene se dominatorem orbis iactitaret; Nequaquam, ait illi Diogenes, sed seruorum meorum seruus es. Superbia enim ancilla mea est, & cum illa omnis concupiscentia. Tibi autem illæ dominantur. Mearum igitur ancillarum seruus es. Verè ille seruus est qui caret interiori homine.

Ioh. 8.

Hominem non habeo. Ecce peccatoris defectus, & misera seruitus. Vel denique quia deest peccatori, quantum ex se est, omnis virtus & potestas se ad Deum conuertendi: sicque istud Iob. 6. dicere potest; Ecce non est auxilium mihi, ex me non est: hominem non habeo. Nam per seipsum qui semel se à Deo auertit, ad eum absque eius gratia redire non potest.

Hunc hominem venire necesse est, ô peccator, qui Deus est, & qui dicitur IESVS. Alioquin semper remanebis infirmus. Necesse est ipsum piscinam suam facere, & dicere; Vis sanus fieri? Surge, tolle grabatum tuum. Ecce hominem habes, iam noli peccare, ecce sanus factus es. *Venit* IESVS *dicens, pœnitemini*, &c.

Piscina Christi, pœnitentia est, in qua lauantur peccata populi, vt Zacharias ait: Erit fons patens domui Dauid, & omnibus habitantibus Hierusalem; in ablutionem videlicet peccatorum. Olim fons iste pœnitentiæ erat occultus, quia nullus erat ante Christum, qui pœnitentia sua, licet maxima, sibi regnum cœlorum acquirere potuisset. Nunc autem exquo Christus venit, sacrúmque aperuit latus, fons patens est. Vnde piscina vera, Passio Christi est, caro Christi perforata vulneribus suis, &c. Sic apud Ioëlem promissio erat, vbi: Fons egredietur de domo Domini, & irrigabit torrentem spinarum, id est, lauacrum & piscinam pœnitentiæ. Quod enim dat valorem pœnitentiæ, Passio Christi est. Vnde sicut dictum est, egredietur: ita etiam in plenitudine temporum fons iste egressus est, & de latere eius exiuit sanguis & aqua, quando in Cruce vsque ad mortem obediens Patri factus est. Ecce præceptum Patris in

Zachar. 13. Ioël. 3.

A Prouerb. O fili, deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Apud te enim est fons vitæ. Et obediens ille, de corpore suo piscinam fecit, porticus quinque, id est, quinque maiores plagas habentem. Prou. 5.

Ecce itaque quò confugiendum nobis est, ad porticus piscinæ, & plagas Saluatoris. Si enim sanguis hircorum & vitulorum aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis. (hoc notate, Heb. 9.) Quanto magis sanguis Christi, qui semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis? Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor. Hodie qui- Heb. 9.

B dem apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri, quando non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos; sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis in sanguine suo. An nescitis quia iniqui, &c. regnum Dei non possidebunt? Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in Christo IESV. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium Regni Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.* ad Tit. 3. 1. Cor. 6.

Ecce hominem habes: tua iam à te salus dependet. Vis sanus fieri? Quasi nunc tibi diceret Christus: à te pendet, ne dicas amplius, hominem non habeo; ecce venit homo, & tibi di-

C cit, vis sanus fieri? Magna hæc Dei misericordia; preces non expectat, sed præuenit, & ait, vis sanus fieri? O peccator, si scires hodie donum Dei, & quis est qui tibi dicit, vis sanus fieri, vult Christus motum tuæ voluntatis. Qui creauit te sine te, ait S. Augustinus, non iustificabit te sine te. In conuersione tua Deus hunc ordinem posuit.

Deus motum vult nostræ voluntatis.

Quare sciendum est ex S. Bonauent. tria esse operum genera. Quædam sunt, quorum sola causa Deus est, vt creare, & ea conseruare quæ creauit, &c. Quædam, quorum homo causa sola est, vt peccare. Alia verò, quorum simul Deus & homo sunt causa, vt conuersio nostra, & iu-

Notãda tria operum genera. S. Bonau.

D stificatio animæ. Vnde, vis sanus fieri? Voluntatis nostræ motionem & consensum requirit Dominus. Quid igitur faciendum? Audite iam, & facite quod languido dicit Christus. Surge, inquit. O qui iaces in peccatis, surge, & ea dimitte: sed non est satis, tolle grabatum tuum, ait adhuc Christus, pœnam peccati tui sustine, suffer, & pœnitentiam fac, & noli peccare amplius. Tunc enim ecce sanus factus es.

DOMINICA SECVNDA.

DE VLTIMO FINE, ET obiecto nostræ Conuersionis.

E

Assumpsit IESVS *Petrum, & Iacobum, & Iohannem, & duxit illos in montem excelsum; & transfiguratus est ante eos.* Matth. 17.

Venit IESVS *prædicans Euangelium regni Dei.* Marc. 1.

NON sine mysterio tres tantùm discipulos secũ hodie Christus in montem assumpsit. Moyses solus

Exod. 19. ſolus ad Deum in montem aſcendit legem accepturus, remanente vniuerſo populo, & de longè ſtante in pede montis: fortè hoc quia multi vocati, & pauci electi. Non minimum myſterium eſt in his myſteriis. Tantùm tres aſſumuntur à Chriſto, & aſcendunt cum eo in montem Transfigurationis. Aſſumpſit IESVS Petrum, & Iacobum, & Iohannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies eius ſicut Sol: veſtimenta autem eius, &c. Et dum hæc fierent, & illis apparerent Moyſes & Elias cum IESV loquentes, Petrúſque reſpondens diceret ad IESVM: Domine, bonum eſt nos hic eſſe; faciamus hic tria tabernacula. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos; & ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benecomplacui: ipſum audite. Venit prædicans gloriam regni Dei, & dicens, pœnitemini, & credite Euangelio. Ipſum audite. Hic eſt filius meus: gloria & honore coronaui eum. Ipſum audite.

Sed heu, quotnam in hunc montem gloriæ ſunt aſſumpti, & myſteriorum Chriſti participes effecti? Tantùm tres. Non reuelat Deus retributionem & gloriam niſi iis qui loquuntur de gloria: neque alij quàm iſti digni ſunt cum Chriſto in montem aſcendere. Hoc quæſo myſterium attendite. Iſti tres Apoſtoli quos ſecum Dominus aſſumpſit, inter alios de futura retributione & gloria ſermonem habuerunt ad Chriſtum. Petrus, cùm ait; Ecce, nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Iacobus ſimiliter & Iohannes per matrem ſuam petunt ſedere à dextris & ſiniſtris. IESVS itaque vt oſtendat illis qualis ſit illa gloria: & quomodo etiam acquiri debeat, illos tres aſſumpſit, Petrum, Iacobum, & Iohannem fratrem eius. Iuxta quod ſex ante diebus de via Crucis loquutus illis fuerat, in fine ſubiungens: Filius hominis venturus eſt in gloria Patris. Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno ſuo. Et poſt dies ſex, aſſumpſit IESVS Petrum, &c. Ecce manifeſtata gloria. Viam etiam nobis patefecit Dominus: Venite ad me omnes qui laboratis in requiſitione gloriæ. Ego ſum via, veritas, & vita.

Quibus Deus gloriam ſuam reuelat. — Matth. 19. — Matth. 20.

Ioh. 14. Quondam S. Thomas Apoſtolus dicebat ad eum; Domine, neſcimus quò vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire, niſi tu oſtenderis? Domine quid reſpondebis? Ego ſum via. Numer. 27. dixit Dominus ad Moyſem: Aſcende in montem iſtum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus ſum filiis Iſraël. Abarim explicatur tranſitus: vt ſimus gloriæ Dei participes, à terra in Cœlum tranſire oportet. Mons Thabor, tranſeuntium mons eſt, eorum qui à tranſitoriis ad æterna aſſumuntur. Transfigurationis mons eſt, indéque tibi licet terram promiſſionis contemplari. Iam noſtra conuerſatio in cœlis eſt, totáque ad beatæ viſionis montem noſtra ſuſpirat peregrinatio. Sed heu! difficile eſt iter. Aſcendendum eſt, quia in monte reuelatur gloria. Nobíſque declaratur hodie, quod per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei: & quia arcta eſt via quæ ducit ad Cœlum. *Venit IESVS prædicans Euangelium Regni Dei, & dicens: pœnitemini.* Si quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Credite Euangelio, quoniam non niſi cum labore magno peruenietis ad Dei claritatem.

Num. 27. — Actor. 14. — Matth. 7.

Verùm conſtantes & forti animo præditi ſimus. Chriſtus ipſe Dei filius dux noſter eſt, & merces noſtra magna nimis: ipſe eſt qui transfiguratus eſt, & in gloria cuius Petrus dicit; Bonum eſt nos hic eſſe. Ipſum itaque contemplemur hodie in hac ſua Majeſtate, ſimúlque perſcrutemur quid in eo monte Thabor agatur.

Aſſumpſit IESVS Petrum, & Iacobum, & Iohannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos. Communiter ex Patribus ſex aut ſeptem cauſæ afferuntur huius Transfigurationis.

Septem cauſæ Transfigurationis Chriſti.

Prima eſt, vt tolleret Chriſtus falſam de ſe hominum opinionem, qui putabant eum eſſe Eliam, aut vnum ex Prophetis; vt ex interrogatione conſtat facta Apoſtolis: ſicque oſtenderet ſe Deum ipſorum eſſe. 1. Matth. 16.

Secunda, vt oſtenderet ſe Deum eſſe viuorum & mortuorum: præſens enim ibi erat anima Moyſis, & ibi Elias anima & corpore præſens. Vnde dicit S. Ephrem. Imperauit Cœlo, & depoſuit Eliam. Imperauit terræ, & reſuſcitauit Moyſem, (corpore videlicet aliunde, vt ex aëre, aſſumpto) neque enim tunc in corpore proprio ſurrexit Moyſes: quia ante Reſurrectionem Chriſti nullus fuit. 2.

Tertia, vt ipſe Pater æternus Apoſtolos doceret hunc filium Dei eſſe, ſicut antea Petrus ex ipſo Patre confeſſus fuerat. 3.

Quarta, vt ante mortem ſuam, regnum ſuum oſtenderet Apoſtolis; ante Paſſionem, potentiam; ante improperium, gloriam ac honorem ſuum: vt quando viderent eum crucifixum, hoc ipſi eueniſſe tunc crederent, non propter Iudæorum potentiam, ſed propter nimiam ſuam charitatem, mundíque ſalutem. 4.

Quinta, vt quando à mortuis reſurgeret in gloria ſuæ Diuinitatis, ſtatim cognoſcerent diſcipuli quia gloriam hanc non habebat vt Paſſionis præteritæ mercedem, quaſi antea non fuiſſet in illo. Ipſam enim ab æterno habebat, vt ipſemet ait: Clarifica me tu Pater, claritate quam habui priuſquàm mundus fieret apud te. 5. Ioh. 17.

Sexta, vt oſtenderet, ex S. Hieron. qualis illius aduentus ad iudicium futurus erat, in majeſtate & gloria Patris. 6.

Deniq; ſeptima eſt, vt verificaretur de illo, & de diſcipulis, quod præcedenti cap. dixerat: Sunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno ſuo, id eſt, in eadem claritate quam in regno Patris habiturus eſt. Propterea dicitur; Et reſplenduit facies eius ſicut Sol. Modus hic fuit Transfigurationis, claritas vt Solis, &c. 7.

Sed hic vnum conſidera. Claritas Solis excæcat oculos: Chriſti autem claritas etſi maior claritate Solis, tantopere conſolatur, afficit, & delectat, vt Petrus dicat; Bonum eſt, &c. Quæretur autem, vnde ortum claritas illa habuit. Reſpondemus, ex anima Chriſti lumine gloriæ illuſtrata; quæ quidem hunc ſplendorem in corpus emittebat, non per miraculum, ſed per voluntatem: tunc enim in eo continuum potiùs miraculum erat, quod illa gloria non apparebat, ſed latebat quaſi per violentiam. Tali enim corpori Diuinitati vnito debebatur gloria. Igitur non

Vnde orta eſt claritas in facie Chriſti.

Bb 2 per

per miraculum, sed per dispensationem gloria animæ in corpus eius redundabat, sicut corporis in vestimenta. Talisque dos erit corporum nostrorum in gloria, ex abundantia claritatis animæ, quæ per corpus effundetur, sicut fulgor lucernæ per crystallum. O inenarrabilem in beatitudine gloriam, vbi sic beatorum corpora transparentia erunt!

Vnde dos gloriosa corporum.

Theologi conformiter his quæ diximus, quærunt cum S. Thom. quomodo illa claritas quæ hodie in Christo apparuit, claritas gloriæ sit. Quod quidem hac distinctione resoluunt, videlicet eamdem fuisse quantum ad essentiam: non autem quantum ad modum essendi. Quod sic explicamus: vt videamus simul quæ differentia & conuenientia fuit inter gloriam præsentis huius Transfigurationis Christi, & Resurrectionis. Dici igitur potest, in tribus conuenire, & in tribus differre.

S. Tho. 3. p. q. 45. art. 2. In quo differt & conuenit claritas Transfigurationis, cum claritate Resurrectionis seu gloria.

Conueniunt primò in substantia; quia vtraque substantialiter eadem est claritas: differunt autem perfectione, quia claritas Resurrectionis maior & perfectior fuit claritate Transfigurationis.

Secundò, conueniunt in esse, seu existentia; quia vtraque vera extitit claritas, & non apparens; sed in modo essendi differunt. In Resurrectione enim claritas habuit esse permanens, non autem in Transfiguratione, quæ fuit veluti per transennam, in transcursu.

Tertiò denique in subiecto conueniunt, quod est Christi corpus; vtraque enim claritas in eius corpore fuit: sed differunt in qualitate subiecti. Claritas namque Resurrectionis, in corpore fuit immortali, & non amplius passibili: Transfigurationis verò in corpore passibili, & adhuc mortali. Quare etiam hodie factum est, vt dum illa impleretur Transfiguratio, apparuerint Moyses & Elias loquentes cum IESV. S. Lucas dicit quod de excessu loquebantur; quem completurus erat in Hierusalem; videlicet Passionis & mortis.

In Transfiguratione sermo de excessu.

Verè iste excessus, erat sapientiæ excessus. Illa enim prædicatio Crucis Christi, ait Apostolus, quæ stultitia fuit Gentibus, Iudæisque scandalum, & omnibus qui pereunt; iis qui salui fiunt, virtus fuit. Excessus fuit obedientiæ & humilitatis, cùm semetipsum exinaniuit vsque ad formam serui, & humiliauit se factus obediens vsque ad mortem Crucis. Excessus amoris & charitatis, sicut dixit: Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Sed iuxta Apostolum, commendauit Deus charitatem suam in nobis, quia cùm peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.

Et quis ille excessus. 1. Cor. 1. Phil. 3. Ioh. 15. Rom. 5.

Excessus denique dolorum & virtutis, quando & in dolore defecit vita eius, in mediòque tormentorum expirauit. Vnde Ieremias exponit illa veluti excessum considerandum omnibus, dicens: O vos omnes qui transitis per viam, attendite; & nunc omnes attendite Moysem & Eliam in ipsa gloria Transfigurationis loquentes cum IESV de excessu, quem completurus erat in Ierusalem. De excessu quidem, quia in eo tanta virtus & efficacia erat, vt moriendo Infernum exspoliare, Cœlum aperire, & peccata omnium delere deberet. Quapropter & in ipsa gloria de tali excessu audire sermonem delectatur;

Cur in Transfiguratione

A istud enim gaudium est quod sibi proposuit, videlicet, Crucem sustinere, confusione contempta.

sermo fuit de excessu. Heb. 12.

Quare etiam iuxta Sanctum Ephrem, in sermone isto Moyses & Elias ipsi gratias agebant, quod in Cruce salutem omnium completurus erat, & omnia quæ de ipso scripta erant. Sed Petrus colloquia interrumpens, & quasi nesciens quid diceret, notant S. Marc. & S. Luc. (videbatur enim alienatus à seipso ex tantis mysteriis) Domine, ait, bonum est nos hic esse. Guttam gustat hic Apostolus diuinæ dulcedinis, & non vult descendere. Sed si adeò delectatur visa tunc Domini majestate & gloria, & tantùm B duorum seruorum eius cum ipso, vt omnium cæterorum oblitus dixerit; Bonum est nos hic esse. Quid erit, obsecro, videre Regem in decore & comitatu omnium Angelorum & Sanctorum; atque etiam vbi nullum erit passionis colloquium, sed continua laus, & animi iubilatio?

S. Ephrem.

Verùm quàm exigua sit capacitas animæ in hac terra, videri potest in petitione Petri; Faciamus, inquit, hic tria tabernacula. Quasi diceret: Domine moremur hic, te vidisse sufficit, bonum est nos hic esse. Heu quàm citò in hac vita impletur animæ desiderium! putat nihil videri & acquiri posse amplius, quæ sola visione gloriosi C corporis satiatur. Quare etiam dicitur, quod nesciebat quid diceret. Item nesciebat, quia priùs de retributione quàm de labore cogitabat. Nesciebat quidem quia oportebat Christum, & suos pati, & ita intrare in gloriam. Vnde illis Dominus potuisset dicere: Erras Petre, quis enim adimpleret ora Prophetarum, si ibi maneremus? Sed in eo adhuc ipsum errasse dicit S. Hieronymus, quod tria tabernacula peteret. Erras Petre; vnum tantùm tabernaculum Ecclesiæ ædificaturus es in toto mundo, & tria petis? erras & nescis quid dicis.

Facilè impletur hominis desiderium in hac vita.

Error Petri.

Sed cur hic Petrus non sibi, & sociis tabernacula petit? dicit enim, faciamus tibi, Eliæ & Moysi. Certè quia ille volebat cum sociis recipi in D tabernaculo Christi. Ita Domine mihi adhærere tibi bonum est; Domine bonum est nos hic esse. Interim quia nescire videbatur quid diceret, non respondetur ei, sed adhuc illo loquente, & quasi per interruptionem, ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Pater testatur filium suum esse in carne, filium non adoptione, sed natura. Dominus dixit ad me; Filius meus es tu, ego hodie genui te, filius meus naturalis. Dilectum autem dicit, quia omnia dedit in manus eius. Atque vltimò Dominum omnium constituens ait, ipsum audite; vt ei, & verbo ipsius semper adhæreamus, & ad ipsum conuersi, prædicantem audiamus, & dicentem E verba salutis. *Venit IESVS prædicans Euangelium Regni Dei, & dicens; pœnitemini, & credite Euangelio.*

Cur Petrus non petit sibi tabernaculum.

DE CON

DE CONVERSIONE nostra ad Christum, vt principium & finem hominum.

Principium qui & loquor vobis. Iohan. 8.

Venit Iesvs *prædicans regnum Dei, & dicens: pœnitemini, &c.* Marc. 1.

Evangelista noster S. Iohannes de Diuinitate Iesv Christi loquens, ipsum dicit esse rerum omnium principium. Per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est: vnde etiam sequitur, finem esse omnium. Naturaliter enim vnaquæque res, vt in finem, in suum tendit principium. Ad locum vnde exeunt, flumina reuertuntur, dicit sapiens Ecclesiastes. Omnia sunt in circulo, vt in omnibus appareat Diuinitatis imago; à Deo exiuimus, & ad Deum reuertimur. Propter semetipsum enim vniuersa operatus est Dominus, & qui principium omnium extitit, etiam finis omnium esse voluit. Apoc. 1. Ego sum α & ω, principium & finis, dicit Dominus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens. Sic igitur omnium se finem Christus esse declarat, qui se principium appellat dicens hodie interrogantibus; Tu quis es? Principium qui & loquor vobis.

Ioh. 1. Eccl. 1. Prou. 16. Apoc. 1.

Et quidem hoc ipsum est quod nobis declarat Apost. dicens: vt deponentes peccatum circunstans aspiciamus in authorem fidei & consummatorem Iesvm. Ecce author, ecce consummator; ecce α & ω, principium & finis, vt iam cognoscamus quoniam terminus debet esse conuersionis nostræ, sicut principium: & in eo ipsum imitemur, qui sicut exiit à patre, & venit in mundum, ita relicto mundo ad patrem rediit. Ipse creator omnium Christus seruat legem quam dedit creaturis. Et propterea equidem huic mundo sphæricam dedit figuram, vt animaduertatur quia in suum principium creaturarum omnium est conuersio. Principium ego sum, ait hodie Christus, qui & loquor vobis. & in alio loco; Ego sum via, veritas, & vita. Quod quidem idem est atque, principium qui & loquor vobis, medium, atque finis vestræ conuersionis & salutis. Nemo venit ad patrem nisi per me. Sic Baptista Iohannes Ioh. 1. dicebat: Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Igitur priusquàm perueniamus ad patrem, viam inuenire oportet, quæ est Christus.

Ioh. 14. Ioh. 1.

Apud Ierem. hæc dicit Dominus: State super vias, & videte quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris. Vera enim stat illa sententia psaltis, quia iuxta viam & iter scandalum posuerunt. & rursus: In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi. Diaboli in viis nostris insidiantur nobis, vnde & dicunt omnes peccatores in Inferno: Errauimus à via veritatis, & Sol Iustitiæ non illuxit nobis, quid nobis profuit superbia? hæc via qua ambulauimus? aut alia similis? State super vias vestras, & videte quæ sit bona via.

Ierem. 6.

Hinc hodie in Euangelio Iudæis dicit Christus: Vos de deorsum estis, illæ sunt viæ vestræ; & ego de supernis sum. Vos de mundo estis, & ego non sum de mundo. Quid est, de deorsum esse? est esse captiuum rebus Inferni, videlicet peccatis, & non egredi ex iis; vnde, & in peccatis vestris moriemini. Quid est, esse de mundo? est ire post concupiscétias oculorum & carnis. Omne enim quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut oculorũ, & superbia vitæ: & denique lassari in via iniquitatis. Et sic qui de mundo sunt, cũ mundo peribunt, qui Deum non cognoscit, Christum odit, & pro quo non rogat Christus. Ecce viæ mundi, & conditiones eius: & ideo dicit Dominus, & in peccato vestro moriemini. Quia quò ego vado, non potestis venire. Videte quæ sit bona via, & ambulate in ea.

Quid sit de deorsum, & de mundo esse.

Domine tu quis es? Principium qui & loquor vobis: via, veritas, & vita: principium & consummatio omnium. Pauca sunt hæc, & satis breuia, sed omnia comprehendunt; nobisque indicant quantus sit thesaurus Dominus noster Iesvs Christus.

Nostræ salutis initium & via est, de peccato transire ad gratiam & iustitiam. Medium, cognoscere veritatem. Finis autem & consummatio, apprehendere vitam æternam. Et ecce ait Christus: Ego sum via, veritas, & vita. Via incipientium, veritas proficientium, vita perfectorum. Via in exemplo: Exemplum dedi vobis. Veritas in promisso: Quæ procedunt de labiis non faciam irrita. Vita in præmio: Ego ero merces tua magna. Via ducens, vt in Prou. dicitur: Ducam te per semitas æquitatis, quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum. Veritas illuminans. Nam iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. Via autem impiorum tenebrosa, & nesciunt vbi corruant. Sic apud Malach. Vobis timentibus Deum orietur Sol Iustitiæ. Propterea dicit psaltes: Accedite ad eum, & illuminamini. Vita pascens. Nam per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet; pascua vitæ æternæ. Ego sum panis vitæ. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.

Ordo salutis. Prou. 4. Malach. 4. Ioh. 6. Ioh. 10.

Quid igitur miser, omissis veris bonis post inania vagaris? Vide quæso quæ sit via bona. Disce vbi sit prudentia; vbi via, vbi veritas, vt simul discas vbi sit vitæ æternitas. Errauerunt in inuio, & locuti sunt falsa, & sic viam pacis, id est, vitæ, non cognouerunt. Quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Non inuenire Christum quærentibus accidit tribus de causis. Prima est, cùm non in tempore quærunt, vt S. Gregor. dicit. Clamorem eius tempore angustiæ Dominus non audit, qui tranquillitatis tempore clamantem in præceptis suis Dominum non audiuit. Vnde dicit Apostolus: Dum tempus habemus, operemur bonum; post hoc enim tempus erit in quo operari non possumus. An ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui diuitias bonitatis eius & patientiæ contemnis. *Venit* Iesvs *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.*

Trib. de causis Christus nõ inuenitur à quærẽtib. S. Greg. Moral. 20. Gal. 6. Rom. 2.

Secunda causa est, cùm non modum accipiunt homines, scilicet pœnitentiam. Nemo enim rectè quæsiuit, & minimè inuenit. A quibus ergo inuenitur? Vtique ab iis qui ex tota sua voluntate, in spiritu humili, & in animo contrito quærunt. Modus igitur accipiendus est. Propterea dicebat sic S. August. Deo in Soliloquiis suis. Quomodo ad te perueniatur, Domine, doce me. Si fide te inueniunt, qui ad te confugiunt, fidem da. Si virtute, virtutem. Si scientia, scientiam. O admiranda bonitas,

Secunda causa. S. August. in Soliloqu.

tas, ad te ambio: & quibus rebus ad te ambiam, à te rurſus peto. Si enim deſeris, peritur hic; ſed non deſeris, quia tu ſummum bonum, quod nemo rectè quæſiuit, & minimè inuenit. A

Tertia cauſa. In quibus rebus non eſt Deus quantũ ad effectum noſtræ ſalutis.

Tertia cauſa eſt, cùm vbi non ſit, quæritur. Hoc enim eſt notandum, quod quamuis ſecundum Diuinitatis potentiam Deus vbique ſit, non eſt tamen vbique quantum ad effectum, & communicationem rerum noſtræ ſalutis, vt in tranſitoriis & caducis, deliciiſque huius ſæculi. Sic Cant. 3. inquiebat Sponſa: In lectulo meo quæſiui per noctes, quem diligit anima mea, & non inueni. Circuiui Ciuitatem, per vicos & plateas, & non inueni. Inter vigiles & cuſtodes Ciuitatis quæſiui illum, & non inueni. Cùm autem pertranſiſſem eos, & inueni, & tenui eum, nec dimittam, &c. Igitur ſic illis accidit qui quærunt vitam, & beatam, vbi vita non eſt: & ſic Deum, vbi non eſt. Contra quos S. Aug. ſic clamat. Quid facitis? vitam beatam quæritis in regione vmbræ mortis. Et quomodo hic beata vita inuenitur, vbi nec vita? B

S. Aug. l. 6. Confeſſ.

Propterea igitur ait Chriſtus: Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Ego vado, inquit ille, qui ſecundum ſe eſt immobilis, id eſt, ſecundum Diuinitatem ſuam, principium & finis omnis motus, & omnis noſtræ conuerſionis. Ille inquam pro nobis mobilis factus eſt, de Cœlo venit in terram: in eaque factus colonus, & quaſi viator, vir vagus declinans ad manendum, deambulat per Caſtella & Ciuitates, dicens: pœnitemini, & credite Euangelio. Ego vado operari ſalutem veſtram. Ego vado, & venio ad vos. Quomodo Apoſtolus dixit: Chriſtus venit in hunc mundum ſaluos peccatores facere. Ego in Crucem exaltari vado, & iterum vado pro vobis ad Cœlum, præparare vobis locum, & tunc accipiam vos ad meipſum. C

1. Tim. 1.

Sed heu, inquit, quò ego vado, vos nõ poteſtis venire. Quare? quia de deorſum eſtis. Si enim non credideritis quia ego ſum, qui ſum, principiũ qui & loquor vobis, primus & nouiſſimus, α & ω, principiũ & finis, qui eſt, & qui erat, & qui vẽturus eſt, omnipotens: denique quia ego ſum filius Dei, qui exiui à patre, & veni in mũdum; moriemini in peccato veſtro.

Ioh. 4.

Vultis autem ſcire quid ſit credere quia ipſe eſt Dei filius, & principiũ qui loquitur? Eſt fidem habere inſtructam bonis operibus; alioquin minimè in eum creditis qui loquitur vobis. Et ſic non credentes, id eſt, non habentes fidem adiunctam operibus, quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Dicetis mihi. Domine, Domine, & ego reſpondebo; Neſcio vos. Oſtendite mihi fidem ex operibus. Ego enim principium qui loquutus ſum vobis, & veni prædicans regnũ Dei, & dicens, pœnitemini, & non credidiſtis. Credite Euãgelio. Si enim nõ credideritis, & quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro. D

Triplex mors.

Mors triplex ex peccato. Mors corporis; & de ea non loquitur hic Dominus. Duplex autem ſpiritualis quoad animã. Vna quam peccatum conſummatum facit, de qua ſic loquitur S. Iacobus: Peccatum cùm conſummatũ fuerit, generat mortẽ. Et propheta; Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Altera quæ dicitur æternalis, in morte, poſt vitam, in Inferis; de qua pſaltes: Sicut oues in Inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. Et illa eſt mors maximè, de qua hodie, ſicut adhuc de ſpirituali, loquitur Dominus dicens: Si non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro. Ego vado, quæretis me, & non inuenietis, ſed moriemini in peccatis veſtris. Credite Euangelio. Si autem credideritis, vitam æternam habebitis; pœnitemini, & credite Euangelio. E

DE CONVERSIONE NOſtra ad doctrinam Chriſti.

Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus. Matt. 23. *Venit* IESVS *prædicans regnum Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.* Marc. 1.

HODIE non loquimur. Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus. Accurrite omnes, & accommodate aurem ad audiendã ſapientiam quæ ex ore procedit quaſi vnigeniti à patre; hodie videbitis eũ, & audietis plenũ gratię & veritatis. Laudatur Regina Auſtri quod derelicta patria venerit audire ſapiẽtiã Salomonis: & ecce pluſquã Salomõ hic. Ille eſt doctor Iuſtitiæ tandiu deſideratus, & promiſſus à patre in prophetis. In Iſa. Ecce teſtẽ populis dedi eũ, ducem ac præceptorem Gentib. In Deut. ſic Moyſes dicebat filiis Iſraël: Prophetã de gente tua, & de fratribus tuis, ô Iſraël, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus; ipſum audies, vt petiſti in Horeb, quãdo dixiſti; Vltrà nõ audiã vocem Domini Dei mei, & ignẽ hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia ſunt locuti; Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, loquetúrque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem noluerit audire, ego vltor exiſtam.

Iſa. 55. *Deut. 18.*

Quis eſt doctor iſte de medio Iſraël ſuſcitandus, & ſimilis Moyſi, niſi Chriſtus legiſlator, melioriſque Euangelij quàm extiterit Moyſes? Ille qui non ſolùm in ſimilitudinem Moyſis miſſus eſt, ſed etiam in ſimilitudinem hominum factus de medio fratrũ ſuorum ſuſcitatus eſt, vt loqueretur nobis verba vitæ & ſalutis? Poſui verba mea in ore eius, ait pater æternus, non loquor amplius, multiſque modis olim loquens patribus in prophetis, nouiſſimè loquor vobis in filio. Ipſum audite, hic eſt propheta quem petiſtis. Ipſum dedi præceptorem Gentibus. Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus: ipſum audite. Ipſum quæſo audiamus; docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius.

Moyſes figura Chriſti.

In Euãgelio omnib. loquitur, & pro omnibus doctrina inuenitur. Pro Scribis, doctoribus, & aliis cuiuſcunque ſtatus & conditionis, doctrina eſt de humilitate & obediẽtia. Super cathedram Moyſi ſederũt Scribæ & Phariſæi, inquit Chriſtus. Omnia ergo quæcũque dixerint vobis, facite, ſed in operib. nolite imitari; dicunt enim, & non faciunt, & ſi faciũt, vt videãtur ab hominib. faciunt. Amant primos accubitus, ſalutationes, & vocari Rabbi. Vos autẽ nolite vocari Rabbi. Vnus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus. Ipſum audite, doctrinã ſalutis habet, & exẽplis, ſicut verbis vos humilitatem & obediẽtiam docet.

Obedientia.

Superbia cum inobedientia incolas expulerat è Cœlo, hodie iter redeundi demonſtratur. O viri, ad vos clamito, ait Sapientia, vox mea ad filios hominum. Qui enim loquitur hodie, filius hominis eſt Magiſter noſter Chriſtus. Qui os aperit vt doceat, IESVS eſt, verbum patris, omnium loquentium & docentium doctor; ille in quo abſconditi ſunt theſauri omnes, dicit Apoſtolus. Ipſum igitur audite. Prima eius lectio & doctrina de obedientia eſt, vt faciatis omnes quæcunque vobis dixerint verbi eius miniſtri & diſpenſatores, non ipſorum habita ratione operum. Quę dixerint facite; ſecundum autem opera eorum nolite facere.

Prou. 8.

Ante

Duplex doctor. Antequam vltrà progrediamur, duplicem hic vobis doctorem ex Euangelio proponimus. Vnus est super cathedram Moysi sedens: alter verò ad dexteram Dei in excelsis. Qui de cathedra ista nos docet, debet audiri, & nos debemus quę dixerit, obseruare. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, ait Apostolus, & dispensatores mysteriorum Dei. (1. Cor. 4.) Ad doctrinã, & non ad actiones debemus attẽdere. Doctrina de Deo est; & actiones sunt de homine. Qui in illo loquitur Spiritus Dei est, & Christus ipse Magister vester. (Matt. 10.) Etenim verbis quidẽ homo auditũ excitare potest; sed intrinsecus intellectum erudire non potest, nisi qui creauit eum Deus. Vnde S. Gregor. ait. (S. Greg.) In vanum lingua prædicatoris laborat, nisi intus sit qui doceat. Et S. Aug. (S. Aug. l. 5. Confess.) Nec quisquam præter te, Domine, alius est doctor veri, vbicunq; & vndecũq; clamauerit. Sicut enim nõ videntur colores, qui sunt præsentes, nisi oculi corporis luce perfundantur: ita nec aliquid verum cognoscitur, nisi lux vera quæ omnem illuminat hominem, intellectum illustrauerit. Et rursus, sicut agricolæ solùm terris mandant semina, expectantes vt cœlesti virtute germinent: sic homines dant solùm verba auribus, sed Deus erudit interiùs. Paulus plantauit, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Ita vt tua culpa sit, & non doctoris in hoc docentis te, si fructum expectatũ non refers.

Duplex differentia auditorum. In dupilci differentia sæpius auditores inueniuntur. Alij sunt qui dedignantur audire, vel etiam nolunt, ne bene agant, existimantes excusari à peccato, quod ignorent quid agere debeant. Verùm tales in sua cæcitate ad inferna rapientur, sicut latro à tergo & non videns ducitur ad patibulum. Vel certè quibus sufficit audire, sed non dicta & audita seruare curant: quibus etiam non plus quàm aliis proderit. Non auditores legis, ait S. Iacobus, sed factores iustificabuntur. (Iacob. 1.) Alioquin vir sciens, & non faciens vapulabit magis.

Alij verò sunt, & hi pauci, qui sicut audiunt, implere conãtur, huius verbi S. Iacobi memores: Estote factores verbi, & non auditores tantùm fallentes vosmetipsos. Quæ dicunt facite; secundum autem opera eorum nolite facere. Grauiter falluntur, qui reiecta doctrina, ad vitam concionatorum respiciunt. (*Respiciendũ ad doctrinã, & nõ ad vitam hominum.*) Ita fit de vita vt iudicas, volo: propterea noli doctrinam contemnere. Terra licet sit vilis, & conculcetur pedibus, fert aurum quod pretiosum est. Ita dico, verbum Dei, aurum pretiosum est, vndecumque proferatur. Similiter non desinis rosam colligere, licet producatur de spinis. Item scis optimè de conchis marinis pretiosas extrahere margaritas. Quare ergo non poteris tu de homine, licet rudi & spinoso, pretiosam margaritam Euangelij colligere, & florem immaculatæ legis? Apis de herba amara scit optimè dulcem succum extrahere, relicta amaritudine. Sic igitur & vos discite sanam doctrinam seruare, & quæ dicunt doctores facere, obedire mandatis Dei & Ecclesiæ, obedire inquam, & in humilitate.

Humilitas. Hæc est secunda lectio, seu documentum quod nos Christus edocuit, humilitas. Et certè nihil ipse nos edocuit quod non priùs exercuit. Didicit, inquit Apostolus, ex his quæ passus est, obedientiam, id est, quantum valeat, in se expertus est. Ita quidem de humilitate est, quam similiter didicit ex his quæ passus est in hac forma vili, quam assumpsit. Inclinauit cœlos & descendit, humilisque factus est vsque ad exaltationem & mortem Crucis. Magister vester, Angelorum vt hominum, vnus est Christus: eruditionis suæ cathedram in Cœlo habet sicut in

A terra, sapientiæque fons est verbum Dei in excelsis sedẽs ad dexteram Majestatis. De hac cathedra humilitatem Angelos docuit & obedientiam. Quis vt Deus? inquit Angelorum primus. Et certè nihil nũc humilius est Angelis; maximè autem ex quo Dei filius in carne nostra factus est humilis. Vultis eorum humilitatem & obedientiam agnoscere? Tanta est eorum humilitas, vt minimè inuideant hominibus si in gloria supra ipsos ascendant: imò & nos ad hoc sollicitant propter honorem quem humanitati Christi deferunt, quem supra se agnoscunt. Tantáque etiam ipsorum est obedientia, vt omnes sint administratorij spiritus missi propter eos qui secum capiunt hęreditatẽ salutis. Ecce quousque obediũt Christo, vt seruiãt omnes propter eũ hominib.

Si autem de ista cathedra Majestatis, videlicet de dextera patris, Magister Angelorum extitit, sic est & hominum. (*Christus Angelorum sicut hominũ Magister.*) Quare audiamus quid dicat hominib. Discite à me (ait) quia mitis sum, & humilis corde. (Matth. 11.) Specialis eius virtus est, & doctrina similiter. Qui se humiliat, inquit, exaltabitur, & è contrà, qui se exaltat, humiliabitur. Figuræ & modi loquẽdi sunt conformes doctrinæ. Qui biberit, ait, ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons salientis aquæ in vitam æternam. (Ioh. 4. & 7.) Si autem petas vnde ille fons orietur, additur postea; flumina de ventre eius fluent. Cur non dixit, de capite fluent, aut de corde? Ratio hæc est, quia certè sicut venter abiectior & vilior est pars hominis: C ita docet quod ex abiectione, & quasi imo tuæ cognitionis aquæ gratiæ emanaturæ sunt, si sint emanaturæ. Vnde etiam dixit quod eiusmodi fons erit, videlicet salientis aquæ, & non currentis. Non salit autem aqua nisi ex imo. Et sic qui se humiliat, exaltabitur.

Magni artifices, vt maiorem sibi gloriam comparent, sæpius viliorem materiam pulcherrimo operi subiiciunt, vt quo vilior est materia, eo plus resplendeat manus artificis. Vis tu itaque vt Deus pulcherrimum in te opus perficiat? Humilia te: humilibus enim dat gratiam Deus. Nescio vnde exiguæ res nobis sunt gratiores. (*Vnde humilia nobis placent.*) Exiguus puer nobis placet, exiguus canis. Fortè hæc inclinatio ex natura D Dei procedit, cui exigua & humilia placent, adeò vt ipse Dei filius Dominus Christus dixerit; Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. (Matth. 19.) Cùm esset paruulus Saül, inauguratus est Rex. Sic adhuc Dauid minimus omniũ fratrũ, post Saül vngitur in Regem. (1. Reg. 15. & 16.) Et certè nullus est qui non amet humiles. Et quæso quid in Cœlo esse creditis? Certè tota beatorum illa Curia, humilium & paruulorum Curia est. Nihil aliud videt Iohannes in Apoc. quàm seniores in facies suas procidere: (Apoc. 4.) vt hic ostendatur summa quæ in Cœlo est in Dei veritate & cognitione sui humilitas. Vnde sicut in Inferno non sunt nisi superbi, dicente propheta: Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. (Ps. 73.) E Sic in Cœlo non sunt nisi humiles, & obedientes mandatis diuinis, dicente Domino: Qui se humiliat, exaltabitur; & si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

DE CONVERSIONE AD Crucem IESV Christi.

Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur. Matt. 20.

Pœnitemini, & credite Euangelio. Marc. 1.

NON est seruus maior domino suo, ait Dominus. Clamat Matth. 16. Si quis vult venire post-

me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Ecce, inquit Dominus, ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad crucifigendum: & tertia die resurget. Reuelat seruis secretum suum Dominus, & amicos suos eos facit. Iam non dicam vos seruos, inquit, sed amicos; quia quæ audiui à patre, nota feci vobis. Et secretò assumens, ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam. Propheta Amos dicit quia non faciet Dominus verbum, nisi reuelauerit secretum ad seruos. Et ecce hodie secretò assumens discipulos, ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam. *Amos 3.*

Secretū Christi. Iam omnibus reuelatur secretum, quia oportet Christum pati, & nos sequi ipsum. Calix passionis cunctis proponitur, & mysterium Crucis, si in regno eius partem habere voluerimus. Hoc est quod duobus filiis Zebedæi, & matri ipsorum, nunc à Christo propositum est, quæ tunc accessit ad eum cum filiis suis adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? & illa; Domine dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram, in regno tuo. Cui respondens IESVS dixit: Nescitis quid petatis. Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Gentibus ad crucifigendum. Potestis bibere calicē quē ego bibiturus sum? Dicūt ei: Possumus. Dicamus idem & nos. Ascendamus, & moriamur cū illo. Sic enim expedit bibere calicem hunc cum eo, & compati, si conregnare velimus.

O Christiane, numquid tibi gratum erit cum Christo ascendere? Certè vel tibi fugiendum est ignominiosè, vt cum delicatis seruias Inferis: vel tibi hodie moriendum gloriosè cum Christo, vt cum eo regnes in excelsis. Secretum audi. Si vis cum Ionatha ascendere in occisionem & plagam Philisthinorum, & ipsum sequi vt armiger eius, tibi reptandum est manibus & pedibus inter ascensus, scopulos, petrasque ex vtraque parte eminentes. Si cum nostro Dauid ad montem, vt te non comprehendat gladius & persecutio Saülis, tibi incedendum est per abruptissimas petras. Denique expedit cum Christo ascendere, si vincere velimus & cum eo regnare. Ecce ascendimus, &c. *1.Reg.14.* *1.Reg.24.*

Quia appropinquabat hora Passionis, voluit etiā Dominus appropinquare loco Passionis, per psalmistā dicens: Holocaustum pro peccato non postulasti. Tunc dixi: Ecce venio, &c. Ipse holocaustum ero, ipse Isaac, imò ille inter vepres occisus aries, de quo in Gen. mētio est, id est, homo spinis coronatus, & pro homine immolatus. Quia enim verus erat Isaac, verbū, sapientia, & gaudium patris, immolari non potuit, nisi in forma hominis. Quare dicit: Ecce ascendimus Ierosolymā, & filius hominis tradetur. In hac enim forma venit, in qua ministrare nobis venit, & dare animam suam in redemptionem pro multis. Et sic numquam magis officio fuit filius hominis, addictúsque nostris ministeriis, quàm cùm ascendit Ierosolymam, vt traderetur à patre in mortem, & à Synagoga matre in manus inimicorum eius; traderetur sicut antemurale, vt in eo furor deseuiret patris, & in eo liberarentur ciues: denique traderetur vt petra percutienda hominum ictibus, vt ex ea torrens gratiarū in nos efflueret. Sic Isaias dicit quia vulneratus est propter delicta nostra, attritus est propter scelera nostra, & liuore eius sanati sumus. *Gen.22. Sacrificium Isaac figura Christi.* *Isa.53.*

Ecce ascendimus Ierosolymā. Ascendit, vt descēdat ad mortem. O qualis hodierna ascensio Domini! O quàm lōgè ab ista distat illa Transfigurationis! In hac resplenduit facies eius, & vox patris audita est:

A Hic est filius meus dilectus, &c. In ista verò moriturus est Dei filius, debet extingui Sol Iustitiæ, & derelinqui filius æternus à patre. O Domine, vbinam tunc erit, & est modò illa gloria tua quæ nuper apparuit in monte Thabor?

Sed numquid etiā tunc audieratis in eo sermones qui fuerant de excessu Crucis? Ecce ascēdimus Ierosolymam. Noua Transfiguratio ista est, vbi noua aperiuntur mysteria, videlicet gloria in opprobrio Crucis. Quis vnquā talia audiuit? Ascēdit Deus crucifigēdus, vt exinde summè honoretur, moritur us, vt ruina Angelorum reparetur & hominū vita, deleatur chirographū decreti, cōfringatur regnū diaboli, lex vetus impleatur, noua cōfirmetur; destruatur deniq; mors quę in ligno vicerat, magisq; Deus in ignominia Crucis exaltaretur, sicut ait: Cū exaltaueritis filiū hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Ac si diceret: illa descēsio, ascensio mea est; illa humilitas, mea gloria; illa deiectio, mea exaltatio: vt verum sit quod psaltes dicit; & mētita est iniquitas sibi. Qui me deprimere conati sunt, mentiti sunt, quia exinde magis fui exaltatus. Nā ideo ait: Sicut Moyses exaltauit serpentē in deserto; ita exaltari oportet filiū hominis. Et Paul. Quia humiliauit se Dominus IESVS, factus obediēs vsque ad mortē, mortē autem Crucis, propter hoc Deus exaltauit illū, & donauit illi nomen, quod est super omne nomē, vt in nomine IESVS omne genu flectatur, & omnis lingua cōfiteatur quia Dominus IESVS in gloria est Dei patris. *B* *Ioh.8.* *Ioh.3. Potentia Crucis.* *Philip.2.* *C*

Nam de Cruce nunc quidem magis cognitus est, vbi hodie verbum Crucis iis qui salui fiunt, virtus Dei est: imò vbi & qui crucifixerunt eum ad notitiam eius venerunt; Centurio, Latro, & multi alij qui percutientes pectus suum reuertebantur, quibus quidem in Cruce Christus meruit preces offerens cum clamore valido, vt cum eo sederent in regno Dei patris. Et certè non amplius hodie petebat ab eo mater filiorum Zebedæi, dicens: Dic vt hi duo filij mei sedeant, &c. *1.Cor.1.*

Sed coram illis de nouo transfigurat se Christus, aliterque quàm antè ipse de excessu suo loquitur. Mulier ista adinstar Petri in monte, nesciens quid diceret, ait: Domine bonū est nos hic esse. Dic, vt hi duo filij mei sedeant, vnus ad dexteram tuā, & alter ad sinistram, sua tecum habeant tabernacula. Sed heu! quàm diuersæ Christi cogitationes erant à cogitationibus huius mulieris? Hæc duo quæso simul comparate. Christus de Passione sua loquitur, & ait; Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur ad crucifigendum: & petit homo primas sedes in regno. In hoc certè constat quàm verum dicit Dominus per Isaiam: Sicut exaltantur cœli à terra, sic viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Nescitis quid petatis. *D* *Isa.55.*

In quatuor quidē nesciebant. Primò, putantes regnum eius esse de hoc mūdo. Secūdò, sinistram esse in regno Dei. Nō istud, nō istud. Tertiò, ius habere ad illud propter affinitatē & sāguinē. Nō ita, nō ita. Nā vt ait, multi venient & recūbent cū Abrahā, &c. filij autem regni eiicientur in tenebras. Et iterum: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus. Quartò denique existimantes in illud introire absq; labore. Sic autem non erit: sed oportet ascendere & per viam crucis: vnde statim dicit illis Dominus: Potestis bibere calicem, &c. *E* *In quatuor filij Zebedæi nesciebant quid petebāt. Matth. 8. & 21.*

Fortè autē non sine causa hæc duo in Euangelio cōiuncta sunt, sermo de Passione, & sedium Regni petitio: vt ostendatur quod nulli dabitur, nisi ei qui particeps fuerit huius calicis Christi, & dixerit cum discipulis eius: Possumus.

Mundus

In quo calix Christi differt à calice mundi. Mundus non minus habet calicem suum quàm Christus: sed quidem differentia magna est. Calix Christi, in principio amarus est: sed in fine suauis & præclarus, ita vt inebriet. Calix autem mundi, in principio videtur suauis: finis eius absinthio & abominatione plenus, ad mortem & damnationem inebrians. O Domine, calicem tuum da nobis. Potestis bibere? Domine possumus. O quis in veritate hoc dicere poterit?

Bibitur calix Christi per pœnitentiam. Modus bibendi calicem Domini IESV Christi, pœnitentia est. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium Regni Dei, & dicens: pœnitemini.* Pœnitentia, Euangelium est Regni Dei. Crux & calix IESV Christi, Euangelium est Regni Dei. Ecce, ait, ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum. Vultis igitur sequi Christum, vt postea à ligno regnetis cum eo in Cœlo? Pœnitemini in terra. Pœnitentia scala est Iacob, quæ ex vna parte stans erat super terram, & ex altera tangebat Cœlum, habebat Angelos per gradus descendentes, & Dominum cacumini innixum. Scala instrumentum est quo ad excelsa loca ascenditur, & sæpius munita castella inuaduntur. O Christiani, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Hac igitur scala & pœnitentiæ instrumento vtamur. *Venit* IESVS *prædicans Regnum Dei, & dicens: pœnitemini.* (Gen. 18. *Pœnitentia scala Iacob.*)

Huius scalæ pœnitentiæ duo latera debent esse, damnationis timor, & spes remissionis. Gradus debent esse humilitas & oratio: vel potiùs, si vultis, tres partes pœnitentiæ, contritio, confessio, & satisfactio. Scala est super terrã: quia in Cœlo necessaria pœnitentia non est; neque etiam in Inferno, vbi licet sit, infructuosa tamen est. Cœlum tangit: quia clauis est quæ aperit. Et Deus illi innititur: quia reuera Christus fauet pœnitenti, & pœnitens illi adhæret, vt apud Lucam dicitur: Erant autem appropinquantes ad IESVM publicani & peccatores. Et quia, vt ait, via est, veritas, & vita. Nemo venit ad patrem nisi per me. Angeli descẽdunt, & ascendunt per eam. Descendunt, dum militantibus aduersus peccatum, mundum, & sanguinem ferunt auxilium. Ascendunt verò, dum gaudium est illis in Cœlo super pœnitentia eorum & conuersione ad Dominum, sicut ipse Dominus ait: Gaudium est in Cœlo coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Verè gaudium, quia custodiæ suæ fructum vident gloriosum. Verè gaudium, quia ex conuersione & pœnitentia eorum, vident numerum suum impletum, eosque consortes esse cum ipsis in laudibus Dei. Neque enim amplius estis hospites & aduenæ; sed ciues Sanctorum, & domestici Dei. (Luc. 15. Ioh. 14.)

DE CONVERSIONE ad crucem Diuitis in Inferno.

Crucior in hac flamma. Luc. 16.

Venit IESVS *dicens: Impletum est tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.* Marc. 1.

NESCIO cur paupertas dedit initium vitæ & prædicationi IESV Christi in terra, nisi in condemnationem diuitum huius sæculi, & vt ostendatur quia expeditissima ad Cœlum via est

A paupertas. Matth. 5. aperit IESVS os suum in monte docens, & dicit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Vnde postea ait cuidam Scribæ qui volebat eum sequi spe lucri: Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet. Quasi ei dixisset, ait S. Hieron. Cur me propter diuitias, & sæculi lucra sequi cupis, cùm tantæ sim paupertatis, vt nec hospitiolum quidem habeam, & tecto vtar non meo? O. Domine IESV, ecce quousque paupertatem coluisti, qui voluisti, eam sustinendo, nobis diuitias largiri spirituales, & condemnare corporales, & quæ sunt huius sæculi. (Matth. 5. & 8. S. Hieron. in Matt. To. 9.)

B O viri diuitiarum, & mortales, diues hodie mortuus est, & sepultus est in Inferno. Væ vobis diuitibus qui habetis hic consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis. Ecce ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt, de mensa ad tumulum, & de tumulo ad Inferos. O quàm istud quod Dominus dixit verum est, quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum! Agite nunc diuites, dicit S. Iacobus, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in die- (Iob. 21. Matth. 19. Iacob. 5.)

C bus nouissimis. Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis. Væ vobis. Diues & epulo mortuus est: mortuus est & pauper; diues mortuus sepultus est in Inferno, & mendicus mortuus portatur ab Angelis in sinum Abrahæ.

Hæc sunt duo admiranda fortunæ spectacula quæ nobis hodie proponuntur in Euangelio. Homo quidam erat diues, inquit Christus, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Erat autem quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. Factum est au-

D tem. O factum est! quid? vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in Inferno. Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans dixit; Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Cui dixit Abraham: Recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus mala; nunc hic consolatur, tu verò cruciaris. Inter nos & vos chaos magnum firmatum est.

E Quid nunc vobis videtur, ô Christiani? quid facitis? quid dimittitis? quid amittitis? Et pro quo vili pretio iacturam cœli facitis? Diues in Inferno sepultus est, dum mendicus & pauper portatur in Cœlum ab Angelis. Horum quæso verborum memores estote: quia recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala; nunc hic consolatur, tu verò cruciaris. Bona huius diuitis in vita, diuitiæ erant, epulæ splendidæ, byssus & purpura. O quantum hodie mutatus est ab illo! Diues erat, & certè non fuit, quia erat, & non est amplius. ô fallaces diuitias! Somno comparantur. Dormierunt somnum suum viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus suis, & vt Isaias dicit, telas araneæ texuerunt. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis. Opera eorum opera inutilia, (*Diuitiarum fallacia.* Isa. 59.)

inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.

Diuites similes araneis. Diuites similes sunt araneis, quæ numquam à labore cessant, & perpetuum in suo opere dispendium sustinent, quia quod multo tempore conficiunt, modico vento rumpitur. Ita quidem de diuitibus in morte est. Sapientiæ 3. Labores eorum sine fructu, opera eorum inutilia, telas araneæ texuerunt. Sic Sapiens Ecclesiastes: Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.

Sap 3.

Eccl 5.

Sed quæ alia adhuc bona erant huius diuitis? byssus, purpura, & epulæ. Nunc autem pro bysso & purpura vestitur flammis, & pro epulis mors depascit eum. Corpus cum magna pompa defertur ad tumulum: anima verò à multitudine dæmonum ad Inferos defertur. Tali mortuo talè datur cœmeterium. Apud Isa. Detracta est ad Inferos superbia tua; concidit cadauer tuum, subter te sternetur tinea, & erunt vermes operimentum tuum. Et sicut denique duxit in bonis dies suos: sic hodie dicitur esse in tormentis, non in vno, sed in multis. Ita in Apoc. de Babylone Angelus dixit: Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum. O quanto cum eiulatu miser dicit istud psaltis: Circundederunt me mala, quorum non est numerus. *Crucior in hac flamma.*

Isa. 14.

Apoc. 18.

Verùm multitudinem & numerum dolorum eius videamus. Cùm esset in tormentis, eleuans oculos suos, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius. Vnde equidem irascitur, inuidet, pœnitet, & torquetur, sic videns exaltatum, quem antè contempserat derelictum, vilem, & mendicum. 1. Reg. 2. Videbis æmulum tuum in templo, vt tabescat anima tua, ait Dominus Heli, abiiciens eum de Altari, eo quod non corripuerat filios suos Ophni & Phinees de peccato suo. Sic denique de cunctis simul reprobis dicitur, quod videntes quos contempserunt, computatos inter filios Dei, turbabuntur timore horribili, præ angustia gementes, &c.

1. Reg. 2.

Sap 5.

Ecce in quæ mala vitæ huius bona conuertuntur: sicut è contrà conuertuntur in bona vitæ huius mala, vt hodiernum est exemplum de mendico paupere in Euangelio. O quis non vellet cum illo partem habere in consolationibus suis, atque deliciis? & quis cum diuite epulante vellet mittere sortem in tormentis? Interim iustus omnium retributor est Deus, vitæ huius bona malis, & mala bonis compensans. Nec potest quis introire in Cœlum, & consolationibus æternis perfrui, nisi per multas tribulationes.

Gen. 3. In Gen. initio figura est, vbi dicitur quod cùm eiecisset Dominus Adam de paradiso, collocauit ante eum Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Vt hic ostenderetur nobis, quia iam nullus in paradisum potest reuerti, vbi vera vita est & æterna, nisi per gladium flammeum transeat & Cherubim, id est, per ignem tribulationis & charitatis, aliàs excludendus. Propterea igitur Abraham dixit diuiti cùm esset in tormentis; Recordare quia recepisti bona in vita tua: Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, in nunc isto æternitatis: tu verò in nunc ipso cruciaris. Chaos magnum firmatum est, &c.

Gen. 25. O quot inueniuntur, heu, qui isti diuiti sorte & conditione sunt similes! O quot qui lentis edules ius suum ad regnum Dei cum Esau paruipendentes, paruulis vendiderunt, & mendicis pauperibus reliquerunt, & nunc tormentis & miseriis æter-

A nis fame pereunt! Lysimachus Rex à Scythis obsessus, deficiente aqua tradidit se hosti pro calice aquæ. Is autem cùm bibisset, exclamauit: O quàm breuis voluptas, & Regnum & libertatem amisi! Sic dicunt reprobi, & dicent apud Inferos, cùm propter momentaneum & leue voluptatis, viderint se captiuos in tormentis. Sic hodie in Inferis lamentatur diues, à paupere petens guttam aquæ, & dicens, crucior in hac flamma; & non subleuatur, cui aquæ gutta negatur. Heu quàm amara illa rerum mutatio! O diues, vbi sunt diuitiæ tuæ? vbi illæ voluptates, & epulæ? Ecce nunc fame & siti peris, qui in hac flamma cruciaris.

Ecce quidem vnde desperati isti dicunt in Inferno gementes: Quid nobis profuit superbia? aut B diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Hæc omnia velut vmbræ transierunt: in malignitate autem nostra consumpti sumus. Sic epulo consumitur. Crucior, inquit, in hac flamma. Tantùm guttæ aquæ refrigerium petit. Nihil quidem vilius & communius est aqua, & nihil etiam extremius aquæ gutta; & hac diues indiget in flammis, qui priùs vacabat epulis. Hodie qui diues erat guttam aquæ ab illo paupere petit (& nota,) in extremo digiti, cui olim micas panis negauit. Nihil certè minus est in pane quàm mica; & in aqua nihil etiam minus atque exilius quàm gutta: & ecce neganti minima, etiam minimorum superuenit in- C digentia. Sap. 5.

Istud mirum in modum exaggerat S Greg. 18. Moral. Quid, inquit, retribui subtiliùs, quid discretiùs potest? Guttam aquæ petiit, qui micas panis negauit. O misera conditio! ô infœlix damnatio! ô tremendum Dei omnipotentis iudicium! Nulla est apud Inferos redemptio & misericordia, sed solùm ibi fletus & stridor dentium. Qui damnatur, cruciatur, & non extinguitur, ait S. Gregor. moritur & viuit, deficit, & subsistit, finitur, & sine fine est. Erit enim miseris mors sine morte, defectus sine defectu; quia mors semper ibi incipit, & deficere nescit. S. Gregor. 9. Moral.

Quis putas tunc mœror erit, ait Hugo Victorin. D cùm separabuntur impii à consortio Sanctorum, à visione Dei, traditi in potestate dæmonum? Ibunt cum ipsis in ignem æternum, ibique semper erunt sine fine in luctu & gemitu, vbi dolor intolerabilis, fœtor incomparabilis, timor horribilis, mors corporis & animæ, sine spe veniæ, & misericordiæ, vbi nec qui torquet aliquando fatigatur, nec qui torquentur aliquando moriuntur, sed sic moriuntur vt viuant semper, & è contrà. Dicent illud Iob. Vtinam consumptus essem, & fuissem quasi non essem; & vt in Apoc. dicitur, quærent mortem, & non inuenient. Quando, vt dicit S. Bern. clamabit dæmon ad dæmonem; percute, dilacera, interfice, velociter spolia detrahe, infer prunas, & E ebullientibus impone lebetibus. Ideo Propheta clamabat timens: O Domine, ne permittas me sic demergi; non absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum. Quia, vt explicat Euseb. Emiss. cùm susceperit reos, claudetur sursum, & aperietur deorsum in profundum, nullum tunc spiramen, nullus liber anhelitus, claustris desuper vrgentibus. Quasi dicat: sic compressa erunt mutuò damnatorum corpora, vt nec extendere, nec contrahere se possint, sicut dicit Iob. quod corpus dæmonis, seu Inferni damnatorum compactum est squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas: vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separa-

Hugo Victorin. lib. de anima.

Iob. 10. Apoc. 9.

Ps. 68.

Euseb. Emiss.

Iob 41.

separabuntur. O quanta angustia! Sternutatio eius splendor ignis. De ore eius lampades procedent, de naribus fumus sicut ollæ succensæ & feruentis. Halitus eius prunas ardere facit, & cor eius stringetur quasi malleatoris incus.

Ecce quibus & quot tormentis cruciatur qui in Inferno sepultus est. O Domine, hic vre, hic seca, modò in æternum parcas. Ne permittas huc nos descendere, sed misericordiam tuam nobis hic ostende, & ad pœnitentiam trahe, vt tibi adiuncti, in hoc regno tuo recumbere mereamur quod prædicas, & promittis. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: impletum est tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.*

DE CONVERSIONE propria ad seipsum, vt ad vineam Iesv Christi.

Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam. Matth. 21.

Pœnitemini, & credite Euangelio. Marc. 1.

OMNIA dedit æternus pater in manus IESV Christi, & hæredem vniuersorum constituit, per quem fecit & sæcula. In Actis Apostolorum S. Petrus loquens Cornelio Centurioni, dicit. Verbum misit Deus filiis Israël, annuncians pacem per IESVM Christum, (hic est omnium Dominus.) Hic est honos noster, quod noster sit specialis Dominus: & hoc est amoris Dei singulare priuilegium, factum hominibus, quod in omnibus ipsum agnoscant Dominum suum. Magna equidem olim Dei erga hominem dilectio fuit, constituisse ipsum mundi huius quem cernimus Dominum. Magna adhuc, ipsum ad similitudinem suam formatum in medio paradisi collocasse, ibique vt vineam suam electam plantasse, adeò vt cætera in eius obsequium & vtilitatem laborarent. Sed omnem nunc gratiam excedit, quod ipse Dei filius huiusce hominis Dominus sit & curator à patre constitutus, eique vt vineæ omnem curam suam impendat. Quis non mirabitur & stupebit modò visa ingratitudine huius vineæ, & quod spinas proferat pro vuis in coronam Domini sui, tribulosque in effusionem sanguinis & seruorum eius?

(Act. 10.)

O vinea ingrata, siccine reddis Domino tuo? Nunc habitatores Ierusalem, iudicate inter me & vineam meam. Quid debui illi facere, & non feci? Ego te plantaui vineam electam, omne semen verum, nihilque omnium que necessaria erant, prætermisi: sepem circumdedi, torcular in ea fodi, turrim ædificaui, & locaui eam agricolis, vt fructum redderent in tempore suo. Quomodo ergo conuersa es in amaritudinem & in prauum vitis aliena? Ecce enim misi ad te seruos meos Prophetas, nouissimè filium meum, ait paterfamilias, & occiderunt.

(Ierem. 2.)

Hoc est quod amplius explicat in hac parabola Christus dicens. Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas vt acciperent fructum, & apprehensos occiderunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Forte verebuntur filium meũ.

A Et videntes dixerunt: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehensum occiderunt: sed postquam extra vineam eiecerunt eum. Quod hic notandum est, & mysterio non caret.

Anima tua, ô Christiane, vinea Christi est, cuius etiam tu agricola es. Vinea illa de qua psaltes dixit; Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam. De Ægypto peccati, & idololatria eiecta, electam suam vineam, & nouam, nos Deus plantauit. Vt quid igitur, ô homo, destruxisti maceriam eius? id est, sepem: ecce enim modò vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur, mundus, caro, & sanguis, dæmones, & peccatum cum concupiscentiis. Deus virtutum conuertere; respice de Cœlo & vide, visita vineam istam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua: id est, fac vt fructificet; & sicut plantasti, eam riga sanguine tuo, & incrementum da.

(*Quomodo anima Christiani, vinea est Christi.* Ps. 79.)

B

Anima igitur, vinea Christi electa est, cuius nos agricolæ sumus. Sed accidit heu! quod Christum extra vineam eiicimus, & seruos quos mittit fructus recipere, contumeliis afficimus. Sed quid est Christum extra vineam eiicere? Christus, ô Christiani, viuit in suis. Igitur extra suos eiectus moritur. Sic enim hodie dicitur de filio & hærede, quod eiecerunt eum extra vineam, & occiderunt. Ad quid? vt hæreditatem haberent. Sic & vos, ô peccatores, qui sequi vultis concupiscentias animæ vestræ, & frui in libertate deliciis vestris, quid dicitis, & facere vultis, cùm filium Dei, & hæredem vineæ eius aspicitis? Venite, occidamus eum, extra animam eiiciamus, & habebimus hæreditatem eius. Nostra erit, absoluti Domini erimus, & secundum libertatem & desideria cordis nostri viuemus, non habebimus quem timeamus, & cui vitæ nostræ rationem reddere debeamus.

(*Quid sit Christũ eiicere.*)

C

Cùm Iacob misisset Ioseph ad fratres suos, & vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere, & mutuò loquebantur: Ecce somniator venit, venite, occidamus eum, numquid Rex noster erit, aut subiiciemur ditioni eius? Inuidebant ei fratres sui & oderant, videntes quod à patre plus cunctis filiis amaretur, & iuxta somnia & visiones deberet eis dominari; hoc ferre minimè poterant, nec ei propterea quidquam pacificè loqui, sed dicebant; venite, occidamus eum, & liberemus nos de manibus eius. Talia de Christo prætendimus, cùm legis ipsius iugum excutere, & desideria libertatis nostræ sequi volumus. Talia & Sathan prætendebat, cùm similis esse Altissimo volebat. Talia Adam in paradiso, cùm Domini præceptum est transgressus. Talia denique omnis peccator qui rapitur in desideria carnis. Qui talia agunt, omnes dicunt, habebimus hæreditatem eius. Hæreditas Christi, nostra est anima, & in eam suprema potestas. Omnia & in omnibus Christus: omnia in ipso, & nihil extra ipsum facere debemus. Nam nihil damnationis iis qui sunt in Christo IESV. Vnde ait ipse Dominus: Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum pater. Quare? Quia nihil bonum & acceptum est Deo quod fit extra ipsum. Et sic malos malè perdet, videlicet agricolas illos, qui filium & hæredem è vinea sua eiicere & occidere conati sunt, videlicet Christum.

(Gen. 37.)

D

E

(Rom. 8. Ioh. 15.)

Sed quid est hoc, malos malè perdet? Num aliquid malè facit Deus? Ille inquam qui fecit omnia bene? Itaque notandum est, Deum perdere aliquem duobus modis, bene, & malè. Bene perdit, cùm ad emenda

(*Duobus modis Deus aliquem perdit.*)

emendationem castigat, vt recuperet. Malè verò, cùm ad condemnationem castigat & punit. Aliquando accidit quod permittit Deus cadere aliquem, sed vt postea iustior resurgat: tunc adhuc bene perdit, vt in exemplo Petri, Pauli, & Magdalenæ videre est. Sæpius enim videtur se habere Deus adinstar collusoris callidi, qui initio aliquid perdit, vt postea à colludente maiora lucretur. Tunc certè iste initio bene perdit, qui in fine tantum lucrum fecit. Sic inquam aliquando videtur Deus quasi callidè cum quibusdam colludere, iacturam sustinens, vt magis inde lucretur.

Similitudo.

Item & alio adhuc modo quodam bene perdit per afflictiones temporales, vt liberentur ab æternis. Malos autem malè perdit, in quibus per afflictiones quas immittit, nihil lucratur, quibus nihil cooperatur in bonum, sed omnia in condemnationem ipsorum & perditionem æternam. De quibus hodie hæc verba intelliguntur: Malos malè perdet.

Erga homini singularis Dei misericordia & prouidentia.

Duo igitur in hac parabola specialiter explicantur; summa Dei misericordia, & summa iustitia. Imprimis misericordia, quod plus prouidentiæ Deus exercet erga vnam animam, quàm erga vniuersum mundum. Vinea electa eius est, vinea quam plantauit sibi, & ad bonum cuius omnia ordinauit & direxit, vt patet in opere creationis, & mysterio Redemptionis. In opere creationis, in eius obsequium Cœlum & terram ordinauit, Angelos & elementa omnia: in mysterio Redemptionis, filium ipsum vniuersorum hæredem. Ipsum misit, & ipse omnia profusè communicauit illi, vitam & sanguinem. Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?

Dignitas animæ.

Huius vineæ tanta est dignitas, vt non minor pluuia ei debeatur quàm sanguinis. Et ecce Dei filius pro ea suum sanguinem effundere dignatus est: imò & racemos prauitatis eius calcare in corpore suo, adeò vt sanguis peccatorum nostrorum dispersus sit super vestem eius, & inquinarit eam. Quanta, heu! misericordia & benignitas Dei nostri, qui totum quod potuit bonum nobis fecit, licet sciret inde accepturum à nobis vinea sua, totum malum quod illi possemus reddere? Interim à patre mittitur; Fortè, inquit, verebuntur filium meum. Non Domine, sed occident eum. Et ille missus ad nos venit, fortè, inquit, quia conuertentur ad me, sicut apud Ioëlem dicit: Conuertimini ad me in toto corde vestro. O fortè quia ad prædicationem regni mei, agent pœnitentiam de peccatis suis, sicut in Euangelio legitur, quod venit IESVS prædicans Euãgelium regni Dei, & dicens, quoniam impletum est tempus: tempus fructuum, pœnitemini, &c. Sed non Domine; potiùs te extra vineam eiicere meditati sunt, & hæreditatem habere, post desideria sua abeuntes, & sic secundùm duritiam suam & impœnitens cor thesaurizare sibi iram tuã. Vnde etiam statim ex ipsorum ore proprio superuenit ira, & iustitia de Cœlo.

Ioël. 2.
Marc. 1.

Cùm enim finita hac parabola Christus dixisset Iudæis: Quid faciet, cùm venerit Dominus vineæ, agricolis illis pessimis? aiunt illi, declarantes iustitiam contra se; Malos malè perdet, &c. Quibus respondit IESVS; Numquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: & super quem ceciderit, conteret eum. Christus lapidem se dicit, scilicet hunc, de quo sic loquitur Scriptura apud Isa. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem, probatum, pretiosum, in fundamento fundatum. Ecce conditiones huius lapidis, de quo & Apostolus sic loquutus est. Superædificati estis super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo IESV: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu. Etenim, vt alibi dicit, fundamentum aliud ponere nemo potest, &c. Petra enim erat Christus. Sic S. Petrus: Hic est lapis viuus, ab hominibus quidem reprobatus, sed à Deo electus, & honorificatus, sine quo quidem nullum extat virtutis ædificium. Vnde vobis credentibus honor; qui enim crediderit in eum, non confundetur. Non credentibus autem, lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, lapis offensionis, & petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt. Vnde iam sicut lapis est angularis, duas inter se naturas vniés in vna persona, Deum & hominem constituens Christum viuum in quo est omnis ædificatio nostra & vita: sic etiam in caput erit anguli, & offensionis lapis iis qui extra ipsum erunt. Ita vt qui ceciderit super eum, confringatur, & super quem ceciderit, conterat eum.

Ps. 117.
Quomodo Christus lapis dicitur.
Isa. 28.
Eph. 2.
1. Cor. 3. & 10.
1. Pet. 2.
Quomodo Christus sit lapis offensionis.

Figuræ pulchræ sunt in illo lapide quem Dauid funda sua iecit in Philisthæum, & confregit eum. Item in illo alio lapide exiguo qui statuam Nabuchodonozor confregit. Ita enim Christus in mundum veniens & Philisthæum, & omnẽ superbiam, & potentiam mundi humilitate sua confregit.

Figura.
1 Reg. 17.
Dan. 2.

Caueamus itaque & nos, ô Christiani, ne cadat super nos iste lapis; ei potiùs vniamur, super ipsum coædificati. Nostrum sit fundamentum, & regni nostri tabernaculum: consummatio omnis & corona, lapis electus, probatus, pretiosus, & viuus, ex quo aquæ viuæ fluant in vitam æternam. Lapis denique omnis ex quo non solùm aquæ, sed flammæ ignitæ diuini amoris, ferro & exercitationibus pœnitentiæ exortæ appareant. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.*

DOMINICA TERTIA.

DE SALVTE ANIMÆ in conuersione eius ad Christum.

Qui non colligit mecum, dispergit. Luc. 11.
Pœnitemini, & credite Euangelio. Marc. 1.

SANCTVS Paulus Rom. 8. dicit nihil damnationis esse iis qui sunt in Christo IESV. Hæc veritas Apostoli in verbis eius fundatur qui hodie dicit in Euangelio: *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.* Certa manet damnatio iis qui faciunt extra Christum, quod faciunt: salus verò qui quod faciunt, in ipso faciunt. *Credite Euangelio. Qui non est mecum* inquit Dominus, *contra me est.* O quàm miser est status & conditio peccatoris! Iam satis suprà id notum est nobis: verumtamen in duobus simul obiectis, in quæ hodie aspiciemus, adhuc innotescet magis, videlicet in hesterno prodigo, & dæmoniaco hodierno; vt ex duobus istis miseris coniunctis & simul considera

Rom. 8.

consideratis, vnius miseri peccatoris miseriam meliùs contemplemur, indeque quæ apparuit in Christo diuinam misericordiam. Et quidem exterior adolescentis dissipatio, satis dæmoniaci interiorem demonstrat: sicut facta vni reparatio, etiam factam alteri restitutionem indicat, vt facilè constat ex discursu Euangelij.

Inter prodigum & dæmoniacum conuenientia & relatio.

Erat IESVS eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eiecisset, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Interim cogitationes quorundam videns, qui virtuti Beelzebud hoc attribuebant, & signum ab eo de Cœlo quærebant, cœpit dicere illis. Omne regnum in se diuisum desolabitur, & tale est Beelzebud regnum, quod stare non potest, quomodo ergo dicitis in illo me eiicere dæmonia? Filij vestri, discipuli mei, in quo eiiciunt? nónne in nomine meo & patris mei eiiciunt? Ideo ipsi Iudices vestri erunt. Porrò si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa eius arma auferet, in quibus confidebat. Audite ergo: Qui non est mecum, inquit Dominus, contra me est; (in potestate inimici est) & qui nō colligit mecum, dispergit, dissipat, & cum peccatoribus & dissolutis portionem substantiæ suæ diuidens, disperdit.

Prodigus adolescēs homo est deditus terræ.

Status hic est prodigi adolescentis, de quo heri in Euangelio sermo erat, qui optimè cum dæmoniaco Euangelij potest hodie referri: satis enim cum illo conuenit. Prodigus iste adolescens & iunior filiorum Dei, homo est, qui addictus terræ dicit Deo, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit, diuisionem substantiæ petit, & in longinquam regionem ire. Et ecce quia non colligit amplius cum patre, dispergit & dissipat, viuendo luxuriosè. Et quia etiam non est cum ipso, sed diuisus, contra ipsum est. Quare adhæret vni ciuium istius longinquæ regionis, quæ peccati est & diaboli, qui facit ipsum statim inseruire porcis, cōcupiscentiis, & mala fame perire. Nam, vt S. Pet. ait, à quo quis superatus est, huius & seruus est. Sic apud Ioh. Christus: Qui facit peccatū, seruus est peccati.

1. Pet. 2.

Peccatorum inopia.

O dura seruitus! ô stupenda miseria! Dissipata substantia, non habent amplius quid manducare possint peccatores, quibus etiam desunt siliquæ porcorū. In Exodo legitur, quod dū populus Israël Pharaoni seruiret in opere luti, denegatæ sunt ei etiā paleæ, vt magis cōtereretur in afflictione sua. Sic est de omni peccatore, qui in opere luti diabolo seruit, vt Ierem. ait: Nō inueniētes pascua, abierunt absq; fortitudine ante faciem subsequentis, scilicet Pharaonis & diaboli, qui illos miserrimè tractat. Vnde hoc? quia dissipata est eorū substantia, vt alibi dicitur: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas. Sic psalmista: Qui elongant se à te, peribunt. Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. & Sapiens: Longè est Dominus ab impiis; vnde cum ipsis omnis egestas, & deficientia. Omnis enim copia quæ Deus non est, ait S. Aug. egestas est. Vnde peccator omnis fame perit qui est ab eo diuisus. Cui etiam semper dicere conuenit: Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Etenim tota dissipata est.

Exod. 5.

Thren. 1.

Ierem. 2.

Prou. 15.

S. August. 9. Confess.

Quænam est hominis substantia.

Sed quænam substantia nostra est? Vtique Deus, gratia, & diuina cognitio eius. Vnde qui ab illo recesserunt omnes, & dixerunt ei: Scientiam viarum tuarum nolumus, sed secundum desideria cordis viuere volumus, da nobis portionē substantiæ quæ nos contingit; ad vltimum famem patientur vt canes, circuibunt ciuitatem, vniuersum mundum, vt extra se inueniant quod iam intra se dissiparunt: extra se, quia iam in seipsis amplius substantiam non habent; & sic non inuenient quod manducent, sed continuò famem patientur vt canes.

Extra Deum famem patiuntur peccatores.

O vos peccatores qui enutritis corda vestra in luxuriis, & peritis fame elongati à me, qui laboratis, & non habetis, venite ad me omnes, & ego reficiam vos. Substantia vestra in me est. Ego sum panis viuus & vitæ qui de cœlo descendi, vt si quis ex ipso mãducet, nō moriatur, sed viuat in æternū. Substantia vestra in cognitione mea est & Patris. Hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verū, & quem misisti IESVM Christum. Substantia deniq; vestra & cibus est, vt faciatis voluntatem eius qui misit me Patris; in obseruatione mandatorum eius, & vos dissipastis illam, viuendo luxuriosè, & recessistis ab eo, & à me qui sum imago substantiæ eius, in regionem longinquam.

Ioh. 6.

Ioh. 17.

Quàm sit malū à Deo recedere.

Verè longinqua regio iste recessus à Deo. Quò enim longiùs abire possumus, quàm cùm ab illo, qui vbique est, discedimus? Et quam maiorem egestatem patimur, quàm cum eo qui omnium salus & vita est, priuamur? Moyses hoc exprobrat Israëli dicens: Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei: Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, & ait: Abscondam faciem meam ab eis, &c.

Deut. 32.

Hoc expertus fuerat S. Aug. dicens. Inueni me esse longè à te, Domine, in regione dissimilitudinis. Longè istud, loci mutatio non est, sed animi, à quo recessit Deus, sicut ille à Deo per peccatum. Nihil certè longinquius est, quàm se elongare à Deo qui est in omni loco, supra quem, infra quem, & extra quem nihil est: sine quo denique nihil est, in quo, à quo, & per quem omnia: per quem sumus, viuimus, & mouemur, videmus, loquimur, audimus.

S. August. 7. Confess.

Quare videamus nunc in Euangelio quid contra Dei præsentiam dæmon fecit in dæmoniaco. S. Lucas dicit quia mutus erat; S. Matth. quia etiam cæcus, & similiter surdus, iuxta Theophyl. in Matt. in quantum sic à natiuitate erat. Qui enim à natiuitate mutus est, etiam surdus est. Quod ergo operatur in isto dæmoniaco dæmon, cæcitas est, surditas, & silentium.

Matth. 12.
Theophyl.

Opera diaboli in anima.

Hic videte quæso recessum à Deo in ignorantia & tenebris. Peccatorem excæcat, ne Deum contempletur, & miseriam suam videat. Et quæ maior cæcitas quàm auari, qui iacturam facit omnium bonorum Dei, & fraudem pecuniæ suæ non videt? Quæ item maior cæcitas quàm impudici, qui pro vili & transitoria voluptate, æterna gaudia in Cœlo amittit? Et quæso nónne voluptas Samsonem cæcauit? Surdum facit, vt minas non audiat Inferni, clamorem pœnitentiæ, & promissiones paradisi: sic vt postea pro nihilo habeat terram desiderabilem. Denique mutum reddit ad Dei laudes, & petitionem veniæ, aut peccatorum declarationem.

Ecce peccatorum & dæmoniacorum status miserabilis. Similes sunt simulachris Gentium. Os habent, & non loquentur, &c. Neque enim est spiritus in ore & corde ipsorum. Ecce quæ illorum conditio qui substantiam suam dissiparunt. Grandis miseria in quam sic peccatores cadunt, vt in

ea sint in æternum permansuri, nisi Christi misericordia liberentur, & conuertantur.

Erat IESVS eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eiecisset, locutus est mutus. Optimus medicus Christus est; curat morbum, causam expellendo, nunc videt cæcus, audit surdus, & mutus loquitur. Venerab. Beda in Luc. 11. Quod tunc carnaliter factum est, quotidie completur in conuersione peccatorum, vt expulso primùm dæmone, fidei lumen aspiciant, &c.

Videt cæcus. Adolescens in se reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? Surgam, & dicam ei: Pater, peccaui, &c. Principium nostræ conuersionis est videre, & ad se reuerti: peccator enim exierat à se vt cæcus. Igitur ad se est redeundum, antequam reuertamur ad Deum, vt per Ierem. dicitur: Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras. Vnde Poëta Catullus; *O dij reddite me mihi.* Sic S. August. in Confess. Admonitus sum redire ad meipsum, & intraui intima mea te duce, Domine Deus. (Ierem. 3. — S. August. 7. Confess.)

Reditus iste, miseriæ nostræ consideratio est. *Audit surdus.* Auditus in recordatione est domus paternæ. Quanti mercenarij, &c. Delectationes in dextera tua vsque in finem. Ego autem hic fame pereo. Scio quia mansiones mult... sunt in domo patris: vnde vnam illarum, non iam vt filius, sed vt vnus ex mercenariis & seruis petam. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Concupiscit anima mea, & deficit in atria tua.

Mutus loquitur. Sequitur locutio primùm interna; Surgam. Propositum hoc primum pœnitentiæ est; Surgam à peccatis, & porcos dimittam. Secundum; & ibo ad patrem à quo recesseram. Hic denotatur contritio. Locutio secunda exterior est, videlicet confessio; & dicam: Pater, peccaui, &c. Sic Manasses Rex Iuda cùm teneretur captus in Babylone, conuersus ad Dominum dicebat: Peccaui Domine, peccaui, & iniquitates meas agnosco. Quare peto rogans te, remitte mihi, remitte mihi, & ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus reserues mala mihi, neque damnes me in infima terræ loca; quia tu es Deus, Deus inquam pœnitentium, & in me ostendes omnem bonitatem tuam, quia indignum saluabis me secundum magnam misericordiam tuam. Et Dauid: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, quoniam iniquitatem meam cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui, &c. (*Partes pœnitentiæ & conuersionis.* — Psal. 50.)

S. August. in Ioh. Quasi duæ sunt res, inquit, homo & peccator. Quod audis, homo, Deus fecit: quod audis, peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, vt Deus saluet quod fecit. Oportet vt oderis in te opus tuum, vt ames in te opus Dei. Cùm autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium bonorum operum est confessio malorum. Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meã Domino. Pater, peccaui in Cœlum & coram te. Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Hæc est satisfactio: fac vt pœnitentiam agam, & satisfaciam pro peccatis. Et surgens venit ad patrem. Pœnitentiæ executio ista est & consummatio. (S. Aug. tract. 12. in Ioh.)

O vos omnes sic surgite postquam sederitis. Et tu peccator, ne stes in omni circa regione, postquam incepisti surgere, sed in monte saluum te fac, in domo paterna, vsque ad patrem vade, vt videns te, etiam à longè tibi occurrat, super te miseA ricordia motus, & osculetur te osculo oris sui. Verumtamen adinstar prodigi huius adolescentis, faciem eius in confessione præoccupa, & dic ei: Pater, peccaui. Iam non sum dignus vocari filius tuus. Inde enim certò futurum est quod ministris suis dicet: Citò, citò proferte stolam primam, induite illum, & date annulum. Epulemur omnes, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est. Surgamus itaque à peccatis nostris, & reuertamur omnes ad Dominum. Ecce super conuersione nostra, coram Deo & Angelis eius, in Cœlo gaudium.

Vnusquisque ergo reuertatur, conuertatur, & dicat: Pater, peccaui. Illud Ieremiæ dicat: Castigasti me Domine, & eruditus sum, quasi iuuenculus, B adolescens, indomitus. Conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Substantiam dissipaui, surgam, ibo, reuertar. (Ierem. 31.)

Reuertamur, peccatores. Nunc filij Dei sumus; pascimus porcos, & filij Dei sumus? Quid ad ista dicitis? Reuertamur, peccatores, ad patrem, filij Dei sumus. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.* Reditus ad patrem, pœnitentia est. Hoc est quod C nobis Euangelium annunciat, & gaudium quod affert pœnitentibus, iisque qui ex toto corde suo conuertuntur ad Dominum.

S. Aug. hoc exaggerans ait. Quis non exultet, si subitò nescio cui peregrinanti, & ignoranti genus suum, patienti egestatem & ærumnam, & in labore constituto, (vt in custodia porcorum) diceretur; filius Senatoris es, pater tuus amplo gaudet patrimonio in re vestra? Reuoco te ad patrem tuum. Quali gaudio exultaret, si hoc non fallax promissor diceret? Venit non fallax Christi Apostolus, & ait: Quid est quod de vobis desperatis? quid est quod vos affligitis, & mœrore conteritis? quid est quod concupiscentias vestras sequendo, in egesta- D te istarum voluptatum, (cum porcis) conteri vultis? Habetis patrem, habetis patrimonium, habetis patriam. Quis est iste pater? dilectissimi, filij Dei sumus. Quia nondum videmus illum, ideo nondum apparuit nobis quid erimus. Verùm quid erimus? Scimus, ait, quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Fratres, cogitate ista omnia quæ videtis, pulchra quæ amatis. Ipse fecit. Si hæc pulchra sunt, quid est ipse? Si hæc magna, quantus ipse? Ergo ex istis quæ amamus, illum magis desideremus: & contemnentes ista, illum diligamus, vt ipsa dilectione cor mundemus per fidem, & mundatum inueniat aspectus illius. *Venit* IESVS *prædicans regnum Dei, & dicens:* E *pœnitemini, & credite Euangelio.* (S. August. in Psal. 75.)

DE COOPERATIONE gratiæ Christi.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & in patria tua. Luc. 4.

Pœnitemini, & credite Euangelio. Marc. 1.

PLENITVDO gratiæ & diuinitatis corporaliter habitauit in Christo IESV, iuxta Apost. nõ solũ quatenus (Coloss. 2.)

quatenus Deus, sed etiam quatenus homo est, adeò vt in se principium sit, causa, & instrumentum omnis gratiæ. Propterea adiunxit Paulus, vt essemus in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis, de cuius etiam plenitudine omnes receperunt, vt dicit Sanctus Iohannes. Quare non sine causa, & mysterio hanc particulam (corporaliter) apposuit Apostolus, vt intelligamus per eam, non solùm realiter & substantialiter habitare in eo omnem plenitudinem; sed secundum Theodoretum in hunc locum Apostoli, corporaliter, id est, tanquam in proprio corpore, adeò vt ipsa humanitas & caro Christi, corpus sit verum, & proprium habitaculum diuinitatis & gratiæ, vnde postea in nos omnis plenitudo diffunditur. Gratia per IESVM Christum facta est, in quo omnis plenitudo corporaliter inhabitat. Inde est quod à diebus prædicationis IESV Christi, omnibus offertur eam volentibus, neque amplius deest, nisi iis qui deesse illi volunt, & non accipiunt. Venit IESVS prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, plenitudinis tempus & gratiæ, pœnitemini, & credite Euangelio.

S. Theodoret. in Paul.

Ioh. 1.

Quib. ne gratia desit.

S. August.

Illa manet certa Sancti August. & Doctorum sententia. Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. Nescio hic quid admirari magis debeam, creationis opus, an iustificationis. Illud, in quo resplendet summa potestas: istud, vbi minimè videtur absoluta, sed dependens. Verùm, ô Domine Deus, quis tuæ potest resistere voluntati? voluntas hominis. Numquam enim Deus saluabit nisi volentem.

Neque cum Pharisæis hodie dicendum est: Quãta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. In veritate dico vobis, ad opus vestræ iustificationis, dispositio vestra requiritur & voluntas. Hoc est quod hodie Christus duplici similitudine Iudæis insinuat dicens: Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est Cœlum annis tribus & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarephta Sidoniæ, ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israël sub Elisæo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Et repleti sunt omnes ira, hæc audientes, & eiecerunt illum extra Ciuitatem ducentes vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat: & descendit in Capharnaum.

Quid ad iustificationem requiritur.

3. Reg. 17.

4. Reg. 5.

Ex his quidem exemplis, & sequentibus, constat primùm non esse Deum personarum acceptorem, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiã, illi esse acceptum. Verbum misit Deus filiis Israël, inquit Petrus Cornelio, annuncians pacem per IESVM Christum (hic est omnium Dominus) cui & omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. *Venit* IESVS *prædicans regnum Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.* Secundò, quod hic prætendit & requirit Deus, est vt velimus. Motum petit, dispositionem, & consensum nostræ voluntatis. Exemplum sumamus roris & pluuiæ cadentis in terram, reddit illa prout disponitur. Verùm non aliud quæramus quàm Pharisæorum in Euangelio. Quanta audiuimus facta in Capharnaum, inquiunt Christo, fac similiter in patria tua. Frustra

Act. 10. *Deus personarum nõ est acceptor.*

Deus petit cõsensum voluntatis.

A exigebant, qui ad conuersionem dispositi non erant. Iam multa inter eos fecerat, quæ non profuerant illis. Conceptus est in Nazareth patria sua, opus quidem miraculorum eius maximum, opus omnipotentiæ Dei, sapientiæ, bonitatis, opus Spiritussancti. Ibi educatur, ibi loquitur, ibi operatur; & ex tot factis quid retulerunt? Dicunt, vnde huic sapientia & virtutes? nonne hic est filius fabri? De eo & in eo scandalizantur. Quare aliquando dixit illis Christus: Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent, videlicet ex eo quod post tot facta inter eos, non me sicut filium Dei glorificauerunt, & sic indigni fuerunt B quibus adhuc elargirer dona gratiæ. Nemo Propheta acceptus est in patria sua. Recordabantur ipsi quod cùm eis fuerat conuersatus, & mirabantur quæ de eo dicebantur. Quare delectatione nouitatis magis quàm reuerentiæ & credulitatis dicebant ei: Quanta audiuimus facta in Capharnaum, in alienigenis, fac similiter in patria tua; factis tuis conciues tuos honora: fac inter nos.

O miseri, satis grande miraculum est inter vos, quod sustineat hodie in omni patientia animi contemptus vestros, opprobria & atroces iniurias. Extra vrbem eiiciunt, & de montis supercilio præcipitare volunt. Quid facit Christus? cum silentio abscondit se, transiens per medium illo- C rum ibat. Ecce miraculum inter eos.

Patientia Christi magnum miraculum.

Refertur in Collationibus Patrum ab Abbate Theremon, cuiusdam senis exemplum apud Alexandriam, qui cùm ex Eremo coactus fuisset egredi ab Infidelibus, & ab eis multis affectus iniuriis, subsannando interrogaretur; Quodnam miraculum Christus tuus fecit quem colis? Ipse ait illis, vt his, & maioribus adhuc, si mihi intuleritis, non mouear, nec offendar iniuriis. Ecce miraculum Christi mei quem veneror & adoro. Hoc me docuit, cùm ipse accusatus tacebat, & multis iniuriis affectus & tormentis non respondebat, nec maledicebat. Hoc ipsum est hodie, ô Christiani, miraculum quod facit inter Iudæos D ad exemplum, cùm eiectus de Ciuitate, & penitus ad mortem, non commouetur, nec respondit quidquam, sed cum silentio, per medium illorum transiens, in Capharnaum descendit. Iam ad quid? Vtique vt ibi plura & maiora faciat quàm in patria sua.

Cassian. in Collationibus.

Non minimum quidem nobis hic ostenditur mysterium, in eo quod Christus fecit plura in Capharnaum quàm in patria sua. Patria Christi Cœlum est, & Capharnaum terra nostra. Capharnaum interpretatur ager abundantiæ & pinguedinis, terra est peccati, & habitatio peccatorum. Prodiit enim, ait Dauid, quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis, in E picturas cordis, iuxta versionem Septuaginta Interpretum. Et ecce, ô homo, plura Deus in terra tua fecit, & maiora quàm in Cœlo: propter te descendit de Cœlo, & in terra factus est homo. In Cœlo Angelos fecit; in terra Dei matrem fecit. In Cœlo homines gubernat; in terra peccatores iustificat. In Cœlo admirabiliter cernitur opus creationis; in terra singulariter resplendet opus gratiæ & iustificationis. Denique quod mirum est, per Christum fit in terra quod Cœlum aperit & ornat. Gratia per Christum facta est. Vbi facta per eum, nisi in terra?

Quid intelligatur per Capharnaũ.

Et quomodò maiora Deus facit in terra quàm in Cœlo.

Gratia nemini deest. Hinc est quod nemini vnquam deest, maximè exquo Christus in terram de Cœlo descendit. Præstò est vnicuique gratia, dicit S. Bonauent. nec aliquis ea caret, quia deest illi gratia, sed quia ipse deest gratiæ. Vnde quod Deus petit, vt apud nos & in terra mirabilia faciat, nostra est dispositio. Non magna nisi iuxta dispositionem Christus operatur. Quanta audiuimus facta in Capharnaum, in Paulo, & in Magdalena? Quanta etiam apud alienigenas, Indos & barbaras nationes, in quibus est dispositio ad Euangelium & Christi gratiam?

S. Bonau. in 2. Sent. dist. 28. art. 1. q. 3.

Timeamus, ô Christiani, ne etiam contingat nobis sicut Iudæis hoc dicere: Domine, quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua; inter eos qui tui sunt cultu & Religione, qui sunt Christiani, & nomen tuum agnoscunt. Sed exempla Euangelij intelligite. Relicto Israël, non est missus Elias nisi ad mulierem Sarephtanam, & Elisæus nisi ad Naaman Syrum. Hodieque Christus relicta Nazareth, vbi erat nutritus, descendit in Capharnaum, vt ibi doceat, suaque admiranda opera faciat. Non est acceptor personarum Deus; sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Sic Paulus & Barnabas constanter Iudæis dixerunt qui erant Antiochiæ, & contradicebant his quæ ab illis dicebantur blasphemantes: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus.

Act. 10. *Act. 13.*

Quod Christum eiicit, contradictio est. Quod recipit, & gratiam eius, bona dispositio est. Non desunt auxilia nisi contradicentibus. Gratia Dei, est veluti fons in medio nostri, & aliud non requiritur, nisi vt accedamus. Deus qui incipit, perficiet si vultis. S. August. rectè hoc explicat dicens. Cooperando Deus perficit quod operando incipit, quoniam ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. hæc ille.

S. Aug. lib. de lib. arb. cap. 17.

Duplex vocatio. Etenim nihil, aut parum prodest homini quod Deus excitet, nisi homo respondeat, quia sicut necessaria est vocatio prima qua nos præuenit, sic necessaria secunda & subsequens, quæ ex nostra acceptante voluntate procedit. Non enim agitur nostra salus, nisi nobis mediantibus.

Tria opera in opere iustificationis. Vnde in opere iustificationis tria sunt notanda opera. Primum est vocatio; & illa à solo Deo pendet. Secundum, cooperatio, quæ & ab homine dependet, & simul à Deo. Tertium denique infusio gratiæ iustificantis, quæ à Deo solo datur, sed non nisi homini disposito. Consentiamus ergo gratiæ, quia per nos stabit, si Deus non perfecerit. Neminem vult perire, sed omnes saluos fieri. Nolo mortem peccatoris, inquit apud Ezechielem, sed magis vt conuertatur & viuat.

Ezech. 18.

Qua igitur ratione, mihi dicetis, tot homines pereunt? Hæc sola est, quia perire volumus, & non ipsius vti gratia. Perditio tua ex te, Israël, auxilium tuum tantummodo ex me. Omnium salutem volo & quæro. Sed rursum si ita sit, & eiusmodi sit Dei voluntas, quomodo non impletur illa?

Duplex in Deo voluntas. Quare nunc sciendum est, duplicem in Deo voluntatem esse: vnam antecedentem, seu conditionatam; alteram consequentem, seu absolutam. Voluntate priori vult Deus omnes saluos fieri:

A non autem posteriori, sed tantùm iustos, & non peccatores. Hoc enim, scilicet velle peccatores saluos facere vt tales, non solùm repugnat diuinæ iustitiæ, sed etiam rationi diuinæ & misericordiæ, quæ nihil vnquam patietur coinquinatum introire in regnum cœlorum. Quia nimirum includit illa voluntas in se voluntatem nostram, sanctas actiones, & cooperationem gratiæ, sine qua neminem Deus vult saluare, licet antecedente & priori voluntate velit; quæ adhuc aliquo pacto in se efficax & absoluta est, non quidem quantum ad finem, sed quantum ad media spectantia ad finem, quæ numquam subtrahit. Numquid enim Sacramenta parata non habemus? numquid

Quomodo in nullo deest Deus.

B nobis deest Ecclesia? Quis nobis ad remedia aditum prohibet? Deus? absit vt hoc dicamus: hoc repugnat eius bonitati, & quotidianis inspirationibus. Alioquin inutiles & friuolæ nostræ vocationes essent, nisi etiam medium & modum nobis daret conuersionis nostræ. Fortè aliquis alterum inuitaret ad volandum sine pennis, aut ad directè ambulandum cruribus fractis? Hoc minimè de Deo dicendum est, qui nimis potens & bonus est.

Et certè istud adhuc Passioni eius repugnaret, in qua nobis tot & tanta auxilia promeruit; siquidem pro omnibus mortuus est, qui factus est, ait S. Iohan. propitiatio pro peccatis nostris, non *1. Ioh. 3.*

C pro nostris tantùm, sed pro totius mundi. Hinc apud Isaiam conqueritur sic: Viri Iuda, & habitatores Ierusalem, iudicate inter me & vineam istam. Quid debui illi facere, & non feci? Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi. Sic alibi: Vocaui, & renuistis, despexistis omne consilium meum; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Sic denique & cum minis conqueritur de ingratitudine & infidelitate Ierusalem, apud Ieremiam, dicens: Erudire Ierusalem, ne fortè recedat à te anima mea, ne fortè ponam te desertam (terram inhabitabilem.)

Isa. 5. *Prou. 1.* *Ierem. 6.*

D Etenim tunc nobis hæc derelictio accidit, cùm neglecta Dei misericordia, gratiæ eius resistimus, & occasionem damus, vt nos penitus dimittat. Iuxta quod dicitur; Dimisi eos secundum desideria cordis eorum. Curauimus Babylonem, & non est sanata, relinquamus eam. Non quod illam Deus omni auxilio destituat; non. Neque talis induratio cordis animæ aduenit positiuè à Deo; non, sed negatione quidem maioris auxilij & gratiæ, qua se indignam reddidit. Numquam tamen eam penitus deserit Deus. Numquid enim obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas? ait psalmista. Qui miseretur omnium, ait Salomon sapiens psalmistæ filius, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam,

Ps. 80. *Ierem. 51.*

E non equidem misereri obliuiscitur. Nulla est enim anima tam peruersa, inquit S. August. in cuius conscientia non loquatur Deus; & non sæpius dicat: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. *Venit* IESVS *prædicans regnum Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.*

DE

DE CORRECTIONE fraterna, & modo lucrandi fratrem suum Christo.

Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum, &c. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Matth. 18.

Venit IESVS *prædicans Euangelium regni Dei.* Marc. 1.

MAGNVM est opus animam IESV Christo lucrari, pro qua ipse suam dare non dubitauit. Cooperari Christo in opere omnium maximo, hoc omnem dignitatem excedit & magnitudinem. Hoc cap. 18. Matth. antequam de correctione fraterna loquatur, ait de se: Venit filius hominis saluare quod perierat. Et similitudine se explicat. Si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis, nonne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam quæ errauit? Sic non est voluntas ante patrem qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis. Et immediatè tunc de fraterna correctione loquens dixit. Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, dimittens ei vsque septuagies septies. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

O pretiosum lucrum quod ad Deum refertur! Pro vna anima lucranda, nihil est huius sæculi & corruptionis quod tibi libenter Sathan non dimittat, quam videt tanti fecisse Christum, vt eam non corruptibilibus auro & argento, sed suo pretioso sanguine redemerit, & in ea recuperanda nullum laborem reiecerit, qui licet offensus, minimè dimittit, sed continuò & denuò lucrandi eam modum quærit. In Genesi, simulatque Adam Deum offendit, & abscondit se à facie eius, ecce auditur vox ipsum quærentis, vbi es Adam? ait Deus. Ita vt qui à principio propter eum in medio terræ plantauerat paradisum voluptatis, vt illi ostenderet quantum sibi in eo complaceret, nunc etiam post lapsum eodem cordis affectu ipsum quærat, deambulans in paradiso ad auram, post meridiem, & clamore forti ipsum ad se reuocet. Gen. 3.

Quæso singula hic notemus. Iustitia Dei vindictam de peccato exigebat; & ecce Deum præuenit misericordia. Deus quærens peccatorem, ambulat, & non currit; ambulat ad auram, videlicet gratiæ, quæ opponit se iustitiæ: post meridiem furoris & iræ, post meridiem, ad vesperam, & non summo mane; non cum impetu & festinatione, sed suauiter & lentè. Dicunt Poëtæ in fabulis, quod cùm seuerè Iupiter vellet in homines animaduertere, lentè ad vindictam procedebat, & quasi iam ira deposita, ad consilium omnes Deos conuocabat, ad veniam procliuior factus quàm ad pœnam: quod si è contrà præstare misericordiam vellet, protinus illam & sine dilatione faciebat. *Modus quem Deus obseruat in requirendo hominem.*

Hoc equidem fabulosum est: sed in Deo benignissimo & misericordissimo verissimum, qui quasi inuitus Iustitiam suam exercet, promptè autem & incunctanter misericordiam, ad indulgentiam propensior quàm ad vindictam. Adeò vt si punire cogatur, tactus dolore intrinsecus videatur. Quemadmodum enim illos qui sagittam ad scopum dirigunt, priùs extenso arcu statim videmus sagittam apponere stomacho: sic Deus, si contingat illi in nos dirigere sagittam vltionis, & punire nos, tangitur dolore primus, & quasi perculsus punitione nostra videtur, &c.

En igitur ratio, cur Deus hominem post lapsum quærens, deambulat ad auram, post meridiem, & denique clamat, Adam vbi es? Clamat; vtique vt reus iram fugiat, quia non vult prædam suam occidere Deus. Non est venantium consuetudo clamare, qui capere prædam & auem cupiunt: sed Deus qui fugitiuum prosequitur, vt saluetur, & fugiat à facie arcus, clamat, vt dulci sua voce, & misericordissima correctione, peccatorem in notitiam sui adducat: vbi es? & sic lucretur. *Deus prosequitur peccatorem ad salutem.*

Quæso in hoc primo præuaricante, scilicet Adamo, videamus hoc lucrum: statim enim sequitur conuersio, pœnitentia & timor; Domine, vocem tuam audiui, & timui, eo quod nudus essem, quare & abscondi me. Ecce Dei exemplo, modus & ratio lucrandi fratrem nostrum cùm in nos peccauerit. Quæ causa est quod dixerit: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri. Bene istud notate obsecro. Virtus & qualitas nobilis patris in filios deriuatur. Itaque si filij Dei, & hæredes simus nobilis eius qualitatis, misericordiæ & benignitatis. Hæc est nobilitas vestra, & nota insignis quod estis filij Dei, benefacere his qui oderunt vos; amore & compassione lucrari eos. Matth. 5. *Nota diuinæ filiationis.*

Talis filius Dei Moyses erat, qui orans pro populo qui contradixerat, & murmurauerat, dicebat Deo: Aut dimitte huic populo, aut dele me de libro vitæ. Talis Paulus, qui optabat anathema esse à Christo pro fratribus suis. Quid quæso volebant isti? Deo fratres suos lucrari. Hoc autem maximè singulare est exemplum quod nos Christus edocuit, vnigenitus qui est in sinu patris, ipse qui est eius naturalis & verus filius, ipse qui inter omnes, & super omnes, se suaque omnia dedit pro inimicis suis, passusque est derelinqui à patre, vt ad peccatores & ad inimicos conuersus, ignosceret illis. Vultis vt vno verbo comprehendam omnia? pro animarum salute fecit omnia. Vnaquæque anima, hæreditas Christi est, quem vniuersorum hæredem pater constituit, per quem fecit & sæcula. Vnde dicit illi, vt filio & hæredi: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Quare etiam ipsum Deus misit in mundum, vt animas quæreret, & eas in paradisum reduceret etiam cum vitæ dispendio. Exod. 32. Rom. 9.

Non igitur mirum, si nonaginta nouem in monte reliquit, vt hanc vnam perditam recuperaret, si pro ea tot pertulit, & vt lucraretur eam, tantum pretium dedit, quia ipsius hæreditas erat. Charissimi, commendat Deus charitatem suam in nobis, dicit Apostolus, quoniam cùm essemus peccatores & inimici, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, & per illam nos sibi filios adoptauit. Videte, ait S. Iohannes, qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus. Et iterum Paulus: Non accepistis spiritum seruitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, &c. Si ergo filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Imitemur igitur fratrem nostrum, vt illius simus in gloria cohæredes. Lucro & saluti animarum cum ipso studeamus. Si peccauerit in te frater tuus, ait, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, Rom. 5. 1. Ioh. 3. Rom. 8.

audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si te aliquis offenderit, ne statim irascaris illi, sed benefaciendo, animæ eius incumbe saluti.

Vult Christus Dominus vt bonæ arboris naturam imitemur, cuius est hoc proprium, vt quæcunque apponuntur eius radicibus, siue aqua, siue terra, siue nix, siue etiam terræ purgamenta, hęc omnia in flores conuertat & fructus. Sic & nos ex omnibus quæ circumstant nos, siue contumeliæ & iniuriæ sint, debemus arripere ansam omnibus benefaciendi, & omnia in fructum conuertendi. Sic erant discipuli Christi, Apostolo dicente: Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus; vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus, &c.

1. Cor. 4.

Iustus omnia in bonū conuertit.

Ecce bonorum vsus in aduersis. Sicut enim ignis vehementer incensus, quæcūque inieceris in illum, siue ligna, siue ferrū, siue paleas, conuertit in ignem: ita iustus, & qui charitate Dei informatur, omnia in amorem conuertit. Mandauit Deus vnicuique de proximo suo. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum. Admonet nos Dominus, ait S. Aug. non negligere videre inuicem peccata nostra, non quærendo quid reprehendas; sed videndo quid corrigas.

Tria obseruāda in correctione.

Cùm autem aliquem reprehendere nos cogit necessitas, tria cogitemus. Primò, vtrùm tale sit vitium quod numquam nos habuimus, & tunc cognoscamus nos homines esse, sicut eum quem corripimus; & sic eum blandè & cum timore reprehendamus. Secundò, vtrùm aliquando habuerimus tale vitium, & sic memores nostri, communi huic fragilitati compatiamur, & primi afficiamur, vt illam correctionē præcedat, non indignatio, non ira, non odiū, sed benignitas, misericordia & compassio. Tertiò, vtrùm nunc etiam tale vitium in nobis sit, vt tunc in reprehēsione congemiscamus simul cum illo quem reprehendimus; & sic nos ipsos, ipsum exhortando, ad æqualiter deponendum hoc vitium inuitemus. Correctio facta alteri prodesse debet facienti.

Qui alios debeant corrigere.
1. Tim. 4.

Verùm nunc ostendamus, quinam alios corrigere debeant, quando, & quomodo. Primò igitur Prælati debent. Sic ad Timoth. Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctina; opus fac Euangelistæ, &c. Item superiores in aliqua familia, subditos sibi corrigere debent, aliàs reos se delictorum constituunt. Et quid continget illis, qui & subditis & filiis suis malè viuendi exemplo sunt? Denique vnusquisque fratrem suum in delicto corrigere tenetur, vbi emendationis spem videt & lucri.

Quando ad correctionem tenemur.
Glossa.

Ecce tempus & quando de præcepto est correctio. Qui fratrem suum peccare videt, & tacet, inquit glossa, (quando & vbi nimirum corrigere potest) ita peccat sicut qui pœnitenti non indulget. Et S. Aug. Si corrigere neglexeris, eo peior factus es qui peccauit. Quare iuxta S. Thom. licet non sit pręceptum obligans ad semper, pro loco tamen & tempore obligat. Ecce quando. Mandauit Deus vnicuique de proximo suo, &c.

S. Aug.
S. Tho. 2. 2. q. 33.

Modus qui teneri debeat in correctione.
S. Aug.

Modus autem tenendus hic est, in Euangelio; inter te & ipsum solum. Vt sis, dicit S. August. non proditor & accusator fratris, sed corrector criminis. Si aliter id fieri non possit quàm accusando, vt sequitur, si te non audierit, adhibe testes. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, &c. Verumtamen semper & vbique, quantum fieri potest, ex charitate & amore proximi debet illa esse correctio. Quare

A re illum corripis? inquit S. Augustin. Quia doles quod in te peccauit; absit. Si amore tuo id facis, nihil facis: si verò amore illius facis, optimè facis, &c.

S. August. de verbis Domini.

Super omnia autem sumamus exemplum à Deo quærente Adamum, & dicente, vbi es? sicut initio retulimus, vbi es Adam? Numquid maior esse potest benignitas & amor, quàm in illa dulci voce Dei Adamum post lapsum ad se reducentis? Benignitas quidem multum valet, & maximè si prudentiæ iungatur. Sic Nathan blandè & prudenter correctione sua & pœnitentia Dauid qui peccauerat, lucratus est, & ad Deum conuertit. Quod

Benignitas comitari correctionem debet.

B videre est in duobus Anachoretis: quorum alter cùm conuenisset insignem latronem, vt eum minis & durioribus verbis corrigeret, ab eo fustibus exceptus est, & semiuiuus relictus. Alius verò ipsum conueniens blandis & lenioribus verbis, tantum profecit, vt tandem ipsum penitus conuerterit, & ad monasticam vitam & pœnitentem adduxerit, in qua postea sanctissimè perseuerauit.

Ecce fructus correctionis prudentis. Et certè medicinæ amaræ semper aliquid dulce solet adhiberi. Correctio medicina est, & amara, & ideo dicere hoc solebat philosophus Seneca. Correptioni tuæ aliquid blanditiei admisce. Sic enim futurum

Correctio medicina.
Seneca.

C est, vt fratrem tuum lucrifacias, & vtilitas etiam redundet in te. Qui conuerti fecerit, ait S. Iacobus, peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & præterea operiet multitudinem peccatorum; eius videlicet, & suorum. Imitemur Christum. *Venit* IESVS *prædicans regnum Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.*

Iacob. 5.

DE INTERIORI ET syncera conuersione animæ ad Deum.

D *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me.* Matt. 15.

Venit IESVS *prædicans regnum Dei, & dicens: pœnitemini, &c.* Marc. 1.

IESVS Christus corda petit, non labia. Redite præuaricatores ad cor, ait apud Isa. Dominus. Audite me duro corde, qui longè estis à iustitia. Quare redire ad cor? quia per peccatum longè est à Deo. Cùm Deum derelinquimus, statim auertimur à nobis, & cùm ad eum vera conuersione redimus,

Isa. 46.

E statim etiam ad nos ipsos reuertimur. Sic de prodigo Euāgelij legimus, quod in se reuersus est, cùm dixit: Surgam, & ibo ad patrem. Antea enim extra se exierat, qui à Deo recesserat. Et hæc causa erat cur omnem substantiam suam dissipauit in terra aliena. Alienatio mentis, est dissipatio operum gratiæ & virtutis. Vnde postquam dixit Deus apud prophetam: Redite præuaricatores ad cor; statim subiungit: qui longè estis à iustitia. Nulla est enim in actionibus nostris iustitia & virtus, nisi ex corde exeant.

Veritas & iustitia actionum ab interiori, & non exteriori hominis petitur. Propterea petit Deus honorem non qui ex labiis procedit, sed ex præcordiis, cultum internum, & non exteriorem, verum,

rum, & non apparentem. Sepulchra videntur exteriùs dealbata, intus autem plena ſunt oſſibus mortuorum. Talia Deus reprobat monumenta, & ædificia mortuorum & hypocritarum, de quibus ſic Iſaias prophetauit dicens, ait Dominus; Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me. Sine cauſa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum, & irritum faciunt mandatum Dei propter traditionem ſuam. Obſeruant lotionem manuum, ſed non cordis, traditiones colunt hominum, & tranſgrediuntur propter illas mandatum Dei.

Iſa. 29.

Hoc eſt quod hodie ſingulariter Christus exprobrat Iudæis, & ſimul omnibus iſtis prudentibus & peccatoribus terræ, dicens: Nam Deus dixit, honora patrem, & matrem, &c. Vos autem, vt irritum faciatis hoc præceptum, dicitis illis, Corban. Non poſſum ſubuenire vobis, munus hoc quodcunque ex me eſt, Deo conſecraui & obtuli; vobis proderit ſanctificatum & oblatum. Amplius in vſum veſtrum transferre non poſſum. Corban, donum eſt, oblatio eſt; & ſic dimittitis patrem & matrem, & nihil illis facitis, reſcindentes verbum Dei, per traditionem veſtram, & ſimilia huiuſmodi multa facitis. Hypocritæ, bene prophetauit Iſaias de vobis: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me: relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptiſmata vrceorum, & calicum, & alia ſimilia his facitis. Sinite illos, ait Christus, cæci ſunt, & duces cæcorum, eorum nempe qui tantùm exteriora corporis, & non interiora cordis obſeruant, virtutis imaginem, & non veritatem ſectantur. Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœleſtis, dicit hic Dominus, eradicabitur.

Marc. 7. *Quid per Corban intelligatur.*

Triplex plantationis genus eſt. Naturæ, gratiæ, & culpæ ſeu peccati. Plantauit Deus naturam & gratiam, qui eſt cauſa efficiens vtriuſque. Hominem plantauit rectum, os homini ſublime dedit, cœlumque videre, ipſum fecit & iuſtum, gratia & iuſtitia prædirum, &c. Hæc plantatio quam plantauit pater, manet in æternum, non eradicabitur, niſi ſuperueniente de nouo artificio hominis deprauetur; quomodo apud Ieremiam Deus conqueritur ſic: Ego plantaui te vineam electam, quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum, vitis alienа? eradicaberis. Ecce quid poteſt homo, nihil niſi quod malum eſt: vnde plantatio eius peccatum eſt, culpa, & cor prauum; & hæc plantatio eradicabitur cum fructibus ſuis.

Triplex genus plantationis. *Manet ex ſe Dei plantatio.* *Ierem. 2.* *Plantatio hominis eradicabitur.*

De hac plantatione, & de illo corde exeunt, dicit Dominus, cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, & omnia quæ coinquinant hominem; & hæc eradicabuntur cum radice, vt mittantur in caminum ignis. Prouerb. 15. Cogitationes impiorum eradicabuntur, & eorum victimæ abominabiles Deo. Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me. Quare cor impiorum longè eſt à Deo? Vtique quia radix eius in terra eſt, & non niſi terrena quærit & cogitat. Deus eſt in Cœlo, & cor tuum in terra; leua in Cœlum, ne putreſcat in terra. Cor tuum à Deo longè eſt, eradicabitur, quia fundamentum habet in terra, quæ tota inconſtans eſt & variabilis.

Prou. 15. *Cur & quomodo cor impiorum longè eſt à Deo.*

Quid nobis igitur, dilectiſſimi, faciendum? Illud in Cœlo ponendum, vbi firmum poteſt fundamentum habere, permanens, æternum; & quamdiu ſumus in terra, vniendum Deo per affectum: ita vt anima tota & penitus conuerſa ad Dominum ſuum, continuò dicat cum pſalmiſta; Quid mihi eſt in Cœlo, & à te quid volui ſuper terram, Deus cordis mei? Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo? Cum Ezechiele: Spiritus Domini eleuauit me inter Cœlum & terram, & adduxit me in Hieruſalem in viſione Dei. Inter Cœlum & terram, ſupra terram, prope Cœlum, vſque ad vnionem Dei per deſiderium & contemplationem. Denique cum Apoſtolo dicente: Noſtra autem conuerſatio in Cœlis eſt. & in alio loco: Quæ ſurſum ſunt quærite, & ſapite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, non quæ ſuper terram. Et tandem: De cætero nemo mihi moleſtus ſit, mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Viuo iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me. Quaſi rurſus diceret: conuerſatio mea cum ipſo eſt, non amplius in terra, ſed in cœlis, non amplius ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum, legi mortuus ſum, vt Deo viuam. Et nunc Spiritus eſt, qui dat teſtimonium ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei, &c.

Pſal. 72. *Pſal. 54.* *Ezech. 8.* *Philip. 3.* *Coloſſ. 3.* *Gal. 6. & 2.* *Rom. 8.*

Et quidem hoc fuit conſilium & propoſitum Chriſti in hunc mundum venientis, atque nobiſcum in terra conuerſantis, nos videlicet in terra conuerſationem cœleſtem edocere, & per contemptum viſibilium atque terrenorum, ad inuiſibilium & ſupernorum deſideria euehere. Venit IESVS, ait S. Marcus, prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum eſt tempus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitemini, & credite Euangelio. Conuertimini à viis veſtris, quæ vos decipiunt, credite veritati, credite Euangelio. Quid nos docet & prædicat Euangelium? Elongationem à terra, & conuerſationem habere in cœlis. O quàm homini iucundum eſt, ait S. Cyprian. (à diebus Chriſti ſuper terram & Euangelij eius) claudere nunc oculos huic mundo, & aperire Cœlo, & cum Apoſtolo, quæ ſurſum ſunt ſapere, non quæ ſuper terram! Hæc ſunt quæ nos Euangelium docet.

Chriſti conſiliū in hunc mūdum venientis. *Duo Euangelium Chriſti annūciat.* *S. Cypr.*

Sed quare elongabimur à terra, quæ eſt, dum viuimus, habitatio noſtra? Vtique propter ingentia mala, quæ omnibus ſuis incolis atque cultoribus affert, legibus ſuis, quæ ſunt omnino contrariæ diuinis. Lex Dei corda petit: lex terræ & mundi, labia. Filij mi, ait Sapientia æterna, præbe mihi cor tuum. Nunc Iſraël audi, Deut. 10. quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas, & diligas eum, ac ſeruias ei in toto corde tuo, & in tota anima tua? &c. Ecce lex Dei cor & animam petit, amorem ac timorem: lex mundi, labia & ſimulationem. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me. Lex Dei veritatem docet: lex mundi, vanitatem & mendacium. Filij hominum vſquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Qui ſectantur legem mundi, iuſtificant ſe in exterioribus, in his quæ circumſtant eos, munda veſtimenta habere volunt, mundas manus ad manducandum, munda ſupellectilia domus ad manendum, & ſimilia: ſectantur vno verbo traditiones hominum, & iuſtificant ſe in illis. Non ſic Chriſtiani, non ſic, qui ſectantur legem & iuſtitiam Chriſti. Omnia exiſtimo detrimentum eſſe, dicit Apoſtolus, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex Deo eſt, & ex fide IESV Chriſti. Veri Chriſtiani in interioribus, & in mandatis Dei ſe iuſtificant: veri Chriſtiani

Quare nos elongare debemus à terra ob mala quæ ſunt in ea. *Deut. 10.* *Pſal. 4.* *Phil. 3.*

stiani Christum corde honorant; infideles labiis. Peccatores foris Christiani sunt, ore tenus & facie, intus verò infideles, Idolisque seruientes. Et cor eorum, dicit Dominus, longè est à me.

O vtinam hæc vox non dicatur de nobis. Quid hoc sibi vult, & quomodo à Deo longè esse possumus, qui est vbique? Domine, qui elongant se à te, peribunt, & longè erit à peccatoribus salus. Quid est hoc, longè cor à te? Cœlum & terram imples, & longè cor à te esse potest? Audi mysterium. Vbi Deus, peccatum esse non potest; & vbi peccatum, Deus similiter esse non potest. Si igitur cor tuum, cor peccati est, longè à Deo est. O qualis & quàm terribilis hæc est distantia! Deus est esse, & peccatum nihil: Deus veritas, & peccatum mendacium: Deus vita, & peccatum mors. Ecce magnum chaos quod firmatur inter Deum & peccatum.

Non igitur mirum, si cor in peccatis, longè est à Deo. Istud quidem est ingens malum quod nobis aduenit, cùm, relicto Deo, sequimur prauitatem sæculi, & cor nostrum apponimus legibus mundi, & non Dei, Deo condemnante quod mundus iactitat & approbat. Quid iactitat mundus? voluptates, diuitias, vanitates, vsus & traditiones hominum: & hæc Deus condemnat, beatos dicens qui sunt pauperes, qui lugent, & persecutionem patiuntur propter iustitiam, qui sunt mites & humiles corde, qui denique in spiritu & veritate ipsum adorant, qui non labiis, sed corde honorant.

Et ecce vnde fugiendus mundus. Quia primò nequam est in legibus suis. Secundò, quia plenus est laqueis & periculis, in continuis occasionibus peccandi, tam ex parte nostræ infirmitatis, quàm obiectorum quæ nos vndique circumstant, & insidiantur nobis. Insidiæ enim vbique sunt, in paupertate sicut in diuitiis. Ista querimonias excitat, & illæ eleuant cor ad contemptum & superbiam. Tentat sanitas, tentat & infirmitas, dum illa est materia pigritiæ, ista verò causa tristitiæ. Vbique sunt insidiæ; insidiatur hostis qui continuò circuit quærens quem deuoret. Circumstant exempla mala scelerum omnium ac vitiorum, quibus facilè homo ad perpetrandum ea seducitur. Propterea nolebat Dominus vt filij Israël habitarent, & inirent pactum & amicitias cum Chananæis. Sic Loth ab Angelo dictum est posito iam extra Sodomá: Salua animam tuam, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac. Quæ circa nos sunt, à Deo nos separant, sed quæ intra, nos ipsi vniunt. In silentio proficit homo, suoque conditori tanto familiarior fit, quanto longiùs, ab omni tumultu sæculari degit.

2. Mundus fugiendus, quia plenus laqueis.

Exod.34. Gen.19.

Fugiamus itaque, fugiamus, & à periculis nostras liberemus animas, si eas saluare velimus. Conuersatio nostra sit in cœlis cum Deo, & non amplius in terra cum bestiis, &c. Quidam philosophus nomine Anaxagoras, interrogatus ad quid esset natus: respondit, vt Cœlum & Solem intueretur. Meliùs quidem nunc homo sapientia altiori instructus dicere potest, vt Deum contempletur, & cum eo corde & animo conuersetur in cœlis. Vbi enim est thesaurus tuus, ait Dominus, ibi & cor tuum erit. Et quidem si cum S. Gregor. consideremus quæ & quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, statim vilescunt animo omnia quæ habentur in terris; ita vt etiam pro nihilo habeantur tormenta martyrij. Sic inclytus Martyr S. Symphorianus hac voce sanctissimæ matris animatus, dum ad vltimum supplicium duceretur: Nate, nate, memento æternæ vitæ, Cœlum suspice, & ibi regnantem intuere: tibi enim vita non eripitur, sed in melius mutatur; fortiter IESV Christi causa collum præbuit, temporalem hanc vitam spernens pro æterna, & pro nihilo ducens quæ habentur in terris, respectu eorum quæ promittuntur in cœlis. Ecce qualis eorum est animus, quorum in terra conuersatio est cælestis.

Matth.6.

S. Greg. ho. 37. in Euág.

Sed quomodo, inquietis, sic in cœlis conuersari possumus? Si abnegantes sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri IESV Christi: si semper quasi in oculis Dei & conspectu omnia cernentis ambulemus: si denique sursum cor habeamus ad Dominum, si clausum mundo, & apertum Deo teneamus, si verè Deus est cordis qui aperit & claudit.

Quo pacto conuersatio nostra est in cœlis.

ad Tit.2.

Populus hic labiis me honorat, conqueritur Deus: cor autem eorum longè est à me, &c. Quid vult igitur Deus? vt cor tuum sit vnitum illi, vult in illo esse, dominari, aperire & claudere: denique regere & custodire illud. Figura est in duobus illis ostiis quæ in Templo erant, quorum cardines erant aurei. Templum summi Dei est cor nostrum angustum, cuius duo debent esse ostia. Timor Dei claudens ne prodeat consensus peccati. Amor Dei aperiens ipsi, quoties diuinæ suæ gratiæ dona intromittere concupiscit. Ipsorum cardines aurei sunt, quia intentiones nostræ purissimæ esse debent, & continuò fixæ per amorem, diuinæ voluntati, ad quam pertinet illas dirigere.

Quomodo Deus sit Dominus cordis.

Figura. 3.Reg.6.

Vnde iam si talis desit cordi nostro custodia, & consequenter ostium circumstantiæ labiis nostris, tunc non poterit proferre homo de malo cordis sui thesauro, nisi quæ mala sunt, adulteria, fornicationes, cupiditates, ambitiones, vindictas, &c. Quare hoc? quia cor radix est & principium malitiæ, aut bonitatis actionú nostrarú. Neque enim Adam ex comestione pomi infectus est, nisi quia contra præceptum Dei concupiuit cor eius. Vnde etiam quod Deus maximè requirit ab homine, est, vt mundetur cor eius, quod interius est lauetur, & non quod est extrinsecum. Sic ait Ieremias: Laua à malitia cor tuum Ierusalem, vt salua fias; vsquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ? laua cor tuum. Lauacrum, pœnitentiæ fons est. *Venit* IESVS *prædicans regnum Dei, & dicens: pœnitemini, &c.*

Deus mundum cor petit.

Ierem.4.

Canales & ductus huius fontis tres sunt pœnitentiæ partes, sine quibus cor perfectè mundari non potest, nec homo ex toto corde ad Deum conuerti. Conuertimini ad me ex toto corde vestro, ait Dominus Ioël. 2. Aliàs omnis plantatio quam non plantauit Pater, eradicabitur. Hæc sententia formidabilis est, peccatorem vsque ad radicem euelli cremandum ignibus æternis. Sed vt adhuc dicam omne quod mihi terribilissimum videtur. Duo sunt quæ de eo numquam eradicabuntur, pœna & culpa: pœna enim æterna est, & culpa similiter. Quid agitis & cómittitis peccatores: Culpa & macula est quæ coinquinat, quam ex peccato contrahitis. Non quod intrat in os, ait Christus, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, quod procedit ex corde, macula est cordis & operum quæ coinquinat hominem, deformitas cordis, manuú, & oris. O maculam horribilem! quæ gratiam aufert & gloriam; Deum exasperat, & inimicum reddit; necat

Ioël 2.

Cum pœna macula æterna.

necat animam, Inferni captiuam constituit, tormentorum hæredem, &c.

Hæc macula totum orbem turbat. Facta sunt omnia in obsequium Dei; & peccator in obsequium diaboli omnia impendit seruiens ei. Hæc macula omnium malorum est causa, pestis, bellorum, & mortis. Terra profert spinas propter illam, & est maledicta in opere suo. Mulier filios parit in dolore. Adam de paradiso eiectus est, & nos exules facti ab illo. Angeli de Cœlo in abyssum præcipitati.

Vultis huius malitiam magis ac magis agnoscere? Intelligite ex his tribus. Primò, quia in hac vita purgari non potuit, nisi pretio sanguinis immaculati Agni IESV Christi. Secundò, post hanc vitam, non nisi ignis purgatorius purgat illam licèt leuissimam, quæ inuenitur in iustis. Tertiò denique in reprobis nunquam expiari potest etiam Inferni ignibus: sed semper & in æternum expianda manet. O Domine, nunc oculis misericordiæ tuæ nos respice, & nos ex toto corde conuertemur ad te. *Venit IESVS prædicans Euangelium Regni Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.*

DE REDEMPTIONE nostra ab omni infirmitate, & seruitute peccati per Christum.

Sotrus Simonis tenebatur magnis febribus; imperauit IESVS febri, & dimisit illam. Luc. 4.

Venit IESVS prædicans Euangelium regni Dei. Marc. 1.

MORTALIS infirmitas, & æterna seruitus, quibus natura humana per peccatum subiecta est, filio Dei Domino nostro IESV Christo nomina Medici & Redemptoris dederunt. Duo sunt mysteria quæ nobis hodie simul in Euangelio referuntur. Introiuit IESVS in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea. Et ille imperauit febri, & dimisit illam; quæ continuò surgens ministrabat illis. Cùm autem Sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos. Per peccatum, orbis vniuersus ægrotantium ad mortem hospitium factus est: propterea, ait S. Augustinus, magnus venit Medicus, quia magnus vbique iacebat ægrotus. Magnus ægrotus, totum est humanum genus, magnis agitatum febribus, adeò vt nisi magnus ille Medicus venisset, actum fuisset de omnibus. S. Aug.

Sed quænam sunt illæ febres, quibus, in typo huius mulieris socrus Simonis, tenetur & inflammatur orbis? nostra vtique peccata sunt. Febris enim nostra, dicit S. Ambrosius, auaritia est, febris nostra libido est, febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est. Ecce quibus magnis febribus tenetur & agitatur mundus. Ecce nostra infirmitas, & in infirmitate nostra captiuitas. Ecce quam ob causam Medicus & Redemptor Christus venit, & surgens de Synagoga introiuit hodie in domum Simonis. S. Ambros. in Luc. 4. *Venit Christus vt Medicus & Redemptor propter infirmitatem & captiuitatem peccati.*

A S. Chrysologus homiliam elegantissimam hic habet. Videtis, inquit, quæ res ad domum Petri Christum inuitauerit; vtique non discumbentium voluptas, sed iacentis infirmitas, non prandendi necessitas, sed salutis occasio: diuinæ virtutis opus, non humani pompa conuiuij. In domo Petri non vina, sed lacrymæ fundebantur. Illuc intrat non epulas percepturus, sed vitam redditurus. Nõ aspexit qualitatem domus, sed gemitum languentis: vidit periculum desperatæ, & statim manus ad opus suæ Deitatis extendit. Nec antè ad humana discubuit, quàm mulier quæ iacebat, consurgeret ad diuina. S. Chrysol. Serm. 18.

B Ecce igitur infirmitas quæ Medicum nostrum ad se attraxit, non vna sola; sed multiplex, sicut dicitur de socru Simonis, quod pluribus & magnis tenebatur febribus, &c. Sic Psaltes dicit: Multiplicatæ sunt infirmitates, postea accelerauerunt, videlicet magnum & cœlestem Medicum Christum, qui in hunc mundum venit rogatus, & desideratus cunctis gentibus, diu iacentibus in infirmitatibus suis, magnisque peccati febribus agitatis, non vt vnam tantùm, sed vt omnes auferat, & penitus eradicet. Sic Iohannes ipsum in deserto videns, exclamauit dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Vnumquodque peccatum infirmitas est, & omnis concupiscentia peccati febris est. Neque enim minor est febris concupiscentiæ & amoris, dicit S. Ambrosius, quàm caloris. Ista corpus, hæc autem animum inflammat. Ps. 15. Ioh. 1.

C Et quæso videamus paucis quibus febribus æstuat mundus. 1. Iohan. 2. dicitur: Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Ecce febres mundi, febres continuæ & ardentes. Ardens est concupiscentia carnis. Sic Iob ait: Ignis est vsque ad perditionem deuorans; quia non solùm maculat, sed vsque ad perditionem omnium deuorat, corporis, animæ, vitæ & bonorum. Quis Sichem occidit? quis Amnon? quis innocentem denique Vriam, nisi libido carnis? Quis lapidauit senes castam Susannam falsò accusantes? Quis caput Holofernis amputauit? oculos Samson eruit? deprauauit cor Salomonis, nisi concupiscentia carnis? Quis filium de domo patris expulit, diuisit, & dissipauit substantiam eius, ipsum ad nihilum redegit, & in tantam penuriam, vt pasceret porcos, nisi voluptas carnis, & vita luxuriosa cum meretricibus? Quis denique incendio tot consumpsit vrbes, tot Regna profligauit bellis, & tot familias continuis miseriis, nisi hoc malum sæuissimum in omnes? Vnde bella & lites, ait S. Iacobus, nisi ex concupiscentiis vestris? Sed vnde mala omnia, nisi ex illa malorum radice? Febris est concupiscentia, & ignis vsque ad perditionem deuorans. 1. Ioh. 2. *Quibus febribus mundus æstuat, quas Christus veniens curauit.* Iob. 31. *Mala quæ ex concupiscentia nascuntur.* D Iacob 4.

E Auaritia similiter, & oculorum concupiscentia febris continua est & ardens. Quid est enim illa auaritia & concupiscentia? Immoderatus habendi amor, sitis, ardor, ignis. Vnde Iacobus prosequitur: Plorate diuites in miseriis quæ aduenient vobis. Argentum vestrum & ærugo eius manducabit carnes vestras. i. vos, sicut ignis: nihil est quod excruciet magis & adurat, quã auaritiæ ignis: nihil quod agitetur magis quàm auarus. Vis dicam? nihil auaro peius. Auarus semper est cum siti, & continua febri, in agitatione semper. Nunquam dicit, Satis; sed semper, quid faciam? Sic dicebat ille miser diues Euangelij: Non habeo quò congregem fructus meos, quid faciam? Quis non talem misereatur? ait S. Ambros. Quis non infœlicitatem eius doleat? angu *Quid sit auaritia: & quæ mala huius febris.* Iacob. 5. Luc. 12. S. Ambros. Serm. 81.

angustatur ex abundantia, infœlix in præsentibus, infœlicior in futuris: &, vt video, ager ei non tam redditus largiores, quàm gemitus attulit grauiores. Terra ei non fructuum copiam, sed curarum molestiam germinauit. Vox egeni ista est, quid faciam? Sed ecce adhuc æger & infirmus, sua febri agitatus, cùm diuersas in anima sua excitat tempestates, paratus aliena rapere, inimicitias subire, contentiones & lites texere, & similia, in quibus occupatur. Quare non sine causa dicitur, quia radix omnium malorum est cupiditas.

Eccl. 10. *Superbia causa perditionis omnis creaturæ.* Dicamus tertiò de superbia vitæ, quia vltima est omnium peccatorum radix. Sic dicit Sapiens, quia initium omnis peccati est superbia, & consequenter omnis perditionis causa. Superbia Angelos perdidit & homines. Febris est, ardor est, ignis est qui ascendit semper, sed qui de Cœlo in Infernum descendit. Videbam Sathanam sicut fulgur cadentem. Hic est ignis, qui Infernum fecit stagnũ ignis: primus enim qui in illud Centrum mundi descendit, & eò secum ardorem sempiternum adduxit, præuaricator fuit angelus. Sed heu! eius descensus hoc igne vniuersum orbem succendit, cùm hunc spiritum primis nostris parentibus statim insufflauit, dicens; Eritis sicut Dij. Vnde etiam postea febris nostra & rebellio contracta est, cum qua nascimur omnes. Febris nostra ambitio est, febris nostra libido est, febris nostra auaritia est. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Ecce igitur quibus & quàm magnis febribus agitatur mundus: propter quas etiam Christus in eum descendit, vt scilicet per eum sanemur ab illis, &c.

Sed hic mysterium agnoscite in socru Simonis. Marc. 1. Vt hanc febricitantem sanet, S. Marcus dicit quod accedens eleuauit eam, & apprehendit manum eius, &c. Quæso notate mysterium. Tenuit Christus secundus Adam, manum mulieris ad vitam, quia primus Adam de manu mulieris acceperat mortem. Tenuit manum ægrotantis, quia vt Medicus statum explorabat ægritudinis, qui conferre veniebat beneficium sanitatis. *Quibus remediis & mysteriis infirmitates nostras Christus sanauit.* Cùm ad nos Christus venit, naturam nostram assumens, eleuauit ad se, Angelos non apprehendit, dicit Apostol. sed semen Abrahæ, in similitudinem hominum factus: manum nostram infirmam tenuit, iunxit se similitudini carnis nostræ peccati, particeps factus nostræ infirmitatis, vt sic dolores nostros in se expertus, & promptiùs & conuenientiùs sanitatis remedium languoribus nostris afferret, Passionis suæ mysterio, sicut Incarnationis sanans concupiscentiam nostræ carnis: paupertate vitæ suæ, concupiscentiam oculorum. 2. Cor. 8. Scitis, ait Apostolus, gratiam Domini nostri IESV Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues. Mysterio denique exinanitionis suæ & humilitatis, curans superbiam vitæ nostræ.

Ecce quibus modis, quibusue pretiis & expensis Christus nomen Medici generis humani adeptus est, & non solùm Medici nomen, sed etiam Redemptoris. *Peccatũ infirmat & captiuat creaturam.* Mysterium hoc secundum est. Peccatum, vt in hac muliere febricitante notare possumus, duo facit, infirmat creaturam, & præterea subiicit eam sibi & captiuam facit. Socrus Simonis magnis tenebatur febribus. Ecce in infirmitate captiuitas, tenebatur, non erat libera. Sed quid Christus fecit cùm eam sanauit? Liberam fecit, dimisit illam febris, & continuò surgens ministrabat illis. Ita quidem accidit, quoties peccata dimittit, cum sanitate animæ redditur libertas. Quare si ratione

A infirmitatis quam anima contrahit ex peccato, Medici nomen Christus accipit, etiam ratione seruitutis, nomen retinet Redemptoris. Hoc mysterium explicemus. *Quomodo Christus nomen habet Redemptoris.*

Itaque sciendum est, triplicem seruitutem esse quam per peccatum incurrimus: ipsius peccati, diaboli, & mortis. Eiusmodi seruitutes inter se connexæ sunt, & vna ab alia pendet. Sed imprimis sciendum & præsupponendum vnum est, seruitutem non habere ortum, neque nomen aliunde quàm ex peccato. *Triplex seruitus. Omnis seruitus à peccato est.* Primus enim locus in Scriptura, vbi serui nomen auditur, ille est Gen. 9. in quo Noë filio suo Cham maledicens propter impietatem suam, dixit: Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis. *Noë nomen serui filio suo Cham imposuit.* B Quæ verba considerans S. Augustinus, ait. Conditio seruitutis in re intelligitur imposita peccatori: proinde nusquam Scripturarum legimus seruum, antequam hoc maledicto Noë iustus peccatum filij puniret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura. Gen. 9. S. Aug. lib. 9. de Ciuit. cap. 15.

Prima igitur & misera seruitus, peccati est. Statim ab initio creationis, Dominus dicit Caino: Si malè egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit. 1. *Seruitus peccati.* Gen. 4. Quare in foribus? Vt custodiat te, ne è carcere egrediaris, & si egrediaris, vt cum eo gradiaris, cum tali ianitore, tali custode, tali Domino, cui te captiuum tradidisti. Qui facit peccatum, seruus est peccati. Ioh. 8. Misera seruitus! Tot peccatorum, quot cõmittit, seruus est peccator, dicente Scriptura; C Funibus peccatorum suorum constringitur impius. Prou. 6. Vnde de iis dicit Isaias: Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Isa. 5. Ecce peccati captiuitas, & crudelis & misera.

Seruus hominis, ait S. Augustinus tract. in Ioh. aliquando sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit. S. Augustin. tract. 41. in Iohan. Seruus peccati quò fugit? secum trahit quocumque fugerit: non fugit seipsum conscientia mala; non est quò eat, sequitur se, imò non recedit à se, peccatum enim quod fecit, intus est. Si malè egeris, statim in foribus aderit peccatum tuũ, non te deseret, aderit, & subiiciet te sibi. Qui facit peccatum, seruus est peccati. 2. Pet. 2. A quo quis superatus est, huius & seruus est. D Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Rom. 6. Non regnet, Apostolus dicit, vtique quia non dominatur, nec regnat nisi voluntate nostra; & in hoc miserior est seruitus, quod voluntariè subiicimur illi, concupiscentiis eius, & consequenter pœnis æternis. Transeunte enim actu, manet culpa, quæ cum pœna æterna est. Ecce peccati seruitus dura & miserabilis.

Secunda seruitus, & quæ ex prima procedit, est diaboli. 2. *Seruitus peccati.* Licèt enim, sicut homo sit seruus peccati, in hoc regno tamen est minister primarius, & cæteris peccati mancipiis præpositus, tam quia omne eius studium in hoc amplificando peccati regno consistit, quàm quia hominem victum tentationibus, E sibi subditum reddidit; vnde Princeps mundi dicitur & Rex super omnes filios peccati & superbiæ. O misera seruitus, &c.

Tertia seruitus dicitur mortis, quæ adhuc oritur ex prima, de qua Rom. 6. 3. *Seruitus peccati.* Rom. 6. Stipendia peccati mors: per vnum hominem peccatum, & per peccatum mors. Rom. 5. Vnde iam iuxta Apostolum, omnibus hominibus mori statutum est. Heb. 9. Gen. 2. Quocunque die de ligno isto comederis, de quo dixi ne comedas, morte morieris. Ecce iugum graue, quod propter peccatum, cunctis filiis Adam impositũ est, &c. Sed quis nos hodie ab omnib. seruitutibus istis liberat? Christus IESVS. Ille qui peccatum non fecit, & qui in similitudinem carnis peccati

cati veniens peccatum damnauit. Ille denique qui ſimul Medicus eſt & Redemptor, qui ſanat & liberat, qui cum ſanitate libertatem donat. Ille qui dicitur IESVS, gratia & diuinitate vnctus, &c.

Hodie introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, tenuit manum eius, imperauit febri, & dimiſit illam: & continuò ſurgens miniſtrabat illis. Ecce infirma & captiua, ſana & libera. Surgens ab infirmitate, ſurgens à captiuitate, miniſtrabat illis. In obſequium intrat libertatis. Seruire Deo, ſeruire Chriſto, regnare eſt. Gratias Deo, ait Apoſt. quod liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ; in hac enim ſeruitute eſt libertas. Gratias Chriſto, quod nunc liberati à peccato, facti autem ſerui Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. *Rom. 6.*

Verùm antequam finiamus, conſideremus hic tria eſſe quæ obſeruauit Chriſtus in curatione huius mulieris, admodum conuenientia conuerſioni peccatoris. Accedit, imperat, tangit. Ad diſtantes Chriſtus accedit. Et quæſo quid diſtat magis à Deo quàm peccator? Nonne Apoſtolus multum ab eo diſtabat, cùm apparuit illi in via, quando ſpirans adhuc minarum & cædis erat in diſcipulos ſuos, & in ipſa via perſecutionis? Chriſtus imperat, & voluntate efficaci vocat peccatorem, & retrahit à peccato. Poſt hæc denique tangit eum, & penitus conuertit ad ſe: ſicut de Apoſtolo legimus, quod cadens in terram quaſi tactus manu Dei lumine circumfuſus, vocem audiuit quaſi imperantem ſibi vt ſiſteret, & dicentem, Saule, Saule, quid me perſequeris? durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Ego ſum IESVS quem tu perſequeris, tibi impero vt ſiſtas: & modò vt ſurgas, & portes nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël. Qui continuò ſurgens prædicabat IESVM in Synagogis, quoniam hic eſt filius Dei. *Tria Chriſtus obſeruat in conuerſione peccatoris.* *Act. 9.*

Ecce quid fit in conuerſione peccatoris. Hodie ſimiliter in curatione huius mulieris, ad quam acceſſit Dominus, imperauit febri, vt dimitteret eam, tetigit, & continuò ſurgens miniſtrabat illis. Ecce typus & exemplar veræ ſanitatis & conuerſionis animæ. Sed vbinam hæc fiunt hodie? in domo Simonis, in Eccleſia, in domo obedientiæ; Simon enim dicitur obediens. Ecce vbi conuerſiones fiunt & ſanitates, in corde humili, & ſpiritu, in quo obedientia eſt, in quo contritio eſt, in quo amor pœnitentiæ eſt, in quo deſiderium regni Dei & vota æternæ ſalutis. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens; quoniam impletum eſt tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.* *Neceſſaria obedientia, vt Deus nos conuertat.*

DE SITI AQVÆ VITÆ, & æternæ ſalutis in Chriſto IESV.

Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam, &c. Ioh. 4.

Venit IESVS *prædicans Euangelium regni Dei.* Marc. 1.

GRATIA IESV Chriſti hodie in benedictionibus mulierem peccatricem præuenit, A quæ Samaritana eſt. Hæc mulier, hæc peccatrix miſericordias Domini in æternum cantabit. Quærebat aquam, & inuenit gratiam; quærebat puteum, & inuenit Chriſtum. Domine, præueniſti eam in benedictionibus dulcedinis tuæ. Iſa. 65. Inuenerunt qui non quæſierunt me. Dixi: ecce ego, ecce ego ad gentem quæ non inuocabat nomen meum. Quod ſic Apoſtolus refert Rom. 10. Inuentus ſum à non quærentibus me: palàm apparui iis qui me non interrogabant. Iſtud hodie verificatur in Samaritana, quam Chriſtus inuenit, & interrogauit primus, &c. *Iſa. 65.* *Rom. 10.*

Venit ergo in ciuitatem Samariæ, iuxta prędium, vbi erat fons Iacob. Fatigatus autem ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem. B Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei IESVS: Da mihi bibere. Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi: Da mihi bibere; forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. Inuentus ſum à non quærentibus me: palàm apparui iis qui me non interrogabant. Mulier interroga Dominum qui apparuit tibi, & quærit te. Dicit ei mulier; Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt: vnde ergo habes aquam viuam? Reſpondit ei IESVS: Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. O Domine da mihi hanc aquam, vt non veniam huc haurire: C video quia Propheta es tu. Et relicta hydria abiit in ciuitatem, dicens illis hominibus: Venite, & videte hominem quem inueni, & qui dixit mihi omnia quæcunque feci, numquid ipſe eſt Chriſtus? (Dixerat enim illi IESVS, quia quinque viros habuerat, & nunc quem habebat, non erat vir eius.) Venite igitur, & hominem hunc videte.

Ex hoc diſcurſu audiſtis quomodo à muliere non quærente inuentus eſt fons gratiæ. Sic quotidie nobiſcum agitur immeritis, non quærentibus, & plerunque aliud agentibus. Regnum obtigit Saüli, dum quæreret aſinas patris. Paulo etiam dum ageret contra Deum, contigit gratia ſalutis. Sic igitur hodie Samaritana contra ſpem haurit aquas in D gaudio de fontibus Saluatoris. O peccatores, puteus Chriſti, non Iacob, altus eſt, infinita & profunda eſt eius abyſſus, & vnde hauriant habent omnes; ſolùm petitione & deſiderio opus eſt. Deus primùm offert, & poſtea deſiderium cordium noſtrorum exigit. Primùm ad nos de cœlis venit, & poſtea expectat nos ex itinere fatigatus, languores noſtros tulit, vt reficiat nos. Iter eius & deſcenſus ad nos, aſſumptio fuit noſtræ carnis, iuxta quam inclinauit cœlos & deſcendit. O quàm ex hoc itinere multis fatigatus fuit laboribus atque languoribus! Sic apud Iſaiam conqueritur Dominus: Seruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Hodie ſic ſedebat ſupra fontem fatigatus ex itinere, cùm venit illa mulier E haurire aquam. *Chriſti gratia præuenit.* *1. Reg. 10.* *Act. 9.* *Iſa 43.*

Sed hoc mirum eſt, quomodo fieri potuit quod virtus Dei potuit fatigari? Nonne ille eſt Dominus qui tantùm verbo & ſine labore condidit omnia: qui omnibus fatigatis dicit; Venite omnes ad me, & ego reficiam vos: ſine quo nihil forte, & per quem omnia fortia?

Sciendum itaque, in natura diuina fortem eſſe, infirmum in aſſumpta. Notat hoc S. Auguſtinus in Iohan. Vis audire fortem? Omnia per ipſum facta ſunt. Vis audire infirmum? Verbum caro factum eſt. Et ideo ſic ſedebat ex itinere fatigatus. Quare ab Auguſt. Aquilæ comparatur ſecundum diuinitatem, *S. Aug.* *Quomodo Chriſtus dicitur fortis & infirmus.*

Exod. 19.

tatem, quomodo dicit in Exod. Vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos super alas Aquilarum, & assumpserim mihi. Ecce fortitudo. Secundùm humanitatem verò, ipsemet Christus comparauit se gallinæ Matth. 23. quæ ex amore pullorum tota plerunque extenuatur propter illos. Vnde de illo Apost. ait: Non habemus Pontificem qui non possit compati, &c.

Matth. 23. Hebr. 4.

Quæ bona ex infirmitate Christi recipimus.

Verùm quo fructu nostro virtus Dei infirmitatem nostram induerit, videamus. Inde quidem, dicit S. Augustin. mysteria incipiunt. Non enim frustra fatigatur virtus Dei; non frustra fatigatur, per quem fatigati recreantur; non frustra, quo absente fatigamur, quo præsente firmamur. Sed quare non frustra? Attende. Nam eius debilitate firmamur, infirmitate sanamur, fatigatione quiescimus, & lassitudine ipsius recreamur. Sic enim eramus dispositi, vt nisi ægrotaret Medicus, non sanaretur ægrotus: & nisi infirmaretur diuinitas, non sanaretur nostra humanitas: nisi virtus lassaretur, non recrearemur: & nisi debilitaretur potentia, non firmaremur.

Mysterium & figura fortitudinis nostræ ex infirmitate Christi. Gen. 2.

O misera conditio nostra! ô plangendus casus! ô plaga desperabilis! Quis vnquam simile audiuit? Nisi debilitari dignaretur potentia, & virtus infirmari, nullum erat infirmitatis nostræ remedium. Medicus ergo factus est medicina, nostrum in se tollens languorem. Cuius figura illud est quod legitur in Genesi, iuxta S. Augustin. vbi de osse viri mulier facta est, & alia caro apposita est loco ossis ablati; Os forte est, caro autem infirma & fragilis. Ita nos per Incarnationem, fortitudinem Christi recepimus, ipse autem nostram assumpsit infirmitatem. Gratias agamus illi maximas, tantæque dignationi ac pietati erga nos conuenientes. Ne ingrati simus. Quod ille pro tam insignis mercede retributionis postulat, hoc solùm est, vt relinquentes peccatum, oblatam amplectamur gratiam, puteum Iacob cum hydria nostra relinquentes, hauriamus aquas in gaudio, & in abundantia, de fontibus Saluatoris. Quod vult Christus, hoc tantùm est, vt illi des voluntatem & capacitatem animæ tuæ, & cum Samaritana dicas, Domine, da mihi hanc aquam: cum Paulo, Domine quis es? Nihil refert quod præueniat Deus, quod circumfulgeat, prosternat in terram, & vocet, nisi tu dicas; Domine quis es? Nihil quod hodie Samaritanam præuenerit, alloquutus fuerit, ei gratiæ aquam obtulerit, nisi ipsa illam petisset ab eo, & dixisset; Domine da mihi hanc aquam, hanc viuam aquam, &c. Christus dicit illi: Mulier da mihi bibere. O mulier, si scires quis tibi hoc dicit, forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Si scires donum Dei, & quis est qui loquutur tibi, &c.

Christus voluntatem nostram petit.

Modus quo Christus vtitur ad conuersionē animæ.

Hic modus ostenditur quo solet Deus animam ad se attrahere & conuertere. Primò, incipit Christus alloqui hanc mulierem, quia gratia est præueniens à qua bonum omne incipit, vnde etiam præuenit illam, & non illa Christum. Secundò, aliquid ab illa petit, illúdque valde exiguum; Da mihi bibere, scilicet vult, vt illa saluti suæ cooperetur, & sic mereatur adhuc recipere ab eo ampliora. Sic ab Abrahamo petiit filium, non quidem vt illum de medio tolleret, aut quod illo indigeret; sed vt occasionem haberet dandi ei, & vniuerso orbi proprium filium suum & vnigenitum, nempe Verbū suum æternum, in quo omnes gentes benedicerentur & saluarentur; atque etiam omnes in æternum Abrahamo de re tanta obligati remanerent. Quia fecisti hanc rem, dicit illi Deus, benedicentur in

Deus aliquid à nobis exigit, vt habeas occasionem dandi ampliora. Gen. 22.

A semine tuo omnes gentes terræ, &c.

Propterea igitur dixit Samaritanæ Christus; Mulier da mihi. Vult aliquid Christus, sitit vt sitiamus; vult vt velimus; petit vt petamus: dicit, da mihi bibere, vt dicamus ei, Domine, da mihi hanc aquam; & sic de plenitudine fontis accipiamus. Sed quæso admiremur omnes, quod ille qui fons est, à muliere potum petere dignatur, à muliere, & peccatrice. Cur non petiit à discipulis? Euangelista dicit, quod illi abierant in Ciuitatem vt emerent cibos, & sic solum IESVM reliquerant. Hic quæso non pœnitendum mysterium agnoscite. Quia sæpius vos pro cibis vestris leuissimis IESVM relinquitis, suam gratiam offert alienigenis: verùm & B rursus eam offert vobis, tantùm superest vt eam accipiatis. Venit IESVS prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: Si quis sitit, veniat ad me, regnum Dei accipiat, & de torrente voluptatis eius bibat. Quoniam impletum est tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.

1. Tim. 2. *Qualis fuit sitis Christi.* Ioh. 19.

Sitis Christi, est voluntas & desiderium omnes saluandi, sicut Paulus dicit ad Timoth. Vnde dixit in Cruce, Sitio. Quantum enim in ipso fuit, omnia dedit quæ dare ad hoc potuit. Sitis Christi, amor est animarum & salus. Sitio, mulier da mihi bibere, tuam sitio salutem. Et certè iuxta vota sua damus illi bibere, cùm nos ipsi salutem nostram procuramus, cùm ex toto corde nos ad ipsum conuerti- C mus, & vitæ æternæ opera exercemus.

Quadruplex aqua salutis. Aqua fidei.

Hic autem notandum est, quadruplicem esse aquam huiusce salutis, cuius potum postulat Christus. Prima est aqua fidei emundantis corda: cuius quidem opera exercere debemus. Illam autem hodie Christus ab infideli Samaritana petebat, supra fontem sedens, illam expectans, & alios omnes qui postea in eum cum ipsa crediderunt. Hanc similiter in Cruce petebat cùm dicebat, Sitio, id est, fidē Gentium cupio, & vt in me omnes credant, &c.

Aqua charitatis. Deut. 10.

Secunda aqua est charitatis, in obseruatione diuinorum mandatorum; & illam in Deut. petit à nobis, dicens: Audi Israël, quid Dominus petit à te, nisi vt ambules in viis eius, & diligas eum, custo- D diásque mandata & ceremonias eius, vt bene sit tibi? Ecce quid petit, & sitit Dominus.

Aqua misericordiæ. Prou. 2. Matth. 25.

Tertia aqua est misericordiæ in pauperes, de qua illud Prouerb. intelligi potest: Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Quasi diceret: extra te benefac indigentibus, & egenis, sitientibúsque & panem quærentibus venas aperi misericordiæ tuæ. Potum & calicem istius aquæ confitebitur Christus sibi factum in die Iudicij, dono regni sui compensabit, &c.

Ierem. 9. *Aqua pœnitentiæ.*

Quarta aqua pœnitentiæ est, de qua Ierem. sic loquitur: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum; & plorabo die ac nocte? Hanc dedit Deo Dauid, hanc Ezechias, hanc Ma- E nasses: hanc Christo dedit recumbenti in domo Pharisæi Magdalena, hanc hodie fatigato, & supra fontem Iacob sedenti, Samaritana; hanc Christus petit, & pro ea fontem retribuit aquæ viuæ salientis in vitam æternam. *Venit* IESVS *dicens, pœnitemini, & credite Euangelio.*

Exod. 15.

Eiusmodi aqua olim amara erat, & nunc dulcis facta est, exquo petra percussa est, & ligno Crucis fuit dulcorata. Exod. 15. figura est, vbi filij Israël bibere non poterant aquas, eo quod erant amaræ. Clamauit autem Moyses ad Dominum, qui ostendit ei lignum, quod iniectum est in eas, & dulces reddidit. Ita est hodie de aquis & lacrymis pœnitentiæ, exquo Christus lacrymatus est, fatigatus est,

eſt, ligno Crucis paſſus eſt. O mulier ſi ſcires donum Dei, & quis eſt qui tibi dicit, da mihi bibere. Sed heu! animalis homo non percipit quæ Dei ſunt. Et fortè nunc cum Samaritana diceremus Chriſto: Non coütuntur Iudæi Samaritanis, quomodo bibere à me poſcis? Fœdus quod inieram tecum confregi, & amplius ſcientiam viarum tuarum nolumus. O peccatores quid dicitis? O ſi donum Dei ſciretis. Verè donum, quia gratia eſt, & beneficium gratis collatum ingratis. Quid petit Deus? vtique parum, vt nobis det multum. Sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, gratis dantur aquæ. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.

Iſa.55. *Ioh.7.*

Forſitan dicetis, quia vnde hauriatis non habetis, & quia puteus altus eſt; vel potiùs quia ciſternas veſtras diſſipatas deſerere non vultis, & doletis. Sanè video quid ſit, hæc eſt aqua contradictionis, vbi iurgati ſunt contra Dominum filij Iſraël. Si Deus neget illis, conqueruntur; ſi autem offerat, dicunt, puteus altus eſt, &c. Erratis & decepti eſtis, date ſolùm manum, præbete conſenſum. O peccator ſi ſcires donum Dei, & quis eſt qui tibi dicit, da mihi bibere, forſitan & tu, ſed dubio procul, & ab eo peteres, & diceres; Domine da mihi hanc aquam, vt amplius non ſitiam, neque veniam huc haurire.

Num.20. *Deus vult conſenſum.*

Optimè Samaritana dixit, vt non veniam huc, ſcilicet ad fontem Iacob, haurire. Habet enim tres iſtos defectus aqua huius ſæculi, & voluptatum mundi. Primus eſt, quod per eam minimè eius extinguitur ſitis, neque hic, vbi non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu, & vbi quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ: neque etiam in Inferno, vbi ardores ſunt æterni, vt in exemplo Epulonis videre eſt. Ita vt is ſitiat in æternum, qui ex ea bibet.

Tres defectus habet aqua voluptatum ſæculi.

Secundus eſt, quia item puteus aquarum ſæculi altus eſt. Deſcendunt impij, & demerguntur quaſi lapis, qui cùm peruenerint in profundum, heu! etiam eripi contemnunt. Sic adhuc altus dici poteſt, quia de abiectis extrahitur voluptas, &c.

Tertius eſt, quia & cum labore acquiritur, & cum dolore finitur omnis voluptas & cupiditas. Sapient. 5. Laſſati ſumus, & vias difficiles ambulauimus. Hæc eſt lamentabilis vox quæ continua eſt in Inferis. Quare hodie Samaritana excellentiam aquæ audiens ſibi à Chriſto promiſſæ, ait, Domine da mihi hanc aquam, vt non ſitiam, & non veniam huc haurire.

Conditiones ſiquidem aquarum gratiæ Chriſti ſunt aliæ tres. Prima, qui biberit ex hac aqua, non ſitiet in æternum, videlicet quantum ad ea quæ ſunt mundi. Talis enim cum Apoſtolo dicit: Omnia propter Chriſtum detrimentum feci, & arbitratus ſum vt ſtercora. Et in eo dulcis remanet ſitis quantum ad cœleſtia, ita vt in Cœlo adhuc cum ſiti ſit plena ſatietas: Qui bibunt me, adhuc ſitiunt. Qui in hac vita recipiunt, in futuram deſiderant & continuò tendunt.

Tres conditiones gratiæ Chriſti.

Duplex deſiderium eſt animæ erga Deum. Vnum tendens, alterum poſſidens: & illud amor eſt, & ſatietas in Cœlo; ſed ſemper deſiderium, quia ſic Deus poſſidetur, vt ſemper deſideretur: & ſic eſt ſitis in ſatietate, & in ſiti ſatietas. Secunda conditio eſt, quod illa gratia ſemper creſcit in nobis: ita vt vna gutta cadens in animam, fons fiat; ſed fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Quæ tertia cōditio eſt gratiæ, quæ ſemē eſt vitæ æternæ, ratio & modus perueniendi ad lumen gloriæ, & poſſeſſionem regni æterni quod Chriſtus prædicare venit. Venit IESVS prædicans Euangelium regni Dei, & dicens; quoniam impletum eſt tempus, gratiæ tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.

Duplex deſiderium animæ erga Deum.

DOMINICA QVARTA.

DE CONFIDENTIA animæ in prouidentia diuina.

Philippe, vnde ememus panes, vt manducent hi? Ioh. 6.

Venit IESVS *prædicans Euangelium regni Dei.* Marc. 1.

NIHIL vtilius, nihil locupletius, & melius quàm ſequi & ire poſt IESVM Chriſtum. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet. Nihil deeſt quærentibus eum. Diuitibus huius ſæculi nulla fragmenta ſuperſunt, ſicut pauperibus Chriſti, qui ſequuntur ipſum. Diuites eguerunt, & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. Edent pauperes & ſaturabuntur, laudabunt Dominum qui requirunt eum. Vbi Caſſiodor. Conſidera, inquit, quia pauperes tantùm poſuit, qui mundi iſtius illecebras contemptu ditiſſimo reſpuerunt; non diuites, qui ſæculi huius felicitate referti ſunt, ſed pauperes, id eſt, regnum Dei eſurientes. Saturari enim non poterant, niſi quos talis poſſidebat eſuries. Venit IESVS prædicans regnum Dei. Ad ſequelam ſuam vult Chriſtus famelicos, pauperes voluntate, qui terrena reſpuant, & qui ſaturari non valeant, niſi illo pane, qui in regno Dei manducatur, qui primùm iſtud regnum Dei quærunt, & omni anxia rerum huius vitæ ſollicitudine reiecta, planè in Deo confidunt, qui ſapienter omnibus prouidit omnia, vt hodie in Euangelio animaduertimus.

Pſ. 21. *Caſſiodor.*

Abiit IESVS trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis, & ſequebatur eum multitudo magna propter ſigna magna quæ faciebat. Cùm ergo ſubiiſſet in montem cum diſcipulis, & ſubleuans oculos vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum; vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum; ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Quare cùm illi reſpondiſſet Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis. & Andreas: Eſt puer vnus hic qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces, ſed hæc quid ſunt inter tantos? Dixit IESVS, facite homines diſcumbere. Numero autem erant quaſi quinque millia. Accepit ergo IESVS panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus quantum volebant. Et fragmentorum quæ ſuperfuerunt, duodecim cophinos diſcipuli impleuerunt. Vnde illi homines videntes quod IESVS fecerat ſignum, facere eum Regem voluerunt, & dicebant, quia hic eſt verè Propheta qui venturus eſt in mundum.

Vidiſtis ex diſcurſu quos Dominus omni ſatietate & abundantia impleuit? Eos qui viſis ſignis quæ faciebat IESVS, ſequuti ſunt eum trans mare. Vno

verbo, illos benedictione Dominus replet, qui reiecta cura rerum huius mundi, in ipso confidunt. Tales non confundentur in tempore famis.
Exod.16. Filij Israël Ægypto relicta, cura ceparum, & rubro mari traiecto, tunc illis affuit rerum omnium copia, vbi in Domino sperare cœperunt. Petra dat aquas, & sequitur illos. Cœlum pluit manna, nubes protegit, anteit, illuminat; & denique semper Deus cum illis est. Ita vt etiam in manna voluerit specialiter eos erudire, vt totos se diuinæ prouidentiæ committerent, quando nec aliquid volebat in crastinum diem reseruari. Dum res est in extremo, atque etiam in arctissimo posita, tunc quidem solet Deus succurrere, & diuina eius prouidentia magis apparere.

Quo tempore magis prouidentia Dei apparet.

S. Aug. Ser. 19. de temp. Ita Sanctus Augustinus dicit, quod sic operari Deus suis assueuit, vt vbi defecit humanum consilium, illic intercedat diuinum adiutorium, &c.
Isa. 25. Isa. 25. Factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione. Adiutor, ait Dauid, in opportunitatibus.
Ps.9. Hæc est Dei indoles, in extremis & desperatis rebus subuenire nobis, vt magis tunc appareat nobis eius diuina prouidentia, & pluris etiam, cùm aduenerit, faciamus.

Verùm quid propter hoc Deus requirit à nobis? Vt imprimis cum filiis Israël Ægyptum nostram cum omni cura ceparum deseramus, & ingressi in desertum, iactemus cogitatum nostrum in Domino, dicente Psalmista: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Reuela Domino viam, & spera in eo, fac bonitatem, & pasceris in diuitiis eius. Si pascit volatilia Cœli, nolite timere, pluris estis vos, &c. Præterea hodie, iuxta Euangelium, cum multitudine magna transfretandum est mare Galilææ, quod est Tyberiadis, vt sequamur Christum, &c. Mare hoc denotat præsens sæculum, vbi tot sunt pericula, & nemo securus; Galilææ est, id est, volubilis ad modum rotæ; Tyberiadis est, id est, apparentis. Ecce quale est sæculum in quo degimus, periculosum, instabile, & apparens. Ecce mundi abusus: ecce quid deserendum, vt sequamur Christum.

Ps.16.

Per mare Galilææ mũdus figuratur.

Descripta vanitas mũdi.

Mundus est rotæ similis, natura sua volubilis, qui nunquam in eodem statu permanet. Præterit figura mundi huius, ait Paulus. Mundus transit, & concupiscentia eius, ait Iohannes, inanisque est spes omnium peccatorum. Sic Iacobus: Ecce nunc qui dicitis, hodie aut crastino ibimus in illam Ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Homo simul cum mundo rotæ similis est, &c. Ieremiæ c. 18. figulus faciebat opus ex luto super rotam. Super rotam factus est homo incola mundi ex luto, ibique omnes vani homines cupiunt stabiliri.

1. Cor.7. 1. Ioh.2. & Iacob. 4.

Ierem. 18.

O munde immunde, ait S. Bernardus, fugiens tenes, volubilis es, & apprehendis: quid igitur faceres, si maneres? Non habemus hic, dilectissimi, ciuitatem permanentem, qui futuram inquirimus & æternam. Hinc itaque transmigremus, & ab ista volubilis mundi conditione, transmigrationis nostræ occasionem sumamus. Deus Ezechieli ait: Tu fili hominis fac tibi vasa transmigrationis, id est, bona opera, quæ in transmigratione tua, videlicet de hoc mundo ad Cœlum, eò te perducant. Et certè corpora ista, transmigrationis vasa sunt, volubilitati obnoxia, morti & transmigrationi destinata. Habemus, dicit Apostolus, thesaurũ in vasis fictilibus, animam in corporibus nostris, migremus hinc, non est hic locus securus. Tu igitur fili hominis, sic viue in corpore, vt animus sit liber ad Deum ire. Sic viue in mundo, vt post sæculum perfruaris Cœlo. Sic vtere momento temporis, vt non amittas gaudia æternitatis. Sic certa, vt tibi donetur corona. Sic operare in terra, vt merearis habere regna cœlestia. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.*

Ezech. 12.

Credite Euangelio, quia hic mundus mare est Galilææ, vndique volubilitatis fluctibus agitatum. Mare est Tyberiadis, deceptione & apparentia plenum. Videre vultis? Mulier ab initio mundi, etiam in medio paradisi, vidit lignum quod bonum esset ad vescendum, pulchrum oculis, & aspectu delectabile. Tulit de fructu, comedit, deditque viro suo, & ambo decepti sunt, cognouerunt se nudos, & absconderunt se à facie Dei. Dixerat illis serpens: Comedite, nequaquam moriemini, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij. Comederunt, & decepti sunt. Aperti sunt oculi amborum, sed vt turpitudinem suam agnoscerent, & absconderent se à Deo. Sic certè omnibus accidit qui respiciunt in vanitates & insanias falsas, & non sequuntur veritatem; qui post prauitatem, fucum & apparentiam rerum mundi ambulant: veritatem autem Dei in iniustitia detinent; qui adhærent sæculo, & non Christo. Gen. 3. Ps.39.

Quare secundum triplicem differentiam boni in rebus, sciendum est, abusum esse, vsum, & fruitionem. Abusus est in bono apparenti. Item in bono quod verum est & existit, vt sunt creaturæ, sed vitio creaturæ rationalis quæ in malum vsum conuertit quæ appetit. Hoc sensu Salomon dicebat omnia quæ sub Sole sunt vanitatem esse, & afflictionem spiritus. Hoc sensu sapientissimus eius pater & Psalmista: Auerte oculos meos ne videant vanitatem, ne sectentur quæ vident, & cor auertentes seducant.

In quo est abusus.

Vsus est in isto bono visibili & creato, quodque bene vtenti vtile & bonum est. Fecit enim Deus omnia, quæ & iudicauit & vidit valde bona, vt eis vtamur. In hoc enim bona sunt nobis; sed non vt fruamur illis, in quo quidem mala sunt, vitio deprauatæ nostræ electionis. Ecce quibus vsus conuenit & proprius est, rebus transitoriis, & quæ sunt mundi huius. *Vsus.*

Fruitio autem summo & increato bono competit, videlicet Deo. Propterea migremus hinc, & non fruamur amplius terræ bonis. Quæ videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna. Relinquamus ista, & aspiremus ad illa. Venit IESVS prædicans regnum Dei, sequamur ipsum, & omnibus dicentem audiamus: Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Pœnitemini: ecce iustitia regni Dei. Credite Euangelio: ait enim, Quærite quod præcipuum est, & cætera adiicientur vobis. Quærite primùm ad quod nati estis, quærite regnum Dei, & quod minus est adiicietur vobis. Inquirentes Dominum, non deficient omni bono. Nunquam deest Deus iis qui in ipso confidunt & sperant. Scit Pater vester quia his omnibus indigetis. Cura illi est de omnibus qui sui sunt, & nutrit eos. Sic Paulos in Eremo, sic Antonios, sic Hilariones, sic Danieles, sic hodie denique quinque millia *Fruitio.*

millia hominum in deserto. Oculi Domini super iustos, &c.

Quanta sit differentia inter prouidentiam Dei, & prudentiam hominum. Tria hominum genera qui vitã diuersimodè regunt.

Cùm subleuasset oculos IESVS, & vidisset quia multitudo magna venit ad eum, dixit Philippo; Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Sed quare discipulum suum tentat Christus? Vtique ad demonstrandum quanta differentia sit inter prouidentiam Dei, & prudentiam hominum. Tria sunt enim hominum genera qui diuersimodè vitam suam ducunt. Alij sunt qui solùm ducuntur affectibus suis; & hi non multum differunt à brutis quæ suum appetitum sequuntur. Alij sunt qui ratione ducuntur. Alij verò qui omnia fide & supernaturali virtute moderantur. Inter quos hoc tantùm discriminis interest, quod isti dicuntur sapientes huius sæculi, qui omnia ratione & prudentia metiuntur. Illi verò fideles, iusti, & simplices Dei, qui ratione superiori rerum omnium gubernationem considerant. Igitur Christus hodie Philippum tentat, vt coram prudentia hominum magis elucescat Dei prouidentia. Sciebat enim, dicit Euangelista, quid esset facturus. Propterea, vt manifestè ostenderet illam, dicit; Facite illos discumbere. Et acceptos statim quinque illos panes hordeaceos distribuit discumbentibus, & ex duobus similiter piscibus, quantum volebant. In quo certè valde illuxit Dei prouidentia, & ordinando illos pauculos panes inueniri, & similiter permittendo quod deficerent discipuli circa fidem & prouidentiam Dei, vt simul & necessitati aliorum subueniret mediis ordinariis: & aliorum etiam mederetur diffidentiæ, operatione miraculi.

Specialis Dei prouidentia relucet in multiplicatione quinq; panum. Prouidentia includit Dei voluntatem, & permissionem.

Vtrumque Dei prouidentia includit, & voluntatem diuinam, seu prædefinitionem, & permissionem. Voluntas, seu prædefinitio media conuenientia respicit: est enim diuina operatio ad gubernationem pertinens. Permissio autem respicit mala, in quantum diuinæ est prouidentiæ, sinere res quas optimè instituit, suis agi motibus; maximè cùm possit, & norit ex malis elicere ingentia bona: hæc enim causa est sine qua non permissionis mali. Hoc videre vultis? Nonne occasione peccati, maximum bonum exortum est, quando filius Dei incarnatus est? Nonne adhuc mirum in modum resplendet Majestas diuinæ misericordiæ in remissione peccatorum, sicut iustitiæ in punitione eorum?

Sed in Euangelio istud etiam videamus. Permittit Christus discipulos suos labi in diffidentiam, vt ex paucis panibus quos hic ordinauit inueniri, prouidentia illustrior appareret, quando ex eis quinque millia hominum satiauit. Quid est enim prouidentia? Iuxta S. Thom. ratio ordinandorum in finem, in Deo existens. Sic Boëtius lib. 4. de Consol. diuina ratio in summo omnium principe, videlicet Deo, constituta, quæ cuncta disponit. Sic hodie Christus illos paucos panes accepit, quos ipsius prouidentia ad hunc finem summa ratione disposuerat. Ad hunc finem dico, quia in Deo, cognitio est rerum cum ordine ad finem; vnde prouidentia Dei non est propriè respectu suiipsius: & sic à scientia differt. Scientia enim in Deo est & respectu suiipsius, & respectu aliorum; se enim & omnia extra se comprehendit. Prouidentia è contrà, non est respectu Dei, quia in eo nihil est ordinandum & ordinabile ad finem, cùm ipsemet sit finis omnium: sed est tantùm respectu nostri, & cæterorum quæ sunt extra Deum. Vnde

Quid sit prouidentia. S. Tho. 1. p. q. 22. art. 1. Boëtius lib. 4. de Cõsol.

Prouidentia non est respectu Dei, sed aliorum.

A dicitur ratio ordinis rerum ad finẽ, in Deo existẽs.

Duo distinctè in prouidentia.

Vbi duo distinctè considerari possunt. Primò, res in seipsis consideratæ secundum suam essẽtiã, & vt sunt talis speciei & formæ: quarum ratio in mente diuina existens, idea dicitur & notio. Secundò, ordo & relatiò, seu habitudo, quam eiusmodi res habent ad suum finem, siue proprium, siue generalem: & tunc talis ordinis rerum ad finem ratio in eadem mente diuina existens, dicitur prouidentia, iuxta quam omnia Deus immediatè ordinat, & ea exequitur per media, prouidens necessariò necessariis, liberè liberis, contingenter contingentibus, specialiúsque homini quàm cæteris creaturis. Et quidem de homine hoc ad maiorem Dei gloriam dici potest, quod quasi vnicum esse videatur

Diuina prouidentia ordo.

B & singulare prouidentiæ Dei obiectum, propter quem & omnia creata sunt, & ipse Dei filius, in terra factus homo, tot miranda fecit: adeò vt etiam plura in vna anima operetur, si ipsa velit, quàm in vniuerso mundo. Sed quæso istud aduertite, si velit ipsa: stat enim per eam, si ampliora prouidentiæ dona non recipiat.

Omnia sub prouidentiã cadunt, & nihil fit casu, vel fortuna.

Ecce igitur quid sit prouidentia, quomodo omnia comprehendit, & omnia ad finem ordinat. Vnde fit modò, vt nihil casu, aut fortuna accidat. Sic creatio mundi per prouidentiam facta est, qui non casu, sed consilio factus est, & ad finem factus. Sic adhuc gubernatio mundi ad prouidentiam per-

C tinet, vbi quidquid in eo fit, ad finem aliquem ordinem suum habet. Hac prouidentia vult Deus bonum, & facit; permittit malum, & impedit. Vultis vt finiam? Respectu causæ particularis, casus & fortuna esse potest, non autem vniuersalis, id est, Dei, quem nihil subterfugere potest. Prouidentia est ratio ordinis rerum ad finem, in mente diuina existens; sapientia à fine vsque ad finem fortiter attingens, & omnia suauiter disponẽs. Sap. 8.

Hodie sic disposuit & ordinauit omnia Christus: in cuius mente ratio existebat & ordo, quo & de paucis panibus quinque millia hominum satiaret, & ad finem ordinatum & conceptum eos, & discipulos suos adduceret; nimirũ vt ab omnibus agnosceretur Dei filius, & qui affluenter omnibus pro-

D uidet qui inquirunt ipsum & sequuntur, &c.

Nemini deest prouidentia Dei.

Et certè nihil est vnde exultare magis, & consolatione repleri debeamus, quàm Dei prouidentia, quæ nemini vnquam deest. Quibus enim vnquam illa defuit? Non Eliæ in deserto, non Paulo in Eremo, non filiis Israël in desertis, non hodie quinque millibus hominum qui sequuti sunt Dominum. Denique non quotidie tot Religiosis, aliisque piis hominibus, qui cultores paupertatis Christi, renunciant omnibus quæ possident, & se totos diuinæ prouidentiæ committunt. Hinc fortè Dominus dicebat: Nolite solliciti esse animæ vestræ, id est, vitæ, quid manducetis. Considerate coruos quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos. Consi- Luc 12.

E derate volatilia Cœli, Pater vester cœlestis pascit illa. Nolite ergo solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc omnia Gentes inquirunt, & scit Pater vester quia his omnibus indigetis. Quasi diceret: si curam habet Dominus de minimis, vt auibus Cœli, & liliis, prouidens eis alimenta & vestimenta; quanto magis seruis suis, quos adoptauit in filios, prouidebit? maximè verò si illi placere studeant. Matth 6.

Ecce igitur cõsolatio vestra, pũidẽtia Dei. Quærite primũ regnũ Dei, qui prædestinati estis in illud,

& hæc omnia adiicientur vobis. Quærite Christum,& viuet anima vestra;manus habet omni benedictione plenas: quinque panes accipit,& illos quinque millibus hominum multiplicat.Quærite Christum, quærite regnum eius, & sperate in eo omnis congregatio populi. Effundite coram illo corda vestra. *Venit* IESVS *prædicans Regnum Dei, & dicens:pœnitemini, & credite Euangelio.*

DE IVSTA IRA CHRISTI in eos qui irreuerenter domum Dei pertractant.

Cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de Templo. Ioh. 2.
Pœnitemini,& credite Euangelio. Marc.1.

Misericordia virtus Christi. NIHIL est quod magis in Christo IESV resplendeat quàm misericordia.Virtus est quę illi conuenit inter omnes, in quantum Deus & homo est. In quantum Deus, quia nihil naturæ eius conformius. Natura Dei bonitas est, & eius *Iustitia opus alienum à Deo.* opus misericordia:vnde sicut iustitia alienum Dei opus dicitur,ita misericordia proprium opus eius. *Isa. 28.* Isaias loquens de flagello & iustitia Dei, sic ait: Flagellum inundans cùm transierit, eritis ei in conculcationem. Quandocunque pertransierit, tollet vos, vexatio sola intellectum dabit. Sicut in monte diuisionum stabit Dominus, irascetur vt faciat opus suum, (id est,vt puniat) alienum opus eius,(ait iste Propheta:) vt operetur opus suum (id est, faciat quod facere decreuit, scilicet punire:) & peregrinum est opus eius ab eo. Quasi diceret: Deus contra naturam suam punit,& coa-*Misericordia Dei opus proprium.* ctus. Non est hoc opus eius ; misericordia est opus. Quare etiam per Prophetam regium Deus dicitur misericordiæ architectus. Ps. 88. In æternum misericordia ædificabitur in cœlis.

Hic singula verba notanda sunt. In cœlis nemo ædificare potest nisi Deus. Quid ædificauit in illis?misericordiam. Ergo misericordia structura Dei est, ædificatio Dei est. O opus admirabile! ô opus singulare, cuius architectus Deus est! Sed quale est hoc ædificium & opus? æternum, quia proprium quidem opus Dei est. In æternum misericordia ædificabitur in cœlis. In æternum,quia stabit,& nunquam destruetur tale Dei opus. Numquid enim obliuiscetur misereri Deus, ait idem *Ps. 76.* Psaltes, aut continebit in ira misericordias suas? Quasi diceret, minimè. Et si punire contingat, & destruere, statim ad reparationem fertur miseri-*Thren. 2.* cordia. In Lamentationibus Ieremiæ hoc mysterium explicatur, vbi cogitans Dominus dissipare murum filiæ Sion,videlicet Hierusalem,statim tetendit funiculum suum, non vt funditus euerteret eam;sed vt de nouo reædificaret, & perfectiorem. Propterea in ipsa hora destructionis tendit funiculos reparationis, non potest obliuisci Deus misereri, ædificatur misericordia in cœlis, opus Dei est proprium & stabile.

Quomodo & quousq; misericordia conuenit Christo, vt homo est. Maximè igitur Christo conuenit in quantum Deus est, sed maximè adhuc quia homo est: hoc enim pacto etiam quod misericordiæ imperfectum erat,scilicet compassionem, assumpsit, Apo-*Heb. 4. & 5.* stolo sic dicente : Non habemus Pontificem qui A non possit compati infirmitatibus nostris, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate. Si igitur ita res se habeant, quomodo hodie in Euangelio legimus, quod ira eius sicut ignis exarsit aduersus peccatores? Propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit IESVS Ierosolymam, & inueniens in Templo vendentes, & numularios sedentes, cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de Templo, numulariorum effudit æs, & mensas subuertit, dicens: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei,domum negotiationis.

Quæso vnde hic zelus, & eiusmodi iræ genus? Sed quomodo eum sæuire decuit qui veniebat pa-B ti? Qui probra & ignominias patienter tulit, nunc vendentes in Templo ferre non potest. Quid hoc sibi vult? Qui ad flagella paratus est, hodie flagellis cædit. Cùm fecisset flagellum ex funiculis, eiecit, effudit, euertit. Ecce ignis, ecce zelus, & ira IESV Christi. Sed vnde hæc ira? Nonne ille est misericors & miserator Dominus, cui proprium est misereri, & misericordiæ cuius non est numerus? Misericordiæ cuius patientia conuenit & mansuetudo? Quare igitur hodie non patitur, sed irascitur & cædit? Hic intelligite mysterium.

Ira ita est aliena à filio Dei, & misericordia *Quomodo Christus egredi de seipso dicitur puniendo.* connaturalis illi, vt quoties aliquem vult punire, C licèt iustè, dicatur ferri extra se, & egredi de loco connaturali sibi. Misericordia enim Templum & ædificatio Dei est: vnde si contingat de misericordia egredi ad punitionem, quasi de seipso dicitur egredi, & de loco sibi connaturali, quasi denique suam naturam relinquere, & alienam assumere. Ita S. Hieronymus explicans illa verba Isa. Vade populus meus, intra in cu- *Isa. 26.* bicula tua, claude ostia super te, & abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum. Quæso in iustitia misericordiam Dei videte, monentis nos, vt ad momentum in-D dignationis quæ transit, abscondamur. Sed videamus qualiter eo tempore quo se de inimicis vlciscitur, quasi de loco suo & de seipso egreditur. Ecce nunc egredietur Dominus de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum. Quæ inquam Sanctus Hieronymus explicans di- *S. Hieron.* cit. Dominus qui natura benignus est,vestris peccatis cogetur personam,quam non habet, crudelitatis assumere.

Vbi videris quàm verum sit,Deum egredi quasi extra se, & locum suum, cùm cogitur nos punire, cùm cogitur non amplius in misericordia sua, sed in iustitia sua & furore visitare iniquitatem habitantium in terra contra eum. Et si habitantium in E terra;qua indignatione quæso iniquitatem visitabit habitantium in domo sua contra eum?Templũ sanctum suum profanantium, Sanctuarium & locum habitationis gloriæ suæ?Hæc est iniquitas quę *Iniquitas quæ in domo Dei committitur, maximè eum ad iram prouocat.* Deum exasperat, & ad indignationem prouocat, & quam etiam sustinere non potest. Ea videlicet quæ in conspectu & domo eius committitur. Nam si Assuerus Rex nunquam ferre potuit insolentem temeritatem Aman in domo propria, cùm supplex *Esther 7.* ille surrexit vt rogaret Esther pro anima sua, irreuerenter corruens super lectulum in quo iacebat Regina. Quem cùm sic reperisset Rex, ait: Etiam Reginam vult opprimere, me præsente, in domo mea? Nec dum verbum de ore Regis exierat, & statim

ſtatim operuerunt faciem eius, qui ſtabant in miniſterio Regis. Et dixerunt: En lignum quod parauerat Mardochæo; ſuſpendite in eo, ait Rex. Et ira Regis quieuit. Ita quidem, & multo magis prouocatur ad iracundiam Deus, cùm in domo eius, & illo præſente delinquimus, atque irreuerenter rei & ſupplices coram eo nos gerimus; adeò vt etiam ira eius quieſcat, ſi puniat, & faciem noſtram operiat confuſio. Sic in Ezechiele: Implebo furorem meum, & requieſcere faciam indignationem meam in eis, & conſolabor; & ſcient quia ego Dominus locutus ſum in zelo meo. *Ezech.5.*

O pater æterne, dicit hodie Chriſtus, zelus domus tuæ comedit me. Vnde videns abominationes quæ in ea fiebant, & ægrè ferens, flagello furoris ſui eiicit, euertit, & ait; Auferte iſta hinc, & nolite facere domum meam, domum patris mei, domum negotiationis; orationis domum, ſpeluncam latronum. Numquid me ad iracundiam prouocant? dicit Dominus apud Ierem. nónne ſemetipſos in confuſionem vultus ſui? Scilicet, ſemetipſos prouocant ad iram meam, non ego iraſcor, hoc enim alienum eſt à me, ſed ipſi ſe dignos efficiunt ira mea, id eſt, punitione, propter ſcelera ſua: & ſic operit confuſio eos, qui ſuper ſemetipſos prouocant & attrahunt diuinam vltionem. *Ierem.7.*

Nam ſi ſit peccatum quod Deum ſtatim ad puniendum prouocet, irreuerentiæ & irreligionis peccatum eſt in domo Dei. Abominatio illa eſt viſa in loco ſancto, quam deſolatio ſequitur; & hoc propter ſanctitatem loci, & ſpecialem præſentiam Dei in illo. Licet enim omnia repleat Dei majeſtas, nulloque loco & ſpatio recludatur, peculiarem tamen præſentiam & aſſiſtentiam exhibet in Templis. Adeò vt Daniel in ſua captiuitate conſtitutus, cùm comperiſſet edictum quod à Rege Dario exierat, vt vſque ad 30. dies nullius nomen inuocaretur, etiam Dei, ſed tantùm Regis, tunc ingreſſus domum ſuam, feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Ieruſalem (vbi Templum Dei erat) tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturque coram Deo ſuo, &c. Quare etiam Dauid ait: Introibo in domum tuam, adorabo ad Templum ſanctum tuum in timore tuo. Eccleſia locus eſt præſentiæ & adorationis Dei, locus denique habitationis gloriæ eius. *Specialius Deus in Tēplo habitat.* *Daniel.6.* *Pſal.7.*

Non igitur mirum eſt, ſi hodie Chriſtus non eſt paſſus contemni locum illum, & ſi ſemel atque iterum verbis & flagellis illos eiecit, qui hanc domum orationis, & adorationis profanabant, tamque irreuerenter Sanctuarium Dei pertractabant. Vnde & hodie de nobis conqueritur Deus, iuxta Ieremiam, videns abominationes noſtras quibus Templa polluimus, dicens: Quid eſt quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? núquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas? Quaſi diceret: numquid exiſtimas te iuſtificari ſacrificiis tremendis quæ offeruntur in ea, modò adſis? & tali præſentia quæ magis iram quàm gratiam Dei prouocat? Scias quia & hoc tibi in grauioris culpæ cõdemnationem erit. *Ierem.11.*

Et certè hæc miſeria valde eſt deplorabilis, & flens dico, quod in domo Dei, vbi eum alloquimur, & nos audit, ipſum offendamus; quod è Templo ſancto, vnde multi gratiis pleni reuertuntur, nos grauioribus onuſti peccatis egrediamur. An neſcis, ait S. Ambroſ. quàm graue ſit in oratione contrahere peccatum, vbi ſperas remedium? Certè Deus per prophetam docuit, hoc graue eſſe maledictum, dicens: Et oratio eius fiat in peccatum. Heu quàm ſunt multi quibus hoc conuenit! Quorum oratio *S. Ambroſ. l.1. de Cain & Abel. c.9.*

A eſt, non in remedium, ſed in augmentum peccati, qui orando non placant Deum, ſed exaſperant.

Quod igitur Chriſtus tam ſeuerè & grauiter in eos animaduertit, qui hodie Templum Dei contaminabant, ideo fecit, vt nos erudiret, quomodo, & quanta cum reuerentia, & morum ſanctitate, in domo Dei eſſe & conuerſari debeamus: huius enim ſanctæ conuerſationis defectu accidit, quod Deus non ſolùm nos abiicit, ſed etiam domum plerumque deſerit, cùm illam profana conuerſatione noſtra, de ſancta profanam reddimus. Non delectatur Deus in his ſolis parietibus tantùm conſecratis, ſed maximè in Sanctis ibi congregatis. Et hoc modo intelligebat qui dicebat: Domine, dilexi decorem domus tuæ. Decor domus Dei, congregatio Sanctorum eſt, non iunctura lapidum. Sanctitatem Deus hominum, non connexionem parietum quærit & reſpicit. Hinc eſt quod Marc. 11. cùm introiiſſet IESVS Ieroſolymam in Templum, circumſpectis omnibus exiit. Circumſpiciebat quærens quod non inueniebat, quærebat ſanctitatem Templi, & videns quod exciderat, exiit: ædificium manebat, ſed nihil in eo erat quod Templi proprium eſſet, propterea egreſſus eſt, adeò vt etiam dixerit diſcipulis, qui magnificabant ſtructuram hanc: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur. & Iudæis ipſis paulo antè: Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. *Cur Deus etiam Templa deſerit.* B *Marc.11.* *Matth.24.* *Matth.23.*

C Hæ ſunt punitiones quibus digni ſunt qui ſine timore & reuerentia in domum Dei ſe conferunt, faciunt domum orationis, domum negotiationis, & indignè coram Deo aſſiſtunt. Quod in Templo debemus facere, eſt, orare, veniam à Deo petere, cum oratione lacrymas fundere, ſperare, & cum ſumma deuotione cæleſtis dona gratiæ expectare: vno verbo, ibi adhærere Chriſto IESV, qui eſt verum Diuinitatis Templum, in quo orare, & pœnitere, & gratiam, & omnia dona cœleſtia ſperare & aſſequi debemus. Si quid petieritis patrem in nomine meo, ait, dabit vobis. Petite, ſed in me petite, & accipietis. Verè Templum Dei eſt, in quo, dicit Apoſtolus, omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter inhabitat, tanquam in proprio corpore, ait Theodoretus, tanquam in proprio Templo. Ita vt & Dei Templum, & Deus ſimul ſit, Deus ſecundum perſonam & Diuinitatem: Templum Dei ſecundum humanitatem; & ſic Templum noſtrum, in quo Deum Deo offerimus, & apud patrem acceſſum & reconciliationem habemus. *Quid in Eccleſiis agere conueniat.* *Ioh. 16.* D *Coloſſ.2. Theodoret.*

Huius Templi veri & naturalis Dei figura erat illud artificiale Templum Salomonis, in monte Sion conſtructum, & quod tribus erat diſtinctum manſionibus, ſuperiore, media, & inferiore: in parte dextra cuius manſionis, ſcilicet inferioris, oſtium erat, per quod ad mediam & ſuperiorem ingreſſus erat. Ita Chriſtus fundamentum habet in monte Sion, viſionis Dei, id eſt, in Cœlo, in montibus ſanctis, ipſo dicente; Qui de cœlis eſt, ſuper omnes eſt. & rurſus: Vos, inquit, de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum. In eo tres ſunt mãſiones. Superior, nempe Diuinitas, qua verbum dicitur apud Deum, vnigenitus qui eſt in ſinu patris, qua denique pater eſt in filio, & filius in patre. Media eſt anima; & inferior, ipſa caro. In quibus item hypoſtaticè & ſecundũ vnionem perſonalem Diuinitas reſidens manet, ſibique mundum reconcilians, & nos omnes per huius inferioris manſionis oſtium ad ſe introducens. *Chriſtus verum & naturale Templum Dei. Templũ Salomonis figura Chriſti.* E *Ioh.3.& 8.* *Ioh.1.* *Ioh.14.*

Sed quodnam eſt illud oſtium, niſi ſacratum vulnus in latere dextro ſanctiſſimæ carnis Chriſti? per hoc enim nobis ad Diuinitatẽ ſuam acceſſum dedit.

Neque enim permisisset vnquam in hoc latere dextro perfodi, nisi voluisset in dextera sua nobis parare locum refugij. O vtinam talis merear esse columba, quæ in foramine petræ habitet, in foramine huius lateris dextri IESV Chisti, vnde etiam fluit sanguis & aqua, in nostrorum purgationem & redemptionem peccatorum: & vnde adhuc ascendamus vsque ad imitationem virtutum eius animæ, & diuinitatis contemplationem; vsque ad participationem & delectationes regni eius in dextera vsque in finē, vbi lætetur cor, exultet lingua, insuper & caro requiescat in spe resurrectionis suæ, integræ & cōpletæ visionis, quando & ipsi oculi Domine te conspecturi sunt, & videbo te in hac carne Deum Saluatorem meum. Interim me trahat, & me tibi deuinciat Domine tua præsentia, me tuus ad te trahat amor, & me tuus à te non separet timor; trahar ad te & in funiculis amoris, & in funiculis timoris. *Venit* IESVS *prædicans regnum Dei, & dicens: pœnitemini, conuertimini*, &c.

Mysterii in flagello ex funiculis cōfecto. Ecce hodie flagellum facit Christus ex funiculis, ad correctionem eorum qui delinquunt in eum. Hoc quidem absque mysterio non est, vt in iustitia etiam misericordiam ostendat, & in eiectione ad conuersionem inuitet. Funiculis ad trahendum & ligandum vtimur: propterea ex funiculis flagellum Christi confectum est, quia sæpius flagellat vt attrahat, & tunc flagellum misericordiæ est factum ex funiculis amoris. *Flagellū misericordiæ & conuertens.* Hoc flagello Paulus tractus est & conuersus, hoc flagello Dauid, hoc flagello ad pœnitentiam Manasses. De illo dicebat in Osee Dominus: In funiculis Adam traham eos, in funiculis charitatis. (Osee 13.) De illo psaltes, qui dicebat: Cùm occideret eos, quærebant eum & reuertebantur. Ita & nos hodie reuertamur ad eum per pœnitentiam.

Flagellum iustitiæ. Nonnulli enim sunt è contrà, & ij certè quamplurimi, qui etiam hoc flagello ligantur ad pœnam, vt impœnitentes & reprobi. De quibus ita loquitur Dominus Ierem. 2. (Ierem. 2. Isa. 9.) Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt. Sic in Isa. Populus non est reuersus ad percutientem se: eo enim Deus animo cædit, vt conuertamur ad ipsum. Vnde fit vt qui non reuertuntur, eodem flagello ex funiculis facto, in æternum carcerem trahantur. (Matth. 22.) Matth. 22. Ligatis manibus, pedibusque mittite in tenebras exteriores. Itaque dum tempus habemus gratiæ, pœnitentiæ, & conuersionis, reuertamur ad Dominum, &c. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.*

DE OBLIGATIONE & vtilitate audiendi verbum Christi, cum attentione animi.

Ascendit IESVS *in Templum, & docebat.* Ioh. 7.

Venit IESVS *prædicans Euangelium regni Dei.* Marc. 1.

COELESTIS est doctrina IESV Christi, diuina & salutaris, & beati qui eam custodiūt. (Luc. 11.) Cùm extollens vocem quædam mulier de turba, dixisset illi: Beatus venter qui te portauit; statim respondens dixit: Beati qui audiunt, & custodiunt verbum Dei. Hodie secundum Iohannem, iam die festo mediante, ascendit in Templum, & docebat. Quid docebat? verbum Dei patris, iuxta quod ait mirantibus se: Mea doctrina, nō est mea, sed eius qui misit me patris. Vtique patris, quia ipse est verbum patris: vtique patris, quia non quærit nisi gloriam patris: vtique patris, quia non commendat & docet nisi voluntatem patris. Beati igitur qui eam audient, atque custodient. Propterea illa Sapientia æterna, quæ est filius Dei, & fons omnis sapientiæ in excelsis, dicit & clamat in Ecclesiastico: Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ. (Ecclesi. 51.) Hæc domus Ecclesia est, locus conueniens doctrinæ & doctori. Hodie ascendit IESVS in Templum, & docebat.

Ecce adhuc cur in Templis cum reuerentia conuersari debemus, quia in his quæ patris sunt, docet Dei filius. Congregate vos igitur in hanc domum disciplinæ, & non dissolutionis; reuerentiæ, & non negotiationis. Quid retardatis? Animæ vestræ sitiunt vehementer, (sitiunt doctrinam vitæ & salutis.) Aperui os meum, & locutus sum. Quid? doctrinam salutis. Comparate vobis sine argento; collum vestrum subiicite iugo, & suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim inuenire eam. Hodie est, & solùm attentione opus est. Ascendit IESVS in Templum vt doceat, & beatus qui eum audit, intelligit, ac seruat quæ dicit. Omnes volunt fieri beati, alij in diuitiis, alij in honoribus, alij in deliciis, &c. & vnusquisque fallitur. *Beatitudo in custodia verbi Dei.* Beatitudo nostra, ex ore Christi, in auditu & custodia est verbi Dei. Vani sunt omnes homines, in quibus non est scientia Dei, dicit Sapiens in Sapientia sua. (Sap. 13. & Sap. 9.) Et si quis, Domine, erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.

Necesse est igitur ad perfectionem nostram, & acquisitionem fœlicitatis, vt eum audiamus in quo plenitudo Diuinitatis inhabitat, & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei sunt absconditi, scilicet Christum filium vnicum patris. Cuius etiam doctrina tota est diuina & salutaris, sicut hodie dicit: *Quomodo doctrina Christi, dicitur doctrina patris.* Mea doctrina, non est mea, sed eius qui misit me patris, inquantum videlicet pater ipse est qui in filio loquitur, vt dixit Apost. (Heb. 1.) Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio, per quem fecit & sæcula. Olim Deus in alieno ore loquebatur loquens in prophetis: nunc autem in ore proprio, cùm nobis loquitur in filio. Hocque sensu doctrina eius, doctrina dicitur patris: *Solus Dei filius voce patris audiendus proponitur.* vnde etiam solus est qui voce patris nobis audiendus proponitur.

Hoc optimè notant Tertull. contra Marc. & S. August. hom. 1. de Transfig. ex S. Matt. Transfiguratus est Christus in monte ante discipulos suos, quibus etiam apparuerunt cum eo Elias & Moyses loquentes; & ecce vox patris de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. (Matt. 17. Tertull. lib. 4. contra Marcion. S. Aug. hom. 1. de Transfig.) Vbi Tertull. Non iam Eliam, non iam Moysem, sed hunc audite. vbi & S. Aug. Loquitur Elias, sed ipsum audite: loquitur Moyses, sed ipsum audite: prophetæ loquuntur, sed ipsum audite. Vnde etiam statim factum est, & non sine mysterio, vt notat Tertull. quod leuantes oculos discipuli, neminem viderunt nisi solum IESVM, vt sic animaduerterent quod solus erat, qui voce patris audiendus erat. Sic de eo dixerat Moysi Deus, loquens inquam de filio suo, quem similem illi de medio nostri suscitare debebat, videlicet prophetam nostrum & doctorem. (Deut. 18.) Ponam, ait, verba mea in ore eius. Qui autem

tem noluerit verba eius quæ loquetur in nomine meo,audire,ego vltor exiſtam.Quare hoc?Quia hic eſt filius meus dilectus, ait pater, quem audiendum propono omnibus,doctrina cuius mea eſt,&c.

Duabus de cauſis Chriſtus dixit doctrinam ſuã eſſe doctrinã patris.

Hac igitur ratione docens Chriſtus in Templo noluit hoc latere, ſed ſtatim declarauit manifeſtè, duabus de cauſis, cùm ſimiliter ait: Doctrina mea, non eſt mea,ſed eius qui miſit me patris. Prima eſt, vt qui audirent eam, quanti ponderis & momenti eſſet,agnoſcerent,& minimè contemnerent:ſed ſcirent verba eſſe non hominis,ſed Dei,quę Sapientia incarnata ſuo ore depromebat; & ſic omnes gratias referrent Deo patri,cui complacuit nobis ſic in filio loqui,qui nõ Angelum,aut prophetam ad nos miſit, ſed filium proprium, vt ipſemet aperiens os ſuum nos doceret, & eructaret abſcondita à conſtitutione mũdi, doctrinam nobis prædicaret ſublimem ad ſenſum,potentem ad effectum,& ad conuerſionem animarum penitus efficacem.

Humanitas Chriſti inſtrumentum verbi Dei.

Et quidem in hoc non parum gratificauit nos Deus in dilecto filio ſuo, quem ſic in noſtra carne doctorem noſtrum eſſe voluit.Ipſa enim Chiſti humanitas,& non alia quàm Chriſti filij Dei,inſtructa omni ſapientia & gratia, inſtrumentum fuit Euangelij, & doctrinæ omnis veritatis. Cùm Deus vtitur ingeniis hominum,vt inſtrumentis ad declaranda & exprimenda conſilia ſuæ voluntatis, vt plurimum accommodat ſe conditioni eorum, conſueto eorum modo loquendi & concipiendi, iis vtitur prout inuenit. Cùm autem in carne filium ſuum nobis doctorem noſtrum conſtituit, eius humanitas, omni prædita ſapientia, Euangelij inſtrumentum fuit,vt & quæ ſciebat à patre, nobis diceret, & quæ dicebat,ad captum noſtrum & vtilitatem temperaret. Eam igitur ob cauſam docens hodie dicebat:Mea doctrina,non eſt mea,ſed eius qui miſit me patris;diuina eſt,non humana.

Secunda cauſa eſt,vt amplius non mirarentur Iudæi,ſic eum videntes docere:& nos ſimiliter cũ illis deſinamus mirari tantam myſteriorum profunditatem & ſapientiam,quæ in Euangelio reconduntur. Mirabantur enim illi dicentes;Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit?Non enim didicerat IESVS quæ docebat,qui per infuſionem diuinam omnia ſciebat. Quia plenitudo omnis ſcientiæ, ſicut gratiæ, ab inſtanti Incarnationis & conceptionis ei data fuerat.Non enim hic loquor de ſcientia increata,de beata, & de experimentali ſeu acquiſita: tantùm hic de infuſa loquor ei indita à primo momento Incarnationis, quæ perfectam rerũ omnium cognitionem continet propter intimam vnionem animæ cum verbo,&c.

Propter tria infuſio omnis ſcientiæ animæ Chriſti data eſt.

Et ſic dico quod talis plenitudo ſcientiæ infuſæ, illam naturam decebat aſſumendam à Chriſto in omni perfectione, vnde etiam decuit, vt ſtatim daretur illi: & hoc propter tria.Primò,propter perfectionem quæ deeſt animæ, & tamen cuius capax creata eſt.Anima enim ſecundum ſe conſiderata eſt imperfecta,quatenus eſt in potentia ad cognoſcendum.In principio enim ſui eſſe veluti eſt tabula raſa. Quod autem eiuſmodi eſt,imperfectum eſt,niſi reducatur ad actum, in quo eſt omnis perfectio. Exempli cauſa: Ego in potentia ſum, ex imperfectione mea,ad plura & plura ſemper cognoſcenda. Non autem ita Chriſtum eſſe decebat, qui fons ſapientiæ in excelſis erat; vnde naturam noſtram in omni ſua perfectione aſſumens, ei ab illo inſtanti omnis plenitudo ſcientiæ infuſa eſt.

Secundò, propter naturalem conditionem animæ, quæ naturaliter cognoſcit per eiuſmodi cognitionem creatam, ſiue ſit infuſa, ſiue acquiſita actibus & experientia. Naturalis autem anima Chriſti erat, & eiuſdem conditionis cum noſtris: vnde ad perfectionem eius conueniens fuit, vt illi daretur plenitudo ſcientiæ infuſæ & creatæ.

Tertiò, propter actum & operationem animæ, quælibet enim res eſt propter ſuam operationem. Quare cùm ſit anima intelligens, ad perfectionem ſuam debetur illi intellectio, quæ non fit abſque ſcientia.

S. Aug. lib. 21 de Ciui. c. 7.
Duplex cognitio in Angelis.
Adinſtar Angelorum duplex in Chriſto cognitio.

Ecce igitur cur oportuit animæ Chriſti infundi omnem plenitudinem ſcientiæ. Vnde ex S. Auguſt. ſicut in Angelis duplex ponitur cognitio: vna matutina, per quam cognoſcunt res in verbo; & alia veſpertina, per quam illas cognoſcunt in ſeipſis, & in natura propria per ſpecies ſibi inditas. Ita in Chriſto, præter cognitionem increatam & diuinam,de qua,vt diximus, non loquimur hic, duplex adhuc ponitur. Vna quaſi matutina, quæ & beata eſt, qua nempe & verbum ſeu ſeipſum, & res omnes in verbo & ſeipſo cognoſcit, multo excellentiùs quàm omnes Angeli & beati:iuxta quod cæteri per ipſum ſunt beati,& in ipſo etiam res vident. Altera dicitur quaſi veſpertina, videlicet infuſa, per quam res cognoſcit in propria earum natura per ſpecies intelligibiles humanæ menti proportionatas.

Ecce quali plenitudine ſcientiæ per infuſionem diuinam humanitas Chriſti ab inſtanti conceptionis ornata & prædita fuit.Ecce quomodo quæ ſciebat,non didicerat arte,ſed à patre acceperat,& nota fecit nobis.Vnde ait:Doctrina mea,non eſt mea, ſed eius qui miſit me patris. Diuina eſt, non humana; neque enim ab homine didici, ſed à patre, ſine quo non loquor, & non niſi quæ beneplacita ſunt ei, loquor & facio. Adeò vt ſi quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcat de doctrina mea, vtrùm ex Deo ſit. Eſt enim doctrina & diuina & ſalutaris, deſcendens à patre luminum ad eruditionem hominum;docet ea quæ patris ſunt,& ſalutis. *Aſcendit* IESVS *in Templum, & docebat*, &c.

Doctrina Chriſti ſalutaris.

Itaque quantum ad ſecundum videamus nunc quomodo, & quantum eſt ſalutaris doctrina Chriſti. In hoc glorificatus eſt pater æternus, vt omnes homines ſaluentur per filium ſuum, propter quod miſſus eſt.Ioh. 3. *Miſit Deus filium ſuum in mundum, vt mundus ſaluetur per eum*, &c.incarnatus eſt, paſſus eſt,nobiſque verba ſalutis eſt loquutus.Ego ſum, ego ſum Dominus,Iſa. 48. docens te vtilia. Salutare noſtrum Chriſtus eſt,& ſalutaris doctrina ipſius eſt;verba habet & nobis profert vitæ & ſalutis, audiamus,&c.Matt. 5. octo vias docet ad beatitudinẽ. Mar. 1. Euãgelium regni Dei;*Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens quoniam impletum eſt tempus, & appropinquauit regnum Dei.* Luc. 4. iuxta prophetiam Iſaiæ,pœnitentiam in remiſſionem peccatorum.Matth. 19. ſapientiam & theſaurum Cœli, per contemptum mundi, & abnegationem ſæculi. Si vis perfectus eſſe,vende quæ habes,& da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo. Amen dico vobis, vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis. Qui non renunciauerit omnibus,quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Iohan. 12. perfectam & integram ſui mortificationem. Qui amat animam ſuam, perdet eam, & qui odit in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur. Qui non ſequitur me, videlicet per crucem & mortificationem, non eſt me dignus.

Ioh. 3. *Iſa. 48.* *Matth. 5.* *Marc. 1.* *Luc. 4.* *Matth. 19.* *Ioh. 12.*

Ioh. 16. Luc. 18. Matth 5. Docet alibi humilitatem, obedientiam, misericordiam, patientiam, & cæteras virtutes. Iohan. 16. & Lucæ 18. modum & rationem orandi. Matthæi 5. præceptum & rationem inimicos diligendi, & benefaciendi his qui oderunt nos, calumniantur & persequuntur. Quousque tandem Matt 22. Matt. 6. Matth. 22. doceat nos istud primum & maximum mandatum legis, diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus, atque etiam vt primò & ante omnia quæramus regnum Dei, & iustitiam eius. *Venit* IESVS *prædicans regnum Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.* Ecce regnum & iustitia regni, credite docenti. *Ascendit* IESVS *in Templum, & docebat.* Doctrina eius diuina est & salutaris.

Cant. 5. *Attentio debita verbo Dei.* Vnum nunc nobis superest, vt cum attentione animi verba vitæ audiamus. Anima mea liquefacta est, dicit Sponsa, vt Sponsus locutus est. Ecce attentio necessaria & debita verbo Chisti. Hebræum dicit; Exiuit anima mea cùm ille loqueretur: & iuxta versionem Septuaginta Interp. Egressa est ad verbũ eius, &c. Vt hic aduertatur singularis attentio, quam Sponsa fidelis, id est, anima, præstare debet verbo Dei, quanta cum lætitia animi, si sit Sponsa, audit; simulatque enim loquitur Sponsus, egreditur, transfertur, attendit, liquescit, &c. Illa igitur attentio est cum qua verbum Christi & doctrinam eius audire S. Th. opusc. de human. Christi. debemus, quæ quidem ita ad salutem necessaria est, vt S. Tho. opusc. de humanit. Christi, illam afferat vt signum prædestinationis, sicut reprobationis, aures Ioh. 10. & cor auertere; ait enim: Oues meæ vocem meam audiunt, & sequūtur me. In hoc enim vocẽ Christi percipimus si ipsum sequamur, & opere quod dicit impleamus.

Signũ prædestinationis, verbũ Dei cum attētione audire. Quare virtus quæ attentionem nostram comitari debet, fidelis est obedientia, & obseruatio mandati. Sic enim debent explicari illa verba Iohan. Oues meæ vocem meam audiunt; audiunt, dicit, non disputant, non contradicunt: & cognoscunt me meæ. Quomodo cognoscitur Deus? ait Sanctus S. Basil. ho. 26. de Mamante. Basil. in homilia de illo magno martyre Mamante. Ex eo quod præcepta illius audimus, ex eo quod *Obedientia debet attentionem comitari.* illa audientes, opere complemus. Vult Deus vt promptè quod dicit exequamur, vult Deus vt filij Abrahæ simus, vult Deus vt adinstar quatuor illo- Ezech. 1. rum animalium Ezechielis, statim ad impetum Spiritus Dei gradiamur, nec reuertamur. Mirum in *Symbolum obedientiæ & attentionis debita verbo Dei.* modum illa quatuor animalia repræsentant obedientiam cum qua verbum Dei audire debemus. Habebant pennas alterius ad alterum iunctas, ad connotandam velocitatem mutuæ adhærentiæ coniunctam. Vultus eorum quatuor mundi partes respiciebant: vnumquodque enim eorum coram facie sua gradiebatur, ita vt nullibi possent mitti, quò priùs faciem conuersam non haberent, quasi iam in via & parati. Vnde statim vbi impetus erat Spiritus, illuc gradiebantur, & ad similitudinem ibant fulguris coruscantis, ad magis significandam in obedientia & in executione promptitudinem: nec reuertebantur, ad fidelitatem demonstrandam & constantiam.

Ecce equidem attentionis nostræ, obedientiæ, atque fidelitatis symbolum. Oportet faciem habere conuersam ad Domini præceptum, iam nos paratos esse ire, quocunque nos ducet Spiritus Domini, & statim atque impetus aduenerit, & efficacià verbi Dei, incedere velociter, & nõ reuerti. Hoc vult Deus, qui non amplius in prophetis, sed in filio loquitur nobis. Hodie ascendit in Templum, & docebat. Quod hodie facit, multoties fecit in Templo & Synagogis, in Ciuitatibus, Castellis, ædibus, montibus, plateis & vicis. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitemini, & credite Euangelio.*

DE ILLVMINATIONE interna per Christum.

Præteriens IESVS *vidit hominem cæcum à natiuitate.* Iohan. 9.

Venit IESVS *prædicans Euangelium regni Dei.* Marc. 1.

CHRISTVS IESVS venit de cœlis in hunc mundum, rediturus de mundo in cœlum; & præteriens vidit cæcum à natiuitate. Sæpius occasio salutis nostræ præterit, præteriens IESVS; & nos ad eum minimè attendimus, qui eum minimè videmus, & cæci à natiuitate sumus: sedemus in tenebris, & lux transit. Nihil subtilius, & nihil fugacius luce. Christus lux æterna est, & transit coram cæcis, verũtamen vt non abscondat se ab eis, præteriens vidit, &c. In eo subtilitas est luminis, non vtique vt euanescat aut fugiat, sed vt nos circumdet & penetret, lumenque de tenebris splendescere faciat. O Domine respice, & illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. Si respicis, stabunt lapsi, & illuminabuntur cæci.

Eius est videre, cuius est misereri: eius videre, cuius est illuminare; cæcum videre, vt illuminet: miseriam & afflictionem videre, vt misereatur & liberet. Exod. 3. Vidi afflictionem populi mei, Exod. 3. & sciens dolorem eius, descendi vt liberem eum. Ezech. 16. sic etiam Dominus loquitur misertus Ezech. 16. miseriæ & abiectionis suæ creaturæ, sub figura Hierusalem: Ecce proiecta es super faciem terræ in abiectione animæ tuæ, in die qua nata es. (notate.) Transiens autem per te, vidi te conculcatam in sanguine tuo, & dixi tibi, cùm esses in sanguine tuo, viue.

Ecce hodie quid simile in Euangelio. Præteriens IESVS vidit hominem cæcum à natiuitate, cui dicit; vade, laua, & vide. Eius est videre te, cuius est illuminare te, & manifestare opera Dei in te. Interrogauerant enim eum Discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit IESVS: Neque hic peccauit, neque parentes eius; sed vt manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me, quandiu sum in mundo, lux sum mundi.

O cæce fœlix! qui talis natus es, vt diuinæ sis opus & obiectum manifestationis; vt per te resplendeat in mundo Christus lux æterna patris, & videant per te qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. O beatam cæcitatem quæ mundo testimonium perhibet de lumine! Hæc enim cùm dixisset IESVS, scilicet quod in illo manifestari debebat filius Dei, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei; vade, laua in natatoria Siloë (quod interpretatur Missus.) Et nõ sine causa & mysterio hæc interpretatio: Missus enim est Christus. Abiit ergo, & lauit, & venit vidẽs. Itaq; vicini, & qui viderant eũ priùs quia mendicus erat, dicebãt: Nõne hic est qui sedebat & mendi

mendicabat? Ecce manifeſtatio gloriæ & Diuinitatis Christi. Alij dicebant quia hic eſt. Alij, nequaquam, ſed ſimilis ei. Ille verò dicebat, quia ego ſum: & interrogantibus rationem dabat, quomodo ille homo qui dicitur IESVS, cum luto aperuerat ei oculos, quos ex eiuſdem præcepto lauerat in fontibus Siloë: vnde ſic videns redierat. Vicinis ſuis hoc referebat, & ſimiliter Phariſæis, ad quos poſtea adductus eſt cum parentibus ſuis, ipſis atteſtantibus quia filius eorum erat, qui cæcus natus erat; illo verò IESVM illuminatorem ſuum prædicante, & exhortante omnes vt in eum crederent, & diſcipuli eius fierent, &c. Hæc erat gloria quam Chriſto filio Dei coram illis dabat, quouſque foras eiectus ab eis, rurſus obuiam factus eſt Chriſto, qui dicens ei: Tu credis in filium Dei? confeſſus eſt, & non negauit: cùm enim reſpondiſſet illi; Quis eſt, Domine, vt credam in eum? & dixiſſet ei IESVS: Vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. Ille ait: Credo Domine, & procidens adorauit eum.

Hic certè in eo cæco nato magna Dei opera manifeſtantur, quorum author eſt Chriſtus in homine. Illa autem præſertim tria ſunt: creatio, reparatio, & glorificatio. Omnia per ipſum facta ſunt, ait S. Iohan. & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. Ex ipſo & in ipſo omnia condita ſunt.

Tria in Euāgelio Dei notātur opera.

Creatio hominis.

Primò igitur homo in creatione de limo terræ formatus eſt, & Iob eum lutum appellat dicens: Memento quæſo quod ſicut lutum feceris me. Hodie Chriſtus lutum fecit, vnde ſumptus eſt homo, vt illuminaret cæcum. Non minimum eſt in hoc opere myſterium. Homo licet ex puluere & de limo terræ formatus, non tamen fruſtra eſt à Deo conſtitutus, ſicut pſaltes ait; *Nunquid vanè conſtituiſti Domine omnes filios hominum?* homo enim in conſtitutione ſua ad finem eſt creatus, & talem, vt Deum cognoſceret authorem ſuum, cognoſcendo amaret, & amando poſſideret. Propterea cùm in creatione mundi, poſt omnia ad fabricam hominis ventum eſt, tale tunc fuit conſilium Trinitatis ſuper eum: Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram, id eſt, demus ei oculos intelligētiæ, ſublimes oculos ad proſpiciendum, non in terram, ſed in Cœlum, non in creaturas, ſed in Deum conditorem ſuum: oculos intelligentiæ & ſublimes, vt per ſcalam creaturarum, cœleſtium, atque terreſtrium, aſcendat mente vſque ad Deum ſcalæ innixum, & per lumen gratiæ eum glorioſiùs agnoſcat.

Pſ. 88.

Sed heu! gemens dico, ſicut qui fixis in Solem oculis ipſum contēplatur, nimio lumine perfuſus, oculorum lumen amittit: ſic homo, quia ex ſuggeſtione diaboli dicentis ei & vxori; aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij: hac falſa luce deceptus, nimiùm ſe ſupra ſe attollens caligantibus oculis Solem Iuſtitiæ eſt intuitus, excæcatus eſt, & lumen oculorum & mentis amiſit; de luce ad tenebras prolapſus eſt, & de veritate Dei in iniuſtitiam.

Vnde & dicere homo potuit: Oculus meus deprædatus eſt animam meam. Quale nunc mihi gaudium, quia amplius lumen Cœli, non Solis, ſed Dei non video, qui in tenebris ſedeo, captus cæcitate, eo quod auertit faciem ſuam Deus à me? Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, &c. Vnde poſtea animaduertit quia cæcus erat, clauſis ad cœleſtia oculis, & ad terrena apertis. Gen. 3. Aperti ſunt oculi amborum, & cognouerunt ſe eſſe nudos, orbatos lumine ſicut veſtimento.

Thren. 4.
Tobiæ 5.

Gen. 3.

Salubriter quidem poſt lapſum id accidit primis parentibus noſtris, quod nimirum nudos ſe & cæcos cognouerunt. Sic enim Adam reſpondit Deo quærenti ſe; eo quod nudus eſſem, cum vxore mea à facie tua abſcondi me. Ecce tenebræ cum nuditate. Sed hæc cognitio erat vtilis: tunc enim cum damno ſuo perpendebat, cuius & quanti ponderis erat bonum præteritum quod amiſerat; & malum præſens quod imminebat. Conturbatum eſt cor meum, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Aliquo quidem modo illi profuit ſcientia boni & mali, qui dixit; Timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me.

Aliquo modo Adamo profuit ſcientia boni & mali.

Verùm nobis aliquid peius accidit, quod omnes à natiuitate cæci ſumus, quod ex eo tempore quo naſcimur, à parentibus cæcitatem noſtram contrahimus, & nullam habemus ſcientiam boni quod amiſimus, & mali in quo tunc naſcimur. Vnde Iob aperiens os ſuum, vt malediceret diei ſuo, ſic dicebat: Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, conceptus eſt homo. Dies ille vertatur in tenebras, & non illuſtretur lumine; non computetur in diebus anni, & inuoluatur amaritudine. Sed quare quæſo iſte Sanctus qui non peccauit in labiis ſuis, ſic inuehitur in diem ſui ortus? Vtique quia natus eſt cæcus, tenebris inuolutus priuſquàm pannis; Deique lumine priuatus priuſquàm ad conſpectum Solis veniat, & primam vitæ ſuæ vſuram accipiat.

Nobis autem peius accidit, quod naſcimur cæci.

Iob. 3.

Verùm vultis in vniuerſum videre cæcitatem mundi, cum qua naſcimur omnes? Deus in mundum venit, & in mundo erat, ait S. Ioh. & mundus eum non cognouit; & vt intelligatis, lux in tenebris. Ecce vbi apparuit, quando Chriſtus in hunc mundum venit, ſiquidem tenebræ tantæ ſunt, vt lucem, cùm venit, minimè comprehenderint, licet ſit lux vera Angelorum & hominum, lux quæ reſplendet in cœlis. In terra autem manet abſcondita in tenebris, adeò vt ferè extincta ſit Dei cognitio in mēte hominum, qui, inquit Apoſtolus, commutauerunt veritatem Dei in mendacium, ſeruientes creaturæ potiùs quàm creatori. Vnde etiam ſicut non probauerunt habere Deum in notitia, tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant quæ non conueniunt. Omnes à natiuitate cæci ſumus, & quod peius eſt, in cæcitate noſtra manemus, & eam ignorare volumus: cæci nati, & voluntarij, cæci à natiuitate, cæci ex voluntate, cæcitas in cæcitate; nec ſe homo cæcum nunc deprehendit, vt primi parentes.

Vniuerſalis cæcitas in mundo.
Ioh. 1.

Rom. 1.

Triplex autem eſt in homine cæcitas. Prima, quod pretioſiſſima ſui parte neglecta, in viliſſima omnem ſuam curam ponit, neglecta anima, tantùm corporis concupiſcentiæ vacat. Et quæſo, numquid magna eſſet inſania, ſi quis obiiceret corpus vulneribus, vt veſtem ſuam ſeruaret? Quidnam verò eſt tuum corpus, quod ſic conſeruas, niſi indumentum animæ tuæ, quam deſpicis & proſtituis?

Triplex cæcitas in homine.
1.

2. Secunda cæcitas eſt, hanc vitam vnius momenti plus curare, quàm æternam. De æterna dicitur: Oculus non vidit, auris non audiuit, &c. De præſenti verò, quod ſit vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Et tamen hanc momentaneam æternæ præferimus? Deplorabilis iſta eſt cæcitas.

3. Tertia eſt, conditorem omnium pro creatura vili deſerere, cum inquam à quo omnia, & qui continet omnia, pro re vili & ſordida negligere. Certè eiuſmodi tenebræ Ægyptiacis ſunt maiores, quæ

quæ palpari poterant manibus. Rom. 1. Euanuerunt in cogitationibus suis, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & obscuratum est insipiens cor eorum. Noluit intelligere vt bene ageret, excæcatum est. Reuelatur ita Dei de Cœlo super impietatem & iniustitiam eorum hominum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent, id est, qui claudunt oculos veritati, voluntate cæci sunt, & in voluntaria obliuione Dei. Quare sic scribitur in Apocal. Angelo, id est, Episcopo Laodiciæ Ecclesiæ: Dicis, quia diues sum, & quia nullius egeo. Et nescis quia tu es miser, & pauper, & cæcus, & nudus. Collyrio inunge oculos tuos, vt videas, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ. Quasi diceret: luto inunge oculos tuos & laua, vt videas & tu, in qua deiectione & miseria eras; & non appareat amplius confusio cæcitatis & deformitatis tuæ.

Apoc. 3.

Talis siquidem est status cæci nati, & qui sedebat mendicans, in quo ad viuum referuntur conditiones peccatoris. Quis enim cæcus, nisi seruus meus? dicit Dominus. Quis cæcus, nisi qui venundatus est? Ducam cæcos in viam quam nesciunt. Cæci intuemini, vt tandem videatis: considerate hic conditiones peccatoris. Primò, cæcus est: secundò, pauper & mendicus: tertiò, sedens nudus, & miserabilis. Hæc tria homo consequitur ex peccato. Primò, cæcitatem contrahit in intellectu, id est, ignorantiam veri. Omnis enim peccãs est ignorãs.

Isa. 42.

Triplex conditio peccatoris.

Secundò, egestatem cum mendicitate in affectu; quia nec velle bonum potest ex se, nec malo satiari: sed cùm vnam concupiscentiam impleuerit, in egestate est alterius, mendicat precibus, & pane suo vescitur in sudore vultus, &c.

Tertiò, sessionem patitur, & impotentiam bene agendi, ita vt nec se erigere possit ad desideria bona, nec in iustis ambulare operibus. Dauid versiculo vno cõprehendit omnia, dicens sedentes esse in tenebris, & in vmbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro. Cùm dicit, sedentes, impotentiam notat recti operis: dicens, in tenebris & vmbra mortis, cæcitatem ostendit, & ignorantiam Dei. Cùm verò ait, vinctos in mendicitate & ferro, notat indigentiam, quæ ferrea est, & dissolui non potest, nisi IESVS liberator præteriens videat & soluat, atque eos in viam rectam deducat.

Ps. 106.

Sic itaque tenentur vincti peccatores; & hoc quia exacerbauerunt eloquia Dei, & consilium altissimi irritauerunt. Sic igitur in æternum cæci permanerent, in tenebris sederent, vincti in mendicitate & ferro, nisi præteriisset IESVS, &c. Quare etiam Zacharias pater Iohannis, Christum venisse dicit per viscera misericordiæ suæ, in quibus visitauit nos Oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent: & Isa. pariter missum in lucem Gentium, vt aperiret oculos cæcorũ, & educeret vinctos de domo carceris sedentes in tenebris. Vnde statim ait: Educam cæcos in viam quam nesciunt, & in semitis quas ignorant, eos ambulare faciam.

Luc. 1.

Isa. 42.

Istud hodie in cæco à natiuitate completur, quem misit Christus vt lauaret se in natatoria Siloë. Et ponam, dicit Deus per Prophetam, tenebras coram eis in lucem. Hoc rursus completur in illo qui lauit, & venit videns, & de tenebris translatus est ad lucem. Ita vt diceret omnibus, quia ego sum, qui priùs cæcus eram, nunc autem videns sum. Qui me de limo terræ creauit, luto me reparauit. Ille homo qui dicitur IESVS, lutum fecit, & super oculos mihi posuit, & laui, & video; nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.

In hac autem illuminatione cæci resplendet nostræ reparationis opus, opus nostræ conuersionis ad lucem, quæ Christus est, qui sicut in dono imaginis author prædicatur hominis; sic hodie restaurator agnoscitur in beneficio luminis, cùm scilicet per aspectum suum reuocat ipsum de tenebris ad lucem, de vmbra mortis ad vitam, & de statu peccati ad gratiam, pristinæ restituens dignitati, etiam maiori & meliori. Iuxta quod Apostolus dicit: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Adeò vt in alterum virum mutatus homo videatur.

Reparatio hominis agnoscitur in cæco.

In illo cæco hodie exemplum est, de quo, postquam est illuminatus, quidam dicebant: Ipse est qui sedebat. Alij verò, nequaquam, non est ille, sed similis ei. Ita vt ipsemet cogeretur testimonium perhibere de se, & dicere, quia ego sum. Mutatus videor, sed ego sum, qui priùs cæcus eram, nunc autem videns sum. Ille homo qui dicitur IESVS & reparator, lumen & visum restituit oculis meis; vobis alius videor, sed ego sum. Ita plerunque accidit illuminato peccatori, & qui ad Deum per veram pœnitentiam conuertitur. Totus mutatus in alterum virum videtur. Admirantur omnes, & dicunt multi; non est amplius ille qui erat antè. Et quidem optimè istud dici potest; quia licet adhuc sit idem in person., non est tamen idem in causa, idem in operibus. Interea sicut illuminatus cæcus, debet semper reminisci prioris status, & dicere: Ego sum, ego sum ille miser & peccator magnus, ego qui peccaui, qui iniquè egi, & debitor sum misericordiæ Dei.

Quomodo mutatur qui ad Deum conuertitur.

Certè mirum in modum hic relucet ordo quẽ Deus obseruat in iustificatione peccatoris. Primò, Christus cæcum videt, antequam eum videat cæcus. *Præteriens* IESVS *vidit cæcum*, &c. Sed quid? siccine præterit aspectus gratiæ Christi? Propterea dicitur præteriens, quia est præueniens, nobisque aduenit non cogitantibus, nec ad ipsum respicientibus. Siquidem sic Deus respicit prætereundo, vt perseueret in respiciendo, semper paratus aspectu suo trahere nos ad se. Ita Sponsa loquebatur de Sponso, & de oculis eius: En stat post parietem, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, & loquitur mihi: Surge, propera, & veni. Stat, sic præterit vt non fugiat, sed maneat perseuerans. Post parietem, hic denotatur mysterium Incarnationis. Ipsa enim Christi humanitas propugnaculum nostrum, atque defensio facta est. Sic Isaias dicit: Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator, ponetur in ea murus, paries, & antemurale. Stat igitur diuinitas lux nostra post parietem, verbum sub carne nostra absconditum, prospiciens per fenestras & cancellos, per oculos humanitatis suæ sanctæ, atque misericordiæ in nos: stat prospiciens, quia intentus est eius oculus, & continuò in attractione lumine suo perseuerans. Vnde stat solùm per nos, si adhuc in tenebris nostris sedentes maneamus.

Ordo iustificationis in illuminatione cæci.

Cant. 2.

Isa. 26.

Paries pro humanitate Christi accipitur.

Verùm in his ipsis verbis Sponsæ, miseriæ nostræ causam inueniamus, & cur sic in cæcitate nostra manemus. Hæc est, quia obicem ponimus lumini, & stat post parietem Sponsus. Quis est ille paries inter Deum & nos diuidens? peccatum est. Vnde etiam non sine mysterio dixit Sponsa: En stat post parietem nostrum; nostrum enim peccatum est, nosterque interpositus paries, ratione cuius, Iustitiæ lumen, & Sol intelligentiæ non oritur nobis. Hinc certè ait Isa. Propter hoc elongatum est

Isa. 59.

eſt iudicium à nobis, & non apprehendet nos iuſtitia. Expectauimus lucem, & ecce tenebræ; ſplendorem, & in tenebris ambulauimus. Palpauimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectauimus: impegimus meridie quaſi in tenebris, &c.

Quæſo quare hoc? in meridie ambulare vt cæci? En ratio, quia propter peccata noſtra quæ diuidunt inter nos & Deum, verus Sol Iuſtitiæ non relucet nobis. Ita enim proſequitur Propheta: Multiplicatæ ſunt enim iniquitates noſtræ coram te, & peccata noſtra reſponderũt nobis, quia ſcelera noſtra nobiſcum. Iniquitates noſtrę coram Deo, ipſum faciunt ſtare poſt parietẽ, atq; ſic impedimẽto ſunt, ne illuceſcat nobis lumen gratiæ eius & veritatis; & ſi contingat reſpicere, per feneſtras & cancellos hoc facit, ſcilicet per occaſiones aliquorum bonorum operum, quæ aliquando & per interualla in illo miſero ſtatu exercemus, ex quibus Deus ſtatim inducit nos ad pœnitentiam: nullam occaſionem ſalutis noſtræ prætermittit Deus, ſtat poſt parietem, proſpiciens per cancellos, &c.

Paries pro peccato accipitur.

Item per hunc parietem & murum poteſt adhuc voluntas noſtra intelligi, quæ reſiſtit Deo, & eſt obſtaculum diuini luminis & gratiæ. Deus autem per feneſtras & cancellos reſpicit, cùm inclinationibus eius vtitur, vt ingrediatur & inhabitet in nobis. Nihil Deus prætermittit quod noſtræ poteſt prodeſſe ſaluti, ſtat poſt parietem. Sicque poſuit, ait Dauid, iniquitates noſtras in conſpectu ſuo, & ſæculum noſtrum in illuminatione vultus ſui. Pro *ſeculo* vertit S. Hieron. *negligentias noſtras.* Vt oſtendamus modò, quia tantùm ſtat per nos, ſi non ſaluemur, per negligentias noſtras ſtat, ſi non illuminemur: ipſe enim poſuit eas in illuminatione vultus ſui. Vult Deus vt ſurgamus, & illuminemur, quia venit & ſuper nos ortum eſt lumen eius, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos, præteriens IESVS vidit cæcum à natiuitate: præueniens ipſum qui non videbat, reſpexit & illuminauit. Ecce quoad primum.

Paries pro voluntate accipitur. *Pſ. 89.*

Quantum ad ſecundum, poſuit illi lutum ſuper oculos, id eſt, memoriam ſuæ creationis & formationis, vt cognoſceret quis ipſius conditor erat. Sicut enim qui veſtem feciſſet, & dilaceratam reficere vellet, de eodem panno quo facta erat aſſumeret: ita hodie facit Chriſtus, oculum reformans de luto, quem antea formauerat de limo. Lutum igitur ponit illi ſuper oculos, vt recordatione ſuæ primæ originis, ſibi peccator in ſua iuſtificatione vileſcat; itemque luti peccatorum ſuorum continuò recordetur.

Quantum ad tertium, miſit ad fontem Siloë, videlicet ad lauacrum pœnitentiæ; ſic enim perfectè homo illuminatur. *Venit* IESVS *dicens, pœnitemini,* &c. Ecce illuminationis, iuſtificationis, & conuerſionis animæ ordo. Vnde poſtea ad glorificationem peruenitur, quæ tertium eſt Chriſti opus inceptum in terris, & conſummatum in cœlis. In terris, vbi creditur, &c. In cœlis, vbi adoratur, & facie ad faciem & ſicuti eſt, videtur in regno Dei patris. *Venit* IESVS *prædicans regnum Dei, & dicens: pœnitemini, & credite Euangelio.*

Glorificatio hominis.

DE LACRYMIS pœnitentiæ.

Noli flere. Luc. 7.
Venit IESVS *prædicans regnum Dei, & dicens, pœnitemini.* Marc. 1.

NIHIL potentius & efficacius ad miſericordiam IESV Chriſti conſequendam, quàm lacrymas effundere in conſpectu eius. Hinc beatos lugentes dixit Matth. 5. quibus ſtatim conſolationem promiſit. Dauid in pſal. modo admirabili exoptat & petit, vt lacrymæ eius ante conſpectum Dei perueniant, dicens: Auribus percipe lacrymas meas, ne ſileas, quoniam aduena ego ſum. Hic lacrymæ vim orationis habent. Quare pſaltes iuxta Caſſiodor. dixit, auribus percipe; cùm enim videt Deus, audire dicitur, & cùm audit, ſimiliter videre dicitur. Hic igitur lacrymæ noſtræ etiam ad aures Dei peruenire dicuntur, & illas exaudit, vt ait: Exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Domine ne ſileas, ſcilicet à lacrymis meis, ne obſurdeſcas, clamorem illarum exaudi.

Matth. 5. Pſ. 38. *Pſ. 6.*

Sed iam videamus quomodo in illas reſpicit Deus, & dignæ ſunt oculis diuiniſque Chriſti aſpectibus. Hoc modo gloriabatur pſalmiſta, qui dicebat Deo pſ. 55. Poſuiſti Domine lacrymas meas in conſpectu tuo. Doctiſſimus Genebr. vertit, *in ſaeculo tanquam res pretioſiſſimas.* S. Hieron. *in vtre vt aquam odoriferam.* Alij vertunt, *in theſauris tuis*: vt monſtretur tanti pretij coram Deo eſſe lacrymas, vt eas recondat velut in theſauro ſuo. Gemmæ ſunt dignæ quæ aſpiciantur oculis Chriſti, & colligantur manibus: guttæ dignæ quæ cauent hunc lapidem, cor vulnerent, in eoque tanquam in ſcrutinio ſacro recordantur. Fortè de eo oculo loquebatur Sponſus Cant. 4. Vulneraſti cor meum Sponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum. Quis iſte oculus vulnerans & cauans? Oculus plorans.

Pſ. 55. Genebr. S. Hieron. *Pretium & virtus lacrymarum.* *Cant. 4.*

Duo ſunt oculorum officia: primum eſt videndi; alterum flendi. Videndo ſæpius vulneramur: ſed ſæpius contingit vt flendo ipſum Deum vulneremus. O Sponſa, in iſto vno oculorum tuorum vulneraſti cor meum. Alij vertunt, *excordaſti me,* ſeu, *cor meum tibi vindicaſti.* Non ſolùm enim Deus lacrymis vulneratur, ſed etiam attrahitur illis.

Hodie ibat IESVS in ciuitatem Naim, & cùm appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ, quæ vidua erat, & vidua plorans: ſuper quam Dominus miſericordia motus, & accedens, dixit illi: Noli flere. Et tangens loculum defuncti, illis ſtantibus qui portabant, ait: Adoleſcens tibi dico, ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ, cunctis magnificantibus Deum, & dicentibus, quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & Deus viſitauit plebem ſuam. Ecce quid lacrymę viduæ effuſæ coram Chriſto profuerunt; vulnerarunt cor eius, qui ſuper eam miſericordia motus eſt, & ad reſurrectionem filij ſui incitatus.

Verùm oſtendamus hic, & diſtinguamus lacrymas à lacrymis, oſtendamus quænam lacrymæ Chriſto diſplicent, & quænam illi placent. Vna eſt enim triſtitia ſecundum mũdum, & vna ſecundum Deum;

Duplex triſtitia.

Deum; & vtrique conuenit fundere lacrymas. Hæc distinctio Apostoli est, qui dicit Corinthiis: Gaudeo quia cótristati estis ad pœnitentiam. Non enim gaudeo quia contristati estis, (quia non omnis tristitia bona est,) sed quia contristati estis secundum Deum. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Ecce tristitia bona, & quę ex ea lacrymæ proueniunt, Christo placent. Sæculi autem tristitia operatur mortem, dicit Apostolus, & illa reproba est, & quæ ex ea profluunt lacrymæ, Christo displicent, sæpiusque tum corporis, tum animæ mortem operantur, vt Eccles. dicit: Multos occidit tristitia, & non est vtilitas in ea; in ea & tali quæ sæculi tristitia est. Vnde etiam eiusmodi lacrymæ multum Christo displicent.

2. Corin. 7.

Eccles. 30.

Lacrymæ quæ Christo displicent.

Nunc igitur dicamus quænam istæ sunt, pro his enim dicit Christus; Noli flere. Lacrymæ, quæ ex amissione rerum temporalium nascuntur, eiusmodi sunt; vt bonorum, parentum atque amicorum. Qui nimia & immoderata tristitia iacturas suas, vel mortuos suos deflent, tales reiiciuntur à Christo, qui non delectatur nisi pœnitentiæ lacrymis. Quare cùm & nō sine mysterio in domū Iairi venisset principis Synagogæ, vt filiam eius mortuam suscitaret, videns quia turba tumultuans erat & plangens illam, legitur quod antequam intrasset domum, omnes illos eiecit qui plorabant, permittens solùm patrem & matrem adesse cum suis discipulis. Et hoc, dicit S. Chrysost. vt doceret, quod qui plorabant, tam magno adesse miraculo indigni erant, & quia lacrymæ, quæ morti corporis nihil prosunt, soli morti peccati conueniunt. Propterea etiam notat S. Lucas quod dixit Christus iis qui aderant; Nolite flere, sicut antè patri puellæ; Noli flere: sicut & hodie mulieri viduæ, quæ vnicum defunctum suum deducebat ad tumulum; Noli flere.

Matth. 9. Luc. 8.

S. Chrysost. hom. 32. in Matth.

Mors non est plangenda, quia sicut vita est naturalis.

Mors quæ nobis est communis, sicut & vita naturalis, non est plangenda, neque digna lacrymis. Mortales nascimur; vnde si quid in morte est plorandum, ista communis miseria est, quod nascimur mortales: & sic magis vita quàm mors deflenda est, quia ex ipso vitæ nostræ exordio in terra, incipit mors nostra. Hæc mors & communis afflictio erat, quam coram Dauid plorabat illa mulier & sapiens vidua Thecuitis, cùm dicebat: O Rex, omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur super terram, quæ non reuertuntur. Ita est, omnes sumus habitatores ciuitatis Naim, quæ explicatur fluctus & mutabilitas, seu commotio.

2. Reg. 14.

Ecce cui mutabilitati obnoxij sumus. Terra nostra regio est vmbræ mortis, vita enim nostra quæ in continuo fluxu est, & incessanter labitur ad mortem, verè vmbra mortis est, potiusque mors dicenda quàm vita. Hæc nostra ciuitas & regio habet suas portas, ingressus & exitus: mortales ingredimur, & per mortem egredimur. Vnde Seneca ad consolationem eorum qui timent mortem, & mortuos plorant, dicebat. Eò ibis, quò omnia eunt; quid tibi nouum est? ad hanc legem natus es. Hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc minoribus, hoc omnibus ante, hoc omnibus post te. Nullum datur fortè in hac forte. De homine præterquàm in morte, in cunctis vnum forsitan dici potest. Statim atque natus est, de eo potest dici, sicut de præcursore Christi; Quis putas puer iste erit? fortè Sanctus & Propheta; fortè etiam peccator & inimicus Dei. Forsitan Rex erit,

Certitudo mortis.

A dux, aut miles: fortassis etiam arator, mercator, patronus vel præses; fortè medicus, forsitan Theologus; fortassis apostata & hæreticus.

De cunctis denique quæ nos circumstant, præquàm de morte, potest enunciari istud fortè. Illa vox non habet locum in morte, & de nullo homine potest dici, morietur fortè, quia certa mors est, & hactenus durum eius statutum transiit in omnes homines. Adeò vt nec etiam hac additione, aut modificatione & conditione sit opus, si voluerit Dominus: stat namque ipsius hac de re voluntas capiti totius generis humani denuntiata, morte morieris. Vnde dixit Apost. Statutum est omnibus hominibus semel mori. Hic igitur fortasse nullum est, vbi sic semel à Deo statutum est. Gen. 2. Heb. 9.

B Quod si tamen adhuc in morte liceat nobis hoc forsitan alicubi quærere & inuenire, solùm est in incertitudine horæ. Quamobrem si oporteat nunc plangere, ideo quidem debemus, & licet, quod diem nostræ mortis pœnitentia, & sanctæ conuersatione vitæ non præuenimus: sed illa temporis incertitudine abutimur, & quia nescimus diem, viuentes in luxuriis & secundum desideria cordis, nobis Dei thesaurizamus iram. Tempus hoc exiguum quod nobis superest, tempus dico non vitæ, sed mortis huius, non ad Dei dona, sed ad peccata accumulanda impendimus.

Incertitudo horæ mortis, & quomodo illa abutimur.

C Quot sunt heu! qui vt malè viuant, & malè moriantur, dicunt? fortè non tam citò moriar, adhuc aliquandiu victurus sum. O miseriam lamentabilem, & deplorandam cæcitatem! Miserabile & debile vitæ perditæ fundamentum! Miser homo, quare sic peccas? dicis, quia fortè non tam citò moriar. Sed an tibi constat quia diu victurus es? Non, sed quia fortè adhuc diu victurus sum. O lamentabile fundamentum! Cur non potiùs inuertis ordinem, & dicis? fortè hac nocte moriar. Sic enim cuidam dicenti se bona habere in plures annos, dictum est: Stulte, hoc nocte repetent à te animam tuam. Sic Baltassari accidit, sic Sodomitis, sic Core, Dathan, & Abiron, qui dum in deliciis suis erant, & se existimabant securos, descenderunt in Infernum viuentes. Luc. 12.

D Sed talia, si vultis, exempla quæ ad diuinam Iustitiam spectant, relinquamus. Nónne in carne hac casus nostros nobiscum portamus? ait S. Aug. nónne fragiliores sumus quàm si vitrei essemus? Vitrum enim etsi fragile, tamen seruatum diu durat. Quæ nos dementia cepit? Luteam domum habitamus breui ruituram, & adhuc peccatorum pondere eam oneramus. Si domum aliquam ruinosam habitares, tempusque ruinæ eius ignorares, vellesne eam nouis grauare oneribus, pulsare parietes, & te illi securè committere? Minimè; sed statim te, & supellectilia transferres in alias ædes. Ecce autem corpus istud quod habitas, singulis horis minatur ruinam, catarrhus opprimit, & vndique circumdant pericula. Tu autem adhuc ipsum grauas luxuriis, comessationibus, & intemperantiis? &c. S. Aug.

Imbecillitas humana vitæ.

E

Dices: Iuuenis sum, & satis adhuc robustus. Propterea tibi hodie propono exemplum adolescentis Naim, qui efferebatur defunctus. Adolescens erat, iuuenis erat, & robustus, & ecce defunctus. Quid est vita vestra? vapor ad modicum parens. Defecerunt sicut fumus dies mei, & anni mei sicut vmbra declinauerunt. Ecce quibus psalmista vitam nostrã comparat, fumo, & vmbræ. Fumo, qui dum replet cubiculum, molestus & grauis est oculis, qui omnia deformat quæ attingit: qui ordine quidem venusto Ps. 101.

& com

& cópoſito per caminũ aſcendit, ſed ſtatim egreſſus diſſipatur à vento. Vmbræ, quæ ſolùm eſt imago corporis, ſed talis imago vt nigra ſit, deformis, atque euaneſcat noctis acceſſu, vel magni luminis.

Ecce quibus comparatur fragilitas humanæ vitæ. Vnde etiam eius amiſſio per mortem, minimè digna eſt lacrymis, quæ ſolùm impendi debent in abluendis peccatis. Pro morte non corporis, ſed animæ, debet eſſe lacrymarum noſtrarum vſus. Sic Chryſolog. ſuadet de Lazaro loquens. Chriſtiani, ait, ploremus Deo pro peccatis noſtris, & mortuis non audientibus, cum Gentibus non ploremus. Quod ſi parentibus lacrymari fas ſit pro filiis, plorent ipſos cum Monicæ lacrymis; ante mortem corporis, eorum mortem animæ lugeant in peccatis. Hæ ſunt lacrymæ quæ filiis impetrant & merentur donum melioris vitæ. Pro reſurrectione corporis ad vitam, hodie dicit mulieri; Noli flere. Pro reſurrectione verò animarum ad gratiam, mulieribus dixit ſequentibus ſe in Caluariæ locum; Super vos, & ſuper filios veſtros flete.

Quis debeat eſſe lacrymarum vſus. S. Chryſol. Ser. 3. de Lazaro. Luc. 23.

Lacrymæ noſtræ Chriſto placent, cùm pro peccatis noſtris plangimus, cùm Paſſionem eius ploramus, ac mortem, & amiſſionem diuinæ ipſius gratiæ. Diſplicent è contrà, cùm ex nimio amore iacturam creaturarum plangimus. Ita vt dicere audeam, quaſdam eſſe eiuſmodi lacrymas quæ penitus ſunt abominabiles coram Deo. Ita Ezech. 8. poſtquam huic Prophetæ oſtendit Deus abominationes quas faciebant ſeniores domus Iſraël, qui in tenebris adolebant incenſum coram beſtiis, ait illi: Adhuc conuerſus videbis abominationes maiores quas iſti faciunt. Et introduxit me per oſtium portæ domus Domini, quod reſpiciebat ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem. Ecce lacrymæ corã Deo abominabiles.

Lacrymæ corã Deo abominabiles. Ezech. 8.

O mulieres, ô homines, ô effœminati homines, quid plangitis? Cùm iacturam bonorum veſtrorum plangitis, quæ tam ardenter amabatis, veſtrum Adonidem plangitis. Quid plangitis, cùm amiſſionem voluptatum veſtrarum plangitis? Adonidem veſtrum plangitis, & iſtæ ſunt abominabiles lacrymæ. O mulier quid ploras, cùm virum tuum ſicut Adonidem ploras? cùm filium tuum ſicut Adonidem ploras? cùm amicum tuum ſicut Adonidem ploras? Denique ô homo quid ploras, quando hanc creaturam ſicut Adonidem amas & ploras? Ecce coram Deo abominabiles lacrymæ.

O mira res & ſtupenda! quiſque plorat mortem filij & amici, & animæ ſuæ mortem non plorat. Sed quæſo, ſuntne viſcera Chriſtianæ compaſſionis in te, ait S. Bern. qui plangis corpus à quo receſſit anima, & non animam à qua receſſit Deus? Mulier noli flere, corpus noli flere, anima ſola in peccatis digna eſt lacrymis. Propterea Ieremias lacrymas petebat, qui dicebat: Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum, vt plorem die ac nocte interfectos populi mei? Sed qui ſunt mortui iſti plorandi? vtique interfecti in peccatis, &c.

S. Bern. Ierem. 9.

Noſtra igitur peccata lugeamus; lacrymis pœnitentiæ delectatur Chriſtus, lacrymis compunctionis, & quæ fluunt ex præcordiis. Lacrymæ ſunt illæ quæ ſuper omnia Chriſto placent, in quas cum gaudio animi reſpicit, omniumque conuertit oculos. Sic Luc. 7. vocatus in domum Simonis vt diſcumberet cum eo, Magdalenam videt plorantem ad pedes, & dicit inuitanti: Simon vides hanc mulierem? hanc pulchritudinem nouam & diuinam deleta profana his lacrymis? Iam in

Lacrymæ quæ Chriſto placeant. Luc. 7.

A in eam conuerte oculos: & vos omnes, conuertite veſtros; Simon vides hanc mulierem? Nihil formoſius his lacrymis, & nihil quod magis placeat oculis meis. Ecce Chriſto diuinæ delectationis obiectum, lacrymæ Magdalenæ. Vides hanc mulierem, quam video plorantem & ſentio? Lacrymæ eius non ſolùm oculos, ſed etiam cor meum ad eam conuerterunt. O virtus lacrymarum, quouſque pertingis, quæ ſic oculos & cor Chriſti vulneras & attrahis?

Sed quænam ſunt illæ tam potentes apud omnipotentem, & tam apud Deum efficaces lacrymæ? Compunctionis & pœnitentiæ. Lacrymæ ſunt illæ quæ Deum iratum leniunt, & illi ſacrificium gratum ſuper Altare cordis noſtri offerũt. Sacrificium
B Deo, ait Dauid, ſpiritus contribulatus. Refert Euſeb. quod Athenis Ara erat Clementiæ conſecrata, in qua non audiebantur balatus agnorum, nec mactabantur animalia, ſed tantùm offerebantur lacrymæ atque ſuſpiria, quibus conciliabatur Deorum clementia. Ecce Altare in quo offeruntur Deo ſuſpiria & lacrymæ quib. prouocatur ad clementiam, Ara eſt cordis noſtri. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum Deus non deſpicies: imò in ipſum aſpicies, & lacrymas fuſas ex eo auribus percipies.

Euſeb. lib. 12. Pſ. 50.

Lacrymæ ſunt iſtæ datæ ad vitam animæ, de quibus veriſſimè viuebat qui dicebat; Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Denique
C ſunt illæ lacrymæ quæ fuſæ in terris, ſemen ſunt vitæ æternæ in cœlis, ſicut dixit pſaltes; qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent. Venit Iesvs prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum eſt tempus lacrymarum, & pœnitentiæ tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.

Pſ. 41. Pſ. 125.

DE RESVRRECTIONE noſtra à morte peccati.

D Iesvs *voce magna clamauit; Lazare veni foras.* Iohan. 11.

Pœnitemini, & credite Euangelio. Marc. 1.

Adeo lamentabile obiectum mors eſt, vt non ſolùm lacrymas extrahat ex oculis hominum, ſed etiam ex oculis hominis-Dei Iesv Chriſti. Heri mulier vidua defunctum vnicum filium ſuum plorabat, & turba multa ciuitatis cum illa, & videns filius Dei, miſericordia motus eſt ſuper eam: hodie verò ſuper mortuum iam fœtentem & quatriduanum, & vt vidit ſorores mortui & amicos plorantes, infremuit ſpiritu, turbauit ſe
E ipſum, & lacrymatus eſt.

Sed quæ ratio lacrymarum Dei in morte hominis? Hæc eſſe poteſt, quod imprimis vltima linea rerum mors eſt, linea quæ omnia Dei conſilia ſuper hominem terminat.

Rationes diuerſæ lacrymarũ Chriſti in morte.

Secundò, quia mors quodammodo opus Dei deſtruit, ſed tale opus quod formatum fuerat ad imaginem & ſimilitudinem eius, elaboratum manibus, atque animatum ſpiraculo vitæ eius. Hanc vitam videt extinctam, & de manibus ereptum opus ſuum peccato deſtrui: propterea lacrymatur Iesvs.

Tertiò, quia in morte videt imaginem peccati

Rom. 6. in homine. Stipendia enim peccati mors, inquit Apostolus, eius effectus est, ipsius imago est. Quomodo itaque Christus non ploraret hominem videns imaginem suam tam deformem, non amplius insignitum vitæ prærogatiuis, sed addictum legibus mortis; non amplius immortalitatis indumento coopertum, gloria & honore coronatum, sed operimento vermium, putredine & fœtore superuestitum?

Quartò, mors bonorũ omnium huius vitæ vniuersalis priuatio est, & simul æternæ in his qui moriuntur in peccatis. Quod enim illis superest, solùm est sepulchrum, fœtor & vermes. Iob dicebat: Dies mei breuiabuntur, & solùm mihi superest sepulchrum. Etiam iustis quod de cunctis bonis terræ post mortem superest, sepulchrum est. Sic hodie Christus dixit sororibus: Vbi posuistis eum? dicunt ei, Domine veni, & vide. IESVS ergo venit ad monumentum, & lacrymatus est, videns quod homini propter quem in terra dum viueret paradisus factus est, post vitam in morte solùm sepulchrum superest.

Iob. 17.

S. Greg. lib. 13. Mor. cap. 15. Item lib. 16. cap. 31.

Inde dicit S. Gregor. in Moralib. quod ille qui considerat qualis erit, aut quid etiam superest illi in morte, semper fit timidus in operatione. Et rursus alibi. Nil sic valet ad edomandum appetitum carnalium desideriorum, quàm vt vnusquisque hoc quod viuum diligit, quale sit mortuum, penset. Quid enim amamus? carnem, quæ breui esca vermium futura est, vel fortè dæmonum. Atque hinc est quod mors communiter dicitur terribilium omnium terribilissimum. Sic Cicero in Parad. Mors, inquit, terribilis est iis, quorum cum vita omnia extinguũtur. Non tamen iis (notate ista,) quorum laus emori non potest. Hæc pulchra sententia est, & videtur in ea Gentilis iste non ignorasse mortem illam duplicem à psalmista prædictam, & satis notam Christianis; vnam pessimam, quæ est peccatorum: alteram pretiosam in conspectu Dei, quę est Sanctorum eius. Hęc mors laudanda est desiderabilis: alia verò, quæ peccatorum est, deploranda, atque terribilis; de qua sic Bern. Mala est illis in mundi amissione, peior in carnis separatione, pessima in vermis & ignis duplici contritione; vermis corrodentis corpus, ignis animam deuorantis.

Cicero.

Mors duplex, vna pretiosa, altera pessima.

Ecce itaque quare hodie Christus super Lazarum iam quatuor dies habentē in monumento, & fœtidum lacrymatus est, quia nimirum in eo imago peccatoris erat iam sepulti in peccatis suis, & fœtentis. Cuius etiam resurrectio & reuocatio ad gratiam & vitam difficillima est: quod nobis repræsentatur in hac tam insigni resurrectione Lazari, iam in monumento & fœtore quatuor dies habentis, iam iacentis in spelunca, & cui superpositus erat lapis.

Dum adhuc languesceret infirmus, miserant sorores ad Dominum qui dicerent ei: Ecce quem amas infirmatur. Domine, tibi dixisse sufficit, non enim amas, & deseris. Audiens IESVS dixit eis, quia hæc infirmitas ad mortem non erat, sed pro gloria Dei. Et statim post, dicens discipulis manifestè, Lazarus mortuus est, vadit cum illis vt eum excitet à morte. O Domine IESV, quid tibi occurrit in via? Martha plorans fratrem suum mortuum. Et quid post ipsam? Soror eius Maria, quæ cadens protinus ad pedes tuos, similiter plorat, & ait sicut illa, Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Et ecce Dominus vt meliùs consolaretur

A eas quàm Iudæi, lacrymas suas iungit earum lacrymis, & ait; Vbi posuistis eum? dicunt ei, Domine veni, & vide, & lacrymatus est IESVS. Ecce, inquiunt Iudæi, quomodo amabat eum. Vt ergo ad monumentum venit, & dixit circumstantibus vt tollerent lapidem, & Marthæ similiter dicenti iam ipsum fœtere, quia statim, si crederet, gloriam Dei videret: ipse eleuatis sursum oculis dixit; Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me, & semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi, vt credant quia tu me misisti. Hæc cùm dixisset, voce magna clamauit, Lazare veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, qui soluendus traditus est discipulis, vt abiret.

B Ecce cum quo apparatu circumstantiarum & rerum notabilium voluit Christus hunc mortuum suscitare iam fœtentem, & in monumento quatriduanum. Et quidem hic ostendit quàm sit difficile inueteratum peccatorem suscitare à mortuis, & quàm perditus sit eorum status qui iacent sepulti in peccatis. Quorum quidem Lazarus iam in monumento fœtens & quatriduanus repræsentatio est. Vnde iam satis intelligi potest, cur Dominus IESVS ante resurrectionem huiusce Lazari lacrymatus est. Numquid enim vt exaudiretur à patre, indigebat lacrymis? aut etiam vitam lacrymis postulabat, qui vita erat? Nihil quidem horum existimo: sed quod tunc videbat, & C nunc intelligite, mortuum quatriduanum ad vocem eius velociter resurgere; viuentes verò homines veluti mortuos Deo, nolle audire vocem eius, & loquatur licet, iacere sopitos in sepulchro peccati.

Lazarus fœtens imago peccatoris.

Cur Christus ante resurrectionem Lazari lacrymatus est.

Ecce quod dignum est lacrymis, vocem filij Dei mortuos audire, & non viuentes; corda verò hominum ad verbum IESV Christi silicibus duriora esse. Hoc ipsum est quod nobis hodie in lacrymis filij Dei repræsentatur mortuum suscitantis de monumento fœtidum. Cui certè facilius fuit facere hoc miraculum, quàm induratum peccatorem ad pœnitentiam reuocare. Id satis asseruisse videtur Apostolus dicens, quia D impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritussancti, & nihilominus prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. Adeò vt verum sit dicere, talium conuersionem inter maxima Christi miracula reputari.

Heb. 6.

Hoc quidem à S. Chrysol. Serm. de Lazaro nobis multum declaratur, vbi resurrectionem istam comparans cum aliis, signorum signum vocat, & mirabilium mirificentiam. Suscitauerat Dominus, inquit, filiam Iairi principis Synagogæ, sed adhuc funere calente, corpore præsente, spiritu E viante, adhuc anima claustra Tartari nesciente. Suscitauit & vnicum matris; sed sic vt retineret pheretrum, vt anticiparet sepulchrum, vt corruptionem suspenderet, & præueniret fœtorem, vt antè mortuo vitam redderet, quàm tota mortuus iura mortis intraret. Circa Lazarum verò quod geritur, totum singulare est: cuius mors, cuius resurrectio cõmune nihil habet cum prædictis, circa quem & vis tota mortis impleta est, & forma resurrectionis plena resplendet. Sicut ergo nihil commune actum est in resurrectione Lazari: ita nihil commune est in iustificatione peccatoris obdurati in peccatis.

S. Chrysol. Ser. de Lazaro.

Induratus peccator repræſentatur in quatuor diebus & ſtatibus Lazari. Lazarus in monumẽto iam erat quatriduanus,& fœtebat.Quatuor dies præterierunt incinerationis eius, & quatuor item ſtatus in ipſius morte, quos Euangelium notat, languor, dormitio ſeu mors, ſepultura,& fœtor. Ecce quatuor dies,& quatuor ſtatus inueterati peccatoris.

Primus eſt languoris conſcientię,ſeu malæ conſuetudinis, qua fit vt non aduertatur culpa,& veluti ſine conſcientia homo ſit.

Secundus eſt obdurationis mentis, & inſenſibilitatis ad omnia:& reſpondet dormitioni Lazari.

Tertius eſt contemptus veniæ quæ pœnitenti promittitur:& reſpondet ſepulturæ.

Quartus eſt impudentiæ, cùm homo venit in laudem peccati, & nullam animaduerſionem credit,aut ſi credit,non propterea illam formidat: ſed omnia vertit in contemptum.

Ecce quouſque peccator deſcendit, ad exinanitionem fidei, vſque ad fundamentum in ea; fœtet non ſolùm in ramis,ſed etiam in radice: nihil incorruptum manet, nihil illæſum. Sicut vulnerati *Pſ.87.* dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius: & ipſi de manu tua repulſi ſunt. Non quod ex parte Dei, ſed quia ex parte ipſorum prouenit difficultas reſurgendi. Ezech. 31. Frons meretricis facta eſt eis: ideo noluerunt erubeſcere,& ſic illuminatione deſtituti ſunt, qua ſolet Deus emollire corda.Ita vt tutò poſtea,& maxima etiam cum lætitia viuant in peccatis, vt ex multis colligitur Scripturæ locis. Prou. 2. Qui lætantur cùm *Prou. 2. & 18.* malè fecerint.& in alio loco: Peccator cùm venerit in profundum peccatorum,contemnit. Iob.15. *Iob.15.* Bibunt quaſi aquam iniquitatem, id eſt, cum facilitate, & voluptate peccant.

Ex quo fit vt difficillima ſit,ne dicam,quaſi impoſſibilis conuerſio eorum.Cor eorum induratum & lapideum eſt. Sed quid ſit cor durum, me in- *Quid ſit cor durum. S. Bern. lib. 1. de Conſid.* terrogas? Ipſum eſt,ait S.Bern. ipſum eſt,quod nec punctione ſcinditur,nec pietate mollitur,nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, ad conſilia infidum, ad iudicium ſæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina; præteritorum obliuiſcens, præſentium negligens, futura non prouidens. Ipſum eſt, cui præteritorum præter ſolas iniurias, nihil omnino non præterit,præſentium nihil non perit, futurorum nulla,niſi fortè ad vlciſcẽdum, proſpectio ſeu præparatio eſt:& vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipſum eſt quod nec Deum timet,nec hominem reuerετur.

Tria neceſſaria. Quodnam verò remediũ erit conterendi huius lapidis? Piſtillum & malleus pœnitentiæ. Tria autẽ *1. Neceſſitas præſentia Chriſti.* hic obſeruanda ſunt vt neceſſaria. Primum eſt,mittere ad Chriſtum,& dicere:Ecce quem amas infirmatur. Sicut enim abſente Chriſto mortuus eſt Lazarus,præſente verò reſurrexit:ita ſpiritualiter abſentia & diſceſſus Chriſti ab anima per peccatum, *Ezech.18.* mors illius eſt.Sic Ezech.18. Anima quæ peccauerit,ipſa morietur. Præſentia verò per gratiam, re- *Ioh.10.* ſurrectio animæ & vita eſt.Ita enim dixit:Ego veni vt vitã habeant. Ecce neceſſitas vt veniat Chriſtus,& dicamus ei:Ecce quem amas infirmatur.

Tria in amore Dei conſideranda. Circa dilectionem Dei erga noſtria conſideranda. Primò,quales amauerit, infirmos, peccatores,atque inimicos. Secundò, quantum amauerit, *Rom.5.& 8.* qui filio proprio nõ pepercit:ſed pro nobis tradidit eum. Tertiò,quando;non enim in tempore eius amor cœpit,ſed ab æterno nos amauit,vt dicit: In

A perpetua charitate dilexi te; quam quidem nobis *Ierem.31.* demonſtrauit,vbi temporum plenitudo venit.

2. Neceſſitas pœnitentia. Secundũ quod neceſſariũ hic videtur, eſt lacrymas compunctionis effundere. Pœnitemini, dicit Chriſtus,& credite Euangelio, Euangelio dicenti; niſi pœnitentiam habueritis,peribitis. Conuerti- *Luc 13. Ioel.2.* mini ergo ad me in toto corde veſtro, in fletu & planctu,&c.

Tertium neceſſarium,eſt tollere lapidem,ſaxum *3. Neceſſariũ.* ab oſtio monumenti, videlicet duritiam cordis:& tunc audire IESVM voce magna, cum lacrymis & fremitu clamantẽ,Lazare peccator veni foras,&c. Qui ſic diſpoſitus erit, etiãſi mortuus fuerit,viuet.

Interea tamen ſemper ligatus reſurget, quouſq; B ex imperio & voluntate reſuſcitantis ſoluatur ab Apoſtolis,quibus hæc poteſtas data eſt,& ſic abeat liber. Debet enim peccator ſe Sacerdotibus committere Apoſtolorum ſucceſſoribus, vt abſolutionem recipiat. Et debent Sacerdotes ab omni vinculo ligatum abſoluere iam reſuſcitatum pœnitentia,& confeſſione. Angeli Dei ſunt,vt liberent in carcere detentum.Petrus dum in carcere erat & vinculis, ab Angelo ſolutus eſt. Sacerdos omnis Angelus Dei eſt, teſtamenti atque reconciliationis.Sacerdotes vicarij ſunt in terra poteſtatis Chriſti: *Quorum remiſeritis peccata*, &c. Confeſſio pec- *Neceſſitas confeſſionis, & quid ſit.* catorum eſt accuſatio,quæ ad Sacramentum pertinet,vt veniam virtute clauium impetremus.

C Ergo Sacerdotibus facienda, quibus claues regni datæ ſunt.S.Aug.lib.de vera & falſa pœnitentia. Qui confiteri vult,inquit, peccata ſua;vt inue- *S. Aug. lib. de vera & falſa pœnit. cap.10. Item hom. 49.* niat gratiam,quærat Sacerdotem ſciẽtem ligare & ſoluere,&c. Et in alio loco. Nemo ſibi dicat: Ago pœnitentiam in corde apud Deum.Ergo ſine cauſa dictum eſt Apoſtolis; Quæ ſolueritis,erunt ſoluta.Ergo ſine cauſa claues datę ſunt Eccleſiæ;fruſtramus Euangelium,fruſtramus verba Chriſti:Qui vos ſpernit,ait,me ſpernit, &c. Vt igitur tibi Cœlũ aperiatur,aperi os tuum Sacerdoti. Credite Euangelio. *Venit* IESVS *prædicans regnum Dei, & dicens, pœnitemini.* Confeſſio,eſt pœnitentiæ proteſtatio. *Act 19.* D Sic Act.19. legimus, quod multi credentium veniebant ad Apoſtolos confitentes actus ſuos.

Conditiones autem confeſſionis tres ſunt, vt ſit humilis cum dolore: pura ſine fictione: integra abſque defectu. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei,& dicens: quoniam impletum eſt tempus,& appropinquauit regnum Dei, pœnitemini, & credite Euangelio.*

DOMINICA IN PASSIONE Domini IESV.

DE TESTIBVS IVSTIFIcantibus innocentiam Chriſti.

E *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Iohan.8.

Pœnitemini,& credite Euangelio. Marc.1.

INNOCENS & deplorata mors vnicæ filiæ huius magni ducis filiorum Iſraël Iephte, nequaquam minima eſt in præcipuis figuris Paſſionis IESV Chriſti Domini noſtri. Deſcribitur hiſtoria Iudic. 11. vbi poſtquam ille vir fortiſſimus & pu- *Iudic 11.* gnator fuiſſet electus Princeps ab eis, vt pugnaret contra filios Ammon,votũ vouit Domino dicens:

Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filiis Ammó, eum holocaustum offeram Domino. Inde transiuit ad eos vt pugnaret, quos tradidit Dominus in manus eius. Reuertente autem eo in Maspha domum suam, occurrit ei vnigenita filia sua cum tympanis & choris, non enim habebat alios liberos. Qua visa, scidit vestimenta sua, & ait: Heu me filia mea, decepisti me, & ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. Cui illa: Pater mi, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi vltione atque victoria de hostibus tuis. Sed hoc solum mihi præsta, quod deprecor: Dimitte me vt duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis. Qui dimisit eam; cúmque abiisset, atque in fletibus illos duos menses expleuisset, reuersa est ad patrem, qui fecit ei sicut vouerat, offerens holocaustum Domino. Et exinde mos increbruit in Israël, & consuetudo seruata est, vt post anni circulum conueniant in vnum filiæ Israël, & plangant filiam Iephte diebus quatuor.

Adaptatur sacrificium filiæ Iephte, Passioni Iesv Christi.

Ecce in Israël quatuor dies in lacrymis & passione inter filias Ierusalem & Iuda, pro lacrymis & morte innocentis filiæ Iephte. Quid dabimus & nos Passioni innocentis atque vnigeniti filij Dei, qui votum æterni patris pro salute nostra, morte sua implere voluit? Pro vltione enim, atque victoria quam æternus pater accepturus erat de hostibus nostris, votum vouit sibi, id est, apud se proposuit sibi holocaustum eum offerre qui primus occurreret ei. Qui primus est in conspectu & in intellectu diuino, filius est: qui primus occurrit patri, filius est, ipse vnigenitus qui est in
Ioh. 1. sinu eius, ipse quem ante Luciferum, & ab æterno genuit. Ipsi decretum suum, atque consilium hoc suæ voluntatis proposuit, non vtique cum mœrore, sed cum gaudio, & ipse acceptauit, sicut
Isa. 53. dixit Propheta, oblatus est quia voluit. Sed hoc solum præsta mihi, ait patri, quod deprecor, vt in similitudinem hominum factus circumeam montes & diserta mundi cum sodalibus meis, non
Baruc. 3. duobus mensibus, sed triginta tribus annis: tandiu enim in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, in lacrymis, atque clamoribus. Vagit infans inter arcta conditus præsepia, super Hierusalem plorat, & super Lazarum. Denique in monte Caluariæ super omnes plorat. Clamat in montibus, ciuitatibus, plateis, & Synagogis, atque in Templo sæpius, vbi quotidie erat docens; ambulabat Iesvs per Ciuitates & Castella. Ecce quomodo circuibat omnia. Venit Iesvs prædicans regnum Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, meum tempus, pœnitemini. Ecce quid prædicat: pœnitentiam prædicat, prædicat innocentiam suam; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quousque tandem temporibus expletis vt redeat ad patrem, offert se in holocaustum pro peccatis nostris, concessa, iuxta hoc decretum, vltione atque victoria de hostibus nostris. Pro vita namque nostra & libertate, missus
Gal. 4. à patre, atque mortuus est, sicut dicit Apostol. Vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret; & in eadem plenitudine ob victoriam oblatus in victimam à patre percussus est, &c. Quamobrem mos creuit in Ecclesia, vt post anni circulum omnes filij eius conueniant, & filium Dei plangant vnigenitum Dominum, non quatuor, sed quindecim diebus: & hactenus consuetudo ista seruata est, vt quotannis, quindecim dierum spatio, renouetur dolor, atque memoria de morte, passione, lacrymis, atque innocentia Iesv Christi filij Dei vnigeniti, ipsumque plangant omnes animæ deuotæ, & filiæ Sion, id est, Ecclesiæ; vnde hoc tempus Passionis nomen habet.

Quare in quadragesima numerus 15. dierum tempus Passionis dicitur.

Atque etiam exinde nobis Ecclesia in capite exponere voluit Sponsi sui innocentiam, vt ipse iustificat semetipsum antequam iudicetur, dicens. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Pati nunc Christus incipit: ad hæc namque verba, ipsum contumeliis afficiunt, & dicunt quia Samaritanus est, & dæmonium habet. O Domine, ostende hic innocentiam tuam & patientiam. Respondit Iesvs, non habeo dæmonium; sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Non quæro gloriam meam: est qui quærat, & iudicet. Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, & non cognouistis eum: ego autem noui eum, & scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater vester, quem vos dicitis mortuum, exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est: antequam enim Abraham fieret, ego sum. Tunc ergo tulerunt lapides, vt iacerent in eum: & Iesvs abscondit se.

Iam certè in Euangelio hodierno Passionis initium videtis; & continuò posthac in illo quindecim dierum interuallo, ante oculos eam habebitis. Interea eius innocentiam simul cum ipso antè vindicemus. *Quis ex vobis*, inquit, *arguet me de peccato?* Cùm Samuel arguere populum voluit ingratitudinis & calumniæ aduersum se, quod
Regem petiissent, ostendit eis innocentiam suam etiam ex proprio ipsorum testimonio, dicens. 1. Reg. 12. *Iustificat se Samuel.*
Scitis quomodo conuersatus sum coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem. Porrò & filij mei vobiscum sunt, ecce præstò sum. Loquimini de me coram Domino, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si munus accepi de aliquo. Nunc ergo state, vt iudicio contendam aduersum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, &c. Ita hodie Christus aduersus calumniantes se: Quis ex vobis, ait, arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta; ab homine iniquo & doloso erue me, id est, à calumniatore, &c. Calumnias scire vultis? Dicunt de eo, seducit turbas. Item, testimonium tuum non est verum: nunc, quod Samaritanus est, & dæmonium habet. Denique aiunt: *Calumniis quibus Christum afficiunt Iudæi.*
Scimus quia hic homo peccator est. Sed quid Ioh. 7. 8. & 9.
agit Christus? Ad patrem appellat de omnibus istis, & dicit; Iudica me Deus. Ista me deduxerunt ad montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Et conuersus ad illos. *Quis ex vobis*, inquit, *arguet me de peccato?* Magnum quidem innocentiæ signum est, quando etiam ab hostibus & ipsis accusatoribus iustificatio elicitur; Quis Deut. 32.
ex vobis arguet me? Ipsi inimici nostri sunt Iudices, meæ innocentiæ Iudices, &c.

Verùm

Testes innocentiæ Christi.

Verùm aduersus omnes peccatores, testes innocentiæ IESV Christi omni acceptione dignos videamus. Hodie dicit: Est pater qui quærat & iudicet, (causam meam.) Ipsum pater iustificauit in aquis, & in monte dicens: Hic est filius meus dilectus. Ita vt Baptista Iohannes retulerit hoc testimonium patris, his qui ad ipsum veniebant, vt baptizarentur. Et similiter Sanctus Petrus testatur hanc vocem audiuisse de Cœlo allatam, cùm esset cum ipso in monte sancto. Et multi aliam adhuc vocem factam de Cœlo audierunt huiusmodi, cùm dixisset Christus; Pater saluifica me, seu iustifica me: propterea veni in hanc horam; venit inquam huiuscemodi vox de Cœlo: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Ita vt turba quæ stabat & audierat, diceret tonitruum esse factum: alij, quia Angelus locutus est ei. Sed respondit IESVS: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. Nunc iudicium est mundi, &c. Pater meus clarificauit me. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Non solùm autem in voce pater testatus est, sed etiam in operibus & miraculis, sicut dicit: Opera quæ ego facio in nomine patris mei, testimonium perhibent de me. & alibi: Pater in me manens ipsa facit opera, vt credatis quia ego in patre, & pater in me est. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si non vultis mihi credere, operibus credite, quæ patris opera sunt in me, &c.

Æternus pater. Mat. 3. & 17. Ioh. 1. 2. Petr. 1. Ioh. 12. Ioh. 10. Ioh. 14.

Angeli & dæmones Christum testati sunt. Luc. 2. Marc. 1.

Angeli natum Dei filium testati sunt, & Saluatorem annunciauerunt. Luc. 2. Dæmones item agnouerunt quod esset Sanctus Dei. Marc. 1. Quid nobis & tibi IESV Nazarene? venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei. Præcursor digito demonstrat, & dicit: Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Et ad se venientibus atque interrogantibus; Tu quis es? confessus est, & non negauit quia non erat Christus, sed quia eius vox & præcursor erat, qui ante se erat, & cuius non erat dignus corrigiam calceamenti soluere. Denique ipse est de cuius diuinitate, innocentia & sanctitate vitæ loquuntur omnes Scripturæ: aduersus quem falsi testes testimonia non conuenientia dederunt, & quem palàm iustificauit Iudex Pilatus dicens: Nullam in eo inuenio causam mortis. Quis ex vobis arguet ipsum de peccato?

Præcursor prædicat. Ioh. 1.

Vndique probatur innocentia Christi.

Ratione probatur. 1. Ioh. 1.

Verùm & nos rationibus innocentiam eius comprobemus. Nemo est nostrûm qui possit dicere; Quis ex vobis arguet me de peccato? Etenim si dicimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei: omnes inutiles facti sunt, omnes peccatores sumus, &c. Non verò ita de Christo, cuius solùm est dicere; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Apostol. dicit: Talis decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, & à peccatoribus segregatus, vtpote is qui peccata delere debebat; vt sequitur postea. Christus assistens Pontifex futurorum bonorum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundans conscientiam nostram ab operibus mortuis, &c.

Heb. 7. Heb. 9.

Quod non peccauerit satis ista probant: sed quod non potuerit peccare iam probemus. In Christo duo sunt, Deus, & homo. Vt Deus peccare non potuit, nec itẽ causa esse peccati, quia omnino contrarium est Deo peccatũ. Item quia nõ habet peccatum causam efficientem, sed deficientem: Deus autẽ non est in aliquo, nec esse potest causa deficiens. Neque vt homo, quia si vt homo peccare potuisset, & id de

A Deo etiam dici potuisset: vnus est enim atque idem IESVS Christus Deus & homo.

Sic igitur in vniuersum peccare Christus nõ poterat. Primò, ex definitione peccati, quod iuxta S. Aug. nihil aliud est quã recessus à Deo. Christus autem Deus erat, & Deus-homo per gratiã hypostaticæ vnionis: & sic à seipso recedere non potuit, nec per consequens peccare. Secundò, quia Christus est regula omniũ actionum bonarũ: & sic minimè potuit errare. Addamus tertiò, quia gratia data illi fuit absq; mensura, cũ qua peccatũ esse nõ potest. Ioh. 1. Vidimus eum plenũ gratiæ & veritatis, & de cuius plenitudine omnes accepimus, &c. Quartò præterea, quia si agens primariũ in eo peccare nõ potest, quod B Deus est; etiam nec instrumentum coniunctũ poterit, quod humanitas est diuinitati coniuncta. Nemo enim dat quod non habet. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Interim vnũ est in quo à peccatoribus argui de peccato potest, non vtiq; de suo, sed de nostro. Quod videlicet nos illi peccata nostra expiãda imposuimus, & suscepit ille, sicut Isaias dicit, verè languores nostros ipse tulit, & dolores portauit; & Petrus Apostolus dicens clariùs, peccata nostra pertulit in corpore suo, sic, vt propter ea à patre fuerit percussus: propter delicta populi, &c. Mysterium hodiernum est quod in lapidibus istis significatur, qui hodie à Iudæis iniiciuntur in eum. Tulerunt lapides Iudæi, vt iacerent in eum. Initia C dolorum & passionum hæc sunt. Quidnam sunt enim isti lapides, nisi peccata nostra, quibus supra dorsum Christi fabricauimus Crucis supplicium?

Ex definitione peccati Christus peccare non potuit.

Tribusq; aliis de causis.

Christus peccata nostra expianda suscepit.

Tribus modis comparatur peccatum lapidi. Primò, propter duritiam, vt Iob ait: Indurabitur cor eius quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus. (notate similitudinem.) Quanto magis enim flagellantur peccatores, tanto magis indurantur: vt Pharao, cuius cor flagellis & plagis induratum est. Ita Ierem. Indurauerunt, inquit, facies suas supra petram, & noluerunt reuerti, &c.

Tribus modis peccatum cõparatur lapidi. Iob. 41. Ierem. 5.

Secundò, propter grauitatem: semper enim lapis grauitat & deorsum tendit. Sic peccatum D grauitat semper; trahit ad aliud, quousque in Infernum demerserit, vt in Exodo dicitur; descenderunt in profundum quasi lapis. Omnes lapides & montes non possent vnam animam demergere, & vnicum etiam mentale peccatum eam demergit in profundum. O pondus insupportabile! Sicut onus graue, ait Dauid, grauatæ sunt super me, scilicet iniquitates meæ. Illa sunt onera grauia, quæ Christo imposuimus, & iecimus in eum: propter quæ etiam dicit; Infixus sum in limo profundi, & non est substantia: veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me, scilicet tribulationum, cùm in mare descendi passionum. O pondus! sed E ô quale pondus! quando & ipse Dei filius, non suis, sed nostris onustus peccatis, à patre percuti passus est, quando non solùm homines in eum lapides iniecerunt, sed pater lapidibus istis vulnera addidit. Sed sit alia dilectus Dei filius & absque peccato pertulit, eo quod solùm referebat personam peccatoris, quid peccator etiam dum gloriatur de peccatis?

Exod. 15. Ps. 37.

Tertiò denique peccatum comparatur lapidi ratione diuisionis: vtimur enim lapidibus vt muri & parietes ad separationem conficiantur. Sic peccata nostra inter nos & Deum murum separationis faciunt, vt propheta Isa. dicit: Peccata vestra diuiserunt inter vos & Deum vestrum. Sic

Isa. 59.

 Abraham

Abraham Epuloni dixit ſepulto in Infernis: Magnum chaos firmatum eſt inter vos & nos. Chaos iſtud firmatum, finale eſt peccatum. Cùm ille puteus Inferni infelices receperit, ait S. Auguſt. claudetur ſurſum, aperieturque deorſum, ac dilatabitur in profundum, nullumque ibi ſpiramen, nec liber anhelitus erit. Inſuper clauſtris Inferni intricabuntur, & vltrà neſcientur à Deo, qui Deum ſcire noluerunt. Verè peccatores deſcenderunt in profundum ſicut lapis, ſicut lapis qui grauitat, & murum conficit ad diuiſionem.

Notandum autem eſt, quod in hac vita murus iſte per pœnitentiam deſtrui poteſt, & ab anima omnis grauitas tolli, vt ad Deum liberè conuerti poſſit, atque in Cœlum euehi. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum eſt tempus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitemini, & credite Euangelio.*

DE SITI, ET SALVTARIBUS AQUIS PASSIONIS IESV CHRISTI.

Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Iohan. 7.

Venit IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens, pœnitemini.* Marc. 1.

IAM ſitim noſtram IESVS Chriſtus ſitiuit, cùm mulieri Chananææ dixit: Mulier da mihi bibere. Si ſcires quis eſt qui tibi hoc dicit, & hoc à te petit, tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. Hodie autem & cum gaudio, & palàm, hanc ſitim ab omnibus petit, cùm, ſicut dicit S. Iohannes, in nouiſſimo die magno feſtiuitatis ſtabat IESVS, & clamabat dicens: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum, poſt glorificationem Crucis. Adeò vt qui audierant dicerent; hic eſt Chriſtus, & ad eum vt ad fontem viuum ſitirent.

Quia priùs & ab æterno ſalutem noſtram Chriſtus ſitiuit, quærimus nos ſitientes fontes aquarũ, & cum pſalmiſta dicimus: Quẽadmodũ deſiderat ceruus ad fontes aquarũ; ita deſiderat anima mea ad te Deus, & ſitiuit ad te Deum fontẽ viuum. Voluntas in Deo æterna noſtræ ſalutis, ſimile in nobis prouocauit deſiderium. Quod enim voluntatem noſtram erga Deum prouocat & accendit, prior eius eſt voluntas erga nos. Omnium bonarum actionum noſtrarum, atque intẽtionum cauſa eſt exemplaris atque efficiens. Cauſa quæ in nos agens, influit, imprimit, producit, & relinquit ſimiles effectus.

Pſ. 41.

Actionũ bonarum Deus cauſa exemplaris.

S. Auguſt. in Pſal. 61. ſatis hoc demonſtrat loquens de virtute atque efficacia extenſionis manuum Chriſti in Cruce, vbi ſic dicit. Leuauit pro nobis Dominus Deus noſter manus in Cruce, & extenſæ ſunt, vt manus noſtræ extendantur in bona opera. Cùm enim in Cruce, & noſtram operatus fuerit ſalutem, & peccatum ac diabolum vicerit, id quidem manuum extenſione fecit, vt noſtras etiam admoneret, & prouocaret, imò & doceret manus ad prælium ſpirituale, & nos ſectatores redderet bonorum operum. Ecce quomodo in cunctis bonis quæ facimus, exemplaris & efficiens cauſa eſt Chriſtus: ita vt etiam author in nobis eſſe videatur. Eius voluntas noſtram excitat & trahit voluntatem; eius opera eliciunt noſtra: ſalutem noſtram ſitiuit Chriſtus, & pro ea baptiſmo Crucis baptizari: & quidem ſitis eius ſitim noſtram accendit, vt cum Iſaia dicamus: Eſto brachium noſtrum Domine, & ſalus noſtra in tempore tribulationis. Cum Moyſe: Domine Deus aperi theſaurum tuum fontem aquæ viuæ. Cum pſalmiſta: Sitiuit anima mea ad te Deum fontem viuum; & cum Salomone filio eius: Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Audiuit nos fons noſtræ ſalutis: loquuti ſumus ad petram, & illa nobis dedit aquas. Ipſe pater ad vocem clamantium percuſſit petram, & emanauerunt aquæ. Vnde iam legitur in Apocal. Si quis ſitit, veniat, & bibat aquam vitæ gratis; gratis quidem, quia nullo pretio hominum, ſed ſolùm ad eorum vota, ex pura Dei miſericordia ille fons apertus eſt.

S. Auguſt. in Pſ. 62. A

Iſa. 33. *Num. 20.* *Pſ. 41.* *Prou. 5.* B *Apoc. 22.*

Sicut enim Incarnationem filij Dei nemo meruit, quæ eſt ante omnem gratiam, & omnis principium gratiæ: ſic vt Chriſtus pateretur nullus meruit, pretium Paſſionis in Deo ipſo eſt eius æternus amor. Ita S. Iohannes dicebat: In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit. Et rurſus: In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum; non quaſi nos dilexerimus eum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos: & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Chariſſimi ſic Deus dilexit nos, vt filium ſuum vnigenitum daret. Ita ad Roman. dicit Apoſtolus: Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Et ſic denique ad Epeſ. Deus qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto.

Amor Dei pretium Paſſionis Chriſti. C *1. Ioh. 3.* *1. Ioh. 4.* *Rom. 5.* *Eph. 2.*

Nimia equidem, & iure optimo illa dicitur charitas. Nihil enim vnquam maius pro nobis Deus facere potuit; & nihil dare ad ſalutem potentius, quàm cùm Dei filius in forma ſerui, pro ſeruis & inimicis ſanguinem ſuum fundere voluit. Poterat nobis videri gratia maior, ſi gratis nos ſaluaſſet, ſolùm condonando & remittendo peccatum: ſed reuera non fuiſſet. Maior enim iſta eſt, qua ſic Deus pro nobis iuſtitiæ ſatisfacit, quàm illa condonatio gratuita, qua abſque ſatisfactione ſaluaremur. Et quæſo nónne æterno patri amplius eſt, & infinitè amplius, filium ſuum vnigenitum dare, quàm quodcumque bonum creatum? Et filio Dei nónne maius, & infinitè maius fuit, ſuum pro peccatoribus profudiſſe ſanguinem, quàm ſi abſque labore gratis peccata illis condonaſſet? Si Rex, vel Imperator, diademate depoſito, ſuſciperet ſtatim formam & ſtatum ſerui ſui, vt ipſum liberaret à morte, nónne illi maiorem, & longè maiorem charitatem oſtenderet, quàm ſi authoritate ſola, & ſine vlla ſatisfactione à morte liberaret? Nimia certè illa diceretur charitas.

D *Maior charitas Dei qua ſatisfacit, quàm ea qua gratis remiſit.* E

Sic igitur charitas Dei nimia dicitur, propter quam cùm eſſemus mortui peccatis, æternus pater conuiuificauit nos in Chriſto: qui cùm in forma Dei eſſet, formam ſerui accepit, in qua iuſtitiæ ſatisfecit pro delictis populi. Iuſtitia

tia diuina hominem captiuum tenebat peccatis A ſuis tanquam vinculis conſtrictum, vt eum æterna morte plecteret: ſed illa nimia Dei charitas aduenit, quæ abundè oblato diuini ſanguinis pretio, iuſtitiæ ſatisfecit, & hominem à vinculis & morte redemit, non corruptibilibus auro & argento, ſicut dicit Sanctus Petrus Apoſtolus, ſed ſanguine pretioſo immaculati Agni IESV Chriſti. Ita vt homini fuerit conſtitutus fons perpetuus ſaluationis, ſemper patens & ad ablutionem peccatorum, & ad elargitionem aquæ vitæ & ſalutis. Beneficium duplex.

Duplex beneficium in ſãguine Chriſti.

1. Ablutionis eſt.

Quantum ad ablutionem peccatorum, in Apoc. dicitur: Chriſtus qui eſt Princeps Regum, dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Item, vbi de martyribus, & his qui venerunt de tribulatione magna, ſermo eſt: Hi ſunt qui lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni. Dealbauerunt in ſanguine: hoc quidem videtur eſſe contra naturam ſanguinis, cuius eſt potiùs purpurare quàm dealbare; ruborem magis quàm albedinem inducere. Sed hic Spiritus Dei oſtendere voluit excellentiam, & differentiam ſimul ſanguinis Chriſti, à ſanguine aliorum hominum. Ille namque ſanguis propter vnionem ad verbum, diuinus factus, vim habet & abluendi, & dealbandi animas, infundens eis nitorem & candorem primæ gratiæ. Sanguis eſt, ſed qui exiuit cum aqua de latere Chriſti; vnde vnda eſt ſanguinis. Dicamus & vnguentum; omnes enim illas proprietates habet, vt abluat, purpuret, dealbet, & liniat, animæ vulnera liniat, atque etiam illam diuinæ gratiæ oleo vngat. Sicut vnguentum in capite, ait propheta, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron: quod deſcendit in oram veſtimenti eius: ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.

Apocal. 1. & 7.

Quomodo ſanguis Chriſti dealbare dicitur.

Proprietas ſanguinis Chriſti.

Pſ. 132.

Quem locum explicans doctiſſimus Rupert. dicit tantam vnguenti effuſi copiam fuiſſe, quo ſummi Sacerdotis vngebatur caput, vt ad oram vſque veſtimenti deflueret, adeò vt magis effuſum videretur ad abluendas & vngendas veſtes Sacerdotis, quàm ad vngendum ipſius caput. Ita in Chriſto IESV penitus iſta ſanguinis effuſio eſſe videtur ad abluendam, & vngendam ipſius veſtem, quæ eſt Eccleſia; congregationem videlicet fidelium. Quicunque enim baptizati eſtis, inquit Apoſtolus, Chriſtum induiſtis. Vnguentum eſt quod deſcendit in nos ſicut ros Hermon.

Rupert. l. 9. in Gen. c. 33.

Ecce vnguentum, ecce vnctio, quæ dicitur ros: ros, quia ſanguinis effuſio eſt ros Hermon, quod interpretatur deſtructionis ſeu paſſionis: emanauit enim ros iſte, ſed vnda ſanguinis ex deſtructione & paſſione ipſius humanitatis, in montem Sion, in montem Caluariæ, in Eccleſiam, quæ eſt mons ſanctus fidelium.

Hermon explicatur deſtructio.

Sed videamus iam quomodo pro ſecundo E beneficio & æterno, ille diuinus fons continuò eſt patens ad effundendam & largiendam aquam vitæ & ſalutis, ita vt ipſe fons ſitim noſtram ſitiat. Hodie namque comparat ſe fonti Chriſtus, ſed ſitienti, cùm in die magno feſtiuitatis ſtabat, & clamabat dicens: Si quis ſitit, veniat ad me, ad me fontem viuum, & bibat: ad me, apud quem eſt fons vitæ; & flumina de ventre eius fluent aquæ vitæ. Per flumina intelligitur Spirituſſanctus, vt ſtatim explicatur.

Quomodo intelligitur quod de ventre fluũt flumina aquæ viuæ.

Sed quare de ventre potiùs quàm de capite? Quia vilior & humilior, atque capacior pars hominis venter eſt; & Spirituſſanctus non deſcendit niſi in humiles, & flumina gratiæ eius non niſi capaciores replet. Si quis ergo ſitit, veniat ad me, & bibat. Omnes ſitientes venite ad aquas. Ad aquas, propheta dicit, quia vndique emanauerunt ex ſanctiſſima humanitate Chriſti tanquam ex fonte. Ex capite emanauerunt vndæ ſanguinis; ex manibus effluxerunt & pedibus; ex latere denique ſanguis exiuit & aqua: vbique fons patens fuit, in horto, in prætorio, in plateis, & in Caluariæ loco. Tantúmque ſupereſt vt ſitiamus, accedamus, atque hauriamus aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Fons inuitat nos, & dicit: Bibite amici, & inebriamini chariſſimi. Si quis ſitit, B veniat; ſitientes venite ad aquas. Sitiebat Dauid qui dicebat: O ſi quis mihi daret de ciſterna quæ eſt in Bethleem! Quid deſiderabat Dauid, & quo ardore ille ſitiebat? vtique ſalutarem aquam ſitiebat, & petebat aquam quæ viua erat, & fons vitæ, aquæ ſalientis in vitam æternam. Vultis vobis dicam? Chriſtum ſitiebat, & optabat ſuum Redemptorem.

Iſa. 55.

Cant. 5.

Sitis Dauid. 2. Reg. 23.

Ita S. Ambroſius in Apolog. Dauid. Si altiùs velis ſpectare, inquit, & introſpicere myſterium, ſitiebat Dauid, non aquam de lacu, quæ eſt in Bethleem, ſed oriundum ex virgine Chriſtum ſpiritu præuidebat: aquam vitæ de ciſterna C virgine. Notatur autem, quod cùm hanc aquam de Bethleem illi tres fortes attuliſſent, qui propterea Philiſtinorum caſtra irruperant, noluit Rex bibere, ſed libauit eam Domino. Quare hoc? petit S. Ambroſius. Hoc factum expendens dicit. Non bibit Dauid aquam oblatam, ſed Domino profundit, ſignificans ſitire ſe Chriſti ſacrificium, non naturæ fluentum: illum ſitire ſe fontem æternum, non qui periculis quæreretur alienis; ſed pericula aliena depelleret. Hoc igitur deſiderio & ſiti ardebat intus qui dicebat: O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna quæ eſt in Bethleem!

S Ambro. in Apolog. Dauid c. 17.

Duplex myſterium in eo quod Dauid noluit bibere aquam ſibi allatam.

1.

2. Myſteriũ.

Verùm vnum hic adhuc myſterium valde notandum eſt, ſcilicet, ex eo quod noluit Rex hanc D aquam allatam bibere, ſed libauit eam Domino. Propterea enim bibere noluit, hoc facto adumbrans Iudæorum perfidiam in Chriſtum: præuidebat enim prophetiæ ſpiritu & lumine, Iudæos illi aquæ viuificanti omnia è Bethleem orituræ, contradicturos, id eſt, Chriſto ſecundum carnem de ciſterna virginali naſcituro fidem eſſe negaturos. Propterea noluit bibere, quod futurum erat præſagiens certóque præuidens. Quomodo enim abſque myſterio, ô Rex, ô Propheta, hanc allatam aquam bibere non vis? Dicebas in ardore ſitis: O ſi quis mihi daret, &c. Ecce tres fortes qui afferunt: ecce aqua quam petis & quam ſitis, & tamen eam bibere non vis?

Ecce duo myſteria. Primum eſt, quod Chriſtum aquam & fontem vitæ ſitiebat. Secundum, quod hic perfidiam Iudæorum repræſentabat & præuidebat, qui Chriſto minimè crediturí erant, nec doctrinæ eius ſalutarem aquam recepturi, imò potiùs ardorem ſuum & ſitim expleturi morte & ſanguine Chriſti. Hæc enim fuit ſitis peccatorum, qui dicentes, Tolle, crucifigendum eum petierunt, eius ludibria, verbera, tormenta, mortem, & paſſionem ſitiuerunt. Et ecce beningniſſimus Saluator noſter & Dominus, ad noſtram, omniumque ſalutem, iſtam ſanguinolentam

Peccatorum ſitis.

sitim conuertit, cùm annuens votis non solùm diligentium, sed odientium eum, sic vulnerari passus est, vt ex eo in omnes saluationis nostræ fontes effluerent. Hæc enim media posuit & decreuit, quibus post lapsum ad eum rediremus.

Æternum propositũ salutis nostræ, executio in tempore.

Ab æterno Deus constituerat hominem beatum reddere. Talis fuit creationis hominum finis: qui finis semper in intentione prior est, sicut in executione posterior. Non enim impletur nisi per media quæ in executione priora sunt. Media igitur illa sunt, Passio eius & mors, plagæ & tormenta: videns enim Deus hominis lapsum in eadem æternitate præconcepti finis eius, statim etiam & in eodem momento illi occurrit eiusmodi reparationis ratio: finis præcessit in dilectione æterna, quæ media illa præparauit in plenitudine temporis. Iuxta quod dicit Apostol. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. Quo pretio redimeret? sanguinis. Ecce pretium, medium simul atque remedium. *Gal. 4.*

Verùm & hoc adhuc non satis est, nisi ex nobis illi aliquid etiam præstemus, nisi media nostra atque remedia adiungamus, quæ sursum præparauit Christus. Illa autem sunt, conuersio nostra ad pœnitentiam, sitis ardens, desideriumque efficax nostræ salutis. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitemini, & credite Euangelio.*

DE TEMPORE ET conuenienti genere Passionis Christi.

Tempus meum nondum aduenit. Iohan. 7.

Quoniam impletum est tempus, pœnitemini. Marc. 1.

MVLTVM debitores sumus diuinæ clementiæ & misericordiæ IESV Christi: hominem creando sibi similem eum formauit; ipsum verò reparando post lapsum in tempore, se illi similem fecit: in vno exaltauit illum, & in altero exinaniuit semetipsum. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Domino inquam meo IESV Christo, ad similitudinem cuius cùm fuerim factus, meam assumpsit ad reficiendum & reparandum me, cum decreto patris conuenientiam iungens, sapientiam cum iustitia. Inde enim diuina ratio est, cur filium in diuinitate decuerit hominem reparare, & de eo mittendo decretum fuerit. Dixerat Deus: Faciamus hominem ad imaginem nostram. Filius autem & verbum imago est patris. Filius igitur imago est, & homo ad imaginem: & sic speciale opus verbi & filij videtur esse homo, ad instar & similitudinem cuius factus est. Vnde etiam ei dicere potuit, quod psalmista dicebat post suum lapsum: Opus manuum tuarum sum ego, ne me despicias.

Ratio cur decuit Christũ esse reparatorem hominu. Gen 1.

Hominis reparatio per Christum.

Aduertendum autem est, hoc opus fuisse peccato destructum, vsque ad tempus Incarnationis & Passionis IESV Christi, eius authoris atque opificis: ipso enim veniente, & se ad illud conuertente A reparatum est, cùm ipsa Dei essentialis imago, quæ verbum est, ei vnita & coniuncta est. In Ierem. figura est, vbi ostenditur figulus, qui faciebat opus super rotam, & dissipatum est vas, quod fecerat ex luto, sed conuersus fecit vas alterum, sicut placuit in oculis eius. Ecce Christus figulus & formator noster, de limo terræ hominem creauit, vas speciosissimum capax suæ gratiæ & diuinæ similitudinis. Sed heu! per peccatum cadens de manu factoris, fractum & dissipatum est. Quid fecit diuinus figulus & plasmator? vt reparet opus, ad illud cõuertit se, creator vnit se creaturæ, verbum caro factum, excellentiùs, & sicut placuit in oculis eius, homini reddidit imaginem & similitudinem Dei. Sed insuper & sãguine Crucis reparare voluit, quod amissum fuerat & dissipatum delectatione arboris. Nunc autem B quare hoc tempore, & non ante, vel post istud, illam reparationem voluit facere: hoc item, & non alio modo, videlicet passione & morte Crucis, superest vt dicamus. *Ierem. 18.*

Hodie IESVS, iuxta Euangeliũ, ambulabat in Galilæam, nolens in Iudæam ire, quia quærebant eum Iudæi interficere. In proximo autem erat dies festus Iudæorum (Scenopegia.) Et dixerunt ad eum fratres eius: Vade in Iudæam, & manifesta teipsum mundo. Dixit ergo eis IESVS: Tempus meum nondum aduenit; tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos: me autem odit, C quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendam, quia meum tempus nondum impletum est. Hæc cùm dixisset, mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, & ipse ascendit, sed quasi in occulto: quia Iudæi quærebant eum in die festo, quærebant interficere, & vt apprehenderent, & dicebant, vbi est?

Cur Christus manifeste noluit ascendere ad diē festum Iudæorum.

Cum mysterio igitur noluit Christus manifestè, & vt manifestaret se, in diem festum istum Iudæorum ascendere, nempe Tabernaculorum, qui dies festus summæ illis erat lætitiæ; quia tunc amplius festiuitatis & lætitiæ non erat tempus, vbi filium Dei gaudium vniuersi quærebant interficere D Iudæi. Item tunc noluit, quia nondum aduenerat dies lætitiæ & exaltationis quam quærebat. Nondum hora aduenerat Passionis, ille dies baptismi quem tantopere & tandiu desiderabat, cùm dicebat; Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor quousque perficiatur?

Cur reparatio nostra cũ dilatione facta est.

Sed. si tantopere desiderauit, cur tandiu distulit? Totum quidem istud cum summa Dei sapientia factum est: nempe vt & grauitas peccati amplius innotesceret mundo Iustitiæ effectibus, & maior etiam haberetur commendatio beneficij, ostensione misericordiæ. Hinc dicebat Abacuc propheta: In medio annorum notum facies, & cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Quare etiam miro Dei consilio factum est, vt E non nisi in plenitudine temporum veniret, sicut Apostolus notauit. *Abac. 3.*

Cur ad fine mundi reparatio dilata non fuit.

Sed eadem adhuc & simili ratione dici potest, cur non Christus etiam distulit vsque ad finem mundi? Nempe quia ille aduentus extremus Iudicij futurus est, & non remissionis. Nunc autem venit quærere quod perierat, animas saluare, non perdere, dare vitam, non inferre mortem: denique non vt iudicaret mundum, sicut Nicodemo dixit, sed vt mundus saluaretur per ipsum. Item quia tunc, scil. si ad finem mundi venire distulisset, cognitio Dei penitus extincta fuisset in terris; nemo enim *Ioh. 3.*

enim alius quàm filius Dei eam dare potuit. Ita S. Auguſt. Vt homo fidentiùs ambularet ad veritatem, ipſa veritas, Dei filius, homine aſſumpto conſtituit, & fundauit fidem, ſcilicet notitiam Dei. Vna itaque ratio ex multis cur Dei filius in hac plenitudine temporum venit, hæc eſt, vt teſtimonium perhiberet veritati, id eſt, daret mundo notitiam Dei.

S. Aug. lib. 11. de Ciuit. cap. 2.

Sed iam quæritur, cur cùm venit, ſtatim nos ab initio non redemit. Fortè quia pro magnitudine ſui amoris, non dediſſet ſatis in infantia ſua, qui volebat copioſam eſſe noſtram apud Deum Redemptionem. Ideo expectauit plenitudinem ſuæ ætatis. Item quia voluntariè volebat ſe ſacrificare pro omnibus, & antè præuenire mundum innumeris beneficiis, conuerſando cum hominibus, ſanando infirmos, mortuos ſuſcitando, & prædicando Euangelium regni Patris. *Venit* I E S V S *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum eſt tempus, tempus veſtrum ſemper eſt paratum, pœnitemini, & credite Euangelio.*

Cur Chriſtus ab initio aduentus ſui nos non redemit.

Non ſolùm autem tempus fuerat definitũ mortis; ſed etiam modus, ſeu genus paſſionis: quod quidem & figuris, & prophetiis in Scriptura ſacra prędictum eſt, vt vbique conſtat ſatis. Sapien. 2. Morte turpiſſima condemnemus eum. Quænam erit illa? mors Crucis. Deut. 21. Maledictus qui pendet in ligno. Sic Ierem. 11. Venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. In quem panem mitti debet lignum Crucis? vtique in humanitatem Chriſti, in corpus, in carnem, quæ in Altari fit panis hominum. Ab initio mundi figuræ erant. In ligno vitæ, quod erat in medio paradiſi: ſi quidem eiuſmodi eſt lignum vitæ noſtræ Crux Chriſti, in qua pependit fructus vitæ noſtræ, & ſalus mundi. Vnde dicitur Sap. 14. Exiguo ligno credunt homines animas ſuas, & tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt. Homo nauigare cogitans fragilius lignum inuocat. O Crux aue, dicunt qui redempti ſunt à Domino, non amplius lignum fragile, ſed pretioſum & ſublime. Quid enim pretioſius & ſublimius Cruce, de qua tanta in nos deſcendit gratia & virtus? Lignum eſt ſalutis & vitæ: ſed lignum in medio paradiſi. Sic enim Chriſtus operatus eſt ſalutem in medio terræ, ſicut Pſalmiſta dixit, & confregit capita draconum in aquis dolorum, agoniæ, & vehementis Paſſionis. Item figura erat in exaltatione ſerpentis ænei in deſerto, & quam pro ſe Chriſtus explanauit Nicodemo. Item in ligno Moyſi oſtenſo, quod in aquas amaras iniectum, in dulces conuertit. Talis virtus Crucis Chriſti eſt.

Genus Paſſionis Chriſti definitur & prædicitur. Sap. 2. Deut. 21. Ierem. 11. *Figura.* Gen. 3. Sap. 14. Num. 21. Ioh. 3. Exod. 15.

Vnde S. Auguſtinus ait in hac amaritudine dulcedinem meditans. O I E S V Crucifixe, Paſſio tua eſt mihi fauo dulcior, lacte ſapidior, balſamo præſtantior, gemmis & auro pretioſior, cunctis terrarum diuitiis & honoribus charior. Scribe in tabulis cordis mei ſanguine tuo dulciſſima vulnera tua, vt te immenſæ dulcedinis Dominum habeam in corde, pectore, ore; perficiámque documenta Paſſionis tuæ opere. Ita omnes Sancti ſentiunt. Ita S. Gregor. ſimiliter dicens. Quidquid terrena aduerſitas propinat afflictionis, leue erit, ſi aſpiciatur in patibulum Crucis. Denique ſic exaltari in Cruce voluit, vt medius & mediator inter Deum & homines appareret.

S. Aug.

Iam de conuenientia loquamur. S. Thom. multas affert, ex quibus hic tres ſumimus. Prima eſt S. Chryſoſt. Vt nobis, inquit, aſcenſum pararet in Cœlum, propterea in alto moritur. Scala eſt Iacob

S. Tho. 3. p. q. 46. art. 3. & 4. *Conuenientia mortis Crucis Chriſti.*

A Crux Chriſti; ſcala qua itur in Cœlum per Chriſtum: ſummitas eius tangit cœlos, & Deus illi innixus eſt. Thronus eſt Chriſti, & clauis Cœli. Et ego, ait Dominus, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Adeamus igitur cum fiducia ad hunc thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur in tempore opportuno. Hæc mihi ſumma philoſophia ſit, cum S. Bern. meditatio Paſſionis Chriſti aſſidua, ſuauiſſimum crinile ſit ſpinea corona, dulcis lectulus Crucis lignum. In hoc morior, in hoc viuo, & ſub illa ſcala ſicut Iacob dormio & vigilo, iuxta quam & per quam aſcenſiones in corde meo diſpono.

S. Chryſoſt. homil. de Paſſ. S. Bern.

B Secunda conuenientia eſt, quia hoc genus mortis conuenientius fuit ſatisfactioni. Homo per lignum perdidit, homo per lignum reſtituit. Ita S. Auguſt. Serm. de Paſſ. qui ait. Contempſit Adam præceptum, accipiens ex arbore pomum; ſed quidquid Adam perdidit, Chriſtus in Cruce inuenit, & exoluit, dicens: Quæ non rapui, tunc exoluebam. Adam abſtulit, fur fuit: Chriſtus exoluit, reparator fuit.

S. Aug. Ser. de Paſſ. Pſ. 64.

Tertia, quia per hoc genus mortis deſignantur vniuerſæ virtutes in quatuor comprehenſæ, quæ ſunt, obedientia, humilitas, amor, & patientia. Sic S. Bernar. meditatur in his quatuor extremitatibus Crucis, quanta ſit obedientiæ longitudo; humilitatis profunditas; altitudo amoris, & patientiæ latitudo.

S. Bern. *In quatuor extremitatibus Crucis, quatuor dimenſiones virtutum.*

C Quantum ad obedientiam, longitudo eius eſt, quod illam nos edocuit, primò, veniens in mundum: ſecundò, conuerſans in mundo: tertiò, exiens de mundo. De primo ait: Non deſcendi vt faciam voluntatem meam; ſed eius qui miſit me. De ſecundo: In capite libri ſcriptum eſt de me vt faciam voluntatem tuam; Deus meus volui. Sic Iohan. 4. Cibus meus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me Patris, vt perficiam opus eius. Ecce in terra ratio & exercitatio conuerſationis eius. De tertio dicit: Pater, ſi fieri poteſt, calix iſte à me tranſeat. verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat. Filius hominis ſecundum quod definitum eſt, vadit. Propterea inclinatum caput in Cruce habuit, in D ſignum obedientiæ. Et hoc ſignum obedientiæ eſt, quod tam diſertè notauit Apoſtolus dicens: Chriſtus I E S V S factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis.

Obedientiæ longitudo. Ioh. 6. Pſ. 39. Ioh 4. Matth. 26. Luc. 22.

Quantum ad humilitatem, profunditas eſt, quando cùm in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, & non ſolùm ſerui in Cruce, ſed ſimilitudinem carnis peccati, ſemetipſum exinaniuit vſque ad mortem Crucis, ad ſepulchrum, & ad Inferos vſque pro nobis deſcendit.

Profunditas humilitatis.

Quantum ad charitatem, altitudo in eo eſt, quod pro inimicis mortuus eſt. Rex Iſraël legitur mutaſſe habitum ſuum, cùm ingreſſus eſt bellum E cum Rege Syriæ, & hoc, vt ſaluaret animam ſuam; vt ſic incognitus faciliùs periculum euaderet, quod tamen effugere minimè potuit. Chriſtus è contrà, mutauit habitum, cùm in forma Dei eſſet, formam ſerui accepit, & occultauit gloriam ſuam, vt faciliùs in prælio occumberet pro nobis inimicis & peccatoribus.

3. Reg. 22. *Altitudo charitatis.*

Quantum ad patientiam, latitudo eſt in eo, quod innocens non dubitauit manibus tradi nocentium, & Crucis ſubire tormentum, qui non aperuit os ſuum dum tot ſuſtinuit calumnias & anguſtias. Quare iam recogitate eum qui talem aduerſus ſemetipſum à peccatoribus ſuſtinuit contradi

Patientia latitudo. Heb. 12.

traditionem. Exemplum dedi vobis, ait, vt quemadmodum feci, & vos faciatis.

Quarta denique & vltima conuenientia est, vt per hoc genus mortis, maior insit homini necessitas vt se immunem à peccato conseruet, qui se sanguine Christi à peccato videt redemptum, iuxta illud Apost. Empti estis pretio magno; pretio quod & præmium nobis debet esse in Cœlo. Denique vt exinde inducamur magis ad faciendum dignos fructus pœnitentiæ pro peccatis nostris. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.*

1. Cor. 6.

DE CAVSIS PASSIONIS IESV Christi.

Propter quod eorum opus me lapidatis? Iohan. 10.

Pœnitemini, & credite Euangelio. Marc. 1.

IAM satis suprà Christus IESVS filius Dei innocentiam suam iustificauerat, etiam exponendo se inimicis suis arguendum de peccato, cùm dixit illis; *Quis ex vobis arguet me*, &c. Verùm nunc opus est vt per semetipsum prodeat & manifestetur iustificatio eius. Lex enim Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele, iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Quare ergo fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Conuenerunt principes in vnum, principes Sacerdotum, aduersus Dominum, & Christum eius? Quam accusationem, ô peccatores & infideles filij, affertis aduersus hominem hunc, & Deum vestrum, & Patrem vestrum? Ecce enim ipse iniquitatis Iudex confessus est dicens, quia nullam in eo inuenit causam mortis. Propter quod ergo eorum opus me lapidatis, dicit Christus, & circumuenitis ad perdendum me? Confundantur, & retrorsum conuertantur omnes qui quærunt animam meam. O Pater, si mei non fuerint dominati inimici mei, tunc immaculatus ero, etiam ab illis iustificatus ero, & nullam in me inuenient causam mortis. Hoc est quod prætendit in Euangelio Christus, se iustificare, & de iniquitate arguere & conuincere persequentes se.

Ioh. 8. *Psal. 18.* *Psal. 2.*

Dum fierent encænia in Hierosolymis, ambulabat IESVS in Templo, in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palàm. Quibus respondit: Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me; sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me. Quod dedit mihi Pater, nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater vnum sumus. Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit ei IESVS: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Quem Pater sanctificauit, misit in mundum, &c.

Dedicatio Templi.

Quantum causam suam iustificat Christus videtis satis, qui nulli malum fecit, imò non cessat benefacere peccatoribus & ingratis, vt habeat vnde arguat, & conqueratur iuxta Michæam: Popule meus, quid feci tibi? aut quid molestus fui? Tota die expandi ad te manus meas. Quid debui tibi facere vineæ meæ, & non feci? Siccine spinas profers & tribulos ad pungendum cultorem tuum, vitis aliena? Propter quod eorum opus me lapidatis? Iam iustificata innocentia mea est. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, credite quia Pater in me est, &c.

Nunc igitur iustificata innocentia Christi, causas mortis inquiramus. Sed pluribus, & penè innumeris omissis, duas tantùm considerabimus, vt illas faciliùs & semper memoria retineamus. Prima est ex dilectione Patris, & hominis. De primo Iohan. 14 Vt cognoscat mundus quia ego diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite, eamus hinc, nempe ad locum Passionis. De 2. Gal. 2. Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. & Ephes. 5. Dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, &c. Dixerat olim filius Dei: Sic Deus (nimirum æternus Pater) dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Sed nos dicere possumus: Sic Dei filius Deum Patrem dilexit & mundum, vt se tradiderit ad mortem pro peccatis hominum. Amor filij adæquauit, imò & in aliquo superauit amorem Patris. Dicebat S. Augustin. Domine, omnia mihi dicunt vt amem te, sed inter omnia, illa specialis tua dilectio mihi dicit vt amem te. Illa fuit dilectio specialis, quæ operata est obedientiam, qua filius Dei voluntatem Patris & hominum fecit, vt Apostolus ait: Hoc sentite in vobis, quia Dominus IESVS factus est obediens vsque ad mortem Crucis.

Duplex causa Passionis Christi. *1. Dilectio Patris cum dilectione hominis.* *Ioh. 14.* *Gal. 2.* *Eph. 5.* *Ioh. 3.* *Philip. 2.*

S. Thom. id fuisse conueniens ait triplici ex causa. Prima, vt, sicut (Apostolus ait) per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obedientiam iusti constituerentur multi. Propter quod etiam sciendum, triplicem exercuisse in Cruce obedientiam quam per peccatum amiseramus. Naturalem, qua nostra conditione naturali seu à natura Deo subiicimur. Virtutis in exemplum: vnde iuxta vtramque dixit; à meipso facio nihil. Etiam filialem: pro qua subiungit; & quæ beneplacita sunt ei, facio semper. Placuit Patri vt moreretur filius, & hoc genere mortis, & obediuit filius. Tradidit & Pater, & voluntariè obtulit semetipsum filius.

S. Tho. 3. p. q. 47. art. 2. *Rom. 5.* *Triplex obedientia Christi in Cruce.* *Ioh. 8.*

Quomodo iam voluntariè obtulit se, & Pater tradidit eum, iuxta tria idem S. Tho. explicat. Vno modo tradidit eum Pater secundum quod talem Passionem præordinauerat ad liberandum genus humanum. Huius præordinationis æternæ visio est in Apocal. vbi agitur de occisione Agni, & dicitur. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem: dignus es Domine accipere librum qui occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu. Sic erat decretum ab æterno in Dei consilio, secundum quod etiam traditus est à Patre, & ipse voluntariè oblatus est.

Quot modis Christus intelligitur se obtulisse, & Pater ipsum tradidisse. *Apoc. 5.*

Secundò, inspirando eidem filio voluntatem patiendi ex amore pro nobis. Hæc duo videntur in Isa. 53. vbi dicitur: Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrûm. & postea sequitur: Oblatus est quia ipse voluit.

Isa. 53.

Tertiò, tradidit Pater filium, eum exponendo persequentibus, & non liberando. Vnde dixit in Cruce filius: Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Eoque sensu dicit Apostolus: Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Item, quod iustificati sumus per redemptionem quæ est in Christo IESV, quem

Rom. 8. *Rom. 3.*

quem proposuit Deus propitiationem per fidē in sanguine ipsius, ad ostensionem Iustitiæ suę. (notate.) Si in filium suum qui non peccauit, sic Deus Iustitiam manifestauit: quid erit in peccatoribus ipsis, si non conuertantur? pœnitemini, & credite Euangelio.

Secunda ratio seu causa huius conuenientiæ, quod scilicet Christus fuerit obediens vsque ad mortem Crucis, propter reconciliationem fuit Dei ad homines. Homo per peccatum merebatur mortem, & filius Dei per mortem reconciliauit hominem, vt Rom. 5. dicitur. *Reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* (Rom. 5.)

Tertia denique ratio talis obedientiæ, quia victoriæ Christi illa conueniebat. Non enim miles victor esse potest, nisi duci suo obediat. Nam, vt ait Sapiens, vir obediens loquetur victorias. (Prou. 21.)

(*Secūda causa Passionis Christi, peccatum hominis.*) Verùm loquamur iam de secunda causa Passionis eius. Peccatum est. Dictum est de Paulo Apostolo, quod per manus lapidantium Sanctum Stephanum, lapidabat ipsum. Et quid sunt peccata nostra nisi lapides, quos Iudæi hodie proiiciunt in Christum? Peccata nostra, flagella sunt, funes, spinæ, crux, & corona, fel, acetum, & arundo, claui, atque lancea. Peccata sunt quæ tradiderunt eum Gentibus ad illudendum, crucifigendum, & flagellandum: non Iudæi fuerunt, nostra peccata fuerūt. Si enim peccata non fuissent, non talis mors, sed nulla mors Christi extitisset. Tolle vulnera, tolle morbos, & nulla erit causa medicinæ. Vnde S. Bernard. Serm. de Circ. Cogita, ô homo, quàm grauia sunt illa vulnera, pro quibus necesse fuit Dominū IESVM pati. Profectò si non fuissent ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam mortuus fuisset Dominus Christus. Consideratione remedij, periculi mei æstimo quantitatem. Oues fuimus errantes, & vocem pastoris quærentis nos audire noluimus, neque agnouimus. Sic hodie conqueritur Christus: Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me. Nos è contrà, ad mortem prosequimur Pastorem nostrum, inter nos Agnum mitem factum: Patrem nostrum occidimus, acutisque peccatorum nostrorum lapidibus vulneramus, tanquā adulteri filij, & non bonorum Patris hæredes.

(Herodot.) Legitur apud Herodotum antiquum Græcum, quod cuiusdam nobilis viri vxor clàm adultera, viro retulit dum in extremis vitæ suæ erat, quod ex tribus pueris quos existimabat habere, vnus tantùm erat legitimus, & non declarauit quis esset, nō interrogata à viro dolore correpto. Vnde postea ille lecto decumbens, & in iisdem extremis positus, matris secretum declarauit filiis. Quod tantam statim discordiam & contentionem disseminauit inter eos, singulis de filiatione legitima & hæreditate disputantibus, vt alter alterum prosequeretur ad mortem. Re ad Iudicem delata, & cùm minimè certis indiciis deprehendere posset, quis eorum esset legitimus successor, magno consilio & quasi ad instar Salomonis, iussit exhumari corpus mortui, & tres sagittare cadauer, definiens illum hæredem qui cor patris per medium & directiùs sagitta transfigeret. Re proposita, cùm duo primi iam cor vulnerassent, ecce tertius, qui iunior erat, profusis lacrymis, genibus flexis coram Iudice: Cedo, inquit, hæreditati. Isti filij sint; ego verò dilecti patris mortuum corpus crudeliter & impiè attingere non possum. Quo pietatis indicio legitimus hæres iudicio probatus est.

O peccatores, & adulteri filij, quid agitis in Patrem vestrum, & iam pro peccatis vestris mortuū lapides acutos peccatorum vestrorum proiicientes? Quid facitis vulnerātes cor eius? Adulteri estis, & non filij, & hæredes, qui nullo cordis dolore intrinsecus tacti estis. Vbi nunc filij sunt legitimi, qui potiùs eligunt mori, & cunctis priuari temporalibus, etiámque æternis bonis, quàm cor Patris sagittare peccatis? Eæ sunt legitimæ oues, quæ vocem audiunt Pastoris, & sequuntur ipsum. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.* Ecce vox Pastoris. Nos autem quasi oues errauimus, vnusquisque declinauit in viam suam. (Isa. 53.) Ille quod perierat venit quærere; & posuit Dominus in eo, Pater in filio, qui est ille bonus Pastor, qui Cœlum deseruit, & in terram descendit, iniquitatem omnium nostrûm, vt in se nos oues, facta solutione, ad Cœlum & Patrem reduceret. Quare, ait æternus Pater, percussi illum propter scelus populi mei. Nostra igitur peccata eiusmodi causa sunt, afflictionis, vulnerum, passionis, & mortis filij Dei.

O rem penitus incomprehensibilem! Secundum se Deus non erat potens pati, & peccata nostra ipsum potentem fecerunt & capacem passionis, vulnerum & mortis. Detestemur illa, charissimi, & filiorum legitimorum cor & spiritum habeamus. De vulneribus doleamus, quæ patitur à peccatoribus Pater noster æternus: & sic nos à peccatis abstineamus, vt hæreditate nostra, quæ cum Christo est, perfruamur. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.*

DE EFFECTIBVS Passionis IESV Christi.

Quis est hic qui peccata dimittit? &c. *Vade in pace.* Luc. 7.

Venit IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens, pœnitemini.* Marc. 1.

PASSIONIS IESV Christi nunquam virtus defuit, & quicunque liberati sunt, virtute Crucis fuerunt. Hanc virtutem sensit hodie Magdalena de Christo in se exiisse, antequam perueniret ad Crucem: cōuertitur, plorat, diligit. Hæc omnia ex gratia Christi, & merito Crucis. Quærētem Christum gratia trahebat, ipso dicente: Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. (Ioh. 6.) Qui tractus ex gratia Christi est. Vnde; Si exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad meipsum. (Ioh. 3.) Quare S. Greg. hom. in Magdal. (S. Greg.) Quid miramur, ait, fratres Mariam venientem, an Dominum suscipientem? suscipientem dicam, an trahentem? Sed meliùs dicam, trahentem & suscipientem, quia ipse eam per misericordiam traxit intus, qui per mansuetudinē suscepit foris. Ad quid? vt ei condonarentur peccata, quod est Crucis effectus. Non fit enim remissio, nisi in sanguine, in sanguine immaculati Agni IESV Christi.

Hodie in Euangelio mulieri peccatrici dicit Christus: Remittuntur tibi peccata. Rogabat illum quidam Pharisæus vt manducaret cum illo: & statim vt ingressus est, ecce mulier in ciuitate peccatrix, vt cognouit, attulit alabastrum vnguenti, & stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur, & vnguento vngebat. Et respōdit Simoni, qui

qui de hoc opere bono scãdalizabatur, quod plus ei donauerat, cùm ad illam statim conuersus, eamque iustificans, dicit illi: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, nec osculum, nec vnguentum: hæc autem exquo intrauit, lacrymis rigauit pedes meos, oleo vnxit, capillis tersit, & non cessauit osculari. Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Ecce ô Pharisæe condemnatio tua, & iustificatio peccatricis. Dixit autem ad illã: Remittuntur tibi peccata. Quo audito, cœperunt qui simul accumbebãt, dicere intra se; Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Vnde rursus dixit ad mulierem: Vade in pace, fides tua te saluam fecit.

Agnoscite cum hac sancta peccatrice, ô peccatores, quis est hic qui peccata dimittit. Ille qui pro peccatis nunc passus est: ille qui fletibus suis lacrymas meruerat Magdalenæ: ille qui lacrymis suis priùs animam peccatricis rigauerat, quàm peccatrix pedes eius. Ille, vno verbo, qui priusquàm diligeretur, dilexit nos, redemit nos, lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Sic S. Petrus: Non corruptibilibus auro & argento redempti estis de vana conuersatione vestra, sed pretioso sanguine Agni immaculati Christi & incontaminati. (1. Pet. 1.)

S. Thom. differentias affert, quibus dicitur Passio Christi esse causa remissionis peccatorum. Prima est per modum prouocantis nos ad charitatem, qui quidem Magdalenæ datus est, dicente Domino: Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Ad hanc autem charitatem multum nos Christus prouocauit charitate sua, vt Paulus dicit: Commendat Deus charitatem suam in nobis, &c. (S. Tho. 3. p. q. 49 art. 1. *Quibus modis Passio Christi causa est remissionis peccatorum.* Rom. 5.)

Secunda per modum redemptionis, quia vt caput membra sua liberauit à seruitute peccati, quibus etiam pretium communicatum est. Licèt enim dicatur tota sanctissima Trinitas redimere vt prima causa, tamen hoc propriè Christo competit vt homini, cuius membra sumus, qui solus dedit pretium, videlicet sanguinem. Gal. 3. Christus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, id est, pro nobis in Cruce effundens sanguinem. Maledictus enim qui pendet in ligno.

Hoc autem modo Christus dicitur nos redemisse, quod nimirum hac nostra solutione data, ab illa duplici obligatione liberati fuimus, & seruitutis peccati, & reatus pœnæ, per peccatum contracta. Talis enim miseria est ad quam nos peccatum adducit, & à qua per Christum liberamur, quando videlicet ex abundantia sui amoris plus Deo Patri reddidit, quàm exigeret omnis offensa generis humani. Tum etiam cùm & Pater plus diligit id quod filius obtulit, quàm offensam oderit, &c. Siquidem omnem æstimationem superat dignitas actionum Christi: maximè verò propter tria. Primũ est propter magnitudinem charitatis, qua ille passus est. Secundum est propter dignitatem vitæ, quam pro satisfactione nostra posuit, vita enim erat simul Dei & hominis. Denique tertium est propter generalitatem Passionis, & dolorum magnitudinem, de quibus infrà. (*A duplici obligatione nos Christus liberauit.* *Dignitas actionum Christi.*)

Ecce quibus modis, iuxta Apostolum Rom. 6. reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Quę omnia sub ratione gratiæ cõtinentur, quæ est primus in terra Passionis Christi effectus. Præterea alius etiam datur effectus, videlicet gloria æterna, & ad Cœlum introitus. Ante Passionem Christi clausum erat Cœlum. Helias raptus est, sed non in empyreum, tantùm in aëra. Enoch similiter trans- (*Cum gratia etiam gloria Passionis Christi est effectus.*)

A latus est, sed in paradisum terrestrem. Statim verò atque baptizatus est Christus, & in aquis apparuit, cœli visi sunt aperti, vt ostenderet exinde, quod baptismo Christi baptizatis in sanguine Crucis introitus ad Cœlum daretur, & omne impedimentũ tolleretur. Ita enim dixit Apostolus: Habemus nũc fiduciam in introitu Sanctorũ. i. cœlestium, in sanguine Christi, sicut ante dixerat: Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, semel introiuit in sancta, æterna redemptione inuenta. (Heb. 10. & cap. 8.)

Figura erat Num. 35. vbi dicitur, quod homicida manebit in ciuitate refugij, donec moriatur Sacerdos magnus, qui vngebatur oleo sancto, quo mortuo in terram suam reuertebatur. O si videremus (Num. 35.)
B gloriam vnius animæ in Cœlo, statim cum Apostolo diceremus: Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriã adduxerat, authorem salutis eorum, per passionem consummari. Propterea enim ait: Et consummatus factus est omnibus causa salutis æternæ. (*Christũ decebat pati pro gloria vnius animæ.* Heb. 2. & 5.)

Sed vnde nunc accidit quod tam pauci hunc salutis fructum de Passione Domini recipiunt? vtique applicationis defectu. Exemplum illius sumite, qui sua opera, & sudore vultus sui, satis cõparasset ad ciues vrbis de carcere & ære alieno redimẽdos, modò ipsi parati essent accipere pretium & solutionem. Si enim eiusmodi negligentes se præberẽt, culpa eorum esset, si non redimerentur. Ita nunc de nobis dicendum est. Christus solutionem fecit, sicque redemit; satis enim fecit, imò amplius: sed interim efficacia in nostra applicatione est per Sacramenta; maximè verò pœnitentiæ. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, pœnitemini.* Sic Paulus dicebat, quod in corpore suo adimplebat quæ deerant passionum Christi, scilicet per pœnitentiam. (*Vnde post Passionem tam pauci salui fiunt.*)
C

Magdalenam verò imitemur hodie: Christum quærit, inuenit, & stans retrò secus pedes eius lacrymatur, osculatur, capillos spargit, vnguentum fundit. Singula notate: hic ordo pœnitentiæ est. Ægra quærit Medicum, maculata fontem, peccatrix suum Redemptorem. Inueniens stat retrò, vt ipse inter Deum Patrem & peccatricem sit mediator, & vulnera peccatrici debita à Patre recipiat, sicque per Christum protegatur. Lacrymatur, & cũ abundantia. Solis est nubem in rorem conuertere, & glaciem resoluere in aqua. Item spiritus est inundationes adducere; Flabit spiritus tuus, ait Psal. & fluent aquæ. Deniq; fontis est flumina fundere & elargiri aquarum riuulos. Propterea igitur iacebat sic ad pedes salutaris fontis Magdalena. Adde: Magdalena erat petra, Christus autem virga, virga de radice Iesse: & ecce hac misericordiæ virga, seu diuinæ gratiæ radio percussa est petra, & fluxerunt aquæ. Sed potiùs dicamus, quia petra erat Christus, & Magdalena loquuta est ad petram, & illa dedit aquas, pœnitentiæ lacrymas. O fœlices aquæ quæ de corde exierunt & oculis huius pœnitentis! (*Ordo pœnitẽtiæ à Magdalena obseruatus.*)
D
E

S. Greg. Qui perfectè, ait, cum Magdalena peccata deseruit, ea plangere potest. Quod non potest ille qui adhuc vel modico peccati vinculo detinetur. Item, Magdalena capillis tergit pedes Christi, de se faciens tot holocausta, inquit S. Gregor. quot habuerat in se delectamẽta: insignia diaboli ad pedes victoris ponit. Hoc pœnitentia requirit, vt quæ instrumenta peccandi fuerunt, in gratiæ vsum cõuertantur. Denique pedes osculatur, & non os, vel manus, in signum reconciliationis, & simul supremæ adorationis. Reconciliatio est in osculo; reuerentia & adoratio in pedum osculo. O quàm istud osculum (S. Greg.)

Osculũ Iudæ diuersum est ab osculo Magdalenæ. osculum pœnitentis diuersum est ab osculo Iudæ proditoris! Vnum reuerentiæ erat & adorationis: alterũ signũ erat proditionis & mortis. Petit Iudas osculũ, & non renuit Christus, sed potiùs inclinat se illi. Petit Magdalena, & ad pedes deuoluta, osculando illos, lacrymis suis irrigat. Vtriusque diuersi osculi diuersi fuêre euentus. Vnum est osculum in ore, signum traditionis: alterum ad pedes, signum adorationis.

Esther 5. Ad Esther Reginam extendit Rex Assuerus virgam auream quam ipse manu tenebat, & osculata est Esther extremitatem eius. Hæc aurea virga diuinæ potestatis signum est, quæ in signũ clementię & reconciliationis, ad omne genus humanum extensa est per assumptionẽ nostræ carnis: cuius quidem extremitatem, videlicet pedes Christi, hodie mulier peccatrix & pœnitens osculata est.

Hanc omnes mulierem imitemur, nostrę exemplar pœnitentiæ. Sic enim futurum est, vt nequaquam fructum Passionis Christi amiserimus. Considerate quæso quantũ amauerit illa, propter quod multa ei remissa sunt peccata. Continuò hæc amãs in inquisitione Christi est perseuerans: illum viuũ & mortuum quærit; dum viuit, stat ad pedes eius plorans, & similiter dum mortuus est, stat foris ad monumentum plorans.

Origenes in Iohan. 22. Origenes in Ioh. Sequamur, inquit, fratres huius mulieris affectum, vt perueniamus ad effectũ. Ploret vnusquisq; ad IESVM, & fideliter quærat, quia non celauit se quærenti peccatrici. Disce peccator homo à peccatrice muliere, cui tamen peccata dimissa sunt. Disce plorare Dei absentiam, & desiderare eius præsentiam. Disce à Maria IESVM amare, in ipsum sperare, extra ipsum nullam consolationẽ accipere, omnia propter IESVM cõtemnere. Disce à Maria quærere IESVM in monumẽto cordis tui. Reuolue lapidem ab ostio monumenti Dei, amoue omnem duritiem, tolle omnem concupiscentiã mundi à corde tuo, & diligenter perscrutare si sit IESVS in eo: si autẽ non inueneris, sta foris & plora, & plorando ora vt dignetur intrare ad te. Noli autẽ deficiendo quiescere: sed sic plora, & sic quęre donec inuenias in te. *Venit IESVS prædicans regnum Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, pœnitemini, & credite Euangelio.*

DE FINE ET EXCESSV Passionis IESV Christi.

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo. Iohan. 11.

Impletum est tempus, pœnitemini. Marc. 1.

PROPHETAT Caïphas de morte IESV Christi, actu, non habitu prophetiæ. Quod Samuel dixerat Saüli, bene accommodari potest huic iniquo Prophetæ: Insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis, & mutaberis in virum alium. In Caïpha autem, duplex sensus verborum eius fuit: vnus quẽ dixit, & intellexit: alter quem non intellexit. Prophetiam dicebat, & in illo Spiritus Dei prophetare intendebat: quia verè expediebat vt vnus homo moreretur pro populo. Hic itaque bene omnia cõueniunt, vbi sicut in Cœlo de morte filij vnigeniti Patris decretum est, sic hodie in terra ratum & cõfirmatum est, cùm collecto concilio Pharisæi dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Vnus autẽ ex ipsis Caïphas Pontifex anni illius, dixit eis: Non cogitatis quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo. Et hoc à semetipso non dixit; sed cùm esset Pontifex, prophetauit quod IESVS moriturus erat pro gente. Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum.

1. Reg. 10. Duplex sensus verborũ Caiphæ prophetantis.

Antequam Ioseph accederet ad fratres, cùm vidissent eum procul, cogitauerunt eum occidere. Sic hodie de Christo Pontifices & Pharisæi, collecto concilio cogitauerũt vt interficerent, & vnus eorũ ait: Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo. Contra spem atque intentionem, veritatem prædixit & prophetauit. Si enim viuit ille, tota gẽs perit, ideóque expedit vt moriatur, ne tota gens pereat, quia ex ipsius morte nostra pẽdet salus, ipso Christo dicente; Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. *Gen. 37.*

Vnde etiamsi nihil dicamus de præordinatione diuina, tribus modis hoc expediebat. Primò, ad honorem Dei: vt, sicut per vnum hominẽ peccatũ intrauit in mũdum; ita expellatur de mundo per vnũ hominẽ, vt ait Apost. Sicut in Adam omnes mortui sunt, ita in Christo omnes viuificabuntur. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis IESV Christi in plures abundauit. Secundò, ad honorem ipsius Christi, quia sicut per ipsum omnia facta sunt, ita per eundẽ omnia expediebat restaurari, vt Apost. ait, quoniã proposuit Deus instaurare omnia in Christo. Tertiò, ad honorẽ hominis, quia sicut ille victus est à dæmone, ita expediebat dæmonem vinci ab homine-Deo; vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur per Christũ Dominum nostrum. Sed attẽdite; expedit vt vnus, vnus qui est singulariter homo, Christus Deus; singulariter sum ego: frater non redimit, redimet homo, ille vnus, præter quem nemo est alius. Quare ex Isa. 63. cùm ascenderet in Cœlum plenus victoria, & interrogaretur: Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus? Respondet: Ego qui loquor iustitiam. Torcular calcaui solus. Circumspexi, & non erat auxiliator, quæsiui, & nõ fuit qui adiuuaret, & saluauit mihi brachiũ meũ, & ipsa indignatio mea auxiliata est mihi. Indignatio aduersus peccatum, & authorẽ peccati diabolum, vt adhuc in maiorẽ vergat confusionẽ hostis deuicti à Christo per similitudinem carnis peccati. Goliath ense proprio à Dauid occisus est: irruit & Saül super proprium gladiũ. Ille denique Aman in ligno mortuus est, quod ad mortem parauerat Mardochæo. Ita ergo victus est diabolus in illo vno qui Christus est Deus-homo. Ecce itaque iste vnus, de quo prædicitur quia expedit vt moriatur, ne tota gens pereat. Et reuera vnus est, quia solus est qui saluare potest. *Tribus modis expedit mors Christi. Rom. 5. Ioh. 1. Eph. 1. Isa. 63.*

Ex his iam agnoscere est, quàm copiosa nostra fuerit redemptio, quæ in Christi sanguine est. Maximè autem vbi doloris eius, tormentorum & Passionis excessum considerabimus. Excessus in eo fuit, quod prout ipse virium suarum conscius erat, tormenta sustinuit quę sufficiebãt ad tollenda omnia peccata mundi; totque & tam diuersa sustinuit, vt in eo fuisse dicatur quędam vniuersitas pœnarũ. Derelictus à Patre est, ab amicis & notis, à gente sua, & aliis cuiuscunq; sexus, ætatis, & conditionis: præterea patitur in omnibus tã animæ quàm corporis partibus. Considerate in horto agoniam, sanguinem sudat, quia peccatorum nostrorũ pondus portabat. Cõsiderate in prętorio quę patitur, & quę in Golgotha Caluariæ loco. Dolores eius puri sunt *Excessus tormentorum Christi, & vniuersalitas.*

A
dolores omni consolatione destituti. Passi sunt Martyres, sed non consolatione caruerũt. Dicebat in angustiis suis Apostolus: Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Hoc Christus dicere non potuit, qui dixit Patri: *Deus meus, quare me dereliquisti?* qui hanc à peccatoribus aduersus semetipsum sustinuit contradictionem. Recogitate eam omnes, vobis dicit Apostolus. Quod potuit dicere, illud fuit, Sitio; pro hominum salute patior, & pati iterũ opto & sitio. Hoc quidem notãdum discrimen est inter Passionem Christi & Martyrũ: quod Martyres passi sunt, & patiuntur pro Christo; & in hoc gloria & consolatio est: Christus verò pro delictis nostris patitur, in quo tristitia & derelictio est; sed confusione contempta, hoc sibi gaudium proposuit.
B

Cur tot & tanta Christus pati voluit.
Ratio 1.
Verùm quo fine tot & tãta sustinuit? Nũc rationes accipite. Prima est, vt debitũ nostrũ solueret in sanguine suo. Dignitas pretij indicat grauitatem delicti. Infinita offensa erat, pro qua satisfactionem infinitam dare oportuit. Quis potuit? Filius Dei.

2.
Secunda est, vt Pater nobis filium suum donãdo, & exponendo morti, nobis etiam cætera omnia simul cum eo donaret, sanguinem, vitam, merita & labores, Cœlum cum terra, gloriam cum gratia. Si enim quem summè diligit, nobis donauit filium, & in talem vsum, quomodo quæso non dabit cætera, sed iã nõ donauit? Ita enim argumẽtatur & cõcludit Apost. dicens: Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?
C
Rom. 8.

3.
Tertia est ad exemplum & imitationem, vt sicut pro peccatis mortuus est, ita & nos moriamur peccatis, illa Cruci affigẽtes, & non amplius committamus. Itaque ait Apost. Hoc sentite in vobis quod & in Christo IESV; sentite efficaciã mortis eius. Sentimus autem illam in nobis, si peccatum in nobis percipimus mori. Sic Rom. 6. Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? hoc scientes, hoc sentientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltrà nõ seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Ita igitur & vos existimate, (& sentite) vos mortuos quidẽ esse peccato, viuẽtes autẽ Deo in Christo IESV Domino nostro. Sẽtite item virtutem Crucis Christi. Nã qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis.
Phil. 2.
Rom. 6.
D
Gal. 5.

Ecce ad quale exemplum & imitationem Christus mortuus & passus est. Quomodo dicit Apost. Petrus: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplũ, vt sequamini vestigia eius, in hoc enim vocati estis. Quodnam quæso nobis in Cruce reliquit exemplum? Humilitatis, qui cùm Dei filius esset, cum latronibus Cruci affixus est. Obedientiæ vsque ad mortem, illam autem mortem Crucis. Patientiæ, cùm iniustè à peccatoribus pro eorum peccatis patitur. Denique charitatis, moriendo pro inimicis ipsis & persequentibus. Hæc sunt quæ nobis imitanda proponuntur.
1. Pet. 2.
Exẽpla virtutum Christi in Cruce.
E

4.
Quarta est, vt eo amplius nostra peccata detestemur, & simul diuinæ misericordiæ confidamus, ac tandẽ hoc vnum Apostoli discamus, scire IESVM Christum, & hunc crucifixum. Nã, vt dicit deuotus imitator Christi, plus te consolabitur solus IESVS in meditatione suæ Passionis, quàm totus mundus in suis honoribus & diuitiis. Nunc ergo dicamus illud Apost. Absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi, per quẽ mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Christo cõfixus sum Cruci. Mihi viuere Christus est, mori lucrũ. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei,* &c.
Johannes Gessen.
Gal. 6. & 2.

DOMINICA PALMARVM.

DE TRIVMPHO PASSIONIS.

Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. Matth. 21.

Impletum est tempus, pœnitemini, & credite Euangelio. Marc. 1.

NEMO triumphat in morte, eiusmodi gloria solùm debebatur Christo in morte sua. Qui ab hoste occiditur, ab illo vincitur: vnde solùm viuo de prælio reuertenti dantur honores, cùm triumphans victis hostibus superest. Dei filius leges humanas transcendit, in morte triumphans de mortis principe. Lex mundi ista est, vt sit post victoriam triũphus: hic autẽ præcedit in Christo triũphus victoriã. Debet hostes morte sua vincere, propterea hodie ante mortem, ante victoriam recipit gloriã & triumphum. Intrat Ierosolymã, sed maiestate refulgens. Qui præibant, & sequebantur, clamabant dicentes: *Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.* Ille transitorius honos non poterat post mortẽ reddi Christo ob gloriã resurrectionis. Quare meritò illi redditur ante mortẽ. Sic deuota Magdalena diuinitus inspirata, corpus Christi adhuc viuentis præuenit vngere in sepulturam, quia nimirum minimè illud eo tempore vngere posset propter resurrectionem statim futuram, & quæ tale pietatis opus præuenire debebat. Ita dico, hodie facit populus qui triumphãtem de morte Christum eo præuenit honore, quem ei minimè dare poterat post victoriam, ob statum gloriæ, quem resurgẽdo assequuturus erat. In Passione igitur Christi canitur triũphus, quia dũ patitur, clarificatur; dũ moritur, vincit, & gloria coronatur. Heb. 2. dicit Apost. Eum qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus IESVM, propter passionẽ mortis gloria & honore coronatum. Decebat enim eum propter quẽ omnia, & per quem omnia, auctorẽ salutis per passionem cõsummare. Quid cõsummare? omnia. Ecce in Passione, Christi gloria. Passio Christi, ratio fuit ipsius hodierni triũphi. Statim atq; Iudas egressus est ad tradendum Dominum, ipse dixit; Nunc clarificatus est filius hominis: & cùm ad mortem properat, dicit: Pater clarifica me. Quid dicis, inquit S. Chrysost. ad Crucẽ duceris cum latronibus, & hoc gloriã appellas? Ita, & meritò gloriã existimo, quia pro dilectis patior. Hinc est quod quoties apud Ioh. de Cruce sua loquitur, toties exaltationẽ appellat. c. 3. Sicut Moyses exaltauit serpentẽ in deserto, ita oportet exaltari filiũ hominis. c. 8. Cùm exaltaueritis filiũ hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. & c. 12. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hodie trahit, agnitus per Passionem Crucis, filius Dei. Dicunt omnes; *Osanna filio Dauid,* &c. Ecce quomodo in Passione sua gloriã inuenit, & in morte triumphũ, qui per eam nos redemit. Propterea etiã, & quidem cũ mysterio, Passioni suæ solemnitatem Paschæ elegit, quando omnes Hierusalem conueniebant, vt tunc ab omnibus in illo throno gloriæ suæ, videlicet Crucis, agnosceretur & conspiceretur. Vnde etiam mulieribus eum plangentibus asportantem illam, dixit quasi eas redarguens: Nolite flere super me. Quare? quia certè talis commiseratio, contumelia illi erat, qui lætus Crucem deferebat tanquam

Quare ante mortem triumphat Christus.
Marc. 14.
Heb. 2.
Iohan. 13. & 17.
S. Chrysost.
Crux exaltatio Christi.
Ioh. 3. 8. & 12.
Cur Christus elegit solemnitatem Paschæ suæ Passioni.

tanquam sceptrum gloriæ & majestatis suæ. Ita S. Leo hæc verba explicans. Istum planctum, inquit, Dominus IESVS dedignatur impendi, quia nō decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriā. Et docens nullam pro se flendi esse rationem, indicit pœnitentiam, denunciando vindictam, cùm ait; Super vos ipsas flete, & super filios vestros. *Impletum est tempus, pœnitemini*, &c.

A

S. Leo Ser. 10. de Pass.

Luc. 23.

Igitur quod decet Passionem Christi, nō luctus est, sed triumphus; non lamenta, sed acclamationes illæ, quibus à populo recipitur qui præcedit, & sequitur, dicens; *Osanna filio Dauid, benedictus*, &c. Mos veterū erat ex S. Isid. lib. Etymolog. vt reuertenti cum victoria de prælio, & triūphanti, ciues occurrerent triplici honore eū excepturi, submissionis, exultationis, & laudis. Vnde ab his tribus nomen habet triumphus, quod gloriam & splendorem dicit eius, qui pro merito, hoc triplici honore recipiebatur à populo. Eiusmodi autem est ille hodiernus triplex honor, qui à turbis exhibetur Christo intrāti Ierosolymā cum gloria & triūpho. Primus honos fuit submissionis, cùm statuunt vestimenta sua in via. Secundus exultationis, cùm ramos de arboribus cædunt, & in via sternunt. Tertius laudis, cùm clamant; *Osanna filio Dauid*, &c.

S. Isidor. lib. Etymolog. *Triplex honor triumphantis.*

B

Ordo huius triūphi in Euangelio habetur. Cùm appropinquasset IESVS Ierosolymis, & misisset veniens Bethphage ad montem Oliueti, duos discipulos in Castellum proximum, vt adducerent illi asinam, & pullum cum ea solutum, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem. Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filiū subiugalis. Euntes fecerunt sicut præceperat illis, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba (ecce ordo triumphi,) statuerunt vestimenta sua in via. (submissionis honor est hic.) Alij autē cædebāt ramos de arboribus, & sternebant in via. (exultationis honor est hic.) Turbæ autem quæ præcedebāt, & quæ sequebātur, clamabant dicētes; Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini: Osanna in altissimis. (hic est honor laudis.) Vt appareat quomodo triūphat, qui hoc triplici honore hodie coruscat.

C

Zach. 9.

Christus triumphans triplici honore coruscat.

Verùm quod in hoc tam solemni ingressu maximè prætendit ostendere, est, ipsum mundi Redēptorem esse, ad hoc fuisse missum à Patre, & ob hoc die proxima Veneris moriturū in Cruce pro nostra, omniúmq; salute. Propterea discipulos misit soluere asinā & pullū; propterea sedit super illos; propterea denique recepit acclamationes populi.

D

Mysteria Redemptionis in illo triumpho.

Primò, in hoc quod discipulos misit vt illa animalia soluerent, & adducerent, futuram illorū missionem ostēdebat post Resurrectionem in vniuersum mundum; vt captiuos sub iugo peccati soluerent, & ad lumen veritatis adducerent. *Ite, prædicate: Quorum remiseritis peccata, remittentur*, &c.

Secundò, in hoc quod sedit super asinā & pullum in hoc triumpho, venisse ostendebat ad satisfaciēdum pro omnibus, Iudæo & Gentili, qui ante & post Incarnationem fuerunt, eámque ob causam carnem nostrā induisse, quæ è sublimi honoris statu in similitudinem iumentorum deuenerat, sicut Psaltes dixit: Homo cùm in honore esset, non intellexit, cōparatus est iumentis, &c. Propterea igitur ad demonstrandum hoc mysterium, super asinā sedit & pullum. Præterea veniebat, vt in patientia dolores nostros & peccata perferret: vnde quod significat patientiam, accepit. Sic olim laturus mundo legem timoris, descēdit in montē qui fumabat,

E

cum tonitru & fulgure. Legē verò gratiæ daturus in die Pētecostes, in cœnaculū Sion descēdit in linguis igneis, & spiritu vehemēti, significās his mysteriis & figuris aduētus sui rationem & effectum.

Sed quomodo tandem animalia ista huic tanto triumpho conuenire poterunt? An non est ille, qui iuxta Psalmistam, sedet super Cherubim, & cuius currus decem millibus multiplex? Quomodo ergo super asinam & pullum hodie in triumpho sedet? Hoc certè non caret mysterio. Audite. Isaac suum immolaturus Abraham, asinū sterni iubet, ipsúmq; ducit cum Isaac, super quem lignum postea imponitur holocausti, & non ascendit asinus ad mōtem immolationis cum Isaac, sed remanet ad pedem & expectat reditum. Ita dico, hodie Christus victima illa futurus, & sacrificium Isaac in seipso impleturus, iussit asinam solui, adduci ad se, & illa sternitur à discipulis. Cui præterea ipsum insidere fecerunt, vt demonstretur tali mysterio, quod homini peccatori verus Isaac immolādus imponitur, ipso peccatore saluo remanente & illæso. In montem Isaac ascendit, & asinus remanet ad pedem montis reditum expectans; Christus hodie immolandus ascēdit, & remanet peccator intactus. Si me quæritis, sinite hos abire. Ego ipse feram lignum holocausti & ignem, non asinus, non animal, non peccator, sed ipse gloriosum meum & triumphantem reditum expectabit in die Resurrectionis meæ.

Quomodo conueniunt animalia Christi triūpho.

Gen. 22. *Isaac figura mysterij triūphi Christi.*

Et certè non poterat oculos conijcere in illos ramos de arboribus excisos & ante se positos, quin statim recordaretur huius sacrificij Isaac, cuius veritas & impletio ad ipsum pertinebat. Legitur enim quod Abraham concidit ligna in holocaustum, & imposuit super Isaac filium suum; & postea alligatum posuit eum in altare super hanc struem lignorum. Ecce mysterium quod nunc obiicitur oculis & conspectibus Christi, dum illi rami sternūtur in via, eius indicia Crucis & immolationis: nunc autē triūphi & gloriæ insignia. Nostra enim salus, Christi est triūphus & gloria. Dicite in nationibus quia Dominus regnauit. Quomodo & vnde regnauit? à ligno. Dicite igitur filiæ Sion; Iubila & exulta satis: Ecce Rex tuus tibi venit māsuetus & Saluator; tibi venit, ô Sion, & non sibi. Tibi, quia propter salutem tuam venit; & sic sibi, quia salutem nostram gloriam suam fecit. Hæc ratio est cur, ô Sion, occurris illi, & dicis; *Osanna filio Dauid, benedictus qui venit*, &c.

Salus nostra, gloria Christi, vnde nobis venisse dicatur.

Vnde tertiò, in eo quod his acclamationibus recipitur; *Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* Osanna, quod significat, viuat Rex, salua nos Redemptor. Omnis lingua confitetur, quia Dominus IESVS in gloria est Dei Patris, & quia ipse est Saluator mundi, per quem fideles & Sancti vocabuntur filij & benedicti Dei. In cuius spei & veritatis fidem clamant, *benedictus qui venit*, &c.

Quid significat Osanna.

Huius mysterij Iacob figura est, qui indutus vestibus fratris sui Esau, obtinuit benedictionē Isaac patris pro se & posteris. Ita Christus peccatoris vestibus indutus, benedictionis plenitudinē à Patre accepit, in quo propterea sunt omnes benedicti, electi, vocati, sanctificati, & glorificati. S. Paul. optimè nouit istud dicens: Benedictus Deus & Pater Domini nostri IESV Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo, id est, per Christum. In quo habemus redemptionē, &c.

Christus benedictionem Patris nobis promeruit. Figura. Gen. 27. Eph. 1.

Quæ cùm ita sint, nunc occurramus omnes illi obuiā, & clamemus; *Osanna, benedictus*, &c. Peccatores primùm occurrite illi, pro quibus maximè venit: nō enim venit vocare iustos, sed peccatores.

Ante ipsum præcedite in signū triūphi: vestimenta vestra deponite. Sed quid dico? scindite corda vestra, & non vestimenta. Impletum est tempus, pœnitemini, & dicite: Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sic vt in die hac misericordiæ & triumphi, honestè ambulemus. Honestè autem coram Deo ambulamus, si ante eum corda nostra, & non vestimenta sternamus: si sic occurramus vt procidamus, & fuso corde veniā petamus. In Regum historia, Semei filius Gera, post mortem Absalon, occurrens Dauid, quem olim offenderat, proiiciendo in eum lapides & maledicendo, dixit prostratus coram eo: Ne memineris Domine mi, iniuriarum serui tui, in die qua egressus es Domine mi Rex de Hierusalem: neque ponas in corde tuo. Agnosco enim seruus tuus peccatū meum; idcirco hodie descendi in occursum Domini mei Regis. Sic hodie peccatum agnoscentes, & veniam petentes, in occursum Christi descendamus, dicamúsque; *Osanna filio Dauid*, &c.

Ioël 2. Rom. 13. 2. Reg. 19.

Et vos iusti occurrite illi. Filiæ Sion egredimini, & videte Regē Salomonē in diademate quo coronauit eū mater sua. Exulta Sion: Ecce Rex tuus tibi venit mansuetus & Saluator; benignus & misericors est. Ideo vult honorari oliuarum ramis, vult vt illi dētur misericordiæ opera. Saluator est, ideóq; etiam vult vt gestemus palmas in manibus, & sic eamus obuiam illi. Palma datur victoribus: & qui sequuntur Christum, semper pugnare oportet & vincere. Legitur in Apocal. quod Sancti qui in Cœlo sunt, palmas tenent in manibus: quia delicatos & ignauos secū non admittit Christus. Omnes eius sectatores vicerunt Regna, & sic adepti sunt repromissiones; omnes tenent palmas, & clamant omnes, Osanna: id est, in virtute eius qui venit in nomine Domini, vicisse fatentur.

Cant. 3. *Sectatores Christi victores esse oportet.* Apoc. 7.

Sciendum autem hic est, continuam pugnā esse dum viuimus, nec vllum momentū esse, in quo non sit necesse clamare ad Dominū pro victoria. ***Hi in curribus, & hi in equis***, aiebat Dauid, ***nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus***. Sed quid præterea faciēdum est? Statuere oportet vestimēta sua corā Christo, corpora sua in sacrificio offerre, & exponere morti, antequā vinci patiamur à peccato. Sacrificiū nostrum istud est, non differēdum, sed maturandū. Multum Deo placet prompta conuersio; sicut è contra valde illi displicet oblatum obsequium.

Hac de re egregiam animaduersionem facit S. Ambr. rationem expendens cur Isaac in sacrificio liberatus est à morte, non verò filia Iephte. Quia, inquit, vbi Abraham audiuit diuinitatis oraculum, non distulit sacrificium, sed maturauit obsequium, non doluit, nec consuluit affectum offerendi, videlicet Isaac. Isaac item non fleuit cùm ligaretur; nō dilationem poposcit cùm offerretur. Ecce ratio, inquit S. Ambr. cur Isaac seruatus est: non item filia Iephte. Quare? quia Iephte doluit, & sacrificium distulit; filia fleuit, & dilationem petiit, postquam sciuit Deo se esse offerēdam. Pater vt vidit, pro voto dixit illi: Heu! filia decepisti me, & ipsa decepta es. Et illa: Hoc solùm pater mihi præsta quod deprecor, dimitte me, vt duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis. Et dimisit eam. Ecce vnde morte punita est, nec seruata fuit, quia illa hanc dilationē petiit, & pater sacrificium distulit. Præsens & voluntariū Deus vult sacrificium; obsequium diligens, non dilatum. *Venit* IESVS *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, pœnitemini*, &c. Citò igitur & promptè conuertamur ad

S. Ambr. lib. 3. de Virginibus. *Conuersio maturanda est.*

A Dominum, & consideremus quàm magnus sit ille qui hodie ingreditur ad saluandas gentes. Magnus, quia Altissimi est filius, quia in cunctis est magnus, & magnus, quia vbique est diffusus. Cœlum replet & abyssum, ait Origenes, ipsúmque mundum opere suo impletum considera. Dominus virtutū ipse est, Rex gloriæ, omnes occurrite illi: ***Venit prædicans regnum Dei, & dicens, pœnitemini***. Occurrite illi, & dicite, ***benedictus qui venit in nomine Domini***.

PASSIO IESV CHRISTI Domini nostri.

DE CAVSIS EGRESSVS Christi in hortum ante Passionem.

B

Egressus est IESVS *cum discipulis suis trans Torrentē Cedron, vbi erat hortus.* Ioh. 18.

MAIVS vitæ nostræ pretium & pignus, mors fuit IESV Christi. Deus Num. 14. præcepit Moysi vt serpentem erigeret in altum, vt qui percussus aspiceret in eum sanaretur. Aspectus iste imperatus nihil aliud Israëlitas docebat, quàm vt ob oculos salutis suæ remedium haberent, & in illud sæpius se conuerterent. Hoc verò mysterium alterius maioris & præstantioris instructiuum erat. Scitis quodnam est signum vestræ salutis? Christus C à terra exaltatus. Memores estote conuersionis vestræ ad ipsum. Conuertimini ad me, dicit ex Ioële, in toto corde vestro. Conuertimini, & ego cōuertar ad vos, ex Zach. Aspectus noster cōuertit Christum ad nos. Conuertamur, & adhæreamus, adhæreamus ei, qui pro nobis hodie semetipsum tradit. Egressus est IESVS: Nuper ingressus est Ierosolymam cum triumpho, & cum ipso triumphantes ingressi sumus. Hodie egressus est IESVS cum discipulis suis, ait S. Ioh. & nos hodie cum ipso tristem egressum nostrum facere incipiamus.

Num. 14. *Erectio serpentis figura Christi.* Ioël. 2. Zach. 1.

Heu! beneuolentia hesterna populi versa est in odium: acclamatio vitæ & laudis, in clamorē mortis & improperij. Rumor in vrbe est, migremus D hinc. Egressus est IESVS: exeamus & nos extra castra improperium Christi portantes. Vacandum lacrymis, & tota hac hebdomada de morte Domini dolendum. Quæ retrò sunt obliuiscens, hodie ad ea quæ anteriora sunt, cum Apost. me extendo; & vos omnes pariter cum eodem Apost. deponentes hodie omne pondus & peccatum circumstās, currite aspicientes in authorem fidei & consummatorem IESVM. Hodie nobis omnibus vnum tantùm scire expedit IESVM Christum, & hunc crucifixū. Ille Apostolus raptus vsque ad tertium Cœlum, vbi tot arcana audierat, quasi omnium oblitus, hoc vnum tantùm se scire prædicat, adeóq; in hac eminenti gloriatur scientia, vt Christo totum confixū E se Cruci dicat. Hoc sentite in vobis omnes, & cum Spōsa dicite: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Inter vbera mea commorabitur. Iam memoria amaræ Passionis Domini mei continuò versabitur apud me, non velut hospitis transeuntis, sed vt incolæ permanentis.

Phil. 3. Heb. 12.

Tale est desiderium nostri Sponsi sanguinū, dicentis: *Pone me vt signaculum super cor tuum.* Vbi S. Bern. Apta sit memoria recipere ingressum sigilli, i. Crucifixi IESV Christi Domini nostri, vt semper eum in memoria habeamus. Sigillum dum ceræ imprimitur, dat illi figuram quæ in ipso est. Ita, dicit S. Bernardus, cor aptum est vt cera, excipere signaculum Christi. Crux signaculum est referens imaginem

Cant. 8. S. Bern. de Pass.

Thren. 3. imaginem Crucifixi:& cor noſtrum aptum eſt recipere hoc ſignaculum. Apud Ierem. Recordare paupertatis meæ, abſynthij, & fellis. Recordare, ne conqueratur, & dicat tibi: Obliuioni datus ſum tanquam mortuus à corde. O vos omnes attendite ſi eſt dolor, ſicut dolor eius. Egreſſus eſt IESVS: egrediamur & nos, vt attendamus; & vt attendentes promptiùs ipſum ſequamur. Clamat dum egreditur: Si quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & me ſequatur.

O infelicem Ieruſalem, de qua egreſſa eſt lux mundi! Verè impletur de illa quod olim prædixerat illi IESVS; relinquetur domus veſtra deſerta. Quod olim apud Ieremiam dixit: Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, &c. Igitur reliquit & dimiſit, & nos ſimiliter dimittamus eam. Narrat Ioſephus quod paulo ante excidium huius vrbis, vox ſæpiſſime audita eſt in Templo; Migremus hinc. Migremus nos, etenim egreſſus eſt & IESVS. Eamus omnes poſt eum, & ſimul moriamur cum illo. Egrediamur trans Torrentem Cedron.

Matt. 23. Ierem. 12.

Ioſephus l. de bello Iudaico.

Figura egreſſus Chriſti. 2. Reg. 15.

Legimus quod cùm Dauid fugeret à facie Abſalonis filij ſui ipſum perſequentis, & nudis pedibus in montem Oliuarum pergeret, Torrentem Cedron pertranſiit ſummo animi dolore & mœrore confectus. Inter cuius ſeruos qui iuxta eum ambulantes ſequebantur ipſum, quidam alienigena erat, nomine Ethai Gethæus, cui cùm diceret Rex vt abiret, ille ſtatim erga Regem affectum ſuum oſtendere voluit dicens: Viuit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris, ſiue in morte, ſiue in vita, ibi erit ſeruus tuus. Ecce hodie Chriſtus mitiſſimus Dauid, qui fugit à facie Iudæ proditoris, quem optimè Abſalon exprimere poteſt, qui ex arbore pendens interemptus eſt: egreditur cum ſuis in montem Oliuarum trans Torrentem Cedron; & nos adinſtar huius alienigenæ Ethai ſequamur eum. Veritas hodie figuram adimplet. Vnde ſi Gethæus iſte ſequutus eſt Dauid, non aliunde, quàm ex voluntate bona, & animi gratitudine obligatus, etiamque vſque ad diſpendium vitæ. Nos Chriſtiani, qui de Chriſti familia, & non aduenæ ſumus, quomodo non ſequemur ipſum hodie fugientem à facie perſequentis, & vſque ad montem Oliuarum tranſeuntem trans Torrentem Cedron, vt ibi bibere incipiat calicem Paſſionis? O mi Saluator, trahe me poſt te, & mihi concede, vt tranſacto hoc miſeriarum torrente calicis tui merear eſſe particeps. Calix iſte inebrians quàm præclarus eſt!

3. Reg. 17. Elias figura Chriſti.

Angelus dixit Eliæ: Vade, & abſcondere in Torrente Carith, qui eſt contra Iordanem, & ibi de Torrente bibes. Carith exterminium interpretatur: quod optimè Chriſto adaptatur, qui hodie egreſſus eſt trans Torrentem, de calice Paſſionis bibiturus vſque ad exterminium vitæ, eóque carens ſolatio quod huic Eliæ prophetæ ab Angelo promiſſum eſt, qui dixit illi; Coruis præcepi vt paſcant te ibi. Non ſic de Chriſto, non ſic: cui toto Paſſionis tempore omnis cibus defuit, præter eum qui erat voluntas patris. Etiam & potus omnis defuit, præter eum qui calix erat mortis. Vnde, & fortiter trans Torrentem egreſſus eſt, vt tandem veniret in altitudinem maris. Et certè tranſitus iſte Chriſti in Torrentem Cedron meos ob oculos ponit id quod Iſaias dicit: Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm. Vnde & Deus percuſſit illum, atque etiam infixit in limo profundi.

Myſteria in Torrēte Cedron.

Iſa. 53.

3. Reg. 2.

Hic recordor Salomonem olim præcepiſſe Semei, vt nec ſemel auderet pertranſire Torrentem Cedron, alioquin citò & certò ſciret ſe moriturum. Accidit autem quod ſerui eius fugerent, & ille immemor edicti Regis, ipſos perſequutus eſt vſque trans Torrentem: vnde ſtatim morte punitus eſt. Ita, ô Domine IESV, tibi eueniet, qui quærens fugitiuos ſeruos, audes hodie pertranſire Torrentem.

Verùm rurſum notate ad quid pertranſeat, vt in hortum introëat. Nouum eſt hic myſterium. Fugitiuus Adam malum in horto fecerat, & ibi ſe abſcōderat: vt eum Deus quærat, in hortum, in paradiſum voluptatis deſcendit; noſque vt eum ipſo fugitiuos quærat, Torrentem tribulationum noſtrarum tranſit. *Egreſſus eſt IESVS trans Torrentem Cedron, vbi erat hortus.* Sponſa Cant. 5. inuitat Sponſum vt deſcendat in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. Quis ille fructus? heu quàm amarus! Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte; dederunt in eſcam meam fel. Animaduertitis ergo quia non ſine myſterio in hortum ingreſſus eſt. Sic enim decebat, ait S. Cyrill. vt vbi hominum ruina cœperat, ibi eiuſdem reparatio exordium ſumeret. *Myſterii in horto.* Cyrill.

Quæſo omnia comparate inter ſe, quæ primùm in paradiſo terreſtri, & nunc hic in horto facta ſunt. In horto & paradiſo voluptatis terræ, omnium malorum initium fuit: hic autem ſalutis. In primo inuenitur Adam inobediens: in ſecundo verò Chriſtus obediens. Non mea, dicit, voluntas fiat. In primo diabolus vicit Adamum: in iſto Chriſtus vicit diabolum. In primo Adam accepit ſententiam mortis: in iſto Chriſtus fuit obediens vſque ad mortem Crucis, vt filios Adæ redimeret de morte. In primo Adam abſcondit ſe, & timet: in iſto ſecundus Adam IESVS Chriſtus ſciens quæ ventura erant ſuper ſe, ait S. Iohan. proceſſit, & dixit ad ſe venientibus; Quem quæritis? Non fugit ſecundus Adam à facie Dei, nec filius Dei à facie Iudæ proditoris, ſicut fugiebat Dauid à facie Abſalonis, quando in hortum ingreſſus eſt. Sciebat enim Iudas & locum. Non fugit, nec timet Chiſtus, qui dixit: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur: & antequam egrederetur trans Torrentem Cedron, hymnum dixit Deo patri, id eſt, lætatus eſt adinſtar Cygni, qui paulo ante mortem ſuam cantat. Gratias egit patri, qui antea dixit: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur!* Adeo igitur voluntariè offert ſe traditori. In horto diabolus ſerpente vſus eſt contra Adamum: ſic hodie vtitur in horto Iuda proditore contra Chriſtum Dominum. Sed omne damnum vertetur in caput ſerpentis. Egreſſus eſt, & lætus in hortum ingreſſus eſt, quia ibi ſalutem noſtram in medio terræ operaturus eſt: ibi mortem traditori & inſidiatori daturus, vitam nobis. Ecce conuenientia, & ratio cur Chriſtus in hortum ingreſſus eſt. Legimus quod Aſſuerus iratus contra Aman, qui parauerat crucem Mordachæo, ſurrexit de loco conuiuij, & intrauit in hortum arboribus conſitum, vt Aman perderet, & Mardochæum cum populo qui morti adiudicatus erat, liberaret. Ita hodie ſurrexit de cœna & de loco conuiuij Chriſtus, & egreſſus eſt in hortum, vt Aman perderet, & populum liberaret. Sed quis eſt ille hortus conſitus arboribus? Hortus eſt oliuarum, hortus eſt miſericordiarum, hortus Gethſemani, qui ex S. Hier. interpretatur vallis pinguedinis & olei. Ibi enim noſtrum fuit pingue ſacrificium; ibi nos omnes per filium holocauſta medullata obtulimus patri, ſicut ille dixit propheta: Holocauſta medullata offeram tibi. Nimirum quando, vt Apoſtolus dicit, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit, & ſaluos faciet nos

Comparatio inter hortum voluptatis, & oliuarum.

Eſther 7.

Pſ. 65.

DE CAVSIS TRISTITIÆ IESV Christi in horto.

IESVS *sciens omnia quæ ventura erant super se, processit & dixit eis: Quem quæritis?* Iohan. 18.

HERI IESVM Christum sequuti sumus introeüntem in hortum Gethsemani & oliuarum. Ibi manete, & vigilate cum eo ad ea quæ ventura sunt. Nolite dormire iam, aut capere fugam sicut discipuli, Dominus vobiscum respondebit pro vobis. Immoti estote, state, & dicite confidenter: Deus in medio nostri, non commouebimur. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Locus in quo sumus, tutus & sanctus est. Non ille est hortus, in quo Adam tentatus est & victus: sed ille in quo diabolus hostis superatus est. Hortus iste longè est ab alio diuersus. In horto paradisi superbia leuauit cor hominis: in horto Gethsemani humilitas exinaniuit filium Dei, cùm factus in agonia procidit in faciem suam. Ibi ira Dei prouocatur, hic lenitur. Ibi diabolus apparet, hic Angelus. Ibi serpens insidias parat homini, hic Iudas homo filio Dei. Ibi homo pretio pomi venditur, hic pretio appretiati, filij Dei pretio appretiati 30. argent. redimitur. Hic state, & quæ mox ventura sunt attendite.

S. Iohan. verbo vno comprehendit quæ fusè dixerunt cæteri, cùm dicit ille: Sciens IESVS omnia quæ ventura erant super se, (in hoc horto super se.) S. Matth. & Marc. dicunt quod cùm venisset in hortum & montem Oliuarum, assumpto secum Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit mœstus esse, & ait: Tristis est anima mea, sustinete hic, & vigilate mecum. Tunc progressus pusillum (quantum esset iactus lapidis, ait S. Luc.) procidit in faciem suam, positis genibus ter sic orans ad patrem: Pater, si possibile est, &c. cùm etiam toties ad discipulos dormientes venisset. Addit S. Luc. quod inter orandum apparuit illi Angelus de Cœlo, confortans eum, & quod statim factus est in agonia prolixiùs orans, & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. *Agonia Christi.*

Ecce quæ inter ipsum & Deum patrem acta sunt, antequam in manus peccatorum veneris. Tristatur, in agonia confortatur, ter orat, & vsque ad sanguinem sudat. Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum. O vos omnes qui transitis per viam, attendite. Sed ô Angeli respicite de Cœlo omnes: non vnus appareat, sed descendant omnes, & lætitiam suam in nostra terra tristem considerent. Tristis est anima mea vsque ad mortem, & mortem Crucis.

Quid ô bone IESV, qui nuper intrepidus ad mortem ibas, ignauos animabas, & Petrum te ire nolentem reprehendebas; quid igitur nunc ais? Vnde iste pauor, & mœstitia tanta? Nónne Deus fortis es, Dominus Sabaoth? & qui creaturis imperas nónne tu solus es? Paruulus Dauid adhuc imbellis cum sola funda, & quinque limpidissimis lapidibus de Torrente, processit aduersum Philisthæum Gigantem armatum gladio, hasta, & clypeo, eique caput & vitam eripuit, non in sua, sed in tua, Domine, virtute & potentia, & quia in tuo nomine confidebat. Quomodo ergo tu in hoc loco certaminis trepidas & contristaris? Quod si timeas in hostes tuos innoxias manus inijcere, & lauare eas sanguine, patrem tuum ora qui exhibebit tibi plusquàm duodecim legiones Angelorum. Sed heu! Domine, non tua tristitia ista est, nostra est, qui nostra es circumdatus infirmitate. *1. Reg. 17.*

Iam autem rationes ostendamus cur tristitia tanta impleuit animam eius. Prima est S. Thom. Nimirum vt dolore isto nobis contritionem mereretur, & ex attritis efficeret corde contritos, quod minimè ex nobis habere poteramus. Christus, ait ille S. Doctor, non solùm doluit pro amissione vitæ temporalis, sed etiam pro peccatis omnium. Qui dolor in maiori sapientia, & charitate processit, ex quibus dolor contritionis augetur, iuxta illud Isa. verè languores nostros ipse tulit, Sicque voluit genus humanum liberare, non solùm potestate, sed etiam iustitia. Hæc fuit ratio tristitiæ & doloris, vt in nobis ex iustitia augeretur contritio cordis. Notandum enim est, non qualemcunque pœnitentiam sufficere ad expianda peccata. Nam & Esau pœnituit. Gen. 27. Item Saül. 1. Reg. 15. & alij multi, quibus hoc minimè profuit. Illa verò vtilis est pœnitentia, & vtilis tristitia, quæ secundum Deum est, secundum tristitiam Christi, quæ contritionem cordis operatur in salutem stabilem. *Causa tristitiæ Christi. S. Tho. 3. p. q. 46. art. 6. 1. Non enim pœnitentia sufficit. Gen. 27. 1. Reg. 15. Vtilis pœnitentia. 2. Cor. 7.*

Secunda est Sancti Ambros. in Luc. Suscepit, ait, tristitiam meam, vt mihi suam largiretur lætitiam. Item S. Bern. Serm. de S. Andrea, & de Pass. Agnosco, inquit, in duce belli pusillanimorum trepidationem. Agnosco ægroti vocem in medico; in medico qui ex dolore & tristitia plangit se. Ita etiam S. Leo, vbi loquitur de Pass. Nostro, inquit, pauore trepidat, vt susceptionem nostræ infirmitatis indueret, & nostram inconstantiam suæ virtutis soliditate vestiret. *2. S. Amb. l. 10. in Luc. S. Bern. Ser. de Sancto Andrea, & de Pass. S. Leo Serm. 1. de Passione.*

Sic apud profanos legimus, quod Achilles galeam & thoracem deponens, Patroclo imposuit, vt ad bellum audaciorem redderet. Sic quantum ad nos fecit Christus, qui nobis communicauit vim suam, arma virtutis suæ, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi; exuit se, exinaniuit se, vt nos fortitudinem suam & diuinitatem indueret. Ad hoc reduci potest illud Heb. 4. *Non habemus Pontificem qui non possit compati.* Sciebat suos debere multa pati, vt B. Virginem, tot Martyres, & Confessores, propter se: vnde primò illis voluit compati, vt veriùs dicat quàm Apostolus Paul. Quis infirmatur, & ego non infirmor? *Heb. 4. 2. Cor. 11.*

Tertia causa eiusdem est Sancti Ambros. & S. Cyrilli in Ioh. Videlicet vt ostenderet Christus se verum hominem esse, & passibilem. Ea enim ratione qua verbum Dei est, & natura ipsa vita, nemo ambigit, quod nullo modo mortẽ formidauit. Caro autem vt factum est, permisit carni vt sua pateretur, & ideo vt verè homo imminentem mortem, atque in ianuis, perhorrescit. *3. S. Cyril l. 4. in Iohan.*

Quarta assignatur ex his, rursus ex Sancto Thoma, quæ attribuitur supremæ Dei sapientiæ, & non pusillanimitati, cùm scilicet ex notitia pretij vitæ inæstimabilis quam amittebat, dolorem & tristitiam concepit. Hæc summopere ponderanda est ratio. Vita corporalis Christi, inquit S. ille Doctor, tantæ dignitatis fuit, & præcipuè propter diuinitatem vnitam, quod de amissione eius, etiam ad horam, magis esset dolendum, quàm de amissione vitæ cuiuslibet per quantumcunque tempus. Quæ enim vita *4. S. Th. 3. p. q. 46. art. 6.*

vita melior diuina, & quæ diligenda magis? Dedi, ait per Ieremiam, pro te dilectam animam meam in manus inimicorum eius. Adeò vt mors illi acciderit, & amissio vitæ, vsque ad destructionem Incarnationis. hoc notate.

5. Verùm communem adhuc vnam, & quintam huius tristitiæ rationem afferamus. Eam nimirum, qua in præscientia sua videbat profuturam paucis eius tam acerbam Passionem, & multos pro nihilo habituros tam inæstimabile pretium sanguinis. Vnde illud Psalmistæ dicere potuit: Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendero in mortem? Sicut aqua effusus sum. Scitis nihil esse vilius aqua effusa in terram, & qua sordes lotæ fuerunt: sic dicit de suo sanguine Christus, quod velut aqua sit effusus sanguis, quo animę nostrę suis sordibus purgatæ sunt. Ecce ratio doloris. (Ps. 29.)

Item, patrimonium amplum magno nobis pretio acquirit, pretio scilicet sanguinis; & nos prodigos fore præuidet. Quis dolor, obsecro, inest patri qui relinquit substantiam suam hæredi, quam videt & scit breui dissipaturum? Hoc optimè sapiens Ecclesiastes repræsentat, cùm dicit in persona eius qui in tali afflictione est: Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub Sole studiosissimè laboraui, habiturus hæredem post me, quem ignoro, vtrùm sapiens, an stultus futurus sit. Item, nos illo pretio magno redimit, vt Isa. dicit: Gratis venundati estis, pro nihilo, & sine argento redimemini, quia pretio sanguinis. Vnde Paul. Empti estis pretio magno. Hoc pretium ponderare voluit S. Petrus dicens; Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine Agni. Paulus verò ponderare non potuit, cùm dixit: Empti estis pretio magno. Verè illud est magnum quod comprehendi non potest, nec dici; magnum quod ex tota liberalitate Dei emanauit & prodiit. Denique magnum, quia etiam in nobis reliquit pondus infiniti valoris. Et hoc minimè in nobis attendimus? Ecce quidem motiua, rationes, & causæ tantæ tristitiæ Christi in horto. (Eccles. 2. Isa. 52. 1. Cor. 6. 1. Pet. 1.)

Sexta & vltima causa tristitiæ Christi. Sed his vltimam causam addamus, quæ sexta est. Quoniam hic coram Deo patre personam gerebat peccatoris, & talem aduersus semetipsum sustinebat contradictionem. Quoniam omnia super se peccata conglobata sentiebat, & sic omnia simul tormenta pro ipsis, ludibria, flagella, spinas & crucem, & quæ non à longè, sed vt proxima & iam iam imminentia videbat, gladiúmque iræ patris iam iam in se directum: vnde & ipsum orat positis genibus, prolixiúsque orat in agonia factus. O inauditam tristitiam! quæ etiam potens est sudorem sanguinis exprimere decurrentis super terram. Heu! quænam est huius præcipua causa doloris? tuum est, ô homo, peccatum, tua iniquitas, tuum scelus & flagitium. O detestabilem causam! Peccatores nunc currite ad arma, currite non ad gladium Petri, sed ad gladium spiritus, vt peccata & nequitias spirituales excidatis. Charissimi, Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini, id est, sicut Christus passione suæ carnis, peccati regnum euertit: ita & vos aduersus peccatum arma sumite spiritus, considerantes quanta sit eius deformitas, quæ non potuit expiari nisi sanguine Christi. Sumite arma pœnitentiæ, sudorem colligite, aquam & sanguinem IESV Christi: lauamini, & mundi estote.

A

DE ORATIONE CHRISTI, confortatione ab Angelo, & captura in horto.

Sciens IESVS *omnia quæ ventura erant super se, processit & dixit; Quem quæritis?* Iohan. 18.

CHRISTVS IESVS patitur agoniam, sudatque sanguinem pondere peccatorum nostrorum onustus. Primus Adam de terra terrenus, propter inobedientiam suam iubetur vesci in sudore vultus sui pane suo. Noster verò secundus Adam de Cœlo cœlestis, ad reparationem obedientiæ iubetur vesci hoc pane, facere voluntatem patris, & hominum operari salutem in sudore vultus sui & totius corporis, sudore non aquæ solùm, sed sanguinis. (B)

Huius sanguinei sudoris figura pulchra est Gen. 49. Cùm vocasset moriens Iacob filios suos, ait illis: Congregamini vt annũciẽ vobis quæ ventura sunt in diebus nouissimis. His dictis, conuertens se ad Iudam, qui Christum referebat ortum de tribu Iuda; ait de illo: Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Habemus autem ex Luc. quod vestimentum Christi præ nimio sudore sanguinis madefactum est. O Domine, quàm verè istud impletum est in te; In sudore vultus tui, sed & totius tui corporis vesceris pane tuo! Quis est iste tuus panis? vtique voluntas tui patris. Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. Ecce panis, & cum pane sudor vultus sanguineus. Prolixiùs orans, & animam suam confortans pro via grandi quæ illi adhuc restabat, pane obedientiæ, in agonia factus est. (*Sudoris sanguinei figura.* Gen. 49. — C)

Huius certaminis in oratione, omnes Patres communiter duas rationes seu principia afferunt, partem videlicet inferiorem hominis, & superiorem; vt verus hic agnoscatur homo refugiens mortẽ pro infirmitate naturę ab illo susceptę, iuxta quod Paulus ait, quod debuit per omnia fratribus assimilari, tentatus per omnia absque peccato: appetens verò pro rationis conditione, quæ per omnia vult Deo obedire, sicut dixit; *Non mea, sed tua voluntas fiat.* (D)

Verùm certaminis huius primam causam afferamus. Cõtradictio erat apparere ibi coram patre in forma serui, & similitudine peccatoris, ferre peccata nostra, soluere pro ipsis & pœnas sustinere. *Quæ non rapui tunc exsoluebam.* Ps. 68. Vnde videns se sic onustum peccatis nostris, procidit in faciem suam, quasi comparens pro nobis coram throno gloriæ patris, & summam illi reuerentiam exhibens, ac si reus quispiam coram Iudice suo statueretur. Ecce contradictio & causa certaminis. Vnde Apost. nobis sic proponit dicens: Recogitate eum qui talem aduersus semetipsum sustinuit à peccatoribus contradictionem. Recogitate eum: quasi dicat, non leuiter, sed iterum, atque iterum recolite, vt numquam de memoria excidat. Vt enim gutta aquæ cauat lapidem sæpius cadendo: sic vult Apostolus vt frequenti meditatione & consideratione Passionis Christi, tandem comprehẽdamus eum qui Deus est, & talem aduersus semetipsum sustinuit cõtradictionem. Talem, ait, non explicans qualem, quia nec mente concipi, nec verbis potest exprimi, vtpote quæ vniuersalis fuit. Ab initio, in suis velut in membris sustinuit: in Abele sustinuit à Cain: (*Forma serui in Christo causa certaminis.* — E — Heb. 12. — *Quomodo vniuersaliter contradictionem Christus sustinuit.*)

in Noë à filio Cham: in Ioseph à fratribus, &c. Vnde etiam dicitur Apocal. 15. Agnus occisus ab origine mundi. Quoad vsque tandem hodie aduersus semetipsum in seipso à peccatoribus sustinuit, id est, non solùm ab his quæ extra sunt, sed etiam quæ intra sunt, ex angustia spiritus, & commiseratione ipsa qua nobis peccatoribus compati dignatus est. S. Bonau. hoc confirmat, dicens maiorem in illo angustiam & tristitiam fuisse ex compassione, qua propter peccatá nostra affectus, atque afflictus est, quàm ex multitudine tormentorũ quæ propter illa passus est.

S. Bon. in 3. dist. 15. q. 2. *Maior Christi tristitia ex compassione, quàm ex Passione.*

Doctrinæ cuius triplex est ratio. Prima est, quia dolor corporis mediatè tantùm & consequenter animum feriebat, videlicet ex vnione: compassio autem immediatè, vtpote quæ ortum suum à spiritu habet. Secunda, quia tantùm pro numero carnificum, cruciatus in corpore pertulit: in anima verò tot excruciantes carnifices habuit, quot erant & futura sunt peccata in mundo. Tertia, quia ipsa nostra peccata obiecta erant compassionis eius in anima, pœnæ verò sunt in corpore: vnde plus dolebat de illis quàm de istis, sicut detestabiliora sunt mala culpæ quàm pœnæ. Vnde factum est quod maluit animam suam à corpore separari per pœnam, quàm nos à Deo separari per culpam. Quare S. Ambros. in Luc. sic ait. Doles Domine, & verè doles, non tua vulnera, sed nostra scelera. Et in hoc aduersus semetipsum talem à peccatoribus sustinuit coram Patre contradictionem, cùm dixit: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. verumtamen non mea, sed voluntas tua fiat.

S. Ambros. in Luc. 22.

Hoc autem docemur exemplo, quatenus in Dei obsequio, & obseruatione mandatorum eius omnem difficultatem & contradictionem transeamus, vt Dei in omnibus impleatur voluntas. Quæ est Dei voluntas? vt non peccemus, vt mandata itruemus, vt per leue & momentaneum tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus acquiramus: denique vt consolationum Christi in gloria, sicut passionum in terra consortes simus. Si enim compatimur, & conregnabimus. Deus filij sui sectatores non deserit, sed illos sæpius de Cœlo respicit, & confortat vt filium.

Rom. 8.

Et ecce, ait S. Luc. Angelus apparuit confortans eum. Quis ille Angelus? Multi dicunt cum S. Amb. in Luc. fuisse Gabrielem, qui dicitur fortitudo Dei: vnde confortans eum. Ideo quoque ipse ad Virginem missus est, vt brachij Dei opus ei annunciaret, & simul confortaret dum ipsa in sermone eius turbata est. Sic antea propter hoc mysterium ad Danielem fuerat missus, & ad Zachariam patrem præcursoris. Sed quomodo illi apparuit? confortans vtique, quia in agonia & tristitia mortis erat. O humilitatem Christi! Dominus gloriæ à seruis consolationem accipit: lætitia Angelorum ab Angelo confortatur: Dei filius vt homo apparet, factus in agonia, paulo minor ab Angelis.

Confortatur ab Angelo.

S. Hieron. & S. Chrysost. hunc Angelum dicunt confortasse desolatam animæ Christi inferiorem partem: eoque apparuisse fine vt consolaretur ipsum. O humilitatem Christi! cui Deus ad consolationem eius Angelum seruum deputauit. O pater æterne, tuos per temetipsum consolaris: & seruum vt tuum consoletur filium, mittis & committis. Desolatio ista est, non consolatio.

Verùm quænam verba consolatoria erant? Illa fortè, aut similia, quæ Angelus dixit Eliæ; Surge, bibe Domine calicem Passionis: grandis enim tibi adhuc restat via. Illa fortè, Domine memento te dixisse; Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita oportet exaltari filium hominis. Te dixisse, habeo baptismo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur? nunc perfice. Domine bibe calicem istum, non quod princeps mundi huius habeat in te quidquam, sed vt cognoscat mundus quia diligis patrem, & sicut mandatum dedit tibi pater, sic facis. Tale est decretum. Si hunc non biberis, bibent omnes calicem æternæ damnationis. Exaudiat te Dominus in die tribulationis, memor sit omnis sacrificij tui; non mea, sed tua voluntas fiat: tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet.

Verba consolatoria Angeli.

Ecce qua consolatione confortatus est; tali autem, vt dolorem non minuerit, sed auxerit. Sic enim confortatus est ex fructus magnitudine, vt non tamen fuerit subtracta doloris amaritudo, iuxta illud Isa. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & saturabitur. Numquam amaritudo separabitur à consolatione in Christo: interim in Passione maxima eius erit consolatio. Quare ab hac statim surgens oratione, dixit Apostolis ad quos multoties venerat, & inuenerat dormientes: Surgite, eamus. Ecce appropinquat qui me tradet.

Isa. 53.

Videte quomodo illi & cæteris qui cum eo erant, occurrit. Sciens IESVS quæ ventura erant super se, processit & dixit eis; Quem quæritis? Ego sum quem quæritis. Et accedens permisit se osculo Iudæis à Iuda discipulo tradi. Quem statim comprehenderunt, & ligatum ad Pontifices duxerunt. Quid Iuda fecisti? Maledicte audi. Amice ad quid venisti? Iuda osculo filium hominis tradis? Homo pacis meæ, in quo speraui, & qui mecum dulces capiebat cibos, magnificauit super me supplantationem; triginta argenteis appretiauit me, pretio appretiati, pretio honorati, ait Tertull. contra Marcion. Amice ad quid venisti? Si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem vtique; tu verò homo vnanimis, notus & dux meus, nunc autem dux inimicorum & quærentium me factus, Iuda osculo nunc filium hominis tradis, quem nuper vendidisti triginta argenteis, vilis pretio hominis.

Osculo Iudæ traditur Christus.

Psal. 40. Tertull. l. 4. contra Marcion.

Nescit homo pretium eius, ait Iob, qui pretiosior est auro & omni lapide pretioso: & tu dixisti; Quid vultis mihi dare? Quasi vile mancipium tradens, ait S. Hieron. in potestate ementium posuit, quantum vellent illi dare. O Iuda proditor, exclamat S. Ambros. quomodo poterat verum eius pretium comprehendi, cuius non potest meritum definiri? Vnguentum Passionis eius & sepulturæ trecentis denariis æstimas, & Passionem eius triginta argenteis vendis? O impiissime homo, dicit S. Leo, semen Chanaan, non Iuda; nec iam vas electionis, sed filius perditionis, viliter Dominum æstimasti, qui triginta argenteis vendidisti. Sed vile hoc dicam pretium? minimè gentium, pretium enim appretiati est, pretium honorati. Exinanitio enim tua Domine IESV, honor tuus est, & gloria.

S. Hieron. S. Ambros. S. Leo.

Iudas ergò, ille qui habebat loculos, triginta argenteis vendit, & osculo tradit. Quemcunque osculatus fuero, inquit, ipse est, tenete, & ducite eum cautè. S. August. Serm. 121. hoc osculum examinat, & dicit. O signum sacrilegum! vbi ab osculo incipitur bellum, & per pacis indicium, pacis rumpitur sacramentum. Iuda filium hominis osculo tradis, officio sanguinem fundis, pro pignore amoris vulnus infligis, pacis argumento mortem immittis, seruus Dominum, discipulus Magistrum prodis & tradis.

S. August.

Notandum autem est hic quod S. Brigitta in suis reuela

Iudas fuit breuis staturæ.

reuelationibus dicit Iudam fuisse breuissimæ staturæ, vnde cùm Dominum osculari voluit, ille ad recipiendum osculum inclinauit se; ille qui inclinauit cœlos & descendit, humiliauit se vsque ad osculum Iudæ. O quot sunt qui sic Christum humiliant, & ad quos inclinatus ipse descendit, cùm se tot sacrilegis præbet osculandum & recipiendum, iis nimirum qui cum peccato & peccandi voluntate ad mensam accedunt!

Christus antequam traderetur, tradiat se nobis in Eucharistia.

Mysterium notate. Antequam Christus traderetur Iudæis, ipse Eucharistiam instituens, tradidit se Iudæ, & discipulis, & omnibus nobis. Cùm dilexisset suos, ait S. Iohan. in finem dilexit eos. Eius amor fecit, vt antequam pateretur, omnes suas opes in huius institutione Sacramenti largiretur, diuinitatem, humanitatem, & merita omnia. Talis eius munificentia fuit in die triumphi. Dispositionem nostram exigit tanta distributio donorum. Mensæ sacræ nullus Iudas assistat; sed si quis sit discipulus, adsit, accedat, Christum osculetur osculo oris sui, osculo cordis, recipiat intus, incorporetur ei, vt viuificetur. Pinguis est panis Christi, gratia & omni suauitate plenus, & præbebit delicias Regibus; Regibus dico, quia qui vescimur hoc pane Deo, oportet nos esse generosos & non degeneres. Neque enim vobis existimandum est, panem hunc communem esse, & vt Iudæorum manna leuissimum. Minimè equidem, panis est qui descendit de Cœlo, & Deus est.

Triplex dispositio necessaria ad receptionem Eucharistia.

Quare iam quod nobis habendum superest, vt recipiamus, & omnes fructus vitæ & gratiæ qui in ipso sunt, triplex dispositio est. Prima, puritas conscientiæ. Probet seipsum homo, & sic de illo pane edat. Secunda, charitas Dei, iuxta exemplum quod ipsemet Christus in institutione ipsa demonstrauit nobis. Tertia denique, humilitas, quæ tantopere maximè tunc in Christo apparuit: prosternit se ad conuiuantium pedes, ipsos lauat, antè depositis vestimentis suis, & præter ista, ad consummationem omnium, dat se discipulis, & Iudæ proditori manducandum. Iudæ, sicut aliis, vt ostendat ex tunc quod ipsum & mali sicut boni reciperent, sorte tamen inæquali vitæ, vel interitus. Quod futuri sunt qui diuersum illi darent osculum, alij Sponsæ, alij verò Iudæ, ad quos etiam humiliter inclinaret se Christus.

Humilitatem igitur exposcite omnes; sed eam quæ ad receptionem tanti mysterij & tantæ gratiæ largitatem necessaria est: humilitatem, quæ contritionem tribuat, confessionem, & conscientiæ puritatem: humilitatem, quæ deponat omnia quæ sunt huius sæculi, exinanitionem perfectam sui operetur, & tandem animam reddat capacem vitæ, passionis, & mortis IESV Christi.

FERIA SEXTA IN Parasceue.

Apprehendit Pilatus IESVM, *& flagellauit.* Iohan. 19.

O Crux aue.

QVIS dabit oculis meis fontem lacrymarum, vt mortem defleam IESV Christi filij Dei vnigeniti? Circumspicio, & omnia esse in tristitia video: turbatur Cœlum, pauent Angeli, Deus irascitur, terram operiunt tenebræ, & omnis creatura lugens funestũ Creatoris sui exitum, luctus & doloris veste induitur. Lætitia paradisi contristatur, fit in agonia, sudat, & moritur qui vita est, & omnibus vitam dat, Deus hodie moritur, lux æterna deficit, dilectus à patre filius, ab eo deseritur, à suis discipulis, & à familiari traditur in manus inimicorum, adiudicatur flagellis, opprobria sustinet, sputa, spineam coronam, mortem Crucis. Dũque pastor ita percutitur, tota familia dispergitur, & Mater solitaria manet doloribus intenta & lacrymis. Ecce spectaculum Deo, Angelis atque hominibus, Christus filius Dei hodie sedens in prætorio Pilati, & in Golgotha affixus Cruci.

Iob in sterquilino & doloribus figura Christi.

Cùm audissent tres amici Iob, Eliphaz Themanites, Baldad Suhites, & Soophar Naamathites, omne malum quod accidisset ei, diem pariter condixerunt, vt venientes singuli de loco suo visitarent eum, & consolarentur. Sed cùm eleuassent procul oculos suos, & sedentem in sterquilinio vidissent, percussum vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem capitis, & cui omnia defuerant præter testam qua saniem radebat; non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in Cœlum: & sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum; videbant enim dolorem esse vehementem. A diebus multis audiuimus omne malum quod accidit non iam amplius Iob patienti, sed innocenti IESV Christo filio Dei, & hunc diem omnes condiximus vt veniremus pariter, vnusquisque de loco suo, non ad consolandum eum, sed ad condolendum & plorandum. Eleuate procul oculos vestros, num cognoscetis eum? Imitemur omnes tres illos amicos Iob, & exclamantes ploremus, scissisque cordibus, & non vestimentis, in cinere & planctu contriti & pœnitentes, cum eo sedeamus in terra, iuxta prætorium, iuxta vias, iuxta Crucem, & non loquamur ei verbum, quia dolor eius vehemens est. Heu! in domo Pontificum sedet & Pilati, in Cruce & in Caluariæ sterquilinio, pessimo vlcere percussus, à planta pedis vsque ad verticem capitis, ait Isa. non est in eo sanitas. *Isa. 1.*

Christus contradicitur & relinquitur ab omnibus.

Plusquàm Iob vobis Christus sit exemplar compassionis: ipse enim Deus est. Dum Iob in afflictione sua est, contradicitur à suis, & à propria vxore & amicis derelictionem patitur: Christus hodie derelinquitur ab omnibus, & contradictionem suffert à notis & ignotis, à domesticis & extraneis, à magnatibus & subditis. Iudas tradit, Petrus negat, fugiunt cæteri, illudunt Reges, condemnant Iudices, serui colaphis cædunt & flagellis; & patiens sedet coram omnibus, quousque etiam in Crucem actus, patris derelictionem sustinet.

S. Iohannes narrat cum aliis, quod statim atque in horto captus est Christus, magna cum festinatione, multisque pœnis & contumeliis affectus primùm ad Annam ductus est, deinde ad Caipham, apud quos non minima passus est, & intus & foris: nam dum ibi falsò accusatur, interrogatur, & conspuitur, foris eum discipulus negabat coram seruis, & ab ancilla interrogatus. Controuertitur, an hoc acciderit in domo Annæ, vel Caiphæ. Quidam existimant primam negationem Petri fuisse in domo Annæ, vbi primò interrogatus est de discipulis suis, & alapam recepit. Iungite quęso alapam istam cũ negatione discipuli, & dum de illo interrogatur Dominus. Heu! dum à seruo cæditur in facie, à discipulo vulneratur in corde.

Alij

Alij dicunt nihil actum fuisse in domo Annæ, A sed statim ab Anna, ductum fuisse ad Caipham, qui erat Pontifex anni illius,& Princeps Sacerdotum,vbi Scribæ & seniores conuenerant aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, vbi etiam cætera omnia transacta sunt, vt ex Sancto Matth. colligimus. Quod enim primò ad Annam ductus est,fuit gratià honoris, quia socer erat Caiphæ, & Pontifex senior:vel etiam vt inter eos magis conciliaretur amor. Quidquid sit, Christum constat de horto ignominiosè tractum fuisse ad Principem Sacerdotum Caipham,apud quem concilium erat malignantium,vt implerentur prophetiæ quæ dicunt. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum*,&c. Et iterum: *Ecce Reges terræ congregati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.* [Psal.2.& 47.] B

Verùm dum innocens ad nocentes ducitur, ô vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor, sicut dolor eius. Iam intrate cum eo,& quæ in eum fiunt perpendite. S. Matth. dicit quod quærebant omnes falsum testimonium aduersus Dominum,& non inuenerunt. Interim duo falsi testes veniunt qui dicunt. Dixit: Possum destruere Templum Dei,& post triduum reædificare illud. IESVS autem tacebat. Sed cùm denuò à Pontifice interrogatus & adiuratus esset, si filius Dei esset,& respondisset ei: Tu dicis quia ego sum; ipse scindens vestimenta sua, ait. Quid egemus testibus? audistis blasphemiam, quid vobis videtur? Et dicunt omnes: Reus est mortis. *Beatus qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra hac pestilentiæ non sedit.* Quid Domine dicunt? Quia reus es mortis. Tunc autem expuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæciderunt,&c. [Thren.1.] C [Psal.1.]

S. Chrysost. super hoc exclamat sic. Exhorrescat Cœlum, & contremiscat terra. O Angeli qui hæc intuemini, quomodo siletis? quomodo manus continere potestis? quomodo pro Domino vestro non respondetis? An hoc ita facitis, quod attonitos vos teneat tanta insolentia,& tanta mansuetudo, tanta peruersitas,& tanta patientia? Grauiter verberauerunt Heliodorum Angeli, eo quod violasset & profanasset Templum Dei. Quid igitur quæso supplicij merebitur ille qui in sacrosanctum Dei Templum & viuum, in quo omnis plenitudo diuinitatis inhabitat, sic irruit, vt insolenter & ignominiosè percutiat? Legitur 1. Reg. quod cùm Rex Ieroboam manum extendisset contra quemdam Prophetam, illa continuò aruit. Quomodo ergo salua remansit illa in Regem Prophetarum extensa? Verùm sic prædictum erat in Ierem. Dabit percutienti se maxillam, & saturabitur opprobriis. Sic in Isa. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. In Michæa Propheta figura est, cuius faciem Sedecias percussit, vt adularetur Regi Israël, à quo etiam postea sustentatus est pane tribulationis, & aqua angustiæ. Sic enim hodie Christus Propheta magnus à seruo quodam in facie percussus est, vt adularetur Pontifici, qui pane tribulationis & aqua angustiæ etiam ipsum sustentauit, cùm nec coram eo à conspuentibus faciem suam auertit, & in eius domo factus est quasi vermis,& non homo, opprobrium hominum,& abiectio plebis. Vbi enim illa quæso facies decora, quam sibi demonstrari cupiebat Sponsa? Sic enim Cant. 2. dixit aliquando: Dilecte mi Sponse, ostende mihi faciem tuam. Sed modò [S. Chrysost. hom. 81. in Ioh.] D [2. Mach 3.] [1 Reg. 13.] [Ierem. 5.] [Isa. 50.] E [Figura. 3. Reg. 22.]

nullus est in ea decor. Speculum sine macula, maculatur sputis: splendor patris opprobriis operitur & calumniis: forma & similitudo Dei alapis & ictibus cæditur, atteritur,& vix cognosci potest.

Hæc sunt quæ in ædibus Pontificum gesta sunt, Quo tempore dum talia patiebatur intus, vt diximus, foris negabat eum Petrus. Columna firmissima, dicit S. Aug. ibi, ad vnius auræ impulsum tota contremuit. O vbi est illa promittentis audacia, & de se plurimum præsumentis? vbi sunt ô Petre, illa verba; Quare non possum te modò sequi? Animam meam pono pro te. Hoccine est sequi Magistrum, se negare discipulum? Vbi illa verba Petre; Etiamsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor? Ecce tuum, ô Petre, scandalum: negasti Dominum. Numquid Petre de Domino audisti; quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis? O funesta nox & Petro,& omnibus qui negant Dominum! Petrus audiuit, negauit, & post cantum galli recordatus est verbi Domini IESV: vnde & fleuit, & egressus foras fleuit, & amarè fleuit. Ecce pœnitentia Petri. Eius imitatores in pœnitentia estote: egredimini de statu peccati & de sensu carnis vestræ, & flete. Dicitur quod IESVS conuertit se ad Petrum, & tunc Petrus foras egressus fleuit. Ad nos pariter conuertit se,& nos pariter conuertamur, & de peccatis nostris egressi, illa lugeamus. Egrediamur: ecce enim IESVS Magister noster & Dominus de Caipha ducitur ad Pilatum: sequamur eum omnes in via. Quæ hactenus gesta sunt, tantùm sunt initia dolorum. O vos omnes qui transitis per viam, attendite. [S. Aug.] [Negatio Petri.]

Ad præsidem Christus condemnandus adducitur. Mane facto, ait S. Matth. & nocte sic in pœnis transacta, vinctum adducunt eum Pontio Pilato. Dum hæc fiunt, Iudas pœnitentia ductus, videns quod damnatus esset IESVS, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum; & proiectis illis in Templo, recessit,& laqueo se suspendit. Ecce miser exitus traditoris. Stetit ergo IESVS ante præsidem, qui interrogat ipsum, & nulla inuenta causa mortis tam ex interrogationibus, quàm accusationibus, tentat dimittere eum, etiam ab vxore admonitus, quæ hac nocte multa propter eum passa fuerat.

Notat S. Luc. quod ad Herodem misit eum Pilatus. Ad Herodem Regem: quia certè regium munus erat, Christus ita vinctus & percussus, illusus & colaphizatus: regium munus,& quod non habebat pretium. Propterea post sputa & flagella Iudas retulit triginta argenteos, & proiecit, pœnitentia ductus, quod tam vili pretio eum appretiauerat, quem tunc inæstimabilem agnoscebat. O Domine IESV, exinanitio tua, & tormenta tua sunt, quæ te honorabilem reddunt. Te vendit Iudas triginta argenteis,& illud dicitur pretium appretiati, pretium honorati. Sic enim legit Tertull. contra Marcion. quasi tunc honorabilior & pretiosior extiterit, quando pro hominibus venditus est, dignusque etiam fuerit vt offerretur Regi, quando pro hominibus flagellatus est. Munus erat regium, propterea ad Regem missus est. Sic Tertullianus illa verba Osee explicans, *Ipse in Assur delatus est, munus Regi.* Assur, interpretatur insidians. Talis erat Herodes, ad quem Christus missus est. [*Christus post tormenta & exinanitionē honorabilior redditur.*] [Tertull. lib. 4. contra Marcion.] [Osee 10.]

Sed quomodo missus est? vt munus Regi. Dixit itaque Pilatus, mittens Christum vinctum ad Herodem Regem, esse xenium Regi, ait Tertull. Nullum etiam ei munus mittere potuit gloriosius &

coaue

conuenientius, quàm regium munus. Rex erat Herodes; & Chriſtus vinctus & illuſus, munus erat regium. Sed quid ille fecit? vt gloriam hanc Chriſti, quæ ſemper creſcit in contumeliis, illuſtriorem redderet, illuſum ad Pilatum remiſit, nihil cauſæ in illo inueniens: & amici facti ſunt in ipſa die, antea enim inimici erant. Ecce Domine tua in opprobriis majeſtas, voluntates hominum reconcilias. Pilatus ergo conuocatis Principibus Sacerdotum, & magiſtratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem, & coram vobis interrogans, nullam cauſam inueni, in quibus eum accuſatis: ſed neque Herodes, ad quem remiſi vos. Emendatum ergo illum dimittam. O Pilate, quid emendationis meruit qui ex ore tuo non peccauit? Interrogentur & reſpondeant, ait S. Aug. liberati à ſpiritibus immundis, languidi ſanati, leproſi mundati, ſurdi audientes, muti loquentes, & mortui reſurgentes. Quare videns ille quod per inuidiam tradidiſſent eum Iudæi, ipſum ante eos comparans cum inſigni latrone, ei conatur præferre, & ſic dimittere, dicens. Eſt conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha: vultis ergo dimittam vobis IESVM? Barabbam ſeditioſum, an IESVM qui dicitur Chriſtus? In Chriſto nullam mortis inuenio cauſam. Quid enim mali fecit? Corripiam ergo illum, & dimittam. Illi autem Barabbam petierunt, clamantes vt crucifigeretur Chriſtus: & inualeſcebant voces eorum dicentium: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Vnde ſtatim miſer & infelix Præſes, accepta aqua, vt lauaret ſe à ſanguine iuſti huius, adiudicauit fieri petitionem eorum.

O miſeri! hora veſtra nunc eſt, & poteſtas tenebrarum. Heu! filios nutriui, conqueritur Dominus, & ipſi ſpreuerunt me: exaltaui eos, & non cognouerunt me. Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis? dicit Sanctus apud Iſaiam. Imò hodie cui poſtpoſuiſtis me? Barabbæ, ſeditioſo, latroni, homicidæ. Ecce cui ſimilem fecerunt Deum, ait Propheta, & quam imaginem poſuerunt ei.

Iſa. 1.

Iſa. 40.

Tunc ergo Pilatus ſatisfaciens Iudæis, apprehẽdit IESVM, & flagellauit. S. Lucas dicit quod tradidit voluntati eorum. Quare quæ nunc patitur inter manus peccatorum in prætorio præſidis, attẽdamus. *In flagella paratus ſum*, ait per Prophetam, *atque ſuper dolorem vulnerum meorum addiderũt*. Addiderunt, dixit; eo quod, vt multi exiſtimãt, bis flagellatus fuit. O miſeri quid agitis? Obſtupeſcite cœli, flete Angeli, habitatores terræ eſtote miſeri, per manus hominum flagellis cæditur Rex & Dominus vniuerſi. Peccatores deſiſtite, pœnitemini, & conuertimini ad me, miſeremini, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Manus patris tetigit filium, & percuſſit eum per manus peccatorum propter peccata hominum.

S. Bonau.

Talia meditatur S. Bonau. dicens. Deus ligatur, & diuerſimodè flagellatur: ſtat nudus coram omnibus & verecundus ille ſpecioſus forma præ filiis hominum: ſuſcipit ſpurciſſimorũ flagella dura & doloroſa caro illa innocentiſſima, tenerrima, mundiſſima, & pulcherrima: flos omnis carnis, & humanæ naturæ repletur liuoribus & fracturis: fluit vndique regius ſanguis de omnibus partibus corporis; ſuperadditur, reiteratur, & ſpiſſatur liuor ſuper liuorem, & fractura ſuper fracturam. Flete, ô Angeli pacis. Diſciplina pacis ſuper eum. *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores*, ait Chriſtus. Quid Domine fabricauerunt? pacem ſuam & veniam. Sed quid Domine fabricauerunt? pœnas debitas eorum peccatis. Prolongauerunt iniquitatem ſuam, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt, & cum lætitia irruerunt. Dicam: lætati ſunt aduerſum me, & conuenerunt. Congregata ſunt flagella, & ignoraui; (cauſam ignoraui,) id eſt, numquam eos offendi, tantùm abeſt, ſemper benefeci eis.

Pſal. 128.

Pſ. 34.

S. Gertrudis ex reuelatione ſibi facta, refert Chriſtum in flagellatione accepiſſe quinquies mille percuſſuras. Ecce quouſque venerunt flagella, & ſuper eum congregata ſunt. O vos qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor eius. De Iob afflicto ſacra narrat hiſtoria, quod licet omnibus bonis fuerit ſpoliatus, non tamen illi pellis detracta eſt, ipſo dicente: Pelle & carnibus veſtiſti me; etſi carnes doloribus conſumptæ ſunt, ſemper adhuc pelli meæ adhæſit os meum, pellem non amiſi. Chriſti verò calamitas eò vſque peruenit, vt vndique flagellorum acerbitate excoriatus fuerit: in cuius rei figuram, fratres Ioſeph tunica ſua nudauerunt eum. Ecce quidem vnde Sponſa dicit in Cantic. *Dilectus meus candidus, & rubicundus*. Ecce vnde Angeli in die Aſcenſionis & triumphi dixerunt admirantes: *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus*, &c.

Numerus percuſſurarũ in flagellatione.
S. Gertrud.
Iob. 10. & 19.
Gen. 37.
Cant. 5.

Verùm non ſola ſunt tormenta iſta, quibus adhuc & ſuperadduntur alia. S. Marc. dicit quod poſt flagellationem milites induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes coronam ſpineam in deriſum, & cœperunt ſalutare eum, Aue Rex, percutientes, conſpuentes, & dicentes flexis genibus; Quis eſt qui te percuſſit? O vos omnes qui tranſitis per viam, in Pilati prætorium intrate, attendite, & videte. Quid? Dei filium ſpinis coronatum, cum riſu & contumelia percuſſum. Dicamus hodie omnes cum Moyſe: Vadam, & videbo viſionem hanc magnam. Quid viderat? Deum in medio rubi ardentis & ſpinarum. Ecce figura noſtri myſterij, ſpinæ vndique ambiunt, circumſtant & penetrant Chriſtum, in medio rubi ſedet hodie in domo Pilati. Inter vepres loco Iſaac Aries victima eſt, Gen. 21. Chriſtus hodie Paſcha noſtrum & victima, pungitur ſpinis, quibus nos pungendi eramus. Ecce qui dicit Cant. 20. *Ego flos campi, & lilium conuallium*. Inter ſpinas lilium, ſed hodie coronatum ſpinis. Hoc præuidens Iſaias dicebat: Coronans coronabit te tribulatione; ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ. Ecce corona tribulationis in capite gloriæ. Ecce in prætorio Pilati ſecunda agonia Chriſti. Pſ. 31. *Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina*. S. Laurent. Iuſtinian. de triumphali agone Chriſti. Hic parumper anima mea, inquit, conſiderationis tuæ greſſus fige, & Redemptoris tui intolerabilem dolorem attende, capitis delicati ſenſibilitatem conſidera; ſpinarum punctiones cerebrum perforantes mirare, ſicque ſanguinem decurrentem, lacrymarum inundatione abſterge.

Exod. 3.
Gen. 21.
Cant. 2.
Iſa. 22.
Pſ. 31.
Coronatio, ſecunda agonia Chriſti.
S. Laur. Iuſtin. de triũphali agone Chriſti. cap. 14.

Ecce igitur quibus coronis Chriſtus honoratur Rex gloriæ. In quo ſtatu humilis ſuæ Majeſtatis produxit eum Pilatus ad conſpectum totius populi, & dixit: Ecce Rex veſter, adduco eum vobis foras; & clamauerunt, tolle, crucifige, debet mori, non habemus Regem niſi Cæſarem. Nolumus hunc regnare ſuper nos. O miſeri! hæc ipſa punitio, veſtra eſt maledictio, quod amplius non ſuper vos regnat, nec ſuper filios veſtros, ſed nunc ſuper nos; & ſic ſemper ſuper nos hunc regnare volumus, & numquam ſit finis regni eius.

Exiuit ergo IESVS foras portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum, ornatu regio

indutus

indutus, & dicit eis Pilatus: Ecce homo. O vos omnes qui transitis, attendite; Ecce homo. S. Aug. in Iohan. Ecce homo non clarus imperio, sed plenus opprobrio. Si inuidetis Regi, iam parcite, quia despectum conspicitis. Flagellatus est, spinis coronatus, ludibriosa veste amictus, conuiciis illusus, alapis cæsus: feruet ignominia, frigescat inuidia. Sed heu! amplius accenditur, & facta est hæreditas eius quasi Leo in sylua, dedit contra eum vocem suam, tolle, crucifige. O quis ibit ad virginem narraturus illi quæ fiunt hic? Ecce homo, dicit Pilatus, ille homo qui dicitur IESVS, splendor patris, & figura substantiæ eius. Si doleatis, & irascamini quod filium Dei se fecit; Ecce homo, vobis vermis proponitur, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Homines vos estis, quorum est compati miseris & afflictis. Ecce afflictus homo, non est ei species, neque decor, homo est, non ferrum, non lapis, non æs, plus tormentorum sustinere non potest. Desistite inuidere illi. O vos omnes qui transitis per viam, attendite.

S. August. in Ioh.

Ecce homo omnium virtutum exemplar. Contemplare in illo humilem, ô superbe: auare, liberalem: ambitiose, despectum: iniuriarum memor & vindex, mansuetum: voluptuose, dolorosum. Ecce homo, homo qui Deus est, qui cùm in forma Dei esset, nec rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, dicit Apostolus, exinaniuit semeipsum sic, formam serui accipiens, & talem formam, talique habitu, vt nunc videtis, inuentus vt homo.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite, non iam propter Pilatum qui vobis ipsum egressum repræsentat, sed propter Sponsam quæ vnumquemque nostrûm ad egrediendum inuitat, dicens. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. S. Bernard. hanc inuitationem Sponsæ considerans Serm. 2. de Epiphan. mittit illam versus Cœlum & terram, veluti vox clamantis in deserto, & omnem creaturam ad egressum excitantis. Egredimini, ait, virtutes Angelicæ, & incolæ ciuitatis supernæ. Ecce Rex vester, sed in corona duplici, nostra quæ humanitas est; & in diademate spinarum, quo eum coronauit Synagoga. Habetis sublimitatem eius, sed humilitatem nondum vidistis. Egredimini igitur, & videte vestrum Salomonem Regem pacis, gestantem pacis nostræ disciplinam & sceptrum.

Cant. 3.

S. Bern.

Sed vobis etiam dicimus cum illo Sancto. O filiæ Sion, animæ sæculares, debiles & delicatæ, filiæ, non filij, in quibus nihil est fortitudinis, nihil virilis animi, egredimini, egredimini de sensu carnis, de seruitute concupiscentiæ carnalis, de terra vestra, & videte Regem Salomonem in exilio suo pacificum, amabilem: alioquin in iudicio terribilem, & in regno gloriosum & admirabilem. Nam vbique Rex est. In gloria & in Cruce Rex est. Licet enim regnum eius non sit de hoc mundo, tamen Rex est in hoc mundo. Sic interrogatus à Iudice, Rex es tu? hodie respondit: Tu dicis quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Rex sum ego. Egredimini igitur omnes filiæ Sion, & videte Salomonem Regem vestrum, sed in diademate miseriæ, paupertatis, atque spinarum, quo coronauit eum, non mater sua, sed nouerca Synagoga. Coronandum à familia corona Iustitiæ, quando exibunt

S. Bern.

A Angeli, & tollent de regno eius scandala. Coronandum à patre, corona gloriæ. Sed hodie coronatum videte corona spinarum & contumeliæ, in die desponsationis illius, & lætitiæ cordis eius.

Quomodo in die desponsationis, & lætitiæ cordis? vtique quia in his ipsis quæ ignominiæ plena esse videbantur, clarissimus apparuit, & veluti Sponsus gloriæ de Cruce sua tanquam de thalamo processit, vbi Ecclesiam suam Sponsam sanctificans in sanguine suo, & mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, sibi gloriosam exhibuit, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Ephes. 5.

B Hac igitur ratione hodie cum Apostolo videmus IESVM propter Passionem mortis, gloria & honore coronatum, in spinis & in Cruce Regem esse adorandum. Egredimini igitur filiæ Sion, ecce homo, ecce Rex vester. Vt Regi adoratio illi côuenit, modò modò videbimus omnes super thronum suum sedentem, & regnantem à ligno Deum. Nunc coronatus procedit, & Principatus ponitur super humerum eius. Egredimini, & videte; Regem cui omnia viuunt, venite adoremus. Crucem in qua mox vita nostra pendebit, venite salutemus; *O Crux aue spes vnica.* Heb. 2.

Susceperunt autem IESVM, & eduxerunt, & baiulans sibi Crucem, exiuit in eum, qui dicitur

C Caluariæ, locum. Innocens Naboth vt occideretur extra vrbem eductus est: Christus innocens pro salute vineæ gentis suæ resistens Synagogæ, sicut Naboth Iezabel, vt moriatur extra Hierusalem eductus est. Sed heu! vinea illa electa conuersa est in amaritudinem, & facta est aliena, producens Domino suo lignum, non vitæ, sed mortis. Israël populus Dei electus Christo suo Crucê fecit, & imposuit, & ille baiulans sibi exiuit, factus vsque ad hanc mortem obediens patri. In Esau figura est, qui vt obediret patri, sumpsit arcum in manu, & egressus est foras. Ita, Christus, qui similitudinem Esau assumpsit, & naturam peccatoris, baiulans sibi Crucem confusione 3. Reg. 21.

Figura mysterij. Gen. 27.

D contempta sustinuit, factus obediens patri, & egressus est foras.

Grande spectaculum, ait S. August. in Iohan. sed si spectet impietas, grande ludibrium, grande ignominiæ documentum. Si autem spectet pietas, grande mysterium, grande fidei munimentum. Pietas videt Regem baiulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus Regum, & in quo gloriatura erant corda Sanctorum, qui cum Apostolo dicturi sunt: Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi. Quare talia dicturis, ipsam Crucem suo gestans Christus humero, commendabat, & lucernæ ar- S. August. tract. 119. in Ioh.

Gal. 2.

E suræ, quæ sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat. Crux enim grande fidei est mysterium, & munimentum. Hoc pietas videt, & hoc lumine illustrantur qui in eum oculos habent piæ compassionis. Sed si spectet impietas, dicit S. August. ridet Regem pro virga regni lignum sui portare supplicij; & propterea etiam animaduertit S. Leo, quod ad irrisionem regiæ dignitatis, iussus est supplicij sui esse gestator. S. Leo. Ser. 8. de Passione.

Et eo adhuc fine (notat S. Matth.) induerunt eum vestimentis eius, videlicet quò meliùs ab omnibus agnosceretur, quia cùm facies eius penitus esset cruenta & deformata, nec ei antiquus decor esset & aspectus, vt posset dignosci inter duos latrones Matth. 27.

latrones etiam cruces suas ferentes, ideo duobus aliis nudis solus incedebat vestimentis suis indutus, vt faciliùs notaretur, & de eo diceretur: hic est ille qui se Regem faciebat, & filium Dei esse se dicebat. Ecce pro diademate gloriæ spineam coronam portat, & pro virga regni lignum sui supplicij.

O Esau, ad vocem patris egressus foras arcum tenuisti, & leuis erat arcus. O peccator, leue est tuum onus, parum suffers, & iugum tuum est suaue: filius autem Dei factus homo in similitudinem carnis peccati, & Esau obediens patri, Crucem sustinet, & graue est pondus. Graue pondus, & insupportabile onus, vbi quod perpetrauit seruus, exoluit Dominus: & quod commisit homo, sustinet Dei filius.

S. August. 7. meditat. Quò nate Dei, clamat S. August. quò tua descendit humilitas? quò tua flagrauit charitas? quò processit pietas? quò excreuit benignitas? quò tuus attigit amor? quò peruenit compassio? Ego iniquè egi, & tu pœna mulctaris: facinus admisi, & tu vltione plecteris, torturæ subiiceris: inobediens extiti, & tu scelus inobedientiæ luis, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. O Domine IESV, si amici Iob non ausi sunt loqui ei, quia vehemens erat dolor eius; audeam ego in hoc præsenti & vehementi dolore tuo, de singultibus & suspiriis cordis tui, animæque angustiis, de meo pectore verba hæc doloris extrahere, loqui ad te, & dicere? O dulcissime IESV, quid commisisti, vt sic adeò durè tractareris? Quod scelus tuum, & quæ occasio damnationis? Ego sum, ego sum tui plaga doloris: ego tuæ futuræ mortis meritum: ego tuæ Passionis liuor, & tui cruciatus labor. O mirabilis censuræ conditio! peccat iniquus, & punitur iustus: delinquit reus, & vapulat innocens; quod commisit homo & seruus, exoluit Deus & Dominus. Et S. Bern. O IESV dulcissime, vbi sunt scelera quæ feceris, cùm nec peccare potuisti? vbi praua opera, homicidia, vituperia, quæ commiseris? Nullum horum certè in te inuenio, & tamen morti te adiudicatum video.

S. Bern.

Sed dicamus iam egressum ad mortem ire, & lignum ferre supplicij. O vos qui transitis per viam, attendite, &c. Ecce ipse conuersus loquitur vobis: Miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini, patris mei, tetigit me. Attendite; etiam & pater loquitur vobis, & ait; percussi illum propter peccata populi mei. O detestanda peccata, pro quibus necesse fuit talia filium Dei perpeti! Ecce pro vobis, ô peccatores, voluit eum Dominus, ex Ierem. conterere in infirmitate. Non est amplius species ei, neque decor. Desiderauimus eum despectum, nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Sicut desiderauimus, sic hodie videmus. Quasi absconditus est vultus eius, vnde nec reputauimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & nos putauimus quasi leprosum & percussum à Deo. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter delicta nostra, & liuore eius sanati sumus. Vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium. Statim statim ipsum onustum peccatis nostris conspecturi estis, & iam videtis Cruce sua, sed peccatorum nostrorum pondere oppressum.

Ierem. 53.

O triste spectaculum! Deus hodie nostris doloribus & opprobriis opertus sitim non satiat, & crudelitatem non placat videntis populi. Vulneratus, attritus, humiliatus sub Cruce, & oppressus, commiserationi exponitur, & qui sequuntur, lætantur, & ducunt cum triumpho ad mortem. O quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt sequar plorans Dei filium Dominum meum, sic egredientem de prætorio Pilati cum sua Cruce, & de Hierusalem ad locum Caluariæ, vt ibi ignominiosè moriatur pendens inter duos malefactores, & de eo compleatur, quod per Prophetam dicitur: & cum iniquis reputatus est? Sic enim à Pilato adiudicatus morti, statim ad crucifigendum traditus est.

Susceperunt ergo IESVM, & eduxerunt, & baiulans sibi Crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum. O vos omnes qui transitis per viam, gradum sistite, & attendite. En grande & admirandum coram vobis spectaculum. Deus inter iniquos reputatus ducitur ad patibulum. O Angeli, vestris conspectibus dignum est istud spectaculum, dignius vt à Cœlo respiciatur quàm à terra. David è Ciuitate egreditur exclusus ab Absalone filio, magno cum comitatu lugentium. Paruulus Isaac lignum portans holocausti, ad montem deducitur de domo patris, immolandus Deo in odorem obedientiæ singularis. Sic hodie Christus innocens Dauid filius expulsus à suis cum multitudine concomitantium & plorantium, de Ciuitate sua Hierusalem moriturus egreditur. Sic hodie verus Isaac immolandus in montem ducitur, ligna gestans holocausti, & vt impleatur quod Isaias dicit: *Filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius.*

Figura. 2. Reg. 15.

Gen. 22.

Isa. 9.

O, quàm dissimilis fuit iste de Hierusalē egressus ab ingressu à quatuor diebus! ponebant ante eum ramos oliuarum, sua ad pedes eius vestimenta, & clamabant, Osanna, &c. Hodie sors versa est: Crucem imponunt humeris, exuunt vestibus, flagellis cruentant, ad mortem deducunt, & clamāt, moriatur, & nō viuat amplius, tollatur, in Crucē agatur.

Verùm ad hoc spectaculum mentem, & oculos singulari cura conuertamus omnes. Ab ædibus Pilati rumor incipit. Canit tuba, præco vocem exaltat, & dicit: Adeste, hic est Christus malefactor. Omnes sunt in ianuis, in fenestris & cancellis: viæ strepunt hominum frequentia, clamore populi personat aër, tumultuariè lictores incedunt, & in comitatu & medio duorum latronum hominem-Deum fune tractum, coronatum spinis, Cruce super humeros onustum, Iudices circumstant, ducunt carnifices. O conductum lamentabilem! & vbi proclamatur quia hic est seductor, &c.

Conductus Christi.

Iosue 3. legimus quod cùm duceretur Arca testamenti, præcones clamabant in via dicentes: Consurgite, & sequimini, sitque inter vos & Arcam spatium cubitorum duum millium, vt procul videre possitis, & cauete ne appropinquetis ad Arcam. Sanctificamini, cras faciet Dominus inter vos mirabilia. Ecce quo honore Arca fœderis Domini ducebatur à filiis Israël, & quam nō alij quàm Sacerdotes stirpis Leuiticæ portabant. Heu quàm hodie honor mutatus est, veritasq; minus honoratur quàm figura! Arca lignea portabatur à Leuitis, & Arca testamenti nostri Christus, Pontifex summus, portat lignū supplicij. Arca illa lignea ducebatur cum reuerentia, & Arca fœderis nostri, Arca reconciliationis, Arca viuā, & in qua corporaliter, id est, vt in proprio corpore, omnis plenitudo diuinitatis inhabitat, ducta non in Templum Dei, sed in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, innumeris & inauditis afficitur opprobriis.

Iosue 3. Ducitur Arca cum honore.

Christus cum dedecore.

Heb. 5. Et quidem cùm filius Dei eſſet, ait Apoſtolus, A didicit hanc ex iis quæ paſſus eſt, obedientiam, & conſummatus, factus etiam eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Propterea que Heb. 12. propoſito ſibi gaudio Crucem ſuſtinuit,confuſione contempta, & baiulans ſibi exiuit in locum Caluariæ, vt ibi ſicut noſtræ Arca reconciliationis operaretur ſalutem in medio terræ. Crucem portat baculum ſuæ conſolationis. Crucem portat, & ſecum omnia portat. De Bia philoſopho dicitur quod egreſſus de Ciuitate cum baculo ſuo in manu dicebat;Omnia mea mecũ porto. Veriùs, ô Domine,tuam humeris geſtans Crucem;illa verba dicis. Crux tua theſauri tui clauis eſt, operatrix operum,potentiæ & virtutis,virga directionis noſtræ, virga regni tui, baculus tuæ conſolationis. B Propterea dum hoc ſceptrum ſui principatus geſtat,conuerſus ad mulieres quæ ſequebantur & lamentabantur eum, dixit: Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me. Flete interim, flete filiæ Hieruſalem,filiæ Synagogæ,filiæ Sion,atque Eccleſiæ,animæ deuotæ, peccatrices,& pœnitentes, omnes flete, & ſuper Dominum veſtrum, & ſuper vos ipſas, quæ cauſa eſtis doloris eius, & Paſſionis, & doloroſam eius matrem omnes adite.

Comparet Virgo. Nonnulli Doctores exiſtimant, inter quos S.Bern. & S.Bonau. tunc B. Virginem interfuiſſe, ſicque à Iohanne accerſitam fuiſſe: Accurre Domina, tribulatio proxima eſt, & non eſt qui adiuuet. C Cui illa vt Sponſa doloris gladio ſauciata, de medio anguſtiæ dixit:Surgam,circuibo Ciuitatem, & quæram filium,quem diligit anima mea. Adiuro vos filiæ Hieruſalem, quæ curritis poſt eum, vt nuntietis ei,quia amore langueo, ſed quia iam præ anguſtia morior. O mater inter omnes afflicta, qualis eſt iſte dilectus filius quem ſic ploras? Da ſigna,vt innoteſcat nobis,tres enim ſunt qui in eadem damnatione ſunt. Quis ex illis tribus tuus eſt filius? Dilectus meus,ait, candidus & rubicundus. O virgo,ille eſt qui venit baiulans Crucem,purpura indutus ſanguinis, & coronatus ſpinis, verè eſt filius tuus,Agnus innocens & immaculatus: vidimus eum, & non eſt amplius ei ſpecies, neque decor;quaſi abſconditus eſt vultus eius, vnde nec re- D *Exclamationes virginis.* putauimus eum.O vos omnes qui adeſtis,attendite & videte ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus, quoniam vindemiauit me,vt locutus eſt Dominus in die iræ furoris ſui. Abſtulit magnificum meum Dominus de medio mei: vocauit aduerſum me tempus(definitum eſt enim) vt contereret electum Thren. 1. meum, (complanctus eſt virginis Thren. 1.) Torcular calcauit Dominus virgini,filiæ Iuda,(virgini Matri IESV, filiæ eius quem genuit.) Idcirco ego plorans & oculus meus deducens aquas: quia longè factus eſt à me conſolator, quoniam inualuit *Virgo in filio compatitur.* inimicus.O vos omnes qui tranſitis,& mecum hic coram Chriſto meo adeſtis, attendite in dolore E eius ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Omnium tormentorum eius particeps facta ſum. Quare dicam ſicut dixit: miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia in eo manus Domini tetigit me. Et ſic conuertam me ad omnes, & dicam vt fleant mecum, & vias Hieruſalem ſuper filium meum & ſuper me, rigent lacrymis compaſſionis. Flete igitur mecum viri & mulieres, virgines, ſenes cum iunioribus, filij mei dulciſſimi anguſtias & dolores. Diuites,pauperes,plangite mecum Regem regum. Luc. 2. Hodie hodie inualuit in me prophetia Simeonis, quia animam meam pertranſiuit gladius doloris.

S. Auguſt. Sanctus Auguſtinus loquens de doloribus virginis, ait ſic. Quis æſtimare poterit quanta triſtitia & dolore vulnerabatur cor maternum ſuper vnici & naturalis filij Paſſione, quem tam caſtè concepit, gaudiosè peperit, & nunc in tanta feritate moriturum videt? Vidit eum ligatum, & ſoluere non potuit: vulneratum, & ligare vulnus non valuit: ſanguinem defluere, & abſtergere nequiuit. Fili mi, inquiebat, lumen oculorum, ſolatium vitæ,ſiccine hodie pro peccatoribus paſſurus in Cruce, cor meum vulneras? O lignum pretioſum quod à filio Dei portaris, ſtatim, vt video, pretium mundi portabis. *O Crux aue*,&c.

Quidam putant eo tempore & loco quo Chriſtus ſubtus Crucem cecidit eius pondere proſtratus,illi obuiam fuiſſe virginem. Sed quis amplius mutuum hunc dolorem filij ac matris explicare poſſet? Aſtrologi dicunt, & experientia docet, quod dum Luna Solem reſpicit, & Sol Lunam, vtriuſque Eclipſis accidit. Si Sol Chriſtus eſt, Luna virgo, quid de tali occurſu & concurſu expectari poterit? Non dubium quin vterque mutuo aſpectu ſeſe plurimum tunc afflixerit. Quis colloquia & oſcula mutua exprimere poſſet?Quomodo filius conſolabatur matrem,& mater filium Cruce ſua oppreſſum ſubleuare conabatur? Sed heu! tanta eſt poteſtas tenebrarum, tantáque feritas hominum,vt crudeliter filium ſeparent à matre, cúmque penè emortuum fuſtibus, pedibúſque progredi feſtinanter cogant in locum ſupplicij. O Domine Pater æterne, Rex Cœli & terræ, *Deus amicis illudit(?)* quid ſibi vult iſtud? ſi Prophetæ tui & amici pro te aliquid patiuntur, ſtatim conſolatur illos gratia tua, miſſis de Cœlo ſancto tuo auxiliis. Daniel Dan. 6. in medio Leonum ab Angelo viſitatur, & liberatur; tres pueri in medio fornacis ab Angelo Dan. 3. & cœleſti rore refrigerium aſſumunt: & ecce dilectus filius tuus,quem in medio tormentorum pro nobis ſeruis tuis & inimicis poſitum, non vis, nec permittis etiam amplius matris conſolationem recipere,quem ſic ab ea diuidis.Ita Pater,quoniam ſic placitum fuit ante te, quem etiam & tu in Cruce derelinquere decreuiſti. Sicut enim tradidiſti eum, & derelinquere voluiſti, ſic à matre & à cunctis deſeri permittis. Cœlum & terra deſerunt, & ſecundum quod definitum eſt, vadit.

O miſeri peccatores, ſi hæc in viridi ligno fiunt, quid in ſicco? & ſi hæc tormenta talia & tanta ſunt in filio Dei & matre eius, quid quæſo erit in peccatoribus, quorum conſummatio proxima eſt?Chriſtus ergo ad mortem rapitur, & dolens eius mater ſequitur cũ aliis mulieribus ipſum lamentantibus.Sequamur & nos, hanc doloroſam mortem comitantes. Sumus omnes de familia Chriſti,ſimus igitur omnes Crucis eius participes. Moritur pro peccatis noſtris,& nos propter ipſum moriamur peccatis. Baiulans ſibi Crucem exiuit, & vadit in Caluariæ locum, exeamus & nos poſt eum,improperium noſtrum portantes, id eſt, crucem noſtram. Clamat hodie omnibus quod ſemel aliquando dixit:Si quis vult venire poſt me,tollat crucem ſuam,& ſequatur me. Sequamur ergo, & crucem noſtram tollamus.

O Domine, virga directionis noſtræ virga re- Pſ. 44. gni tui. Iniquitas Adæ hominẽ curuauerat, quem Deus fecerat rectum;cùm autem Chriſtus in Cruce noſtram iniquitatem ſoluit, ipſum ad Cœlum erexit. Virga regni eius Crux à qua regnauit Deus, *Crux Chriſti* virga fuit, & eſt noſtræ directionis. Chriſtus, ait *virga noſtræ directionis* S. Petrus, paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens 1. Pet. 2. exemplum,

exemplum, vt sequamini vestigia eius. Si compatimur, dicit Apostolus, & conregnabimus, si hæredes Crucis fuerimus, cohæredes & gloriæ erimus. O quàm beati qui Crucis Christi sunt participes!

Crux Christi imponitur Simoni Cyrenæo.

Exeuntes, inquit S. Matth. cum aliis, inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simeonem: hunc angariauerunt, vt tolleret Crucem eius. Homo iste populum fidelem & Christianum repræsentat: Simon enim interpretatur obediens, & audiens. De hoc prædictio erat in Psal. *Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* In auditu auris, id est, in fide: fides enim ex auditu, ait Apostolus. Vnde Christus ipse dixit: Omnis qui audiuit à patre meo, venit ad me. Cyrenæus interpretatur paries. Paries vnus Synagoga erat: paries alter Gentium nunc fidelium Ecclesia, quos adinuicem coniunxit lapis vnus Christus, qui factus est in caput anguli.

Ps. 17. Rom. 10. Ioh. 6.

Quod igitur ille Simon Cyrenæus post IESVM Crucem tollat, hoc repræsentat, quod iam in Ecclesia Crux Christianis & fidelibus post Christum portanda relinquitur, & omnibus imponitur, sine qua iam nemo introibit in gloriam. Crux clauis est Cœli. Itaque dicamus nunc, ô Christiani, absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi. Non sunt condignæ passiones ad futuram gloriam, quæ per Christum, & Christum crucifixum reuelatur nobis. In Cruce spes mea est & gloria, in Cruce vita est, in qua Christum video quem adoro, & Crucem cum eo. Illam suspicio, veneror, & colo gestatam Christi humeris. Procul salutemus eam & propè, & dicamus illi omnes, Aue. *O Crux aue*, &c.

Ingredimur hodie omnes illam processionem funestam, & luctuosam comitiuam IESV Christi, in qua præcedunt, circumstant, & sequuntur eum Augusti milites, & ministri Pilati, Scribæ & Pharisæi, senioresque populi: in qua Christum sequitur Simon Cyrenæus gestans Crucem cum illo. Nos cum Maria matre accedere studeamus, sequi, & tollere Crucem, non grandis adhuc restat via, vt ad Caluariæ locum perueniamus. Ecce aduenimus. Et venerunt in locum, ait S. Matthæus, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus. Ille locus vbi multa damnatorum iacebant corpora, in eo mori voluit salus nostra & vita. In memoriam redit illa Ezechielis historia, de qua mentio fit cap. 37. Manus Dominus eduxit me, & dimisit in medio campi, qui erat plenus ossibus siccis vehementer, & dixit ad me: Putásne viuent ossa ista? Et dixi: Tu scis Domine. Et dixit mihi, dic eis; Ossa arida audite, hæc dicit Dominus: Ecce intromittam in vos spiritum, & viuetis. Et factus est sonus, me loquente, & ecce commotio; & accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam, & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt. Talis futurus est in campum Caluariæ Christi Domini aduentus. Morte sua, emissioneque Spiritus sui, mouebitur terra, & multa corpora resurgent. Sed vtinam fiat hodie, vt mortui in peccatis, vita moriente, ad vitam resurgant, & gratia Spiritus emissi reuiuiscant ad gloriam.

Ezech. 37.

Quapropter ô ossa arida audite, peccatores & mortuorum cadauera audite. Hodie dicit Dominus: Ecce intromittam in vos spiritum, & viuetis. Commotio inter vos fiat, charissimi. Tempus est conturbari, condolere & compati: vnusquisque ad iuncturam suam, ad Christum accedat. Accedite

A peccatores, & vos iusti accedite, & deponentes omne circumstans peccatum, aspicite modò in authorem fidei, & consummatorem IESVM.

Nunc igitur quid Iudæi Christo faciunt, attendamus. Ipsum crucifigunt, & cum eo alios duos, medium autem IESVM. Heu! quid nunc oculis cernimus? IESVM, Dei filium, Cruci affixum, nudum, excoriatum, leprosum, deformem, virum dolorum, percussum à Deo, & inter peccatores deputatum. O vos omnes attendite & videte, &c. Heu! quis nunc poterit exprimere tormenta quæ patitur Rex gloriæ in hoc monte Caluariæ? super lignum istud Crucis, animæ eius angustias, & acerbos dolores corporis, in exten-
B sione membrorum, perforatione, & confixione clauorum? Hodie impletum est in se, quod dixerat Dauid: *Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea.* Peccatores in eum iam aspicite, & dum sic affixus Cruci in aëra leuatur, in eum oculos & mentem attollite, vt dum oculis opprobrium & dolores conspicis, mente & gloriam, & pretium agnoscatis.

Ælianus in histor. refert, quod dum aliquis pro quadam exigua pictura multum pretium alteri obtulisset & dedisset, & à quodam rustico propterea rideretur vt insanus, ille statim ad eum dixit: Si tu oculos meos haberes, non irrideres. Ita hodie dico, si oculos haberemus, non am-
C plius corporis, sed mentis, oculos ad contemplandum, ô quàm illam picturam in Cruce, (exiguam quidem & vilem oculis nostris) æstimaremus! Hodie prædicamus Crucifixum, Iudæis scandalum, Gentibus stultitiam, vocatis autem, & Dei electis, sapientiam & virtutem. Ecce iuxta Crucem video appretiari, atque honorati, cuius dicam in opprobriis, & effusione sanguinis, non est pretium, illudi, capita moueri, fel dari, sortemque super vestimenta mitti, & illa adhuc omnia vt dolores mortis aggrauantia sustinet.

Ælian.

Quibus oculis Crucem Christi aspicere debeamus.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & pro augmento pretij, dolorosam matrem videte iuxta Crucem filij. Dum enim in ea ille pen-
D debat, iuxta eam illa stabat. O quàm tristis & afflicta fuit illa benedicta mater vnigeniti! Agar famula Saræ intueri non potuit Ismaëlem filium suum morientem præ siti. Non videbo, ait Gen. 21. puerum morientem, & abiecit eum sub vnam arborem. Et Maria ancilla Domini, filium suum & Dominum præ multitudine tormentorum morientem absque dolore videre poterit? O quis numerum dolorum Mariæ iuxta Crucem posset enarrare? Christus siti moritur in Cruce, & intrauerunt aquæ in animam Mariæ, Maria peruenit vsque ad Crucem, & vsque ad cor Mariæ dolores Crucis peruenerunt. Christus in altum eleuatus est, vt videretur ab omnibus, sed maximè vt sic
E hodie videretur à matre. O quàm mutuus ille cõspectus origo extitit dolorum, qui minimè vnquam explicari poterunt! Filius in matrem deprimebat oculos, & illa tali aspectu recipiebat & repræsentabat vt speculum omnes dolores eius; sed vix dicam talem aspectum sustinere poterat. Mariæ amor cogebat in filium oculos leuare, & statim compassio cogebat eos deprimere. Verè illa hora definita erat, in qua doloris gladius pertransiuit animam eius.

Maria iuxta Crucem.

Gen. 21.

Eua prima oculos iecit in arborem, & vidit quod aspectu lignum esset delectabile. Delectata est Eua in obiecto peccati sui. Maria virgo, te-

Gen. 3.

paratrix Euæ, leuat in arborem oculos, & videt A lignum, dicam oculis & aspectu delectabile? Ita, & plus dicam, bonum ad vescendum: & in tali obiecto vitæ nostræ gaudet Maria. Ipse enim fructus benedictus quem in ventre portauit, & nunc in ligno pendentem conspicit, materia est & ratio gaudiorum eius. Sed etiam dicamus quod angustiarum materia fuit, cùm filium speciosum præ filiis hominum, fructum virginis & splendorem patris, ita deformem in hoc ligno videt, contritum, & virum dolorum, despectum & nouissimum omnium. Adeò vt plus doluerit, sic eum videndo, quàm Eua delectata est fructu delectabili aspectu.

Christus septies clamat. Sed de Cruce quid audio? Omnes attendite. B Septies clamat in Cruce, qui toties clamauit in Synagogis & in Templo. Quare clamat in Cruce septies? hoc non sine mysterio est. In Apocalyp. *Apoc. 15.* visio est septem Angelorum habentium septem plagas nouissimas, ad consummationem iræ Dei, septem quoque phialas plenas iracundiæ Dei viuentis in sæcula sæculorum, quibus diuinæ vltionis decretum in nos satis per se innotescebat. Quid fecit Dei filius? eo tempore quo iam plaga *Num. 16.* sæuiebat, & egredi ad nos ira incipiebat, vt alter Aaron, assumpto thuribulo humanitatis, & igne iræ Dei atque Passionis, de Altari obedientiæ, stans inter mortuos & viuentes, in loco Caluariæ, inter Deum & homines, pro populo deprecatus est, & cessauit plaga. Igitur contra illas septem phialas iræ Dei, & plagas septem nouissimas ad consummationem iræ, Christus septies in Cruce loquutus est.

1. Verbum Christi in Cruce. O vos omnes attendite, & primum eius clamorem audite, primum Christi verbum in Cruce: Pater ignosce, & dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Ignosce, quia animam meam pono pro eis. Nesciunt quid faciunt, si enim me cognoscerent, Dominum gloriæ non crucifigerent. Et ego pro eis sanctifico meipsum, offero meipsum; pro eis igitur istud accipe sanguinis mei pretium, & ignosce illis. Inter pulchriora Christi verba, illud certè primum est; Ignosce illis. O verbum D magnæ dulcedinis, & indicibilis charitatis! dicit *S. Ansel. Ser. de Pass.* S. Anselm. Christus in Cruce leuatur, irridetur, blasphematur, & ecce dicit: Pater ignosce. O verbum magnæ patientiæ, verbum magni amoris! Non suam attendit iniuriam, nec reputat pœnam, non obliuiscitur misereri, sed ipsis potius, à quibus patitur, compatitur; vitam procurat à quibus occiditur, orat pro eis, & non vltionem petit. Pater ignosce; & iam per me accessum habeant peccatores ad thronum gratiæ tuæ, ab illis tuus filius agnoscat, & ab his etiam qui mecum sunt in hac Cruce, vnus latro mecum sit hodie in paradiso.

Vnus de his qui pendebant latronibus, dicit E S. Lucas, blasphemabat eum; aliter verò increpabat dicens: Neque tu times Deum, & nos digna factis recipimus, hic verò nihil mali egit. Et dicebat ad IESVM: Domine memento mei, cùm *2. Verbum Christi in Cruce.* veneris in regnum tuum. Et dixit illi IESVS: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. *S. August.* Ecce Crux, ait S. August. Serm. 130. de temp. si attendas, tribunal fuit: in medio enim Iudice constituto, vnus qui insultauit, damnatus est: alter qui credidit, liberatus est. Hodie, ait illi IESVS, mecum eris in paradiso. O liberalitatem Christi in Cruce admirabilem! Quid tu Domine, ait S. Cyprian. contulisti amplius Stephano? quid amplius *S. Cyprian. ep. 73.* obtinuit ille dilectus tuus, qui super pectus tuum in cœna recubuit? quid amplius Pauli meruêre sudores? & quid amplius omnes labores Sanctorum? Vna hora huic collatum est præmium, ad quod illi per discrimina peruenerunt. O Domine, modò cur tam liberalis in Cruce es, video, perforatas manus habes, nihil retinere potes, omnia cadunt de manibus tuis.

Tertium verbum IESV Christi in Cruce, illud *3. Verbum Christi in Cruce.* fuit, quo matrem suam discipulo, & discipulum matri commendauit, vt ille Euangelista notauit sic. Cùm vidisset IESVS matrem stantem iuxta Crucem, & discipulum quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde discipulo: ecce mater tua. O virgo, quæ est mutatio ista? Cuius nunc mater es, & cuius fuisti? heu! non parum tuus renouatur dolor. An non tibi plusquàm gladius fuit sermo ille, ait S. August. reuera pertransiens vsque ad diui- *S. August.* sionem animæ & corporis, Mulier, ecce filius tuus? O commutatio! Iohannes pro IESV tibi traditur, seruus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero.

O separatio amara & dura! Dura quidem ob maximam vnionem quæ inter matrem & filium talem erat. Sed quid? & hoc talem matrem decuit quæ statim audiuit filium dicentem, & voce C magna, Eloi, Eloi lammasabacthani. Deus meus, *4. Verbum Christi in Cruce.* Deus meus vt quid dereliquisti me? Heu! vnde vox ista? & vbi illa Iohan. 11. Sciebam quia semper me audis, & quia tu pater in me, & ego in te? Deus meus, vt quid dereliquisti me? me, quem minimè deserere potes? Hoc igitur dicit, non quod humanitas fuerit in morte à diuinitate separata; aut anima à Deo derelicta, sed quia tunc subtractio fuit consolationis, vt passio non solùm corpus, sed etiam animam attingeret, eique adueniret in Cruce, & amplius adhuc, quod in horto Gethsemani accidit illi, cùm in agonia factus dixit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem Crucis.* Hæc siquidem tristitia cœpta tantùm in horto est, in Cruce autem impleta & consummata est. Propter quod ait, Deus meus, Deus meus vt quid me dereliquisti?

Origenes in Matth. triplicem sensum & ex- *Origen. in Matt. tract. 35.* positionem refert in hæc verba. Primò, quod illa verba intelligi debeant comparatiuè, id est, comparatione facta gloriæ miraculorum & tot mirabilium quæ antè faciebat, ratione quorum dicebatur Deus esse in illo, cum præsenti dedecore Crucis, ratione cuius videtur, & dicitur quasi derelictus à Deo.

Secundò, vt talis derelictio intelligatur tantùm in hominum opinione, non autem reipsa. Qui enim in eo statu videbant, quasi derelictum indicabant, sicut apud Isaiam dicitur: Et nos putauimus eum percussum à Deo, & humiliatum. Ecce genus derelictionis.

Tertiò denique, talem derelictionem hoc modo explicat: quod tunc Christus significabat fructum suæ Passionis ad paucos peruenturum, vt sit sensus. Pater, vt quid me dereliquisti? me reliquisti cum tam paucis qui electi sunt vt sint participes meæ Passionis? Pro cunctis patior & morior, & pauci tamen futuri sunt, qui gaudia consequentur æternæ salutis, Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?

Sensus

5. Verbum Chriſti in Cruce. Senſus iſte cum verbo immediatè pòſt ſequenti conuenit; ſtatim enim ſubiungens, ait, Sitio. Quid Domine ſitis? ſalutem & redemptionem hominum; ſitio fidem veſtram, gaudium veſtrum. Sitis tua Domine, quam habes in Cruce, ſitis eſt amplius, atque amplius benefaciendi hominibus. Sed heu! dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto, dicit Dominus.

Vnde etiam iuxta conſummationem malitiæ & peccati hominum, quæ, vt videbatur, non poterat amplius excreſcere, accepto in ſpongia ab illis aceto, dixit IESVS; Conſummatum eſt. (6. Verbum Chriſti in Cruce.) Verè conſummatum eſt, vbi hominis conſummatum peccatum filio Dei mortem generauit; vbi conſummatio fuit regni peccati, regni diaboli, atque poteſtatis tenebrarum; vbi perfecta conſummatio fuit legis, atque prophetarum, hoſtiarum, atque figurarum. Hic figura Iſaac, Iacob, Ioſeph, atque Dauid contra Goliath conſummata eſt: hic figura Noë in arca: hic denique myſterium illud ſerpentis ænei à Moyſe in ligno exaltati, hodie conſummatum eſt. Opus iuſtitiæ patris, dilectionis filij, & humanæ Redemptionis hodie conſummatum eſt.

Hodie tandem moriens repetit, quod cùm iret ad mortem dicebat patri. Opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam, nunc ad te venio. Conſummatum eſt; Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Iam tibi obtuli corpus & ſanguinem in ſacrificium, nunc tibi holocauſtum integrum facio, totum tibi offero. (7. Verbum Chriſti in Cruce.) In manus tuas commendo ſpiritum meum: à te exiuit, & nunc ad te vadit. Et clamans voce magna expirauit, & inclinato capite tradidit ſpiritum. Vita noſtra extincta eſt, fiant tenebræ ſuper terram. O mortem Dei, Deus pro homine, & creator pro creaturis moritur! filius Dei factus homo pro homine expirauit! Chriſtus innocens pro nocentibus tradidit ſpiritum!

Sed quomodo expirauit? clamans. Et quomodo emiſit ſpiritum? inclinato capite. Clamans ſpiritum tradidit, in ſignum amoris & voluntatis: clamans, vt oſtendatur quia adhuc vita plenus erat, in fortitudine, & non deliquio vitæ. Tradidit, quia non inuitus emiſit. Quod enim emittitur & traditur, voluntarium eſt: quod amittitur, neceſſarium. Inclinato capite, in ſignum obedientiæ, vt oſtendat quia ex mandato & obedientia mortuus eſt. (Mors Moyſis figura mortis Chriſti.) De Moyſe legitur quod mortuus eſt in terra Moab, iubente Domino. Hebræum dicit, *in oſculo oris Domini, ſuper ore Domini*. Ita hodie verus legiſlator Moyſes Chriſtus, (aſſumptus de aquis tribulationum) mortuus eſt in loco Caluariæ, iubente Domino, ex obedientia, ſuper ore Domini, in oſculo oris Domini. Inclinato capite tradidit ſpiritum, in ſinu patris, ex amore patris, expirauit, mortuus eſt.

Iam quid poſt talem mortem acciderit, adhuc conſiderandum eſt. Non ſatis illi fuit quod nobis vitam ſuam & mortem dederit, etiam omne quod illi poſt mortem ſupereſſe poterat, nobis largitus eſt. Vnus militum aperit latus eius lancea, & de eo continuò exiuit ſanguis & aqua. O ſitientes venite ad aquas. Petra exciſa eſt, venite & bibite omnes. Qui non habetis argentum, properate, loquimini ad petram, ipſa dabit vobis aquas. (Zach. 13.) Apud Zachariam ſic prædictum iſtud erat: In illa die erit fons patens domui Dauid, & omnibus habitantibus Hieruſalem. Ecce fons patens, apertum Chriſti latus.

In arca Noë feneſtra facta eſt, per quam ſaluandis pateret ingreſſus, & ne ſuffocarentur aquis diluuij. Ecce feneſtra facta in arca Noë, vulnus late-
A ris Chriſti Saluatoris, quo patet aditus ad ſalutem. Sed heu! nôn vna tantùm feneſtra in illa arca ſancta eſt, ſed multæ ſunt, in capite, manibus, pedibuſque: ſicut non vnus fons tantùm, ſed multi ſunt. Geneſ. 2. multi erant fontes egredientes de paradiſo ad irrigandam totam terram. Sic hodie de Chriſto paradiſo & gloria patris, multi emanarunt fontes ad irrigandam Eccleſiam: ita vt nunc liceat accedere omnibus, & haurire aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Pater dixit illi: Deriuentur, (Prouerb. 5.) ô fili, fontes tui foras, & diuide in plateis aquas tuas. Ille obediens vſque ad mortem fontes aperuit, latus, fontem maiorem, & clamat de Cruce: Si quis
B ſitit, veniat ad me.

Nunc igitur in altum, in hanc Crucem & Crucifixum oculos attollamus: exinde enim nobis bona omnia fluunt, exinde eſt ſcaturigo aquarum. (Laudes Crucis.) Crux Chriſti ſimul eſt lignum vitæ, & porta Cœli. Scala eſt Iacob, à terra in Cœlum erecta, cui Dominus non ſolùm innixus, ſed etiam hodie remanet affixus. Iam rationem perpendite, cur Angeli deſcendunt per eam, & aſcendunt, ſcilicet vt venerentur eam cui Dominus affixus conſpicitur: & admirentur virtutem eius, qua via datur hominibus ad Cœlum.

Sed adhuc iſta ſcala in Cœlum eleuata eſt, quia
C nunc omnis gloria noſtra in Cruce eſt, ſicut Apoſtolus Paulus dicit: *Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, & Gentibus ſtultitiam: vocatis autem virtutem Dei & ſapientiam.* Pereuntibus verbum Crucis ſtultitia ſit: nobis verò, & iis qui ſalui fiunt, virtus Dei eſt. Huius rei figura eſt ex S. Aug. in illa virga Moſis verſa in ſerpentem, qui deuorauit alios. (S. Aug. Ser. 16. de temp. *Quid denotabat virga Moyſis in ſerpentem conuerſa.*) Quare illa virga, dicit S. Aug. in ſerpentem potiùs quàm in Leonem conuerſa eſt? Quia Crux, quæ ſtultitia habetur à Iudæis & Gentibus, ſapientia ſancta facta eſt, quæ omnem huius mundi ſapientiam deuoratura eſt, (ſerpens enim ſapientiæ ſymbolum eſt.) Quibuſnam verò illa Crux virtus & ſapientia eſt? Audite quæſo, iis qui ſalui fiunt, qui in toto corde ſuo ad
D Deum ſe conuertunt, qui in Crucem ſedulò aſpiciunt, & in Crucifixum.

Fructus iſte eſt paſſionis & mortis Domini mei IESV Chriſti, in hac Cruce pendentis, totaque ratio tuæ, ô homo, ſalutis. Quare tibi hodie & ſemper dico cum illo Doctore magno S. Auguſt. (S. Aug. l. de virg.) Inſpice vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis. Caput habet inclinatum ad oſculandum: cor apertum ad diligendum: brachia extenſa ad amplexandum: totum corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſint cogitate; hoc in ſtatera cordis veſtri appendite, vt totus vobis figatur in corde, qui pro nobis totus eſt affixus in Cruce.

Verùm & tu, ô Pater æterne, nunc aſpice in piiſſimum filium, pro me tam impia paſſum, reſpice pie
E Pater, quis patitur, & pro quo patitur. Qui patitur & mortuus eſt, tuus filius eſt: pro quo patitur & mortuus eſt, homo eſt. Reduc Domine, tuæ oculos Majeſtatis ſuper hoc opus ineffabilis pietatis, & reſpiciens in faciem Chriſti tui, ſimul aſpice in me, & miſerere mei.

* * *

DOMINICA RESVRRECTIONIS IESV Christi.

DE RATIONIBVS ET gloria Dominicæ Resurrectionis.

Surrexit, non est hic. Marc. vltimo.

CONSOLATIONEM nostram nobis hic dies lætitiæ reddidit in Resurrectione IESV Christi vitæ nostræ. Mors mortua nunc est, morsusque Inferno datus est. Dies est quam fecit Dominus, exultemus omnes. Vita nostra abscondita cum Deo in Christo, nobis hodie manifestata est. *Surrexit, non est hic: ecce locus vbi posuerunt eum.* Iob in suo sterquilinio, ab vxore & amicis illusus, nobis referebat nimium & vehementem Christi dolorem in sua Passione. Postea verò multo ditior quàm antea factus, adhuc hodie Christum nobis in gloria sua resurgentem repræsentat.

Iob figura Christi in Passione & Resurrectione.

Euseb. Euseb. hom. 8. de Paschate, de Gigante narrat contra quem Hercules luctabatur, qui surgebat fortior cùm ad terram prosterneretur. Fabulosum istud est; sed de Christo veritas est, qui vocatur Gigas. Ps. 18. Exultauit vt Gigas ad currendam viam, à summo Cœlo egressio eius: & occursus eius vsque ad summum eius. Filius explicabit verba patris, Salomon Dauidis, videlicet Ecclesiastes dicens: Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat per meridiem. Cùm Sol ab Oriente ruit in Occidentem, ibi non permanet, sed ad summum suum, videlicet, Orientem, vnde exierat, reuertitur. Christus de vita processerat ad mortem, tanquam Sol de Oriente in Occidentem. Sed numquid in sua morte & Occidente remanet? Nequaquam, sed in suum Orientem regreditur, de morte in vitam: & occursus eius vsque ad summum eius, vt videlicet per meridiem gloriæ & splendoris suæ Resurrectionis gyret, nos illuminans & accendens spe gloriæ & futuræ nostræ resurrectionis.

Ps. 18. Eccles. 1.

Adeò hoc præuiderat Zacharias, videlicet adinstar Solis futuram Resurrectionem Domini, vt ab eo Sol oriens nuncupetur. *Ecce vir oriens nomen eius.* Oriens hic pro Sole ponitur, iuxta illud Malachiæ vlt. *Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol Iustitiæ.* Sol ille Christus est, qui morte sua Iustitiæ patris satisfecit, & ex Iustitia cum gloria & immortalitatis dote resurrexit. Ecce quomodo Sol oriens nomen eius. Et hoc nomen illi conuenit, cuius est oriri, qui semper oritur, & cuius ortus, seu generatio in æternum durat. Filius meus es tu, dicit illi pater, ego hodie genui te. Sic à patre fuit egressio eius, à quo ab æterno, & nunc & semper oritur, Deus de Deo: & sic in tempore de virgine matre egressus est homo. Vnde etiam hodie gloriosus exiuit in sæcula de sepulchro. *Surrexit, non est hic.* Refulsit Sol qui priùs erat sub nubilo. Verè vt Sol Christus hodie de sepulchro refulsit, & de Occidente mortis. Sicut enim Sol ita subtilis est, vt nihil ei resistere possit, quin statim summo mane oriatur: ita Christus verus Sol Iustitiæ, tantæ subtilitatis fuit in sua gloriosa Resurrectione, vt nihil impedierit quominus summo mane surrexerit. Id prædixit Osee: Quasi diluculum egressus eius.

Christus propter Resurrectionem suã nuncupatur Sol oriens. Zacha. 6. Malach. vlt. 2. Macha. 1.

Cùm de virgine primò egressus est, hoc fuit in media nocte; vtique quia properabat ad Occidentem mortis. Cùm verò de morte resurgit, istud fit A summo mane, diluculo, quia ad vitam & ad Orientem æternitatis suæ redit; iuxta illud Apost. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors vltrà illi non dominabitur. Proptereaque hodie sic pater ad filium suum in sepulchro iacentem loquutus est ex propheta Dauid: Exurge gloria mea, exurge psalterium meum. Cui filius statim: Exurgam diluculo. Paratum cor & corpus meum, Deus: cantabo & psallam in gloria mea. In gloria Resurrectionis meæ cantabo victoriam & vitam.

Rom. 6. Ps. 56. & 107.

Pater autem filium suum, gloriam suam & psalterium vocat, eo quod per eum glorificatus est in terra; atque in Cruce velut in cithara, vbi nerui sanctæ humanitatis eius extensi sunt, illam dulcem B decantauit melodiam: Pater ignosce illis. In manus tuas commendo spiritum meum. Sitio. Voce magna clamo: Consummatum est. Ecce melodia, quæ constans omnibus Musicæ partibus & concordantiis, patrem oblectauit, peccatorum veniam meruit, gratiam generis humani, & ipsius filij gloriam Resurrectionis, atque vt illi diceret dormienti in sepulchro: Exurge gloria mea, exurge psalterium meum, & cithara. Et ille in resurgendo obediens sicut moriendo, exurgeret diluculo.

Quomodo filius dicitur gloria, & psalterium patris.

Ecce igitur, quomodo occasu præterito mortis, tandem aduenit optatissimum diluculum Resurre- C ctionis. Quod omnes Euãgelistæ annotarunt. Apud Luc. valde diluculo venerunt mulieres ad monumentum. S. Iohan. dicit, mane cùm adhuc tenebræ essent. Et S. Matt. à vespere Sabbathi dicit egressas. Noster verò S. Euangelista Marcus notat, cùm transisset Sabbathum, mulieres, scilicet Mariam Magdalenam, Mariam Iacobi, & Salome, emisse aromata, vt venientes vngerent IESVM: & valde mane venisse ad monumentum, orto iam Sole; illo equidem qui est Christus Sol Iustitiæ. Dicebant autem illæ adinuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes reuolutum viderunt, & introëuntes, iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida, qui dicit illis; Nolite expauescere. D IESVM quæritis Nazarenum crucifixum. Surrexit, non est hic, ecce locus, vbi posuerunt eum. Ite, & dicite discipulis eius, & Petro, &c.

Luc. 24. Ioh 20. Matth. 28. Marc. 16.

In memoriam venit illa accommodatissima Resurrectioni Christi historia Iacob, qui fugiens Esau fratrem suum primogenitum, cùm in Mesopotamiam pergeret, venit ad quendam locum, in quo cùm voluisset quiescere post Solis occubitum, de lapidibus qui iacebant, supposuit capiti suo, & ibi dormiuit, vbi & scalam vidit, cuius extremitas suprema attingebat cœlos, & mane euigilans, surgensque, dicit quod locus iste sanctus esset. Iacob interpretatur supplantator, in quo repræsentatur Christus, qui in natura & qualitate hominis primogenitum E fratrem fugiens Luciferum, Esau spiritualem, veniensque in Mesopotamiam huiusce terræ pauperis, (talis enim est interpretatio nominis,) lapide supposito, & exciso in lectum & sepulchrum, dormiuit in illo, vbi scalam vidit, & fecit sibi de Inferis ad Cœlum, cùm euigilans mane surrexit ad gloriam. Item vidit scalam hanc & nobis, cùm nimirum & multorum corpora surrexerunt de monumentis cum eo, & præterea Angeli de Cœlo ad sepulchrum descenderunt: quia equidem nunc hic locus sanctus est, & erit sepulchrum eius gloriosum, vt dicitur Isaiæ 11.

Figura Resurrectionis Christi. Gen. 28.

Mane surgens Christus valde diluculo, reliquit sanctitatem loco, vnde apud S. Ioh. Maria dum in monumento fleret & prospiceret, vidit ibi duos Angelos in albis, sedentes vnum ad caput, & vnum ad pedes,

Isa. 11. Sãctitas monumenti Christi.

pedes, vbi positum fuerat corpus IESV, qui dicunt ei; Mulier quid ploras? & illa cùm respondisset: Quia tulerunt Dominum meum; statim adhuc retrorsum conuersa, stantem vidit eum, nesciens tamen quia IESVS esset, qui dixit ei similiter: Maria quid ploras? & tunc agnouit ipsum, vocans eum Rabboni. Hæc est loci sanctitas, vbi sedent Angeli, conueniunt Apostoli, Maria stat & plorat, & adhuc apparet Crucifixi majestas.

Sed cur apparuit, & quomodo adhuc id necessarium fuit? vtique in certius signum quia verè surrexit, & amplius non est hic. Ecce locus vbi posuerunt. Ecce vbi mors mortua est, & deuicta fuit. Ecce & linteamina sola posita, præter Angelicos testes, sudarium & vestes, quæ testantur quod non est hic, quod vita contra mortem dimicauit, & cadauer de faucibus mortis eripuit, quod illa violenter sibi vendicarat, sicut canit Ecclesia, & dicit hodie cū triumpho & gloria. *Mors & vita duello conflixere mirando. Dux vitæ mortuus regnat viuus.* Vnde Abacuc dicit: Cornua in manibus eius, id est, claui, quibus affixus est Cruci, in qua & mortuus est. Ibi abscondita est fortitudo eius; ante faciem eius ibit mors, (vt captiua & victa.) Sic Dauid: De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Torrens vitæ, mors est, vt illa vidua Thecuitis ad ipsum aliquando dicebat: Omnes morimur, & velut aqua dilabimur super terram.

Resurrectionis insignia.
Abac. 3.
Ps. 105.
2. Reg. 14.

Quia igitur de torrente mortis bibit, & obediens factus vsque ad mortem Crucis, caput suum inclinauit: propterea morte deuicta suum caput resurgendo exaltauit, vt per Psaltem ait: Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me, pater in Resurrectione mea exaltauit me. Non timebo millia populi circūdantis me. Quare? Quia tu Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

Ps. 3.

Verùm hic notandum quod ait, dormiui, somnum cepi, & exurrexi. Qui dormit, principium habet in se vitæ, insitum principium quo excitetur sine ope alterius. Ita Christus in morte tantùm dormiebat, qui in se principium vitę habebat: sicut mulieribus Angeli dixerunt. Quid quæritis viuentem cum mortuis? Surrexit, non est hic. Per semetipsum surrexit, factus sine adiutorio inter mortuos liber. Per semetipsum à somno suo excitatus est, & non sicut alij, qui alterius ope suscitati sunt & resurrexerunt. Resurrectio sicut mors in potestate & voluntate Christi fuit, vt dixit: *Habeo potestatem ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.* Hoc autem modo Resurrectio eius facta est, videlicet per reünionem animæ eius cum corpore, (nihil enim aliud est resurrectio.) In morte diuisio fuerat animæ à corpore: & dicam in Christo, vsque ad destructionem Incarnationis, humanitatis enim partes separatę fuerunt, & sic destructa humanitas, licet tamen Diuinitas numquam deseruerit animam & corpus; corpus quod iacebat in sepulchro, animam quæ descenderat ad patres, vt eos educeret de limbis & Inferno.

Luc. 24.
Quomodo Christus per semetipsum surrexit.
Ioh. 10.
Quomodo resurrectio Christi facta est.

Exemplum sumamus in arcu, in cuius extremitatibus chordula sit connexa; si rumpatur arcus, & in duas partes diuidatur, remanet chordula in partibus. Ita dico de humanitate Christi, quæ in Cruce diuisa est; Diuinitas in vtraque remansit, in anima & corpore sic diuisis, vnde postea illas partes virtute propria reüniens hac die admirabilem illam & gloriosam Resurrectionem operata est. S. Leo Ser. de Pass. Pulchrè, inquit, Deitas, quæ ab vtraque substantia non recessit, quod potestate diuisit, potestate coniunxit. Et certè non alia fuit potestas quæ potuit animam Christi à corpore separare, quàm Diuinitas: sicut post triduum, scilicet tertia die, illas partes adinuicem reünire, & sic à mortuis suscitare, quàm ipsa coniuncta Deitas. Opus istud diuinæ fuit opus potentiæ, atque Majestatis.

Exemplum.
S. Leo Serm. de Passione.

Verùm hic motiua inquiramus, & rationes cur ita Christum resurgere necesse fuerit à morte. Hic tantùm duas referemus. Prima est principium in eo incorruptionis, & ipsa essentialis sanctitas. Hanc causam tangit S. Thom. eamque refert cum multis aliis, quas longum esset recensere. Iuxta ergo illud principium, impossibile erat animam Christi & corpus à morte detineri propter præsentiam Diuinitatis, de quo & propheta loquutus est, dicens in persona Christi: Non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Hoc corpus Diuinitatis & sanctitatis in sepulchro corruptionem videre non potest. Propter hoc lætatum est cor meum: insuper & caro mea requieuit in spe (hodiernæ Resurrectionis.) Notas mihi fecisti vias vitæ. Cuius vitæ? gloriosæ. Et quæ illius fuerunt viæ? vtique Passionis eius varia tormenta, mors & sepultura. Ecce viæ notificatæ Christo Resurrectionis eius & vitæ. IESVM *quæritis Nazarenum crucifixum. Surrexit, non est hic.* Ita est mortuus, vt in sepulchro iacuerit viuus, claues habuerit vitæ, mortis, & Inferni. Ita inclusus, vt liber de suo antro & carcere sit egressus, eiusque imperio & solo nutu terræ motu facto, descenderit Angelus, & reuolutum lapidem amouerit ab ostio monumenti.

Duplex ratio Resurrectionis. 1.
S. Th. 3. p. q. 53. art. 1.
Ps. 15.

In Samson figura est, qui intra vrbis Gazæ valuas cōclusus, ibique dormiens vsque ad medium noctis, consurgens inde, serasque confringens, apprehendit ambas portas cum postibus suis & sera, & portauit exiens vsque ad verticem montis. Item in Ioseph, qui eo quod acquiescere noluit Ægyptiæ mulieri, in carcerem missus est, sed ibi liber erat, claues habens carceris, aliorumque captiuorum redemptor erat. Inuenit gratiam, ait sacer textus, in conspectu principis carceris, qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos qui in custodia tenebantur; & quidquid fiebat, sub ipso erat. Vnde postea etiam summo cum honore eductus est de carcere, in curru triūphali, ita vt omnes coram eo genua flecterent. Ita fortis Samson noster Christus portas munitas sepulchri apprehendens confregit, & ostium cum sera, lapidem signatum armis & sigillo Pilati remouit, sicque egressus est cum gloria, perterritis custodibus. Ita noster innocens & immaculatus Ioseph, ille qui corruptionem non patitur, Dei & virginis filius, in monumenti carcerem coniectus, eo quod Synagogæ acquiescere noluit, ibi claues carceris habuit, ibi omnium captiuorum, & qui in custodia tenebantur, princeps & redemptor fuit: vnde etiam gloriosè eductus est & cum triumpho. Ita vt nunc coram eo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus IESVS in gloria est Dei patris.

Figura.
Iudic. 16.
Gen 39.

Surrexit, non est hic. Gloriosum epitaphium est, quod Angelicus sculptor super lapidem monumenti Christi impressum reliquit. *Surrexit, non est hic.* Inauditum tale est à sæculis. In Mausoleis Regum, Cæsarum, & Alexandrorum scribitur, *hic iacet*; hic autem: *non est hic, surrexit.* Huic epitaphio conueniens apponamus Emblema. Phœnicem ponamus cum hac subscriptione; *A meipsa renascor.* Iob videbatur in persona Christi hoc dicere cùm ait: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. Hebræum dicit, *sicut Phœnix.* Ecce gloria Resurrectionis & æternitatis dierum

Epitaphium super sepulchrum Christi.
Emblema cōueniens epitaphio Christi.
Iob. 29.

Christi. Ecce mysterium atque explicatio veritatis huius: *Surrexit, non est hic.* Surrexit, quia principium in se habebat incorruptionis suæ & immortalitatis. Hæc igitur prima causa fuit & ratio Resurrectionis.

2. Causa Resurrectionis Christi. Secunda causa, vt ostenderet quod propter mortem, & ex ignominia Crucis nihil perdiderat de gloria suæ Majestatis: imò multa sibi & nobis inde acquisierat, ad commendationem Iustitiæ patris, cuius est exaltare humiles. Mementote quæso, Christum IESVM humiliatum fuisse ad obediendum patri vsque ad mortem Crucis. Quare hodie Deus pater exaltauit illum vsque ad gloriam Resurrectionis; sicut filius patri dicebat per prophetam: *Psal. 138.* Tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam. Id est, ô pater, meam approbasti humilitatem in morte, nunc autem gloriam in Resurrectione: & sic ad commendationem Iustitiæ tuæ, in æternum ingredior statum gloriæ meæ, vt iam omnes agnoscant quia ex obedientia mea nihil perdidi de mea excellentia, nihilque gloriæ meæ subtractum est ex ignominia & passione Crucis. Quare nunc hodie statum hunc Resurrectionis & gloriæ ingredior.

Distinctio inter esse gloriæ & statū gloriæ. Statum gloriæ dico: & quæso hoc demum notetur; distinctionem enim aliquam inuenire possumus inter esse & statum gloriæ. Æternus pater semper habuit esse & statum gloriæ: filius verò Dei, quamuis semper esse gloriæ habuerit, non tamen semper fuit in statu gloriæ. Cùm enim in mundum venit, huius status priuationem sustinere voluit, maximè verò in Cruce, ita vt dicere possimus, illum hodie statum gloriæ in Resurrectione sua assumpsisse, & quasi de nouo ad illum rediisse, vt patri sit in omnibus æqualis. Eiusmodi est magnitudo patris, vt semper & esse & statum habuerit gloriæ, & numquam ab iis exierit. Magnitudo verò filij talis est, vt licet numquam esse gloriæ amiserit, tamen in hunc mundum veniens, statum ipsius deposuerit, in quem hodie cum decore claritatis suæ resurgendo reuertitur. Iste est status, gloriæ status, quem morte sua sibi & nobis mereri voluit; resurrectione autem sua sibi & nobis acquisiuit.

Ephes. 1. & 2. Hoc Apostolus commemorat ad Ephes. scribens, & non cessans gratias agere pro omnibus Deo, quia, inquit, pater gloriæ secundum operationem potentiæ virtutis suæ, suscitauit IESVM à mortuis, constituens eum ad dextram suam in cœlestibus, id est, æqualem sibi in omnibus, & omnia subiecit sub pedibus eius, ipsum dans caput supra omnem Ecclesiam. Et quod præterea, cùm essemus mortui peccatis, conresuscitauit nos, & consedere fecit in cœlestibus in Christo IESV, vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ super nos in Christo IESV.

Ecce quomodo & quousque Resurrectionis Christi facti sumus participes, qui etiam, ait *Rom. 14.* Apostolus, propter iustificationem nostram resurrexit, sicut propter delicta nostra se tradidit. Simus igitur hodie cum Christo, & in illo Resurrectionis & gloriæ consortes. In nouitate vitæ ambulemus omnes. Resurrectio mortem præsupponit, moriamur & nos, moriamur peccato, vt resurgere mereamur cum Christo. Confitemini in nouitate vitæ vestræ, quia Dominus resurrexit verè, & apparuit vobis. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est, in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Bonus odor Christi in omni loco estote. Mementote vnguenti cum quo mulieres ad monu-

A mentum venerunt, quæsierunt Dominum, & inuenerunt. Sic ipsum adite, quærite, inuenite. Bonus odor Christi estote; si consurrexistis cum eo, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, bonisque operibus & conuersatione sancta testimonium coram Deo, Angelis, atque hominibus perhibete, quod Dominus IESVS in vobis surrexit verè.

FERIA SECVNDA Paschæ.

B DE FRVCTIBVS Resurrectionis, & necessitate Passionis.

Nos sperabamus quia esset redempturus Israel. Luc. 24.

CHRISTVS IESVS adeò gloriam suam vtilitati nostræ coniunxit, vt totus noster esse videatur, nihilque fecisse nisi nobis. Non loquar hic de creatione vniuersi ad vsum hominum: maiora enim propter eos video facta esse per Christum, C qui totum se dedit eis, & in eorum vsus. Si in mundo nascitur, eis: si conuersatur in terra, cum eis: si patitur, atque in Cruce moritur, pro eorum peccatis: hodie si resurgit, pro eorum vita, resurrectione, & gloria. Sic Isaias de natiuitate eius loquens ait: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*, non Angelis, sed nobis. Sic Baruch de conuersatione eius: *In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*; non cum Seraphim & Cherubim, sed cum hominibus. Sic Apostolus de morte & Resurrectione eius: *Propter delicta nostra traditus est, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Non propter delicta Angelorum moritur, sed hominum. Hodie non propter iustificationem præuaricatorum Angelorum, sed hominum resurrexit. In D omnibus mysteriis, à bono & vtilitate hominum gloriam suam Christus non seiunxit. Tales fuêre fructus quos de Resurrectione Domini collegimus, & de altissimis causis huius mysterij. Causas illas modò inquiramus, vt in illis meliùs atque vtiliùs prouentum nostrum atque vtilitatem videamus. *Christus totus nobis.* *Isa. 9.* *Bar. 3.* *Rom. 4.* *Rationes diuersæ Resurrectionis, in quibus includitur vtilitas hominum.*

1. Ratio. Fidei instructio. Prima igitur ratio & causa fuit ad instructionem nostræ fidei, quæ simul est de diuinitate, & de humanitate Christi; vtrumque enim fidei obiectum est, & vnum sine altero credere minimè sufficit. Creditis in Deum, & in me credite, dicit Dominus. Qui credit in me, viuet. Qua vita? vtique ea, qua iustus viuit, scilicet ex fide, qua E hominem hunc, videlicet Christum, credimus esse Deum. Vnde rationem & fundamentum veritatis huius dare voluit Resurrectionem suam, quæ tota fidei nostræ instructio est. Tale quidem Matth. 12. signum dedit petentibus, videlicet, in Iona. Sicut, inquit, Ionas fuit in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ. Petitis signum diuinitatis meæ, atque missionis à patre, ecce signū egressio Ionę de ventre Ceti. *Ioh. 14.* *Matt. 12.*

Ioh. 2. Item Iohan. 2. post eiectionem numulariorum de Templo, dixerunt Iudæi: Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? quasi dicerent: in qua potestate & authoritate? Diuina illa est qua hæc facis. Quod ergo signum ostendis nobis? Respondit

IESVS:

IESVS: Soluite templum hoc,(loquens de templo corporis sui)& in tribus diebus excitabo illud. Ecce signum authoritatis meæ,& quia Pater in me manens ipsa facit opera. Signum quia filius Dei sum,erit resurrectio mei corporis templi diuinitatis, & in quo vt in proprio corpore tota plenitudo inhabitat. Ita vt iuxta hunc sermonem Domini, post Resurrectionem recordati sint discipuli eius, quia hoc de corpore suo dicebat, & crediderint.

Ita Matth. 20. assumptis duodecim discipulis secretò,viua voce ait illis:Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur ad crucifigendum, & tertia die resurget. Vnde quia hodie tertia dies erat, in qua nondum surrexerat à mortuis; quod dixerat, & signum dederat diuinitatis, quidam discipuli,isti duo qui ibant ipsa die in Castellum Emmaus,dubitare cœperunt,loquentes adinuicem de his omnibus quæ Christo acciderant, quousque dum sic fabularentur, & secum quærerent, (notate signum dubitationis,) factum est vt ipse IESVS appropinquans iret cum illis,vt sic eos faciliùs confirmaret in fide. Oculi autem illorum tenebãtur,ne eum agnoscerent,& ait ad illos:Qui sunt hi sermones quos confertis adiuuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus,cui nomen Cleophas,dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus?Quibus ille dixit:Quæ?& dixerunt, de IESV Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo. Quem summi Sacerdotes tradiderunt in damnationem mortis,& crucifixerunt.Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël; & nunc super omnia hæc, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt:quasi dicerent,dies transit Resurrectionis eius, & nostræ Redemptionis, quam promisit nobis,explicauit figuris, & nos expectamus. Interim mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum,& non inuento corpore, venerunt dicentes se visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et sic inuenerunt quidam ex nostris,qui abierunt,ipsum verò sicut mulieres non inuenerunt. O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!dicit illis IESVS.

Mira equidem ista res est. Qui non viderunt, nec audierunt quæ sunt futura, crediderunt: qui verò viderunt, & tot audierunt, dubitant, & non credũt.Iob dicebat:Credo quod Redemptor meus viuit. Discipuli autem; Nos sperabamus quod redempturus esset Israël. Quare hodie Christus appropinquans,& eorum incredulitatem exprobrãs, interpretatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant,incipiens à Moyse,& omnibus Prophetis,& ostendens quoniam sic oportebat Christum pati,& resurgere à mortuis, hæc omnia pati,& ita intrare in gloriam suam. Vnde etiam statim ab illis cognitus est in fractione panis, qui dicebant postquam euanuit ab eis: Nónne cor nostrum ardens erat,dum loqueretur in via?& quæ gesta sunt narrabant aliis. Ecce igitur ratio, & vtilitas prima Dominicæ Resurrectionis, circa fidem nostra instructio.

2 Ratio, & vtilitas Resurrectionis Christi. Informatio nouæ vitæ.

Secunda ratio,atque vtilitas spectat ad informationem vitæ fidelium per prædicationem Euangelij; quæ minimè esse poterat absque mysterio Resurrectionis, vt in fine colligitur huiusce capitis. Nam dum isti duo discipuli quæ gesta erant in via, narrabant aliis, & quomodo cognouerunt Dominum in fractione panis: dum hæc, inquam,loquebantur, stetit IESVS in medio eorum, & illis non adhuc credentibus,& mirantibus præ gaudio, post multa signa data suæ Resurrectionis,& explicationem Scripturarum,cœpit sic dicere.Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die,& prædicari in nomine eius pœnitentiam in remissionem peccatorum.Vos autem testes estis horum, vos qui pœnitentiam prædicare debetis, & vitæ nouitatem, testes estis meæ Resurrectionis: & illam prædicare debetis,id est,fructum ipsius,qui pœnitentia est,& resurrectio à peccatis,vita gratiæ in hoc sæculo & sanctæ conuersationis.

Rom.6.

Sic prædicabat Apostolus dicens: Quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Christus resurgens à mortuis iam non moritur: ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo IESV Domino nostro.Ita vt tota vtilitas in nobis sit resurrectio spiritualis;illa resurrectio prima, quæ iustificatio est à peccato, & sine qua nunquam in fine & vltimo die resurgemus ad gloriã;illa resurrectio de qua in Apoc.dicitur:Beatus,& sanctus, qui habet partem in resurrectione prima.In his secunda mors,nimirum æterna, non habet potestatem. Eiusmodi resurrectio prima,vitæ nouæ informatio est,seu regeneratio quam Christus nobis meruit resurgendo, & iuxta quam priùs à peccatis in hac vita resurgere debemus, quàm in futura à mortuis. Sed dicam,& iuxta quam spem habemus futuræ resurrectionis.Sic ait Petr.Benedictus Deus(gratias ille agit Deo Patri,)qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam (supple, futuræ resurrectionis,) per resurrectionem IESV Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem,cõseruatam in cœlis, paratam reuelari in tempore nouissimo.In quo exultabitis,modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus.

Apoc.20.

Quæ est resurrectio prima.

1.Pet.1.

Hic Apostolus vnum nunc & modicum tristitiæ,passionis, & crucis, necessarium ponit ad gloriam futuræ resurrectionis: quia sic oportuit & Christum pati,& sic intrare in gloriam suam.Propterea igitur dixit Apostolis suis:Vos autem testes horum estis; horum, scilicet Resurrectionis meæ, vt eam vbique prædicetis, & fructũ afferatis, prædicantes in nomine meo pœnitentiam in remissionem peccatorum, vitam nouam, conuersationem sanctam, morum integritatem, & resurrectionem penitus spiritualem.Horum testes estis;horum,scilicet meæ Passionis, vt similiter eam vbique prædicetis, & quomodo necesse fuit vt illa præcederet gloriam Resurrectionis:sicut primò dixit in via duobus discipulis Emmaus. Nónne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? & cæteris postea simul cógregatis,quoniam sic oportebat Christum pati,& resurgere à mortuis,& prædicari in nomine eius pœnitentiam, id est, crucis eius participationem; vt omnes agnoscerent necessitatem crucis & passionis, si vellent esse consortes futuræ gloriæ resurrectionis.Sic enim oportuit pati Christum ad gloriam: vt etiam in omnibus videatur necessitas patiendi.

Necessitas patiendi ad gloriam resurrectionis.

Sed videamus modò rationes necessitatis huius patiendi in Christo,& quomodo ille dicere potuit; *Oportuit Christum pati.*Ratio prima est,quia sic definitum erat ab æterno in Deo. Et sic ex parte Dei oportuit, iuxta quod etiam omnes prophetiæ impletæ fuerunt.

Rationes quibus oportuit Christũ pati.

Secunda

Secunda ratio est ex parte verbi incarnati. Propterea enim hominem se fecit Deus, vt pro homine pateretur. Nam, vt dicit S. August. licet non defuerit alius modus possibilis hominem liberandi à peccato & seruitute eius, præter Incarnationem verbi, non tamen conuenientior vllus fuit præter istum, quando nimirum in filio Dei homo pro homine satisfecit Deo.

Quare tertia ratio huius necessitatis ex parte hominum est qui redemptione indigebant, dicente sic Apostolo: Debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret. Indigebant redimendi misericordia Dei: vt misericors igitur fieret Deus, debuit assimilari per omnia fratribus: infirmitate nostra, sed absque peccato, circumdari, vt posset compati, & compatiendo pro Redemptione nostra & salute pati. Itaque si iam ad satisfactionem, quæ in Passione Christi continetur, respiciamus, dicimus absolutè necessarium fuisse ex parte redimendorum: quia præter Deum ipsum factum hominem nemo erat qui satisfacere pro peccato posset. Propterea dixit Christus; *Oportuit hæc Christum pati.*

Heb. 2.

Videamus modò sequentium verborum sensum atque intelligentiam; *& ita intrare in gloriam suam*: quomodo inquam oportuit ipsum per Passionem Crucis intrare in gloriam Resurrectionis. Licet enim ab instanti suæ conceptionis fuerit beatus, eamdémque gloriam habuerit in anima, quam modò possidet, tamen quãtum ad corpus non semper habuit, etsi ratione vnionis deberetur ei: & hoc est quod iam tetigimus, scilicet Christum in terra non semper statum habuisse gloriæ, licet semper habuerit esse gloriæ. Ita vt nunc illum statum, licet debitum, habere non voluerit nisi per Passionem Crucis; vt intelligamus hodie quomodo sicut illum, oporteat nos pati, si voluerimus in gloriam intrare.

Quomodo Christus per Passionem Crucis gloriam adeptus est Resurrectionis.

Primò igitur quantum ad Christum, prosequamur quod de necessitate eius Passionis diximus, & vbi talis necessitatis sit ratio videamus. Pro quo nunc est sciendum triplicem esse gloriam Christi. Prima est ipsius Dei respectu, ipsa Dei visio & gloria, præmiũ essentiale beatorum, quod in ipsa fruitione Dei consistit. Et in hanc gloriam non intrauit per Passionem Christus, quia hanc habuit, vt notauimus, ab instanti conceptionis: nobis eam interim per Passionem acquisiuit.

Triplex gloria Christi.

Secunda est ipsius respectu, quæ consistit in dotibus animæ & corporis. Et hanc per Crucem acquirere voluit. Antea enim anima tristis fuit vsque ad mortem, & vsque ad agoniam reducta. Corpus item fuit passibile, & tandem morti subiectum. Nunc autem exquo in Cruce mortem illam voluntariè passus est, & anima impassibilis facta est, & corpus immortale. Ecce quomodo oportuit. Ioh. 10. Ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Pono, vt iterum sumam. (notate.)

Iohan. 10.

Tertia est hominum respectu, quando scilicet meruit ex humilitate Crucis glorificationem recipere à cunctis, vt Apostolus dicit: Propter quod humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem Crucis, & Deus exaltauit illum, vt omnis lingua confiteatur quia Dominus IESVS in gloria est Dei Patris. Ecce ergo vnde oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam: quando, nimirum, gloriam illam, quæ ei debebatur ratione hypostaticæ vnionis, nouo adhuc titulo sibi voluit comparare, scilicet Passionis. Sicut filius alicuius Regis faceret, qui pro regno & gloria sui patris fortiter pugnaret; illi certè duplici titulo Regnum

Phil. 2.

Exemplum.

A deberetur, naturæ & meriti: tum quia filius est & hæres; tum quia dimicando promeruit. Ita hodie Christus in gloriam suam & regnum intrauit, & ratione vnionis, qua est filius & hæres, & ratione Passionis, qua rursus in sanguine promeruit.

Istud aduertite & intelligite, charissimi, & qui Christiani estis. Nec voluit Pater vt filius intraret, nec filius intrauit in hanc gloriam, etsi debitam sibi, nisi in sanguine Crucis: vt iam intelligamus hoc exemplo, quoniam si voluerimus intrare in gloriam Patris, nobis per Christum acquisitam in Cruce, ipsum imitari oportet in Passione. Nos istud Apostolus docet, hanc vtique Theologiam de Christo, dicens; *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & Resurrectionis erimus*: id est, si fuerimus similes Christo in morte, erimus & in Resurrectione. Denique *si compatimur, & conregnabimus.* Et sic pati Christum oportuit.

Necessitas patiendi cum Christo, si volumus regnare & glorificari cum illo.

Rom. 6.

Secundò igitur quantum ad nos etiã hoc necessarium fuit; maximè verò si consideremus quod nec gratia nobis datur, nec similiter gloria, nisi quia vtramque Christus per mortem nobis promeruit. Quicunque enim saluantur, saluantur per meritum Passionis eius. Illa siquidem causa meritoria est nostræ prædestinationis, & omnium consequenter effectuum eius, si applicemus nobis illam per Sacramenta; maximè autem per pœnitentiam, quæ in nobis renouationem vitæ operari debet, propter quam & Christus resurrexit. Sicut enim (dicit Apostolus,) traditus est propter delicta nostra: ita & resurrexit propter iustificationem nostram, & vt in eo vitam habeamus.

Passio Christi causa meritoria nostræ prædestinationis.

Apud S. Iohannem dicitur quia *in ipso vita erat.* Quid est hoc, nisi quod in omnibus quæ fecit, dixit, & passus est, vitam nobis adeptus est? *In ipso vita erat*; vita in mysteriis, vita in verbis, vita in miraculis, vita in vita, vita in operatione, vita in conuersatione, vita in laboribus, vita in Passione, vita in agonia, vita in sanguine, vita in morte, vita in sepulchro, vita in Inferis, hodie vita in Resurrectione. Ecce in quibus nos versari & meditari oportet. Ecce qui debent esse sermones inter nos, qui familiares discursus, de morte & de vulneribus Christi, de Passione & Resurrectione eius. Vnum nobis tantùm hodie scire conuenit cum Apostolo, IESVM Christum, & hunc crucifixum.

Ioh. 1.

Christus in cunctis vita est.

FERIA TERTIA PASCHÆ.

DE FIDE ET EXEMPLO Resurrectionis nostræ in Christo IESV.

Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum. Luc. 24.

NESCIO cur Apostolus 1. Cor. 15. dixit: *Si Christus non resurrexit, ergo inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra*; nisi quia à veritate Resurrectionis cætera mysteria dependent. Si enim credimus quod resurrexit, credimus etiam statim quia natus & mortuus est. Vnde egregiè dixit Beda Venerab. Perditus esset fructus Passionis, si non adesset veritas Resurrectionis. Igitur Resurrectio Christi, mysterium fidei est & prædicationis, & sine hoc mysterio inanis esset nostra prædi

1. Cor. 15. A veritate Resurrectionis dependent omnia mysteria.

Beda.

prædicatio, nostra fides. Item per illud spes probatur futuræ resurrectionis & gloriæ, quam nos omnes post hanc vitam expectamus. Vbi enim caput est, eò & spes vocatur corporis. Vnde idem dicit Apost. Quoniam quidem per hominem mors; ita & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Sicut ipse dixit aliquando sororibus Lazari: *Ego sum resurrectio & vita.* Longè quidem antè spes talis erat reposita in sinu Iob dicentis: Scio quod Redemptor meus viuit, &c.

Ioh. 11. Ioh. 19.

Ecce cuius ponderis ac momenti hoc mysterium erat, quod etiam hodie tot Christus voluit comprobare argumentis. Dum conturbarentur omnes discipuli in his quæ dicebantur de Resurrectione Domini, & ipsi inuicem loquerentur de illis, stetit IESVS in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis, nolite timere. Quid turbati estis? quid dubitatis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum: palpate, spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? Et cùm manducasset coram eis partem piscis assi quam obtulerant, sumens reliquias dedit eis, & dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Et tunc aperuit illis sensum, &c.

Ps. 92.

Domine, inquiebat Dauid, testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Angeli, mulieres, Petrus & Iohannes, duo discipuli euntes in Emmaus, Scripturæ & prophetiæ, nunc etiam sensus omnes, testimonium perhibent Resurrectionis tuæ veritati. Palpate, inquit, & videte quia ego ipse sum, ille qui sum. Exod. 3. Qui sum α & ω. Apoc. 21. principium & finis omnis creaturæ; primus & nouissimus. Ego sum radix & genus Dauid, stella splendida, & matutina. Apoc. 22. Ego ipse sum qui fui mortuus, & ecce sum viuens. Apoc. 1. Ego sum qui dormiui, & exurrexi. Ps. 3. Ego sum resurrectio & vita. Ioh. 11. Ego ipse sum, & non mutor. Malach. 3. Ego Deus, & ab initio ego ipse, vt intelligatis & credatis mihi, quia ego ipse sum: vos testes mei. Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me Saluator. Isa. 43. Ego sum, nolite timere. Ideo ego in medio sto: videte & palpate quia ego ipse sum. Foderunt manus meas, & pedes meos: videte ergo & manus meas, & pedes meos, quia ipse sum. Palpate, & interrogate iam cum Zachar. si vultis: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Ego ipse sum qui pependi in Cruce, qui iacui in sepulchro, qui resurrexi, & non est alius præter me.

Exod. 3. Apoc. 21. & 22. Apoc. 1. Ps. 3. Iohan. 11. Malach. 3. Isa. 43. Zach. 13.

Quare in carne Christi cicatrices vulnerũ remanserunt. Beda.

Hic quæri potest, quare voluit Christus, vt post Resurrectionem suam cicatrices vulnerum in carne sua remanerent. Beda quatuor affert rationes. Prima est, vt per illas amplius fidem Resurrectionis discipulis suis astrueret, quæ tanti ponderis est & momenti, vt diximus. Secunda est, vt in iudicio ostendat quàm iustè damnãtur impij. Tertia, quàm misericorditer saluantur, quos per talia vulnera redemit. Quarta denique, vt accedens per semetipsũ ad Patrem, & ipsum pro peccatoribus orans, adhuc ei & semper vulnera sua ostendat. Etenim per antonomasiam seu per excellentiam mediator noster est, mediator in sanguine & per redemptionem, hodiéque adhuc talem, ex Apostolo, Aduocatum habemus, in suis vulneribus, apud Patrem.

Quomodo Christus mediator est.

A Quare, cùm ad discipulos suos venit, in medio eorum stetit. Et quidem stare in medio, conuenit Christo multis modis. Primò, sicut Soli in medio Cœlorum, quia ipse est illuminator. Iosue 10. stetit Sol in medio Cœli. Et quid sunt Apostoli & omnes discipuli Christi? Iuxta Prophetam, Cœli qui enarrant gloriam Dei. Propterea igitur Christus in medio eorum vt Sol & illuminator stetit.

Conuenit Christo stare in medio multis modis. Iosue 10.

Secundò, illi conuenit stare in medio, vt cordi in medio corporis, qui vt principium vitæ est, sic ab ipso ad omnes corporis partes vita diffunditur. Et vita Christus est, & de plenitudine eius accipiunt omnes. Propterea illi in medio stare conuenit.

Tertiò, vt Regi & Saluatori, cui prouidere & defendere conuenit. Quare in bello cõtra Philistæos dicebat populus Israël: *Veniat Dominus in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum.* & Dauid in Psal. *Deus autem Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.*

B

1. Reg. 4. Ps. 73.

Quartò, hoc illi conuenit vt Deo, quia in Trinitate medius est, Verbum inter Patrem & Spiritum-sanctum.

Quintò denique, vt Christo, id est, vt homini-Deo. Sic enim verè est mediator; vnde maximè illi conuenit stare in medio.

Nunc autem est hic notandum, ad mediatorem duo spectare velut officia. Primum est, pacem constituere inter inimicas partes. Secundum, pro pace pati & sustinere multa. Quæ duo singulariter, atque egregiè inueniuntur in Christo. Quantum enim ad primum, ipse est pax nostra, dicit Apost. qui fecit vtraque vnum. Vnde hodie in medio stans vt mediator pacis nostræ, illam pacem annũciat, de prœlio reuertens, cum gloria & triumpho, & dicens: *Pax vobis.* Sic idem Apostolus, vt ante: Euangelizauit veniens pacem vobis qui longè fuistis, & pacem his qui propè. O quàm pulchri illi pedes annunciantis pacem, & salutem prædicãtis! ait Isaias. Hæc est laurea, hæc est oliua in ore Christi; *Pax vobis.*

Duplex officium mediatoris. Ephes. 2. C *Constituere pacem.* Ephes. 2. Isa. 52.

Iam quæ sit illa pax, & quibus annunciatur, dicendum est. Pax triplex, Dei, hominis, & mundi. D Pax Dei consistit in gratia & amicitia Dei, vt ait Apostolus: Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum. Hæc est vera & secura pax, pax quæ omnẽ sensum exuperat, vt dicit iterũ S. Paulus. Propterea dicebat Dominus: Hæc locutus sum vobis, vt in me solùm pacem habeatis; in me solùm. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum. Hæc pax adeò excellens est & diuina, vt etiam Christus eam suam vocet dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*

Pax triplex. Pax Dei, & in quo consistit. Rom. 5. Eph. 4. Iohan. 16. Ioh. 14.

Pax hominis in perfecta subiectione omnium sensuum spiritui consistit, seu in integra tranquillitate totius hominis. Illa autem non reperitur in E præsenti vita, expectatur, & non erit nisi in resurrectione carnis, vbi tunc illa perfectè animæ suæ subiicietur. Interea dicit Ieremias cap. 12. Non est pax vniuersæ carni. Quandiu enim in hoc mundo viuimus, caro nostra aduersus spiritum militat, militiáque est vita hominis super terram, ait Iob.

Pax hominis, & in quo consistit. Ierem. 12. Iob. 7.

Pax mundi in prosperitate est & successu rerum omnium cum abusu. De illa sic Dauid: Mei penè moti sunt pedes, & effusi sunt gressus mei: quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. Quia in labore hominum non sunt, & non est respectus morti eorum. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate; prodiit quasi ex adipe: transierunt in affectum cordis. Posuerunt in Cœlum os suum, & dixerunt: Quomodo scit Deus, & si est scientia

Pax mundi, & in quo consistit. Psalm. 72.

ſcientia in Excelſo? Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo, obtinuerunt diuitias. Ecce pax peccatorum, pax mundi, pax quæ ſine pace eſt, & abſque contradictione non eſt, vt rurſus dicitur: Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt. In Apoc. illud optimè repræſentatur, vbi cùm aperuiſſet Agnus ſigillum ſecundum, exiuit equus rufus, & ei qui ſedebat ſuper illum, datum eſt vt ſumeret pacem de terra; & vt inuicem interficerent ſe homines, etiam gladius illi datus eſt.

Pſ.13. *In mundo non eſt pax.* Apoc.6.

Ecce pax mundi, quæ poteſt dici pax diaboli, quando nimirum homines deſideria carnis facientes, abſque contradictione conſentiunt & obtemperant legibus diaboli, qui pater eſt diſſenſionum. Propterea in pace ſua pacem non habent peccatores. Ideóque Chriſtus dicit: Non quomodo mundus dat, ego do vobis. *Pax vobis.* Quæ pax? non mundi, ſed pax Dei. Qua etiam futurum eſt, vt cum nobis ipſis & aliis pacem habeamus, iuxta illud Rom.12. Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Quod pro certò fiet, ſi primùm cum Deo illam habeamus. Hæc eſt ſola pax optanda. In me pacem habete. *Pax vobis.*

Rom.12.

Sed quibuſnam illa pax datur? Audiamus Iſa. Non eſt pax, inquit, impiis. Pax autem multa, ait Propheta regius, diligentibus legem tuam. In plebem enim ſuam, ille ait, loquetur Dominus pacem, & ſuper Sanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Ecce quibus hodie dicitur; *Pax vobis.* Omnibus his qui in nomine Chriſti congregantur, qui diſcipuli ipſius ſunt, qui de morte eius contriſtantur, loquuntur, & in expectatione ſunt reſurrectionis, eius gloriæ & aduentus. Dicitur his; *Pax vobis.* Talibus enim mediator pacis eſt Chriſtus, pro cuius acquiſitione etiam talia paſſus eſt. *Videte manus meas & pedes.*

Quibus non datur pax Chriſti. Iſa.48. *Et quibus datur.* Pſ.118. & Pſ.84.

Diximus ſuprà duplex officium eſſe mediatoris: vnum, pacem conſtituere inter partes; alterum, pati multa pro pace. De primo ſatis iam dictum eſt, & notum pacem noſtram feciſſe Chriſtum: ſed quomodo fecit, nunc videndum. Quare ad ſecundum veniamus. Vt ergo quantum pro pace noſtra ſit perpeſſus oſtenderet Chriſtus, plagas ſuas & cicatrices monſtrat diſcipulis ſuis, & ait: *Videte manus meas & pedes.* Videte quo titulo vobis dico; *Pax vobis.* Agnoſcite, & palpate qua ratione in medio veſtrûm ſto. Mediator fui pacis veſtræ, pax vtique veſtra, mei pretium fuit ſanguinis. *Pax vobis.*

Secundum mediatoris officium pati pro pace.

Sic Apoſt. Nunc autem in Chriſto IESV, vos qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, ſoluens inimicitias in carne ſua, faciens pacem, & reconciliãs homines Deo per Crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo, & veniens euangelizauit pacem vobis, quoniam per ipſum habemus acceſſum in vno Spiritu ad Patrem. Vnde euangelizauit eam, primáque vox prædicationis eius poſt Reſurrectionem illa fuit; *Pax vobis.* Sed quibus facta eſt? Apoſtolis, diſcipulis, & his certè qui reſurrecturi ſunt de peccatis ſuis. Etenim, vt Apoſtolus dicit, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, id eſt, vt à peccato reſurgamus.

Eph.2.

Quibus illa vox conuenit; Pax vobis.

Nunc fortaſſe ſigna reſurrectionis quæritis & deſideratis. Illa verò ex ſignis Reſurrectionis Chriſti accipienda ſunt, quatenus iuxta illud exemplar omnes ſpiritualiter reſurgere debemus. Primò igitur, vt quis cum Chriſto vtiliter reſurgat, & ad vitam, oportet vt priùs moriatur peccato. Omnis reſurrectio deſtructionem & mortem præſupponit. Sic vult Apoſtolus Rom. 6. vt deſtruatur corpus peccati, vt poſtea viuamus Deo in Chriſto IESV Domino. Vnde ad Corinth ait: *Inſipiens tu, quod ſeminas, non viuificatur, niſi priùs moriatur.* Exemplum tibi ſit Chriſtus.

Signa reſurrectionis noſtræ ſpiritualis. Rom.6. 1.Cor.15.

Secundò, vt in nobis vitæ ſit nouitas, adinſtar quidem Chriſti, qui poſt Reſurrectionem nouum modum viuendi habuit. Per imitationem igitur, & virtutem Reſurrectionis eius, in nouitate vitæ ambulare debemus. Certè ſicut naſcentem debuimus imitari, ſpiritualiter naſcendo; morientem, peccato & nobis ſpiritualiter moriendo: ita reſurgentem, reſurrectione ſpirituali & nouitate vitæ imitari debemus. Propterea dixit Apoſt. & hæc ſigna reſurrectionis noſtræ dedit; *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite.*

Coloſſ.3.

Tertiò, vt cum Deo, omnibus, & nobiſcum etiã pacem habeamus. *Cum omnibus pacem habete, & Deus pacis erit vobiſcum.*

Phil.4.

Quartò, vt adinſtar Chriſti oſtendamus latus apertum, pedes & manus, id eſt, opera miſericordiæ exerceamus erga pauperes & afflictos. Nam vt Iohannes ait; Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera miſericordiæ ab eo, quomodo charitas Chriſti manet in eo?

1.Ioh.3.

Quintò denique, ſicut hodie adhuc in teſtimonium Reſurrectionis voluit Chriſtus manducare cum diſcipulis: ita & nos frequenter cum ipſo, & de ipſo comedere in Euchariſtia debemus. Hoc ſignum noſtræ reſurrectionis erit, panem vitæ ſapere, & ſæpius edere. Notate quia Luc 8. quando ſuſcitauit Chriſtus filiam Archiſynagogi, ſtatim iuſſit illi manducare in ſignum vitæ. Signum eſt quod mortuus non es, ſi comedas. Ita, quod viuis Deo in Chriſto IESV, ſignum eſt, ſi cum fructu & pace Dei hunc panem vitæ comedas. Hæc præſtate, hæc ſeruate dilectiſſimi, & veniet ſuper vos pax Dei. Pax vobis, pax vobis, pax vobis.

Luc.8.

Laus & gloria Deo Patri, & Filio, & Spirituiſancto.

Laus Virgini Deiparæ.

OPVS
QVADRAGESIMALE.
DE CHRISTO IESV REPARATORE.

Cui adiunctum est in fine Tribunal Confessionis pro Sabbathis Quadragesimæ.

CHRISTVS REPARATOR,

Seu

OPVS HVMANÆ REPARATIONIS PER CHRISTVM, IN QVADRAGESIMA.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso. Ephes. 1.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Matth. 6.

DE ADMIRABILI CONDITIONE HOMINIS.



HRISTVS IESVS de Cœlo in terram descendit, vt esset Cœli reparator & terræ. Sic Eph. 1. dicit Apost. Gratificauit nos Deus in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in plenitudine temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso. Idem est Coloss. 1. vbi dicitur, quia in ipso complacuit (Patri) omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, pacificans per sanguinem Crucis eius, quæ in terris sunt, & quæ in cœlis. Ecce Christus Cœli & terræ reparator. Sed hoc notandum, quod istud mysterium impleuit in terra; & non in Cœlo. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Quia homo neglecto Cœlo omnē suum cogitatum & curam in terra posuerat, ideo Dei filius in terram descendit, vt ipsum ad Cœlum reduceret factus homo, ipsiúsque in humilitate sua fieret reparator, cuius erat in sua Majestate creator; & sic homo sanus factus disceret thesaurizare non amplius in terra, sed in Cœlo.

Eph. 1. Coloss. 1. Ioh. 1.

S. Aug. in 1. Ioh. Irruerat, inquit, homini quasi puluis in oculum; irruerat terra, sauciauerat oculū, videre non poterat lucem, (vt quæreret & saperet quæ sursum sunt, non quæ super terram.) Excæcatus enim homo deliciis paradisi terræ, & omnem thesaurum suum & spem in ea ponens, lumen oculorum suorum amisit, & recordationem cœlestiū. Quid igitur factum est? Oculus iste sauciatus inungitur, dicit S. Aug. terra sauciatus erat, & terra illuc

S. Aug. tract. 2 in 1. Ioh.

A mittitur vt sanetur, Verbum caro factum est. Caro te cæcauerat, caro te sanat. Carnalis enim anima facta erat consentiendo affectibus carnalibus; inde enim fuerat oculus cordis cæcatus. De puluere cæcatus es, de puluere sanaris. Verbum caro factū est. Medicus iste tibi fecit collyrium: & quoniam sic venit, vt de carne vitia carnis extingueret, & de morte occideret mortem, ideo factum est in te, vt quoniam Verbum caro factum est, tu possis dicere Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, qui in ipso mundum sibi reconciliauit, & in eo nouam nos creaturam sibi esse fecit. Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera trāsierunt, quia omnia in nobis per Christū reparata sunt, noua facta, & in melius mutata: prima conditione nostra & creatione, B melior & perfectior per Christum reparatio facta est. *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.*

Verùm super quid hoc Domini consilium factū & impletum est? super terram & cineres. Verbum factum est ad Ieremiam à Domino, dicens: Surge, & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et descēdi in domū figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam: & dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto de manibus suis. Conuersusq; fecit illud vas alterū, sicut placuerat in oculis eius. (vas certè idem multo quàm antè præstantius.) Et factū est verbum Domini ad me, dicens: Numquid sicut figulus iste, non potero vobis facere? Sicut lutum in C manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israël. Lutum sumus, puluis & terra: sed in manu Domini, vt quodcumque voluerit faciat. Gen. 2. Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculū vitæ; & factus est homo in animam viuentem. De luto Deus hominē creauit ad

Ierem. 18. Gen. 2.

 uit ad

DOMINICA RESVRRECTIONIS IESV Christi.

DE RATIONIBVS ET gloria Dominicæ Resurrectionis.

Surrexit, non est hic. Marc. vltimo.

CONSOLATIONEM nostram nobis hic dies lætitiæ reddidit in Resurrectione IESV Christi vitæ nostræ. Mors mortua nunc est, morsusque Inferno datus est. Dies est quam fecit Dominus, exultemus omnes. Vita nostra abscondita cum Deo in Christo, nobis hodie manifestata est. *Surrexit, non est hic: ecce locus vbi posuerunt eum.* Iob in suo sterquilinio, ab vxore & amicis illusus, nobis referebat nimium & vehementem Christi dolorem in sua Passione. Postea verò multo ditior quàm antea factus, adhuc hodie Christum nobis in gloria sua resurgentem repræsentat.

Iob figura Christi in Passione & Resurrectione.

Euseb. hom. 8. de Paschate, de Gigante narrat contra quem Hercules luctabatur, qui surgebat fortior cùm ad terram prosterneretur. Fabulosum istud est, sed de Christo veritas est, qui vocatur Gigas. Ps. 18. Exultauit vt Gigas ad currendam viam, à summo Cœlo egressio eius: & occursus eius vsque ad summum eius. Filius explicabit verba patris, Salomon Dauidis, videlicet Ecclesiastes dicens: Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat per meridiem. Cùm Sol ab Oriente ruit in Occidentem, ibi non permanet, sed ad summum suum, videlicet, Orientem, vnde exierat, reuertitur. Christus de vita processerat ad mortem, tanquam Sol de Oriente in Occidentem. Sed numquid in sua morte & Occidente remanet? Nequaquam, sed in suum Orientem regreditur, de morte in vitam: & occursus eius vsque ad summum eius, vt videlicet per meridiem gloriæ & splendoris suæ Resurrectionis gyret, nos illuminans & accendens spe gloriæ & futuræ nostræ resurrectionis.

Euseb. Ps. 18. Eccles. 1.

Adeò hoc præuiderat Zacharias, videlicet adinstar Solis futuram Resurrectionem Domini, vt ab eo Sol oriens nuncupetur. *Ecce vir oriens nomen eius.* Oriens hic pro Sole ponitur, iuxta illud Malachiæ vlt. *Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol Iustitiæ.* Sol ille Christus est, qui morte sua Iustitiæ patris satisfecit, & ex Iustitia cum gloria & immortalitatis dote resurrexit. Ecce quomodo Sol oriens nomen eius. Et hoc nomen illi conuenit, cuius est oriri, qui semper oritur, & cuius ortus, seu generatio in æternum durat. Filius meus es tu, dicit illi pater, ego hodie genui te. Sic à patre fuit egressio eius, à quo ab æterno, & nunc & semper oritur, Deus de Deo: & sic in tempore de virgine matre egressus est homo. Vnde etiam hodie gloriosus exiuit in sæcula de sepulchro. *Surrexit, non est hic.* Refulsit Sol qui priùs erat sub nubilo. Verè vt Sol Christus hodie de sepulchro refulsit, & de Occidente mortis. Sicut enim Sol ita subtilis est, vt nihil ei resistere possit, quin statim summo mane oriatur: ita Christus verus Sol Iustitiæ, tantæ subtilitatis fuit in sua gloriosa Resurrectione, vt nihil impedierit quominus summo mane surrexerit. Id prædixit Osee: Quasi diluculum egressus eius.

Christus propter Resurrectionem suã nuncupatur Sol oriens. Zacha. 6. Malach. vlt. 2. Macha. 1.

Cùm de virgine primò egressus est, hoc fuit in media nocte; vtique quia properabat ad Occidentem mortis. Cùm verò de morte resurgit, istud fit A summo mane, diluculo, quia ad vitam & ad Orientem æternitatis suæ redit; iuxta illud Apost. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors vltrà illi non dominabitur. Propterea que hodie sic pater ad filium suum in sepulchro iacentem loquutus est ex propheta Dauid: Exurge gloria mea, exurge psalterium meum. Cui filius statim: Exurgam diluculo. Paratum cor & corpus meum, Deus: cantabo & psallam in gloria mea. In gloria Resurrectionis meæ cantabo victoriam & vitam.

Rom. 6. Ps. 56. & 107.

Pater autem filium suum, gloriam suam & psalterium vocat, eo quod per eum glorificatus est in terra; atque in Cruce velut in cithara, vbi nerui sanctæ humanitatis eius extensi sunt, illam dulcem B decantauit melodiam: Pater ignosce illis. In manus tuas commendo spiritum meum. Sitio. Voce magna clamo: Consummatum est. Ecce melodia, quæ constans omnibus Musicæ partibus & concordantiis, patrem oblectauit, peccatorum veniam meruit, gratiam generis humani, & ipsius filij gloriam Resurrectionis, atque vt illi diceret dormienti in sepulchro: Exurge gloria mea, exurge psalterium meum, & cithara. Et ille in resurgendo obediens sicut moriendo, exurgeret diluculo.

Quomodo filius dicitur gloria, & psalterium patris.

Ecce igitur, quomodo occasu præterito mortis, tandem aduenit optatissimum diluculum Resurre- C ctionis. Quod omnes Euãgelistæ annotarunt. Apud Luc. valde diluculo venerunt mulieres ad monumentum. S. Iohan. dicit, mane cùm adhuc tenebræ essent. Et S. Matt. à vespere Sabbathi dicit egressas. Noster verò S. Euangelista Marcus notat, cùm transisset Sabbathum, mulieres, scilicet Mariam Magdalenam, Mariam Iacobi, & Salome, emisse aromata, vt venientes vngerent IESVM: & valde mane venisse ad monumentum, orto iam Sole; illo equidem qui est Christus Sol Iustitiæ. Dicebant autem illæ adinuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes reuolutum viderunt, & introëuntes, iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida, qui dicit illis; Nolite expauescere. D IESVM quæritis Nazarenum crucifixum. Surrexit, non est hic, ecce locus, vbi posuerunt eum. Ite, & dicite discipulis eius, & Petro, &c.

Luc. 24. Ioh. 20. Matth. 28. Marc. 16.

In memoriam venit illa accommodatissima Resurrectioni Christi historia Iacob, qui fugiens Esau fratrem suum primogenitum, cùm in Mesopotamiam pergeret, venit ad quendam locum, in quo cùm voluisset quiescere post Solis occubitum, de lapidibus qui iacebant, supposuit capiti suo, & ibi dormiuit, vbi & scalam vidit, cuius extremitas suprema attingebat cœlos, & mane euigilans, surgensque, dicit quod locus iste sanctus esset. Iacob interpretatur supplantator, in quo repræsentatur Christus, qui in natura & qualitate hominis primogenitum E fratrem fugiens Luciferum, Esau spiritualem, veniensque in Mesopotamiam huiusce terræ pauperis, (talis enim est interpretatio nominis,) lapide supposito, & exciso in lectum & sepulchrum, dormiuit in illo, vbi scalam vidit, & fecit sibi de Inferis ad Cœlum, cùm euigilans mane surrexit ad gloriam. Item vidit scalam hanc & nobis, cùm nimirum & multorum corpora surrexerunt de monumentis cum eo, & præterea Angeli de Cœlo ad sepulchrum descenderunt: quia equidem nunc hic locus sanctus est, & erit sepulchrum eius gloriosum, vt dicitur Isaiæ 11.

Figura Resurrectionis Christi. Gen. 28.

Mane surgens Christus valde diluculo, reliquit sanctitatem loco, vnde apud S. Ioh. Maria dum in monumento fleret & prospiceret, vidit ibi duos Angelos in albis, sedentes vnum ad caput, & vnum ad pedes,

Isa. 11. *Sanctitas monumenti Christi.*

A pedes, vbi positum fuerat corpus IESV, qui dicunt ei; Mulier quid ploras? & illa cùm respondisset: Quia tulerunt Dominum meum; statim adhuc retrorsum conuersa, stantem vidit eum, nesciens tamen quia IESVS esset, qui dixit ei similiter: Maria quid ploras? & tunc agnouit ipsum, vocans eum Rabboni. Hæc est loci sanctitas, vbi sedent Angeli, conueniunt Apostoli, Maria stat & plorat, & adhuc apparet Crucifixi majestas.

Sed cur apparuit, & quomodo adhuc id necessarium fuit? vtique in certius signum quia verè surrexit, & amplius non est hic. Ecce locus vbi posuerunt. Ecce vbi mors mortua est, & deuicta fuit. Ecce & linteamina sola posita, præter Angelicos testes, sudarium & vestes, quæ testantur quod non est hic,

Resurrectionis gloria.

B quod vita contra mortem dimicauit, & cadauer de faucibus mortis eripuit, quod illa violenter sibi vendicarat, sicut canit Ecclesia, & dicit hodie cũ triumpho & gloria. *Mors & vita duello conflixêre mirando. Dux vitæ mortuus regnat viuus.* Vnde Abacuc dicit: Cornua in manibus eius, id est, claui, quibus affixus est Cruci, in qua & mortuus est. Ibi abscondita est fortitudo eius; ante faciem eius ibit mors, (vt captiua & victa.) Sic Dauid: De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Torrens viæ, mors est, vt illa vidua Thecuitis ad ipsum aliquando dicebat: Omnes morimur, & velut aqua dilabimur super terram.

Abac. 3.
Ps. 109.
2. Reg. 14.

C Quia igitur de torrente mortis bibit, & obediens factus vsque ad mortem Crucis, caput suum inclinauit: propterea morte deuicta suum caput resurgendo exaltauit, vt per Psaltem ait: Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me, pater in Resurrectione mea exaltauit me. Non timebo millia populi circũdantis me. Quare? Quia tu Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

Ps. 3.

Verùm hic notandum quod ait, dormiui, somnum cepi, & exurrexi. Qui dormit, principium habet in se vitæ, insitum principium quo excitetur sine ope alterius. Ita Christus in morte tantùm dormiebat, qui in se principium vitę habebat: sicut mulieribus Angeli dixerunt. Quid quæritis viuentem cum mortuis? Surrexit, non est hic. Per semetipsum surrexit, factus sine adiutorio inter mortuos liber. Per semetipsum à somno suo excitatus est, & non sicut alij, qui alterius ope suscitati sunt & resurrexerunt. Resurrectio sicut mors in potestate & voluntate Christi fuit, vt dixit: *Habeo potestatem ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.* Hoc autem modo Resurrectio eius facta est, videlicet per reünionem animæ eius cum corpore, (nihil enim aliud est resurrectio.) In morte diuisio fuerat animæ à corpore: & dicam in Christo, vsque ad destructionem Incarnationis, humanitatis enim partes separatę fuerunt, & sic destructa humanitas, licet tamen Diuinitas numquam deseruerit animam & corpus; corpus quod iacebat in sepulchro, animam quæ descenderat ad patres, vt eos educeret de limbis & Inferno.

Luc. 24.
Quomodo Christus per semetipsum surrexit.
Ioh. 10.
Quomodo resurrectio Christi facta est.

D E

Exemplum sumamus in arcu, in cuius extremitatibus chordula sit connexa; si rumpatur arcus, & in duas partes diuidatur, remanet chordula in partibus. Ita dico de humanitate Christi, quæ in Cruce diuisa est; Diuinitas in vtraque remansit, in anima & corpore sic diuisis, vnde postea illas partes virtute propria reüniens hac die admirabilem illam & gloriosam Resurrectionem operata est. S. Leo Ser. de Pass. Pulchrè, inquit, Deitas, quæ ab vtraque substantia non recessit, quod potestate diuisit, potestate coniunxit. Et certè non alia fuit potestas quæ potuit animam Christi à corpore separare, quàm Diuinitas: sicut post triduum, scilicet tertia die, illas partes adinuicem reünire, & sic à mortuis suscitare, quàm ipsa coniuncta Deitas. Opus istud diuinæ fuit opus potentiæ, atque Majestatis.

Exemplum.
S. Leo Serm. de Passione.

Verùm hic motiua inquiramus, & rationes cur ita Christum resurgere necesse fuerit à morte. Hic tantùm duas referemus. Prima est principium in eo incorruptionis, & ipsa essentialis sanctitas. Hanc causam tangit S. Thom. eamque refert cum multis aliis, quas longum esset recensere. Iuxta ergo illud principium, impossibile erat animam Christi & corpus à morte detineri propter præsentiam Diuinitatis, de quo & propheta loquutus est, dicens in persona Christi: Non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Hoc corpus Diuinitatis & sanctitatis in sepulchro corruptionem videre non potest. Propter hoc lætatum est cor meum: insuper & caro mea requieuit in spe (hodiernæ Resurrectionis.) Notas mihi fecisti vias vitæ. Cuius vitæ? gloriosæ. Et quæ illius fuerunt viæ? vtique Passionis eius varia tormenta, mors & sepultura. Ecce viæ notificatæ Christo Resurrectionis eius & vitæ. IESVM *quæritis Nazarenum crucifixum. Surrexit, non est hic.* Ita est mortuus, vt in sepulchro iacuerit viuus, claues habuerit vitæ, mortis, & Inferni. Ita inclusus, vt liber de suo antro & carcere sit egressus, eiusque imperio & solo nutu terræ motu facto, descenderit Angelus, & reuolutum lapidem amouerit ab ostio monumenti.

Duplex ratio Resurrectionis.
1.
S. Th. 3. p. q. 53. art. 1.
Ps. 15.

In Samson figura est, qui intra vrbis Gazæ valuas cõclusus, ibique dormiens vsque ad medium noctis, consurgens inde, serasque confringens, apprehendit ambas portas cum postibus suis & sera, & portauit exiens vsque ad verticem montis. Item in Ioseph, qui eo quod acquiescere noluit Ægyptiæ mulieri, in carcerem missus est, sed ibi liber erat, claues habens carceris, aliorumque captiuorum redemptor erat. Inuenit gratiam, ait sacer textus, in conspectu principis carceris, qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos qui in custodia tenebantur; & quidquid fiebat, sub ipso erat. Vnde postea etiam summo cum honore eductus est de carcere, in curru triũphali, ita vt omnes coram eo genua flecterent. Ita fortis Samson noster Christus portas munitas sepulchri apprehendens confregit, & ostium cum sera, lapidem signatum armis & sigillo Pilati remouit, sicque egressus est cum gloria, perterritis custodibus. Ita noster innocens & immaculatus Ioseph, ille qui corruptionem non patitur, Dei & virginis filius, in monumenti carcerem coniectus, eo quod Synagogæ acquiescere noluit, ibi claues carceris habuit, ibi omnium captiuorum, & qui in custodia tenebantur, princeps & redemptor fuit: vnde etiam gloriosè eductus est & cum triumpho. Ita vt nunc coram eo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus IESVS in gloria est Dei patris.

Figura. Iudic. 16.
Gen. 39.

Surrexit, non est hic. Gloriosum epitaphium est, quod Angelicus sculptor super lapidem monumenti Christi impressum reliquit. *Surrexit, non est hic.* Inauditum tale est à sæculis. In Mausoleis Regum, Cæsarum, & Alexandrorum scribitur, *hic iacet*; hic autem: *non est hic, surrexit.* Huic epitaphio conueniens apponamus Emblema. Phœnicem ponamus cum hac subscriptione; *A meipsa renascor.* Iob videbatur in persona Christi hoc dicere cùm ait: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. Hebræum dicit, *sicut Phœnix.* Ecce gloria Resurrectionis & æternitatis dierum

Epitaphium super sepulchrum Christi.
Emblema cõueniens epitaphio Christi.
Iob. 29.

Christi. Ecce mysterium atque explicatio veritatis huius: *Surrexit, non est hic.* Surrexit, quia principium in se habebat incorruptionis suæ & immortalitatis. Hæc igitur prima causa fuit & ratio Resurrectionis.

2. Causa Resurrectionis Christi.

Secunda causa, vt ostenderet quod propter mortem, & ex ignominia Crucis nihil perdiderat de gloria suæ Majestatis: imò multa sibi & nobis inde acquisierat, ad commendationem Iustitiæ patris, cuius est exaltare humiles. Mementote quæso, Christum IESVM humiliatum fuisse ad obediendum patri vsque ad mortem Crucis. Quare hodie Deus pater exaltauit illum vsque ad gloriam Resurrectionis; sicut filius patri dicebat per prophetam: Tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam. Id est, ô pater, meam approbasti humilitatem in morte, nunc autem gloriam in Resurrectione: & sic ad commendationem Iustitiæ tuæ, in æternum ingredior statum gloriæ meæ, vt iam omnes agnoscant quia ex obedientia mea nihil perdidi de mea excellentia, nihilque gloriæ meæ subtractum est ex ignominia & passione Crucis. Quare nunc hodie statum hunc Resurrectionis & gloriæ ingredior.

Psal. 138.

Distinctio inter esse gloriæ & statũ gloriæ.

Statum gloriæ dico: & quæso hoc demum notetur; distinctionem enim aliquam inuenire possumus inter esse & statum gloriæ. Æternus pater semper habuit esse & statum gloriæ: filius verò Dei, quamuis semper esse gloriæ habuerit, non tamen semper fuit in statu gloriæ. Cùm enim in mundum venit, huius status priuationem sustinere voluit, maximè verò in Cruce, ita vt dicere possimus, illum hodie statum gloriæ in Resurrectione sua assumpsisse, & quasi de nouo ad illum rediisse, vt patri sit in omnibus æqualis. Eiusmodi est magnitudo patris, vt semper & esse & statum habuerit gloriæ, & numquam ab iis exierit. Magnitudo verò filij talis est, vt licet numquam esse gloriæ amiserit, tamen in hunc mundum veniens, statum ipsius deposuerit, in quem hodie cum decore claritatis suæ resurgendo reuertitur. Iste est status, gloriæ status, quem morte sua sibi & nobis mereri voluit; resurrectione autem sua sibi & nobis acquisiuit.

Ephes. 1. & 2.

Hoc Apostolus commemorat ad Ephes. scribens, & non cessans gratias agere pro omnibus Deo, quia, inquit, pater gloriæ secundum operationem potentiæ virtutis suæ, suscitauit IESVM à mortuis, constituens eum ad dextram suam in cœlestibus, id est, æqualem sibi in omnibus, & omnia subiecit sub pedibus eius, ipsum dans caput supra omnem Ecclesiam. Et quod præterea, cùm essemus mortui peccatis, conresuscitauit nos, & consedere fecit in cœlestibus in Christo IESV, vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ super nos in Christo IESV.

Rom. 14.

Ecce quomodo & quousque Resurrectionis Christi facti sumus participes, qui etiam, ait Apostolus, propter iustificationem nostram resurrexit, sicut propter delicta nostra se tradidit. Simus igitur hodie cum Christo, & in illo Resurrectionis & gloriæ consortes. In nouitate vitæ ambulemus omnes. Resurrectio mortem præsupponit, moriamur & nos, moriamur peccato, vt resurgere mereamur cum Christo. Confitemini in nouitate vitæ vestræ, quia Dominus resurrexit verè, & apparuit vobis. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est, in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Bonus odor Christi in omni loco estote. Mementote vnguenti cum quo mulieres ad monu-

A mentum venerunt, quæsierunt Dominum, & inuenerunt. Sic ipsum adite, quærite, inuenite. Bonus odor Christi estote; si consurrexistis cum eo, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, bonisque operibus & conuersatione sancta testimonium coram Deo, Angelis, atque hominibus perhibete, quod Dominus IESVS in vobis surrexit verè.

FERIA SECVNDA Paschæ.

B DE FRVCTIBVS Resurrectionis, & necessitate Passionis.

Nos sperabamus quia esset redempturus Israel. Luc. 24.

CHRISTVS IESVS adeò gloriam suam vtilitati nostræ coniunxit, vt totus noster esse videatur, nihilque fecisse nisi nobis. Non loquar hic de creatione vniuersi ad vsum hominum: maiora enim propter eos video facta esse per Christum,

C qui totum se dedit eis, & in eorum vsus. Si in mundo nascitur, eis: si conuersatur in terra, cum eis: si patitur, atque in Cruce moritur, pro eorum peccatis: hodie si resurgit, pro eorum vita, resurrectione, & gloria. Sic Isaias de natiuitate eius loquens ait: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*, non Angelis, sed nobis. Sic Baruch de conuersatione eius: *In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*; non cum Seraphim & Cherubim, sed cum hominibus. Sic Apostolus de morte & Resurrectione eius: *Propter delicta nostra traditus est, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Non propter delicta Angelorum moritur, sed hominum. Hodie non propter iustificationem præuari-

Christus totus nobis.

Isa. 9.

Bar. 3.

Rom. 4.

D catorum Angelorum, sed hominum resurrexit. In omnibus mysteriis, à bono & vtilitate hominum gloriam suam Christus non seiunxit. Tales fuêre fructus quos de Resurrectione Domini collegimus, & de altissimis causis huius mysterij. Causas illas modò inquiramus, vt in illis meliùs atque vtiliùs prouentum nostrum atque vtilitatem videamus.

Rationes diuersæ Resurrectionis, in quibus includitur vtilitas hominum.

Prima igitur ratio & causa fuit ad instructionem nostræ fidei, quæ simul est de diuinitate, & de humanitate Christi; vtrumque enim fidei obiectum est, & vnum sine altero credere minimè sufficit. Creditis in Deum, & in me credite, dicit Dominus. Qui credit in me, viuet. Qua vita? vtique ea, qua iustus viuit, scilicet ex fide, qua

1. Ratio. Fidei instructio.

Ioh. 14.

E hominem hunc, videlicet Christum, credimus esse Deum. Vnde rationem & fundamentum veritatis huius dare voluit Resurrectionem suam, quæ tota fidei nostræ instructio est. Tale quidem Matth. 12. signum dedit petentibus, videlicet, in Iona. Sicut, inquit, Ionas fuit in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ. Petitis signum diuinitatis meæ, atque missionis à patre, ecce signũ, egressio Ionę de ventre Ceti.

Matt. 12.

Item Iohan. 2. post eiectionem numulariorum de Templo, dixerunt Iudæi: Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? quasi dicerent: in qua potestate & authoritate? Diuina illla est qua hæc facis. Quod ergo signum ostendis nobis? Respondit

Ioh. 2.

IESVS:

IESVS: Soluite templum hoc, (loquens de templo corporis sui) & in tribus diebus excitabo illud. Ecce signum authoritatis meæ, & quia Pater in me manens ipsa facit opera. Signum quia filius Dei sum, erit resurrectio mei corporis templi diuinitatis, & in quo vt in proprio corpore tota plenitudo inhabitat. Ita vt iuxta hunc sermonem Domini, post Resurrectionem recordati sint discipuli eius, quia hoc de corpore suo dicebat, & crediderint.

Ita Matth. 20. assumptis duodecim discipulis secretò, viua voce ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur ad crucifigendum, & tertia die resurget. Vnde quia hodie tertia dies erat, in qua nondum surrexerat à mortuis; quod dixerat, & signum dederat diuinitatis, quidam discipuli, illi duo qui ibant ipsa die in Castellum Emmaus, dubitare cœperunt, loquentes adinuicem de his omnibus quæ Christo acciderant, quousque dum sic fabularentur, & secum quærerent, (notate signum dubitationis,) factum est vt ipse IESVS appropinquans iret cum illis, vt sic eos faciliùs confirmaret in fide. Oculi autem illorum tenebãtur, ne eum agnoscerent, & ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos confertis adinuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? & dixerunt, de IESV Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo. Quem summi Sacerdotes tradiderunt in damnationem mortis, & crucifixerunt. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël; & nunc super omnia hæc, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt: quasi dicerent, dies transit Resurrectionis eius, & nostræ Redemptionis, quam promisit nobis, explicauit figuris, & nos expectamus. Interim mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore, venerunt dicentes se visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et sic inuenerunt quidam ex nostris, qui abierunt, ipsum verò sicut mulieres non inuenerunt. O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! dicit illis IESVS.

Mira equidem ista res est. Qui non viderunt, nec audierunt quæ sunt futura, crediderunt: qui verò viderunt, & tot audierunt, dubitant, & non credũt. Iob dicebat: Credo quod Redemptor meus viuit. Discipuli autem; Nos sperabamus quod redempturus esset Israël. Quare hodie Christus appropinquans, & eorum incredulitatem exprobrãs, interpretatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant, incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, & ostendens quoniam sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, hæc omnia pati, & ita intrare in gloriam suam. Vnde etiam statim ab illis cognitus est in fractione panis, qui dicebant postquam euanuit ab eis: Nónne cor nostrum ardens erat, dum loqueretur in via? & quæ gesta sunt narrabant aliis. Ecce igitur ratio, & vtilitas prima Dominicæ Resurrectionis, circa fidem nostra instructio.

2 Ratio, & vtilitas Resurrectionis Christi. Informatio nouæ vitæ.

Secunda ratio, atque vtilitas spectat ad informationem vitæ fidelium per prædicationem Euangelij; quæ minimè esse poterat absque mysterio Resurrectionis, vt in fine colligitur huiusce capitis. Nam dum isti duo discipuli quæ gesta erant in via, narrabant aliis, & quomodo cognouerunt Dominum in fractione panis: dum hæc, inquam, loquebantur, stetit IESVS in medio eorum, & illis non adhuc credentibus, & mirantibus præ gaudio, post multa signa data suæ Resurrectionis, & explicationem Scripturarum, cœpit sic dicere. Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam in remissionem peccatorum. Vos autem testes estis horum, vos qui pœnitentiam prædicare debetis, & vitæ nouitatem, testes estis meæ Resurrectionis: & illam prædicare debetis, id est, fructum ipsius, qui pœnitentia est, & resurrectio à peccatis, vita gratiæ in hoc sæculo & sanctæ conuersationis.

Sic prædicabat Apostolus dicens: Quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Christus resurgens à mortuis iam non moritur: ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo IESV Domino nostro. Ita vt tota vtilitas in nobis sit resurrectio spiritualis; illa resurrectio prima, quæ iustificatio est à peccato, & sine qua nunquam in fine & vltimo die resurgemus ad gloriã; illa resurrectio de qua in Apoc. dicitur: Beatus, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors, nimirum æterna, non habet potestatem. Eiusmodi resurrectio prima, vitæ nouæ informatio est, seu regeneratio quam Christus nobis meruit resurgendo, & iuxta quam priùs à peccatis in hac vita resurgere debemus, quàm in futura à mortuis. Sed dicam, & iuxta quam spem habemus futuræ resurrectionis. Sic ait Petr. Benedictus Deus (gratias ille agit Deo Patri,) qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam (supple, futuræ resurrectionis,) per resurrectionem IESV Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, cõseruatam in cœlis, paratam reuelari in tempore nouissimo. In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus.

Rom. 6. *Apoc. 20.* *Quæ est resurrectio prima.* *1. Pet. 1.*

Hic Apostolus vnum nunc & modicum tristitiæ, passionis, & crucis, necessarium ponit ad gloriam futuræ resurrectionis: quia sic oportuit & Christum pati, & sic intrare in gloriam suam. Propterea igitur dixit Apostolis suis: Vos autem testes horum estis; horum, scilicet Resurrectionis meæ, vt eam vbique prædicetis, & fructũ afferatis, prædicantes in nomine meo pœnitentiam in remissionem peccatorum, vitam nouam, conuersationem sanctam, morum integritatem, & resurrectionem penitus spiritualem. Horum testes estis; horum, scilicet meæ Passionis, vt similiter eam vbique prædicetis, & quomodo necesse fuit vt illa præcederet gloriam Resurrectionis: sicut primò dixit in via duobus discipulis Emmaus. Nónne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? & cæteris postea simul cõgregatis, quoniam sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, id est, crucis eius participationem; vt omnes agnoscerent necessitatem crucis & passionis, si vellent esse consortes futuræ gloriæ resurrectionis. Sic enim oportuit pati Christum ad gloriam: vt etiam in omnibus videatur necessitas patiendi.

Necessitas patiendi ad gloriam resurrectionis.

Sed videamus modò rationes necessitatis huius patiendi in Christo, & quomodo ille dicere potuit; *Oportuit Christum pati.* Ratio prima est, quia sic definitum erat ab æterno in Deo. Et sic ex parte Dei oportuit, iuxta quod etiam omnes prophetiæ impletæ fuerunt.

Rationes quibus oportuit Christũ pati.

Secunda

Secunda ratio eſt ex parte verbi incarnati. Propterea enim hominem ſe fecit Deus, vt pro homine pateretur. Nam, vt dicit S. Auguſt. licet non defuerit alius modus poſſibilis hominem liberandi à peccato & ſeruitute eius, præter Incarnationem verbi, non tamen conuenientior vllus fuit præter iſtum, quando nimirum in filio Dei homo pro homine ſatisfecit Deo.

Quare tertia ratio huius neceſſitatis ex parte hominum eſt qui redemptione indigebant, dicente ſic Apoſtolo: Debuit per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret. Indigebant redimendi miſericordia Dei: vt miſericors igitur fieret Deus, debuit aſſimilari per omnia fratribus: infirmitate noſtra, ſed abſque peccato, circumdari, vt poſſet compati, & compatiendo pro Redemptione noſtra & ſalute pati. Itaque ſi iam ad ſatisfactionem, quæ in Paſſione Chriſti continetur, reſpiciamus, dicimus abſolutè neceſſarium fuiſſe ex parte redimendorum: quia præter Deum ipſum factum hominem nemo erat qui ſatisfacere pro peccato poſſet. Propterea dixit Chriſtus; *Oportuit hæc Chriſtum pati.* (Heb. 2.)

Videamus modò ſequentium verborum ſenſum atque intelligentiam; *& ita intrare in gloriam ſuam*: quomodo inquam oportuit ipſum per Paſſionem Crucis intrare in gloriam Reſurrectionis. Licet enim ab inſtanti ſuæ conceptionis fuerit beatus, eamdémque gloriam habuerit in anima, quam modò poſſidet, tamen quãtum ad corpus non ſemper habuit, etſi ratione vnionis deberetur ei: & hoc eſt quod iam tetigimus, ſcilicet Chriſtum in terra non ſemper ſtatum habuiſſe gloriæ, licet ſemper habuerit eſſe gloriæ. Ita vt nunc illum ſtatum, licet debitum, habere non voluerit niſi per Paſſionem Crucis; vt intelligamus hodie quomodo ſicut illum, oporteat nos pati, ſi voluerimus in gloriam intrare.

Quomodo Chriſtus per Paſſionem Crucis gloriam adeptus eſt Reſurrectionis.

Primò igitur quantum ad Chriſtum, proſequamur quod de neceſſitate eius Paſſionis diximus, & vbi talis neceſſitatis ſit ratio videamus. Pro quo nunc eſt ſciendum triplicem eſſe gloriam Chriſti. Prima eſt ipſius Dei reſpectu, ipſa Dei viſio & gloria, præmiũ eſſentiale beatorum, quod in ipſa fruitione Dei conſiſtit. Et in hanc gloriam non intrauit per Paſſionem Chriſtus, quia hanc habuit, vt notauimus, ab inſtanti conceptionis: nobis eam interim per Paſſionem acquiſiuit.

Triplex gloria Chriſti.

Secunda eſt ipſius reſpectu, quæ conſiſtit in dotibus animæ & corporis. Et hanc per Crucem acquirere voluit. Antea enim anima triſtis fuit vſque ad mortem, & vſque ad agoniam reducta. Corpus item fuit paſſibile, & tandem morti ſubiectum. Nunc autem ex quo in Cruce mortem illam voluntariè paſſus eſt, & anima impaſſibilis facta eſt, & corpus immortale. Ecce quomodo oportuit. Ioh. 10. Ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam. Pono, vt iterum ſumam. (notate.) (Iohan. 10.)

Tertia eſt hominum reſpectu, quando ſcilicet meruit ex humilitate Crucis glorificationem recipere à cunctis, vt Apoſtolus dicit: Propter quod humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem Crucis, & Deus exaltauit illum, vt omnis lingua confiteatur quia Dominus IESVS in gloria eſt Dei Patris. Ecce ergo vnde oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam: quando, nimirum, gloriam illam, quæ ei debebatur ratione hypoſtaticæ vnionis, nouo adhuc titulo ſibi voluit comparare, ſcilicet Paſſionis. Sicut filius alicuius Regis faceret, qui pro regno & gloria ſui patris fortiter pugnaret; illi certè duplici titulo Regnum (Phil. 2.) (Exemplum.)

A deberetur, naturæ & meriti: tum quia filius eſt & hæres; tum quia dimicando promeruit. Ita hodie Chriſtus in gloriam ſuam & regnum intrauit, & ratione vnionis, qua eſt filius & hæres, & ratione Paſſionis, qua rurſus in ſanguine promeruit.

Iſtud aduertite & intelligite, chariſſimi, & qui Chriſtiani eſtis. Nec voluit Pater vt filius intraret, nec filius intrauit in hanc gloriam, etſi debitam ſibi, niſi in ſanguine Crucis: vt iam intelligamus hoc exemplo, quoniam ſi voluerimus intrare in gloriam Patris, nobis per Chriſtum acquiſitam in Cruce, ipſum imitari oportet in Paſſione. Nos iſtud Apoſtolus docet, hanc vtique Theologiam de Chriſto, dicens; *Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & Reſurrectionis erimus*: id eſt, ſi fuerimus ſimiles Chriſto in morte, erimus & in Reſurrectione. Denique *ſi compatimur, & conregnabimus.* Et ſic pati Chriſtum oportuit.

B

Neceſſitas patiendi cum Chriſto, ſi velimus regnare & glorificari cum illo. (Rom. 6.)

Secundò igitur quantum ad nos etiã hoc neceſſarium fuit; maximè verò ſi conſideremus quod nec gratia nobis datur, nec ſimiliter gloria, niſi quia vtramque Chriſtus per mortem nobis promeruit. Quicunque enim ſaluantur, ſaluantur per meritum Paſſionis eius. Illa ſiquidem cauſa meritoria eſt noſtræ prædeſtinationis, & omnium conſequenter effectuum eius, ſi applicemus nobis illam per Sacramenta; maximè autem per pœnitentiam, quæ in nobis renouationem vitæ operari debet, propter quam & Chriſtus reſurrexit. Sicut enim (dicit Apoſtolus,) traditus eſt propter delicta noſtra: ita & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, & vt in eo vitam habeamus.

Paſſio Chriſti cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis.

C

Apud S. Iohannem dicitur quia *in ipſo vita erat.* Quid eſt hoc, niſi quod in omnibus quæ fecit, dixit, & paſſus eſt, vitam nobis adeptus eſt? *In ipſo vita erat*; vita in myſteriis, vita in verbis, vita in miraculis, vita in vita, vita in operatione, vita in conuerſatione, vita in laboribus, vita in Paſſione, vita in agonia, vita in ſanguine, vita in morte, vita in ſepulchro, vita in Inferis, hodie vita in Reſurrectione. Ecce in quibus nos verſari & meditari oportet. Ecce qui debent eſſe ſermones inter nos, qui familiares diſcurſus, de morte & de vulneribus Chriſti, de Paſſione & Reſurrectione eius. Vnum nobis tantùm hodie ſcire conuenit cum Apoſtolo, IESVM Chriſtum, & hunc crucifixum. (Ioh. 1.)

Chriſtus in cunctis vita eſt.

D

FERIA TERTIA PASCHÆ.

DE FIDE ET EXEMPLO Reſurrectionis noſtræ in Chriſto IESV.

Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum. Luc. 24.

E

NESCIO cur Apoſtolus 1. Cor. 15. dixit: *Si Chriſtus non reſurrexit, ergo inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra*; niſi quia à veritate Reſurrectionis cætera myſteria dependent. Si enim credimus quod reſurrexit, credimus etiam ſtatim quia natus & mortuus eſt. Vnde egregiè dixit Beda Venerab. Perditus eſſet fructus Paſſionis, ſi non adeſſet veritas Reſurrectionis. Igitur Reſurrectio Chriſti, myſterium fidei eſt & prædicationis, & ſine hoc myſterio inanis eſſet noſtra prædi

1. Cor. 15. A veritate Reſurrectionis dependent omnia myſteria.

Beda.

prædicatio, noſtra fides. Item per illud ſpes probatur futuræ reſurrectionis & gloriæ, quam nos omnes poſt hanc vitam expectamus. Vbi enim caput eſt, eò & ſpes vocatur corporis. Vnde idem dicit Apoſt. Quoniam quidem per hominem mors; ita & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Sicut ipſe dixit aliquando ſororibus Lazari: *Ego ſum reſurrectio & vita.* Longè quidem antè ſpes talis erat repoſita in ſinu Iob dicentis: Scio quod Redemptor meus viuit, &c.

Ioh. 11. Iob. 19.

Ecce cuius ponderis ac momenti hoc myſterium erat, quod etiam hodie tot Chriſtus voluit comprobare argumentis. Dum conturbarentur omnes diſcipuli in his quæ dicebantur de Reſurrectione Domini, & ipſi inuicem loquerentur de illis, ſtetit IESVS in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis, nolite timere. Quid turbati eſtis? quid dubitatis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum: palpate, ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? Et cùm manducaſſet coram eis partem piſcis aſſi quam obtulerant, ſumens reliquias dedit eis, & dixit ad eos: Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Et tunc aperuit illis ſenſum, &c.

Pſ. 92. Domine, inquiebat Dauid, teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. Angeli, mulieres, Petrus & Iohannes, duo diſcipuli euntes in Emmaus, Scripturæ & prophetiæ, nunc etiam ſenſus omnes, teſtimonium perhibent Reſurrectionis tuæ veritati. Palpate, inquit, & videte quia ego ipſe ſum, ille qui ſum. Exod. 3. Qui ſum α & ω. Apoc. 21. principium & finis omnis creaturæ; primus & nouiſſimus. Ego ſum radix & genus Dauid, ſtella ſplendida, & matutina. Apoc. 22. Ego ipſe ſum qui fui mortuus, & ecce ſum viuens. Apoc. 1. Ego ſum qui dormiui, & exurrexi. Pſ. 3. Ego ſum reſurrectio & vita. Ioh. 11. Ego ipſe ſum, & non mutor. Malach. 3. Ego Deus, & ab initio ego ipſe, vt intelligatis & credatis mihi, quia ego ipſe ſum: vos teſtes mei. Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me Saluator. Iſa. 43. Ego ſum, nolite timere. Ideo ego in medio ſto: videte & palpate quia ego ipſe ſum. Foderunt manus meas, & pedes meos: videte ergo & manus meas, & pedes meos, quia ipſe ſum. Palpate, & interrogate iam cum Zachar. ſi vultis: Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? & dicet: His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me. Ego ipſe ſum qui pependi in Cruce, qui iacui in ſepulchro, qui reſurrexi, & non eſt alius præter me.

Exod. 3. Apoc. 21. & 22. Apoc. 1. Pſ. 3. Iohan. 11. Malach. 3. Iſa. 43. Zach. 13.

Quare in carne Chriſti cicatrices vulnerũ remanſerunt. Beda.

Hic quæri poteſt, quare voluit Chriſtus, vt poſt Reſurrectionem ſuam cicatrices vulnerum in carne ſua remanerent. Beda quatuor affert rationes. Prima eſt, vt per illas amplius fidem Reſurrectionis diſcipulis ſuis aſtrueret, quæ tanti ponderis eſt & momenti, vt diximus. Secunda eſt, vt in iudicio oſtendat quàm iuſtè damnãtur impij. Tertia, quàm miſericorditer ſaluantur, quos per talia vulnera redemit. Quarta denique, vt accedens per ſemetipſũ ad Patrem, & ipſum pro peccatoribus orans, adhuc ei & ſemper vulnera ſua oſtendat. Etenim per antonomaſiam ſeu per excellentiam mediator noſter eſt, mediator in ſanguine & per redemptionem, hodiéque adhuc talem, ex Apoſtolo, Aduocatum habemus, in ſuis vulneribus, apud Patrem.

Quomodo Chriſtus mediator eſt.

A Quare, cùm ad diſcipulos ſuos venit, in medio eorum ſtetit. Et quidem ſtare in medio, conuenit Chriſto multis modis. Primò, ſicut Soli in medio Cœlorum, quia ipſe eſt illuminator. Ioſue 10. ſtetit Sol in medio Cœli. Et quid ſunt Apoſtoli & omnes diſcipuli Chriſti? Iuxta Prophetam, Cœli qui enarrant gloriam Dei. Propterea igitur Chriſtus in medio eorum vt Sol & illuminator ſtetit.

Conuenit Chriſto ſtare in medio multis modis. Ioſue 10.

Secundò, illi conuenit ſtare in medio, vt cordi in medio corporis, qui vt principium vitæ eſt, ſic ab ipſo ad omnes corporis partes vita diffunditur. Et vita Chriſtus eſt, & de plenitudine eius accipiunt omnes. Propterea illi in medio ſtare conuenit.

B Tertiò, vt Regi & Saluatori, cui prouidere & defendere conuenit. Quare in bello cõtra Philiſtæos dicebat populus Iſraël: *Veniat Dominus in medium noſtri, vt ſaluet nos de manu inimicorum noſtrorum.* & Dauid in Pſal. *Deus autem Rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ.*

1. Reg. 4. Pſ. 73.

Quartò, hoc illi conuenit vt Deo, quia in Trinitate medius eſt, Verbum inter Patrem & Spiritumſanctum.

Quintò denique, vt Chriſto, id eſt, vt homini-Deo. Sic enim verè eſt mediator; vnde maximè illi conuenit ſtare in medio.

C Nunc autem eſt hic notandum, ad mediatorem duo ſpectare velut officia. Primum eſt, pacem conſtituere inter inimicas partes. Secundum, pro pace pati & ſuſtinere multa. Quæ duo ſingulariter, atque egregiè inueniuntur in Chriſto. Quantum enim ad primum, ipſe eſt pax noſtra, dicit Apoſt. qui fecit vtraque vnum. Vnde hodie in medio ſtans vt mediator pacis noſtræ, illam pacem annũciat, de prœlio reuertens, cum gloria & triumpho, & dicens: *Pax vobis.* Sic idem Apoſtolus, vt ante: Euangelizauit veniens pacem vobis qui longè fuiſtis, & pacem his qui propè. O quàm pulchri illi pedes annunciantis pacem, & ſalutem prædicãtis! ait Iſaias. Hæc eſt laurea, hæc eſt oliua in ore Chriſti; *Pax vobis.*

Duplex officium mediatoris. Epheſ. 2. *Conſtituere pacem.* Epheſ. 2. Iſa. 52.

D Iam quæ ſit illa pax, & quibus annunciatur, dicendum eſt. Pax triplex, Dei, hominis, & mundi. Pax Dei conſiſtit in gratia & amicitia Dei, vt ait Apoſtolus: Iuſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum. Hæc eſt vera & ſecura pax, pax quæ omnẽ ſenſum exuperat, vt dicit iterũ S. Paulus. Propterea dicebat Dominus: Hæc locutus ſum vobis, vt in me ſolùm pacem habeatis, in me ſolùm. In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, quia ego vici mundum. Hæc pax adeò excellens eſt & diuina, vt etiam Chriſtus eam ſuam vocet dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*

Pax triplex. Pax Dei, & in quo conſiſtit. Rom 5. Eph. 4. Iohan. 16. Ioh. 14.

E Pax hominis in perfecta ſubiectione omnium ſenſuum ſpiritui conſiſtit, ſeu in integra tranquillitate totius hominis. Illa autem non reperitur in præſenti vita, expectatur, & non erit niſi in reſurrectione carnis, vbi tunc illa perfectè animæ ſuæ ſubiicietur. Interea dicit Ieremias cap. 12. Non eſt pax vniuerſæ carni. Quandiu enim in hoc mundo viuimus, caro noſtra aduerſus ſpiritum militat, militiáque eſt vita hominis ſuper terram, ait Iob.

Pax hominis, & in quo conſiſtit. Ierem. 12. Iob. 7.

Pax mundi in proſperitate eſt & ſucceſſu rerum omnium cum abuſu. De illa ſic Dauid: Mei penè moti ſunt pedes, & effuſi ſunt greſſus mei: quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Quia in labore hominum non ſunt, & non eſt reſpectus morti eorum. Ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate; prodiit quaſi ex adipe: tranſierunt in affectum cordis. Poſuerunt in Cœlum os ſuum, & dixerunt: Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia

Pax mundi, & in quo conſiſtit. Pſalm. 72.

scientia in Excelso? Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt diuitias. Ecce pax peccatorum, pax mundi, pax quæ sine pace est, & absque contradictione non est, vt rursus dicitur: Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt. In Apoc. illud optimè repræsentatur, vbi cùm aperuisset Agnus sigillum secundum, exiuit equus rufus, & ei qui sedebat super illum, datum est vt sumeret pacem de terra; & vt inuicem interficerent se homines, etiam gladius illi datus est.

Ps. 13. *In mundo non est pax.* Apoc. 6.

Ecce pax mundi, quæ potest dici pax diaboli, quando nimirum homines desideria carnis facientes, absque contradictione consentiunt & obtemperant legibus diaboli, qui pater est dissensionum. B Propterea in pace sua pacem non habent peccatores. Ideóque Christus dicit: Non quomodo mundus dat, ego do vobis. *Pax vobis.* Quæ pax? non mundi, sed pax Dei. Qua etiam futurum est, vt cum nobis ipsis & aliis pacem habeamus, iuxta illud Rom. 12. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Quod pro certò fiet, si primùm cum Deo illam habeamus. Hæc est sola pax optanda. In me pacem habete. *Pax vobis.*

Rom. 12.

Sed quibusnam illa pax datur? Audiamus Isa. Non est pax, inquit, impiis. Pax autem multa, ait Propheta regius, diligentibus legem tuam. In plebem enim suam, ille ait, loquetur Dominus pacem, C & super Sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Ecce quibus hodie dicitur; *Pax vobis.* Omnibus his qui in nomine Christi congregantur, qui discipuli ipsius sunt, qui de morte eius contristantur, loquuntur, & in expectatione sunt resurrectionis, eius gloriæ & aduentus. Dicitur his; *Pax vobis.* Talibus enim mediator pacis est Christus, pro cuius acquisitione etiam talia passus est. *Videte manus meas & pedes.*

Quibus non datur pax Christi. Isa. 48. *Et quibus datur.* Ps. 118. & Ps. 84.

Diximus suprà duplex officium esse mediatoris: vnum, pacem constituere inter partes; alterum, pati multa pro pace. De primo satis iam dictum est, & notum pacem nostram fecisse Christum: sed quomodo fecit, nunc videndum. Quare ad secundum D veniamus. Vt ergo quantum pro pace nostra sit perpessus ostenderet Christus, plagas suas & cicatrices monstrat discipulis suis, & ait: *Videte manus meas & pedes.* Videte quo titulo vobis dico; *Pax vobis.* Agnoscite, & palpate qua ratione in medio vestrûm sto. Mediator fui pacis vestræ, pax vtique vestra, mei pretium fuit sanguinis. *Pax vobis.*

Secundum mediatoris officium pati pro pace.

Sic Apost. Nunc autem in Christo IESV, vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, soluens inimicitias in carne sua, faciens pacem, & reconcilians A homines Deo per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso, & veniens euangelizauit pacem vobis, quoniam per ipsum habemus accessum in vno Spiritu ad Patrem. Vnde euangelizauit eam, primáque vox prædicationis eius post Resurrectionem illa fuit; *Pax vobis* Sed quibus facta est? Apostolis, discipulis, & his certè qui resurrecturi sunt de peccatis suis. Etenim, vt Apostolus dicit, resurrexit propter iustificationem nostram, id est, vt à peccato resurgamus.

Eph. 2.

Quibus illa vox commisit Pax vobis.

Nunc fortasse signa resurrectionis quæritis & desideratis. Illa verò ex signis Resurrectionis Christi accipienda sunt, quatenus iuxta illud exemplar omnes spiritualiter resurgere debemus. Primò igitur, vt quis cum Christo vtiliter resurgat, & ad vitam, oportet vt priùs moriatur peccato. Omnis resurrectio destructionem & mortem præsupponit. Sic vult Apostolus Rom. 6. vt destruatur corpus peccati, vt postea viuamus Deo in Christo IESV Domino. Vnde ad Corinth ait: *Insipiens tu, quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur.* Exemplum tibi sit Christus.

Signa resurrectionis nostra spiritualis. Rom. 6. 1. Cor. 15.

Secundò, vt in nobis vitæ sit nouitas, adinstar quidem Christi, qui post Resurrectionem nouum modum viuendi habuit. Per imitationem igitur, & virtutem Resurrectionis eius, in nouitate vitæ ambulare debemus. Certè sicut nascentem debuimus imitari, spiritualiter nascendo; morientem, peccato & nobis spiritualiter moriendo: ita resurgentem, resurrectione spirituali & nouitate vitæ imitari debemus. Propterea dixit Apost. & hæc signa resurrectionis nostræ dedit; *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* Coloss. 3.

Tertiò, vt cum Deo, omnibus, & nobiscum etiã pacem habeamus. *Cum omnibus pacem habete, & Deus pacis erit vobiscum.* Phil. 4.

Quartò, vt adinstar Christi ostendamus latus apertum, pedes & manus, id est, opera misericordiæ exerceamus erga pauperes & afflictos. Nam vt Iohannes ait; Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera misericordiæ ab eo, quomodo charitas Christi manet in eo? 1. Ioh. 3.

Quintò denique, sicut hodie adhuc in testimonium Resurrectionis voluit Christus manducare cum discipulis: ita & nos frequenter cum ipso, & de ipso comedere in Eucharistia debemus. Hoc signum nostræ resurrectionis erit, panem vitæ sapere, & sæpius edere. Notate quia Luc. 8. quando suscitauit Christus filiam Archisynagogi, statim iussit illi manducare in signum vitæ. Signum est quod mortuus non es, si comedas. Ita, quod viuis Deo in Christo IESV, signum est, si cum fructu & pace Dei hunc panem vitæ comedas. Hæc præstate, hæc seruate dilectissimi, & veniet super vos pax Dei. Pax vobis, pax vobis, pax vobis. Luc. 8.

Laus & gloria Deo Patri, & Filio, & Spirituisancto.

Laus Virgini Deiparæ.

OPVS
QVADRAGESIMALE.
DE CHRISTO IESV REPARATORE.

Cui adiunctum est in fine Tribunal Confessionis pro Sabbathis Quadragesimæ.



CHRISTVS REPARATOR,

Seu

OPVS HVMANÆ REPARATIONIS PER CHRISTVM, IN QVADRAGESIMA.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso. Ephes. 1.
Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Matth. 6.

DE ADMIRABILI CONDITIONE HOMINIS.

CHristvs Iesvs de Cœlo in terram descendit, vt esset Cœli reparator & terræ. Sic
Eph. 1.
Eph. 1. dicit Apost. Gratificauit nos Deus in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in plenitudine temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso. Idem est
Coloss. 1.
Coloss. 1. vbi dicitur, quia in ipso complacuit (Patri) omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, pacificans per sanguinem Crucis eius, quæ in terris sunt, & quæ in cœlis. Ecce Christus Cœli & terræ reparator. Sed hoc notandum, quod istud mysterium impleuit in terra; & non in Cœlo.
Ioh. 1.
Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quia homo neglecto Cœlo omnẽ suum cogitatum & curam in terra posuerat, ideo Dei filius in terram descendit, vt ipsum ad Cœlum reduceret factus homo, ipsiúsque in humilitate sua fieret reparator, cuius erat in sua Majestate creator; & sic homo sanus factus disceret thesaurizare non amplius in terra, sed in Cœlo.

S. Aug. tract. 1. in 1. Ioh.
S. Aug. in 1. Ioh. Irruerat, inquit, homini quasi puluis in oculum; irruerat terra, sauciauerat oculũ, videre non poterat lucem, (vt quæreret & saperet quæ sursum sunt, non quæ super terram.) Excæcatus enim homo deliciis paradisi terræ, & omnem thesaurum suum & spem in ea ponens, lumen oculorum suorum amisit, & recordationem cœlestiũ. Quid igitur factum est? Oculus iste sauciatus inungitur, dicit S. Aug. terra sauciatus erat, & terra illuc
A mittitur vt sanetur, Verbum caro factum est. Caro te cæcauerat, caro te sanat. Carnalis enim anima facta erat consentiendo affectibus carnalibus; inde enim fuerat oculus cordis cæcatus. De puluere cæcatus es, de puluere sanaris. Verbum caro factũ est. Medicus iste tibi fecit collyrium: & quoniam sic venit, vt de carne vitia carnis extingueret, & de morte occideret mortem, ideo factum est in te, vt quoniam Verbum caro factum est, tu possis dicere: Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, qui in ipso mundum sibi reconciliauit, & in eo nouam nos creaturam sibi esse fecit. Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera trãsierunt, quia omnia in nobis per Christũ reparata sunt, noua facta, & in melius mutata: prima conditione nostra & creatione,
B melior & perfectior per Christum reparatio facta est. *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.*

Verùm super quid hoc Domini consilium factũ & impletum est? super terram & cineres. Verbum factum est ad Ieremiam à Domino, dicens: Surge, & descende in domum figuli, & ibi audies verba
Ierem. 18.
mea. Et descẽdi in domũ figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam: & dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto de manibus suis. Conuersusq; fecit illud vas alterũ, sicut placuerat in oculis eius. (vas certè idem multo quàm antè præstantius.) Et factũ est verbum Domini ad me, dicens: Numquid sicut figulus iste, non potero vobis facere? Sicut lutum in
C manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israël. Lutum sumus, puluis & terra: sed in manu Domini, vt quodcumque voluerit faciat. Gen. 2. Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit
Gen. 2.
in faciem eius spiraculũ vitæ; & factus est homo in animam viuentem. De luto Deus hominẽ creauit ad

uit ad imaginem & similitudinẽ suam. Opus quidem Dei eximium, sed interim super rotam factum, cecidit de manu figuli, & dissipatum est.

Et certè tristis hodiernus cinerum aspectus nostram superbiam frangit, reparationis nostræ rationem & consilium ostendit. Qualis sit homo, & vnde sumptus est, alto silentio dicit. Memento homo quia cinis es. In homine duo inueniuntur extrema, spiritus & corpus. Conditione animi ad illas mentes cœlestes accedit: corporis verò ad naturam pecudum. Ex vna parte immortalis est; ex altera verò mortalis. Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris. Spiritu ambulate, inquit Apost. & desideria carnis non perficietis. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Mors hominis in carne est, & vita in spiritu. Duo sunt extrema hominis, spiritus vitæ cum corpore mortis; cineres nostræ carnis cum spiritus immortalitate.

Duo extrema partes hominis.

Gal. 5.

Rom. 8.

Multum quidem valet cognoscere quid sumus. Ne frustra extẽdaris in alia, te neglecto, ait S. Bern. ad Eugen. Noueris licet omnia mysteria, lata terræ & profunda maris, si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam, non structuram faciens. Vnde à te tua consideratio incipiat, non solùm autem, sed in te finiatur. Quocũque vagetur ad te reuocaueris eam cum salutis fructu, tu primus, tu vltimus tibi. Sume exemplum de summo omnium patre, verbum suum & emittente & retinẽte. (Notandum quidem est istud exemplum.) Consideratio tua sic procedat, vt non recedat; sic exeat, vt non te deserat. hæc ille.

Vtilis sui cognitio.

S. Bern. lib. 2. de Cõsid. ad Eugen.

Multum igitur vtile est homini scire, quę sit conditio eius. Vnde sicut duo in illo extrema agnouimus, animam & corpus: sic etiam in eo videre est & considerare duo admirãda principia sui ortus, Deũ videlicet & limum: Deum principium animæ, & limũ corporis. Permittite quæso vt cum Psalmista exclamem: Quis loquetur potẽtias Domini, & auditas faciet laudes eius, qui de puluere tale produxit animal, vt imaginem Dei referat, tótque ac tantis statim ab initio prosequutus est beneficiis, vt constituerit eum super omnia opera manuum suarum? Mirabilis facta est scientia tua ex me, & nõ potero ad eam.

Duo extrema principia hominis.

Psal. 138.

Vnde dicit S. August. Ex me intelligo quàm sit mirabilis & incõprehensibilis scientia tua qua me fecisti, quando nec meipsum comprehẽdere valeo quem fecisti, dum me intueor. Sic S. Ambros. lib. 6. hexam. Scientiæ tuæ, Domine, agnosco mysteria ex homine. Cognosce ergo te, ô homo, quia gloria Dei es, Dei opus, in quo mirabilis facta est Dei Majestas. Sic S. Basil. in Gen. Artis tuæ solertiam Deus, quæ in me conspicitur, simulatq; sum cõtẽplatus, nimirum quanta sapientia corpus compegeris, & ei animam capacem tui coniunxeris, opificẽ te esse eximium agnoui & prorsus admirabilem.

S. Aug. 15. de Trinit. c. 7.

S. Ambros. lib. 6. hexa. cap. 8.

S. Basil. homil. 4. in Genes.

Moyses mirum in modum excellẽtiam eius notauit, cùm dixit Deum fecisse ipsum ad imaginem suam, & iniisse propterea consiliũ, faciamus. Vnde opus cõsilio? inquit S. Chrysost. Quid hoc noui & rati? & quisnam ille ad quem faciendũ opifici tãta circumspectione opus? Ne mireris, inquit, homo enim inter visibilia omnia dignitate præcellit, propter quem condita sunt hæc omnia. Sed si cætera dignitate præstat, quare ergo tardiùs creatus est cęteris? Meritò. Nam vt ingressuro in Ciuitatem Rege, operæpretium est præmittere satellites, vt bene adornatis palatiis Rex ibi honestiùs agat: ita simili modo quasi Regem Deus præfecturus terrenis rebus, priùs hunc omnem ornatum fabricauit, & tandem præficiendum hominem introduxit, quem posuit in medio paradisi, declarans factis istis quanto honore hoc animal prosequatur, cui suam dedit imaginem. Quam imaginem intelligit Sanctus Chrysostomus secundum similitudinem dominij, & non formæ, iuxta quod subiunxit Dominus, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit*, &c.

S. Chrysost.

Similitudo.

Quibus & quot modis intelligitur homo habere imaginẽ Dei.

Interim hanc imaginem refert Sanctus Augustinus super Genes. ad naturam animæ, non quod eiusdem cum Deo substantiæ sit, sed quia à Deo rationalis facta est & intellectualis sicut ipse. Quare etiam Sanctus Thomas in Summma hanc Dei imaginem in nobis, secundum hominem intellexit, quæ adinstar Dei intellectualis est, id est, intelligendi capax. Quod quidem denegatur aliis inferioribus creaturis, quas ideo tantùm vt Dei vestigia, & non vt imagines consideramus: hac dignitate & gloria solus homo præcellit.

S. Aug. lib. 6. in Genes.

S. Thom. 1. p. q. 93. ar. 6.

Tripliciter autem gerit talem in se Dei imaginem, seu vt triplicem gerat creatus est. Primò, naturalem gerit, secundum quod naturalem aptitudinem habet, vt Deum intelligat & amet. Et hæc consistit in ipsa natura animæ & mentis, quæ communis est cunctis hominibus, & dicitur imago creationis seu naturæ: secundum hanc enim anima immediatè, & ex nihilo à Deo creata, capax solùm ipsius est; & ideo quidquid Deo minus est, implere animam non potest. Hanc imaginem adhuc damnati retinent, & ex ea cruciatus eorum.

Homo triplicẽ gerit imaginem Dei. Naturæ seu creationis.

Secundò, imaginem gerit gratiæ, cùm nimirum actu vel habitu Deum cognoscit & diligit, quæ dicitur imago reparationis. Et solùm illa reperitur in iustis, in quantum scilicet per conformitatem gratiæ, actu vel habitu, vt diximus, Deum cognoscunt & diligunt, quamuis adhuc imperfectè, quia ex alio, & non immediatè, sed ipsa mediante gratia.

Gratiæ seu reparationis.

Tertiò denique gerit imaginem gloriæ, qua perfectè Deum cognoscit, & immediatè diligit ex seipso. Quæ imago dicitur similitudinis, & solùm inuenitur in beatis, qui Deum in patria perfectè, immediatè in seipso, & ex seipsò cognoscunt & amant.

Gloriæ seu similitudinis.

Ecce itaque quomodo dictus est homo ad imaginem Dei factus, & gerere illam. Verùm vnum hic præsertim est notandum, non imaginem dixisse, sed ad imaginem, vt hic innotescat distinctio verbi. Homo enim ad imaginem dicitur, quia in eo imperfecta est imago, & non secundum æqualitatem Dei, quomodo inuenitur in verbo. Verbum enim vera & essentialis imago patris in identitate naturæ est cum eo, perfectè & æqualiter implens id cuius est imago, vnde similitudo perfecta est. Et sic est differentia, quod imago Dei inuenitur in verbo in vnitate & identitate naturæ; in homine è contra, in aliena natura, & sic in eo similitudo imperfecta: vnde dicitur ad imaginem factus. Rursus ad imaginẽm Dei, qui in vnitate essentiæ trinus est in personis, iuxta trinitatem potentiarum in vnitate & identitate essentiæ animæ, quæ per memoriam fœcunda est, per intellectum intelligens, & per voluntatem amans. Agnosce homo tuam dignitatem. *Domine quid est homo quod memor es eius? gloria & honore coronasti eum.*

Quare homo ad imaginẽ dicitur, non verò imago.

Mira huc vsque de homine diximus, Deum considerantes ipsius principium: verùm si aliud adhuc

Humilitas hominis ex parte corporis.

adhuc ipsius ortus attendere voluerimus, non parua offeretur nobis humilitatis doctrina. Cinis enim & limus est, tenuissimum, atque vilissimum quod est in terra. Gen. 2. formauit hominem Deus de limo terræ. Memento homo quia cinis es, & cogita te non esse illum quem arbitrabaris. Puluis enim & terra es, vide quid æstimes, vide quæso quænam est substantia tuæ carnis, & vnde sumpta est, atque in medio tui honoris, humilitatem tuam conspice. Iob dicit: Putredini dixi, pater meus es; mater mea, & soror mea, vermibus. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris.

Iob.17.

A

B

Hinc equidem, ait S. Chrysost. in Genes. si attendere voluerimus, vnde constitutionis suæ initium natura nostra susceperit, etiamsi sexcenties supercilia surrigamus, ea reprimemus, & humiliabimur, & substantiæ nostræ qualitatem perpendentes, modestiam discemus. Memento homo quia cinis es. Licet imperatorio, vel regio munere fungaris, puluis es; licet sis Senatorij ordinis, puluis es. Ex Adamo originem ducis, terræ filius es, & nepos nihili. Ecce extractio tua. Cinis quid superbis? Loquar ego ad Dominum, cùm sim puluis & cinis, dicebat Abraham. Homo quid superbis, attendens quod fuisti, quod es, & quod eris? Memento quia cinis es, & in cinerem reuerteris.

S. Chrysost. in Genes.

C

Ecce ratio cur ab Ecclesia hodie cineres proponuntur, & ponuntur in capite, scilicet vt nihili nostri memoriam semper ob oculos habeamus, & superbiam nostram reprimamus. In Exod. vt Iudæis Moyses exprobraret confusionem eorum, iussit vitulum quem adorauerant in cineres conuerti, & postmodum in calices infundi, vt epoto poculo agnoscerent dementiam, & dicerent: Væ nobis, quàm amarum Deum colebamus! Sic hodie quidem facit Ecclesia, quæ corpus istud quod vt Deum colimus, conuertit in cineres, & proponit dicens: Memento, &c.

Exod. 32.

D

Maxima omnium ignorantia est nescire seipsum: sicut post Dei notitiam, omnium præcipua & magis necessaria est suiipsius cognitio. Quid sit ergo homo, paucis videamus. Quidam philosophus viuis exprimit coloribus: qui aliquando interrogatus quid esset homo, respondit. Imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago. De primo quidem verum dixit, quia sic est infirmus homo, vt sit fragilior vitro. De secundo item, sine intermissione enim intereunt homines, & omnes cedunt tempori. De tertio similiter constat quia lusus est fortunæ: hodie enim extollitur, & cras deprimitur, hodie Rex, cras vile mancipium. Quartò denique in cogitationibus suis, consiliis, verbis & actionibus demonstrat satis quia inconstantiæ est imago, & velut puluis agitatus aura. Memento homo quia cinis es. Modò vult & non vult, probat & reprobat.

Describitur homo diuersimodè.

A philosopho.

E

Vnde etiam meliùs descripsit eum psaltes, dicens quia vanitati similis factus est. Et expressiùs adhuc cùm ait; vniuersa vanitas omnis homo viuens. (Omnia notate.) Omnis homo, excipitur nemo, siue diues, siue pauper, siue puer, siue senex. Et quid præterea? vniuersa vanitas; in vita vanitas, in diuitiis & in paupertate vanitas: vanitas denique in honoribus & in humilitate. Memento homo quia cinis & vanitas es.

A Dauide.

Ps. 38.

Quare etiam Deus ipse, vt omnino de hominis vanitate non dubitaremus, eum sic depinxit in Isaia, dicens ad eum: Clama. Cui ille: Quid clamabo? & Deus illi. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. Clama, ô propheta. Quid clamabo? Memento homo quia cinis es, & quia omnis caro fœnum est. Miramur in horto diuersitatem florum, diuersis coloribus oculos oblectantium, & nares odoribus: sed si attentè illos consideremus, de terra exeunt, terra sunt, & in terram reuertuntur. Ita vt ter esse terram agnoscas. Sic est de homine, qui quasi flos egreditur, de limo terræ formatus est, terra remanet, & in terram rediturus est. Vnde etiam ter ad eum clamans Ierem. ait: Terra, terra, terra audi clamorem Domini. Audi quia de cinere cinis es, & in cinerem reuerteris. Sed amplius audi quia de terra ad Cœlum vocaris.

A Deo ipso.

Isa. 40.

Ierem. 22.

DE GRATIA NOSTRÆ reparationis in Christo.

Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Matt. 18.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Eph. 1.

SANCTVS Paulus, qui totus Christo IESV repletus erat, sicut nihil præter Christum sciebat, sic nihil aliud quàm ipsum loqui & prædicare poterat. Nos autem, inquit, prædicamus Christum, Iudæis quidem scandalum, & stultitiam Gentibus: ipsis autem vocatis, Dei virtutem, & Dei sapientiam. Quare etiam sequenti capite dicit: Et ego cùm venissem ad vos, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, (iuxta S. Thom. per vias subtiles: secundum S. Chrysostom. linguæ ostentans facundiam, aut externis armatus rationibus,) annuncians vobis testimonium Christi. Sed sermo meus, & prædicatio mea in ostensione spiritus & virtutis Dei. Sed quid? dic quæso Paule, si voluisses venire in sublimitate sermonis, potuissetne? Ego quidem si voluissem, non potuissem. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum; iuxta quod etiam nos ipsum prædicamus, Dei virtutem, & Dei sapientiam. Ex ipso enim vos estis in Christo IESV, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.

1. Cor. 1.

S. Thom. in Paul. & S. Chrysost. 1. Cor. 2.

1. Cor. 1.

Nos exemplum Apostoli sequentes, atque etiam cum ipso deponentes omne pondus & circũstans nos peccatum, id est, peccatum & occasionem eius: peccatum enim omne, ait S. Thom. inibi, est pondus deprimens; & circumstans nos peccatum, est occasio omnis peccandi in omni quod nos circumstat, vt in mundo & carne. Deponentes itaque cum peccato, quæ mundi sunt & carnis, aspiciamus omnes hodie in authorem fidei, & consummatorem IESVM. Loquimur enim sapientiam inter perfectos; inter Christianos, non huius sæculi sapientiam, sed sapientiam Dei in mysterio absconditam, quam prædestinauit Deus ante sæcula, in gloriam nostram, salutem & vitam, videlicet Christum. Quare etiam non iudicaui me scire aliquid inter vos, cum Sancto Paulo, nisi IESVM Christum; & aliud etiam prædicare vobis nisi IESVM Christum, electis & vocatis virtutem Dei. Hoc nostrum munus est, & erit hoc toto tempore quadragesimali, ipsum vobis Reparatorem mundi proponere.

Heb. 12.

S. Thom. in 12. Heb.

1. Cor. 15.

Ad Cor. scribens Sanctus Apostolus dicit de patre æterno, quia in cœlis, vbi omnia subiecta sunt ei, est omnia in omnibus, in Trinitate diuinitatis principium, in Angelis & beatis, vitæ & gloriæ principium. Sic de Christo in terra dicimus, qui factus est reparator & rerum omnium nouum principium, quia nobis est omnia, & in omnibus. Sic enim idem Apostolus ad Colossens. asserit dicens: Ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Omnia, & in omnibus Christus. Proposuit Deus pater in eo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia quæ in cœlis & quæ in terra sunt, in ipso. Hoc optimè nouit Centurio rogans eum & dicens; *Domine, tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Euangelij historia clariùs hoc demonstrabit.

Colo. 1. & 3.

Quomodo intelligitur Centurio accessisse ad IESVM, & misisse ad eum seniores Iudæorum & amicos.
Luc. 7.

Cùm introisset IESVS Capharnaum, accessit ad eum ille Centurio dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. S. Lucas dicit quod illi erat pretiosus, & moriturus. Nihil verò refert quod dicat ille Euangelista, ad IESVM misisse Cẽturionem seniores Iudæorum: & Sanctus Matt. accessisse ad eum; vtrumque enim esse potuit. Præterquàm quod accedere agnoscitur qui per alium accedit, sicut qui per alium respõdet, ipse respondere censetur: & hoc modo omnia conueniunt. Videamus itaque quid huic Centurioni, vel amicis eius respondeat IESVS. Ego veniam, & curabo eum, & ibat cum illis. Domine, noli vexari, non sum dignus, inquit Cẽturio, vt intres sub tectum meum, propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Mira hæc Centurionis fides, digna etiam quam Dominus miraretur, qui conuersus sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Digna planè quam Dominus sanitate expetita compensaret, & propter quam Centurioni diceret: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.

Illa quidem fuit admiranda fides, quæ Centurioni Christum reuelauit, quæ ipsum docuit quis esset, & luce Cœli oculos mentis ipsius in terra illustrauit, vt Deum agnosceret & creatorem, quem petebat reparatorem. Dic tantùm verbo, vt reficias quæ solo verbo feceras. Hinc etiam rationem affert S. Leo Ser. de Passione, cur venerit ipse in mundum filius, & non pater, aut Spiritussanctus. Quoniam, inquit, ipse est per quem omnia facta sunt, vt dicit Moyses: In principio creauit Deus Cœlum & terrã; & psalmista, omnia in sapientia fecisti: & S. Ioh. per verbũ omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factũ est. Inde igitur, ait S. Leo, decens erat vt reformator esset qui conditor erat, & qui plasmatũ de limo terræ hominem statu vitę rationalis animauerat, idem naturam nostram ab æternitatis arce reiectam, amissæ restitueret dignitati, & sic reparatio responderet creationi, magisque in hoc nobis innotesceret æternum & admirabile Dei de nostra salute consilium. Iuxta quod Apostolus dicit, vt notum faceret nobis Deus sacramentum voluntatis suæ, proposuit in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo. In quo & nos sorte vocati sumus, id est, speciali gratia, vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui antè sperauimus in Christo. Et sic quidem cum eodem Apostolo dicimus, quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt. (Sanatus est puer ex illa hora qua Dominus locutus est.) Ecce facta sunt omnia noua. Omnia autem ex Deo qui nos reconciliauit sibi per

Cur Christus venit, & nõ pater, aut Spiritussanctus.
S. Leo.
Gen. 1.
Ioh. 1.
Eph. 1.
2. Cor. 5.

A Christum: omnia in ipso cõstant. Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians: sicut in eodem tanquam in verbo suo & principio erat creans.

Ista autem paucis verbis dilucidauit Euangelista Iohannes, vbi antequam dixerit; *& verbum caro factum est*, id est, reparator mundi, in carne namque reparauit ipsum: priùs de eodem vt in patre, & verbum est apud Deum, dixit; *& per ipsum omnia facta sunt*, scilicet, quà Deus & creator, quà author & idem cum patre principium rerum omnium, quà verbum, Idea, exemplar & sapientia patris. Sicque ordine posuit ipsum Euangelista creatorem & reparatorem omnium.

Ioh. 1.

Ponitur ordine creatio & reparatio mũdi in Christo.

S. Thom. in Summa hanc conuenientiam etiam B notauit inter plures, scilicet, cur filius, & non pater, aut Spiritussanctus venit reparator omnium. Nempe quia filius, vt verbum & sapientia est similitudo omnis creaturæ, & exemplar ad quod omnia facta sunt: vnde etiam eadem collapsa refici & reparari ad ipsorum exemplar oportuit. Hoc Pictoris exemplo & similitudine potest videri, qui deformatam suam imaginem reformat per eandem Ideam qua illam antè pinxerat. Sic imaginem suam Deus deturpatam, (hominem) per verbum suum & Ideam reformauit.

S. Thom. 3. p. q. 3. art. 8.

Vnde adhuc altiùs petitur illa conuenientia ex C Ideis rerum omnium quæ in Deo sunt, & quæ nihil aliud sunt quàm ipsamet Dei essentia, secundum quod comparatur ad alia, id est, quatenus illa diuina essentia est similitudo rerum. Ita vt secundum quod illa est principium eff. ctionis rerum, tunc dicatur exemplar; secundum quod verò est principium cognitionis, dicatur ratio. Vnum se habet ad omnia quæ fiunt: alterum ad omnia quæ cognoscuntur, quorum inquam Ideæ omnium sunt ipsamet Dei mens & essentia, quam æternam sapientiam dicimus, seu verbum & Dei filium, principium ortus & cognitionis rerum omnium. Et hinc est quod dixit psaltes; omnia in sapientia fecisti, id est, in verbo tuo & filio rerum omnium exem- D plari, ad cuius etiam præsentiam & similitudinem conuenit omnia reparari.

Ideæ rerum in Deo.

Centurio noster optimè agnouit necessitatem istam, & quia hæc gratia Diuinitatis erat in Christo, qui cùm audisset de IESV quia intraret Capharnaum, misit ad eum, & ipse accessit rogans eum quem agnoscebat esse authorem omnium, vt sanaret seruum suum, dicens: Ecce puer meus iacet in domo paralyticus. Mihi sufficit tibi hoc dicere; dic tantùm verbo, & sanabitur puer meus. Tuum est quem creasti verbo, verbo conseruare. Virtute eadem opus est, vt subsistant ea quæ facta sunt. Et certè satis etiam in responsione sua demonstrauit Christus, quia ad hunc finem in mundum venerat, dicens: Ego vadam, & curabo eum, reparabo eum; E & eadem qua ipsum virtute formaui, conseruabo.

Verba Centurionis, & responsio Christi, ipsum esse Deum demõstrans, & reparatorem omnium.

Inter Dei opera, & creaturarum eius, differentia illa est, quod Dei opera ab illo in conseruatione, sicut in formatione & creatione dependeant, adeò vt statim deficerent & redigerentur in nihilum, si Deus ab influxu suo desisteret, aut etiam obliuisceretur eorum. Non autem est ita de artificum operibus. Licet enim ab illis quantum ad efformationem dependeant, tamen independenter ab illis subsistunt & conseruantur exquo facta sunt. Opera verò Dei, vt diximus, ab ipso in esse & conseruatione dependent. Dic tantùm verbo, inquit Centurio Christo, & sanabitur puer meus. Hinc Apostolus Heb. 1. vocat ipsum splendorem patris,

Discrimẽ inter opera Dei, & artificum.

A patris, portantem omnia verbo virtutis suæ, id est, quæ fecit verbo conseruantem: & Coloss. 1. quia omnia in ipso constant, conseruantur & subsistunt, habent esse & vitam. Atque hinc colligit Scriptura intimam eius præsentiam & virtutem in cunctis rebus: & quia non longè est ab vnoquoque nostrûm, vt dicitur in Actis. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Omnia, & in omnibus Christus.

Act. 17.

Coloss. 1. & Eph. 1.

Hinc dependentiam colligimus quam in omnibus à Christo habemus, per quem, ex Apostolo, omnia facta & refecta seu reparata sunt, visibilia & inuisibilia, quæ in terris, & quæ in cœlis, & in quo propterea complacuit patri omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitare, vt ad eum confugiant omnes. Accessit Centurio, & quam quærebat salutem B inuenit. Domine, inquit, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Ex afflictione nascitur in illo humilitas: & humilitas illius operatur fidem, & quidem tantam, vt eam admiratus sit Christus, & dixerit sequentibus se; non inueni tantam in Israël.

Sed vnde tanta fuit illius fides? vtique ex profunda illius humilitate. Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum, inquit, sed tantùm dic verbo. Nam & ego homo sum habens sub me milites, & sub potestate constitutus; (alterum enim superiorem agnosco,) dico huic, vade, & vadit, fac hoc, & facit. Quanto magis tu dignus honore C es atque imperio, qui Deus es, & Rex magnus super omnes? Dic igitur tantùm verbo & impera, quia nihil est quod tuæ voluntati resistat. Ecce ex humilitate fides. Et quidem absque humilitate non est fides: hæresis ex superbia, fides ex humilitate. Centurio iste doctor Christianorum est. In Capharnaum pinguedinis & abundantiæ (sic enim explicatur,) Christus introiuit, id est, in mundum, puerum paralyticum, id est, animam à peccato sanaturus. Quid igitur est faciendum? Centurionem imitemur, & in spiritu humili & contrito accedamus ad Christum, eique infirmitatis nostræ statum ostendamus. Peccatum est, & paralysis animæ, defectum gratiæ afferens. Quare dicamus D ei: Domine, ecce puer, ecce anima mea iacet destituta viribus, & malè torquetur. Intus pauor, foris timor, de præsenti torquetur & de futuro; ecce captiua sub iugo peccati facta est: verumtamen Domine, accedimus ad te, & non solùm cum Centurione tibi dicimus, ecce puer iacet, sed etiam cum piis sororibus Euangelij, ecce quem amas infirmatur. O Rex succurre militi, ô medice succurre ægrotanti. Sed quid ais qui semper præstò es miseris? Ego veniam, & curabo. O Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum. Non sum dignus aspectu, neque introitu.

Fides ex humilitate, hæresis ex superbia.

Quid intelligitur per Capharnaum.

Peccatũ paralysis animæ.

Cùm ad altare accedimus, verborum istorum recordemur, Domine, non sum dignus, sed dic tantùm verbo, talis est mea fides, talis spes & talis meus E in te amor. In ditione tua cuncta sunt posita: dic tantùm verbo, & sanabitur anima mea. Interim Rex noster & Dominus dignatur descendere ad nos, & ipsa præsentia, & non solùm verbo nos sanare, Veniam, inquit, & curabo. Et ecce venit, & curat, sed qui cum humilitate, fide, spe & charitate suscipiunt.

* * *

DE DIVINA SIMILITUDINE REPARATA IN NOBIS, IN DILECTIONE INIMICORUM.

Estote vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. Matth. 5.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Eph. 1.

PERFECTA reparatio nostra est in similitudine & conformitate imaginis IESV Christi filij Dei. Eph. 4. *Deponite veterem hominem, & induite nouum.* Nouus homo, Christus est qui reparauit hominem, & omnia in se renouauit. Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt, quæ sunt veteris Adam, amplius non sunt. Ecce enim in nouo homine quem induimus, facta sunt omnia noua. Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo. Ipsius enim, Eph. 2. sumus factura, creati in Christo IESV, in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Sed istud quæso attendant omnes. Eatenus tantùm (dicit Apostolus) Dei sumus factura, quatenus sumus creati in Christo IESV. In Christo IESV, notat Eph. 2. rursum Apostolus, qui interficiens inimicitias in semetipso, & veniens euangelizauit pacem iis qui lõgè, & iis qui propè: per quẽ & in vno spiritu habemus accessum ad patrem, non quidem vt hospites & aduenæ, sed vt filij, ciues Sãctorum, & domestici Dei. Sic alibi: Quoniam estis filij, misit Deus Spiritũ filij sui in corda vestra, clamantem Abba pater. Ipse est Gal. 4. enim Spiritus qui dat testimonium spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Hinc autem est quod Christus hodie vult vt nos simus perfecti, sicut & pater noster cœlestis perfectus est. In hoc quidem reparatio est diuinæ similitudinis in nobis.

Suprema illa dignitas, filios Dei fieri: dedit autem potestatem iis qui credunt in nomine eius. Et Ioh. 1. maxima perfectio, adinstar Dei perfectos fieri. Hoc autem in dilectione posuit. Quis itaque non exultet de sibi concessa hac potestate, & tali sibi credito iure? Videte ergo qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus, id est, non solùm extrinsecus nomen habeamus, sed etiam intrinsecus & in veritate simus. Et quæso etim videte qualem charitatem nobis dedit Christus, vt simus perfecti, sicut & pater noster cœlestis perfectus est. Modus in enarratione & obseruatione hodierni Euangelij est.

Audistis, inquit Dominus, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est, qui Solem suum oriri facit super bonos malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.

Ecce perfectio Euangelij, & reparatio imaginis Dei in nobis, vsque ad Dei similitudinem ascende-

re. Modus autem & ratio, est inimicorum dilectio. Diligite inimicos vestros. Non deseremus hoc nostrum opus donec perficiatur,& iuxta Apostolum, formetur in vobis Christus.In hoc ipsum Christum imitari desidero, atque etiam eius Apostolum.Apud Ioh.subleuatis IESVS oculis in Cœlum,dicebat: Pater,opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam. Istud opus erat in mundo manifestatio suiipsius, vt sequitur statim; Manifestaui nomen tuum hominibus,& cognouerunt quia à te exiui. Crediderunt quia tu me misisti; & clarificatus sum in eis. Nunc autem ad te venio: opus enim consummaui quod dedisti mihi,&c.

Opera Dei debent consummari.

Ioh.17.

Sic erat intentus operi suo Apostolus ad Galat. scribens: Filioli, quos iterum parturio,ait,donec in vobis formetur Christus,id est,secundum S.Thom. donec recipiatis similitudinem eius, quam vestro vitio perdidistis:vel donec per fidem formatam,seu charitatem formosus aliis per vos appareat Christus. Opus istud erat Pauli. Et tale etiam nostrum est, quod quidem continuò prosequemur donec perficiatur, consummetur, & formetur in vobis Christus. Constat enim ex eodem Apostolo, neminem saluum fieri,nisi qui Christum induit Galat.3. Quicunque baptizati estis in Christo,Christum induistis. Si autem vos Christi: ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes, videlicet salutis.

Gal.4.

S. Thom. in Ep.ad Galat.

Nemo saluatur nisi in eo Christus formetur.

Gal.3.

Hinc est quod nos omnes exhortatur ad Rom. dicens:Induimini Dominum IESVM, & carnis curam ne feceritis in desideriis. Quos enim vocauit, Rom. 8. hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.Damnati in Inferno gerunt adhuc imaginem Dei, & damnantur. Beati è contrà cum Dei imagine similitudinem, & saluantur. Imago enim non sufficit, nisi sit conformitas imaginis, in qua est similitudo.Hinc est quod dedit Deus homini vtramque,dicens:*Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.*

Rom.13.

Rom.8.

Ad salutem cũ Dei imagine requiritur similitudo.

Iam verò quid sit hominem creari ad imaginem Dei,docuit S.Chrysost.in Genes.ob rationem principatus atque dominij:& S.Basil.ob prærogatiuam rationis quæ est in homine. Nunc quid sit ad similitudinem creari,est videndum.Vterque Doctor in 1. cap. Gen. dicit, per similitudinem intelligi gratiam & virtutes, mansuetudinem, lenitatem,benignitatem, & cæteras: vnde, *Faciamus hominem ad similitudinem nostram*,id est,similem nobis in virtutibus, in mansuetudine & lenitate. Quomodo hodie;*Perfecti estote,sicut pater vester cœlestis perfectus est.* Ita vt tunc perfectè reparati fuerimus,si ad hanc similitudinem peruenerimus.

S. Chrysost. homil. 9. in Genes. Itē S.Basil.

Quid intelligitur per similitudinē.

Vnum autem notat hic S. Basil. consideratione dignum, scilicet,dum consuleret Deus de creando homine,dixisse,faciamus eum ad imaginem & similitudinem nostram. In consultatione mentio fit de imagine simul & similitudine; postquam verò homo creatus est, solùm Moyses dixit: *ad imaginem Dei fecit illum*, & non subtexuit, *ad similitudinem.* Cur hoc?Ratio quidem quam affert S.Basil.pulchra est. Quia, inquit, illud quod priore statuitur loco, in ipsa mox creatione obtinuimus, nempe rationis vsum per imaginem Dei impressam animæ. Quod autem posteriore, vt assequamur à nostro pendet liberæ voluntatis arbitrio, scilicet vt assimilemur Deo. Largitus est potestatem in hoc, penesque me esse voluit, vt ad Dei similitudinem possim pertingere,& cooperari isti gratiæ similitudinis.

Cur quando homo creatus est,dicitur solũ factus ad imaginẽ, & non ad similitudinẽ Dei.

Sed quomodo?inquies. Si,inquit S.Basil.malitiæ omnis osor fueris, si immemor acceptæ iniuriæ, si A fraternæ dilectionis & concordiæ tenax, si alienæ calamitati condoleas ex animo, inueniere similis Deo,qui facit oriri Solem suum super bonos & malos. Audi, si inimicitias aduersum te exercenti pio cordis affectu remiseris. Si qualem hic se erga te peccatorem exhibet, talem te erga proximum qui in te delinquit,declararis,ad similitudinem Dei pertinges. Piæ igitur miserationis viscera assumito & suauis benignitatis,inquit ille Sanctus,vt Christum promerearis induere.Tua ex parte est gratia.Quiddam tibi Deus contulit, nempe imaginem. Quiddam etiam reliquit perficiendum, nempe similitudinem.

Remissione iniuriarũ, & dilectione fraterna ad Dei similitudinẽ pertingitur.

B Et hoc quidem est ad quod nos Paul.exhortatur dicens:Deponite vos secundum pristinam conuersationem, veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris, (vt scilicet de inimicis vestris vltionem sumatis,velle enim vlcisci, desiderium est erroris.) Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, (cui proprium est misereri & parcere semper.)Irascimini,& nolite peccare:Sol non occidat super iracundiã vestram.Estote autẽ inuicem benigni,misericordes, & donantes inuicẽ,sicut & Deus in Christo donauit vobis. Deus enim erat in Christo mundũ reconcilians sibi. Ita adhuc ad Coloss.Nunc autem deponite vos & omnia,iram, indignationem,&c.expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum qui re-C nouatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creauit illum. Si qua in Christo noua creatura, vetera transierunt.Induite vos ergo sicut electi Dei & dilecti,viscera misericordię,supportãtes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donauit vobis,ita & vos. Super omnia autẽ hæc,charitatem habete,quod est vinculum perfectionis.Estote perfecti,&c. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros. Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos.

Eph.4.

Coloss.3.

Fortè dicetis;Arduum est passionem compescere & iram.Quid dicis,ô homo?ait S.Chrysostom.Leo-D nibus imperamus, & animos eorum mansuetos facimus,& dubitas num mentis ferociam in mansuetudinem mutare possis?Natura bestiæ sunt feroces, & præter naturam mansuetæ.Contrà tu,præter naturam ferox, naturæ autem mitis. Tu autem quod eorum naturæ aduersum inserere potes;& quod natura tibi præstitit, conseruare non potes? hæc ille. *Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.* Deus misericordiarum pater nuncupatur, sicut filius eius Christus per excellentiam & proprietatem misericordia dicitur.Sic ad Ephes.Benedictus Deus & pater Domini nostri IESV Christi, pater misericordiarum; quasi idem esset misericordia atque Christus. Et propterea etiam cùm prophetæ E ipsum petebant, sæpius hoc erat sub nomine misericordiæ.Sicut etiam per hoc iter ad nos descendit, illam in mundo exercuit,prædicauit,& docuit;vnde & iure illam postulat à nobis. Et nemo mihi dicat quia Christus Deus est, cuius proprium est misereri: nos verò homines infirmi sumus. Ecce enim etiam nostræ infirmitatis voluit esse particeps, vt magis inde misericors fieret, sicut nunc Apostolus dicit, quod non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia, in honore, in fama, in amicis, in vita; & interim inimicis suis omnibus pepercit. Quoniam, inquit sequenti capite, & ipse circumdatus est infirmitate, vt condolere possit

S. Chrysost.

Quomodo conueniat Christo misericordia.

Heb.4.

Heb.5.

iis

iis qui errant. Propterea igitur Chriſtus voluit noſtræ infirmitatis fieri particeps, vt non tantùm præcepto, ſed etiam exemplo ſuo ad dilectionem inimicorum nos prouocaret. Et fortaſſis inde ſic eum Dauid alloquebatur dicens: *Exurge Domine in præcepto quod mandaſti*, (ſcilicet de inimicis diligendis) *& ſynagoga populorum circumdabit te.* Quaſi diceret: veni tu Domine, & in noſtra forma humili & infirma appare, vt etiam inimicorum iniurias experiaris, & exempla præbeas dilectionis. Venit ille ſicut fuerat expertus, qui ad miſerendum carne noſtra eſt indutus. Vnde etiam in lenitate ipſius Dauid veniſſe dicitur, qui omnes alios Reges in clementia ſuperauit, vt in Semei videre eſt, qui tot eum cōtumeliis affecerat atque opprobriis, quem tamen Dauid illæſum dimitti voluit. Simile eſt de Saül ipſius capitali hoſte, quem cùm toties occidere poſſet, ſemper tamen incolumem ſeruauit, & minimè ei nocere voluit.

Pſ. 17. — *Quare dicitur Chriſtus veniſſe in clementia Dauid.* — 2 Reg. 16.

Vnde S. Chryſoſt. hom. de Dauid & Saüle ait, Dauidem magnificentius trophæum erexiſſe parcendo Saüli in ſpelunca, (de quo tot mala acceperat,) quàm cùm proſtrauit Goliath, & caput illius amputauit, ſi quidem illic & funda & lapidibus opus erat, hic verò ſine armis contigit victoria, atque incruentum trophæum erectum eſt, rediitque geſtans non caput barbari, ſed animi ſui commotionem & iram eneruatam. Nunc haudquaquam in choris obuiam veniebant fœminæ excipientes illum cum laudibus, ſed Angelicus populus è ſublimi applaudebat admirans eius philoſophiam & humanitatem. Et quidem adhuc ſimile humanitatis eius exemplum ſequitur, vbi cùm inueniſſet nocte Saül dormientem in Tentorio, impediuit & tenuit Abiſai ne perfoderet eum lancea.

S. Chryſoſt. — 1. Reg. 24. — 1 Reg. 26.

Ecce inſignia manſuetudinis Dauid, & fama admirabilis clementiæ eius. Quare etiam Chriſtus ſecundum carnem voluit eſſe in genealogia Dauid, naſci de domo illius, & vocari, (maximè vbi miſericordia petitur,) filius Dauid. Sic dicebat mulier Chananæa: *Miſerere mei fili Dauid.* Sic etiam cæcus qui ſedebat ſecus viam clamauit: Iesv *fili Dauid miſerere mei.*

Matth. 1. — Luc. 1. — Matth. 15.

His igitur exemplis diſcamus miſereri & parcere, ſed vt etiam ſuper nos diuinam miſericordiam attrahamus. Nobis enim offertur à Deo, ſi illam voluerimus præſtare hominibus. Memorabile eſt exemplum cuiuſdam Sapricij apud Metaphraſtem; cui in ipſa gratia martyrij & gloriæ introitu, ianua miſericordiæ clauſa eſt, eo quod noluerat offenſam remittere Nicephoro qui ab eo veniam poſtulabat: ſicut illi ob miſericordiam quam volebat magis quàm ſacrificium, gratia martyrij conceſſa eſt & corona. Meruit enim loco alterius ſanguinis effuſione gloriam miſericordiæ debitam adipiſci. Magnus eſt theſaurus miſericordia, & non emitur niſi miſericordia.

Luc. 18.

Legimus ex Ieremia, quod Iſmaël à cædo eorum ceſſat quos perſequebatur, promiſſione theſauri. Irruit ille in octoginta viros qui venerant de Sichem, de Silo, & de Samaria, & percutiens interfecit eos. Decem autem viri reperti ſunt inter eos qui dixerunt: Noli occidere nos, quia habemus theſauros in agro, frumenti, hordei, olei, & mellis, & ceſſauit Iſmaël, & non interfecit eos. Gladium ille ſuum & enſem, theſauro audito, in vaginam repoſuit. Et quis quæſo non ceſſabit ho-
A die ab ira, cæde, & ſanguine, audita promiſſione & theſauro inuento diuinæ miſericordiæ? Et quis non ſtatim in conſpectu miſericordiæ Dei, vltionis enſem in vaginam ſuam recondet? *Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Aliàs, ſi nō remiſeritis, nec remittetur vobis. Mementote parabolæ ſerui nequam, qui vſque ad nouiſſimum quadrantem in carcere ſoluit, eo quod noluerat remittere fratri. Mementote conditionis ſub qua oramus & dicimus quotidie, diuina inſtitutione formati; Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Sic enim, dicit Dominus Iesvs, & pater meus cœleſtis faciet vobis, quia qua menſura menſi fueritis, remetietur & vobis.
B *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt.*

Matth. 18. — Matth. 6.

DOMINICA PRIMA.

DE SVBLIMI IMPERIO Chriſti, & ſubiectione omnium ſpirituum illi.

Et ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Matth. 4.

C *Propoſuit Deus in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo.* Epheſ. 1.

Ille raptus homo vſque ad tertium Cœlum S. Paulus narrat ad Epheſ. quomodo Deus ſecundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus eſt in Chriſto Iesv, conſtituit eum ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum, & omnia ſubiecit ſub pedibus eius. In quo etiam propoſuit in plenitudine temporum inſtaurare omnia. Ratio autem eſt, Coloſſ. 1.
D quia in eodem vt primogenito omnis creaturæ, condidit vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, thronos atque principatus, &c. S. Baſil. Magnus in hexa. de creatione Angelorum loquens, ipſos exiſtimat ante hunc mundum viſibilem prodiiſſe à Deo, & dicit ſtatum quemdam fuiſſe inuiſibilem iſtius generatione mundi ſuperiorem; temporis conditione anteriorem, videlicet æternum, in quo Deus naturas inuiſibiles, rationis vi præditas creauit, quæ iſtius mundi inuiſibilis ſubſtantiam complent & ordinē, ſcilicet Angelos.

Eph. 1. — Coloſſ. 1. — S. Baſil. hom. 1. in hexam.

Eiuſmodi eſt notanda opinio Sancti Baſilij. Sed in hac etiam notanda eſt dependentia, quam omnis ille ſtatus Angelorum habet à Chriſto Iesv,
E quia ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. Omnia & in omnibus Chriſtus, cui & omnia ſubiecit Deus. S. Bern. hinc notat primi diſſidij in Cœlo rationem fuiſſe, quādo nimirum Lucifer altitudinem Dei debitam filio affectauit, ex reuelatione illi facta Incarnationis, cui ſe ſubmittere noluit cum angelis ſuis apoſtaticis.

S. Bern. Ser. 1. de Aduentu.

Mirum hodie in terra certamen audiris ex Euangelio, vbi legitur quod Iesvs ductus eſt in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo, & cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteàque eſuriiſſet, tentator acceſſit dicens: Si filius Dei es, &c. Ecce aduerſus Chriſtum certamen

Certamen diaboli in terra, vt in Cœlo aduersus Christū.

certamen in terra, priùs extitit in Cœlo. In Cœlo zelauit pro filio pater, & in terra hodie zelat pro patre filius, propter quem solum in Cœlo & in terra tempestas orta est. Nolite ergo putare terram solùm aut Infernum capacem esse passionis; & capax etiam Cœlum est certaminis. Pugnam in Cœlo sustinuit Michaël, eóque difficiliorem, quo promptior, & vnicum instans habuit ad expugnandum hostem. In Apocal. factum est prœlium magnum in Cœlo, Michaël & Angeli eius prœliabantur cum Dracone. Hic in terra idem prœlium Christus sustinet, & pro obtenta victoria, ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Proposuit Deus in Christo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso. Accesserunt Angeli, & ministrabant ei, dicentes: Quis vt Deus? In cœlis vicerat hostem in Archangelo Michaële: hodie in terra vicit in homine. Quis vt Deus?

Apoc.12.

Quâ ratione Angeli ministri facti sunt gloriæ Dei.

Hoc nobis hodie proponitur singulariter considerandum, omnes scilicet Angelos intrasse in obsequium Christi, & fruitionem gloriæ ipsius, dimissione proprij amoris, & æstimatione super omnia ipsius Christi, dicentes: Quis vt Deus? Talis enim nota fuit & superscripto bonorum; sicut malorum & præuaricatorū; Ero similis Altissimo. Vnde sicut isti de excelso suo ceciderunt, sic illi in submissione sua erecti sunt, & suo ministrantes Creatori, qua via ab ipso prodierunt, eadem ad ipsum redierunt. Qui amore processerunt, vt Seraphim, amore redierunt, & sic de aliis.

Quid sint Angeli.

Quid enim existimamus esse Angelos? Creatas participationes Dei, seu emanationes quasdam diuini esse ac perfectionum æternarum. Suspicite dignitatem. S. Thomas dicit Angelos accipere rationes rerum in Deo, seu, si vultis, rationes & relationes esse participatas rerum & perfectionum in Deo, secundum quas suas differentias accipiunt, verbi gratia, Deus tripliciter consideratur. Primò, vt in se est, & quid absolutissimum, se ad seipsum referens vt ad finem. Secundò, vt est causa vniuersalis rerum, nempe vt sunt possibiles & factibiles. Tertiò, vt particularis causa determinans suas vniuersales dispositiones ad speciales effectus.

S. Thom. 1. p. q. 108. art. 6.

In his autem rationibus rerum quæ in ipso sunt, omnes constituit ordines Angelorum, qui ad ipsum secundum eas se referrent. Vnde sicut primus omnium rerum ordo est diuinarum personarum, quæ terminantur in Spiritu sancto: secundus rerum creabilium: tertius creatarum; voluit secundum quod trinus est in personis, tres hierarchias constituere, & in illis tres ordines.

Quomodo hierarchias diuersimodè accipiunt rationes rerum in Deo.

Prima hierarchia accipit rationes rerum in ipso Deo, hoc est, sicut Deus se amat, se intelligit, & in se quiescit intra se manens, & non extra se exiens: ita illa prima hierarchia continet Seraphim, id est, amorem: Cherubim: id est, contemplationem: Thronos, id est, quietem in Deo; & sic totaliter se ad Deum referunt.

Secunda hierarchia accipit rationes rerum in Deo vt causa vniuersali, quæ factibilia ad extra respicit: vnde continet dominationes, principatus & potestates.

Tertia denique hierarchia accipit rationes rerum secundum determinationem & executionem operis: vnde continet virtutes, Archangelos & Angelos nobis assistentes. Hodie; Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

A Ecce itaque quid sunt Angeli. Omnes administratorij spiritus, Christo seruientes, & à Christo adhuc missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Qui enim seruierunt Christo, propter ipsum seruiunt & nobis. Et ecce Angeli ministrabant ei. Nempe qui in Cœlo virtute Dei primos præuaricatores vicerant in Christo, eique victori gloriam dederant ac triumphum; hodie in terra, rursum ab eodem victis hostibus, accesserunt, & ministabant ei dicentes: Tua est potentia, tua est fortitudo, tua est diuinitas. Benedictus qui venit in nomine Domini, qui venit in virtute Dei. Osanna in altissimis. Quis vt Deus?

B Mirum planè hoc est, quod vbique Sathan ausus sit committere bellum aduersus Christum hominem-Deum. In domo patris, etiamque in terra dum mansit in ea, sicut & in suis qui profitentur & agnoscunt eum. Primum declarat Bern. Serm. 1. de Aduen. vbi dicit in Cœlo domo patris, reuelatione facta Incarnationis, sese Sathanam exaltasse aduersus Dominum & aduersus Christum eius, ipsius videlicet sanctissimam humanitatem.

Vbique Sathan est ausus aduersus Christū bellum committere. In Cælo. S. Bern.

Secundum hodie in terra Euangelium testatur. Ductus est IESVS in desertum à Spiritu, & accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Et iterum repetens certamen, verbis istis victus Deuter. Non in solo C pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei; assumens eum in sanctam Ciuitatem, & statuens super pinnaculum Templi, dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Sed victus iterum verbis istis, quæ illi dixit IESVS: Non tentabis Dominum Deum tuum; tertium certamen proponit, & assumens eum in montem excelsum valde, ostendit ei omnia Regna mundi & gloriam eorum, & dixit ei desperatione furens & superbia: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Cui IESVS & ipsum tunc à se repellens, dicit: Vade Sathana, scriptum est enim; Dominum Deum tuum adora-D bis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus: Tunc victor remansit Christus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

In terra. Matth. 4.

Deut. 8.

Ps. 90.

Deut. 6.

O Christiani, Christum quidem diabolus reliquit, sed non relinquit qui eius sunt, & qui nomen eius scriptum portant in frontibus suis. Quotidie enim adhuc tentare Christianos solet. Mementote quotidie vobis decertandum esse, instant hostes, & certamen indictum est. Verùm si nos bella premunt hostilia, datur robur, & à Christo hodie auxilium fertur. Nobis enim hodie Christus pugnauit, & vicit, & præterea adhuc nos suis muniuit & circuiuit castris, videlicet Angelis assistentibus nobis & ministrantibus.

Christiani subsunt tentationibus.

E Quare dicit S. Apostolus; De cætero fratres confortamini in Domino & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Hic proponit conditionem hostium, & armorum pariter quibus aduersus illos est vtendum, & dicit. Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum. Propterea accipite armaturam Dei, state succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia

Ephes. 6.

omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et sic galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, orantes omni tempore in spiritu, &c. Ecce, ô Christiani, ecce arma quibus noster superatur hostis. Addite adhuc ieiunium & mansionem deserti, scilicet pœnitentiæ, & nulla est amplius vis in hoste.

Olim fuit hæresis Valentini, omnia peccata esse à diabolo, & solum esse eorũ causam. Quod adhuc inter Catholicos multi obloquuntur, qui culpam suam tentationi attribuunt. Propter quod iam operæpretium videtur tenere hanc triplicem veritatem. *Triplex veritas tenenda de peccato.* Prima est, neminem peccare nisi sua voluntate. Ita S. Cypr. Nemo peccat inuitus. Exempli causa, huius rei, aut alterius suggestio accidit: non est in potestate totius Inferni, vt consentiam, nisi velim: peccatum omne voluntarium est. Ita S. August. in Iohan. vbi alligato cani diabolum comparat, qui latrare potest, sed non mordere nisi volentem. Canis est, ait, ligatus est, latrare potest, sollicitare potest, mordere nisi volentem non potest. Secunda veritas est, diabolum concurrere, ac sollicitare nos ad consensum & perpetrationem peccati. Tertia denique veritas est, obiecta nobis proponere peccati, siue exteriùs, siue interiùs. Exteriùs, vt sæpius Sanctæ Catherinę fecit, & adhuc facit multis, per sua supposita, quibus vtitur ad decipiendas animas. Interiùs, imaginationem vel appetitum pessimis sollicitans desideriis impudicitiæ, aut vltionis.

O Domine, qui tam ardenter homines diligis, & pro ipsis tot & tanta fecisti, si permittitur vili & humili creaturæ dicere creatori suo; Quare? audeam à tua petere bonitate, qui in omnibus iustus es Domine, cur sic potestatem tentandi nos, inimico nostro reliquisti? *Triplici ratione Deus permisit diabolo vt tentaret nos.* Triplici vtique ratione. Prima est ad maiorem Dei gloriam: secunda ad nostram: & tertia ad ipsius inimici confusionem.

Tria notanda contra tentationes. Sed quid præstandum sit dum tentamur, quæretis. Tria dicam. Duo nobis in Euangelio demonstrata à Christo, & vnum ab Angelis, aduersus diabolum pugnantibus.

1. Primum est, in desertum ire, atque in mundo conuersari, ac si in mundo non essemus; in pœnitentia denique & lacrymis vitam nostram agere.

2. Secundum est, vti Scriptura sacra, & dicere; Scriptum est. Exempli gratia, vltionem quæris? dic ad resistendum; Scriptum est: Mihi vindicta, & ego retribuam. Similiter si auaritia tentaris, dic statim; Scriptum est: Facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cœlorum. Ita de impudicitia dic; Scriptũ est: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Ita sit de cæteris.

3. Tertium denique est, istud verbum vsurpare cum Angelis; Quis vt Deus? Nihil est Deo præferendum. Non istius hominis, aut mulieris voluptas, non istius semihoræ. Non corporis deliciæ, non mundus, non tempus, non thesaurus terræ. Quis vt Deus? Deus meus & omnia, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

* * *

DE FINE VLTIMO hominis, & iudicio eius.

Venite benedicti Patris mei. Matth. 25.
Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum omnia instaurare in Christo, &c. Ephes. 1.

QVADRVPLICEM erga nos IESVS Christus relationem habet. *Quadruplex relatio Christi erga nos.* Principij, est enim omnium conditor; per ipsum omnia facta sunt, dicit S. Iohannes. Conseruatoris, omnia enim, ex Apostolo, in ipso constant. Vltimi finis, atque etiam beatitudinis. Quæ relatio vltima à tertia differt, nobisque noua gratia est: cùm certum sit Deum potuisse esse nostrum vltimum finem obligatione & officio obsequij, absque vlla spe, ex nostra parte, mercedis. *Similitudo.* Sicut enim seruus vt talis, totum quod est, & quod facit, ad dominum suum velut ad suũ finem vltimum refert, & sine vlla spe & expectatione retributionis: ita de nobis est respectu Dei, cuius, creationis titulo, serui sumus. Nos & omnia ad ipsum vt ad finem vltimum referre debemus, sine vlla spe iustæ mercedis; & tamen voluit, ex gratia, esse noster finis beatus, relationémque habere erga nos mercedis ac fœlicitatis, sicut aliquando dixit Abrahamo: *Ero ego merces tua magna nimis.*

In hoc tua est dignitas, ô homo, & tuum pretium, *In fine suo dignitas hominis.* Deum habere tuum vltimum finem & beatum, qui te ex gratia fecit ad se, & capacem æternæ suæ beatitudinis. Moyses vnum quid in sua Genesi refert admiratione dignum, *Gen. 2.* scilicet quod plantauit Dominus Deus, post formationem hominis, paradisum in Eden, id est, in deliciis, & posuit illic hominem vt coleret & custodiret illum. Ibi latens aliquid, inquit Chrysostom. *S. Chrysost. homil. 13.* aperit Moyses nobis. Extra paradisum hominem Deus formauit, sed mox introduxit illum, vt sciret quãtus honor illi esset concessus. Extra paradisum homo factus est, vt intelligat non deberi ei, nisi gratia. Hinc dicitur: Plantauit autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat. Videte quæso, quantum honorem statim homini dedit: creatum in paradiso ponit. Sed omnia obseruate, vt coleret & custodiret eum. Si quidem, ex Apostolo, omnes Dei agricultura sumus, omnes cooperarij, laborandúmque est vt habeamus regnum iam præparatum; & custodiendum præterea est, ne ab eo excidamus. Euangelij verba illud nos mysterium docent.

Dixit IESVS discipulis suis: Cùm venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem. Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, hospes eram, & collegistis me. Inuitat Christus ad se, quos iam vocauerat ad sequendum se, dicens: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Vbi ego sum, illic erit & minister meus. *Ioh. 12.* Simul præparo & inuito ad gloriam, & dabo eam iis qui me sequuturi sunt. Vnde dicit: Si quis mihi ministrauerit, & sequutus fuerit, honorificabit eum Pater meus. Quo honore? vtique

vtique regni cœlestis. Venite benedicti patris mei. Benedicti, quos pater tot cumulauit beneficiis: benedicti, id est, à patre dilecti, & ab eo propter me vita æterna donandi. Possidete paratum vobis regnum, vt hereditatem vestram simul & mercedem.

Quomodo regnum cœlorũ hæreditas dicitur & merces.

Obseruate ista: hæreditas regnum cœlorum dicitur, quia solis filiis datur; merces autem, quia meritis. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*, inquit psaltes. Non enim est de regno Dei, vt de possessionibus terræ & hominum, quæ dari solent & diuidi quibuslibet filiis, siue bonis, siue malis: non sic inquam de regno est cœlorum, quod solùm datur dignis filiis, & qui multum meruerunt, vt dicit Apostolus: Ergo fratres debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus, si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatitur, vt & conglorificemur. Existimo autem quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. *Venite benedicti patris*, &c. (Rom. 8.)

Ecce quibus filiis illa datur hæreditas & merces. Iuxta quod Apostolus dicit: Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Quid est hoc? nisi quia qui plus laborauerit, maiorem mercedem recipiet, qui minus, minorem; & qui nihil, nullam recipiet. 2. Paral. 15. Vos ergo confortamini, & non dissoluantur manus vestræ: erit enim merces operi vestro. Et ideo, dicit Apostol. contendimus siue absentes, siue præsentes placere illi: omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. (1. Cor. 3. — 2. Paral. 15. — 2 Cor. 5.)

Hodie iuxta Euangelium, cùm venerit filius hominis in Majestate sua, congregabuntur ante eum omnes gentes, & dicet his qui à dextris erunt: Venite benedicti patris, possidete regnum, &c. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, nudus eram, & cooperuistis mé, infirmus, & visitastis me, in carcere, & venistis ad me. Venite benedicti patris. Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis, mihi fecistis. Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare. O exprobrationem, & intolerabilem confusionem! & ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, & cognoui quia æquitas iudicia tua. Propterea igitur Iudex & remunerator seu retributor omnium venturus est Christus, qui omnium est creator. Proposuit Deus in Christo instaurare omnia.

Et quidem magnus dies Domini & Christi istud erit tempus Iudicij. Ieremias vnum væ clamat super diem istum. Væ, inquit, quia magna dies illa, nec est similis eius. Væ certè, & non est similis, quia finis tunc temporum erit, & initium æternitatis. Væ, quia pœnitendi tempus auferetur iniustis. Væ, quia perpetuò maledicent isti, sicut in æternum benedicent iusti. Væ inquam tunc erit, quando extrema omnium sententia erit: dies memorabilis in æternum iustis & peccatoribus, sicut Ioël dicit: Non fuit ab initio, nec in posterum erit similis, vsque in annos generationis & generationis, dies turbinis, tenebrarum atque caliginis. (Ierem. 30. — Ioël 2.)

Terribilis dies Iudicij.

Cùm de illo die loquuntur omnes Scripturæ, terrorem vndique personant, ipso Ioële dicente, quia à facie eius cruciabuntur populi, & conturbabuntur omnes habitatores terræ. Et Isa. qui ait: Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, iræ, furorisque ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos. Vlulate, quia propè est. Item in Apoc. Iohanne dicente, quia etiam tunc à conspectu Dei fugiet Cœlum & terra. Quantus ergo erit error hominibus, cùm etiam res inanimatæ, & quæ nihil mali meruerunt, dicantur fugere? Propterea fortasse Luc. 21. dicitur: Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. Væ autẽ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet, tuncque erit pressura gentium, arescentibus hominibus præ timore. hæc omnia ipse dixit Christus. (Isa. 13. — Apoc. 20. — Luc. 21. — Math. 24.)

O Christiani, iuxta est dies iste, dies Domini magnus; iuxta & velox nimis. O peccator, ne tardes conuerti, subitò enim veniet ira illius. O Christiani, respicite modò, & leuate capita vestra: signáque iudicij huius tremendi descripta respicite, quoniam appropinquat redemptio vestra. Signa sunt seditiones & prœlia, pestilentiæ & fames, motus terræ, elementorumque intemperies, denique eclipses astrorum. Certè etiam & in signis maximus terror est. Erunt signa in Sole, &c. His autem fieri incipientibus, respicite, & scitote quoniam propè est regnum Dei. Tunc enim videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & majestate. (Sophon. 1. — Luc. 21.)

Signa futuri Iudicij.

Verùm quantus quæso ex præsentia huius Iudicis erit terror, ante tribunal cuius nos omnes manifestari oportebit? Ante Iudicem, dico, offensum, & qui scientiam habet omnium delictorum, vindictam in manu, atque potentiam? Recordor historiæ Esther coram irato Assuero apparẽntis. Quę ex eo quod vidit faciem Regis huius induti suis regiis vestibus, & audiuit eum indicantem furorem pectoris sui lato edicto mortis aduersus Iudæos, corruit in pallorem colore mutato, & penè exanimata dicens: Video te Domine, quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ; & rursus corruit. Quid quæso tunc erit, Regem regum videre, indicantem furorem cordis sui, & lato edicto mortis iudicantem omnes nationes terræ & populos in æquitate? Quis non tunc pertimescet? & quis poterit cogitare diem aduentus eius? Iustus Iob dicit: Quid faciam ego cùm venerit ad iudicandum Dominus? Quid respondebo? Vix iustus saluabitur, & ego miser vbi parebo? Hæc iustus dicit, & nos miseri quid dicere poterimus? Audiant omnes. Si ex omnibus filiis Adæ diceretur quod vnicus damnaretur, nemo esset nostrûm, si saperet, qui non paueret & diceret; Numquid ego sum? Sicut quando Christus dixit, quia vnus est vestrûm qui me traditurus est, omnes dixerunt Apostoli; Numquid ego sum? Vnum Christus dicit, & omnes trepidant. Quanto magis ergo trepidare omnes debemus, cùm ex ipso ore veritatis audimus, quia ex multis vocatis pauci salui erunt? (Esther 15.)

Pauci qui salui fiant.

Hac ratione & consideratione motus S. Chrysostom. cùm die quodam verba faceret ad populum Antioch. hæc dicere ausus est. Quot esse existimatis in hac Ciuitate nostra, qui salui fiant? Infestum quidem est quod dicturus sum: dicam tamen. Non inuenientur inter tot millia, centum qui saluen- (S. Chrysost. hom. 24. in 10. Actor.)

ſaluentur, (addens,) quin & de his dubito. Heu! quid de noſtris temporibus dicendum eſt? Et ſi de Antiochia iſtud dictum ſit, quæ habebat prædicantem Chryſoſtomum, quid de noſtra Ciuitate plena tot peccatis, quot populis, & vbi nullus ferè fructus ex tot concionibus? vbi etiam pauci Chryſoſtomi, & peccatores multi?

Mich. 7. Lamentabatur quondam Michæas: Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non eſt botrus ad comedendum, periit ſanctus de terra, & iuſtus in hominibus non eſt. Ideo quidem lamentabatur, quia cùm miſſus eſſet, vt prædicatione ſua fructus faceret, accidit illi vt iis qui vindemiant, & nihil inueniunt. Quanto magis & nos lamentari debemus? Ecce plantauit Deus vineam ſuam & perfecit, hominem. Sed heu! tantùm abeſt, vt referat fructus, quin potiùs vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam, videlicet diaboli, ſicut dicit Pſaltes: *Exterminauit eam Aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* Homo coronandus gloria, dæmonum fit præda, & ſic miſer Deum, ſéque ſuo priuat fine.

Nolo, ô peccatores, vt cauſam imputetis Deo, cuius natura bonitas & opus miſericordia: ſed Iſai. 5. malitiæ veſtræ, ex qua perditio veſtra. Apud Iſaiam aduerſus impium iuſtificat ſe Deus dicens: Habitatores Hieruſalem, & viri Iuda, iudicate inter me & vineam meã, quid debui illi facere, & non feci? Et quæſo, numquid Deus omnia fecit quæ ad eius miſericordiam & bonitatem videbantur ſpectare? S. Chryſoſt. hom. 14. in Geneſ. Ita quidem eſt, dicit S. Chryſoſt. Primò enim cùm non eſſes, tibi dedit vt eſſes. Secundò, ex puluere corpus formare manibus dignatus eſt. Poſt hæc, ipſe animam dominam inſpirauit, dein paradiſum fieri iuſſit, in quo & te originali iuſtitia donatum poſuit, vt & in eo cum voluptate & deliciis viueres, & coleres & cuſtodires eum. De vno poſſes conqueri, quod adhuc & tibi Deus ad maiorem gloriam contulit, nimirum quod reliquit te in manu conſilij tui, & liberum te circa omnia fecit, ponens ante te bonum & malum, vitam atque mortem. Et miſer tot gratiis & auxiliis ditatus, elegiſti malum, exilium & mortem. Iam ô maledicti diſcedite à me, & de ſe conqueratur peccator ſi mittatur in ignem æternum. Ex parte Dei nemini deeſt ſalus, qui non ſolùm vitam dedit, ſed etiam reparare venit. Propoſuit Deus inſtaurare Origenes. omnia in Chriſto. Origenes in hæc verba Chriſti; *Multi vocati, pauci vero electi*, dicit. Si conſideret quis quanti ſunt qui reformantur nouitate ſenſus ſui: quanti verò negligentiſſimè conuerſantes conformantur huic ſæculo, videbit verum eſſe ſermonem Dei, pauci electi. Mementote quia in Sodonis ſola familia Loth euaſit. In diluuio vniuerſali ſola familia Noë, in qua tantùm repertæ ſunt octo Luc. 8. animæ. Mementote quod ex toto ſemine, quod optimus ſator ſeminauit & ſparſit, vna pars ſola tulit fructum. Denique vt verbis manifeſtis, & non amplius figuris illud ipſum diſcatis à Chriſto, au-Matth. 7. dite tandem quid dicat Dominus: Intrate per anguſtam portam. Quàm lata porta & ſpatioſa quæ ducit ad perditionem! & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm è contrà anguſta eſt porta & ardua quæ ducit ad vitam! & pauci ſunt qui inueniunt eam. O vtinam ſimus de his qui eam inuenient. Nolite timere puſillus grex, quia ſic complacuit patri veſtro dare vobis regnum. *Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à conſtitutione mundi:*

A

CONTINVATIO IVdicij, vbi de iactura gloriæ.

Commota eſt vniuerſa Ciuitas dicens; Quis eſt hic? Matth. 21.

Propoſuit Deus in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, &c. Epheſ. 1.

B PRÆSENS Euangelium in mentem reuocat terribile Chriſti IESV Iudicium. Hodie vindex paternæ gloriæ Ieroſolymam ingreditur, & ecce commouetur vniuerſa Ciuitas dicens; Quis eſt hic? O quantis terroribus concutiet orbem terræ, cùm venerit in maieſtate Dominus, & cum zelo iudicaturus omnia in æquitate, qui tantopere terret profanatores Templi Ieroſolymam ingreſſus! Vtique Euangelium præſens aliqua videtur eſſe repræſentatio Iudicij.

Cùm intraſſet IESVS cum triumpho & gloria Ieroſolymam, turbis vndique quæ præcedebant & quæ ſequebantur, clamantibus, Oſanna filio Dauid, commota eſt vniuerſa Ciuitas dicens; Quis eſt C hic? Populi autem dicebãt: Hic eſt IESVS propheta à Nazareth Galilææ. Et intrauit Ieſus in Templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in Templo, & menſas eorum dicens: Scriptum eſt; Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi, & ſanauit eos. Videntes autem Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, Oſanna, indignati ſunt: & relictis illis abiit extra Ciuitatem in Bethaniam, ibique manſit in Bethania, quæ dicitur domus obedientiæ.

Hic quæſo commemorationem Iudicij animaduertite. Signa præcedunt in commotione Ciuita-D tis. Iudex in Majeſtate apparet & poteſtate. Quis eſt hic? Sed pro tribunali, (in Templo) iudicat, ſegregat, eiicit, euertit. Iuſti & humiles glorificant Deum in plebe & pueris qui dicunt: Hic eſt IESVS, Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. Peccatores & ſuperbi indignantur in Phariſæis, quos deſerit Dominus, ignibus æternis mancipandos, reuerſus cum plebe ſua, in Ciuitatem ſupernam, ibi in æternum cum filiis obedientiæ regnaturus. Ibi enim ſummè, & in gloria diuina impletur voluntas ab his qui perfectè eam coluerunt in terra; & tunc iudicium fit retributionis.

Iudicium generale vnum eſt ex quatuor nouiſ-E ſimis; quia omnium iudiciorum quæ fiunt iſtud erit vltimum. Iſte ſimiliter omnium aduentuum *Diſcrimẽ inter primũ & ſecũdum aduentũ Chriſti.* Chriſti erit vltimus, longè equidem à primo diuerſus. In humilitate primùm venit, infirmitate, atque paupertate: tunc autem in Majeſtate & gloria venturus eſt. O quis ſtabit ad videndum eum? 2. Cor. 5. In primo venit miſericordiam daturus; vnde dicitur ab Apoſtolo, quia Deus erat in Chriſto mundum ſibi reconcilians. Quare & nos obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. In ſecundo enim veniet extremam vitæ aut mortis ſententiam laturus, vniuerſa euerſurus, vndique fulmine ac igne ſtipatus; denique in æternum eiecturus à ſe qui fecerunt domum ſuam ſpeluncam latronum.

Latrones, diaboli, domus Dei, orbis vniuersus.

Latrones quinam sunt? Diaboli, qui quod Dei est auferunt, videlicet animas. Domus Dei quænā est? vniuersus orbis, in quo omnes creaturæ enarrant gloriam Dei: vos autem fecistis peccando speluncam latronum. Nam quid existimatis esse peccatum? vtique furtum, & tale quod nequeat Deus sustinere. Non in Cœlo sustinuit, Luciferum proiiciens: non in paradiso terræ, Adam similiter eiiciens socium in furto: neque adhuc in vniuerso orbe sustinebit, qui à facie terræ omnes peccatores disperdet. Heu! in quæ mala & extrema deuenimus? Miser Adam, vt quid sortem misisti cum isto insigni latrone & callidiori te? vt quid vocem eius audisti? (Eritis sicut Dij.) Vnum sit marsupium omnium nostrûm, impleamus domos nostras spoliis, & socij simus in hoc furto. Ego ero similis Altissimo: vos autem eritis sicut Dij. O Adam, frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Recordare quis sis, à quo & propter quem tu sis. Ecce, Adam, filio Dei gloriam subtrahis. O Adam, inquit S. Bern. miser ille serpens tibi inuidens, quam in se conceperat, in te parit iniquitatem. Caue Adam: ecce pater non dissimulat iniuriam filij dicens; Mihi vindicta, & ego retribuam. Sicut in furto, sic in pœna furis socius eris. Emisit Adam Dominus de paradiso, eiecitque eum, & collocauit ante paradisum Cherubim, & flammeum gladium ad custodiendam viam.

Peccatū, furtum quod Deus nullibi sustinere potest.

Diabolus hominem fecit socium furti sui, peccato. S. Bern. Ser. 1. de Aduen.

Gen. 3.

Ad vos iam peccatores filij Adam, & semen iniquitatis. Vidistis æternum patrem zelare pro filio in primos præuaricatores. Ecce nunc pro patre videtis filium zelare in vos. Domus mea, inquit, domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Zelus domus tuæ, Pater, comedit me, & recordare quia extunc non iudicas quemquam, sed omne iudicium dedisti filio, quia filius hominis est.

Christus omnia requisita habet, vt iudicium exerceat.
Sap. 5.
Heb. 4.

Dedit Pater filio iudicium, quia ad iudiciū omnia requisita habet. Zelum habet, vt Sapiens dixit: Accipiet armaturam zelus eius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Habet scientiam iuris & facti: est enim sapientia Patris, & omnia sunt aperta oculis eius. Habet denique potentiam mandandi executioni sententiam mortis, quia ipse est omnipotens, & nemo est qui possit resistere ei. Seueritatem vidistis in eiectione numulariorum de Templo. Sic equidem faciet in iudicio aduersus eos qui concupiscentiis suis, & auaritiis vniuersum orbem polluerunt.

O quantus tunc terror erit impiis videre ipsum? Nam si potestates in gloria ipsum placatum tremunt videntes, quid facient peccatores, ipsum videntes offensum & iratum? Fratres Ioseph audientes quod diceret eis: Ego sum Ioseph frater vester, non potuerunt illi respondere quidquam nimio timore perterriti, memoresque quod ipsum vendiderant, & licet talia eis in clementia loquutus fuisset, dixissetque: Accedite ad me, & nolite pauere quod me vendidistis in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum, neque vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum pro vobis; tamen ita omnes fuere perterriti, vt diutiùs minimè loqui potuerint. Quid iam peccatores facient, cùm de Deo, & de Christo Dei filio audient: Ego sum frater vester Christus, quem vos vendidistis, ego sum ille Ioseph, Majestate & potentia auctus, non iam vt saluem & vos liberem, sed vt vlciscar & pœnis vos adiudicem? O quis poterit talis iram sustinere fratris, & seueritatem ferre tanti Iudicis? Cùm adhuc & inimi-

Gen 45.

Quid in Iudicio Christus exprobrabit.

A cis suis beneficia omnia quæ illis fecit, exprobrabit, & dicet; Frater vester esse volui, & extiti: quare ergo offendistis me? Num quia vos creaui? Num quia hominem me feci? Num quia pro vobis sanguinem effudi, & vitam posui? Habuistis manus, vt manus offenderetis pro vobis crucifixas? pedes, vt pedes offenderetis Cruci clauis affixos? linguam, vt offenderetis linguam felle & aceto perfusam?

Sed dicetis: Quonam pacto sic vt Leo Christus irascetur, qui ad nos primùm venit vt Agnus mansuetus, & noster apud patrem aduocatus? Rationem iam accipite. Amor læsus vehementer irascitur. Moyses in monte videbatur Deum placare orando pro populo peccatore: sed cùm de monte B descendit, eosque adhuc in peccatis & idololatria inuenit, statim in furorem versus exclamat: Si quis est Domini, iungatur mihi, (separentur iusti ab iniustis, & fideles à peccatoribus,) & tunc occidit gladio triginta millia. Ita quidem Christus placat patrem in Cœlo, dum adhuc in terra peccamus & viuimus, dicente S. Iohanne: Si quis peccauerit, habemus aduocatum IESVM Christum iustum. Sed cùm descenderit de monte, & viderit tot peccata hominum, acuet vt fulgur gladium suum, & inebriabit sagittas suas sanguine; & tunc erit Dominus non amplius liberās, sed percutiens, iuxta quod in Exodo dicitur, & apud Ezech. Finis venit, finis venit super quatuor plagas terræ. Finis super te ve- C nit, & mittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas. Nónne de propinquo effundam iram meam super te, & imponam tibi omnia scelera tua? Amor læsus vehementer irascitur; & quanto maior fuerit misericordia Dei in peccatores, tanto maior erit in eos iustitia, si noluerint vti misericordia. Ita vt qui amplecti noluerint manus Christi mortui pro nobis in Cruce expansas, horribiliter incidant in manus Dei viuentis, in manus iustitiæ eius.

Quomodo amor Christi in Iudicio in furorem mutabitur.

Exod. 32.

1. Ioh. 2.

Exod 12.
Ezech. 7.

Ex vno quidem brachio facilè in notitiam alterius veniri potest. Tanta autem Christus signa dedit misericordiæ, vt stultitia apparuerit Gentibus, dicente Apost. *Prædicamus IESVM Christum crucifi-* D *xum, Gentibus stultitiam.* Et certè vt alter Noë Christus visus est quasi totus inebriatus amore, & bonitate erga nos in tabernaculo suæ Crucis. Sic vicissim tanta erit iustitia eius, totque signa dabit, vt furor appareat, adeóque horribilis, vt Iob iustissimus, cùm de illa cogitat, velit abscondi etiam in Inferno. *Quis mihi hoc tribuat, vt in Inferno protegas me?*

1. Cor. 1.

Iustitia Dei furor in Iudicio.
Iob. 14.

His adde quod planè inexorabilis erit. S. Chrysost. ad pop. Ant. Neminem, ait, video in Euāgelio qui intercedat pro non induto veste nuptiali: non pro eo qui de talento suo nihil lucratur, & non video etiam quod prudentes virgines pro fatuis intercedant. Imò ipse Christus, qui tam dilexit ho- E mines vt pro iis tradiderit se, ridebit tunc de damnatione eorum, & dicet; Vocaui, & renuistis, & ego in interitu vestro ridebo. Et Sancti similiter ridebunt. Ps. 57. Lætabitur iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.

Iustitia inexorabilis.
S. Chrysost. hom. 22. ad pop. Antioch.

Prou. 1.

Ps. 57.

Denique armabitur omnis creatura ad vltionem eorum. Et dæmon accusabit acriter, dicetque Deo; damna eum, quia plus me quàm te benefactorem dilexit. Non enim te, sed me sequutus est inimicum. Damna eum, reus est æternæ mortis. O quid tunc miser faciet? Tunc enim, ait Sanctus Gregor. angustiæ erunt vndique, & angustæ vndique reprobis viæ. Superiùs erit Iudex iratus, subtus horrendum Inferni chaos: à dextris peccata

In Iudicio angustiæ vndique reprobis.

S. Gregor.

peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia ad A supplicium trahentia: intus conscientia vrens, foris mundus ardens. Miser peccator sic deprehensus quò fugiet? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Ecce quomodo accusabit, & pugnabit pro Deo orbis terrarum contra insensatos. Ecce quomodo ex parte Iudicis & omnium creaturarum terror erit.

Terror Iudicij ex parte materiæ, & examinis. Secundò ex parte materiæ & examinis, vbi de omnibus, etiámque de iustitiis in actionibus humanis reddenda ratio. Vix iustus saluabitur, & quid faciet peccator? Apoc. 5. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

Ex parte sententiæ. Tertiò, terribile adhuc Iudicium hoc erit B ex sententia, quæ de re futura est non leuis momenti, sicut est de præmio, aut pœna æterna, vbi audietur, venite, vel discedite. Iudæi ad vocem Christi morituri, & tantùm dicentis; Ego sum, retrorsum abierunt, & ceciderunt. Quid erit vocem audire condemnantis & dicentis; Discedite à me qui operamini iniquitatem: Ite maledicti in ignem æternum? Heu, quàm tunc terribile erit homini Deum videre & perdere, & perire à conspectu Cœli & gloriæ, vt demergatur in profundum Inferni, ignibus cremandus æternis! *Ante Iudicium*, ait Sap. *interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem.* Rectè aiebat Euseb. Emiss. Magna pœna est peccati, metum atque memoriam perdidisse Iudicij. Sic non fecerunt Sancti Hillariones, Hieronymi, & tot alij sanctissimi viri. *Eccli. 18.* *Euseb. Emis.* C

Ecce terror, vbi adhuc sententia in ictu oculi bonos à malis in æternum separabit. Tunc enim diuisio fiet, & differentia videbitur: superborum qui indignabuntur, & dicent attoniti; Quis est hic? Et ex altera parte, humilium atque paruulorum, qui gloriam regni eius dicent, & potentiam loquentur clamantes aliis: Hic est IESVS à Nazareth. Vnde & similiter dicet istis in furore: Discedite à me. His autem: Venite benedicti, exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio, sicut scriptum est de me: Ex ore infantium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem, quando videlicet videbunt isti D excelsi & superbi paruulos vocari ad laudes, se autem deiici ad fletus æternos.

Rationes cur generale Iudicium Christus faciet. Ideo enim, & primò faciet hoc Iudicium generale Christus, scilicet ad laudem bonorum, & ignominiam malorum dicentium; Quis est hic? & quinam isti cum eo? Nónne hi sunt quos aliquãdo habuimus in derisum, & similitudinem improperij?

Secundò, vt ostendatur omnibus misericordia Dei in iustos, absque vlla crudelitate in impios: & similiter iustitia in impios, absque vlla acceptione personarum in iustos & pios.

Tertiò, vt in omnibus ostendatur Dei prouidentia, diuinæque rationes appareant, cur bonos E affligi Deus voluit, malos autem in bonis agere dies suos. Tunc temporis enim applicatio videbitur & vnio simul omnium partium horologij diuinæ prouidentiæ, & quomodo omnia cooperata sunt in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti: sicut in malum, ijs qui secundum altitudinem & incomprehensibilitatem iudiciorum Dei, malitia sua in perditionem & reprobationem ceciderunt. Væ genti peccatrici, væ populo *Isai. 1.* graui iniquitate, semini nequam; dereliquerunt Dominum, & blasphemauerunt sanctum Israël: fecerunt domum meam speluncam latronum. Super quo percutiam vos vltrà? Id est, ô maledicti, cogito quibus suppliciis vos afficiam, discedite à me in ignem æternum.

Ieremiæ dictum est, & nobis mandatũ sic. Cùm *Ierem. 16.* annunciaueris populo huic omnia verba hæc, & dixerint tibi: Quare loquutus est Dominus super nos omne malum grande istud? quæ nostra est iniquitas? aut quod peccatum nostrum? Dices ad eos: Quia me dereliquerũt patres vestri, & legem meã non custodierũt; sed & vos peiùs operati estis. Ecce enim ambulat vnusquisque post prauitatem cordis sui mali, vt me non audiat. Ex his quæso verbis notate, duplici ex causa punitionẽ nostram accidere. *Duplici ex causa oritur punitio.* Primò, ex iniquitate patrum nostrorum, à quibus peccare didicimus. Quinam sunt hi? Pharisæi profanatores Tẽpli. Secundò, ex eo quod adhuc ipsorũ iniquitates longè nostris superamus, qui plura & maiora illis recepimus. Est enim magna gloria domus nouissimæ & secũdæ, magis quàm primæ. Vos autem fecistis illam speluncam latronũ. Inde quidem sic ait Dominus in Ieremia. Quid est quod *Ierem. 11.* dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Domus mea, orbis est terræ, & domus orationis vocabitur. Vnde Dauid: *In omni loco dominationis* *Ps. 102.* *eius benedic anima mea Domino.* Domini enim est terra & plenitudo eius. Et si ego Dominus, qui *Ps. 23.* Cœlum & terrã impleo, vbi honor meus; qui tam audacter peccatis in conspectu meo & in oculis?

Sed si de profanatione orbis sic erit; quid de profanatione Ecclesiæ, quam tam sæpe speluncam latronum facimus? Sed quid isti latrones furantur cum quibus in peccatis nostris conuersamur? vtiq; animas nostras. Sic Gen. 14. Rex Sodomorum di- *Gen. 14.* cebat ad Abraham: Da mihi animas, cætera tibi tolle. Ecce quomodo diaboli furta nobiscum diui- *Animæ furta diaboli.* dere prætendunt, volunt & petunt animas, & nobis cætera relinquunt. Vnde in pœnis, sicut in furto societas erit. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Sic in Ierem. Confundentur vehementer, quia non *Ierem. 20. & 15.* intellexerunt opprobrium sempiternum. Non est anima mea ad populum istum, egrediantur. Quod si dixerint; Quò? ad mortem, ad gladium, ad captiuitatem, in ignem æternum. Et certè à Christo discedere, est ad mortem ire, & in ignem æternum descendere. Sed vultis vt in consolationem timor conuertatur? Cum Apostolo obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Est enim in Christo mundum recõcilians sibi, qui quod perierat, venit quærere & saluum facere, animas saluare, non perdere.

DE CAVSA NOSTRÆ perditionis simul & reparationis.

Generatio peruersa signum petit, & non dabitur ei. Matth. 12.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Ephes. 1.

IN Osee Propheta capite 13. mundi Reparator *Osee 13.* Christus IESVS agnoscitur, & quia non est alius præter eum. Ego Dominus, Deum absque me nescies, & non est Saluator præter me. Vnde paulo post additur: Perditio tua ex te

Osee 13.

Israël, tantummodò in me auxilium tuum. Vbi est Rex tuus saluans? non est alius præter me. De manu mortis liberabo eos. Vnde & cap. vlt. seq. Conuertere Israel ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. Quis sapiens, & intelliget ista? intelligens, & sciet hæc? Quia rectæ viæ Domini. Iusti ambulabunt in eis: præuaricatores autem corruent in eis. hæc dicit Osee. Vult Deus, vt à seipso peccator condemnetur, & culpa illius sit, si pereat, vt Ieremias dicit: Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te; scito & vide quia est amarum te reliquisse Dominum. & apud Isaiam: Dixi, ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non inuocat nomen meum. Generatio peruersa signum quærit, & non dabitur ei, nisi signum Ionę, quod in condemnationem quidem est.

Osee 14.

Ierem. 2.

Isa. 65.

In omni namque Euangelio diei satis constat de bonitate Dei aduersus malos operantes iniquitatem; vbi paulò ante citata verba Christus loquebatur de iudicio dicens: *Dico vobis quoniam omne verbum otiosum quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij.* Deinde statim vnumquemque conuincit fore ore proprio Iudicem suiipsius, dicens: Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

Iam verò cùm ad ista debuissent trepidare & conuerti, ecce quidam de Scribis & Pharisæis dicunt: Magister, volumus à te signum videre. Qui respondens ait illis. Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ. Viri Niniuitæ surgent in Iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, &c.

Iam habemus ex contentis in Euangelio, qui sunt adulteri, & qui sunt legitimi filij, & quis noster verus & legitimus Reparator. Omnia autem in Deo, qui nos sibi reconciliauit per Christum. Proposuit Deus in Christo instaurare omnia. Generatio peruersa & adultera signum petit, & dicit, volumus. Prauæ est generationis cor suum non dirigere, & infidelis signa petere. Prauitatis, atque infidelitatis indicium est propria voluntas, & dicere, volumus. Verbum istud est Inferni, volumus, omnisque mali est prima origo. Et quæso quidnam ardet in Inferno nisi propria voluntas? Hæc est peccatorum radix, Deo dicente, volo, videre hominem appetere contrarium, & dicere, etiam ego volo. Hæc est iniquitas prima, quam conceptam in se primò, reperit diabolus in homine. In Cœlo voluit fieri Deo similis, & propter vnum voluntatis superbæ motum, ipsum condemnauit Altissimus perpetuis Inferni ignibus. Et sic adhuc in terra hominis voluntatem peruertere conatus est, cùm dixit Adamo & Euæ, primis nostris parentibus: Comedite solùm, eritis sicut Dij. Sed quid illis pręcipit? Comedite: quid verò promittit? Eritis sicut Dij. Et illi dixerunt, volumus, consentientésque prauitati, propter eumdem superbæ voluntatis motum de paradiso eiecti sunt.

Volũtas propria prauitatu nota, & origo.

Ecce equidem in quo verum dixit Sanctus Iacobus: *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Sed quænam est illa concupiscentia, nisi peruersa voluntas? Illa in diabolo concepit primò, deinde in homine peperit; & in illo consummatum peccatum mortem generauit, vt

Iacob. 1.

A Apostolus ait: Regnauit mors ab Adam, & hoc ex inuidia diaboli primi præuaricatoris, vt Sapiens ait: Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Cùm videlicet hominem, quem Deus fecerat inexterminabilem, & formatum ad imaginem suam, spe falsa & promissione diuinitatis propositæ, consortem fecit suæ peruersæ voluntatis, & adulteræ concupiscentiæ.

Rom. 5.

Sap. 2.

S. Chrysostom. in hæc verba Genes. *Quid est quod dixit Deus, ne comedatis*, &c. Videbat, inquit, diabolus super terram Angelum terrestrem, & à sua rodebatur inuidia dæmon malorum author, quoniam cùm ipse inter supernas virtutes esset, & ob voluntatis suæ nequitiam è summo illo B Cœlo proiectus fuerit, magna vsus est machinatione, vt hominem gratia Dei priuare, & tantis bonis ingratum factum nudare posset. Quid igitur fecit? Ecce, cur, inquit, præcepit Deus vobis, ne comederetis de ligno scientiæ? Nequaquam moriemini, eritis sicut Dij. Et nos volumus, dixerunt primi parentes nostri, & comederunt, & apertis oculis malum suum viderunt; & sicut de fructu scientiæ gustauerant, cognouerunt se esse nudos. Et sic, ait S. Chrysostom. neque lignum attulit mala, sed voluntas peccans, & contemptus circa præceptum habitus.

S. Chrysost. *Inuidia diaboli in hominem.*

Volũtas peccans, & non lignum est causa malorum.

Ecce igitur origo lapsus, voluntas propria & peruersa. Nemo enim nisi à voluntate propria C damnatur. Et sicut Sanctus Augustinus dicit, quia voluntarium est peccatum, ita etiam dicimus quia voluntaria damnatio est. Et quidem instinctu terribili omnes damnati currunt ad Infernum, & dixerunt omnes, damnari volumus. O peruersa & adultera voluntas! ô nefandum verbum in ore hominum! volumus. Generatio mala signum quærit, & dicit, volumus. O Domine, doce me iam tuam facere voluntatem, & non meam. Mea enim mala est, adultera & peruersa. Tua verò bona, legitima, immaculata, & sancta.

Damnatio voluntaria est.

Multi Sancti per diuersas vias ad Cœlum peruenerunt. Ecce modò vna proponitur, in qua omnes aliæ continentur. Diuinæ est impletio D voluntatis. Domine, illam edoce me. Sed quænam est illa Dei voluntas? Voluntas patris est, vt credamus in filium eius. Hæc est, ait, voluntas patris mei qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Vult pater vt credamus, & non signum quæramus: vt audiamus filium, & pareamus, ipso patre dicente: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Hæc est voluntas patris; voluntas verò filij, vt conuertamur à peccatis nostris, & patris mandata seruemus. Nam propterea dicit, *nisi pœnitentiam habueritis, peribitis.* Ita S. Marc. ait: Venit IESVS in Galilæam prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tem- E pus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitemini, & credite Euangelio. Et propterea Dominus dicit Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: sicut Iohan. 15. In hoc clarificatus est pater meus, vt efficiamini mei discipuli, & fructum plurimum afferatis. Si autem præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea; sicut & ego patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.

Diuina volũtas via est qua peruenitur ad Cœlũ.

Ioh. 6.

Matth. 17.

Luc. 13.

Marc. 1.

Matth. 19.

Ioh. 15.

Ecce iam qua ratione tenemur præcepta Dei seruare, præterquàm quod probatio dilectionis est exhibitio operis. Iohan. cap. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Et sermonem

quem

quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me patris. Vult filius vt eius præcepta seruemus & verba, quia verba sunt & præcepta patris. Vult filius vt per obedientiam perfectam, eius imago reparetur in nobis, eique reddatur iustitia & sanctitas. 1. Thessal. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.*

Hominem Deus creauerat ad imaginem & similitudinem suam, rectum, sapientem, iustum, vno verbo, omni perfectione absolutissimum. Rectum fecerat, quia eius spiritus & voluntas perfectè Deo erant subdita: hæc est enim hominis rectitudo & sanctitas. Item fecerat sapientem & iustum, id est, perfectissimè præditum Dei notitia, amore, obedientia: hæc enim fuit prima hominis institutio, vt vniretur Deo, & numquam separaretur ab eo. Vnde quod separauit, peccatum est, vt Isaias dicit: Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum. Et ratio est, quia peccatum aufert omnem rectitudinem ab anima, sanctitatem, atque iustitiam, quæ nos subiicit perfectè Deo.

Prima hominis institutio, Deo vniri. Peccatum separat. Isa. 59.

Quid igitur faciendum? quod Isaias dicit: *Hic est omnis fructus, vt auferatur iniquitas.* Ecce ratio omnis ac modus reparandæ in nobis diuinæ imaginis, malitiam cordis auferre, & per omnia se Deo subiicere, obedire præceptis, & perfectè voluntatem ipsius facere. In hoc enim legitima generatio differt ab adultera & peruersa. Vnde Christus aliquando cuidam dicenti sibi: Ecce, mater tua & fratres tui quærunt te. Respondit; Quæ est mater mea, & qui fratres mei? & extendens manum ad discipulos ait: Ecce & mater mea, & fratres mei. Qui enim fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est. Et certè ipse Reparator Christus in hoc maximè ostendit se filium Dei esse, dicens: Pater, non mea, sed tua voluntas fiat. Cibus meus est, inquit, vt faciam voluntatem patris. Ita etiam dico, in hoc maximè demonstrabimus quod sumus filij Dei reparati per Christum, si non nostra, sed diuina in nobis sit voluntas. Item si talis voluntas tota sit ratio fidei & credulitatis nostræ, motiuum & causa omnis nostræ obeditionis. Iuxta quod etiam orando quotidie Deum patrem nostrum appellamus, & dicimus sicut filij, fiat voluntas tua.

Is. 29. *In quo legitima generatio differt ab adultera.*

Ecce equidem in quo filij ab adulteris discrepant, veri Christiani à Pharisæis. Istorum est patres suos imitari, & dicere, signa volumus & quærimus. Generatio mala & adultera signum petit. Signum est prauitatis in filiis, inobedientes esse, & contrarium velle mandatis: infidelitatis verò signa quærere. Et reprobantur à Deo omnes. *Generatio peruersa signum quærit, sed non dabitur, nisi signum Ionæ.* Quis noster Ionas? vtique Christus Dominus, signum ad condemnationem multorum. Si non venissem & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent. Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, id est, degeneres facti sunt. Generationi huic pessimæ signum Ionæ in condemnationem dabitur.

Ps. 17.

Sic ex sententia Sancti Hilarij, doctissimus Maldonatus dicit, hoc signum Ionæ non quidem tunc Iudæis à Christo datum fuisse, præsertim vt illis persuaderet diuinitatem suam, cùm etiam alia multa sint, vt euectio Eliæ in Cœlum; sed maximè vt condemnaret eos: sicque quale isti petebant, non dedisse, sed quale non petebant, scilicet vt condemnarentur. Vnde subdit: Viri Niniuitæ surgent in Iudicio, & condemnabunt, id est, accusabunt exemplo: & sic condemnabunt, quod nempe isti Ionæ crediderunt; Iudæi è contrà, & nos cum illis, Christo non credimus, qui est plusquàm Ionas.

Ad quid datum est signum Ionæ. S. Hila. apud Maldonat.

Quantum autem ad hoc quod ait; Sicut fuit Ionas in ventre Ceti, sic erit filius hominis in corde terræ: nihil aliud videtur Christus voluisse, quàm ostendere Iudæis, se illis & nobis esse, quod Ionas fuerat Niniuitis, eo tamen illo maiorem, quo maius est mortuum resurgere, quàm deuoratum euomi viuum de ventre Ceti. Et hoc vt ei ampliorem fidem adhiberemus. Attamen Niniuitæ crediderunt Ionæ, & pœnitentiam egerunt. Nos autem nec Christo credimus, nec pœnitentiam credentes agimus. Surgent Niniuitæ, & condemnabunt. Ecce enim plusquàm Ionas hic. Signum non dabitur nisi Ionæ. Simile quidem adhuc in Euangelio signum datur & exemplum Reginæ Austri, quæ venit à finibus terræ, vt audiret sapientiam Salomonis; quæ surget in Iudicio, & condemnabit.

Ionas figura Christi.

Sed in signo & exemplo Ionæ hic maneamus: expressissima enim figura Christi est Ionas. Propter Ionam oritur tempestas, & ait naucleris: Mittite me in mare. Et similiter Christus, ex S. Bernard. vt alter Ionas dicit: Ecce occasione mei creaturas suas pater amittit. Duas tantùm fecerat nobiles, rationis participes, & capaces beatitudinis, & ecce propter me Angelos multos affectantes meam altitudinem perdidit. Homines item volentes surripere scientiam quæ mea est, (est enim is in quo reconditi sunt omnes thesauri scientiæ,) & non misertus est illis. Ecce iam, vt sciant quia ego diligo patrem, & per me recipiat, quos quodammodo per me amisisse videtur, si propter me tempestas hæc orta est, ait Ionas, tollite me, & mittite in mare. Omnes inuident mihi, ecce venio, & talem me exhibeo, vt quisquis inuidere voluerit, imitari gestierit. Quid facit inde? Ecce de altitudine sua descendit. Quibus viis? misericordiæ & veritatis. Viæ enim Domini, misericordia & veritas. Misericordia promittit, & veritas compulit vt dicat: Viam veritatis elegi. *Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo.*

S. Bern. Ser. 1. de Adu.

Item Ionas mittitur prædicare pœnitentiam, & prædicat dicens: Adhuc quadraginta dies. Ita Christus, & plusquàm Ionas hic. Apud S. Marc. Venit IESVS prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam impletum est tempus, pœnitemini. Ita Matth. 4. Cœpit IESVS prædicare, & dicere: pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Ita vt dicat Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Plusquàm Ionam audite, Christum Dei filium audite.

Marc. 1. Mat. 4. Luc. 13.

Hæc manet sententia, aut pœnitendum, aut ardendum. Itaque cum Apostolo, hortamur vos, vt non in vacuum gratiam Dei recipiatis, & non de die in diem pœnitentiam differatis. Arma sunt præparanda ante pugnam, non tempore pugnæ: & murus disruptus in pace, & non certamine reficiendus est. Nam Iud. 10. sic respondet Dominus filiis Israël contemnentibus se. Dereliquistis me, & coluistis

2. Cor. 6. Iudic. 10.

luistis Deos alienos: idcirco non addam vt vltrà vos liberem.

Quinam sunt isti Dij alieni? Peccata sunt atque voluptates. Conuertimini quæso. Ecce enim acceptabile tempus & dies salutis. Dies in quo per Ezech. vobis dicit Dominus: Viuo ego, nolo mortem impij, sed vt conuertatur, & viuat. Conuertimini à viis vestris pessimis. Quare moriemini domus Isaël? Isai. 3. Si reuertimini, salui eritis.

DE SERVITVTE ET vexatione diaboli per peccatum: & liberatione per Christum.

Miserere mei Domine fili Dauid, &c. Matt. 15.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Ephes. 1.

NIHIL est diuina gratia præstantius, qua induimur Dominum nostrum IESVM Christum: sicut nihil peius peccato est, quo omni spoliamur ornamento iustitiæ. S. Chrysostom. in hæc verba Genes. *Comederunt, & cognouerunt se nudos, consuentes folia*, & quæ sequuntur, demonstrat quosdam peccati effectus. Primò dicit hominem peccato spoliari gloria, & donis omnibus quæ antea possidebat. Vide, inquit, à quanta gloria in quantam vilitatem deducti sunt. Qui antea quasi terrestres Angeli viuebant, tegmen sibi ex foliis ficus excogitant, quos antea superna gloria quouis vestimento honestiùs tegebat. Quippe mandati præuaricatio vt superuenit, vestem illam nouam & admirabilem, gloriæ, inquam, & supernæ beneuolentiæ expoliauit, & illos confusione indicibili circumdedit.

S. Chrysost. in Gen. *Quibus donis spoliatur homo per peccatum.*

Secundò, omni sensu & ratione spoliari dicit. Post peccatum Dominus quærit Adam, & dicit ei, vbi es? Quasi diceret, ait S. Chrysost. Quæ hæc repentina mutatio? In alio te loco reliqui, & in alio te inuenio. Alia gloria vestitum te reliqui, nunc in nuditate te inuenio; vbi es? & vnde tibi hoc accidit? Quis latro sic semel omnes diuitias auferens, in tantam te inopiam deduxit, vnde nuditatis sensus tibi contigit? Quæ causa vt auferretur à te vestimentum illud admirabile quo amictus eras? Quæ repentina mutatio, & quæ tempestas sic omnes tuas merces demersit? vbi es, ô Adam? Et ille ad vocem Domini abscondit se.

S. Chrysost. homil. 17.

Animaduerte hoc obsecro, quàm insipienter agit nunc, qui antea tanta pollebat sapientia. Audita voce Domini in horto paradisi, & post meridiem ambulantis, occultat se cum vxore. Quantæ hoc est insipientiæ, quod à Deo, qui vbique præsens est, & scit abscondita, abscondere se tentant? Sed ne miretis, dicit S. Chrysostom. talis enim peccantium consuetudo est, vt tametsi occultari non possint, occultari tamen velint, & studeant. Ecce peccati effectus. Confusione replet quos reperit, & insipientia, qui antea præditi erant intellectu & sapientia.

A Præter autem istos, alium adhuc in Euangelio inuenimus, nempe quod post omnia seruum diaboli peccatorem constituat. Exemplum est in filia Chananææ mulieris. Egressus IESVS de terra Genesar, secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei; Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum; quousque accedentibus discipulis, & dicentibus: Dimitte eam, quia clamat post nos; respondeat: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. At illa venit, & adorauit eum dicens: Domine, adiuua me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, &
B mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine; nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens IESVS ait illi: O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

Ex discursu Euangelij constat satis, quanta & quàm dura sit ex peccato nostra captiuitas, & quis etiam noster liberator. Proposuit Deus in Christo instaurare omnia. S. Thom. in Summa ponit ex peccato triplex in homine detrimentum. Primum est macula, in quantum ex deformitate peccati priuatur nitore gratiæ. Sicut enim macula corporis prouenit ex contactu corporis vilioris, & est priuatio nitoris: ita est de peccato respectu
C animæ, vt in Iosue Phinees dixit filiis Ruben. An parum est vobis, quia peccastis in Beelphegor, (quod erat Idolum,) & vsque in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet?

S. Tho. 1. 2. q. 109. ar. 7. *Peccati fit triplex in homine detrimentum.*

Iosue 22.

Secundum est corruptio boni naturalis, in quantum voluntate hominis non subiecta Deo, tota natura deordinatur: vbi enim nullus est finis, qui nos dirigit, necesse est contingere multas deordinationes; & sic ordine sublato, consequens est vt tota hominis natura inordinata remaneat.

Tertium est reatus pœnæ, per quem damnationem meretur, in quantum ordinem suum peruertit. Qui enim peccando à Deo se auertit
D fine suo, restat vt pœna dignus sit æterna. Iustum est, ait S. Gregor. vt qui in suo æterno peccauit contra Deum, puniatur in æterno Dei.

S. Greg. l. 4. dialog. c. 44.

Audite, & intelligite quæso. Æternum nostrum, peccatum est. Æternum Dei, pœna est. Vnde transacto actu peccati, semper remanet reatus, quia conditione sua peccatum æternum est. Vnde S. Aug. Cùm facis peccatum, remanet quod cruciat, transit quod delectat. (hæc notate.) Quod remanet & maximè cruciat, reatus pœnæ est, non pœna. S. Dionys. libr. de diu. nominibus. Puniri, inquit, malum non est, sed fieri pœna dignum, hoc malum est. Hæ sunt obligationes peccati, mancipari pœnæ & flammis, dæmonibus, atque Inferno in æternum. Sicut pec-
E cantium obligationes sunt, mancipari peccato & diabolo, dicente Domino: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* O crudelem seruitutem! hodie in Euangelio dicit mulier Chananæa Christo: Filia mea malè à dæmonio vexatur, Domine miserere mei.

S. Aug.

S. Dionys. lib. de diuin. nominib. c. 4.

Ioh. 8.

Ecce equidem in cuius seruitutem & potentiam incidunt peccatores, sunt sub manu diaboli & virga persequentis. Talis est lex, vt à quo quis superatus est, huius & seruus fit. Vnde Ierem. dicit: Princeps prouinciarum facta est sub tributo, omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici. Vnde & omnes persecutores eius apprehende

Ierem. Lament. c. 1.

derunt eam inter angustias: facti sunt hostes eius in capite, & locupletati sunt. Paruuli eius ducti sunt in captiuitatem, ante faciem tribulantis. Peccatum peccauit Ierusalem; propterea instabilis facta est. Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer non habens consolatorem. Vide Domine afflictionem, quoniam erectus est inimicus. Ecce apud Ierem. lamentabilis descriptio seruitutis.

S. Aug. Soliloqu. c. 6.

Sanctus Augustinus in Soliloqu. deplorat satis in se expertus dicens. Inimici mei de me fecerunt quæcunque voluerunt; percusserunt, nudauerunt, polluerunt, corruperunt, vulnerauerunt, & occiderunt me, quia recessi à te. Væ mihi, vulnerauerunt me, & non dolui: traxerunt me, & non sensi: considerauerunt me, & videntes me sine te, despexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta virtutum quibus ornaueras me; fecerunt sibi viam per me: sub pedibus suis conculcauerunt me: fæcibus peccatorum polluerunt templum tuum sanctum; posuerunt me desolatum & mœrore confectum. Miser, trahebant me post se in circuitu de vitio in vitium, de luto in lutum, & ibam absque fortitudine ante faciem subsequentis. Seruus eram, & seruitutem amabam: cæcus eram, & cæcitatem amabam: vinctus, & vincula non horrebam. Miser, nec cognoscebam hoc. Domine miserere in die tribulationis. Respice inimicos meos, & eripe me. Fugiant à facie mea qui oderunt me, & ego viuam in te.

Chananæa nostra eadem hodie de filia sentiens, ad Christum dicit liberatorem vniuersi; Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. O cœleste verbum, quare non loqueris? Notate hic quàm difficilè Deus auditum præstet inueteratis peccatoribus. Iudic. 10. Non addam vt vltrà vos liberem. Ite, & inuocate Deos quos elegistis. Ipsi vos liberent in tempore angustiæ vestræ. Sed quid interea est faciendum? Perseuerare oportet vt Chananæa; interpellare Sanctos & Apostolos, qui orent, rursusque clamare ad Dominum, & dicere in humilitate: Domine, adiuua me. Ad te Domine clamabo tota die, ne sileas à me; & vt Israël Iudic. 10. Peccauimus, redde tu nobis quidquid tibi placet, tantùm nunc libera nos. Fili Dauid miserere mei. Quod à te expostulo, misericordia est, & liberatio seruitutis.

Deus non facilè audit peccatores. Iudic. 10.

Psal. 27.

Sed de vno adhuc Chananæa nos admonet, videlicet exeundum esse de finibus nostris, id est, deserendum esse non solùm peccatum, sed omnem occasionem peccati, si voluerimus perfectè animam nostram à diaboli seruitute liberari. Sic enim adhuc in historia Iudicum legimus, quod filij Israël clamantes ad Dominum, & dicentes; Libera nos, statim omnia de finibus suis alienorum Deorum Idola proiecerunt, & seruierunt Domino Deo, qui doluit super miseriis eorum. Si quis sic obuiam Christo processerit, & in fide misericordiam postulauerit, speret & expectet illam. Propterea enim & ille misericors Dominus primò exiuit de patre, de Cœlo, de matre, & de Iudæa, vt illam largiatur nobis. Egressus IESVS de terra Genesar, secessit in partes Tyri & Sidonis. Ecce qui venit saluare te, primus occurrit tibi. Ecce quis est Reparator noster, ipsum agnoscamus. Apud Isaiam dicit: *Deus iustus, & saluans non est præter me. Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ.* Deus, inquit, Apostolus, erat in Christo mundum reconcilians sibi. Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt. Omnia autem in Deo qui nos reconciliauit sibi per Christum.

Occasio peccati est deserenda.

Isa. 45.

Alium non esse agnouit Chananæa dicens: *Fili Dauid miserere mei, filia mea*, &c. Vulgò sciebant omnes Messiam & liberatorem fore filium Dauid. Sic interrogati Pharisæi à Christo; Quid vobis videtur de Christo? id est, de Messia. Cuius filius est? statim responderunt, Dauid. Et pueri dixerunt clamantes: Osanna filio Dauid. Hinc omnes beneficia petituri, soliti sunt filium Dauid appellare, vt significarent illum esse Messiam, qui beneficiis populum cumulaturus erat. Vnde hodie mulier Chananæa: *Fili Dauid miserere mei.* Quis sit liberator hodie inuenistis. Inuentus sum (ait per Isaiam Dominus) à non quærentibus me. *Egressus* IESVS, &c.

Filius Dauid in opinione Iudæorū liberator futurus.

Hodie igitur egressum ad vos videtis. Exite obuiam ei, & clamate, fili Dauid miserere nobis. Fidelis est Deus, & seipsum negare non potest. Dominus est multæ misericordiæ; admodum ergo grata est illi misericordiæ postulatio, & si aliud petas, non te exaudiet. Sicut enim in natura totus est bonitas, sic in opere totus misericordia. Hinc vult filius Dauid appellari, & hac appellatione gaudet ob lenitatem ipsius. Hinc dicam, & Pater æternus dictus est Pater misericordiarum; quia talis filij, scilicet Christi, Pater est, vnde & in Christo erat mundum reconcilians sibi. Sicque ait Apostolus: Deus qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo. Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt; in Christo qui totus misericordia est, de mensa cuius non cadunt nisi micæ, fragmenta, & panes gratiæ, quia in æternum eius misericordia manet, & miserationes eius super omnia opera eius.

Eminentia misericordiæ Christi.

Eph. 2.

DE PARALYSI ANImæ, & restitutione gratiæ per Christum.

Vis sanus fieri? Ioh. 5.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Eph. 1.

OMNIA misericordiæ Christi IESV debemus. Illa est quæ nos creauit, & quotidie nos reparat, quæ lapsos subleuat, erectos sustinet, & vniuersa replet, Cœlum, terram & Inferos. Heri inuenimus singulare misericordiæ obiectum in Chananæa muliere; hodie aliud proponitur in languido piscinæ probaticæ ex Euangelio. In die festo ascendebat IESVS Ierosolymam; ibi autem erat probatica piscina quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum, qui secundum tempus fiebat ab Angelo, & sanabat quemcumque qui prior descendebat, à quacumque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cùm vidisset

IESVS iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. O languide, ecce homo. Dicit ei IESVS: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et ecce statim sanus factus est homo ille, sustulit grabatum suum, & ambulabat. A

Ex illo discursu Euangelij habemus effectum peccati, languentium miseriam, effectum miseriæ, misericordiam Christi, effectum misericordiæ, sanitatis restitutionem, atque reparationem. In duobus illis, miseria atque misericordia, continetur totum. Non autem difficilè ostenditur, hunc paralyticum peccatorem referre, in quo videre possumus mala omnia nata ex peccato in homine. Paralysis hæc duo præsertim mala huic languido attulit. Primò, sustulit omnino sanitatem. Secundò, membra debilitauit. Peccatum similiter, de duobus bonis quæ in homine erant, (gratia & natura) vnum penitus sustulit, videlicet gratiam, & alterum diminuit, seu debilitauit, scil. naturam. De vno sic psaltes: Ego dixi, Domine miserere mei. Sana animam meam, quia peccaui tibi, id est, redde gratiam. Et de altero similiter dicit: Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ; non est pax in ossibus à facie peccatorum. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum. & rursus: Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum, id est, voluntatem tuam facere, in quam peccaui. Vbi videtis psalmistam conqueri de amissione duplicis sanitatis, propter peccatum, animæ, & carnis. Animæ per iacturam gratiæ; carnis per infirmitatem naturæ. B

Paralyticus imago peccatoris. *Peccatum aufert gratiam.* Ps. 40. *Debilitat naturam.* Psalm. 37. & Ps. 101.

Ita vt S. Augustin. dicat quod nunc natura nobis facta est pœna & vindicta. Hoc dicit explicans illa verba Apostol. *eramus natura filij iræ*, id est, portantes vindictam. Ita vt quod primo homini pœna fuerit, iam nobis natura sit. Sic libr. de natura & gratia. Creatus est homo in natura sua sine culpa, rectus, non se fecit rectum. Quid autem fecerit, notum est. Cadens à manu figuli, fractus est. Et Sanctus Prosper libr. 1. de vocatione Gent. Omnes, ait, in primo homine sine vitio conditi sumus; & omnes naturæ nostræ incolumitatem, eiusdem hominis præuaricatione perdidimus. Inde tracta mortalitas, inde multiplex corporis, animique corruptio. Propterea etiam Deus hanc magnam ruinam nobis repræsentare voluit apud Luc. in illa parabola descendentis ab Hierusalem in Iericho. Quam explicans Sanctus Ambrosius dicit. De Ierusalem illa cœlesti eiectus Adam præuaricationis prolapsione descendit, longè mutatus ab illo qui inoffensa beatitudine fruebatur. Vbi enim in sæcularia desideria deflexit, incidit in latrones, & despoliauerunt eum, plagis impositis. Qui sunt hi latrones, nisi Angeli noctis? Hi antè despoliant quæ accepimus indumenta gratiæ spiritualis; & sic postea vulnera inferre consueuerunt. D E

S. Aug.

S. Prosper l. 1. de vocat. Gent. c. 7.

S. Ambros. in Luc. 10.

Angelicus Doctor camdem affert ex Beda explicationem. Expoliant gratuitis, vulnerant in naturalibus. Vbi propterea omnia mala & incommoda refert quæ peccatum homini infert, iuxta distinctionem boni quod veluti connaturale est homini, dicens. Bonum naturæ humanæ potest tripliciter dici. Primò, ipsa sunt principia naturæ,

S. Thom. 1. 2. q. 85. art. 1.

A ex quibus ipsa natura constituitur, vt proprietates, potentiæ, & alia eiusmodi, quæ quidem peccato nec sublata, nec diminuta sunt. Secundò, inclinatio ad virtutem; & hoc per peccatum diminutum est. Tertiò, donum iustitiæ originalis, seu gratia Dei, quæ quatenus ab initio homini data fuerat, erat ei quasi connaturalis; & hoc per peccatum ablatum est. Ita vt quantum ad gratiam deductus sit ad nihilum peccator.

Reparatio nostra nihilum præsupponit, sicut creatio. Creatio nihilum physicum, recreatio nihilum morale. Adeò vt sicut Deus eduxit creaturam suam de nihilo, sic reparando eam, educat de nihilo, de statu peccati quod nihilum est, ad esse gratiæ. Et certè peccator nihil est, & nullius pretij atque substantiæ. Sic propheta dicebat: Vendidisti populum tuum sine pretio. Quia nullius est meriti populus qui te offendit. Sic Domine sine pretio vendidisti, tradidisti; ad nihilum deductus est peccator, qui gratiam amisit. *Duplex nihilum.* B *Nullius pretij est peccator.*

Hunc igitur statum repræsentabat illa parabola descendentis ab Ierusalem in Iericho: in quo duo præcipua agnoscuntur, expoliatio, & vulneratio. Sic enim duo præcipua mala peccator patitur, expoliationem gratiæ & iustitiæ, & vulnerationem in potentiis, quæ quatuor sunt, intellectus, voluntas, appetitus irascibilis, & concupiscibilis. Licet enim in homine remanserint quantum ad substantiam, tamen per peccatum suo ordine, quo ordinabantur ad virtutem, destitutæ sunt, & sic vulneratæ, quatenus iam ad malum pronæ sunt. C *Vulneratur homo per peccatū in quatuor potētiis.*

Singulas consideremus. Quatuor esse diximus. Prima est ratio seu intellectus, in quo est prudentia: voluntas, in qua est iustitia: irascibilis facultas, in qua est fortitudo: & concupiscibilis, in qua est temperantia. Iam verò in quantum ratio destituta est per peccatum suo ordine ad verum, vulnus ignorātiæ accessit: in quantum voluntas suo ordine ad bonum, vulnus fuit malitiæ: in quantum irascibilis suo ordine ad arduum, vulnus infirmitatis: in quantum autem concupiscentia suo ordine ad delectabile moderatum ratione, vulnus rebellionis & concupiscentiæ fuit. D

Hæc sunt quatuor vulnera toti naturæ per peccatum inflicta, quæ ducunt ad vitium, ignorantia, malitia, infirmitas, concupiscentia. Ecce vnde Adam & Eua post peccatum se nudos esse cognouerunt. Comederunt, & aperti sunt oculi amborum, & cognouerunt se esse nudos. Sanctus Chrysostom. ibi. Nudati, propter peccatum suum, supernæ gratiæ amictu, sensibilis suæ expoliationis sensum acceperunt; vt per erubescentiam quæ inuadebat ipsos, certò scirent in quantam ruinam ipsos adduxisset mandati Dominici præuaricatio. Aperti sunt oculi, non quidem corporis, sed mentis, quatenus, inquit, fecit illos sentire nuditatem & ablationem gloriæ qua ante eium fruebantur. Sic de Agar ancilla dicitur, cùm Saræ dominæ suæ dominium fugeret, & errans per campos iuxta abietem puerum posuisset, à longè considerans illius mortem, quod Deus aperuit oculos eius, non quod antea non videret; sed quia mentem illius & sensum tunc excitaret. Ita dicendum de Adamo & Eua. *Quatuor vulnera naturæ.* E Gen. 3. S. Chrys. Gen. 21.

Ecce item vnde, & postquam per peccatum nudos & expoliatos se cognouerunt, adhuc & vulneratos

A neratos ſe viderunt. Mulier audit: Multiplicabo triſtitias tuas,& in dolore paries,& ad virum conuerſio tua, & ipſe dominabitur tui. Vir etiam, videlicet Adam, audit ſimiliter; Et tu quia audiſti vocem vxoris, maledicta terra in opere tuo. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es. Et ecce vnde poſt Adam, iuxta Pſalmiſtam, omnes declinauerunt,& ſimul inutiles facti ſunt, id eſt, vulnerati, diminuti. Denique vnde hodie in Euangelio noſtro, in piſcina quinque porticus habente iacebat magna multitudo languentium;& inter alios ille quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Certè niſi ille homo veniat deſideratus B cunctis gentibus, actum eſt de omnibus nobis, languidis, vulneratis & infirmis. Sed ecce ille homo venit qui dicitur IESVS, & videns iacentem dicit illi; Vis ſanus fieri? Non eſt alius homo prçter me qui ſaluare poſſit. Propoſuit Deus in Chriſto inſtaurare omnia.

Admiranda Chriſti miſericordia. O homo, ſi ſcires donum Dei,& quis eſt qui loquitur tecum, & dicit tibi; Vis ſanus fieri? Magna equidem hæc miſericordia Dei. Ante aduentum Chriſti non habebamus hominem, qui iacentem languidum ſanaret: & ecce modò ſe offert, & ait; Vis ſanus fieri? Preces non expectat, ſed præuenit. ecce miſericordia. Quid plura? Et piſcinam fecit,& obtulit ſuas quinque porticus habentem, videlicet C quinque illas maiores plagas: aut ſi vultis piſcinam pœnitentiæ ex valore Paſſionis eius. Sic apud Zachar. prædictum erat: Erit fons patens domui David,& omnibus habitantibus Ieruſalem, in ablutionem videlicet peccatorum. Hunc fontem Chriſtus aperuit, quando ſemetipſum obtulit immaculatum, emundans conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, & exiuit de latere ſanguis & aqua. Vnde ait ad Corinth. Apoſtolus: Neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati in Chriſto IESV. Erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Quare iam ſolùm reſtat, vt dicat; Vis ſanus fieri? Petit Deus motum noſtræ voluntatis. Qui enim creauit te ſine te, non D iuſtificabit te ſine te, dicit S. Auguſt.

Zach. 13. Acceptio piſcinæ pro paſſione & pœnitentia. Heb. 9. 1. Cor. 6. Petit Chriſtus motum noſtræ voluntatis. S. Aug.

S. Bonau. hic notat tria eſſe genera operũ. Quædam, inquit, quorum Deus ſola eſt cauſa, vt creare. Alia, quorum homo item ſola cauſa eſt, vt peccare. Alia, quorum Deus & homo ſimul ſunt cauſa, vt conuerſio noſtra & iuſtificatio. Sic enim omnia Deus prædefiniuit quantum ad actus noſtros, vt libertatem non auferat, aut neceſſitet voluntatem, ſed liberam relinquat, vt velit, aut non velit. Vis ſanus fieri? A te, ſicut à me dependet, tuum conſenſum & cooperationem poſtulo. Sic S. Auguſt. lib. de libero arb.& gratia. Cooperando Deus perficit, quod operando incipit; quoniam ipſe vt velimus operatur incipiens, qui volentibus coopèratur per- E ficiens. Quia parum eſt quod velit Deus, niſi homo velit cum eo. Vis ſanus fieri? Ecce iam hominem habemus qui potens eſt in opere & ſermone. Sed vultis ſcire quid adhuc neceſſarium eſt? ſurgere & tollere grabatum noſtrum, id eſt, pœnam peccati, ac pœnitentiam. Denique recordari ſemper poſt reſtitutionem gratiæ in Sacramento, verborũ iſtorum: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Quia equidem tunc Deus prouocatur vt nos derelinquat, in quo eſt ſignum certiſſimum & ſimul effectus reprobationis; à cuius periculo liberet nos Chriſtus.

Triplex genus operum. S. Bonau. in 1. Sent. diſt. 38. q. 1. art. 1. S. Aug. lib. de lib. arb. & gratia. c. 17.

DOMINICA SECVNDA.

DE REVELATIONE gloriæ in Chriſto IESV: & Transfiguratione ſpirituali.

Transfiguratus eſt ante eos, & ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectus. Matth. 17.

Propoſuit Deus in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, &c. Eph. 1.

Si qua ergo noua creatura in Chriſto, vetera tranſierunt. 2. Cor. 5.

CHRISTVS IESVS in hunc mundum venit inſtaurare omnia, iuxta Apoſtolum. Duo ſunt præcipua mala & prima quæ peccatũ attulit mundo ex prædictis, priuatio gloriæ,& obliuio Dei. Sic de primis parentibus noſtris Adã & Eua legimus, qui cognouerunt ſe nudos,& abſconderunt ſe pariter à facie Domini, ſimulatque in peccatum prolapſi ſunt; vt reſpondit Adam interrogatus à Domino: Vocem tuam audiui in paradiſo,& timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me. Chryſoſt. ibi. Nudum ſe dicit, gloriæ indumento ſpoliatum: velut ignorantem cùm abſcondit ſe. Chriſtus autem ruinam reparare venit. Propoſuit Deus, dicit Apoſtolus, in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, notitiam Dei & gloriam reuelare mundo, vt ex Euangelio conſtat.

Duo mala quæ peccatũ attulit mundo. Geneſ. 3. S. Chryſoſt. in Geneſ.

Aſſumit IESVS Petrum, & Iacobum,& Iohannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies eius ſicut Sol. Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes. (S. Lucas dicit quod de exceſſu loquebantur.) Reſpondens autem Petrus dixit ad IESVM: Domine, bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum,& Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos,& vox de nube dicens: Hic eſt filius meus,&c.

Ex hoc diſcurſu tria proponuntur. Primum eſt, veniſſe Chriſtum ideo in hunc mundum, vt doctrina ſua & verbo prædicationis doceret nos notitiam Dei,& ſcientiam ſalutis: vnde vox de nube, ipſum audite. Secundum, vt nobis faceret reuelationem gloriæ: quare & in monte transfiguratus eſt ante diſcipulos. Tertium, vt nobis etiam modum oſtenderet perueniendi ad illam; videlicet Crucem, Moyſe & Elia cum eo de exceſſu loquentibus.

Triplex Dei conſilium in aduentu Chriſti.

Quantum ad primum, dicimus igitur ad hunc finem veniſſe Chriſtum, vt diuino lumine mundum illuſtraret. Et certè conueniens erat & neceſſe, vt quod primus Adam abſtulerat, nobis reſtitueretur per ſecundum. Adam peccato ſuo tenebris & errore orbem terræ repleuit; Chriſtus gratia ſua luce ac veritate. Hinc dicitur lux mundi & vera, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat. Pater, opus tuum conſummaui quod dediſti mihi vt faciam. Manifeſtaui nomen tuum hominibus: notum feci, & notum faciam.

1. Chriſtus venit vt illuminaret mũdum. Ioh. 1. Ioh. 17.

Ecce

noua creatura, vetera tranſierunt. Terminus hic eſt noſtræ vocationis. Aſſumpſit IESVS Petrum, Iacobum, & Iohannem, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos.

2. *Chriſtus venit ad reuelandam gloriam ſuam.* Ecce quantum ad ſecundum, videlicet reuelationem gloriæ, & donum ipſius, propter quod adhuc Chriſtum veniſſe legimus. Vnde Coloſſ. 1. Paulus dicit: *Gratias agimus Deo & patri, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* Ibi autem hoc notandum exiſtimāt S. Chryſoſt. & S. Damaſcen. cur nempe hodie Dominus IESVS oſtendere voluit Apoſtolis ſuis gloriam ſuam; & nullibi legimus oſtendiſſe pœnas Inferni, licet multoties de illis loquutus ſit. Rationes autem iſtæ ſunt. Prima, quia talis eſt Dei voluntas, vt ſaluentur omnes. Neque enim ad pœnam nos plaſmauit, ſed ad gloriam æternam, & finis iſte eſt noſtræ creationis.

S. Chryſoſt. & S. Damaſ.

Rationes cur Chriſtus pœnas Inferni nō reuelauit, ſicut gloriā.

Secunda, quia plus mouemur ad bene operandum viſa gloria, quàm viſione Inferni. Cùm ſit maius malum perdere Deum, quàm ſuſtinere pœnas Inferni.

Tertia denique, quia cùm ille ſit finis noſtræ creationis, etiam talis debet eſſe noſter appetitus, vt beari velimus. Sed heu! per peccatum in nobis remanſit corruptus: vnde accidit, vt rationabili neglecto, penitúſque deſerto, ſolùm ſequamur ſenſitiuum, qui corruptionis noſtræ per peccatum effectus eſt. Et ſic decipimur; volentes enim beatitudinem, ſed non quærentes veram, quia ignoramus illam, ſectamur falſam, apparentem, atque ſenſibilem ſecundum deſideria erroris.

Quare hodie Chriſtus vbi illa ſit vera, & quæ ſit, in ſe demonſtrauit, cùm aſſumptis ſecum in montem diſcipulis transfiguratus eſt ante eos; dixitque Petrus his ſacramentorum reuelationibus incitatus, & totus in æternorum deſiderium quodam mentis raptus exceſſu, mundana ſpernens, & terrena faſtidiens: Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Præter Deum, propter quem ſumus creati, nihil eſt quod deſiderium noſtrum poſſit implere. *Quid mihi eſt in Cœlo, & à te quid volui ſuper terram?* inquiebat David Rex. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Hodie apparet Petro, & dicit ſatiatus: Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Quid eſt hoc? ſcintilla oſtenditur, & vix poteſt ſuſtineri. S. Paulus dicit in tribulatione ſua: Repletus ſum conſolatione, & ſuperabundo gaudio. S. Ephrem. Contine Domine vndas gratiæ tuæ, & recede à me, quia non poſſum ſuſtinere magnitudinem dulcedinis tuæ. Et B. Xauerius aliquando quaſi ſuffocatus ſolebat repetere; Satis eſt Domine. Si hæc in terra, quid in Cœlo?

Quanta ſit magnitudo conſolationis diuinæ.

2. Cor. 7.

S. Ephrem.

B. Xauerius.

Et ſi in monte nube obumbrante gloriam Chriſti, Petrus dicit; Bonum eſt nos hic eſſe: quid erit in clara & ampla Dei viſione? Hodie ſolùm Moyſes & Elias apparent cum Chriſto, & quid erit cùm videbitur in medio Sanctorum omnium? Hic ſermo eſt de exceſſu Paſſionis, & quid erit vbi audietur melodia laudis? Et tamen Petrus (dicit S. Leo Ser. de Transfiguratione) gaudio totius huius viſionis repletus, ibi cum IESV optabat habitare, vbi manifeſta eius gloria lætabatur; vnde ait: Domine, bonum eſt nos hic eſſe; ſi vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Sed neſciebat Petrus quid diceret, notat S. Lucas. Quia & maior reſeruatur in Cœlis gloria, ad quam nec peruenitur niſi per exceſſum Crucis; vnde & de illo exceſſu erant Moyſes & Elias loquentes cum IESV dum transfiguratus eſt. Et

S. Leo Serm. de Trāsfig.

A certè vt ſimul & ſtatim doceret nos, quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Ecce quantum ad tertium. Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriā ſuam: ſic & nos oportet compati, vt conregnemus. Iter ad gloriā Crux eſt; hoc eſt quod nobis Chriſtus demonſtrare venit & præparare. Taliſque etiam eſt voluntas & conſilium patris, qui de medio nubis ait: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. Hic eſt filius meus dilectus, quem à me non ſeparat Deitas, (ait S. Leo Serm. de Transfig.) non diuidit poteſtas, nō diſcernit æternitas: hic eſt filius meus, non adoptiuus, ſed proprius, non aliunde creatus, ſed ex me genitus, & de mea eſſentia mihi natus æqualis: hic B eſt filius meus, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil. Filius meus, qui manens in forma gloriæ meæ, vt ad reparandum genus humanum exequeretur commune conſilium, vſque ad formam ſeruilem inclinauit incommutabilem Deitatem. Hunc ergo, in quo mihi per omnia bene complaceo, & cuius prædicatione manifeſtor, cuius humilitate clarificor, incunctanter audite: quia ipſe eſt via, veritas & vita, ipſe virtus mea & ſapientia.

3. Peruenitur ad gloriam per Crucem.

S. Leo.

C DE VIIS AC MODIS noſtræ reparationis. Ac primò de fide in Chriſtum.

Si non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro. Iohan. 8.

Propoſuit Deus in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, &c. Eph. 1.

D NECESSE eſt perire eum qui non credit quia IESVS eſt filius Dei. Ratio eſt, quia peccati veteris Adam particeps efficitur. Quæretis quodnā ſit iſtud peccatum. Infidelitatis, obliuionis Dei, & vt clariùs dicam, originale; peccatum quidem quod maximè Chriſtus tollere venit, Baptiſta dicente: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit,* &c. Hoc peccatum, dico, infidelitatis primum eſt & origo cæterorum: vnde etiam ex ſententia Sancti Thom. maximè propter illud in hunc mundum venit, & de hoc etiam condemnabit eum, ſicut iam iudicatus eſt, vt ſemel dixit, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Sic loquēs de Spiritu ſancto, dicebat: Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, de peccato quidem, quia non crediderunt in me. Sed vnde? E quia terra non ſapit cœleſtia. Animalis homo non percipit quæ Dei ſunt. Corpus quod corrumpitur, Sap. 9. aggrauat animam. Et terrena cogitatio (per peccatum) deprimit ſenſum multa cogitantem. Fides, ſicut Chriſtus, deſurſum eſt deſcendens à patre luminum: peccatum è contrà, ſicut peccator, deorſum procedens à principe tenebrarum.

S. Thom.

Chriſtus venit propter originale peccatum.

Et de illo mundus iudicatur.

Tales ſunt rationes Euangelij. Dixit IESVS: Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Quò ego vado, vos non poteſtis venire. Et dicebat eis: Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum. Vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris: ſi enim non credideritis quia

ego

licet peccatum & cordis obſtinatio. Negatiua in Deo, nempe derelictio, & negatio gratiæ maioris. Quæ cauſa potiùs dici poteſt reprobationis effectus, quàm cauſa, quatenus propter abuſum gratiarum præcedentium efficaciores denegat peccatori. Quia tunc non tenetur dare Deus; neque etiam peccator meretur, qui non bene vſus eſt prioribus. Vnde ſicut vult mori in peccatis, ſic morti eum Deus tradit & dimittit. Peſſimum heu! quod homini accidere poteſt, mori in peccatis. O obſtinati & miſeri nunc audite: *Si non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccatis veſtris.* Credite, credite iam, ſed credite quia ego ſum, & viuetis.

Quid ſit credere in Chriſtum. Credere in Chriſtum, ſeu quia Chriſtus eſt; eſt conuerti ad ipſum, & pœnitentiam agere de peccatis, ſcire quia ipſe eſt Saluator noſter, & quærens ſaluare nos, ſicut ait per Ioëlem: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. (Ioel. 2.) Erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Vnde apud Ezech. (Ezech. 18.) Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & cuſtodierit vniuerſa præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam, (notate omnia) vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor. Numquid enim voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus, & non vt conuertatur à viis ſuis, & viuat? Interim etiam & ad iuſtos loquitur, ſimiliter dicens, quia ſi auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur, ſed in præuaricatione & peccato morietur. Vt hic iuſtus timeat, & peccator animum non deſpondeat, ſed ſperet ſi conuertatur, & credat quia Ieſus eſt filius Dei.

In fine Euangelij dicit. Cùm exaltaueritis filium hominis, cognoſcetis quia ego ſum, (nempe Saluator, in quem credere debueratis, & aſpicere vt in authorem fidei, & conſummatorem.) Et quia à meipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me pater, hæc loquor, nempe vt credatis, & ſecundum fidem, opera faciatis. Qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum, quia quæ beneplacita ſunt ei, facio ſemper. Notanda ſunt hæc verba, quibus inſtruimur, vt ſemper ſecundum fidem noſtram quæ beneplacita ſunt Deo, faciamus. Si enim ſic in Chriſtum crediderimus, Chriſti erimus: aliàs minimè. Mendacium enim eſt Chriſtianum ſe dicere, ait S. Ambroſ. (S. Ambroſ. Serm. de Abraham.) & opera Chriſti non facere, qui dicit; quæ beneplacita ſunt Patri, facio ſemper.

Quare etiam S. Cyprian. (S. Cypr. lib. de 12. abuſionib.) aſſerere audet, quod nemo rectè Chriſtianus dicitur, niſi qui Chriſto prout valet moribus coæquatur. Sic S. Hilar. (S. Hilar. homil. in 7. Matth.) Regnum cœlorum ſola verborum officia non obtinent: neque qui dixerit, Domine, Domine, illius hęres erit. Quid enim meriti eſt Domino dicere, Domine? Nũquid Dominus non eſt niſi dictus fuerit à nobis? Et quæ officij ſanctitas eſt, nuncupatio nominis? cùm cœleſtis regni iter obedientia potiùs voluntatis Dei, non nuncupatio reperta ſit. De noſtro igitur eſt beata illa æternitas promerenda; præſtandúmque eſt aliquid ex proprio, vt bonum velimus, malum omne vitemus: totóq; aſpectu præceptis cœleſtibus obtemperemus, ac talibus officiis Deo cogniti ſimus.

DE OBEDIENTIA PRÆſtanda verbo & doctrinæ Chriſti.

Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus. Matth. 23.

Propoſuit Deus in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, &c. Epheſ. 1.

NON loquimur hodie. Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus. Iſaiæ 55. *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus.* Mementote quia Dominica proximè præterita, vox Patris de nube audita eſt: Hic eſt filius meus, ipſum audite. Et quia heri ipſe filius dixit: Si non credideritis quia ego ſum, moriemini. Et hodie: Nolite vocari Rabbi, Magiſtri. Vnus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus. Adeamus ergo omnes cum fiducia ad thronum gloriæ eius, & de throno loquentem audiamus. Nihil dubij quia docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. Viæ Domini, viæ rectæ, & omnes ſemitæ eius pacificæ. Magiſter veſter Deus eſt, Chriſtus IESVS: doctrina eius veritas æterna, verba & lectiones, obedientia, atque humilitas: Aula, Eccleſiæ: Cathedra, Crux: Auditores & diſcipuli, quotquot ſunt homines, & cuiuſcunque conditionis & profeſſionis, ſtatus & ætatis, Prælati, Doctores, plebei, ignari, &c. Via patet, & doctrina eſt omnibus. Obedientiámque exigit Doctor qui loquitur. Hæc omnia nobis Euangelium indicat.

Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundùm verò opera eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt. Amant primos accubitus in cœnis, ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis. Et ne vocemini Magiſtri, quia Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus. Qui maior eſt veſtrûm, erit miniſter veſter. Qui autem humiliauerit ſe, exaltabitur.

O Chriſtiani, hodie ſi vocem Domini & Magiſtri veſtri Chriſti audieritis, nolite obdurare corda veſtra, & adinſtar Iudæorum dicere adinuicem; Vnde huic ſcientia & ſapientia tanta? (Matth. 13.) De theſauro enim ſuo profert hodie noua & vetera: ipſe (Hebr. 1.) eſt ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius, portans omnia verbo virtutis ſuæ, in quo nouiſſimè ipſe Pater nobis loquitur, qui olim multifariam, multiſque modis loquebatur patribus in Prophetis. *Spiritus Domini ſuper me*, dicit apud Iſaiam. *Euangelizare pauperibus miſit me.* Pauperes & ignari ſumus omnes, & ecce hodie ex Euangelio Deum patrem habemus in Cœlo vt prouideat; & Chriſtum filium eius Magiſtrum in terra vt doceat. Patrem nolite vocare vobis ſuper terram: vnus eſt enim pater veſter qui in cœlis eſt. Nec vocemini Magiſtri, quia Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus.

Iam videamus conditiones Patris noſtri ac Magiſtri, quid nos edoceat, & quid itẽ requirat à nobis.

Quantum ad primum, proderit ante omnia, dignitatem eius qui loquitur vobis proponere. Non sunt enim amplius Prophetæ qui loquuntur, neque Angeli, sed filius Dei, vnúsque est Magister vester IESVS Christus. Sic enim Heb. 1. refert Apost. quia nouissimè Deus loquutus est nobis in filio. Cuius etiam dignitates recenset dicens: Quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula. Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portánsque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum; Filius meus es tu? Ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium? Cùm autem introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Ad filium autem; Thronus tuus Deus, sede à dextris meis.

Conditiones & qualitates Magistri nostri.

Ecce qui loquitur nobis. Magister vester vnus est, Christus Dei filius. Videte iam ne loquentem ipsum recusetis, ait Apost. Si enim illi non effugerunt (punitionem,) recusantes eum qui super terram loquebatur, videlicet Moysem: multo magis nos qui de cœlis loquentem nobis (in terra) auertimus. Et alibi: Si qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedem retributionis: quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem?

Heb. 12.

Magistri autem nostri conditiones hæ sunt; vt veritatem doctrinæ, & vitæ sanctitatem habeat, sit vir potens in opere & sermone, vt quæcumque dixerit faciat. Apud Isaiam Deus verbum suum comparat imbri & niui dicens: Quomodo descendit imber & nix de Cœlo, & illuc vltrà non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit; sic erit verbum meum, quod procedit de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quos misi illud, dicit Dominus. Et certè sicut ille de Cœlo est, sic doctrina eius, neque terrena est. Exiui à patre, & veni in mundum. Ad quid Domine? vt quæcunque audiui à patre, nota faciam vobis. Quænam illa sunt? Hæc sunt: obedientia, humilitas, charitas. Hæc sunt quæ nota venit facere nobis. Hodie in Euangelio maximè de obedientia lectio est, & de humilitate, sicut de charitate alibi sæpius. Quod autem hic docet Magister noster Christus, semper fecit in opere potens & sermone. Sic Actor. 1. Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, inquit S. Luc. quæ cœpit IESVS facere & docere. Irreprehensibilis doctor est Magister noster Christus. *Quis ex vobis, inquit, arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Innocentia doctrinam meam comitatur, & opera verba. Qui obediens factus est vsque ad mortem, mortem autem Crucis, docet obedientiam. Qui exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, docet humilitatem. Et qui animam suam dedit redemptionem pro multis, docet charitatem.

Veritas doctrinæ & sanctitas vitæ, conditiones Magistri. Isa. 55. Act. 1. Iohan. 8.

Quare prouocat nos Propheta Ioël ad exultationem dicens: Filij Sion exultate & lætamini in Domino Deo vestro, qui dedit vobis talem doctorem iustitiæ. Qui nimirum secundum quod docuit vos, facit: dignus planè cui credatur. Vnde Isaias similiter prouocat nos dicens: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, humilitatem, charitatem, obedientiam. Hæc est via & lectio pro omnibus. Pro subditis: Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite. Pro Prælatis & Magistris: Nolite vocari Rabbi, & ne vocemini Magistri: sed qui maior est vestrûm, sit vester minister. Qui enim se exaltauerit humiliabitur, & qui se humiliauerit exaltabitur.

Ioël. 2. Isa. 2.

Scitis quibus viis primi præuaricatores de paradiso egressi sunt? vtique inobedientia & superbia. Ecce modò viæ contrariæ. Legitur de Magis, quod per aliam viam in regionem suam regressi sunt, non per Herodem & per vrbem commotam, sed per aliam viam, videlicet per deserta. Regio nostra Cœlum est, quò per alias vias redeundum. Prima autem illa est, & de qua solùm hodie loquuturi sumus, videlicet obedientia. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quæ dixerint, hodie, seruate & facite; secundum opera nolite facere. Ad doctrinam, & non ad vitam & opera respiciendum est. Quid hic dicam? Scietis optimè & cum industria de cóchis marinis margaritas extrahere, & aurum de infimo & obscuro terræ: de homine autem præposito vobis à Deo, (peccator sit & vitiosus volo,) non poteritis aurum & margaritas veritatis extrahere?

Matth. 19. *Doctrina veritatis à quocunque Prælato dicatur honoranda.*

Refert Herodot. quod cùm quidam de plebe, nomine Amasis, ascendisset in regiam dignitatem, & despiceretur; iussit fieri statuam cuiusdam Idoli quod Ægyptij in summa veneratione habebant: sed ex pelui in qua sæpius ipse & domestici pedes suos lauabant; statímque erigi in loco publico, vt ab omnibus adoraretur. Quo facto, dicere illis cœpit: Scitis vos quia hæc statua & simulachrum quod adoratis, conflatum est ex pelui destinata sordibus? Et ad illud non attenditis, sed ad id quod repræsentat: vnde adoratis quia imago est vestræ deitatis. Ita & vos non ad meum genus, sed ad dignitatem & quod repræsento, attendite. Similiter est dicendum pro iis qui sunt in dignitate, prælatura & authoritate constituti, vt non ad eorum vitam & genus attendamus, sed ad doctrinam, cuiusque Dei sint imago diligenter consideremus, vt ipsos honoremus, obtemperemus, & quæ dicunt faciamus. Quare Petrus ait: Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus ab eo missis, quia sic est voluntas Dei. Subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Sic ad Rom. Apostolus: Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit (vt & hic discamus obedire censuris, &c.) Quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt; vnde qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

Herodot. lib. 2. 1. Pet. 2. Rom. 13.

Mementote omnes verbi Apostoli dicentis: *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei:* & memores estote quia ex Sancto Iacobo, non auditores, sed factores verbi iustificabuntur. Exiit qui seminat, seminare semen suum. Auditorum est recipere, & dicere cum Psalmista: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Vnde in corde abscondit? *Quia tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Quare in corde, & non in manibus, vel oculis, & aliis membris dicit se abscondere illa. Quasi dixisset: potiùs moriar, & vitam ponam, quàm permittam vt à me auferantur mandata tua. Viuere quidé absque manibus & oculis possumus, sed non absque corde. Vnde in corde abscondi: vt si

1. Cor. 4. Iacob. 1. *Quæ custodia mandata Dei seruanda sunt.*

vt ſi quis auferre voluerit, ſimul etiam cor & vitam auferat. Sic enim in corde meo abſcondi, vt non peccem tibi.

O vtinam & nos ſic in corde verba & præcepta Dei abſcondita haberemus. Heu! paleas abſcondimus, & peritura: quæ verò ſunt pretioſa & diligenda ſuper aurum, negligimus. O Domine, maledicti qui declinant à mandatis tuis. Hæc dicit Regius Pſalmiſta, & ego cum illo. Quare etiam mecum & cũ illo dicite omnes: O Domine, in me ſunt Deus vota tua. Quæ tu vis à me, in me ſunt cor & anima tibi in obſequium parata. Tuus ſum ego, vt diſcam iuſtificationes tuas. Notate, vt diſcam tuas, & non meas voluntates. Tuus ſum enim. Breuis vox, ſed paucorum eſt, dicit S. Ambroſ. & ille ſolùm verè hoc dicit qui adhæret Deo totis ſenſibus, & qui aliud cogitare non nouit quàm quæ placita ſunt ei. Ille verè ait; Tuus ſum ego, qui perfectè obedit. S. Bern. in Cant. Bonus obediens dat ſuum velle, & ſuum nolle, vt poſſit dicere: paratum cor meum Deus, paratum quodcunque præceperis facere, paratum ad nutum tuum citiùs obedire, paratum tibi vacare, proximis miniſtrare, meipſum cuſtodire, & in cœleſtium contemplatione requieſcere.

S. Ambroſ.

S. Bern.

DE HVMILITATE IMItanda in Chriſto IESV.

Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Matth. 20.

Erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi. 2. Cor. 5.

OPTIME poſt Apoſt. dicere poſſumus, quod ſicut Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi: ſic in eodem vias præparans ad reconciliationem. In ipſo, inquit, complacuit patri omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, pacificans per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt. Ecce autem viæ, humilitas, & paſſiones Crucis. De via Crucis per quindecim integros dies Paſſionis loquemur tempore ſuo. Nunc verò de via humilitatis nobis inſtituendus eſt ſermo. Poſt lapſum & exilium hominis, nobis quidem neceſſe fuit vias oſtendere veritatis. Fides præceſſit, obedientia ſequuta eſt: nunc autem humilitas occurrit, quam hodie ſociam Crucis ſuæ Chriſtus in Euangelio facit.

Coloſſ. 1.

Aſcendens IESVS Ieroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò, & ait illis: Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte. Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? & illa. Dic vt hi duo filij mei ſedeant, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondens autem IESVS non matri, ſed filiis, dixit: Neſcitis quid petatis, &c. Sedere ad dexteram meam, vel ſiniſtrã, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo. Et nolite de duobus his indignari vos audientes. Scitis enim quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in alios. Non ita erit inter vos: ſed quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter

A miniſter; & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus. Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.

En, vt videtis, comparatio & exemplũ in ſeipſo humilitatis: Sicut filius hominis, &c. Nulla virtus Chriſto tam propria eſt quàm iſta: & nulla etiã propter quam dixerit aliquando; Diſcite à me. Hec eſt altiſſima Magiſtri noſtri doctrina, profunda humilitas. Inſtructio eſt in ſermone, & imitatio noſtra in opere. Naſcendo humilis fuit vſque ad præſepe, & ad formam ſerui in ſimilitudinem hominum factus. Etiam moriendo apparuit humilis vſque ad patibulum Crucis, inter latrones & iniquos deputatus. Denique in omni vita ſua humilis B viſus eſt, coram Patre, coram Angelis, factus homo & in præſepio reclinatus. Coram Regibus inuolutus pannis, & alba veſte indutus. Coram ſuis in terram demiſſus, & ad eorum pedes ipſos lauando. Vnde etiam ſtatim dixit illis: Exemplum dedi vobis. Denique dicam, coram peccatoribus & iniquis, eorum opprobria ſuſtinendo. Sed vnum addã iterum, humilis in æternum factus eſt in Cœlo, qui in æternum factus eſt homo.

Humilitas virtus Chriſti.

Verùm quod fuit ſtatu, etiam hoc ipſum verbo, vita, & exemplo exercuit, & palàm docet, cùm ait; *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Qui maior eſt, erit miniſter. Filius hominis non venit C miniſtrari, ſed miniſtrare. Diſcite hoc à me, &c. Didicerunt ex eo Angeli humiliare ſe dicentes: Quis vt Deus? Et qui oderunt diſciplinam, in diabolos & ad Infernum conuerſi ſunt. In Apoc. legitur quod de Cœlo proiectus eſt Draco, qui dicitur diabolus, & qui antea dicebatur Angelus lucifer. Ita vt iam ex conſequentia, & ratione humilitatis Chriſti, Regnum cœlorum ſit curia humilium. Apoc. 4. Procidebant vigintiquatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum; & mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine accipere gloriam, & honorem, & virtutem. Et certè cũ Deo nulli niſi humiles ſunt, neque Cœlum aperitur niſi D humilibus. Vnde Dominus: *Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis.* Diſcite à me.

Doctrina Chriſti humilium.

Apoc. 12.

Regnum cœlorum curia humilium. Apoc. 4.

Diſcamus itaque, eóque amplius quod & nos humiliationi Dei occaſionem dederimus. Ecce Angeli humilitate ſua continuum honorem reddunt Deo, quem vident humiliatum in nobis & pro nobis, licet nullo modo humiliationi tantæ cooperati ſint. Nos autem qui cooperati ſumus, atque etiã in cauſa fuimus cur exinaniuit ſic ſemetipſum, hoc difficile & arduum inueniemus? Diſcite hoc à me. Sed à vobis nunc diſcite peccatores, & adhuc ad Infernum vſque humiliare vos diſcite, qui ex vobis nihil aliud operari poteſtis & mereri, niſi abie- E ctionem Inferni. O peccatores, nihil eſt tam veſtrum quàm Infernus. Diſcite ergo vos vſque ad Infernum humiliare.

Cur nos humiliare debemus. Diuerſæ rationes.

Sed homo, obſecro te, attende ad iſta. Si peccator es, vnde te exaltare potes? & ſi exul à Cœlo, ſi ciuis Inferni, ſi inimicus Dei, & contra quem demonſtrabit iram ſuam; quæ te ſuperbia cæcat, vt te altum eſſe credas, quem tam vilem peccata reddiderunt? Sed, ô homo, ſi tua adhuc peccata Chriſtum morti addixerunt, quomodo ſuperbis? Et ſi vniuerſum, peccatis tuis turbaſti, Deum creaturis poſtponens, quomodo te exaltas?

Quæſo adhuc iſta attendite. Aut Deus eſt in nobis, aut non eſt. Si non eſt, cur potiùs non luges, & te humilias? Si eſt, facit iam te agnoſcere, & quis

 ſis, &

Ierem. 31. sis, & sic humilias te. Ierem. 31. Castigasti me, & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Solent qui se errasse comperiunt, femur percutere. Mos est errantium, quibus statim illuxit veritas. Hoc facit simulatque est agnita, vt humiliet & deprimat, semper veritatem sequitur humilitas, vt filia matrem; & vtraque est amica Dei.

Cur Deus superbiā detestatur. Et certè sæpius cogitanti mihi cur tantopere Deus etiam præ aliis omnibus vitiis superbiam detestatur, occurrit ista ratio, quia Deus est purissima veritas, & sic non potest non odisse summè mendacium. At mendacium grauissimum est, putare te esse aliquid, cùm nihil sis, iuxta Apostolum dicentem: *Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Diceres. Eadem ratione Deus odit omnem iniustitiam, cùm ipse sit summa iustitia. Respond. corruptionem grauiorem esse quæ in fundamento latet, quàm quæ in pariete aut tecto. Putare autem se aliquid esse, corruptio est in ipsomet esse, quod quidem omnium quæ in nobis sunt, fundamentum est. Vnde magis odio habetur. Spiritus enim est Deus, & in spiritu, & veritate vult adorari. In veritate autem adoramus, cùm nobis elucet illa veritas quæ nos humiliat. Sic Dauid: In veritate tua Domine humiliasti me. Hancque Deus veritatem diligit, & ei qui habet illam, incerta & occulta manifestat, vt se magis humiliet. Vnde rursus ait; Dixi in excessu mentis meæ: proiectus sum à facie oculorum tuorum; id est, vilis sum in oculis tuis. Hanc ergo veritatem requirit Dominus. Alioquin retribuet abundanter facientibus superbiam. Qui se exaltat, humiliabitur, & è contrà.

Gal. 6.

Maximus defectus omnium superbia.

Ps. 118.

Ps. 30.

Demonstratur multis rationib. hominem nihilum esse. Sed vnde adhuc, ô homo, tibi difficilis erit humilitas? Neque enim longè est à te huius rei veritas. In teipsum intra, & tua perscrutare fundamenta. Genus tuum, opes, & fortuna vbinam fundantur? vtique in corpore. Virtutes item & scientiæ vbi? in anima tua. Perge iam, corpus & anima vbi? vtique in nihilo, quia ex nihilo omnia. Ecce igitur egregium celsitudinis tuæ fundamentum. Ecce columnæ & bases tuæ arrogantiæ & superbiæ.

Sed iterum videre vis quis sis, ex teipso? Considera quò descendit Dei filius ad subleuandum te, & intelliges vbi eras antè, & tuæ iacebat celsitudo infirmitatis. Descendit pro te ipse Dei filius in altitudinem maris, id est, pœnarum omnis generis, & in profundum Inferni, vbi non est substantia, sicut dicit per Prophetam: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meā. Ecce enim tristis est, & in agonia vsque ad mortem. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia, veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Sed ô Redemptor quò pergis? & tuus quò attingit amor, & peruenit compassio? Quero, inquit, hominem iacentem in ventre Inferni, vt eripiam eum.

Ps. 68.

Christus quadrupliciter humiliatus infra homines. Ecce equidem vbi tunc iacebat, & iacet nunc adhuc per peccatum. Proprius & conueniens homini locus, Infernus est: vnde & eò vsque propter eum humiliatus est, & descendit Dei filius. S. Tho. humiliatum fuisse dicit quadrupliciter infra homines. Primò, vt traditum potestati eorum. Secundò, vsque ad eorum sustinenda opprobria. Tertiò, vsque ad genus mortis & passionis. Quartò denique, vsque ad locum, sepulchrum videlicet, & Infernū. Hinc dicit hodie secretò Apostolis: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur.* Quid enim illa est quæso ascensio Christi, nisi Crucis eius humiliatio?

S. Tho. 3. p. q. 49. art. 6.

Sed heu, quàm hominum vota diuersa sunt ab illis quæ Dei sunt! Dum ille loquitur de sua profundissima humiliatione in ascensione & exaltatione Crucis; ecce mater filiorum Zebedæi petit pro illis primas sedes gloriæ & regni, & dicit: Domine, dic vt hi duo filij mei sedeant, vnus ad dexteram tuam, alter ad sinistram. Viæ meæ non sunt viæ vestræ, dicit Dominus. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Calicem passionis & humiliationis vsque ad mortem Crucis? Cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ, dicit Dominus. Loquitur Deus de morte, & homo de regno gloriæ: Deus cogitat ascendere, & homo sedere. Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Calicem exinanitionis, calicem passionis & mortis? Ecce, inquit Apostol. cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, & humiliauit factus obediēs vsque ad mortem Crucis. Potestis igitur bibere calicem quem ego bibiturus sum? Non venit filius hominis ministrari, sed ministrare, & dare animam redemptionem pro multis. Sic Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, qui proposuit in eo instaurare omnia. Potestis bibere? O omnes dicite, possumus. Et fortè non sine causa duo ista hodie in Euangelio coniunguntur, sermo de Passione Christi, & sedium regni cœlorum petitio: vt sciamus quia nemini vnquam dabitur regnum cœlorum, nisi qui particeps fuerit calicis Passionis. Quia omnes qui prædestinati sunt ad gloriam, ex merito Passionis fuerunt. Potestis ergò bibere? Omnes dicite, possumus, desideramus, amplectimur, & tecum, Domine, simul ascendimus. Calix Passionis Domini mei quàm præclarus est! sitiuit anima mea. Domine bibere possumus, vt sic conformes imaginis tuæ, mereamur sedere ad dexteram tuam in regno tuo, quod iis qui sequuntur te, paratū est à Patre.

Isa. 55.

Philipp. 2.

DE TIMORE ET HORrore pœnarum Inferni.

Cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè. Luc. 16.

Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi. 2. Cor. 5.

CONSILIVM æterni Patris in hunc mundum vnigenitum suum mittentis IESVM Christū, ad salutem hominum fuit, & non condemnationē, sicut ait: *Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur per ipsum.* Quod prætendit Deus, est mundū sibi reconciliare in Christo, non perdere. Eò ipsius refertur Aduentus, quod fecit & dixit, nobisque etiam reuelare voluit de gaudiis regni sui, & tormentis Inferni. Iohan. 3.

Nuper in monte Transfigurationis partem aliquam huiusce gloriæ quæ est in cœlis, aperuit sensibus, & simul Crucis iter quo peruenitur ad illam. Nunc verò loquitur verbo & exemplo de pœnis Inferni, atque illis incendiis quæ peccatis in æternum acquiruntur. Væ vobis qui consumitis dies vestros

vestros in illis, gaudium vestrum tristitiam pariet. Desperatorum illud est triste carmen in Inferno, apud Ierem. Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster. Cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia peccauimus. Væ mihi, dicit hodie epulo diues, quia peccaui: ecce sepultus sum in Inferno, & in hac flamma crucior. Væ mihi, defecit gaudium cordis, desperaui, nequaquam vltrà viuam qui continuò morior in tormentis. Vocem terroris iam audiuimus, formido, & non est pax.

Thren. 5.

Ierem. 30.

Interim si de hac nostra terra ad Lazarum in sinu patris Abrahæ leuemus oculos, statim cum tremore præterito aderit consolatio & fiducia nostræ operandæ salutis. Propterea igitur sperate in Deo omnis congregatio populi, & effundite coram illo corda vestra. Veruntamen mendaces filij hominum in stateris, nolite sperare in iniquitate, rapinas concupiscere, & diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Ecce enim diues in Inferno sepultus cruciatur flammis voracibus: Lazarus vero in sinu Abrahæ perfruitur gaudiis cœlestibus, qui ad ianuam diuitis iacebat vlceribus plenus. Semel locutus est Deus, & duo hæc audiui, quia potestas tibi est, Domine, & misericordia; potestas ad puniendum diuitem: misericordia verò ad remunerandum pauperem. Et quia sic, tu reddes vnicuique Domine iuxta opera sua. Exemplum in Euangelio est.

Psal. 61.

Homo quidam erat diues, dicit Christus, (non hic in parabola, sed secundum veritatem historiæ,) diues qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. (notanda descriptio est.) Erat quidam mendicus, nomine Lazarus. (nomen diuitis tacetur, quod tantùm scriptum fuerat in terra: & pauperis prędicatur, cuius nomen iam scriptum erat in cælis.) Lazarus qui iacebat ad ianuam diuitis vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant & lingebant vlcera eius. Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in Inferno. O dispar sors atque terribilis! Miser iste cùm esset in tormẽtis, atque oculos suos eleuaret, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, (Lazarum cui negaui micam panis,) vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguã meam, quia crucior in hac flamma. Sed audiuit, qui misericordiam nesciuit in terra: fili, dixit illi Abraham, recordare, durum recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Magnum chaos firmatum est inter vos & nos. Dispar gaudiorum, atque tormentorum æternitas.

Cur tacetur nomen diuitis, pauperis autem nominatur.

Ecce quomodo in Euangelio semel loquutus est Deus, & in exemplo duo audiuimus, iustitiam atque misericordiam, punitionem & mercedem, ad instructionem nostram; & sæpius quidem hæc duo simul coniunguntur. Ps. 59. *Iratus es Domine, & misertus es nobis. Ostẽdisti populo tuo dura: sed dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui.* Hoc notate obsecro. Pœna proponitur, vt ex timore fugiatis: Infernus, vt caueatis, & salutem vestram cum tremore operari studeatis. Signum, quod Deus perdere non vult, nisi qui perire volunt. Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi, tum proposita præmiorum spe, tum pœnarum formidine.

Sæpius ponũtur simul punitio & merces.

Ps. 59.

Interim quia pauciores proposita mercede

A operantur suam salutem, magisque ex memoria & præsentia pœnarum afficiuntur, cogar ideo vos ad tormenta epulonis & diuitis in Inferno conuertere, vt illa cum salutis fructu consideretis. Sic sæpius optans Psalmista dicebat: Conuertantur peccatores in Infernum, omnes gentes quæ obliuiscuntur Deum. Descendant viuentes, ne mortui sepeliantur ibi, vt epulo diues. Cùm esset in tormentis, &c. Clamare desidero, & vobis sæpius væ dicere, neque deficere hodie. Dicere cum Amos propheta: Væ qui opulenti estis in Sion, qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis. Sepultus est diues in Inferno. (ecce solium iniquitatis eius.) Sed in sequentibus mirum B in modum videtur & describitur diues noster epulo, cùm prosequitur, & dicit: Væ qui dormitis lasciuientes in lectis eburneis, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui cantatis ad vocem psalterij, bibentes vinum in phialis, optimo vnguento delibuti, & nihil patientes super contritione Ioseph, id est, (& hic simul omnes cum diuite damnato comprehenduntur, qui simili vita ipsum imitantur) frangentes ieiunium, & in bonis ducentes dies suos absque pœnitentia. Væ qui lætamini in nihilo, dicit propheta. Propterea hæc dicit Dominus (per eundem prophetam:) In C cunctis quæ foris sunt, dicetur, væ, væ. quibus? desiderantibus diem Domini, id est, prouocantibus deliciis suis & impietatibus. Iurauit Dominus in anima sua: Ego detestor superbiam Iacob, id est, Christianorum licentiam vitæ, luxum & arrogantiam, qui lætantur in nihilo, in his quæ foris sunt.

Amos 6.

Amos 5.

Sic in Ierem. Vę eis, quia venit tẽpus visitationis eorum. Ecce ego ad te superbe, id est, contra te. Cadet superbus & corruet, & non erit qui suscitet eũ, (quia magnum chaos firmatum est.) Succendam ignem, & deuorabit omnia in circuitu eius. Ita vt nihil remaneat eorũ quæ fuerit adeptus, nisi ignis. Væ vobis diuitibus, væ superbis. Hinc Apost. ad Timoth. Præcipe, inquit, diuitib. huius seculi nõ sublime D sapere, neque sperare in incerto diuitiarum: sed bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam. Alioquin timere discant, iuxta quod dicit S. Iacobus: Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus. Epulati estis super terram, & in luxuriis vestris enutriuistis corda vestra, in die occisionis: vnde & carnes vestras deuorabit ignis. Diues hodie sepultus est in Inferno, & dicit; Crucior in hac flamma. Væ vobis diuitib. plorabitis qui hic consolationem habetis.

Ierem. 50.

1. Timoth. 6.

Iacobi 5.

Etiam Dominus dicit hoc in diuites. Sed quid? tantùm væ diuitibus? Nequaquam, sed & cunctis E qui delectantur in peccatis. Nemo enim, siue pauper, siue diues, à punitione excipietur, si malè fecerit. Vnde Isaias: Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus loquutus est. Væ genti peccatrici, væ populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. Cognouit bos possessorem suum, Israël autem populus meus me non cognouit, & non intellexit. Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt, & abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos vltrà, addentes præuaricationem? væ vobis. Non est intelligens, aut requirens Deum. O insensibiliores cœlis & terra audite væ vestra.

Væ omnibus in peccatis.

Isa. 1.

Narrat Iosephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 12. quod quidam rusticus quadriennio ante obsidio-

Ioseph. lib. 7. de bello Iudaico cap. 12.

nem Ierosolymorum venit in Ciuitatem die festo, & cùm in pace essent omnia: qui in fortitudine sua clamare cœpit per totam vrbem, in Templo & plateis: Vox ab Oriente, vox ab Occidente, & à quatuor ventis. Vox in Hierusalem, in Templum, in nouos maritos, in nouas nuptas, & in omnem populum. Mox capitur vt aliquod malum omen denuncians, plagisque multis afficitur, eo quod continuò sic adhuc clamaret. Verùm instantius malum prædicens, vocem in væ conuertere cœpit, & clamare sic. Væ Hierosolymis, væ Ciuitati, væ Templo, væ populo, væ etiam mihi. Quod cùm dixisset, subitò fulmine de Cœlo percussus mortuus est. Prodigiosa, & miranda historia hæc est.

Heu! non cessat iste in Hierusalem clamare væ, ex futura breui destructione eius. Et nos qui videmus futuram breui perditionem tot animarum, quanto magis væ in omnem populum clamare debemus? Quousque etiam ipse cum illo, vel certè cum Michæa propheta dicam: Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ? Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est. Væ mihi. Verùm etiam væ vobis: proxima enim est calamitas, & nemo est qui recogitet eam. Parata sunt tormenta, iamque dilatauit Infernus os suum, & non est qui aduertat.

Mich. 7.

Cùm esset diues in tormentis. In plurali ponuntur, quia diuersa & infinita sunt in Inferno, & non vnum. Vidit Abraham à longè. In vniuersum, duo sunt pœnarum genera, damni, & sensus. Ecce damni, vidit à longè; & de illo cras. Hodie igitur solùm de pœnis sensus, quæ multæ sunt Cùm esset in tormentis. Singula autem recensere omnino impossibile esset. Quare tantùm loquar hic de duobus; vt ex his etiam possit intelligi qualia cætera sint.

Tormenta diuersa in Inferno.

Primò igitur dicitur, quia diues in Inferno sepultus est. Vultis verò scire quid sit Infernus? Omnium dæmonum & desperatorum domus est æterna: miserorum omnium carcer, locus altus, largus, longus, & profundus. Altus, quia omnes pœnæ quæ in eo sunt, grauissimæ sunt, & in supremo gradu doloris. Largus, quia omnes omnino continet. Longus, quia sunt æternæ durationis. Profundus, quia puræ pœnæ sunt. Vnde sic descripsit locum istum terribilem Hugo Victorin. Lacus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili. Ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, & nulla desperatio mali, &c. Ecce quid sit Infernus, centrum terræ, dæmonum domus, carcer miserorum omnium, & puteus plenus sulphure & ignibus, vbi reclusi sunt omnes peccatores, colligati vinculis, non ferreis, sed igneis.

Quid sit Infernus.

Hugo Victorin. lib. 4 de anima.

S. Chrysostom. explicans 2. ad Corint. dicit: Si ingressi in carcerem, & videntes alios pallidos, alios vinctos, alios in obscuris conclusos, concurimur, horrescimus: & quid quando adducti trahemur in gehennæ carceres? vbi quidquid in eis est, ignis est, & æternus, vbi omnia videntur ignea, vincula & carceres, damnati & dæmones. Horret animus cogitare ad istud, deputari & mancipari tali loco in æternum, vbi omnia deuorabit ignis. Quis ex vobis, clamat Isaias, poterit habitare cum igne deuorante? & sic deuorante? Et quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Crucior in hac flamma, clamat hodie diues in Inferno sepultus.

S. Chrysost. homil. 10. in 2. ad Corint.

Ecce secundò inter multa tormenta, intolerabile vnum in Inferno, & quidem generalius, quia ibi vbique est flamma & ignis. Ita vt Sapiens dicat *Stupa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis.* Item Isa. Concipietis ardorem, & spiritus vester vt ignis vorabit vos: & erunt populi quasi de incendio cinis. Spinæ congregatæ igni comburentur. Et psalmista regius: Pones eos vt clibanum ignis, in tempore vultus tui. In ira tua populos confringes, & deuorabit eos ignis. Hoc est quod vidit Iohannes in Apoc. dicens quod descendit ignis à Deo de Cœlo, & deuorauit eos, & diabolus missus est in stagnum ignis: pluuia ignea de Cœlo, fecit stagnum ignis in Inferno. Ita vt qui in illud proiiciuntur, ignem semper & vbique inueniant quo excruciantur. Domine hic vre, hic seca, modò in æternum parcas.

Eccl. 21.
Is. 33.
Apoc. 20.

DE POENA DAMNI.

Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Matth. 21.

Omnia ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum. 2. Cor. 5.

VNVM est forsitan quod dixit Dominus IESVS apud S. Luc. cap. 20. qui eamdem parabolam refert, quod multas mihi tristes cogitationes suggerit, fidemque mihi quodammodo facit in discrimine magno salutem nostram versari: cùm sub exemplo & parabola vineæ locatæ malis agricolis, qui malè tractabant seruos domini, missosque cædebant, dicitur quod nouissimè decreuit ille paterfamilias mittere ad eos filium suum dicens; forsitan cùm hunc viderint, verebuntur. Forsitan istud heu! iam satis demonstrat quia pauci salui fient; cùm neminem pater saluificet nisi per filium. Ita ad Ephes. Paulus: Benedictus Deus & pater Domini nostri IESV Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. Electionis in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti. Prædestinationis in adoptionem filiorum per ipsum, secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo. Redemptionis per sanguinem eius. Et tandem remissionis peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis in omni sapientia, vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso. Adeò vt 2. Cor. 5. dixerit: *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Eph. 1.

Omnis reconciliatio nostra in ipso est, omnis reparatio nostra per ipsum, & salus nostra ex ipso. Ita vt qui non receperint filium, & venerati non fuerint, reiiciat eos à se pater. Si qui verò ei ministrauerint, honorificabit pater æternus honore regni sui cœlestis, sicut ei filius velle sic, demonstrauit dicens: Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum. Pro eis enim rogo, & pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Sed qui fuerunt illi? vtique pauci discipuli; & ij tantùm qui cognouerunt eum, & sicut Dei filium venerati sunt. Alij qui nec cognouerunt, nec receperunt, penè sunt innumeri. Ex 1. Ioh. totus mundus

Ioh. 17.

dus eum non cognouit; vnde iam mirum non eſt, ſi dicamus paucos ſaluari, quia licet Deus filium ſuum miſerit in mundum, vt mundus ſaluetur per ipſum, forſitan tamen, cùm hunc viderint, verebuntur: forſitan, quia verebuntur pauci: forſitan, quia multi, & forſitan omnes occident eum peccatis ſuis; tantùm abeſt vt honorificent vt filium patris, ſicut in Euangelio videre eſt.

Proponit Chriſtus parabolam ſuam, & dicit, audite. Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, abſolutam ſuis neceſſariis: ſepem circumdedit ei, torcular in ea fodit, turrim ædificauit, & peregrè proficiſcens locauit eam agricolis. Cùm autem fructuum tempus appropinquaſſet, miſit ſeruos ſuos ad agricolas, vt acciperent fructum. Qui è contrà apprehenſis ſeruis, alium ceciderunt, alium occiderunt, & alium lapidauerunt. Et ſimiliter aliis fecerunt, qui denuò miſſi fuerant plures prioribus. Quare dominus vineæ nouiſſimè miſit ad eos filium ſuum, dicens; verebuntur filium meum. Quem cùm vidiſſent agricolæ, dixerunt intra ſe: Hic eſt hæres, venite, occidamus eum. Et apprehenſum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Cùm ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam ſuam dabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis. Tunc IESVS dicit illis: Numquam legiſtis in Scripturis; Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur; ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.

A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Mirabile quidem hoc ex diſcurſu, quod qui ad ſalutem omnium venit, ponatur in ruinam, & ex Deo ſalutari noſtro perditionem noſtram culpa noſtra trahamus. O Chriſtiani, cauete
Dan.2. ne cadat ſuper vos lapis iſte, & mementote iſtius lapilli abſciſſi de monte ſine manibus, Dan. 2. qui percuſſit ſtatuam grandem Nabuchodonozor in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos, ferrum pariter contriuit, teſtam, æs, argentum & aurum, & redegit omnia quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento.

Rom.8. Vultis itaque in Chriſto lapide vero & angulari vobis ædificare domum æternam? oportet vt vniti ſitis illi. Nam, vt Apoſtolus dicit, nihil damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto IESV, qui non ſecundum carnem ambulant. Aliàs ſuper quem ceciderit lapis iſte, conteret eum. In hoc autem volo vt ſolùm de vobis ipſis conqueri poſſitis, qui omne auxilium accepiſtis, quod Deus debuit facere vobis. Quid enim vltrà debuit facere vineæ, & non fecit? Perditio tua ex te Iſraël: gratia autem tua tantummodo ex me. Primò, te plantauit dextera ſua vineam electam: deinde te ſepe atque cuſtodia Angelorum circumdedit, vt pſaltes dixit; *Angelis ſuis Deus mandauit de te.* Præterea turrim in medio tui poſuit particularis prouidentiæ, vt numquam oculos ſuos amoueret à te. Quid amplius? Torcular pœnitentiæ iuxta te, in quo poſt direptionem
Ierem.7. vindemiantium, exprimere poſſis vinum gratiæ, & de peccatis tuis merum contritionis. Sed neque adhuc coloni & agricolæ defecerunt, iuxta Ierem. Miſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas, Apoſtolos, prædicatores, &c. Nouiſſimè autem filium meum, dicens; forſitan cùm viderint, verebuntur. Quid igitur vltrà debui facere vineæ, & non feci?

A Sed heu! vinea mea electa conuerſa eſt in amaritudinem, & facta eſt vitis aliena.

Tanta eſt hominum peruerſitas, vt quod bonum eſt Dei, conuertant in malum. Vnde etiam in Euangelio ex proprio ore malorum dicitur quia malos malè perdet Dominus. Siccine enim contemnis, ô homo, diuitias bonitatis & patientiæ Dei, ignorans adhuc quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius: iis quidem qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem quærunt, vitam æternam: iis autem qui non acquieſcunt Rom.2.
B veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Tribulatio & anguſtia in omnem animam operantis malum. Et ſic malos malè perdet, ab eiſque regnum Dei auferet, ſicut ipſe Dominus IESVS conuertens parabolam ſuam in Iudæos, dixit illis. Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Malos malè perdere, damnare eſt ad tormenta. Auferre verò regnum Dei, eſt priuare gloria, ſeparare à viſione Dei, & poſſeſſione regni eius. *Pœna dãni.*

Illa ſunt duo mala Inferni, ſenſus, & damni, prouenientia ex duobus malis quæ reperiuntur in pec- *In peccato eſt conuerſio ad creaturã, & auerſio à Deo, vnde duplex punitio.*
C cato, videlicet ex conuerſione ad creaturam, & auerſione à Deo creatore. Propter quæ etiam ſic exclamat Deus Ierem. 2. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc: duo mala fecit populus meus, &c. Vnde ſimiliter duplex punitio. Vna quæ debetur conuerſioni ad creaturam; & ſenſus eſt, de qua intelligitur; *Malos malè perdet.* Altera quæ debetur auerſioni à Deo; & damni eſt, de qua nunc: *Ideo dico vobis, auferetur,* &c. Norunt iſtud, qui ſciunt quid Deus ſit. Nouit experimento & ſcientia ille Angelorum primus, qui perdidit eum, & cæteri omnes qui à Deo in tormentis ſunt exules. Agnoſcit epulo, videns Abraham à longè ſepultus in Inferno, & clamans ſine *Quibus datur ſcire quantũ ſit malũ pœna damni.*
D refrigerio. *S. Chryſoſt hom. 33. in Matth.*

Verùm & cognoſcunt adhuc qui in terra Deum amant, & agnoſcunt. Et quidem bene nouerat S. Chryſoſtom. dicens. Intolerabilis res eſt gehenna. Quis neſciat illud ſupplicium horribile? Tamen ſi quis decem millia, vel plures ponat gehennas, nihil tale dicet, quale eſt à beata gloria excidere, exoſum eſſe Chriſto, & ab illo audire: Non noui vos. Diſcedite à me maledicti, omnes qui operamini iniquitatem. Multi gehennam abhorrent. Ego autem, dicit ſanctus ille Doctor, (& cum illo dicam ego) caſum illius gloriæ multo maiorem gehennæ pœna aio. Heu, priuari in æternum à Deo ſine ſuo! Quis hæc tolerare poteſt? In hoc damnum eſt. In hoc omnium infernorum Infernus. In hoc denique extremum animi ſupplicium, audire; *1. Reg 15. Saül plorat iacturam honoris temporalis.*
E auferetur à vobis regnum, & Dei regnum, quod eſt regnum omnium ſæculorum.

Sæpe vnum de Saül admiratus ſum, qui lacrymis & triſtitia magna nimis Imperij ſui iacturam deplorat & honoris. Cũ enim ille incolumem Amalec contra Dei iuſſum conſeruaſſet, Samuel ait illi: Pro eo quod abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus ne ſis Rex. Cui tunc Saül dixit: Peccaui, ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei. Quaſi diceret: non auferatur à me regnum. Quid ille plorabat? Amiſſionem terreni regni atque temporalis. Nos autem non plorabimus iacturam æterni regni & cœleſtis? O deplorabilem cæcitatem noſtram! *Cæcitas peccantium.*

Si contingeret nobis vt temporalia peccatis amitteremus, numquam peccaremus, qui vt illa acquiramus, peccare non timemus. Et interim minimè pro regno Dei æterno peccare horrescimus, neque desinimus adhuc, licet minaciter audiamus, auferetur à vobis regnum Dei. O duritiam intolerabilem, & cæcitatem lamentabilem! peccata sua prorogare, & audire; auferetur regnum à vobis. Eiice eos à facie mea, (apud Ierem.) egrediantur. Et si dixerint, quò? Dices ad eos, ad ignem, ad gladium, ad famem, &c. Sic diues hesternus; Crucior in hac flamma, fame, siti, gladio.

Hæc audire, & minimè turbari, digna tali supplicio insensibilitas est, belluæ, non hominis. Conturbatur Rex Baltassar in medio aulæ suæ, atque conuiuij, ex iudicio quod illi apparuit eiectionis suæ à Regno. Et nos hic attoniti minimè erimus? Dan.5. Recordor Ionæ prophetæ, qui dum tempestas erat in mari, & periclitabatur nauis, dum metuebant omnes, & nautæ clamabant ad Dominum, ipse dormiebat sopore graui. Sic hodie quidem aduenit nobis. Minatur Dominus tempestatem & naufragium, dicit, auferetur à vobis regnum. Iusti non sunt securi, & timent, nauisque agitata in periculo est; & minimè tamen attendimus. Et quid dicam? Dormit peccator, dum nautæ & Prælati clamant.

O peccator, tibi iam dico, vt alteri Ionæ; Quid tu somno deprimeris? Surge, & Deum inuoca, quia proxima est desolatio tua. Ecce quid contra te Dominus dicit: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei, apud Isa. apud Ierem. Dabo te in manu quærentium animam tuam, & in manu quorum tu formidas faciem. Auferetur à te regnum, & dabitur genti facienti fructus. Isa.26. Ierem.22.

Christiane, iam timere tuum est. Ecce enim nunc datur & transmittitur regnum tuum ad Gentiles, Indos, & barbaras nationes; alieni auferunt, publicani, atque meretrices. Et hoc, quia & tu honorem tuum dedisti alienis, id est, animam tuam diabolis. Sic enim Prou.5. dicitur: *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne fortè gemas in nouissimis, & dicas; Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum?* Vbi S. Gregor. in Past. Quinam alieni, nisi maligni spiritus, qui à cœlesti sunt patria sorte separati? Quis verò honor noster est, nisi quia in luteis corporibus conditi, tamen ad conditoris imaginem sumus creati? Honorem itaque suum alienis dat, qui ad Dei imaginem conditus, vitæ suæ tempora malignorum spirituum voluntatibus administrat. Annosque etiam suos crudeli tradit, qui ad voluntatem aduersarij accepta viuendi spatia expendit. Prou.5. S.Greg.

Vnde equidem luctus postea & lamentum, quando alios vident habere locum in Cœlo; se autem deiici in tenebras exteriores: quos aliquando habuerunt in derisum, inter filios Dei computari, se autem in sorte diabolorum, suppliciis & ignibus æternis mancipari. Hæc sunt mala quæ sequuntur eos quos Deus à se separat. A quibus humiliter petimus liberari, & transferri in cœleste regnum, vbi videatur Deus deorum in Sion, & gloriam Domini speculãtes in eamdem imaginem transformemur.

DOMINICA TERTIA.

DE TRANSMISSIONE nostra à seruitute diaboli, in adoptionem filiorum Dei.

Erat IESVS *eijciens dæmonium, & illud erat mutum.* Luc.11.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Eph.1.

FELICITER adepti sumus in Christo IESV reparationis nostræ lætitiam, cùm erepti fuimus de durissimo Pharaonis infernalis Imperio, qui est Sathan noster coniuratus hostis. Filij Israël nesciebant quale & quantum illis bonum esset, gubernari à Deo, nisi cùm se vidissent huius Principis Ægyptiorum Pharaonis subiici Imperio & seruituti. Et nesciebant similiter quid esset laudare Dominum, nisi cùm se à seruitute illa vidissent liberatos: vbi enim antea fuerant quasi muti in diuinis laudibus, tunc senserunt vincula linguæ suæ soluta esse, vt cantarent Domino canticum hoc nouum. In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Tunc dicent inter gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis. Verè magnificauit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes. Hodie completur in Euangelio veritas figuræ. Videamus. Ps.125.

Erat IESVS eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eiecisset, loquutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Prætermissis, quæ sequuntur, peruersis in hoc miraculo cogitationibus Iudæorum, & ad illas Christi responsis, cætera quæ ad mysterium nostrum & propositum faciunt, eliciam ex Euangelio prodigi, quod cum hodierno vobis consultò exponere cogitaui. Quod enim exteriùs dæmon operabatur in isto homine dæmoniaco; interiùs quidẽ faciebat in prodigo. Quare etiã ex parte Christi sua virtute erga hominem operantis, quæ exterior fuit dæmoniaci liberatio, interior fuit in prodigo, per quam ad se reuersus, videt, loquitur, & audit: videt miseriam; audit, quanti mercenarij in domo patris abundant panibus; & loquitur: Surgam & ibo, &c. Conuenientia dæmoniaci cum prodigo.

His quidem exemplis duobus, quibus ad viuum imago peccatoris exprimitur, ostendere prætendimus, nulla alia ratione venisse Christum, quàm vt nos eriperet de potestate diaboli, & adoptionem filiorum Dei reciperemus; sicque repararet statum nostrum: quomodo dixit Apostolus, quod proposuit Deus pater in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo: quod & ipse factis hodie ostendit, cùm de eo S. Lucas dicit: *Et erat* IESVS *eijciens dæmonium mutum.*

Sed vnum hic notandum occurrit, videlicet, nihil difficilius Deo fuisse quàm opus nostræ reparationis, quàm peccata & dæmonia de homine expellere: quod quidem repræsẽtatur hac forma loquendi; *Erat* IESVS *eijciens dæmonium.* Sicut ad Corinth. *Erat Deus in Christo mundum sibi reconcilians.* Et notate quæso non fuisse tanti ponderis & laboris 2.Cor.5.

boris opus omnipotenti Deo, cœlos creare, quanti fuit, sibi homines reconciliare, & reparare quæ peccato destructa fuerant. Cùm de homine, & vniuerso creando quæstio est, dicitur Gen. 1. Creauit Deus in principio Cœlum & terram, formauit hominem de limo terræ: & nō dicitur; erat creans, erat formans, quasi de opere suo diu cogitasset, & multum circa illud laborasset. Sed secus est cùm de reparatione & reconciliatione nostra sermo est, dicitur, erat eiiciens, erat reconcilians, Luc. 19. erat docens: quasi testaretur quia hic & tempus & laborē impendit. Vnde quæso? En ratio. Dum Deus creat, nihil est resistentiæ in nihilo: dum verò iustificat & reconciliat nos sibi, dum dæmonia expellit à nobis & peccata, & sic nos reparando in gratiam restituit, offendit Deus voluntatem quæ resistit sibi.

Quare Deus plus laborat in reparatione quàm creatione hominis.

O vtinam ad nihili nostri statum & conditionem deuenissemus, & ad puram illam capacitatem Dei. Hostem excipimus, & fortis armatus custodit atrium. Quid præterea? fortiorem adhuc reddimus, dum Deo resistimus: sicque facimus, vt ad reparandum nos, & tempus impendat Deus & laborem multum. Quod exprimit in talibus factis hæc forma loquendi: Erat Iesus eiiciens, erat docens, erat reconcilians.

Vnde etiam eadem ratione dicimus, quomodo opus fuit vt non alium quàm filium miserit Deus ad hoc opus; non fuit necessarium in Cœlo, vt Dei filio committeretur munus expellendi præuaricatores Angelos. Tantùm hoc committitur Michaëli Archangelo, vt legitur in Apocalyp. Factum est prœlium magnum in Cœlo: Michael & Angeli eius prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius. Et proiectus est draco ille magnus, qui vocatur Diabolus & Sathanas, qui seducit vniuersum orbem: & angeli eius cum illo missi sunt. Et audiui vocem in Cœlo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius.

Apoc. 12.

Vnde bellū in Cœlo contra Sathanam commissum est Michaëli, & non Christo.

Vnde quæso hoc bellum Michaëli commissum est, & non Christo? seruis, & non Domino? Ecce ratio, quia facilius est dæmonem de Cœlo, quàm de terra expellere. In Cœlo enim nemo est qui suscipiat eum, & illius partes tueatur, sicut in terra, vbi homo, quà libertate donatur, defensionem eius suscipere potest. Vnde iam non Angelica virtute, sed diuina opus est ad eum expellendum de terra. Et ideo non alius venit quàm filius Dei, vt de hac nos potestate liberaret, & in pristinum honorem restitueret. *Erat* IESVS *eiiciens dæmonium.* Ecce Christi opus & virtus, potestas atque imperium.

Voluntas hominis obicem facit gratiæ Dei.

Interim, ô homo, peccatis tuis laborem ei facis vsque ad effusionem sanguinis, & non vis victorem reddere, quousque animam etiam emittat. Hoc fit ita; adeò tamen te amat, vt sua morte paratus sit & velit mortem tuam destruere. Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, & sibi omnia reconciliare in illo per sanguinem Crucis eius. Ecce in quo penitus principem mundi huius foras eiiciet, & nos reconcilians patri, perfectè instaurabit, scilicet in morte & sanguine Crucis.

Ad hoc propositum, vnum est valde notandum apud S. Iohan. vbi statim atque Christus rogauit patrem vt clarificaret ipsum, voxque illa venisset de Cœlo: *Et clarificaui, & iterum clarificabo;* conuersus ad eos qui audiebant, ait: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. Quare propter nos?

Ioan. 12.

A Quia in morte, de qua hic sermo erat, clarificari & agnosci debebat generis humani reparator, vt statim ipsemet dixit: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Quasi dixisset: proxima est mea mors, in qua victoriam reportabo de inimicis, & vos liberi eritis, erepti de durissima seruitute Inferni.

Sic Rupertus referens sensum verborum istorum; *Ego te clarificaui, & iterum clarificabo,* ad præcedentia, vbi Christus de morte sua loquitur sub figura frumenti mortui in terra. Sic S. Chrysost. & meliùs, dicens hanc eiectionem diaboli, seu illa verba: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi*
B *eiicietur foras,* esse interpretationem huius vocis de Cœlo; *Ego te clarificaui.* Hanc enim Christus clarificationem habuit in mundo, vt per mortem vinceret, & principem tenebrarum harum foras eiiceret, sicque sua morte mortis authorem destrueret; & qui in ligno vincebat, in ligno Crucis vinceretur per Christum Dominum nostrum. Sic S. Aug. & Beda cum illo, referunt ad sequentia immediatè; *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum,* (pacificans per sanguinem Crucis, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris; mortem suam exaltationem & glorificationem vocans.) Vbi videtis omnes intelligere his verbis, Christum de morte victoriam reportaturum, sicque de possessione sua
C eiecturum hostem, & de ipsius arce, videlicet, homine.

Rupert.

S. Chrysost.

S. Aug.

Dum fortis armatus custodit atrium, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa eius arma auferet, in quibus confidebat. Fortior qui superuenit, Christus est. Ita vt quantum in Christo est, iam penitus eiectus sit hostis, nihilque amplius potestatis habeat nisi in filios huius sæculi, & eos qui portam arcis ei proditione sacrilega aperiunt. Sed sciant quia nouissima erunt peiora prioribus, si redierit hostis. Vigilate fratres, quia aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret; & scitote quia non est collu-
D ctatio vobis aduersus carnem, sed aduersus principes & rectores, quibus resistite fortes in fide. Nihil timete obsecro, de manibus enim eorum arma detracta sunt: & si filius liberauerit vos, verè liberi eritis.

In quanta nunc potestate habet diabolus.

Ephes. 6.

Singulare beneficium Dei vestri agnoscite. Qui enim eripuit vos de potestate inimici, simul etiam vos in adoptionem filiorum Dei reuocauit. Sicut idem Apostolus dicit: Vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum, vt eos qui sub lege erant redimeret, & adoptionem filiorum Dei reciperemus. De hac re & gratia nobis non inuidet frater noster senior IESVS Christus: imò ipse est primogenitus noster in multis fratribus, per
E quem potiùs hanc adoptionem accepimus. Sic enim nobis hoc considerandum proponit S. Iohannes in Epistolis dicēs: *Videte fratres, qualem charitatem dedit nobis pater per filium, vt filij Dei nominemur, & simus,* (denominatione non extrinseca tantùm, sed intrinseca & reali.) Si autem filij, & hæredes, iuxta Apost. hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, qui est primogenitus in fratribus, prædestinatus filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis.

Gal. 4.

Adoptio filiorum Dei per Christum.

Rom. 1.

Quare ex S. Thom. nostra adoptiua filiatio quædam est similitudo filiationis æternæ & naturalis verbi, per quam ex Dei bonitate admittimur ad participationem hæreditatis suæ cum filio eius naturali

S. Tho. 3. p. q. 23. art. 1. *Quid sit adoptiua filiatio.*

naturali Iesv Christo : & hoc per gratiam eius, qua creatura secundum vnitatem ad patrem, quodammodo assimilatur filio eius;iuxta illud Iohan. *Volo pater, vt vnum in nobis sint, sicut & nos vnum sumus.* Quare etiam assimilatis sic eadem æterna debetur hæreditas.

Ioh. 17.

Quare nunc vnusquisque nostrûm gratias agat Deo patri, & cum Apostolo dicat : Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesv Christi, qui sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem,vt essemus sancti; sic & prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum,in quo & proposuit in plenitudine temporum instaurare omnia. Nunc autem in Christo Iesv, vos qui aliquando eratis longè,facti estis propè in sanguine Christi.Ipse enim est pax nostra, qui soluit inimicitias in carne sua. Ipse est frater noster senior, qui non tristatur de reconciliatione nostra, sicut ille Euangelij de reditu fratris sui iunioris : imò lætatur & congaudet lætantibus. Ipse est qui audiens symphoniam,& choros Angelorum lætantium in circuitu,gratulatur illis dicens:Congratulamini mihi omnes,quia qui perierat,inuentus est: Ipse est qui protulit ei stolam primam, id est, reconciliationem & reparationem primæ gratiæ, seu,ex S. Aug. innocentiã primam,quam in Adamo perdiderat homo,seu,iuxta Maldonat. qui in meliorem statum hominẽ adduxit,quàm ante peccatũ haberet,vt verificetur illud: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Maius est gaudiũ in Cœlo super vno peccatore pœnitentiã agẽte,quàm super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia. Si qua ergo noua creatura in Christo,vetera transierunt. Ecce facta sunt omnia noua & meliora.Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesv in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus, sicut Sanctus Iacobus dicit, quod voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. Ipse est qui dedit annulum pristini honoris & libertatis, pignus Spiritussancti,annulum fidei,& æternæ dilectionis,vt iam appareat quia per Christum,in omnia bona & honores homo est restitutus. Denique ipse est qui ad epulandum Agnus occisus est, eo quod qui perierat filius inuentus est; vt agnoscat ex omnibus istis quod amplius recedendum non est à domo paterna.

Ephes. 1. Ephes. 2. *Gaudium Christi in reparatione nostra.* *Quid per stolam primam intelligatur.* S. Aug. Maldonat. Luc. 15. 2. Cor. 5. Eph. 2. Iacob. 1.

Pœnitentiam agens,ait S.Chrysost. non amplius eadem attingit negotia, quorum pœnituit, propterea que iubemur dicere;Abrenuncio tibi Sathana.Neque amplius ad ipsum reuertamur(vt pascamus porcos,) sed sicut Pictoribus accidit, sic & nunc fiat. Etenim illi tabulas proponentes, & regias depingentes imagines, priusquàm colorum veritatem superinducant, cum omni libertate hæc quidem delent, illa verò repingunt. Postquam verò colorem iam induxerint, non amplius libertatem rursum delendi, & repingendi habent, quoniam nocerent imaginis pulchritudini. Hoc tu quoque fac,puta animam esse tibi imaginem. Igitur priusquàm superueniat vera Spiritus tinctura, male insitas tibi consuetudines dele, ne iam inductis coloribus & illustrata imagine regia, amplius deleas,& vulnera & cicatrices inferas à Deo tibi dato decori. Pulchritudo gratiæ tibi seruanda est, & pœnitentia nunquam omittenda.

S.Chrysost. hom. 11. ad pop. Antioch. Similitudo.

DE PRÆDESTINATIONE nostra per Christum.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Luc. 4.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Eph. 1.

Tam magnum & admirandum est diuinæ Incarnationis opus in Christo Iesv,vt ex ipsius occasione videamus Deum maiora fecisse in abiectione humanitatis assumptæ, quàm in gloria majestatis, maiora in terra nostra quàm in Cœlo, in Capharnaum quàm in patria sua. In diuinitate sua fecit Angelos, creationis opus & naturæ. In humanitate verò, Dei matrem, reparationis opus & gratiæ,tam in cœlis quàm in terris. Angeli hoc viderunt, & egerunt gratias Deo, omnis inuidiæ expertes, tanta est eorum humilitas. Quantum enim ad superbos attinet,inuidia sua vt reprobi de suis sedibus deturbati sunt. Quibuscum videntur consentire qui hodie in Synagoga repleti sunt ira in Christum, eo quod plura faceret in Capharnaum quàm in patria sua;vt ipsemet exemplis Eliæ & Elisæi dicebat illis in Euangelio sic.

Vtique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice cura teipsum. Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est Cœlum annis tribus & mensibus sex,cùm facta esset fames magna in omni terra : & ad nullam illarum missus est Elias,nisi in Sareptha Sidoniæ,ad mulierem viduam.Et multi leprosi erant in Israël sub Elisæo Propheta; & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.Et repleti sunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes. Et eiecerunt eum extra Ciuitatem,duxeruntque vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum. Ipse verò transiens per medium illorum ibat.Et descendit in Capharnaum,docens illos.

Cognoscat hic Israël quia perditionis suæ causa est.Cognoscant & illud omnes peccatores. Miracula non debent fieri, nisi vbi creduntur, cùm eorum finis sit spectantium fides:ipsi verò increduli sunt.Vnde Ioh. 2. dicitur, quod licet multi credidissent in nomine eius, Iesus tamen non semetipsum credebat eis,eo quod nosset omnes,& optimè sciebat quid esset in homine. Patriam propterea suam derelinquens, ad alienigenas se conuertit,deserens Nazareth, in Capharnaum descendit. Cognoscat Israël id sua culpa fieri : & similiter omnes peccatores agnoscant. Ex Deo prædestinatio est,& ex homine reprobatio. In Actis Paulus & Barnabas dicunt : Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ,ecce conuertimur ad gentes. Sic Dominus dicebat his quibus locauerat vineam paterfamilias,& nullum illi fructum,nisi perfidiæ reddebant; *Auferetur à vobis regnum Dei,& dabitur genti facienti fructus eius.* Deus acceptor personarum non est, Actorum 10.sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam,

Finis miraculorum fides spectantium. Ioh. 2. *Dispar causa prædestinationis & reprobationis.* Act. 13. Matth. 21. Act. 10.

tiam,acceptus eſt illi. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in eum, non confundetur. Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Nam idem Dominus omnium qui inuocant illum.

Ioh. 1. S. Iohannes vnum dicit valde notandum verbum: Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Antè dixerat: In mundo erat, (per quem & factus fuerat) & mundus eum non cognouit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Iam; Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, & ſic cohæredes ſuos in Cœlo, iuxta illud Apoſt. *Intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes.* Sed quibus dedit? his qui credunt, nec increduli ſunt. Item qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis nati ſunt, vt ſecundum carnem viuant. Caro enim & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Sed ex Deo nati ſunt. (Rom. 8.)

Quid ſit autem naſci ex Deo, ex oppoſitione colligitur, nimirum, non naſci ex carne & ſanguine, ſed naſci ex ſpiritu, non carnaliter, ſed ſpiritualiter. Hoc autem eſt renouari ſpiritu mentis, vt Apoſtolus ait, vno verbo, iuſtificari, fide & charitate informari, quæ hominis Chriſtiani vita & ſpiritus eſt. Chriſtianus enim quis dicitur? Ille eſt, ait S. Thom. in Summa, qui Chriſti eſt. Dicitur autem aliquis eſſe Chriſti, non ſolùm ex eo quod habet fidem Chriſti, ſed etiam ex eo quod ſpiritu Chriſti ad opera virtuoſa procedit, ſecundum illud Rom. 8. *Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Et etiam ex hoc quod ad imitationem Chriſti, peccatis moritur, iuxta illud Gal. 5. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum concupiſcentiis. In Chriſto IESV valet fides quæ per charitatem operatur. (Epheſ. 4. — S. Tho. 2. 2. q. 124. art. 5. ad 1.)

Ad fidē quid requiratur præter credulitatem. Ita vt dicat Angelicus Doctor, & concludat, quod ad fidei veritatem non ſolùm pertinet ipſa credulitas cordis, ſed etiam exterior proteſtatio, quæ fit non ſolùm per verba, ſed per facta, quibus homo fidem ſe habere oſtendit, iuxta illud Iacobi. *Ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam.* Ita S. Aug. tract. de gratia. Non ſunt opera bona, niſi quæ per fidem & dilectionem fiunt, quia alterum ſine altero, nullius virtutis fructum parit. Et S. Ignat. ſcribens ad Epheſios. Initium vitæ fides; finis autem charitas: quæ duo in vnum coaleſcentia perficiunt hominem. Vnde videmus quod ad nuptias inuitatus de menſa eiicitur, qui tantùm fide ornatus, charitate autem deſtitutus erat. Cui dicitur: Amice, quomodo huc intraſti? &c. (Iacob. 2. — S. Aug. tract. de gratia. — S. Ignat. ep. ad Epheſ. — Matth. 22.)

Idem ſpiritus qui nos facit eſſe Chriſti, & filios Dei. Hic autem notandum nobis eſt, eumdem planè ſpiritum Chriſti eſſe, & quo credētes ſumus eius, & quo per eum prædeſtinamur filij adoptionis æterni patris. Ita enim dicit Apoſtolus: *Quoniam eſtis filij Dei, miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra, in quo clamamus, Abba pater.* O gratiam & communicationem ineffabilem! Ecce in quo in nobis eſt participata ſimilitudo filiationis naturalis verbi: in quo Chriſtus eſt cauſa & exemplar noſtræ prædeſtinationis. Sic enim Deus prædeſtinauit ſalutem noſtram ab æterno, vt per Ieſum Chriſtum compleretur, qui eſt primogenitus in multis fratribus, vt dicitur ad Rom. Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui. Fieri cōformes imaginis, hoc eſt, habere ſimilitudinem filiationis naturalis communicatam. Sicut enim per creationis actum communicat Deus ſuis creaturis bonitatis ſuæ ſimilitudinem, iuxta quam Moyſes appellat cuncta quæ creauit Deus, valde bona: ita etiam per actum adoptionis homini communicat quamdam ſimilitudinem filiationis naturalis, cuius Chriſtus eſt exemplar, ſicut etiam cauſa cur prædeſtinamur ab æterno. (Galat. 4. — S. Tho. 3. p. q. 24. art. 3. & 4. — Rom. 8. — *Quid ſit fieri conformes imaginis filij Dei.* — *Quomodo cōmunicatur adoptiua filiatio Dei.*)

Ordo prædeſtinationis. Vnde in ipſo admirabiliter inuenitur tota ſeries noſtræ prædeſtinationis, in quo & dilecti & electi ſumus, & ſic conſequenter prædeſtinati. Hic eſt enim prædeſtinationis ordo, ex S. Thoma, quod videlicet prædeſtinatio ſecundum rationem, præſupponit electionem, & electio dilectionem. Primum omnium dilectio eſt, quæ bonum vult, & ponit in rebus; vnde ſequitur electio, quæ aliquibus, præ aliis, vult tale bonum. In hoc enim inter Deū & nos diſcrimen eſt, quod cùm non cauſemus bonum in rebus quas amamus, ſed iam præſupponamus, priùs eligimus quàm diligamus; electio præcedit, non dilectio: id eſt, priùs inuenimus in quo eſt ratio dilectionis. In Deo autem eſt è contrà: priùs enim diligit rem, vt ponat bonum in ea. Si quidem bonum in re non eſt, niſi quatenus vult illi Deus: vnde poſtea electio ſequitur, quatenus vult iſti, præ aliis, tale bonum. Et ſic prædeſtinatio eſt, qua prædeſtinari ordine rationis priùs dilecti, in Chriſto electi ſunt. Sic dicit per Ierem. In perpetua charitate dilexi te. Ideo attraxi te miſerans. Ecce attractio, ecce electio, quæ dilectionem ſequitur. Sic ad Epheſ. Apoſtolus: Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per IESVM Chriſtum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, id eſt, dilectionis ſuæ æternæ. (S. Tho. 1. p. q. 23. — *Diſcrimē inter Dei amorem & hominis.* — Ierem. 31. — Epheſ. 1.)

Duo notanda in prædeſtinatione. Vt autem non progrediamur vlteriùs in hoc mare immenſum, ſciendū duo potiſſimùm habere prædeſtinationē diuinam. Vnum eſt, quod ex vna parte ſit imperſcrutabilis, vt Paulus ait: O altitudo diuitiarum ſcientiæ & ſapiētiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius! Alterum, quod ſit irreprehenſibilis, eodem dicente: Quos prædeſtinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos iuſtificauit: Quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Quid dicemus ad hæc? Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Nam quos præſciuit, hos & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui. Quid dicemus ad hæc? Quod ſi Deus, rurſum inquit Apoſtolus, volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, (notate omnia,) ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ aptata in interitum; ſuſtinuit, vt oſtenderet diuitias gloriæ in vaſa miſericordiæ. (Rom. 11. — Rom. 8. — Rom. 9.)

Quomodo reprobatio ex nobis eſt. Vbi Sanctus Auguſtinus. Vaſis iræ nunquam Deus redderet interitum, ſi non ſpontaneum inueniretur homo habere peccatum. Quia nec Deus peccanti homini iuſtè inferret iram, ſi homo ex prædeſtinatione Dei cecidiſſet in culpam. Vnde ſic proſequitur tractatu de prædeſtinatione. Cùm aliquos à Deo, aut traditos deſideriis ſuis, aut obduratos legimus, aut relictos magis in peccatis ſuis, hoc ipſos meruiſſe profitemur, quia talia eorum crimina præceſſerunt, vt ſibi ipſi pœnam debuerint, qua eis etiam ſupplicium verteretur in reatum. Atque ita nec de iudicio Dei querimur, quo deſerit meritos deſeri. Et miſericordiæ eius gratias agimus, qua liberat non meritos liberari. Sic enim prædeſtinatio diuinæ eſt voluntatis per gratiam electio. Pro his gratia eſt: pro aliis iniuſtitia non eſt. Qui enim ceciderunt, voluntate ceciderunt; & quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati: eſſent autem prædeſtinati ſi eſſent reuerſuri, & in ſanctitate ac veritate manſuri. Vnde, ait, per hoc prædeſtinatio Dei multis eſt (S. Aug.)

cauſa

Quomodo præscientia Dei non cogit vt fiant, quæ futura sunt.

causa standi, nemini est causa labendi. Et lib. 8. de lib. arb. Sicut tu memoria tua non cogis facta esse quæ præterierunt: sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ sunt futura.

Ioh. 6. *Quomodo trahimur ad Christum.* S. Aug.

Iam verò quod veritas dicit: *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum*; idem S. August. in Iohan. Semel accipe, inquit, & intellige. Nondum traheris, ora vt traharis. Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur. Sed quomodo? Amando; sine læsione corporis trahitur, & quò currit, cordis vinculo trahitur. Ita vt nunc tua culpa sit, ô homo, si non traharis. Tractus iste est consensus tuus. Deus incipit, sed si cooperaris, perficit. Cum certitudine prædestinationis stat libertas tuæ voluntatis. Attendamus solùm ad id quod Paul. & cum tremore ait: Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritussancti, & prolapsi sunt; rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. (notetur similitudo.) Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem. Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora & viciniora saluti. Hebr. 6.

DE CONFORMITATE nostra cum Christo IESV in praxi misericordiæ, & remissione delicti fraterni.

Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei vsque septies? Matth. 18.

Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi. 2. Cor. 5.

NECESSARIA est ad salutem perfecta cum Christo IESV conformitas. Libenter recordor istius verbi Apostoli: *Quos præsciuit Deus, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Hodie nihil aliud insinuare in Euãgelio videtur quàm misericordiam, & lucrum animarum; & vehementer nos ad illud exhortari exemplo proposito patris, per viscera etiam misericordiæ cuius, ad illam omnibus præstandum descendit. Quomodo quidem Apostolus dicit, quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Simus igitur conformes facti imaginis eius, & ad miserendum propensi. In hoc enim referimus imaginem Dei patris & filij, si misericordiæ & saluti proximorum operam nauemus. Paulo antè dicebat de se Christus in Euangelio nostro: Filius hominis venit quærere, & saluare quod perierat. Sicque comparat se pastori, qui non patitur minimam de grege suo ouem perire: sed adhuc magis illius quæ periit, amat salutem, quàm earum conseruationem quæ non perierunt. Vnde statim post etiam de patre idem ostendere voluit dicens: Sic non est voluntas ante patrem vestrum, vt pereat vnus de pusillis istis. Indéque nos ad simile indu-

Christus comparatur pastori.

A cens, dicere cœpit quod in nostro Euangelio legitur.

Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos testes. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quacunque alligaueritis & solueritis super terram, sic erunt in Cœlo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est. Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, B quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei vsque septies? Cui dixit IESVS: Non dico tibi, vsque septies, sed vsque septuagies septies; id est, continuò & semper, si te audierit.

Sanctus Apostolus ad Ephes. scribens, beatum se existimat quod minister factus sit Euangelij, id est, misericordiæ Dei, eique data sit gratia hæc euangelizare inuestigabiles Christi diuitias in Gentibus, cuius rei gratia ad patrem æternum flectit genua. Et quæ sunt istæ inuestigabiles Christi diuitiæ, quas prædicat? vtique Incarnatio Domini est, omnis misericordiæ & gratiæ thesaurus, Christus qui venit misericordiam præstare & prædicare omnibus. Quare etiam ego hodie cum C S. Paulo, flecto genua ad patrem Domini mei, ex cuius gratia mihi omnium minimo contigit, prædicare omnibus Christum IESVM Reparatorem mundi. In Deo simul sunt misericordia & iustitia: sed exquo Deus factus est homo, nihil iam tam proprium est Deo, quàm misericordia. Eph. 3.

Quod vt meliùs intelligatur, sciendum est tria concurrere ad misericordiam. Primò, obiectum eius, quod est aliena miseria. Secundò, compassionem, quæ est animi tristitia. Tertiò, effectum, seu liberationem, & solutionem miseriæ. Iam verò competere Deo tantùm quoad duo, nimirum, obiectum, & solutionem, seu effectum: & non quoad compassionem vel affectum. In hoc D enim misericordiæ imperfectio est, & defectus, qui ponit tristitiam. Sicque tristari de miseria alterius non competit Deo, sicut repellere miseriam ei competit, idque (quod notandum) per elargitionem diuitiarum bonitatis ipsius, seu perfectionum, quæ in eo sunt, communicationem.

Tria concurrentia ad misericordiam. S. Tho. 1. p. q. 21. art. 3.

In misericordia compassio non conuenit Deo.

Hæc autem perfectionum diuinarum communicatio secundum rationes diuersas ad quatuor refertur & pertinet; ad bonitatem, iustitiam, liberalitatem, & misericordiam. Considerata absolutè, ad bonitatem pertinet: secundum proportionem rerum, ad iustitiam. Si propter bonitatem, & non vtilitatem propriam, tunc ad liberalitatem. In quantum verò expellit omnem mi- E seriam & defectum, ad misericordiam. Eoque modo dicitur misericordia esse Dei propria, quia miseriam nostram non respicit, nisi vt nos ab ea liberet. Hinc toties vocatur misericors Dominus, & faciens misericordias.

Ad quatuor refertur perfectionum Dei communicatio.

Interim vna pars misericordiæ ei deerat, illa videlicet quæ dicit imperfectionem, & vt sic minimè in Deum cadere potest; quæ compassio est. Quid igitur fecit Deus, vt integram illam, & secundum rationes omnes haberet? Circumdatus est infirmitate nostra, dicit Apostolus, ideo quidem, vt condolere posset, factúsque est homo & similis nobis, vt dicere possemus quia non habemus Pontificem qui non possit compati. Sic enim Heb. 5.

enim debuit, & voluit, per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret. Adeò vt quia iam in Christo misericordia est secundum omnes eius rationes, nihil aliud etiam quàm misericordiam operari possit in omnes, qui ait: *Misericordiam volo, non sacrificium.*

3.Reg.16.& 17. *Certamē inter Deum & Eliam de iustitia & de misericordia.* S. Chrysost. hom.1.& 2. de Elia.

Figura pulchra est in Elia, de quo mentio est 3.Reg. vbi videmus hunc Prophetam vt zelo diuino ardentem nihil aliud clamare quàm iustitiam & vindictam, & Deum cum illo de misericordia contendere. S. Chrysostomus certaminis huius meminit. Elias videt, (inquit) quia Israëlitę abutuntur Dei misericordia. Quid agit ille zelo ardens? Cogitat se opponere bonitati Dei, ne amplius vilipendatur: sicque Deum iuramento astringere, vt eorum non misereatur amplius. Viuit Dominus, in cuius conspectu sto, non erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta verba oris mei. Quæso hoc (nisi) notate. Sed si resipiscant, ô Elia. Non erit, nisi iuxta verba oris mei. Chrysost. ait. Præstat hic Dominus honorē iuramento serui sui, & non pluit per tres annos, & nisi cùm Elias orat. Interim vt ad misericordiam ipsum prouocaret, & ad solutionem iuramenti, punit eum cum aliis, leuiori tamē pœna, misso ad eum Coruo, qui aleret.

Quid prætendit Deus cum Coruū mittit ad Eliam.

Quid prætendebat Deus? Illi misericordiam insinuare, exemplo huius auis, quæ licet sit valde immisericors, pullos statim derelinquens atque exclusit, tamen se apud eum præbebat misericordem. Sed nihilo minus mitescit Elias, vnde aliam viam Deus quærit, ipsum paulo post obsequio Corui & beneficio destituens. Et ille, pereat, inquit, etiam corpus cum his qui hic fame affliguntur. Quid rursum facit Deus? Eum moribundum mittit ad pauperem Sarephtæ viduam, etiam quæ peribat fame, vt adhuc supplex pauxillum panis deposceret ab illa; quæ & ipsi satis durè loquitur dicens: Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, en colligo duo ligna, vt faciam mihi & filio meo, vt comedamus, & moriamur. Vbi iam Elias cœpit misęricordiæ recordari, & exercere illam dicens: Non deficiat oleum vsque ad diem in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ. Modò, modò eum superabit Dominus. (3.Reg.17.)

Dum ergo ipse sustentabatur apud viduam, permittit Deus mori filium eius. Et illa ad Eliam clamat: Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me, vt interficeres filium meum? Et ille ad Dominum: Etiamne viduam apud quam ego vtcumque sustentor afflixisti, vt interficeres filium eius? Quasi tunc diceret: ô Domine iam misericordiā peto, & scio quia mihi nō facies hodie pro illa vidua, suscitās filiū eius, nisi etiā sim aliis misericors. Miserere populi tui Deus. Vnde statim Deus iuxta verba oris Prophetæ, iussit eidē futuram pluuiam populo núciare, & ostendere se Achab, vt pluuiam daret.

Sed nondum est finis huiusce conflictus. Videt enim iterum Elias populum relabi ad cultum Idolorum, nec se, vt debebat, ad Dominum conuertere. Quid ergo facit? Tunc factus zelo ardentior quàm antè, subitò iubet omnes falsos prophetas occidi numero 450. Audit Reginam Iezabel aduersus ipsum hac de re irasci, & ille magis zelans ascendit in montem Horeb, vltionem etiam meditans in illam, sicque vt ignis exurgens abscondit se tactus tristitia & dolore cordis intrinsecus in spelunca sua. Et ecce denuò vadit ad eū Dominus, & ait: Elia quid hic agis? Et ille: Zelo zelatus sum pro Domino exercituum, quia dereliquerunt pa-

A ctum Domini filij Israël, & altaria tua destruxerunt. Et rursus ecce Dominus transit in spiritu grandi, igne, & commotione: denique in sibilo auræ tenuis, & misericordiæ. Quod cùm audisset Elias, operiens vultum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ, vbi vox ad eum: Quid hic agis Elia? Et ille vt antè: Zelo zelatus sum, &c. Inde autem est quod Eccli.46. dicitur quod Elias surrexit quasi ignis.

Fortè dum diuinum istud certamen aspicitis, quod secundò factum est inter seruum & Dominum, scire cupitis cuius victoria erit. S.Chrysost. vtriusque fuisse ait. Videns enim Deus, animum B Prophetæ sui sic ob peccata à misericordia abhorrentem, & ad vltionem pertinacē, dixit illi. O Elia, video zelum, & anima tua mihi gratissima est: tamen quia peccatores ob zeli nimietatem ferre non vales, ascende in Cœlum. Ego autem in terra peregrinus ero: nam si diu tibi manēdum in terris, propediem humanum genus, quod à te continuò plectitur, aboleretur. Dein igitur transi ô Elia, de terra in cœlos. Non potest cohabitare ignis calamo. (En etiam ratio, quare igneo curru euectus est.) Transi de terra, impeccabiles enim post hac contubernales habiturus es. Inter Angelorum choros habitare te faciam. Ego autem cum peccatoribus peregrinabor, qui in humeris ouem errantem baiulare possum; & qui clamo peccatoribus: Venite ad me om- C nes, ego vos non punio. Discite quid est, misericordiam volo, misereri volo, & dimittere vsque septuagies septies.

Iustitia ascēdere facit Eliā in Cœlū, & misericordia Christum descendere in terram.

Discite & vos ad exemplum istud misericordiā præstare fratribus vestris: vnde etiam Deus homo factus est. Et ne dicatis quia Elias pro iustitia Dei zelatus est. Nam vellem vt simili zelo arderetis, qui non permittit peccatum regnare & peccatores. Talis enim erat zelus Eliæ, qui nō minori præditus erat misericordia erga pœnitentes. Adeò vt plerunque Deus ipsum iusserit de monte descendere, & populum congregare, vt pro eo sacrificaret, oraret, mediator existeret; & qui olim commoti Dei iram ostenderat, idem & placari beneuolen- D tiam demonstraret.

Misericordia Eliæ.

Sic S.Chrysost. hom. de illo Propheta. Stabat, inquit, Elias medius inter Deum & populum, stabat, inquā, inter sacrilegos sanctus, inter peccatores iustus, inter profanos deuotus, aduocationē populis cunctis præstaturus. Obiurgat populū, (ecce zelus.) Si peccauerit frater, dicit hodie Dominus, vade & corripe eū. Orat Dominū, (ecce misericordia.) Irā Domini auertit, errantē populum ad Dei latriā reuocauit. Cōiungit Dominū populo, & Deo populum: sitque per Eliā vna concordia inter Deum & hominē. Ecce quomodo in ipsa iustitia Eliæ misericordiā discitis. Sed magis ab eo discite qui superauit Eliā in humanitate, discite à Deo qui factus E est homo; à Christo discite qui misereri docet, & vsq; septuagies septies proximo dimittere. Memētote omnes cuius capitis vos mēbra estis. Vnū corpus sumus in Christo, dicit Apostolus, & singuli alterius membra in Christo. Solliciti ergo estote, dicit in alio loco, seruare vnitatem, vt crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum est. (S. Chrysost. — 2.Cor.12.)

Membrorum est, ex capite recipere. Ex capite tuo, quod est Christus, ô Christiane, influxum & communicationem misericordiæ eius accipe. Eiusdem corporis membra consentire debent. Ergo non inuidere debemus, non calumniari, non odisse: sed è contrà, fouere, iuuare, amare. Sic (Ephes.4.)

ergo proximum meum vt mei partem intuebor, vt gaudeam eius bono tanquam meo, & malo contrister, non secus ac si meum aliquod membrum doleret. Singuli enim alter alterius membra sumus, & membra Christi. Num ergo & tu contra membra Christi pugnabis? Et non audis clamantem de Cœlo Christum; Saüle quid me persequeris? Proximum ergo quemque vt Christi membrum aspice, & vide si ratio sit postea cur ipsum odio prosequaris.

S. Chrysost. hom. 17. in Ep. ad Rom. *Esse membra Christi plus valet ad pietatem, quàm timor gehennæ.*

Vnum hic valde notandum dicit S. Chrysostom. in Epist. ad Roman. Magis, inquit, deberet nos ad pietatem mouere quod sumus Christi membra, quàm timor gehennæ. Et alibi. Quid quæso dicis? Auersaris hominem fidelem, quem Christus, cùm adhuc infidelis esset, non est auersatus. Quid dico, non est auersatus? ita quippe illum adhuc inimicum & turpem dilexit, vt mortuus etiam pro illo sit. Tu verò formosum & iam admiratione dignum, membrum Christi, imò Dominicum corpus factum, contemnis, auersaris? Non obseruas quid dicas, non sentis quid temerè audeas. Caput habet ipsum Christum, & mensam, & vestimentum, & vitam, & lumen, & sponsum. Nam omnia illi Christus est, & audes dicere, auersor illum. Compesce & cohibe infamiam istam. Agnosce fratrem, illum vt Christi membrum respice, & dic, amabo, venerabor, pascam, & vt potero, ipsum colam.

DE VNIFORMITATE spiritus cum Christo: in cuius defectu est hominis reprobatio.

Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Matth. 15.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Eph. 1.

Luc. 11. QVi non est cum CHRISTO IESV, aduersus ipsum est, & qui non colligit cum eo, dispergit. Necessaria est vniformitas spiritus, si saluari velimus. Lex spiritus vitæ in Christo IESV liberauit me à lege peccati & mortis, ait Apostolus.

Rom. 8. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Vnde accidit quod qui inuenientur dissimiles in spiritu, nihil debeant expectare quàm eradicationem & ignem; quia plantatio non est quam plantauit pater cœlestis. Tales autem sunt qui ad exteriora solùm se extendunt, interiora penitus negligentes, qui secundum carnem ambulãt, qui sapiunt quæ carnis sunt, & sic Deo placere non possunt. Nam prudentia carnis, mors est. Animalis homo non percipit quæ Dei sunt. Quia quod natum est ex carne, caro est. Caro autem & sanguis

Ioh. 3. regnum Dei non possidebũt. *Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur.* Stupendum hoc verbum est; neque etiam minus terribile istud: *Omnem palmitem in me non ferentem*

Ioh. 15. *fructum, tollet eum pater.* In vno dicit, eradicabitur, in altero, tollet. Ad quid valet eradicata plantatio? ad quid pariter palmes excisus? vtique ad ignem & combustionem.

A Nunc igitur mysterium intelligite. Oportet vt pater plantet, & vt fructum in filio feramus. Sic enim dicit Sanctus Paulus; *Proposuit Deus instaurare omnia in Christo.* Sed si maneamus in illo, & ipse in nobis, sicut dicit: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Si quis autem in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent. In hoc clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Tales autem efficimur si in dilectione eius maneamus, & præcepta seruemus; si ex corde, & non solùm ceremoniis honoremus.

Nam talis est Euangelij sensus, vbi Dominus

B postquam legales ceremonias Pharisæorum reprehendit, & externam munditiam eorum, atque illegitimam traditionem, dicit illis. Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite & intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Quasi diceret: mandatorum præuaricatio est quæ inquinat, & peruersa intentio cordis, quæ statim prodit exteriùs, vt explicat in his quæ sequuntur. (hoc intelligite hæretici, & nolite errare.)

Quomodo præuaricatio, non autem quod intrat in os, inquinat hominem, contra hæreticos.

C Tunc enim accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc scandalizati sunt? (quorum videlicet munditia exterior tantùm erat, & in ceremoniis, non in veritate & custodia præcepti.) Quare respondens ait: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Ecce quales sunt hæreticorum ministri, cæci & duces cæcorum, qui verba Christi malè aliis interpretantes simul in foueam cadunt.

Et quæso parabolam istam ab ipso Christo explicatam audiamus, & illius sensum penitus contrarium hæreticis. Respondens enim Petrus dixit

D ei: Edissere nobis. Vbi tunc Dominus dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem? De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, blasphemiæ, furta, falsa testimonia. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, hoc non coinquinat hominem. Quomodo solùm scandalizabantur Scribæ & Pharisæi de discipulis Domini, quod non lauabant manus suas cùm panem manducabant, & sic transgrediebantur traditiones seniorum. Quibus ideo respondens Christus ait:

E Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram, qui ceremoniis exterioribus adhærentes, veritatem præcepti negligitis, & obseruationem contemnitis? Nam dicebant isti, sufficere parentes exteriùs honorare, & munus illis ostendere destinatum Deo; non autem de eo ipsorum miseriam subleuare: sed satis esse, dicere illis; Munus quodcunque ex me est, tibi proderit. Et sic irritum faciebant mandatum Dei, qui dicit: Honora patrem & matrem. Propter quod igitur dicit illis IESVS; Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.

Itaque

Itaque hic ſatis notum eſt quid à nobis potiſ- A ſimùm Chriſtus poſtulet. Cor noſtrum eſt, de quo exeunt bonæ, vel malæ cogitationes, quæ ſanctificant, vel coinquinant hominem. Hinc in Prouerb. ait; *Fili mi prabe mihi cor tuum.* Et ad Epheſ. coram Deo humiliat ſe Apoſtolus, & orat flectens genua ad patrem Domini noſtri IESV Chriſti, vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, virtutem corroborari per Spiritum eius in interiori homine, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris. Hæc eſt enim plantatio patris, ſi filius manens in nobis ipſe faciat opera, & ſi in eo manentes, fructum in ipſo feramus. Adeò vt ſit ſpiritus eius in nobis, qui teſtimonium dat ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei; cùm videlicet quæ ſpiritualia ſunt, & æterna quærimus. B Nam talis eſt ſpiritus veritatis, ait ipſa veritas, vt cùm venerit, doceat vos omnem veritatem, id eſt, verum à falſo diſcernere, cœleſtia à terrenis, & quę interiora ſunt, ab externis & perituris. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.*

Prou.23. Epheſ.3. Ioh.16.

Quis eſt ille ſpiritus rectus? Chriſti eſt, cuius eſt mundare interiora cordis, & ſic teſtimonium perhibere de Chriſto habitante in nobis. Sic in Ezech. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris: & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum. Spiritum meum ponam in medio veſtri, & au- C feram cor lapideum de carne veſtra, & eritis mihi in populum, & ego vobis in Deum. Idque propter communicationem ſpiritus Dei, ſicut dicit; & ponam ſpiritum meum, & auferam cor lapideum, illud cor, de quo malæ cogitationes exeunt. Spiritus ſi quidem Dei, & cordis humani & carnei, tales ſunt diuerſi fructus Gal.5. vbi dicitur: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. hæc enim ſibi inuicem aduerſantur. Opera carnis quæ ſunt? fornicatio, contentiones, inuidiæ, homicidia, ebrietates, &c. Quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Sicut è contrà, fructus ſpiritus, charitas, D pax, patientia, fides, modeſtia. Et qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum concupiſcentiis.

Ezech.36. Galat.5.

Operum differentiam videtis ex differentia ſpiritus qui eſt in nobis, ſiue Dei, ſiue hominis. Quare ad Epheſ. nos Apoſtolus exhortatur, vt depoſito vetere homine, nouum induamus. Hoc igitur dico, ait, vt iam non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, qui propter cæcitatem cordis ſemetipſos deſperantes, tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam, &c. Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum, ſi tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis. Deponite vos igitur ve- E terem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. (notate omnia.) Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Ille nouus homo quem induimus, Chriſtus eſt, vt ſecundum eum viuamus. Sic Galat.3. Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Vnde ad Rom. idem dicit Apoſtolus: Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, bene placens, & perfecta.

Operum differentia ex differentia ſpiritus in nobis. Eph.4. Gal.3. Rom.12.

In tribus hic ponit Apoſtolus omnem perfectionem hominis Chriſtiani. Primò, vt ſæculi forma deponatur, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Secundò, vt noua forma vitæ aſſumatur, videlicet ſpiritualis, cœleſtis, & diuinæ. Si qua enim noua creatura in Chriſto, vetera tranſierunt. Tertiò denique, vt voluntas Dei fiat in omnibus. In quo eſt perfecta vniformitas ſpiritus cum Chriſto: quæ vnio eſt animæ noſtræ & potentiarum eius cum Deo, ſicut rogabat & dicebat Chriſtus ad patrem: *Volo vt vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Adeò vt hac vniformitate & vnionis gratia, creatura Deum ſuum in omni loco & in omnibus inueniat, & dicat, Deus meus & omnia; perfectè vniat ſe cum illo, in momento & in ictu oculi, in cunctis operationibus ſuis tam internis quàm exterioribus, vt in illis, atque in omnibus voluntatem Dei agnoſcat, veneretur, & illam ſtatim exequatur ex toto corde ſuo & viribus. Vnde fit vt omnia faciat ſine affectione vlla inordinata, ac proprietate; omnibus creaturis vtatur & occaſionibus, tanquam gradibus quibus ad Deum aſcendit, & ſemper vniatur illi, quærens non quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV Chriſti.

2.Cor.5. *Quid ſit vniformitas.* Ioh.17.

Hæc eſt arbor quam plantauit pater æternus, quæ radicata in filio fert fructum in eo, & permanet in vitam æternam. *Omnis autem plantatio quam non plantauit pater meus cœleſtis,* dicit Dominus, *eradicabitur*, vt non afferat fructum, & comburatur. Timeo certè ne plures ſint eiuſmodi plantationes, eradicandæ vt malæ, atque inutiles. Heu! ſi dixit aliquando Chriſtus: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet pater.* Quid de illo dicendum qui nullum, vel certè malum profert? *Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur.*

Nos aliquando bonæ arbores ſumus, aliquando malæ. Deus nos arbores bonas fecit, & nos malas facimus, iuxta S. Auguſt. qui dicit in Iohan. quoniam duo ſunt in homine, homo & peccator. Quod audis, homo, Deus fecit. Quod audis, peccator, homo fecit. Sic apud Ieremiam Deus dicit: Ego plantaui te vineam electam, omne ſemen verum. Quomodo conuerſa es mihi in prauum vinea aliena? eradicaberis, vt in ignem mittaris. In prauum conuerſa es, & non videbis niſi tuam prauitatem. Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te. Scito & vide, quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum.

Homo diuerſo reſpectu arbor bona & mala. S.Aug.tract. 13.in Ioh. Ierem.2.

Hoc certè erit vnum ex maximis tormentis damnatorum in Inferis, quod ſemper ante oculos habebunt prauitatem cordis ſui, & conuerſionem ad ſeipſos. Ita pſal.49. Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam; id eſt, ſecundum Auguſt. retorquebo te ad te, ſtatuam te contra te, & de te tormentum faciam. Continuam in te reprehenſionem ſenties, & conuerſio tua ad te, ſicut auerſio iugiter increpabit & cruciabit te. Intelligite hæc qui obliuiſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat; ne quando eradicet, & non ſit qui ab igne liberet. O quis talia non horreſcat, & formidet?

Dānati torquebuntur à ſeipſis. Pſ.49.

S.Bern. vinea electiſſima, timere ſe teſtatur, & dicit. Paueo gehennam, paueo ignem, paueo Iudicis vultum ipſis etiam tremendum Angelis. Contremiſco ab ira potentis, à facie furoris eius,

S.Bern.

à fragore ruentis mundi, à verbo (succidite & eradicate arborem,) à voce Archangeli & tubæ. Contremisco à dentibus bestiæ infernalis: à ventre Inferi, & à rugientibus præparatis ad escam. Horreo fumum, vaporem, sulphur, tenebrasque exteriores, ignem torrentem, & vermem rodentem, ignem qui non extinguetur in æternum, & vermem qui non morietur. Arguam te, auersio tua increpabit te, & tua ad teipsum conuersio cruciabit te. Quomodo conuersa es in prauum vitis alienæ?

Dupliri sensu accipitur arbor non plantata à Deo.

Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur. Sensus igitur verborum istorum, iuxta S. Hieronym. & Origenem, duplex est. Primus, eos qui cùm plantati sunt à Deo vinea electa, versi sunt in prauam, fructum ferre non posse. Secundus, qui seipsos talem vineam prauam plantauerunt, vigere diu non posse, & fructum aliquem ferre: & sic illos omnes vt reprobos abscindendos esse, & in ignem æternum mittendos, nisi conuertantur ad Deum, & bonæ arbores euadant gratia eius. Etenim, siue hic absolutè loquatur Deus de reprobatione, siue non, vult semper dicere, illos perditos homines qui Spiritum Dei non sequuntur, sed sensum suum & traditiones suas, dimittendos esse, vt statim dicit; Sinite illos, cæci sunt: vel etiam eradicandos, si in sua cæcitate permaneant, & nullum fructum dent fidelitatis.

Sensus communior & litteralis.

Tales autem sunt hæretici, & eradicabuntur. Tales auari, impudici, & peccatores omnes, qui pariter eradicabuntur, vt in Apocalypsi dicitur: Foris canes, impudici, homicidæ, & Idolis servientes. *Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur:* id est, plantatio quæ ex se est, & Spiritu Dei non regitur. Qui enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Spiritus est, & Spiritus Christi in nobis, qui testimonium dat spiritui nostro quod sumus filij Dei. Misit enim Deus Spiritum filij sui in corda vestra, dicit Paulus Gal. 4. clamantem Abba pater. Itaque vt filij Dei nunc viuamus, & Spiritu Christi, per quem adoptionem filiorum recepimus. Et sic satagite fratres, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, fugientes eius quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Maxima enim & pretiosa nobis promissa donauit, (scilicet Spiritus vitæ) vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.

Apoc. 22. — Rom. 8. — 2. Pet. 1.

DE ACQVISITIONE Regni Dei per Christum, & vocatione nostra ad illud.

Alijs Ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum. Luc. 4.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Eph. 1.

NIHIL est in Christo IESV Domino nostro, quod non prædicet regnum Dei. Tantum A opera prædicant, quantum verba, sicut Iohan. 1. legitur; *Quod factum est in ipso, vita erat:* videlicet, quia omnia quæ Christi erant, siue verba, siue actiones, miracula, & passiones, sicut etiam mors, hæc omnia nobis vita erant. Sic hodie in domo Simonis, eius verba, actiones & miracula, vita sunt non tantùm infirmæ quæ tenebatur febribus, sed adhuc & omnibus illis qui sequuntur ipsum, & requirunt, vt authorem vitæ, & missum à patre euangelizare vniuerso orbi regnum Dei, sicut ex Euangelio constat.

Surgens IESVS de Synagoga in Capharnaum, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt B illum pro ea; quam statim febris dimisit propter imperium eius. Et sic continuò surgens ministrabat illis. Cùm autem Sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum, qui singulis manus imponens curabat eos. Adeò vt in multis clamarent dæmonia dicentia, quia filius Dei erat, & Christus Messias promissus. Quare facta die cùm egressus iret in desertum locum, & à turbis, quæ requirentes venerant vsque ad ipsum, detineretur ne discederet ab eis, dixit illis: Quia & aliis Ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum.

Sanè ex tot sanitatibus collatis & mirabiliter C peractis in corporibus à Christo, iam satis potest videri ad quid potissimùm venerit, scilicet vt spirituales infirmitates sanaret, quæ sunt peccata. Sic enim Deus proposuit instaurare omnia in Christo, qui dicit per Isaiam: *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Etenim sola eius bonitas impulit ipsum vt in terram veniret, & sanaret nos. Quia magnus vbique iacebat ægrotus, ait S. August. magnus ideo venit medicus. Et manum tenens febricitantis hodiernæ mulieris, iuxta S. Marcum, imperat febri, & dimisit illam febris. Vbi Sanctus Chrysolog. Videtis quomodo dimittit febris, quam tenuerit Christus. Ibi non stat infirmitas, vbi author salutis assistit. Illuc acces-D sus mortis nullus est, vbi viuificatoris ingressus est. Sed quæ necessitas erat tangendi, vbi inerat ius iubendi? Tenuit, inquit, manum mulieris Christus ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem: vt quod manus præsumentis amiserat, manus repararet authoris, & de vita acciperet indulgentiam manus, quæ carpserat de morte sententiam.

Isa. 43. *Bonitas Christi coegit ut sanaret nos.* — Marc. 1. — S. Chrysol. — *Quare manum Christus tenuit mulieris febricitantis.*

Hæc igitur prima causa est Dominici Aduentus; sanare naturam nostram infirmam suis febribus: vno verbo, pugnare mundum peccatis. Dicetis fortè: Quænam sunt febres nostræ? Audite iam ex Sancto Ambrosio. Febris nostra auaritia est: febris nostra libido est: febris nostra E ambitio est. Omne quod in mundo est, aut est concupiscentia carnis, & oculorum, aut superbia vitæ. Ecce quibus magnis febribus agitatur mundus, & quibus etiam ipsum sanare venit Christus: vt post sanitatem redditam, vtiliùs nobis euangelizet regnum Dei. Prædicari enim non debet nisi sanis; vnde in Isa. ait: Ad annunciandum mansuetis misit me, primò, vt mederer; deinde vt prædicarem indulgentiam captiuis, annum Domini placabilem, quod est regnum Dei. Et hæc ratio est secũda ipsius aduentus in mũdum, sicut dicit ipsum retinere volentibus: *Quia & alijs Ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei,* id est,

Omne peccati febris est. — S. Ambros. — Isa. 61.

id eſt, omnibus; *ideo enim miſſus ſum*, ſicut diſpoſuit pater in me omnia inſtaurare. Miſſus ſum enim, vt vniuerſalis Reparator omnium.

Matt. 15. *Quomodo intelligatur ad omnes veniſſe, cũ non ſit miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël.* Hic autem aliqua difficultas occurrit, eo quod Matth. 15. dicat loquens ad Chananæam, quod non ſit miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël: hodie verò dicat ad omnes, ſicut etiam ab Angelo vocatus eſt mũdi Saluator, taleque nomen ſibi vſurpat; & ad Timoth. ita Apoſt. dixit, Chriſtus eſt Saluator omnium, maximè autem fidelium, & quia vult omnes homines ſaluos fieri. 1. ad Tim. 2. & 4. Sicque in multis aliis locis reperimus pro omnibus veniſſe, tam pro Gẽtibus quàm Iudæis, vt hodie dicit: *Aliis Ciuitatibus oportet me euãgelizare*, &c. Quomodo ergo illa duo inter ſe conueniunt?

Reſpondemus primò, miſſum quidem fuiſſe ad omnes, interim tamen ad Iudæos ante omnes, quia illis fuerat promiſſus. Vnde etiam ex iuſtitia illis venit, vt ad Rom. Apoſtolus refert: Dico autem IESVM Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, ad confirmandas promiſſiones patrum. Rom. 15. Gentibus ex miſericordia venit, vt Zacharias dicit Luc. 1. per viſcera veniſſe miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos Oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent. Iudæis igitur datus eſt ex iuſtitia, & Gentibus ex miſericordia. Luc. 1.

Secundò, quia quamuis principaliter propter Iudæos venerit, quia tamen noluerunt ipſum recipere, ideo ad Gentes & ad omnes directus eſt, vt Paulus & Barnabas Iudæis dixerunt in Actis. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus. Et gauiſæ ſunt Gentes, & glorificabant verbũ Domini. Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitã æternam. Act. 13.

Ecce igitur vnde ad nos conuerſus IESVS dicat: *Quia & aliis Ciuitatibus oportet me euangelizare regnũ Dei*, id eſt, omnibus: ſicque erat prædicans in Synagogis. Quid prædicãs? regnum Dei. Tale eſt Chriſti munus ſibi à patre commiſſum. Matt. 4. legimus quod prima prædicatio Chriſti fuit de regno Dei, cùm de monte & deſerto egreſſus, exinde prædicare cœpit, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnũ cœlorum; & ſic ſemper prædicationẽ ſuã proſequitur. Matt. 6. docet ante omnia quærendum eſſe. Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ, &c. quærite primùm regnum Dei. Sic Matth. 10. mittens duodecim Apoſtolos, præcipit eis, dicens: Euntes prædicate, dicentes quia appropinquauit regnum cœlorum. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos: vt quemadmodum ego, doceatis quia à diebus Iohannis regnum cœlorum vim patitur. Quid dico patitur, cùm iam petentibus, quærentibus, ſed & volentibus concedatur? Etenim noſtrum eſt, & nobis nunc ingenti pretio comparatum. Quod enim obſeratum erat olim, nec vlli peruium, modò omnibus apertum eſt, ſicut Apoſtolus dicit: *Habemus fratres fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti.* En ratio & pretium fiduciæ noſtræ, & cur etiam Petrus Apoſt. vrget nos, vt per bona opera certam vocationem noſtram & electionem faciamus. Sic enim, inquit, abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri & Saluatoris IESV Chriſti: quia nimirum in ſanguine ipſius hanc fiduciam habemus. Matt. 4. Mat. 6. & 10. Heb. 10. 2. Petr. 1.

Interea, ô immenſam miſeriam noſtram! licet hæc ita ſint, quod nimirum regnum patris nobis

A Chriſtus ſanguine acquiſierit, euangelizet nobis, & nos ad illud conuocet, tamen negligimus, quaſi ad nos non pertineat, & nemo eſt quem iactura afficiat. Videtur mihi ad hoc propoſitum, triplex genus eſſe hominum, qui diuerſimodè ſe habent erga regnum cœlorum. Alij ſunt qui vt ſibi acquiſitum conſiderant, & eò tendunt ſemper, digna hoc præmio opera facientes vt filij Dei, cohæredes autem Chriſti. Alij, qui multa quidem de hoc regno loquuntur, vt pertinente ad illos: ſed nolunt laborare vt ſibi comparent, itinerìſque difficultate perterriti reuertuntur, nec alios etiam eò contendere ſinunt, ſimiles illis duodecim exploratoribus de filiis Iſraël, qui iam explorata terra pro- *Triplex hominũ genus diuerſimodè regnum Dei conſiderãtiũ.* Num. 13.

B miſſionis, omnique regione circuita, reuerſi & perterriti fortiſſimis habitatoribus eius, noluerunt redire, atque etiam aliis perſuaſerunt vt non ingrederentur in illam. Alij denique, qui illa bona cœleſtia vt penitus aliena, & ad ſe non pertinentia contemplantur, admirantur quidem, ſed non afficiuntur; illorum more qui in itinere palatium aliquod ampliſſimum & ornatiſſimum aſpicientes, eius quidem pulchritudinem admirantur, multáque de eo inuicem conferunt: ſed inde vt prætereuntes ad ſuas caſas luteas diuertunt. Sic inquam eſt de multis qui ita viuunt in terris, ac ſi exiſti-

C marent nullo pacto ad eos Cœlum pertinere.

Quæſo, Chriſtiani, de hac Cruce cui Dominus affixus eſt, intelligite quo pretio regnum cœlorum veſtrum eſt: quo pignore vos ad illud inuitat, quo clamore & valido illud euangelizat vobis. Ecce enim pro reuerentia ſua vobis à patre exauditur, & de Cruce vnus latro cum ipſo Cœlum ingreditur. Fiduciam habete fratres: acceſſiſtis enim, dicit Apoſtolus eius, ad mediatorem, & ſanguinem melius loquentem quàm Abel. Clamat enim vt introëatis. Quia qui miſit eum, vt ſic clamitet ad vos, aſcendere iuſſit eum, vt Ierem. dicitur. Aſcende Libanum & clama; & in Baſan da vocem tuam, & Ierem. 22.

D clama ad tranſeuntes, quia contriti ſunt omnes amatores tui, id eſt, quos amas, & qui te amare debent, indurati ſunt. Clama, & quid clamabo? vt pœnitentiam agant, & conuertantur, quia appropinquauit illis regnum cœlorum. Per te, ô fili, viæ illis apertæ ſunt. Clama. Et ille ad peccatorem conuerſus clamans ait: Locutus ſum ad te in abundantia tua, & dixiſti, non audiam. Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini.

O vos omnes quos terrenorum ſollicitudo occupat, audite. Audite quid Matth. 21. dicat. *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur gẽti facienti fructus eius.* Timete ne vobis accidat idẽ quod Reginæ Vaſthi. Eſther 1. Rex Aſſuerus iubet introduci ad ſe Reginam hanc Vaſthi, poſito ſuper caput eius diademate, vt oſtenderet cunctis po- Eſther 1.

E pulis pulchritudinem eius. Quæ renuit, & ad Regis imperium venire contempſit. Quid inde factum eſt? Egreditur edictum à facie Regis, ex conſilio ducum & principum Perſarum, vt nequaquam vltrà Vaſthi ingrediatur ad Regem, ſed regnum illius altera, quæ melior eſt illa, accipiat. Ita quidem erit de iis qui hodie vocati ſunt ad regnum, & non ſuſcipiunt; de honore ſuo, ſicut Vaſthi, in opprobrium ſempiternum incident, ſicut per Ieremiam ait Dominus: Propterea ecce ego tollam vos, & dabo in opprobrium ſempiternum, & in ignominiam æternam, quæ numquam obliuione delebitur. Hæc eſt via tua: Quia non audiſti vocem meam, confunderis & erubeſces ab omni malitia tua. Ierem. 23.

Item 13. Verùm cap. 13. huius prophetæ, vnum valde notandum est, quod scilicet comparat nos Deus lumbari, quod in Euphrate absconditum postea computruit, nulli aptum vsui. Ita, inquit Dominus, sicut lumbare ad lumbos viri adhæret, sic agglutinaueram mihi omnem domum Israël, vt essent mihi in populum. Sed quia noluerunt audire verba mea, & ambulant in prauitate cordis, iam putrescere faciam, & erunt sicut lumbare istud quod nulli vsui aptum est. Tanta est indignatio Dei conuertentis amorem suum in furorem erga eos qui negligunt eum. Ista, quæso, comparatio ponderetur. Et quia beneplacitum est illi tanto cum amore sic nos ad regnum suum vocare, ipsum audiamus, & nihil præter regnum Dei, & iustitiam eius quæramus.

DE VIRTVTE ET EXcellentia diuinæ gratiæ nobis datæ per Christum.

Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ioh. 4.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Ephes. 1.

Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt. 2. Cor. 5.

NEMO poterat nobis aperire Cœlum, nisi qui de Cœlo descendit IESVS Christus. Heri prædicantem ipsum hoc regnum æternum audiebamus: nunc offerentem gratiam & modum perueniendi ad illud, audimus, & iuxta puteum Iacob, puteum & fontem aquarum viuentium inuenimus. Omnes sitientes venite ad aquas. Isaiæ 55. Et qui non habetis argentum, properate, absque argento & vlla commutatione emite: gratis hodie dantur aquæ, quia gratiæ sunt. Ps. 67. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.*

Ecce hodie segregatur, & voluntariè offertur mulieri Samaritanæ, vt nostrum Euangelium enarrat, dicens quod IESVS Iudæam relinquens, vt abiret iterum in Galilæam, venit in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, quod est interpretatum, inebriare. O Domine IESV, ciues Samariæ statim cum Samaritana inebriabuntur ab vbertate tua, & torrente voluptatis gratiæ tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ: neque enim Iacob habet, sicut tu, puteum viuentis aquæ. Venit ergo in ciuitatem Samariæ IESVS, iuxta prædium quod dedit Iacob filio suo Ioseph; erat autem ibi fons Iacob. IESVS ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem, mulierem Samaritanam expectans, quæ veniebat haurire aquam. Cui ait: Da mihi bibere. O mulier, si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam, qui fons est. Sed quid dicit ei mulier? Domine, vnde habes aquam viuam? neque

Quid significat Sichar.

A enim in quo haurias habes, & puteus altus est. Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum? Respondit IESVS, & dixit ei; Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. O Domine, dicit ad eum mulier, da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire. Et dicit ei IESVS: Vade, voca virum tuum, & veni huc. Apud me est fons vitæ, & qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Verè dixisti: Non habeo virum, (sic enim mulier responderat.) Quinque enim B habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir, mulier peccatrix es. O mulier, si scires donum Dei. Sed Domine, dicit ei mulier, video quia propheta es tu; (admirabile colloquium istud est.) Et scio quia Messias venit, qui dicitur Christus, ipsum expectamus. Cùm ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia. O mulier, si scires donum Dei. Ego sum, dicit ei IESVS, qui loquor tecum. Et continuò venientibus discipulis qui abierant in ciuitatem, vt cibos emerent, admirantibúsque quia cum muliere loquebatur, illa reliquit hydriam suam, & abiit in ciuitatem, dicens hominibus: Venite, & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci; numquid ipse est Christus? Qui egressi veniebant ad eum, dum rogabant C eum discipuli, & dicebant: Rabbi, manduca. Ille autem illis dicebat: Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius, conuertens animas, vt dem omnibus aquam viuam, & quod perierat quæram & saluum faciam. Ecce dico vobis: Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem. Statim enim exinde factum est quod Samaritanorum multi qui venerant, & viderant quæ faciebat, credebant in eum, & dicebant mulieri: Quia non iam propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audiuimus & scimus quia hic est verè Sal-D uator mundi. Sic Deus proposuit instaurare omnia in Christo, inquit Apostolus.

Ex hoc discursu tria præcipua notanda occurrunt. Primum est, vnde gratia sit. Secundum, quæ natura & vis illius. Tertium, quid requirat à nobis. Quantum ad primum. Gratia ab illo est, qui dicit: Qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam; sicut hodie dicit Samaritanæ: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei; non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. O mulier, si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi, qui fons est & plenitudo aquæ viuæ.

Tria notanda sunt de gratia.

1. Gratia est à Christo. Ioh. 6.

E S. Thom. plenitudinem dicit & fontem gratiarum sic attribui Christo, vt eam habuerit secundum perfectissimum modum quo haberi potest, iuxta quod S. Iohan. dicit: Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis, & de plenitudine eius omnes accepimus. Hoc autem duplici ex causa. Prima, ex propinquitate animæ Christi ad ipsam causam gratiæ, quæ est diuinitas. Quanto enim aliquid propinquiùs attingit causam influentem; tanto etiam de illa abundantiùs & pleniùs recipit. Sic autem est de anima Christi respectu diuinitatis causæ omnis gratiæ. Secunda, ex comparatione & latitudine eius ad omnes effectus & operationes gratiæ in aliis: sic enim gratiam accepit,

S. Tho 3. p. q. 7. art. 9.

Ioh. 1.

Duplici ex causa est omnis plenitudo gratiæ in Christo.

accepit, vt ex eo in alios transfunderetur, sicut S.Ioh. annotauit dicens,& de plenitudine eius omnes accepimus.

Duplicitèr consideratur plenitudo gratiæ. Quod vt meliùs intelligatur, sciendum est dupliciter attendi posse plenitudinem gratiæ. Vno modo ex parte ipsiusmet gratiæ:alio modo ex parte recipientis subiecti. Ex parte gratiæ, quando illa plenitudo pertingit ad summum & quantum ad essentiam,& quantum ad virtutem:ita vt quantum ad essentiam, in maiori excellentia esse non possit secundum naturam; nec in maiori extensione ad effectus secundum virtutem. Ex parte verò subiecti, quando quis secundum suam conditionem & mensuram eam recipit.

B Iam verò vtroq; modo plenitudo ista propriissima est Christo, in quantum est vnigenitus patris, Quomodo plenitudo gratiæ propriè Christo conueniat. iuxta quod dixit S.Ioh. Vidimus eum quasi vnigenitum à patre, plenum gratiæ & veritatis:quasi diceret, sicut proprium est Christo, esse vnigenitum à patre, sic ei proprium est plenum esse gratiæ. Vnde sicut nihil potest mereri homo ad vitam æternam absque gratia, cùm sit talis vita & finis omnem proportionem excedens naturæ nostræ & propriæ virtutis; ita dico absque Christo authore & principio omnis gratiæ, nihil nos posse, sicut aliquando ipsemet dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Quantum homo à gratia Christi dependeat. C Adeò vt etiam dicat S. Aug. lib. de natura & gratia, & post ipsum Angelicus Doctor, iam iustificatum per gratiam, alio adhuc indigere auxilio gratiæ, ad hoc quidem vt bene viuat, & à peccato abstineat. S.Aug. lib de natura & grat. c. 26. S.Th. 1. 2. q. 109 art. 9. Et hanc affert similitudinem S. August. quod sicut oculus iam sanus plenissimè, interim nisi candore lucis adiutus, cernere non potest: sic homo perfectissimè etiam iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, rectè viuere non potest. Absque me nihil potestis facere, qui lux sum mundi, & fons vitæ, via, veritas, & vita, α & ω, principium & finis.

D Indéque est quod hodie gratiam donum Dei appellat: Si scires donum Dei; séque fontē gratiæ: & quis est, qui qui tibi dicit, da mihi bibere, desideriū meum imple, præbens mihi cor tuū, tu forsitan petisses à me, & dedissem vtique. Aquam dedissem quę salit in vitam æternam. Hoc namque modo dicitur fons ex quo bona omnia procedūt, vt is in quo reconditi sunt omnes thesauri, & in cuius labiis omnis gratia diffusa est ad nos: in quo denique, ex quo, & per quem nobis donantur omnia ad vitam æternam. Vnde ipse dicit se venisse, vt omnes vitam habeant, & abundantiùs habeant. Ioh. 10. Quomodo per Ezech. ait: Transiens per te, vidi te conculcatam in sanguine tuo, id est, iuxta S.Hier. in peccatis tuis; Ezech. 16. & dixi tibi cùm esses in sanguine tuo, viue. Dixi, inquam, tibi in sanguine tuo, viue, viue, ô anima viue. Ecce equidem ad quid Christus venit, vt per ipsum, & ex ipso vitam haberemus, ipsoque ex fonte hauriremus.

E Propterea ex itinere fatigatus est, qui à summo Cœlo egressus est, & vt citiùs veniret ad nos, exultauit vt Gigas ad currendam viam, vbique nos expectans, & clamans: Si quis sitit, veniat ad me. Ioh. 7. Fons egredietur de domo Domini, & irrigabit torrentem spinarum. Ioel. 3. Venite ad me omnes qui laboratis, Matth. 11. & onerati estis, & ego reficiam vos. Ecce ex itinere fatigari volo, & vestros labores assumere, vt vos & quietem meam assumatis. Venite ad me omnes, ad hoc enim veni ad vos. Qui hauriet ex puteo Iacob, & cisterna dissipata mundi, quæ non valet continere aquas, fatigatus erit, & adhuc laborabit in finem: & qui biberit ex eis, sitiet iterum.

A Qui autem ex me fonte aquæ viuæ, replebitur in bonis, & non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis, &c.

Ecce (quantum ad secundum quod notandum est,) natura & conditio diuinæ gratiæ. 2. Quod notandum de gratia, est quod sit æterna. Semel accepta gratia, ex sua natura in æternum manet: æternæ cum peccato durationis est; vtrunque enim sua conditione est æternum. Peccatum stat, nisi Deus ipsum deleat: sic gratia, nisi illam homo peccando destruat. Verùm prætermisso peccato, in conditionibus gratiæ maneamus: & hic præsertim tres consideremus. Triplex conditio gratiæ. 1. Æternitas. Prima igitur est, quod qui illam semel accepit, in æternum suscipit, modò ne proiiciat; eiicit autem qui peccat, nam ex sua natura perpetua est. Quare 1. ad Thess. 5. de Spiritu sancto dicitur fonte diuinæ gratiæ; *Nolite extinguere Spiritum*, videlicet, quia semel infusus & accensus in nobis perpetuò manet, nisi extinguamus. Quare Christus hodie discrimen ponere voluit inter aquam spiritualem, & corporalem; quod ista, scilicet corporalis, per se & natura sua euanescit & corrumpitur, cùm ait: *Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum.* Illa autem, scilicet spiritualis, natura sua manet & est æterna, semper viua, & satietatem æternæ vitæ tribuens. Vnde dicit: *Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.*

Quantum enim ad hoc quod dicitur Eccl. 24. Eccl. 24. *Qui bibunt me, adhuc sitient*; hoc intelligendum est de amore æterno, adeò vt illic sitire idem sit quod amare & semper concupiscere: quasi diceretur, ex gustu semper amor crescet, quod quidem in idipsum reuertitur, non sitiet quantum ad alia, in quo nimirum fons est aquæ salientis in vitam æternam.

Hæc est secunda conditio gratiæ, quod sit semen vitæ æternæ. 2. Conditio, semen vitæ æternæ. Ita ad Rom. Apostolus: *Stipendia peccati mors*, ait, *gratia autem Dei vita æterna in Christo* IESV *Domino nostro.* Rom. 6. Hoc quidem nobis hodie Christus declarare voluit, metaphora sumpta à fontibus aquam suam in altum propter ingentem copiam emittentibus, & si vi deferantur deorsum, statim natura sua sursum & vsque ad scaturiginis altitudinem prosilientibus: hoc enim fontium proprium est. Ita similiter dicitur de gratia, cuius est inprimis corda replere quæ penetrat, vt amplius non sitiant. Hinc dixit Dominus: *Qui biberit ex ea, non sitiet.* Quomodo enim quæ sunt mundi sitiret, qui fontem in visceribus habet qui ad Deum vsque pertingit? Vbi secundò altera vis apparet gratiæ, quæ adinstar fontis cœlestis ad nos deriuata à Deo, reuertitur ad ipsum, & nos ad ipsum similiter transfert & vnit, in quo vt in fonte permanet.

Vnde sequitur vltima gratiæ conditio, quod scilicet per illam diuinæ consortes efficimur naturæ, 3. Conditio, consortes facit diuinæ naturæ. vt S.Petr. dicit: Magna & pretiosa per Christum Deus nobis promissa donauit, 2. Petr. 1. vt per hæc, scilicet per gratiam, efficiamini diuinæ consortes naturæ. Et quantum ad essentialem præsentiam, hoc enim gratiæ proprium est, vt animæ præsentissimam reddat naturam diuinam, & Trinitatem sanctissimam. Et quantum item ad affectiones & qualitates diuinas, quia gratia eleuans animam supra se, eam ducit semper ad concupiscenda quæ Dei sunt, quod est participare naturam Dei, qui nihil affectat præter se. Ita quidem S.Augustin. dicit quia omnis amor habet vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis, S. August. in Ps. 121.

& necesse est vt ducat. Vnde nosse vis qualis sit amor? vide quò ducat. Amor immundus inflammat animam, & vocat ad terrena concupiscenda, peritura sectanda, & in ima præcipitat. Amor verò sanctus ad superna eleuat, & ad ea quæ non moriuntur animam excitans, de profundo Inferni leuat ad Cœlum, leuat ad Deum. Iste est gratiæ effectus, propter donum & qualitatem boni quam in anima ponit, quod non facit amor & gratia mundi.

Differentia gratiæ Dei in rebus constituit differentiam esse. Sap. 2. Duplex dilectio Dei. Quare iam pro differentia gratiæ & dilectionis diuinæ, quæ inuenitur in rebus quas Deus creauit, etiam inuenimus differentiam boni & esse. Vna est enim communis dilectio, secundum quam diligit omnia quæ sunt; & per hanc dedit bonum & esse naturale rebus. Alia est specialis dilectio, secundum quam trahit creaturam rationalem ad participationem diuini & æterni boni: & illa gratia est secundum quam dat esse supernaturale homini, qua ad Deum continuò tendit, & ius habet ad acquisitionem hæreditatis æternæ. Iuxta quod hodie dicit: *Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

3. Quod in gratia considerandum. Duo requisita. Desiderium. Iam restat ad tertium, vt consideremus duo requiri à nobis in gratia. Primum est, desiderium eius, & vt cum Samaritana dicamus: Domine da mihi hanc aquam; huius enim aquæ pretium voluntas tua est. Omnes sitientes venite ad aquas. Ecce qui venire debeant, sitientes. Properate, & qui non habetis argentum, emite. Gratia non argento emitur, sed desiderio. Vnde S. Gregor. Naz. *S Greg. Naz.* in hæc verba Isa. Si sine labore, & sine vllo negotio, tanto bono tibi licet potiri, cuius dementiæ est tantum bonum differre? Qui sititis, venite. O liberalitatem mirabilem! ô commercij singularem facilitatem! Ipsa voluntas tibi accipienda est pro magno pretio. Potum cœlestem propinat iis qui tantùm volunt bibere: beneficiumque accipit qui tantùm petit. Et quidem hoc maximè & ante omnia Christus voluisse videtur, cum mulieri dixit; Mulier da mihi bibere. Sitio, sed sitim tuam, quod desidero, desiderium est cordis tui. Numquam certè *2. Reg. 23.* Dauid tam ardenter postulabat potum aquæ de cisterna Bethleem, dicens: O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethleem! quàm Christus Dominus sitit & postulat desideria nostra. Interim ecce irruperunt tres viri fortes per media castra transeuntes Philistæorum, & hauserunt de cisterna, & attulerunt Dauid cum vitæ periculo. Nos autem ægrè feremus de cisterna cordis nostri absque vllo periculò haurire vota nostra, & dare Christo duci nostro salutem nostram sitienti? Nunc illa quæso ei offeramus omnes, quia & illa eius sitis est, quam nobis semper ardentissimam demonstrauit, de qua & in Cruce dixit; Sitio, sed in siti mea potauerunt me aceto.

Relinquere omnia. Secundum quod requirit gratia, est, vt propter eam omnia dimittamus. Hoc nobis rursus Samaritana ostendit, quæ statim atque loquutus est ei Dominus, reliquit hydriam etiam quam tenebat in manibus suis, & abiit in ciuitatem Christum prædicans, & dicens hominibus illis: Venite, & videte hominem qui dixit mihi omnia; numquid ipse est *S. Aug.* Christus? Vnde de illa S. Augustin. Mulier, audito, Ego sum qui loquor tecum, & recepto in cor Christo Domino, quid faceret, nisi iam hydriam dimitteret, & euangelizare curreret? Proiecit cupiditatem, & properauit euangelizare veritatem. Quare etiam sic eam nobis imitandam proponit. Discant qui volunt euangelizare, & proiiciant hy- A driam ad puteum. Venerat mulier ad fontem Iacob, inuentoque Christo meliore fonte, illum negligit, ex hoc haurit. Hæc exempla peccatricis & Samaritanæ honoremus, discamus ab ea gratiam quærere, omniaq; propter eã spernere, Christoque inuento meliore fonte, dimissis omnibus quæ impediunt nos ei adhærere, ipsum sequi, confiteri & omnibus prædicare.

DOMINICA QVARTA.

NOMINA ET ATTRIBUTA diuina, quæ Christo Reparatori conueniunt, ex Isa. 9.

IESVS ADMIRABILIS. Isa. 9.

Vbi De prouidentia diuina agitur & de prædestinatione.

Illi ergo homines qui manducauerant, cùm vidissent quod IESVS *fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè propheta qui venturus est in mundum.* Ioh. 6.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Eph. 1.

Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum. 2. Cor. 5.

HVc vsque IESVM Christum continuò incumbentem reparationi nostræ considerauimus. Sic enim iuxta Apostolum Paul. proposuit pater in ipso instaurare omnia, per quem facta sunt omnia. Tale fuit æternum consilium patris, quod in plenitudine tẽporũ filius adimpleuit, iuxta quod dicit cũ rediret ad patrem: *Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam*: & hoc certè opus *Ioh. 17.* aliud non erat quàm nostræ reparationis. Quare cùm non desistat adhuc ab illo opere nostræ salutis, sed illam hodie operetur in medio terræ, & *Reparatio nostra opus Christi. Isa. 9.* huius multitudinis magnæ, quam nouo miraculo sustẽtat, & mira prorsus operatione ad se cõuertit, agnitus à cunctis qui signum viderant, Reparator mundi, iustum & consentaneum videtur, vt modò ipsum contemplemur sub diuersitate nominum & diuinorum attributorum, quæ illi ex opere & merito salutis nostræ acciderunt, & tanquam Reparatori imposita sunt. Sic enim Isaias postquam de eo loquutus est & prædixit vt futuro Reparatore omnium, dicens: Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius; statim adiungit nomina, titulosque gloriæ & honoris. Et vocabitur Admirabilis, Deus, Consiliarius, fortis, pater futuri sæculi, &c. Hæc sunt nomina quæ ipsi vt Reparatori conueniunt, hodieque Admirabilem Euangelium prædicat, vt est in oculis & ore omnium.

Cùm

Cùm abiisset Iesus trans mare Galilææ in montem, & subleuans oculos vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, videns signa quæ faciebat, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes vt manducent hi? sciebat autem quid esset facturus. Et respondit Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis. Sed alter ex discipulis Andreas frater Simonis Petri dicit: Est puer vnus hic qui habet quinq; panes hordeaceos,& duos pisces; sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo IESVS: Facite homines discumbere super fœnum. Et cùm discubuissent numero quasi quinque millia, accepit IESVS panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus quantum volebant, & dixit discipulis: Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant; & duodecim cophinos impleuerunt. Illi ergo homines cùm vidissent quod IESVS fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta qui venturus est in mundum;& volebant rapere vt facerent eum Regem.

In cunctis quidem Christus est admirabilis, taléinque ipsum prædicant opera eius Super omnia autem quod virtutem habeat trahendi ad se hominum corda, totúsque mundus confitendæ Majestatis eius sensum accipiat. Non amplius itaque

Esther 15.

Esther de suo Assuero dicat: Valde admirabilis Domine es tu,& facies tua plena est gratiarum; video te quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Hoc, inquam

Admirabilis virtus Christi in pertrahendo homines ad se.

S Hieron. in Matth.

non amplius de Assuero, sed de Christo est dicendum, cuius solùm est replere omnia timore gloriæ suæ, & splendore Majestatis homines ad se, & in admirationem sui pertrahere Et certè, iuxta S. Hieron. nescio quis fulgor erat in eo & Majestas diuinitatis occulta, quæ in humana etiam facie relucebat, vt ex primo ad se videntes attrahere posset aspectu. Nam si in magnete occulta vis est attrahendi ferrum ad se,& copulandi sibi: quanto magis in Christo erit, Domino creaturarum, respectu hominum? de quo & dicitur: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.*

Luc. 4.

S. Gregor. homil. de Magdal.

Hinc equidem S. Gregorius de Magdal. conuersione, & attractione eius loquens, dicebat. Quid miramur fratres, Mariam venientem, an Dominum suscipientem? suscipientem dicam, an trahentem? Sed meliùs dicam trahentem & suscipientem, quia nimirum ipse eam per misericordiam traxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris. Sic Sponsa iam amore tracta, cupit continuò trahi dicens in Canticis: Osculetur me osculo oris sui.

Cant. 1.

Ideo adolescentulæ dilexerunt te, trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Sic & amicus Sponsi & Spôsæ in Cantica S. Bern. Speciosus forma, quem sequimur, cui adhæremus, totus desiderabilis, in quem non solùm populi, sed & Angeli desiderant prospicere.

S. Bern.

Sic ergo pertrahendo omnia ad se, admirabilis apparet hominibus & Angelis: adeò vt etiam speciali nomine Admirabilis dicatur per Prophetam in Sanctis suis, & in omnibus his qui conuertuntur ad cor, vt in conuersione discipulorum, omniúmque eius sectatorum videre est. Matth. 4. prætetiens secus mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratres, vocat eos & dicit, venite post me;& protinus relictis omnibus secuti sunt eum. Matth. 9. hominem hunc vidit sedentem in telonio, dicit illi, sequere me; & relictis omnibus surgens secutus est eum. Actor. 9. Saulum adhuc spirantem minarum & cædis in discipulos Domini, subitò circumfulsit lux Christi de Cœlo dicentis: Ego

Matth. 4.

Matth. 9.

Actor. 9.

A sum IESVS quem tu persequeris,& vas electionis derepentè factus est, vt portet nomen eius coram Gentibus & filiis Israël, & continuò ipsum in Synagogis prædicet & dicat, quoniam hic est filius Dei, stupore replens omnes qui audiebant. Sicut etiam narrat ipse dicens: Cùm placuit ei qui vocauit me per gratiam suam, vt euangelizarem illum in Gentibus, continuò non acquieui carni & sanguini. Statim enim prædicauit ipsum, & de persecutore, admirabili attractione Christi, prædicator eius factus est & singularis Apostolus.

Gal. 1.

Sic nuper pari admiratione Samaritanæ mulieri accidisse audiuimus, quæ de peccatrice repentè facta est discipula Christi. Venerat illa ad puteum

B vt hauriret aquam, & ibi reperit fontem aquæ viuæ Dominum IESVM, qui vt locutus est ei,& dixit: Ego sum qui loquor tecum, reliquit statim hydriam suam, & properauit euangelizare veritatem omnibus,& dicere, hic est Christus. Sed hodie in Euangelio recens est exemplum. Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Cùm vidissent autem quod fecerat signum (hoc multiplicationis signum) dicebant: Quia hic est verè Propheta, &c. vt inciperent exinde eius opera agnoscere, & mirari tanquam Dei opera, sicque palam IESVM admirabilem omnibus prædicare, Deum, fortem, magníque consilij Angelum. Hæc enim omnia præ-

C clara nomina & diuina in Euangelio, Christo conueniunt.

Deum inuenimus & fortem, quinque hordeaceos panes multiplicando in alimoniam quinque millium hominum. Magni verò consilij Angelum, cum Philippo dixit: Vnde ememus panes? sciebat autem quid esset facturus. Sed sub vno Admirabilis nomine nunc omnia ista comprehendemus, vt faciliùs innotescat mundo, quia magnus est Christus Deus noster, magna virtus eius, & potentiæ eius non est numerus & finis, qui in conspectu tot millium fecit hodie mirabilia magna solus, vt dicerent omnes: Quia hic est verè Propheta qui venturus est in mundum, vt restauret vniuersa.

D Hodie ex quinque panibus quinque millia hominum sustentat, vt quidem hinc appareat quod vniuersum mundum venit sua reparare gratia, Apostolo dicente: *Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo.*

Ecce igitur in quo Christus Deus cognitus est; cùm vidissent signum. Miracula quæ fecit Dominus noster IESVS Christus, dicit S. August. diuina sunt opera,& ad intelligendum Deum, de visibilibus admonent humanam mentem. Cùm vidissent signum. Quod signum? Diuinæ vtique prouidentię signum, propter quod ipsum Deum esse agnouerunt, & dixerunt: Hic est verè Propheta magnus qui venturus est in mundum. Hic est Messias pro-

S. Aug. tract. 24. in Ioh.

In miraculis & prouidentia apparuit Christi diuinitas.

E missus in lege,& admirabilis Deus.

Quæso notate hic, quia manifestatio fuit diuinę prouidentiæ in Christo, quæ de ipso hodie testimonium perhibuit omni populo. Nihil enim tam proprium videtur esse Deo, quàm prouidentia, docet S. Thom. Cùm enim Deus sit causa rerum, ita etiam necesse est in eius mente præexistere rationem ordinis rerum in finem. Quæ ratio ordinandorum in mente diuina, iuxta Boët. est prouidentia. Sic enim illam definit. Prouidentia est ipsa diuina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit ad finem. Iuxta quod de Dei sapientia dicitur, quod attingit à fine ad finem, & disponit omnia suauiter, scilicet ad finem. Quæ enim

Prouidentia Deo est propria.

S. Tho. 1 p. q. 22.

Definitio prouidentiæ.

Boët. lib. 4. Consol.

Rom. 13.

enim à Deo sunt, sic ordinata sunt.

In hac autem prouidentia & ratione diuina contineri prædestinationem inuenimus, nihilque nisi iustum habere, quæ includit in se prouidentiam mediorum ad finem, vt nemo circa illam sollicitudine & anxietate animi laboret. Est enim prædestinatio prouidentiæ pars. Nolo hic immensum illud & altum pelagus ascendere: fluuius enim est & Oceanus qui minimè hic transuadari potest. Quare tantùm tria dicam de prædestinatione, pro consolatione eorum qui Christum sequuntur, & committunt se prouidentiæ ejus. Primum est, quod prædestinatio includit efficaciam diuinæ voluntatis ad finem nostrum supernaturalem; sed conformiter naturæ nostræ libertatis, quam fouet & confirmat. Tantùm enim abest, vt illa efficacia diuinæ voluntatis tollat libertatem nostram, quin potiùs confirmat illam, semper gerens se conformiter rebus quas gubernat.

Prædestinatio pars prouidentiæ.

Prædestinatio tria continet.

Efficaciam diuinæ volũtatis.

Secundum est, quod includit præscientiam futuri euentus: vnde & infallibilis est, nullam tamen rei necessitatem imponens. Nam sicut intuitiua notitia rei præsentis est infallibilis, & tamen nullam rei quæ videtur, necessitatem imponit, ita de præscientia Dei est, quantum ad euentum rerum quæ illi subiiciuntur. Adeò vt certò & liberè per prædestinationem saluemur; non quidem ex præscientia meritorum nostrorum, sed non tamē sine præscientia illorum, quam prædestinatio includit. Hęc enim differentia est inter merita nostra, & Christi, quod ex meritis Christi, & præscientia illorum prædestinamur, sed non ex nostris, minúsque ex præscientia eorum, licet absque illis nemo sit prædestinatus. Quia in hoc differunt merita Christi à nostris, quod Christi merita causa sunt nostræ prædestinationis: nostra verò, conditio sine qua non est prædestinatio. Et sic liberè saluamur, licet prædestinemur, quia cum meritis nostris prædestinamur.

Præscientiã futuri euentus.

Quomodo differũt merita Christi à nostris.

Tertium est, quod includit prædestinatio prouidentiam mediorum ad hunc finem, quibus electi saluantur; ita vt semper seruetur libertas arbitrij, & contingentia euentus. Sic enim determinat Deus voluntatem ad acceptandum, vt nunquam violentet illam, aut extra naturam suam educat; sed taliter disponat, vt liberè velit quod Deus determinauit. Tanta est Dei sapientia, vt attingat à fine ad finem, & omnia disponat suauiter.

Prædestinatio prouidentiã includit mediorũ ad finem.

Ecce igitur in quo prædestinatio pars prouidentiæ est, & differt tantùm ab ea, quod prædestinatio æternorum est; prouidentia etiam temporalium quæ diuino subiacent regimini. Omnia enim sua sapientia Deus gubernat, vt dicit Sapiens: ***Tu autem pater gubernas omnia sapientia.*** Et si quid in mundo est quod Deo conueniat, ipsum magnum prædicet & admirabilem, prouidentia est.

Differentia inter prædestinationem & prouidentiam.
Sap. 14.

Quare Aristoteles illos magnos vocat & nobiles philosophos, qui Deorum mente & ratione omnem mundum administrari & regi censeant: neque verò id solùm, sed etiam ab eisdem vitæ hominum consuli & prouideri. hæc sunt verba Philosophi.

Aristot. lib. de nat. deorũ. in principio.

Quæ veritas meliùs adhuc in Euangelio declaratur, vbi specialis prouidentia Christi in quinque millia hominum, & simul diuinitas demonstratur. Et certè si exactiùs non amplius à profanis, sed à sacris Doctoribus quid sit prouidentia inquiramus, propriissimè conuenire & attribui Christo inueniemus. S. Augustinus communiter eam sic definit. Prouidentia, notio est futurum pertractans euentum, cuius officium est ex præsentibus futura perpendere. Iuxta equidem definitionem istam, videmus quidquid prouidentiæ est, in Christo fuisse. Et notate omnia quæ in Euangelio ordine narrata sunt. Cùm subleuasset oculos IESVS, & vidisset quia multitudo magna venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes vt manducent? Hoc autem dicebat tentans eum, sciebat enim quid esset facturus. Ecce notio futurum pertractans euentum. Dicunt ei omnes, tantùm esse quinque panes. Et ille accepit illos, futura ex præsentibus perpendens.

Quid sit prouidentia.

A S. Aug. lib. de spiritu, & anima.

Sed vt videatis quia nihil prouidentiæ deest illi, & quia in mente eius diuina, ratio est ordinandorum in finem; ex his multiplicatis panibus statim eos ducit ad hanc notitiam sui, vt dicant omnes: Quia hic est verè magnus Propheta qui venturus est in mundum. Hic est magnus & admirabilis Deus, qui portans omnia virtute propria, vniuersa restaurat. Planè admirabilis, quem non homines tantùm, sed & & Angeli mirantur inter homines hominem factum. Admirabilis enim & penitus incognita Angelis, facta est Incarnatio eius; vnde ad Corinth. vocat eam Apostolus sapientiam Dei in mysterio absconditam, quam nemo principum huius sæculi nouit, siue in possibilitate, siue etiam in executione. Adeò vt ipsa apparitio verbi in carne, absque reuelatione, omni ignota fuerit intelligentiæ, sicut adhuc semper extitit ineffabilis sermone; vt in hoc mysterio vndique occupet nos admiratio.

B

Christus admirabilis hominibus & Angelis.

1. Cor. 1.

C

Nam qui talis factus est, (scilicet Deus-homo,) semper in omnibus remansit admirabilis, in natiuitate, vita, & actionibus suis. Vnde iam non mirum, si apud Isaiam ante omnia vocetur Admirabilis. Puer natus est nobis, ait Propheta, & vocabitur Admirabilis. Sic apud S. Luc. qui audierunt & viderunt natum, omnes mirati sunt de his quæ dicebantur de illo. Item qui disputantem audiunt in Templo, non habentem adhuc nisi 12. annos, stupebant super doctrina & responsis, & videntes admirati sunt. Sed & Maria mater eius mirabatur cum aliis, & conseruabat omnia conferens in corde suo. Sic Matth. 7. admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens sicut potestatem habens. Sic Marc. 7. turbæ magnificabant opera eius, & eo amplius admirabantur dicentes: ***Bene omnia fecit, surdos fecit audire, & mutos loqui.*** Sic tandem hodie illi homines cùm vidissent quod IESVS fecerat signum, dicebant admirantes: Quia hic est verè Propheta qui venturus est in mundum. Ita igitur Dominus meus IESVS Christus in nobis & pro nobis admirabilis factus, laudetur & glorificetur in æternum à nobis.

Iesus in omnibus admirabilis.

Luc. 1.

D Matth. 7.

Marc. 7.

E

IESVS DEVS. Isa. 9.

DE IMMENSITATE & diuinitate Christi.

Soluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Iohan. 2.

Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi. 2. Cor. 5.

MAGNA hodie signa sunt quibus comprobat diuinitatem suam IESVS Christus. Et quidē id ne

id necessarium erat ad redemptionem & reparationem nostram, iuxta quod S. Basil. hæc verba Psalmistæ explicans; *Frater non redimit, redimet homo.* Non nudus homo, inquit, sed Deus-homo IESVS Christus, quia alius nemo condignum poterat afferre pretium; quia omnis pura creatura finita est, offensa autem infinita: vnde non alius, nisi Deus qui læsus fuerat, satisfacere poterat, quamuis esset homo qui debebat. Propterea igitur Deus factus est homo, vt qui debebat, satisfacere in Deo posset, vnus atque idem Deus-homo. Sic intelliguntur verba ista; Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi, sicut proposuit in ipso in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia. Conueniebat enim Reparatorem nostrum esse Deum; taliáque de ipso testimonia perhiberi, qualia dantur in Euangelio.

S. Basil.

Deum Reparatorem esse conueniebat.

Propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit IESVS Ierosolymam: & inuenit in Templo vendentes boues & oues, & columbas, & numularios sedentes. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de Templo, numulariorum effundens æs, & mensas subuertens. Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. Cui responderunt Iudæi, & dixerunt: Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Respondens IESVS dixit eis: Soluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de Templo corporis sui (sicut post Resurrectionem intellexerunt discipuli, & recordati sunt quia hoc dixerat.) Cùm autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quæ faciebat.

Aduertistis hic omnia? & quomodo statim post in eum crediderunt? Mirum est certè quibus signis diuinitatem suam illis hic ostenderit. Agebatur de materiali Templo; de quo vendentes & ementes eiiciebat, & interrogatus qua authoritate id faceret, & quod signum ostendere posset, respondit, se suo id iure facere, & quia Dominus erat Templi. Dominum autem se esse probat, quia si euerterint, in tribus diebus excitabit illud, exemplo proprij corporis, de quo maximè hic talia dicebat, ostendens Templum hoc diuinitatis suæ formasse, videlicet corpus, quod destructum poterat reparare: sicque similiter Templi Iudæorum, sicut corporis sui, Dominum esse, quia erat domus patris. Atque ita talibus signis ostendebat se Deum esse, cuius est pari facilitate facere & reficere, creare & reparare omnia.

Quomodo Christus probat se Deum, & Dominum Templi.

Adeò vt duo sint quæ in Euangelio eius diuinitatem manifestant; potentia & virtus, qua tertia die resurrecturum se à mortuis ostendit: & immensitas, qua in Templis habitat, & in omni parte orbis. Quà enim Deus, vniuersus orbis est locus dominationis eius, sicut Psalmista dicit: *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Dominum.* Quà Deus, Mundus est Templum eius, vt in Isaia dicit: *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Sua enim immensitate Deus, quæ nullis terminis & limitibus concluditur, vbique est, & omnibus adest essentia sua, potentia, atque præsentia; sicque intimè penetrat omnia. Propterea Trismegistus, Mercurius ille ter magnus, Rex, Sacerdos, Propheta, Deum dicebat esse circulum, cuius centrum vbique est, & circunferentia nullibi. Seneca item scribens

Duo signa diuinitatis Christi, potentia, & immensitas.

Trismegistus quid senserit de immensitate Dei.

A ad Lucil. Propè Deus est, inquit, tecum est, intus est. O Lucili, magnus ille animus & sacer conuersatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ. Quasi diceret: à fine attingit ad finem inattingibilis, vbique est, minimè tamen comprehensus; supra omnem substantiam, & naturam. Ecce immensitas Dei, & Christi, quà Dei filius est.

Seneca ad Lucil.

Vnde S. Augustinus in Confess. exemplum hoc afferens, dicit. Quemadmodum si spongia finita proiiceretur in mare immensum, spongia illa esset omni ex parte maris plena, interimque mare adhuc esset supra: sic vniuersa creatura Deo est repleta, & Deus adhuc supra illam. Ita vt ipsum nullus locus definiat, vt Iudæi existimabant, &
B volebant tantùm inueniri in Templo suo Ierusalem, & non alibi: & Samaritani pariter in monte suo Garizim, & non alibi, vt habetur Iohan. 4. Ita autem minimè est: sed Templum eius, inquit Sanctus Cyprianus, orbis est vniuersus. Vnde sicut tempus definire non potest æternitatem, ita nec locus Dei immensitatem. Ita enim, adhuc ait Sanctus Augustinus, Deus omnia implet vt restet, quoniam quæ implet, continendo implet. Et Sanctus Gregorius. Sic est intus, vt extra sit, sic circumdat, vt penetret, sic penetrat, vt circumdet, sic præsidet, vt portet, sic portat, vt præsideat; quoniam quæ implet, continendo implet, altitudines circumdans, & abyssos penetrans. Vnde Sanctus Th.
C cum Magist. Sent. dicit ita Deum esse vbique, vt non solùm in his sit quæ sunt, aut fuerunt, sed etiam quæ & imaginari possumus. Adeò longè atque in infinitum se extendit eius immensitas, vt Psalmista dixerit: *Si ascendero in Cœlum, tu illic es; si descendero in Infernum, ades.*

S. Aug. lib. 7. Confess. cap. 5.

Ioh. 4.

S. Cyprian.

S. Aug. lib. 1. Conf. c. 3.

S. Gregor.

S. Thom. & Magist. Sen. in 1. dist. 37. q. 2. art. 3.

Ps. 138.

Quamuis autem hæc ita se habeant, minimè tamen impedimento sunt quin inueniatur magis specialiter Deus in quibusdam creaturis ac locis, quàm in aliis. Et vt de creaturis ac personis priùs loquamur, quàm de locis, constat Deum, vtique sua essentia æqualiter præsentem in omnibus, interim secundum nobiliores effectus præsentiæ suæ & maiestatis esse in aliquibus; vt in Christo differentiùs est nobiliorique modo exi-
D stendi, quàm in cæteris omnibus creaturis, in quo hypostatica & personali vnione inhabitat. Quæ vnio ita est particularis Christo, vt nulli alteri quàm Christo conuenire possit, secundum quam ad Coloss. Apostolus dicit: Omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitat in Christo. ad Ephes. Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo. & ad Corinth. Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi.

Immensitas Dei non impedit quominus inueniatur magis specialiter in quibusdam locis & creaturis, quàm in aliis.

Personalis mansio Dei in Christo.

Coloss. 2.

Eph. 1.

2. Cor. 5.

Denique hac speciali gratia vnionis, illa sancta Christi humanitas personale facta est Dei Templum, de quo hodie specialiter dicitur; Soluite Templum hoc. Hoc autem dicebat, dicit
E sermo diuinus, de Templo corporis sui. Et vt omnia dicam, hac ratione singularis vnionis, vnus atque idem Christus Deus est & Templum Dei. Sic in Apocal. loquens Iohannes de Ciuitate cœlesti, dicit: Et Templum non vidi in ea, Dominus enim Deus omnipotens Templum illius est, & Agnus. Ecce Agnus qui Christus est, Deus & homo, diuinitatis Templum & gloriæ. Templum in quo fundimus preces ad Deum, & quidquid postulamus obtinemus, vt ipse ait: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Templum in quo offerimus Deum Deo, filium patri. Templum in quo propitiatorium est, cùm ipse factus sit

Apoc. 21.

Humanitas Christi Templum Dei.

Ioh. 16.

propi

propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed totius mundi. Templum denique quod est area nostræ recóciliationis & fœderis ad Rom. 5. Si cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem filij eius reconciliati sumus. Commendat autem charitatem suam Deus, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est, per quem nunc reconciliationem accepimus. Sic enim dicit Apostolus; Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi, vt in Templo. Et sic impletum est in Christo quod Psalmista dicit: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui.* Vbi S. Ambros. in hunc Psalm. Verè, inquit, Templum Dei corpus est Christi, in quo nostrorum est purificatio peccatorum. Verè Templum Dei, caro illa, in qua peccati nullum potuit esse contagium: sed ipsa pro delicto totius mundi fuit sacrificium. Verè Templum Dei, caro illa, in qua Dei imago fulgebat, & corporaliter plenitudo diuinitatis habitabat. Ecce igitur quale Templum Christus fuit, personale Templum diuinitatis, & hypostaticæ vnionis, Templum pacis nostræ, misericordiæ & reconciliationis, Templum in quo Deus proposuit instaurare omnia, & quæ in cœlis, & quæ in terris. Nos autem peccatores & miseri hoc sanctũ Dei Templum peccatis nostris destruere potuimus, & denuò adhuc soluere quotidie peccando nitimur?

Rom. 5. — *Psal. 40.* — *S. Ambros.*

Ad istud attendite peccatores, attendite & intelligite. Semel in Cruce Templum Domini solutum est, & velum Templi in duas partes scissum, anima morte separata est à corpore. Quid ergo facere vultis? Iterum peccatis soluere, quod gloriosè reparatum est in Resurrectione? Minimè hoc amplius potestis; Christus enim resurgens à mortuis, iam non moritur. Mors illi vltrà non dominabitur, nec amplius dabit Templum sanctum suum videre solutionem. Semel reparatum in gloria, in æternum stabit.

Verùm considerate adhuc, quia præter hunc specialem modum præsentiæ Dei in Christo, vt in Templo, rursus alius inuenitur, quo Deus in quibusdam creaturis habitat multo diuiniùs, excellentiúsque quàm in aliis, vt in iustis, in quibus nobiliori quidem modo est, quàm in peccatoribus. Nam in iustis manet, vt cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Ita dicebat Dominus: *Si quis diligit me, ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ecce mansio & præsentia Dei vt cogniti & dilecti, in animabus iustis. Hinc autem est quod Apostolus nos nostráque membra vocat Templa Dei & Spiritussancti, dicens: Nescitis quia Templum Dei sanctum est, quod estis vos? & iterum: Quia membra vestra Templa sunt Spiritussancti? Vos autem fecistis hanc domum Dei, speluncam latronum; Templa & membra Dei, Templa & membra iniquitatis, immunditiæ, & peccati.

Specialis mansio & præsentia Dei in iustis. — *Ioh. 14.* — *1 Cor. 3.*

O iusti, nunc portas vestras attollite, & introibit Rex gloriæ. Ecce regnare vult, sed præterea in domo Iacob in æternum hoc promittit. Iacob dicit qui supplantat. Ecce in quo Christus Rex habitat, in eo qui diabolum, carnem & mundum supplantat. Christus vincit, Christus regnat, in eo denique gloriosus triumphat, qui luctatur cum vitiis, vt non regnet peccatum in hoc mortali corpore, sed potiùs Christi gratia inhabitet. O beati in quibus nunc, atque in æternum regnabit Christus! quia & ipsi cum eo regnabunt in gloria, & Regni eorum non erit finis. Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Ibi enim te præsentem semper & regnantem videbunt.

Iacob qui supplantat.

Similiter autem inde cognoscimus idem de locis dicendum esse respectu Dei præsentiæ, atque de creaturis: id est, sicut diuersimodè inest creaturis & personis, sic etiam diuersimodè esse in locis. Alia enim ratione est in Cœlo, quàm in terra. In Cœlo est vt in loco manifestatæ gloriæ, atque vbi cùm apparuerit, videbimus eum sicuti est. Non sic autem in terra est, vbi tantùm in ænigmate videtur. Item alio modo est in terra, quàm in Inferno. In Inferno per iustitiam inuenitur: in terra verò per gratiam & misericordiam. Denique diuersimodè adhuc manet in pluribus & diuersis terræ locis, vt in quibusdam excellentiori modo præsentiæ suæ & Maiestatis, quàm in aliis, vt sunt Templa nostra, Ecclesiæ & Oratoria, in quibus vt diuino ipsius cultui sacris, magis etiam exhibet suæ diuinæ præsentiæ effectus. Sic in Exodo dicebat Moysi: *Facient mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum.* Sic Salomoni dixit qui ædificauerat ei domum, 2. Paral. 7. Elegi & sanctificaui locum istum, vt sit ibi nomen meum in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus, & aures meæ erectæ in orationes eius qui in loco isto orauerit. Domus enim mea, domus orationis est. Et quæso nolite illam facere speluncam latronum. Locus habitationis gloriæ Domini est. Itaque decorem eius diligite, & discite quid in ea faciendum sit. *Introibimus in tabernaculum eius*, ait Dauid Ps. 131. *& adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.*

Diuersa Dei præsentia in locis. — *Ecclesiæ & Oratoria loca specialiter sacra præsentia Dei.* — *Exod. 25.* — *2. Paral. 7.* — *Quid in Ecclesia præstandum.* — *Psal. 131.*

Ecce quid in Ecclesiam ingressi facere debemus: Deum orare & ipsum adorare. Orare, quia domus orationis est. Adorare, quia ibi locus sanctus est, videlicet Altare, vbi Domini pedes steterunt, vbi nobiscum manet eius sancta humanitas, & cum ea augusta præsentia eius diuinitatis. Propterea nolite domum hanc orationis, facere domum negotiationis: & locum habitationis tantæ gloriæ, atque Maiestatis Dei, facere speluncam latronum. Mementote quia terra ista sancta est, & quia terribilis locus est iste, quem sanctificauit sibi Dominus, vt permaneant ibi oculi, cor, & aures eius semper erectæ in vota, & sacrificia eius qui in loco isto humiliter orans adorauerit.

IESVS CONSILIArius. Isa. 9.

DE DOCTRINA CHRIsti, & consiliis Euangelicis.

Iam mediante festo, ascendit IESVS *in Templum, & docebat.* Ioh. 7.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Ephes. 1.

Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua. 2. Cor. 5.

NON difficile est inuenire in Scriptura sacra, ad quid Dominus IESVS in hunc mundum venerit. Constat manifestè vt omnia repararet, nouísque

nouisq; mundũ informaret præceptis atq; cõsiliis. Tale est propositũ patris & volũtatis æternæ, quod tantopere nobis cõmendat Apostolus, & tam sæpe exposuimus, videlicet vt in Christo noua efficeremur creatura, in admirabile lumen vocati diuinæ eius cognitionis. Sic enim subleuatis oculis IESVS in Cœlum dicebat ad patrem: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te. Vnde statim subiungit: Et ego te clarificaui super terram. Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam. Notum feci nomen tuum hominibus, & notum faciam, vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Ecce in quo pater secundum propositum voluntatis suæ, omnia instaurauit in filio, nostráque in ipso perfectè reparatio facta est; quia videlicet, verba quæ à patre accepit, dedit nobis, quibus illuminati ipsum filium agnouimus, & hac fide iustificati, accessum ad patrem habuimus, sicut dicit: Verba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti. Quare pro eis rogo, non pro mundo: dedi enim eis sermonem tuum, & eos mundus odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo. Pater iuste, ô mundo triste verbum! mundus te non cognouit. Ego autem te cognoui, & hi cognouerunt quia tu me misisti. Vnde etiam notum feci eis nomen tuum; fidei mysterium, vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit. Simile quid istis in Euangelio est.

Ad quid Christus venit.

Ioh.17.

A capite huius Euangelij, discipulis & fratribus Dominum sollicitantibus vt Ierosolymam ascenderet ad diem festum tabernaculorum, qui in proximo erat, vt mundo manifestaret se, & viderent omnes opera eius; respondit: Mundus me odit, quia testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt. Murmur enim multum erat in turba de illo, aliis dicentibus quia bonus est: aliis, non, sed seducit turbas. Ita vt nemo palàm loqueretur de illo propter metum Iudæorum. Vnde & ipse post fratres, & discipulos, non ascendit ad diem festum hunc nisi in occulto. Iam autem die festo mediante, id est, circa medium festi, circiter tres aut quatuor dies post initium, (erat enim septem dierum,) ascendit IESVS in Templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit? Respondit eis IESVS, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit.

Hic Sanctus Euangelista docet, ad quid potissimùm Christus in Templum ascenderit, nimirum non ob aliam causam, quàm vt doceret. Cur autem mediante iam festo, & non priùs, authores nonnulli duas causas afferunt. Prima est Sancti Chrysost. & Theophyl. quia nempe imprimis voluit, vt nimis inflammata contra se Iudæorum ira decresceret & diminueretur. Quia & in die festo quærebant eum interficere, & dicebant, vbi est?

Cur Christus non in principio festi, sed in medio Templum ascenderit, vt doceat.

S.Chrysost.

Altera est adhuc Theophylacti, scilicet voluisse tunc Christum, vt liberiores atque expeditiores ad audiendum & intelligendum essent auditores, minúsque curis sæculi occupati. Talis enim est consuetudo mundi, vt primis festi diebus omnes occupentur in præparandis rebus ad festum necessariis. Expedit autem diuini verbi auditores omni sollicitudine esse liberos.

Theophyl.

Sed adhuc vnam tertiam rationem affert ille Doctor, vt nempe expectatione ista simul in eorum corda maius audiendi desiderium iniiceret. Multum equidem consentaneæ videntur rationes istæ, & duæ potissimùm posteriores, vt conditiones pernecessariæ ad audiendum & intelligendum Dei verbum, scilicet desiderium, & animi libertas. Hæc enim duo sunt quæ Christus postulare summopere videtur, si vtiliter volumus recipere Dei verbum.

Conditiones necessaria ad audiendum Dei verbũ.

Magnus est doctor noster, & magna sapientia eius. Ascendit IESVS in Templum, & docebat. Audiant quæso illum omnes. Ecce apud Isaiam vocatur Dei consiliarius, seu magni consilij Angelus. Et quid dicam? cap. 45. sicut Matth. 12. Pater ipse præceptorem omnibus audiendum proponit dicens: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo mihi bene complacui. Ponam super eum Spiritum meum, ipsum audite. Cap.55. Ecce testem populis dedi eum, ducem & præceptorem Gentibus. Ad quid quæso nobis datur vt præceptor, dux, & testis, & vt in terminis nostris maneamus, magnus consiliarius? Vtique quia nihil nos docet nisi salutaria & diuina, sicut dicit: Mea doctrina eius est qui misit me Patris. Propterea omnia quæ audiui ab eo, nota facio vobis. Qualis est doctor, talis est & doctrina eius. Ego sum Dominus, inquit per Isaiam, docens te vtilia, legem Dei patris, & consilia eius. Illa sunt, in quibus proposuit in me pater instaurare omnia. Quare si quis voluerit voluntatem eius facere, & sequi consilia, cognoscet de doctrina mea.

Isa.9.& 45. *Christus consiliarius & testis æterni patris.*

Isa.55.

Isa.48.

Triplicem igitur hæc doctrina notitiam comprehendit, fidei, legis, & consiliorum. Quæ tria Christus à patre missus nos potissimùm docuit, vt magis spectantia ad officium eius. Primò, quantum ad fidem: quia cùm mundus esset in tenebris, & in summa veritatis ignorantia versaretur, de Cœlo Christus vt lux mundi apparuit, qui sua doctrina & verbo veritatis hanc summam ignorantiam expelleret; adeò vt non tantùm exteriùs aures repleret, sed etiam interiùs mentes sua diuina luce illustraret, vt qui eum audirent, statim crederent captiuantes intellectum suum in obsequium fidei: sicque credentes, mysteria intelligerent. Iuxta quod Isaias dicit: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Hæc est notitia primò necessaria, fides; sine qua etiam nec loqui possumus. Credidi, ait Dauid, propter quod loquutus sum. Vultis ergo intelligere, aut loqui diuina? fides primò habenda est.

Triplex notitia continetur sub doctrina Christi.

Fides.

Sine fide nec loqui, nec intelligere diuina possumus.

Secundò, quantum ad notitiam nouæ legis, etiam necesse erat nobis eam dari per Christum; quia antea solùm per Prophetas promissa fuerat, sed non promulgata. Sic Ieremias dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriã domui Israël, & domui Iuda, id est, Ecclesiæ, fœdus nouum, & hoc erit, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi mihi erunt in populum. Vetus lex scribebatur in tabulis lapideis: noua verò scribitur in cordibus. Quare nunc illa vetus dono nouæ abrogata est. In quo quidem Christus Dominus pluribus nos & maioribus insigniuit prærogatiuis, quàm Iudæos, quando non solùm legem dedit, sed quod maximum est, vires & gratiam ad seruandam eam, quam lex vetus non cõferebat. In hoc itẽ, quod Dei filius est qui hãc nobis legẽ attulit, & ore proprio illã nos edocuit. Non minimum beneficium Israëlitis erat, quod per Moysem seruũ suũ Deus eis dederat legẽ

Noua lex.

Ierem. 31.

In quo differt lex vetus à noua.

Mm suam;

suam; sed maximum & singulare nobis est, quod per Christum Dei vnigenitum filium habeamus istam.

Interea, si hodie Christus sic Iudæis exprobrat ingratitudinem ipsorum dicens: Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid dicere & exprobrare Christianis conuenit? Nonne Christus ipse Dei filius dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Non iam miremur si tam pauci saluentur. En ratio, quia pauci faciunt legem Christi. Vis tu ad vitam ingredi, serua mandata, hoc est enim omnis homo, & omnis eius reparatio. Sic Deus erat in Christo, qui dedit nobis legem & verbum reconciliationis, mundum reconcilians sibi. Sic denique in dispensatione plenitudinis temporum in ipso proposuit omnia quæ sunt hominis instaurare, & in meliorem statum reducere, cùm adhuc placuit ei præceptis suis addere consilia Euangelicæ perfectionis. Hæc sunt tertiò quæ Christus venit euangelizare nobis, vt nouus præceptor & magnus consiliarius patris. Consilia sunt, quæ non amplius seruis proponuntur, sed amicis, quæ nos minimè compellunt, sed suauiter inuitant ad sectanda vestigia Christi, & vt simus conformes imaginis filij Dei, qui pro nobis formam serui accipiens in similitudinem hominum factus est, vt homines peccato miserè perditos repararet. Hæc est noua doctrina, quam nobis de Cœlo attulit nouus homo, vt omnia noua in terra faceret, sicut dicit Apost. Ecce facta sunt omnia noua. Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt. Lex vetus transiit, noua aduenit, & cum ea, noua facta sunt omnia: noua lex, & in lege noua consilia, quæ licet noluerit Christus nos ex vi præcepti obligare, tamen ex Dei gratia & bonitate, ad maiorem eorum perfectionem proponuntur qui sequi ea volunt; vbi adhuc Christus vt libentiùs amplectamur ea, corda nostra excitat per Spiritum suum & inspirationes diuinas, & dulciter inflammat.

Cõsilia Euãgelica perfectionis.

2. Cor. 5.

Sed quæ sunt illa? dicetis. Audite iam, vt non ignoretis. Si quis vult venire post me, ait Dominus, abneget semetipsum: & si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, veni & sequere me. Ecce Domini consilia, ecce vnde dictus est magni consilij Angelus, quia talia nobis de Cœlo reuelauit in terra. Hinc Matth. 11. dicebat: Confiteor tibi pater Domine Cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Quos enim participes mysteriorum & consiliorum Dei Christus fecit, humiles sunt, simplices, & paruuli, non superbi & prudentes huius sæculi. Ita pater, confiteor & gratias ago, quoniam sic placitum fuit ante te, vt scilicet hæc absconderes ab illis qui tua præcepta negligunt, minúsque tua consilia recipere volũt, humilibus autem reuelares. Nemini enim ea propriè Deus abscondit, qui ideo filium suum in hunc mundum misit; sed quia ea mundus recipere non vult: mundus enim eum non cognouit, vnde & Spiritum veritatis recipere non potest. Qui autem recipiunt, sunt paruuli & humiles, & qui de hoc mundo non sunt: sicut & Christus non erat de mundo.

Matth. 11.

Quomodo Deus abscõdit sua mysteria superbis.

Propterea igitur gratias agit Deo patri, eo quod solùm illos mysteriorum suorum & consiliorum faciebat participes, qui erant illi in humilitate conformes. Hócque modo dicit: In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Et sic pater ad filium apud

Ioh. 9.

A Isaiam: Ego dedi te in lucem Gentium, paruulorum, & humilium. Verè lux Christus fuit, qui in hac via consiliorum dux fuit, doctor & consiliarius non tantùm in sermone, sed etiam in opere: & qui exemplo exequitur, quod verbo loquitur pandens iter ante omnes. Inter maxima Dei beneficia olim Moysi & populo Israëli concessa in Exodo, istud vnum fuit, quod Dei facies populum præcedebat in nube egredientem de Ægypto, eique viam ostendebat. Sed nobis hodie Christianis maius concessum est, cùm Christus facies patris non in nube, sed in veritate carnis nostræ præcedit nos, & consiliis suis, sicut exemplis, iter nostrum in Cœlum ostendit. Ego sum lux mundi, inquit, qui B sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me.

Isa. 42.

Exod. 13.

Exemplum imitatum Christi.

Nolite ô Christiani, sermones istos proiicere retrorsum, hodiéque si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra. Diuinitatis enim altiora ista sunt consilia. Confiteor tibi pater Domine Cœli & terræ, quia reuelasti ea paruulis. Mea doctrina, dicit hodie Christus, non est mea, sed eius qui misit me patris. Quasi diceret: non est inuenta à me, sed à patre meo recepta; vel non est mea, vt hominis, sed mea vt Dei, & sic patris. Omnia enim mea, vt ei aliquando dicebat, tua sunt, & tua mea sunt. Ac ideo mea doctrina non est mea, C sed patris. Quasi adhuc diceret: Omnia quæ scio, illa in patre scio, quia sum verbum patris, & verbum apud Deum, & sic nunquam extra Deum. Propterea apud S. Iohannem dicebat: Ego quæ vidi apud patrem meum, hæc loquor. Omnia enim apud patrem scio, & ideo mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me patris. Sic subtiliter Sanctus Augustinus & Beda, quia non sum meum verbum, sed verbum patris, à quo per cognitionem procedo, & in quo semper genitus maneo.

Quomodo Christi doctrina est patris.

Ioh. 8.

Interim ex S. Thom. sciendum est, præter diuinam & increatam scientiam, vel cognitionem in Christo fuisse adhuc infusam & creatam D ad perfectionem animæ eius, quæ creata erat vt aliæ, in potentia ad cognoscendum. Quæ quidem cognitio non minus adhuc patris erat quàm diuina & increata, cùm nihil habeat extra patrem, sed in eo omnia, quatenus illius verbum est. Quæso intelligite ista. Filius Dei nihil scit extra patrem, nihil nisi in patre, & nihil nisi patrem. Ideoque eius notitia est, verbum & sapientia.

S. Tho. 3. p. q. 9.

Præter diuinam scientiam erat adhuc in Christo infusa.

Ita & nos nihil aliud iam sciamus nisi IESVM Christum. O fœlices qui cum beato Paulo tantùm hoc vnum sciunt, in veritate omnia sciunt, & vnum sunt in Patre cum Christo. Sed quinam sunt isti? Hi quorum vita abscondita est cum Christo E in Deo: qui voluntatem Patris faciunt, non nisi gloriam eius quærunt, verba vitæ audiunt, & cordibus excipiunt. Hi siquidem de doctrina filij eius cognoscent, qui voluntatem & gloriam Patris semper quærebat in omnibus. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ,* dicit Dominus.

* * *

IESVS

IESVS FORTIS. Isa. 9.

DE OMNIPOTENTI operatione IESV Christi circa reparationem nostram.

Me oportet operari opera eius qui misit me. Iohan. 9.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Eph. 1.

EX interrogatione hodierna quæ à discipulis Christo facta est de isto qui cæcus natus est, optimè potest colligi, peccata nostra sæpe in causa esse cur à Deo affligimur. Tamen alia adhuc multa motiua in Deo esse inueniuntur, & præcipuè duo nota nobis. Vnum est, vt hominis virtus probetur. Sic ideo Iob tentatus est: sic Tobias similiter, & alij multi; vt optimè etiam fortis & prudens Iudith suis ciuibus dicere sciebat, dum obsessa ab Holoferne Bethulia in extremis erat. Ex illo denique motiuo beatum existimauit & dixit S. Iacobus (cap. 1. Epistolæ suæ) qui suffert tentationem, id est, afflictionem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. *Duo motiua in Deo & rationes cur plerumque affligimur.*

Alterum est, vt virtus Dei & gloria reluceat & manifestetur nobis, quomodo hodie declarauit hunc cæcum natum esse. Adeò vt SS. Aug. & Chrysost. dicere non dubitauerint, non ob aliam causam natum esse hunc cæcum, quàm vt à Christo curaretur tali miraculo; & sic in illo manifestarentur opera eius, id est, in eo curando diuina virtus elucceret. Licet dicant alij, vt S. Cyrillus & Theophylactus, solùm id ita fuisse consequutum, seu rem ita accidisse, vt cùm cæcus natus esset, occasionem daret Christo, in se diuinæ huius declarandæ virtutis. Euangelij discursus quem dimittere nequeo, declarabit, affirmabitque quod hic resoluere non audeo. *Diuersa authorum opinio de cæco à natiuitate.*

Præteriens IESVS vidit hominem cæcum à natiuitate, & interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Quibus respondit: Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est; quandiu sum in mundo, lux sum mundi. Hæc cùm dixisset, expuit in terram, & faciens lutum ex sputo, liniuit super oculos eius, & lauare iussit in natatoria Siloë (quod interpretatur Missus.) hæc omnia mysteriis plena sunt. Abiit ergo & venit videns. Quem cùm vidissent vicini, & admirarentur inter se dicêtes: Nónne est hic qui sedebat cæcus & mendicabat? Ille verò diceret, quia ego sum, & narraret illis omnia quæ ei IESVS fecerat; adducunt eum ad Pharisæos, qui iterum interrogant, & dicit illis veritatem, magnificans eum coram illis, qui ipsi oculos aperuerat, & dicens quia Propheta est. Sed minimè de eo credentes quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocauerunt parentes eius, & audierunt ab eis, quia hic est filius noster. Scimus quia cæcus natus est, nescimus autem quis eius aperuit oculos: ipsum interrogate, ætatem habet. Rursus vocauerunt hominem,

A & dixerunt ei: Da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est; quomodo aperuit tibi oculos? Tûc ergo dixit illis: quid vultis iterû audire? dixi vobis iã, & audistis. Nisi hic esset à Deo, non poterat facere quidquam. Scimus quia peccatores Deus non audit, sed si quis est cultor, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. Numquid & vos vultis discipuli eius fieri? Tunc maledixerunt ei, & foras eiecerunt. Quod cùm audisset IESVS, & eum inuenisset, dixit ei: Tu credis in filium Dei? Et ille; Quis est Domine, vt credam in eum? Tunc dixit illi: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo Domine, & procidens adorauit eum. Et dixit IESVS: In iudicium ego in hunc B mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.

Tenent ferè omnes litteralem sensum huius historiæ esse mysticum, Christúmque curando hunc cæcum, significare voluisse aliquod mysterium. S. Augustinus putat hic humanum genus intelligi, quod ab ipsa natiuitate cæcum factum est, quia omnes natura sumus filij iræ, vt dicit Apostolus, quod ideo Christus venit sua luce reparare, sicut dicit Iohan. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et ipse hodie Christus; *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi*, videlicet vt illuminem. Me oportet operari opera eius qui misit me patris, qui est pater lumi- C nis. Pater meus vsque modò operatur, & ego operor: & sicut habet pater lucem in semetipso, sic dedit & filio habere lumen in semetipso, & dedit ei potestatem homines illuminare, quia filius hominis est; propterea enim in hunc mundum veni. *Sanatio cæci nati mysteriosa. S. Augustin. tract. 44. Eph. 2. Ioh. 1. Ioh. 5.*

S. Cyrillus in Catena Græca, & Rupert. in hoc cæco designari volunt populum Gentilem, qui sine lege, & sine Dei cognitione, erat quasi cæcus à natiuitate sua, quem ideo illuminare Christus venit, quia Israël lumen vitæ recusabat. Notus tantùm erat in Iudæa Deus, inquit Psaltes, sed quia indignum se iudicauit æterni luminis; populus qui ambulabat in tenebris, dicit Isaias, vidit lucem magnam quæ orta est illi. Quod quidem his verbis potest intelligi; *Et præteriens* IESVS *vidit hominem* D *cæcum à natiuitate.* *S. Cyrill. in Catena Græca.*

Quæ verba duplicem sensum & explicationem sortiri possunt. Prima & litteralis hæc est ex fine capitis præcedentis, quod cùm esset IESVS in Templo, & testimonium perhiberet de seipso, Iudæi lapides tulerunt vt iacerent in eum. IESVS autem abscondit se, & exiuit de Templo. Vnde post sequitur. Et præteriens IESVS vidit hominem cæcû à natiuitate, id est, cùm exiisset de Templo, & reliquisset Iudæos nolentes Euangelij lumen recipere, transtulit se ad populum Gentilem, vt eum illuminaret, sicque quasi prætereundo curaret: quia ad eum primò non erat missus, vt aliquando diximus, sed ad oues quæ perierunt do- E mus Israël; quibus primò prædicandum erat Euangelium: Gentibus autem minimè, nisi obiter, & cùm Iudæi repellerent illud, vt Paulus eis & Barnabas dixerunt blasphemantibus & contradicentibus his quæ à Paulo dicebantur: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus. Sicut etiam & ipse dicebat illis: *Ecce auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Hoc igitur modo & sensu, præteriens IESVS vidit hominem cæcum, & illuminauit eum. *Duplici sensu explicatur quomodo præteriens Iesus vidit cæcum à natiuitate. Act. 13. Matth. 21.*

Causa diuersa prædestinationis, & reprobationis.

A Secunda explicatio paulo durior videtur, licet adhuc cum priore conueniat, si nimirum iam clarè dicamus hic nobis rationem designari nostræ prædestinationis, vel reprobationis. Nunc videat vnusquisque & aperiat oculos: prædestinationis causa est Dei voluntas; reprobationis verò peruersa hominis voluntas. Quid est Deum te prædestinare? videre te oculis misericordiæ suæ. Quid verò reprobare te? te præterire, & in tuorum cæcitate peccatorum relinquere. Ecce hoc tremendum mysterium in Euangelio. Capite præcedenti, abscondit se Christus ab his qui eum lapidare volebant: & præteriens vidit cæcum, & illuminauit eum. Quod Christus cæcum hunc viderit, nulla causa fuit ex parte cæci, sed tantùm ex beneplacito Christi. B Quod verò reliquerit alios, & absconderit se ab eis, ipsi in causa fuerunt, quia eum lapidare voluerunt. Vultis ergo reprobationis causam tollere? peccata tollite, & postea ex Dei misericordia, in prædestinationis gratiam incidetis. Sicut enim ex sola Dei voluntate & misericordia creati fuimus: ita eadem misericordia & iustificati & prædestinati sumus. Talia sunt opera Christi in mundo, qui hominum est lux & reparator. Me oportet, inquit, operari opera eius qui misit me. Opera patris appellat quæ ipse facturus est.

Creare & reparare hominem, ad Deum specialiter pertinet.

Ierem. 18.

Quænam sunt opera patris? Hominem formare, & destructum ipsum reparare. Exemplo ostendere sic voluit apud Ieremiam, vbi idem figulus C vas quod lapsum de manibus eius, fuerat dissipatum, in vas alterum excellentius refinxit. Quando de manibus Dei cadimus, dissipamur, destruimur: sed nec reparari possumus, nisi manibus eius. Creatio & reparatio hominis, sunt opera omnipotentis artificis. Vt ergo Christus hodie ostenderet se eumdem hominis opificem esse cum patre; volens hũc cæcũm illuminare, & dissipatum hunc hominem reformare, ait; Me oportet operari opera eius qui misit me. Neque peccauit hic, neque parentes eius; sed vt manifestentur opera Dei in illo, & cognoscat mundus quia ego sum illius creator, cuius sum reparator. Cùm hæc dixisset, & vt palam iam ostẽderet cum patre ipsum creasse, quem cum eo re- D formabat, sicut dicit Apostolus quod in eo proposuit pater instaurare omnia; expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, vt lumen recipiat.

Quomodo Christus sanando hunc cæcũ, Deum se ostenderit.

Duo mysteria in modo quem Christus tenuit cæcum illuminando.

Certè non sine mysterio hæc omnia sic facta sunt Duo autem quæri possunt. Primum est; cur potiùs ex luto quàm alia re conuenientiori cæcum Christus sanauit. Secundum est; cur hoc lutum fecit ex sputo, & non ex aqua, aut alio liquore communi. Hæc equidem sensibus plena sunt atque mysteriis.

1. Mysterium in luto.

In illuminatione cæci Christus fortis apparet.

Quantum ad primum. Ideo luto lumen à Christo cæco restitutum est, vt magis appareret vis & E magnitudo miraculi, fortísque prædicaretur Deus noster. Ad hoc quidem respexerat Isaias cùm inter nomina Messiæ attributa, illud etiam refert dicens; & vocabitur fortis. Ideo certè, quia magna opera erat facturus. Et quæso vbinam magis eius diuina potentia relucet & fortitudo, quam cùm ad curandum rebus vtitur contrariis? Certè nihil magis contrarium oculis cerni potest quàm lutum, & tamen visum hodie luto restituit. Talia solet facere Deus, vt suam ostendat potentiam hominibus. 4. Reg. misso sale in aquas iam amaras, reddit dulces atque potabiles Elisæus.

Hæc sunt & similia quæ Deum fortem, atque potentem prædicant. Sicque hodie cæcus illuminatus de suo benefactore Christo dicebat Iudęis: A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati, & tali adhuc remedio aperuit. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam. Hic manus apparet omnipotentis, & quia is hominem formauit, qui sic reparauit. Vnde etiam S. Chrysost. expresè dicit voluisse Dominum cæco visum restituere, vt ex eo clariùs se creatorẽ ipsius & authorem ostenderet. De limo terræ hominem Deus formauit, & de luto hodie ipsum deformatum refinxit; scit hominis opifex & author, vnde ille sumptus est. Exemplum pictoris affert S. Chrysost. qui aliquam excellentem imaginem absque oculis pingeret, & volens postea se illius authorem ostendere, coram omnibus ei oculos perfectissimos formaret: tunc quidem ab omnibus author & inuentor approbaretur. Sic hodie Christus respectu illius cæci nati, eadem quippe massa luti qua formauit ipsum, oculos apposuit, adeò vt etiam ipsa Dei imago visum & lumen recipiens, suum esse authorem agnouerit, & procidens adorauerit. Sic igitur pater, qui hominẽ in filio fecit, eumdem in ipso reparare constituit, dicente Apostolo: *Proposuit Deus in plenitudine temporum instaurare omnia in Christo.*

In luto quo Christus vsus est, creatorem se ostẽdit.

S. Chrysost.

2. Mysteriũ in sputo Christi, quo lutum factum est.

Theophyl.

Iam quantum ad secundum, cur videlicet ex sputo suo, & non ex aqua Christus fecit hoc lutum. Neque etiam mysterio caret: Theophylactus enim id refert ad id quod iam diximus, scilicet vt ostenderet se eum esse qui corpus & animam simul hominis formauit; intelligens per puluerem humanum corpus de terra formatum: per sputum verò & saliuam intelligens animam, quam Deus ex ore suo in hominem, id est, in Adami corpus insufflauit. Valde pulchra conceptio ista est.

Christus in minimis potens ostẽditur.

Alij dicunt, vt per id ostendatur, quia quod etiam in Christo minimum est, vt saliua, habet vim sanandi & reparandi hominem: vt sic in omnibus, atque etiam in minimis declaretur fortis. Si fugit, idola subuertit. Si disputat, Synagogas confundit. Si ieiunat, dæmones vincit. Si dormit, mare conturbat. Si excitatur, ventis imperat. Si benedicit, panes multiplicat. Si maledicit, arbores exsiccat. Si expuit in terram, & cæcum à natiuitate respicit, ipsum illuminat. Si loquitur, homines accendit. Si clamat, suscitat mortuos. Tangens manu, sanat infirmos, vnóque aspectu oculorum peccatores conuertit. Adeò vt fortis & potens appareat in omnibus.

In luto ex sputo Incarnatio designatur.

S. Aug. lib. quinquaginta hom. homil. 43.

S. Greg. lib. 8. in Iob. c. 21.

Alij denique per hoc lutum ex sputo confectum, mysterium Incarnationis repræsentari existimant: vbi per puluerem humana natura designatur, & per saliuam quæ ex capite oritur, diuinitas significatur, quæ desursum, & de Cœlo vt altiori loco descendit. Sic Aug. lib. 50. hom. homil. 43. Similiter autem S. Ambros. & Greg. in Iob, per puluerem carnem nostram intelligunt: & per saliuam, gratiam diuinam Christi, qui nobis per illam coniunctus, sanat nos atque illuminat, sicut dicit; *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* Verùm vultis perfectè sanari & illuminari omnes? Ite ad natatoriam & piscinam Siloë, quod est lauacrum pœnitentiæ: & vos ibi lauate, vt exinde redeatis videntes, & coram omnibus virtutem & potentiam IESV magnificantes.

IESVS PATER FVturi sæculi. Isa. 9.

DE NOSTRA RESVRrectione & vita in Christo IESV.

Adolescens tibi dico, surge. Luc. 7.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Eph. 1.

MORS non est vbi vita adest. Christus IESVS qui vita est, in ore verba vitæ habet, hodie loquitur mortuo adolescenti, & ad vitam resurgit. Adolescens tibi dico, surge; & resedit qui erat mortuus. Imperium mortis magnum est nulli parcens mortalium, neque personarum, aut ætatis exceptionem faciens; sed cedit dominio vitæ, vbi author vitæ loquitur. Nobis hoc Euangelium declarabit.

Ibat IESVS in Ciuitatem quæ dicitur Naim, & discipuli eius cum illo. Cùm autem appropinquaret portæ Ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ, quæ vidua erat, & cum illa, turba multa Ciuitatis. Sed ô felicem occursum! dum vita IESVS mortuo occurrit, sistitque mortem: dum filius Dei nostra infirmitate circumdatus, vidit, & misericordia motus dixit matri; Noli flere: dum accedens ad mortuum, loculum tetigit; & ait mortuo; Adolescens tibi dico, surge. Quid enim factum est inde? Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Verba vitæ in Christo, mortuis vitam operantur, & eos loqui faciunt, & cui mors inimica filium vnicum rapuerat, appropinquans vita dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.

Tria notãtur in Euangelio. Tria hic considerari possunt in Euangelio, vnde mors, vnde vita, & quæ dispositio nobis ad vitam est necessaria. Sciunt omnes ex Rom. 6. quia stipendia peccati mors: gratia autem Dei vita æterna in Christo IESV Domino. Ex 1. Cor. 15. quod sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabũtur. Hoc posito, nunc experimur omnes ex primis nostris parentibus, & patribus antiqui sæculi ad nos mortem transiisse, Deo dicente Adamo: Quia audisti vocem vxoris, & comedisti de ligno, &c. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es. Quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Quare iuxta hoc in Ecclesiastico dicitur, quia à muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur. Et sic ad Rom. de homine qui errorem mulieris sequutus est: Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, ita & in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Peccauimus enim omnes in Adam, & in eo etiam morimur omnes. Adeò vt, sicut prosequitur Apostolus, mors regnauerit ab Adam vsque ad Moysem, etiam in his qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, & nunc adhuc regnet vsque ad nos. Lata enim sententia est, & hactenus executioni mandata: quia statutum est omnibus hominibus semel mori. Vnde dicit Psaltes: *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?* quasi diceret, nemo est. Et Iob. *Scio quia morti trades me, & vbi constituta est domus omni viuenti.*

Ex peccato hominis mors accidit. Gen. 3. Eccl. 25. Rom. 5. Heb. 9. Ps. 88. Iob. 30.

O durus & durior casus! ait S. Ansel. Heu! quid perdidit homo, & quid inuenit? Perdidit vitam & beatitudinem ad quam creatus est, & inuenit mortem ad quam factus non est. Hodie venimus à iucunditate immortalitatis ad corruptionem mortis. Misera conditio, grauis dolor, graue damnum, graue tormentum. Vltima iam linea rerum & breuis, mors est. S. Hieron. ad Heliod. scribens de illo magno Xerxe, qui euertebat montes, & exercitibus suis operiebat maria, dicit quod cùm aliquando de sublimi loco innumerabilem suum exercitum vidisset, flere cœpit, cogitans apud se quod post annos centum nullus eorum quos tunc cernebat, superstes remaneret. Vnde Sanctus clamat. O si nos possemus super talem ascendere speculam, de qua vniuersam terram cerneremus, iam vobis ostenderem totius mundi ruinas, necari alios ense, alios absorberi fluctibus, Reges Regibus, & regna regnis collisa: hic nuptias, ibi planctum, hos nasci, & illos mori; ita vt breui spatio defuturi sint, qui nunc viuunt. Hæc est misera conditio vitæ nostræ præsentis, quæ potiùs mors dicenda est quàm vita, quia quotidie morimur omnes.

S. Anselm. in meditat. S. Hieron. ad Heliod.

O mortales homines, post annos centum certò mundi huius erit Iudicium, nullusque eorum qui nunc sunt, remanebit superstes, sicut hodie nullus est apud nos eorum, vel equidem pauci qui ante annos centum viuebant. Cum sæculis homines transeunt, & toties renouatur Iudicium. Quæso vbi sunt qui fuerunt? qui olim prosequebantur primos accubitus, & ambiebant honores? vbi insuperabiles nostri Imperatores, Cæsares, Alexandri, Magni Henrici, Reges nostri, & tot Principes? vbi eorum Coronæ, & vestes? vbi eorum Curiæ frequentia, & turba seruorum? Nonne hæc omnia transierunt velut vmbra, vel etiam in pulueres & fauillas redacta sunt? Quæso eorum sepulchra introspicite, & videte quis seruus fuerit, & quis dominus, pauper, vel diues, iuuenis fuerit, an senex. Quæso discernite ista. Omnia mors æquat & separat.

In fine cuiusque sæculi renouatur generale Iudicium.

Nouissima omnibus communia, illa quatuor sunt, mors, Iudicium, gehenna, vel gloria. De morte autem hic loquimur, & quid illa horribilius est? Verùm iis tantùm terribilis est, qui nõ cogitant de illa. Miser homo quare omni hora te non ad illam disponis? Cogita, ait S. Bernard. te iam esse mortuum, quem scis necessitate moriturum. Omnes enim morimur, & velut aquæ dilabimur super terram. Quare modò tria sunt in morte notanda.

Quibus mors est terribilis. Tria notãda in morte.

Primum est, nihil illa in humanis rebus esse certius. Nemo enim euitare potest, ex quo semel mori statutum est. Secundum, nihil esse incertius hora & momento, vt vnusquisque semper sit paratus. Tertium, nihil esse seuerius. Neque enim reueretur diuitias, aut miseretur inopiæ, non sapientiæ, non moribus, ætati denique non parcit, & non est in illa acceptio & discrimen, nisi quod in senibus quidem est in ianuis, iuuenibus verò in insidiis. Ecce hodie in Euangelio adolescens defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ, & hæc erat vidua. Sed quid in illa morte & lacrymis accidit? Quod IESVS author omnis vitæ, & ipsa vita appropinquaret, qui misericordia motus tetigit loculum, & suscitans mortuum verbo virtutis suæ, dedit illum cum gaudio matri suæ.

Per Christū vita ad nos redijt.

Vnde pater futuri saeculi appellatur. *Ioh. 5.*

Ecce iam quantum ad secundum. Vnde agnoscimus, vitam ad nos rediisse per Christum, quem ideo appellauit Isaias patrem futuri saeculi, scilicet propter resurrectionem mortuorum, cuius est ipse author & principium, sicut ait: Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Audiuit hodie adolescens, & resedit qui erat mortuus, cœpitque loqui. Cras similiter audiet Lazarus in monumento iam fœtens & quatriduanus, & ad vocem vitae resurget viuus.

Quaeso vim verborum Christi hic attendite, & quàm sit potens in sermone. Ille etiam qui aliquando dixit, & factā sunt, & vocat ea quae non sunt, sicut ea quae sunt, ipse est qui dicit hodie; Adolescens tibi dico, surge. Mira equidem illa est virtus Christi Domini, ad cuius vocem & imperium statim aperitur Infernus; & anima, quam iam detinebat, reuertitur, frigidus recalescit in loculo, & resedit qui erat mortuus.

In opere creationis nobis innotuerunt tria Dei attributa, quae alioquin nobis inuisibilia sunt & incognita, videlicet potentia, sapientia, & bonitas, seu misericordia Dei. Ab his enim tribus omnia quae sunt, procedunt, gubernantur, & viuunt: denique in tribus his omnia consistunt. Illa autem tria mirum in modum in hoc miraculo illuxerunt, vt hic appareat nobis, inter reparationem & creationem hominis per Christum omnia conformia esse. Sicut enim per Christum Deus omnia creauit, sic etiam & in ipso omnia instaurare proposuit, eademque omnino ratione. Vnde sicut in creatione haec tria attributa diuina relucent, potentiae, sapientiae, & bonitatis, seu misericordiae: sic etiam in reparatione innotescunt.

In resurrectione adolescentis relucent tria attributa creationis.

In praesenti resurrectione hodie illa videamus. Primò potentia apparet in tactu & voce. Secundò sapientia, cùm ea hora qua defunctus effertur, ipse appropinquat, eosque sistit qui deferebant, occurrens, & subueniens in tempore opportuno. Bonitas denique & misericordia, qua ipse motus, vt textus notat, cor impendit & manus, verba & opera, vt afflictis consolationem reddat. Misericordia motus super hanc viduam, dixit illi: Noli flere, & puerum suscitans, dedit illum matri suae. Misericordia duo habet: effectum & affectum, seu liberationem & compassionem. Ante Incarnationem in Deo compassio non erat, sed tantùm liberatio. Nunc autem exquo verbum caro factum, vtrumque in Deo est. Quare hodie Christus tactus corde intrinsecus, & misericordia motus, manus impendit, tangens loculum: verba impendit, dicens ore; Adolescens tibi dico, surge. Denique opera impendit, reddens illum matri suae.

Potentia. *Sapientia.*

Bonitas & misericordia.

Interea Christiani, illa quae auditis Christum facere in suscitatione huius adolescentis, haec eadem & plura adhuc nobiscum quotidie facit, in resuscitanda anima nostra à peccatis; & tamen vix vna resurgit. Heu! quot sunt, & flens dico, quorum corpora sunt veluti loculi, in quibus animae mortuae sunt, & sic efferuntur & ambulant per plateas ciuitatis, qui insensibiliores quidem mortuis, cadaueribus, ossibusque iam aridis, ad vocem Dei nil penitus audiunt? Ezechiel. 37. factus est sermo Domini ad ossa arida per prophetam, & ecce accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam. Nos verò ossibus istis duriores, ad vocem Domini minimè mouemur. Ecce intromittam, inquit, Spiritum meum in vos, & viuetis. Intromisit, & verba vitae dedit, & tamen non viuimus. Nolite zelare mortem in errore vitae vestrae, ait Sapiens, id est, fouere & attrahere super vos. Neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum, quoniam Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione viuorum, qui hominem creauit inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suae fecit illum. Stimulus autem mortis, peccatum; sicut stipendia peccati, mors.

Quae egit Christus in resurrectione adolescentis, agit quotidie in nobis.

Ezech. 37.

Sap. 1. *Ibidem 2.*

Sed ecce vnde in afflictione nostra communi, videlicet mortis, nobis laetandum est, quia Christus nostra resurrectio & vita, Naim appropinquat, in terram nostram descendit & regionem mortis, vt nobis in ea vitam largiatur pleniùs. Ecce enim ipsius mortalitatis propter nos factus particeps: atque etiam misericordia motus super miseriam, morte sua nostram destruere paratus est, & clamat; Nolo mortem peccatoris, sed magis vt viuat. Haec vitae verba audite mortui: & si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Ciues Naim qui egredimini ad mortem, gradum sistite ad conspectum Christi, & ipsum audite. Naim explicatur fluctus & mutabilitas. Haec est conditio terrae nostrae, & habitationis nostrae mortalis, omnes morimur, & velut aquae super terram dilabimur. Vnde ciues Naim optimè cunctos mortales referunt, quibus ideo dispositiones competunt, quae in illis erant, vt sicut ipsi in morte vitam inueniant.

Quid significet Naim.

Ecce quantum ad tertium quod Christus requirit à nobis, vt nos de morte resuscitet ad vitam, scilicet, vt sicut ciues Naim, inueniamur obuiam Christo, stemus coram eo, permittamus ei vt loculum nostrum, scilicet cor, tangat, ipsúmque dicentem audiamus; Tibi dico, surge: & statim ad vocem & tactum eius surgentes, incipiamus loqui, atque in nouitate vitae ambulemus. Nostra prompta debet esse conuersio, alioquin timendum ne transeat à nobis occasio, & restet damnatio aeternae mortis. Instantanea mors est, sed aeterna damnatio est.

Necessaria dispositio ad vitam gratiae obtinendam.

Et quaeso quot mori subitò videmus, atque etiam occidi & opprimi dum non putant? Baltassar Rex in mediis erat conuiuiis, cùm videt articulos manus scribentis iudicium suum in superficie parietis, & ipsa nocte occiditur. Amnon in ipsa mensa occiditur à fratre. Filij Iob vno die, dum epulabantur simul, omnes opprimuntur subuersione domus. Sed vt in Euangelio exempla sumamus, hodie adolescens mortuus est. Et qui dicebat apud Luc. Anima mea, multa bona habes posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare, audit à Deo: Stulte, hac nocte animam tuam repetũt à te. Quae autẽ parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, dicit Dominus, & non est in Deum diues. Sic est omnis qui sibi, & non Deo viuit; vita enim eius vapor est ad modicum parens, & deinceps morte breui exterminabitur. Qui autem Deo viuunt, etiamsi sint mortui, in morte tamen, vitam inueniunt, quorum vita abscondita est cum Christo in Deo

Dan. 5.

Iob. 1.

Luc. 12.

COTNI

CONTINVATIO praecedentis.

IESVS RESVRRECTIO peccatoris.

Ego sum resurrectio. Lazare veni foras. Ioh. 11.

Si qua in Christo noua creatura; vetera transierunt. 2. Cor. 5.

HERI & hodie Christus IESVS dat vitam mortuis. Heri prospiciebamus à longè adolescentem defunctum, quem turba populi cum vidua matre deducebat ad tumulum: hodie ad tumulũ vsque accedimus, vbi mortuus iacet, & iã quatriduanus fœtet. Heri videbamus matrem plorantem, & copiosam turbam Ciuitatis cum illa: hodie sorores flentes, & turbam multã cum eis. Heri Christum videbamus motum misericordia: hodie videmus turbatum spiritu & lacrymantem. Heri vidimus dare vitam mortuo adolescenti, & illum reddere matri: hodie circa quatriduanum & iam fœtentem in tumulo eadẽ facere videmus, ipsum resuscitare, & reddere sororibus. Mors cedit & fugit vbi vita adest. Euãgelium hodiernum, sicut hesternum confirmabit omnia.

Dum in Bethania infirmaretur Lazarus, sorores eius Martha & Maria mittunt ad Christum, dicentes; Domine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens IESVS dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. Interim mansit in eodẽ loco duobus diebus, & moritur Lazarus. Post hęc dixit discipulis suis: Eamus, Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitẽ eum. Et manifestè, Lazarus mortuus est; sed gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi, eamus ad eum. Venit itaq; IESVS, & inuenit eũ quatuor dies iã in monumento habentẽ. (Erat enim Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadiis quindecim, & tunc trans Iordanem erat IESVS, quando miserunt ad eum sorores.) Multi autem ex Iudæis venerant vt consolarentur eas. Martha ergo vt audiuit quia IESVS venit, occurrit illi, & ait: Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi IESVS: Resurget frater tuus. Scio, respõdit Martha, quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Tunc dixit illi IESVS: Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Credis hoc? & illa: vtique Domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei viui. Et cùm hæc dixisset, abiit, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. Illa vt audiuit, surgit citò, & venit ad eum, (nondum enim venerat IESVS in Castellum.) Iudæi autem qui venerant vt consolarentur eam secuti sunt, existimantes quod ad monumentum iret vt ploraret. Maria ergo cùm venisset vbi erat IESVS, videns eum, cecidit ad pedes eius, & sicut Martha dicit ei: Domine si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Tunc vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea, turbauit seipsum, & dixit; Vbi posuistis eum? Dicunt ei, Domine veni, & vide. Et lacrymatus est IESVS, & rursum fremens in semetipso venit ad monumentum, & ait: Tollite lapidem. Dicit ei Martha; Domine iam fœtet, quatriduanus est enim. Cui respondit IESVS: Nonne tibi dixi, quia si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem. IESVS autem eleuatis sursum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, vt credant quia tu me misisti. Hæc cùm dixisset, voce magna clamauit, Lazare veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, quem statim iussit solui & abire.

Ecce inter omnes quas Christus fecit magis admiranda resurrectio, eoque etiam magis singularis & notanda, quo expressiùs in signum & testimonium Diuinitatis ipsius facta est. Sic enim antè discipulis dixerat, quod hæc infirmitas ad mortem non erat, sed pro gloria Dei, vt glorificaretur filius Dei per eam. Sic cùm ipsum resuscitat, dicit ad patrem, eleuatis sursum ad eum oculis: propter populum qui circũstat, dixi, vt credant quia tu me misisti. Et certè statim etiam post in Euangelio sequitur, quod cùm ex hoc multi credidissent in eum, collegerunt pontifices & Pharisęi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Et vnus ex ipsis Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit (prophetans quod IESVS moriturus erat pro gente,) quia expedit vt vnus moriatur homo pro populo. Et sic ab illo die cogitauerunt vt eum interficerent. Adeò vt possimus dicere, quod ab eo miraculo Passio Christi incepit, sicut etiã statim narrationẽ eius suscipiemus. *Resurrectio Lazari expressè facta est in signum Diuinitatis Christi.*

Verùm in hoc tam solemni miraculo mysterium aliquod quæramus, & quid nobis repræsentatur in illo sedulò consideremus. Neque enim frustra hunc mortuum iam quatuor dies in monumento habẽtẽ Christus suscitare voluit, nisi ob aliquã instructionem nostram. S. Aug. in Iohan. notat propterea tres tantùm mortuos esse in Euangelio, quos legimus Dominũ suscitasse, filiã Iairi, filium viduæ, & Lazarum fratrem piarum sororum. Et minimè hoc frustra, & sine causa, inquit, Domini quippe facta, & signa sunt, id est, aliorum repræsentatiua: vnde exemplo vtitur & consideratione familiari & satis intima nobis, dicens. Intueatur vnusquisque animam suam; si peccat, moritur illa. Tribus autem modis peccatum committit. Primò, cogitatione, consensu, & delectatione, & sic mors est intus. Secundò, actibus externis committit, & sic mors foris est. Tertiò, praua consuetudine, & sic iam fœtet anima in suo corpore, velut in tumulo. Quare modò vt Christus ostenderet animam se debere suscitare ab hoc triplici genere mortis, & ad hoc etiam venisse in mundum, vt dicit hodie quia ipse est resurrectio & vita, propterea tres illos mortuos suscitare voluit, quos etiam Euangelistæ notarunt. Primò, filiam Iairi principis Synagogæ adhuc in domo manentem, quæ repræsentat animam, quæ cogitatione aut consensu intus mortua est. Sic, adolescentem viduæ filium, iam delatum extra portam, qui repræsentat eum qui actu externo committit peccatum, & iam foris mortuus est. Propterea tãdem Lazarum hodie iam 4. dies in monumento habentem & fœtidum suscitauit, qui eum repræsentat qui immaniori genere mortis, praua videlicet peccandi cõsuetudine mortuus est. Iste enim Lazarus iam fœtens in monumẽto, super quem lapis positus est, & quatriduanus, inueterati peccatoris imago est. Quia aliud est peccare, ait ille sancti *Resurrectio Lazari cum mysterio & instructione facta est S. August. in Ioh.* *Tribus modis peccatum cõmittitur.* *Quomodo tres mortui suscitati à Christo, tripli cẽ in nobis resurrectionẽ repræsentant.* *Lazarus imago inueterati peccatoris.*

S. Aug.

sanctus Doctor, & aliud peccandi consuetudinem facere. Qui peccat, & continuò corrigitur, citò reuiuiscit, quia nondum est implicatus consuetudine, non est sepultus. Qui autem peccare consueuit, sepultus est, & bene de illo dicitur, fœtet: incipit enim pessimam habere famam. Dicis illi, noli hoc facere. Sed quomodo te audiet, quem sic terra premit, qui & tabe corrumpitur, & mole consuetudinis prægrauatur?

8. Confess.

Vnde & de seipso loquens 8. Confess. sic dicit. Ligatus eram non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate: velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat. Quia ex voluntate peruersa, facta est libido, & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum non resistitur consuetudini, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (vnde catenam apellaui,) tenebat me obstrictum dura seruitus. Ecce ex S. August. vnde postea difficultas resurgendi à peccatis; sed ex Christo ipso veritatis oraculo, vnde homines multi moriuntur in peccatis. *Ego vado, & in peccatis vestris moriemini*, ait Christus. Peccatis assueti, aut nesciunt quidem conuerti, aut nimiùm differunt. Duo sunt illa mala, quæ ex indurato corde, & mala peccandi consuetudine procedunt.

Catena peccati. S. Aug.

Ioh. 8.

Duo mala quæ ex peccandi cõsuetudine proueniunt.

Ierem. 13.

De primo sic Deus hyperbolicè loquebatur apud Ieremiam: Si potest mutare Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cùm didiceritis malum. Quasi dicat, iuxta S. Hieron. nimia tua consuetudo iam in naturam conuersa est. Sic pariter intelligitur illud Iob, qui dicit: Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient. Vbi idem S. Hieronym. per ossa senectutem intelligit & duritiem ætatis. Quasi diceret: inueterata consuetudo faciet, vt semper idem sit peccator, scilicet semper flagitiosus, in senio, vt in iuuentute: & sic quoniam numquam pœnitere voluit, sed semper distulit, ita eius ossa, id est, dura senectus in puluere dormiet cum vitiis adolescentiæ, & morietur in peccatis.

Iob. 20.

S. Hieron.

Plerũq; perit in fine dilata conuersio.

Et sic sequitur secundum malum, quod nempe tales vt plerumque nimiùm conuersionem suam differunt, vnde etiam merentur vt in fine à Deo vt reprobi eiiciantur. Quem quæso non perterreat ille Antiochus, de quo sic legitur: Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consequuturus: Quem simul non afficiat terrore illa terribilis historia Chrisorij ciuis Romani atque opulentissimi viri, qui in extremo mortis dum se videret vocari ad Dei Iudicium, & à caterua circunstantium dæmonum accusari, inter illa angustias, inducias petebat vsque mane, & non obtinuit, sed miserè tunc mortuus est? Hanc historiam tanti facit S. Gregor. vt illam bis referat, & lib. 4. dial. & hom. 12. in Euangelia. Et quidem hinc ratio est cur tantopere curare debeamus, vt ad diem extremum pœnitentiam nostram & conuersionem non differamus, ne mors surripiat, & non sit qui eripiat.

2. Macha. 9.

Historia Chrisorij. S. Gregor.

S. Augu. Ser. 71. ad frat. in Eremo.

Hinc S. Augustin. Quid tu peccator conuerti dissimulas? Non metuis ne mors repentina surripiat diem conuersionis; nonne homines subitò moriuntur? Deus tibi promisit remissionem, conuertendo à peccatis: securitatem non promisit diu viuendi. Si subitò intrat dies extremus, perit dilatio, restat damnatio. Et Ser. 59. de verbis Domini. Cras, inquis, conuertar, & erit finis. Cuius rei finis? dicis, iniquitatum mearum. Bene, gaude quia crastino iniquitatum tuarum erit finis. Sed quid si ante crastinum tuus erit finis? Insto Dei iudicio meretur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui viuus oblitus est Dei. Et S. Ambros. vnum certè mirum dicit. Qui positus in vltima necessitate ægritudinis suæ acceperit pœnitentiam, & exit de corpore, fateor vobis, non negamus illi quod petit, sed non præsumo dicere quod bene hinc exit, non polliceor, non vos fallo; non decipio, pœnitentiam dare possum, non securitatem. Vis te à dubio liberare? vis quod incertum est, euadere? age pœnitentiam dum sanus es. Si autem tunc agere vis, quando peccare iam non potes, peccata te dimittunt, non tu illa. Timete ista peccatores, eòque magis quod dies mortis incertus est.

S. Ambr. lib. 7. de pœnit. cap. vlt.

S. Gregor. lib. 12. Moral. ideo dicit voluisse Deum, vt hic dies nobis incertus & incognitus remaneret, vt dum semper ignoratur, semper etiam proximus esse credatur. Et certè mors quæ subitò surripuerat ætatem hesterni adolescentis, ipsum iam ad senectutem suam deduxerat, & similem Lazaro ætate fecerat. Inter eum namque qui decem vixit annis, inquit S. Hieron. ad Heliodor. & eum qui vixit mille, postquam idem finis vitæ aduenerit, transactum omne, tantumdem est, par, atque simile, nisi quod fortè senex (vt plerumque accidit) magis onustus peccatorum fasce proficiscitur. Propterea que Seneca dicebat in suis epistolis. Non refert quot annos habeam, seu quot acceperim: si plus viuere non possum, hæc est mea senectus. Quicunque ad extremum sui fati venerit, hic moritur senex. Hunc ipsum quem agimus diem, cum morte diuidimus omnes. Timete ista ô peccatores. Quæretis me, dicit Dominus, & moriemini in peccatis vestris, qua videlicet hora non putabitis, eo quod malè & non opportuno tempore me quæsiuistis. Consuetudo mala iam in naturam peccati conuersa est, vt volentes peccata dimittere, iam non possitis. Cor induratum est. *Ego vado, & moriemini.* Auersi estis à Deo, & Deus pariter auertit se à vobis. Hæc est ratio indurationis vestræ & mortis.

S. Grego. lib. 12. Moral. *Cur nobis dies mortis est incertus.*

S. Hiero. ad Heliodor.

Senec. ep. 14.

Vnius[illegible] que senectus in morte[illegible].

Vnde induratio cordis oritur.

Dictum est de Pharaone in Exod. *Indurabo cor eius.* Quid est hoc? ait S. Augustin. nisi, cùm abfuerit gratia mea, obduret eum nequitia sua. Neque enim existimandum est quod Deus positiuè induret corda, nequaquã: sed tantum negatiuè, scil. negatione & recessu gratiæ. Nam sicut cùm nimio frigore aqua constringitur, Solis calore superueniente resoluitur; & discedente Sole iterum obduratur: ita certè frigore peccatorum, charitas multorum refrigescit atque constringitur, & velut glacies obduratur; sed cùm calor diuinæ misericordiæ superuenerit, corda resoluuntur. Quod nos indurat, nequitia nostra est: quod verò non resoluit, gratia Christi est. Confitemur tibi hodie pater Domine Cœli & terræ, & tibi immortales gratias agimus, qui de sede magnitudinis tuæ, & cœlis tuæ gloriæ fecisti super nos oriri lumen tuum admirabile IESVM Christum filium tuum, Solem Iustitiæ, qui visitat nos Oriens ex alto, de te ô pater luminum, illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, & non est qui se abscondat à calore eius. Ecce enim penetrat interiora cordis hominum & terræ, & vsque ad speluncarum & monumentorum profundissima, imperans & dicens lumen & vitam de tenebris splendescere, Lazare veni foras.

Exod. 4. S. Aug. Ser. 88. de temp. *Similitudo.*

Ecce in exemplo Lazari, vnde nunc obduratis corde, iamque in peccato mortuis, & in mole inueteratæ eorum prauæ consuetudinis fœtentibus, adhuc

adhuc spes restat sanctæ conuersionis, & ad vitam meliorem resurrectionis. Difficultas quidem magna est, & fateor, vt miraculi huius circunstantiæ indicant. Interim duo sunt in Christo quæ consolationem afferunt in hoc exemplo Lazari. Primum est, quod licet peccatores simus, non desinit tamen amare nos. Lazarus amicus noster dormit, inquit Christus: peccator amicus noster dormit. Quo somno? peccati & mortis. Et præterea adhuc dignatur ad nos venire licet mortuos, vt nos resuscitet: sed vado, inquit, vt à somno excitem eum. Et iterum manifestè: Lazarus mortuus est, sed eamus ad eum.

Duo in Christo pro consolatione peccatoris.

Secundum est, quod licet mortui simus, nobis tantùm sumus, & non Christo, qui potest nos suscitare. Vnde dixerat antè discipulis de morte Lazari quæ illi accidere debebat: Infirmitas hæc non est ad mortem. Quia licet ille ex ea moriturus erat, eum tamen Christus suscitare poterat; & sic illi non erat ad mortem. Sicut dixit similiter de filia Iairi: Non est mortua puella, sed dormit. Non est mortua, scilicet mihi, qui possum eam suscitare. Sic igitur de Lazaro sororibus respondet, quæ miserant ad eum dicentes: Ecce quem amas, infirmatur; respondet inquam: Hæc infirmitas non est ad mortem, sed pro gloria Dei, & ad miraculum, quo facto homines credant, & sic vitent veram mortem, sicut Marthæ dixit: Omnis qui credet in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Sicque nemo Christo mortuus est.

Matth. 9.

Nemo moritur Christo. Triplici ratione.

Ratio est, quia primò ipse est vita, & omnis origo vitæ, sicut hodie dicit: *Ego sum resurrectio & vita.* Secundò, quia in ipso, vt omnis vitæ principio, viuunt omnia, sicut Iohannes dixit: *Quod factum est, in ipso vita erat*, id est, viuebat. Tertiò denique, quia ipse etiam dat vitam mortuis; vt patet exemplis. Quare si modò moriantur homines in peccatis, discant id eis accidere sua culpa, & non ex parte aut voluntate Dei. Ipsi enim contra Deum mori volunt.

Tria necessaria, vt quis non moriatur in peccatis.

Sed nunc quæretis, quæ ex parte nostra necessaria sunt. Respondeo, illa tria. Primum est, adinstar piarum sororum dicere Deo, & sæpius: Domine ecce quem amas, infirmatur. Secundum est, post mortem & desolationem peccati, flere delictum suum. Tertium, si iam in tumulo peccator iacet, quatriduanus est, & praua peccandi consuetudine fœtet, statim tunc lapidem tollere oportet resistentiæ & obdurationis, vt mortuus vocem audiat clamantis, Lazare veni foras; & mox prodeat, eos aditurus qui ipsum soluant & absoluant. Si qua enim in Christo noua creatura, vetera transierunt.

DOMINICA PASSIONIS.

DE INNOCENTIA Christi Redemptoris.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioh. 8.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Eph. 1.

NEMO per se innocens est in conspectu Dei, nisi IESVS Christus filius Dei. Stellæ, dicit Iob, non sunt mundæ, & in Angelis reperit prauitatem. Sic Moyses duabus tabulis legis excisis ob peccata populi, sicut præceperat Dominus illi, inuocans eum & pronus in terram super faciem, dicit ei: Nullus apud te per se innocens est Domine. hæc Moyses dicebat in oculis & in conspectu eius qui omnia videbat. Sicut pariter Psalmista dicebat: Deus de Cœlo prospexit si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, omnes à rectitudine & innocentia aberrauerunt, & non est vsque ad vnum. Excipit tamen vnum qui hodie dicit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Eius innocentiam demonstrabit narratio Euangelij.

Iob. 15.

Exod 24.

Postquam multis argumentis Christus ostendisset Iudæis, quia patrem habebat Deum: & illo loquente, multi in eum credidissent: tunc dixit ad eos. Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem (scilicet horum omnium quæ ex me auditis,) & veritas, videlicet æterna, quæ filius est, liberabit vos. Cui responderunt quod semen Abrahæ erant, & nemini vnquam seruierant, non intelligentes de qua seruitute & libertate Dominus loqueretur. Quare respondit eis: Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus non manet in domo in æternum: filius autem manet. Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Scio quia filij Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud patrem meum, loquor, & non reliquit me solum, quia mecum est, & quia quæ beneplacita sunt ei, facio semper. Et vos si Abrahæ filij estis, vt dicitis, opera Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui a Deo: hoc Abraham non fecit. Vos autem ex patre diabolo estis, & patris vestri desideria & opera vultis facere. Ille homicida erat ab initio: & vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis, qui me interficere vultis. Tunc se iustificare voluerunt, & respondere: vnum patrem nos habemus Deum. Dixit ergo eis IESVS: Si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me; ego enim ex Deo processi, & veni. Et iam vt eos, veritate conuinceret quia filius Dei erat, illi autem non, sed ex alio patre erant, scilicet diabolo, cuius desideria & opera faciebant, innocentiam suam in testimonium illis sumit, & proponit dicens: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Audite hæc verba Christiani, qui filij Dei nominari vultis. Propterea, dicit Dominus illis, vos non auditis, quia ex Deo non estis. Testimonium quod sumus filij Dei, prædestinati hæredes in Christo IESV filio vnico & naturali patris, est si ipsius verba audimus. Propterea igitur Dominus dicit, vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Sed videamus quibus petita est iniuriis innocentia eius. Samaritanum tunc vocauerunt eum, & dixerunt quia dæmonium haberet. Maximè autem cùm dixisset adhuc, quia si quis sermonem eius seruauerit, mortem non videbit in æternum. Adeò vt etiam lapides tulerint, vt iacerent in eum, audientes quod diceret quia iam erat antequam Abraham fieret. IESVS autem abscondit se, & exiuit de Templo, quia nondum venerat hora eius. Ecce ô Christiani, quæ aduersus Christum facta sunt, & nobis hodie summatim narrantur in Euãgelio. Hec sunt Passionis eius initia, & coniunctim signa innocentiæ. Quare etiam cum Ecclesia, operæpretium mihi videtur, vt in ipso tempore & initio Passionis, cuius cras narrationē suscipiemus,

eius

eius qui patitur innocentiam antè videamus, quod nunc facimus.

Duo notãda in innocẽtia.

S. Bern.

Innocentia in se duo notanda habet. Primum est, quod sit patiens, vbique secura, nec labefactetur iniuriis. Ita S. Bern. super Cant. dicit, quod non mediocris est titulus virtutis, inter malignantes innocentiæ retinere candorem, & morum lenitatem.

S. August. in Ps. 38.

Ita dicit S. August. quod vera innocentia est, vbi integritas est sine peccato, flagellum & calumniæ absque merito. Tale equidem est quod de Christo hodie in Euangelio cernimus, vbi innocentiæ suæ integritatem ostendens; *Quis ex vobis*, inquit, *arguet me de peccato?* Iniuriisque & calumniis inde affectus, placidè respondet & securus: Honorifico Patrem, & vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet.

Innocẽtia secura in iniuriis.

Ecce innocentia secura, nec labefactata iniuriis. De Platone referunt, quod cùm quidam illi diceret nonnullos esse qui ipsum insectabantur maledictius. At ego, inquit, sic viuam, vt illis non habeatur fides. Hodie Christus meliùs quàm Plato, dicit hoc maledicentibus se; Quis ex vobis arguet me? Sic viuo vt honorificem patrem meum qui in cœlis est, & ipse clarificet me filium super terram. Non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet. Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta; quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, redime me à calumniis hominum, in quorum manibus iniquitates sunt. Ego autẽ lauabo inter innocẽtes manus meas. Pes meus stetit in directo, & sic in Domino sperans non infirmabor. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Securam igitur videmus hic innocentiam esse in calumniis atque iniuriis.

Ps. 24.

Plutarch.

Innocẽtia læta in morte.

Sed secundũ adhuc quod illi cõuenit, & propriũ est, videamus, nimirum, quod in morte sit læta, si accidat. Plutarch. in Lacon. de quodam Tectamene refert, quod innocenter damnatus ad mortem, gaudens ibat & ridens: & cùm interrogaretur ab his qui aderant, an contemneret Lacedæmoniorum leges; Nequaquam, ait. Quin potiùs gaudeo quod mori iubear, cùm neminem offenderit mea innocentia. Sic de Socrate refert Xenophon in Apologia eius, quod iam ad mortem damnatus, respondit cuidam condolenti, & dicenti: Ergóne amice innocens morieris? Quid? tu me nocentem mori malles? Ea mors libenter subeunda est, in qua, criminis innocentia, homo excusatur. Laudabiles illæ erant constantiæ hominum in morte, ex integritate & innocentia vitæ. Sed multo magis admirabilis fuit illa in Christo lætitia animi, qui vitam suam dare voluit non tantùm pro amicis, sed & pro persecutoribus & inimicis: & vt Ecclesia dicit, non dubitauit innocens manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum; tantaque cum lætitia se obtulit, vt in nullo lætaretur magis quàm in memoria suæ futuræ innocentissimæ mortis. *Baptismo habeo baptizari*, inquiebat, *sed quomodo coarctor, donec perficiatur?* Sic quidem lætabatur Christus. Sed nostrum est modò illi condolere, & tristari.

De morte lætabatur Christus.

Compati nos morti Christi debemus, & de ea tristari.

Officiũ nostrum est: & ad hoc spectare videtur Ecclesiæ intentio suos filios nunc inuitantis ad luctum, repræsentatione hodierna Passionis & innocentiæ Christi. Hoc nobis est à natura insitum, vt commoueamur, compatiamurque eorum suppliciis & passionibus qui damnatione plectuntur capitis, maximè verò si mortem innocenter & extra omnem culpam sustineant. Sic Ioseph, vt flecteret pincernam Pharaonis ad compassionem, & vt ipsius recordaretur cùm rediret in

A gratiam Regis, ei repræsentat innocentiam suam in carcere, dicens: Tantùm memento mei cùm tibi bene fuerit, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de carcere isto, quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum. Ac si diceret: etsi essem in aliqua culpa & crimine vitæ, tibi adhuc condolendum esset, quod me nunc videas in istis vinculis & squalore carceris. Quanto nunc igitur magis misereri mei debes, & compati afflictioni, quod innocens, & sine vllo crimine talia patiar? *Gen. 40.*

B Sic Ecclesia nobis hodie repræsentat, & ob oculos ponit in principio Passionis Domini nostri IESV Christi, innocentiam vitæ eius, vt contristemur ei, & doloris eius participes simus. Quis enim non fundet lacrymas, audiens quod ait coram inimicis; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & tamen quod ab ipsis cõdemnetur pati pro peccatõ? Quotannis pro filia Iephte quæ innocenter subierat mortem pro voto & salute populi, conueniebant filij Israël, vt diebus quatuor castam hanc & innocentem mortem plangerent. Quanto igitur magis nos quotannis debemus aliquos impendere dies, non quatuor, sed quindecim, vt ploremus mortem innocentem filij Dei, quem ex voto patris pro peccatis populi, & nostra omniumque salute eam subire voluit? Hinc equidem ratio est, cur istud

Mors filiæ Iephte quotannis plorata à filiis Israël.

C tempus quod lacrymis consecratum est, tempus dicitur Passionis, quia nimirum totum impendi debet pro Passione Domini, in compassione & contritione cordis, in dolore, amaritudine, & pœnitentiæ lacrymis: & maximè adhuc cùm hac ipsa Dominica, & prima die memoriæ huiusce cruentæ Passionis filij Dei, propositam eius in Euangelio innocentiam audiamus.

Quo fine hoc tempus Passionis dicitur.

Hoc autem sic factum est duabus ex causis. Prima est, vt visa ante nos Christi innocentia, sciremus peccata nostra esse causam mortis ipsius. Secunda, vt eodem aspectu detestaremur ea, atque vindictam de illis sumeremus, non sinentes amplius regnare in nostro mortali corpore, & viuere in nobis, quæ filio Dei mortem attulerant. Quan-

Duplici ex causa hac Dominica passionis proponitur innocentia Christi.

D tum igitur ad primum (vt cognoscamus esse peccata nostra quæ sunt causa mortis eius,) satis constat de innocentia Christi, nobisque etiam satis probata est, ex eo quod sit filius Dei: & quod adhuc vt homo sit conceptus de Spiritu sancto, vt dixit Angelus virgini, Spiritussanctus superueniet in te: & similiter Iosepho, quod in ea natum est, loquens de virgine, de Spiritu sancto est. Ad eum autem pertinet omne peccatum excludere.

Comprobatur innocentia Christi.

Quare licet ex S. Thoma Christus susceperit omnes defectus nostros, tam necessarios ad satisfaciendum pro nobis, quàm ad probandam in eo naturæ nostræ humanæ veritatem; non debuit tamen, nec potuit defectum peccati suscipere, tripli-

S. Tho. 3 p. q. 15. art. 1.

E cem ob causam. Prima est, quia peccatum nihil operatur ad satisfactionem, imò impedit illam, vt dicitur Eccl. 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus.* Secunda, quia peccatum non pertinet ad naturam humanam, vt per illud naturæ veritas demonstretur; imò potiùs est quid contrarium illi, & tantùm per inuidiam diaboli introductum in orbem terrarum. Tertia denique, propter vnionem hypostaticam & personalem naturæ diuinæ cum humana: hæc enim vnio quæ in Christo facta est, non permittit vt defectum peccati suscipere potuerit, propter inconueniens quod accideret inde, nempe quod etiam peccatum Deo attribueretur propter vnitatem personæ. Quandiu ferrum est candens

Triplex ratio cur defectum peccati suscipere Christus non potuit.

candens in fornace & ignitum, non poteſt rubigine operiri. Ita humanitas Chriſti in fornacem diuinitatis introducta, non poteſt peccati rubigine contaminari: humanitas & caro in nobis, caro peccati eſt; in Deo autem minimè.

Exod. 4. *Virga in manu Moyſis figura humanitatis Chriſti.* Huius rei eſt aliqua ſimilitudo Exod. 4. in virga Moyſis, quæ ſtatim atque extra manum Moyſis erat, & ponebatur in terra, ſerpens erat: dum verò manibus eam geſtabat, virga rectiſſima erat. Ita eſt de carne noſtra & humanitate extra Deum poſita. In terra ſua, ſeu in nobis, coluber eſt venenoſus: in manu verò Moyſis, id eſt, in verbo, quod eſt manus & dextera patris, virga eſt rectiſſima, virga æquitatis, innocentiæ, atque etiam noſtræ directionis: vtpote quæ nullo vnquam potuit curuari defectu. *Quis ex vobis* ait, *arguet me de peccato?* Propterea, dicit Apoſtolus, in eo propoſuit pater in plenitudine temporum inſtaurare omnia, deſtruendo peccatum per eum qui peccatum non fecit, nec feciſſe poteſt argui.

Quomodo Chriſtus ſimilitudinem carnis peccati aſſumpſit. Verumtamen vnum de eo dici poteſt, ſcilicet quod patiendo pro peccatis, in ſimilitudinem carnis peccati veniſſe dicatur, ſeu hanc ſimilitudinem habuiſſe, cùm abſque peccato omnes naturæ noſtræ defectus aſſumpſit, vt pati poſſet pro peccatoribus, ſicut Apoſtolus dicit Heb. 4. quod iam non habemus Pontificem qui non poſſit compati, tentatum per omnia, pro ſimilitudine, (notate) abſque peccato. Quatenus enim infirmitate noſtra circumdatus eſt, vt pati poſſet & compati nobis, ſimilitudinem, & non veritatem carnis peccati habuit. Et ſic qui peccatum non fecit, dicitur à Sancto Petro peccata noſtra pertuliſſe in corpore ſuo ſuper lignum, id eſt, pœnam peccatorum noſtrorum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus. (Heb. 4.) (1. Pet. 2.)

Deo ſatisfacere pro nocentibus non poterat, niſi qui innocens erat. Ecce igitur vnde fuit cōueniens, vt talem haberemus coram patre qui in innocentia ſua noſtrorum portaret pœnam delictorum, vt apud Iſaiam dicitur, quod poſuit in eo iniquitates omnium. Non enim alius quàm innocens pro nocentibus ſatisfacere Deo poterat, ſicut Apoſtolus ait: Talis decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus è peccatoribus, & excelſior cœlis factus. Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemel pro populo offerendo ſeipſum, non habens, dicit Apoſtolus, neceſſitatem, quemadmodum Sacerdotes, pro ſuis delictis hoſtias offerre. Eſt enim à peccatoribus ſegregatus. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Innocentiam vitæ ſuæ exponit omnibus. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* S. Gregor. ibi. Penſate fratres hic manſuetudinem Dei. Relaxare peccata venerat, & dicebat; Quis ex vobis arguet me de peccato? Non dedignatur ex ratione oſtendere ſe peccatorem non eſſe, qui ex virtute diuinitatis poterat peccatores iuſtificare. Penſet vnuſquiſque & ſedulò meditetur iſta, indeque etiam ſumat arma aduerſus peccata, quæ videt tantùm fuiſſe in cauſa, cur innocens moreretur Chriſtus. (Heb. 7.) (S. Gregor. hom. 18. in Euang.)

Ecce quantum ad ſecundum, cur videlicet Eccleſia ſimul cum memoria Paſſionis Chriſti, nobis etiam proponere voluit innocentiam eius. Hoc fecit conſultò, vt vindictam ſumamus de peccatis noſtris: ipſa enim fuerunt, quæ Dei filium & Dominum noſtrum ad mortem adegerunt. Ad arma, ad arma, ô Chriſtiani: ſed nolite ea ſumere aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Nolite quæſo cum Scribis & Phariſæis tollere & iacere lapides in eum, & iungere amicitias cum hominibus iſtis. Quid adhuc inire vultis pactum & fœdus (*Ratio deteſtandi peccata.*)

A cum peccatis? Et quid dicam? flens dicam, bibere iniquitatem cum exultatione? Mementote obſecro, quod numquam Dauid bibere aquam voluit de ciſterna Bethleem, licet feruente ſiti periret, eo quod illi fuiſſet allata cum periculo vitæ hominū & pretio, dicens: Num ſanguinē iſtorum hominū bibam, qui profecti ſunt? num animarū periculum bibam? Vos autem peccati aquas ſine diſcrimine bibetis, pro quibus Dominus IESVS tot & tanta paſſus eſt? Heu! abſtinete ab illis, & potiùs haurite aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Sitim veſtram effuſione ſanguinis eius extinguite, & compati ſitite Paſſioni eius. (2. Reg. 23.)

B

PASSIO IESV CHRISTI Domini noſtri ſecūdum Ioh. 18.

Egreſſus eſt IESVS *cum diſcipulis ſuis.*
Propoſuit Deus in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, &c. Eph. 1.

DE VOLVNTARIA MORTE IESV Christi.

C

VENIT hora, & nunc eſt, quando æternus Pater in ſanguine Crucis IESV Chriſti omnia reparaturus eſt. Vix pro iuſto quis moritur, ait Apoſtol. Commendat autem charitatem ſuā Deus Pater in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Euangelium dici ſumptum ex 7. Iohannis, dicit eſſe breue hoc tempus. Venit hora, & nunc eſt, videlicet quando iuxta Euangelium miſerunt principes Sacerdotū & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent IESVM. Quibus & ille dixit: Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum. (Ecce moriar citò.) Venit hora, & nunc eſt, quando dixerunt impij inter ſe illud Sapient. Circumueniamus iuſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, filium Dei ſe nominat, grauis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis. Quid facimus? multa ſigna facit. Gloriatur patrem ſe habere Deum: videamus, ſi verus filius Dei eſt, ſuſcipiet illum, morte turpiſſima cōdemnemus eum. Hæc cogitauerunt & errauerunt, inquit Sapiens. Verùm dicit illis hodie IESVS: Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum, & vado ad eum qui miſit me. Quaſi diceret, ex Theophylacto, non tam violenta morte quam vultis mihi inferre, quàm voluntaria, breui vadam ad eum qui me miſit. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Quidquid agatis, licet ſim inter vos, tamen non me comprehendere poteritis, donec tempus meum expleatur, quod breuiſſimum eſt. Adhuc modicum, vado ad eum qui miſit me, & trado meipſum. Venit hora, & nunc eſt. Egreſſus eſt IESVS, &c. (Rom. 5.) (D) (Sap. 2.) (E) (Theophylactus.)

A principio Paſſionis Domini oſtenditur, quid Chriſtum ad mortem impulerit, videlicet ipſius pura miſericordia & charitas. Siquidem heri iuſtificabatur eius innocentia, & quomodo nulla in eo inuenta eſt cauſa mortis, vt poſtea etiam ſtatim

statim ab iniquo Iudice palàm declarabitur. Quid ergo impulit ipsum vt egrederetur ad mortem? beneplacitum eius & charitas. Oblatus est, apud Isaiam, quia voluit, & ait: Voluntariè sacrificabo tibi, quoniam bonum est. Vnde etiam voluntariè egressus est.

Magnum beneficium erat Israëlitis iste transitus Domini, de quo Exod. 12. [Exod. 12.] quando viso sanguine agni in postibus & superliminaribus domorum filiorum Israël, transibat liberans eos Dominus, & percutiens Ægyptios. Sed multo maius & singularius est beneficium quod nobis hodie præstatur in egressu & transitu Christi, qui vt liberet nos, & percutiat morte Ægyptios Inferni, sanguinem suum super nos effundere decreuit. Magnum etiam beneficium istud erat Exod. 17. [Exod. 17.] quod percusso silice, aquam Deus populo sitienti dederit. Sed multo hodie nobis maius est, quod pretiosum latus suum præbeat, & aperiri lancea patiatur, vnde fons vitæ deriuetur, & ad nos effluat, iuxta illud Zachariæ: [Zach. 13.] *In illa die erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris.* Adeò vt modò nobis dicat pater eius; Loquimini ad petram, & ipsa dabit vobis aquas: aquas dicit, quia certè mox fiet sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis super terram, & sic pluuiam voluntariam nobis segregabit Deus. Egressus est IESVS, non coactus, sed volens, & propria charitate impulsus. Sic apud Matthæum [Matth. 20. & 26.] assumptis duodecim discipulis, secretò ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur, &c. Vnde etiam post cœnam & sermonem de proditione Iudæ, statim canitur hymnus, quo dicto, statim exierunt in montem Oliueti, [*Voluntaria mors Christi.*] vt significaretur, quàm voluntariè & lætanter properabat ad mortem Christus Dominus, sicut aliquando dixit: *quomodo coarctor donec perficiatur?*

[*Cantus Cygni, præsagium mortis eius.*] De Cygno communiter referunt, quod cantus eius, imminentis ipsius mortis præsagium est. Sic de Christo, in testimonium eius proximæ mortis hymnus dicitur, quo dicto, exierunt. Et certè in hymno isto, & cantu lætitiæ atque gratiarum actionis, constat satis de gaudio animi Christi, ac promptitudine qua ad propinquam mortem properabat. Egressus est IESVS, quo passu? vtique amoris & summæ erga nos & patrem charitatis. Primò erga patrem Sic Iohan. 14. [Ioh. 14.] Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam, sed vt cognoscat mundus quia ego diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Surgite, eamus. Hæc cùm dixisset, egressus est IESVS cum discipulis suis.

Secundò erga nos. Item Ioh. 13. [Ioh. 13.] Sciens IESVS quia venit hora eius (& nunc est,) vt transeat de hoc mundo ad patrem: cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finé dilexit eos. Et quid Paulus de se ait ad Galatas? [Gal. 2.] Vtique Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Maiorem certè hac nemo charitatem habet. O vtinam sic omnes fundati essemus & radicati in charitate Dei cum Apost. isto, vt comprehenderemus cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, sublimitas & profundum diuinæ huius charitatis in opere nostræ Redemptionis, & scire possemus illam supereminentem scientiæ, (equidem omni) charitatem Christi. Quia certè maior vis eius est, quàm vt possit comprehendi.

[*Æqualis erga nos dilectio patris & filij.*] O immensam & incomprehensibilem erga nos Dei charitatem! Mutua certè & æqualis est hæc patris dilectio & filij. Sic filius dicebat de amore patris: [Iohan. 3] Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Sic Apostolus, [Eph. 1.] vt notum faceret nobis Deus sacramentum voluntatis suæ; (dilectionis suæ videlicet excessum) proposuit in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius. Similiter etiam de amore & charitate filij idem Apostolus dicit: [Eph. 5.] Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ. & ad Hebr. [Heb. 9.] Nunc autem in consummatione sæculorum ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit semel oblatus ad multorum exhaurienda peccata. Assistens enim Pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundans conscientiam nostram ab operibus mortuis: & ideo noui Testamenti mediator est, vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.

O Christiani, nunc Christi charitas vrget nos ad amandum eum qui tantopere dilexit nos, & vt cum eodem Apostolo dicamus: Quis nos separabit à charitate Christi, qui nos sic dilexit, vt tradiderit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis? Propterea igitur, dicit Apostolus, [Eph. 5.] & vos ambulate in dilectione. Ecce enim amore egressus est IESVS. En in quo, ô Christiani, verum est dicere, quia Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians. Vnde etiam iuxta Apostolum gloriamur in Deo [Rom. 5.] per Dominum nostrum IESVM Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Ecce quomodo in omnibus à Christo salutem & vitam recipimus.

Sed hic quæstionem faciamus, videlicet cùm à voluntate Christi dependeat mori, aut non mori, vtrùm debuerit sic ponere animam suam, & dare in redemptionem pro multis? S. Thomas [S. Thom. 3. p. q. 46. ar. 3. *Variæ rationes cur debuit Christus pati.*] in Summa nonnullas hac de re rationes affert: conueniensque hoc fuisse ait, ex eo quod inde multa concurrunt pertinentia ad salutem nostram, præter liberationem à peccato. Prima est, vt cognoscat magis exinde homo, quantum eum Deus diligat, & sic prouocetur ad ipsum amplius redamandum, in quo est perfectio nostræ salutis. Quomodo enim homo non diliget eum qui pro se, & adhuc inimico, animam suam posuit? In omnibus commendat Deus charitatem [Rom. 5.] suam: sed in hoc potissimùm commendat, dicit Apostolus, quoniam cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.

Secunda, vt per hoc similiter nobis sit exemplar omnium virtutum, obedientiæ, humilitatis, & patientiæ, omniumque aliarum, quæ ad salutem necessariæ sunt. Vnde ait S. Petrus: [1. Pet. 2. & 4.] *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*, &c. & iterum. *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini.*

Tertia denique, vt per hoc maior homini inducatur necessitas se immunem à peccato conseruandi, qui se videt à peccato redemptum sanguine Christi. Ideo enim adhuc Ecclesia quotannis hanc memoriam Passionis repræsentat, vt sæpius peccata nostra detestátes, destruere distamus.

Sicut

similitudo. Sicut enim mater dolorosa & tristis de cruenta Sponsi sui morte, reseruato eius indusio, conspersio sanguine, solet illud aliquando proferre & monstrare filiis, vt simili dolore affecti audacius vlciscantur de inimicis: Ita Ecclesia, inquam, quotannis & sæpius adhuc in anno sanguinolentum Christi sui Sponsi indusium, videlicet memoriam Passionis eius, nobis ob oculos ponit, vt in conspectu huius spectaculi, libentiùs vltionem sumamus de peccatis nostris.

Recordor facti Antonij, qui non tantum copia dicendi, quantum ostensione togæ Cæsaris, eius sanguine purpuratæ, commouit populum Romanum, vt Brutum & Cassium eius occisores & parricidas exterminaret. Ita, dico, facit Ecclesia, in hoc B Passionis tempore nobis tunicam sanguinolentam Christi repræsentat, vt peccata nostra exterminemus, memores quod iuxta Isa. 53. vulneratus est propter iniquitates nostras. Atque etiam eo magis quod voluntariè dolores nostros tulit, & languores portauit, vt nos redimeret ab illis. Rectè quidam Philosophus dicebat: *Qui beneficia inuenit, compedes inuenit*, quibus nempe beneficiorum deuinctus, in vinculis perfectæ charitatis. O quale illud fuit beneficium nostræ Redemptionis, vbi ipse Dei filius de maledicto legis & mortis redemit nos in sanguine Crucis! vbi pretio tandem mortis suæ, nos libertate & vita donauit?

Beneficium nostræ Redemptionis omne aliud superat. Magnum beneficium fuit Israelitis, quod per C vndas maris rubri illis iter præparauit in terram promissionis. Sed maius hodie, quod per sanguinis sui vndas nobis iter ad Cœlum patefecit. Magnum beneficium, quod tot plagis Ægyptios in fauorem Israël affecerit, Exod. 10. Sed maius hodie, quod in salutem nostram tot ipse suscipere voluerit. Magnum denique, vt finiam, beneficium fuit Iosue collatum, quod stetit Sol in medio Cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei, Deo pugnante pro Israël. Sed multo maius beneficium est, quod hodie Sol Iustitiæ Christus Dominus de cœlis in terram nostram descenderit causa nostræ salutis, & festinet ad occasum suum, properet ad mortem, & egrediatur modò, vt cum D principe huius mundi, & potestate tenebrarum certamen ineat admirandum. Ecce, dicit S. Iohannes, egressus est IESVS cum discipulis suis. Proximum est duellum istud vitæ & mortis. Ecce egressus. Necesse est vt sequatur occursus. Egrediamur & nos, vt quæ breui ventura sunt super Dominum videamus, ipsumque sequuti in morte, mereamur vitæ participes fieri, quam nobis in Cruce est comparaturus.

Exod. 10.

Iosue 10.

DE CONVENIENTIA Passionis & mortis IESV Christi.

Egressus est IESVS *trans Torrentem Cedron, vbi erat hortus.* Ioh. 18.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Ephes. 1.

SATIS mundo notum est, quanto amore non solùm patiendi, sed etiam pro nobis moriendi A hoc diuinum Christi pectus semper flagrauerit. Ex Euangelio diei Iohan. 7. fratribus inuitantibus ipsum Ierosolymam ascendere ad diem festum, respondet Dominus, quod nondum aduenerat tempus eius, festi & exaltationis. Hinc dicit illis: Vos ascendite ad diem festum istum. Ego non ascendo, quia tempus meum nondum impletum est. Quis est dies festus Christi? Passionis & mortis. Hoc autem tempus nunc impletum est, vbi hodie Christus egressus est. Egressus est IESVS cum discipulis suis trans Torrentem Cedron. Ecce tempus, ecce dies nobis quidem tristitiæ: Christo autem lætitiæ. Hodie, iuxta Euangelium, quærebant eum Iudæi in die festo, & dicebant, vbi est B ille? quia interficere quærebant. Quia tamen nondum aduenerat tempus eius, non manifestè ascendebat, sed quasi in occulto. Cùm autem impletum est, palàm & manifestè egressus est IESVS cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, vbi erat hortus, hortus qui erat Iudæ notus. Sciebat enim Iudas locum, notat Scriptura; vt ostendat quia Christo in hunc locum intranti, quem Iudas sciebat, vt meditaretur quæ ab illo ventura erant super se, & mereretur pro salute nostra, gaudium summum erat, qui tunc nos in sanguine Crucis suæ sibi desponsare volebat. *Ioh. 7.*

De Isaac legitur, quod quadam die cùm instaret tempus aduentus Rebeccæ ipsius sponsæ, egres- C sus est ad meditandum in agro, inclinata iam die, & eam sibi obuiam habuit: qua visa sic lætatus est, vt statim eam in vxorem accipiens introduxerit in cubiculum matris suæ Saræ, tantumque dilexit, vt dolorem temperaret qui ex morte matris aduenerat. Ita Christus IESVS fortè tristis ob mortem Synagogæ matris, egressus hodie ad meditandum in agro Gethsemani, & horto oliuarum, inclinata iam die, post cœnam, sic lætatus est, occurrente sibi Ecclesia sponsa, vt eam in locum & tabernaculum antiquorum Saræ, id est, Synagogæ matris suæ introduxerit, sibi illam desponsans in fide, & sanguine Crucis suæ, vt possit illi dicere meliori iure & titulo D quam Sephora Moysi viro suo: Sponsus sanguinum tu mihi es. Tantusque erga eam ipsius fuit amor, vt dolorem temperaret, qui ex morte Synagogæ illi acciderat. Adeo vt dies ille sit illi dies magnus lætitiæ, & nuptiarum, temporisque exaltationis supremæ: in quo non solùm sanguinem pro anima sponsa sua effundere est paratus, sed vitam ipsam. Propterea enim dicitur hodie: Egressus est IESVS trans Torrentem Cedron, id est, de passionibus transibit vsque ad mortem. Cedron explicatur tristis, & torrens sæpius pro passionibus accipitur. *Gen. 24. Egressus Isaac in agrū, figura egressus Christi in hortum.* *Exod. 4.* *Quid significet Torrens Cedron*

Hæc sunt quæ Dominum nostrum in morte præuenerunt & circumstant, tristitia animi, & E passiones corporis. De tristitia legitur quod sit in agonia factus, & tristis vsque ad mortem. De passionibus verò sic erat prædictum in Psalm. 35. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*, id est, in via mortis suæ, & prius quam exaltetur à terra super Crucem, operietur tormentis, sicut dicit: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. *Ps. 35.* *Ps. 68.*

Et certè hic transitus in Torrentem Cedron, mihi imprimis ob oculos ponit illud magnum mysteriū Isaiæ, vbi dicitur quod posuit Deus in Christo iniquitates omniū nostrūm. Iuxta quod legitur 2. Paral. quod iussu regis Ezechiæ, Sacerdotes & populi *Isa. 53.* *2. Paral. 29. & 30.*

Figura transitus Christi in Torrentem Cedron.

populi in Templum ingressi, vt mundarent illud, A iuxta imperium Domini, & auerterent à se furoré eius, extulerunt omnem immunditiam quam intrò repererant in domo Domini, quam asportauerunt ad Torrenté Cedron. Itemque vniuersa, in quibus adolebatur Idolis incensum, subuertentes similiter proiecerunt in Torrentem Cedron. Sic ergo hodie Christus Torrentem pertransit immunditiarũ nostrarũ, in quem omnes fuerũt proiectæ, vt mundaremur ab eis, nos qui per eũ Templũ Dei viui facti sumus, & cuius satisfactione auersus est furor patris eius à nobis, cum eo nostra per ipsum reconciliatione facta. Sic enim, ô Christiani, Deus erat in

2. Cor. 5.

Christo mundum reconcilians sibi: qui in plenitudine hac temporum proposuit in ipso instaurare B omnia, pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris. Sed vbi? & quomodo? trans Torrentem Cedron.

Ephes. 1.

1 Dicit primò, trans Torrentem Christũ egressum esse, quia equidẽ ab omni peccato immunis est, sicut ait Paulus: Decebat vt talis nobis esset Põtifex, sanctus, immaculatus, à peccatoribus segregatus. Vnum est tantùm, quod nẽpe per omnia debuerit fratribus assimilari, tentatus pro similitudine, sed absque peccato, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est pro similitudine carnis peccati, potens est auxiliari, & nos reconciliare patri, qui sic disposuit.

Cur Christus trans Torrentẽ egreditur. Heb. 7.

Heb. 2.

2 Secundò, trans Torrenté, quia C amore nostri passiones pertransiit atque tristitiam, non solùm pro populo pati, sed & mori paratus, qui vt animam poneret, ideo est egressus.

Iam aliquid de conuenientia eius Passionis diximus. Imprimis autem cõuenientia est, quod sicut diabolus vicerat hominem morte: sic homo vinceret eadem morte diabolum; & sic totum ad maiorem hominis gloriam cederet, & diaboli confusionem, quando videret se occidi armis propriis. Item, quod sicut homo, videlicet Adam, aliis meruerat mortem moriẽdo: ita Christus homo-Deus & nouus Adam, moriendo mereretur aliis de morte victoriam. Vnde ad Cor. dicit Apostolus: Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum no- D strum IESVM Christum. Sicque à Caipha prædictum fuerat dicente: *Expedit vt vnus homo moriatur, ne tota gens pereat.*

Conuenientia mortis Christi.

1.

2.

1 Cor. 15.

Ioh. 11.

In his verò conuenientiis omnium locupletissimus est S. Thomas, qui in Summa multas affert. Primaq; est, posito quod debuerit Deus satisfacere; per mortem debuit. Et hæc est ratio, quia genus humanum adiudicatum erat morti per peccatum, iuxta illud Gen. Quacunq; hora de ligno comederis, morte morieris. Est autem conueniens satisfaciendi modus pro aliquo, cùm alter se pœnæ subiicit, quam ille meruit. Et ideo Christus pro nobis mori voluit, qui pro nobis satisfacere voluit, vt dicit S. Petrus: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus* E *est, vt peccatis mortui iustitia viuamus.* Hocque modo Caiphas prophetabat dicens; *Expedit,* &c.

Quadruplex conuenientia. S. Tho. 3 p. q. 50. art. 1.

1.

Gen. 2.

1. Pet. 3.

2. Secunda, ad ostendendam veritatem naturæ assumptæ. Et illa ratio, & conuenientia Eusebij est. Si enim, inquit ille, post conuersationem cum hominibus euanescens subitò euolasset fugiens mortem, ab omnibus compararetur phantasmati.

Euseb.

3. Tertia, vt corporaliter moriendo similitudini peccati, id est, pœnalitati, nobis daret exemplũ spiritualiter peccato moriendi, vt dicitur Rom. 6. Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo IESV Domino. Quid

Rom 6.

A ergo peccabimus? absit. Quasi diceret, ex quo Christus pro peccato mortuus est, non amplius viuendum esse peccato.

4. Quartà, vt moriẽdo liberaret nos à timore mortis. Vnde dicitur Heb. 2. quod ipse communicauit carni & sanguini, vt per morté destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum; & liberaret eos qui timore mortis per totam vitã obnoxij erant seruituti. Quare etiam hodie in hortum voluntariè est egressus, vt magis adhuc omnia conuenirent. S. Cyrill. in Iohan. egregiè hoc notauit. Vt, inquit, vbi hominum ruina cœperat, ibi etiam reparatio exordiũ sumeret. Hortus iste erat paradisum designans, ad pristina enim omnia recurrere B oportebat; vnde & in paradiso malorũ omniũ initium factum est. Sic in horto Passio Christi incipit, per quam à malis liberati, in pristinum habitum restituti sumus. Et quidẽ conueniens erat, sicut Ecclesia canit, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret per Christum Dominum nostrum.

S. Cyrill. in Ioh. Conueniẽtia cur Christus ... in horto in... ...

In Euãgelio legimus, quod venerit ille drachmã perditam quærere. Vbi ergo fuerat perdita, eam quærere oportebat. Perditus est homo in horto, Dei pretiosa drachma, & formosissima imago: vnde venit eam quærere Christus in horto. Egressus est IESVS trans Torrentẽ Cedron, vbi erat hortus.

In horto duellum fuit inter diabolum & primum Adamum, victorque extitit diabolus: hodie C verò in horto secundus Adam diabolum vincit. In horto ne suam Euam contristaret Adam, comedit de fructu vetito: Christus verò carnem suam contristando vsque ad effusionem sanguinis in horto, factus obediens gustauit de fructu amaro mortis. In horto, abscondit se Adam à Deo: & IESVS ne à Iuda quidem proditore suo abscondit se in horto. Sciebat autem Iudas & locum. Et cùm miser iste cum sua cohorte armata venit, prodit se IESVS, processit obuiam armatis, & ait: Quem quæritis? Ego sum, sinite hos abire. Ego sum quem quæritis. Ecce ego qui me offero pro plebe mea victimam reconciliationis. Quare etiam egressus ire voluit in hortum Gethsemani, qui secundum S. Hieronymũ D explicatur vallis pinguis: hortus oliuarum, misericordiæ & gratiæ. Quia nimirum egressus inde, debebat offerri Deo patri nostrum pingue sacrificium, in ara suæ Crucis. Etiam quia hinc incipiebat excellentissimum misericordiæ suæ opus, quod est humanæ Redemptionis, vt dicit Apostol. ad Tit. 3. *Quia non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit.*

DE NECESSITATE ET causis mortis IESV Christi.

E

IESVS sciens quæ ventura erant super se, processit, & dixit eis: Quem quæritis? Iohan. 18.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Eph. 1.

AMORIS & compassionis plenum est verbum istud IESV Christi; Quem quæritis? Quem quæritis ad interficiendum? Ad omnes peccatores

catores hodie videtur loqui: omnes enim qui peccatum commiserunt, morti eius consenserunt. Quem quæritis? Hæc verba & sensus eorum optimè consonant cum Euangelio hodierno, vbi dicitur quod cùm tempore encæniorum, id est, dedicationis Templi, palàm IESVS ambularet in porticu Salomonis, circumdederunt eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palàm. Quibus Christus respondit: Ego loquor vobis, & non creditis, &c. Quasi tunc diceret illis, quod dixit tempore & hora Passionis; Quem quæritis? Ego sum. Sic enim cùm fuisset egressus IESVS ad orandum patrem pro reconciliatione nostra, tempore festi & dedicationis suæ humanitatis, sciens Iudas locum, & quia frequenter illuc conuenerat, cùm accepisset cohortem & ministros à Pontificibus & Pharisæis, venit illuc cum armis. IESVS autem sciens omnia, quæ ventura erant super se, processit. Et circumdederunt eum, & dixit eis: Quem quæritis? Illi autem, IESVM Nazarenum. Quasi rursum dixissent ei, quod hodie in Euangelio dixerunt: Si tu es Christus, dic nobis palàm, quia occasio nata est, & amplius te non poteris liberare de manibus nostris; quousque animam nostram tollis?

Nunc Dauidis prophetiæ completæ sunt. Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens & rugiens. Et rursus: Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Considerauerunt & inspexerunt me, & sermonibus odij circumdederunt me, dicentes; quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palàm. Quem quæritis? IESVM, dicunt, Nazarenum. Ego sum, respondit IESVS, & abierunt retrorsum. Circumdederunt me sicut apes: & exarserunt sicut ignis in spinis; sed in nomine Domini, quia vltus sum in eos. Dixi, Ego sum, & abierunt retrorsum. Quem quæritis iam? Loquor vobis, & non creditis. Opera iam quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibebunt de me. Ego sum, & abierunt retrorsum. Operibus iam credite. Quæritis me, & vt palàm ostendam quia ego sum Christus. Credite modò, factis docebo vos, & non tantùm verbis. Ego sum; & ceciderunt in terram.

Psal. 21.

Verbo & opere Christus Dei filium se declarat, & quia voluntariè, nō coactè mortem subibat.

Verùm vt ostenderet simul quia & aduersus Deum nulla est humana vis: sed quia liberè, & non coactè mortem oppetebat, eos surgere permittit, & simul capi ab illis, postquam rursus interrogasset quem quærerent, & dixisset eis: Dixi iam vobis quia ego sum. Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum: statim namque comprehendentes eum ligauerunt. Quibus dixit: Quasi ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me? Cùm apud vos quotidie fuerim in Templo, non extendistis manus in me. Sed hæc est hora vestra. O qualem horam! Infortunatam dicam? in qua pius pater æternus, ex Isaia, posuit in filio iniquitatem omnium nostrûm. Omnes nos quasi oues errauimus: vnusquisque in viam suam declinauit; & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium. O qualem horam! in qua & ipse percussus à patre propter scelus populi, peccata omnium super se tulit. Hæc est hora vestra. O qualem horam! in qua nunc derelictus à patre, potestati tenebrarum traditus est, & minimè etiam recusauit dare dilectam animam suam in manus inimicorum eius. Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. O qualem horam! qualem potestatem! A quales manus! quæ hodie comprehendentes IESVM, ligauerunt eum.

Luc. 22.

Isa. 53.

Non quæratur iam cur sic se morti offerat. Scit IESVS quia venit hora eius, vt transeat de hoc mundo ad patrem. Et quidem, dicit, filius hominis secundum quod definitum est, vadit, videlicet ad mortem. En ratio necessitatis: quia sic definitum est à patre. Sic Sanctus Petrus in Actis: Viri Israëlitæ, audite verba hæc. IESVM Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus & prodigiis, vt ipsi scitis, hunc definito consilio & præscientia Dei traditum interemistis.

Ioh. 13.
Luc. 22.
Necessitas mortis Christi.
Act. 2.

S. Thomas hanc necessitatem cum distinctione explicat, & dicit vnam esse quæ absoluta est, & B coactionis: aliam verò quæ hypothetica est, seu ex suppositione finis. Vnde iam dicimus, nullo modo necessarium fuisse vt Christus pateretur, aut moreretur, necessitate absoluta, seu coactionis, (quasi ab agente extrinseco,) sic enim oblatus est, quia voluit. Ita vt neque ex parte patris, qui hoc definiuit, neque ipsius Christi, qui voluntariè acceptauit, necessarium hoc fuerit.

Duplex necessitas.
S. Thom. 3. p. q. 6. art. 1.

Necessarium autem fuit necessitate hypothetica, seu finis. Primò, ex parte patris, & filij simul. Patris sic definientis, vt diximus; & filij similiter acceptantis: hinc enim prophetiæ & figuræ in Scripturis, propter quas dicebat ipse Christus Nicodemo de figura loquens: *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis.* C Ecce figura in serpente Moysis, de quo Num. 21. Et notate quomodo propter illam ponit necessitatem dicens, ita oportet, &c. Et simile est de prophetiis, quæ vbique inueniūtur in Scripturis, propter quas dicebat duob. illis euntibus in Emmaus, de morte sua loquens: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Sed vnde tot prophetiæ? vtique ex definito consilio patris, & acceptatione voluntaria filij, vnde etiam necessitas.

Qua necessitate fuit necessarium Christi mori.
Ioh. 3.
Figura.
Num. 21.
Luc. 24.
Prophetiarū impletio de morte Christi.

Secundò, ex parte hominum, qui per nullum alium, ex rigore iustitiæ, poterant à morte liberari, D propter infinitum debitum. Propterea enim adhuc ipse Dei filius dixit, quod eum misit pater in mundum, vt saluetur mundus per ipsum. Et Apost. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Sed quo oportuit pretio? Mortis. Frater non redimit, redimet homo, non purus homo, dicit S. Basilius in hæc verba Psaltis, sed Deus-homo. Empti estis pretio magno. Magnum quidem & inæstimabile istud pretium est, quod pro nobis datum est. Et certè minimè appretiari potest, si dignitatem personæ consideremus, & meritum. Ponderauit Sanctus Petrus in Epistolis cùm dixit: Non corruptibilibus auro & E argento redempti estis, sed pretioso sanguine Agni immaculati Christi. Sed tantum ponderauit Apostolus, & tam magnum apprehendit, vt certè minimè postea illud ponderare potuerit, cùm dixit: Empti estis pretio magno. Plura dicere nescit.

Ioh. 3.
Gal. 4.
1. Cor. 6.
1. Pet. 1.

Hinc S. Bonauentura rationes quærit huius tanti pretij quo nos Christus redemit, & quatuor potissimas affert. Prima est, quia Deus non est sicut alij mercatores qui volunt diuites fieri, & propterea res viliori pretio emunt. Non est autem sic de Christo, qui è contrà, nos redimens suo pretio, ditare nos cupit, vt notauit Apostolus dicens Corinthiis: Scitis gratiam Domini nostri IESV Christi, qui cùm diues esset, propter

S. Bonau.
Rationes cur Christus tāti nos emit.
2. Cor. 8.

vos egenus factus est, vt illius inopia vos diuites essetis. A

Secunda, vt nobis suam liberalitatem ostenderet, & sic eum toto corde diligeremus. Vnde S. August. Miser ego, quantum diligere debeo Deum meum, qui me fecit cùm non essem, me redemit cùm perieram? Abieram, & in peccato venditus eram, venit ille, & redemit me, & tantum dilexit me, quod pretium sanguinis sui dedit pro me.

S. August.

Tertia, vt inde nostram etiam pretiositatem agnosceremus, eodem S. Aug. ibi dicente. Agnoscat homo quantum nunc valeat, & dum cogitat pretium suum, vilis sibi esse desinat. Empti estis pretio magno.

Quarta denique, vt sic Deus pro homine, ad omnem rigorem, diuinæ satisfaceret Iustitiæ, quando ipsum proprio pretio redemit, & non alieno. Hoc attendat homo, & quomodo respectu sui & debitæ satisfactionis ad quam tenebatur, necessarium erat vt filius Dei moreretur.

Causa mortis Christi. 1. Causa peccatum hominis.

Verùm in hac necessitate causas etiam mortis eius videamus. Tres sunt aut quatuor præcipuæ. Imprimisque constat esse peccata hominum, cùm nullibi reperiamus cur venerit ille & mortuus sit, quàm ob illa. Sic ad Timot. Apostolus: *Sermo omni acceptione dignus, Christus venit peccatores saluos facere.* Vnde S. August. Nulla causa veniendi fuit Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla erit causa medicinæ. Figura est in Ezechia Rege ad mortem vsque ægrotante, ad quem venit Isaias cum massa ficorum, vt cataplasmaret super vulnus eius, & sanaret eum. Missus iste Isaias, qui dicitur salus, ad ægrotũ vsq; ad mortem, Christus est mundi salus. Massa ficorũ, vnde cataplasma nostrum confectum est, dolores sunt & passiones humanitatis eius, & ipsa vulnera quæ pro nostra omniumque salute pertulit. Quæ ideo nobis sic contemplanda S. Bern. proponit, dicens. Agnosce, ô homo, quàm grauia fuerunt vulnera tua, pro quibus necesse fuit Christum Dominum pati. Nisi fuissent hæc ad mortem, numquam pro iis Dominus meus fuisset mortuus. Quid enim fecisti dulcissime IESV, vt sic durè tractareris? (dicunt SS. August. & Ansel. in meditationibus suis.) Ego sum, ego sum tui causa doloris, tuæ culpa occisionis, tuæ Passionis liuor, tui cruciatus labor, & tuæ vindictæ flagitium. Ecce prima causa mortis Christi, peccatum hominis.

S. Aug. Ser. 9. de verb. Apostoli.
4. Reg. 20.
Figura aduentus Christi in mundũ.

S. Bern.

2. Causa iustitia patris.
Rom. 3. & 4.

Secunda causa fuit iustitia patris, ex prædefinitione decreti, vt Apostolus dicit: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, id est, gratia. Vnde sequitur quod gratis iustificati sumus, per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo IESV, quem proposuit Deus propitiationẽ in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui est ex fide IESV Christi. Propter quod dicitur quod & traditus est propter delicta nostra, Rom. 4. sicut alibi, quod pater æternus filio proprio non parcens, pro nobis omnibus tradidit illum. E

S. Tho. 3. p. q. 47. art. 8.

Quam traditionem sic explicat S. Tho. videlicet filio hanc voluntatem patiendi pro nobis inspirãdo, & talem charitatem infundendo. Et hęc est tertia causa mortis ipsius, videlicet obedientia filij & charitas eius, qua scilicet mortem subeundo, Deum patrem, vnumquemque nostrûm, & simul omnes amare testatus est. Patrem, Iohan. 14. Vt cognoscat mundus quia ego diligo patrem, & sicut mandatũ dedit mihi, sic facio, eamus. Vnumquemq; nostrûm

3. Causa, obedientia & charitas Christi.
Ioh. 14.

in particulari. Sic Apostol. ad Galat. Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Denique omnes in generali. Sic ad Ephes. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem Deo. Adeò vt dixerit Iohannes quod propitiatio factus est pro peccatis nostris, non pro nostris tãtùm, sed pro totius mundi. Sicut Apoc. 1. dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

Gal. 2.
Ephes. 5.
Apoc. 1.

Ecce qua ratione & modo Christus à patre traditus est. Primò, per inspirationem propriæ voluntatis & obedientiæ. Secundò, non protegendo eum à morte: sed exponendo voluntati quærentium & persequentium eum, voluntati Iudæ & Iudæorum, sicut dixit aliquando: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur.* Et hodie egressus trans Torrentem Cedron, vbi erat hortus, dicit quærentibus se: Quem quæritis? Ego sum. Si me quæritis, sinite hos abire. Ego sum pastor bonus qui pono animam meam pro ouibus meis. B

DE FRVCTV PASsionis Christi.

Si me quæritis, sinite hos abire. Ioh. 18.
Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi. 2. Cor. 5. C

BONVS pastor Christus IESVS ponit animam suam pro ouibus suis. Si me quæritis, inquit, sinite hos abire. Et hoc, ait Euãgelista noster S. Ioh. vt impleretur sermo quem dixit: quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quẽquam, scilicet Ioh. 17. vbi eleuatis oculis in Cœlum dicebat: Pater sancte, iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Cùm essem cum eis, ego seruabã eos. Quos dedisti mihi, custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis (Iudas.) Nunc autẽ ad te venio, & pro ipsis meipsum sanctifico, i. in sacrificium me offero: vt & ipsi sint sanctificati in veritate, id est, taliter corroborati, vt post me, & pro me similiter offerant se tibi in sacrificium. Sicut enim tu me misisti in mundum: ita & ego misi eos in mundum, vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam. Et sic non rogo, vt nunc tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. Quare hodie ad Iudæos dicit: Si me quæritis, sinite hos abire; quia nimirum clarificandus erat in eis, per quos perficiendum erat opus Dei patris. Vnde etiam dicit quia pro eis rogabat, & pro eis similiter qui per verbum eorum credituri erant.

Ioh. 17.
D

Opus patris, salus animarum est, & Redemptionis opus, quod quidem filius in terram cõsummare venit dicẽs: *Hæc est voluntas eius qui misit me patris, vt perficiam opus eius.* Vnde etiam cùm est proximus morti, statim ad patrem dicit: Ego te clarificaui super terram. Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciã; vt notum sit, non solùm esse opus filij, sed etiam patris. Sic Abacuc Propheta sermonẽ suum ad Patrem Domini nostri IESV Christi dirigebat: Egressus es in salutem populi tui cum Christo tuo. Ecce in Propheta egressus patris in egressu filij. Quo sensu similiter ait Apostol. noster, quod erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi. i. pater in filio. Neq; enim hic tantùm est mentio de persona filij, quæ in Christo erat per realem & substantialem vnionẽ ad humanã naturam: sed etiã in patre

Opus patris quod venit filius perficere, est animarum salus.
Ioh. 4. & 17.
Abacuc 3.
1. Cor. 5.

principio

principio diuinarum personarum, & qui secundum essentiam suam, & relationem, & eiusdem filij originem seu principium, in illo est: secundum suam essentiam quam ei communicat, & quæ eadem penitus est: secundum relationem qua pater, talis enim pater est, vt sit in filio pater, & numquam separetur ab eo. Denique secundum quod principium eius est: iuxta quod Iohannes dicit, quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum; & sic in verbo principium.

Ecce qua ratione dicitur, quia Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians, & in plenitudine temporum instaurauit omnia in ipso; videlicet pater in filio, seu potiùs, vt essentialiter id dicamus de Deo, tres diuinæ personæ in Christo, quibus per ipsum reconciliatus est homo. Licet in hoc sit discrimen, quod etsi quidem omnes simul nostram salutem operatæ sint, & reconciliationem seu reparationem, ita vt hoc opus sit commune tribus, dicitur tamen illud tantùm factum fuisse per Christum, quod solus fuerit qui reconciliationis nostræ pretium dederit, videlicet sanguinem. Vnde etiam ipse propriè redemisse dicitur & per se: pater verò & Spiritussanctus in ipso restaurasse & reconciliasse omnia. Et sic loquuntur Scripturæ; erat Deus in Christo: sicut proposuit in ipso restaurare omnia; omnia enim, & in omnibus Christus. In quo & omnia constant quæ ad nostram salutem spectant.

Tres diuinæ personæ omnia restaurauerunt in Christo.

In Incarnatione simile est exemplum, vbi licet tres diuinæ personæ simul ad hoc opus concurrerint, vna tamen sola, scilicet persona verbi, incarnata est, in qua subsistunt & constant omnia. Ita igitur dico de hoc opere nostræ Redemptionis, patris quidem opus est, sed quod in Christo factum & consummatum est, sicut dixit illi: Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam, & perficiam illud. Vnde sicut in illo in Incarnatione est inceptum: sic in morte in ipso est consummatum, eodem dicente in Cruce; *Consummatum est.*

Conuenientia inter opus Incarnationis & Redemptionis.

Propterea igitur quia ex missione eius & mandato patris, ad ipsum pertinebat hoc opus, vt consummaret & perficeret illud, hodie dicit quærentibus se; *Si me quæritis, finite hos abire.* Quasi diceret: ad hoc veni in mundum, vt non perdam quemquam ex eis quos mihi dedit pater, sed adhuc vt mea morte omnes alios saluificem. Talis est Passionis meæ fructus, animarum salus: nimirum per remissionem peccatorum, & reconciliationis gratiam, dare ingressum ad gloriam. Ecce ad quid veni.

Notabile huius rei exemplum est, ex Euangelio diei, hoc Passionis tempore, & in Magdalena peccatrice, quæ iam experitur in se, & colligere incipit fructus horti oliuarum, & misericordiæ Dei. In primis apud S. Marcum, dum quærerent Scribæ IESVM, vt occiderent eum, & ipse recumberet in domo Simonis leprosi, contra indignè ferentes quod super caput eius pretiosum vnguentum effunderet, eam subitò iustificat & protegit, dicens; finite illam, sicut hodie de discipulis suis; finite illos. Verùm ex hodierno Euangelio, hoc gratiæ & iustificationis mysterium, seu Passionis Christi effectus in hac muliere peccatrice amplius adhuc videamus. Ingressus IESVS domum Pharisæi discubuit, & ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes eius, tergere capillis, osculari, & vnguento vnxit. Videns autem Pharisæus, qui eum vocauerat, intra se dicebat: Hic si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et ecce protinus iustificat eam Dominus, dicens ei: Dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et ad illam; Fides tua te saluam fecit, vade in pace.

Marc. 14.

Luc. 7.

Effectus Passionis recipit Magdalena.

A

Ecce hic tres præcipui ex Passione Christi fructus. Primus omnium est remissio peccatorum, iuxta illud Isa. 43. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me*; in quantum videlicet nobis per Crucem applicatur sanguis Christi, qui est infiniti valoris: & sic aduenit nobis solutio reatus. Sciendum enim est ex S. Tho. hominem tribus modis in potestatem diaboli cecidisse per peccatum. Primò, ex parte suiipsius, qui peccato suo hoc meruit, vt victus ab illo. Secundò, ex parte Dei, qui sic ab homine offensus, per suam Iustitiam ipsum reliquit tali potestati. Tertiò denique, ex parte ipsius diaboli, qui quantum potest, nequissima sua voluntate ipsum impedit à consecutione suæ salutis. Passio autem Christi ab omni illa seruitute & reatu liberauit.

Tres præcipui fructus Passionis Christi.
1. Remissio peccatorum.
Tribus modis homo cecidit in potestatem diaboli propter peccatũ.
S. Thom. 3. p. q. 49. a. 2.

B

C

Quantum enim ad primum, vt illa Passio, superabundans satisfactio est pro peccatis nostris, & sic causa & fons omnis remissionis: ita per illam fuit homo ab omni potestate diaboli liberatus. Quantum etiam ad secundum, quia reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, dicit Apostolus. Denique quantum ad tertium, quatenus, nempe, morte filij Dei deuictus est diabolus, omnisque potestas sublata est de manibus eius, cùm videlicet rationem potestatis sibi traditæ à Deo, excedens, machinando mortem in filium eius, qui cùm sine peccato esset, mortis non habebat reatum, ipsemet quam illi parauerat, Cruce occisus est; & sic quos tenebat homines captiuos, dimisit liberos. Vnde Christus: *Si filius liberauerit vos, verè liberi eritis.* Proptereáque hodie dicit de discipulis; finite hos abire. Quare? quia filius liberauit eos. Et similiter de Magdalena, finite illam: remittuntur ei peccata multa; Fides tua te saluam fecit, vade in pace.

Quomodo morte Christi omnis potestas diaboli sublata est.

D

Hos autem misericordiæ effectus ex Passione Christi omnes recepturi sumus, si cum Magdalena, & adinstar ipsius stantes retrò secus pedes Domini, in vmbra alarum eius à furore & indignatione iræ Iustitiæ Dei, amoris vehementia lacrymemur, pedes Domini osculemur, & vnguento bonorum operum vngamus. Nam vnde quæso ei tot peccata remissa fuere, nisi quia dilexit multum? vnde illi pax & salus à Domino, nisi quia cœpit lacrymis rigare, & osculari osculo oris pedes misericordiæ eius? O quàm diuersum fuit osculum Mariæ ab osculo Iudæ! Maria stans retrò secus pedes Domini, lacrymatur, vngit, osculatur: Iudas verò appropians, & vsque ad os Domini erigens se, oris osculo tradit. Iuda, dicit illi Dominus, osculo filium hominis tradis? Ab Ieremia id fuerat prædictum: *In ore suo pacem cum amico loquitur, & occultè ponit ei insidias.* Amice, ad quid venisti? Recordor Ioab, qui osculo proditionis Amasam interficit. Cùm enim venisset ad eum Ioab, & dixisset Amasę; Salue mi fratrer, tenens mentum eius, velut deosculans eum percussit in latere gladio, & effudit viscera eius in terram. Sic Iudas hodie aduersus Dominum; Salue Rabbi, & osculo tradit, percutiens morte gladio oris sui. Cui Dominus; Amice,

Diuersũ osculum Magdalenæ ab osculo Iudæ.
Ierem. 9.
2. Reg. 20.
Ps. 40.

E

Amice, ad quid venisti? Iuda osculo filium hominis tradis? Homo pacis meæ, osculo magnificauit super me supplantationem. Ioab dux meus, homo pacis meæ. Cuius enim rei signum est osculum? nonne reconciliationis & pacis? & tamen osculo oris magnificauit super me supplantationem.

S. Ambro. in Ps. 39. O Iuda, dicit Ambros. venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur, osculo quod sacræ pacis insigne est. Hoc ergo osculo tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari deberes: & tradis homo filium hominis, qui propter hominum salutem descendit de Cœlo. Filium hominis tradis, qui te ex peccatore Apostolum fecit, tradis filium hominis, qui venit vt in sanguine suo peccata omnium hominum dilueret. O Iuda, quàm diuersum est osculum tuum ab osculo sponsæ! Osculetur me osculo oris sui, ait illa, osculo amicitiæ, petens vnionem cum sponso. Tu autem osculo filium hominis tradis, & reconciliationem dissoluis osculo, quæ datur osculo. Sed quid? Quod Iudas nititur mortis osculo dissoluere, eodem Christus reparat in sanguine Crucis suæ. Sic enim dicit Apost. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, qui in dispensatione plenitudinis temporum proposuit instaurare omnia in ipso.

2. Fructus Passionis Christi, reconciliatio. Iste est secundus fructus qui prouenit nobis ex Incarnatione, & Passione Christi. Vno modo, quatenus per Incarnationem homo cum Deo vnitus est, talesque cum eo iniit amicitias, vt quod hominis est, attribuatur Deo, & quod Dei est, communicetur homini; tantum est amicitiæ & vnionis commercium. Altero modo per sacrificium Crucis, in quantum per Passionem suam Christus plenissimè Deo offenso pro nobis omnibus satisfecit. Quomodo dicimus nunc, quod Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, & quod Deus ille in sanguine suo instaurauit omnia & quæ in terris, & quæ sunt in cœlis. Vnde etiam dicere potuit; finite hos abire. Tu autem ô Magdalena, vade in pace; fides tua saluam te fecit.

3. Fructus, gloria & salus. *Heb. 10.* Ecce tertius fructus proueniens ex Passione Christi, consequutio gloriæ & salus. Habemus fiduciam in introitu Sanctorum, dicit Apostolus, in sanguine Christi, &c. S. Thom. duobus modis dicit prohibitum fuisse & clausum homini introitum regni cœlestis.

Duobus modis homini regni cœlestis aditus clausus est. S. Thom. Gen. 3.

Primò, per commune peccatum primi hominis. Sic enim legitur in Genesi, quod statim post peccatum Adæ, & eiectionem eius, collocauit Deus ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeū gladium ad custodiendam viam. Secundò, per peccatum speciale vniuscuiusque nostrûm. Nihil enim inquinatū intrabit in regnū cœlorum. Per Passionem autem Christi, nostrum in Cruce soluentis pretium, ab vtroque impedimento liberamur. Sic ad Hebr. vbi dicitur quod Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. *Heb. 9.*

***

A

DE COPIOSA REDEMPTIONE, & prima effusione sanguinis Christi in agonia horti.

Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum? Ioh. 18.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Ephes. 1.

B

NVMQVAM magis charitatem suam IESVS Christus commendauit in nobis, quàm cùm nos in sanguine suo redimere voluit. Dauid propterea vniuersum Israëlem ad sperandum in Domino à mane vsque ad vesperam inuitat, ex hac *Ps. 129.* futura redemptione copiosa, dicens: *A custodia matutina, vsque ad noctem speret Israël in Domino. Quia apud eum misericordia & copiosa redemptio, & ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius.* Hodie equidem incipit, vbi antequam in Crucem ascendat, & fontes aperiat super nos misericordiæ suæ, in horto factus in agonia iam guttas sanguinis sudat decurrentis super terram. Sed heu! Audite cœli, & auribus percipe terra. Filios enutriui, & exaltaui, dicit Dominus apud Isaiam, ipsi autem spreuerunt me. & in Osee. Væ eis, quoniam recesserunt à me: vastabuntur, quoniam præuaricati sunt in me. Ego redemi eos, & ipsi loquuti sunt contra me mendacium. *Isa. 1. Osee 7.*

C

Hodie ex Euangelio diei, concilio collecto propter suscitationem Lazari, dicunt Pharisæi; Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Ego redemi eos, ait Christus, & locuti sunt contra me mendacium. Vnus autem Caiphas: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vt vnus moriatur, ne tota gens pereat. Solus hic inter omnes non est loquutus mendacium, sed veritatem. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit quod IESVS moriturus erat non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Væ Israëli: comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit. Vnde rursus idem propheta ait: Proiecit Israël bonum, inimicus persequetur eum. (Interea Gentiles in locum suum intrabunt.) Deuoratus est Israël: nunc factus est in nationibus quasi vas immundum. Hæc prophetia in eis hodie impleta est. Sicut è contrà, populus qui ambulabat in tenebris, factus est Deo populus acquisitionis, nunc vocatus Israël. Quælibet enim nunc anima fidelis, Israël est; & nunc etiam speret in Domino, quia apud eum misericordia & copiosa redemptio, qui breui redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius. *Osee 8.*

D

E

Ecce iam sudor factus est in horto sicut guttæ sanguinis decurrentis super terram; vnde iam amplius lauabit me ab iniquitate mea, & à peccato meo mundabit me. Si desiderauimus nos, ô Christiani, lauari à peccatis nostris in sanguine isto quasi vnigeniti à patre; & amplius desiderauit filius, dicens

cens apud Luc. 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur?* Et ſi per peccata noſtra cum Caipha & Iudæis in concilio collecto diximus; Quia expedit vt moriatur vnus: priùs hoc pater & filius amore noſtri decreuerunt. Et ſecundum quod definitum eſt, filius hominis vadit, dicit filius. Quouſque tam feruenter decretum iſtud implere deſideret, vt dicat diſcipulis: Deſiderio deſideraui, quomodo coarctor, &c. Et Petro prohibere volenti: *Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum?* Quaſi diceret: nihil gratius & optabilius eſſe poteſt calice iſto, quem mihi porrigit pater æternus. Calix enim meus inebrians quàm præclarus eſt, quàm pretioſus & optandus!

Iesus Christi desiderium mortis pro nobis.

De calice iſto plura apud Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. vbi dicitur quod cùm perueniſſet ad locum Gethſemani, ſeu oliuarum, cum diſcipulis, tunc Petro, Iacobo & Iohanne ſecum aſſumptis, cœpit contriſtari & dicere: Triſtis eſt anima mea; ſuſtinete hic, & vigilate. Et progreſſus puſillum ſolus, quantum eſt iactus lapidis, procidit in faciem ſuam orans, & dicens ter: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Abba pater, omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer calicem hunc à me. Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire à me, niſi bibam illum, fiat voluntas tua; non enim ſicut ego volo, ſed ſicut tu: fiat voluntas tua ſicut in Cœlo & in terra. Deſcendi enim, non vt faciam voluntatem meam, ſed tuam. Cibus enim meus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, & vita mea in voluntate eius eſt.

Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22.

Quare minimè putandum eſt, illa verba præcedentia; *tranſeat à me calix iſte*, multum eſſe contraria illis quæ Petro dicta ſunt: *Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum?* Quibus quidem verbis oſtendit ſe valde appetere mortem. Etenim cum dicebat, *transfer calicem hunc à me*, ſeu, *tranſeat à me calix iſte*, ex mente Sanctæ Catharinæ Senenſis, vt Raymundus refert eius Confeſſor & Generalis Ordinis; nihil aliud erat quàm dicere: hauriam illum citò, accelerari mihi deſidero, quomodo coarctor donec perficiatur? Actum ſit, & ſic tranſeat à me in alios qui fructus recepturi ſunt. S. Baſil. eodem ferè ſenſu explicat, dicens per hæc verba Chriſtum rogaſſe patrem ſuum, vt Paſſionis calicem transferret ad martyres, qui certè in virtute huius orationis inſatiabili poſtea ſiti ad martyrium properarunt. Sanctus Ambroſius in Luc. dicit tunc rogaſſe patrem, vt ſi fieri poſſet, quod mortem ſubiret abſque cauſa tot peccatorum, ita fieret. Vnde dicit per exaggerationem, calix iſte, quia certè magis peccata noſtra dolebat quàm ſua vulnera. Aliam adhuc explicationem idem refert in 10. Luc. dicens quod per hæc verba mortem minimè timebat, ſed nec malos pro ſe perire volebat: propterea transfer calicem hunc à me.

S. Catharina Senenſis.

S. Baſil. in Pſ. 115.

S. Ambro. in Luc. 22.

Item in Luc. 10.

Cum hac opinione conuenire videtur S. Hieronym. in Matth. Tranſeat à me calix iſte, non timore, inquit, patiendi, ſed miſericordia iſtius populi Iudaici, ne ab illo bibat, vtpote qui excuſationem ignorantiæ habere non poterat, ſi occideret eum. Quare Iudæorum peccatum atque interitum, & non ſuam mortem timuiſſe; vnde dicit, calix iſte, vt Iudæorum peccatum verbis iſtis indicaret. Sic Beda, & ſic etiam Euſeb. Emiſſen. in Paſſione Domini, qui hoc optimè notauit. Non dixit, inquit, tranſeat à me calix, ſed iſte calix, quia voluiſſet, ſi ita fieri potuiſſet, vt He-

S Hieron. in Matth.

Euſeb. Emiſſen.

A bræi propter quos maximè venerat, ſicut aliquando dixit: Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël; non fuiſſent executores ſuæ mortis. Propterea igitur tranſeat à me calix iſte: quaſi diceret, doleo eorum vicem, quia ſi caput meum circumdederint ſpinis, inimici vndique circumdabunt ipſos. Tranſeat ergo calix iſte, quia mea mors, ipſorum erit mors.

Licet autem omni veneratione expoſitiones illæ dignæ ſint; tamen ex iudicio omnium ferè Doctorum, vt S. Gregorij Nyſſen. Chryſoſtom. Ambroſij & Athanaſ. illa eſt litteralis, ſcilicet, eiuſmodi conflictum ſuſtinuiſſe Chriſtum, vt oſtendatur in eo veritas duarum naturarum, humanæ B & diuinæ. Sicut ſimiliter exinde in eo fuiſſe duas voluntates colligimus: vnam inferiorem, quæ humana eſt; alteram verò ſuperiorem, quæ diuina. Adeò vt cùm dixit Chriſtus: Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; tunc reliquerit & permiſerit humanam naturam partes ſuas agere, ſicut egiſſet ſi non fuiſſet cum diuinitate coniuncta, aut nihil ſciuiſſet de diuino decreto. Ita Sanctus Bonauentura cum gloſſa in Luc. qui dicit quod agonia iſta, in qua tunc Chriſtus factus eſt, reluctatio erat ſenſualitatis meritò horrentis mortem, & rationis ipſam acceptantis: quia tunc virtute diuina, quælibet pars permittebatur agere & pati, quod erat ſibi propriũ. Sic Origines. Suſcipiens, inquit, naturã carnis humanæ, omnes proprietates impleuit, vt non in phantaſia habuiſſe carnem exiſtimaretur, ſed in veritate, ſecundum quod hoc loco orat calicem tranſire à ſe. Interim non ſicut vult ipſe, ſed ſicut vult pater.

Ex conflictu duarum voluntatum, veritas duarum naturarũ in Chriſto colligitur.

Expoſitio litteralis.

S. Bon.

Origenes.

C

Interim hoc maiori adhuc admiratione dignum eſt, quamobrem tantopere mortem Chriſtus apprehenderit, vt etiam ex eo prodierit ſudor ſanguinis. Dicit enim S. Lucas, quod factus in agonia prolixiùs orabat, & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis, &c. Sanctus Thomas reſpondet, & dicit quia tunc non ſolam mortem, ſed mortis potiſſimùm cauſam, id eſt, omnium peccata concipiebat corde. Tua ergo ſunt peccata, ô D homo, quæ ſic Dominum IESVM ſudare fecerunt. Et quidem mors non eſt quid tam ab homine alienum, quàm peccatum eſt. Quare etiam in Chriſto non conſideratio mortis, ſed peccati pro quo mortem oppetebat, talem ſudorem exprimebat. Inde fortaſſe apud Iſaiam interrogantibus eum: Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? reſpondet. Calcaui eos in furore meo, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. Dies enim vltionis in corde meo. Circumſpexi, & non erat auxiliator, vnde ſaluauit mihi brachium meum, & indignatio mea auxiliata eſt mihi. Et conculcaui E populos in furore meo & inebriaui eos indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum. Factus in agonia prolixiùs orabat; & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.

Vnde ex apprehenſione mortis Chriſtus ſudauit ſanguinem.

S. Th. 3. p. q. 46. art. 6.

Iſa. 63.

Sed quid hoc eſt, Deum in agonia videre? Quid rurſum quæſo illa agonia eſt? Colluctatio, & ſingulare duellum, vt diximus, duarum admirandarum in Chriſto voluntatum. Certamen eſt. Ergo breui victoria aderit. Ita eſt, & Dominica proxima victoriæ triumphum cantabimus. Interea hodie & certaminis, & ſimul victoriæ ſpeculatores ſimus. Campus certaminis, hortus eſt. Mementote corruiſſe Adam in horto à diabolo ſuperatum. Ecce hodie

Christus in horto victoriam recuperat. Sic Deus, dicit Apostolus, proposuit in Christo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia. Quàm bene omnia hic conueniunt?

Sed ecce certamen, & admirandum certamen. Filius Dei in agonia factus prolixiùs patrem suum orat: Pater mi, si possibile est, transfer calicem hunc à me. Hoc verè magnum est certamen, vbi sic in vno mors & vita duello conflixere mirando: sed tale certamen non erit absque auxilio. Apparuit autem illi Angelus de Cœlo confortans eum: confortans eum non quidem quasi animo deficientem, sed iam gloriosè de sua victoria triumphantem.

B Ecce victoria; verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. Mementote iterum omnes, primum Adamum suam fecisse voluntatem in horto, annihilando diuinam, & cecidisse victum. Ecce hodie Christus secundus Adam, in quo Deus pater proposuit instaurare omnia, hominis ac propriam annihilat voluntatem, vt diuinam exequatur. Non mea, inquit, sed tua voluntas fiat. O Christiani, non amplius nostram cum diuinæ dispendio voluntatem faciamus, memores quod filius Dei pro voluntate patris facienda, obediens illi factus est vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Ecce cibus Christi, & calix eius inebrians. O pater, non sicut ego volo, sed sicut tu vis. In paradiso voluptatis homo per inobedientiam cibum animæ suæ amisit, lignum vitæ: Christus verò Dei filius in horto agoniæ, patri factus obediens vsque ad mortem, nobis fructum vitæ in Cruce reddidit. Ecce quousque nos hodie Christus obedire Deo edocuit, & præstare obsequium mandatis eius. Dignum est certè vt omnem nostram voluntatem ei subiiciamus, totoque seruiamus affectu, qui nobis tam perfectæ obedientiæ exemplum in filio dedit. Nemo igitur obedientiam ægrè ferat: sed omnes cum gaudio voluntatem suam Deo offerant, & Christo filio eius, qui pro omnibus suam immolauit dicens; Non mea, sed tua voluntas fiat. Ecce exemplum, & ratio nostri similis sacrificij, & quare ipsi Christo voluntatem nostram debeamus immolare, quia & vita in voluntate eius.

Quomodo Christus per obedientiam omnia reparauit.

DOMINICA IN PALMIS.

DE VICTORIA ET triumpho Crucis Iesv Christi.

Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. Matth. 21.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Ephes. 1.

ADMIRABILIS est triumphus Iesv Christi in victoria eius; triumphus in morte Crucis est, & victoria in obedientia eius: hodiéque canitur in victoria triumphus, dum per obedientiam intrans Ierosolymam, vt expleret ibi voluntatem patris, his acclamationibus excipitur à turbis quæ præcedebant & sequebantur: *Osanna filio Dauid, benedictus qui venit*, &c. Communis hic est iubilus & vniuersalis exultatio, iuxta quod per prophetam dicitur. Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus

A venit tibi mansuetus. Rex equidem mansuetus, in cuius obedientia, victoria eius est. Prouerb. 21. *Vir obediens loquetur victoriam.* Hodie loquitur: vnde exultatio communis, vbi reparationis omnium fructus percipitur. Prouerb. 21. *In obedientia Christi victoria eius.*

Habemus Rom. 5. quod per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, id est, omnes: per vnius autem obeditionem iusti constituentur multi, id est, iustificabuntur, & ex obedientia illa fructus iustitiæ percipient. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesvm Christum. Et sic vir obediens loquetur victoriam. Humiliauit semetipsum factus obediens, &c. propter quod & Deus exaltauit illum, vt omnis lingua confiteatur, *Osanna filio Dauid*, &c. Venit hora, & nunc est, Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Sic antè dicebat: Nunc anima mea turbata est: & quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam; Pater clarifica nomen tuum. Venit vox de Cœlo: Et clarificaui, hodie est, vbi clarificatur à plebe dicente; *Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* Et iterum clarificabo, videlicet in morte. Interim vir obediens loquetur victoriam. Nunc enim iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Si quis mihi ministrat, me sequatur. Vir obediens loquetur victoriam. Rom. 5. Phil. 2. Ioh. 17. & 12.

C De Scipione Africano narrant historiæ, quod cùm aliquando fuisset iniustè à Tribunis accusatus, noluit aliter innocentiam suam iustificare, quàm dicendo illis coram populo: Hac ipsa die qua me accusatis, Hannibalem vici & Carthaginem. Propterea nunc in Capitolium vado, vt Ioui sacrificem, & pro victoria mea gratias illi agam. Interea iudicate de me. Quo dicto, cum suis egressus, statim ad Templum se contulit. Quod cùm vidisset populus, cœpit ipsum comitari & sequi: & sic loco capitalis sententiæ, etiam pro secunda vice triumphare fecit. Hodie idem mihi Christo accidere videtur Ierosolymam intranti cum triumpho, Hannibale

D spirituali & Carthagine, id est, Synagoga, deuictis. A Pharisæis & senioribus populi accusatur: & ille non aliter iustificat se quàm honore triumphi. Hæc est dies, inquit, quam fecit Dominus, exultemus in ea. Hæc dies, in qua Zacharias dicit: Exulta satis filia Sion. Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, iustus & Saluator. Quis dabit ex Sion salutare Israël? inquiebat Dauid. Cùm aduerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israël. Hodie lætatur, quia salutare venit Rex iustus & Saluator, & dicit; *Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.* Hæc dies, inquit Christus, in qua vici Carthaginem, Synagogam: in qua vici Hannibalem, diabolum; & nunc princeps

E huius mũdi eiicietur foras. Venite exultemus Domino: eo ad Templum, vt Deo patri in gratiarum actionem sacrificium laudis & obedientiæ offeram & meipsum. De me iudicate. Verumtamen vir obediens loquetur victoriam. Sic stipatus suis, Ierosolymam tendit, & omnis populus obuiam procedens, triumphare fecit. Zach. 9.

Ex Euangelio, cùm appropinquassent Ierosolymis, & sedere eum fecissent discipuli super asinam, plurima turba quæ obuiam exierat, posuit vestimenta sua in via, & cæsis de arboribus ramis, sparsisque in via, turbæ quæ præcedebant & quæ sequebãtur, clamabant dicentes; Osanna filio Dauid: sicque

sicque triumphans ingreditur,& loco condemnationis, in ore omnium loquitur victoriam. Commouetur vniuersa Ciuitas dicens: Quis est hic? Populi autem clamant: Hic est IESVS Propheta à Nazareth. Vir obediens loquitur victoriam. Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in altissimis. Notate (in altissimis.) Non solùm enim in terra, sed in Cœlo triumphat, & loquitur victoriam Christus. Non solùm homines, sed etiam Angeli clamant Osanna.

Luc. 22. Dum Christus est in agonia & certamine mortis, apparuit illi Angelus de Cœlo confortans eum; iuxta interpretationem Theophylacti, fortem prędicans, ipsum glorificans & exaltans, clamans Osanna. Sic S. Epiphanius vertit. Et quidem egregia illa explicatio est, vtpote data ex illa insigni victoria: Non mea, sed tua voluntas fiat. Vnde statim apparuit Angelus confortans, id est, ait S. Epiphan. fortem prædicans & magnificans. Eius verba sunt. Admiratione ductus Angelus, (scilicet fortitudinem tantam admirando) dicebat ad ipsum, glorificans & benedicens proprium Dominum in stadio consistentem: Tua est adoratio, tuum est dominium, tua est potentia, tua est fortitudo; vt impleret id quod à Moyse scriptum est: Et confortent ipsum Angeli Dei. Non quidem vt dent robur ipsi, neque enim ipsorum confortatione indigebat; sed confortent, id est, ipsum fortem prædicent, & confitentes proprium ipsius robur, ipsi attribuant. Sic Virgo cùm in suo Cantico dicebat: Magnificat anima mea Dominum; non dicebat hoc, quasi magnum Deum faceret, sed ipsum confitendo magnum, talem prædicabat, & sic magnificabat. Sic itaque apparuit Christo de Cœlo Angelus confortans eum, fortem prædicans, & clamans; Osanna in altissimis, benedictus qui venit in nomine Domini, hostes superare, & omnia instaurare siue quæ in cœlis, siue quæ in terris.

Confortare, fortem prædicare.

S. Epiph. hęresi 69.

Luc. 1.

S. Anselm. S. Anselm. putat & meditatur talia sic dixisse cum gaudio & congratulatione. Constans adhuc esto Domine, qui modò totum genus humanum redimere debes. Aut certè, vt putarem ego, illa verba Iob. Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti, vacillantes confirmauerunt sermones tui, (isti quidem quos docuisti in monte, fiat voluntas tua,) & genua trementia confortasti. Consurge nunc (iuxta Isaiam,) qui iam ita, & toties vicisti. Consurge & induere fortitudinem brachium Domini, vt vincere pergas. Numquid non tu percussisti superbum, & vulnerasti draconem? Ecce nunc qui redempti sunt à Domino, reuertentur, & venient in Sion laudantes, (Osanna dicentes.) Gaudium & lætitiam tenebunt, (ramos oliuarum,) & dicent omnes: Benedictus qui venit in nomine Domini. Osanna in altissimis: & mecum confortent ipsum omnes Angeli Dei, fortem prædicent. Opto, dicebat ille Angelus, vt mecum de Cœlo descendant omnes, vt hanc intueantur cum certamine victoriam, admirentur, atque glorificent, & cùm pueris Hebræorum clament Osanna.

Iob. 4.

Isa. 51.

A multis creditur Gabriel fuisse qui illic apparuit, qui fortitudo Dei dicitur, & conuenientia est. Quidam verò existimant Michaëlem fuisse, omnium Angelorum principem. Et crederem satis, siquidem eius nominis interpretatio est; Quis vt Deus? Et in hoc primus in Cœlo fecit victoriam aduersus draconem, quando coram Deo & Christo eius se annihilans, etiam illi omnia subiecit dicens: Quis vt Deus? Sed hodie Christus maiorem adhuc in horto victoriam fecit, quando

Qui apparuit Angelus, creditur Gabriel, vel Michael.

A humanam suam deificatam voluntatem coram diuina annihilauit dicens patri: Non mea, sed tua voluntas fiat; & sic omnia, sc. Angelos & homines subiecit ei. O qualem victoriam! Digna planè est, vt eam Cœlum admiretur, & Angelus appareat confortans victorem, Dei filium dicentem in carne; Non mea, sed tua voluntas fiat.

Ecce in quo honor redditus est patri. Ecce in quo Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Ecce in quo denique Deus omnia instaurauit in Christo, & quæ in cœlis sunt, & quæ in terris. In hoc etiam omnis gloria fuit filij Dei, panis, cibus, & calix inebrians IESV Christi. Ioh. 4. Cibus meus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, B vt perficiam opus eius. Iohan. 12. Scio quia mandatum eius, vita æterna est. cap. 8. Non quæro gloriam meam, sed sicut docuit me pater, hæc loquor, & quæ beneplacita sunt ei, facio semper. Quare vt cognoscat mundus, inquit cap. 14. quia ego diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio, eamus hinc: eamus & properemus ad mortem. Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur. Hodie quidem ascendit & ingreditur, sed in triumpho, quia in morte sua nobis victoriam & gaudium reportaturus erat.

Ioh. 4. 8. 12. & 14.

Dicite filiæ Sion (in datiuo casu.) Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, iustus, & Saluator. Exulta & iubila satis. Rex tuus tibi venit, cui non est alius similis, C Rex magnus super omnem terram, quia Rex Cœli. Iste Rex noster non est sicut, nec adinstar regum terræ. Cùm enim in suas ciuitates ingrediuntur triumphantes, currus suos à parte Cœli habent coopertos, & terra illis aperta est: vt reguli agnoscantur terræ, & non Cœli. Christo verò regum Regi & Domino hodie Cœlum apertum est, terra autem cooperta vestimentis & ramis arborum: vt hic appareat quia Rex Cœli est, Rex magnus & excelsus super omnes populos: interea humilis & mansuetus, sedens super asinam, quia magnus Dominus humilia respicit; & cùm sit talis, magnus & excelsus, nos tamen humilitatem docere voluit exemplis, sicut & verbis. Verbis, dicens: Discite à me quia mitis sum, mansuetus, & humilis D corde. Hodie verò singulari exemplo super asinam sedens: sed adhuc multo magis in horto Gethsemani, vbi coram patre æterno personam gerit peccatoris, genua flectens, & in terram procidens super faciem, quasi non esset dignus videre altitudinem Cœli: vt sic humiliatus pro homine, illi mereretur altitudinem gloriæ.

Triumphus Christi diuersus à triũpho regum terræ.

Christus Rex magnus nos humilitatẽ docet verbis, & exemplis.

DE CAPTVRA, ET præsentatione Christi ante Annam & Caipham.

E *Comprehenderunt* IESVM, *& ligauerunt eum, & adduxerunt ad Annam primùm.* Ioh. 18.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Eph. 1.

SEQVI IESVM Christum, altum consilium est, & negotium difficile; neque omnes capiunt istud: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum,

ipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Ingressi cum eo in hortum Gethsemani, iam admirandam abnegationem sui vidimus. Pater, inquit, si possibile est, transeat à me calix iste; verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. Coram æterno patre sustinet hic personam peccatoris, genibus flexis, cum sanguineo sudore, & lacrymis. Procidit in faciem suam super terram, inquit S. Marc. & orabat.

Exod. 17.

In Exod. orans Moyses manus suas eleuat & faciem ad Cœlum, velut is qui de Cœlo auxilium expectabat & suscepturus erat. Christus verò, vt is qui tempore angustiæ videbat se destitutum cœlestibus auxiliis, procidit orans in faciem suam super terram. Tota hac die, ait, verecundia contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me. B Ecce abnegatio singularis, penitus inaudita & sine exemplo: sed in qua proposuit Deus instaurare omnia, & reconciliare sibi in Christo.

Dum Christus procidit in terra, benedicit illã.

Dum enim sic super terram in faciem procidebat, illi benedictionem suam dabat, & maledictionem amouebat. Scitis quoniam propter peccatum iratus Deus olim maledixit illam dicens homini: *Maledicta terra in opere tuo. Spinas & tribulos germinabit tibi.*

Gen. 3.

Nunc autem deposita est ira super Christum, & ille hodie pretioso osculo oris sui benedicit terram, & profundit super eam pluuiam ac sudorem adinstar guttarum sanguinis, vt pro spinis quas sibi protulit in coronam, & assumpsit, iam nobis valeat germinare Saluatorem. C Iuxta quod sic desiderauerat Isaias dicẽs: *Rorate cœli desuper.* Alloquitur hic humanitatem Propheta, quæ Cœlũ est, & summum Cœlum ratione diuinitatis quam continet, vt hunc rorem sanguinis effundat; & sic aperiatur terra, & germinet Saluatorem, scilicet terra Caluariæ nobis producat Saluatorem in Cruce.

His itaque & similibus Prophetarum votis voluit annuere Christus, etiam confusione contempta, tantáque cum abnegatione sui, vt coram patre pro peccatis nostris confusionem hanc sustinuerit, & vt dicam, aduersus semetipsum contradictionem, vt habetur ad Hebr. *Aspicientes in authorem fidei, & consummatorem* IESVM, *recogitate eum qui talem aduersus semetipsum à peccatoribus sustinuit contradictionem.*

Heb. 12.

D O qualis quæso in Dei filio contradictionis & abnegationis exercitatio! Sustinet & patitur pro peccatoribus, & derelictus manet in agonia & passionibus: pro consolatione totius Cœli, vnius tantùm Angeli confortationem recipit, & adhuc talem, vt de decreto mortis eius sit. Patrem orat, & ecce calicem illi porrigit.

Christus sustinet contradictionẽ vndique.

Nos autem deficimus statim animo, si parum à Deo derelinquimur, siue in corpore, siue in spiritu. Et ecce Dei filius, Angelorum gloria, totus in agonia factus est, siue ex parte Cœli, Dei, & Angelorũ eius; siue etiam ex parte terræ, & hominum habitantium in ea: non est enim qui consoletur eum.

E Ecce enim pro omni consolatione terræ remanet in certamine solus, dormiunt discipuli, & eorum oculi præ tristitia sunt grauati: dumque, heu! tribulatio proxima est, non est qui adiuuet. Omnes enim fugiunt, & vnus tantùm est Petrus, qui dicit; Si percutimus gladio? Interea educens gladium, pro Magistro zelans, percutit seruum Pontificis. Sed IESVS vt Agnus mansuetus, & ad victimam paratus; Sinite vsque huc, ait, & tangens auriculam serui, sanat eum, & ait Petro; mitte gladium in locum suum. Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum? An putas quia non possum rogare patrem, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum? Sinite, sinite vsq; huc.

A Nunc hora est, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Osculo tradetur peccatoris, amici hostis, & discipuli proditoris. Eamus, inquit apud Matth. ecce appropinquauit qui me tradet. Et adhuc eo loquente, apud Marc. venit Iudas vnus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladiis, & fustibus.

Iesus traditur.

Dederat autem traditor eius signum eis, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad IESVM dixit; Aue Rabbi, & osculatus est eum. Cui IESVS: Amice, ad quid venisti? Iuda osculo filium hominis tradis? O Domine IESV, nuper osculando terram, Deo nos reconciliabas, pacificans omnia siue quæ in terris B sunt, siue quæ in cœlis, & ecce nunc familiaris osculo, manibus iniquorum & morti traderis. Tunc enim, ait S. Matth. accesserunt, & manus iniecerunt in IESVM: & sicut noster Iohannes dicit, cohors & ministri Iudæorum comprehenderunt IESVM, & ligauerunt eum, & adduxerunt ad Annam primùm: cùm scilicet, ex S. Marco, fugientes discipuli solum reliquerunt inter manus quærentium eum. Ecce tria: & nunc de singulis.

Tria in captura Christi.

1. Voluntariè comprehenditur Iesus.

Ioh. 6.

Primò igitur comprehenderunt IESVM, qui obtulit semetipsum, & nõ renuit, sed vt Agnus mansuetus qui ducitur ad occisionem, permisit se rapi Heu! Ioh. 6. legimus, quod cùm venissent ad eum Iudæi vt raperent, & Regem sibi facerent, aufugit C in desertum, & abscondit se. Nunc autem cùm veniunt ad eum, in Crucem acturi, sponte illis comprehendendum se obiecit, nec aufugit. O Adam, vocem diuinæ Iustitiæ audiens in horto, te abscondis, & IESVS hodie super se illam audiens pro te, prodit se. Comprehenderũt IESVM. O filij Adam, fugitis vos, & cuius patris estis filij, fuga vestra ostenditis. O discipuli, quia filij Adam estis, ideo timetis & fugitis. Adam enim qui præuaricatus est, abscondit se: IESVS autem quia filius Dei, & à peccatoribus segregatus, nec fugit, nec timet mortem pro facienda voluntate patris; imò etiam vitæ obedientiam præfert. Quem quæritis? inquit. Ego sum: & comprehenderunt IESVM.

Timor mortis, & fuga, indiciũ peccati, & quòd sumus filij Adæ.

D Sic prædictum erat Iob. 39. *Obuiam pergit armatis, contemnit pauorem, nec cedit gladio.* Similiter Isaiç 42. *Dominus sicut vir præliator suscitabit zelum, & super inimicos suos confortabitur.* Processit obuiam impauidus, & comprehenderunt eum: cæteri fugerũt, relictus est solus, processit obuiam, & comprehenderunt. Hoc rursus Iob. 30. prædictum est: Insidiati sunt mihi inimici, & non fuit qui ferret auxilium, (quia relinquentes me, fugerunt omnes.) Noti mei quasi alieni recesserunt à me, & sic quasi rupto muro, & ianua aperta, irruerunt super me, & ad meas miserias deuoluti sunt; cùm, nempe, me ita omni destitutum auxilio viderunt, sicut etiam Psalmista dixit: Qui iuxta me erant, de longè steterunt, & E vim faciebant qui quærebant animam meam.

Iob. 39.
Isa. 42.
Iob. 30.
Ps. 37.

2. Ligatur Iesus.

Tunc igitur accesserunt, & comprehenderunt IESVM, & ligauerunt eum. Secundum est. Quem ligauerunt? Omnipotentem. Quibus, heu! vinculis & funibus? peccatorum nostrorum. Ps. 118. Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus. O pater, non mea peccata fuerunt funes, sed hominum. Et ligauerunt eum. O abnegationem! ô confusionem! Inter maiores & præcipuas laudes quas 2. Reg. 7. dicit Dauid de Abner, mortem illius plorans, hæc est, quod manus Abner numquam ligatæ fuerunt. Nequaquam, inquit, vt mori solent ignaui, mortuus est Abner. Manus tuæ non sunt ligatæ, &

Ps. 118.

Christus cõfusionem sustinet ligatus.

2. Reg. 7.

pedes

pedes tui non sunt compedibus ingrauati. IESVS A autem omnium fortissimus, & [illegible] etiam tale est nomen in [illegible] ligari. [Et ligauerunt eum. O [illegible] non dedignatur ignominiam [illegible]. Vide etiam ante [illegible], tanquam ad latronem [illegible].

Propterea igitur ligauerunt, & sic ligatum peccatorum nostrorum funibus duxerunt ad Annam primùm. [illegible] est. Ad Annam autem primùm duxerunt, quia socer erat Caiphæ, notat S. Iohan. vel etiam quia, ex S. Augustino, ita dispositæ erant domus Annæ & Caiphæ, vt in via quæ ad Caipham ducebat, domus esset Annæ; & sic honoris causâ primum duxerunt ad eum, quia socer erat: vel quia etiam, ex S. Chrysost. ipsum sic ligatum deducebant tanquam in triumphum, ipsum cum trophæo [illegible] producentes. Vnde etiam ex quorundam opinione, per eam portam conduxerunt, per quam paucis ante diebus cum tanto triumpho ingressus fuerat, & [illegible] acclamatione, Osanna: vt sic amplius possent illius dolorem augere. Quia igitur hac tantum occasione, & quasi transeundo, ad Annam primum ductus est, ad quem non pertinebat iudicare, eo quod tunc Pontifex non esset, statim ipse eum mittit sic ligatum ad generum suum Caipham principem Sacerdotum, qui erat Pontifex anni illius, & dederat ante consilium Iudæis quia expediebat vnum hominem mori, &c.

3 Christus ducitur ad Annam, & Caipham. Cur primò ad Annam S.August. S.Chrysost. hom.28.

**Ab Anna mittitur Iesus ad Caipham.*

Referunt autem SS. Matth. & Marc. quia tunc apud Caipham concilium erat, quò aduersus Dominum omnes Sacerdotes, Scribæ, & seniores conuenerant. O conuentum detestabilem! non est nisi malignantium & impiorum hominum aduersus Deum & Christum eius. IESV ergo in medium adducto, interrogauit eum Pontifex de duobus, de discipulis & de doctrina eius. Et ecce dum blande illi ad interrogata respondet, vnus assistens ministrorum Pontificis dedit alapam IESV. O miser! quid male loquutus est, qui est os Domini, & os [illegible] quid mali inuenisti in verbis eius? si bene loquutus est, & verum dixit, quid eum cædis?

A Caipha de duobus interrogatur Christus, & alapa percutitur à seruo Pontificis.

Obstupescite cœli super hoc. Exhorrescat Cœlum, dicit S. Chrysost. in Iohan. & contremiscat terra. Deus alapis percuti potuit? O Angeli qui intuemini ista, quomodo siletis? & quomodo pro Domino non respondetis? Obstupescite cœli super hoc. Ecce, dicit etiam S. Ephrem Ser. de Pass. qui de puluere terræ hominem finxerat per gratiam, à manibus quas ipse formauerat, alapam accepit. Hoc certè omni stupore dignum est. De Ieroboam Rege legitur, quod continuò manus eius exaruit, eo quod illam contra quemdam Prophetam extenderet, iubens illum comprehendi. Illa autem [illegible] sacrilega, contra Dominum & Regem [illegible] extenta remanebit inoffensa, impunita? Obstupescite cœli super hoc.

Chrysost. hom. 81. in Iohan.

Ephrem.

Reg 13.

Verum adhuc obstupescite magis, quod dum talia [illegible] intus aduersus [illegible] foris maiora prodigia fiunt, vbi à principe omnium discipulorum Petro, & dum Magister de iis interrogatur, negatione percutitur, & vt amplius dicam, anathemate ad vocem mulieris: vt iam videamus, sicut statim ostendemus, quia ab omnibus sustinet & patitur pro nostra omniúmque salute.

A

DE NEGATIONE ET lacrymis Petri: & traditione Christi Pilato præsidi.

Adducunt IESVM *à Caipha in prætorium. Exiuit ergo Pilatus ad eos, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc?* Iohan. 18.

B *Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c.* Ephes. 1.

QVi non sequitur Dominum nostrum IESVM Christum, non est illo dignus. De Anna ad Caipham adductus est: domum hanc ingrediamur omnes, non vt cum Petro ad vocem ancillæ Dominum nostrum negemus, sed vt aduersus falsos testes qui insurgunt, [illegible] confiteamur quia Dominus IESVS in gloria est Dei patris. Qui me confitebitur, inquit, coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo: & qui me negauerit, negabo. Quid fecisti ô Petre, negando Dominum, & talem Dominum? Recordare tuæ confessionis & prælaturæ, Matth. 16. O Christiani, non dubitarem quia plus cruciauit Dominum negatio Petri discipuli, quàm alapa Malchi iniquissimi serui. Circumdederunt me mala, dicit hodie Christus, quorum non est numerus. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Intrauerunt certè tribulationis aquæ vsque ad animam Christi, in negatione Apostoli Petri. O Petre, vbi illa verba? Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo: & hodie negas? vbi fides illa & confessio? Tu es Christus filius Dei viui, quem nunc in atrio Pontificis negas?

C

Negatio Petri.

D Sed quo tempore ipsum negas? Cùm Dominus interrogatur de discipulis suis, & palam de illis loquitur. Quo tempore? Cùm ille nequam & [illegible] dat alapam IESV, quia bene fuerat loquutus. Quo tempore? Cùm iuxta S. Matth. principes Sacerdotum quærebant falsum testimonium, & multi falsi testes dabant aduersus IESVM. Quo tempore? Cùm nouissimè duo falsi testes veniunt, & non erat conueniens testimonium eorum: tuum autem, ô Petre, videtur conueniens. Quo tempore? Cùm Christus tacens nihil respondebat ad ea quæ obiiciebantur. Quo tempore? Cùm adiuratus à summo Sacerdote per Deum viuum si esset Christus filius Dei, respondit, quia tu dicis, Ego sum. Et tu Petre eius Apostolus, negas? Quo tempore? Cùm princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua dicens, blasphemauit. Quid adhuc egemus testibus? quid vobis videtur? Et dixerunt omnes: Reus est mortis. Quo tempore? Cùm expuerunt omnes in faciem eius velantes eum, & illudentes, colaphis & palmis cædebant dicentes, prophetiza nobis Christe, Quis est qui te percussit?

E

[illegible]

O mitis IESV, quomodo obscuratum est hic Diuinitatis tuæ aurum, mutatus color humanitatis tuæ optimus. Speciosus forma præ filiis hominum tanquam despectus vt [illegible]. O Pater æterne, hæc omnia propter me & peccata mea patitur filius. O Pharisæi & Scribæ, ô Pontifices & seniores,

sed ô Leones, in me, in me manus vestras conuertite, linguas vestras & sputa. Ego sum qui peccaui, hic autem quid mali fecit? *Quis ex vobis*, inquit, *arguet me de peccato?*

Sed ô Petre, dum Iudæi hostes Magistri tui & Domini, caput eius & faciem alapis cruentant atque opprobriis, negatione tua cor eius vulneras. O quis nunc animæ Christi dolorem explicare posset: *Tanquam prodigium factus sum multis*, inquit per Prophetam. (Ps.70.) Videt se à Iuda venditum, à discipulis derelictum, à Petro negatum, & vndique circumdatum inimicis. Optimè quidem illud Psalmistæ (Ps.141.) dicere potuit: *Considerabam ad dexteram & videbam, & non erat qui cognosceret me.* Itaque non mirū est, si à sinistra inimicorum nemo est, qui Christum agnoscat, si à dextera Petrus neget ipsum. O Petre, recordare verbi Domini tui IESV: *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* (Luc.22.) Vbinam illa fides tua Petre? vbi robur tuum & constantia, qui ad vocem ancillæ & ostiariæ trepidas, & Dominum negas? Mulier, dicis, non noui hominem. Id prædictum erat à Ierem. dicente: Negauerūt Dominum, & dixerunt, non est ipse. (Ierem.5. *Prædictio negationis Petri.*) Sed maledictus ille timor qui Christum negare facit. Timeam te semper Domine IESV: sed non sit ille timor in me, qui me separet à te. Ideóque in die timoris cōforta me, ne fortè negem te. Sed heu! si Petrus fundamentum & petra, timore negauit, quis erit à timore tutus? O quot Petrus imitatores nunc habet, qui nimirum ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt? Ita sanè multi sunt qui peracta pœnitentia, mira quidem proponunt, sed leui occasione data, statim à proposito recedunt; & sic negando Dominum, vbi eum oporteret confiteri, imitantur Petrū.

Verumtamen multis de causis permisit Dominus in tale peccatum Sanctum Apostolum cecidisse. (*Multis de causis permisit Christus vt eum Petrus negaret.* August. lib. 14. de Ciu. cap.13.) Prima est S. Aug. scilicet, in remedium præsumptionis & superbiæ. Audeo dicere, inquit, superbis aliquando esse vtile, cadere in aliquod peccatum apertum, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderāt. Salubriùs enim Petrus sibi displicuit, quando fleuit, quàm sibi placuit, quando præsumpsit. Sic dicebat Apostolus Paulus: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis, angelus Sathanæ. Secūda est S. Gregorij, vt is qui futurus erat Ecclesiæ pastor, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset. (S.Greg. homil. 21. in Euang.) Tertia est S. Leonis, vt in Ecclesiæ principe remedium condenetur pœnitentiæ, & nemo auderet de sua virtute considere. (S. Leo Ser. 9 de Passione.) Quarta adhuc erit, vt qui maiorem in se clementiā Domini tantum scelus condonantis expertus fuerat, ita maiori erga eum postea afficeretur amore: sicut comprobauit veritas, quando statim post ter interrogatus à Domino, Ioh. vlt. si diligeret, respondit totus feruore accensus; Etiam Domine, tu scis quia amo te.

Sed adhuc hodie lacrymæ eius satis huic veritati testimonium dederunt, cùm hanc Domini clementiam expertus, qui conuersus respexit illum, notat S. Lucas, recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia priusquàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras fleuit amarè. (*Lacryma Petri.*) O bonæ lacrymæ, dicit S. Ambros. quæ culpas lauant! sed & quos IESVS respicit, delictum plorant. (S. Ambros. in Luc.22.) Negauit primò Petrus Dominum, & non fleuit, quia adhuc eum non respexerat Dominus; neque secundò. Negauit tertiò, & respexit IESVS, & ille amarissimè fleuit. Si ergo ita sunt oculi tui necessarij Deus, aspice in me, & miserere mei. S. Aug. in Ioh. (S August. in Ioh.) Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cùm Christū negauit? Paululum deseruit illum Dominus, vt in illo nihil sine Dei gratia præualere agnosceretur. Aspice in me Deus, & miserere mei. Et quidē istud Prophetæ optimè dici potest de aspectu Domini erga Petrum: *Qui conuertit petram in stagna aquarū.* (Ps.113.) Inde enim statim foras egressus fleuit amarè. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. IESVS nos omnes cum Petro respicit, & nos igitur cum eo foras egrediamur, vt cum eo simul peccata nostra lugeamus, & lugentes sequamur adhuc IESVM ductum à Caipha in prætorium Pilati.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite. Adducunt IESVM à Caipha in prætorium, dicit S. Iohannes. (*Christus mittitur Pilato.*) Sic dicit Matthæus, quod tota hac nocte tristi transacta apud Caipham, mane autem facto consilium inierunt principes Sacerdotum aduersus IESVM, vt morti eum traderent, & vinctum adduxerunt ad Pilatum. Exiuit ergo Pilatus, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? O Pilate, nullam. Interea responderunt: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Et cœperunt illum accusare falsò de tribus criminibus: contra populum, Cæsarem, & Deum. (*De tribus criminibus falsò accusatur Christus.*) Hunc inuenimus, inquiunt, subuertentem gentem, prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum esse Regem & filium Dei. Hæc est triplex calumnia.

Quantum ad primam. Estne subuertere gentem, illam conuertere ad Deum miraculis, exemplis & verbis: infirmos curare, & suscitare mortuos? Quātum ad secundam. Estne tributa prohibere, cùm de his interrogatus, clarissimis & expressissimis verbis respondet: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo? (Matth.22.) Item, cùm requisitus ab exactoribus vt didragma, & tributum solueret, statim illud Petro præcepit vt solueret? (Luc.11.) Item, estnè Regem se facere, cùm post miraculum quinque panum, fugit & euasit manus eorum qui sibi eum Regem constituere volebant? (Marc.6.) Estne adhuc Regem se dicere, dicere hodie; Regnum meum non est de hoc mundo? Quantum ad tertiam. Estne contra Deum, Christum se dicere & filium Dei; cùm sit ipse? Quod si verbis credere noluerint, credant operibus: ipsa enim testimonium perhibent veritati.

Quare cùm iterum introisset Pilatus in prætorium, & vocasset IESVM, ipsúmque interrogasset, reuersus ad Iudæos, dicit eis: Ego nullam inuenio in eo causam. Interea mittit eum ad Herodem, quia audierat Galilæum esse, & de potestate Herodis, qui ex multo tempore videre eum cupiebat. (*Ad Herodem Christus mittitur.*) Sed cùm ex multis interrogatis nihil ei Christus responderet, spreuit illum Herodes cum exercitu suo, & illusit, vt in Dei filio impleretur istud Prophetæ dicentis: *Posui ori meo custodiam cùm consisteret peccator aduersum me. Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis, & dolor meus renouatus est.* (Ps.38.) Verè renouatus est, quando statim sapientiam patris, vt insanum hominem, alba veste indutum, remisit eum ad Pilatum Herodes. Et in illa die amici facti sunt, qui antea inimici erant. Ecce quomodo in omni occasione, & ad omnia, Passio Christi vtilis est, iuxta quod etiam dicit Apostolus, Deus in ipso erat mundum reconcilians sibi: qui in dispensatione plenitudinis temporum proposuit instaurare omnia in Christo, & quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso. Iste est Passionis eius fructus, reconciliatio, &c.

DE FLA

DE FLAGELLATIONE & coronatione Domini Iesv.

Apprehendit Pilatus IESVM, *& flagellauit.* Ioh. 19.

Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi. 2. Cor. 5.

TRANSIT Christus IESVS. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor, sicut dolor eius. Ab Herode Rege ad Pilatum reducitur, vt flagelletur, spinis coronetur, & in thronum Crucis eleuetur. Sed ô quàm tristes & molesti sunt omnes isti exitus & regressus! O vos omnes qui transitis, attendite, state, & IESVM dolore plenum nolite deserere. Egreditur alba veste indutus, vt nos omnes vestem innocentiæ induat. Olim primus homo Adam velut insaniens, vili pretio pomi vestem hanc vendiderat; vobis hodie illam Christus secundus Adam habitu inuentus vt homo, & à peccatoribus tãquam insanus habitus, pretio sanguinis restituit. Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo: sic Deus, dicit Apostolus, erat in illo mundum sibi reconcilians. Sic igitur ad Pilatum reducitur Christus: sed non regredietur, heu! nisi cùm ad mortem ducetur. Sic ô peccatores, Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: & sic filius patrem dilexit & mundum, vt sic humiliauerit se, factus pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.

Quid significetur veste alba, qua Christus induitur.

Interea Pilatus eũ liberare tentat, etiam ex parte Herodis, qui cognita eius innocẽtia ipsum remittebat: sed non valet istorum iniquorum furori resistere. Obtulistis mihi, inquit, hominem hunc quasi auertentem populum, & ecce coram vobis interrogans, nullam causam inueni in homine isto, ex his in quibus eum accusatis: sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignũ morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Verùm tentans semper liberare eum, adhuc miser ille comparare cogitat cum insigni latrone, qui homicidium & seditionem fecerat in ciuitate, qui dicebatur Barabbas, & ait. Est vobis consuetudo, vt vnum dimittam vobis in Pascha: quem vultis? Barabbam, an IESVM? Heu! dicit Sanctus sanctorum, cui assimilastis me? Leuate in excelsum oculos vestros, & videte quis creauit hæc? Interim, ecce ego inter iniquos & latrones deputatus sum, vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Miser quid prætendis? Christum latroni præferre? Dicit ille, vultis dimittam vobis Regem Iudæorum? Quid enim mali fecit? Quem vultis duorum? IESVM, an Barabbam? & isti, heu! miseriores & atrociores Pilato, clamant: Tolle hunc, tolle IESVM, & dimitte nobis Barabbã, homicidã & seditiosũ. O miseri quid dicitis? vbi heu! illi cantus hesterni? Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini. Heu! dicit Christus, filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, & latroni postposuerunt. Nunc equidem illud Isaiæ impletum est: *Vidimus eum nouissimum virorum.* Non hunc, inquiunt, dimitte nobis, sed Barabbam. Et Pilatus: Quid igitur faciam de IESV? dicũt omnes, crucifigatur, & inualescebant voces eorum.

Luc. 23.

Christus comparatur cum Barabba, & Barabbas præfertur illi.

Ierem. 40.

Ps. 21.

Isa. 1.

Isa. 53.

A Tunc ergo apprehendit Pilatus IESVM, & flagellauit. Obstupescite cœli super hoc. O vos Angeli descendite omnes, & intuemini prodigia quæ fiunt hodie super terram. Ecce Pilatus satisfacere volens furori iniquorum, decreuit filium Dei verberibus punire. Corripiam illum, inquit, & sic emendatum dimittam. Sed ô impiissime, cur illum potiùs non dimittis penitus, qui diceb as modò, quia nullam in eo inuenisti causam mortis? & qui sciebas quia per inuidiam tradidissent eum tibi? O inique, quid in eo puniendum, aut emendandum inuenisti? Corripiam eum, inquis, & dimittam. O Pilate, si scires quis est ille, ipsum adorares. O anima mea, ô cor meum & lingua, quomodo

B explicare poteris hunc dolorem & opprobrium Christi tui? Accedũt igitur ad iussum Pilati, tortores iniquitatis eius, vel potiùs Inferorum ministri, & tenellum illud virginis corpus, Christi corpus, sacrum Dei corpus, ligatum in columna, plagis dilacerant, infernali rabie stimulati ad illud.

Flagellat Pilatus Christum.

O filij Adam, (alloquor hic peccatores & iustos, pro quibus patitur hæc Dominus IESVS) quàm facisse, heu! ea perpetratis, quæ tam crudeliter filius Dei persoluit? O Christiani omnes fratres mei, iam mecum illud animo proponite, vt numquam amplius peccetis. O anima mea desponsata in sanguine Christi, quis tibi det hodie, vt ad pedes huius columnæ deficias præ dolore, & super

C sanguinem istum mortua cadas? Hæc tibi gloria sit, cum illo cædi & mori. Absit nunc tibi gloriari & viuere, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi, nisi in eius columna & sanguine. O Angeli, qui videntes olim Christum in præsepio, pannis inuolutum, mirabamini; quid nunc dicitis aspicientes in eum vinctum ad columnam, & tanquam latronem vulneratum flagris? Quid in Cœlo agitis? & quis manus vestras ligauit, ne vindictam sumatis de scelere tanto? Apud Danielem dicitur quod millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei: vbinam ergo nunc sunt tot ministri atque assistentes? Credo equidem quod omnes hanc columnam Domini circumdabant

Exclamationes in flagellationem Christi.

Daniel. 7

D venerantes, sanguinem effusum adorantes, & talia admirantes pati pro peccatoribus Dominum. Quis enim cimium supernorum non obstupescat, in filio Dei videre talia?

O Maria, mater ipsius dilectissima, vbinam es modò? O si nunc filium tuum conspiceres, quis gladius doloris animam tuam pertransiret? O si audires verbera quæ super humeros & membra dilecti tui & vnigeniti resonant, lacrymas eius videres, riuulos sanguinis, cor & vultum eius, quid in corde sentires? quid diceres? Interim iuxta S. Aug. cap. vlt. meditat. constat & apparet, huic flagellationi filij sui B. Virginem affuisse, vt vtriusque dolor augeretur. Verùm deprecemur illam

E omnes, vt differat adhuc accedere, & quiescat, nondum enim tempus ipsius est: sed sufficiat nunc æterno patri ostendere hic quem genuerit filium, & cum S. August. dicere illi. Aspice pie pater piissimum filium: respice clementissime Rex quis patitur. Sed nonne hic est tui Domine, innocens ille, quẽ vt seruũ redimeres, filiũ tradidisti: Ita est, & sic in eo Deus instaurare omnia proposuit, qui in ipso est mundũ sibi recõcilians in sanguine. Vnde Isa. ait: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, vulneratus est propter iniquitates nostras; disciplina pacis nostræ super eũ, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos errauimus,

S. Aug. medit. cap. vlt. B. Virgo affuit flagellationi filij sui.

S. Aug. 6. medit.

Isa. 53

A & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm. Vnde & propter scelus populi sui hodie in manu Pilati percussit illum: sicque impletum est quod sequitur; Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Iuxta quod etiam Apostolus dicit, quia cum proposuit Deus propitiationem in sanguine ipsius, ad ostensionem Iustitię suæ in hoc tempore, qui proprio filio non pepercit, tradens illum propter delicta populi. Ad quid? vt in infirmitate nostra quam assumpsit, contereret eum. Ita vt iam non aliter appelletur apud Isaiam, quàm vir dolorum, & sciens infirmitatem nostram, virorum nouissimus & despectus, percussus à Deo, & humiliatus.

Rom. 3. & 8.

B Verè sic est Domine, atque ita hodie inter manus Pilati expertus es, per quem humiliatus fuisti, & obediens factus vsque ad verbera & ad mortem Crucis. Sic iterum apud Isaiam prædictum fuerat: Dominus Deus aperuit mihi aurem, & ego non contradico, retrorsum non non abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti à conspuentibus in me. Et sicut scriptum est de me in capite libri, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui. Quare, hodie, supra dorsum meum fabricauerunt peccatores (reconciliationem suam.) Deus meus volui. Corpus ad verbera recipienda adaptasti mihi. Deus meus volui. Lætati sunt aduersum me peccatores, & conuenerunt, & ego non contradico. Congregata sunt super me flagella, & ignoraui, videlicet causam, & offensam: neque enim offendi. Corpus tamen adaptasti mihi ad flagella, & verbera. Deus meus volui. Sed ad tot verbera, vt, ex reuelatione facta Sanctæ Geltrudæ, fuerint quinque millia supra quadringinta: ex Sancto Bonauentura Serm. de Pass. quinque millia; vulnera autem quinque millia, sexcenta septuaginta sex: ex Sancto verò Bern. sex millia, sexaginta sex.

Isa. 50.

Quantitas flagellationis & vulneris. S. Geltruda lib. 4. Insinuat. diuin. S. Bonauen. Ser. de Pass. S. Bern.

Quæ omnia verissima esse possunt, cùm bis flagellatio reiterata sit, vt ex Euangelistis colligitur, ante & post condemnationem mortis: vt etiam illud impleretur Psalmistæ: *Quem tu percussisti persequuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* D Addiderunt verè, & diuersimodè addiderunt, quando & milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum; & dabant ei alapas, vt impleretur illud Prophetæ: *A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas.*

Reiterata flagellatio.

Psal. 68.

Coronatio Christi.

Ad istos, quæso, Christi nouos dolores noster renouetur dolor. Maledicta terra nostra sit in opere suo, quæ Christo, & non nobis spinas germinauit. Ecce hodie Cœli lilium inter spinas terræ nostræ. Olim mirabatur Moyses videre Deum in medio rubi ardentis & spinarum. Sed hodie videmus figuram in veritate impleri: hodie Christum inter ignem iræ patris videmus, & spinas peccatorum nostrorum: hodie denique videmus Deum gestare coronam spinarum. Egredimini filiæ Sion; & eras enim in diademate quo coronauit eum mater sua Synagoga, egressum ad salutem videbitis.

Exod. 3.

* * *

FERIA SEXTA IN Parasceue.

Exiuit IESVS *foras portans coronã spineam, & purpureum vestimentum; & dicit Pilatus: Ecce homo.* Iohan. 19.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Ephes. 1.

PRIMA DIVISIO.

DE CONDEMNATIONE & egressu IESV Christi.

VENIT hora, & nunc est, vt Dominus IESVS transeat ex hoc mundo ad patrem. Egressus est IESVS, & tristis anima eius est vsque ad mortem, mortem autem Crucis. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor, sicut dolor eius. Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum, vt Dei mortem defleam? Ergóne Deus moriturus est? Ita est, hodie morti est adiudicatus, C hodie moriturus. Egredimini filiæ Sion. O vos omnes qui transitis attendite, spectaculum attendite, Deo, mundo, & Angelis; vita debet mori, lux extingui, & paradisi gloria communicare tristitiæ & passionibus Crucis. *O Crux aue.* Iob inter angustias doloris cùm nec dare, nec recipere posset consolationem ab amicis, minúsque etiam dolorem retinere silentio, dicebat illis: Consolatores onerosi omnes vos estis. Poteram & ego similia vestri loqui: sed quid agam? Si locutus fuero, non recedet dolor meus, & si tacuero, non recedet à me. Nunc autem oppressit me dolor, & in nihilum redacti sunt omnes artus mei. Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes satiati sunt pœnis meis. Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cùm haberem mundas ad Deum preces. Terra ne operias sanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus. Ecce enim in Cœlo testis meus. Hæc quidem omnia Christus dicit, & adhuc maiora. Est pater in cœlo, inquit, qui iudicet, & est testis meus, quomodo hæc patior absque iniquitate, & cùm haberem ad eum mundas preces. Terra ne operias sanguinem meum: si enim clamauit sanguis Abel & Prophetarum, quem nondum terra operuit, nec etiam clamor sanguinis mei, locum latendi inueniet in terra. Interea meliùs loquetur quàm Abel, iis duntaxat qui ad pœnitentiam conuertentur, & peccata sua deflentes, me consolari quærent.

Iob. 16. *Figura Passionis Christi.*

E Sed vnde, ô desolate IESV, quæram, cum Propheta, consolatorem tibi? Circumspexi, inquit, ex parte Cœli & terræ, & non erat. Consolantem me quæsiui, & non inueni, & non erat qui cognosceret me, periit fuga à me, (quia vinctus detineor,) obliuioni datus sum, tanquam mortuus à corde; id est, in cordibus & votis omnium iam mortuus sum. Omnes enim condemnauerunt me: & iam iam super me aperuerunt ora sua exclamantes, crucifige. Locuti sunt labiis, & mouerunt caput, dicentes: Sperauit in Domino, eripiat eum. Crucifige cũ. Deus, Deus meus respice in me. O vos

Nahum 3.

Psal. 141.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite si est dolor, sicut dolor meus. Egredimini filiæ Sion. Ecce homo: vultis condemnare eum? Ecce homo, ô filiæ Sion, egredimini & videte. Ecce exiuit foras IESVS Rex vester portans coronam spineam, & dixit Pilatus: Ecce homo. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum Synagoga. Corona est de spinis. Terra peccati nostri & maledictionis, Regi nostro & capiti protulit coronam de spinis. Hodie Rex noster factus est sicut lilium inter spinas: & de medio rubi ardentis IESVS filius Dei foras exiit. Ecce homo, vermis, & non homo: aut certè ille potiùs Aries hærens cornibus inter vepres.

Iesus foras exit portans spineam coronam.

Gen. 22.

Voluit Abraham offerre Deo filium suum Isaac, sicut fuerat iussus; sed statim eum retinuit Dominus, & ostendit illi post tergum Arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Optimè hoc erat, filium de morte redimere Ariete. Sed omnem admirationem superat, quod Deus pater filium suum, & non Arietem, pro redimendo homine, qui mortem peccando meruerat, offerat in holocaustum hærentem hodie inter vepres & spinas cornibus ipsius humanitatis. Sic enim coronatum ostendit Pilatus, & dixit: Ecce homo. O pater æterne, qualem tu desiderabas, vt tibi posset satisfacere? Frater non redimit, redimet homo, talis homo, filius enim tuus est, homo-Deus, filius tuus dilectus, in quo iam complaces tibi, vt in Passione eius nos tibi reconciliet. Sic Deus, dicit Apost. erat in mundo Christo mundum reconcilians sibi, qui in ipso proposuit in dispensatione plenitudinis temporum, hodie est, instaurare omnia, in filio, quem nobis per Pilatum proponit propitiatorem in sanguine Crucis eius, ad ostensionem Iustitiæ diuinę, & indignationis aduersus peccatores. Peccata enim nostra sunt quæ ad id patrem æternum impulerunt.

Sacrificium Isaac. Gen. 22.

Recordor hic Regis Moab, qui videns quod præualuissent Israëlitæ hostes, arripiens filium primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, & facta est indignatio magna in Israël, statímque recesserunt hostes ab eo. Ita hodie, videns æternus pater contra se præualere peccatores, Christum suum, & proprium filium, hæredem vniuersorum, super prætorium Pilati ostendit, quem etiam pro peccatis persequentium se, in holocaustum offerre proposuit. Ecce homo. O peccatores, super murum prætorij Pilati ostenditur vobis. Fiat indignatio hodie in Israël, & derelinquat impius viam suam, & reuertatur ad Dominum, ipsum desistens amplius peccatis persequi. Ecce homo. O bone IESV, Sanctus exclamat Bernardus, quid tibi est? nos debuimus mori, & tu soluis? nos peccauimus, & tu luis? Opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo. Heu! si vindictam desideratis, ecce homo, à planta pedis vsque ad verticem capitis non est sanitas in eo.

4. Reg. 3. Sacrificium filij Regis Moab.

Sed ipsum, vt commisereamur, loquentem nobis audiamus. Ecce homo, nónne satis propter te vulneratus sum? numquid pro iniquitate tua satis afflictus sum? Cur afflicto afflictionem addis? magis aggrauant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei. O homo miserere mei. Ecce homo, qui pro te & salute tua opprobriis subiectus est, alapis, verberibus, & spinis. Quid illi retribues? O homo paralytice, dicebas quondam quo-

A niam hominem non haberes: ecce iam homo, homo tibi natus, tibi datus, tibi in omnes vsus tuos expensus. Vide mortalem hanc figuram, homo est, & quis eum cognoscet? Sed Deus, & quis similiter cognoscet eum? Quasi absconditus est vultus eius, vnde nec reputauimus eum, dicit Isaias. O peccator, vt quid ea perpetras quę taliter ipsum Deum pro te soluentem dilaniarunt? Ecce iam non est ei species, neque decor, ei qui splendor est patris, & figura substantiæ eius.

Ierem. 17.

Isa. 53.

Verùm, ô virgo & dolorosa mater, mihíne licebit modò, si fortè in medio turbarum filium tuum quæris, tibi dicere: Ecce homo? Quondam dicebas cùm inuenisses eum in medio Doctorum; Fili, ego
B & pater dolentes quærebamus te: quasi dixisses ei, te inuenisse, gaudiũ nunc mihi est. Sed hodie quærenti quale tibi gaudium erit dicere: Ecce homo? Interim dic nobis, ô virgo, mater & sponsa, inter omnes mulieres pulcherrima, & magis afflicta, qualis est dilectus tuus? & illa: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Ecce homo, ô virgo, quem quæris. Iam agnosce quem ex visceribus tuis filium genuisti: ipsum enim inuenisti. Verùm deprecemur illam omnes, vt paululũ recedat, quia maioribus adhuc reseruatur sustinẽdis doloribus, tantúmq; tribulationum initia hęc sunt.

Nunc itaque solùm egredimini ô filiæ Sion: sæculares animæ, & cœlestes simul, atque Angelicæ
C virtutes, egredimini filiæ Sion, & videte Salomonem Regem vestrum in diademate. Ipsum videant filiæ Sion, id est, inquit S. Bern. animæ affectuosæ, in corona misericordiæ suæ, & imitentur eũ. Ipsum enim impij videbunt in corona iustitiæ, & peribunt: sicut etiam & Sancti videbunt in corona gloriæ, & exultabunt. Egredimini igitur, & videte omnes. Ecce homo, homo qui dicitur Christus, ecce homo qui venit quærere & saluare quod perierat, animas saluas facere, & non perdere: vos autem ipsum perdere vultis & quæritis? Ecce homo, ille singularis homo, qui curat infirmos, eiicit dæmonia, & suscitat mortuos, qui & benefecit omnibus. Quid igitur habetis aduersus hominẽ hunc? hunc
D qui vobis palàm dixit: ***Quis ex vobis arguet me de peccato?*** Quid enim mali fecit iste?

Ecce itaque dicit Pilatus: Adduco eum vobis foras, vt cognoscatis quia in eo nullam inuenio causam mortis. Ipsum videte. Ecce homo, ille ipse quẽ etiam Regem vestrum, pro tot gratiis & beneficiis quæ recepistis ab eo, facere voluistis. Ecce igitur Rex vester. Sed ecce, iuxta Ieremiam, facta est mihi hæreditas mea quasi Leo in sylua, & dedit contra me vocem suam. Quam cùm vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant; Tolle, crucifige, crucifige eum. Regem vestrum crucifigam? dicit Pilatus: Non habemus Regem nisi Cæsarem, inquiũt. Tolle eum, filium Dei se fecit, debet mori. O vinea ele-
E cta, & quam ego plantaui & rigaui, quomodo mihi versa es in amaritudinem? dicit hodie Dominus IESVS. Hæccine reddis Domino tuo? Sed ô ingrati & scelerati, nũquid satis clara testimonia habetis quia hic est filius Dei, & Rex vester? Vndenam his proximis diebus dicebatis: Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini? Nunc autem crucifige dicitis: debet mori, quia filium Dei se fecit?

Ierem. 12.

Pilatus hunc sermonem audiens, nempe, quia ille filius Dei erat, & timens, rursus ingressus prætorium, eóque Christum reducens, petit ab eo vnde esset: qui non dedit ei responsum. Interea quærebat exinde Pilatus dimittere eum, etiam admonitus ab vxore sua, quæ multa illo die

Tentat vltimò Pilatus dimittere Iesum.

passa fuerat per visum propter eum,& nunciauerat ei: Nihil tibi & Iusto illi. Iste tamen iniquissimus Iudex, videns quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret,dicentibus cunctis;Tolle,crucifige,si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Miser ille amicitiam hanc & fauorem timens perdere, accepta aqua,lauit manus suas coram omni populo,dicens: Innocens ego sum à sanguine Iusti huius.Et responso accepto ab vniuerso populo;Sanguis eius super nos & filios nostros.Tunc volens satisfacere eorum crudelitati,Pilatus data sententia mortis in Deum, adiudicauit fieri petitionem eorum. Barabbam dimisit, quem petebant: IESVM autem tradidit voluntati eorum, tradidit potestati tenebrarum.

Christus adiudicatur morti.

Obstupescite cœli super hoc,& portæ eius desolamini vehementer. Pilatus homo & peccator sedens Iudex pro tribunali contra hominem-Deũ, fert hodie sententiam mortis in eum.O IESV vita omnium,ergóne tibi hodie pro nobis moriendum est,sed morte turpissima Crucis? Actum est iam,itáque sententia est; Crucifigatur. O quis filiorum eius non contristabitur, vltimámque benedictionem eius non petet, antequam moriatur? O pater & creator omnium, qui Abraham docuisti benedictionem suam dare filiis suis ante mortem,tuam hodie elargire nobis antequam moriaris.Tu enim in morte pater omnium viuentium es. Ecce iam tibi paratur lectulus in quo requiescas à laboribus tuis.Crux tua est,quam præparauerunt filij Adam. Lectulus est floridus:flores sunt claui,mallei & funes.Nunc ergo Domine,de domo Pilati egredere, habes enim vbi relaxare possis & extendere membra tua plena doloribus. Lectus paratus est, Crux est. Iam multoties postulasti delicias huius lectuli & angusti.Tuus est amor Domine, qui triumphat hodie de te. Compassió tua & charitas, quæ ad Crucem attrahit te. Egrédere Domine, egredere tu,qui (ex Abacuc 3.)egressus es in salutem populi tui.Ecce pro foribus Pilati expectant te,qui triumphi tui deputati sunt socij & circumstantes. Duo sunt latrones. Expectant te ministri circumferentes instrumenta gloriæ tuæ, funes,clauos,malleos, fel, acetum, & lanceas. Ecce turba magna, quæ vndique accurrit conspectura inauditum spectaculum Passionis & mortis hominis-Dei. Iam iam te expectat, commotáque est vniuersa Ciuitas: viæ strepunt frequentia & tumultu populi: audiuntur buccinæ,cum equorum strepitu:vnusquisque est in domorum ianuis & fenestris. Et ecce vltimò Crux asportata est,& te expectat.Egredere igitur,& fortitudinem tuam induere,procede & regna. Verùm dum nunc egressus Crucem sibi bajulat, eam salutemus, adoremus: *O Crux aue spes vnica,&c.*

Egressus Christi.

SECVNDA DIVISIO.

DE BAIVLATIONE Crucis, & conductu in montem Caluariæ.

Susceperunt autem IESVM, *& eduxerunt: & bajulans sibi Crucem, exiuit, &c.* Iohan. 19.

O VOS omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor,sicut dolor Christi.

A Susceperunt IESVM, & eduxerunt. S. Marcus dicit:Et postquam illuserunt ei,exuerunt eum purpura,& induerunt vestimentis suis,& educunt illum vt crucifigerent eum. Et bajulans sibi Crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum. O vos omnes attendite. Christus humiliauit semetipsum pro nobis, dicit Apostolus, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis, obediens factus non solùm æterno Patri,sed etiam sententiæ Pilati. Crux illi offertur,& ille vbi videt illam, lubenti animo, licet debili corpore, ambabus manibus illam acceptat, & bajulans sibi, super humeros collocat,illud implens Isa. *Et principatus eius super humerum eius*: hodie enim regnauit à ligno Deus. *Lætanter Crux acceptatur à Christo. Isa. 9.*

B Crederé satis quod vt vidit eam à longè, exultauit præ gaudio, videns horam aduenisse diu desideratam, & salutauit eam dicens: Salue Crux pretiosa, & iam concupiscenti animo præparata, nunc perficientur in te quæ dicta sunt à Prophetis. In te consummabuntur omnia, salus hominum, & obedientia mihi iniuncta à patre. Tu sceptrum Imperij mei, thronus gloriæ meæ,& arcus fœderis inter me & populum meum. Salue Crux, &c. Et fortè Sanctus Andreas Apostolus sic dicere didicerat à Domino, cùm etiam eam videns præparatam sibi, salutauit sic: Salue Crux pretiosa,& diu animo desiderata, suscipe discipulum eius qui pependit in te Magister meus Christus. Ita,inquit S.Paul. proposuit Deus in Christo instaurare omnia, & reconciliare sibi per sanguinem Crucis eius.

C

Multiplex autem huius admirandæ Crucis figura erat in Scripturis sacris. Genes. 8. Arca erat lignea super aquas, quæ continebat in se Noë reparatorem totius humani generis, & erat aliis refugium ad salutem. Vnde apud Sapientem: *Exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt.* Hodie in Cruce prophetia illa & figura completa est. *Multiplex figura Crucis Christi. Gen. 8. Sap. 14.*

Item Gen. 9. Arcus in nubibus, de quo: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Iris nubes quædam obscura est, quæ tamen ex radiis Solis mille trahit colores. Ita Crux antea plena maledicto erat, vt supplicium malefactorum:nunc autem ex Christo Sole Iustitiæ,mille trahit honoris titulos. *Gen. 9.* D

Item Gen. 28. altera figura erat scala Iacob, quæ iungebat Cœlum terræ:per quam Angeli ascendẽtes erant & descendentes, & Dominus erat innixus scalæ. Sic de Cruce,cui Deus non solùm innixus est,sed affixus, in sanguine cuius reparauit quæ in cœlis sunt,& quæ in terris,per eam faciens vtraque vnum,per quam & Angeli ad nos descendunt, & orationes nostras ad cœlos transferunt. *Gen. 28.*

E De Genesi ad Exodum transeamus.Cap. 7. figura est in virga Moysis, quæ iacens in terra serpens erat,sed in manu Moysis,virga rectissima erat operatrix prodigiorum.Ita Crux dum non est à Christo suscepta, serpens est,& quid horrendum, quod nihil nisi venenum & mortem habebat: sed vbi eam Christus accepit, nunc gloriosa est & vitæ plena. *Exod. 7.*

De Exodo ad Numeros transeamus.Cap. 17. Similis figura erat virga Aaronica, quæ antequam acciperetur ab eo, virga sicca erat: vbi autem accepit eam, floruit & fructificauit. Sic de Cruce Christi Sacerdotis magni, quæ ab eo suscepta, floruit statim, & fructum vitæ nobis dedit. Ita vt dicere nunc cum Ecclesia possimus, quia arbor vna *Num. 17.*

vna est nobilis, & quia nulla sylua talem profert, fronde, flore, germine. Verum cap. 21. figura est magis expressa in illo ligno, in quo iussu Dei serpens pendebat erectus in salutem populi. Ecce hodie in Cruce veritas.

Num. 21.

Sed prosequamur. Cant. 6. Sponsus dicebat: ***Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.*** Modò, modò in palmam Crucis Sponsus noster Christus ascendet, & apprehendet fructus eius. Quinam illi sunt? Mors & vita, peccatorum remissio, gratia, gloria, denique reconciliatio nostra; fructus quidem Crucis, quos etiam breui & nos accepturi sumus. Sic enim Deus proposuit in hac plenitudine temporum instaurare omnia in Christo, & reconciliare sibi in sanguine Crucis eius.

Cant. 6.

Fructus Crucis.

Verùm post figuras, nonnihil adhuc de propheciis dicamus. Isaiæ 22. dicitur: ***Dabo clauem domus Dauid super humerum eius.*** Clauis domus Dauid, Ecclesiæ & Cœli, Crux est: quam sibi hodie baiulans Christus, imposuit super humerum suum. Item sic prophetabat Dauid dicens: ***Virga directionis, virga regni tui.*** Iniquitas Adæ totum mundum curuauerat versus terram, & Infernum, hunc hominem quem Deus fecerat ab initio rectum. Ecce iam virga regni Christi, (si quidem hodie regnabit à ligno Deus,) Crux virga directionis facta est, quando iniquitatem nostram soluens in ea, & maledictionem, dedit nobis benedictionem & spem directionis nostræ in Cœlum. Talis quidem prophetia erat adhuc repetita Psalm. 109. ***Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.*** Ex Sion, quia de Hierusalem hodie egressa est. Virga autem virtutis tuæ appellatur, ô Christe. Quare nunc & tu qui portas eam, dominare in medio inimicorum tuorum. Ecce nunc super humerum tuum tuus principatus, Crucem baiulasti, ostende virtutem. Et ego, ait, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. O Domine IESV, trahe me nunc post te: virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Surgite, eamus hinc.

Prophetia de Cruce.
Isa. 22.
Ps. 44.
Ps. 109.
Ioh. 3.

Ecce, ô Christiani, exit IESVS in locum Caluariæ, ipsum omnes sequamur clamantem: Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me. Et baiulans sibi Crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum. Quis nostrûm est qui nunc velit compati Christo, vt conregnet cum eo? O Domine IESV, virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Crux tua, Christe, virga regni tui est, virga nostræ directionis. Crux tua baculus est, quo capita inimicorum tuorum confringes. Paruulus Dauid, vt occideret Goliath hostem, baculum arripuit, & quinque limpidissimos lapides: sic tu, Domine, cum baculo tuæ Crucis & quinque vulneribus majusculis, atque limpidissimis tuæ Passionis, hostem generis humani interimere vis, nosque ereptos in Cœlum reducere; velut enim bonus pastor, hoc vteris baculo, non solùm vt defendas nos à rugientibus præparatis ad escam, sed etiam vt gregem tuum in Cœlum dirigas. O optime pastor, virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. O Domine IESV, secundum magnitudinem dolorum tuorum in Cruce, consolationes ipsius Crucis tuæ lætificauerunt animam meam. Iam tecum sum in tribulatione, omniáque mihi nunc amarescant, & tu solùm mihi in Cruce dulcescas, neque permittas me in vllo lætari quàm in te. Renuit iam consolari anima mea, memor filij Dei, &c. Et mihi iam gloriari absit, nisi in Cruce Domini mei IESV Christi, per quã nunc mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

Virtus Crucis.
1. Reg. 17.
Gal. 6.

O Christiani, si compatimur nunc, & conregnabimus. Ecce baiulans sibi Crucem, Christus exiuit, & clamat: Si quis vult venire post me, crucem suam tollat. Eia Domine, sequar te, trahe me tu post te, & tollam Crucem tuam post te. O quis non vellet modò Christum sequi, ac fieri particeps Crucis eius? leuioris huius oneris, & suauis ponderis? Sed quis dignus inuentus est? Audite iam.

Exeuntes autem, dicit S. Matth. inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, venientem de villa: hunc angariauerunt, vt tolleret Crucem eius; &, vt dicit S. Luc. imposuerunt illi Crucem portare post IESVM. O fauorem inæstimabilem! Ecce qui dignus est portare, Simon, qui interpretatur obediens. Ecce qui dignus est sequi Christum, obediens, & veniens de villa, id est, qui reliquerit omnia. Solus enim dignus est ille Crucem Domini portare post se. Simon, vir obediens imitator Christi, cum Christo loquetur victoriam, & fructus Crucis Christi percipiet.

Simon Crucē portat post Iesum.
Simon dicitur obediens.

Simus igitur omnes Simones Cyrenæi, baiulatores Crucis Christi: vel certè si non simus hac tanta gloria digni, saltem in patientia crucem nostram portemus, vt Christo omnes conformes simus, & in obedientia Simones, id est, obedientes ei qui dicit: *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me.* Hoc vltimum maximè à nobis requisitum est, videlicet, sequi ipsum. In hoc enim vnico Christiana perfectio est, sequi Christum: hoc modo omnes Christum imitari possunt, & ire post eum. Neque vlli denegatur hæc gratia: hoc si quidem notauit S. Lucas, quod nempe vni soli Simoni gratia hæc particularis data est, Crucem propriam Christi portare post ipsum: sequi verò datum est omnibus. Sequebatur autem illum turba multa populi, & mulierum quæ plangebant, & lamentabantur eum. O quis similiter dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt cum his mulieribus & filiis Hierusalem defleam vehementem Domini mei IESV Christi dolorem?

Sequi Christũ, Christiana est perfectio.

Verùm ille conuersus ad illas dixit: Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos. Quid ais Domine? Etiam Domine super nos flebimus, sed etiam compassio vrget nos, vt super te lugeamus. Flete igitur, flete omnes filiæ Hierusalem, animæ iustæ, peccatrices, atque pœnitentes, omnes lugere. Si Christi membrum es, plange, dicit S. Bernard. & dole cum gemitu & lacrymis pretiosam mortem vnigeniti filij Dei. Alioquin, ô ingrate quid facis? Si non compateris, à tua nobilitate in belluam degeneras, & homo esse desinis.

Luctus & lacrymæ filiarũ Ierusalem.
S. Bern.

Flete igitur, obsecro, omnes, & etiam ipsius dolorosam matrem conuenite. Nuper illa Ciuitatem circuibat, oculis in fontem lacrymarum conuersis, quærens per plateas quem eius anima diligebat. Illum quærebat qui tunc in prætorio Pilati, in medio verberum atque spinarum detentus & captiuus erat. Sed nunc clamorem ciuitatis audiuit, exiitque foras dicens: Num quem diligit anima mea, vidistis? Quis est iste tuus dilectus, ô mater inter omnes afflicta mulieres? & illa: Dilectus meus filius speciosus forma est præ filiis hominum. O virgo, vidimus eum: sed non est ei species, neque decor, despectum vidimus & nouissimum hominum; quasi absconditus est vultus eius, vnde nec reputauimus eum. Quare eos interroga qui viderunt nuper, & meliùs agnoscunt. Ecce discipulus eius Iohannes, ô virgo, qui tibi occurrit, præ angustia

Virgo quærit filium suum.

spiritus gemens & tristis, interroga ipsum. O Iohannes dilecte filij mei discipule, vbinam reliquisti eum? heu! ô mater Magistri mei & Domini, quid me de filio tuo interrogas? & quibus verbis rem tibi aperire potero? Ipsum inter manus inimicorum reliqui coronatum spinis: nunc autem perducunt illum in Golgotha Caluariæ locũ, vt ibi crucifigant eum Quare si eum adhuc viuum videre vis, surge Domina mea, propera & veni mecum, tibi ostendam, sed vix agnoscere poteris.

Quo tempore Virgo occurrerit Christo.

Existimant multi quod tunc occurrit filio, cùm ille præ magnitudine ponderis Crucis subtus illam ceciderat in terram O quis dicere & explicare posset quid tunc in corde filius, & mater in anima ex illo conspectu mutuo senserint? O fili mi, inquiebat illa, quis mihi daret mori pro te? Quid video fili, & quid tibi faciam Deus cordis mei? O Hierusalem, hæccine reddis Domino tuo, ingrata, pro omnibus quæ retribuit tibi? O milites & tortores Inferni, nostis hominem hunc? O pater æterne, estne filius tuus hic, in quo tibi bene complacuisti? Nunc quæso respice in faciem Christi tui. O fili mi, dolens te quæsiui, & te moriens inueni. Moriar tecum fili mi, non dimittam te, sed sequar quocunque ieris. O Maria dolorosa mater, magna est certè, velut mare, contritio tua. Quis heu! medebitur tibi? Sequitur illa filium vsque ad Caluariæ locum, pondus ferentem peccatorum nostrorum. Ibi videt crucifigi, inter duos latrones exaltari, illudi, & blasphemari à prætereuntibus. Verùm sistemus nos, & in Cruce ipsum adoremus; *O Crux aue spes vnica.*

Planctus Virginis.

TERTIA DIVISIO PASSIONIS IESV Christi.

DE CRVCIFIXIONE & morte Christi.

Stabant autem iuxta Crucem IESV *mater eius, & Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.* Ioh. 19.

O Vos omnes qui transitis per viam, attendite si est dolor, sicut dolor IESV Christi, & Mariæ matris eius. Attendite, postquam venerunt in locum Caluariæ, dicit Sanctus Lucas, ibi crucifixerunt eum, & cum eo duos latrones. Hic nouissimus & extremus renouatur dolor. Attendite, iam milites & Inferorum ministri vix ad locum venerant, cùm statim Cruce deposita super terram, ipsum extendere super eam festinant, & vestimentis suis exuunt, vi extracta de capite spinea corona, quia vt vestis eius erat inconsutilis, opus etiam tunc fuit per caput eam extrahere, & consequenter coronam, quam postea ac iterum capiti eius in crucifixione imposuerunt, ex reuelatione facta Sanctæ Brigittæ. O vos omnes attendite. His ita crudeliter factis, statim carnifices immanissimè illud desuper extendunt virgineum Christi corpus, & clauis præparatis vtramque manum ambosque pedes huic sacro stipiti affigunt. Verùm vnum hic inter omnia attendite, videlicet quod postquam sic affixerunt, vt præ nimia extensione eius dinumerarentur ossa, sicut dicit Psaltes, statim adhuc ex altera parte Crucem inuerterunt, eius facie posita contra terram, vt sic malleorum ictibus, clauorum aciem obtunderent & firmarent: vnde postea illam Dei faciem desideratam Angelis, penitus contritam, deformem, puluere simul & sanguine respersam, in aëra, in altum erexerunt. O vos omnes attendite.

Bis corona spinea imponitur capiti Christi.

S. Brigitta li. 7. cap. 15.

Christus crucifigitur.

A

Et tu ô Virgo, horum omnium constans spectatrix aderas. O quoties, heu! malleorum ictus cor tuum & animam vulnerabant? O vos omnes attendite; & simul in signum Redemptionis nostræ iam erectum aspicite. Mementote quod olim dixerit: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis.* Respicite igitur hodie in hunc serpentem æneum in deserto Caluariæ exaltatum, in hanc dico similitudinem carnis peccati, vt non pereatis. Qui enim in eum crediderit, non peribit.

Ioh. 3.

B

Ecce iam ipsum in Cruce hac clamantem audio, eiusque sanguinem meliùs loquentem quàm Abel: Pater, ait, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. O Domine IESV, quonam hæc tempore dicis? Dum in aëra eleuatur factus mediator pro nobis. Sed quonam adhuc tempore? Dum prætereuntes blasphemant, mouentes capita sua, dum illudentes summi Sacerdotes dicebant ad alterutrum; Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere, descendat nunc de Cruce. Dum illudebant & milites, diuidentes vestimenta eius, sortem mittentes super inconsutilem vestem, & statim post acetum ei offerentes. Dum vnus latronum improperat ei & blasphemat, dicens: Si tu es Christus, saluum fac teipsum & nos. Denique dum stabat omnis populus, expectans & deridens, tu Domine dicebas: Pater dimitte.

Oratio Christi in Cruce, & eius circumstantiæ.

C

Videte nunc opera Domini quæ posuit prodigia super terram, dicit S. Bernard. Flagellis cæsus, spinis coronatus, clauis confossus, patibulo affixus, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor, ait: Pater ignosce. Et quidem minimè in vanum est deprecatio eius & misericordia. Inciderat Christus inter duos latrones, cùm ascenderet de Hierusalem in Ierícho, qui & eum propter nimiam charitatem qua dilexit nos, despoliauerunt, & semiuiuum adhuc reliquerunt, quando vnus eorum ad ipsum conuersus ei semiuitam dedit, & Christus ipsi plenam vitam, dum ille increpans socium suum, dixit ad IESVM; Domine memento mei. Cui tunc Christus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Pater ignosce. Hic recordor Dauid, qui dum suauiter citharam suam pulsabat, omnium animos reficiebat, & è Saüle dæmonium eiiciebat. Ita hodie Christus, extensis fidibus neruorum suorũ in harmonico ligno Crucis, dum mundo suauiter cecinit: Pater ignosce; è latrone dæmonium eiecit, ipsumque gaudio repleuit Domini sui, cùm dixit, hodie mecum eris in paradiso.

S. Bernar. in floribus.

D

1. Reg. 16. Cithara Dauid, figura orationis Christi.

E

O toti mundo cantus dulcissimus atque gratissimus, qui lætificauit Angelos, homines iustificauit, Deumque ipsum recõciliauit homini! Sic Deus, dicit Apostolus, erat in Christo mundũ reconcilians sibi, qui in sanguine & melodia Crucis omnia instaurauit, & quæ in terris sunt, & quæ in cœlis. Pater ignosce. Præualet quidem hæc melodia illi quæ in natiuitate ab Angelo decantata fuit pastoribus, dicente: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nihil enim est in hac Passione Christi quod gloriam non clamet, pacem & reconciliationem hominibus. *Quod*

factum

factum est in ipso, vita erat, inquit S. Ioh. Passio eius, atque etiam mors facta in ipso, nobis vita est. S. Bernard. Clamat clauus, clamat vulnus, quod in Christo mundum reconcilians sibi est Dominus. Et S. Laurent. Iustinianus. Clamant sputa, claui, lancea, irrisiones & verbera, vt ipse toto corde, totisque visceribus diligatur, qui pro dilectione nostra, talia & tanta pati dignatus est. Vnde S. Iohannes, qui Cruci aderat, in Can. sua dicebat: *Filioli, hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Pater ignosce. O verbum pacis, iustitiæ nostræ & reconciliationis!

S. Bern.

S. Laurent. Iustin.

1. Ioh. 2.

Sed quid, ô Domine? tantúmne peccatorum hominum memor eris, vt de iis sis tantopere apud patrem sollicitus? De tua verò matre atque discipulis quid? Quæso istud notate, quod priùs de peccatoribus est sollicitus quàm de matre. Pater ignosce illis. Stabant autem iuxta Crucem IESV mater eius, & Maria Cleophæ cum Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo IESVS matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dixit matri: Mulier, ecce filius tuus. Deinde discipulo: Ecce mater tua. O Domine IESV, nunc mulierem vocas quæ est mater tua, quia nunc in his quæ patris tui sunt, oportet te esse. Sed cuinam eam commendas? Discipulo. Sub qua ratione? Matris: Ecce filius tuus, ecce mater tua; & tuam ipsius animam doloris gladius hodie pertransiuit. Sed hoc etiam sic fieri oportuit, quia nobis post filium mater nostra relicta es, & iuxta Crucem eius, apud patrem aduocata, vt sic per te accessum habeamus ad filium & patrem: per te ad filium, & per filium ad patrem, cui reconciliati sumus in sanguine Crucis. Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, & simul pro nobis in facie Christi filij tui respice. O Virgo iuxta Crucem tecũ stare, te libenter sociare in planctu desidero, fac me plagis vulnerari, Cruce hac inebriari ob amorem filij.

Commendat Christus Virginem matrẽ Iohãni discipulo.

Cùm igitur sic Christus Iohanni suam matrem commendaret, erat tunc hora ferè sexta, dicit S. Lucas, & tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, inquit S. Marcus. Et quidem conueniens videbatur, vt moriente vita, tenebræ & vmbræ mortis essent per vniuersam terram. Hora autem nona exclamauit IESVS voce magna dicens: Eloi, Eloi lamma sabacthani, Deus, Deus meus vt quid dereliquisti me? O qualem derelictionem! Interim non talis extitit, vt humanitas in morte fuerit à diuinitate separata, aut anima eius à Deo derelicta, vel quod desperatio acciderit, vt pessimè Caluinus commentus est: sed quia tunc Deus clausit omnes portas consolationis, quibus humanitas potuisset confortari, vt per talem derelictionem nobis quidem mereretur aditum ad consolationem. Vnde quasi tunc sui oblitus, & tantùm memor nostri, pro consummatione omnium clamat, Sitio. Hunc clamorem Sanctus Iohannes notauit sic. Sciens IESVS quia omnia consummata sunt, dicit, Sitio. Quid Domine sitis, nisi animarum salutem? Propterea equidem Ieremiæ cap. 22. pater sic ad filium dicebat: Ascende Libanum, & clama ad transeuntes. Quid clamabo? Sitio.

Quomodo Christus in Cruce est derelictus.

Christus clamat Sitio in Cruce.

O vos omnes attendite. Terra, terra, terra audi clamorem Domini, Sitio. Locutus sum ad te in abundantia, & dixisti, non audiam. Terra audi clamorem, Sitio. Venite ad me omnes, Sitio. Sanctus Bernardus. Domine quid sitis? Ergóne

A plus cruciat sitis quàm Crux? de Cruce siles, & de siti clamas, Sitio. Quid? vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium. Sed heu! dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Isa. c. 65. Expandi manus meas, & eleuaui vocem tota die ad populum non credentem, sed contradicentem mihi. O pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et accepto felle, & aceto peccatorum, ait; Consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum.

Christus commendat patri spiritum suũ.

Ecce consummatio, ecce peracta nostra reconciliatio, Deus pro peccatis mortuus est, velum Templi scissum est in duas partes, terra mota, monumenta aperta, & multi percutiebant pectora

Mors Christi, & consummatio omniũ.

B sua: & nos percutientes nostra reuertamur, conuersionísque nostræ actum exeramus scissis cordibus nostris. Christus mortuus est, & clamat sanguis eius ad nos: Conuertimini ad me (Ioël. 2.) ex toto corde, in fletu, & planctu, & scindite corda vestra; luctum clamat, contritionem & scissionem cordium. Tenebræ factæ sunt, terra mota est, & petræ scissæ sunt: velum Templi, non dicam Ierusalem, sed velum Templi viui, id est, humanitas Christi, hoc corpus quod in Cruce videtis perforatum, in duas partes lancea scissum est. Vnus militum latus aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Accedite omnes, & intrate in vulnus amoris Dei vestri, & vos abscondite ibi. Quid

C nunc dicat, audite: Surge amica mea, anima mea sponsa, & veni, in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ.

Cant. 2.

En Christus in Cruce petra est quatuor ingentia foramina habens in manibus pedibusque, innumera in capite. Cauernam autem habet in pectore, & maceria tota est humanitas. Venite itaque omnes, & vos ibi abscondite: petra excisa est, latus apertum est, & dedit aquas cum sanguine; venite omnes, & bibite.

Fontes egredientes de paradiso, totam ferè terram irrigabant. Ecce hodie de paradiso & humanitate Christi meliores fontes scaturiunt sanguinis & aquæ, quibus anima irrigata fructus

D Cœlo dignos producat. Fontes vtique sunt aquarum in vitam æternam salientium. O admirabilis potentia Crucis! *Si exaltatus fuero à terra*, inquit Christus, *omnia traham ad meipsum.* Traxisti Domine omnia ad te, dicit Sanctus Leo, quia cùm expandisses manum ad populum contradicentem tibi, totus postea mundus confitendæ majestatis tuæ sensum accepit. Traxisti Domine omnia ad, te cùm in execrationem Iudaici sceleris vnam protulere elementa sententiam, cùm obscuratis luminaribus Cœli, & conuerso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, vniuersaque creatura impiorum se vsui negaret. Traxisti Domine omnia ad te, quoniam

Crucis potentia.

S. Leo Serm. 8. de Pass.

E scisso Templi velo, Sancta sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, vt figura in veritatem; prophetia in manifestationem, & lex in Euangelium verteretur. Traxisti Domine omnia ad te, vt quod in vno Iudææ Templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertóque sacramento, vniuersarum vtique nationum deuotio celebraret. O admirabilis potentia Crucis! O ineffabilis gloria Passionis! in qua & tribunal est Domini, & iudicium mundi, & potestas est Crucifixi. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Sed ô Domine, inter omnia trahe me ad te, vt compatiar tibi hodie morienti pro me.

S Hieron. in Matth. Mirum est, dicit S. Hieronymus in Matth. omnis creatura compatitur morienti Christo, & sic ad ipsum trahitur, Sol obscuratur, terra mouetur, petræ scinduntur, velum Templi diuiditur, sepulchra aperiuntur; solus miser homo non compatitur, pro quo solo Christus patitur. O Domine, trahe me ad te, qui hodie es à terra exaltatus pro me, & qui non solùm traxisti patiendo omnia ad te, sed etiam ad nos traxisti omnia, cum inclinato capite in nos, Cœlum in terram, & Deum ad homines attraxisti, reconcilians omnia in sanguine Crucis tuæ, siue quæ in terris sunt, siue quæ in cœlis. Sic enim proposuerat in te secundum propositum voluntatis suæ, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia, qui hodie est in te mundum sibi reconcilians.

DOMINICA RESVRrectionis.

IESVM *quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic.* Marc. vlt.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Ephes. 1.

HODIE consummatum est in Christo IESV opus nostræ reparationis. Hodie ex Ierem. 18. illud vas cœlestis figuli, iustitia fractum & dissipatum, perfectiùs ex misericordia refectum & reparatum est, videlicet homo in Christo IESV. Ecce hodie, dicit Dominus, noua facio omnia. Iohan. 17. Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Ego te clarificaui super terram. Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam. Quodnam erat istud opus? vtique nostræ reparationis, sicut Paul. dicit, proposuit Deus in Christo instaurare omnia. Vnde, & nunc clarifica me tu pater apud temetipsum claritate quam habui, priusquàm mundus esset, apud te. Ioh. 17. Quænam est illa claritas quam petit ex consummatione operis, nostræque reparationis? Vtique gloriæ & resurrectionis claritas, quæ summa est perfectio hominis, nobis comparata in sanguine Crucis Christi, & quam morte sua primus sibi ipsi promeruit. Ioh. 12. cùm iam instaret dies mortis eius, & diceret: Pater, clarifica nomen tuum, venit vox de Cœlo: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Nunc autem est in Resurrectione. IESVM *quæritis crucifixum*, dicit Angelus: *surrexit, non est hic.*

Quare Angelus Iesum crucifixū denominat. Vnum hic ante omnia notandum est, quod Angelus non erubescit Crucem Saluatoris. O majestas! ô gloria, & claritas Crucis! Sed ipsum ab illa describit, tanquam à præcipua nota gloriæ eius, crucifixum eum appellans, qui gloriosus surrexit ab ignominia Crucis. Vnde queso istud? Ideo certè, quia sciebat quod per illam peruenerat ad gloriam suæ Resurrectionis, & quia omnis nostra gloria iam in Cruce esse debeat, si voluerimus cum Christo resurrectionis esse participes. Vnde Apostolus: Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini mei IESV Christi. Audistis quanta olim Christus fecit in vita? Ab his tamen omnibus non descripsit eum Angelus: neque dicit hodie mulieribus, IESVM quæritis, qui tot olim miracula fecit, mortuos suscitauit, &c. sed crucifixum. Certè quia & illud omnium eius mirabilium mirabilissimum est, sicut etiam Religionis nostræ præcipuum insigne. Nos autem prædicamus Christum, & hunc crucifixum, ait Apostolus. Quare? quia equidem hæc præcipua Christi nota est & gloria. Quidam Scipio, Africanus dictus est ab Africa quam superauit: & Christus similiter à Cruce in qua passus est, hostesque suos & generis humani superauit, dictus est crucifixus. Scipio Africanus, IESVS crucifixus. Et certè mirabilius erat Christo pati, quàm agere Scipioni: filio Dei in Cruce pati & mori, quàm Africam debellare Scipioni. Sed quid addam? Amplioris quidem fortitudinis erat mori Christo pro mundo in Cruce, quàm ipsum mundum creare, & vincere.

IESVM quæritis crucifixum, (hæc nota est fortitudinis eius,) surrexit, non est hic. Videte locum, vbi positus erat Dominus. Hic quæso adhuc bonitatem Dei considerate, qui ad mortem vsque & sepulchrum exinaniuit se, vt nos mortuos & fœtentes in peccato & monumentis suscitaret. Sic Deus charitate qua dilexit nos, qualitates nostras, (excepto peccato) in se suscepit. Dum populus Israël in spinis tribulationum est in Ægypto, Deus Moysi apparet in rubo ardenti. Ita nunc quia morimur, iacere voluit in sepulchro. Sed hodie gloriosus resurrexit, & nunc filius hominis clarificatus est, & in eo Deus. Opus enim consummatum est. Sic Deus erat in Christo instaurans omnia, & sibi reconcilians, qui traditus est propter delicta nostra, hodie resurrexit propter iustificationem nostram. En reparatio. Si enim, ait Apostolus, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati nunc salui erimus in vita ipsius, scilicet in Resurrectione eius, scientes quod Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo IESV Domino, qui nempe hodie in gloria vitæ & Resurrectionis suæ, vitam gratiæ simul & gloriæ nobis adeptus est. Tale est opus, quod hodie, iuxta Apostolum, consummatum est, vt quomodo ipse resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos per ipsum in nouitate vitæ ambulemus. *Si qua in Christo noua creatura, vetera transierunt*, &c. In Isaia Dominus dicit: Ecce ego creo nouos cœlos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora. Quasi diceret, renouo omnia, præcessit animalis mundus, & me resurgente, nouus mecum mundus incepit. Iam ergo quæ retrò sunt obliuiscentes, & vetera, ad noua & anteriora vos conuertite. Certè optimè dicere possumus, quod hodie Christus per Resurrectionem suam huic terreno & animali sæculo finem imposuit, vt iam amplius non secundùm ipsum viuamus: nouum verò sæculum instituit, vt iam in nouitate hac vitæ, iuxta Apostolum, ambulemus.

Deus per omnia, excepto peccato, nobis assimilatur. Rom. 4. Rom. 5. & 6. 2. Cor. 5. Isa. 65. *Per Resurrectionem Christi nouus mundus incepit.*

Sed quæso quantum hic bene omnia conueniunt, attendamus. Mementote quod Deus sex diebus peracto hoc terrestri & corporali mundo, septimo die requieuit ab omni opere: & altero die quasi surgens summo mane æternitatis suæ, posuit hominem in eo vt operaretur. Ita nunc idem Deus mundum hunc reparans, sed nouum instituens, sex diebus præteritis huiusce hebdomadæ sanctæ & dolorosæ, septimo die requieuit, nempe hesterno, die Sabbathi integro; resurgens hodie summo mane, scilicet diluculo. Ad quid, nisi velut is qui nouo stipendio conducturus erat nouos operarios in Gen. 2.

in nouam vineam,& nouum mūdum spiritualem?

Et non quidem immeritò, nec frustra apparere voluit Magdalenæ in forma & specie hortulani. Ideo fortè, vt ostenderet inde, quia plantaturus venerat alium paradisum excolendum, & deliciarum hortum, qui Ecclesia est, seu anima quælibet Christiana & fidelis. Quare nunc scitote Christiani, quia nox præcessit, dies autem appropinquauit, vt opera tenebrarum abiiciamus. O quàm verum istud est quod Psaltes dicit: Posuisti tenebras, & facta est nox. In ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ; catuli Leonum rugientes vt rapiāt prædam. Ortus est Sol, & congregati sunt. Exibit homo ad opus suum, & ad operationem vsque ad vesperam. Quàm magnificata sunt opera tua Domine! Omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.

Ioh. 20. *Rom. 13.* *Ps. 103.*

Et quidem Deus posuerat sæculum prius, in quo nox peccati fuit & diu viguit; ita vt in hac nocte multitudo pertransierit bestiarum venenosarum, Idolorum, atque vitiorum, & Leones raperent prædam. Sed cùm ortus est Sol, ille equidem qui quatenus Deus, Sol est Iustitiæ, verbum caro factum, Deus factus homo, ipse statim exiuit ad opus suum spirituale, quod vsque ad vesperam mundi excolere debet. Ita enim resurrexit à mortuis, vt nobiscum sit permansurus, sicut promisit, vsque ad consummationem sæculi. Interea desiderat, vt cum eo ad hoc opus exeamus in hac nouitate vitæ ambulantes, qui propter iustificationem nostram resurrexit.

Verùm ecce iam antecesserunt nos quædam sanctæ & deuotæ mulieres, quæ dicuntur valde mane cum suis vnguentis venisse ad monumentum, orto iam Sole. Ortus est Sol, & Iustitiæ Sol, & exiuit ad opus suum. Quid quæritis viuentem cum mortuis? Surrexit. Dicebant adinuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? O quàm multi sæpe ab executione operis retardantur, impediuntur, in ipso conuersionis itinere deficiunt, ob lapidem leuis cuiusdam apprehensæ difficultatis! Exite tantùm & valde mane: ecce enim respicientes videbitis, cum mulieribus istis reuolutum lapidem. Omnem secum abstulit difficultatem Christus, qui omnes labores nostros tulit & dolores. Et introëuntes viderunt iuuenem coopertum stola candida, qui dixit eis; Nolite expauescere, IESVM quæritis: surrexit, non est hic, præcedet vos in Galilæam. Ibi eum videbitis. Ortus est Sol, & exiuit ad opus suum, & omnibus de se testimonium dabit, quia verè resurrexit. Ite iam, & dicite discipulis & Petro, quia non est hic, sed resurrexit. Ecce locus vbi, &c.

Non debet retardari conuersio ob lapidem difficultatis animo apprehensa.

S. Tho. 3. p. q. 53. art. 1. *Duplex ratio Resurrectionis Christi.*

S. Thom. inter multas præclaras rationes & necessarias Resurrectionis Christi, vnam refert quæ ad ipsum spectat, alteram verò quæ respicit nos. Quantum ad primam. Hoc inprimis necessarium fuit ad commendationem diuinæ Iustitiæ, cuius est exaltare humiles: humiliauerat se autem Christus vsque ad ignominiam Crucis & mortem, vnde pater exaltauit eum vsque ad gloriam vitæ & resurrectionis. Ex patris proposito & voluntate formam serui accepit, nobiscum habitu inuentus vt homo: nunc autem formam gloriæ suæ induit, ostendens se filium Dei esse. In Psal. 29. hæc omnia optimè videntur repræsentari, vbi sic loquitur Dei filius. Ego dixi in abundantia mea: Non mouebor in æternum. Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Ad te clamaui; Quæ

1.

In Ps. 29. *Explicatur mysterii vita Christi.*

A vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Audiuit Dominus, & misertus est mei. Conuertisti planctum meum in gaudium mihi; conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.

Quæso verborum istorum explicationem audiamus, & quomodo optimè conueniunt mysterio Resurrectionis. Cùm esset filius Dei in sinu patris, dicebat in abundantia sua & plenitudine diuinitatis: Non mouebor in æternum. Ego enim Deus, & non mutor. Factum est autem vt in plenitudine temporum, iuxta voluntatem patris, decorem humanitatis suæ indueret, eamque virtute ornaret coniunctam diuinitati. Interim tempore Passionis B factum est, vt pater quodammodo faciem suam auerteret, quia cum mori oportebat. Et conturbatus est filius in horto factus in agonia, & in Cruce dicens: Pater, vt quid dereliquisti me? Vnde rursus ad Dominum clamauit, & cum lacrymis, sicut ad Heb. dicitur, validoque clamore preces obtulit dicens: Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Ignosce & dimitte illis pater. O pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et ecce exauditus est pro reuerentia sua. Audiuit Dominus, & misertus est, statim enim conuertit planctum filij in gaudium Saluatoris, qui saluat latronem in Cruce, & captiuam educit captiuitatem de tenebris, saccumque corporis, qui C in Passione multis fuerat plagis & vulneribus concisus, in Resurrectione resumit circumdatum summa lætitia, & gloria, vndique per easdem cicatrices & plagas resplendente: sed tali, vt etiam omnes gaudio repleuerit tam qui in cœlis & terris erant, quàm in abyssis.

Malach. 3. *Heb. 5.*

Adeò vt hæc dies, propriè illa sit quam fecit Dominus, vt exultemus & lætemur in ea, dicamúsque serena facie, Alleluya. Dominus enim regnauit, & decorem induit, id est, immortalitatem corpori suo dedit, quando hodie in gloria & majestate resurrexit, & eleuata est magnificentia eius, id est, humanitas, super omnes cœlos, videlicet, in incorruptione, immortalitate & gloria.

D Ideo autem sic euenire debuit, quia peracto Passionis mysterio, statim anima Christi, quæ ab initio conceptionis gloriosa erat, solumque per dispensationem non redundabat in corpus propter Passionem futuram, nunc, cùm est peracta, gloriam suam in corpus resumptum transmisit, & sic hodie rutilans gloria resurrexit. Iuxta quod etiā impossibile erat ipsum retineri in morte & sepulchro, qui moriendo mortem destruxerat, morsumque Inferno dederat, vt dicitur per Prophetam Osee: *O mors, ero mors tua, morsus tuus ero Inferne*: siue actiuè morsus iste intelligatur, siue passiuè. Actiuè, morsus tuus ero, id est, destruam te penitus, & spoliabo, educens electos meos qui capti- E ui erant: vel, cùm descendero in te, & mordere volueris me, digerere non poteris, petra sum enim & acuta. Vel adhuc continere me non poteris, sum enim excelsior cœlis, & profundior abyssis: & sic etiam passiuè, morsus tuus ero, liberque patebit exitus per me animabus detentis.

Quomodo debuit Christus resurgere in gloria.

Osee 13. *Actiuè & passiuè, morsus Inferni explicatur.*

Sic possunt intelligi illa verba Sancti Petri Act. 2. cùm de morte Christi disserens, ait: *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus Inferni*; non doloribus eius, vt pessimè, oreque sacrilego explicauit Caluinus, qui dicit Dominum IESVM filium Dei etiam damnatorum tormenta pertulisse: sed solutis doloribus animarum quæ tunc in purgatorio erant, & non suis, iuxta quod, vt idem Apostolus dicit,

Act. 2. *Blasphemia Caluini.*

dicit, impossibile erat teneri illum ab eo. Sic igitur ratione prima, quæ respicit ipsum, necessarium erat vt statim post mortem gloriosus resurgeret: hoc enim debebatur & Iustitiæ Dei, & humanitati verbo vnitæ.

2. Ratio ex parte hominum, cur necessariū fuerit Christum resurgere.

Quantum ad alteram rationem quæ nos respicit, etiam dicimus necessariam fuisse Resurrectionem Christi. Illa enim est exemplar nostræ resurrectionis futuræ, Apostolo dicente: Si Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Resurrexit primitiæ dormientium, vnusquisque autem in suo ordine. Ita ad Philip. Saluatorem expectamus Dominum nostrum IESVM Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Si tamen, ô Christiani, antea participes simus resurrectionis, quæ ordine prima est, & quam sic S. Iohannes in Apocal. appellat dicens: *Beati qui partem habent in resurrectione prima.* Sic enim adhuc Apostolus antequam dixerit: Saluatorem expectamus Dominum nostrum, posuit: Conuersatio nostra in cœlis est, vnde, inquit, expectamus Saluatorem. Et certè si aliqua prima sit ex parte nostri necessitas Resurrectionis Christi, ista est, vt sit adinformationem vitæ fidelium: quorum inquam vita debet nunc esse abscondita cum Christo in Deo. Hic est omnis fructus Resurrectionis eius, vitæ nouitas, in qua nunc ambulare debemus, & modò dicere: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus. Hodie omnes ipsum recepistis, mementote iam verbi Apostoli: Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, & dicite, viuit in me Christus. In hoc est complementum vitæ nostræ, si non peccemus.

1.Cor.15.

Phil.3.

SVMMA TOTIVS operis humanæ reparationis.

IESVS *appropinquans ibat cum illis: oculi autem eorum tenebantur, &c.* Luc.24.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Eph.1.

DICEBAT IESVS discipulis suis Ioh.4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, & perficiam opus eius.* Voluntas patris & perfectum opus est, vt omnes ipsum cum filio cognoscant, sic enim filius ad ipsum dicebat: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti filium. Hoc opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam. Manifestaui nomen tuum hominibus, & quos dedisti mihi, cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti. Interim, ecce hodie ex Euangelio duo ex discipulis eius euntes in Emmaus dubitare cœperunt, & ipsi loquebantur adinuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse IESVS appropinquans, vt in eis suum perficeret opus, ibat cum illis. Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent, & ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis adinuicem, & estis tristes? Dicunt: De IESV Nazareno, quem tradiderunt summi Sacerdotes in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël, & nunc tertia dies est hodie quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, dicentes se visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere: & abierunt quidam ex nostris ad monumentum, qui corpus non inuenerunt. Quibus tunc ait: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ? Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse interpretabatur illis quæ de ipso erant in Scripturis. Et appropinquantes Castello quò ibant, ipsi coëgerunt eum vt maneret cum illis. Qui dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et statim apertis oculis eorum, ipse euanuit, & cognoscentes eum, dixerunt: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem, dicentes discipulis quod surrexit Dominus verè, & narrantes quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

Ioh.17.

In Euangelio ordo repræsentatur vita Christi.

In discursu & historia huius Euangelij, velut in compendio, nobis totum repræsentatur quod Christus fecit in opere humanæ Redemptionis, & quando ad nos venit instaurare omnia. Primò enim formam serui & peregrini accepit, quia valde peregrinum est Deo, esse hominem passibilem, & mortalem, viatorem, & quasi colonum in terra. Sic Ieremias admirans dicit: *Expectatio Israël, Saluator eius in tempore tribulationis, quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum, vir vagus?* Vnde ipse aliquando dicebat cuidā Scribæ diceti sibi; Magister sequar te: Vulpes foueas habent, & volucres Cœli nidos suos; filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Verè peregrinus ipse est, & viator, sicut dicit iterum quia filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Et quæso id notate quod minimè hic iactitat magnificos suos titulos, quod nempe Deus sit, fortis, Rex, Admirabilis, & magni consilij Angelus: sed filius hominis, quasi peregrinus, habituque inuentus vt homo, & viator, quomodo in Baruch Propheta dicitur: In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Ecce sub qua forma veniens apparuit, serui & peregrini.

Ierem.14.

Matth.8.

Matth.20

Baruch 3.

Secundò, in hac forma probauit se esse Messiam & filium Dei ex Scripturis, vbi probat se esse filium Dauid, & quia oportet eum mori, & post mortem resurgere, & sic intrare in gloriam suam, vt refert in exemplo Ionæ.

Matth.22. Luc.20.

Tertiò, dedit corpus suum & sanguinem in cibum & potum, cùm ante mortem suam discipulis post cœnam Sacramentum instituit.

Matth.12.

Quartò denique passus est, & resurrexit, discipulis suis apparuit, conuescens eis, & postquam cognouerunt eum, euanuit ab oculis eorum, ascendens in Cœlum, vnde postea prædicauerunt eum vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis: Ecce quo pacto completum est totum reparationis nostræ opus, iuxta quod dicit Apostolus quod Deus proposuit secundum consilium voluntatis suæ, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo.

Nunc autem videamus in hodierno Euangelio summam & epilogum totius huius operis. Primò, accipit Christus figuram peregrini, vt conuersetur cum duobus istis discipulis, & eos ad fidem conuertat. S. Marc. dicit quia ostensus est in alia effigie euntibus

euntibus in villam: & noſter S. Luc. quod Cleophas eum peregrinum vocauit, ſicque conuerſabatur cum illis. Secundò, probat illis ex Scripturis, quod Chriſtum pati oportebat & reſurgere. Tertiò, accipit panem, benedicit, ac fregit, deditque eis. Quartò denique, poſtquam cognouerunt eum, euanuit ab oculis eorum. Vnde reuerſi prædicauerunt aliis, quomodo Chriſtus reſurrexit verè. O pater, opus tuum conſummaui in eis.

S. Tho. 3. p. q. 55. art. 4.

Ad modum reuelationis diuinorum, Chriſtus Reſurrectionem ſuam reuelauit.

S. Thom. 3. p. Summæ ſuæ, rationem dat cur ſecundum S. Marc. in alia effigie Chriſtus apparuit diſcipulis: & dicit, eo modo Deum Reſurrectionem manifeſtaſſe quo diuina reuelantur, nempe ad diſpoſitionem noſtram. Nam qui habent mentem bene diſpoſitam, ſecundum veritatem, inquit, diuina percipiunt. Qui autem bene diſpoſitam non habent, cum quadam confuſione dubietatis & erroris percipiunt, Apoſtolo dicente: Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei. Vnde inquit, quibuſdam Chriſtus ad credendum diſpoſitis, poſt Reſurrectionem ſuam apparuit in ſua effigie. Illis autem in alia effigie, qui videbantur circa fidem tepeſcere. Et ſimiliter S. Gregor. hom. 23. Talem ſe exhibuit eis in corpore, qualis apud eos erat in mente. Quia enim adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, ita & ſe longiùs finxit ire, & peregrinum eſſe.

1. Cor. 2.

S. Gregor. hom. 23.

Neque hic nos mouere debet, quod ex S. Marc. in alia effigie apparuit, & ex S. Luc. eſſent oculi eorum retenti ne eum agnoſcerent. Nam vtrumque factum fuiſſe probabile eſt, cùm vnus Euangeliſta hoc dicat, & alter iſtud, videlicet, & mutata corporis forma (vt in Transfiguratione) non autem natura, apparuiſſe: & impeditos ſimul fuiſſe diſcipulorum oculos ne agnoſcerent. Licet tamen, & non mutato corpore, & non etiam impeditis oculis, ſed adhuc liberis, potuiſſet efficere Chriſtus, vt non agnoſceretur. Neque id inconueniens eſt. Mens tamen S. Thomæ vt ſupra, eſt, vt eorum oculi à Sathana impediti fuerint, qui ita dicit. Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Sathana factum fuiſſe, ne agnoſceretur IESVS: ſic enim dicitur quod oculi eorum tenebantur. Quod etiam S. Aug. innuere videtur, dicens quod à Chriſto facta eſt permiſſio hæc tantùm, vt vſque ad fractionem panis eorum oculi tenerentur, vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Chriſtus poſſit agnoſci. Interim, neque etiam inconueniens erit dicere, quod à Chriſto retenti fuerint, ob rationes quas mox dicturi ſumus; non quod reuera tenerentur, ſed quod nó magis agnoſceretur, (ipſo volente, vel permittente) quàm ſi tenerentur: Chriſtum enim oculos eorum tenere, poteſt intelligi, nolle ab illis cognoſci.

Quomodo in alia ſpecie Chriſtus apparuit, & diſcipulorum oculi fuerunt impediti.

S. Thom. vt ſupra art. 4. ad 2.

S. Aug lib 3. de conſenſu Euang. c. 25.

Igitur quidquid ſit, ſiue hoc modo Chriſtus tenuerit, ſiue etiam ab alio, vt à Sathana, teneri permiſerit, cur ſic factum eſt, hæ ſunt rationes. Prima. Noluit Chriſtus ab illis initio cognoſci, vt illorum fidem exploraret, quam etſi optimè cognoſceret, experiri tamen volebat humano more, dicens: Qui ſunt hi ſermones, &c. Secunda. Noluit niſi à credentibus agnoſci: quia ſemper verum eſt illud Iſaiæ: *Niſi credideritis, non intelligetis.* Iſtud quæſo omnes intelligant. Tertia. Tenuit eorum oculos, id eſt, noluit ab eis agnoſci dum de Reſurrectione dubitant, dum fabulantur, & ſecum quærunt (omnes audiant,) dum denique de fide dubitant.

Cur noluit initio à diſcipulis cognoſci, triplex ratio.

7.

Aperuit autem, id eſt, agnoſci ab illis voluit, A cùm explicatis à ſe Scripturarum teſtimoniis crediderũt. Quare etiam & eos ſpecie peregrini docere voluit, vt plus meriti haberent credentes; atque interim Scripturarum cognitione, eorum animos præparare ad credendum. Ita S. Auguſt. qui ait. Vt meliùs cor inſtrueretur, cognitio differtur. Quærit ab eis quid inter ſe loquerentur, vt quod ipſe ſciebat, illi faterentur: & ſic occaſione data illis explicaret Scripturas, & confirmaret.

Quomodo Chriſtus dicitur aperuiſſe oculos diſcipulorum.

S. Aug. Ser. 144.

Poſſunt hæc facilè accommodari nobis, cùm ita ſoleat ferè ſemper nobiſcum ſe gerere Deus: paulatim enim inſinuat ſe in nos per tacitas inſpirationes. Et loquentem nobis minimè cognoſcimus, quouſque magis ac magis tacitus loquens ſenſim animos inflammat. Cognoſcimus autem, cùm Scripturas audimus, cùm Eccleſiam, cùm conciones ſacras, cùm Sacramenta frequentamus. Denique cùm panem frangimus, ſiue pauperibus, ſiue etiam nobis, nempe cùm ad menſam ſacram accedimus: cùm eum, quem peregrinum putabamus, corporis, animique noſtri hoſpitio recipimus. Sicut enim peregrinis in Emmaus peregrinus apparuit: ſic etiam nobis peregrinis in huius mundi exilio, ſub peregrina & extranea ſpecie apparet in Sacramento. Signum autem te allocutum fuiſſe, eſt ſentire cor tuum ardere. Quod ſi iam dignè ipſum excipias in corde, ſtatim eum agnoſces & dices; Nónne cor noſtrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via?

Signa quibus Chriſtum loqui nobis cognoſcimus.

Sæpius euentus docet nos, Chriſtum eſſe qui in ſpiritu noſtro loquebatur, ſed minimè tunc nos cognouiſſe, quia nondum oculi noſtri erant aperti. Aperiuntur autem, dum corpus eius in Altari recipimus, dum oram veſtimenti eius tangimus. Nam eadem illa caro Chriſti, quæ tactu olim ſuo cæcis viſum dabat, nunc à nobis ſumitur, eoque potentior eſt quo glorioſior eſt in Sacramento. Vnde ſi oculi noſtri aliquando non aperiuntur nobis, non ideo fit quia illi virtus deeſt, ſed quia potiùs deeſt nobis ardens fides. Eſt enim vir potens in opere & ſermone Chriſtus, in quo ad bene & potenter operandum plenitudo eſt gratię & veritatis ad docendum & illuminandum, vt habetur Iohannis 1.

Defectu fidei Deum minimè ſentimus & intelligimus.

Diſpoſitionem autem ad iſta habemus, ſi adinſtar iſtorum peregrinorum in Emmaus, ſermones noſtri ſint de IESV crucifixo. Ecce enim dum loquebantur de eo adinuicem, & ipſe IESVS appropinquans ibat cum illis, illoſque de his interrogat, vt oſtendat quantum delectetur audire nos loqui de morte ſua & Paſſione. Adeò vt poſtea iiſdem & ſimilibus verbis, & oculos aperiat, & corda inflammet, vt nihil amplius præter ipſum amemus, quæramus, & prædicemus, eique dicamus: Mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit. Reſurrexit Dominus verè, &c. Siquidem & in hoc eſt omne teſtimonium reſurrectionis noſtræ, Apoſtolo dicente: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Surrexit Dominus verè, non quæ ſuper terram ſunt, ſapite. Coloſſ. 3.

DE

DE PACE ET VVLNEribus IESV Christi.

Pax vobis; videte manus meas, &c. Luc.24.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Ephes.& Coloss.1.

PAx vobis; videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum, dicit hodie Dominus IESVS. Fructus hic est & complementum nostræ reparationis; Pax vobis. Pax annunciatur, & quis similiter fecit eam, & quo etiam pretio nobis eam comparauit. Audite. Ego ipse sum, dicit Christus, nolite timere, sed pretium intelligite. Videte manus & pedes. Pax vobis. *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris,* dicit Sapiens, *posuit enim animam suam pro te.*

In fide Resurrectionis nostra est iustificatio. Rom.4.& 5. Verùm quodnam fuit pacis nostræ pignus? Christi IESV Resurrectio. Vnde valde necessarium erat nihil dubitare de ea, cùm in eius fide consisteret omnis pax nostra & iustificatio. Sic Apostolus ad Rom. vbi statim atque dixit, resurrexit propter iustificationem nostram, addit immediatè post: Iustificati ergo ex fide, videlicet Resurrectionis, pacẽ habeamus ad Deum per Dominum nostrum IESVM Christum. Per Resurrectionem nostra iustificatio est, & per iustificationem pax. Pax vobis. Sic Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, sicut in ipso proposuit instaurare omnia, pacificans per sanguinem Crucis eius, & quę in cœlis sunt, & quæ in terris. Simul atque factus est homo, reconciliatio facta est: vnde cùm nascitur, pax ab Angelis in terra proclamatur, & auditur: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *In Natiuitate & Resurrectione Christi pax decantata hominibus.*

Ita cùm moritur, reconciliatio & reparatio nostra confirmata & consummata est. Pater ignosce, & fit in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Propterea quasi renascendo in Resurrectione sua ipsemet pacem prædicat, in suo sanguine nunc confirmatam dicens; Pax vobis. Sic enim ad Colossens. S. Paulus dicit: In ipso complacuit patri omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, pacificans in ipso per sanguinem Crucis eius, & quæ in terris sunt, & quæ in cœlis, videlicet homines cum Angelis, imò ipsos homines cum Deo. Pax vobis. Et ad Ephes. Nunc autem in Christo IESV vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine eius. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, interficiens inimicitias in semetipso, & veniens euangelizauit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem iis qui propè. Pax vobis. Quoniam per ipsum ambo (videlicet homines & Angeli,) in vno Spiritu accessum habemus ad patrem. Ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & sicut Angeli domestici Dei. Pax vobis, nolite timere, quia ego ipse sum. Coloss.1. Eph.2.

Vndenam in Resurrectione Christi nostra est iustificatio. Iam quæritur, vnde ex Resurrectione Christi nostra sit iustificatio, vt per eum talem habeamus A accessum ad patrem. Respondemus primò, quia nullus iustificabitur & reconciliabitur Deo absque fide in Christum. Quia simul cum Deo est obiectum fidei nostræ, vt ipse dixit: Creditis in Deum, & in me credite. Scitis autem quia sine fide impossibile est placere Deo. Ideóque dicebat alibi, hanc esse vitam æternam, ipsum cum patre agnoscere. Et Nicodemo loquens similiter dicebat, ideo patrem misisse filium in mundum, vt omnis qui credit in eum non pereat. & rursum: Hæc est voluntas patris mei qui misit me, ait, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Vnde post tam frequenter: Qui credit in me, in tenebris non manet, non sitiet, non morietur. Ioh.14.& 17. Ioh.3.& 6.

B Iam verò nullum erat potentius mysterium ad excitandam in nobis talem fidem in Christum, vt crederemus nimirum ipsum esse Deum, quàm Resurrectionis mysterium. Aliàs, vt Marc.2.& Luc.5. virtutem Diuinitatis suæ ostenderat in sanctificatione peccatorum, quorum remissio ad Deum pertinet, etiam ex opinione Iudæorum. Aliàs in miraculis multis, quorum etiam operatio Dei est. Sed nullum argumentum maius erat, quàm suscitare seipsum, & sic ostendere in se vitæ principium esse: quod est solius Dei. Vnde sic Ioh.10. dixerat: Potestatem habeo ponendi animam meam, & rursus sumendi eam. Alij alios suscitarunt, sed numquam seipsos, quia non à se, sed ab alio virtutem C istam habebant: Christus autem, vt Deus, & se suscitauit, sicut olim alios, quia vt Deus, sua & aliorum vita erat, claues vitæ & mortis habebat, nihilque iuris habere mortem in se ostendit. *O mors, ero mors tua, & morsus tuus Inferne.* Marc.2. Luc.5. *Maius Diuinitatis mysterium & signum Resurrectio.* Ioh.10.

In sepulchrum efferunt, in antrum & lacum mortis, viuentem in sæcula: iubent custodiri sepulchrum, & allato saxo magno ad ostium monumẽti, munierunt signantes lapidem cum custodibus. Sed ad quid ista? Tertia die terram concutit, & gloriosior vi propria resurgit. Surrexit, dixit Angelus mulieribus, non est hic. Orto iam Sole venistis, non est hic. Ite in Galilæam, ibi eum videbitis. Et ecce apparet omnibus.

D Daniel videtur esse figura, (quamplurimis aliis omissis.) Ille in lacum Leonum iniectus est, & super lacum impositus lapis, quem & optimates annulo Regis obsignant: sicut super sepulchrum Christi lapis erat signatus. Sed sicut aduersus Danielem Leones non præualuerunt, indeque gloriosior rediit: ita aduersus Christum mors nihil habuit iuris aut imperij, quin potiùs de ea triumphans, de sepulchro gloriosior exiit. *Daniel figura Resurrectionis.* cap.6

In nullo igitur Diuinitatem suam ostendere Christus magis voluit, quàm in signo & sacramento Resurrectionis. Vnde & petentibus signum ab eo, in qua virtute hæc omnia faciebat, Ionæ profert exemplum. Hinc etiam est quod Resurrectionis E huius veritatem multis argumentis comprobare voluit, vt in Act. dicitur, quod apparuit discipulis per quadraginta dies in multis argumentis, loquens de regno Dei. Matth.12. Act.1.

Verùm si adhuc euidentiora signa quærimus, S. Thom. ex parte corporis tria ostendit manifestissima argumenta, ostendens primò verum esse corpus, & non phantasticum, per hoc quod hodie præbuit palpandum: palpate & videte, &c. Secundò, quod esset humanum, ostendendo eis veram effigiem, & quam intuebantur ipsorum oculi. Tertiò denique, quod esset idem numero corpus, vulnerum cicatrices ostendendo, vt hodie; Videte manus, pedes, latus, & palpate. S. Tho.3. q.55.art.6

Item

Item ex parte animæ, triplicis vitæ vsum ostendit. Primò, nutritiuæ, manducando cum discipulis. Secundò, sensitiuæ, audiendo illos, videndo, & ad interrogata respondendo. Tertiò denique, intellectiuæ, explicando illis scripturas, & incipiendo à Moyse & omnibus Prophetis. Verùm pro tempore quod superest nobis, in consideratione & meditatione istarum cicatricum maneamus, quas adhuc gestat in illo corpore glorioso, & ostendit nobis. Ego sum, inquit, nolite timere: videte manus meas, palpate.

Nota in Christo tria vulnera & cicatrices genera. Vulnus in natura, subtractio personæ.

Imprimis & ante omnia sciendum est, in Christo triplex fuisse genus vulnerum; in natura, in anima, & in corpore. Vulnus & cicatrix in natura, subtractio est personæ illi debitæ in mysterio Incarnationis, quæ ab initio mysterij fuit, semper fuit dum in terra fuit, & in æternum in Cœlo erit. Alia mysteria filij Dei momentanea sunt & transeunt; in terra crucifixus est & mortuus, sed non in Cœlo. Istud autem vulnus quod Incarnationem comitatur, æternum est; hodie adhuc est in Cœlo, sicut fuit olim in terra. Singulare Christo, nunquam alteri communicatum, nec communicandum vnquam. Abnegationis quidem genus quoddam est, quod nullus vnquam Sanctus habuit, quod imitari non possumus, sed solùm venerari. Vnus Apostolus dicit S. Paul. Viuo ego, iam non ego. Sed illud, non ego, minimè potest humanitus intelligi, id est de persona. Semper est, Ego, viuo ego. Sed in filio Dei, non est illud Ego humanum, quia humana non est persona, sed perfecta huius abnegatio, in quo est vulnus in natura.

Vulnera in anima Christi.

Vulnera seu cicatrices animæ, sunt agonia & tristitia, aliaque similia quæ dici possunt plagæ animæ. Et de hoc genere plagarum loquebatur virgini Sanctus Simeon dicens; *Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Ecce gladius vulnerans animam virginis. Sic igitur in Christo dolores, agonia, atque tristitia, plagæ erant animæ eius.

Vulnera corporis.

Quantum verò ad cicatrices corporis, eæ sunt quas communiter intelligimus, & voluit adhuc post Resurrectionem suam seruare in corpore, quasque libenter Sanctis communicat, sicut etiam illas quæ animæ sunt. De his igitur quæ corporis sunt, hodie dicit discipulis: Nolite timere, videte manus meas, palpate, & videte quia ego ipse sum.

Zacha. 13.

O interrogemus eum cum Zachar. Domine, quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligunt me. O Christiani, vsque ad mortem hunc dileximus Christum: desiderauimus eum, & postulauimus in ore omnium prophetarum, qui diligebant eum. Venit ipse, cuius ope & gratia nobis erat opus: & A ecce plagis plagatus est in domo eorum qui diligebant eum, sed quos potiùs Domine diligebas: amor enim tuus est qui ad veniendum accelerauit te.

Quare cicatrices Passionis remanserunt in corpore Christi. Beda, & S. Bern. Ser. 62. in Cantica.

Sed præterea videamus in manibus, quibusque auxiliatum est nobis. Plagæ remanserunt, vulnera & cicatrices, vt sua morte redemptis ostendat semper, ait Beda super Luc. quàm misericorditer sunt adiuti, & sic non peccent amplius. Vnde S. Bern. Quid tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, quàm Christi vulnerum sedula meditatio! Propterea Ser. de Pass. dicit, quod conuenit tria specialiter intueri in Passione Domini, opus, modum, & causam. Nam in opere potentia est singularis; in modo humilitas admirabilis; sed in causa charitas

Tria obseruanda in Passione Domini.

B inæstimabilis commendatur. Vnde Passio tua, Domine Iesv, vltimum est refugium & singulare meum remedium. Deficiente sapientia, non sufficiente iustitia, & sanctitatis succumbentibus meritis, illa succurrit. Cùm enim defecerit virtus mea, non conturbor, scio quid faciam, calicem salutaris accipiam; nec desunt foramina, per quæ ex visceribus Domini vsurpo quod mihi deest. Verùm quidnam est illud quod mihi deest? virtus ad meritum. Quid adhuc? virtus resistendi peccato, & non committendi amplius. Et ecce hanc ex visceribus Domini vsurpo. Videte manus, pedes, atque latus.

S. Aug. Man. cap. 22.

Vnde S. Aug. in Man. sic ait: Cùm me pulsauerit aliqua turpis cogitatio, statim ad vulnera Christi C recurro. Et præcedenti cap. Tuta & firma requies est infirmis & peccatoribus in vulneribus Saluatoris; securus illic habito. Patent mihi viscera per vulnera, vnde quidquid ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus istis, quoniam misericordia affluunt. Sicque remanserunt, vt rursus in Symbol. S. Aug. vt conuincens peccatores veritas dicat: Ecce hominem quem crucifixistis, videte vulnera quæ inflixistis. Remanserunt, dicit adhuc Beda Venerab. vt in perpetuum victoriæ suæ circumferat triumphum, & vbique coram patre cantica pacis & reconciliationis nostræ cantet, ostendatque quo pretio suos redemerit. Qua ratione denique omnibus nobis dicat; Pax vobis, factus mediator Dei & ho-

Idē S. Aug. in Symbol.

Beda.

D minum, pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris sunt, siue quæ in cœlis. Ante Christum omnes ad pacem clamabant, dicentes cum Ierem. Sustinuimus pacem, & non venit. Diximus, pax, pax, pax, & non erat. Sed hodie vbi Christus venit, & in medio nostrûm stetit, audiuimus ab eo; Pax vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis; non denique pacem peccatorum do vobis; quia nec ipsi viam pacis cognouerunt. Pacem itaque meam do vobis. Nolite timere, ego sum. Pax vobis, pax vobis, pax vobis.

Ierem. 8.

Ad laudem Dei opt. max. Iesv *Christi Domini nostri, & Deiparæ Mariæ Virginis.*

Pp TRIBVNAL

TRIBVNAL CONFESSIONIS, IN SABBATHIS QVADRAGESIMÆ.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt remittat nobis. 1. Iohan. 1.

NOSTRORVM remissio delictorum in sanguine IESV Christi facta est. 1. Iohan. 1. Sanguis IESV Christi emundat nos ab omni peccato. Ecce cuius ponderis peccatum est, cuiusque pretij omnes debitores sumus, qui peccauimus omnes. Si diximus, inquit S. Iohan. quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Omnes enim peccauerunt, ait Apostolus, & egent gratia Dei, gratia & sanguine Christi. Sed quid adhuc præterea ad purgationem requiritur à nobis? Humilis confessio. Sic enim sequitur: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Ecce in quo his verbis necessitas est confessionis, cui, ex diuina liberalitate & misericordia, remissionis delictorum nostrorum promissio facta est. Vnde iam Deus confitenti ea remittit ex fidelitate & iustitia. Si confiteamur peccata, fidelis est Deus, vt remittat. [A] [B]

1. Ioh. 1.

Quibus bonis hominē peccatū priuat.

Peccatum hominem auertit à Deo, & confessio reducit. O quis verbis exprimere posset, quanti mali causa peccatum est? Quæso attendatur. Hominem in præsenti priuat gratia, & in futuro, æterna gloria, ad quam natus erat. Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum, & præuaricatores estis legis eius. Sed quis non miretur Dei bonitatem, qui humiliter confitenti & accusanti se, omnia restituit? Isaias dicit: Narra si quid habes, vt iustificeris. Et Dauid: Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Vnde ait Ecclesiasticus: *Pro anima tua non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, & est adducens gloriam & gratiam.* [C]

Isa. 43.
Psal. 31.
Eccli. 4.

Discrimen inter tribunal diuinum & humanū.

Magnum certè discrimen est inter iudicium seu tribunal diuinum, & tribunal quod humanum est. In humano enim iudicio seu tribunali hominum, pro confessione & accusatione criminis, fertur sententia mortis: in diuino verò, salutis.

Tale autem tribunal diuinum, est tribunal confessionis, propter quod dicitur apud Isaiam; Narra si quid habes, vt iustificeris. Denique propter quod dixit S. Iohannes: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt nobis remittat.* [A]

Quinque requiruntur in iudicio.

Verùm sciendum est, in omni iudicio & tribunali illa quinque ad ferendam sententiam vt plurimum requiri, Iudicem, Crimen, Reum, Accusatorem, & testimonium. Idem autem de confessione est. Tribunal enim est, vbi Sacerdos faciens pro Christo Iudex est. Peccatum Crimen. Pœnitens Reus, Accusator, & Testis; vnde sententia ligare, vel absoluere. Quare nunc illo ordine dicemus de singulis. Et primò de conditione Iudicis, & necessitate confitendi ei peccata. [B]

Iure diuino & Ecclesiastico necessaria est confessio.
Supplem. S. Th.

Quod itaque posito peccato, teneantur omnes ad confessionem, hoc notum est & constans ex iure tam diuino, quia eam Deus animæ vulneratæ medicinam adhibuit: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt nobis remittat*; quàm Ecclesiastico, ex institutione scilicet Ecclesiæ. Vnde iam apparet omnibus, hanc esse necessariam necessitate salutis. Et quidem omnes Doctores necessitatem hanc cum baptismo comparant, dicentes quod sicut baptismi Sacramentum, quo deletur originale peccatum, est de necessitate salutis: ita pœnitentia & confessionis Sacramentum, quo deletur actuale. Vnde sicut aliquis per hoc quod baptismum petit, se ministris Ecclesiæ subiicit, ad quos pertinet huius dispensatio Sacramenti: ita etiam qui pœnitentiam agere cupit, se ministro Ecclesiæ subiicit, qui dispensat gratiam, & qui minimè remedium conueniens adhibere potest, nisi peccatum cognoscat, quod quidem fit per confessionem peccatoris: quæ ideo necessaria est necessitate salutis. [C]

Sacerdos Iudex.

Igitur nunc patet quis sit tribunalis istius minister & Iudex, videlicet Sacerdos Christi vicarius. Ante Ascensionem, iurisdictionem hanc & potestatem dederat Dominus noster suis Apostolis, eorumque successoribus, per insufflationem, eaque verba (Ioh. 20.) *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Vbi qui-dem

Ioh. 20.

Inſtitutio Sacramenti pœnitentiæ, & promiſſio. dem tunc ſua authoritate diuina pœnitentiæ Sacramentum inſtituit, cuius antea promiſſio facta fuerat. Primò, Sancto Petro, his verbis: Tibi dabo claues regni cœlorum; & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Deinde omnibus poſtea Apoſtolis: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis, &c. In cuius adhuc poteſtatis ſignum, Lazarum adhuc ligatum ſuſcitatum à mortuis commiſit illis, vt ſoluerent. (Matth. 16. Matth. 18. Ioh. 11.)

Sed figura in Leuitico nota eſt, vbi mentio eſt de leproſis, qui Sacerdotes adire tenebantur. Vnde etiam Matth. 8. quoſdam ad eos Chriſtus miſit quos ſanauerat, dicens eis vt oſtenderent ſe Sacerdotibus. Sed quid dicam? Quod adhuc in lege de confeſſione erat præceptum. De confeſſione B publica vſus reperitur Num. 21. Venerunt ad Moyſem, & dixerunt: Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum & te. Ora vt tollat à nobis ſerpentes. De priuata Num. 5. Vir, ſiue mulier cùm per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum. Ecce præceptum de confitendo particulari peccato, (Si vir, vel mulier.) (Matth. 8. In lege veteri de confeſſione præceptum eſt & vſus. Num. 21.)

Taliſque frequens erat vſus in veteri lege, vt in Ioſue. Nam dux ille dixit ad Achan, qui præuaricatus fuerat mandatum Domini, & furtum commiſerat, aliquid vſurpans de anathemate: Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere; indica mihi quid feceris, ne abſcondas. Reſponditque Achan, & dixit: Verè ego peccaui Domino. C Sic & ſic feci. Vidi inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, regulam auream, & ducentos ſiclos argenti, & concupiſcens abſtuli. Verè peccaui. Sic Dauid ad Nathan peccatum confeſſus eſt, & dixit: Peccaui. Vnde poſtea ad Dominum ait: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcõdi.* Et ſimiliter ſic in noua lege & primitiua Eccleſia legimus, vt Act. 19. quod multi credentium veniebant ad Apoſtolos confitentes, & annunciantes actus ſuos. Neſcio certè quid ad hæc reſpondere poſſunt hæretici. (hæc in tranſcurſu dicta ſint.) (Ioſue 7. Pſal. 31. Act. 19.)

Necessitas confitendi peccata ſua Sacerdotibus. D Videtis igitur vſum, ſed magis neceſſitatem attendite, & quibus adhuc neceſſe ſit peccata ſua confiteri. Tribunal enim eſt confeſſio, & habet Iudices ſuos, videlicet Apoſtolos, & Sacerdotes Apoſtolorum ſucceſſores, quibus hæc poteſtas & iuriſdictio relicta eſt. Hinc enim dicit S. Auguſt. in Pſal. Nemo dicat mihi, ago pœnitentiam in corde; vt tibi Cœlum aperiatur, aperi os tuum Sacerdoti. Et homil. 49. Nemo ſibi dicat, occultè ago pœnitentiam apud Deum. Ergo ſine cauſa dictum eſt: Quæ ſolueritis in terra, erunt ſoluta in Cœlo. Ergo ſine cauſa claues datæ Eccleſiæ. Fruſtramus Euangelium, fruſtramus verba Dei. (S. Auguſt. in Pſ. 117. Idem Aug. hom. 49.)

E Videtis igitur Sacerdotes tribunalis huius eſſe miniſtros: ſed id non eſt ſatis, vt Iudices ſint, niſi adhuc approbentur ab Epiſcopis, iuxta decretum Concilij Trident. & ab Ordinariis adhuc iuriſdictionem ſuam accipiant. Quorum quidem defectu, nullæ atque inualidæ confeſſiones eſſent. Quod dico, vt de officio ſuo admoneantur Sacerdotes. Confeſſio enim tribunal eſt, vbi iuriſdictione opus eſt, quæ etiam abſque approbatione dari non poteſt; quæ nihil eſt aliud quàm ab Epiſcopo cenſeri dignum & capacem confeſſiones audiendi. (Cõcil. Trid. ſeſſ. 23. Vt Sacerdos ſit Index, approbatione & iuriſdictione opus eſt.)

Vnde modò duæ nobis ſuperſunt monitiones faciendæ. Prima eſt Sacerdotibus, vt videlicet conA ſiderent ipſi duo requiri in illis. Vnum eſt, vt validè Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrent: & ad hoc neceſſariæ ſunt conditiones quas poſuimus, habere ordinem, approbationem, iuriſdictionem. Alterum, vt dignè adminiſtrēt: & ad hoc hæ ſunt conditiones & qualitates requiſitæ, probitas vitæ, ſcientia, ſeu capacitas, & prudentia. Iſta quæſo conſiderent omnes, & quomodo immaculati eſſe debeant, qui alios curare debent. Quid hic dicam? heu! omnes ſancti deberemus eſſe, & leproſi ſumus, ad quos vt curentur, mittuntur leproſi. (Duo requiruntur in Sacerdote, vt Iudex ſit.)

Secunda admonitio pro pœnitentibus eſt, vt videlicet ſemper meliores & capaciores adeant Confeſſarios, eorum Iudices & medicos. Ita S. Aug. exhortatur dicens. Qui confiteri vult peccata, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem ſcientem ligare & ſoluere, ne cùm circa ſe negligens extiterit, negligatur ab illo qui eum miſericorditer monet, ne ambo in foueam cadant. Vnde dicit quod diſcretio Confeſſori valde neceſſaria eſt, vt conſideret qualitatem criminis in loco, tempore, in perſeuerantia, cuius fuerit ætatis, cuius ſapientiæ & ordinis, & quali hoc vel illud fecerit tentatione. Quæſo attendatur quid & quantum requirat S. Aug. Vnde quidem audemus dicere, eum qui peccatis onuſtus grauiſſimis, penitus ignorantem Sacerdotem quærit, vt non aduertat grauitatem criminis, nullam, aut certè inualidam confeſſionem facere. Quid? dicit S. Chryſoſtom. Si fortè in corpore aliquid morbi parum pulſauerit, ſtatim adhibemus medicos, & quidem meliores; & pecuniam profundimus, nec ceſſatur, donec mitigetur. Anima verò omnibus modis perit, nec parua pro ea nos cura ſollicitat. Quæſo illud Eccleſiaſtici audite & excipite: Non confundaris cõfiteri, ſed & ne ſubiicias te omni homini pro peccato. Vt inuenias gratiam, dicit S. Aug. quære Sacerdotem ſcientem ſoluere. Res magni momenti eſt, vbi de conſcientia agitur. (Pœnitens tenetur capaciorem adire Confeſſarium. S. Auguſt. de vera & falſa pœnitentia. S. Chryſoſt. 1. lib. de compũct. cordis. Eccli 4.)

Quare nunc libenter hoc omnibus conſilium darem, vt ſaltem ſemel in vita generalem confeſſionem facerent ad præteritorum reparationem defectuum, & maiorem ſpem ſalutis. Cùm de peccatis quæſtio eſt, nihil negligendum aut omittendum eſt, cùm nullum ſit quod deleri queat, niſi pœnitentia, contritione cordis, & coram Sacerdote confeſſione oris. In omni peccato actio tranſit, ſed reatus manet: tranſit quod delectat, remanet quod cruciat. Vis itaque te à dubio & timore liberare? Citiùs quàm poteris confeſſione generali conſcientiam tuam laua. Confeſſio eſt quæ iuſtificat, quæ à morte liberat, quæ ſanat & viuificat. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus & iuſtus, vt nobis remittat.*

DE CRIMINE.

PRIMA CONDITIO Confeſſionis, integritas.

Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus vt remittat. 1. Ioh. 1.

FORMANS Eccleſiam ſuam Chriſtus, omnia fecit in numero, pondere & menſura. Sacramentũ

spiritus gemens & tristis, interroga ipsum. O Iohannes dilecte filij mei discipule, vbinam reliquisti eum? heu! ô mater Magistri mei & Domini, quid me de filio tuo interrogas? & quibus verbis rem tibi aperire potero? Ipsum inter manus inimicorum reliqui coronatum spinis: nunc autem perducunt illum in Golgotha Caluariæ locũ, vt ibi crucifigant eum. Quare si eum adhuc viuum videre vis, surge Domina mea, propera & veni mecum, tibi ostendam, sed vix agnoscere poteris.

Quo tempore Virgo occurrit Christo. Existimant multi quod tunc occurrit filio, cùm ille præ magnitudine ponderis Crucis subtus illam ceciderat in terram. O quis dicere & explicare posset quid tunc in corde filius, & mater in anima ex illo conspectu mutuo senserint? O fili mi, suspirabat illa, quis mihi daret mori pro te? Quid video fili, & quid tibi faciam Deus cordis mei? O Hierusalem, hæccine reddis Domino tuo, ingrata, pro omnibus quæ retribuit tibi? O milites & tortores Inferni, nostis hominem hunc? O pater æterne, estne filius tuus hic, in quo tibi bene complacuisti? Nunc quæso respice in faciem Christi tui. O fili mi, dolens te quæsiui, & te moriens inueni. Moriar tecum fili mi, non dimittam te, sed sequar quocunque ieris. O Maria dolorosa mater, magna est certè, velut mare, contritio tua. Quis heu! medebitur tibi? Sequitur illa filium vsque ad Caluariæ locum, pondus ferentem peccatorum nostrorum. Ibi videt crucifigi, inter duos latrones exaltari, illudi, & blasphemari a prætereuntibus. Verùm sistamus nos, & in Cruce ipsum adoremus, *O Crux aue spes vnica.*

Planctus Virginis.

TERTIA DIVISIO PASSIONIS IESV Christi.

DE CRVCIFIXIONE & morte Christi.

Stabant autem iuxta Crucem IESV *mater eius, & Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.* Ioh. 19.

O Vos omnes qui transitis per viam, attendite si est dolor, sicut dolor IESV Christi, & Mariæ matris eius. Attendite, postquam venerunt in locum Caluariæ, dicit Sanctus Lucas, ibi crucifixerunt eum, & cum eo duos latrones. Hic nouissimus & extremus renouatur dolor. Attendite, iam milites & Inferorum ministri vix ad locum venerant, cùm statim Cruce deposita super terram, ipsum extendere super eam festinant, & vestimentis suis exuunt, vi extracta de capite spinea corona, quia vt vestis eius erat inconsutilis, opus etiam tunc fuit per caput eam extrahere, & consequenter coronam, quam postea ac iterum capiti eius in crucifixione imposuerunt, ex reuelatione facta Sanctæ Brigittæ. O vos omnes attendite. His ita crudeliter factis, statim carnifices immanissimè illud desuper extendunt virgineum Christi corpus, & clauis præparatis vtramque manum ambosque pedes huic sacro stipiti affigunt. Verùm vnum hic inter omnia attendite, videlicet quod postquam sic affixerunt, vt præ nimia extensione eius dinumerarentur ossa, sicut dicit Psaltes, statim adhuc ex altera parte Cru-

Bis corona spinea imponitur capiti Christi.
S. Brigitta li. 7. cap. 15.
Christus crucifigitur.

A cem inuerterunt, eius facie posita contra terram, vt sic malleorum ictibus, clauorum aciem obtunderent & firmarent: vnde postea illam Dei faciem desideratam Angelis, penitus contritam, deformem, puluere simul & sanguine respersam, in aëra, in altum erexerunt. O vos omnes attendite.

Et tu ô Virgo, horum omnium constans spectatrix aderas. O quoties, heu! malleorum ictus cor tuum & animam vulnerabant? O vos omnes attendite, & simul in signum Redemptionis nostræ iam erectum aspicite. Mementote quod olim dixerit: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis.* Respicite igitur hodie in hunc serpentem æneum in deserto Caluariæ exaltatum, in hanc dico similitudinem carnis peccati, vt non pereatis. Qui enim in eum crediderit, non peribit. *Ioh. 3.*

B

Ecce iam ipsum in Cruce hac clamantem audio, eiusque sanguinem meliùs loquentem quàm Abel. Pater, ait, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. O Domine IESV, quonam hæc tempore dicis? Dum in aëra eleuatur factus mediator pro nobis. Sed quonam adhuc tempore? Dum prætereuntes blasphemant, mouentes capita sua, dum illudentes summi Sacerdotes dicebant ad alterutrum; Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere, descendat nunc de Cruce. Dum illudebant & milites, diuidentes vestimenta eius, sortem mittentes super inconsutilem vestem, & statim post acetum ei offerentes. Dum vnus latronum improperat ei & blasphemat, dicens: Si tu es Christus, saluum fac teipsum & nos. Denique dum stabat omnis populus, expectans & deridens, tu Domine dicebas: Pater dimitte. *Oratio Christi in Cruce, & eius circumstantiæ.*

C

Videte nunc opera Domini quæ posuit prodigia super terram, dicit S. Bernard. Flagellis cæsus, spinis coronatus, clauis confossus, patibulo affixus, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor, ait: Pater ignosce. Et quidem minimè in vanum est deprecatio eius & misericordia. Inciderat Christus inter duos latrones, cùm ascenderet de Hierusalem in Iericho, qui & eum propter nimiam charitatem qua dilexit nos, despoliauerunt, & semiuiuum adhuc reliquerunt, quando vnus eorum ad ipsum conuersus ei semivitam dedit, & Christus ipsi plenam vitam, dum ille increpans socium suum, dixit ad IESVM; Domine memento mei. Cui tunc Christus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Pater ignosce. Hic recordor Dauid, qui dum suauiter citharam suam pulsabat, omnium animos reficiebat, & è Saüle dæmonium eiiciebat. Ita hodie Christus, extensis fidibus neruorum suorũ in harmonico ligno Crucis, dum mundo suauiter cecinit: Pater ignosce; è latrone dæmonium eiecit, ipsumque gaudio repleuit Domini sui, cùm dixit, hodie mecum eris in paradiso. *S. Bernar. in floribus.* *1. Reg. 16.* *Cithara Dauid, figura orationis Christi.*

D

E

O toti mundo cantus dulcissimus atque gratissimus, qui lætificauit Angelos, homines iustificauit, Deumque ipsum recõciliauit homini! Sic Deus, dicit Apostolus, erat in Christo mundũ reconcilians sibi, qui in sanguine & melodia Crucis omnia instaurauit, & quæ in terris sunt, & quæ in cœlis. Pater ignosce. Præualet quidem hæc melodia illi quæ in natiuitate ab Angelo decantata fuit pastoribus, dicente: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nihil enim est in hac Passione Christi quod gloriam non clamet, pacem & reconciliationem hominibus. *Quod factum*

factum est in ipso, vita erat, inquit S. Ioh. Passio eius, atque etiam mors facta in ipso, nobis vita est. S. Bernard. Clamat clauus, clamat vulnus, quod in Christo mundum reconcilians sibi est Dominus. Et S. Laurent. Iustinianus. Clamant sputa, claui, lancea, irrisiones & verbera, vt ipse toto corde, totisque visceribus diligatur, qui pro dilectione nostra, talia & tanta pati dignatus est. Vnde S. Iohannes, qui Cruci aderat, in Can. sua dicebat: *Filioli, hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Pater ignosce. O verbum pacis, iustitiæ nostræ & reconciliationis!

S. Bern.

S. Laurent. Iustin.

1. Ioh.

Sed quid, ô Domine, tantúmne peccatorum hominum memor eris, vt de iis sis tantopere apud patrem sollicitus? De tua verò matre atque discipulis quid? Quæso istud notate, quod priùs de peccatoribus est sollicitus quàm de matre. Pater ignosce illis. Stabant autem iuxta Crucem IESV mater eius, & Maria Cleophæ cum Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo IESVS matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dixit matri: Mulier, ecce filius tuus. Deinde discipulo: Ecce mater tua. O Domine IESV, nunc mulierem vocas quæ est mater tua, quia nunc in his quæ patris tui sunt, oportet te esse. Sed cuinam eam commendas? Discipulo. Sub qua ratione? Matris: Ecce filius tuus, ecce mater tua; & tuam ipsius animam doloris gladius hodie pertransiuit. Sed hoc etiam sic fieri oportuit, quia nobis post filium mater nostra relicta es, & iuxta Crucem eius, apud patrem aduocata, vt sic per te accessum habeamus ad filium & patrem: per te ad filium, & per filium ad patrem, cui reconciliati sumus in sanguine Crucis. Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, & simul pro nobis in faciē Christi filij tui respice. O Virgo iuxta Crucem tecū stare, te libenter sociare in planctu desidero, fac me plagis vulnerari, Cruce hac inebriari ob amorem filij.

Commendat Christus Virginem matrē Iohāni discipulo.

Cùm igitur sic Christus Iohanni suam matrem commendaret, erat tunc hora ferè sexta, dicit S. Lucas, & tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, inquit S. Marcus. Et quidem conueniens videbatur, vt moriente vita, tenebræ & vmbræ mortis essent per vniuersam terram. Hora autem nona exclamauit IESVS voce magna dicens: Eloi, Eloi lamma sabacthani, Deus, Deus meus vt quid dereliquisti me? O qualem derelictionem! Interim non talis extitit, vt humanitas in morte fuerit à diuinitate separata, aut anima eius à Deo derelicta, vel quod desperatio acciderit, vt pessimè Caluinus commentus est: sed quia tunc Deus clausit omnes portas consolationis, quibus humanitas potuisset confortari, vt per talem derelictionem nobis quidem mereretur aditum ad consolationem. Vnde quasi tunc sui oblitus, & tantùm memor nostri, pro consummatione omnium clamat, Sitio. Hunc clamorem Sanctus Iohannes notauit sic. Sciens IESVS quia omnia consummata sunt, dicit, Sitio. Quid Domine sitis, nisi animarum salutem? Propterea equidem Ieremiæ cap. 22. pater sic ad filium dicebat: Ascende Libanum, & clama ad transeuntes. Quid clamabo? Sitio.

Quomodo Christus in Cruce est derelictus.

Christus clamat Sitio in Cruce.

O vos omnes attendite. Terra, terra, terra audi clamorem Domini, Sitio. Locutus sum ad te in abundantia, & dixisti, non audiam. Terra audi clamorem, Sitio. Venite ad me omnes, Sitio. Sanctus Bernardus. Domine quid sitis? Ergóne plus cruciat sitis quàm Crux? de Cruce siles, & de siti clamas, Sitio. Quid? vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium. Sed heu! dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Isa. c. 65. Expandi manus meas, & eleuaui vocem tota die ad populum non credentem, sed contradicentem mihi. O pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et accepto felle, & aceto peccatorum, ait; Consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum.

Christus commendat patri spiritum suū.

Ecce consummatio, ecce peracta nostra reconciliatio, Deus pro peccatis mortuus est, velum Templi scissum est in duas partes, terra mota, monumenta aperta, & multi percutiebant pectora sua: & nos percutientes nostra reuertamur, conuersionísque nostræ actum exeramus scissis cordibus nostris. Christus mortuus est, & clamat sanguis eius ad nos: Conuertimini ad me (Ioël. 2.) ex toto corde, in fletu, & planctu, & scindite corda vestra; luctum clamat, contritionem & scissionem cordium. Tenebræ factæ sunt, terra mota est, & petræ scissæ sunt: velum Templi, non dicam Ierusalem, sed velum Templi viui, id est, humanitas Christi, hoc corpus quod in Cruce videtis perforatum, in duas partes lancea scissum est. Vnus militum latus aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Accedite omnes, & intrate in vulnus amoris Dei vestri, & vos abscondite ibi. Quid nunc dicat, audite: Surge amica mea, anima mea sponsa, & veni, in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ.

Mors Christi, & consummatio omniū.

Cant. 2.

En Christus in Cruce petra est quatuor ingentia foramina habens in manibus pedibusque, innumera in capite. Cauernam autem habet in pectore, & maceria tota est humanitas. Venite itaque omnes, & vos abscondite: petra excisa est, latus apertum est, & dedit aquas cum sanguine; venite omnes, & bibite.

Fontes egredientes de paradiso, totam ferè terram irrigabant. Ecce hodie de paradiso & humanitate Christi meliores fontes scaturiunt sanguinis & aquæ, quibus anima irrigata fructus Cœlo dignos producat. Fontes vtique sunt aquarum in vitam æternam salientium. O admirabilis potentia Crucis! *Si exaltatus fuero à terra*, inquit Christus, *omnia traham ad meipsum.* Traxisti Domine omnia ad te, dicit Sanctus Leo, quia cùm expandisses manum ad populum contradicentem tibi, totus postea mundus confitendæ maiestatis tuæ sensum accepit. Traxisti Domine omnia ad, te cùm in execrationem Iudaici sceleris vnam protulere elementa sententiam, cùm obscuratis luminaribus Cœli, & conuerso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, vniuersaque creatura impiorum se vsui negaret. Traxisti Domine omnia ad te, quoniam scisso Templi velo, Sancta sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, vt figura in veritatem; prophetia in manifestationem, & lex in Euangelium verteretur. Traxisti Domine omnia ad te, vt quod in vno Iudææ Templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertóque sacramento, vniuersarum vtique nationum deuotio celebraret. O admirabilis potentia Crucis! O ineffabilis gloria Passionis! in qua & tribunal est Domini, & iudicium mundi, & potestas est Crucifixi. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Sed ô Domine, inter omnia trahe me ad te, vt compatiar tibi hodie morienti pro me.

Crucis potētia.

S. Leo Serm. 8. de Pass.

S Hieron. in Matth. Mirum est, dicit S. Hieronymus in Matth. omnis creatura compatitur morienti Christo, & sic ad ipsum trahitur, Sol obscuratur, terra mouetur, petræ scinduntur, velum Templi diuiditur, sepulchra aperiuntur; solus miser homo non compatitur, pro quo solo Christus patitur. O Domine, trahe me ad te, qui hodie es à terra exaltatus pro me, & qui non solùm traxisti patiendo omnia ad te, sed etiam ad nos traxisti omnia, cum inclinato capite in nos, Cœlum in terram, & Deum ad homines attraxisti, reconcilians omnia in sanguine Crucis tuæ, siue quæ in terris sunt, siue quæ in cœlis. Sic enim proposuerat in te secundum propositum voluntatis suæ, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia, qui hodie est in te mundum sibi reconcilians.

DOMINICA RESVRrectionis.

IESVM *quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic.* Marc. vlt.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Ephes. 1.

HODIE consummatum est in Christo IESV opus nostræ reparationis. Hodie ex Ierem. 18. illud vas cœlestis figuli, iustitia fractum & dissipatum, perfectiùs ex misericordia refectum & reparatum est, videlicet homo in Christo IESV. Ecce hodie, dicit Dominus, noua facio omnia. Iohan. 17. Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Ego te clarificaui super terram. Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam. Quodnam erat istud opus? vtique nostræ reparationis, sicut Paul. dicit, proposuit Deus in Christo instaurare omnia. Vnde, & nunc clarifica me tu pater apud temetipsum claritate quam habui, priusquàm mundus esset, apud te. Quænam est illa claritas quam petit ex consummatione operis, nostræque reparationis? Vtique gloriæ & resurrectionis claritas, quæ summa est perfectio hominis, nobis comparata in sanguine Crucis Christi, & quam morte sua primus sibi ipsi promeruit. Ioh. 12. cùm iam instaret dies mortis eius, & diceret: Pater, clarifica nomen tuum, venit vox de Cœlo: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Nunc autem est in Resurrectione. IESVM *quæritis crucifixum*, dicit Angelus: *surrexit, non est hic.* Ioh. 17.

Quare Angelus Iesum crucifixū denominat. Vnum hic ante omnia notandum est, quod Angelus non erubescit Crucem Saluatoris. O maiestas! ô gloria, & claritas Crucis! Sed ipsum ab illa describit, tanquam à præcipua nota gloriæ eius, crucifixum eum appellans, qui gloriosus surrexit ab ignominia Crucis. Vnde quęso istud? Ideo certè, quia sciebat quod per illam peruenerat ad gloriam suæ Resurrectionis, & quia omnis nostra gloria iam in Cruce esse debeat, si voluerimus cum Christo resurrectionis esse participes. Vnde Apostolus: Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini mei IESV Christi. Audistis quanta olim Christus fecit in vita? Ab his tamen omnibus non descripsit eum Angelus: neque dicit hodie mulieribus, IESVM quæritis, qui tot olim miracula fecit, mortuos suscitauit, &c. sed crucifixum. Certè quia & illud

A omnium eius mirabilium mirabilissimum est, sicut etiam Religionis nostræ præcipuum insigne. Nos autem prædicamus Christum, & hunc crucifixum, ait Apostolus. Quare? quia equidem hæc præcipua Christi nota est & gloria. Quidam Scipio, Africanus dictus est ab Africa quam superauit: & Christus similiter à Cruce in qua passus est, hostesque suos & generis humani superauit, dictus est crucifixus. Scipio Africanus, IESVS crucifixus. Et certè mirabilius erat Christo pati, quàm agere Scipioni: filio Dei in Cruce pati & mori, quàm Africam debellare Scipioni. Sed quid addam? Amplioris quidem fortitudinis erat mori Christo pro mundo in Cruce, quàm ipsum mundum creare, B & vincere.

IESVM quæritis crucifixum, (hæc nota est fortitudinis eius,) surrexit, non est hic. Videte locum, vbi positus erat Dominus. Hic quæso adhuc bonitatem Dei considerate, qui ad mortem vsque & sepulchrum exinaniuit se, vt nos mortuos & fœtentes in peccato & monumentis suscitaret. Sic Deus charitate qua dilexit nos, qualitates nostras, (excepto peccato) in se suscepit. Dum populus Israël in spinis tribulationum est in Ægypto, Deus Moysi apparet in rubo ardenti. Ita nunc quia C morimur, iacere voluit in sepulchro. Sed hodie gloriosus resurrexit, & nunc filius hominis clarificatus est, & in eo Deus. Opus enim consummatum est. Sic Deus erat in Christo instaurans omnia, & sibi reconcilians, qui traditus est propter delicta nostra, hodie resurrexit propter iustificationem nostram. En reparatio. Si enim, ait Apostolus, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati nunc salui erimus in vita ipsius, scilicet in Resurrectione eius, scientes quod Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo IESV Domino, qui nempe hodie in gloria D vitæ & Resurrectionis suæ, vitam gratiæ simul & gloriæ nobis adeptus est. Tale est opus, quod hodie, iuxta Apostolum, consummatum est, vt quomodo ipse resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos per ipsum in nouitate vitæ ambulemus. *Si qua in Christo noua creatura, vetera transierunt*, &c. In Isaia Dominus dicit: Ecce ego creo nouos cœlos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora. Quasi diceret, renouo omnia, præcessit animalis mundus, & me resurgente, nouus mecum mundus incepit. Iam ergo quæ retrò sunt obliuiscentes, & vetera, ad noua & anteriora vos conuertite. Certè optimè dicere possumus, quod hodie Christus per Resurrectionem suam huic terreno E & animali sæculo finem imposuit, vt iam amplius non secundùm ipsum viuamus: nouum verò sæculum instituit, vt iam in nouitate hac vitæ, iuxta Apostolum, ambulemus.

Deus peccatum, excepto peccato, nobis assimilatur nobis. Rom. 4. Rom. 5. & 6. 2. Cor. 5. Isa. 65. *Per Resurrectionem Christi nouus mūdus incepit.*

Sed quæso quantum hic bene omnia conueniunt, attendamus. Mementote quod Deus sex diebus peracto hoc terrestri & corporali mundo, septimo die requieuit ab omni opere: & altero die quasi surgens summo mane æternitatis suæ, posuit hominem in eo vt operaretur. Ita nunc idem Deus mundum hunc reparans, sed nouum instituens, sex diebus præteritis huiusce hebdomadæ sanctæ & dolorosæ, septimo die requieuit, nempe hesterno, die Sabbathi integro; resurgens hodie summo mane, scilicet diluculo. Ad quid, nisi velut is qui nouo stipendio conducturus erat nouos operarios in Gen. 2.

iſt nouam vineam,& nouum mūdum ſpiritualem?

Et non quidem inmeritò, nec fruſtra apparere voluit Magdalenæ in forma & ſpecie hortulani. Ideo fortè, vt oſtenderet inde, quia plantaturus venerat alium paradiſum excolendum, & deliciarum hortum, qui Eccleſia eſt, ſeu anima quælibet Chriſtiana & fidelis. Quare nunc ſcitote Chriſtiani, quia nox præceſſit, dies autem appropinquauit, vt opera tenebrarum abiiciamus. O quàm verum iſtud eſt quod Pſaltes dicit: Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox. In ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ; catuli Leonum rugientes vt rapiāt prædam. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem vſque ad veſperam. Quàm magnificata ſunt opera tua Domine! Omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua.

Ioh. 20.

Rom. 13.

Pſ. 103.

Et quidem Deus poſuerat ſæculum prius, in quo nox peccati fuit & diu viguit; ita vt in hac nocte multitudo pertranſierit beſtiarum venenoſarum, Idolorum, atque vitiorum, & Leones raperent prædam. Sed cùm ortus eſt Sol, ille equidem qui quatenus Deus, Sol eſt Iuſtitiæ, verbum caro factum, Deus factus homo, ipſe ſtatim exiuit ad opus ſuum ſpirituale, quod vſque ad veſperam mundi excolere debet. Ita enim reſurrexit à mortuis, vt nobiſcum ſit permanſurus, ſicut promiſit, vſque ad conſummationem ſæculi. Interea deſiderat, vt cum eo ad hoc opus exeamus in hac nouitate vitæ ambulantes, qui propter iuſtificationem noſtram reſurrexit.

Verùm ecce iam anteceſſerunt nos quædam ſanctæ & deuotæ mulieres, quæ dicuntur valde mane cum ſuis vnguentis veniſſe ad monumentum, orto iam Sole. Ortus eſt Sol, & Iuſtitiæ Sol, & exiuit ad opus ſuum. Quid quæritis viuentem cum mortuis? Surrexit. Dicebant adinuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? O quàm multi ſæpe ab executione operis retardantur, impediuntur, in ipſo conuerſionis itinere deficiunt, ob lapidem leuis cuiuſdam apprehenſæ difficultatis! Exite tantùm & valde mane: ecce enim reſpicientes videbitis, cum mulieribus iſtis reuolutum lapidem. Omnem ſecum abſtulit difficultatem Chriſtus, qui omnes labores noſtros tulit & dolores. Et introeuntes viderunt iuuenem coopertum ſtola candida, qui dixit eis: Nolite expaueſcere, IESVM quæritis: ſurrexit, non eſt hic, præcedet vos in Galilæam. Ibi eum videbitis. Ortus eſt Sol, & exiuit ad opus ſuum, & omnibus de ſe teſtimonium dabit, quia verè reſurrexit. Ite iam, & dicite diſcipulis & Petro, quia non eſt hic, ſed reſurrexit. Ecce locus vbi, &c.

Non debet retardare cōuerſio ob lapidem difficultatis animo apprehēſa.

S. Thom. inter multas præclaras rationes & neceſſarias Reſurrectionis Chriſti, vnam refert quæ ad ipſum ſpectat, alteram verò quæ reſpicit nos. Quantum ad primam. Hoc inprimis neceſſarium fuit ad commendationem diuinæ Iuſtitiæ, cuius eſt exaltare humiles: humiliauerat ſe autem Chriſtus vſque ad ignominiam Crucis & mortem, vnde pater exaltauit eum vſque ad gloriam vitæ & reſurrectionis. Ex patris propoſito & voluntate formam ſerui accepit, nobiſcum habitu inuentus vt homo: nunc autem formam gloriæ ſuæ induit, oſtendens ſe filium Dei eſſe. In Pſal. 29. hæc omnia optimè videntur repræſentari, vbi ſic loquitur Dei filius. Ego dixi in abundantia mea: Non mouebor in æternum. Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem. Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Ad te clamaui; Quæ

S. Tho. 3. p. q. 53. art. 1. *Duplex ratio Reſurrectionis Chriſti.*

1.

In Pſ. 29. *Explicatur myſteriū vitæ Chriſti.*

A vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendò in corruptionem? Audiuit Dominus, & miſertus eſt mei. Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi; conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.

Quæſo verborum iſtorum explicationem audiamus, & quomodo optimè conueniunt myſterio Reſurrectionis. Cùm eſſet filius Dei in ſinu patris, dicebat in abundantia ſua & plenitudine diuinitatis: Non mouebor in æternum. Ego enim Deus, & non mutor. Factum eſt autem vt in plenitudine temporum, iuxta voluntatem patris, decorem humanitatis ſuæ indueret, eamque virtute ornaret coniunctam diuinitati. Interim tempore Paſſionis

Malach. 3.

B factum eſt, vt pater quodammodo faciem ſuam auerteret, quia eum mori oportebat. Et conturbatus eſt filius in horto factus in agonia, & in Cruce dicens: Pater, vt quid dereliquiſti me? Vnde rurſus ad Dominum clamauit, & cum lacrymis, ſicut ad Heb. dicitur, validoque clamore preces obtulit dicens: Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Ignoſce & dimitte illis pater. O pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et ecce exauditus eſt pro reuerentia ſua. Audiuit Dominus, & miſertus eſt, ſtatim enim conuertit planctum filij in gaudium Saluatoris, qui ſaluat latronem in Cruce, & captiuam educit captiuitatem de tenebris, ſaccumque corporis, qui

Heb. 5.

C in Paſſione multis fuerat plagis & vulneribus conciſus, in Reſurrectione reſumit circumdatum ſumma lætitia, & gloria, vndique per eaſdem cicatrices & plagas reſplendente: ſed tali, vt etiam omnes gaudio repleuerit tam qui in cœlis & terris erant, quàm in abyſſis.

Adeò vt hæc dies, propriè illa ſit quam fecit Dominus, vt exultemus & lætemur in ea, dicamúſque ſerena facie, Alleluya. Dominus enim regnauit, & decorem induit, id eſt, immortalitatem corpori ſuo dedit, quando hodie in gloria & majeſtate reſurrexit, & eleuata eſt magnificentia eius, id eſt, humanitas, ſuper omnes cœlos, videlicet, in incorruptione, immortalitate & gloria.

D Ideo autem ſic euenire debuit, quia peracto Paſſionis myſterio, ſtatim anima Chriſti, quæ ab initio conceptionis glorioſa erat, ſolumque per diſpenſationem non redundabat in corpus propter Paſſionem futuram, nunc, cùm eſt peracta, gloriam ſuam in corpus reſumptum tranſmiſit, & ſic hodie rutilans gloria reſurrexit. Iuxta quod etiā impoſſibile erat ipſum retineri in morte & ſepulchro, qui moriendo mortem deſtruxerat, morſumque Inferno dederat, vt dicitur per Prophetam Oſee: *O mors, ero mors tua, morſus tuus ero Inferne:* ſiue actiuè morſus iſte intelligatur, ſiue paſſiuè. Actiuè, morſus tuus ero, id eſt, deſtruam te penitus, & ſpoliabo, educens electos meos qui capti-

Quomodo debuit Chriſtus reſurgere in gloria.

Oſee 13.

Actiuè & paſſiuè, morſus Inferni explicatur.

E ui erant: vel, cùm deſcendero in te, & mordere volueris me, digerere non poteris, petra ſum enim & acuta. Vel adhuc continere me non poteris, ſum enim excelſior cœlis, & profundior abyſſis: & ſic etiam paſſiuè, morſus tuus ero, liberque patebit exitus per me animabus detentis.

Sic poſſunt intelligi illa verba Sancti Petri Act. 2. cùm de morte Chriſti diſſerens, ait: *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus Inferni*; non doloribus eius, vt peſſimè, oreque ſacrilego explicauit Caluinus, qui dicit Dominum IESVM filium Dei etiam damnatorum tormenta pertuliſſe: ſed ſolutis doloribus animarum quæ tunc in purgatorio erant, & non ſuis, iuxta quod, vt idem Apoſtolus dicit,

Act. 2.

Blaſphemia Caluini.

dicit, impossibile erat teneri illum ab eo. Sic igitur ratione prima, quæ respicit ipsum, necessarium erat vt statim post mortem gloriosus resurgeret: hoc enim debebatur & Iustitiæ Dei, & humanitati verbo vnitæ.

2. Ratio ex parte hominum, cur necessariũ fuerit Christum resurgere. Quantum ad alteram rationem quæ nos respicit, etiam dicimus necessariam fuisse Resurrectionem Christi. Illa enim est exemplar nostræ resurrectionis futuræ, Apostolo dicente: Si Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Resurrexit primitiæ dormiẽtium, vnusquisque autem in suo ordine. Ita ad Philip. Saluatorem expectamus Dominum nostrum IESVM Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Si tamen, ô Christiani, antea participes simus resurrectionis, quæ ordine prima est, & quam sic S. Iohannes in Apocal. appellat dicens: *Beati qui partem habent in resurrectione prima.* Sic enim adhuc Apostolus antequam dixerit; Saluatorem expectamus Dominum nostrum, posuit: Conuersatio nostra in cœlis est, vnde, inquit, expectamus Saluatorem. Et certè si aliqua prima sit ex parte nostri necessitas Resurrectionis Christi, ista est, vt sit adinformationem vitæ fidelium: quorum inquam vita debet nunc esse abscondita cum Christo in Deo. Hic est omnis fructus Resurrectionis eius, vitæ nouitas, in qua nunc ambulare debemus, & modò dicere: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus. Hodie omnes ipsum recepistis, mementote iam verbi Apostoli: Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, & dicite, viuit in me Christus. In hoc est complementum vitæ nostræ, si non peccemus.

1. Cor. 15.

Phil. 3.

SVMMA TOTIVS operis humanæ reparationis.

IESVS *appropinquans ibat cum illis: oculi autem eorum tenebantur, &c.* Luc. 24.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, &c. Eph. 1.

DICEBAT IESVS discipulis suis Ioh. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, & perficiam opus eius.* Voluntas patris & perfectum opus est, vt omnes ipsum cum filio cognoscant, sic enim filius ad ipsum dicebat: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti filium. Hoc opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam. Manifestaui nomen tuum hominibus, & quos dedisti mihi, cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti. Interim, ecce hodie ex Euangelio duo ex discipulis eius euntes in Emmaus dubitare cœperunt, & ipsi loquebantur adinuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse IESVS appropinquans, vt in eis suum perficeret opus, ibat cum illis. Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent, & ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis adinuicem, & estis tristes? Dicunt: De IESV Nazareno, quem tradiderunt summi Sacerdotes in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël, & nunc tertia dies est hodie quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, dicentes se visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere: & abierunt quidam ex nostris ad monumentum, qui corpus non inuenerunt. Quibus tunc ait: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ? Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse interpretabatur illis quæ de ipso erant in Scripturis. Et appropinquantes Castello quò ibant, ipsi coëgerunt eum vt maneret cum illis. Qui dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et statim apertis oculis eorum, ipse euanuit, & cognoscentes eum, dixerunt: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem, dicentes discipulis quod surrexit Dominus verè, & narrantes quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

Ioh. 17.

In Euangelio ordo repræsentatur vitæ Christi. In discursu & historia huius Euangelij, velut in compendio, nobis totum repræsentatur quod Christus fecit in opere humanæ Redemptionis, & quando ad nos venit instaurare omnia. Primò enim formam serui & peregrini accepit, quia valde peregrinum est Deo, esse hominem passibilem, & mortalem, viatorem, & quasi colonum in terra. Sic Ieremias admirans dicit: *Expectatio Israël, Saluator eius in tempore tribulationis, quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum, vir vagus?* Vnde ipse aliquando dicebat cuidã Scribæ dicẽti sibi; Magister sequar te: Vulpes foueas habent, & volucres Cœli nidos suos; filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Verè peregrinus ipse est, & viator, sicut dicit iterum quia filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Et quæso id notate quod minimè hic iactitat magnificos suos titulos, quod nempe Deus sit, fortis, Rex, Admirabilis, & magni consilij Angelus: sed filius hominis, quasi peregrinus, habituque inuentus vt homo, & viator, quomodo in Baruch Propheta dicitur: In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Ecce sub qua forma veniens apparuit, serui & peregrini.

Ierem. 14.

Matth. 8.

Matth. 20

Baruch 3.

Secundò, in hac forma probauit se esse Messiam & filium Dei ex Scripturis, vbi probat se esse filium Dauid, & quia oportet eum mori, & post mortem resurgere, & sic intrare in gloriam suam, vt refert in exemplo Ionæ.

Matth. 22. Luc. 20.

Tertiò, dedit corpus suum & sanguinem in cibum & potum, cùm ante mortem suam discipulis post cœnam Sacramentum instituit.

Matth. 12.

Quartò denique passus est, & resurrexit, discipulis suis apparuit, conuescens eis, & postquam cognouerunt eum, euanuit ab oculis eorum, ascendens in Cœlum, vnde postea prædicauerunt eum vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis: Ecce quo pacto completum est totum reparationis nostræ opus, iuxta quod dicit Apostolus quod Deus proposuit secundum consilium voluntatis suæ, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo.

Nunc autem videamus in hodierno Euangelio summam & epilogum totius huius operis. Primò, accipit Christus figuram peregrini, vt conuersetur cum duobus istis discipulis, & eos ad fidem conuertat. S. Marc. dicit quia ostensus est in alia effigie euntibus

euntibus in villam: & noster S. Luc. quod Cleophas eum peregrinum vocauit, sicque conuersabatur cum illis. Secundò, probat illis ex Scripturis, quod Christum pati oportebat & resurgere. Tertiò, accipit panem, benedicit, ac fregit, deditque eis. Quartò denique, postquam cognouerunt eum, euanuit ab oculis eorum. Vnde reuersi prædicauerunt aliis, quomodo Christus resurrexit verè. O pater, opus tuum consummaui in eis.

S. Thom. 3. p. Summæ suæ, rationem dat cur secundum S. Marc. in alia effigie Christus apparuit discipulis: & dicit, eo modo Deum Resurrectionem manifestasse quo diuina reuelantur, nempe ad dispositionem nostram. Nam qui habent mentem bene dispositam, secundum veritatem, inquit, diuina percipiunt. Qui autem bene dispositam non habent, cum quadam confusione dubietatis & erroris percipiunt, Apostolo dicente: Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Vnde inquit, quibusdam Christus ad credendum dispositis, post Resurrectionem suam apparuit in sua effigie. Illis autem in alia effigie, qui videbantur circa fidem tepescere. Et similiter S. Gregor. hom. 23. Talem se exhibuit eis in corpore, qualis apud eos erat in mente. Quia enim adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, ita & se longiùs finxit ire, & peregrinum esse.

S. Tho. 3. p. q. 55. art. 4. Ad modum reuelationis diuinorum, Christus Resurrectionem suam reuelauit.

1. Cor. 2.

S. Gregor. hom. 23.

Neque hic nos mouere debet, quod ex S. Marc. in alia effigie apparuit, & ex S. Luc. essent oculi eorum retenti ne eum agnoscerent. Nam vtrumque factum fuisse probabile est, cùm vnus Euangelista hoc dicat, & alter istud, videlicet, & mutata corporis forma (vt in Transfiguratione) non autem natura, apparuisse: & impeditos simul fuisse discipulorum oculos ne agnoscerent. Licet tamen, & non mutato corpore, & non etiam impeditis oculis, sed adhuc liberis, potuisset efficere Christus, vt non agnosceretur. Neque id inconueniens est. Mens tamen S. Thomæ vt supra, est, vt eorum oculi à Sathana impediti fuerint, qui ita dicit. Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Sathana factum fuisse, ne agnosceretur IESVS: sic enim dicitur quod oculi eorum tenebantur. Quod etiam S. Aug. innuere videtur, dicens quod à Christo facta est permissio hæc tantùm, vt vsque ad fractionem panis eorum oculi tenerentur, vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Christus possit agnosci. Interim, neque etiam inconueniens erit dicere, quod à Christo retenti fuerint, ob rationes quas mox dicturi sumus; non quod reuera tenerentur, sed quod nõ magis agnosceretur, (ipso volente, vel permittente) quàm si tenerentur: Christum enim oculos eorum tenere, potest intelligi, nolle ab illis cognosci.

Quomodo & in alia specie Christus apparuit, & discipulorum oculi fuerint impediti.

S. Thom. vt supra art. 4. ad 2.

Aug. lib. 3. de consensu Euang. c. 25.

Igitur quidquid sit, siue hoc modo Christus tenuerit, siue etiam ab alio, vt à Sathana, teneri permiserit, cur sic factum est, hæ sunt rationes. Prima. Noluit Christus ab illis initio cognosci, vt illorum fidem exploraret, quam etsi optimè cognosceret, experiri tamen volebat humano more, dicens: Qui sunt hi sermones, &c. Secunda. Noluit nisi à credentibus agnosci: quia semper verum est illud Isaiæ: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Istud quæso omnes intelligant. Tertia. Tenuit eorum oculos, id est, noluit ab eis agnosci dum de Resurrectione dubitant, dum fabulantur, & secum quærunt (omnes audiant,) dum denique de fide dubitant.

Cur noluit Christus à discipulis cognosci, triplex ratio.

7.

Aperuit autem, id est, agnosci ab illis voluit, cùm explicatis à se Scripturarum testimoniis crediderũt. Quare etiam & eos specie peregrini docere voluit, vt plus meriti haberent credentes; atque interim Scripturarum cognitione, eorum animos præparare ad credendum. Ita S. August. qui ait. Vt meliùs cor instrueretur, cognitio differtur. Quærit ab eis quid inter se loquerentur, vt quod ipse sciebat, illi faterentur: & sic occasione data illis explicaret Scripturas, & confirmaret.

Quomodo Christus dicitur aperuisse oculos discipulorum. S. Aug. Ser. 144.

Possunt hæc facilè accommodari nobis, cùm ita soleat ferè semper nobiscum se gerere Deus: paulatim enim insinuat se in nos per tacitas inspirationes. Et loquentem nobis minimè cognoscimus, quousque magis ac magis tacitus loquens sensim animos inflammat. Cognoscimus autem, cùm Scripturas audimus, cùm Ecclesiam, cùm conciones sacras, cùm Sacramenta frequentamus. Denique cùm panem frangimus, siue pauperibus, siue etiam nobis, nempe cùm ad mensam sacram accedimus: cùm eum, quem peregrinum putabamus, corporis, animique nostri hospitio recipimus. Sicut enim peregrinis in Emmaus peregrinus apparuit: sic etiam nobis peregrinis in huius mundi exilio, sub peregrina & extranea specie apparet in Sacramento. Signum autem te allocutum fuisse, est sentire cor tuum ardere. Quod si iam dignè ipsum excipias in corde, statim eum agnosces & dices; Nónne cor nostrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via?

Signa quibus Christum loqui nobis cognoscimus.

Sæpius euentus docet nos, Christum esse qui in spiritu nostro loquebatur, sed minimè tunc nos cognouisse, quia nondum oculi nostri erant aperti. Aperiuntur autem, dum corpus eius in Altari recipimus, dum oram vestimenti eius tangimus. Nam eadem illa caro Christi, quæ tactu olim suo cæcis visum dabat, nunc à nobis sumitur, eoque potentior est quo gloriosior est in Sacramento. Vnde si oculi nostri aliquando non aperiuntur nobis, non ideo fit quia illi virtus deest, sed quia potiùs deest nobis ardens fides. Est enim vir potens in opere & sermone Christus, in quo ad bene & potenter operandum plenitudo est gratiæ & veritatis ad docendum & illuminandum, vt habetur Iohannis 1.

Defectu fidei Deum minimè sentimus & intelligimus.

Dispositionem autem ad ista habemus, si adinstar istorum peregrinorum in Emmaus, sermones nostri sint de IESV crucifixo. Ecce enim dum loquebantur de eo adinuicem, & ipse IESVS appropinquans ibat cum illis, illosque de his interrogat, vt ostendat quantum delectetur audire nos loqui de morte sua & Passione. Adeò vt postea iisdem & similibus verbis, & oculos aperiat, & corda inflammet, vt nihil amplius præter ipsum amemus, quæramus, & prædicemus, eique dicamus: Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit. Resurrexit Dominus verè, &c. Siquidem & in hoc est omne testimonium resurrectionis nostræ, Apostolo dicente: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est, in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Surrexit Dominus verè, non quæ super terram sunt, sapite.

Coloss. 3.

DE

DE PACE ET VVLNEribus IESV Christi.

Pax vobis; videte manus meas, &c. Luc. 24.

Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Ephes. & Coloss. 1.

PAx vobis; videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum, dicit hodie Dominus IESVS. Fructus hic est & complementum nostræ reparationis; Pax vobis. Pax annunciatur, & quis similiter fecit eam, & quo etiam pretio nobis eam comparauit. Audite. Ego ipse sum, dicit Christus, nolite timere, sed pretium intelligite. Videte manus & pedes. Pax vobis. *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris,* dicit Sapiens, *posuit enim animam suam pro te.*

In fide Resurrectionis nostra est iustificatio. Rom. 4. & 5.

Verùm quodnam fuit pacis nostræ pignus? Christi IESV Resurrectio. Vnde valde necessarium erat nihil dubitare de ea, cùm in eius fide consisteret omnis pax nostra & iustificatio. Sic Apostolus ad Rom. vbi statim atque dixit, resurrexit propter iustificationem nostram, addit immediatè post: Iustificati ergo ex fide, videlicet Resurrectionis, pacé habeamus ad Deum per Dominum nostrum IESVM Christum. Per Resurrectionem nostra iustificatio est, & per iustificationem pax. Pax vobis. Sic Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, sicut in ipso proposuit instaurare omnia, pacificans per sanguinem Crucis eius, & quę in cœlis sunt, & quæ in terris. Simul atque factus est homo, reconciliatio facta est: vnde cùm nascitur, pax ab Angelis in terra proclamatur, & auditur: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

In Natiuitate & Resurrectione Christi pax decantata hominibus.

Ita cùm moritur, reconciliatio & reparatio nostra confirmata & consummata est. Pater ignosce, & sit in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Propterea quasi renascendo in Resurrectione sua ipsemet pacem prædicat, in suo sanguine nunc confirmatam dicens; Pax vobis. Sic enim ad Colossens. S. Paulus dicit: In ipso complacuit patri omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, pacificans in ipso per sanguinem Crucis eius, & quæ in terris sunt, & quæ in cœlis, videlicet homines cum Angelis, imò ipsos homines cum Deo. Pax vobis. Et ad Ephes. Nunc autem in Christo IESV vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine eius. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, interficiens inimicitias in semetipso, & veniens euangelizauit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem iis qui propè. Pax vobis. Quoniam per ipsum ambo (videlicet homines & Angeli,) in vno Spiritu accessum habemus ad patrem. Ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & sicut Angeli domestici Dei. Pax vobis, nolite timere, quia ego ipse sum.

Coloss. 1.

Eph. 2.

Vndenam in Resurrectione Christi nostra est iustificatio.

Iam quæritur, vnde ex Resurrectione Christi nostra sit iustificatio, vt per eum talem habeamus

A accessum ad patrem. Respondemus primò, quia nullus iustificabitur & reconciliabitur Deo absque fide in Christum. Quia simul cum Deo est obiectum fidei nostræ, vt ipse dixit: Creditis in Deum, & in me credite. Scitis autem quia sine fide impossibile est placere Deo. Ideóque dicebat alibi, hanc esse vitam æternam, ipsum cum patre agnoscere. Et Nicodemo loquens similiter dicebat, ideo patrem misisse filium in mundum, vt omnis qui credit in eum non pereat. & rursum: Hæc est voluntas patris mei qui misit me, ait, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Vnde post tam frequenter: Qui credit in me, in tenebris non manet, non sitiet, non morietur.

Ioh. 14. & 17.

Ioh. 3. & 6.

B Iam verò nullum erat potentius mysterium ad excitandam in nobis talem fidem in Christum, vt crederemus nimirum ipsum esse Deum, quàm Resurrectionis mysterium. Aliàs, vt Marc. 2. & Luc. 5. virtutem Diuinitatis suæ ostenderat in sanctificatione peccatorum, quorum remissio ad Deum pertinet, etiam ex opinione Iudæorum. Aliàs in miraculis multis, quorum etiam operatio Dei est. Sed nullum argumentum maius erat, quàm suscitare seipsum, & sic ostendere in se vitæ principium esse: quod est solius Dei. Vnde sic Ioh. 10. dixerat: Potestatem habeo ponendi animam meam, & rursus sumendi eam. Alij alios suscitarunt, sed numquam seipsos, quia non à se, sed ab alio virtutem C istam habebant: Christus autem, vt Deus, & se suscitauit, sicut olim alios, quia vt Deus, sua & aliorum vita erat, claues vitæ & mortis habebat, nihilque iuris habere mortem in se ostendit. *O mors, ero mors tua, & morsus tuus Inferne.*

Marc. 2. Luc. 5.

Maius Diuinitatis mysterium & signum Resurrectio. Ioh. 10.

In sepulchrum efferunt, in antrum & lacum mortis, viuentem in sæcula: iubent custodiri sepulchrum, & allato saxo magno ad ostium monuméti, munierunt signantes lapidem cum custodibus. Sed ad quid ista? Tertia die terram concutit, & gloriosior vi propria resurgit. Surrexit, dixit Angelus mulieribus, non est hic. Orto iam Sole venistis, non est hic. Ite in Galilæam, ibi eum videbitis. Et ecce apparet omnibus.

D Daniel videtur esse figura, (quamplurimis aliis omissis.) Ille in lacum Leonum iniectus est, & super lacum impositus lapis, quem & optimates annulo Regis obsignant: sicut super sepulchrum Christi lapis erat signatus. Sed sicut aduersus Danielem Leones non præualuerunt, indeque gloriosior rediit: ita aduersus Christum mors nihil habuit iuris aut imperij, quin potiùs de ea triumphans, de sepulchro gloriosior exiit.

Daniel figura Resurrectionis. cap. 6.

In nullo igitur Diuinitatem suam ostendere Christus magis voluit, quàm in signo & sacramento Resurrectionis. Vnde & petentibus signum ab eo, in qua virtute hæc omnia faciebat, Ionæ profert exemplum. Hinc etiam est quod Resurrectionis E huius veritatem multis argumentis comprobare voluit, vt in Act. dicitur, quod apparuit discipulis per quadraginta dies in multis argumentis, loquens de regno Dei.

Matth. 12.

Act. 1.

Verùm si adhuc euidentiora signa quærimus, S. Thom. ex parte corporis tria ostendit manifestissima argumenta, ostendens primò verum esse corpus, & non phantasticum, per hoc quod hodie præbuit palpandum: palpate & videte, &c. Secundò, quod esset humanum, ostendendo eis veram effigiem, & quam intuebantur ipsorum oculi. Tertiò denique, quod esset idem numero corpus, vulnerum cicatrices ostendendo, vt hodie; Videte manus, pedes, latus, & palpate.

S. Tho. 3. p. q. 55. art. 6.

Item

Item ex parte animæ, triplicis vitæ vsum ostendit. Primò, nutritiuæ, manducando cum discipulis. Secundò, sensitiuæ, audiendo illos, videndo, & ad interrogata respondendo. Tertiò denique, intellectiuæ, explicando illis scripturas, & incipiendo à Moyse & omnibus Prophetis. Verùm pro tempore quod superest nobis, in consideratione & meditatione istarum cicatricum maneamus, quas adhuc gestat in illo corpore glorioso, & ostendit nobis. Ego sum, inquit, nolite timere: videte manus meas, palpate.

Nota In Christo tria vulnerū & cicatricū genera.

Vulnus in natura, subtractio personæ.

Imprimis & ante omnia sciendum est, in Christo triplex fuisse genus vulnerum; in natura, in anima, & in corpore. Vulnus & cicatrix in naturā, subtractio est personæ illi debitæ in mysterio Incarnationis, quæ ab initio mysterij fuit, semper fuit dum in terra fuit, & in æternum in Cœlo erit. Alia mysteria filij Dei momentanea sunt & transeunt; in terra crucifixus est & mortuus, sed non in Cœlo. Istud autem vulnus quod Incarnationem comitatur, æternum est; hodie adhuc est in Cœlo, sicut fuit olim in terra. Singulare Christo, nunquam alteri communicatum, nec communicandum vnquam. Abnegationis quidem genus quoddam est, quod nullus vnquam Sanctus habuit, quod imitari non possumus, sed solùm venerari. Vnus Apostolus dicit S. Paul. Viuo ego, iam non ego. Sed illud, non ego, minimè potest humanitus intelligi, id est, de persona. Semper est, Ego; viuo ego. Sed in filio Dei, non est illud Ego humanum, quia humana non est persona, sed perfecta huius abnegatio; in quo est vulnus in natura.

Vulnera in anima Christi.

Vulnera seu cicatrices animæ, sunt agonia & tristitia, aliaque similia quæ dici possunt plagæ animæ. Et de hoc genere plagarum loquebatur virgini Sanctus Simeon dicens; *Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Ecce gladius vulnerans animam virginis. Sic igitur in Christo dolores, agonia, atque tristitia, plagæ erant animæ eius.

Vulnera corporis.

Quantum verò ad cicatrices corporis, eæ sunt quas communiter intelligimus, & voluit adhuc post Resurrectionem suam seruare in corpore, quasque libenter Sanctis communicat, sicut etiam illas quæ animæ sunt. De his igitur quæ corporis sunt, hodie dicit discipulis: Nolite timere, videte manus meas, palpate, & videte quia ego ipse sum.

Zacha. 13.

O interrogemus eum cum Zachar. Domine, quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligunt me. O Christiani, vsque ad mortem heu! dileximus Christum: desiderauimus eum, & postulauimus in ore omnium prophetarum, qui diligebant eum. Venit ipse, cuius ope & gratia nobis erat opus: & A ecce plagis plagatus est in domo eorum qui diligebant eum, sed quos potiùs Domine diligebas: amor enim tuus est qui ad veniendū accelerauit te.

Quare cicatrices Passionis remanserunt in corpore Christi. Beda, & S. Bern. Ser. 62. in Cantica.

Tria cōuenit in Passione Domini intueri.

Sed interea videamus in manibus, quousque auxiliatus est nobis. Plagæ remanserunt, vulnera & cicatrices, vt sua morte redemptis ostendat semper, ait Beda super Luc. quàm misericorditer sunt adiuti, & sic non peccent amplius. Vnde S. Bern. Quid tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, quam Christi vulnerum sedula meditatio? Propterea Ser. de Pass. dicit, quod conuenit tria specialiter intueri in Passione Domini, opus, modum, & causam. Nam in opere potentia est singularis: in modo humilitas admirabilis; sed in causa charitas B inæstimabilis commendatur. Vnde Passio tua, Domine Iesv, vltimum est refugium & singulare meum remedium. Deficiente sapientia, non sufficiente iustitia, & sanctitatis succumbentibus meritis, illa succurrit. Cùm enim defecerit virtus mea, non conturbor, scio quid faciam, calicem salutaris accipiam; nec desunt foramina, per quæ ex visceribus Domini vsurpo quod mihi deest. Verùm quidnam est istud quod mihi deest? virtus ad meritum. Quid adhuc? virtus resistendi peccato, & non committendi amplius. Et ecce hanc ex visceribus Domini vsurpo. Videte manus, pedes, atque latus.

S. Aug. Man. cap. 22.

Vnde S. Aug. in Man. sic ait: Cùm me pulsauerit aliqua turpis cogitatio, statim ad vulnera Christi C recurro. Et præcedenti cap. Tuta & firma requies est infirmis & peccatoribus in vulneribus Saluatoris; securus illic habito. Patent mihi viscera per vulnera, vnde quidquid ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus istis, quoniam misericordia affluunt. Sicque remanserunt, ait rursus in Symbol.

Idē S. Aug. in Symbol.

S. Aug. vt conuincens peccatores veritas dicat: Ecce hominem quem crucifixistis, videte vulnera quæ inflixistis. Remanserunt, dicit adhuc Beda Venerab.

Beda.

vt in perpetuum victoriæ suæ circumferat triumphum, & vbique coram patre cantica pacis & reconciliationis nostræ cantet, ostendatque quo pretio suos redemerit. Qua ratione denique omnibus nobis dicat; Pax vobis, factus mediator Dei & hoD minum, pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris sunt, siue quæ in cœlis. Ante Christum omnes ad pacem clamabant, dicentes cum Ierem. Sustinuimus pacem, & non venit. Diximus, pax, pax, pax, & non erat. Sed hodie vbi Christus venit, & in medio nostrûm stetit, audiuimus ab eo; Pax vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis; non denique pacem peccatorum do vobis; quia nec ipsi viam pacis cognouerunt. Pacem itaque meam do vobis. Nolite timere, ego sum. Pax vobis, pax vobis, pax vobis.

Ierem. 8.

Ad laudem Dei opt. max. Iesv *Christi Domini nostri, & Deiparæ Mariæ Virginis.*

TRIBVNAL CONFESSIONIS, IN SABBATHIS QVADRAGESIMÆ.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt remittat nobis. 1. Iohan. 1.

NOSTRORVM remissio delictorum in sanguine IESV Christi facta est. 1. Iohan. 1. Sanguis IESV Christi emundat nos ab omni peccato. Ecce cuius ponderis peccatum est, cuiusque pretij omnes debitores sumus, qui peccauimus omnes. Si dixerimus, inquit S. Iohan. quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Omnes enim peccauerunt, ait Apostolus, & egent gratia Dei, gratia & sanguine Christi. Sed quid adhuc præterea ad purgationem requiritur à nobis? Humilis confessio. Sic enim sequitur: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Ecce in quo his verbis necessitas est confessionis, cui, ex diuina liberalitate & misericordia, remissionis delictorum nostrorum promissio facta est. Vnde iam Deus confitenti ea remittit ex fidelitate & iustitia. Si confiteamur peccata, fidelis est Deus, vt remittat. — A — B

1. Ioh. 1.

Peccatum hominem auertit à Deo, & confessio reducit. O quis verbis exprimere posset, quanti mali causa peccatum est? Quæso attendatur. Hominem in præsenti priuat gratia, & in futuro, æterna gloria, ad quam natus erat. Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum, & præuaricatores estis legis eius. Sed quis non miretur Dei bonitatem, qui humiliter confitenti & accusanti se, omnia restituit? Isaias dicit: Narra si quid habes, vt iustificeris. Et Dauid: Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Vnde ait Ecclesiasticus: *Pro anima tua non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, & est adducens gloriam & gratiam.* — C

Quibus bonis hominē peccatū priuat.

Isa. 43. Psal. 31. Eccli. 4.

Magnum certè discrimen est inter iudicium seu tribunal diuinum, & tribunal quod humanum est. In humano enim iudicio seu tribunali hominum, pro confessione & accusatione criminis, fertur sententia mortis: in diuino verò, salutis.

Discrimen inter tribunal diuinum & humanū.

A Tale autem tribunal diuinum, est tribunal confessionis, propter quod dicitur apud Isaiam; Narra si quid habes, vt iustificeris. Denique propter quod dixit S. Iohannes: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt nobis remittat.*

Verùm sciendum est, in omni iudicio & tribunali illa quinque ad ferendam sententiam vt plurimum requiri, Iudicem, Crimen, Reum, Accusatorem, & testimonium. Idem autem de confessione est. Tribunal enim est, vbi Sacerdos faciens pro Christo Iudex est. Peccatum Crimen. Pœnitens Reus, Accusator, & Testis; vnde sententia ligare, vel absoluere. Quare nunc illo ordine dicemus de singulis. Et primò de conditione Iudicis, & necessitate confitendi ei peccata.

Quinque requisita in iudicio.

B Quod itaque posito peccato, teneantur omnes ad confessionem, hoc notum est & constans ex iure tam diuino, quia eam Deus animæ vulneratæ medicinam adhibuit: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt nobis remittat*; quàm Ecclesiastico, ex institutione scilicet Ecclesiæ. Vnde iam apparet omnibus, hanc esse necessariam necessitate salutis. Et quidem omnes Doctores necessitatem hanc cum baptismo comparant, dicentes quod sicut baptismi Sacramentum, quo deletur originale peccatum, est de necessitate salutis: ita pœnitentia & confessionis Sacramentum, quo deletur actuale. Vnde sicut aliquis per hoc quod baptismum petit, se ministris Ecclesiæ subiicit, ad quos pertinet huius dispensatio Sacramenti: ita etiam qui pœnitentiam agere cupit, se ministro Ecclesiæ subiicit, qui dispensat gratiam, & qui minimè remedium conueniens adhibere potest, nisi peccatum cognoscat, quod quidem fit per confessionem peccatoris: quæ ideo necessaria est necessitate salutis. — C

Iure diuino & Ecclesiastico necessaria est confessio. Supplem. S. Th.

Igitur nunc patet quis sit tribunalis istius minister & Iudex, videlicet Sacerdos Christi vicarius. Ante Ascensionem, iurisdictionem hanc & potestatem dederat Dominus noster suis Apostolis, eorumque successoribus, per insufflationem, eaque verba (Ioh. 20.) *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Vbi quidem

Sacerdos Iudex.

Ioh. 20.

Inſtitutio Sacramenti pœnitentiæ, & promiſſio. dem tunc ſua authoritate diuinæ pœnitentiæ Sacramentum inſtituit, cuius antea promiſſio facta fuerat. Primò, Sancto Petro, his verbis: Tibi dabo claues regni cœlorum; & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Deinde omnibus poſtea Apoſtolis: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis, &c. In cuius adhuc poteſtatis ſignum, Lazarum adhuc ligatum ſuſcitatum à mortuis commiſit illis, vt ſoluerent. (Matth. 16. Matth. 18. Ioh. 11.)

Sed figura in Leuitico nota eſt, vbi mentio eſt de leproſis, qui Sacerdotes adire tenebantur. Vnde etiam Matth. 8. quoſdam ad eos Chriſtus miſit quos ſanauerat, dicens eis vt oſtenderent ſe Sacerdotibus. Sed quid dicam? Quod adhuc in lege de confeſſione erat præceptum. De confeſſione publica vſus reperitur Num. 21. Venerunt ad Moyſem, & dixerunt: Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum & te. Ora vt tollat à nobis ſerpentes. De priuata Num. 5. Vir, ſiue mulier cùm per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum. Ecce præceptum de confitendo particulari peccato, (Si vir, vel mulier.) (Matth. 8. *In lege veteri de confeſſione præceptum eſt & vſus.* Num. 21.)

Taliſque frequens erat vſus in veteri lege, vt in Ioſue. Nam dux ille dixit ad Achan, qui præuaricatus fuerat mandatum Domini, & furtum commiſerat, aliquid vſurpans de anathemate: Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere; indica mihi quid feceris, ne abſcondas. Reſponditque Achan, & dixit: Verè ego peccaui Domino. Sic & ſic feci. Vidi inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, regulam auream, & ducentos ſiclos argenti, & concupiſcens abſtuli. Verè peccaui. Sic Dauid ad Nathan peccatum confeſſus eſt, & dixit: Peccaui. Vnde poſtea ad Dominum ait: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcōdi.* Et ſimiliter ſic in noua lege & primitiua Eccleſia legimus, vt Act. 19. quod multi credentium veniebant ad Apoſtolos confitentes, & annunciantes actus ſuos. Neſcio certè quid ad hæc reſpondere poſſunt hæretici. (hæc in tranſcurſu dicta ſint.) (Ioſue 7. Pſal. 31. Act. 19.)

Neceſſitas confitendi peccata ſua Sacerdotibus. Videtis igitur vſum, ſed magis neceſſitatem attendite, & quibus adhuc neceſſe ſit peccata ſua confiteri. Tribunal enim eſt confeſſio, & habet Iudices ſuos, videlicet Apoſtolos, & Sacerdotes Apoſtolorum ſucceſſores, quibus hæc poteſtas & iuriſdictio relicta eſt. Hinc enim dicit S. Auguſt. in Pſal. Nemo dicat mihi, ago pœnitentiam in corde; vt tibi Cœlum aperiatur, aperi os tuum Sacerdoti. Et homil. 49. Nemo ſibi dicat, occultè ago pœnitentiam apud Deum. Ergo ſine cauſa dictum eſt: Quæ ſolueritis in terra, erunt ſoluta in Cœlo. Ergo ſine cauſa claues datæ Eccleſiæ. Fruſtramus Euangelium, fruſtramus verba Dei. (S. Auguſt. in Pſ. 117. Idem Aug. hom. 49.)

Videtis igitur Sacerdotes tribunalis huius eſſe miniſtros: ſed id non eſt ſatis, vt Iudices ſint, niſi adhuc approbentur ab Epiſcopis, iuxta decretum Concilij Trident. & ab Ordinariis adhuc iuriſdictionem ſuam accipiant. Quorum quidem defectu, nullæ atque inualidæ confeſſiones eſſent. Quod dico, vt de officio ſuo admoneantur Sacerdotes. Confeſſio enim tribunal eſt, vbi iuriſdictione opus eſt, quæ etiam abſque approbatione dari non poteſt; quæ nihil eſt aliud quàm ab Epiſcopo cenſeri dignum & capacem confeſſiones audiendi. (Cōcil. Trid. ſeſſ. 23. *Vt Sacerdos ſit Index, approbatione & iuriſdictione opus eſt.*)

Vnde modò duæ nobis ſuperſunt monitiones faciendæ. Prima eſt Sacerdotibus, vt videlicet conA ſiderent ipſi duo requiri in illis. Vnum eſt, vt validè Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrent: & ad hoc neceſſariæ ſunt conditiones quas poſuimus, habere ordinem, approbationem, iuriſdictionem. Alterum, vt dignè adminiſtrēt: & ad hoc hæ ſunt conditiones & qualitates requiſitæ, probitas vitæ, ſcientia, ſeu capacitas, & prudentia. Iſta quæſo conſiderent omnes, & quomodo immaculati eſſe debeant, qui alios curare debent. Quid hic dicam? heu! omnes ſancti deberemus eſſe, & leproſi ſumus, ad quos vt curentur, mittuntur leproſi. (*Duo requirūtur in Sacerdote, vt Iudex ſit.*)

Secunda admonitio pro pœnitentibus eſt, vt videlicet ſemper meliores & capaciores adeant Confeſſarios, eorum Iudices & medicos. Ita S. Aug. exhortatur dicens. B Qui confiteri vult peccata, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem ſcientem ligare & ſoluere, ne cùm circa ſe negligens extiterit, negligatur ab illo qui eum miſericorditer monet, ne ambo in foueam cadant. Vnde dicit quod diſcretio Confeſſori valde neceſſaria eſt, vt conſideret qualitatem criminis in loco, tempore, in perſeuerantia, cuius fuerit ætatis, cuius ſapientiæ & ordinis, & quali hoc vel illud fecerit tentatione. Quæſo attendatur quid & quantum requirat S. Aug. Vnde quidem audemus dicere, eum qui peccatis onuſtus grauiſſimis, penitus ignorantem Sacerdotem quærit, vt non aduertat grauitatem criminis, nullam, aut certè inualidam confeſ- C ſionem facere. Quid? dicit S. Chryſoſtom. Si fortè in corpore aliquid morbi parum pulſauerit, ſtatim adhibemus medicos, & quidem meliores; & pecuniam profundimus, nec ceſſatur, donec mitigetur. Anima verò omnibus modis perit, nec parua pro ea nos cura ſollicitat. Quæſo illud Eccleſiaſtici audite & excipite: Non confundaris cōfiteri, ſed & ne ſubiicias te omni homini pro peccato. Vt inuenias gratiam, dicit S. Aug. quære Sacerdotem ſcientem ſoluere. Res magni momenti eſt, vbi de conſcientia agitur. (*Pœnitens tenetur capaciorem adire Confeſſariū.* S. Auguſt. de vera & falſa pœnitentia. S. Chryſoſt. lib. de compūct. cordis. Eccli 4.)

Quare nunc libenter hoc omnibus conſilium darem, vt ſaltem ſemel in vita generalem confeſ- D ſionem facerent ad præteritorum reparationem defectuum, & maiorem ſpem ſalutis. Cùm de peccatis quæſtio eſt, nihil negligendum aut omittendum eſt, cùm nullum ſit quod deleri queat, niſi pœnitentia, contritione cordis, & coram Sacerdote confeſſione oris. In omni peccato actio tranſit, ſed reatus manet: tranſit quod delectat, remanet quod cruciat. Vis itaque te à dubio & timore liberare? Citiùs quàm poteris confeſſione generali conſcientiam tuam laua. Confeſſio eſt quæ iuſtificat, quæ à morte liberat, quæ ſanat & viuificat. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus & iuſtus, vt nobis remittat.*

E

DE CRIMINE.

PRIMA CONDITIO Confeſſionis, integritas.

Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus vt remittat. 1. Ioh. 1.

FORMANS Eccleſiam ſuam Chriſtus, omnia fecit in numero, pondere & menſura. Sacramentū

pœnitentiæ, vt alia, ex mente Theologorum duabus partibus constat, materia & forma. Forma consistit in verbis istis ministri & Iudicis; *Ego te absoluo à peccatis tuis.* Vnde peccata declarata in confessione materia sunt. Sicut autem duplex genus peccati est; vnum quod est mortale, alterum veniale: ita duplex materia est huius Sacramenti, vna necessaria, altera sufficiens. Veniale peccatum dicitur materia sufficiens: mortale verò necessaria. Quare qui incidit in mortale, absolutè debet confiteri. Ex eoque absolutè necessariam esse ad salutem confessionem dicimus, neque minus quàm Sacramentum baptismi. Quod enim baptismus est respectu peccati originalis, illud ipsum est confessio ratione peccati actualis.

Pro duplici genere peccati, duplex materia Sacramenti pœnitentiæ.

Integritas necessaria in confessione.

Vnde modò hanc primam conditionem proponimus esse necessariam, vt sit valida confessio. Quæ est, vt nimirum sit integra, id est, omnia prorsus declarentur peccata non confessa, quæ mortalia sunt, secundum speciem & numerum, cum circunstantiis, quæ tres sunt. De quibus & singulis nonnulla dicenda sunt.

Tribus modis peccatum committitur obiectiuè. S Tho. 1.2. q.72.art.4.

Verùm antè sciendum, peccatum in se & communiter nihil aliud esse quàm defectum & inordinationem, secundum quod S. Thomas ait tribus modis committi peccatum obiectiuè, & subiectiuè. Primò, obiectiuè in Deum, in seipsum, in proximum. Iuxta quod triplex ille ordo inuenitur in homine. Vnus est referens ipsum ad regulam diuinæ legis, secundum quam omnia debet facere. Alter ad regulam rationis, quæ in ipso est. Tertius ad proximum, cui conuiuere debet. Vnde secundum hanc distinctionem ordinis, dicitur aliquis peccare diuersimodè, in Deum, in seipsum, & in proximum. Hæreticus, sacrilegus, blasphemus, & omnis alius similis transgressor diuinæ legis, peccat in Deum. Prodigus, luxuriosus, & gulæ deditus, in seipsum. Homicida, aut fur, in proximum. Hæc distinctio est omnium peccatorum ratione obiecti.

Tribus item modis subiectiuè cómittitur.

Quid sit peccatum. S.Aug.

S. Hieron. lib. 1. in Amos.

Quod si subiectiuè peccatum consideremus, id est, respectu subiecti in quo committitur, tribus item modis peccatum committitur. Est enim peccatum cordis, oris, & operis. Sicque sub ista generali diuisione omnia peccata comprehenduntur, sicut Sanctus Augustinus definiuit peccatum, dicens quod est dictum, factum, & concupitum contra legem Dei. S. Hieronymus in Amos. Primum peccatum est, cogitasse quæ mala sunt. Secundum, cogitationibus acquieuisse peruersis. Tertium, quod deterius est, opere compleuisse. Quartum, non facere pœnitentiam, & in suo sibi complacere delicto. hæc ille. S. Isidorus tract. de summo bono, in corde dicit perpetrari quatuor modis, & totidem in opere consummari. In corde, suggestione per diabolum; delectatione per carnem: consensu per spiritum: defensionis audacia per elationem. Item ait consummari in opere quatuor modis. Priùs, inquit, intus latens culpa agitur; postmodum etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur: deinde in consuetudinem ducitur. Ad extremum, vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur.

S. Isidor. tract. de súmo bono.

4. Modis in corde cómittitur peccatum.

Item 4. modis in opere.

Duæ principales causæ peccati.

Hactenus de modis quibus diuersè peccatum committitur. Nunc ad causas veniamus, quæ duæ sunt principales. Vna est quæ ex se causa propria est, nempe volantas, quæ ad actum peccati comparatur, sicut arbor ad fructum. Si bona est, bonum; si verò mala, malum fructum profert. Vnde S. August. dicit peccatum ita esse voluntarium, vt si voluntarium non esset, peccatum non esset. Altera causa veluti extrinseca est, videlicet intentio finis.

A

His positis, dicimus iam hanc primam esse conditionem vt valida sit confessio, nimirum, fieri integram quoad omnia peccata mortalia non confessa. Primò, secundum speciem: secundò, secundum numerum: tertiò, secundum circunstantias. Alioquin nullam prorsus esse, vt multorum exemplis videre est, qui peccatum suum silentio retinentes, damnationem æternam sibi acquisiuerunt. Talia exempla nimis nota & familiaria sunt.

Septem species peccatorum.

B

Diximus secundum speciem peccata esse declaranda: septem enim species sunt. Vbi etiam peccata commissionis & omissionis includuntur. Item peccata contra præcepta Dei & Ecclesiæ.

Numerus peccatorũ est declarandus.

Diximus secundum numerum. Est enim in particulari peccatorum vniuscuiusque speciei declaratio facienda. Alioquin vnico retento mortali, cætera etsi confessa, pro non confessis habentur, & nulla fit confessio. Vbi enim peccatum aliquod huiusmodi superest, ibi gratia esse non potest.

Circunstãtiæ quæ aggrauant, declaranda.

Tribus modis circunstãtia aggrauat peccatum.

C

Diximus denique secundum circunstantias, si aggrauent. Tripliciter autem circunstantia aggrauat. Primò, cùm transfert in aliud genus peccati, vt si peccatum cum virgine, aut proxima sanguine committatur. In rem publicam, aut sacram, &c. Secundò, si circunstantia multiplicat rationem peccati, vt si prodigus det quando non debet, aut etiam cui dare non debet, idque ob furtum, homicidium, &c. Tertiò, quando circunstantia deformitatem auget, vt quantitas in furto, &c. Tunc quidem & speciem, & numerum, & circunstantias huiusmodi debes confiteri.

S August. in Psal.

Boët. lib de Consolat.

Seneca ep. 57. ad Lucil.

Cassiod. in Psal. 77.

D

S. Augustinus in Psalmos. Quid homo confiteri times? quid confiteri erubescis? Elige quod vis. Si non confessus lates, inconfessus damnaberis. Ad hoc Deus eligit peccatorum confessionem, vt liberet hominem humilem. Boët. Si operam medicantis expectas, oportet vt vulnus tuum detegas. Et Seneca scribens ad Lucil. Omnia vitia in aperto leuiora sunt. Morbi quoque tunc ad sanitatem inclinant, cùm ex abdito erumpunt, ac vim suam proferunt. Et Cassiod. in Ps. O beata confessio, quæ æternum tollit opprobrium! Dixi, confitebor aduersum me, & tu remisisti, &c.

Quantũ malũ, & quàm deforme sit peccatum.

E

Certè si consideraremus quid sit peccatum, nullo modo nostram confessionem protraheremus; protinusque malum quod in eo est, reiicere à nobis curaremus, si deformitatem attenderemus. Vis scire quantum sit malum, & quàm deforme? Ipsum est quod nos à Deo in æternum separat, quod imaginem suam maculat in nobis, omnibus bonis priuat, tum gratiæ, tum gloriæ; cunctis verò malis nos subiicit, suppliciisque mancipat æternis. Ipsum est quod nos dæmonum consortes efficit, &, vt vno verbo dicam, reos iudicij, gehennæ & ignis, ab illa cœlesti patria in æternum exules ad Inferos. Vnumquemque itaque hodie ad generalem confessionem exhortor, moneo & consulo, ad maiorem spem salutis.

* * *

DE

DE REO.

SECVNDA CONDITIO Confessionis, humilitas.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, vt remittat. 1. Iohan. 1.

AD tribunal misericordiæ IESV Christi hodie Reum deducere oportet. Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, dicit Apostolus. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Istud autem auxilium opportunum statim sequitur, & proponitur, vbi ait: Omnis Pontifex & Sacerdos ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit iis qui errant. Iudex propitius & gratiæ Christus est. Qui autem pro Christo legatione funguntur, sunt Sacerdotes, homines similes nobis. Hoc nobis auxilium est opportunum, eodem Apostolo dicente: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi; & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Quare cum eodem Apostolo, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Omnes venite ad tribunal & thronum gratiæ eius. Dedit nobis Deus, dicit Apostolus, verbum reconciliationis. Vocati, peccatores sunt omnes rei condemnationis & mortis.

Heb. 4. Heb. 5. 2. Cor. 5.

Accessus & absolutionis dispositio necessaria hæc est, humilis confusio & agnitio peccati sui. Exemplum in publicano est, qui stans à longè nolebat oculos ad Cœlum leuare, sed percutiens pectus dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori. A longè stamus, cùm timor in nobis est. Sic Esdras ille Sacerdos & Scriba magnus legis Domini, orans pro transgressione & peccatis populi, flexis genibus manibusque expansis ad Dominum, dicebat: Deus meus, confundor & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & peccata nostra creuerunt vsque ad Cœlum à diebus patrum nostrorum. Sed & nos ipsi peccauimus grauiter vsque ad diem hanc. Confundor & erubesco leuare faciem ad te.

Humilitas in cõfessione necessaria. Luc. 18. 1. Esdr. 9.

Item stamus à longè, vt nobis appropinquet Deus. Figura in prodigo est, de quo dicitur, quod cũ adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Cui ille: Pater, peccaui, &c. Conformitas magna est inter hunc prodigum & publicanum. Vterque stans à longè est. Ille dicit: Peccaui. Et alter percutiens pectus in signum contritionis: Propitius esto mihi peccatori. Hæ sunt conditiones quibus Reus peccator qui ad tribunal confessionis accedit, circumdari debet, nimirum contritio cordis atque humilitas, exterior atque interior confusio, dolor cum proposito non peccandi amplius, & veniæ petitio.

Luc. 15. *Figura.*

Notemus hic quod S. Augustin. dicit, scilicet, quod multi assidue se dicunt peccatores, & tamen adhuc eos peccare delectat. Professio ista est, ait, non emendatio. Accusatur anima, non sanatur, pronunciatur offensa, non tollitur. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei. Hæc est vera & humilis confessio. Sic S. Gregor. in suis Moral. Sciendum est, inquit, quia sæpe & reprobi peccata sua confitentur, sed deflere contemnunt. Electi autem culpas suas quas vocibus confessionis aperiunt, districtæ animaduersionis fletibus insequuntur. Ecce discrimen. Memor igitur reatus sui peccator accedat, humiliet se, & confiteri non erubescat.

S. Augustin. ser. 7. de tẽp. Greg. 8. Moral.

Scire autem vultis quæ & quanta damna peccatum mortale inferat? hominem priuat omni vita, ipsumque interimit omni genere mortis. Sic S. Augustinus in Serm. de verbis Apostol. Præsentia animæ tuæ caro tua viuit, & putas non esse aliquam vitã qua viuit ipsa anima tua? Scias quia quomodo habet caro tua vitam, nempe animam: sic habet & anima tua aliquam vitam suam. Et quomodo caro tua cùm moritur, expirat animam vitam suam: sic & anima quando moritur, expirat aliquam vitam suam. Vita corporis, anima est; vita animæ, Deus est.

Peccatũ priuat hominẽ omni vita. S. Aug. Ser. 18. de verbis Apostoli.

O iactura incomparabilis ex peccato prouenients! Ex illo quadruplex mors oritur. Vna corporis. *Stipendium peccati mors.* Triplex animæ. Mors gratiæ, gloriæ & finalis gehennæ. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Discedite à maledicti qui operamini iniquitatem. Ite in ignem æternum.* Huiusce multiplicis horrendi mali figuræ variæ sunt in Scripturis. In Sedecia Rege, cui regnum sublatum atque vastatum est, & qui tandem liberis suis extinctis, effossis oculis, vinctisque ferro manibus & pedibus miserè postea in tetrum carcerem coniectus est. In Samsone à Philisthæis capto, qui excæcatus, & ludibrio habitus, molæ tandem pistrini addictus est. Iob etiam figuræ locum aliquem supplere potest, sedens in sterquilinio suo, vlceribus plenus, cunctis rebus suis amissis.

Quadruplex mors ex peccato. *Figura varia.* 4. Reg. 25. Iudicũ 16. Iob. 2.

Sit ad vltimum pro figura, ille quidam homo Euangelij, qui incidit in latrones, qui eum despoliauerunt, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto; viuo mundo, mortuo autem Deo: viuo ad perpetrandum malum; mortuo verò ad operandum bonum. Semiuiuo relicto, siquidem peccator quantum ad gratiam & gloriam mortuus est; quantum verò ad peccatum viuus, & quãtum ad supplicia Inferni victurus in æternum. Ecce misera conditio peccatoris, in mundo est semiuiuus.

Luc. 10.

Verùm adhuc apud Ierem. animæ existentis in peccato imaginem licet contemplari in illo lumbari, quod iuxta præceptum Domini, in Euphrate absconditum, indeque extractum, nulli postea vsui aptum est. Sic est de anima peccato immersa, quæ cùm antea agglutinata Deo per gratiam, diuinæ consors esset naturæ, nunc per peccatum facta deformis & putrida, est ad omnia inutilis, & non nisi ignibus apta, flammisque æternis.

Ierem. 13.

En equidem satis bene expressus miser peccatorum status. En vnde humiliare se debent, & citò ad Deum redire, confiteri, & veniam humiliter petere. Quod si ita fecerint, misericordiam ab eo consequentur. Vnde Isaias dicit: Derelinquat impius viam suam, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, quoniam multus est ad ignoscendum. Et in Ezech. Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. Conuertimini à viis vestris, & quare moriemini ô domus Israël? Tu itaque fili hominis (& prædicator,) dic ad filios populi mei, (omnes audiant & intelligant.) Iustitia iusti non liberabit eum, in quacumque

Isa. 55. Ezech. 33.

que die peccauerit:& impietas impij non nocebit ei,in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua, & fecerit iudicium & iustitiam (notate,) vita viuet,& non morietur.O Domine IESV,da nobis gratiam istam,& vt tibi dicere possimus: Feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me. *Ecce nunc tempus acceptabile, & dies salutis,* dicit Apostolus. Vbi S.Ambros. Tempus acceptabile adest, in quo confessio animam à morte liberat, confessio paradisum aperit, confessio spem saluandi tribuit. Vnde dicit Scriptura: Dic tu iniquitates tuas vt iustificeris. Ad generalem itaque confessionem vos exhortor, vt securiùs salutem vestram consequi valeatis.

S. Ambros.

DE ACCVSATORE.

TERTIA CONDITIO Confessionis, veritas.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, vt remittat. 1.Iohan.1.

IAM ad tribunal & thronum misericordiæ Christi peccatorem & reum deduximus. Nunc inueniendus est qui accuset ipsum, vt iustificetur. In omni iudicio necesse est adsit & interueniat aliquis accusator, non hic quidem vt condemnet, sed vt iustificet. In hoc enim, vt diximus antè, inter humanum & diuinum iudicium discrimen est, quod accusatio & confessio, in tribunali humano, reum condemnat: in diuino è contrà, iustificat & absoluit. Sic Isaias dicit: Dic tu iniquitates tuas vt iustificeris. Psaltes. Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu Domine remisisti,&c.

Isa.43. Ps.31.

Verùm hinc satis notum est quis debeat esse talis accusator, idem planè qui reus est & peccator. In hoc enim tribunali peccator ipse est qui suiipsius accusator esse debet, testis, atque in aliquo Iudex, vt dicebat Psaltes: Feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me. Qui calumniatores nostri sunt, dæmones sunt, aduersus quos confessio nos iustificat. Sicut alibi pro omnibus dicit ille Psalmista: *Ne tradas bestijs*, id est, dæmonibus, *animas confitentes tibi*. Vnde etiam Ecclesiasticus dicit: Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Hæc enim in confessione confusio, est adducens gloriam, & gratiam,non peccatum.

Ps.73. Eccli.4.

Hæc est tertia conditio confessionis, veritas. S.Bern. in Cant. ait. Omne quod remordet conscientiam, confitere humiliter, purè,fideliter. Ecce conditiones & dispositiones quæ confessionem circumstare debent. Humiliter,sine iactantia facti, & accusatione proximi,vt multi faciunt,qui sæpius in confessione,aliena reuelant,aut historias narrant.Purè,sine vlla excusatione,vt multi adhuc faciunt,qui confitentes diuerticula quærunt & iustificationes. Et quidem grande hoc malū est,quod etiam auertere à se conabatur Psalmista dicens: *O Domine,ne declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Denique fideliter & syncerè, sine vlla negatione facti, ne magis adhuc reddantur abominabiles, in ore enim, vt in corde debet esse veritas. Effundite coram illo corda vestra,& dicite ei:Confitebor tibi Domine in toto corde meo. In accusatione mea fidelis ero, syncerus & verax.

Veritas in confessione. S.Bern. Ser. 16.in Cant.

A Origenes hom. 2,in Psalm.37.vtitur hac similitudine. Sicut ij, inquit, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut phlegma stomacho grauiter & molestè imminens,si vomuerint,releuantur: ita hi qui peccauerunt (si quidem occultant & retinent intra se peccatum) vrgentur intrinsecus, & propemodum suffocantur à phlegmate peccati. Si autem accusatores sui fiant,dum accusant se,simul delictum euomunt, & omnem morbi digerunt causam,& sic sanantur. Et Sanctus Chrysostomus in S. Matth. Sicut infirmus, ait, qui venit ad medicum, ex parte iam sanus est:sic peccator qui venit ad Sacerdotem, & pœnitentiæ quærit medicinam, ex parte iam iustus est; penitus autem, si

Orig. hom. 2.in Ps.37. S.Chrysost. hom.8.in 4. Matth.

B aperit vulnus confessione. Sicut similiter Isidorus ait quia confessio sanat, confessio iustificat, confessio peccatis veniam donat. Seneca, licet paganus, in hoc Christianorum Doctor & Magister esse potest, dum scribens ad Lucil. ait. Quantum potes teipsum coargue, inquire in te. Accusatoris primùm partibus fungere, deinde Iudicis, nouissimè deprecatoris.& alibi. Quare vitia sua nemo confitetur?Quia etiam nunc in illis est.Somnium narrare vigilantis est, & vitia sua confiteri sanitatis est indicium.

Isidor. Senec. epist. 28.ad Lucil. Itē epist.54.

C Quæso omnes audiant istud, & expergiscantur ad istius vocem philosophi, sicut dicit: Expergiscamur ergo vt errores nostros coarguere possimus. Ad hæc verba expergiscantur Christiani, & de infideli officium suum discant, suisque de tenebris ad hoc lumen exeant.Sed si pudeat nos audire infidelem; fideles audiamus & Apostolos, aliosque lumine fidei & gratia illuminatos. *Si confiteamur peccata nostra*, dicit S.Ioh. *Deus fidelis est & iustus, vt remittat nobis, & emundet nos ab omni iniquitate*; quia sic promisit apud S. Matth. dicens: Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in Cœlo. & apud S. Iohan. Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, re-

Matth.18. Ioh.20.

D mittuntur eis.Sic ad Rom.dicit Apost.Ore fit confessio ad salutem.& in Prouerb.Qui abscōdit scelera sua,non non dirigetur.Qui autē cōfessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.

Rom.10. Prouerb.28.

Quid namque est confessio sacramentalis? Iuxta S. Chrysostom. omnium delictorum abolitio. Iuxta Concil. Trident. Catechismum, est accusatio peccatorum eo suscepta, vt veniam virtute clauium impetremus. Minimè autem impetramus, nisi peccata penitus relinquamus, & cum proposito non peccandi amplius. Tunc enim cum veritate confitemur, cùm non est peccandi voluntas. Contra confessiones fictas & mendaces,prophetæ verba audiamus: *Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in secula.* Quasi dicat: modò Deo mentiuntur, & majestatem ipsius con-

Quid sit confessio. S.Chrysost. hom.20.in Gen. Catech.Concil.Trid. Ps.80.

E temptui & ludibrio habēt,sed erit tempus,cùm in æternum contemptus sui pœnas sustinebunt. Sic Deus ipse in eodē propheta: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Verùm iam iam instat illud tempus, sicut dicit: Iuxtà est dies perditionis, & adesse festinant tempora. Vnusquisque ergo syncerè conuertatur.

Ps.74.

Ecce pœnitentia vera apud Ecclesiast.descripta. Conuertere ad Dominum, & relinque peccata, precare, & minue offendicula, id est, occasiones. Hæc est virtus humilis & veræ confessionis, peccatorum remissio.Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiā meā Domino,& tu remisisti impietatem peccati mei. Exinde verò contemplare mala quæ ex confessionis defectu proueniunt & sequuntur.

Vera pœnitentia. Eccli.17.

Quoniam

Quoniam tacui, ait Dauid, inueterauerunt ossa mea, videlicet ad varia peccata, ita vt neque ea dimittere potuerim etiam in morte. O Domine, si iniquitates obseruaueris, quis sustinebit? Verùm non est quod desperemus, quia apud te Domine propitiatio est. Apud te est; vnde sis nobis propitius, si protinus nos ad te conuertere curemus. Peccatorem expectas, & statim conuersum excipis.

Propterea, ô homo, ne tardes conuerti ad Dominum, & de die in diem ne differas. Nescis enim quid paritura sit superuentura dies. In differendo, inquit S. Chrysost. est periculum & metus. Salus verò certa ac secura, si nulla sit dilatio. Ita S. Aug. Misericordia Domini magna, quando me conuertero. Ita est, væ à desperatione, sed etiam væ à peruersa spe. Noli dicere, cras me conuertam, cras Deo placebo; & sic omnia hodierna & hesterna peccata dimittentur mihi. Verùm Deus indulgentiam conuersioni tuæ promisit: sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit. Quare vos omnes exhortor ad promptam & sedulam confessionem, vt faciliùs, securiúsque misericordiam consequi valeatis.

S. Chrysost. hom. 22. in 2. Corin. S. August. in Psalm. 144.

B

DE EXAMINE CONscientiæ testis: aliisque circunstantiis pro cōfessione generali.

C

Diligentia.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, vt remittat. 1. Iohan. 1.

NVLLVM tribunal est, quod hominem reum iustificet, nisi tribunal Christi: hoc illi proprium & singulare est. Hinc est quod nos exhortatur Apostolus, vt adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ filij Dei, vt misericordiam consequamur. Quomodo consequimur? Confessione. Prouerb. 28. *Qui peccata confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Quare hoc? quia hoc tribunal, thronus est gratiæ. In omni autem tribunali & iudicio non est satis Iudicem esse, Reum, & Accusatorem: sed præterea adhuc requiruntur testes. Hoc etiam est quod nobis in tribunali nostro spirituali declarandum superest; conscientiam videlicet nostram esse testem. Sic S. Chrysost. dicit in Psalm. 50. Conscientia est codex in quo quotidiana peccata conscribuntur. Vnde S. Ber. in Cant. dicit, vt iam retulimus. Omne quod remordet conscientiam, confitere humiliter.

D

Conscientia nostra in cōfessione testis est. S. Chrysost. in Ps. 50. S. Bernar. in Cant.

Conscientia est veluti ille seruus Iob, qui è multis remanebat saluus, vt nunciaret ei damna omnia quæ acciderant ipsi. Sic enim salua conscientia manet, vt nobis damna annunciet quæ patimur pro peccatis. Omnium certè quæ in nobis fiunt illa est testis. Testem vocat Apostolus dicens: Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto. & alibi: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ, quod in simplicitate cordis, & in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo. Vnde dicit S. Ioh. *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

E

Rom. 9. 2. Cor. 1. 1. Ioh. 3.

Ecce itaque quomodo conscientia omnium quæ agimus coram Deo testis est. O quis in eius conspectu tutus esse poterit, testem etiam habens

A

conscientiam propriam? Si Sanctus Paulus dixit de se post tot certamina & coronas: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Quid dicemus nos? aut in quo iustificabimur, qui tot criminum participes & conscij sumus? Veritatem in Christo dicimus. Testis omnium est conscientia. Quare modò sicut in iudicio si sint testes, examinantur: ita etiam in tribunali & iudicio nostro conscientia examinanda est. Adeóque illa examinis circunstantia est necessaria, vt si defuerit, confessio nulla sit. Et hæc causa est cur tam frequenter de confessione generali vos admoneo; libentiúsque ad eam faciendam exhortor, ad correctionem scilicet vitæ, & præteritorum defectuum emendationem.

1. Cor. 4.

Necessarium examen.

Quale autem examen esse debeat, sciendum debere esse exactum & diligens. Hæc enim vltima circunstantia est confessioni necessaria, Diligentiá: quam vnusquisque ad examen conscientiæ afferre debet, eóque magis, quo propius etiam est pœnitentiæ tempus. Chrysost. hac ideo similitudine vtitur in Genesim, & ait. Quemadmodum naucleri & cursores vbi ad finem veniunt, magis enituntur & vigilant: eodem modo & nos facere oportet. Quia in magnam hanc hebdomadam peruenimus Dei gratia, nunc maximè & ieiunij cursus intendendus, magis continuandæ sunt preces, faciendaque est diligentiùs pura peccatorum confessio. (omnes illud audiant.) Diligentiam igitur adhibere necesse est. Ecce autem qualis esse debeat, si nimirum saltem adhibeamus curam tantam, quantam solemus adhibere in rationibus reddendis rerum nostrarum quæ sunt alicuius momenti. Et quæso considerent omnes, magni ponderis & momenti esse omnia negotia conscientiæ nostræ. Sedulò perpendant quid sit peccatum: quid sit offendere Deum: quid condemnari, aut absolui à pœnis æternis. Heu! res nostras temporales curamus, & negligimus æternas?

Diligētia adhibenda.

Similitudo. S. Chrysost. hom. 29. in Genes.

Qualis diligētia esse debeat in in cōscientia examine.

Modus autem seu ratio examinis talis esse potest. Primò, aliquot seligere horas & opportunum tempus in die, vt orationi vacemus, doloremque de peccatis nostris humiliter flagitemus. Secundò, habita ante oculos æternitate pœnarum, vel gloriæ, tunc repetamus animo, atque reuoluamus omnia peccata vitæ, de quibus est confitendum. Eiusmodi autem dirigendi examinis ratio, tota in recordatione est locorum & temporum vbi fuimus: personarum cum quibus conuersati sumus, & rerum de quibus tractauimus. Et præterea cogitationum, verborū, atque operū: sub his enim septē omnia comprehenduntur. Tertiò, vbi mortale dignoscitur, dicendum est quoties, secundum speciē, numerū, & circunstantias notabiles. Et si labilis memoria est, bonum est omnia in schedula scribere. Ecce ordo breuis ac modus, qui in hoc negotio conuenienter obseruari debet. Et quæso ne in re tam graui negligentes & culpabiles simus: & si fieri potest, etiam quotānis sic faciamus. Quisque rerum suarum quotannis statum & rationem habere, & scire desiderat & curat. Nos autem minimè curabimus statum generalem facere, & scire conscientiæ nostræ? & ad rem tanti ponderis pigri & negligentes erimus?

Modus qui in examine obseruari debet.

Generalis confessionis vtilitates sunt. Primò, per eam omnis defectus reparatur, qui tam ex parte pœnitentis quàm Confessarij aduenire potuit. Secundò, ex tali repetitione delictorum in nobis feruens excitatur charitas in Deum, dum eius bonitatem admiramur, qui tandiu nos sustinuit.

Vtilitates cōfessionis generalis.

Tertiò, inde etiam prouocamur magis ad meliùs ſemper viuendum, & curandum ne peccatorum numerus ſuperet multitudinem bonorum operum.

Frequens cōfeßio quantū vtilis.

Quare adhuc exinde noua exhortatione monemus, vt ſæpius in menſe, & ſemel ſaltem, ad hoc tribunal miſericordiæ accedatis. Non deficiet, ſed accreſcet vtilitas. Maximè verò illa erit, quod omnis vis tentationum atque diaboli diminuetur, frangetur, ac paulatim omnino recedet à vobis. Sicut enim Aranea diuitum cubicula vitat, quæ ſæpius purgantur: ſic diabolus animas fugit ſæpius confeſſione purgatas. Vnde etiam vtiliſſimum eſt veſpertinum examen quotidie facere. Talis debet eſſe mos laudabilis Chriſtianorum, talis vita, taliſque morum ipſorum vſus. Sic dies, ſic ſeptimana, ſic tempora noſtra fideli conſcientiæ examine terminari debent. Ita certè Sanctus Chryſoſtomus nos exhortatur dicens. Scrutemur quiſque conſcientiam ſuam. Rationem examinemus, quidnam in hac ſeptimana probè actum ſit. Quid in alia: & quale augmentum fecerimus ad ſequentem. (quid hodie?) Quas in nobis affectiones correxerimus. Aliter enim quid vſui nobis erit hoc ieiunium? Obſecro vos, vt vnuſquiſque operam det, vt illud vitium quod ſibi magis infeſtum ſentit, ex anima exſecet, & piis cogitationibus, quaſi gladio ſeipſum ab eo liberet. Dedit enim Deus rationem quæ poſſit, ſi velimus vel parum reſpicere, edomare omnia vitia noſtra. hæc ille.

Examē quotidianum.

S. Chryſoſt. hom 11. in Geneſ.

DE ACCESSV ANIMÆ ad IESVM Chriſtum: & communione ſacra Euchariſtiæ.

Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. 1. Cor. 11.

DE tribunali confeſſionis, & throno gratiæ IESV Chriſti, ad diuinam eius menſam acceſſum & introitum habemus. Luc. 14. Quidam homo fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Homo ille quidam Euangelij, Chriſtus eſt Deus-homo, ſingularis homo, quidam homo. Ipſe ante Paſſionem ſuam & mortem, nobis præparare voluit menſam ſuam aduerſus omnes qui tribulant nos, refectionem vltimam, & ideo cœnam; ſed magnam, quia cibus & panis qui in ea continetur, ipſe eſt, ſicut dicit: *Ego ſum panis viuus qui de Cœlo deſcendi. Caro mea verè eſt cibus. Qui manducat me, viuet propter me.* Vnde dicit Iohan. in ſua Apocal. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.

Luc. 14.

Ioh. 6.

Apoc. 19.

Et vocauit multos: quotquot videlicet intrare parati ſunt. Probet ſeipſum homo. Beatus enim ille qui manducabit panem in regno Dei, qui de numero diſcumbentium erit, atque implentium domum Domini. Probet itaque ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. Vt Sacramentum Euchariſtiæ præſtantius eſt cunctis: ita etiam cæteris maiorem præparationem requirit. Probet ſeipſum homo. Dignitas tanta eſt, vt minor non ſit quàm IESV Chriſti filij Dei, qui in eo ſumitur, Cœli ac terræ conditoris, totiuſque humani generis Reparatoris. Cætera gratiam conferunt: iſtud authorem gratiæ. Probet ſeipſum homo.

Dignitas Sacramenti Euchariſtiæ præ cæteris.

A

Præparatio prima. S. Anſel.

Hæc præparatio prima eſt, conſcientiæ examen. S. Anſelm. in hunc locum Apoſtol. Nemo præſumat accedere indignus, ſed homo probet ſeipſum, id eſt, diſcutiat, examinet, vitam ſuam conſideret, an dignè poſſit accedere, vel non. Tremendum Altare eſt. S. Hieronym. in Luc. Meritò, inquit, noſtræ reconciliationis cauſa hoc ſacrificium conſtitutum, & ſi ſacrificij præcepta contempſeris, ſacrificij remedium ſentire non poteris. Præceptum autem eiuſmodi eſt; Probet ſeipſum homo.

S. Hieron. in Luc.

Præparatio ſecunda. Figura. Leu. 22.

Vnde poſt debitum examen, ſecunda præparatio ſequitur, videlicet confeſſio, & veræ pœnitentiæ fructus.

B

Figura eſt in Leuitico, vbi dicitur: Leproſus non veſcetur de his quæ ſanctificata ſunt mihi, donec ſanetur. Item: Cùm lauerit carnem ſuam aqua, & occubuerit Sol, tunc mundatus veſcetur ſanctificatis, quia cibus illius eſt. (intelligant omnes quid figuræ iſtæ ſignificent.) Manna noſtrum cœleſte, mandatorum cibus eſt. Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. Sic rurſus in Leuitico: Anima polluta quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, peribit de populo. Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. Qui enim manducat indignè,

Leuit. 7.

C

iudicium ſibi manducat.

Indignè manducat, ait Sanctus Anſelmus citato loco, qui vel aliquod graue peccatum, vel multa leuia commiſit, & non confitetur priuſquàm accedat. Probet ſeipſum homo. Similiter ibi S. Gregor. Quid eſt hoc loco ſe probare, niſi euacuata peccatorum nequitia, ſe probatum ad Dominicam menſam & purum exhibere? Quare & Concilium Trident. conſtituit, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat, iuxta illa verba; *Probet ſeipſum homo.*

S. Gregor.

Cōcil. Trid. ſeſſ. 13.

Ecce duæ præparationes quæ præcedere de-

D

bent, conſcientiæ diligens examen, & confeſſio. Aliæ tres ſequuntur comitantes. Prima eſt fides, qua, ex eodem Apoſt. diiudicet homo corpus Domini. Fidem autem faciunt hæc verba Domini dicentis; *Accipite, hoc eſt corpus meum: hoc facite in meam commemorationem.* Vnde Sanctus Bernardus dicit. Credere inueniſſe eſt. & alibi in epiſt. Sacramentum Dei altiſſimi ſuſcipiendum eſt, non diſcutiendum; venerandum, non diiudicandum (ratione.)

Tres præparationes & diſpoſitiones comitantes receptionē Euchariſtiæ. 1. Fides.

S. Bernard. Serm. 76. itē in epiſt.

Miſſos hic hæreticos facimus, quibus tantùm hoc dicimus cum S. Ambr. Si tantùm valuit ſermo Eliæ, vt ignem de Cœlo deponeret, non valebit ſermo Chriſti, vt ſpecies elementorum mutetur?

S. Ambr. lib. 3. de ſacr.

E

De totius operibus mūdi legiſti, quia ipſe dixit, & facta ſunt. Nō minus eſt nouas rebus dare formas, quàm mutare naturas. (Si format dicēdo, mutat & dicēdo.) Credere inueniſſe, inuenire perfrui eſt. S. Chryſ. lib. de Sacerd. & in 1. ad Cor. Dū in hac vita, inquit, ſumus, vt terra ſit nobis Cœlum, facit hoc myſteriū. Aſcēde igitur ad Cœli portas, ad Altaria. In regiis nō tectum aureū, aut parietes, ſed regium corpus in throno ſedens, omnium præſtantiſſimū eſt. Et hoc quod in cœlis, nunc in terra tibi videndum proponitur. Neque enim Angelos, ſed ipſorū Dominum tibi oſtendo. Et alibi, videlicet in Epiſt. ad Eph. Quotquot corpori Chriſti communicamus, cogitemus quod illius corpus & ſanguinem guſtamus, qui in cœlis ſedet, adoratur ab Angelis, & proximè aſſiſtit immortali Dei potentiæ.

S. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerd. & hom. 24. in 1. ad Corinth. itē in Ep. ad Epheſ.

Secunda

Humilitas ſecunda præparatio comitans. S. Aug. in Pſ. 32.

Secunda exinde præparatio ſequitur, nempe, A humilitas, proueniens ſimul & ex altitudine & humilitate Chriſti in hoc myſterio. Nam vt S. Aug. dicit, niſi eſſet humilis, non manducaretur. Reſpice altitudinem ipſius: *In principio erat verbum.* Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Ecce ſempiternus cibus quem manducant ſupernæ virtutes. Quis autem homo poſſet ad illum cibum pertingere? Vide iam humilitatem: *verbum caro factum eſt*; & quia caro factum, panem Angelorum manducauit homo. Ad Deum igitur ſic pro nobis humilem factum, humiles nos accedere oportet, B & dicere cum Centurione: Domine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum. Si enim cœli cœlorum te capere non poſſunt; quomodo ego comprehendere te potero? Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.

Tertia diſpoſitio, fames. S. Chryſoſt. hom. 83.

Verùm eſt & tertia diſpoſitio, quæ aliarum debet eſſe comes, videlicet eſuries ſacra, feruenſque ſumendi deſiderium. Sic enim Virgo adiunxit in ſuo Cant. Eſurientes impleuit bonis. Et S. Chryſoſtom. Nemo nauſeans accedat, nemo remiſſus. Omnes incenſi ac feruentes. Non videtis quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt? Non minori nos cupiditate ad hanc menſam accedamus: imò maiori deſiderio, quaſi lactentes pueri gratiam Chriſti ſugamus. Vnus ſit nobis dolor, vna moleſtia, hac eſca priuari.

Illa autem eſuries eſſe debet cum faſtidio & contemptu rerum omnium aliarum. Sic enim poſtquam dixit Virgo, quia eſurientes impleuit bonis, protinus addidit; & diuites dimiſit inanes, videlicet eos qui huius ſæculi felicitate referti ſunt. Hi ſunt quos aſpernatur & reiicit Dominus, Quos verò ad menſam ſuam vocat, ſunt pauperes, & eſurientes Dominum, quique huius mundi illecebras contemptu ditiſſimo reſpuerunt, hi ſunt quos implet Dominus bonis ſuis, vnde etiam Dauid ait: *Edent pauperes, & ſaturabuntur, laudabunt Dominum qui requirunt eum: viuent corda eorum in ſæculum ſæculi.*

Caſſiodor.

O quàm diſſimilia vota ſortiti ſunt diuites & pauperes! Pauperes poſſident quod numquam perdent. Diuites tenent quod non ſolùm mortui, ſed etiam viui frequenter amittunt. Iſti ſine corde ſunt: illorum autem viuent corda in ſæculum ſæculi. Illud namque veraciter viuere dicimus, quod in diuinitatis gratia perſeuerat. Beati ergo qui hac cœleſti fame tenentur, quia ſunt in cœlo & in terra ſaturabuntur, & viuent corda eorum in ſæculum ſæculi.

Triplex fructus qui percipitur ex pane Euchariſtiæ. Ioh. 6.

Illa verò eſuries oriri debet ex triplici fructu qui ex illo diuino pane percipitur. Primus eſt, quod vitam æternam præbeat. Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Secundus eſt, quod vim habeat reſurrectionis. Qui manducat meam C carnem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Tertius eſt, quod eius beneficio Chriſtus in nobis ſit, & nos in illo. Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in illo. O ſingularem communicationem! Vbi S. Aug. dicit. Manemus in illo, cùm ſumus membra eius. Manet autem in nobis, cùm ſumus Templum eius. Suſcipiamus, Deus, miſericordiam tuam in medio Tẽpli tui. Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, in quo eſt ſalus, reſurrectio, & vita.

S. Aug. in Ioh.

Ad maiorem Dei gloriam, Iesv Chriſti Domini noſtri, & Deiparæ Mariæ Virginis.

ELENCHVS CONVERSATIONIS DIVINÆ IESV CHRISTI IN TERRA.

Iuxta Euangelia Dominicalia totius anni.

Poſt Natiuitatem.
Poſt Epiphaniam.
Poſt Paſcha.
Poſt Pentecoſten.



ELENCHVS CONVERSATIONIS DIVINÆ IESV CHRISTI IN TERRA.

IVXTA EVANGELIA DOMINICALIA totius anni.

POST NATIVITATEM.

De manifestatione sapientiæ, & gratiarum Christi cum ætate.

In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Baruch 3.
Puer IESVS *crescebat, & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat cum illo.* Luc. 2.

ADMIRATI sumus vnigenitum Dei esse filium virginis, Verbum æternum in tempore natum, Christum simul esse hominem & Deũ. Nunc alia oritur admirandi ratio, audire hodie ex Euangelio, eundem coæternum patri ac immensum crescere. Nihil est quod hic admirabile non sit. *Puer* IESVS *crescebat.* Non minus videbantur necessaria testimonia quæ ipsum hominem esse declarabant, quàm quæ Deum probabant. Diuinitatis signa iam innotuerant, adsunt humanitatis. *Puer* IESVS *crescebat.* Propterea dicit Paul. Heb. 2. quod debuit per omnia fratribus assimilari. Sed interim in vno mirum est, signa vnius absque testimoniis non apparere alterius. Angeli natum cecinere Deum; pastores natum agnouere Deum: hodie in Euangelio Simeon de illo puero mira Mariæ dicit, & similiter Anna prophetissa filia Phanuel superueniens loquitur de illo omnibus: & cùm Euangelista dicit quod puer est sapiẽtia & gratia plenus; *Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia,* hoc additur vt simul cum humanitate innotescat diuinitas. Hic certè omnia admiratione plena sunt. Domine Dominus noster, aiebat Psaltes, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Ita Origenes. Congregemus in vnum ea quæ in ortu IESV dicta scriptaque sunt de eo, & tunc scire poterimus singula esse miracula, vnde licet B. Virgo & Ioseph istum infantem Deum esse bene cognouerint, dicitur tamen quod erant mirantes super his quæ dicebantur de illo. Antea dictum est quod conseruabat Maria omnia verba quæ de filio dicebantur, conferens ea in corde suo: nunc autem quod cum Ioseph admirans erat super his quæ dicebantur de illo. Quid sibi volunt ista? Aduertamus.

Necessaria signa humanitatis Christi.

A

Ex obseruatione & collatione dictorum amplior oritur notitia, ex illa autem admiratio. Quæ præsertim accidit in diuinis propter suam excellentiam: quanto enim magis, seu amplius percipiuntur, tanto etiam magis mentem admiratione suspendunt, quia noua semper panduntur. Vnde Isa. dicit: Admirabitur, & dilatabitur cor tuum. Isa. 6. Etenim cùm cor dilatatur in cognoscendo, adhuc magis admiratur, & admirando inuestigat profundiùs: vnde postea oritur reuerentia singularis effectus admirationis, & præsertim in diuinis quæ imbecillitatẽ nostram excedũt. Quare si Esther, ex eo quod Regem viderat in sua Majestate & gloria, dixerit ei: Conturbatum est cor meum præ timore gloriæ; valde enim admirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum. Quomodo non fuit magis virgo reuerentia & admiratione plena super his quæ dicebantur de filio, cognitioneque profunda quam habebat de Majestate & gloria eius, in infirmitate & pueritia ipsius? Certè multo maior admirationis ratio ei erat vt diceret cum Esther: Valde admirabilis es tu Domine IESV; facies tua fili mi IESV plena est gratiarum, cùm de eo tot & tanta audiret, ab Angelo in annuncia-

Vnde oritur in Virgine admiratio de filio.

B

Esther. 5.

C

8.

Origenes.

tione

A tione mysterij, ab Elisabeth cognata sua in gaudio & exultatione salutationis suæ, quippe cùm ab ea hæc audiuit; Vnde hoc mihi vt mater Domini, &c. Denique cùm (filio nato) statim audiuit exultationem & canticum Angelorum, dicentium: Gloria in Excelsis Deo. Pastorum vidit aduentum & Regum, ipsorumque considerauit reuerentiam & munera. Quid dicam? cùm adhuc hodie ex Euangelio, Simeonis elogia & Annæ viduæ, & prophetissæ audiuit & mirata est. Admirabatur certè virgo, & quæ audiebat, & quæ videbat, quia continuò videbat in eo diuinitatis opera & signa. Vnde admiratio eius, non quidem ex ignorantia causæ, sed ex ampliori notitia. Et fortè adhuc admirabatur cù sponso, quod ampliora non dicebantur de illo. B Etenim puer IESVS crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat cum illo.

Vtrùm profecerit Christus sapientia, sicut ætate.

Hic quæremus, vtrùm proficiebat Christus sapientia & gratia, sicut ætate: neque enim id videtur esse, cùm statim subiungatur complementum animæ eius, vbi dicitur plenus sapientia. Vt omnes quidem creuisse intelligant secundum corpus, non autem secundũ animam. Secundum quidẽ corpus, quia puer natus est, & creuit per tempora: secundum autem animam non puer natus est, sed homo perfectus, & Deus-homo sciens omnia.

1. Opinio, profecisse sapientia experimentali. Duplex scientia in Christo.

Verùm quomodo possit dici creuisse sapientia & gratia apud Deum & homines, exponamus. C Alij dicunt profecisse scientia non secundum essentiam & habitum scientiæ; sed secundùm experientiam, vt quando quod scimus, experimur. Communia & facilia sunt exempla. Quod vt intelligatur clariùs, sciendum est in Christo duplicem esse scientiam; vnam infusam à principio: aliam humanam, & naturali lumine ipsius intellectus agentis comparatam. Cùm enim in Christo nihil eorum quæ hominis sunt, defuerit: ita etiam in eo, seu in eius anima intellectus fuit capax quidem intelligendi per se, & per consequens acquirendi scientiam; vnde dicit Paul. ad Heb. (Heb. 5.) Cùm esset filius Dei, id est, intelligens & sciens omnia, didicit ex his quæ passus est, obedientiam. Glossa dicit, expertus est. Ecce in eo experimentalis scientia, in D qua creuisse & profecisse dicitur, nõ autẽ in infusa.

S. Tho. 3. p. q. 12. ar. 2.

S. Thomas aliter id explicat, duplicem profectum scientiæ in aliquo considerans; vnum secundum habitum eius & essentiam, vt quando de facto augetur habitus, maiórque ac amplior fit cognitio & scientia: alterum secundum effectus scientiæ, vt quando aliquis minora, deinde maiora sapientiæ opera demonstrat. Hoc secundo modo puer IESVS, sicut ætate, ita & sapientia crescebat apud Deum & homines, in quantum quotidie noua hominibus apparebant sapientiæ eius testimonia, vnde multoties nobis dedisse dicitur perfectionis exempla. Primo autem modo non cre-

Non profecit Christus sapientia diuina & infusa.

E scebat, imò à primo conceptionis die, ita plenus fuit sapientia & gratia, sicut in trigesimo tertio anno; cùm in eo, vt dicit Apostolus, habitauerit corporaliter, id est, realiter, omnis plenitudo diuinitatis, & per consequens perfecta omnium rerum cognitio, etiam Angelorum omnium scientiam excedens: in quantum lumen inditum animæ Christi à Deo, Angelorum lumen, etiam Cherubim, quasi infinitè superat propter verbi vnionem, cui propinquiùs coniungitur, in quo omnia nouit quæ sunt, fuerunt & erunt, & quæcunque sunt in creaturæ potentia. Indeque est quod Apostolus (Ephes. 1.) dicit, scilicet quod constituit Deus IESVM Christum in cœlestibus super omnem principa-

A tum, &c. Et in Apocal. (Apoc. 5.) quod ille solus est dignus Agnus, qui occisus est, accipere diuinitatem & sapientiam, id est, vt ait glossa, cognitionẽ omnium.

Itẽ non creuit Christus gratia.

Hic igitur est modus quo dicitur Christus non creuisse sapientia, sicut etiam nec gratia, quia cum illo gratia erat secundum omnem plenitudinem, tam gratiæ habitualis qua sumus Deo grati, quàm gratiæ gratis datæ in gratiam proximi. Sicut enim in capite omnes sensus sedem habent: sic in Christo omnes sunt gratiæ, vt ex eo in nos emanent.

Tripliciter fuit plenitudo gratiæ in Christo.

Et certè triplici de causa in eo fuit plenitudo gratiæ habitualis, seu gratiæ totalitas. Primò, ex propinquitate animæ eius ad causam, seu propter vnionem animæ ipsius ad verbum Dei. Quanto enim ei B erat propinquior, tanto etiam magis eius influxum participabat. Secundò propter nobilitatem eiusdem animæ diuinæ, quæ propinquissimè debebat per cognitionem & amorem ad Deum attingere. Tertiò, propter habitudinem & relationem ipsius Christi ad nos.

Christus gratiam accepit vt mediator Dei & hominum.

Quia vt homo, mediator est Dei & hominum, & sic eum habere gratiam oportuit, quæ redundaret in nos: sic enim recepit, vt postea reciperemus de plenitudine eius. Vnde ei tanquam vniuersali principio in genere habentium gratiam collata est, adeò vt sicut ignis qui est causa caloris in omnibus calidis, est maximè calidus: ita Christus qui est causa & principium omnis gratiæ in aliis, sit maximè gratia plenus. Hæc comparatio C est Sancti Thom. (S. Tho. 3. p. q. 7.)

Item accepit vt caput Ecclesiæ.

Præterquàm quod adhuc gratiam accepit vt caput Ecclesiæ, & triumphantis & militantis, Angelorum scilicet & hominum, sicut Paulus ait: (Ephes. 1.) Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. Item ad Coloss. (Coloss. 2.) Vos estis in illo repleti qui est caput omnis principatus & potestatis. Et ad Timoth. (1. Tim. 4.) Qui est Saluator omnium hominum, maximè fidelium. Ita vt Iohannes dixerit, Vidimus eum plenum gratiæ, & de plenitudine eius omnes accepimus. Sic enim dicit Apost. (Ephes. 4.) quod vnicuique nostrûm data est gratia secundum mensuram donationis Christi;

Omnes gratiæ gratis datæ in Christo fuêre.

vnde ei soli tota plenitudo conuenit, & etiam omnium gratiarum gratis datarum plenitudo, atque totalitas gratuitorum donorum D Spiritussancti, in quibus minimè vnquam creuit Christus Dominus, vt ille super quem requieuit Spiritussanctus, vt dicitur apud Isaiam (Isa. 11.): *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini*, &c. Sicut in Euangelio rursus ex eodem Propheta sic refertur (Matth. 12. Isa. 42.) loquente de Christo in persona patris: *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo mihi bene complacui, ponam super eum Spiritum meum, & in nomine eius sperabunt gentes.* Sperabunt quidem, quia omnibus fons est gratiæ & veritatis. Sine illo non est salus, cui etiam conueniebat soli lumen gratiæ & veritatis prædicare, & conferre his qui in tenebris & vmbra mortis sedent.

E

POST EPIPHANIAM.

DE INVENTIONE Domini IESV in Templo.

Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Luc. 2.

NESCIO cur toties in Euangelio S. Lucæ mẽtio fit ætatis Domini nostri IESV Christi. Non

Quinquies status Christi differentia. Non vtique sine mysterio: nam apud ipsum quinquies ponuntur illius annorum differentiæ. Primùm legitur fuisse vnius diei. Sic in natiuitate Angelus pastoribus ait: *Natus est vobis hodie Saluator.* *Luc. 2.* Item octo dierum, in circumcisione: *postquam consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer.* Deinde quadraginta dierum, in purificatione matris, & ipsius præsentatione in Templo. Hodie duodecim annorum, cùm Ierosolymam ascendit secundum consuetudinem festi. Denique quasi triginta annorum, cùm in Iordane baptizatus est à Iohanne. *Luc. 3.*

Quidnam verò sibi vult illa annorum eius obseruatio & differetia, cùm à Propheta dicatur, quoniam mille anni ante oculos eius tanquam dies hesterna quæ præterit? Attendite quæso mysterium, de quo sic loquitur Iohan. In principio erat verbum, & verbum caro factum est. *Ioh. 1.* Qui ante tempora Deus erat, in plenitudine temporum homo factus est: & quem vidimus plenum gratiæ, veritatis & dierum, proficiebat, vt narrat Euangelista noster, sapientia, & ætate apud Deum & homines. Sapientia proficiebat & gratia, non quidem in se, ab instanti enim conceptionis impleuit eum Dominus Spiritu sapientiæ & intellectus: sed apud Deum in laudem, sicut apud homines in admirationem.

Hodie omnes stupebant qui audiebant, & ad Mariam & Ioseph dixit admirantes cum aliis: *Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt,* &c. Proficiebat autem ætate, & quoad se, & quoad nos: quia ab infantia ad pueritiam creuit, sicut hodie dicitur quod cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus parentibus eius Ierosolymam cum illo, secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cùm redirent, remansit puer IESVS in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Puer remansit, vt negotiaretur ibi quæ sui patris erant.

Verùm antequam vlteriùs progrediamur, nonnihil dicendum est de tristitia virginis filium suum requirentis. *Et non inuenientes regressi sunt in Hierusalem requirentes eum.* *S. Bern. Ser. de hac inuent.* S. Bern. hoc mysterium absentiæ considerans, sic B. Virginem alloquitur. Domina mea, pace tua dicam: dulcissimum filium tuum cur tam facile amisisti? tam incuriosè custodisti? tam serò quod deerat, animaduertisti? O quis satis attendere valet, quot suspiria, quot lamenta, quot lacrymas pertulerit? nesciebat quid agere deberet, aut quò ire, quia thesaurum mundi sibi à Deo patre commissum perdiderat, & margaritam Euangelij, pro cuius recuperatione notos adit, circuit domum, vt sponsa, & ait: *Cant. 3.* Num quem diligit anima mea vidistis? Quæsiui eum, & non inueni. Surgam ergo, & circuibo Ciuitatem per vicos & plateas Hierusalem, & dicam filiabus Sion: Num quem diligit anima mea vidistis? Certè optimè poterat illud Ruben ad fratres suos dicere: *Gen. 37.* Puer non comparet, & ego quò ibo? Loquere iam fili mi, reuertere dilecte, Deus abscondite, & faciem tuam mihi ostende. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Speciosus es forma præ filiis hominum, diffusaque est gratia in labiis tuis. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, Pater tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Sed cur adhuc, ô virgo, sic filium tuum & Dominum quæris, quem Deum esse minimè ignoras? Certè iam primò hic experiri cœpit, qualis esset iste dolor, de quo Simeon prædixerat illi. Ille dolor ex separatione amara filij sui in Cruce morientis. Ille dolor, de quo talis prædictio fuit; *Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Ideo ergo ex præsenti separatione, tali afficiebatur dolore. *Vnde dolor Virginis ex separatione & absentia filij.* Et quidem adhuc meritò & cum causa, quia tunc videbat se priuatam illa directionis gratia quam in illum habebat, vt dicitur, quia subditus erat illis. Hanc rationem qui potest capere, capiat.

Item, quia tunc docere nos cœpit, quantus dolor animæ sit, & debeat esse IESVM per peccatum amittere, cùm illa, absque vlla culpa, imò per mysterij dispensationem perdens ipsum, sic postea dolens quæsierit, sicut postea dixit ad eum: Dolentes quærebamus te. Fili quid fecisti nobis sic? Vtique dolentes, quia omne gaudium perdiderant, gaudium illud magnum, de quo antè pastoribus dixerat Angelus: Ecce annuncio vobis gaudium magnum, natum Saluatorem; inuenietis infantem inuolutum pannis. Ecce gaudium quidem Pastoribus euangelizatum ab Angelis, IESVM inuenire & puerum. Quare etiam causa hodie doloris Mariæ est, amisisse, & non inuenire eum. Vnde meritò dicit ad eum: Dolentes quærebamus te.

Item, vt nobis ostenderet, nobis, inquam, qui per culpam amittimus, quanto cum dolore sit quærendus. Hoc siquidem totum mysterio plenum est, vbi adhuc multa alia exempla & documenta salutis & vitæ nobis offert, quando, quomodo, & vbi sit quærendus. *Quomodo Christus est quærendus.* Quando; dum tempus habemus, dum propè est, & inueniri potest, & tempus est in quo nunc sumus. Vnde S. Gregorius dicit in Moral. *S. Greg. lib. 18. Moral. c. 20.* Clamorem eius, angustiæ tempore non audit Dominus, qui tranquillitatis tempore, in præceptis suis clamantem Dominum non audiuit. Ecce nunc tempus acceptabile, & dies salutis, dicit Apostolus.

Quomodo; diligenter, vt hodie nobis exemplum dedit Virgo. *Quomodo quærendus. 3. Reg. 19.* Ratio autem diligentiæ est, quia pauperes sumus, & præterea breui morituri. Elias pauper & moribundus sub iuniperi vmbra statim ab Angelo subcinericio pane confortatus est, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb. Ita & nos, ne in via deficiamus & moriamur, promptè illo pane, qui est Christus, sustentari debemus, qui de Cœlo descendit, & ait: Ego sum panis vitæ. Si dimisero eos ieiunos, deficient in via. & rursus: Ego sum via, veritas & vita. Qui hac certè vita caret, appropinquat morti. Vnde dicitur in Paral. *Si quis non quæsierit Dominum Deum Israël, morte moriatur.* *2. Paral. c. 15. Ps. 8.* Quare etiam Psalmista dixit: *Quærite Dominum, & viuet anima vestra.* Nihil dignius ad quærendum, ait S. Bern. nihil dulcius ad inueniendum, nihil vtilius ad habendum, quàm est Dominus IESVS, cum quo pariter omnia mihi bona venerunt.

Vbi autem sit quærendus; non vtique inter cognatos & notos, non iam amplius inter Iudæos cognatos sanguine & carne, inter quos olim notus erat, sicut Psaltes ait: *Vbi Christus nō quærēdus, & vbi quærendus.* Notus in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius. Sed modò inter Christianos fide & adoptione cognatos, sicut Iohannes dicit: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, & ex Deo nati sunt. Verbum enim ideo factum est, & habitauit in nobis: vnde & vidimus eum quasi vnigenitum à patre, plenum gratiæ & veritatis. Ecce cognatio spiritualis quæ nunc est inter filium Dei & hominis, ipsiúsque notitiæ indicium.

A Item non inuenitur inter cognatos, parentes & amicos, qui sunt de hoc mundo. Quia caro & sanguis, vt olim ipse dixit Petro, non reuelabit nobis: imò ab eo nos auertent, si possint; inimici enim nostri, domestici nostri sunt. Vnde S. Hieronymus scribit ad Heliodorum. Licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad Crucis vexillum euola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Item non inter cognatos, quia qui carni deseruiunt, Christum non inuenient spiritu. Caro enim & sanguis regnum Dei non possidebunt. Sic ait Iob, quia non inuenitur in terra suauiter viuentium. Sic sponsa dicit: Quæsiui in lectulo meo per noctem, & non inueni. Etiam neque inter notos, id est, qui de notitia rerum extolluntur, vt sunt Gentiles, mundani, & philosophi. Vnde gratias agens ipse Deo patri, olim dicebat: Ita pater, confiteor tibi Domine Rex cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus. Item nec inter eos qui Dei notitiam habent sine operibus bonis. Familiare exemplum est in Matth. fatuarum virginum dicentium absque oleo charitatis: Domine, Domine aperi nobis, quibus ianua clausa est. Sicque apud Luc. Dominus dicit: Incipietis dicere patrifamilias; Manducauimus & bibimus coram te, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: Nescio vos, vnde sitis nescio, discedite à me operarij iniquitatis. Sic denique Matth. 7. dicit; *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit*, &c.

S. Hier. ep. ad Heliod.

Iob. 28.

Cant. 3.

B

Matth. 11.

Matth. 25.

Luc. 13.

Matth. 7.

C

Vbi iã Christus quærendus.

Iam autem quæretis, vbi quærendus sit. Et respondeo, in cordibus vestris, si ad extrà quærere & egredi non vultis. Non enim abest ab vnoquoque nostrûm, in quo viuimus, mouemur & sumus. Si verò foras exire vultis, vt quæratis, in Templo & in medio Doctorum quærite: *Dominus enim in Templo suo*, ait Psaltes: sicque hodie Maria inuenit. Sic de illo prædictum in Ecclesiastico erat: *In medio magnatorum consedere illum faciet sapientia.* Vt iam intelligatur ipsum inueniri, non vbi agitur de rebus humanis, sed diuinis, atque inter eos in quibus est cura diuinorum. In medio Doctorum inuenitur, & in Templo, vt fons sapientiæ æternæ: Medius itaque, & sapiẽtiæ fons in Templo inter Doctores sedet, vt de eo impleatur, etiam adhuc puero, quod ait Psalmista: Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi, quia mandata tua exquisiui. Erat enim ipse docens eos mysteria patris, eísque explicans legem & Prophetas, omniáque quæ de ipso erant in eis. Vnde illi optimè potest attribui quod Iob dicit: Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram. Proptereáque respondit matri, quia in his erat quæ erant patris. Sic olim & suis apud Iohannem dicebat: Oportet me operari opera eius qui misit me patris. *Nesciebatis* ergo, ait hodie matri, *quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?*

Eccl. 11.

D

Ps. 118.

Iob 35.

Ioh 9.

E

In qua quidem responsione, & verbis, innotescit nobis causa separationis eius ab illa: vt nempe faceret opera patris. In quo simul nos docuit, nihil ad nos pertinere de parentibus, nullúmque in nos ius habere, vbi agitur de gloria Dei, & adimplenda voluntate eius. Neque illud ex me dico, sed didici à Christo, à quo similiter didicerat S. Hieronymus, ad Heliodorum scribens, vt iam notauimus. Licet paruulus ex collo pendeat nepos; licet sparso crine, ait, & scissis vestibus, vbera, quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater iaceat (vt egressum prohibeat) per calcatum perge patrem. In hac re esse crudelem, solum pietatis genus est.

Parentes relinquẽdi, vbi agitur de gloria Dei.

O vos omnes qui cœlestis doctrinæ professionem vultis suscipere, & Christum sequi, nolite, in hac re, retrahentibus parentibus obedire; nolite ad eorum authoritatẽ spectare, sed dicite illis: Nescitis quia in his quæ Dei sunt oportet me esse? Christum sequimini, & nolite post tergum respicere. In Deuteronom. laudatur tribus Leui, quod dixerit patri suo, & matri suæ, nescio vos: & fratribus, ignoro vos; & nescierunt filios suos. Hi custodierunt, ô Iacob, ô Israël, iudicia tua, legem tuam.

Deut. 33

Hac igitur nos ratione Christum sequamur, & si eum perdidimus, nunc requiramus eum cum Maria matre eius, vt tandem cum ipsa inueniamus eum. Dulcem eius planctum hodie audiamus: Fili quid fecisti nobis sic? Quare me innocuam sic tua priuasti dulci præsentia? Tam dulcis es, tam speciosus, tam suauis, vt tua breuis præsentia, maxima mihi fuerit doloris materia. Vbi eras ô dulcis puer? vbi iacebas? quo vtebaris hospitio? quo fruebaris consortio? vtrùm in Cœlo, an in terra? An in domo aliqua morabaris, vel certè cum aliquibus tuæ ætatis puerulis? Sic enim dixit aliquando: Sinite paruulos ad me venire. Sed Domine quid ad illa omnia verba matris tuæ respondebis? *Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Sed quis interim dabit nobis sic inuenire & alloqui Christum, adinstar Virginis? Aut potiùs quis dabit me, bone IESV, tuis inhærere vestigiis, & sic currere post te, vt quandoque apprehendam te? Cum Mariâ itaque & Ioseph nunc ipsum quæramus, & cùm inuenerimus, non amplius vnquam dimittamus.

Maria interpretatur illuminata: & Ioseph augmentum; vbi duo hominum genera designantur à quibus quæritur Dominus, videlicet à Contemplatiuis, qui diuinas respiciunt, recipiúntque illuminationes: & ab Actiuis, qui bonorum operum multitudinem & augmentum procurant. De his & illis loquutus est Psalmista dicens: *Lætetur cor quærentium Dominum.* Ecce quantum ad Contemplatiuos, qui sunt in continua lætitia cordis. Et post: *Quærite Dominum, & confirmamini.* Ecce quantum ad Actiuos, qui quandoque multum indigent confirmari, & gratiæ recipere augmentum. Ipsum adhuc fide & augmento charitatis quæramus, ex toto corde, vt eum solum cogitemus, & ex tota voluntate, vt eum solum velimus. Sic Sap. 1. In simplicitate cordis quærite illum. Et 2. Paralip. 15. In omni corde suo, & in omni voluntate sua, omnes qui erant in Iuda quæsierunt Dominum, & inuenerunt, præstitítque eis Dominus requiem per circuitum.

Per Mariam & Ioseph duo genera hominum quærentium Dominum designantur.

Ps. 85.

Sap. 1.

2. Paral. 15.

Item cum festinatione & perseuerantia quæramus. Ita enim dicit Propheta: Quærite faciem eius semper; cum dolore de peccatis, quia iustus est & mansuetus. Ideo enim dicit Sophonias: *Quærite Deum, quærite iustum, quærite mansuetum.* Sed quærite iterum, quia, vt alius dicit Propheta, bonus est Dominus animæ quærenti illum; sed quia adhuc vita est quærenti, dicente Psalmista:

Ps. 104.

Sophon. 2.

Nahum 1.

Quærite Dominum, & viuet anima vestra.
Quæ vita? vtique æterna & beata, ad quam nos Deus perducat.

Ps. 68.

DE

DE TRIPLICI VNIONE, & connubio Dei cum homine.

Vocatus est autem IESVS, *& discipuli eius ad nuptias.* Iohan. 2.

QVAM magna consolatio est quod neminem Christus spernat, & paratum offerat se inuitantibus! O quàm gratum est mihi istud verbum Prouerb. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum!* Ecce quidem vnde ipse dixit olim: Omnem qui venit ad me, non eiiciam foras. Vnde omnes inuitauit dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Ideo ait: Ego sto ad ostium, & pulso. Si quis aperuerit, intrabo, & cœnabo cum illo. Recordor equidem hodie huiusce tátę dignationis & misericordię diuinę, cùm vocatus Christus ad nuptias in Cana Galilææ, illas benedictione sua & præsentia amplificat. Legimus Abrahamum, eo quod Angelos inuitasset ad manendum, & excepisset eos hospitio, abunde fuisse remuneratum. Quod similiter de Loth eius fratre legimus. Item Dauidem, eo quod Arcam Domini in domum suam asportarat, omni benedictione postea fuisse repletum: & Zachæum pariter, statura pusillum, eo quod Christum, quem ex multo tempore videre cupiebat, cum gaudio exceperat in domo sua, statim per ipsum salutem esse consequutum, & audisse quod filius esset Abrahæ.

Prouerb. 8. Ioh. 6. Matth. 11. Apoc. 3. Gen. 18. Gen. 19. 1. Reg. 6. Luc. 19.

Sic igitur hodie Euangelij recitata lectio est, sponsum nuptiarum in Cana Galilææ eo quod vocauerat Christum, non fuisse sua mercede frustratum. Num legistis vnquam, aut audistis, quod aliquando dixerit Dominus: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet?* Istud olim verificatum est in illis duabus fœminis veteris Testamenti, Sunamitide & Sarephtana, prophetas Dei excipientibus: hodieque fœliciùs in eo qui Christum ad nuptias, in Cana Galilææ, vocauit, & in nomine Christi recepit: nam mercedem eius accepit, & initium signorum quæ fecit IESVS ad manifestandam gloriam suam hominibus. Sed vbinam? in nuptiis Cana Galilææ. Hoc non caret mysterio. Si quidem quia venerat ad nos tanquam sponsus procedens de thalamo suo, tali ac primo signo gloriæ, nuptias voluit honorare.

Matth. 10.

Hic autem se offert occasio dicendi aliquid de triplici connubio, seu vnione Dei cum hominibus, videlicet Incarnationis dispensatione & modo, gratiæ item & gloriæ in Cœlo; postquam tamen aliquid antè de matrimonio sacramentali dixerimus. Dignatur enim hodie Dominus venire ad nuptias, vt illas, sicut iam notauit Euangelista, initio ac primo signorum suorum sanctificet, illamque consolationem per suam præsentiam pręstet coniugatis, vtpote qui ante omnia matrimonij legem ordinauit, quam hodie sic approbare voluit. Vnde in hoc tantùm sanctum & approbatum est matrimonium, atque etiam Sacramentum, quod præsentem Christum habet, & significatiuum est Incarnationis, id est, vnionis verbi cum humanitate, atque etiam ipsius Christi cum Ecclesia. Vnde in Euangelio dici notantur tria bona, quæ potest & debet matrimonium complecti, in

Quare Christus affuit nuptijs. Gen. 2. Eph. 5. *Tria bona debent circũstare matrimonium.*

A his qui hodie ad nuptias vocati sunt. Qui sunt illi? Christus, Virgo, & discipuli.

Primum ergo bonum quod complectitur, est, quod rem sacram repræsentet, videlicet vnionem diuinitatis & humanitatis in Christo, ipsiusque, vt diximus, cum Ecclesia. Et hoc Christus ipse, qui nuptiis hodie interfuit, designat. Alioquin si nihil sit in matrimonio, quod sit huius sanctæ, diuinæ & castæ vnionis repræsentatiuum, tunc dæmonium præsens est, & non Deus, vt in historia Tobiæ videre est. Secundum bonum debet esse fides castitatis, vt coniugum alter sit alteri fidelis. Et hoc designat præsentia Virginis. Tertium, vt proles suscepta, nutrita sit & instructa in fide & scientia IESV Christi. Et hoc designant discipuli, qui B cum Christo vocati sunt ad nuptias. Ecce bona matrimonij.

Interim accidit plerumque, sicut in nuptiis istis, quod nimirum consolationis vinum, quod inueniebatur in principio, in fine deficit, & citò, eique succedit aqua tribulationis, & solicitudinis mundi: proptereàque in Galilæa fit & consummatur; quæ volubilitas dicitur. In Machabæis legitur, quod nuptiæ Iambri, qui interpretatur mare lacessens, conuersæ sunt in luctum, & vox Musicorum in lamentum. Ita certè sæpius accidit in matrimoniis terræ: & hoc commune est. Interim notandum, quandoq; id necessarium esse, vt sæpe deficiat vinum. Nam certè vbi Christus habitat, necesse est C ibi deficere vinum carnalis lætitiæ & voluptatis. Audi Paulum dicentem: Quæ priùs mihi erant lucra, reputaui iam vt stercora, omniumque quæ retro sunt, obliuiscens, ad anteriora me extendo. His dictis, iam discursum de tribus supradictis nuptiis Dei cum hominibus, videlicet Incarnationis, gratiæ, & gloriæ ingrediamur.

1. Macha. 9. Philip. 3.

Quantum ad primas, scilicet Incarnationis nuptias: verbum æterni patris sponsus est, & sponsa, natura nostra humana. Vtriusque autem tanta tàmque arcta vnio fuit, vt etiam abinuicem in Cruce separatis carne & anima, verbum Dei numquam ab illis fuerit separatum. Mors solet cætera connubia dissoluere: non autem sic in Christo, ex quo D naturam nostram sibi copulauit. Ipso enim mortuo, sponsus semper sponsæ suæ coniunctus remansit.

Nuptiæ Incarnationis, & vbi factæ sunt.

Nuptiæ autem illæ in Cana factæ sunt, id est, in zelo, & feruore amoris. Sic enim interpretatur Cana. Figura erat in rubo ardenti ex præsentia Domini: & Isaias satis adhuc id significauit dicens: *Paruulus natus est nobis*, &c. & post hæc addit; *Zelus Domini faciet hæc.* In Cana tales nuptiæ erunt: vnde etiam & Spiritussanctus compleuit mysterium, qui feruor est & charitas. Sed in Cana Galilææ, quæ volubilitas, seu transmigratio interpretatur, quia quantum ad locum, impletum est in E terra, & non in Cœlo mysterium, in vtero virginis verbum caro factum est, æternusque Dei filius, filius factus est transmigrationis de sinu patris in vterum virginis, & de vtero eius in húc mundum. Vnde Nicodemo dicebat: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Et propheta Ezechiel: *Tu fili hominis transmigrabis per diem coram eis.*

Exod. 3. Isa. 9. Ioh. 3. Ezech. 12.

Sed quænam fuit harum nuptiarum proles? Fideles fuere, & omnes in eum credentes, sicut Iohannes dicit, quoniam dedit potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius; & sic prædixerat Dauid: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. In his verò nuptiis aquæ in vinum conuersæ

Ioh. 1.

sunt, iuxta quod dicit S. August. Testamentum vetus aquam fuisse insipidam, non sapit enim nisi intelligatur Christus in ea: per ipsum autem conuertitur in sensum spiritualis intelligentiæ, vt apud S. Luc legimus quod ipse discipulis suis aperuit sensum, vt intelligerent Scripturas. Luc. 24.

Nunc autem conuersionis ordinem attendite. Sex erant hydriæ, quæ iuxta S. Augustinum sunt sex mundi ætates. Prima ab Adam vsque ad Noë. Secunda à Noë vsque ad Abraham. Tertia ab illo vsque ad Dauid. Quarta à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis. Quinta ab illa transmigratione vsque ad Iohannem. Ipse enim dixit Christus, quia lex & prophetæ vsque ad Iohannem. Sexta ab illo Christi præcursore, seu potiùs à Christo ipso, vsque ad finem sæculi: & vsque adhuc ille cælestis sponsus Ecclesiæ bonum vinum seruauit, videlicet Euangelij, & gaudij spiritualis. Sic apud Luc. Angelus; *Annuncio vobis gaudium magnum.* Matth. 11.

Sed notandum est, non iussisse Christum effundi aquam ex hydriis, quia veterem Scripturam non reprobauit, qui legem implere voluit dicens; Non veni soluere, sed adimplere. Item notandum, singulas hydrias continere metretas binas & ternas, quia singulis ætatib. fuit fides Trinitatis in vnitate diuinitatis & naturæ, sicut etiam duarum naturarum in vna Christi persona. Itē illas hydrias priùs aqua repletas fuisse, quàm factam in vinum cōuersionem aquæ. Quia certè priùs oportuit impleri omnia quæ de Christo scripta erant, ipso dicente; necesse est impleri omnia. Vnde sequitur quod statim in vinum illa omnis aqua conuersa est, nempe lex vetus in spiritualem sensum Euangelij. Propter quod etiam statim dixit Christus: haurite nunc. Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euāgelium omni creaturæ. Sicque postea, vt antè prædixerat Dauid, in omnem terram exiuit sonus eorum, & potauerunt omnes qui audierunt, qui & inebriati fuerunt: ita vt simul atque gustauerunt, huic cœlesti sponso dixerint: Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc, vinum germinās virgines, vinum lætificans cor hominis. Matth. 5.

Quantum iam ad secundas nuptias, illæ dicuntur gratiæ, cùm nempe spiritus spiritui adiungitur, increatus creato. De his loquitur Paulus cùm ait: Despondi vos vni viro, Christo. Et ipse Dominus apud Ierem. Conuertimini ad me, quia ego vir vester assumam vos. Quapropter S. Bernard. dicit nos omnes ad illas nuptias spirituales vocari, in quibus Christus est sponsus, nos verò sponsæ. O quàm genere, dignitate, & specie inferior est spōsa sponso suo! & tamen propter Æthiopissam istam de longinquo filius æterni Regis aduenit, vt eam sibi desponsaret, pro qua etiam mori non timuit. Vnde tibi ô anima mea, vnde tibi hoc? vnde tibi tam inæstimabilis gratia, vt eius sponsa merearis esse, in quem desiderant Angeli prospicere? cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur, & ad cuius nutum vniuersa mutatur? Quid tribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? vt sis socia mensæ, socia Regis, socia thalami, vt introducat te Rex in cubiculum suum? Vide iam quid de Deo tuo sentias? vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus, qui tanti te æstimauit? De latere enim suo te formauit, quando pro te obiit in Cruce: ob hoc patrem suum, & matrem Synagogam reliquit, vt adhærens ei vnus cum eo spiritus efficiaris. Et tu ergo audi filia, & vide quanta sit erga te dignatio Dei, obliuiscere populum tuum, & desere carnales affectus, sæculares mores dedisce, abstine à prioribus vitiis, & consuetudines noxias obliuiscere. Hæc omnia Bern. Nuptiæ gratiæ. 2. Cor. 11. Ierem. 3. S. Bernard. Ser. 27.

Celebrantur autem nuptiæ istæ in Cana, id est, in zelo diuinitatis, vt dicitur in Exod. *Ego sum Dominus Deus tuus zelotes.* O quo zelo amoris sui nos sibi coniunxit! En Dei tui sunt cœli & terra: & tamen vniuit se nobis; sed quo zelo? vtique Galilææ, id est, transmigrationis. In nos venit, & nos ascendamus in eum, de vitiis ad virtutes, & de terrenis ad cœlestia translati. Copulemur ei actione & contemplatione: Liam simul & Rachelem sponsas habeamus. Dicamus sapientiæ, soror nostra es, & prudentiam vocemus amicam nostram, vt de nuptiis istis quæ fiunt in terra, ad beatas & cœlestes transeamus. Exod. 20.

Quare iam quantum ad tertias nuptias attinet, quas gloriæ diximus, seu beatæ fruitionis, illæ sunt, de quibus apud Sanctum Matthæum Dominus loquitur sub parabola decem virginum, ex quibus tantùm quinque, quæ prudentes inuentæ sunt, intrauerunt cum sponso ad nuptias. Item in Apocal. vbi Sanctus Iohannes dicit: Gaudeamus, & demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se. & infrà: Beati qui ad cænam nuptiarum Agni vocati sunt. Quænam sunt illæ? Diuinitatis visio & fruitio. In his nuptiis inuenitur Cana, id est, zelus, sed non Galilææ, id est, volubilitatis, seu transmigrationis; nisi quia de miseriis huius mundi transmigramus in lætitiam æternā paradisi. In his item nuptiis deficiunt aquæ tribulationis, quia Deus absterget omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, & non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor, quoniam priora transierunt. Nuptiæ gloriæ. Matth. 25. Apoc. 19.

In his omnia amara in dulcedinem conuertuntur vini deliciarum, aque voluptatis, vt dicitur in Prouerb. *Date vinum his qui amaro sunt corde, bibant, & obliuiscantur egestatis suæ.* Vinum illud gloriæ, gaudium est, & lætitia cordis ex præsentia diuinæ visionis. Vinum est magnificum, regium, abundans, & præcipuum. Magnificum, amplificans animam, & transferens eam in regiam dignitatem; melius certè quàm Holofernis vinum, de quo Iudith sic loquebatur ad illum: Bibam Domine, quoniam magnificata est anima mea hodie præ omnibus diebus vitæ meæ. Regium est, quia de mensa Regis est, sicut sponsa dicit: Introduxit me Rex in cellam vinariam. Abundans est, quia totum hominem implet, vt ait Psaltes: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Denique est præcipuum, quia purum, & nihil eo melius est, nihil iucundius, nihil suauius. Prouerb. 31. Iudith 12. Cant. 2.

Stillam vnam & guttulam suauis vini huius gustauerat Petrus dicens; Domine, bonum est nos hic esse. Gustauerat & optauerat semper etiam Psalmista dicens aliis: Gustate & videte quàm suauis est Dominus. & sibi pariter: Sitiuit anima mea ad te Deum fortem, & fontem viuum, quando veniam? Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

DE

DE PIA ET ADMIRABILI curatione lepræ animæ nostræ per Christum.

Cùm descendisset IESVS *de monte, ecce leprosus veniens adorabat eum.* Matth. 8.

OPORTEBAT Christum IESVM de monte majestatis suæ descendere ad curationem nostræ spiritualis lepræ. Leprosus autem noster de his erat qui talem descensum expectabant: vel certè vniuersum populum referebat, qui in tali expectatione versabatur dicens per os prophetarum in pede montis: Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes. Inclina cœlos tuos, & descende. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Ægrotus ad mortem, ad locum respicere solet, vnde ei auxilium aduenire potest. Nullus autem salutem nostram operari poterat, nisi magnus noster medicus Christus. Vnde etiam venit ille, dicit S. August. quia per totum mundum magnus vbique iacebat ægrotus. Sic enim Isaias dicit: *Omne caput languidum, & omne cor mærens est.*
Isa. 1. Idcóque vt medicus venit, statim etiam in eodem propheta dixit: *Spiritus Domini misit me, vt mederer contritis corde*, id est, peccatoribus, peccatoribus, inquam, ex grauitate & periculo morbi ad medicum clamantibus. Isa. 61.

De numero autem illorum Dauid erat, qui dicebat: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana animam meam, quia peccaui tibi. Item Ieremias: Sana me Domine, & sanabor, saluum me fac, & saluus ero, quoniam laus mea tu es. Quasi diceret: nisi venias, non est qui me à morte eripiat. Multi alij cum illis talia dicebant, & noster leprosus qui erat expectans, personam omnium gerebat: vnde Dominus dicit in Exod. *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & descendi vt liberem eum.* Sicut per Ierem. Obducam cicatricem tibi, & sanabo te à vulneribus tuis; quando nempe Pater æternus de Cœlo ad nos misit verbum suum, vt sanaret nos.

Psal. 40. Ierem. 17. Exod. 3. Ierem. 30.

Totius huius rei figura pulchra est in Ezechia Rege ægrotante, ad cuius salutem misit Dominus Isaiam, qui tollẽs massam de ficis cataplasma confecit, vt apponeret super vlcus eius, & sic ipsum sanaret, dato etiam illi sanitatis signo, quod videlicet Sol descenderet retrorsum decem lineis. Neque enim voluit ille vt Solis vmbra totidem ascenderet gradibus. Facile est Deo, inquit, vmbram crescere decem lineis, nec hoc volo vt fiat, sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus. Volo quod difficile, & non quod facile est Deo, hoc volo. Per Ezechiam hunc ægrotantem vsque ad mortem, omnis peccator intelligitur, ad quem missus est verus Isaias, qui dicitur salus mundi, Christus: portans massam ficorum, id est, carnem nostram, quam posuit veluti cataplasma super vlcus nostrum, dum ille, vt ipsemet dicit Isaias, dolores nostros tulit, & portauit languores: imò, vt Petrus dicit, peccata nostra pertulit in corpore suo.

4. Reg. 20. 1. Pet. 2.

Sed quodnam fuit signum nostræ salutis? Non illud quidem quod facile erat Deo, scilicet, ascendere & crescere: sed quod erat difficile, scilicet, ipsũ Solem Iustitiæ Dei filium descẽdere, & reuerti retrorsum decem lineis, infra nouem choros Angelorum, atque etiam ordinem hominum, cùm formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus est, & pro ipsis fideiussor in sanguine Crucis. Hoc erit quidem signum à Domino, signum difficile, quod facturus sit Dominus sermonem quem locutus est, scilicet quod redditurus sit sanitatem ægrotanti, quando nimirum sanauit superbiam nostram per suam humilitatem, sicut Apostolus dixit: Exinaniuit semetipsum, &c. Phil. 2. Auaritiam nostram, per suam voluntariam paupertatem, dicente eodem, quia cùm diues esset, propter nos egenus factus est, vt eius inopia diuites essemus. 2. Cor. 8. Sanauit iracundiam nostram per mansuetudinem suam, sicut ait: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Matth. 11. Denique inuidiam nostram, per eximiam charitatem suam, de qua ipsemet sic loquitur dicens: Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt ponat quis animam suam pro amicis suis. Ioh. 15. Ipse verò posuit pro inimicis. Et sic sanando mundauit omnem lepram nostram, id est, omne peccatum hac lepra significatum: sicut per leprosum intelligitur peccator, quem Christus IESVS de monte Cœli, & sede majestatis suæ descendens sanauit. Quomodo autem peccatum per lepram intelligatur, videamus nunc, atque ita per leprosum peccator.

Quomodo peccatum intelligitur per lepram.

Lepra, morbus est ardens & sitibundus: & ita de concupiscentia est peccatoris, vt in Prouerbiis dicitur; *Venter impiorum insaturabilis.* Ita vt sicut iusti, vt Psalmista dicit, ascensiones in corde suo disponunt, & eunt de virtute in virtutem: sic è contrà praui de vitio in vitium. Iuxta quod, vt S. Greg. dicit, tanta est peccati grauitas quod per pœnitentiam non diluitur, vt suo pondere statim ad aliud trahat. In Cain hoc videre est, cuius odium, atque lepra iræ, ita in Abel fratrem exarsit, vt vsque ad homicidium peruenerit. Item lepra inter alios morbus est contagiosus: & de peccatoribus dicitur in lib. Numer. Recedite à tabernaculis impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. Quæ lues peior illa quæ inficit animam & corpus, & quæ præterea animam suo contactu interimit? Sic enim Apostolus loquitur, quoniam stipẽdia peccati mors. Et anima quæ peccauerit, dicit Ezechiel, ipsa morietur.

Prouerb. 13. Gen. 4. Num. 16.

Lepra item morbus est admodum fœtidus, & cõsortio hominum intolerabilis: vnde mos est, vt à ciuitatibus leprosi longè separentur. Audi verò de peccatoribus Psalmistam sic dicentem, quoniam abominabiles facti sunt in studiis & iniquitatibus suis. Psal. 13. Altissimus enim, vt etiam dicit Ecclesiasticus, odio habet peccatores, & similiter odio sunt Deo peccator, & eius iniquitas. Eccli. 12. Quomodo autem peccatores adhuc vt leprosi separantur ab aliis, apud S. Matth. videre est, vbi Dominus bis dicit: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, discedite maledicti, & abominabiles Deo, Angelis & hominibus. Matth. 7. & 25. Quò? Ite in ignem æternum, qui diabolo paratus est & peccato. Heu, quàm dura erit nouissima illa separatio peccatorum de medio iustorum! vbi, dicit Dominus, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminũ ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Matth. 13.

Audite hic quoniam quantum ad tria hæc fiet separatio impiorum à iustis, scilicet quantum ad consortiũ, quantum ad locum, quantũ ad præmium & retributionem. De primo, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum. en separatio quantum ad consortium. De secundo, & mittent eos in caminum ignis. en quantum ad locum.

Quãtum ad tria fit separatio malorũ à iustis.

Quatuor loca habitationi hominum destinata.

Sciendum est, Deum quatuor fecisse loca, Cœlum, terram, Paradisum terræ, & Infernum. In Cœlo leprosi stare non possunt, imò nec Lucifer ibi, exquo leprosus factus est, vno momento manere potuit. Nihilque in illud quod coinquinatum sit, aut abominationem faciens, intrabit, vt ait Dominus, & post eum in Apoc. Iohannes discipulus.

Matth. 15. Apoc. 21.

Item neque in terra, quia per os Dauid dicit Dominus; vt lutum platearum delebo eos. & alibi: Delebo eos vt puluerem terræ, & quasi lutum platearum comminuam eos atque confringam. Non etiam in Paradiso terræ. Etenim simul atque in Adam lepra inuẽta est, de Paradiso suo eiectus est. Solus ergo locus qui superest peccatoribus, Infernus est, fœtidus admodum atque terribilis, vbi, sicut Psaltes ait, ignis & sulphur pars calicis eorum.

Ps. 17. 2. Reg. 22.

Infernus peccatorũ locus.

Quare iam satis notum est de tertia separatione quãtum ad meritum & præmium, vbi pro præmio quidem erit fletus & stridor dentium. Sicut enim in hac vita nulla fuit conuentio Christi ad Belial, nec societas lucis ad tenebras, & meritorum peccatorum ad iustorum opera: sic nec in altera vita conuentio erit & communicatio quantum ad præmia.

Nunc autem videamus, an fuerimus nos, & simus adhuc leprosi vt iste. Multùm timeo certè ne tales hodie appareamus. Quis enim potest dicere, dicit Sapiens: Mundum est cor meum, purus sum à peccato? Si dixerimus, ait S. Ioh. quia peccatum nõn habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, sed mẽdacium. Omnes enim peccauerunt, ait Apostolus, & egent gratia Dei. Quid ergo facto opus est? nisi vt imitemur leprosum Euangelij, expectemus descensum Christi de monte, ab eo sanitatem postulemus, dicamusque: Domine si vis, potes me mundare. Nullus alius poterat, nisi per Incarnationem tuam ipsemet descendisses, & per tui effusionem sanguinis, mundationem nostram operatus fuisses. Domine si vis, potes me mundare. Sic Iob aliquando dicebat: *Quis potest facere mundũ de immundo conceptum semine? nõnne tu qui solus es?* Amplius ergo laua me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Scio quod tu es qui per Elisæũ mundasti Naaman, & sororem Moysis per temetipsũ, sed amplius laua me Domine, & à peccato meo munda me. Domine si vis, potes me mundare. Tuum velle posse est; & tuum posse singulare est: Domine, quis similis tibi? Facis quæcunque vis, si vis, potes me mundare, solùm in me voluntas tua fiat.

Prou. 20. 1. Ioh. 1.

Iob. 14.

Sed quæso consideremus paucis, cur leprosus iste dicit, si vis, & non absolutè, Domine munda me; sed solùm labem ei ostendit, adiungens, Domine si vis. Primò sanè, quia agnoscit se peccatorem, se Inferno dignum conspicit, vnde sic humilis ad misericordiam recurrit, & dicit, si vis: quasi diceret; Miserere mei Deus secũdum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Vnde non tantùm opus erat verbis, sed adhuc Christi lauacro sanguinis. Quapropter addimus secundò, si Christus nihil aliud adhibiturus erat ad leprosi & peccatoris mundationem, quàm verba, dicere potuisset leprosus, munda me; dic tantùm verbo, & sanabor à lepra. Sed quia præterea adhibenda erat immolatio passeris, mors Christi, & sanguinis eius effusio, qui non nisi ex multitudine miserationum eius effundendus erat, ideo ait, si vis.

Ps. 50.

Ex quo quidem iam emphasim intelligitis huiusce verbi IESV Christi, volo. Parum fuit Deo mundum condere, parum ipsum gubernare: sed istud, volo, sanguinem eius fudit. Patris voluntas leprosi sanctificatio fuit, & similiter voluntas filij. In capite libri scriptum est de me vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui. Ipse passer immolandus ero; vnde corpus adaptasti mihi quod immolem tibi. Ecce ego in flagella paratus sum. Holocaustum pro peccato non postulasti. Tunc dixi, ego venio, &c. Ideoque leproso hodie dicente, si vis potes me mundare, dixit Christus, volo: quasi diceret peccatori Christus; mala quæ commeritus es, ego mihi sumam, & pro eis moriar, lepràmque tuam in me transferam. Leprosum me desiderasti, & quantum potero, ego leprosus apparebo. Dixit Nathan ad Dauid: Transtulit Dominus peccatum tuum. Sed in quem transtulit? Pater in humeros filij sui IESV Christi, & Christus in se, baiulans & sustinens Crucem confusione contempta. Nam Ezechias in oratione sua apud Isaiam (de quo antè,) sic dicebat: *Proiecisti post tergũ tuum omnia peccata mea.* & Isaias ipse; *verè languores nostros tulit.* & S. Petrus, *peccata nostra in corpore suo pertulit.* Etenim Christus quasi antemurale fuit, in quod omnes calamitates & ruinæ nostræ ceciderunt, ne in nostras domos luteas caderent, & subuerterentur.

Isa. 53. 2. Reg. 12.

Isa. 38.

Interea verò aduertite, quod non priùs dixit Christus, volo, mundare, quàm manum suam extenderit ad leprosum, siquidẽ lepra nostra & peccatum minimè potest sanari, nisi per contactum Christi, quod quidem in Sacramentis aduenit nobis, per quæ in nos de Christo virtus exit, & sanat nos. Sed heu! vbi ad peccatores manum Christus extendit, illa leprosa apparuit. Manus Moysis intra sinum reclusa, sana erat, sed cùm de sinu retrahit & extendit, protulit leprosam instar niuis. Illa Mosaica manus, manum Christi referebat, sanam quidem in se, sed leprosam, vbi ad peccatores extensa est & producta, vt tangeret leprã nostram, eamque in nobis suo contactu mundaret, vt hodie dicitur de leproso; Et extendens IESVS manum, tetigit eum dicens, volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius.

Exod. 4.

Vis tu itaque peccator, vt iste, mũdari? Ad Christum per pœnitentiam, & alia Sacramenta accede, & dic, Domine si vis, potes me mundare. Deinde vade, & ostende te Sacerdoti. Vnde dicit S. Aug. Nemo dicat sibi, occultè ago pœnitentiam, nouit Deus quæ in corde ago. Ergo sine causa dictũ est: Quæcunque alligaueritis, & quæcũque solueritis, &c. vis ergo tibi Cœlum aperiri, aperi os tuum Sacerdoti. Hæc est porta Cœli. Etenim, ait similiter S. Amb. lib. de pœnit. non potest quisquam à peccato iustificari & mũdari, nisi antè fuerit confessus.

S. Aug. hom. 49.

S. Ambr. lib. de pœnit. distinct. 1.

Sed interim dicamus omnes, Domine si vis, &c. habemus enim omnes animam leprosam, & præterea paralyticam, vt adhuc Centurionis erat seruus, de quo etiam cum leproso hodie fit mentio in Euangelio. Quid igitur faciendum? Adhuc cum humilitate Centurionis oportet animam suam paralyticam, & sic in peccato suo iacentem, ostendere Christo, & dicere ei: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur; anima mea in suo corpore paralytica est, adhæret pauimento suo, & malè torquetur concupiscentiis. Proculdubio statim audies ab illo: Ego veniam, & curabo eam. Ecce ego sto & pulso, si mihi aperueris, intrabo. Verũ vnusquisq; dicat illi: Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum; sed dic tantùm verbo, & sanabitur anima mea.

DE

DE VNITATE Ecclesiæ, & vitæ Christianæ ad salutem animæ.

***Ascendente Christo in nauiculam, sequuti sunt eum discipuli.* Matth.8.**

VNA est Ecclesia IESV Christi, & nõ plures, in quam cũ eo & discipulis eius debeamus ascẽdere, si saluari ab vndis & fluctibus huius sæculi quærimus. Ascendente Christo in nauiculam, sequuti sunt eum discipuli. Ad Ephes. dicit Apost. quia vna fides, vnum baptisma, vnus Deus: adinstar istarum simplicissimarum vnitatum, vna est etiam Ecclesia & vita, in quam introire oportet, ne pereamus. Hæc vna Ecclesia Catholica est; hæc vna vita Christiana est: hoc totum hac vnica nauicula Christi, in quam ascendit, repræsentatur. Per nauiculam refertur vnitas Ecclesiæ Catholicæ. Sicut enim nemo tranare potest mare, & in eo saluari absque naui: ita sine Ecclesia, & extra illam nemo in hoc sæculo saluari potest. In arca Noë figura est, vbi solæ animæ diluuium euaserunt quæ in illam intrauerant. Et sicut nunc integra debet esse nauis, vt non pereant qui in ea sunt: ita Ecclesia in sua fide debet esse integra, qualis est Catholica, quæ sola corde credit, ore confitetur, & opere demonstrat qualis sit, vt ad Rom. Apostolus dicit: *Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Sicque coram hominibus lucere debemus operibus bonis, vt glorificent, qui viderint, patrem nostrũ qui est in cœlis. Cùm è cõtrà, qui in fide dubius est, dicatur infidelis, & qui hæsitat similis sit æstui maris. Nescit autem Ecclesia Catholica quid sit hæsitare in fide, sed pro omni argumento & ratione habet, Credo. Vnde etiam dicitur nauicula Christi, qui ait: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* Nouit quidem Christus qui sunt eius.

Quomodo per nauiculam Ecclesia repræsentatur.

Gen.8.

Rom.10.

Nescit fides nutare.

Matth.10.

Item per hanc nauiculam vnitas vitæ Christianæ refertur in Ecclesia. Sicut enim mare traiicere securus nemo potest absque naui: ita huius sæculi mare absque vita Christiana nemo tutus perãbulare potest. Eiusmodi vita nauis est in quam Christus ascẽdit, quam regit & gubernat. Legimus in Exodo, quod Iudæi mare rubrum transierunt, non super nauem, sed per ipsum mare medium. Nobis autem non licet nisi in naui. Et quidem hoc discrimen notandum est, & dignum quod intelligatur. Iudæis congruum erat mare transire per medium, per media temporalia, quia licebat eis bene agere, bonorum temporalium spe atque expectatione: Christianis verò conuenit, imò oportet mare hoc pertransire in nauicula, quia quæ sursum sunt, quærunt, non quæ super terram, aut super mare. Vnde nauicula, in quam ascendit hodie Christus, Christiana vita & superior est.

Quomodo per nauiculam Petri vnitas vitæ Christianæ refertur.

Exod 13.

Optimè sanè eiusmodi vita, nauicula dicitur, quæ ideo tota desuper aperta est Cœlo, tota verò ex imo clausa est mari, licet ipsum pro parte angustiori contingat. Quia vita Christiana tota Cœlum respicit; sicut Ecclesia militans in terra triumphantẽ in cœlis. Item talis vita è Cœlo tota respicitur & dependet. Fortè ex ima parte & externa contingit mare huius sæculi, à quo humanæ vitæ necessaria sumit, cauens interim ne per aliquam rimulam aqua huius maris, & affectio sæculi introëat. Sicut

A enim nullum patitur periculum nauis nisi per ingressum aquæ: ita vita Christiana ab omni naufragio est secura, vbi non datur affectibus humanis ingressus.

Item inde adhuc optimè nauiculæ Christi vita Christiana comparatur: illa enim est quæ nos ducit ad portum salutis etiam inuitis fluctibus. Et sicut de arca Noë diximus respectu Ecclesiæ: ita quidem adhuc respectu vitæ Christianæ dici potest, nempe quod sicut qui non in illam arcam ascenderunt, omnes perierunt: ita qui hanc vitam Christianam non aggredientur, certò peribunt. O vtinam hæc nauis paulo capacior existeret. Sed heu! nauicula est, breuis & angusta, & pauci intrant
B in eam: breuis & angusta, quia pauci quidem intrant, breuis etiam, quia paucos capit & comprehendit. Vnde dicitur nauicula: sicut enim arcta est via quæ ducit ad Cœlum & vitam æternam: ita etiam hæc vita arcta est, quæ similiter ad Cœlum ducit & vitam æternam, & pauci inueniunt eam. Qui potest quidem capere, capiat.

Hodie in Euangelio, ex multis populis & turbis, Christo in nauiculam ascendente, sequuti sunt eum tantùm discipuli eius. Numerus fortè plusquàm quinque millium hominum erat; & qui sequuntur ipsum, fortè tantùm sunt duodecim viri, & hi adhuc discipuli. Quæ ratio? Illa fortasse, quia in nauiculam hanc ascenderat super mare. Nauicula
C procellis & tempestatibus subiecta est, denique motibus multis, quod non ita est de nauibus. Sic est Christiana vita. Quare dicitur in Euangelio: & ecce motus factus est magnus, & ipse dormiebat. Quæ duo sunt quæ adhuc nobis explicanda supersunt ad continuationem nostræ relationis.

Primum est, vitam Christianam, sicut communem agitatam esse vndique tribulationum & tentationum motibus. Sic enim Christus dicit apud S. Iohan. *In mundo pressuram habebitis.* Hoc tamen discrimen est inter vtramque, quod Christiana vita sit similis naui in mari: communis verò ipsi tumultuanti mari comparetur. Quidnam enim est
D hoc sæculum præsens? vtique inundans mare & continuis agitatum fluctibus. Vnde iuxta Psalmistam, quando Christus in hunc mundum descendit, dixit: Veni in altitudinẽ maris, & tempestas demersit me. Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam; infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Et quæso antequam plura de vita Christiana dicamus, paucis de communi & terrena loquamur, ostendamusque quàm bene congruum sit hoc sæculum mari. Considerate quàm citò propter periculum naufragij, in nauiculam Christi debeamus ascendere, id est, vitam Christianam aggredi.

Ioh.16.

Discrimẽ inter vitam Christianam & communem.

Psal.93.

Hoc sæculum primò comparatur mari: quia sicut in mari non est permanentia & stabilitas mã-
E sionis; ita in hoc sæculo non est diuturna habitatio, sicut Iob ait: Nescio quandiu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus. Quandiu in hac vita sumus, dicit Apostolus, à Domino peregrinamur. Vnde quidem omnis homo in hac præsenti vita est sicut hospes in domo aliena, vbi cùm paterfamilias præcipit, oportet vt exeat. Sic igitur in hoc mundo sumus tanquam in via quà ad patriam pergimus, & nescimus horam exitus, Apostolo dicente: *Non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus.*

Quot modis præsens sæculum comparatur mari.

Iob.22.

Heb.13.

Secundò, mare totum positum est in fluxu. Talis autem est huius sæculi & communis vitæ cursus: omnes enim morimur, & quasi aquæ dilabimur super

2 Reg.14.

ſuper terram. Ita vt quot horas peragimus, tot paſſibus ad mortem accedamus. Quare ait Eccleſiaſticus: Ne dixeris, eſt mihi vita ſufficiens. Imò ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira Domini, & in tempore vindictæ diſperdet te. Sic in Euangelio dicit Dominus: Ne dicas; Anima mea multa bona habes poſita in annos plurimos, requieſce, comede, epulare. Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te. Quæ autem paraſti, cuius erunt? Quæ eſt enim vita tua, ait S. Iacobus? Vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Breues dies hominis, ait Iob, & reuera breues, homo enim vanitati ſimilis factus eſt, & dies eius ſicut vmbra prætereunt, ſicut fumus, & fœnum quod hodie eſt, & cras mittitur in clibanum. Vnde dicunt miſeri apud Inferos illud Sapientiæ: Quid nobis profuit ſuperbia vitæ? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tráſierunt illa omnia velut vmbra, & tanquam nuncius percurrens, tanquam nauis quæ pertranſit fluctantem aquam: & tanquam auis quæ tranſuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, ſed tantùm ſonitus alarum verberans aërem: & tanquam ſagitta emiſſa, cuius etiam ignoratur tranſitus. Sic & nos nati, continuò deſiuimus eſſe, & virtutis nullum ſignum valuimus oſtendere, nullum ſignum bonæ vitæ: in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. Talia dixerunt in Inferno hi qui peccauerunt. Ecce quæ æternitas mortis ex breuitate talis vitæ dependet.

Eccli. 5.

S. Iacob. 4.

Iob. 14.

Sap. 5.

Tertiò, mare totum in inconſtantia & inſtabilitate eſt, hodie fluxus, cras refluxus; mox intumeſcit, & irritatur, & ſtatim quieſcit. Sic in mundo nunc diues, nunc pauper es, nunc lætus, nunc triſtis. Qui hodie Rex erit, cras morietur, & non erit. Qui viuit, qui moritur, qui quaſi flos mane egreditur, & veſpere conteritur, & numquam in eodem ſtatu permanet, donec immutatio veniat, & ad littus perueniat patriæ cœleſtis. Apud S. Ioh. legitur, quod Chriſto ſtante in littore, diſcipuli laborabant & piſcabantur in mari, donec vocati à Chriſto applicuerunt ad littus, & ibi cum eo diſcubuerunt. Ita modò Chriſtus in littore eſt cœleſtis patriæ, nos expectans & vocans: nos verò in inſtabilitate fluctuū huius maris ſæculi, quotidie in periculo & in diſcrimine vitæ noſtræ verſantes. Sicut enim periculoſa eſt nauigatio maris: ita peregrinatio noſtra; & neſcimus an vnquam ad portum veniemus. Laboremus interim, vt ad littus, ſi fieri poteſt, applicemus, & cum Domino diſcumbamus. Domine, inquiebat S. Aug. feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec conquieſcat in te. Propterea aſcendamus in nauiculam cum eo, id eſt, communi vita relicta, vitam Chriſtianam amplectamur. Ipſum quidem in ea dormire & quieſcere inueniemus, licet excitentur fluctus, atque intumeſcant: omnia enim ibi tuta ſunt, vbi Chriſtus eſt. Et ecce motus magnus factus eſt, & ipſe dormiebat; vt oſtendatur nullibi Chriſtum gaudere, aut quietem accipere niſi in Eccleſia, aut in vita Chriſtiana, hac nauicula figurata; vbi etiam & ſuos ab omni periculo & aduerſitate cuſtodit, licet in eos excitetur tentationum motus & perturbatio.

Ioh. vlt.

Hac item ratione Chriſtus in hac Chriſtianæ vitæ nauicula cenſetur dormire, quia cùm dormimus, tunc magis interiora laborant, ceſſantibus externis. Cibus enim, vt medici dicūt, tunc coquitur, digeritur, & in partes per concoctionem diſtribuitur; è contra, cùm vigilamus, interiora quieſcunt, dum exteriora mouentur. Ita igitur planè Chriſtus dicitur dormire in naui Eccleſiæ, ſeu vitæ Chriſtianæ, dum quod interius eſt, operatur, exteriori ceſſante, hominemque interiorem facit, exteriori mortuo & deficiente.

A

Sed heu! etiam alio ſenſu dici poteſt, quod Chriſtus dum in mari fit ille motus magnus, dormit in Eccleſiæ naui, cùm nempe tot iniuriis affectus, & peccatis ſilet, atque diſſimulat, acſi dormiret, aut fieret ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones: tanquam ſurdus qui non audit, & mutus qui os ſuum non aperit. Verùm timendum eſt ne dicat aliquando: *Semper ſilui, patiens fui, vt demum vt parturiens loquar*, &c.

B

Sed antequam ex ſeipſo excitetur, & vt Leo ad prædam ſurgat de ſomno, adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, & excitemus ipſum, vt ventis imperet, & ceſſet omnis motus. Facile quidem erit excitare ipſum. Etenim ſuper ceruicali, non in lecto dormit, quaſi iam paratus & in procinctu ſit ad fauendum nobis. Nunc itaque clamemus, Domine ſalua nos, perimus: ſtatim vtique aderit, propè eſt enim Dominus inuocantibus eum in veritate. In lege veteri renuebat venire, per annos licet bis mille vocatus, quia profundè tunc dormiebat quieſcens in ſinu gloriæ & deliciarum patris. Nunc autem ſuper ceruicali duro & leuiter domit, vt promptiùs ſurgat, & in adiutorium noſtrum intendat. Sed heu! quid facient in periculis qui ſine Chriſto ſunt, cùm audiam illos etiam qui cum ipſo ſunt, & in eadem naui, ſic clamare, Domine ſalua nos, perimus? Vos verò minimè clamabitis ô inſenſati peccatores? Clamate obſecro, & non deſiſtite, vt tandem audiat, & vos exaudiat.

C

DE AGRO ET CÆleſti ſemine verbi Dei. De zizaniis & damnatorum pœnis.

D *Domine nónne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania?* Matth. 13.

CHRISTVS IESVS ſicut bonitatis immenſum eſt plagus: ita bonorum omnium quæ in cœlis conferuntur & in terris, fons & origo eſt. Caſſiodorus Pſalris affectum explicans dicentis: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum*; dicit. Fons Chriſtus eſt, vnde quæcunque bona fluunt, fons qui aquarum currentium principium eſt: ſiquidem & per ipſum, & ex ipſo, & in ipſo omnia facta ſunt, & bona facta ſunt, quia eſt ars & exemplar rerum omnium. Deus omnia fecit in cognitione & ſapientia. Fons autem ſapientiæ verbum Dei in excelſis. Vnde & ſine ipſo factum eſt nihil: id eſt, peccatum ſine ipſo, quia nihil. A Deo bono nihil niſi bonum procedere poteſt. Ita dicit S. Chryſoſt. in cap. 1. Gen. Vt nulli poſthac liceat ob creaturas accuſare conditorem, & dicere. Quare hoc, & hoc? Ad quid iſtud? hoc bene factum eſt, hoc non bene. Sacra Scriptura omnes ingratè obloqui tentantes compeſcitura, ſexto die, abſolutis omnibus creaturis, inquit, & vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: valde bona, quia ſecundum exemplar omnis bonitatis Chriſtum facta ſunt: valde, quia cùm eſſe habeant, de Deo partici

Caſſiod. in Pſ. 41.

E

Eccli. 1.

S. Chryſoſt. hom. 10. in cap. 1. Gen.

participant, cuius esse & natura, bonitas est. IESVS autem infinita bonitas est.

Verùm cuncta quæ sub Sole videntur, videantur vobis vanitati subiecta, & non tam bona: interim vnum est inter cætera, quod processit à Deo valde bonum, nempe homo. Optimè hoc agnouit sapiens Ecclesiastes dicens: Solummodo hoc inueni quod fecerit Deus hominem rectum, id est, absolutissimum, perfectissimum, valde bonum. Vnde valde? vtique quia à Deo valde bono, & bonitatis fonte processit, vt imago imaginis Dei, id est, verbi. *Faciamus* ait Deus, *hominem ad imaginem nostram*. Quænam est illa? vtique in Trinitate filius, qui est splendor patris, & figura substantiæ eius: homo verò est adinstar huius æternæ imaginis. Quare inter omnia ipse est valde bonus. Ideóque etiam pro differentia bonitatis communicandæ creaturis, magnum in modo creationis discrimen innotuit: pro cæteris, tantùm vno verbo, vno imperio, vno fiat absoluto vtitur Deus; sed cùm de homine agitur, consilium initur & concilium, dicente Deo, faciamus. Res momenti atque ponderis est, manuum nostrarum istud opus erit, faciamus hominem ad imaginem nostram, id est, creatum verbum, & notitiam, quæ sit imago imaginis nostræ, hominem faciamus, qui capax sit totius communicationis nostræ & bonitatis.

Eccl.7.

Differētia in modo creationis inter hominem, & alias creaturas.

Ecce qualis ab initio homo à Deo factus est, ita conformis filio, vt ipse in temporum plenitudine, pro conformitate similitudinis fuerit in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo; adeoque vult eam Deus conseruari in homine, vt nemo ad gloriam absque illa sit prædestinatus, sicut dicit Paulus: *Quos præsciuit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*; hac enim imagine sola & fratres, & cohæredes Christi sumus. Sed in quonam, dicetis, est illa conformitas imaginis? In gratia quæ per Christum data est nobis, & quæ semen gloriæ est. Ab initio dederat Deus semen innocentiæ, hodie semen gratiæ: veritas autem, id est, innocentia, & gratia per IESVM Christum facta est, ait S. Iohan. vt cognoscamus quod initio diximus, videlicet, Christum esse omnium bonorum nobis collatorum fontem, atque principium, nosque proprium illius esse agrum, in quo omne bonum semen seminauit.

Rom.8.

In gratia cōsistit conformitas imaginis filij Dei.

Ioh.1.

Certè ingens deberet exinde nasci fructus. Nam qui fecit agrum, Deus est, & qui seminat Deus est, & ipsum semen Deus est. Quis ergo fructus exinde nasci deberet, nisi quodammodo Deus? Hinc fortassis intelligite, quare Christus fudit pluuiam sanguinis, quia certè non nisi cœlesti pluuia cœleste hoc semen debebatur irrigari. O quantus erga nos ille amor Dei, quod sic in nobis velit nasci, crescere & recondi, vt postea cum ipso, tanquam triticum in horreo, in eius throno sedeamus! vnde ergo zizania & peccatum? O Domine nónne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo zizania?

Superseminationis mali causas, obsecro, notate. Cùm dormirent homines, venit inimicus eius, nempe diabolus, inuidens seminanti, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Ecce duæ causæ huius superseminationis zizaniorum, negligentia hominum, & inuidia, seu malitia diaboli. Negligens ab initio fuerat primus homo, eiusque dormiebat intellectus, cùm mulieris suæ vocem & monita audiuit. Item mulier somno graui laborabat, cùm callidioris voce serpentis audita, decepta est, qui tunc superseminauit zizania dicens:

Causa superseminationis zizaniorum.

A *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut Dij.* O nequam, ait S. Bern. vbi tuum nequaquam? nónne iam impletur illud verbum mulieris: Omnes morimur, & velut aquæ dilabimur super terram? Per hoc nequaquam, ait S. August. innocentiam Deo gratam conuertit in culpam. Ecce zizania in medio tritici. Inuidia diaboli, dicit Sapiens, mors intrauit in orbem terrarum. Sic Apost. Per vnum hominem peccatum, & per peccatum mors, in quo iam omnes, videlicet in Adam, peccauerunt. Filij Adam sumus omnes.

2.Reg.14. *Sap.2.*

Cùm dormirent homines, venit inimicus, dormiunt omnes, & non dormit diabolus, sed vt Leo dormit apertis oculis, rugiensque circuit quærens B quem deuoret. In negligentia parentum nostrorum versamur, in otio vitiis vacantes, dumque mens nostra sopitur, inimicus intrat & superseminat zizania, videlicet peccatorum, quæ postea crescunt in immensum. Sed vnde Domine? nónne enim bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? vtique inimicus homo hoc fecit, absque me enim factum est nihil, videlicet peccatum. Deus non facit, non vult peccatum, neque etiam potest: vnde illa iustissima est admirandi ratio, vnde zizania? vnde tot peccant homines? Quid enim dulce in peccato est, vt nos sic attrahat, & ad se alliciat? Si peccatum, certè malum, & si malū, fugiendum est. Nam voluntas nostra, bona & ad bonum nata est, & sic non vult nisi bonum. Vnde ergo C zizania? vndenam habet, vt peccatum amet, & ambiat? Peccatum quod cōtra Deum est, à quo tot bona quotidie recipimus; quomodo ergo ipsum sic peccando offendimus? Peccatū quod contra ipsum est peccatorem; vndenam ergo committit? Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. Peccatum quod authorē suum vendicat Inferno, diabolóq; subiicit; cur ergo cū tanto dispendio nostro peccamus? Peccatū quod est cōtra vniuersum mundum, qui factus est ideo, vt in homine & per ipsum seruiat authori naturæ; quomodo ergo regnat in corpore nostro, & per nos principem mundi huius diabolū constituit? Cùm enim peccat homo, quantum in se est, omnē creaturam, qua abutitur, subiicit D peccato: ideoque dicit Paul. omnem creaturam ingemiscere vsque adhuc, quia vanitati subiecta est. Et S. Petr. mundum cremandum, licet ex se nihil tale meruerit, sed propter hominem qui peccato eum seruire fecit. Quare etiam Sapientia dicit, quod in die Iudicij omnis creatura armabitur in vltionem contra insensatos & peccatores. Ecce itaque quomodo peccatum est aduersus omnia, & quomodo item aduersus ipsum omnia sunt, & omnia clamant.

Iusta ratio admirandi vnde peccatū sit. *Psal.10.* *Rom.8.* *1.Petr.3.*

Creatio clamat, lex, Incarnatio, mors Christi, Sacramenta, denique & cœlū & terra; vnde ergo zizania? nónne bonum semen seminasti in agro tuo? inimicus homo fecit. Peccatum semen est E diaboli. Omnis enim qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam ipsius semen manet in eo, & nō potest peccare, ait S. Iohannes, quoniam ex Deo natus est, & in hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniā ab initio diabolus peccat. In hoc verò apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. Interim permittit Dominus herbam crescere cum bono semine; sed vsque ad diem messis, proximæque mortis. Tunc enim zizania apparebunt in medio tritici, & dicet Dominus ministris suis atque messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Triticum autem congregate

1.Ioh.3.

gate

gate in horreum meum: separate, separate abinuicem. Attendite omnes, breui quidem mors manifestabit, quid de vobis futurum sit. Hodie boni cum malis, & zizania in medio tritici inueniuntur; tunc autē dura separatio fiet. Dominus enim dicit: Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium; & vt Psaltes dicit: Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui, quando in sede majestatis tuæ apparebis. Et sicut oues in Inferno positos, mors depascet eos, vt paleas & fasciculos. (Matth. 13.)

O quàm dura hæc separatio erit! vnde zizania? Alligate, alligate ea in fasciculos, adulteros cum adulteris, superbos cum superbis, auaros cum auaris, patres cum filiis, &c. Pedibus, manibusque ligatis, mittite eos in tenebras exteriores. O miseri! væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. vnde zizania? Ad comburendum in fasciculos alligate, non ad consumendum, quia æternus est cruciatus, & non est consumptio, sicut Isaias dicit, Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum, nequando rapiat, & non sit qui eripiat. Intelligite, quia damnatorum pœnæ tot & tantæ sunt, vt lingua & voce minimè explicari queant. *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus.* ait Psaltes. (Isa. vlt.)

(*Pœna damnatorū horribiles.*) Interim nonnullæ proponendæ sunt, quibus horror eiusmodi status miserrimi explicari possit. Prima est, qua sciunt in æternum se beatitudine cœlesti priuatos. O quale & quàm illis horribile istud Matthæi verbū! *Auferetur a vobis regnum Dei.* Illud Isa. *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Secunda, qua sciunt se esse maledictos & exosos in æternum Deo, & omnibus Sanctis eius. Deo, sicut Iob ait; Vsque ad Inferos peccatum illius, & obliuiscitur eius misericordia. Item Sanctis & beatis, sicut Isaias dicit: Egredientur iusti, & videbunt cadauera eorum qui præuaricati sunt in me, & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni. Sicut etiā dixit Psalmista; Lętabitur iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Tertia, inuidia est de gloria beatorum in cœlo, eorumque præsertim quos in terra contempserunt, sicut in Sapientiæ libro legitur: Videntes, turbabūtur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, gementes, & pœnitentiam agentes: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperij, &c. Quarta, memoria est prosperitatis præteritę & temporalis. Quid nobis profuit superbia? &c. Quinta, desperatio, est vt Iob sæpius verbis exprimit dicens: Desperaui, nequaquam vltrà viuam, & iterum: Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronā de capite meo. Destruxit me vndique, & pereo, & quasi arbori auulsæ abstulit spem meam. Sexta denique, vt nihil de aliis dicam, quæ adhuc innumeræ sunt ex parte patientis, est appetitus non essendi. Dicit enim miser plenus angustiis, atque in æternum positus in tormentis: Vtinam cōsumptus essem, & fuissem quasi non essem. Peccaui, quid faciam tibi, ô custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis? cur non tollis peccatum meum? tædet animam meam vitæ meæ. Loquar in amaritudine, & dicam Deo, cur me ita iudicas? Nunquid bonum tibi videtur si opprimas me opus manuum tuarum? Vtinam consumptus essem, ne oculus videret me. Talia sunt vota habitantium in Inferis, ex parte eorum pœnæ sunt vndique. (Matth. 21. Isa. 26. Iob. 14. Isa. 66. Sap. 5. Iob. 7. & 19. Iob. 10.)

Ex parte autem loci & torturarum aliæ sunt infinitæ, vt incendium flammæ, tenebrarum horror, pressura corporum; sic enim mutuò compressa erunt, vt amplius extendere se, aut etiam contrahere se non possint. Satis adhuc conuenienter Iob illud exprimit dicens: Corpus dæmonis, id est, omnium simul damnatorum, compactum est squamis sese prementibus. Item fœtor intolerabilis ex cadaueribus eorum. Quid esset, obsecro, quatuor tantùm diebus, vel horis, iungere viuum cum mortuo? Quid igitur est iungi in Inferno cum tot mortuis fœtentibus? Item ibi amaritudo amarissima est in gustu peccatoris, vbi panis eius, vt ait Iob, in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ. Cùm satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum. Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur: iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit. (Iob. 41. Iob. 20.)

Denique & fletus erit propter nimium calorem loci; & stridor dentium propter nimium frigus, Iob dicente, qui diuersis in locis mirum in modum hæc tormenta describit; Ad nimium calorem transient ab aquis niuium. Ecce qualis balneus erit, igneus: sicque heu! de tormentis in tormenta rotabuntur. O quis talia non perhorrescat? Paueo gehennam, dicit S. Bern. Paueo Iudicis vultum, ipsis etiam tremendum Angelis, contremisco ab ira potentis, à facie furoris eius, à fragore ruentis mundi, à verbo aspero, à voce Archangeli & tubæ. Contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à ventre Inferi, & à rugientibus præparatis ad escam. Horreo vermem rodentem, ignem torrentem, fumum, sulphur, vaporem, & tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt præueniam fletum fletibus? vt agrum meum irrigem dulci torrente lacrymarum, qui zizania euellat, antequam iubeat Dominus colligi à ministris, sempiterno igne comburenda; & sic triticum suum congreget in horreum gloriæ, vbi fulgebunt iusti in perpetuas æternitates? (Iob. 24.)

DE MYSTERIO GLORIÆ ABSCONDITO IN HUMILITATE VITÆ CHRISTIANÆ.

Simile est regnum cælorum grano sinapis. Matth. 13.

MIRVM est quod in hoc capite Matth. non loquitur Christus nisi in parabolis, quæ septem sunt numerò. Occasio autem illa sumpta est ex turba multa auditorum quæ venerat ad eum, dum secus mare sederet. In quibus cùm ille agnouisset diuersam dispositionem animi, magisque in malum, quàm in bonum ferri, illis propterea obscurè loquitur & in parabolis. Hoc admirati sunt discipuli, & dixerunt, quare sic loqueretur illis, qui ideo respondens ait eis: Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non intelligunt, & adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis, incrassatum est enim cor populi huius. Quasi diceret: in pœnam & punitionem incredulitatis eorum, sic obscurè loquor eis, quia cùm certissima (Isa. 6.)

certissima eorum quæ dico, argumenta & oculis viderint, & auribus perceperint, nec tamen intelligere voluerint, illud meruere, vt sic in parabolis loquerer eis, vt etiamsi vellent, intelligere non possent. Vestri autem beati oculi, quia vident,&c.

Sic Deus solet, charissimi, iusto iudicio, verbum suum iis auferre, qui semel cùm eis offerretur, repudiarunt: & primò seruat præceptum quo dixit in Euangelio; *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Sic in Amos, iis qui tot Prophetis quos miserat credere noluerunt, ait: Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Incrassatum est enim cor populi huius, oculos suos clauserunt & aures, nequando videant,audiãt, & corde intelligant,& conuertantur.Qui habet, dabitur ei,& abundabit, dicit Dominus, id est, qui bene vtetur gratia & cognitione, & plura adhuc merebitur habere. Qui autem non habet, è contrà, & quod habet, auferetur ab eo. Sic in Actis duo noui Apostoli Paulus & Barnabas dixerunt Iudæis: Vobis quidem oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Et Dominus ipse in Euangelio; Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Non permittit Christus nihil sua talenta referre.

Math.7. Amos 8. Act.13.

Interim S. Chrysostomus quærens cur sic illis Christus parabolas proponeret, cùm etiam nollet ab eis intelligi; optimè respondet, ideo tunc noluisse intelligere eos, vt postea intelligerent. Excitatur enim auditorum affectus, & inquirendi diligentia, cùm ea audiunt quæ non intelligunt, & tamen animaduertunt magnarum rerum significationem habere. Et ita fit, vt pœna illis in emendationem euadat, nisi fortè adhuc pœna ipsa abutantur, vt videntes, penitus non videant, & nusquam conuertantur. Iam igitur qui habet aures audiendi, audiat. Vobis datum est Christianis nosse mysteria regni cœlorum, quod hodie simile est grano sinapis, agnoscite parabolam,& in illa mysterium.

S. Chrysost. hom. 46. in Matth.

Posuerat Christus in Euangelio tres primas parabolas eiusdem rationis, nempe, de semine, quò multiplex Euangelij fructus intelligitur. Per primam declarabat diuersum effectum Euangelij, prout cadit in terram bonam, vel malam. Per secundam, quomodo corrumpitur superseminatione zizaniorum. Per tertiam,quæ nostra est, quam vim habeat, declarat: & in quam magnitudinem crescat ex paruo initio. Vobis igitur datum est hodie hoc nosse mysterium regni cœlorum.Quare iam agnoscite. Simile est regnum cœlorum grano sinapis,quod minimum quidem est omnibus seminibus: cùm autem creuerit, maius est omnibus oleribus,& fit arbor.En mysterium,& cui regnum cœlorum comparatur,grano sinapis.

Primò, ex Sancto Augustino, propter ardorem,cùm maximè in calidioribus locis,& feruente æstate crescat. Ita enim de regno cœlorum est, ad quod non nisi charitatis ardore peruenitur.Secundò, & maximè hodie ex Christo, huic grano comparatur, quia nimirum inter omnia semina minimum est, & ex minimo in arborem crescit: sic enim humilium regnum cœlorum est, & non nisi paruulis datur, Christo dicente; *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis.* Ecce igitur mysterium reuelatum, quod vobis nosse datum est. Confiteor tibi pater Domine Rex cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis.

August. serm. 31. *Cur regnum cœlorum cõparatur grano sinapis.*

Matth.11.

Ecce ergo quare dicit S.Matthæus; Hæc omnia loquutus est IESVS in parabolis, & sine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum,& eructabo abscondita à constitutione mundi. Ecce abscondita; Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum. Ecce abscondita; Quisquis non acceperit sicut paruulus, non intrabit.Ecce abscondita; Voca debiles, & compelle intrare. Ecce abscondita; Simile est regnum cœlorũ grano sinapis, quod minimum est. Confiteor tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Vobis autem ea datum est nosse, agnoscite. Ita pater confiteor tibi, gratias ago tibi, quoniam sic placitum fuit ante te: omnia mihi tradita sunt à patre.Nemo nouit patrem nisi filius, & cui filius voluerit reuelare. Quibus? vtique paruulis; humilibus enim dat gratiam, & cum simplicibus sermocinatio eius.

Finge Deum ditissimum esse flumen omnium gratiarum, & fontem omnis boni. Num flumina & fontes per accliuia decurrunt? minimè quidem, sed per decliuia. Valles ergo implebuntur hoc flumine, vt illud verificetur quod Isaias dicit, & cum illo Iohan. & omnis mons deseretur, & vallis implebitur. Sic S. Iacobus: Omne datum & donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum: descendens, ergo in humiles. Descensus enim omnis eiusmodi est. Et sic verum est, quia solùm humilibus dat gratiam Deus, humilibus spiritu, conuersatione & vita. Cuiusmodi est omnium Christianorum atq; fidelium professio in Ecclesia,qui in veritate Dei sunt humiles, aut certè debent esse, si Christum sequi velint,& gratiarum eius esse participes. Christianorum vita, & eorum prouectio tota in humilitate consistit.

Adde adhuc istud Domini: Si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Certè si saliant aquæ,ex imo salient,& non ex alto. Præterea,si quæris vnde fons talis aquæ salientis oritur in homine, qui ex aqua quam dabit Christus, biberit, addit explicans alio in loco mysterium: flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Cur non dixit, fluent de capite? aut de corde? Certè quia venter vilior & humilior locus est in homine. Vnde si ex te aquæ emanaturæ sunt, ex vilitate tua, imóque humilitatis emanaturæ sunt. Humilibus dat gratiam Deus, & cum simplicibus sermocinatio eius. Consilium Dei fuit, nobis aperire viam cœli. Quænam est illa? humilitas. Sic multoties interrogatus Sanctus Augustinus, quæ via esset ad cœlum, toties respondebat, humilitas, & quia alia non est. Confiteor tibi pater, quia reuelasti eam paruulis. Christus quidem primò in se illam viam nobis aperuit, paruulus factus vsque ad serui formam, & humilis vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Vnde etiam solus dixit; *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.*

Ioh.4. Ioh.7. *Via cœli humilitas.*

S. Bernardus his verbis duplicem inuenit & considerat humilitatem: vnam cognitionis; alteram affectionis, quæ dicitur cordis. Priore, ait, cogno

Duplex humilitas. S. Bern. Ser. 4. de Aduentu.

cognoſcimus quod nihil ſumus, & hanc diſcimus à nobis ipſis, ab infirmitate propria. Poſteriore calcamus gloriam mundi, & hanc ab illo diſcimus, qui cùm in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum: qui etiam quæſitus in regnum fugit, & è contrà quæſitus in opprobria & ad mortem, ſponte obtulit ſemetipſum. Ideo ait; Diſcite à me, &c. Certè non bene ſapimus, ſi alia ratione exaltari velimus; & ſi membra Chriſti nos eſſe fatemur, ſicut ipſe ambulauit, ita & nos ambulare debemus. Hæc eſt via, ne ab illa declinetis. In cœlo quid eſſe creditis? humilitatem. Illa vtique omnis beatorum curia, humilium curia eſt. In Inferno è contrà, quid eſſe creditis? ſuperbiam. Illa enim omnis miſerorum & reproborum caterua, ſuperborum curia eſt. *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper*, ait Pſalmiſta.

Cœliū curia, humiliū eſt.

Videte quæſo quantum differant illæ curiæ. Deus ergo non poteſt non amare in terra, quos videt ſimiles eſſe iis quos in cœlo amat, videlicet humiles. Et certè cogitanti mihi ſæpius quid cauſæ erat, quare res quæ exiguæ ſunt, nobis tantopere placent, & arrident, vt eſt paruulus infans, etiamque catellus: ratio illa occurrit, hoc prouenire à Deo, & quaſi ad nos emanare, cui certè omnia exigua & humilia placent; adeò vt dixerit, quod ſi vnuſquiſque ſicut paruulus non acceperit regnum Dei, non intrabit in illud. Simile eſt, inquit hodie, grano ſinapis, quod minimum eſt omnibus ſeminibus. En parabola.

Dauid minimus omnium fratrum, electus atque in Regem vnctus eſt. Et profectò nullus eſt qui non amet humiles, exhorreſcat verò ſuperbos. Quis enim conuiuet ſuperbo? Et è contrà, quis non pacificè conuerſabitur cum humili corde? & cum ſimplicibus ſermocinatio eius. Sinite paruulos venire ad me, dicit Chriſtus; talium eſt regnum cœlorum. Præterquàm quod etiam, iuxta rationem & naturalē, nullus in terris poteſt eſſe beatus, niſi ſit humilis & paruus. Cùm enim hæc vita præſens ſit plena vndique malis, torque retibus & laqueis, quis quæſo euadere poterit, & in tuto eſſe, niſi qui contrahit ſe, & efficitur paruus? Vis ergo hic, atque in cœlo eſſe beatus? eſto nunc in terra humilis, paruulus in oculis tuis, & ſemper à facie Dei proiectus.

DE PRÆMIO ÆTERNÆ beatitudinis debito noſtris operibus bonis.

Voca operarios, & redde illis mercedem. Matth. 10.

VITA Chriſtiana quam nos docuit IESVS Chriſtus, continuus in terra labor eſt, neque requiem niſi in Cœlo expectat. Curſus eſt, cuius brauium corona eſt iuſtitiæ: certamen, cuius victoria & triumphus Deus eſt. Stimulus magnus eſt operario, & pugnanti ingens propoſita merces; & magno labori, qualis in hac vita eſt, non niſi magni pretij conuentio debebatur. Ad magna hodie vocamur, nec minima à patrefamilias conuentio facta eſt: pro labore exiguo, vniuſque horæ, nobis denarius promittitur gloriæ. Ieremias dicit: Quieſcat vox à ploratu, quia eſt merces operi tuo, & ſpes in nouiſſimis tuis; videlicet retributionis. Pſalmiſtam audite: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Vnde Auguſtinus dicit. Si te terreat labor, reſpice mercedem. Quilibet homo non poteſt mereri diuitias ſæculi ſine labore; & tu vis ſine laboribus peruenire ad æterna gaudia? O homo erras. Ita S. Gregor. Ad magna præmia perueniri non poteſt, niſi per magnos labores. Quare? quia retributio æternæ vitæ, effectus eſt iuſtitiæ qui datur pro opere. Opera enim illorum ſequuntur illos, & vnicuique reddetur ſecundum opera ſua. Hodie ait Chriſtus; *Voca operarios, & redde illis mercedem.*

Ierem. 31. Pſ. 127. S. Aug. S. Gregor. hom. 37.

S. Thomas docet, meritum & mercedem ad idem referri. Illud enim merces dicitur, quod alicui recompenſatur pro retributione operis, vel laboris, quaſi qnoddam pretium eius: & ecce ex diuina ordinatione, etſi aliter omnia ſummè inter ſe diſtent, etiam in quibus nulla eſt proportio æqualitatis, & iuſtitiæ, interim finitis laboribus noſtris deputatur infinita merces; & vbi nulla eſſet iuſtitia abſoluta & ratio meriti, adeſt tamen ſecundum quid, & ex bonitate & conuentione Dei. Ita vt ab eo poſt laborem noſtrum expectare poſſimus coronam iuſtitiæ, & dicere ei: Fecimus quod iuſſiſti, redde quod promiſiſti. Attendite magis. Ipſa etiam merces promiſſa Deus eſt, vt ipſe Abrahamo dixit; Ego ero merces tua magna nimis. Sicque hodie tibi dicere poſſum, velut procurator Euangelij, ſi laboraſti, ex conuentione tolle quod tuum eſt. Sed quidnam eſt iſtud tuum? vtique Deus eſt.

S. Tho. 1. 2. q. 114. art. 1. *Deus est merces propter fidelium.* Gen. 15.

O verbum omni miraculo maius! Iſaias dicit: *Filius datus eſt nobis.* Quid hoc ſibi vult, niſi quia verbum Dei, noſtrum eſt? Sanctus Auguſtinus dicit, quod fecit Deus hominem, vt amando ſummum bonum poſſideret. Quidnam eſt hoc, niſi quia Deus poſſeſſio hominis eſt? Poſſeſſio noſtra eſt; tolle ergo quod tuum eſt, & vade: an non tibi Deus ſat eſt? Gauderes ſi tuus eſſet orbis terræ: gaude magis quod tuus ſit author orbis. Audite deſides & negligentes, exclamat Sanctus Auguſtinus, qui in hoc ſperatis ſaluari, quoniam appellamini Chriſtiani. Non verba ſaluant hominem, ſed opera: quid hic ſtatis tota die otioſi? Audite quid iterum Dominus in Euangelio dicat: Inutilem ſeruum eiicite in tenebras exteriores. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur. In laboribus hominum non eſtis. Quid ergo hic otioſi ſtatis? hic, ſcilicet in mundo. Audite quid dilectus dicit diſcipulus: Mundus tranſit, & concupiſcentia eius. Quid hic ſtatis, in hoc periculoſo loco, in quo ſaluari non poteſtis? ſtatis, & mundus tranſit. Neſcit homo finem ſuum, & ſtatis tota die, cùm dies noſtri ſint quaſi vmbra ſuper terram. Eccleſiaſticum audite. Ante obitum, inquit, operare iuſtitiam, quoniam apud Inferos non eſt inuenire cibum. & alibi: Quodcunque poteſt facere manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia apud Inferos, quò tu properas.

Iſa. 9. Matth. 15. 1. Ioh. 2. Eccli. 14.

Quid hic ergo ſtatis tota die otioſi? vbi omne tempus vitæ huius, ſolùm vnus eſt dies laboris, vel certè vnius diei hora. Quare iam quid dicat ipſe Dominus de ſe, audite. Me oportet, inquit,

Ioh. 9.

inquit, operari opera eius qui misit me patris, donec dies est: hoc autem sentite in vobis, quod & in Christo IESV. Et qui dicit se Christianum esse, & in eo manere, conetur, sicut ambulauit, & ipse ambulare. Deponentes omne pondus, ait ad Hebr. Heb.12. Apostolus, & circumstans nos peccatum, curramus aspicientes in authorem fidei, & consummatorem IESVM. Ipsumque per os Dauid sic loquentem Ps.87. audiamus? Ego autem in laboribus à iuuentute mea. Quæ causa? Otia tua & iniquitates tuæ, sicut in Isaia dicit: Præbuisti mihi laborem in iniqui- Isa.43. tatibus tuis. Ita certè ipse in laboribus fuit propter te, & tu in otio manes? non est discipulus supra magistrum. Si tibi grauis sit labor in corpore, in capite, in manibus, cogita & perpende vulnera eius, fatigationem, flagellationem, coronationem, figurasque clauorum in manibus, pedibusque.

Totum certè, dicit S. Bern. tibi suaue erit, quidquid agis & pateris, si actiones & Passionem Christi collegeris. Sed & si cum eo tanta est merces operi tuo, quid hic otiosus stabis? Audiant hic omnes, quia non otiantibus, nec torpentibus, sed *Quibus promittitur & debetur merces.* laborantibus præmium promittitur. Si te terreat labor, dicit hic S. Leo, respice præmiũ. Ita S. Chrysostom. Si tempestas nautis, si vulnera militibus, si frigora agricolis, propter temporale præmium leuia sunt, quanto magis propter præmium æter- S. Gregor. hom.37. num? Et Sanctus pariter Gregor. Si consideremus quæ promittuntur in cœlis, vilescunt statim omnia quæ habentur in terris. Operamini ergo donec dies est, cibum non qui perit, sed qui in æternum permanet; veniet enim nox quando nemo poterit operari: sero Euangelicum veniet & mors, vbi retribuetur: Iudicium, & consummatio sæculorum, vbi qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem: vbi denique qui in Ps.48. otio fuit, iuxta os Dauid, laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.

Quapropter ne dicatis modò, nemo nos conduxit, non enim ita est. Ecce homo paterfamilias Euangelij, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, & mittere eos, vt in ea ope- *Quomodo Deus dicitur paterfamilias.* rentur & laborent. Quis ille? Deus paterfamilias vocatus & homo, non quidem proprietate substantiæ, sed affectu pietatis. Homo & pater, quia circa homines humanus est, benignus atque misericors: paterfamilias per creationem, & prouiden- *Duplex familia Dei.* tiam. Familia autem eius duplex est. Vna cœlestis, cuius sunt Angeli, quos & creauit, & in tres hierarchias distinxit: vnamquamque verò in tres di- Daniel.7. uisit ordines. Admirabilis planè atque innumerabilis familia illa est, de qua sic Daniel. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Altera in terris est, cuius maximè sunt homines, quos in hoc mundo posuit, vt operarentur ad eius gloriã, fructúmque afferrent. Propterea *Quomodo dicitur Deus exire.* exiit primo mane, vt conduceret eos. Exiit Deus à principio creationis, non quidem per loci mutationem, sed per diffusionem pietatis in creatura rationali, dans Angelis participationem sui esse creatam, hominibus imaginem, & vestigium sui cæteris creaturis.

Liceat adhuc magis pondus huius verbi expendere (exiit.) Vnde quæso exiit, qui replet omnia? Dicamus hoc cum pace & licentia. Exiit ex se, ô homo, vt intraret in te, imò vt te conuerteret in se. Sicut enim æternum verbum exiit à patre, & venit in mundum, vt deificaret mundum, (exiit, inquam, quia humiliauit & exinaniuit se:) ita Deus

A paterfamilias velut exiit à se, & à sua majestate, vt per gratiam similitudinis inhabitaret in te. Sed exiit conducere operarios in vineam suam. Quæ illa, & qui operarij eius? Vinea cœlum est, seu Ecclesia in cœlo, & in terra militans. In cœlo, *Ecclesia vinea Dei.* aliquo instanti militans extitit, cùm bellum à Michaële & Angelis eius aduersus Draconem & angelos eius commissum est. In terra, vbi adhuc continua militia est. Vnde operarij non solùm homines sunt, sed & Angeli fuerunt; quibus Deus dare noluit beatitudinem absque labore & meritis.

Sed dices; Quænam illa merita fuere in eis? *In instanti merita Angelorũ fuere.* Mira certè & magna, eoque maiora, quod vnicum B tantùm instans habuere, in quo vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. O homo, non vnum instans, sicut Angeli, sed multa tempora habes ad adeptionem gloriæ, & otiosus manes? S. Thomas in duobus ponit me- *Opinio S.Th. de merito Angelorum.* ritum & laborem ipsorum in illo instanti, nempe in resistentia mali, & adhæsione boni per dilectionem: propter quod meruerunt denarium æternitatis, & confirmari à Deo in sua felicitate. Vnde si tu vis, ô homo, illam possidere cum ipsis, oportet vt operibus iustitiæ promerearis. Si enim Angelis non gratis, sed pro meritis data est, quanto magis ratione meritorum debet dari hominibus? Quid ergo hic statis otiosi? Ite in vi- C neam meam, ait Dominus. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

Mementote quæso huius primi exitus Dei à se per creationem, vbi primo mane hominem po- Gen.2. suit quem formauerat, in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum. Nos autem extra paradisum sumus, & otiosi erimus? Omnes ad laborem nascimur, & tota die hic stabimus otiosi? Nunc etiam mementote vnumquemque nostrũ vineam suam habere, in qua ei necesse est operari. Quænam est illa? Anima vniuscuiusque est. Quis *Anima vinea Dei.* verò est Dominus? Deus. Sic enim apud Ieremiam dicit; *Ego te plantaui vineam meam electam.* Verè D electam, pro qua Deus filium suum dare dignatus est, & filius sanguinem, imò dilectam animam suam, pro qua etiam libenter totum mundum offerret diabolus. Sic enim in deserto & tentationis loco ausus est dicere Christo: Hæc Matth.4. omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Quidnam prætendebat iste? animam totius vniuersi pretio emere. O Domine, inquiebat Psaltes, re- Ps.79. spice de cœlo & vide, visita vineam istam, & perfice eam quam plantauit dextera tua. Sed quis eius operarius est? Ipse tu es. Quare nunc pretium eius attendamus, & cuius illa sit. Vtique Dei est, qui eam fecit, & plantauit; filij Dei est, videlicet Christi, qui & fecit, & sanguine re- E demit & lauit. Empti estis pretio magno, dicit 1.Cor.6. Apostolus, non corruptibilibus auro & argento, dicit princeps Apostolorum Petrus, sed pretioso 1.Pet.1. sanguine Agni immaculati Christi. Et qui adhuc præterea vt procurator constitutus à patre, curam eius continuam gerit.

Nunc ergo considerandum est cuinam potissimùm fructificare debeamus. Vtique ipsi Christo, cui cura vineæ est, & authoritas retribuendi pro labore, vnde ait: *Posui vos, vt eatis, & fructum* Ioh.15. *afferatis, & fructus vester maneat.* & iterum: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, pater tollet eum.* O formidabile verbum! minimè facere fructum

 sussi

sufficit, si non in Christo feramus; alioquin A pater tollet eum. Quid igitur facient, qui nullum penitus afferunt, tota die stant otiosi, & certè nimis frequenter pessimum afferunt propter otium ipsorum? cùm dicat Dominus: Posui vos, & in vineam conduxi vos, vt fructum afferatis, & fructus vester maneat. Isti sunt infructuosi palmites, ad comburendum excidendi: hi qui in vano animam suam acceperunt, & à regno Dei sunt excludendi. Audiamus Prophetam: Quis ascendet, ait, in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? & subiungit, qui non accepit in vano animam suam. Ille, inquit Cassiodor. ibi, in vano accipit animam, qui putat desideranda, quæ sunt transitoria, vel caduca. Ille verò non accipit in vano, qui se nouit ad B diuinitatis intelligentiam fuisse procreatum, ad legem Domini custodiendam, ad cogitationes vitæ æternæ, & quidquid potest supernam gratiam promereri.

Ps. 23.

Cassiodor. in Psal.

Dignitatem nostram quæso attendamus, & nihil ea indignum faciamus. Charissimi, ait S. Gregor. mores vestros inspicite: & si iam Dei operarij estis, attendite. Penset vnusquisque quid egit, & consideret si in vinea Domini laboret, cùm solum operarij Dei accepturi sint mercedem vitæ æternæ. Anima tua, ô homo, vinea Domini est, operare in ea. Producat gemmas suas: hæ sunt cogitationes bonæ. Producat flores: hi sunt bonæ voluntates. Producat vuas suas, quæ sunt fructus C bonorum operum, vt tandem aliquando producat tibi vinum lætitiæ, & mercedis æternæ: & à procuratore patrisfamilias Christo, denarium beatitudinis recipias, denarium dico, figura circulari cuius tibi æternitas ostenditur, quæ non habet finem. Regnum enim eius, regnum est omnium sæculorum. O beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Hæc est plena beatitudo, ait S. August. videre illum qui te fecit, & saluauit & glorificauit. Videbis cognoscendo, amabis fruendo, & laudabis in æternum possidendo.

Ps. 144.

D

DE GENERATIONE, & prædicatione verbi Dei.

Qui habet aures audiendi, audiat. Luc. 8.

Exiit qui seminat seminare semen suum Iesvs Christus. Narrat S. Lucas quod his dictis, hacque parabola proposita, statim Christus clamabat: *Qui habet aures audiendi, audiat*; vt nimirum excitaretur in animis studium inquirendi abscondita mysteria. Et quid non clamaret super E seminis sui fructu, à quo paradisus dependet, aut Infernus, gloria paradisi, vel tormenta Inferni? Dicebat in Isaia Dominus: *Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Et in Euangelio: *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Sunt enim qui nec audire, nec audita volunt facere, de quibus apud Ieremiam dicit: Loquutus sum ad te in abundantia, & dixisti, non audiam. Vnde modò Christus; *Qui habet aures audiendi, audiat.* Exiit qui seminat seminare semen suum.

Isa. 55.

Ioh. 8.

Ierem. 22.

Olim Deus, inquit Paulus ad Hebr. quasi alieno loquebatur ore; nunc autem suo ore nobis loquitur, nempe in filio. Sic enim dicit: Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè loquutus est nobis in filio. Videns Dei filius qui priùs seminauerat verbum vocis per os Prophetarum, non retulisse illud fructum exoptatum, neque exinde Deum patrem coli, sed vitia triumphare, animasque reddere pro fructu spinas & tribulos, decreuit, per seipsum, non amplius vocem, sed prædicationis oraculo, & voce semetipsum verbum æternum seminare. Exiit ergo qui seminat, exiit ad nos mundo dare notitiam suam.

Heb. 1.

Non aliunde verò quàm ex Euangelio parabolæ huius explicationem sumemus, ipso Domino dicente quod semen est verbum Dei. Vnde iam colligere licet, quia ager anima sit, & seminator, si vultis, omnis prædicator, qui de secreto contemplationis, studij & orationis, ad erudiendos homines exire debet. Interim Christus ipse sit seminator bonus, qui de sinu patris exiit seminare semen suum. Heu! ô dilectissimi, si seminator est Deus, & semen Deus, quid nascetur ex cordibus vestris nisi quodammodo Deus? *Qui habet aures audiendi, audiat.*

Christus non solùm prædicatione verbi sui, vocem seminat exteriùs, sed etiam semetipsum interiùs. Quantæ ergo dignationis esse putas, quod se tantum & tam dignum semen in te, & tam vili stercore seminet; quantique amoris, quod velit in nobis recondi, quoad vsque ex nobis nascatur fructus qui permaneat in vitam æternam, & nos sedeamus cum ipso in throno gloriæ eius? Propterea, charissimi, verbum caro factum est, verbum quod erat in principio, verbum quod erat apud Deum; exiuit à Deo, & habitauit in nobis. Exiuit Deus de Deo, ad seminandum Deum in nobis. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quotquot receperunt eum, adinstar bonæ terræ, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Sed quibus? his qui credunt in nomine eius. Semen est verbum Dei, ait Christus; sed tale quod in principio erat verbum, & verbum apud Deum, seminatum in carne, & per carnem in nobis. In principio erat verbum, in tempore caro factum, & vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à patre, de plenitudine cuius omnes accepimus.

Ioh. 1.

Ita igitur exiit qui seminat semen, quod est verbum Dei. Hoc verbi nomine in Christo Iesv duplicem ex S. Iohanne accipiemus intelligentiam. Vnam internam, qua verbum est patris, filius Dei & Deus. Alteram externam, qua idem verbum in plenitudine temporum caro factum est, id est, homo. Quo sensu Iohannes scripsit: Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. Item sicut in nobis duplex est verbum, vnum mentis & internum; alterum oris & externum: ita quoque in Deo per Christum, vnum est mentis internum æternum verbum, ipsemet Dei filius vnigenitus, patri coæternus, quem generauit ab æterno, intelligendo semetipsum. Alterum quasi oris & externum, quo nimirum in ipso filio, qui factus est homo, nobis in tēpore loquutus est, & suam volūtatē declarauit. Quale est illud verbū quod nūc audimus, atque consignatum litteris sacris habemus. Quo sensu apud Isaiam dicebat, vt iam retulimus; *Verbum*

Duobus modis accipitur verbū Dei.

Ioh. 1.

Duplex verbum in homine.

Isa. 55. *bum quod egreditur de ore meo, non reuertetur vacuum.* De ore meo, ait filius; & si vultis, ait pater, de filio meo Christo.

Igitur, vt nunc ad loquentem filium referamus, de ore meo, id est, proprio, & non alieno, vt antè in prophetis; quomodo in Euangelio dicit: Qui verbum meum audit, & credit, habet vitam æternam. (Ioh. 4.) Vnde alibi: Propterea ego lux veni in mundum, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. (Ioh. 12. & 15.) Quare qui non accipit verba mea, habet qui iudicet. Si enim non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Sicque ideo dixit hodie: Exiit qui seminat seminare semen suum. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, aliud supra petram, aliud inter spinas, aliud in terram bonam.

Ecce inuenimus in quatuor locis iactum esse semen, & in vno solùm profecisse. (*Verbum Dei in quatuor locis inuenitur seminatum.*) *Qui habet aures audiendi, audiat.* Nulla hic mentione facta de infidelibus aut hæreticis, ad quos verbum Dei non pertinet, cùm illi penitus in via sint perditionis, & in viam non iaciatur semen, sed tantùm de fidelibus & Christianis, qui in Ecclesia verbum Dei audiunt, & semen vitæ æternæ recipiunt; heu! quarta tantùm salua, tres partes pereunt. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Ipse Dominus est qui parabolam suam explicat, & explicans eam sic clamabat: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Dum seminat, inquit, semen, aliud cecidit secus viam, aliud supra petram, aliud inter spinas, & aliud in terram bonam. Ecce quatuor partes ad quas diuersimodè distribuitur semen seminantis. *Qui habet aures audiendi, audiat.*

Nunc ergo explicationem Christi audiamus. (*Explicatio parabolæ.*) Secus viam, vbi semen conculcatum est, & volucres cœli comedunt illud, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde, ne credentes salui fiant. Ecce primi inter fideles, qui sola fide ab infidelibus, non verò operibus distant, vnde dicuntur esse secus viam, audiunt verbum, & non faciunt, rident, parumque, aut nihil Deum timent: Politici, derisores, & Athei huius sæculi, qui pedibus verbum Dei conculcant; sed quid inde accidit? Videns diabolus sic rideri & conculcari verbum Dei, gaudet vtique, atque etiam comedere dicitur, id est, valentior fit contra eos, (*Quot modis diabolus comedere dicitur.*) sicuti is qui comedit contra ieiunos. Vel dicitur comedere, quia in pectore seruat contemptum nostrum, vt in die Iudicij nos accuset acriùs. Vel adhuc comedere dicitur in signum condemnationis iam latæ. Memores estote illius pistoris Pharaonis, cui, cùm suos panes volucres cœli comedisse vidisset in somnis, Ioseph asseruit id esse indicium (Gen. 40.) proximæ suæ mortis. Ita cùm dicit Dominus hodie in parabola, volucres cœli comedere panem verbi Dei, certi estote, indicare his verbis signum proximæ damnationis iis qui verbum suum contemptui habent, secus viam, & non in corde recipiunt.

Sunt alij qui hoc diuinum semen super petram recipiunt. Exteriùs quidem afficiuntur, tanguntur, flent & orant, diuinisque astant officiis: interiùs autem corda lapidea habent. (Isa. 23.) Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum lóge est à me; & vt hodie dicit Christus, qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt, sed radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Ob duritiem cordis, verbum non penetrat, data occasione etiam leuissima, succumbunt, irascuntur, excandescunt. (Ioël. 2.) Quapropter dicit Ioël propheta: Scindite corda vestra, & nó vestiméta vestra, & côuerti-

A mini ad me, dicit Dominus, in toto corde vestro.

Scindendum & tollendum penitus cor lapideum est. Quid cor durum interrogas? ait S. Bern. Ipsum est quod nec punctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum est ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicium sæuum, inuerecundum ad turpia, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non præuidens. (*Definitio cordis duri.* S. Bern. lib. 1. de Considerat.) Ipsum est, cui præteritorum præter solas iniurias, nihil omnino non præterit: præsentium nihil perit, futurorum nulla, nisi fortè ad vlciscendum, prospectio est: & in breui, vt cuncta huius horribilis ma-B li mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.

Sunt & alij, qui quidem cum desiderio, & fructu etiam aliquo recipiunt verbum Dei, aliquid boni facere incipientes; interea sæculi huius ærumnis, vel diuitiarum cura & amore à proposito, & bono opere incepto desistunt. Quâtum ad illos quidem iacitur semen inter spinas, sicut dicit Dominus, quæ suffocant, ne fructum referant. Hic quæso côsiderate & audite mysterium naturæ. Omnia quæ viuût sub cœlo, moriuntur statim, nisi aperto cœlo C fruantur. Sermo autem Dei viuus est & efficax, ait Apost. vnde suffocari non debet. (Heb. 4.)

Sunt denique & alij, qui corde bono verbum Dei recipiunt & retinent, & adinstar terræ bonæ fructum afferunt in patientia, trigesimum, sexagesimum, centesimum. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Vnusquisque colat terram suam, tribulos extirpet, & pœnitentiam agat, animam suam impinguet bonis operibus, & sic fructum referat in vitam æternam.

DE TENEBRIS MVNDI, & necessitate compatiendi cum Christo.

D

IESV *fili Dauid, miserere mei. Domine, vt videam.* Luc. 18.

QVI sequitur me, non ambulat in tenebris, dicit Dominus IESVS. Nô minima quidem, sed summa miseria est, quod oculi ad videndum nati, non videant, & cæci sint, quod cùm simus filij lucis, nihil minus tamen videmus quàm lumen, nihil minus quàm de luce iudicamus. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: in mundo erat, & mundus non cognouit; in propria venit, & sui eum nô receperunt. (Ioh. 1.) E Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Cæci sunt secus viam. Summus est dolor, quod spiritualia tam digna videri & comprehendi, non videâtur, minusq; comprehendantur. Loquitur hodie Christus de mysterio mortis suæ in Hierusalem: & ipsi nihil horû intellexerût, & erat verbum absconditum ab eis, & non intelligebant.

Consultò post hæc in Euágelio factû est, vt cùm IESVS appropinquaret Ierichο, cæcus quidã sederet secus viam, quem illuminauit. Heu! dum præterit Christus, si multi adhuc secus viã sedeant cęci, clament; IESV fili Dauid, miserere nobis. Sic cæco clamanti hodie dixit Christus: Quid tibi vis faciam? & ille, Domine, vt videam. Consensum nostrum petit Christus, & vt nobis det lumen gratiæ,

 vult

vult vt petamus. O non prætermittenda occasio, quando prope cæcum transit Christus lumen oculorum nostrorum & cordis! Intelligite mysterium. IESVS appropinquans Iericho, quæ Luna & mutabilitas interpretatur, cæcum illuminat. Cùm accessit ad nostros defectus, nostramque mortalitatem induit, nos ad vitam, & lucem reduxit. S. Iohan. dicebat, quoniam verbum quod in principio & apud Deum erat, vita erat, & vita lux hominum: vbi etiam subiungitur, & verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ; vnde si dixerimus, quo-
1. Ioh. 1. niam societatem habemus cum illo, & in tene-
Ioh. 8. bris ambulamus, mentimur. Ego enim, ait Dominus, sum lux mundi, & qui sequitur me, non am-
Ioh. 12. bulat in tenebris. Quare dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, dicit Apostolus.

Sed quid dicam hodie? Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tene-
Ioh. 3. bras quàm lucem. Ecce omnes cæci sunt. Vnde in
Isa. 49. Isaia legitur: *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, & in cæco clamauit, Domine, vt videam: & conuersus est. Nos autem qui Christiani, totiésque illuminati sumus, adhuc in tenebris ambulamus & manemus. Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sic vt in die honestè ambulemus, & coram Deo omnis lucis fonte ambulemus. Et quæ conuentio & societas luci ad tenebras? Ecce Euangelium diei loquitur de morte & Passione Christi, tempúsque lacrymarum proximum est; & tamen pessimè homines ducunt in bonis dies suos? Ecce ascendimus Ierosolymam, ait Christus, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget. (hæc omnia distinctè notate.) Sed & ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum absconditum ab eis. Et quis ergo hodie cæcus, nisi populus meus? Dum Christus narrat iam iam dolores mortis suæ instare, & dicit; Ecce ascendimus: dumque heu! Ecclesia tota in tristitia & amaritudine est, gaudet mundus, hilarescit, ridet, totúsque in maligno positus est. Et vos pariter cum mundo congaudetis, sed de quo? de passionibus & morte IESV Christi. Pudeat & pœniteat
Isa. 1. vos, alioquin plorabitis, extremaque gaudij vestri luctus æternus occupabit. Væ genti peccatrici, væ semini nequam, væ filiis sceleratis, blasphemauerunt Dominũ, &c. Ecce ascẽdimus Ierosolymam, ait Christus, & filij impiè tradunt me morti, suisque gaudiis vulnerant me.

Scitote, ô peccatores, & filij nequam huius sæculi, quia Christus hodie exemplo sui, ostendit vobis qua via Hierusalẽ supernã adire debeatis. Hæc est via, afflictio & communicatio Crucis Christi. Ecce, ait Christus secretò, ascendimus, secretò quidem, quia hoc secretum Dei est, ideóque tantùm reuelatum duodecim Apostolis, posteaque etiam tantùm reuelandum Apostolicæ doctrinæ sectatoribus, & non aliis. Ecce ascendimus, quasi diceret, modò. Qui mihi ministrat, sequatur me, vbi sum ego, illic & minister meus erit. Non ascenditur absq; labore, & arcta via est: illa præsertim quæ ad vitam ducit, & ad cœlum, & pauci ascendũt. E cõtrà, lata & spatiosa via est quæ ducit ad perditionẽ. Vnde quæso? quia facilis est descensus Auerni, ait Poëta: sed diuiniùs ipse Dei filius; Via est quidẽ spatiosa & descensus, vt citiùs ad interitum, & Infernum currant, & in puncto descẽdant. Via est facilis, & multi ingrediuntur per eam. Verumtamen existimo quia in fine difficilẽ inuenient & amaram, dicentque tandem cum desperatis omnibus illud
Sapiẽtiæ: Ergo errauimus à via veritatis, & Sol in- Sap. 5.
telligentiæ non ortus est nobis; lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? &c. Attendite quid ignorauerunt peccatores in terra. Viã Domini. Quænam autẽ est illa? Crucis. Illa hodie, si vultis: Ecce ascendimus Ierosolymã, & filius hominis tradetur, &c. & erat verbũ absconditum ab eis, & non intelligebant. O Domine, hodie cæci sunt, clamamus vt videãt. O fratres, clamemus ad eum omnes, & dicat vnusquisque, Domine, vt videã, trahe me post te, ad Crucem trahe me. Ecce ascẽdimus tecũ, tecum pati & mori volumus, & parati sumus: ecce ascẽdimus.

Verùm, ait Christus, nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Eia Domine trahat
me: sed & tu trahe me. Beatus enim vir ille est cu- Ps. 83.
ius est auxilium abs te. Ascensiones in corde suo in hac valle lacrymarum disposuit. Illæ autem sunt ascensiones, pati, tradi, illudi, cõspui, flagellari, crucifigi, mori, vt postea resurrectio sequatur, & exinde introitus ad gloriam. Etenim tunc benedictionem dabit legislator, & sic eundo de virtute in virtutẽ, videbitur Deus deorũ in Sion, quia nõ priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.

Tribulationes pati necesse est charissimi, dum Necesse patiendi.
ascendimus in patriã, iuxta illud Apostoli in Act. Act. 14.
Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Item ad Timot. vbi ait; *Omnes* (notate,) *qui piè* 2. Timot. 3.
viuere volunt in Christo IESV, *persequutionem patientur.* Quare? quia nõ est seruus maior Domino suo. Ecce, ait, ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur, illudetur, flagellabitur, conspuetur, & occident eum. Sic necesse est iustum qui ascendit in cœlum & supernam Ierusalem, pati multa, tradi, illudi, flagellari, conspui, ac tandem crucifigi & mori. Horum omnium exempla videamus.

Primò, tradi necesse est. Sic à principio iustus
Abel in manus Cain traditus est. Sic Ioseph inno- Gen. 4.
cens à fratribus traditus, & venditus est Ismaëlitis. Gen. 37.
Sic Iob probatissimus, etiam quod mirum est, ab Iob. 1.
ipso Deo in manus Sathanæ traditus est. Ecce caro eius in manu tua est, ait Deus, verumtamen animam eius serua. Ita ergo necesse est & nos afflictionibus & tentationibus tradi. Sed vt magis in afflictionibus nostris superabundet consolatio, respiciamus ad Dominum nostrum IESVM Christum, qui Iudæ, & per eum manibus inimicorum, & quærentium se traditus est, sicut prædixerat hodie dicens; & filius hominis tradetur gentibus.

Secundò, necesse est iustum illudi. Sic Noë à fi- Gen. 9.
lio illusus est. Sic Ioseph à fratribus dicẽtibus; Ec- Gen. 37.
ce somniator venit. Sic Elisæus à pueris dicentibus 4. Reg. 2.
ei; Ascende calue. Sic deniq; alij multi à peccatoribus fuere illusi: vt nobis quidẽ ostendatur quia adhuc necesse est, vt in hoc mũdo hominũ opprobria & irrisiones sustineamus. Vt autẽ magis consolemur in istis, attendamus ad Christũ illusum ab omnibus corona spinea, arundine, alba veste, alapis & sputis. Ecce ascendimus Ierosolymã, inquit, & filius hominis illudetur. Ascendamus igitur & nos, & exempla eorum qui cum Christo, eiusmodi opprobriis fuerunt affecti, videamus, & qui ipsum præcesserunt & qui sequuti sunt. Sic enim

enim Dauid conspui meruit & respui à suis dicentibus illi; Quid nobis & filio Isai? Item à filio Absalon, & a Michol vxore. Sic Iob inter aduersa, à proximis & amicis. Sic denique Apostoli omnes, qui postea Christum sequuti sunt, factique fuerunt propter ipsum tanquam purgamenta terrę,
1. Cor. 4. & omnium peripsema.

Denique crucifigi iustum, & sic mori adhuc necesse est. Sic enim omnes, de quibus suprà sumus loquuti, parati fuerunt. Sed interim magis ad IESVM pro nobis ipsis crucifixum attendamus, vt abundantiùs adhuc in crucifixione nostra & morte pro ipso, consolemur. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Deo in Christo. Quare iam vnusquisque audeat cum Apostolo dicere: Christo confixus sum Cruci, per quem nunc mihi mundus crucifixus est, & ego mũdo; mihi viuere Christus est, mori lucrum: vt sic tandem cum eo, & per ipsum resurgere valeamus ad vitam, & de tenebris mundi huius, ad lucem quam inhabitat. Clamemus interim qui sedemus omnes secus viam cæci, dum præterit lux nostra Christus IESVS: & dicat vnusquisque nostrûm, vocem suam extollens; *Domine, vt videam, fili Dauid miserere mei.*

POST PASCHA.

DE EFFECTIBVS amoris IESV Christi erga peccatores: & de eius sollicitudine in quærendo S. Thomam.

Venit IESVS *ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis, &c.* Iohan. 20.

NVLLVS perscrutari potest, nullus comprehendere, minusque loqui valet quanti animã vnam faciat IESVS Christus. Hodie satis ex Euangelio illud obseruari potest, quanta nimirum diligentia vsus sit, vt infirmũ in fide Apostolum suum confirmaret, & velut errantem ouem ad gregẽ reduceret. Quàm sollicitè eam requirit, & laborat ne in errore permaneat: pro ea vulneratum amore se ostendit, moritur, resurgit, apparet multis, ingreditur, expectat, & pro conuersione eius, venit iterum post dies octo, & ianuis clausis intrat, ostendit vulnera, permittit se tangi. Vnde quæso hæc omnia? attendite mysteria. *Insignia amoris Christi erga animam.*

Interim dicã, quod sunt nonnulli qui S. Thom. excusant ab errore, & dicunt non tam incredulitate Apostolis dixisse, nisi videro, &c. quàm quadam animi perturbatione, eo quod nimirũ sicut cæteri Dominum post Resurrectionem adhuc non vidisset. In quibus est S. Cyrill. & S. Aug. cuius præsertim hæc verba sunt. Thomas cùm esset sanctus, fidelis & iustus, hæc omnia sollicitè requisiuit, non quod ipse aliquid dubitaret, sed vt omnem suspicionem incredulitatis excluderet. Et alibi. Vox ista inquirentis est, non negãtis, & dum hoc dicit, nisi videro; doceri voluit, confirmari desiderauit. Ita vt iuxta S. Amb. in Luc. videatur non quidem de Resurrectione Domini, sed de Resurrectionis qualitate dubitasse. Quamobrem, dicunt, quia non maligno animo, sed infirmitate tantùm dubitauit, Christus statim ex misericordia, ab eo errore libe- *S. Aug. Ser. 161. de tẽp.* *Idem Serm. 156.* *S. Ambro. in Luc.*

rare venit, vt ipse posset ante Paulũ dicere; *Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci.* Istorum quidem authorum mens charitate plena est. Interim dicere verisimilius est, ipsũ in errorem incredulitatis cecidisse, neque excusatione dignum esse, cùm ipsum Christus reprehẽderit dicens, Noli esse incredulus, &c. Quare Theophylactus reprehendit eos qui ipsum excusant. Sicque dicimus ex pura Dei misericordia reductum ad fidem fuisse. 1. Timot. 1.

Non minimum quidem hic in conuersione S. Thomæ, misericordiæ Christi ostenditur mysterium. Intrat IESVS ianuis clausis, vt conuertat ipsũ. In quo triplex iam videre est. Primũ est, quod, vt in Apoc. legitur, stat Deus ad ostium & pulsat, vt si quis audierit, & aperuerit, intret. Quo significatur, quoniam vult vt vocanti respõdeamus. Ipse enim ex parte sua stat illuminans, & pulsat auxiliũ præbens. Ita ergo vult ex parte nostra, vt audiamus & aperiamus: & sic opus suum intrando perficiat. Sed hodie ampliora facit: nam etiam intrat, stat in medio, & pacẽ annuntiat. Vnde quęso? nisi ex eo quod remanserunt in eo nusquam delenda amoris insignia, ampliusq; nostri obliuisci non potest, vt in Isaia dicit: Ego amplius tui non obliuiscar; & rationem subiungit. Ecce enim in manibus meis descripsi te, in latere meo & pedibus. Vnde etiam ei dicere possumus, quod dixerũt Ioseph fratres eius: Salus nostra in manu tua est. Et certè hinc ratio fuit, cur adhuc tangi se permisit, & dixit: Videte, & manum afferte, & in latus mittite. Iam compello vos intrare, & ego pariter ianuis clausis intrabo ad vos, neque expecto vt aperiatis, ecce ingredior. Venit IESVS ianuis clausis. O amoris & gratiæ mysterium! Venit IESVS ianuis clausis. *Triplex mysteriũ in cõuersione Sancti Thomæ.* *Apoc. 3.* *1. Mysteriũ.* *Isa. 19.* *Gen. 47.*

Sed hic rursus aliud mysterium attendite. IESVS ianuis clausis venit, sicque in medio stans salutem nostram operatur ianuis clausis, quia nimirum via & modus, quo nos cõuertit, ignotus est nobis. Peccat Petrus, & continuò respicit illum Dominus. Peccat Iudas, & continuò laqueo se suspendit, & damnatur apud Inferos. Peccat hodie Thomas, & illum per dies octo Dominus expectat: dat illi prędicatores, apparet illi, vulnera ostendit, & ait, vide manus, vide pedes, vide latus. Vnde quæso ista, nisi quia venit IESVS ianuis clausis? Alios Deus punit subitò; vos autem expectat per multos annos, & hoc, vt redeatis, atque ex amore cum Thoma dicatis; Deus meus, & Dominus meus. *2. Mysteriũ.*

Sed vnde hæc charissimi, nisi quia ad nos venit IESVS ianuis clausis? O altitudo, &c. Quare illum trahit, ait S. Aug. & hunc dimittit, noli iudicare, si nõ vis errare. Pro isto gratia est, pro alio iniustitia non est. Venit IESVS, intrat, atque operatur ianuis clausis. Et quidẽ hic cum S. Aug. de iudicio Dei nõ querimur, quo deserit meritos deseri, & misericordiæ eius gratias agimus, qua liberat non meritos liberari. Pro his gratia est, pro aliis iniustitia nõ est. Venit IESVS ianuis clausis. *Quis nouit sensum Domini? O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei, quàm incõprehẽsibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* *S. Aug. tract. de prædest.* *Rom. 11.*

Interea tertium adhuc hic mysteriũ in his verbis attendite: & tale sit ad cõsolationem omnium. Si vultis, statim aderit vobis & inerit Christus, vestras mundo ianuas occludite. IESVS enim venit ianuis clausis. Sensus ille Sancti Gregorij est, quem Maldonat. vir nostri temporis doctissimus, tanti facit, vt postquam duplicem sensum litteralem adduxit, à quo, pro more suo, non facilè discedit: Primum, vt Diuinitatem Christus ostenderet, cui nihil clausum est, nec obstare potest: *3. Mysteriũ.* *S. Greg. lib. 4. in 1. Reg. 4.*

Secundum, vt eo modo de sepulchro exiisse ostenderet, quo ad discipulos, ianuis clausis, fuerat ingressus; sicque glorificatum corpus habere intelligerent: tamen sensum hunc mysteriosum S. Gregorij in hunc locum & notarit, & laudarit, nimirum, ad eos Christum venire, qui fores mundo occluserũt. Vnde dicitur in Prouerbiis: Omni custodia serua cor tuum. & in Isaia: Populc meus intra cubicula tua, & claude ostia super te. Hæc itaque memoria retinete charissimi. Venit IESVS ianuis clausis. Hi sunt quidem in quorum medio stat Dominus IESVS, qui mundo, & mundi vanitatibus, & concupiscentiis fores cordis occludunt: quibus ipse dat iucundissimam pacem: quibus manus & latus ostendit: quibus denique accedere ad se, & se tangi permittit. Quę quatuor gratiæ sunt potiores.

Proverb. 4. *Isa. 26.*

Quadruplex gratia iis accidit, qui mũdo cor suum claudunt.

Ecce prima. Stat in medio vt director & princeps qui regat & prouideat omnibus: vt Sol qui illuminet & accendat; vt consolator & saluator qui defendat, vt in primo libro Regum dicitur: *Veniat Dominus in medium nostri, & saluet nos de manibus inimicorum.* Denique in medio, vt exemplar vitæ nostræ, ad quod instituere eam debemus. Speculum enim est, & sine macula, ad quod quotidie conuertere nos oportet. Veni, inquit, vt vitam habeant. Venite post me. Qui me sequitur, non ambulat in tenebris.

1. Reg. 4.

Secunda est, quod pacem dicit iis, in quorum medio stat. Pax vobis, ait. Ante mortem iisdem verbis vsus fuerat dicens: Pacem relinquo vobis, pacem meã do vobis. Vnde vt iam innotescat quia ipse est, & eam adhuc nobis in sanguine suo acquisiuit, sic salutat suos, & ait; Pax vobis. Illa pax erit, ô dilectissimi, quam modò relinquam vobis illustrem vulneribus IESV Christi.

Tertia gratia est. Manus & latus ostendit. Magno quidem consilio cicatrices suas Christus retinuit. Primò, quia signa erant huius illustris victoriæ & pacis, solo ac proprio eius sanguine nobis acquisitæ. Sic solent duces ostentare, & non occultare plagas. Ita igitur Christus fecit, sicut interrogantibus dicit apud Isaiam. Quare rubrum est vestimentum tuum? sic enim respondens introducitur. Ego qui loquor iustitiam, torcular calcaui solus, & aspersus est sanguis, &c. Secũdò, ad iustorum exultationem. Quale enim quæso erit gaudium Sanctis videre vulnera in carne Christi fulgida, per quæ victor triumphauit, & saluauit electos? Tertiò, ad peccatorum & impiorum confusionem. Nam in Iudicio hęc ostẽdet vulnera, & dicet: Ecce quem crucifixistis; videtis vulnera quæ inflixistis? agnoscite latus quod pupugistis. Quare iam videte omnes, & intrate.

Cur Christus cicatrices suas retinuit.

Isa. 63.

Quarta gratia ista est. Infer digitum tuum huc, ait Christus, affer manum tuam in latus. Charissimi, non minimũ aut contemnendum est istud gratiæ mysterium. Attendite. Vult Deus vt coniungamus manus suas nostris, opera nostra suis: vult vt manum nostrã mittamus in latus suum, & in omnis gratiæ thesaurum. O inexplicabilem gratiam! Sed adhuc mysterium intelligite. Vnde quæso opera nostra habent vt sint meritoria gloriæ, nisi ex valore meritorum Christi, & pretio vulnerum eius: Ecce quidem vnde dicit hodie Thomæ: Infer digitum tuum huc, mitte manum in latus. Ecce vnde dicit omnibus: Iungite opera operibus, manus mittite in hoc latus, & haurite aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.

Vult Deus vt opera nostra suis coniungamus.

Sic quidem vnumquemque nostrûm, vt sponsus sponsã exhortatur: Surge amica mea, propera, veni in foraminibus petræ & cauerna maceriæ. Petra percussa est & aperta, Christus perfossus & vulneratus est. Quatuor sunt foramina grandia in manibus & pedibus, & innumera in capite. In latere enim cauerna est. Quare nunc manus afferte, & mittite. Sed vos abscondite in eis. Percussa est petra, & dedit aquas cum sanguine, mittite manum cordis, & haurite. Nolite quærere cisternas mundi, quæ non valent continere aquas; sed si quis sitit, dicit Christus, veniat ad me, & bibat. Ecce latus apertum. Certè qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons salientis aquæ, nec sitiet in æternum: in perpetua pace erit, & fruitione æterna, &c. Denique qui cum Sãcto Thoma tetigerit, dicet statim cũ eo; Deus meus, & Dominus meus: & qui cum Dauid gustauerit, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Hæc requies mea in sæculum sæculi.

Cant. 2.

Charissimi, nunc vobis cum Paulo exopto, hodiéque dico; Pax Christi, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras. Intelligentias ait, vt iam sciatis vbi sit pax, quia non in mundo est, non in peccato, & cõcupiscentiis; sed solùm in Deo, & Christo eius crucifixo: dicente ipso; *Hæc loquutus sum vobis, vt in me pacem habeatis.* Audite ergo, & retinete in perpetuum alta mente omnes, quia non quomodo mũdus dat, ego do vobis, dicit Dominus. Pax vobis: pacem meam do & relinquo vobis. Viam pacis, & pacem Christi non vtique cognouerunt peccatores, vnde sic apud Ierem. conqueruntur: Sustinuimus pacem, & non venit; quæsiuimus, & ecce turbatio. Expectauimus, & ecce tribulatio: diximus pax, pax, pax, & non erat, &c.

Philip. 4.

Pax nullibi quàm in Deo & Christo Iesu.

Ioh. 16.

Peccatores nõ sunt participes pacis. *Ierem. 8.*

Agnoscite illam & vbi sit, Christiani, quærite eam, expectate, & cùm vobis aduenerit, seruate. Ecce venit, & super vos descendit. Pax vobis, inquit Christus: pacem meam do vobis. Videte manus, pedes & latus. Iam vbi illa sit agnoscite, & quærite: vtique in vulneribus crucifixi illa est. Ecce vbi, & vnde sit: manus afferte, inferte; in latus, & in cor mittite: conseruate vobis sic adeptam, & dicite semper, Deus meus, & Dominus meus. Charissimi, pax Christi, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras. Pax vobis, pax vobis, pax vobis.

DE AMORE ET CONditionibus boni pastoris IESV Christi.

Ego sum pastor bonus. Iohan. 10.

MAGNA hodie nobis exultatio est, boni pastoris nostri IESV Christi vocem in Euangelio audire. Signũ est quia sumus oues eius, & quia in nobis obligatio est ipsum cognoscere & sequi. Eratis omnes sicut oues errantes, ait S. Petrus, sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum IESVM Christum. Ipsum audite. *Ego sum*, ait, *pastor bonus.* Iam signa perpendite. Bonus pastor dat animam suam pro ouibus suis: & ego, inquit, animam meam pono pro ouibus meis. Ecce omnium princeps pastorum, & per excellentiam pastor bonus.

1. Petr. 2.

Officia boni pastoris.

Duo sunt singularia boni pastoris officia: vnum cognitionis; alterũ dilectionis & charitatis. Oues cognoscit, & dat animã suã ꝓ illis. O quã bonus est pastor

pastor Christus, qui dilectam animam suam posuit pro ouibus suis! Non vendidit vt mercenarius, sed dedit vt amicus, non commodauit, sed tradidit, non dedit pecuniam, sed animam. Quanto ergo magis nobis cætera donabit?

Ostenditur quàm bonus sit pastor Christus.

Quàm bonus pastor Christus, qui non solùm animam, sed & diuinitatem dedit, vtique omnium donorum præcipuum! Ideo enim incarnatus fuit Deus, vt non solùm redimeretur, sed adhuc deificaretur homo: homo enim debitor erat, & soluendo non erat, nec poterat. Deus poterat omnia, & nihil debebat; ideóque humanitati se iunxit, vt satisfaceret pro omnibus, eísque gratiam adipisceretur, meritum, & gloriam. Quod huic soli optimo pastori conuenit.

Quàm bonus pastor Christus, qui nos hic, & in cœlo semetipso pascit! In terra, per Eucharistiam carne sua, & in cœlo diuinitatis suæ gloria & essentia: qui nos hic pascit pascuis vberrimis consolationum, inspirationum ac luminum diuinæ suæ gratiæ: & in cœlo præsentia & clara visione gloriæ suæ.

Quàm bonus pastor Christus, qui nos cognoscit oues suas, non solùm in genere, sed etiam in specie, & vocat nos nominatim, primò ad gratiam suam, deinde ad gloriam! Nominatim nos cognoscit, in persona, & in cunctis, (hic cura & residentia pastorum aduertatur.) *Ego sum pastor bonus*, ait Christus, *cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.*

Quatuor modis Christus animam suam dedit pro ouibus.

Quàm bonus pastor Christus, qui supra cognitionem dat & animam suam pro ouibus suis! dat non quouis modo, sed eo quo nemo alius suam posuit, & dare potuit. Singulariter autem animam suam dedit Christus quatuor modis. Primò, in redemptionem & remissionem peccatorum. Sola enim mors Christi, & non alterius id potuit. Vnde secundò dedit ad mortem: cui interim, vi vnionis, immortalitas debebatur. Cæteris enim mors debetur ratione peccati: ideo non tam illi animam suam ponunt, quàm dimittunt, cùm pro aliis mortem subeunt. Tertiò, pro ouibus, quia non sibi profuit Christus moriendo, sed nobis, nihílque comparauit sibi, cui omnia debentur, sed tantùm nobis. Et è contrà Martyres plus sibi gratiæ, quàm aliis, moriendo acquirunt. Quartò denique, quia in totum animam dedit & vitam, cùm ab instanti Incarnationis, cœpit nobis prodesse & mereri, & sic perfectè & propriè animam suam ponere pro ouibus suis.

O quis non exultet? Tunc enim & cùm ille apparuerit Princeps pastorum, vt Sanctus ait Petrus, (1. Petri vlt.) percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Sed vnde? nisi quia bonus ille pastor noster dedit animam suam pro nobis: per misericordiæ suæ viscera nos quæsiuit Oriens ex alto, atque inuentos imposuit nos humeris suis gaudens, vt ipsemet dicit (Luc. 15.) in parabola perditæ & inuentæ ouis. Vnde & Dauid sic dicebat ad eum: *Erraui sicut ouis quæ periit, quære seruum tuum.* (Psal. 118.) Et ille, quæro, ait in Euangelio: (Matth. 18.) venit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat; & alibi, animas saluare, non perdere. (Ezech. 44.) *Ego sum pastor bonus.* Ego ipse requiram oues meas.

In humeris autem suis inuentas posuit, quando naturam nostram suscipiens, peccata nostra portauit, id est, pœnam peccatorum nostrorum, dolores & languores, denique animam suam dilectam posuit. In Isaia Propheta mysterium hoc satis explicatum est, vbi dicitur: Omnes nos sicut oues errauimus, vnusquisque declinauit in viam suam, & (Isa. 53.)

A posuit in eo Dominus iniquitatem omnium, id est, naturam capacem patiendi pro omnibus; ipsósque languores nostros & passiones in eo posuit. Vnde propterea dicit hodie; Pater me diligit, quia ego pono animam meam, sed vt iterum sumam eam. Nempe, quia non solùm sua morte oues suas liberat, sed etiam Resurrectione viuificat, sicut dicit Apostolus, traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. (Rom. 4.)

In hoc certè pater filium suum dilexit & mundum. Filium, qui factus ei obediens vsque ad mortem, tale præceptum seruauit. Sed sic mundum dilexit, vt ipsum vnigenitum filium suum dederit ei. (Ioh. 3.) Quæ maior enim misericordia est, ait S. Anselm.

B quàm cùm non haberet homo vnde solueret, dicit ei Deus, accipe filium meum, & da eum pro te? Similiter filius in hoc patrem & mundum vehementer dilexit. Patrem, cùm ait; Vt cognoscat mundus quia ego diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi, sic facio, eamus. (Ioh. 14.) Ecce, inquit, ego animam meam pono pro ouibus meis: propterea me diligit pater. Sed etiam sic in patre mundum adhuc dilexit, vt semetipsum ei, & pro eo dederit, sicut scribit S. Iohan. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam animam suam pro nobis posuit.* (1. Ioh. 3.) Et Paul. ad Ephesios; (Ephes. 5.) Christus dilexit nos, & semetipsum obtulit hostiam Deo in odorem suauitatis. Et ad Galat. (Gal. 2.) Christus dilexit me, & tradidit semetipsum

C pro me. O excellentem & bonum pastorem! Sed distinctiùs præcipuas boni huius pastoris conditiones contemplemur. Tres sunt autem inter omnes magis notandæ.

Tres conditiones in Christo boni pastoris.

Prima est, quod bonus ille pastor Dominus noster, omnia quæ habet, ad omnem vsum nostrum & vtilitatem expedit, corpus, sanguinem, animam, spiritum & diuinitatem. (1.) Corpus in cibum: sanguinem in potum: animam in redemptionem: spiritum in sanctificationem: diuinitatem in gloriam & mercedem æternam. Post cætera enim ait: *Ego ero merces tua magna*; vt nihil iam supersit, quod non largiatur. Vnde S. Chrysostomus loquens ad populum Antiochenum, dicit. (S. Chrysost. hom. 60. ad popul. Antioch.) Quis loquetur potentias Domini, & auditas faciet laudes eius? Quis

D pastor oues proprio pascit cruore? Et quid dico pastor? matres multæ sunt quæ post partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, propria carne. Caro enim mea, inquit, verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Quis pastor, quis pater animam suam vnquam posuit pro filiis? Non dedere Martyres, sed accepere coronas, ait S. Aug. Iste autem singularis, & singulariter pastor bonus, coronas dedit & omnia, nihil inde à nobis accepturus nisi puros dolores, ab iisque mortem, pro quibus posuit animam meam.

Vnde secunda conditio sequitur, quod nempe non patietur vnquam aliquem perire ex suis, qui (2. Conditio. Ioh. 10.)

E ideo venit vt vitam habeant, & abundantiùs habeant, per gratiam in hoc mundo, in altero abundantiùs per gloriam. Vnde & libenter morti exponit se pro illis; sic enim occurrit quærentibus se dicens: Quem quæritis? Ego sum. Si me quæritis, sinite hos abire. (Ioh. 18.) Ego sum pastor bonus, animam meam pono pro ouibus meis. Et hoc, ait Euangelista, vt impleretur sermo quem dixerat, cùm sic patri commendabat: Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. (Ioh. 17.) Cùm essem cum eis, ego seruabam eos. Custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. Nunc autem ad te venio, & rogo vt serues eos à malo. Pater, quos dedisti

dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum. Vnde? quia ego cognoſco oues meas,& cognoſcunt me meæ.

3. Conditio. Hinc conditio tertia, quod ſicut bonus paſtor noſter oues proprias cognoſcit, & eas nominatim vocat:ſic etiam vadit ante eas, & ſecurè ducit ad paſcua, hic in terra ſpiritualis intelligentiæ, & in cœlo gloriæ & ſuauitatis æternæ. Conſolationes, dicit S. Bern. quas ſuis Dominus in hac vita largitur,ſolus Spiritus reuelat. Fruſtra conſulis paginam,potiùs experientiam require;ſapientiæ huius nemo nouit pretium, trahitur de occultis:niſi guſtaueris,non videbis,manna eſt abſconditum,quod nemo ſcit,niſi qui accipit; non docet hoc eruditio, ſed vnctio: non comprehendit ſcientia, ſed conſcientia. Ita S. Aug. Qui biberit ex fluuio paradiſi,cuius vna gutta maior eſt Oceano, reſtat vt in eo ſitis huius mundi extinguatur.

Liceat hodie exclamare cum illo ad amatores mundi, & dicere. Quid agitis miſeri? quò tenditis? quid quæritis? Quare veræ felicitatis fonte relicto,turbidis Ægypti lacunis cordis veſtri ſitim extinguere properatis,quæ magis eam augere poſſunt quàm ſedare? Ecce igitur etiam in hac vita paſcua electorum: nam in cœlis gaudia æterna ſunt, & reuelatio vultus Dei patris.Ita apud Ezechiel. *Ezech. 34.* In paſcuis vberrimis paſcam eos in montibus excelſis, ô Iſraël, erunt paſcua eorum. Hæc ſumma ouium Chriſti felicitas. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. In loco paſcuæ, ibi me collocauit.

Præter cœlum, habet adhuc Chriſtus montes ſuos in terra,in quibus paſcua vitæ & gratię ſunt. *Mötes Chriſti diuerſi in terra.* Habet montem Caluariæ, vbi crucifixus eſt. Thabor,vbi transfiguratus eſt. Sion,vbi Sacramentum ſanctum inſtituit, & ſeipſo pauit diſcipulos. Dicam & Nazareth, quæ ſuper montem poſita erat, vbi incarnatus eſt. Montem deſerti, vbi tentatus eſt.Oliueti, vnde in cœlum aſſumptus eſt. Denique cœlum cœli, id eſt, firmamentum, vbi illa vberrima gloriæ paſcua ſunt, in viſione Dei, *1. Ioh. 3.* & omnium beatorum, ſicut Dominus ait: *Serue bone, intra in gaudium Domini tui.* Nondum apparuit quid erimus:ſcimus autem, ait S. Iohannes, quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt; nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem:vbi, iuxta Apoſtolum, reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformabimur omnes. O qualia paſcua, quæ talis conuerſionis & transformationis vim habent! Oculus non vidit,nec auris audiuit.Quid faciemus iam dilectiſſimi,niſi vt tanti & tam boni paſtoris amore & gratia dignas oues nos reddamus?

Conditiones ouium Chriſti. Boni paſtoris conditiones vidiſtis.Nunc bonarum ouium conditiones, finiendo, videamus. Imprimis oportet vt paſtorem noſtrum cognoſcamus, ſicut ipſe nouit nos. Sic enim dicit: *Cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ.* Sed quomodo ipſum cognoſcere debemus? eo certè modo, quo ipſe patrem ſuum agnoſcit, videlicet faciendo voluntatem eius, & gloriam quærendo in omnibus, & ipſius nomen celebrando & magnificando. Ità dico, debemus nos profiteri & teſtari notitiam & nomen Chriſti noſtri boni paſtoris, ipſum amando, voluntatem eius, gloriam & nomen amplificando in omnibus. Pater viuificat filium,& filius nos oues ſuas viuificat deificando, dat animam pro illis, & diuinæ facit conſortes naturæ. Quid igitur retribuemus ei? Ipſum agnoſcemus,audien-

A do,obediendo, imitando.

Ecce tres conditiones ouium Chriſti. Ipſum fide cognoſcere, eius verba cum obedientia audire:denique ipſum imitatione ſequi. Sic enim iſta coniunxit dicens; Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas,& cognoſcunt me meæ, vocem meam audient. Oues enim propriæ vocem paſtoris audiunt,ante illas vadit,& oues illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius. Sequamur ergo: oues enim proprias paſtor nominatim vocat. Quò vocat? ad paſcua vocat,& ducit. Per me, ait hodie,ſi quis introierit,id eſt,me agnouerit, & in me crediderit,ſaluabitur, & egredietur & ingredietur,& paſcua inueniet.

B Sed quid iſtud eſt, egredi, ingredi, & inuenire paſcua? Hoc eſt, iuxta S. Gregor. quod qui in Eccleſiam per fidem ingreſſus eſt,& verbum Dei audit, paſcua doctrinæ cœleſtis inueniet, & cùm de terra ad cœlum aſcenderit, etiamnum vitæ beatæ paſcua inueniet fertiliora,& ſic vbicumque aderit, ingrediens & egrediens beatus erit, ipſum ſemper Chriſto paſtore bono ducente & reducente ad locum paſcuæ. Et ſic feliciter tibi exopto chariſſime,vt Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & vſque in ſæculum. *S.Gregor. hom. 14. in Euang.*

DE DIVERSA LÆTITIA,& triſtitia hominum.

C *Flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Iohan.16.

Nobis hodie in Euangelio proponitur à Chriſto victoria,& ſublimitas triſtitiæ ſupra gaudium ſæculi. Perituri mundi gaudiis amplius non communicemus,ſed magis triſtitiæ paritur ę æternitatem gaudiorum. Triſtitia veſtra, ait Chriſtus, vertetur in gaudium, gaudium æternum, gaudium quod nemo tollet à vobis.

D Hic autem imprimis quæri poteſt ratio triſtitiæ ſimul & lætitiæ diſcipulorum Chriſti,& iuſtorum: ſed ex præcedentibus verbis colligere facile eſt. Dixerat enim illis Chriſtus;Modicum,& iam non videbitis me.ecce triſtitiæ cauſa. Et iterum modicum,& videbitis me, quia vado ad patrem. ecce ratio lætitiæ. Iuxta S. Chryſoſt.& S. Thomam in commentariis, Chriſtus quidem hic obſcuris verbis prædicebat breui futurum tempus Paſſionis ſuæ, Reſurrectionis ſimul & Aſcenſionis. Vnde ratio triſtitiæ,illa mortis prædictio erat:ratio verò lætitiæ, Reſurrectionis, & Aſcenſionis prædictio. Modicum,& non videbitis me. ecce mors. Iterum modicum,& videbitis me. ecce Reſurrectio. Quia vado ad patrem. ecce Aſcenſio. *Vnde oritur triſtitia & lætitia diſcipulorum.*

E Interim ſenſus iſte vt verior dari poteſt, qui ex S. Aug. eſt, nimirum, Chriſtum tantùm loqui hic de duobus temporibus diſceſſus ſui,& reditus vltimi in fine mundi:& ſic modicum adhuc ſupereſſe tempus vſque ad diſceſſum ſuum ab eis, id eſt, Aſcenſionem ſuam ad patrem; poſt quod eum amplius viſuri non eſſent. Et rurſum non multum reſtare, ſed modicum ab Aſcenſione vſque ad vltimum aduentum in Iudicium: poſt quod illum eſſent viſuri in perpetuum. Vnde illis ratio triſtitiæ in abſentia erat:& lætitiæ ſimul in reditu & præſentia æterna. *S.Aug. tract. 101.*

Intelligite iſta ſimul qui diligitis & obliuiſcimini Deum. Qua enim hora non putatis omnes, filius hominis veniet. Iuxtà eſt dies Domini magnus,

Sophon.1. magnus, iuxtà est, & velox nimis, dicit Sophonias. Vigilate & parati estote. Modicum, & non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me. Omne tempus nostrum modicum est, instans & momentum. Hoc itaque cum sancto Apostolo dico, fratres: Tempus breue est, reliquum est, vt & qui gaudent, tanquam non gaudentes sint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi. Mundus gaudebit, vos verò contristabimini & flebitis: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. (1.Cor.7.)

Ecce differentia magna inter gaudium & tristitiam. De vno dicitur in Prouerbiis, quia extrema gaudij luctus & tristitia occupat. De altero in Euangelio, quia in gaudium vertetur tristitia. Naturam vtriusque perquiramus, & quæ sit bona, vel mala tristitia; quod bonum, vel malum gaudium, videamus modò, vt fiat electio. Ac imprimis de gaudio loquendum est, quod cupiunt omnes: sed differentiam attendite. Duplex est gaudium, mundi, & spiritus, & pauci verum sequuntur. Mundus gaudebit, vos autem contristabimini. Scire vultis quale illud sit mundi gaudium, & quomodo à vero & spirituali differat? Illud Domini apud Luc. intelligite: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia flebitis*, sed lacrymis inenarrabilibus & æternis. *Gaudent ad sonitum organi*, ait Iob, *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt, qui dixerunt Deo, recede à nobis.* (Prou.14. — *Duplex gaudium. Et differëtia vtriusque.* — Luc.6. — Iob.21.)

Tertull. lib. de Spectaculis ait sic. Nostræ cænæ, nostræ nuptiæ nondum sunt, non possum cum illis discumbere, quia nec illi nobiscum; vicibus disposita res est, nunc illi lætantur, nos conflictamur. Sæculum, inquit Christus, gaudebit, vos tristes eritis. Lugeamus ergo dum Ethnici gaudent, vt cùm lugere cœperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es Christiane, si & in sæculo voluptatem concupiscis. Imò nimiùm stultus es, si hoc existimas voluptatem. hæc ille. Quare si distinctiùs scire vultis; in tribus gaudium mundi falsitatem habet. Primò, in obiecto vile est. Quid enim est quod amatis, aut in quo exultatis? audite Iohannem. Omne quod est in mundo, (nihil excipit) aut est concupiscentia carnis, aut oculorum, aut superbia vitæ. Quare inquit, nolite diligere mundum, neque ea quæ mundi sunt. In Isa. Ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, comedere carnes & bibere. Vnde tandem sic concludit sapiens Ecclesiastes dicens, quia omnia vanitas quæ sub Sole sunt. Vidi, inquit, omnia quæ sub Sole fiunt, & ecce vniuersa vanitas & afflictio spiritus. Miser certè mundus, & miseriores adhuc mundi amatores; in mundo nihil nisi somnus, & vmbra, & fumus. (Tertull. lib. de Spectac. cap.28. — *Gaudiũ mũdi in tribus falsum est.* — 1.Ioh.2. — Isa.22. — Eccl.1.)

Quare secundò, in seipso mundi gaudium breuitatem habet, nihil certè fugacius. Gaudium mundi, quod sicut fumus citò deficit, simile est phreneticorum gaudiis, qui in suis tantùm lætantur phantasiis, vt Iob dicit: *Laus impiorum breuis, & gaudium hypocritæ adinstar puncti.* Simile est gaudiis somniatorum. In Isa. Sicut somniat sitiens quod bibit, cùm autem fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: sicut pariter Psalmista dixit; Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Quare S. Chrysost. in Ep. ad Thessal. dicit, quoniam omnes diuitiæ sunt somnium, & gloria, & quæcunque sunt eiusmodi. Qui dormit, inquit, ea quæ sunt, & quæ verè consistunt, non videt. (Iob. 20. — Isa.29. — S. Chrysost. hom. 9. in c. 5. ad Thess.)

A Quæ autem non sunt, tanquam quæ sunt visione apprehendit. Tale est vitium, & quæ in vitio agitur vita; non videt quæ sunt, hoc est, quæ sunt spiritualia, cœlestia, manentia, sed quæ fluunt & auolant, & citò à nobis resiliunt. hæc ille. Vnde post somnium peccati dicunt cum desperatis: Quid nobis profuit superbia? transierunt omnia velut vmbræ. Sic apud S. Luc. irridebatur diues ille qui dicebat animæ suæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Cui statim dixit Deus: Stulte, hac nocte animã tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues, ait Christus. (Luc.12.)

B Vnde tertiò, in subiecto, nempe in anima, tale mundi gaudium impuritatem habet, & turbationem æternam ex concupiscentia quæ sequitur, & damnatione post omnia. Ecce quale gaudium est mundi. Mundus gaudebit, ait Christus. O quale gaudium! Sed quale è contrà sit gaudium spiritus, & quod à Deo procedit, videamus. Primò enim ex parte obiecti causatur à Deo, in eòque solùm est, sicut Psaltes ait; Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum. Sic Isa. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Sic denique virgo in Cantico suo dicit: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. (*Quãtum sit gaudium spiritus.* — Psal.76. — Isa.61. — Luc.1.)

C Item ex parte finis procedit adhuc & causatur à Deo, sicut rursus dicit Dauid: Sitiuit anima mea ad Deum fortem, fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Hęc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. Et alibi: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit anima mea. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. (Ps.41. — Ps.83.)

Ecce finis & terminus lætitiæ animi. O quale gaudium, quod ex Deo oritur, & in Deum terminatur! *Euge serue bone & fidelis*, ait Christus, *intra in gaudium Domini tui.* O gaudium omni consolationis plenitudine refertum! gaudium omnium D sæculorum, gaudium denique beatorum in cœlo, de quo sic in Apoc. dicitur; *Vltrà non erit eis neque luctus, neque dolor, quoniam priora transierunt.* Sic in Isa. Gaudium & exultationem obtinebunt, & dolor fugiet, & gemitus. O iusti exultate in Domino, rectos decet in æternum collaudatio. O gaudium multum diuersum à gaudio mundi! Mundus gaudebit, ait Christus, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Quale gaudium? quod nemo tollet à vobis, æternum. S. Bern. dicit triplex esse Sanctorum gaudium. Ante mortem, de bono conscientiæ testimonio. In morte, quia de hoc præsenti sæculo nequam eripiuntur. Post mortem, quia intrant in gaudium E Domini, quod nemo tollet ab eis. E contrà gloria viri peccatoris stercus & vermis: hodie extollitur, & cras non inuenietur, risus dolore miscebitur, luctúsque extrema gaudij breui occupabit; cùm interierit non sumet omnia, nec descendet cum eo gloria eius. In bonis dies suos ducit, & in puncto ad inferna descendit. (Apoc. 21. — Isa 35. — *Triplex Sanctorum gaudium.* — S. Bern. Serm. 2. de omnibus Sanctis.)

Quis verò gaudium iustorum quod in æternum permanet, obtinendi modus erit? Audite iam, quia tristitia est, de qua & eius differentia nunc dicendum nobis est. Itaque sicut duplex gaudium posuimus: sic etiam duplex tristitia est; vna secundum mundum, quæ mala est: altera secundum Deum, quæ bona est. De vtraque sic loquitur Apostolus: (*Duplex tristitia.* — 2.Cor.7.)

Quæ

Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam operatur in ſalutem ſtabilem: ſæculi autem triſtitia mortem operatur. Ecce triſtitia mala & ſecundum mundum, triſtitia orta de bono proximi ex inuidia, de bonorum & famæ iactura: vno verbo ſecundum mundum triſtari & leges ſæculi, hoc quidem eſt quod operatur mortem. Vnde adhuc apud Inferos talis remanet triſtitia, vt dicitur in Sapiētia, quod mali gemunt præ anguſtia ſpiritus, &c. Triſtitia verò bona parit lætitiam, pœnitentiam operatur in ſalutem. Quæ illa ſit, ſcire vultis? Quæ ſecundùm Deum eſt, & non ſecundùm mundum.

Sap. 5.

Triſtitia ſecundùm Deum quæ.

1\. Triſtitia autem ſecundùm Deum, primò illa eſt quæ oritur ex peccatis, vnde ſequatur pœnitentia, & ſic quæ operatur pœnitentiam, ſicut dixit Apoſtolus. Sic accidit Petro, qui fleuit amarè. Sic Magdalenæ, quæ pedes Domini cœpit lacrymis rigare. Et ſic Paulo, qui ſic ad Romanos de ſe ait: Triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Quare? quoniam, inquit ad Corinthios, perſequutus ſum Eccleſiam Dei. Vnde poſtea ſic aliis congratulabatur qui contriſtabantur de peccatis ſuis, & pœnitentiam agebant, dicens: Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Gaudeo, ait Apoſt. Quare? quia eiuſmodi triſtitia vertetur in gaudium, gaudium, quod ex ore ipſius Chriſti, in cœlo erit ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

Rom. 9. 1. Cor. 15. 2. Cor. 7. Luc. 15.

2\. Secundò, triſtitia adhuc ſecundùm Deum illa eſt, quæ manat ex conſideratione noſtrorum defectuum, & peruerſæ inclinationis ad malum. Vnde dicit S. Apoſtolus ad Rom. Scio quod in me non habitat bonum, velle mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum.

Rom. 7.

3\. Tertiò, triſtitia quæ item oritur ex dilatione regni Dei, ſecundùm Deum eſt. Quomodo dicebat Rex Propheta in multitudine magnitudinis ſuæ: Hei mei, quia incolatus meus prolongatus eſt. Habitaui cum habitantibus Cedar, (quod interpretatur triſtitia,) multum incola fuit anima mea. & alibi: Fuerunt mihi lacrymæ meæ, panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus? Sic Paulus dicebat: Mihi viuere Chriſtus eſt, mori lucrum. Coarctor deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Sic Aug. in Confeſſ. Feciſti nos ad te Domine, & inquietum eſt cor noſtrum, donec conquieſcat in te. Triſtitia veſtra, Chriſtiani, vertetur in gaudium, ſi ſic deſiderio videndi Deum coarctemini.

Pſal. 119. Pſal. 41. Phil. 1.

4\. Vnde quartò illa adhuc triſtitia ſecūdùm Deum eſt, quæ, dum in expectatione illius gloriæ, & beatæ viſionis ſumus, oritur ex amara & amoroſa conſideratione IESV Chriſti crucifixi, vt cum S. Paulo dicamus in terra: Abſit iam mihi gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri IESV Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Non iudicaui me aliquid ſcire niſi IESVM, & hunc crucifixum. Chriſto confixus ſum Cruci: omniáque detrimentum feci propter eminentem hanc omni ſcientiæ charitatem Chriſti. Denique illa adhuc triſtitia ſecundùm Deum erit, quæ prouenient ex ingratitudine mundi, peccatis hominum, eorúmque tam peruerſa voluntate ac impietate, qui tam facilè Deum creatorem ſuum & benefactorem offendunt. Hæc certè triſtitia eſt quæ debet implere cor noſtrum, & quæ vertetur in gaudium, ſi nimirum lugeamus cum Chriſto pro peccatis noſtris, & pro totius populi; ſi doleamus de illis: ſi denique omnino omnes moriamur illis, & reſiſtamus vſque ad vitæ & ſanguinis effuſionem. Si compatimur, & conregnabimus.

DE VIA QVA ITVR ad Chriſtum.

Veritatem dico vobis; expedit vobis, vt ego vadam. Iohan. 16.

TANTA nobis eſt neceſſitas (ſi velimus perfrui promiſſis Chriſti) vt ab omnibus quæ viſibilia ſunt, ſeparemur, vt nihil horum cum iſtis recipere poſſimus: vnum excludit alterum, terrenáque à cœleſti conſolatione reuocant atque impediunt. Hoc adeò verum eſt, vt Chriſtus hodie Apoſtolis nimiùm eius corporalis præſentiæ cupidis dixerit, expedit vobis, vt ego vadam. O Domine IESV, numquid conſolationis noſtræ tu cauſa es? Quid ergo expedit vt vadas, & ſubtrahas te ab oculis noſtris? Domine IESV, quid mihi eſt in cœlo? & à te quid volui ſuper terram, niſi teipſum, ô Deus cordis mei, & pars mea in æternum?

Multiplex ratio reditus Chriſti ad patrem.

1\. Vnde ergo ſic expedit vt vadat, audiamus. Primò, vt oſtendat quia omnis carnalis affectus, licèt ſanctus, bonus & honeſtus, diuinam conſolationem impedit: vnde Chriſtus auferre corporalem præſentiam voluit. Dixerant antea diſcipuli: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & Petrus in monte ſacramentorum reuelationibus incitatus, mundana ſpernens, terrena faſtidiens, & in æternorum deſiderium quodam mentis raptus exceſſu, vult cum IESV habitare, vbi manifeſta eius gloria lætabatur, dicens: Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Sed erras ô Petre, neſcíſq; adhuc quid dicas. Quare hoc? vtique quia guſtus adhuc erat hominis carnalis, & nondum ſpiritualis, nec ſatis ſe ſupra ſe eleuantis. Etenim vult Chriſtus vt ad ea quæ altiora ſunt, æterna & inuiſibilia, tendamus: quia quæ videntur, ait Paulus, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna. Quare vult vt ab omnibus externis & viſibilibus nos ſeparemus, vt ſic faciliorem demus locum internis. Sic in Exodo figuram legimus, vbi, deficiente farina allata de Ægypto filiis Iſraël, ſtatim pluit illis Deus manna de cœlo. Ita quidem nobis adhuc faciet Deus, ſi omnis ſpes eorum quæ temporalia ſunt & caduca, deſit nobis. Exod. 16.

Ideo S. Bernardus dicit quoniam delicata eſt conſolatio diuina, & non datur admittentibus alienam. Scitote autem, quia omnis conſolatio carnalis, etſi ſancta, & licèt inueniatur in Apoſtolis, aliena tamen eſt, & impedit gratiæ plenitudinem. Quanto ergo magis purè carnalis, & quæ mundi eſt? Si Apoſtoli, nimiùm delicate homo, carni diuinæ adhærendo, Spiritu ſancto repleri non poterant: quid carni tuæ conglutinatus es? & vis recipere Spiritum ſanctum, non potes. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Non eris capax ſpiritualium donorum, niſi terram, carnem, & ſanguinem deſeras. Vas es, ſi plenus es, effunde quod habes, & recipies quod non habes: effunde amorem ſæculi, & recipies amorem Dei. Omnis copia quæ Deus meus non eſt, penuria eſt, ait S. Aug. Quanto magis forma aliqua ſeparata eſt à materia, dicit philoſophus, tanto perfectior eſt. Ita quidem eſt de anima ſeparata & abſtracta à terrenis, quæ tunc

Quàm pura debet eſſe diuina conſolatio.

quæ tunc magis capax efficitur diuinæ plenitudinis.

Ecce ergo vnde primò dixit Christus, expedit vobis,vt ego vadam, videlicet, vt corda vestra ad cœlestia transferam, & mittam Spiritum sanctum in vos.Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos:si autem abiero, mittam eum ad vos.

2. Ratio. Secundò, vt simul doceat quia hic sufficientia nostra non est, sed tantùm in felicitate æterna, & quia hic ciuitatem permanentem nō habemus, sed futuram inquirimus in cœlis;quia hic peregrinatio & exilium nostrū est,in cœlo autem status & mansio pro omni æternitate. Ac proinde illuc aspirandum,suspirandū,& cum Psalmista dicēdum:Quàm dilecta tabernacula tua Domine! Concupiscit,& deficit anima mea in atria Domini. Lætatus sum in his quę dicta sunt mihi:In domum Domini ibimus. Vnde Christus, expedit vt ego vadam,quia nimirum vado parare vobis locum.

3. Ratio. Tertiò,vt simul ostendat quomodo vnusquisq; nostrùm in terris viuere debeat,sic nempe,vt sicut ipse,in veritate dicere queat,vado ad eum qui misit me.Quis verò ille sit scire vultis?Ille est qui vadit ad Deum bonis operibus, viis tribulationis, charitatis, & recognitionis. Primò,tribulationis, quia sic ad patrem rediit Christus dicens suis,nónne oportuit Christum pati?Ita ergo oportet & nos per eamdem viam, vt dicitur in Actis, scilicet per multas tribulationes intrare in regnum Dei. Si enim compatimur,& conregnabimus;non est seruus maior Domino suo. Vnde dicit: Intrate per angustam portam. *Luc.vlt.* *Act.14.*

Secundò, charitatis, quia via est Dei ad homines,qui ex charitate venit ad nos,vt ipse ait Nicodemo: *Sic Deus dilexit mundum,vt filium suum vnigenitum daret.* Item qua rediit ad patrem, factus patri obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Vnde etiam talis debet esse via hominum ad Deum, in obseruatione mandatorum eius. Signum enim illud dilectionis est: & cùm incessanter ad eum mittimus suspiria cordis, vt ad vltimum finem nostrum,desiderium continuū habētes dissolui,ad videndum eum.O beata merces,videre Christum!Cor meum quidem & caro mea exultauerunt in Deum meum. Memor fui Dei,& delectatus sum. Animam Dei capacem, quidquid Deo minus est,implere non potest. Ad imaginem enim Dei creata,cæteris occupari potest,satiari non potest.Ita quidem dicunt omnes qui ad Deum amore ambulant.

Tertiò,recognitionis,& gratiarum actionis,laudando & incessanter adorando illum,à quo habere omnia confitetur homo.Sic enim ad Deum ipse reuertitur,& simul omnia redire facit ad eum, vnde sunt omnia.Omne datum optimū & perfectum desursum est. Ergo qui sic facit, ad Deum bonis operibus, & viis iustitiæ vadit atque reuertitur. Econtrà, qui negligens est honoris eius, sed sibi aliquid attribuit,hic à Deo recedit.

Gen 8. *Quibus fideles & infideles comparantur.* Figuræ sunt multæ in Scripturis sacris, vt in Columba, quæ egressa de arca, reuersa est ad eam, ferens oliuę ramum in ore.Quod nō fecit Coruus. Per Coruum intelliguntur mali, qui non curant cultum & honorem Dei,sed sibi aliquid arrogant, neq; ad arcam cum ramis oliuæ in ore redeunt; vt fuit ille Nabuchodonozor, qui dicebat: Nónne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ædificaui? Per Columbam verò intelliguntur boni,qui in ore & opere ad Deum redeunt,id est,continuis laudibus, gratiarum actionibus, atque operibus bonis

A Deum honorant. Qui agnoscunt se & omnia in Christo constare,dicuntq; continuò quod in Actis est: *In ipso viuimus,mouemur, & sumus.* Vnde etiam statim tristitia implet cor eorum,si audiant,& minimam etiam supicionem de absentia Christi habeant,conqueruntur,lugent, nec quiescunt, donec reuertatur, ipsumq; præsentem habeant.E contrà, peccatores terræ,& qui sunt de hoc mundo, ij qui parum hanc agnoscunt rerum omnium dependentiam à Christo, parum etiam, aut nihil curant de absentia eius,neq; implet cor eorum tristitia, cùm dixerint ipsi operibus suis,recede à nobis, sciētiam viarum tuarum nolumus.Quis est ille omnipotens Deus,omnipotens Christus,vt seruiamus ei?O miseri,breui est condemnationis vestræ tempus. *Cùm venerit Spiritus veritatis,* ait Christus, *arguet mūdum de peccato,de iustitia,& de iudicio, & clarificabit me.* *Act.17.* *Differentia, inter fideles Christi, & peccator. sæculi.* *Iob. 21.*

B

Hic S.Bernardus omnia refert ad mundum hoc modo.Spiritussanctus arguet mundum de peccato quod dissimulat:de iustitia quam non ordinat,dum sibi,& non Deo eam dat:de iudicio quod vsurpat, dum tam de se,quàm de aliis temerè iudicat.Iuxta S. Aug. arguet mundum de peccato infidelitatis, quia non crediderunt in me, licèt tot miris in eo factis operibus:viuit enim adhuc mundus,acsi pro eo nihil fecisset Christus.Duo sunt infidelium genera. Alij qui reuera non credunt,vt Pagani,Iudęi, hæretici, licèt satis vbique Euangelium resplēdeat & veritas. Alij qui credentes sic gerūt se quasi non crederent, vt mali Christiani,qui confitentur Deū nosse, factis autem negant. Vel generaliùs, arguet mundum de peccato omni. Quia licet agnoscat se liberatum à Christo: tamen omni peccato ipsum offendit, acsi non crederet in eum. Vnde dicit:Si non venissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent. *S. Bern in paruis Sermonib. Ser. 21.* *Quibus modis Spiritussanctus arguet mundū.* *Quid est arguere mūdū de peccato.* *Duo infidelium genera.*

C

Item Spiritussanctus arguet mundum de iudicio,siue passiuè,siue actiuè, id est, iam iudicatur, & in posterum adhuc iudicabitur. Vnde? quia princeps eius iam iudicatus est. Bona vtique est consequentia. Si enim princeps iudicatus est, etiam & seruus iudicatus est. Vel arguet mundum de iudicio,scilicet diaboli, quod ille,per Crucem victus, & infirmatus est, & tamen huic hosti tam debili vltrò adhuc mundus seruit, seque ab eo superari sinit.Ecce vtique vnde à Spiritu sancto cùm venerit,qui est Spiritus veritatis,arguetur mundus. *Quid est mundum de iudicio arguere.*

D

Item de iustitia arguetur, non quidem sua, qui totus in maligno positus est,sed de iustitia fideliū, humilium,atque paruulorum,qui Christum amāt, & in eum credunt, quem non vident, (quia vado ad Patrem.) Vnde ex comparatione fidelium & simplicium, mundus iudicabitur, scilicet, eorum opponendo iustitiam,qui in simplicitate crediderunt in Deum, & dilexerunt, istis qui ex superbia animi noluerunt.Ecce tot simplices,pueri, & virgines, indocti & illiterati,qui mundum & regna vicerunt.Ecce Apostoli,qui ad vnius iussionis vocem omnia reliquerunt. Quare non tu?Isti omnes crediderunt.Quare non tu,etiam tot instructus & eruditus præceptis, miraculis, prædicationibus & verbis? *Quid est mundum arguere de iustitia.*

E

Arguetur denique de iustitia mundus, quia vado ad Patrem,ait Christus:id est,Spiritus meus iustum me esse & Deum comprobabit,cùm venerit. Vbi non occasionem habebitis de me humiliter sentiendi ex conspectu meæ carnis, & assumptæ infirmitatis, quia vado ad Patrem, & non videbitis me. Diuinitas apparebit, cùm in Cœlum ascendero: & sic me glorificabit, quia

 iustus

iustus eram in verbis,miraculis,operibus, & signis omnibus quæ feci,& mundo dedi, quoniam filius sum Dei, quia ego vado ad eum qui misit me; & quia omnia quæcunque habet pater, mea sunt. Ille ergo spiritus me clarificabit, & similiter annuntiabit vobis, quia expedit vt ego vadam, si enim abiero,mittam eum ad vos.

DE EFFICACIA ORAtionis.

Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Iohan. 16.

MIRA est virtus orationis quæ fit in nomine & meritis IESV Christi, in quo omnia à Deo patre obtinere possumus. Si consideremus virtute sua hominem prædictum, nihil quidem eo imbecillius est, qui ab animantibus & brutis superatur in multis. Si verò eum in infirmitate sua consideremus, nihil illo potentius est. Vbi enim miseriæ ipsum ad eum erigunt, quantum valeat, tunc agnoscit, quàm potens sit in dependentia, & quàm

Virtus orationis. diues sit in infirmitate, videt quia petendo non indiget, & in extremitate labiorum sibi omnia inuenit. Ita dicebat apud S. Matthæum Dominus: *Quecunque orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.*

Matth.7. & hodie: *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ecce mira orationis virtus, quæ in extremitate linguæ & labiorum est hominis suam Deo necessitatem offerentis. Hac itaque cœlesti virtute bene vti discamus; propterea enim filius Dei hunc orandi modum hodie nos edocuit dicens: *Si quid petieritis* &c.

Quia autem oratio impetrat omnia, iam operæpretium est scire quid petendum, à quo, qua forma & modo, vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Ideo namque omnes necessarias condi-

Conditiones orationis necessaria. tiones Christus posuit. Prima est, vt aliquid peta-

1. Conditio. mus, non verò quod nihil est, dicendo, *Si quid.* Sub nihilo autem omnia mala comprehenduntur, vana atque superflua, vt vindictæ, voluptates, diuitiæ, honores. Qui eiusmodi petunt, non exaudiuntur. Mementote quod cùm Samaritani noluissent recipere IESVM, & discipuli eius duo, scilicet Iacobus

Luc.9. & Iohannes filij tonitrui, dixissent, Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos? Conuersus IESVS increpauit eos dicens:

Matth.10. Nescitis cuius spiritus estis. Iterum memores estote, quod cùm hi duo discipuli per matrem primas sedes petiissent, dixit illis IESVS: Nescitis quid petatis. Iterum mementote Apostoli Pauli ad Ti-

1. Timoth. 6. moth. scribentis: Qui cupiunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli. Midas Rex, ex fabulis, petiuit vt omne quod tangeret, aurum fieret, qui ad pœnam suam & punitionem exauditus est, cùm & quæ ad vsum vitæ illi erant, ab eo tacta conuertebantur in aurum; & sic fame periit. Mementote

Iacob.4. S. Iacobi dicentis: Petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis. Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi, inimica est Dei? An putatis quia inaniter Scriptura dicit: Ad inuidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis? Malus certè, & non nisi mala scit petere spiritus noster, qui habitat in nobis. Stulti, inquit

Prou.12. Sapiens, ea quæ sibi noxia sunt, petunt.

A Hæc itaque omnia quæ sub ratione nihili sunt, non vult Christus vt petamus: vt honores petamus & diuitias, qui tam seuerè loquutus est aduersus sæculi diuites. Hæc sunt in oratione omittenda. Quæ autem petenda sunt, æterna & cœlestia sunt. *Si quid petieritis patrem*, ait Christus: hoc omne quod olim nos petendum edocuit sub septem *Sub septem petitionibus Dominicæ orationis omnia postulanda continentur.*

formulis orationis, quam Dominicam appellamus. Prima est, vt in omnibus quæramus primùm gloriam eius & sanctificationem nominis. Secunda, vt in omnibus regnum eius. Tertia, vt in omnibus eius iustitiam & diuinam voluntatem. Quarta, vt tantùm quotidianum panem petamus, scilicet vitæ necessarium. Quinta, vt veniam peccatorum.

B Sexta, vt non inducat nos in tentationem. Septima, vt nos liberet à malo. Ecce quid Christus cum tali orationis formula nos petendum edoceat; *Si quid petieritis*, &c.

Breui scire vultis quid tandem hac particula, *Quid*, petendum sit, vt obtineatis? Audite nunc. Primò, deuotionis gratiam petite, & accipietis. Zach.10.

Zachariæ consilium est: Petite vobis pluuiam à Domino, & Dominus faciet. Quænam, illa quæso est pluuia, nisi deuotionis & plenitudinis gratiæ, quæ animam impinguat, replet abundantia, & fructum Deo gratum producere facit? Sic enim paulo Zachar.9.

antè propheta dicit: Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumētum electorum,

C & vinum germinans virgines? Ecce quid producit deuotionis gratia, & quæ pluuia petenda à Deo sit. Optimè quidem hoc nouerat, qui dicebat: Domine, anima mea, sicut terra sine aqua, tibi. Sed in cuius nomine illa aqua petenda est? Eius certè, cuius est dare, & qui Samaritanæ dicebat: Qui biberit ex Ioh.4.

aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. In nomine Christi, vt dicemus statim, quia, sicut dicit S. Iohan. gratia & Ioh.1.

veritas per IESVM Christum facta est.

Secundò, debemus petere lumen & directionem status vitæ nostræ, vt saluemur: hoc enim magni momenti est, & tamen nemo est qui recogitet. Sic Tobias filio suo dicebat: Omni tempore bene- Tob.4.

D dic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. Omni tempore, dixit. In principio, medio, & fine. Nescit enim homo finem suum, ait Ecclesiastes, id est, quo in Eccles.9.

statu finaliter inuenietur. O Domine, dirige in conspectu tuo semper viam meam. Sic Salomon: Da mihi, Domine, sedium tuarum assistri- Sap.9.

cem sapientiam. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te omni tempore. Siquidem sine hoc nemo acceptus est Deo. Hanc autem sapientiam in nomine IESV, qui sapientia est patris, & in quo, ait Paulus, omnes sunt thesauri sapientiæ, petere debemus.

E Tertiò, debemus petere quæ sunt æterna, & non videntur: non autem quæ temporalia sunt, & videntur, quæ vanitati subiecta sunt, caduca, & peritura.

Quartò denique vnum tantùm debemus petere, quod est summum & æternum bonum, nempe Deum, in quo omnia bona sunt. Sic Moyses dicebat Deo: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam. Sic Dauid; adimplebis Exod. 33

me lætitia cum vultu tuo. Ecce quid petere de- Psal. 15.

beamus, videre & amare Deum, atque ipso in æternum perfrui: & hoc, vt gaudium nostrum plenum sit. Hæc prima est conditio orationis; *Si quid petieritis*, &c.

Secunda

2. Conditio orationis. Secunda conditio est, vt à patre petamus tanquam fonte omnium bonorum, sicut dicit Sanctus Iacobus, quod omne datum optimum & donum perfectum desursum est descendens à patre luminum. Interim sub hoc nomine patris potest tota Trinitas sancta intelligi, in qua viuimus, mouemur, & sumus: & hoc sensu oramus cùm dicimus; Pater noster qui es in cœlis. Igitur Deus est à quo solùm petere debemus. Primò, quia solus dator est numerum: & quicunque alius dat, ab eo habet quod dat. Secundò, quia magnificè dat, non minima, sed maxima dona, esse, viuere, & regnare. Vnde 2. Pet. 1. S. Petrus scribit, quod maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ. Tertiò, quia etiam abundantiùs dat quàm petamus, vbi se dat, & cum immensitate omnia.

3. Conditio orationis. Tertia conditio est, vt in nomine IESV petamus, si obtinere velimus quod petimus. Ideo namque ait; *Si quid petieritis patrem in nomine meo.* Ita Ioël. 2. Ioël inquiebat: Quicunque inuocauerit nomen Act. 4. Domini, saluus erit. Neque enim aliud nomen est sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri. Ratio autem cur sic in nomine Domini IESV patrem æternum rogare debeamus, est primò propter amorem patris erga filium, qui tantus est, vt semper exaudiat eum. Secundò, quia gratiam nostram & accessum ad patrem acquisiuit, remotis peccatorum nostrorum impedimentis. Vnde iam per ipsum ad Deum accedimus. Imò, sicut Apostolus Gal. 4. dicit, ipse Deus misit spiritum filij sui in corda nostra, vt clamemus Abba pater. Tertiò denique, quia semper remanet apud patrem Aduocatus noster, & mediator, sicut S. Iohannes dicit: *Aduocatum habe-* 1. Ioh. 2. *mus apud patrem* IESVM *Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ita enim, iuxta Apostolum Heb. 7. ad Hebræos, ascendit ad patrem, accedens per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis. Si ergo ipsemet pro nobis orat, vtique docet quid orandum. Et si pro reuerentia semper exauditur à patre, vtique semper est petendum in eius nomine. Propterea enim docuit nos sic orare, dicens: *Si quid petieritis patrem in nomine meo.*

Aliæ conditiones quæ orationem circumstare debent. Hanc autem conditionem tam necessariam aliæ sequi & comitari debent, vt honorariæ, cuiusmodi sunt, humilitas, cuius est penetrare nubes, & omnipotenti Deo placere, vt patet ex parabola humilis publicani orantis in Templo, sed à longè Luc. 18. stantis, & nolentis nec oculos ad cœlum leuare. Item spes & fiducia obtinendi, iuxta quod ipse Matth. 21. Christus dixit: Si fidem habueritis, & non hæsitaueritis, monti dicetis; Tolle, & iacta te in mare, fiet: & omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Denique immunitas & exemIoh. 9. ptio peccati. Scimus enim cum cæco sanato, quia Deus peccatores non exaudit, sed si quis est iustus, cultor Dei, & voluntatem eius faciens, hunc exaudit. Quare modò necesse est, vt peccata penitùs relinquamus, iustitiæ opera faciamus, abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Si enim tunc, id est, cùm oramus, cor nostrum Ioh. 3. non reprehenderit nos, ait S. Iohannes, fiduciam habeamus ad Deum: & quidquid petierimus in nomine eius, accipiemus, vt gaudium nostrum sit plenum.

POST PENTECOSTEN.

DE GAVDIO CHRISTI IN CONVERSIONE PECCATORIS.

Congratulamini mihi, quia inueni ouem quæ perierat. Luc. 15.

HIc duabus parabolis ostendit Christus quàm sollicitè peccatores requirat, quantumque cùm inuenerit gaudeat, relictis, pro hominum salute, nouem Angelorum choris in cœlo, quod à primo Angelo cum suis apostatis desertum est, & ab homine simul præuaricante per ipsum. Vnde meritò exquo peccatum fuit, desertum appellari potuit: non quidem ratione diuinitatis desertum, licèt ab eo Deus vt quæreret hominem descenderit, quia vbique præsens est: neque item ratione prouidentiæ diuinæ, quæ ad omnia se diffundit; tamen quod etiam ex parte filij Dei desertum dici potest, ratione humanitatis nostræ ab illo in terra nostra assumptæ, vt hanc ouem vnam perditam requireret, quæ genus humanum est. Vide, dicit S. Ambros. quàm diues sit iste pastor, cuius nos omnes centesima portio & vna ouis sumus, propter quam nonaginta nouem deseruit. Inter decem drachmas, vna, propter quam, vt dicitur, accendit lucernam, euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam.

Triplex fuit Christi sollicitudo nos inquirendi, ex S. Gregorio. Primò, lucernam accendit, id est, Dei sapientia in lucerna humanitatis apparuit, accensa refulsit miraculis, inflammauit dictis, & illuminauit exemplis. Sicut enim homo collocatus erat in obscuris, & in vmbra mortis sedens: ita lucernam accendere oportuit. Secundò, mundum euerrit, vt perditum hominem inueniret: videlicet principem tenebrarum eiecit, diuitias iussit contemni, paupertatem coli, mundi oblectamenta in fastidium verti, & mentem ad cœlestia ferri; sicque nouum mundum instituit. Tertiò denique, diligenter inquisiuit, ostendens hic summam dilectionem, quando pro inuentione & salute vnius ouiculæ, vnius animæ, animam suam dilectam posuit; nec destitit quærere, donec inuenerit: plagas non timuit, nec mortem, modò illam drachmam vnam ex decem, perditam recuperet, videlicet animam ad imaginem ipsius formatam, vnam dico respectu nouem ordinum Angelorum. De centum, homo ouis est quam summè diligit Deus: ouis quę periit, & ad quam filius Dei vadit, donec inueniat eam, relictis in cœlo nonaginta nouem aliis. De decem, homo est drachma vna, vnicè dilecta & pretiosa, post cuius lapsum, & perditionem, accendit lucernam, nostram assumpsit naturam, & diligenter quæsiuit, donec inuenerit eam. *Tribus modis Christus quæsiuit hominem.*

Sex autem fuerunt viæ quibus quærere venit Christus, quod perierat de manibus eius. Prima fuit Incarnationis, de cœlo in terram. Secunda, doctrinæ & conuersationis in mundo. Tertia, mortis in Cruce. Quarta, de Cruce ad Inferos. Quinta, regressus ad mundum in Resurrectione. Sexta denique, de mundo ad patrem in Ascensione, donec inuenerit. Tunc enim ascendens in altum, vt Propheta dicit, captiuam duxit & reduxit captiuitatem. Vadit ergo & diligenter quæsiuit, donec inuenerit. *Sex viis Christus quærere venit quod perierat.*

Verùm quid fecit bonus ille pastor cùm ouem inuenit? imposuit in humeros gaudens. Quando, inquit S. Gregor. humanam hanc naturam suscipiens, peccata nostra ipse tulit, languores nostros ipse portauit. Sed gaudens, quia licèt magnus fuerit dolor passionis & mortis, quando humanum genus requirens,& inueniens, humeris imposuit, hunc tamen laborem lætanter sustinuit, vt perditam recuperaret ouem. Hinc Nazianz. Non puniuit cùm illam requisiuit, non verberauit, nec vrgendo duxit ad gregem: ipse enim pœnas & verbera, maledicta digna oue sustinuerat; vnde eam noluit molestare, sed imponens humiliter humeris,& clementer portans annumerauit gregi. Ita Sanctus Hieron. Quia propter infirmitatem nimiam ambulare non poterat, propriis humeris reportat ad reliquum gregem. Humeri autem Christi,ait S. Ambros. brachia sunt Crucis. Illic peccata mea deposui, & in illa patibuli nobilis Cruce quieui. Et sic ô homo, Christus te suo corpore reuexit,quia tua in se peccata portauit. Sed gaudens hominem ouem suam domum reducit, cùm nempe ad cœlos ascendens, & secum captiuam ducens captiuitatem, conuocat amicos & amicas, vicinos & vicinas,dicens illis: Congratulamini mihi.

Quomodo dicitur Christus nos suis humeris imposuisse.

Humeri Christi brachia Crucis.

Hoc notate; mihi,dicit,& non oui. Quare? quia certè eius gaudium est vita nostra, eiúsque lætitiæ solemnitatem implemus cùm ad cœlum reducimur. Vel ideo mihi,quia non frustra laborauit, atque mortuus est, exquo perditam ouem inuenit. Homini verò non est congratulandum, quia nullis suis meritis inuentus est. Ideo ergo congratulamini mihi. Dico enim vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, & ad Deum reuertente. O misericordia Omnipotentis! Nó solùm de redemptione vniuersi,sed vnius tantùm peccatoris gaudiũ est in cœlis.

Exemplum satis notandum & memorabile est apud S. Dionysium in epistolis,de diuina cuiusdam sancti viri visione,quam ipse commemorat,veráq; esse credit, sicut ab illo auditam nobis refert. Is appellabatur Carpus,vir quidem propter magnam puritatem animi ad cernendum Deum aptissimus, & qui numquam sacra mysteria aggrediebatur,nisi priùs in iis precibus quæ antea perfici solent, aliqua ei visio sacra apparuisset. Quadam ergo die narrabat ille Sancto Dionysio,quem hospitio exceperat,quod cùm acerbè ferret, quemdam infidelem,& qui à Religione nostra & fide abhorrebat, quemdam alium qui fidelis erat,ab Ecclesia ad impium cultum traduxisse:& propter hoc,animi tristitia confectus,quieti se dedisset, somnúmque cepisset ita malè affectus, media circiter nocte, (in quo tempore ad diuinos hymnos vigilare solebat,) surgit, sed non sine conturbatione, dicendo non esse æquum viros impios viuere, qui vias Domini peruerterent;& sic à Deo precabatur,vt amborum vita breui, & sine misericordia, aliquo turbine igneo consumeretur. Quod cùm dixisset, repentè domum videt in qua staret,à vertice in duas partes diuidi. Sursum,apertum cœlum,& in conuexa cœli superficie IESVM assistentibus innumerabilibus Angelis. Deorsum,hiatum ingentem & obscurissimum, atque illos homines quibus malè fuerat precatus,ante se,ad os hiatus stare treméter, & iam penè pedum suorum instabilitate demersos; præterea serpentes multos ex inferiori loco hiatus sursum ferri,& ad eorum pedes,omni conatu agere,vt eos in illã immensam voraginem præcipites darét. Visio quidem erat terribilis, in qua tamen Carpus ille voluptatem se capere narrabat; ita vt etiam eorum lapsui operam nauaret,opem ferret & manum,cùm vix aspiciens in cœlum, vidit rursum vt antè, IESVM ex cœlesti solio surrexisse,manum benignam illis miseris porrexisse vnà cum Angelis qui auxilium ferebant, Carpóque dixisse: Feri me iam,percute me,paratus sum enim,salutis hominum causa, pati rursum mortem, &c. Hæc sunt, ait Sanctus Dionysius, quæ ego audita vera esse credo.

S. Dionys. ep. 8.

Exemplum misericordia Christi.

O admirandum diuinæ IESV Christi misericordiæ exemplum! qui pro conuersione, & salute vnius & duorum peccatorum, si non iam peracta Passio sufficeret, rursus mori paratus est. Et quidem hinc ratio est cur gaudium maius est in cœlo super vno peccatore conuerso,quàm super nonaginta nouẽ iustis qui pœnitentia non indigẽt. Vnde hoc obsecro? Quia certè Christus tunc triũphat de cunctis hostibus suis,de carne, mũdo & Inferis.

Et certè de hoc multę rationes dari possunt. Prima est, quod illa magis diligimus, in quibus amplius laborauimus. Secunda, quia conuersio vnius peccatoris,maioris est gratiæ, quàm multorum iustorum salus, dicente Apost. *Vbi abundauit delictum,superabundauit & gratia.* Tertia, quia in conuersione peccatoris,gaudium est,& de liberatione à malo, & de adeptione boni: in iusti verò salute, tantùm est de consequutione boni. Quarta, quia peccatores conuersi solent fortiùs dimicare contra hostes Dei, quàm plures iusti. Magis autem dux gaudet de eiusmodi militibus, quia aliis sunt conuersionis exemplum & fortitudinis. Atque ideo dicit Christus: Congratulamini mihi, ô amici mei, ô vicini, ô Angeli mei, & supernæ virtutes, quia inueni drachmam,& ouem quæ perierat. Ecce vobis victoriam meam & triumphum cano, & sic vos conuoco: Congratulamini mihi.

Multiplex ratio cur Deus magis gaudet de salute peccatoris, quàm multorum iustorum. Rom. 5.

Hæc certè & talia dicebat, quando ascendens in altum, Angelis suis hoc humanæ Redemptionis mysterium declarabat. Interrogantibus enim iuxta prophetiam Isaiæ: Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus? Respondet: Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Iam congratulamini mihi omnes,quia inueni ouem quæ perierat: hominem inueni quem amiseram. Epulari & gaudere vos oportet,quia frater vester iunior mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est; mortuus perierat per culpam, & inuentus reuixit per gratiam. Congratulamini mihi.

Isa. 63.

Luc. 15.

Ecce equidem in cœlo gaudium super vno peccatore conuerso, inuento, & pœnitentiam agente: sed tale gaudium, vt non solùm in Angelis sit,sed etiam inueniatur in Deo. Gaudet pater æternus,quia per pœnitentiam peccatoris, nouus sibi filius concipitur,nascitur, ablactatur, crescit,grandis efficitur,vt cum illo tandem sedeat in mensa cœlesti. Abraham de concepto Isaac lætatus est,sed magis quando illi natus est, magis adhuc quando ablactatus est, vt in Genesi habetur, quod tunc ipse conuiuium fecit, &c. Sed multo magis adhuc quando grandis effectus, ad mensam patris receptus est. Ita quidem Deus pater gaudet in conuersione peccatoris, quando per contritionem concipitur illi filius, nascitur per confessionem, ablactatur dum in vita perficitur & bonis operibus: sed adhuc multo magis quando grandis factus & fortis, ad mensam gloriæ recipitur, vt edat & bibat de torrente voluptatis,in regno Dei patris.

Deus pater in conuersione peccatoris gaudet.

Gen. 21.

Filius

Gaudet Dei filius.

Filius item gaudet, qui tunc videt effectum suæ Passionis, propter hominem enim qui perierat in paradiso, nouem ordines Angelorum reliquerat in cœlo. Vnde gaudet quando ipsum reducit in cœlestem & tutiorem paradisum, vnde casus amplius non timetur.

Spiritussanctus gaudet.

Item gaudet Spiritussanctus, quia recuperauit templum suum, sicut ait Apostolus: *Nescitis quia templum Dei estis vos?* & rursus, *quia membra vestra templum sunt Spiritussancti?* Propter peccatum Spiritussanctus quidem non inhabitabat, quia sicut abscissum membrum non viuificatur à spiritu humano, neque item peccator à Spiritu diuino, quia à Deo diuisus est, sicut dicit Isa. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum. Gaudet item quia recuperauit vas suum, quod quidem solus implere potest, atque paratus est, quoties ab omni amore sæculi euacuatum est, sicut S. Aug. dicit. Vas es, si plenus es, effunde quod habes, & recipies quod non habes. Effunde amorem sæculi, vt implearis amore Dei. Lectus angustus est, vtrumque simul capere non potest: breue item pallium, vt vtrumque operire possit.

1. Cor. 3. & 6.

Isa. 5.

Verùm quantum in cœlo illud gaudium sit coram Angelis Dei, expressiùs hodie declarauit Christus, de quo præsertim in Euangelio est sermo. Dicit enim: Dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Sed quare tale gaudium coram illis? Primò certè, quia vident gloriosum custodiæ fructum. *Angelis enim suis Deus mandauit de te*, ait Psaltes, *vt custodiant te in omnibus viis tuis*. In lecto, in mensa, in vrbe & campis, in omnibus denique locis.

Vnde Angeli gaudent de conuersione peccatoris.

Ephes. 2.

Secundò, quia ex peccatoribus conuersis vident numerũ suum impleri: ipsis in sedes ascendentibus, ex quibus Angeli præuaricatores ceciderunt. Vnde congratulantes & collætantes dicunt eis: Iam non estis hospites & aduenæ; sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei, sicut & nos sumus.

Tertiò denique, quia in Dei laudibus vident se habere socios. In hoc enim crescit gloria omnium, & in veritate est, vt semper multiplicetur laus Dei, & in sempiternum augeatur, Psalmista dicente: Beati qui habitant in domo tua Domine. Quare? vtique quia in sæcula sæculorum laudabunt te. Sed etiam & nobis in terra de eorum pœnitentia & conuersione summopere lætandum est in Domino. Primò, quia fratres nostri sunt. Secundò, quia de eorum gloria in cœlo cum Angelis laudabimus Deum in sæcula sæculorum.

DE CONDITIONIBVS ad audiendum Dei verbum requisitis.

Cùm turbæ irruerent in IESVM, *vt audirent verbum Dei, ipse stabat secus stagnum Genezareth.* Luc. 5.

NON hodie tantùm loquentem Christum admiratæ sunt turbæ, & sequutæ sunt eum, sed multoties tali reuerentia & desiderio in ipsum affectæ sunt. Cùm apud S. Iohannem aliquando multa verba fecisset ad populum, docens in Templo vnde venerat, & in die festiuitatis magno clamasset dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Ecce, his sermonibus auditis, quidam

Ioh. 7.

A de turba dicere cœperunt: Hic est verè Propheta. Alij, hic est Christus filius Dauid. Et ex illis qui volebant eum apprehendere, quidam ministri responderunt: Numquam sic loquutus est homo. Vnde non mirum est hodie, si post multa patrata miracula, ac beneficia collata, illo loquente secus stagnum Genezareth, turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei: hoc enim hominum proprium est delectari audire noua, & stupenda mirari opera, quæ alius non fecit. Vnde turbæ illæ doctrinæ eius ducebantur suauitate, nec facilè eum relinquebant, ob stuporem notitiámque tot mirabilium quæ videbantur ex eo.

B Quis enim quæso facilè discessisset ab eo tot miracula faciente? & quis noluisset faciem eius plenam gratiarum videre, & audire os diuina loquentis? Sic enim ad se cum impetu turbas attrahebat, vt solet magnes ferrum. Et quis tunc etiam non dixisset cum Esther? Valdè admirabilis Domine es tu, & facies tua plena est gratiarum. Cum Propheta: Speciosus forma es præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Cum puero Samuele: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Et cum sponsa in Cant. Trahe me; post te curremus in odorem vnguentorum tuorum, diuinorum eloquiorum tuorum. Tu enim solus es, qui verba vitæ æternæ habes. Et hæc ratio est, cur turbæ sic in eum irruebant, & comprimebant, C vt eum audirent: ita vt præ illa multitudine magna, expedierit illum ascendere in vnam nauim quæ erat Simonis, vt de illa doceret turbas, quæ adhuc secus stagnum remanserant: & postea adhuc in illa naui suæ diuinitatis opera ostenderet.

Esther 15.
Psal. 54.

1. Reg. 3.
Cant. 1.

Vnde iam in tria capita omnis nostra distributio erit, vt videamus primò, quæ dispositio ad audiendum verbum Dei necessaria est. Secundò, quid nos Christus edoceat. Tertiò, quo in loco. Hæc enim omnia ad discernendam doctrinam veram à falsa conducunt. Quantum igitur ad primum. Dispositio magis necessaria ad audiendum, est ipsum desiderium audiendi, æstimatio verbi, D & segregatio à curis sæculi. Quæ omnia quidem inueniuntur in turbis illis, quæ primò irruebant in Christum, ecce desiderium: vt audirent eum, ecce æstimatio: & quæ stabant secus stagnum Genezareth, vbi eas reliquerat Christus: Genezareth, quod auras generans interpretatur, ecce segregatio à curis & procellis sæculi.

Tria pũcta.

1. Et quæ dispositio necessaria ad audiendum verbũ Dei.

Ita ergo in nobis ante omnia necesse est vt desiderium sit, quod est adinstar primi mobilis: quoniam quidem verbum Dei nõ minùs est cibus animæ, quàm panis est corporis. Non enim, dicit Dominus, in solo pane viuit homo: sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Neque minus iste quàm alter in oratione Dominica petitur. Ille est E panis quem paruuli & pauperes petierunt, & non erat qui frangeret eis, daret, atque exponeret eis. Frangere hunc panẽ, est Scripturã turbis exponere. De quo illud Prophetæ intelligit S. Gregor. *Qui habitatis in terra Austri*, id est, in Ecclesia, *agitata procellis, cum panibus occurrite fugienti*, id est, diuino verbo vacillantes confirmate, roborate. Micę autem istius verbi, sunt sacrarum litterarum mysteria. O beati qui hunc panem esuriunt, & de talibus micis de mensa Domini cadentibus edunt! Ecce dispositio prima.

1 Dispositio, desiderium audiendi.

Thren. 4.

Secũda dispositio, æstimatio est propter rei excellentiam. Nam in Deo verbum, ęternus patris est filius, per quem fecit & sæcula, suam potentiam

2. Dispositio, verbi Dei æstimatio, & vnde illa.

oſtendit,& miſericordiam: potentiam in creatione, & miſericordiam in reparatione, quia verbo ſuo creauit & reparauit vniuerſa: dicendo creauit, & iterum loquendo reparauit, id eſt, per vnigenitum ſuum verbum fecit hæc omnia. Semel loquutus eſt Deus, ſemel, notate, quia æternum verbum eius eſt; & poſt, duo hæc audiui, quia poteſtas tibi eſt, in creatione: & tibi Domine miſericordia, in reparatione. Loquutus eſt Deus in nihilo, & ecce omnis creatura orta eſt. Sic nunc per miſericordiam loquatur in nobis qui nihilum ſumus, vt creaturæ omnis fiat reparatio in nobis.

Luc. 11. & Matth. 10. Item propter honorem eius qui loquitur, Chriſto dicente: *Qui vos audit, me audit.* & alibi: *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Vnde recipiendum eſt Dei verbum per os prædicatoris, ſicut ſolent recipi Regis litteræ de manu nuncij. Alioquin qui irreuerenter audit & recipit, erit Deo execrabilis, vt dicitur in Prouerb. Qui declinat aurem ſuam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Neque item contemptoribus eſt exponendum, ſicut Chriſtus dicit: Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne conculcent, &c. Margaritæ, myſteria ſunt veritatis concluſa in Scriptura, vt ſunt margaritæ in conchis: non porcis propterea dentur, id eſt, contemptoribus. Quia certè remiſſiùs erit terræ Sodomorum, quàm generationi huic, &c.

Item propter vtilitatem & commodum audientis & recipientis, maxima æſtimatio eſſe debet. Tanta eſt enim quæ ex Dei verbo procedit vtilitas, vt abſque eo ſe non poſſit ad Deum conuertere homo. Ita vt initium ſalutis, ait Sanctus Petrus Chryſolog. ſit verbum veritatis. Hinc

Ioh. 15. Dominus; Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis. Dat enim homini ſeipſum cognoſcere, & per pœnitentiam

Ierem. 23. ad Deum reuerti. Numquid enim verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi mal-

3. Reg. 21. leus conterens petras? Sic Achab, vt refert Regum hiſtoria, conuerſus eſt. Cùm enim occidiſſet iuſtum Naboth, vt tolleret vineam eius, mittit Eliam ad eum Dominus, qui diceret: Si mortuus fuerit in ciuitate Achab, comedent eum canes; ſi in agro, volucres cœli. Non fuit alter talis ſicut Achab, qui malum faceret in conſpectu Domini. His auditis ieiunauit Achab, dormiuit in ſacco, ſcidit veſtimenta ſua, &c. Et ecce ſtatim Dominus ad Eliam: Nónne vidiſti humiliatum Achab mei cauſa? propterea non inducam malum in diebus eius: ſed in diebus filij ſui, domui eius.

Ecce verbum Domini, malleus conterens petras; ignis qui corda in lacrymas contritionis conuertit, compaſſionis, deuotionis & amoris. Sic di-

Cant. 5. cebat ſponſa in Cant. *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt.* Etenim adhuc verbum Dei manna eſt, omne delectamentum in ſe habens; quod

Ioh. 6. optimè Petrus agnouerat dicens: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Vnde ſuper Ezechielem S. Greg. Omnes, inquit, qui viam vitæ deſiderant, verba vitæ audire debent.

Sed quid demum ad hoc requiritur? Audiatur.

3. Diſpoſitio ad verbum Dei audiendum neceſſaria. Tertia diſpoſitio, nempe, ſegregatio à curis ſæculi huius, ſi non quoad locum, ſaltem quoad animum. Eiuſmodi enim curis ſemen ſuffocatur ne creſcat, vt in parabola ſeminantis videre eſt apud S. Lucam. Proptereáque notauimus fuiſſe turbas quæ audiebant, ſecus ſtagnum Genezareth, id eſt, aliquantulum ab illo ſtagno, quod interpre-

A tatur generans auras, vt iam diximus. Talis eſt ſiquidem mundus agitatus vndique ventis, illos generans, vt qui in eo ſunt, perturbet, ſicut dicebat Daniel: Videbam in viſione mea nocte, & ecce Dan. 7. quatuor venti cœli pugnabant in mari.

Quid hoc ſibi vult obſecro? Certè per hoc ſignificantur quatuor venti tentationum flantes in mundo; videlicet ſuperbia vitæ, concupiſcentia oculorum, concupiſcentia carnis, & ſuggeſtio diaboli. Quatuor venti ſunt ab Oriente, Meridie, Septentrione, & Occidente: ita vt totus mundus in maligno poſitus ſit. Caro concupiſcit, diuitiæ pungunt, ſuperbia fumigat, & diabolus continuò tentat: ita vt in mundo nihil aliud

B ſit quàm calamitas & preſſura, ſicut Dominus dicebat: In mundo preſſuram habebitis; in me autem Ioh. 16. pacem. Et quidem nihil aliud homini afferre poteſt ſtagnum huius mundi, quàm multa mala, & miſeriam multam, vt in Confeſſionibus ſuis dicebat S. Aug. O mundi amatores, non eſt requies S. Aug. in Confeſſ. vbi eam quæritis. Eam beatam vitam in regione vmbræ mortis quæritis; quomodo ibi eſt beata vita, vbi nec vita? O munde immunde, quantos decepiſti? Miſer vtique eſt mundus, & miſerrimi qui ſequuntur eum. Quid igitur faciendum? ſtandum eſt ſecus ſtagnum Genezareth, id eſt, vten-

C dum hoc mundo quaſi non eſſemus in illo, vt loquitur Apoſtolus. Ex hoc enim diſpoſiti erimus 1. Cor. 7. ad audiendum, & vtiliter recipiendum Dei verbum, quod Chriſtus hodie prædicat ſedens ac docens in nauicula Petri. Ipſe enim eſt adhuc qui in Eccleſia loquitur.

Duo ſunt vltima puncta, quæ ſuperſunt. Docet *Duo vltima puncta.* Chriſtus: ſed quid docet? doctrinam ſalutis & ve- Pſal. 18. ritatis. Lex Domini immaculata conuertens animas. Vbi Caſſiod. Immaculata, id eſt, irreprehenſi- Caſſiod. bilis, quia perfecta veritate conſiſtit. Conuertens, quia errantem corrigit, & ad Chriſti gratiam currere facit. Additque Pſalmiſta; Teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans paruulis. Iudicia

D Domini vera, deſiderabilia ſuper aurum & topazion. Quę doctrina tam ſancta procedere non poteſt niſi ab Eccleſia Catholica, Apoſtolica & Romana, in qua ſedet Chriſtus, & extra quam non eſt ſalus. Ideo enim (notate,) ſedens erat & docens in nauicula Petri Magiſter veritatis. *In ſola Eccleſia Romana doctrina eſt ſalutis & myſteriorum.*

Sed quid in illa docet? myſteriorum profunditatem. Vnde dixit Simoni: Duc in altum. Neque enim ad aliam quàm ad Eccleſiam Sácti Petri pertinet alta & cœleſtia docere, quæ latent homines carnales, vt mundi contemptum, abnegationem rerum omnium, crucem, paupertatem, & cætera huiuſmodi. Quæ latent homines naturaliſtas at-

E que Philoſophos; vt Trinitatis & vnitatis Dei myſterium, Incarnationis & redemptionis humanæ, creationis & reparationis mundi huius per Chriſtum. Item felicitatem non eſſe, vt fruamur voluptatibus, diuitiis, atque honoribus terræ, & vt quæ ſunt naturæ cognoſcamus; ſed vt cognoſcant te Deum verum & ſolum, & quem miſiſti IESVM Chriſtum, &c. Quæ latent hæreticos, nempe tremendum myſterium Altaris, purgatorium, bona opera, & inuocationem Sanctorum, &c.

Ecce cur & quo ſenſu ſedens Chriſtus in naui Petri dixit illi; duc in altum, & docebat de nauicula turbas: quia certè ſolius eſt Eccleſiæ Romanæ & Petri, in qua præſidet Chriſtus, docere quæ ſunt fidei, profunditatem & veritatem myſteriorum eius. Et non docere tantùm, ſed

Quod docet Ecclesia miraculis confirmat.

sed etiam doctrinam suam miraculis confirmare, vt hodie videre est in illa captura tot piscinum in solo verbo Christi. Antea per totam noctem laborantes nihil ceperant, quia vtique adhuc in lege erant. Nunc verò exquo illis affuit Christus, in eius verbo laxant retia, & concluserunt piscium multitudinem copiosam, ita vt rumperetur retes duas impleuerint nauiculas, & penè mergerentur, stupore inuadente illos. Quid hoc est quæso? nisi quia solius est Ecclesiæ Petri retia laxare in capturam, id est, verbum Dei prædicare, & doctrinam veritatis, quæ homines capit & conuertit ad Christum. Petrus in altum ducit vt princeps, & reliqui pastores ducti per illum laxant simul cum eo retia in capturā. Vnde sicut hodie multitudinem copiosam piscium concluserunt, ita vt stupor circumdederit eos: ita etiam ex hoc capientes homines erunt, adeò vt stupor inuaserit omnes. Sicut quidem postea accidit S. Petro, quando prædicatione vnica tot hominum millia conuertit, vt legitur in Act. & ita aliis.

Hic autem dictum est præsertim Petro: Ex hoc eris homines capiens; quia ei præ cæteris principatus Ecclesiæ datus est. Vnde etiam & in testimonium rei, in eius naui voluit Christus docere, & illa facere. Hæc autem prærogatiua triplici ratione illi concessa est. Prima est humilitatis eius. Cùm hæc vidisset Simon Petrus, procidit ad genua IESV, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. Ad quem IESVS: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens. (Et quidem dignum est, vt qui nesciunt extolli, & se paruulos & peccatores agnoscunt, supra alios sint.) In naui Petri hæc omnia fecerat Christus, & procidens ad genua eius ait: Exi à me Domine, homo peccator sum. O Simon, ex hoc eris capiens homines. Sic Samuel Saüli dixit: Cùm esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es.

Triplici ratione primatus Ecclesiæ Petro datus est.

1. Reg. 10.

Secunda confessionis eius fuit ac fidei, quando interrogatus aliquando, dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Cui Dominus: Beatus es, & tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Matth. 16.

Tertia denique fuit dilectionis. Cùm enim ter Christo dixisset: Tu scis quia amo te; audiuit ab eo, pasce oues, pasce agnos meos. Ita autem omnium est princeps, vt cum eo alij adhuc principes & pastores Ecclesiæ sint, ipsique Christo adhærentes quando relictis omnibus ipsum sequuti sunt. Quod autem nobis præstandum est, hoc est, vt sinamus nos capi eorum retibus, vt cum ipsis sequentes Christum perueniamus tandem ad portum triumphantis Ecclesiæ, & felicitatis æternæ.

Ioh. 21.

DE IVSTITIA HOMINIS Christiani, & de contemptu mundi.

Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 5.

MERITO à nobis iustitiam abundantem exigit IESVS Christus, quia cùm lex non haberet ex se talem virtutem, vt nobis cœlum aperiret, neque etiam habebat obseruatio eius, in qua omnis Pharisæorum & Scribarum constituebatur iustitia. Eam ob rem igitur Christus abundantiorem iustitiam expostulat. Ratio est, quia primò illi seruiliter omnia faciebant, sicut cum timore & ad terrorem legem illam in monte acceperant, qui non ideo ausi sunt ad montem cum Moyse ascendere. Secundò, quia expectatio talis iustitiæ tantùm in premio temporali erat, vt in Isaia dicitur: *Si audieritis me, bona terræ comedetis*: neque exinde altiorem mercedem iustitiæ, id est, regnum Dei, sperare habebant. Ideo igitur necesse erat vt nos abundantiorem iustitiam haberemus, cuius præmium atque expectatio esset, quod oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit; cuius opera in fide & charitate perfecta essent. Descendit enim deorsum Christus, vt sursum cor haberemus, & eius conuersatio fuit in terra, vt hominem traheret ad cœlestia; sed exquo maximè de terra ad cœlum rediit: eò enim statim omnem spem nostram erexit, sicut ad Colossenses scribit Apostolus: *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Ex eo siquidem tempore, ait S. Cyprianus, iucundum est homini claudere oculos huic mundo, & aperire cœlo.

Quare Christus nūc abūdantiorē iustitiā quàm ante expostulat.

Isa. 1.

Coloss. 3.

Hæc est iustitia, Christiani, quæ nos primùm quærere facit regnum Dei, dicere cum Dauid: Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo? & cum Apostolo: Conuersatio nostra in cœlis est. Ecce duo animaduertenda, ex Propheta & ex Apost. volatus, & conuersatio in cœlis. Volatus animæ, fugam dicit atque elongationem à sæculo ob ingentia mala & pericula quæ in eo sunt. Primò quidem in suis legibus, quæ diuinis omnino contrariæ sunt. Ecce enim in Euangelio leges & consilia: Beati pauperes, qui lugent, patiuntur, & esuriunt iustitiam. Mundus autem diuitias iactitat, voluptates proponit, honores & omnem iniustitiam.

Psal. 24.

Quare sæculum fugiendum est.

Matth. 5.

Secundò, mala & pericula inueniuntur in continuis occasionibus peccandi, tam ex parte nostræ carnis quàm obiectorum quæ nos vndique circumstant, insidiarumque hostis qui circuit quærens quem deuoret. De carne nostra Apostolus dicit: *Video legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Quod ab initio mundi ipse Deus agnouit dicens: Sensus & cogitatio hominis prona sunt ad malum ab adolescentia sua. Si autem cætera quæ nos circumstant, inspiciamus, optimè cum S. Leone videbimus quia plena sunt omnia laqueis, plena periculis. Insidiæ sunt in diuitiis & paupertate: illæ ad superbiam eleuant, hæc incitat ad querelam; tentat sanitas, tentat infirmitas, dum & illa materia est negligentiæ, & hæc causa tristitiæ. Ecce vbique, & vndique in mundo occasiones peccandi atque insidiæ.

Rom. 7.

Gen. 8.

S. Leo Ser. 11. de Quadrag.

Tertiò, addamus exempla vitiorum & scelerum omnium quibus scatet, atque etiam facilè seducimur, vt similia perpetremus. Quare talem vocem quondam Arsenius audiuit, dum adhuc in Aula conuersabatur Imperatoris Theodosij; Tumultus fuge, & saluaberis. Eo ergo modo semel illuminata anima dicit: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo? volabo, vt quàm longissimè maneam ab omni tumultu seiuncta. Ecce lex iustitiæ & vitæ quam à nobis exigit Christus.

Verùm curnam pennas petit columbæ? Quia certè ad eiusmodi volatum non sunt aptiores pennæ quàm huiusce auis, cui naturalis est simplicitas & timiditas. Si enim agitur de conflictu cum mundo, carne & vitiis, nullus est modus vincendi melior quàm fuga, timor, atque elongatio ab omni strepitu & conuersatione terrena, negotiisque sæcularibus, sicut etiam nobis Apostolus proposuit, consuluitque dicens: *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus.* Quia quidem anima ad imaginem Dei sui creata, his tantùm occupari potest, non autem satiari. Quæ nos circumstant, occupant animam, non satiant. Quid igitur satiabit illam? Deus. Fecisti nos ad te Domine, & inquietum est cor nostrum donec conquiescat in te. Quis dabit mihi pennas, & volabo? Quis me separabit à charitate & consortio Christi? Conuersatio nostra in cœlis est.

2. Tim. 2.

Quæso intelligite hic arcanum Dei quoddam, & Christi consilium in mundum venientis. Apud S. Lucam venit separationem facere, nosque ad se de terra attrahere, sicut dicebat Nicodemo; *Cùm ego exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Et apud Ierem. In perpetua charitate dilexi te, ideo attraxi te miserans. Tale dico fuit consilium Christi, nos trahere ad se, & à terra separare, sed qua via & ratione? Iustitiæ vitæ, quæ plusquàm Pharisæorum debet abundare; alioquin non intrabitis in regnum cœlorum. Sic enim decreuit electos suos separare à terra, vt eorum in cœlis conuersatio sit tota. Hæc enim Christianorum iustitia, & via ad cœlum. Beatus quem elegisti, & assumpsisti Domine, inhabitabit in atriis tuis.

Luc. 12. Ioh. 3. Ierem. 31.

Hac de re notabile nobis exemplum dedit Dominus in mysterio suæ Transfigurationis, vbi tribus assumptis discipulis, duxit illos in montem excelsum seorsum, qui mons Tabor erat, cuius interpretatio est, electio & puritas. In quo significatur cœlum, quod electorum & mundorum habitatio est. Neque enim hic alij habitant, quàm quorum vita adhuc in terris, & conuersatio est omnino cœlestis. Vnde etiam in his qui à Christo in hunc montem renouationis & transfigurationis assumpti sunt, non minimum mysterium inuentum est. Ij fuere, Petrus, Iacobus, Iohannes, Elias & Moyses. Petrus, qui saxum significat, in quo primò fidei ostenditur constantia, sine qua impossibile est accedere ad Deum. Iacobus, qui supplantat. Et Iohannes, cui gratia data est. Elias item, qui interpretatur Dominus & fortis. Et Moyses, id est, assumptus ab aquis.

Matth. 17. *In Transfigurationis mysterio electio & vita Christianorū demōstratur.*

Ecce qui digni sunt ascendere in montem cum Christo, apparere in gloria cum illo, & adhuc existentes in terra habere conuersationem in cœlis. Qui credunt, supplantant, ornantur gratia, fortes sunt, & assumpti ab aquis, id est, segregati à curis & vitiis sæculi huius. Quorum denique iustitia & vita plusquàm Scribarum & Pharisæorum abundat. Quorum conuersatio tota est in cœlis.

Diuersæ autem hic rationes dari possunt, quomodo fieri potest, iustorum adhuc in terra existentium vitam & conuersationem esse in cœlis. Prima est, quia ibi est omnium summum bonum Deus. Vnde eò conantur semper amorem suum transferre & desiderium, incessanter cum Psalmista dicentes: Mihi adhærere Deo bonum est. Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, affectus & desiderij, & pars mea Deus in æternum? Vnde fit, vt eiusmodi animâ hac consideratione & veritate sæpissime, licet adhuc degens in terra, sic à visibilibus transeat ad inuisibilia, à temporalibus ad æterna, & à terrenis ad cœlestia vsque ad Deum ipsum: vbi enim est thesaurus, ibi est & cor; & sic valeat loqui: Conuersatio nostra in cœlis est. Ad hoc siquidem videt se vocatam, ad quod creata & nata est.

Multiplex ratio conuersationis & vita cœlestis iustorum adhuc in terra existentium

Quidam Philosophus nomine Anaxagoras, interrogatus ad quid esset natus, respondit, vt cœlum & Solem intueretur. Sed multo meliùs, altiúsque philosophatur & dicit anima sublimiori sapientia instructa; vt Deum contempletur, & cum eo conuersetur in cœlis, vt sic viuat in terris, & cum tali vitæ iustitia, vt in fide & spe eorum quæ illi promittuntur in cœlis, statim animo vilescant omnia quæ habentur in terris, etiam & paruipendantur tormenta martyrij. Hoc animo quidem Machabæorum mater fortiter ad illa subeunda filios hortabatur. Et alia adhuc non minus fortis & constans, pia & amore Christi primùm vulnerata dicebat ad filium suum S. Symphorianum, ipsum animans ad martyrium: Memento, fili, æternæ vitæ. Cœlum suspice, ibi regnantem intuere, nam vita tibi non eripitur, sed mutatur in melius. Et quæso, quis non libenter & fortiter omnia contemnit in terris, siue tormenta sint, siue consolationes, si se in Cœlum erigat, si cum Isaia & cum Apostolo cogitet, quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, quæ Deus præparauit in cœlis diligentibus se? Hæc igitur prima ratio cur electorum adhuc in terra existentium conuersatio est in cœlis.

Isa. 64.

Secunda est, quia in ista conuersatione, anima discit in terra, vita sancta & cœlesti viuere, quam Christus quidem dare venit, sicut dicit: Veni vt vitam abundantiùs habeant. Nisi abundauerit iustitia vestra, &c. Heu, quàm miser est vitæ nostræ status, & quàm deplorabilis terræ conditio, in qua vt exules degimus! Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, dicit Apostolus. Quàm tristis hæc mundi habitatio! *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena cogitatio deprimit sensum multa cogitantem*; dicit Sapientia. Animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei, ait Sanctus Paulus, stultitia enim est illi. Vbi Sanctus Chrysostom. Isti qui in limo sæculi hæserunt, in via Dei ambulare non possunt. Illi autem sunt, inquit, qui pro re aliqua temporali viuunt, & non propter æternitatem promissam. Curas igitur vestras inutiles & sollicitudines ordinate, dicit enim Apostolus: Est quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quòd nec auferre quid possumus. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Tu autem ô homo Dei, sectare iustitiam, apprehende vitam æternam in qua vocatus es. Frustra nati sumus omnes ad gloriam & vitam æternam, si non teneamus viam quæ ducit ad illam.

2. Ratio cœlestis conuersationis iustorū in terra. Ioh. 10. 2. Cor. 5. Sap. 8. 1. Cor. 2. S. Chrysost. in 1. ad Corinth. Tim. 6.

Consilium est Sancti Petri in sua Canonica dicentis: Satagite fratres, vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis, fugientes eius quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Maxima enim & pretiosa nobis promissa Deus donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.

2. Petr. 1.

naturæ. Magis ergo circa electionem vestram & vocationem satagite. Nisi abundauerit iustitia vestra, ait Dominus, non intrabitis in regnum cœlorum. Quare iam signa animaduertamus, quibus innotescat nobis, an in illa via & iustitia simus.

Signa an in via Dei simus.

Primum est, si terrenis contemptis, ad cœlestia tendamus: si omnia, cum Apostolo, arbitremur vt stercora, & detrimentum, vt Christum lucrifaciamus: si quæ retrò sunt obliuiscentes, ad ea quæ anteriora sunt nos extendamus: si mundus nobis crucifixus est, & nos mundo. Si denique sæpius vitæ æternæ meminerimus, sapiamus & quæramus quæ sursum sunt, non quæ super terram, esuriamus iustitiam, adhæreamus Deo, & dicamus cum Paulo: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Mihi viuere Christus est, mori lucrum.

Phil. 3. Gal. 6. Coloss. 3.

Secundum est, si sit vitæ nostræ conformitas cum ipso Christo. Quos enim prædestinauit Deus, hos & vocauit, scilicet conformes fieri imaginis filij sui: in humilitate conformes, in passionibus & cruce; in vita, in morte & in cunctis. Ita vt non aliter speranda sit salus, quàm secundùm gratiam quæ in Christo data est.

Rom. 8.

Tertium denique est, in omnibus istis testimonium conscientiæ nostræ, Apostolo dicente: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate & synceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo. Si cor nostrum non reprehenderit nos, tunc fiduciam habemus ad Deum, ait S. Iohannes. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum, dicit hodie Christus. Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei, dicit Apostolus. Quorum conuersatio in cœlis est.

2. Cor. 1. 1. Ioh. 3.

3. Ratio cœlestis in terra conuersationis.

Tertia itaque ratio cur electi iustitia vitæ in terra, sic conuersantur in cœlis, est, quia in tali conuersatione anima discit ad similitudinem Dei, & Sanctorum eius vitam suam formare, instituere & perficere. Dei dico, cùm dicere dignatus sit Christus: *Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.* O quale motiuum & propositum exemplar perfectionis! Sanctorum & Angelorum, qui nobis item proponuntur vt exemplar omnis perfectionis vitæ, & obedientiæ. Ita enim orando dicimus quotidie Deo; fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Ecce ad quid iuuat mente conuersari in cœlis.

Matth. 5.

4. Ratio.

Quarta, quia scit inde anima omnia expectanda esse, auxilium & gratiam, sicut S. Iacobus dicit, quia omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est. In hac re nobis exemplum dedit Moyses, qui in suis postulationibus solebat manus & oculos ad cœlum leuare: similiter & Propheta Dauid dicens; Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis. Sed ipsemet Christus, qui tam sæpe loquendo & operando in cœlum oculos subleuabat. Sic fecit cùm Lazarum suscitauit, cæcum & surdum sanauit, multiplicauit panes, & populum docuit: denique cùm & patrem, antequam iret ad mortem, orauit, sicut notauit S. Iohannes, dicens: Subleuatis oculis in cœlum IESVS, dixit: Pater, venit hora, &c. Vt hinc discamus, quia de cœlo nobis omnis gratia expectanda est, nostraque ibi conuersatio est.

Exod. 17. Ps. 122. Ioh. 17.

Quinta denique & vltima ratio est, quia debemus esse in terra, operari, conuersari, & viuere, sicut continuò in conspectu & præsentia Dei: atque in hoc imitari Angelos & Sanctos, qui semper astant coram Deo, & cum reuerentia summa.

A Quibus interim non magis est præsens secundum suam essentiam & veritatem præsentiæ, quàm nobis, cùm sit æqualiter omnium inspector & Iudex. Hæ sunt ergo rationes ob quas Christus hodie dicit: *Nisi abundauerit iustitia vestra* (operatio, & vita) *plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ob quas & anima iusta similiter dicit: Conuersatio mea in cœlis est.

DE MISERICORDIA Domini IESV.

B

Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me. Marc. 8.

EO ipso quo Christus filius Dei, hominis filius factus est, ad miserendum nobis datus & propositus est. Ita ad Hebræos dicit Apost. Debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, id est, fieri homo, nostrámque experiri in carne nostra miseriam, vt condoleret nobis, sicut idem Apostolus statim post adiunxit: Ideo circumdatus est Pontifex noster infirmitate, qui possit condolere iis qui ignorant & qui errant. Vnde etiam pater talem propitiationem proposuit in sanguine ipsius, cùm nimirum proprios languores nostros in se expertus, ex abundantiori misericordia factus est in Cruce propitiatio pro peccatis nostris. Sed quomodo expertus? non vt filius Dei, sed vt filius hominis: interim, & vt filius Dei, & vt filius hominis, circa hominem, licet cum differentia, superexcellenti misericordia plenus. Licet cum differentia aliqua, dixi. Nam quia obiectum misericordiæ miseria est, sic vtique non conuenit illi, vt filius Dei est: vt verò filius hominis, sic adhuc illi conuenit, qui voluit & miserias nostras experiri, & nos liberare ab illis.

Heb. 2. Heb. 5. C Rom. 3.

D Quod vt intelligatur, sciendum est ex doctrina Sancti Thomæ, ad misericordiam tria concurrere: obiectum, nempe miseriam alienam: affectum, seu passionem, nempe tristitiam, quæ ex tali cognita miseria oritur: & effectum, nempe liberationem. Iam verò propriè illam Deo competere quoad obiectum & effectum, non verò quoad affectum, seu passionem, atque tristitiam, in qua imperfectio est. Quod minimè ideo potest accidere & conuenire Deo: sicut videre & repellere miseriam, ei optimè conuenit; quod per elargitionem diuitiarum, & communicationem perfectionum bonitatis suæ facit. Quæ perfectionum elargitio secundum diuersam rationem considerata pertinet & refertur, & ad bonitatem, & ad iustitiam: & ad liberalitatem, & ad misericordiam.

S. Tho. 1. p. q. 21. art. 3.

Tria ad misericordiam concurrũt: & quomodo cõuenit Deo.

E *Quomodo ad diuersa refertur diuinarum perfectionũ cõmunicatio.*

Communicatio perfectionum absolutè considerata, ad bonitatem pertinet & refertur: quæ secundum proportionem est rerum ad iustitiam. Quæ verò fit propter solam bonitatem eius, & non vtilitatem propriam, ad liberalitatem pertinet. Si autem vt miseriam expellat, & omnem defectum, ad misericordiam. Eoque sensu & modo misericordiam dicimus Dei propriam esse & peculiarem, qui miserias & afflictiones nostras respicit, vt nos liberet ab eis: vnde toties dicitur per Prophetam misericors & miserator Dominus, faci

facienſque miſericordias, quaſi illud ſit proprium nomen eius. Iuxta quod illa omnia opera eius ſuperexaltat. Ita vt terra dicatur miſericordia Domini plena, & cœlum pariter; ipſeque Dominus eſſe miſericors, quomodo eſt pater erga filios.

Verùm & hoc non fuit Chriſto ſatis, quando hanc miſericordiam integram, & ſecundum omnes eius conditiones habere voluit, etiam triſtitiæ communicando & paſſioni, aſſumptis humanitatis noſtræ defectibus & affectibus, (peccato & ignorantia exceptis,) vt ſic meliùs poſſet compati nobis, ſicut Apoſtolus dicit: Non habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Ita vt videatur Chriſtus eſſe totus miſericordia, ſicut infirmitate noſtra circumdatus: & pater eius propterea communi nomine pater IESV Chriſti, & miſericordiarum appellari. Sic enim ad Corinth. dicit Apoſtolus: Benedictus Deus & pater Domini noſtri IESV Chriſti, pater miſericordiarum; ſicut ab Eccleſia Maria Virgo mater miſericordiæ dicitur, quia mater eſt IESV Chriſti. Ita vt exquo homo factus eſt, nihil aliud præ ſe ferat, velit, & dicat Chriſtus quàm miſericordiam, per cuius viſcera viſitauit nos oriens ex alto. Hodie inquit, *Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me.*

Heb. 4.

1. Cor. 1.

Et certè non mirum eſt ſi ſic eum hodie miſericordia afficit: quia in eo tanquam in fonte proprio miſericordia eſt. Sic fuerat promiſſus, & ſic etiam eſt datus. In libro Num. Moyſes & Aaron, viſa deſolatione populi in ſolitudine, clamauerunt ad Dominum, & dixerunt: Domine Deus audi clamorem populi huius, & aperi eis theſaurum tuum fontem aquæ viuæ, vt ſatiati, ceſſet murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini ſuper eos, locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Congrega populum, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas, &c. Quænam eſt quæſo illa petra? Myſticè eſt Chriſtus, ſicut ad Corinthios Apoſtolus explicat dicens: Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus.

Num. 20.

Chriſtus promiſſus & datus mūdo vt fons miſericordiæ.

1. Cor. 10.

Ecce ergo quomodo Chriſtus iuxta promiſſa, & clamores datus eſt mundo vt theſaurus & fons. Sed cuius rei theſaurus? cuius rei fons? vtique aquarum gratiæ & miſericordiæ. Vt fons venit, quia ſicut fons die nocteq; inceſſanter fluit. Sic etiam exquo ille mūdo apparuit, ſtatim etiam gratia eius in cordibus noſtris diffuſa eſt, & miſericordia eius a progenie in progenies timentibus eum, fluit ſemper, neque vnquam exhauſta eſt. Fons eſt, & profundus, quia citra condignum puniuntur mali: fons latus, quia miſerationes eius ſuper omnia opera eius: fons longus, quia miſericordia Domini ab æterno, vſque in æternum: & altus, quia in cœlo, Domine, miſericordia tua, ſcilicet, vt iam nobis fores aperiat. Olim tenebatur clauſum cœlum: ſed vbi venit plenitudo temporis, temporis miſericordiæ, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, circumdatum infirmitate, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, & adoptionem filiorum Dei reciperemus, & ſic in regnum cœleſte introiremus.

Miſericordia Chriſti eſt fons.

Sed quomodo, & vnde tantam nobis miſericordiam meruit? vtique quia factus eſt ex muliere, factus eſt ſub lege, factus eſt homo, & noſtra circumdatus eſt carne, & infirmitate. Ecce vnde fluunt tot miſericordiæ Chriſti. Ecce vnde

A dicit; *Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me.* Ite ergo ad fontem, & loquimini omnes ad petram. Conuenite cum turba hodie Chriſtum omnes. Olim aquas & panem dedit in deſerto, (hæc autem omnia in figura contingebant illis,) nunc verò idem hodie per ſeipſum in veritate facit. Clamat: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Clamat: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Si quis eſurit, veniat ad me. Hodie cùm turba multa eſſet, nec haberent quod manducarent, conuocatis diſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbam; & benedicens panes, iuſſit B apponi: & manducauerunt omnes de ſeptem panibus, quatuor millia hominum, & ſuſtulerunt de fragmentis ſeptem ſportas. Ite ergo omnes ad hunc fontem & theſaurum miſericordiæ, & cum fiducia adeuntes, petite, & accipietis.

Ioh. 7.

Ioh. 6.

Samaritana ab eo petierat huius miſericordiæ aquam, & obtinuit. Domine, ait, da mihi hanc aquam, vt non ſitiam, neque veniam huc haurire; & fontem inuenit, hauſitque aquam gratiæ ſalientis in vitam æternam. Scio quia Meſſias venit, venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci: numquid ipſe eſt Chriſtus? Similiter Chananæa huius gratiæ & miſericordiæ theſaurum quærebat, & inuenit, petierat micam, & panem obtinuit. Miſerere mei, inquiebat, fili Dauid. Quid petit illa? vtique miſericordiam. A quo? à filio Dauid, à Chriſto, qui ſecundum carnem eſt homo. Et quid illi reſpondet? Non licet ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Et illa, etiam Domine. Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Illa ergo de finibus ſuis egreſſa ad Chriſtum, panem, vel certè micam miſericordiæ petebat clamans; Miſerere mei Domine fili Dauid.

Ioh. 4.

C

Matth. 15.

Et quod hic notandum occurrit, eſt, quod ſtatim poſt petitionem, & obtentionem huius micæ D panis miſericordiæ, ſecundum Matthæum, turba multa acceſſit, hunc panem miſericordiæ quærens & poſtulans, Chriſtum ſequens, & quod manducaret non habens. Vnde conuocatis diſcipulis ait IESVS: Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me; & ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via. Ecce vnde compaſſio & miſericordia in Chriſto: non habeut quod manducent; in via deficient. Poſt eſum quidem ligni vetiti in paradiſo, homines non habent quod manducent, vnde viuant in æternum, in via deficiunt, iamque pereunt fame, ſecundum corpus: & cibum mentis amiſerunt, qui in contemplatione Dei eſt. Propterea miſereor, &c. Iam triduo ſuſtinent me. Tres dies, tria ſunt E tempora; ante legem, ſub lege, & poſt legem. Duobus diebus expectatus eſt Chriſtus, panis ille qui de cœlo deſcendit, eiuſque Euangelium pabulum mentis; & die tertio venit ad reficiendum animas ieiunas.

Quid per triduum intelligi poſſit.

Vel tres dies, ſunt tres vires intelligendi animæ, ſenſitiua, intellectiua, & fidei. In duabus primis non paſcitur mens cœleſti pabulo, & contemplatione Dei: illa enim omnem ſenſum & intellectum excedit. In tertia verò, quæ fidei eſt, pane ſuo reficitur, quia in ea Deum contemplamur, licet adhuc ſub cuiuſdam obſcuritatis ſpeculo. Neque enim perfectè videbimus & ſatiabimur, donec ad diem gloriæ & viſionis perfectæ

veniã

veniamus, vbi videbitur sicuti est. In duabus ergo primis ieiuna mens est, & adhuc in via deficit: sed in tertia, vbi fidei notitia & certitudine aduersus omnem erroris, & dubitationis deliquium firmatur, pascitur. Ita vt si dum in hac vita sumus, satiari & viuere voluerimus, credere necesse sit & sequi Christum, ipso dicente: Qui venit ad me (scilicet per fidem,) non esuriet, & qui credit, viuet. Crede ergo, & dabit tibi petitiones cordis tui. Ipsum sequere, veluti is qui in via deficit, & non habet quod manducet, & dabit tibi per manus Apostolorum suorum & Prælatorum in Ecclesia, panem vitæ & intellectus. Iacta denique cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet, sicut hodie turbam illam magnam de paucis panibus sustentauit in deserto.

Non desistit misereri Deus, nobisque adhuc præstò est misericordia Christi, ne in via deficiamus; nec superest nobis vlla ratio dubij aut timoris. Tota enim ratio facti, in potentia est & misericordia facientis. Misereor, inquit, super turbam. Vnde hodie secundum magnam misericordiam suam voluit quod potuit; & quod potuit & voluit, fecit, scilicet, de septem panibus quatuor millia hominum in deserto sustentauit. Ecce vnde nobis iam in misericordia eius sperandum est, in qua omnia constant, & ex qua vitæ nostræ omnis conseruatio dependet. Et certè misericordiæ eius, quod non sumus consumpti. Hodie misericordia eius panis fuit, qui quatuor millia hominum sustentauit: & nunc adhuc, atque in æternum panis erit ad vitam & sustentaculum omnium animarum, sine cuius dono & gustu, nec peccator agit pœnitentiam, nec iustus exercet iustitiam. Nam omnis pœnitens in spe misericordiæ peccata remittentis viuit, & omnis etiam iustus in spe misericordiæ cœlestia dona retribuentis viuit.

Quomodo misericordia Dei animarũ panis est.

Non vnicus autem ille panis est, sed multiplex, quia multæ sunt misericordiæ diuinæ, & iuxta numerum septem panum, quibus hodie Dominus in deserto satiauit populum, septem quoque inueniemus misericordias Dei, quibus sustinemur, ne in via & deserto vitæ huius deficiamus. Prima igitur misericordia, est præseruatio à peccatis. *Nisi quia Dominus adiuuit me*, ait Dauid, *paulominus habitasset in Inferno anima mea.* Et optimè quidem omnes dicere possumus: Misericordiæ tuæ Domine quod non sumus consumpti. Magna certè misericordia, quæ sic hominem protegit, ingratum & contrarium sibi. Huius autem panis misericordiæ tria sunt fragmenta, seu tres modi huiusce gratiæ & præseruationis à peccato. Subtractio occasionis, gratia resistendi, & affectio omnino contraria peccatis. Si enim occasio daretur, sæpius in multis peccaremus: vnde ex misericordia, eam subtrahit Deus. Et cùm datur, minimè resistere possemus, nisi adiuti auxilio gratiæ essemus, sicut ait Deus ad Abimelech; Custodiui te, ne peccares in me. Sed quid præterea facit Deus? sæpius adhuc affectionem retrahit à peccatis, vt in omni occasione detestemur ea. Ecce tria fragmenta panis primæ misericordiæ.

Iuxta numerum septem panum, septẽ misericordia Dei.

1. Misericordia.

Gen. 20.

Secunda misericordia, est ad pœnitentiam expectatio peccatoris, dissimulando, vt ad se reuocet; differendo vltionem, vt parcat; mortem non infligendo, vt non damnet. Cuius adhuc diuinæ patientiæ & longanimitatis tres sunt modi, veluti fragmenta & partes. Prolongatio vitæ quam

2. Misericordia.

A exhibet nobis: electio nostræ prædestinationis, & charitas qua nos diligens, electionem hanc vult impleri in nobis, sicut apud Ezechielem ait: Numquid voluntatis meæ est mors impij? Non, sed magis vt conuertatur, & viuat. Vbi S. August. Erubescat humana pigritia, plus vult ille misereri quàm nos à miseria liberari. Et S. Gregor. Quisquis viuit, & delinquit, idcirco miseratio diuina eum tolerat, vt ab iniquitate se compescat. Et S. Bernard. Miseratio tua, Domine, quo poterit explicari sermone? quàm benignus, quàm liberalis, quàm gratuitus fueris? Ego peccabam, & tu dissimulabas: ego à sceleribus non continebam, & tu à verberibus continebas. Ego prolongaui multo tempore iniquitatem, & tu Domine prolongabas tuam pietatem. B

Ezech. 18.

Tertia misericordia, castigatio & punitio est pœnitentis. *Cibauit nos pane lacrymarum*, ait Psalmista regius. Cuius item tria sunt fragmenta. Consideratio peccatorum præteritorum; metus supplicij, & spes veniæ.

3. Misericordia.

Quarta misericordia, est venia; vt non damnet per vltionem; non confundat per improperium, & non minus diligat ex præteritorum memoria delictorum. Ecce tria fragmenta huius panis misericordiæ.

4. Misericordia.

Quinta est virtus perseuerantiæ, & iste panis tria fragmenta habet. Continentiæ propositum aduersus carnem: æstimationem cœlestium aduersus mundi vanitatem; prudentiam & circumspectionem aduersus diabolum. C

5. Misericordia.

Sexta misericordia, est gratia merendi vitam æternam. Sic Deus misericordiam cum Moyse fecit, dicens: Inuenisti gratiam coram me, & teipsum noui ex nomine. Ego ostendam omne bonum tibi. Miserebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit. Tria autem huius panis sunt fragmenta. Odium præteritorum malorum: contemptus bonorum præsentium, & desiderium æternorum.

6 Misericordia.

Exod. 33.

Septima tandem est spes obtinendi hanc vitam & gloriam in cœlis, & iam quidam huiusce prægustus in terris. Ille quidem panis aliis eminet, vbi mortalis homo immortalitatem, miser felicitatem, terra cœlum, homo Deum obtinere sperat. Sed quibusnam proponitur ille panis? electis Dei, & propter eum afflictis, vt gustare incipientes, ad plenam refectionem peruenire contendant. Sic Elias Propheta, hoc pane gustato, ambulauit in fortitudine cibi huius vsque ad montem Dei. Cuius item tria sunt fragmenta. Donum charitatis contra penuriam meritorum, quam quidem supplet gratia adoptionis filiorum Dei. Si enim filij Dei nunc simus, absque meritis sumus, neque enim sufficientes sumus, sed solùm gratia & iure adoptionis, vnde in hæreditatem introire speramus. Item promissio æternæ veritatis, contra considerationem propriæ vilitatis. Licet enim viles creaturæ simus, non audentes & valentes sperare quæ sunt æterna; exquo tamen nobis ea promisit Deus, qui est æterna veritas, roboratur spes nostra. Tertium denique fragmentum huiusmodi misericordiæ, gratia est & potestas Redemptoris contra inæstimabile pretium gloriæ eius, & inaccessibilis beatitudinis. Quis enim posset bonum tanti valoris elargiri hominibus? vtique ille qui omnia potest, & Deus misericors est. D E

7. Et vltima misericordia.

3. Reg. 19.

DE

DE DISTINCTIONE falsorum prophetarum à veris, & de punitione peccatorum.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Matth. 7.

Ioh.17. GRANDIS hic sermo IESV Christi. Dixit alibi, subleuatis oculis in cælum; *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum*: & nunc dicit; *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit*, &c. Quidnam est hoc? in Scriptura contradictio? Minimè, sed vnius loci per alium explicatio, nempe non sufficere ad vitam, nudam illam & simplicem Dei cognitionem: sed cum ea aliquid præterea requiri. Vnde hic tria hominum genera Christus tangit, quibus non indifferenter propter talem cognitionem aperietur regnum cælorum, sed tantùm iis qui cum fide & cognitione præditi erunt bonis operibus. Sunt enim qui Deum cognoscunt sine fide, & hi, cuiusmodi sunt infideles & hæretici, sine salutis spe clamant, Domine, Domine. Alij cum fide, sed sine bonis operibus, vt Catholici peccatores, & hi similiter dicunt frustra, Domine. Alij verò cum fide & bonis operibus, & hi intrant, quia faciunt voluntatem patris. Non enim qui dicit, Domine, intrabit, sed qui facit voluntatem Domini, intrabit. Ecce differentia dicentium, Domine.

3. Hominum genera dicentium, Domine.

De primis, nempe de hæreticis, certum est nullam in eis spem vitæ esse, quia iam cum infidelibus sortem suam miserunt, neque sunt fideles, vt se esse iactitant, quia omni fide priuati sunt, & sic nihil illis prodest dicere toties, Dominè, Domine. Quare? quia in veritate, neque patrem, neque filium cognouerunt, in hoc quod filio non credunt. Quod autem fidem non habeant hæretici, doctrina est Ecclesiæ, & Doctoris eius Angelici Sancti Thomæ, qui docet impossibile esse etiam fidem informem, id est, absque charitate, (notate) in eo manere, qui vnum fidei articulum non credit, licet reliquos omnes veros esse fateatur.

Hæretici tanquam infideles non habent partem in regno Dei.

Hæretici carent fide.

S. Tho. 2.2. q.5. art.3. in corp. art.

Ratio autem est, quia fidei obiectum vnum est, & vna ratio credendi, nempe veritas prima: vnde qui non credit vnum, etiam paratus est non credere alios omnes; quia vna & eadem est ratio credendorum omnium. Et sic manifestum est, quod talis circa vnum articulum hæreticus, fidem de aliis non habet, sed tantùm opinionem secundum propriam suam voluntatem; quia ille equidem non tenet quæ credit, eo modo quo tenet & credit fidelis, scilicet inhærendo simpliciter primæ veritati: sed propria, vt diximus, voluntate, atque iudicio; & sic in vno offendens fit omnium reus, & in hoc ab infideli non differt, qui nihil credit. Falsum est etenim in eo quod verum apparet. Propterea dixit hodie Christus: Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lu-

A pi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos.

Notate omnia. A falsis prophetis, ait, quia doctrinæ veritatem non habent, qui veniunt à seipsis, & non mittuntur. In vestimentis ouium, id est, sub specie religionis. A fructibus eorum cognoscetis eos. Modus itaque dignoscendi eos hic est, quod non sicut filij Dei, Spiritu Dei aguntur, sed vt falsi prophetæ ex seipsis & veniunt, & loquuntur; non veritatem, sed in eorum doctrina, operibus, & vita mendacium, falsificantes veritatem doctrinæ, iustitiæ & vitæ, sub specie religionis, vestimentis ouium, & alicuius eloquentiæ ornamentis. Primò, sub eiusmodi apparentiis falsificantes veritatem doctrinæ, dicen-

B tes purè standum esse sacræ Scripturæ, & nihil credendum nisi quod in ea scriptum est. Quod quidem contra ipsam Scripturam est, in qua Christus dicit: Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit Spiritus veritatis, ille docebit vos, &c. Et Euangelista Iohannes sic finem imponit Euangelio suo & scripturæ: Sunt autem & alia multa quæ fecit IESVS, quæ non sunt scripta in hoc libro, & quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.

In quibus dignoscuntur hæretici. Ioh.16.

Ioh.20. & Ioh.vlt.

Dicentes item satisfecisse Christum, & non prodesse nostra opera; sed satis esse dicere, Do-

C mine, Domine: cùm tamen hodie Christus contrarium dicat, atque in ignem æternum miserit eos qui sine operibus bonis inuenti sunt. Item non esse opus sacramentali confessione, sed interiori tantùm & cordis; & id contra Scripturam dicentem: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Denique iustitiæ & vitæ, id est, bonorum operum præcisionem, nihilque aliud quàm deprauationem morum & libertatem prætendentes. Castitatem tollunt, ieiunia, abstinentiam & macerationes, & vt Apostolus dicit, speciem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes. Fingunt pietatem, & moliuntur deceptionem,

D nempe per adulationem sermonis & libertatis, sicut ait Psaltes; Molliti sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula, vtique ad mortem vulnerantia. Rom. 16. Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Propterea attendite. Vbi certa res est, aspicitur: vbi autem incerta, attenditur. Quia igitur falsi prophetæ in occulto & sub specie reformationis veniunt, attendite. Væ prophetis insipientibus, ait Ezechiel, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Attendite. Et Zachar. Confundentur Prophetæ vnusquisque in visione sua. Attendite. Ita Ierem. In prophetis Samariæ vidi fatuitatem. Samariæ dicit, non

E Hierusalem. Attendite. Omnes quidem illi prophetæ falsi sunt, qui absque diuina authoritate veniunt.

2. Tim.3.

Ps.54.

Ezech.13. Zach.13.

Ecce Christus, etsi Dei filius, non venit tamen nisi à patre missus; sicque omnes suos mittit dicens: Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Quare hoc? Quia, sicut dicit Apostolus, nemo assumit sibi honorem, nisi vocatus à Deo. Vnde & missi, & filij Dei, hi sunt qui Spiritu Dei aguntur. Qui autem lupi sunt, ex seipsis veniunt & loquuntur. hæc differentia est. Sic Moyses in Exodo dicebat: Mitte Domine, quem missurus es. Non sum enim eloquens. Et Ieremias magnus

Ioh.20. Heb.6.

Exod.4. Ierem.1.

magnus ille propheta missus à Deo ad correctionem mundi, sic incipit: A, a, a Domine, puer ego sum, nescio loqui. Hæretici è contrà loqui sciunt, & veniunt ex seipsis. Non mittebam prophetas, (eiusmodi) & ipsi currebant. Attendite. Non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Attendite. In vestimentis ouium veniunt, & non missi. Attendite. A fructibus eorum cognoscetis eos. Intrinsecus sunt lupi rapaces, lupi vlulantes, contra cœlum, contra Ecclesiam, contra Sacramenta & bonos mores. Sed rapaces, quia nihil aliud intendunt quàm de intellectu rapere fidei veritatem; de affectu charitatem; bona opera de manibus. Lupi sunt dispersionem gregis Christi intendentes, sicut ipse in Euangelio dicit: Lupus, & qui non est pastor, rapit & dispergit oues. Ioh. 10.

Matth. 13. Sic faciunt hæretici, & vt iste inimicus homo Euangelij, dormitionem & discessum pastorum obseruant, vt rapiant, & zizania, hæresim, atque diuisionem superseminent. Lupi sunt rapaces. Attendite. De his sic loquitur Apostolus in Actis: Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Attendite ab vngulis, vlulatu, & dentibus. A fructibus eorum cognoscetis eos; scilicet impietatis, quomodo fideles & qui sunt oues, ab Ecclesia separare contendunt. Hac in re omnis eorum fructus & labor est. Attendite. Act. 20.

Quinam in Ecclesia dicantur falsi propheta. Sed dicet aliquis; Suntne soli hæretici, falsi prophetæ à quibus attendendum est? Non. Etiam in Ecclesia inueniuntur aliqui, qui quidem licet contra veritatem fidei nihil doceant, & in hoc non sint falsi prophetæ, cùm tamen verbum Dei annuntiant, aut certè annuntiare deberent, nihil aliud narrant quàm fabulationes & superflua, vt demulceant aures, de Sole & de Luna prædicant, magis Ptolomæi & Aristotelis, Plutarchi & Bartoli, quàm Christi & Euangelij prophetæ. Qui relinquunt veritatem iustitiæ, morum curationem, & vitiorum correctionem: denique parum curant annuntiare populo scelera eorum, arguere, obsecrare, increpare in omni sapientia & doctrina, pro mercede, & aliquo lucro vanitatis quam ambiunt. De his sic loquitur & conqueritur propheta dicens: Narrauerunt fabulationes, sed non vt lex tua; omnia enim mandata tua veritas. Et Apostolus, qui hoc persecutionis & desolationis genus in Ecclesia præuidebat: Erit tempus, inquit, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, (scilicet Ecclesiæ filij) sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent; ad fabulas autem conuertentur. Tu verò ô Timothee, vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, & ministerium tuum imple. Quodnam ministerium? Prædica verbum, insta importunè, opportunè, argue, obsecra, increpa, &c. Ps. 118. 2. Tim. 4.

Ecce opus Euangelistæ: sicut auditorum, se ad Deum conuertere, & audire vocem doctoris, qui non plausum, sed planctum sibi moueat. Vnde quidem magna populi huius miseria est, qui delectatur manibus: sed non minor est prophetarum, qui tantùm student complacere verbis, & non adducere ad compunctionem. Ecce qui in Ecclesia falsi sunt prophetæ, qui adhuc quod docent non faciunt, aliud dicunt, & aliud obseruant. Isti tamen qui eiusmodi in Ecclesia sunt prophetæ, ab hæreticis distinguuntur, quod non sunt sicut illi, purè & simpliciter falsi prophetæ; quia veritatem docent & dicunt, vnde dixit Christus: Quod dicunt facite. Neque item sunt lupi rapaces vt illi, quia perdere Christianos & auditores suos propositum non habent, & dispersionem gregis facere.

Vultis vno verbo cognoscere omnes? A fructibus eorum cognoscetis eos, nimirum qui hæretici sunt, & falsi prophetæ extra Ecclesiam, seu lupi rapaces: qui verò in Ecclesia falsi possunt dici, & qui etiam in ea veri sunt. A fructibus eorum cognoscetis eos. Istorum fructus, mendacium est, error & falsitas: horum, fabulationes, & verba sine operibus, dicunt, & non faciunt. Eorum verò qui veri prophetæ sunt, prophetæ Dei & prædicatores veritatis, est & veritas cum doctrina in verbis, & exemplum vitæ in operibus bonis. Vno verbo, est ferre ficus & vuas de quibus Euangelium loquitur, quas spinæ & tribuli afferre non possunt. Figura est in his exploratoribus de quibus in libro Numerorum mentio est, qui cùm fuissent missi ad explorationem terræ promissionis, reuertentes, ficus, vuas, & malogranata retulerunt. Ita prædicatores demandati considerationi & explorationi patriæ cœlestis, debent exinde verba & opera ostendere, quæ dulcedinem & abundantiam referant cœlestis gratiæ, quam vua & ficus significant. Vnde etiam in Euangelio Christus mentionem fecit de vua & ficu: sed cur non de malogranatis? Vtique quia in noua lege proponitur veritas, non amplius contecta, vt in veteri erat, sed aperta. *Quinam sint veri propheta.* Num. 13.

Igitur si in voce prædicatoris, prophetæ & pastoris, oues sentiant aliquid cœleste, quale hic in terra non inuenitur, signum est & indicium veri prædicatoris & exploratoris, vuas & ficus afferentis. Ideóque Christus ad animam dicit in Cant. *Ficus protulit grossos suos, & vinea* (qui prædicatores sunt) *dederunt odorem suum. Surge, propera amica mea.* Quasi dicat: verus propheta loquitur, surgant audientium animæ. Ita Nathanaëli aliquando dixit: Sub arbore ficu vidi te. Nathanaëli hoc dixit, qui verè Israëlita & sine dolo erat. Vidi te sub ficu, quasi ostenderet, non nisi animas respicere quæ sub vmbra veri prædicatoris requiescunt, sub vmbra arboris bonæ bonos fructus referentis, cœlestia, & non terrena loquentis, & vt dicit Apostolus, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina & in ostensione spiritus. Qui denique ficus & vuas proferat, id est, sicut ficus & vua multa grana inter se coniuncta continet: sic ille coniunctionem prædicet, non schisma & dispersionem, sed vnitatem ad vnum Christum, & ad vnum Pontificem Romanum. Neque aliam fidem doceat, alióśque mores, & alia Sacramenta, quàm quæ docet Romana Ecclesia. *Signum veri prædicatoris.* Cant. 2. Ioh. 1.

Item, ficus & vuæ, ex Galeno, calent, pinguioresque reddunt edentes. Sic verus propheta Christi est, qui non licètiam prædicat & teporem, sed feruorem charitatis, qui docet non sufficere fidem ad salutem, neque Christianos etiam qui Galen. l. de simplic. medicam.

dicunt, Domine, Domine, ingreſſuros omnes in cœlum; ſed qui faciunt voluntatem patris. Cuius denique verba ſunt ſicut gladius acutus, pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus. O quàm pulchrè in Pſalmis dictum eſt de veris prophetis! *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Planè ille eſt verus prædicator, qui delectationes Dei in gutture animæ ſuæ ſentit, & gladium verbi Dei ancipitem habet, vt cum Ieremia euellat & plantet, & cum Paulo obſecret, increpet, conuincat, & diiudicet audientes, atque eis ex parte Euangelij mortem intentet dicens: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur,* &c.

Pſ.149.

Homo arbor eſt inuerſa. Ouid. lib. 1. Metam.

Quænam eſt illa arbor? peccator eſt. Arbor enim inuerſa eſt omnis homo. Radix eius ſurſum eſt, ſcilicet intentio fixa in cœlo. Os homini ſublime dedit, inquit Poëta. Seu, & meliùs adhuc, fides. Stips arboris, rectitudo ſeu ſpes. Rami verſus terram ſunt opera charitatis. Iam vbi radix figitur in terra auaritiæ, in fimo luxuriæ, in petra ſuperbiæ, in ſpinis iracundiæ, & in arena vanitatis, excidetur arbor. Primò, quia de malo humore non procedit niſi malus fructus. Radices eius, dicit Ezechiel, ſub illa erant, ergóne proſperabitur? nónne euelletur? Ita Baptiſta Iohannes: Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt, &c. Secundò, quia in ſtipite & ſpe non eſt rectitudo. Tertiò, nec in ramis fructus, ſed tantùm folia. Arbores ſunt ſylueſtres, infructuoſæ, autumnales, ſuccisioni, & ignibus deſtinatæ. Succidite, dicit Chriſtus, infructuoſam arborem, vt quid terram occupat? Radix eius exaruit, nec trahit de cœlo humorem gratiæ, ſine qua bene operari impoſſibile eſt. Anima enim mea, ait Dauid, ſicut terra ſine aqua, tibi. Ita vt ſi charitate & gratia priuemur, ad nihil aliud valeamus quàm vt ſuccidamur, & in ignem mittamur: vt ficus exemplo tantùm folia habentis videre eſt, cui Chriſtus hanc maledictionem dedit; Numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Et areſacta eſt continuò. Ita dicet reprobis: Ite maledicti, &c. Quare? quia fructus non habuiſtis.

Ezech. 17.

Luc. 13.

Duplex peccatorum punitio. *Quinque præciſiones in morte.*

Punitio duplex eſt. Arbor excidetur, & in ignem mittetur. Mors per præciſionem, & condemnatio per ignem. Per mortem quinque fiunt præciſiones. Prima ab omnibus bonis & conſolationibus huius mundi. Hæc quidem mortis præciſio amara eſt. Præciſa eſt velut à texente vita mea: dum adhuc orditer, ſuccidit me. O mors quàm amara eſt memoria tua iniuſto pacem habenti in ſubſtantiis ſuis! Si memoria amara, multo magis experientia. Homo enim cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.

1. Iſa. 38. Eccli. 41.

Secunda præciſio eſt poteſtatis bene agendi & operandi: & hæc amarior eſt, quia illi ſunt extra ſtatum gratiæ & meriti, & in ira Dei. Dominus dixit aliquando Heli per puerum adhuc Samuëlem: Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum; brachium dicit, in quo eſt operationis vſus. Et Matt. 22. Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.

2. Præciſio. 1. Reg. 2. Matt. 22.

3. Tertia præciſio eſt ab omni ſpe miſericordiæ & ſalutis: & hæc amariſſima eſt. Deſtruxit me vndique, & pereo, in ſermonibus Iob, & quaſi auulſæ arbori abſtulit ſpem meam. Sic dicitur in Prouer. quoniam ſpes impiorum peribit: adeò vt iis non proficiat omnium oratio Sanctorum, quia magnum chaos firmatum eſt, &c.

Iob. 19. Prou. 10.

4. Quarta eſt illa terribiliſſima à conſortio beatorum. Mittet filius hominis, ait Chriſtus apud Matth. 13. & 25. Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent in caminum ignis. Et rurſus: ſeparabit eos abinuicem, ſicut paſtor ſeparat oues ab hœdis. Ita in Iſa. Excelſi ſtatura ſuccidentur, & ſublimes humiliabuntur. Et videntes, quia iuſti atque humiles, vt dicitur in Sapientia, computabuntur inter filios Dei, turbabuntur timore horribili præ anguſtia ſpiritus gementes, &c.

Matt. 13. & 25. Iſa. 10. Sap. 5.

Verùm omnium miſerrima, quinta eſt & æterna à viſione Dei ſeparatio, ſicut in Iſaia dicitur: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. O dura calamitas, cùm dicetur; Diſcedite à me maledicti. Sanctus Chryſoſtomus dicit omni quidem pœna hanc eſſe maiorem. Multi, inquit, gehennam ſolùm abhorrent. Ego verò præciſionem illam & ſeparationem gloriæ, multo amariorem gehenna iudico. Ecce ergo quibus modis illa infructuoſa arbor excidetur in morte, & quotuplex hæc prima punitio erit.

5. Et vltima præciſ.

Sequitur ſecunda. In ignem mittetur. Vltima pœna eſt peccatorum, ſcilicet gehenna ignis, in qua eſt fletus & ſtridor dentium, vbi vermis non moritur, & inextinguibilis ignis ſine fine conſumit. Ecce ad quid valeat talis infructuoſa & iam exciſa arbor, ad nihil aliud, quàm vt in ignem mittatur. Tunc me inuocabunt, & non exaudiam. Clamabunt, Domine, & ego dicam: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit, ſed qui facit voluntatem patris mei, ipſe in regnum intrabit. Ecce quid faciendum ſit, vt in illam requiem & gaudium Domini intremus. Velut arbor bona debemus bonos fructus facere, omni tempore Deo per omnia placere, fructum noſtrum ferre in filio Dei. Alioquin, ait, omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum pater; in me autem ferentem accipiet. Hæc eſt enim voluntas eius qui miſit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Ille autem in eum credit, qui ea quæ fecit, & facienda dedit, facit: ſic enim cum eo ad vitam intrabit.

DE REDDENDA RAtione beneficiorum à Deo acceptorum.

Redde rationem villicationis tuæ. Luc. 16.

TALES ac tantæ ſunt IESV Chriſti diuitiæ, vt omnes qui diuites ſunt, tales ſint ex diuitiis eius, ita vt ſolus ſit rerum omnium Dominus, & per ſeipſum diues: cæteri autem non Domini, ſed tantùm villici & diſpenſatores rerum, quarum & rationem ſunt redditur i. Ita dicit S. Apoſtol. Quid habes homo, quod non accepiſti? ab illo videlicet quodam homine diuite Chriſto, 1. Cor. 4.

Christo, quodam per excellentiam, & diuite per bonitatem suam infinitam. Totus siquidem in bonitate est & in misericordia, cuius non est numerus in cœlo & in terra, sicut idem ad Ephesios dicit Apostol. Deus qui diues est in misericordia; & de cuius etiam plenitudine omnes accepimus, vt dixit Iohannes. Diues item in gloria, vt ditet diligentes se, & thesauros eorum repleat, sicut dixit Psalmista, quia gloria & diuitiæ in domo eius.

Eph.2. Ioh.1.

At quibus illæ diuitiæ sunt præparatæ? Vtique vasis misericordiæ, quæ præparauit in gloriam suam. Vnde adhuc se ditissimum ostendit in altitudine nostræ prædestinationis, sicut exclamat Apost. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quis cognouit sensum Domini, vt nimirum scire possit, vnde sic aliquibus thesauros misericordiæ & gloriæ suæ aperire voluit? Sed ideo certè, quia infinitæ sunt diuitiæ eius, quas vt sūmè bonus non patitur intra se recondi. Quare iam quia solus est, qui diues est, & in omni possessione diues, sicut Psalœs ait; *Tui sunt cæli, & tua est terra*: propterea etiam nobis omnibus, tanquam villicis & dispensatoribus, omnia bona sua demandauit, vt vtamur illis, iustè dispensemus, ac tandem villicationis nostræ rationem redderemus. Bona autem omnia illa sunt, naturæ, fortunæ, corporis, animæ & gratiæ. Ex propriis enim nihil habemus. Dominus est qui pauperem facit & ditat, benedictioque eius est quæ facit diuites.

Rom.11. Ps.88. *Quot bona nobis à Deo commissa sunt.*

Bona naturæ, sunt mundus & quæ in eo sunt. Bona fortunæ, possessiones. Corporis, sanitas, & fortitudo. Animæ, prudentia, ingenium, intellectus, memoria, & voluntas. Gratiæ, fides, spes, charitas, atque iustitia. Ecce quorum quantorumque bonorum, & diuitiarum œconomi omnes sumus, atque rationem reddituri in mortis hora atque Iudicij, prout vnusquisque bene, vel malè de illis negotiatus fuerit, etiamque vsque ad vltimum quadrantem, id est, discussis etiam leuiculis cogitationibus. Igitur homo quidam diues erat, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud eum, quasi dissipasset bona ipsius. Notate, quasi, quia nullus est quantumcunque peccator sit, qui possit absolutè dissipare bona Dei, quin adhuc Deus illa reducat per iustitiam suam, in aliquem bonitatis ordinem, & sciat modum ex perditione nostra sibi in Iudicio arrogandi & retribuendi gloriam.

Iam verò ad illum diem nos vocat per prædicatores suos, per inspirationes continuas & conscientiam propriam. O homo, inquit Sanctus Augustinus, si times Iudicium, corrige conscientiam: nam quocumque homo vadit, conscientia eum non derelinquit. Conscientia nostra est adinstar seruorum Iob, quorum semper aliquis post multas & successiuas clades quas patiebatur à Sathana, remanebat superstes, vt ei quæ acciderant nunciaret. Talis inquam conscientia nostra est, quæ semper remanet, & numquam moritur, continuoque ad nos redit, vt ex consideratione malorum nostrorum renouet dolorem, crudeliúsque pungat, vt idem Iob ait: Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Vnde eadem quæ modò est accusatrix, in morte adhuc atque Iudicio testis erit, dicente Apostolo, testimonium reddente illis conscientia ipsorum; nunc quidem reddente, & tunc adhuc redditura, cùm ille quidam homo diues Christus vocabit ad se peccatorem, & dicet: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ. Iam enim non poteris villicare.

Iob.1. Rom.2. *Hodie & cras, in vita & in morte omnium testis est conscientia.*

Tria verba sunt plena angustiæ. Quid hoc audio de te? de te sic ditato muneribus, præuento benedictionibus, & rerum mearum dispensatore constituto: dissipasti omnem meam substantiam, & clamant contra te cœli atque terra. Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ. O tremendum verbum! vbi & aperti libri erunt, & quæ latebant reuelabuntur, vbi exigetur ratio de occultioribus, de verbis otiosis & de malis discutietur, & totius denique vitæ operibus. Non poteris amplius villicare. Hoc verbum est amari doloris. Vita enim præsens, ait Sanctus Chrysostomus, habet exercitium mandatorum, & futura solatium. Si autem nihil operatus es hic, frustra in futurum speras, vbi adhuc nec fodere, nec mendicare valebis. Non fodere, quia tempus laboris transactum est. Propterea dicit Apostolus: Dum tempus habemus, operemur bonum; post hoc enim tempus erit, in quo operari non possumus. Nec mendicare, quia nihil tunc dabitur eis nisi ex propriis; nisi quod seminauerit, homo ibi non metet. Ibi certè non tibi dabitur nisi attuleris. Exemplum est in illis fatuis virginibus, in epulone mendicante guttam aquæ, ingredi volētibus ad nuptias cœlestes, quibus dictum est, nescio vos. *Propter frigus piger arare noluit*, ait Sapiens, *mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.* Mendicare item non poterit vllum patrocinatum, vllum fauorem, vllas preces, quia ibi nullus intercessor & aduocatus erit, nullus amicus, & exauditio.

Tria verba tremenda. Matth.25. Luc.16. Prou.20.

De primo ita apud Ierem. Si steterit Moyses, & Samuël coram me, (quia isti duo semper fuerunt aduocati & mediatores pro populo,) non erit anima mea ad populum istum. & subdit: Eiice eos à facie mea, & egrediantur. Quod si dixerint, quò egrediemur? dices ad eos. Hæc dicit Dominus: Qui ad mortem, ad mortem: qui ad gladium, ad gladium: qui ad famem, ad famem: qui ad captiuitatem, ad captiuitatem. De secundo apud Ezech. Si fuerint tres viri isti in medio peccatorum, Noë, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberarunt animas suas. Viuo ego, dicit Dominus, quia nec filios suos, nec filias liberabunt. De tertio apud Ierm. Noli orare pro populo hoc, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Si hæc ita sint, audiamus quæso ante istud tempus, & dum adhuc viuimus, eiusmodi verba, hodie procedentia ex ore tam seueri Iudicis; Redde rationem villicationis. Iam enim villicare non poteris. Audiamus, vt aliquando tandem non peccemus. Terra, terra, terra audi sermonem Domini, audi, vt bene hodie tibi sit.

Ierem.15. Ezech.13. Ierem.17.

Fidelis dispensator, ait Sanctus Chrysostomus, qui de propria dispensatione confidit, desiderat cum Paulo dissolui, & esse cum Christo. Is autem cuius vota terrena sunt, anxiatur in exitu, & cum Iob dicit: Quid faciam cùm surrexerit ad iudicandum Dominus? & cùm quæsierit, quid respondebo ei? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Heu! quid faciemus tunc, cùm in morte à villicatione amoti fuerimus, & dicetur nobis, reddite rationem villicationis? Tunc quidem summa anxietas erit, difficultas, & vndique

Iob.31.

A dique angustiæ, quando, vt Sapiens dicit, etiam in cogitationibus impij interrogatio erit. Item in dictis, dicente Domino, quod de omni verbo otioso quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die Iudicij. Ex verbis enim tuis, ait, iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. In omnibus denique factis, sicut Ecclesiastes ait: Cuncta quæ fiunt, adducet Dominus in iudicium. & Apostolus: Oportet nos omnes manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit: vbi & ipse Christus accusator & testis, sicut Iudex erit, vt per Malachiam dicit: Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, adulteris, & periuris, & eis qui humiliant viduas, & opprimunt peregrinum; nec timuerunt me. Vocaui, & renuistis, tacui, filui, væ demum loquar tanquam parturiens. Quid hoc audio de te? nimirum quod tu sis non dispensator quidem, sed dissipator bonorum meorum, naturæ, fortunæ, corporis, animæ, gratiarum, atque mei sanguinis.

Sap. 5. Matth. 12. Eccl. 12. 2. Cor. 5. Malach. 3.

Hæc omnis substantia, heu! vnicuique nostrûm commissa fuerat ad salutem & vitam æternam, & dissipauimus eam per peccata. O iuste Iudex, exclamat Sanctus Anselmus, siluisti, & patiens fuisti: væ mihi, demum quæres, & non silebis, cùm dices, redde rationem villicationis, à maximo redde vsque ad minimum. Væ quidem mihi, vbi libri conscientiæ erunt aperti, & cum Deo omnis creatura testis erit. Iob dicit quia cœli reuelabunt iniquitatem peccatoris, & terra aduersus eum consurget. Vnde dicebat quidam vir sanctus: Redditturi sumus rationem coram cœlo & terra, & tu rides? vbi adhuc omnia in testimonium consurgent, etiam vestimenta vestra atque diuitiæ. Propterea enim dicit Sanctus Iacobus: Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit.

Iob. 20. Iacob. 5.

Vbi denique sequetur Iudicij seueritas. Primò, quando in æternum expoliabuntur villicatione, & omnibus bonis. Sic enim dicit Sanctus Augustinus. In illo extremo Iudicio rectè fit, vt iniqui omnium bonorum damna defleant in cruciatibus, sentientes eorum ablatorem iustissimum Deum, quem contempserunt largitorem benignissimum. Vnde apud Iob dicitur: *Diuitias quas deuorauit, euomet, & de ventre extrahet eas Deus.*

S. Aug. lib. de Ciui. Dei. Iob. 20.

Secundò, quando postremò atque in æternum cruciabuntur ardentissimi ignis incendio, vt legitur apud Sanctum Matthæum, Domino dicente: Discedite à me maledicti in ignem æternum. Æternum dicit, quia inextinguibilis est, & vitam seruat perseuerantem continuò in morte. Si talis est finis & status miser villici iniquitatis, felix vtique ille erit boni dispensatoris, etiam licet super pauca fuerit fidelis. In die enim illo audiet à Domino: Serue bone intra in gaudium Domini tui.

Matt. 25.

* * *

DE DEPLORABILI mundi huius, atque hominis miseria.

Videns IESVS *Ciuitatem, fleuit super illam.* Luc. 19.

B LACRYMÆ IESV Christi nostræ sunt argumenta communis miseriæ. Deus ad irrigandum paradisum, fluuium & fontem de terra ascendere fecerat, qui in quatuor diuidebatur capita. Ita, vt animam locum suæ voluptatis & deliciarum irriget gratiis, & fœcundet virtutibus, filium suum fontem misericordiæ & gratiarum misit in mundum, & de cœlo descendere fecit in terram, vt eam irriget suis lacrymis, atque etiam tanti & tam sacri fluminis impetu lætificet eam, quando videlicet videns miserias nostras, præsentes & futuras, flet pro omnium salute, aquis suis sacris irrigat animas nostras, vt eas sibi sanctificet, reuiuiscant ei, & lætentur, & sic de vnoquoque nostrûm C impleatur prophetia dicentis: *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Quomodo? suis lacrymis, quando illis primò, inter arcta nascendo præsepia, vt infans, & paruulus, miserandam naturæ nostræ lapsæ conditionem protestatus est, & simul subleuauit, sicut dicit Sanctus Augustinus. Lacrymis, inquit, suffundit vultum, similemque se mortalibus vagitibus promit. Hæc enim humana conditio est, flere nascendò.

Gen. 1. Ps. 45. *Christus lacrymis suis miseriam primò nostram.* S. Aug. lib. 50. homiliarum.

Sed vnde hoc? quia certè nascimur peccatores, in peccatis viuimus & morimur. Propterea in Apocalypsi ter dicitur, væ, væ, væ habitantibus in terra. Et Sanctus Papa Inno- D centius libr. de miseria hum. Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum, vt defleam miserabilem conditionis humanæ ingressum, culpabilem progressum, desolatum egressum? Væ mihi, mater mea quare genuisti me virum rixæ & discordiæ in vniuersa terra? Sic Iob: Homo, inquit, natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis. Et Ecclesiastes: Cuncti dies eius, doloribus & ærumnis pleni sunt. Detestabilis est ingressus, quia ad laborem. Progressus, quia ad miseriam vsque ad mortem. Exitus, quia ad iudicium & condemnationem. Væ nobis, quam tremenda illa hora! Si vix iustus saluabitur, E peccator miser vbi parebit? Ita lamentatur Ieremias dicens: Væ mihi super contritione mea. Quare? quia certè à natiuitate vsque ad mortem continuatur miseria. Ita vt continuò cum propheta flere, & dicere iustè possimus: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Itemque cum Ezechia Rege: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Præsertim cùm adhuc hodie Christus dicat; Si cognouisses & tu, &c.

Apoc. 8. Innocent. Papa. lib. de miser. hum. Iob. 14. Eccle. 2. Ierem. 10. Isa. 38.

Verùm habemus vnde lætemur in miseriis nostris,

nostris, si consideremus ipsum & nascendo, & moriendo introitum nostrum & exitum suis irrigasse; & lætificasse lacrymis. Sicut adhuc, si dum lacrymas fudit resuscitando Lazarum, consideremus quomodo huic extremæ miseriæ compassus sit; hominemque aduerterit tali modo debere vitam suam finire, & quàm mors illa amara sit humanæ conditioni & dignitati. Nam, vt dicit Sanctus Gregorius, si non peccasset homo, absque morte media sublatus esset ad æternam beatitudinem. Denique ostendit hodie quomodo super miserias nostras præsentes & futuras est compassus, quando ruinam fleuit Ciuitatis Hierusalem, & in ea vanitatem omnem vitæ mundi huius. In Isa. Clamoris vrbs plena, frequens, ciuitas exultans, quidnam est tibi, quia ascendisti & tu omnis in tecta? Propterea dixi, recedite à me, amarè flebo: nolite incumbere vt consolemini me super vastitate filiæ populi mei. Dies enim interfectionis, & conculcationis. Notandum autem hic est, quod illa Ciuitas Hierusalé, super cuius miseriam fleuit Christus, potest diuersimodè accipi. Primò, pro omni populo Iudaico. Secundò, pro mundo vniuerso. Tertiò, pro anima cuiuslibet. Primò igitur appropinquauit IESVS Hierosolymis, nimirum populo huic per assumptionem carnis: ita vt ille possit in veritate de Christo dicere, quod in Genesi habetur, Iudásque fratribus suis dicebat pro minimo omnium Ioseph: Caro nostra & frater est. Nusquam enim, sicut loquitur Apostolus, Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. Et videns fleuit, id est, corporali præsentia statum totius huius populi in peccatis considerans fleuit. Dixit Abrahamo Dominus: Clamor Sodomorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis; descendam & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Ita quidem Christus descendit, vt videret Hierusalem, & fleuit super illam: populum suum considerans, plorauit iniquitatem eius & captiuitatem. In Lamentationibus Ierem. Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt omnia viscera mea super contritione filiæ populi mei.

Isa. 22. *Hierusalem accipitur diuersimodè. Primò pro populo Iudaico, & quomodo.* *Gen. 37.* *Heb. 2.* *Gen. 18.* *Thren. 2.*

Super populo Iudaico tale lamentum sumpsit Ieremias; sed quare adhuc? quia non cognouit tempus visitationis suæ. Primò, Deus per Incarnationem suam visitauit, & non cognouit. Propter quod apud Ieremiam conqueritur dicens: Miluus in cœlo cognouit tempus suum; populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Secundò, per doctrinam, sicut ipse apud Iohannem dicit: Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Tertiò, per passionem & mortem, cùm cœli obscurati, & commota terra ipsum agnouerunt, & declarauerunt. Et tamen gens illa sæua, & ingrata cognoscere non vult post tot testimonia, ac tanta. Vltimò denique visitauit illam in gladio, & tamen adhuc incredula manet Iudæa. Si cognouisses & tu, &c. Sic prædictum erat in lamentis Ieremiæ? Non crediderunt Reges terræ, & habitatores vniuersi orbis, quoniam ingrederetur hostis, & inimicus per portas Hierusalem. Vnde quod timebant, euenit illis, cùm dixerunt condemnantes & adiudicantes eum morti; Si dimittimus eum sic, venient Romani, &c.

Quibus modis Deus visitauit Israël. *Ierem. 8.* *Ioh. 15.* *Thren. 4.*

Secundò, appropinquauit vniuerso mundo per conuersationem, sicut Baruch ait: In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est: & videns fleuit, videns vanitatem eius & sordes, videns concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, fleuit, lapsum & miseriam hominum fleuit, quam si viderent ipsi, etiam flerent. Quia omnis pulchritudo mundi huius redigetur in vermes, diuitiæ in paupertatem, sanitas in infirmitatem, potentia in seruitutem, vita in mortem. Sed hæc abscondita sunt ab oculis eorum, qui tempore suo pace mundi huius fruentes, ait Iob, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt, qui dixerunt Deo, recede à nobis, &c.

Secundò, quomodo Christus appropinquauit mundo. *Baruch 3.* *Iob. 21.*

Tertiò, ad animam cuiuslibet venit per gratiam, & appropinquat, quando illam visitat, & videns flet super illam; videns, quia solus est qui scrutatur corda filiorum hominum. Sed quid videt? peccatricis & prostitutæ opera, vnde lacrymarum causa. Apud Ezechielem: Transiens per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi, viue. Videns ergo flet, sicut in Michæa dicitur: Super hoc plangam, & vlulabo, quia desperata est plaga eius. O si cum Christo statum, in quo est, cognosceret, & futurum pariter; certè semetipsam plangeret.

Tertiò, venit ad animam, & quomodo flet super illam. *Ezech. 16.* *Mich. 1.*

Verùm omnem considerationem tollit delectatio peccati: considerationem, dico, mortis, Iudicij, & æterni ignis. Quare Sophonias dicit: Ambulauerunt vt cæci, quia Domino peccauerunt. Propter quod Ieremias in lamentis: Sordes eius in pedibus eius, quia non est recordata finis sui. Vnde etiam sic Isaias exhortatur ad pœnitentiam dicens: *Mementote istud, & confundamini, redite præuaricatores ad cor, etenim venient dies in vos*, id est, contra vos, nimirum post diem vitæ huius præsentis, venient dies mortis, & æternitatis. Breue & momentaneum omne quod delectat: & respectu æternitatis nihil sunt omnes dies nostri. Heu! quid æternitas dierum in pœna, pro die vno & transitorio voluptatis in terra? Vnde Iob: In memetipso marcescit anima mea, & possident me dies afflictionis. Quando possident? tempore vtique mortis & Iudicij, vbi circumdabunt te inimici tui vallo, cogitationum, verborum, atque malorum operum. Ita vt nihil tunc anima videat vndique, nisi profunditatem scelerum & tormentorum. Ita in Psalmis: *Virum iniustum mala capient in interitu*; & sicut dicebat Ionas, circumdederunt me aquæ vsque ad animam, abyssus vallauit me.

Sophon. 1. *Thren. 1.* *Isa. 46.* *Angustia animæ in hora mortis.* *Iob. 30.* *Ps. 139.* *Ionæ 2.*

Item circumdabunt inimici sua præsentia horribili, vt dicitur in Sapientia; Personæ tristes apparentes pauorem illis præstabunt, cuncta mala quæ fecerunt obiicientes cum desperatione. Coangustabunt vndique, inter mortem & vitam, inter culpam & pœnam, quæ consequetur mortem. Ita vt nesciens quid tunc sit facturus homo desperet. Sic Saül postquam à Philistinis deuictus est, dixit cuidam Amalecitæ: Interfice me, quoniam tenent me angustiæ, & adhuc tota anima mea in me est. Angustiæ certè tunc vndique sunt, à corporis infirmitate, à Iudicis seueritate, à dæmonum crudelitate, à grauitate peccatorum, & pœnarum æternitate. Et ad terram prosternent te, corpus in vermes & puluerem redactum, & animam exulē apud Inferos. Sic in Ieremia dicitur: Dabo te in manu

Sap. 17. *4. Reg. 20.* *Ierem. 22.*

quærentium animam tuam, & in manu quorum tu formidas faciem. Et filios tuos, id eſt, tua opera; quia, vt dicit Eccleſiaſtes, nec opus, nec ratio, nec ſapientia apud Inferos, quò tu properas. Et quia certè omnis conſideratio animæ ſic erit tunc ad terram proſtrata, vt nihil fortè tunc temporis occurrerit ei niſi pœna Inferni. (Eccle. 9.)

O quàm anguſtæ erunt vndique viæ & vitæ peccatorum! Superiùs erit Iudex iratus: inferiùs horrendum Inferni chaos: à dextris peccata accuſantia: à ſiniſtris infinita dæmonia ad ſupplicia trahentia: intus vrens conſcientia: foris mundus ardens: retro vita deteſtabilis: ante, iudicium ſine miſericordia. O quò tunc diuertet peccator ſic deprehenſus? vel quò fugiet? Apparere erit intolerabile; latere impoſſibile. Quare etiam Dominus per Prophetam ſuum Amos dicit: Non erit fuga in eis, & qui fugerit ex eis, non ſaluabitur. Si deſcenderint vſque ad Infernum, inde manus mea educet eos: & ſi aſcenderint vſque ad cœlum, inde traham eos. Et ſi abſconditi fuerint in vertice Carmeli, inde ſcrutans auferam eos: & ſi celauerint ſe ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo ſerpenti, & mordebit eos. (Amos 9.)

Ecce quibus modis coanguſtabuntur vndique. Sed & non relinquetur lapis ſuper lapidem, quando videlicet nihil gratiæ, aut virtutis in anima relinquetur, vt Ieremias lamentatur dicens: Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides Sanctuarij? Quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli? Adeò vt totum opus deſtruatur: neque enim ſtructura malorum ſtabit, ſicut bonorum. Iſidorus lib. de ſummo bono ſic conſtruere peccatores dicit. Primò, pro fundamento ponunt malam cogitationem. Illa parit delectationem, delectatio conſenſum, conſenſus actionem, actio conſuetudinem; illa neceſſitatem, & neceſſitas deſperationem, quæ ducit ad mortem æternam. Tale eſt ædificium peccatorum quod breui deſtruetur, ita vt lapis ſuper lapidem non relinquatur, quando de omnibus iſtis accuſationem & cruciatum patientur. O ſi cognouiſſes, & tu fleres. Sed hæc abſcondita ſunt ab oculis tuis, hæc quæ ſimul & breui euenient tibi. (Thren. 4. — Iſidor. lib. de ſummo bono. — *Quomodo peccatores conſtruunt.*)

Diſcat quid amittat, & ſibi theſaurizet inſipiens, eo quod non cognouerit tempus diuinæ viſitationis, gratiæ in hoc ſæculo, & iuſtitiæ in altero. Fleres, quia venient dies in te. Nunc autem abſcondita ſunt quæ ad pacem tibi. Cum Manaſſe fleres, qui lacrymis ad regnum reſtitutus eſt. Cum Ezechia, qui iiſdem lacrymis adhuc quindecim annos diebus ſuis addi meruit. Cum Eſther, quæ iiſdem populum ſuum ſeruauit. Cum Niniuitis, qui ieiunio & fletibus Dominum placauerunt. Denique cum Ieremia dicente: *Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum?* Quare? Quia, vt ait S. Auguſt. quocunque oculos mentis vertimus, materiam plorandi inuenimus. Si ſurſum, videmus Deum quem offendimus; ſi deorſum, Infernum quem meruimus; ſi antrorſum, conſcientiam quam peccatis fœdauimus; ſi extrorſum, mundum quem amauimus. O ſi cognouiſſes, fleres, vt in æternum in cœlis gauderes. (Iſa. 38. & 4. Reg. 20. — Eſther 7. — Ierem. 9.)

* * *

A

DE DIFFIDENTIA SVI, & quod cum timore operandum ſit.

Deus propitius eſto mihi peccatori. Luc. 18.

INSTRVCTIONE atque eruditione plena eſt hæc Chriſti parabola. Dicebat Iob non iuſtificari hominem comparatum Deo. Vnde Dauid clamabat; *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo* B *Domine: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Quia perſequutus eſt inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meam.* Si hæc ille dixit Rex iuſtiſſimus, quid dicet peccator & publicanus, niſi quod hodie ſtans à longè publicanus Euangelij, *Deus propitius eſto mihi peccatori?* Nullus eſt enim qui iuſtificetur in conſpectu tuo viuens, nullus qui quantumcumque magni ſit meriti, audeat ſicut Phariſæus, poſſit & debeat confidere in ſua iuſtitia. Nam non qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat. Neſcit homo vtrùm odio, an amore dignus ſit, dicit Eccleſiaſtes: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta. Dicit incerta. Vnde nihil ſecurius, dicit S. C Gregor. quàm cum ſpe ſemper timere. Etenim omnes iuſtitiæ noſtræ incertæ ſunt, nulluſque certò ſcire poteſt, an opera quæ ipſe facit, in veritate iuſta ſint. Falſa enim iuſtitia ſæpe in multis veræ ſimilis eſt, ſicut aurichalcum & falſum aurum ſæpius vero eſt ſimile. Vnde dicebat Iob: Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Et Apoſtol. Nihil mihi conſcius ſum, ſed tamen in hoc non iuſtificatus ſum. Qui iudicat me Dominus eſt. Quare etiam Eccleſiaſticus dicit: Non te iuſtifices ante Deum, quia agnitor cordis ipſe eſt. Sed dic, Deus propitius eſto, &c. (2. Cor. 10. — Eccle. 9. — S. Greg. lib. moral. — *Noſtra iuſtitia incerta.* — 1. Cor. 4. — Eccli. 7.)

Si iam ex parte noſtra ſunt incertæ, neque etiam ſunt ſtabiles. Nam qui hodie iuſtus eſt, cras erit iniuſtus; & nemo eſt qui à iuſtitia ſua cadere non D poſſit. Lapſum primi Angeli cōſidera, & omnium ſectatorum & æmulatorum eius. De iis Iob ait: Qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem. Vnde concludit. Quanto magis qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum? Conſidera caſum primi parentis, tantopere dilecti à Deo, & conſtituti in paradiſo deliciarum eius, Dauid, Salomonis, etiam & Petri dicentis Domino; Si oportuerit me mori tecum, non te negabo, qui tamen ipſum negando, ad vocem ancillæ cecidit. Vnde Iob dicebat; *Inter Sanctos eius nemo immutabilis.* Septies enim in die, vt in Prouerbiis dicitur, cadit iuſtus. Et Eccleſiaſtes: Sunt iuſti, atque ſapientes, & opera eorum in E manu Dei: & tamen neſcit homo, vtrùm amore, an odio dignus ſit. Quis Lucifero clarior, Samſone fortior, Dauide iuſtior, Salomone ſapientior, & Petro feruentior? Qui ſe ſtare exiſtimat, videat ne cadat. Multum ſtrenuus eſt, ait S. Auguſt. qui illuc ire contendit, vbi multo meliores ſe corruiſſe conſpicit. *Deus propitius eſto mihi peccatori.* (*Noſtra iuſtitia inſtabilis.* — Iob. 4. — Matth. 26. — Iob. 15. — Prou. 24. — Eccle. 9. — 1. Cor. 10.)

Sed quid dicam, ſi ante Deum etiam impuræ ſunt omnes iuſtitiæ noſtræ? Numquid enim homo, ait Iob, Dei comparatione iuſtificabitur? Cœli non ſunt mundi in conſpectu eius, vt dicit alibi, quanto magis abominabilis homo? Non fuere Angeli, nec ſunt infantes vnius diei, cùm omnes egeant (*Iuſtitia noſtra ante Deū impura.* — Iob. 4.)

egeant gratia Dei, nec quicunque sunt iusti, quoniam, vt dicit Isaias, nos omnes facti sumus coram eo vt immundus. Et Ecclesiastes; Non est homo iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet, & non habeat aliquid peccati annexum operi suo. Quis enim potest dicere: mundum est cor meum, purus sum à peccato? Nemo. Omnes enim declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Sic de cœlo respexit Deus filios hominum, vt videret si esset intelligens, aut requirens Deum, & vidit quoniam non est qui faciat bonum vsque ad vnum. *Deus propitius esto mihi peccatori.*

Isa.64. Eccle.7. Prou.20.

Etenim, iuxta S.Gregor. sæpe nostra iustitia, ad examen diuini iudicij adducta, iniustitia est. Ideóque minimè confidendum nobis est in his quæ B facimus, donec Dei iudicio nostra examinentur opera, vbi certè multa quæ nunc iusta videntur, reprobantur. Et nemo scit, qualis tunc futurus est, omnia in futurum seruantur incerta, Iob dicente: Si æquitas iudicij quæritur apud Dominum, nemo audet pro me testimoniũ reddere. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem me ostendere voluero, prauum me comprobabit. Vnde post omnia subiungit: Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Hæc autem sic erunt, ô Domine, scilicet cùm acceperis tempus, tunc iustitias iudicabis. Sed nunc, ô Deus, propitius esto mihi peccatori. Heu! quis non similia hodie dicet cum publicano humili? & quis audeat nostrûm in suis confidere meritis, & adinstar superbi Pharisæi extollere se, magnificare, celebrare, Deo dicere; Gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: peccatores sunt, ego autem iustus?

Iob.9.

Explicatio parabolæ. Dixit ergo hodie IESVS ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam, scilicet duorum hominum valde inter se discrepantium, qui ascenderunt in Templum vt orarent. Vnus Pharisæus erat, alter publicanus: vnus iustus, sed superbus: alter peccator, sed humilis: vterque orans in Templo, sed non vterque exauditus à Deo: vnus enim ab alio, scilicet humilis à superbo: publicanus à Pharisæo, descendit in domum suam iustificatus. Quare hoc? quia sicut nihil tam Deus amat quàm humilitatem: ita etiam nihil tam odit quàm superbiam, cui potissimum resistit. Hoc quandoque expendenti, & admirãti cur hoc vitium præ cæteris tantopere odit, hæc præcipua ratio sæpius occurrit mihi, nimirum, ex eo quod Deus sit purissima veritas, & non possit non summè odisse mendacium. Iam verò grauissimum & extremum mendacium est in natura, putare se aliquid esse, cùm nihil simus, dicente Apost. *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.*

Vnde Deus tantopere superbiã odit. Gal.6.

Sed diceres. Eadem etiam ratione odit Deus omnem iniustitiam, quia ipse summa iustitia est. Respondeo, corruptionem grauiorem esse quæ in fundamento latet, quàm quæ in pariete, vel tecto. Putare autem se aliquid esse, corruptio est in ipso esse, quod quidem esse, omnium quæ in nobis sunt fundamentum est. Atque ideo illam magis Deus detestatur & odit. Spiritus enim est, & in spiritu & veritate vult adorari. Ipsum autem in veritate adoramus, cùm nobis veritas illa elucet, quæ nos corã eo humiliat, sicut Psaltes dixit: *In veritate tua humiliasti me.* Hancque veritatem diligit Deus, eique qui eam habet, incerta & occulta sapientiæ suæ manifestat, vt se adhuc amplius coram eo humiliet; sicut faciebat Dauid, qui dicebat: Proiectus

A sum à facie oculorum tuorum, id est, humilis & vilis in oculis tuis. Hanc ideo veritatem requirit Dominus, alioquin retribuet abundanter facientibus superbiam.

Sed vnde hodie ô Pharisæe superbis? In teipsum, obsecro, intra, & tua perscrutare fundamenta, genus, opes, & fortunas. vbinam fundantur ista? In corpore. Item vbi virtutes? In anima. Pergo. Corpus & anima tua vbi? Certè in nihilo; quia ex nihilo vt alia prodierunt. En egregium tuæ celsitudinis fundamentum. Nihilum est. Ecce admirabiles tuæ arrogantiæ & superbiæ columnæ, anima & corpus, &c. Sed vis adhuc ex teipso scire & videre quis sis? Considera iam quò filius Dei descendit ad liberandum te, & intelliges vbinam iacuit, & iacet modò malorum tuorum altitudo. Ipse descendit in altitudinem maris, scilicet omnium malorum pœnæ, in profundum Inferni, vbi non est substantia. O Domine quò descendis? ô Redemptor quò pergis. Quæro, inquit, in ventre Inferni, iacentem illic hominem: quæro, vt ipsum inde eruam. Quid ergo? Ille qui tam profundus est, & vsque ad Infernum proiectus iacet, esse se excelsum credet? & qui nihil est, aliquid se esse existimabit? O arrogantia odio Dei digna!

Vnde ratio nostra humiliatur.

S.Gregor. in lib. moral. huius superbiæ quatuor species affert. Prima est, quando homo credit à se habere quod habet. Secunda, quando credit quidem C desuper illi esse datum, sed tamen suis meritis. Tertia, quando iactat se habere quod minimè habet. Quarta, quando cæteris despectis ipse vult singularis apparere: sicut hodie in superbia Pharisæi iuxta parabolam nostram maximè relucet. Stans ille, apud se hæc orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Fortè ô iuste veritatem dixisti superbe; non es sicut cæteri sunt, qui in veritate & coram Deo iusti sunt: tu autem & in oculis tuis, & coram iniustè superbis. Vel adhuc sicut cæteri peccatores, quia tu omnibus maior es. Hic considerate obsecro. Ecce quinque aut sex mala peccatoris veri iustique superbi, (se enim iustos dicunt peccatores.)

Quatuor species superbiæ. S. Greg. 22. moral. *Sex mala peccatoru & superbi.*

D Primum est irreuerentia. Stans & erectus est coram Deo Pharisæus. Etsi dicat Isa. vultu demisso in terram adorabunt te: & Christus patrem orans procidat in faciem super terram; Paulusque dicat ad Philipp. In nomine IESV omne genu flectatur. Ille autem è contrà stans, &c. Secundum est complacentia, & æstimatio sui. Apud se, & non apud Deum orabat. Tertium, iactantia sui. Deus, gratias ago tibi. Quasi nullum peccatum haberet, & dicere non debuisset, quod diuina institutione formati debemus dicere: Dimitte nobis debita nostra. Quartum est contemptus aliorum. Non sum sicut E cæteri raptores, adulteri. Quasi dixisset: ego sum solus iustus. O miser, gloriam Dei tibi vsurpas, & nescis, quia in quo alterum iudicas, teipsum condemnas? Gloriam meam alteri nõ dabo, dicit apud Isa. Dominus. Nemo enim bonus nisi solus Deus. Quintum est accusatio proximi. Velut hic publicanus. Moderatiùs enim peccasset, ait S. Chrysostom. si publicanum excepisset. Sextum denique, omnium bonorum operum perditio, cùm ait. Ieiuno bis in Sabbatho, decimas omnium do, &c.

Isa.40. Philipp.2. Isa.42. Matt.10.

Propterea enim hic S. Chrysostom. dicit. Quæ autem sunt quæ nos offendunt? multa. Maximè autem ad humanam gloriam spectare, & nescire eam contemnere. Sic publicano Pharisæus minor factus est, eo quod linguæ suæ imperare nõ potuit:

S. Chrysost. hom. 5. in 1. cap. Genes.

sed per illam, sicut per fenestram, omnes diuitias suas effudit; tantum est inanis gloriæ malum. Quid enim, dicit etiam S. Gregor. prodest sua dare Deo, & seipsum diabolo? & quid ita se extollere, vt postmodú humilieris? Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur, vt Pharisæus: & è contrà, qui se humiliat, exaltabitur, vt publicanus. Ille in veritate iustus est qui se peccatorem agnoscit: vnde publicanus noster omnium verè pœnitentium typum hodie gerit.

Conditiones & nota animæ pœnitentis.

1. Esd. 9.

Verè autem pœnitentis notæ hæ sunt. Prima, humilis cognitio peccati confusione plena. Stans à longè nolebat oculos ad cœlum leuare. A longè stamus cùm timemus. Sic dicebat Esdras: Deus meus confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates meæ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & peccata mea creuerunt vsque ad cœlum. A longè stabat publicanus & peccator, vt appropinquaret Deus miserator. Sic dicebat Centurio: Domine, non sum dignus vt intres, &c. Sic Petrus procidens ad genua, Domine, ait, exi à me, quia homo peccator sum. Figura in prodigo est Euangelij, quem vt à longè vidisset pater eius, statim misericordia motus, accurrit ad eum, & osculatus est. Secunda nota, dolor est cordis, seu contritio. Percutiebat pectus suum. Sub pectore est cor, vnde malæ exeunt cogitationes, si prauum est. Propterea igitur pectus percutiebat. Quomodo etiam Dauid dicebat: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Tertia est petitio veniæ. Propitius esto tu es misericors, & nihil eorum odisti, Domine, quæ fecisti. Quarta est confessio peccati proprij. Mihi peccatori; non mihi iusto, sed mihi peccatori. Vnde Isaias: *Dic tu prior iniquitatis tuas, vt iustificeris.* Sic Dauid: Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti, &c. Pro hac orabit ad te omnis Sanctus. Quinta denique, sanctificatio gloriæ & iustitiæ Dei, per quam meruit descendere iustificatus in domum suam ab illo, & audire: Qui se humiliat, hic in terra, postea exaltabitur in gloria.

Luc. 15. *Isa. 43.* *Ps. 31.*

DE MODO QVO DEVS saluat peccatores.

Suspiciens IESVS *in cœlum ingemuit, & ait illi: Ephetha, quod est, adaperire.* Marc. 7.

HODIE magno mysterio erat IESVS exiens de finibus Tyri, & venit per Sidonem ad mare Galilææ, vbi statim adductus est ei surdus & mutus, quem & apprehendit, & propter quem suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait, Ephetha, &c. Processus ille Christi, & exitus de finibus Tyri, mysterium est aduentus eius in mundum. A Tyro descendit, quæ eleuatio explicatur, videlicet à summo cœlo, vnde egressio eius. Sic certè apud Ezechielem de Tyro dicitur, quod sit eleuata ciuitas. *O Tyre tu dixisti; perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita.* Quæ prærogatiuæ cœlis competunt. Per talem enim ciuitatem in corde maris sitam, sicut Tyrus erat, intelligitur omnis abundantia, quæ conuenit cœlis, vbi est omnis multitudo dulcedinis & decoris. Ex illa ergo ingenti ciuitate, & deliciarum mari exiens IESVS, venit ad aliud mare, sed afflictionis, scilicet Galilææ, quæ interpretatur volubilis: quando nimirum pro nobis factus homo, inter Iudæos & nationem hanc inconstantissimam, etiam omni tribulationum generi ad mortem vsque obnoxius & subiectus factus est.

Quid Tyrus significet. *Ezech. 27.*

Verùm quia illa Tyrus apud Ezechielem ponitur maximè pro ciuitate superbiæ, super quam à Deo Ezechiel propheta assumpsit lamentum, vt eodem capite dicitur; propterea non iam amplius cum cœlo conferimus, vbi eleuata est magnificentia sine superbia, & omnis eius gloria cum humilitate coniuncta est. Quid enim est cœlum nisi humilium aula? Propterea quod inde accipere possumus, est, de finibus Tyri Christum exiisse, quando ad mare huius mundi venit, id est, absque vlla nota apparuisse celsitudinis & gloriæ: sed in humilitate perfecta, quando semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & habitu est inuentus vt homo: sicque venisse ad nos per Sidonem, quæ humilitas & paupertas, seu piscatio exponitur. Sed ad quid? vt apprehenderet surdum & mutum qui ei oblatus est, id est, infirmitatem naturæ nostræ, vt sanaret eam, & à morte liberaret, sicut ad Hebræos dicitur: Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ, vt repropitiaret delicta populi, vnde debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & liberaret eos qui timore mortis, per totam vitam obnoxij erant seruituti. Propter quam causam non confunditur vocare nos fratres, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis. Sed populus iste quem dedisti mihi surdus est & mutus. O pater quid faciam, vt sanem eum? O Domine, si audeam loqui ad te, ecce vnum tantùm deprecantur à te, vt imponas illi manum, illam manum qua fecisti ipsum & omnia.

Cœlum aula est humiliũ. Quid per Tyrum intelligi possit. *Heb. 2.*

Ecce ergo quot & quibus vtitur remediis. Primò, apprehendit eum, id est, hominem se fecit, & nos omnes in isto homine apprehendit, cùm de peccato ad gratiam nos adduxit, iuxta illud Canticorum: Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, scilicet Ecclesiæ: & Isa. Serue meus, apprehendi te ab extremis terræ. Ita certè, quia de faucibus diaboli nos eripuit, & de terra Ægypti, vt in Ieremia legitur, id est, de statu peccati.

Quibus modis Christus vtitur ad sanandũ surdũ & mutum. *Cantic. 8.* *Isa. 41.* *Ierem. 31.*

Sed non satis, nisi secundò seorsum à turba apprehendat eum, ne videlicet surdus adhuc impediatur, propter tumultum, ab intentione Dei. Etenim, vt glossa inquit, principium sanandi mentis nostræ infirmitatem, est à turbis cogitationum segregare dolentem. Propterea ergo Christus ipsum apprehendit seorsum, vt adhuc doceamur, non posse peccatorem audire, nec loqui verbum Dei, nisi à consortio malorum separetur. Vnde dicit Ieremias: Relinquite ciuitates, & habitate in petra, id est, in deserto, seorsum à consortio.

Ierem. 48.

Sed ad quid rursus ista omnia, nisi tertiò ponat Christus digitos suos in aures nostras? id est, Spiritussancti dona, per quem audimus & intelligimus. Et quartò tangat linguam nostram saliua sapientiæ suæ & gratiæ, sine qua, nec facere quidquam, nec etiam gustare valemus quàm suauis sit Dominus.

Sed præterea quid adhuc faciendum, nisi vt quintò in cœlum suspiciat? nimirum, vt inde ostenderet, ait Beda, mutis loquelam, surdis auditum, cunctisque infirmitatibus medelam esse quærendam, quia omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est. Quare ad Hebræos cupit. *Heb. 12.*

Aposto

Apostolus, vt curramus ad propositum certamen, A aspicientes in authorem fidei,& consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta: vt non fatigemini animis vestris. Sic dicebat Dauid: Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Ideóque non amplius in terra nobis conuersandum esse, iuxtà Apostolum, qui ait; *Nostra autem conuersatio in cœlis est*, videlicet per desiderium & rectitudinem intentionis. Nam, vt dicit S. August. desiderio bono leuamur in cœlum, sicut malo ad ima,&c.

Philipp. 3.

Verùm nisi adhuc vltimò ingemuisset ad patrem,& clamasset pro nobis vsque ad cœlum: Pater ignosce illis; quid nobis cætera profuissent? B Tunc enim fuit, dicit Apostolus, quando preces & supplicationes cum clamore valido, & lacrymis offerens ad Deum, ex desiderio nostræ salutis, exauditus est pro sua reuerentia. Quando scilicet nobis promeruit gratiam, posteaquam multoties ad peccatorem surdum & mutum clamauit, Ephetha, quod est, adaperire: hodie in Euangelio, ad surdum & mutum qui ei oblatus est;& non cessauit vbique, à præsepi ad Crucem vsque, dictis, factis, vita, morte, descensu,& ascensu, vt ad ipsum redeamus.

Heb. 5.

Lazarus in monumento vocem audiuit, & resurrexit: terra,& tremuit: petræ,& scissæ sunt: Cœlum,& obscuratum est. Vnde & per Isaiam dicit: C Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum. Quis cæcus nisi seruus meus? & surdus, nisi ad quem misi nuntios meos? Qui vides multa, nonne custodies? Qui aures apertas habes, nonne audies? Obstupescite cœli super hoc. Iohannes quidem Domini præcursor cum cæteris prophetis, huiusce vox fuit clamantis apud Lucam: *Nisi pœnitentiam egeritis, simul omnes peribitis*.

Isa. 42.

Luc. 3.

Sic enim illa vox clamabat in deserto pœnitentiam, sicut Isaias, Ieremias, & alij omnes, qui illam pariter clamabant. Sed quomodo clamabant? vt voces Domini. Sic Ierem. Terra, terra, terra, audi clamorem Domini: ter ad terram suum sermonem dirigit; vt ostenderet se ad omne genus D hominum loqui, qui in mundo sunt, & sequuntur ipsum, videlicet, ad superbos, auaros, atque impudicos. Omne enim quod est in mundo, scribit Iohannes, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum,& superbia vitæ. Propterea ergo, terra, terra, terra, audi,&c.

Ierem. 22.

Sic adhuc hodie prædicator omnis os & vox Domini est, cui illud Isaiæ dictum est: Clama, & non cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorũ. Propterea quando audire renuentes discedítis, vel aurem ab eo auertitis, non ei, sed Christo ipsi iniuriam facitis, vt ipse Deus aliquando dixit Ezechieli: Fili hominis, domus Israël nolunt audire te, quia nolunt audire me. Est enim attrita fronte, & duro corde. Sicque, vt rursus apud Zachariam dicit, noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentes,(nimirum cùm ad eos clamaui.) Vnde in Isaia: Audite me duro corde, qui longè estis à iustitia.

Isa. 58.

Ezech. 3. E

Zachar. 7.

Isa. 46.

O duritia magna! Sed vndenam, aut ad quosnam, ô Domine, sic clamas? Clamat iuxta præceptum patris, sed ad transeuntes. Sic enim apud Ieremiam loquitur pater ad filium suum: Ascende Libanum, & in Basan da vocem tuam, & clama ad transeuntes, quia contriti sunt omnes amatores tui. Ascendit arborem Christus, ait S. Bernard. vt ab omnibus videretur, clamauit, vt audiretur, ô vos omnes qui transitis per viam, attendite. Ingemuit, clamauit, vt omnes audirent & compaterentur ei. Et ecce adhuc omnes surdi & muti remanent.

Ierem. 22.

Vnde hoc Domine, nisi ex duritia nostri cordis? Vndique heu! clamoribus percutitur,& adhuc non frangitur. Nam quidnam aliud sunt creaturæ omnes quæ nos circumstant, nisi Dei voces quæ clamant, vt ipsum noscamus & amemus? Etenim omnes sunt insignia Dei nos amantis, quia illas fecit ex amore & causa nostri, & quæ etiam illius erga nos amorem prædicant, sicut dicit S. August. O Domine, cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt, dicunt mihi, vt amem te,& non solùm terra & cœlum, sed plusquàm omnia sanguis Christi, de quo sic ad Hebræos Apostolus dicit: Accessistis ad mediatorem Testamenti noui IESVM, & sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm Abel; videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur: multo magis nos, qui de cœlis iam loquentem nobis auertimus,& cuius vox mouit terram tunc; nunc autem repromittit dicens, ego mouebo cœlum & terram.

S. August. in Confess.

Heb. 12.

Sic Paulo cum motione & tremore loquutus est de cœlo dicens; Saule, Saule, quid me persequeris? Sed quis ei talia loquitur, nisi sanguis Christi, qui meliùs quàm Abel loquitur? & ecce etiam quomodo persequentis surditatem fregit, & soluit linguam eius, cùm respondit, Domine quid me vis facere? Sic etiam Augustini surditatem clamando in auribus eius fregit, sicut ipse testatur sic in Confessionibus suis. Clamasti,& vocasti,& erupisti surditatem meam, coruscasti & splenduisti,&c. Sic igitur hodie aures surdi nostri aperuit,& soluit vinculum linguæ eius, vt magnificaret ipsum. Eodemque adhuc modo hodie desiderat suis clamoribus diuinis os nostrum aperire & aures, vt & ipsius voluntatem faciamus vocẽ audientes, dicentes cum Samuële; Loquere Domine, quia audit seruus tuus: eiusque gustata dulcedine palato cordis nostri, incessanter cum propheta Rege; Audiã quid loquatur in me Dominus Deus. Quã enim dulcia faucibus meis eloquia tua! Os meum aperui,& attraxi spiritum. Ita vt in æternum fructum vitę percipiens, in laudibus maneam, dicens cum eodem: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.

S. Aug. 10. Confess.

DE BEATA VITA IN amore & cognitione Dei.

Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Luc. 10.

MERITO hæc verba dixit de se Christus, plenus gratia & diuinitate vnctus. S. Aug. dicit in cognitione & amore veritatis æternæ quærendam esse vitam beatam: propterea falli eos qui alibi, vt in diuitiis, honore,& cæteris huiusmodi quærunt. Hinc de quibusdam cùm dixisset Psaltes: Beatum dixerunt populum cui hæc sunt; statim subiunxit. Non sic, non sic, sed dicendum. Beatus populus, cuius Dominus Deus eius, cuius est nomen Domini, spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas, sed eum vbique contemplatur in suis effectis, atque operibus, donis & gratiis,

S. Aug. 14. de Trinit. cap. 10.

A gratiis, mysteriisque per fidem reuelatis. Illi vtique beati sunt oculi in terra, sed in cœlis beatiores in gloria. Non tamen quicunque beati sunt in terra, vt qui in naturalibus cognouerunt, sed non sicut Deum glorificauerunt, & sic euanuerunt in cogitationibus suis. Item qui etiam oculo corporis, atque in carne viderunt, vt Iudæi, sicut dixit Isa. videbit omnis caro salutare Dei: & S. Iohan. In mundo erat, & mundus eum non cognouit, id est, ipsum quidem vidit, sed non glorificauit, &c. In propria enim venit, & sui eum non receperunt. Propterea non beati quidem illi, sed miseri, qui videntes occiderunt. Et quos satis exprimit parabola agricolarum, quibus cùm locata esset vinea Domini, minimè postea reddere fructum voluerunt, sed & seruos, & filium patrisfamilias missum vt fructus perciperet, ociderunt.

Isa. 40.

Ioh. 1.

B Matth. 21.

Sed beati fuere illi, qui oculis fidei & spiritus, id est, & cognitione, & amore ipsum viderunt, hodieque adhuc agnoscunt & contemplantur. In hoc enim est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti IESVM Christum. Sic Abraham exultauit, vt videret diem eius, vidit & gauisus est. Sic cæteri prophetæ; sed non nisi à longè, per species & in ænigmate, vt Moyses in rubo ardēti. Sic etiam Apostoli, sed clariùs propiúsque per præsentiā, & fidei simul gratiā & visionem, dicente S. Iohan. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre*, id est, signa ipsius potentiæ & diuinitatis. Sicut etiam gloriā atque maiestatem eius Transfigurationis, Resurrectionis, & Ascensionis, quibus innotuit nobis quod ipse Dei erat filius: & quia tandem reuelata facie gloriam Domini pleniùs speculantes, in eamdem imaginem transformabimur, de claritate in claritatē, de fide in visionē, tanquam à Domini Spiritu, qui omnia reuelat nobis.

Ioh. 17.
Ioh. 8.

Exod. 3.

Ioh. 1.

C

Vnde iam in fide initium est aliquod nostræ gloriæ, & nondum perfectè obtentæ beatitudinis. Nam fides in contemplatione Dei est & mysteriorum eius, quæ perfectiùs in patria reuelantur, vnde in terra inchoata visio est. Talis est enim ordo huius mysterij, vt si ex præsentia & visione Dei sensibili & corporali oritur in mente visio spiritualis, quæ quidem fidei est, vt in Sancto Thoma accidit, qui vidit & credidit, tunc nondum illa visio beata sit, licet in hoc sit aliquod beatitudinis meritum, vbi aliud videtur, & aliud creditur; & sic verè est fides. Iam verò vbi ex solo lumine fidei visio oritur, qua ipse Christus non corporis oculo, sed solius contemplationis videtur, tunc est aliqua participatio perfectæ beatitudinis, & tales qui credunt, & non vident, dicuntur verè beati.

D

Quo fidei oculo sumus beati.

Quibus etiam horum sensus verborum conuenit: *Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti* IESVM *Christum*. Hinc enim videtur & gustatur ab eis quàm suauis est Dominus, quousque ad vltimam visionem & satietatem in gloria, perueniant, vbi videbitur sicuti est, eritque tota merces: &, vt dicit S. Bernard. Deum in seipso videbimus, ipsum in nobis, & nos adhuc in ipso; vbi nunc tantùm per fidei speculum & in ænigmate videmus. Nam nihil aliud à nobis requiritur in terra, vt beati simus. Ambula hic per fidem, ait Sanctus Gregorius, & peruenies ad requiem. Ambula, id est, per fidei gressus ascende ad contemplationem mysteriorum Dei, & iam eris particeps beatitudinis.

E

Sic loquebatur Moysi Deus: Comtemplare inde terram quam daturus sum filiis Israël, inde, scilicet, de monte in quem ascenderat Moyses,

Num. 27.

A vt loqueretur cum Deo. Beati ergo oculi, illi oculi qui non insistunt creaturis, & vestigiis creatoris, sed illis vsque ad ipsum transuolant, & ad arcā, sicut Noë columba, redeunt. Quid ergo cunctamur, dicit S. August. relicta spe sæculi huius, conferre nos totos ad quærendum Deum, & vitam beatam? Miser est omnis animus victus amicitia rerum mortalium, dilaniatur, cùm eas amittit, & tunc sentit miseriam qua miser est, etiam antequam amittat. Redite ergo præuaricatores ad cor, & inhærete illi in quo solo nihil charum amittitur, in quo omnia chara sunt quæ non amittuntur. Et quis est iste, nisi Deus noster qui fecit nos? Si celsitudinem quæris, super omnia excelsus est, si honores & gloriam, si potestatem, omnia potest, si blanditias, quid Deo iucundius? si liberalitatem, omnium bonorum aggregatio est. Quidnam aliud est summum bonum? Quare dicendum, quod nulla creatura nos beatos potest facere, quæ magis est nutus beatitudinis quàm vera beatitudo: beatitudo enim vera Deus est.

S. August. in Confess.

B

Propterea idem S. August. lib. de libero arbitr. sic exclamat. Væ qui dereliquerunt te ducem Domine, & aberrant in vestigiis tuis, qui nutus tuos pro te amant, & obliuiscuntur quod innuas. O suauissima lux, purgatæ mentis sapientia, non cessas quæ & quanta sis, innuere nobis. Teneamus ergo summum bonum, quia beatus est qui fruitur illo. Frui creatura, idem ait S. August. 14. de Trinit. miseria est, addendo inopiam inopiæ, sed tibi Deo adhærere bonum est. Adhærere dicit, id est, non solùm te cognoscere, sed amare. Tunc enim beati sunt oculi mentis nostræ, intellectus & voluntas, cùm vnus alteri demonstrat quid amare debeat. Sed quomodo? inquies. Audi modò. Modus diligendi Deum, est, diligere sine modo. Sic enim nos dilexit, qui in omnibus, præterquàm in amore, pondus & mensuram seruauit. Sed audiamus ex ipso modum hunc quem nobis præscripsit, ipsum diligendi.

S. Aug. lib. de liber arb. cap. 16.

C S. Aug. lib. 14. de Trin. cap. 10.

Quibus modis Deū diligere debeamus.

Ecce hodie quidam legisperitus surrexit tentans illum, & dicens. Magister quid faciendo, vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eū: In lege quid scriptum est? quomodo legis? & ille respondēs dixit, iuxta Deuteronomium, vbi Dominus legē dilectionis instituit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua; & proximum tuum sicut teipsum. Iam igitur expendamus, quibus & quot modis vult Deus diligi à nobis.

D Deut. 6.

Primò dicit & in cunctis, ex toto. Totum enim vult talis amor, & nihil superesse alteri: vnde Apost. omnia vestra, inquit, in charitate fiant. Sed quid additur? Ex toto corde: sibi vult cor dari Deus, vt legitur in Prou. *Fili mi præbe mi cor tuum*. Sed quare vult cor? en ratio. Quia cùm cor sit principium omnium cogitationū ac motus: ita vult, vt in eius amore sit nostra omnis cogitatio, atque etiam propter ipsū, & ex ipso omnis nostra operatio. Itē, in corde est custodia totius hominis, & sic vult, vt nostra omnis custodia ad hoc intēdat, vt ad mūdana nō rapiatur affectio nostra. Minus enim te Domine amat, ait S. Aug. qui tecū aliquid amat, quod propter te nō amat. Delicata diuina est dilectio, neque est in admittentibus alienam. Ex toto corde.

Ex toto corde.

Prouerb. 23.

E

S. Aug. 10. in Confess.

Item ex tota anima. Vtique, quia cū anima in homine, sit principiū triplicis vitæ, vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationalis: ita vult, vt omne nostrū viuere, sentire, atque intelligere, ad ipsius dilectionē tendat. Sic Paulus diligebat ipsum dicens de primo;

Ex tota anima.

Mihi

Mihi viuere Christus est, mori lucrum. De secundo; Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini. Sentite mecum in vobis, quod & in Christo IESV. Ego enim stigmata Domini nostri IESV Christi porto in corpore meo. De tertio; Non iudicaui me scire aliquid inter vos nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum.

Ex totis viribus. Tertiò dicit, ex totis viribus, id est, non remissè, sed intensè & fortiter: ita vt cùm ipsius bonitas omnem in nobis possibilitatem amandi excedat, neque quantum diligibilis est, diligere eum possimus, saltem velit, vt quantum possumus, & in nobis virtus est, diligamus.

Ex tota mente. Vnde adhuc subiungit, ex tota mẽte. Quæ mens cùm sit portio animæ, iuxta quam homo ad imaginem Dei conditus est, & omnia animantia excedit, factus omnium Rex & Dominus, cuius partes sunt, memoria, intellectus & voluntas: ita etiam intẽdit, vt penitus ad eius dilectionem, sicut ad ipsius imaginem referatur. Imago enim & similitudo est diligendi principiu. Ita vt tota memoria sit in habitu amoris; totus intellectus in speculatione amoris, & voluntas tota in ipso dilectionis actu: & sic sine modo, sed ex toto diligatur.

Multum autem ad illum tenemur amorẽ, si attendamus quantum & qualiter etiam ab æterno nos dilexit. Prætermissis verò aliis omnibus signis dilectionis suæ, hoc vnum quod nobis hodie in parabola Euangelij proponit, considerandum est, vbi de Samaritano loquitur, qui transiens secus vulneratum quendam adhuc in sanguine suo conculcatum, charitate sua consolatur & curat. Quis ille quæso est Samaritanus tam misericors, & qui exponitur custos, qui iter faciens, venit secus vulneratum in Iericho, nisi Christus IESVS, qui custodit diligentes se, & venit ad nos, secus vulneratum hominem, id est, in similitudinem carnis peccati, vt tè hominem vulneratum à morte peccati custodiret, & curaret? Sed quæso te, parum aduerte quanta pro te fecit, iter faciens, id est, pro te & omnibus nobis factus viator qui erat comprehensor. Sic enim in Euangelio dicit: Exiui à patre, & veni in mundum; sed, iuxta prophetam meum, quasi colonus in terra, & quasi viator declinans ad manendum. Quomodo vtique Baruch dixit: *In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

Ioh. 16.

Ierem. 14.

Baruch 3.

Venit ergo iter faciens, non eadem tamen via, qua cæteri venerunt: quia de virgine natus est, & sine peccato exiit in mundum. Propterea secus vulneratum venit, id est, in similitudinem hominum peccatorum factus, tantúmque iis similis factus, vt etiam conuersaretur cum illis, & Samaritanus, atque etiam amicus publicanorum & peccatorum fuerit appellatus. Sed ad quid? vt videns vulneratum in sanguine suo, misericordia esset motus, sicut dicit parabola nostra, & proprij etiam dispendio sanguinis sanaret ipsum. Ecce ergo in parabola ratio & causa tantæ & tam singularis misericordiæ.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho. Ille namque quidam homo, pro Adamo singulari homine, & omnium capite potest accipi, qui per peccatũ ab Ierusalem in Iericho descendit, id est, ab immortalitatis gratia, visione & consortio Dei, ad statum instabilitatis & mortis, des oliatus gratia, & vulneratus in natura. Verùm in vniuersum ille quidam homo, pro omni homine accipi potest, (quidam enim quemlibet sine determinatione dicit,) qui per peccatum descendit ab Ierusalem, visione pacis, claritate Dei & gloriæ, in Iericho, hunc videlicet mundum, tenebris plenum, atque miseriis: ab Angelorumque consortio, incidit in latrones, qui sunt diaboli, cœlestia à nobis rapientes, & qui impositis peccatorum plagis, hominem despoliauerunt vestimentis gratiæ, & semiuiuum reliquerunt in via, id est, tantùm viuentem vita naturæ, quæ non plena, sed tantùm semivita est, vel certè potiùs mors quàm vita dicenda, quæ continuò ac citò tendit & currit ad mortem. Quæ est enim vita vestra? ait Sanctus Iacobus, vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.

Ecce quomodo descendens ab Ierusalem in Iericho, mutatus est homo. Leua oculos tuos & vide, ait Ieremias, vbi nunc prostratus sis; à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in te sanitas. Certè nisi Samaritanus iter faciens, scilicet Christus, descendisset, & hominis vulnerati, in suoque sanguine iacentis misertus fuisset, iam de eo actum fuisset. Sed dicitur quia secus eum transiit. Iuxta quod non veritatem, sed similitudinem carnis peccati assumpsit, soluens pro omnium delictis, alligans & sanans vulnera nostra vulneribus suis: per olei, id est, misericordiæ suæ infusionem; & vini, id est, sui in Passione effusi sanguinis. Item quod imponens eum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Per quod significatur, quomodo super se iniquitates nostras posuit, & pertulit in corpore suo peccata nostra super lignum, atque in Ecclesiam nos sic introduxit, vt ibi curam nostri agat, & altera die rediens, videlicet gloriæ, ad seipsum nos assumat. Ecce quousque proximus noster factus est Christus, & quomodo duabus, sed infinitis rationibus ipsum amare debeamus, vt promissum tandem æternæ vitæ præmium consequamur. Ierem. 2.

DE AGENDA ACTIONE GRATIARUM DEO PRO BENEFICIIS AB EO ACCEPTIS: & DE CONFESSIONE.

Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, &c. Luc. 17.

VOX fortis est, ingensque clamor ad Dominum nostrum IESVM Christum, desiderium nostræ salutis. Desideria & vota, verba animę sunt, & qui desiderat, corde clamat, etsi lingua eius sileat. Sic Dauid clamabat dicens: Domine, ante te omne desiderium meum. & alibi: In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me. Iste quidem magnus clamor est, qui penetrans cœlos, ad Deum vsque protenditur. Sic Anna Elcanæ vxor, loquebatur corde, & de cœlo fuit exaudita. Heli Sacerdos eam temulentam esse existimabat, quia tantùm eius labia mouebantur, & vox penitus non audiebatur, dixitque ei: Vsquequò ebria eris? digere vinum quo mades. Cui illa, nequaquam, Domine mi. Infelix mulier ego sum, cor effundo ante Deum. Cui Heli: Vade in pace, & Deus Israël det tibi petitionem tuam. Et statim pòst concepit, & peperit Samuëlem, qui dicitur, Deus dedit, vel, positus à Deo. Sic Moyses ad Deum clamabat in corde pro populo. Vnde statim ad eum Dominus: Quid clamas ad me? Vt ostendatur quomodo vota nostra

Ps. 37. & 118.

1. Reg. 1.

Exod. 14.

noſtra & deſideria audiuntur, & exaudiuntur à Deo, ſi maximè cœleſtia ſint, & ſalutem noſtram, vel proximi poſtulent. O ſi poſſem, inquit S. Aug. excitare homines, & excitari cum ipſis, vt tales eſſemus amatores, id eſt, cupidi vitæ permanentis, quales homines mundani amatores ſunt huius vitæ fugientis! & quid ideo faceres? Adimpletionem deſideriorum obtinerem à Deo.

Ecce hodie, dum iret IESVS in Ieruſalem, & tranſiret per mediam Samariam & Galilæam, occurrerunt ei decē leproſi, qui ex deſiderio ſanitatis leuauerunt vocem magis cordis quā oris, dicentes: IESV præceptor, miſerere noſtri. Videte obſecro quàm feruēter à lepra ſua corporali mūdari deſiderabāt; & quis eorū effectus fuerit, efficacia & virtus deſiderij. O ſi peccatores à ſpirituali ſic ſanari deſiderarent, quā promptiùs adhuc ſanitatē ſuam conſequerentur? Dicant ergo extollentes vocem ſuam ad Deum: Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus, cor mundum crea in me Deus, miſerere mei, quoniam infirmus ſum. IESV præceptor, miſerere mei.

Agnoſcat ſic homo ſe leproſū eſſe, & peccatorem corā Deo. Nō citiùs quidē aperiet ei vulnera, aut occurret cum deſiderio ſalutis, quin ſentiat ſe protinus exauditū, & ſanatum, quod propheta expertus eſt dicens: Dixi, confitebor aduerſū me iniuſtitiam meā Domino, & tu remiſiſti, &c. Et decē noſtri leproſi, dū irent, mundati ſunt. Adeò Deus deſideriis noſtris promptè ſatisfacit, dūmodo ſalutē quæramus, & corā eo peccata noſtra detegamus, illaque iuxta eius volūtatem, & mandatum, Sacerdoti in Eccleſia confiteamur. Hoc etenim nobis hodie ſignificatur in illis decem leproſis, qui ad Sacerdotes miſſi ſunt; & qualis etiam peccatorum debeat eſſe confeſſio.

Pſ. 31.

Cuius quidem conditiones quatuor eſſe debent. Prima, vt ſit voluntaria. Sic. n. Pſalmiſta dicit: *Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo.* Vnde dicit Chriſtus ad leproſos; Ite, &c. Secunda, vt ſit pura, id eſt, non excuſans peccata, aut accuſans alios, aut eorū facta reuelans, aut adhuc interrogationē expectās; ſed oſtendite vos. Tertia, vt ſit nuda & aperta; vnde oſtendite dixit, quid egiſtis, cogitaſtis, & loquuti eſtis. Nuda, inquā, ſed cū omnib. circūſtantiis. Quarta, vt ſit ordinata, id eſt, iis facta qui claues ſcientiæ & authoritatis in Eccleſia habent. Propterea dixit, oſtendite vos Sacerdotibus.

4. Conditiones confeſſionis.

Nunc autē cur peccata confiteri debeamus rationes illæ ſunt & cauſæ, quia non poteſt diſſolui nodus niſi manifeſtetur; nec curari incognitū vulnus; neque dari conſiliū de occultis. Peccatū enim eſt in anima, ſicut vermis in carne, qui fouetur dum latet, moritur autē cùm in aperto eſt. Quia corruptio cuiuſlibet rei, fit contrario modo ſuæ generationi. Vnde ſicut peccatū in occulto cōſcientiæ fit, ſic oportet vt tollatur modo contrario, id eſt, virtute & gratia confeſſionis ipſum manifeſtantis. Neque enim quiſquam poteſt, ait S. Ambroſ. à peccato iuſtificari, niſi peccatum antè fuerit confeſſus. Ideoque Chriſtus hodie leproſos miſit ad Sacerdotes, vt lepram ſuam oſtenderent illis.

Multiplex ratio cur peccata debemus confiteri.

S. Ambr. lib. de pœnit. diſtinct. 1.

Sed dicet aliquis, dum irent, mundati ſunt. Propter quod reſpondeo nunc peccatorem, antequam ad Sacerdotem accedat, iam à Deo per contritionem impetraſſe gratiam, dum tamen eſt in via, id eſt, in propoſito confitendi peccata. Hoc enim ex neceſſitate eſt; ſi quidem non differt tunc miſericordia Dei gratiam conferre. Teſtatur Pſaltes qui ait: Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & ecce remiſiſti, &c. O quoties in dolore & confeſſione hanc gratiam contulit, & nos ſimiles fuimus leproſis ingratis? Deus donat gratiam, & nos ingratitudinem. Decem curat, & vnus tantùm redit, & Deo dat gloriam. Heu! peccator, cur tam citò oblitus es miſericordiæ Domini tui? De hoc conqueritur Dauid dicens: *Obliti ſunt Deū qui ſaluauit eos.* Vnde ait Sanctus Bernardus, nihil ita diſplicere Deo ſicut ingratitudinem, quàm vocat inimicam animæ, exterminationem meritorum, & diſperſionem virtutum, ventum vrentem, ſiccantem ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ.

Contritio gratiam obtinet.

Pſ. 105.

S. Ber. Serm. 32.

Sic Apoſtolus Timotheo prædicebat, dicens quia in nouiſſimis diebus erunt homines ſeipſos amantes, ingrati, ſine affectione, voluptatum amatores magis quàm Dei. Quinam verò illi? vtique nos ſumus, qui tempore gratiæ & miſericordiæ nati, omnium beneficiorum Dei obliuiſcimur, ſed & ipſius Dei. Tales autem præſertim ſunt Athei & hæretici omnes, qui verè dici poſſunt leproſi. Ita S. Auguſt. lib. quæſtionum Euangel. vbi ait. Lepra vitium coloris eſt. Leproſi ergo non abſurdè dici poſſunt, qui ſcientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Non enim abſcondunt imperitiam ſuam; ſed pro ſumma peritia proferunt in lucem, & iactantia ſermonis oſtentant. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus, ſed adhuc in ore ſæpius. Corrupti ſunt enim & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, ij nimirum qui dixerunt Deo; recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.

2. Timot. 3.

Heretici leproſi.

S. Aug. lib. quæſt. Euāg. cap. 40.

Verùm leproſum alienigenam imitemur. Ex his namque decem qui mundati ſunt, non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Non ille ſit, obſecro, ſolus, ſed nos adeamus cum illo. *Grati eſtote,* dicit Apoſtolus, *& omne quodcumque facitis, in verbo, aut in opere, omnia facite in nomine Domini* IESV *Chriſti, gratias agentes Deo, & patri per ipſum.* Vbi Sanctus Chryſoſtomus. Optima quippe beneficiorum eſt cuſtos memoria beneficiorum, & perpetua confeſſio gratiarum. Hoc enim bonum & acceptum eſt coram Saluatore noſtro Deo, dicit ad Timotheum Apoſtolus, qui vult omnes homines ſaluos fieri. Vnde rurſus ad Theſſalonicenſ. Gratias, inquit, in omnibus agite, hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto IESV in omnibus vobis.

Coloſſ. 3.

S. Chryſoſt.

1. Timot. 2.

1. Theſſal. 5.

Talis eſt in cœlis Angelorum occupatio continuò adorantium Deum, & dicentium, Amen, vt in Apocalypſi legitur: Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & gloria. Quid enim, ait S. Aug. ſcribens ad Marcell. melius animo geramus, & ore promamus, quàm Deo gratias? Hoc nihil dici breuius, audiri lætius, nec agi fructuoſius poteſt. Cùm etiam Chriſtus pro nobis gratias egerit patri, ſicut frequenter in Euangelio legimus, vt & nos qui ab eo tot bona ſuſcepimus, ad gratiarum actiones prouocemur. Et quid dicam? Nihil certè eſt quod ad illas non prouocet nos. Cœli, terra, Angeli, ſed & ſanguis IESV Chriſti, qui pro nobis effuſus eſt. Adeò vt quocumque vertere me poſſim, nihil aliud intuear, quàm rationes & media, quæ ad hoc me inuitant. Quid enim præter omnia beneficia communia mihi & tibi, hodie & quotidie præſtitum eſt?

Apoc. 7.

S. Auguſt. ad Marcell. ep. 5.

Marc. 14. & 23.

Conſidera paucis mecum & magnitudinem, & multitudinem eorum. Certè multum illis nos deuinctos ſentiemus. Cui enim multum datum eſt, vt ipſe

Luc.12. S.August. in medit.

ipse dicit Christus, multum etiam quæretur ab eo. Vnde S. Aug. lib. medit. Oportet ergo me Domine, ait, tanto magis tibi gratiosum & deuotum esse, quanto me de tantis beneficiis obligatiorem conspicio. Illa certè beneficia omnia Dauid perpendens dicebat: *Meditatus sum in omnibus operibus tuis, quapropter expandi manus meas ad te.* Vbi S. Chrysost. Non obliuiscamur, sed semper in mente nostra Dei beneficia versemus, vt ad continuam gratiarum actionem mentem nostram compellant, tametsi tot sint, vt mens nostra non sufficiat ad comprehendendum, & enumerandum magnam quæ nobis contigit illorum vbertatem. Quomodo enim quis enumerare sufficeret, sed & cogitare ea quæ iam in nos collata sunt? quæ item promissa? quæ & quotidie conferuntur?

Psal.142. S.Chrysost. hom.27. in Genes.

Deinde maiora subiungens quæ Paulus recenset in futuro, scilicet, quæ oculus non vidit, auris non audiuit, ita prosequitur. Vidisti dona excellentia? vidisti beneficia illius omnium cogitationem transcendentia? In cor hominis non ascenderunt. Si igitur volumus supputare & pro viribus nostris gratias agere, poterimus multo maiorem illius gratiam nobis conciliare, & ad virtutem magis idonei fieri. Memoria enim beneficiorum Dei sufficiens est, quæ ad virtutem labores nostros præparet, vt præsentia omnia despiciamus: & vt ei, qui tanta in nos beneficia contulit, per amorem adhæreamus.

Verùm etsi nulla alia ratio esset, quàm sola Redemptionis nostræ per Christum consideratio, nonne sufficeret, vt illi summas ageremus gratias? hoc siquidem beneficium respiciens Iohannes, sic scribit: In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum, quoniam misit propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, sic Deus dilexit nos, quoniam pater misit filium suum Saluatorem mundi. Et Christus ipse apud eumdem Iohan. Sic Deus dilexit mundum, vt filiũ suum vnigenitum daret. Vbi S. Chrysost. Dic nobis, quomodo sic? dic mensuram, dic magnitudinem, doce nos excellentiam. O Domine, meditabor cum Psalmista in operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor, vias perscrutabor & rationes quas inuenisti vt parceres delinquenti: vt priùs leproso occurreres, & voluntatem illi salutis eius in te ostenderes, quàm ipse tibi vulnus suum detegeret. Sicque nunc ad te redibo, & gloriam tibi in æternum dabo. In terra tibi gratias referam, vt in cœlo te in perpetuum glorificem, qui cum patre & Spiritu sancto viuis & regnas in sæcula sæculorum.

1.Ioh.4. Ioh.3. S.Chrysost. vt supra.

DE MODO QVÆrendi regnum Dei.

Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius. Matth.6.

CONSILIVM IESV Christi in hoc Euangelio, totum est vt nos à sollicitudine terrę reuocet ad spem & prosequutionem substantiæ melioris, nimirum, vt seruitute huius sæculi relicta, ad obsequium suum nos intentos reddat & iustitiam regni cœlestis, quam si quærimus, nobis cætera pollicetur adiici, si, vt dicit S. Petrus, omnem sollicitudinem nostram proiiciamus in eum, quoniam ipsi est cura de nobis, sicut ipsemet dicit hodie: Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus? hæc omnia gentes inquirunt; scit enim pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite primùm regnum Dei, &c. Quasi diceret: ecce de qua re mens vestra debet sollicita esse. Quærite, id est, petite & inuestigate; primùm, id est, præcipuè, & ante omnia, omni desiderio, & supra omnia; regnum Dei, quod est beatitudo æterna: & hæc omnia adiicientur vobis, id est, in cæteris contenti eritis.

Petr.5.

Diximus autem regnum istud & petendum, & quærendum esse. Petendum, quia in alterius potestate collatio eius est; vnde in oratione Dominica illud petimus à Deo, & dicimus; Adueniat regnum tuum. Iam verò quærendum actionibus bonis; non obtinetur enim nisi à bene operantibus, dicente Domino: *Venite benedicti patris, possidete regnum. Esuriui, & dedistis mihi manducare,* &c. Videamus itaque quomodo quærendum sit. Sic enim S. August. in Soliloq. loquitur. Tu es summum bonum, quod nemo rectè quæsiuit, & minimè inuenit. Omnis autem rectè quæsiuit, quem tu quærere fecisti. Rectè autem quæritur, cùm principaliter quæritur. Sicut quidem Christus hodie docet & modum, dicens: *Quærite primùm regnum Dei*, id est, ante omnia quærite.

Vnde regnū Dei petendū, & quærendū, & quomodo. Matth.25. S.August. in Soliloq.

Primò, quia omne bonum plenè atque perfectè in eo continetur, vbi nullus est defectus, nulla indigentia: sed vbi est omnis satietas & abundantia, vt Psaltes cum spe & desiderio loquitur dicens; Satiabor cùm apparuerit gloria tua.

Cur primùm sit quærendū regnum Dei.

Secundò, quia & ad illud participandum & habendum præsertim conditi sumus. Omnia autem illud quærunt ad quod facta sunt. Quare & vos regnum Dei primùm quærite, & ne sitis ignorantes finem vestrum velut rationis expertes. Etenim plures existimant ad hoc tantùm se natos, vt rebus mundi fruantur pro libito, vita præsenti gaudeant, diuitias congregent, honores acquirant, vacent comessationibus & luxuriis, cum illis insensatis dicentes Sap.2. Hæc est pars & sors nostra, venite, fruamur bonis quæ sunt, vtamur creatura tanquam in iuuentute, vino pretioso & vnguentis nos impleamus. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra, vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.

Sap.2.

Non est ita, non est ita, inquit Christus, æterna sapientia patris. Ad altiora, maiora, & digniora gaudia Deus hominem fecit. *Quærite primùm regnum Dei.* Quasi diceret: agnoscite quæ & quanta sunt gaudia & diuitiæ regni, vosque illis esse natos. Agnoscite, inquam, quia si talia primùm quæratis, etiam reliqua omnia, & quæ tam ardenter amatis & quæritis, adhuc adiicientur vobis: quia regnum quæritis, non qualecumque regnum, sed regnum Dei, quod est regnum omnium sæculorum, id est, quod diuitias omnes, honores, atque delicias, quæ omnibus antè sæculis fuerunt, & postea erunt, in se comprehendit. Vnde hæc omnia in æternum possidebit, qui semel tale regnum habebit.

O immensa Dei bonitas! Iubemur illa bona quærere quæ sunt & habentur in regno Dei, & quæ ipsum regnũ sunt. Nihil equidem excellẽtius, excellsiusque regno Dei dici potest. Ita vt nescias quid priùs admireris, aut Dei largitatẽ, qui hominẽ asciuerit in regnum suũ, aut hominis stuporẽ &

stoliditatem, qui ad tantam languet passionem, & nihil mouetur: cùm sciat adhuc, nisi illud quærat, se ad Inferos esse trudendum. Certè exinde duplici iam ex causa stupeo. Prima est, quod nihil regni Dei splendor moueat nos, etiam pœnis Inferni iam perterritos, nisi illud quæramus. Altera est, quod cùm quærimus illud, etiam via certa & facilis proposita est nobis ad assequenda sæcularia bona: si autem non quærimus, etiam sponte iis caremus, quæ alioquin tantopere quærebamus.

Nonne hinc est ratio stuporis? Id quidem nobis demonstrari potest in stupore quo Saül primus Rex Iudæorum correptus est, cùm illi Samuël regnum promisisset. Nihil enim mouetur ad verba Prophetæ, imò pollicenti tanta ait; Numquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu & familia Israël? Quare ergo loquutus es mihi semonem hunc? Quasi diceret, hæc non ad me pertinent. Verùm vbi Spiritu Domini vnctus est, qui antè riserat verbum de regno, statim regium induit animum, & nihil nisi regium aggreditur, atque exequitur. Ita nos, dicam, cùm tantùm homines simus, & in limo conuersantes, tantùm etiam humilia & terrena cogitamus, nihilque ad nos pertinere videtur regnum Dei: sed si semel Spiritu Dei vncti fuerimus, iam nostram dignitatem intelligemus, nihilque vnquam regio nomine indignum faciemus: non terram, sed cœlum quæremus, & ea quæ cœli sunt, & ad cœlum nos ducunt, nempe iustitiam eius.

1. Reg. 11.

Vnde tàtùm humilia & terrena cogitamus.

Iustitia autem eiusmodi, scilicet regni Dei, consistit in duplici contemptu omnium quæ sunt mundi huius, scilicet, in contemptu aduersitatis & prosperitatis. Primò aduersitatis, per patientiam, & tolerantiam; cùm constet iam, quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Secundò prosperitatis, per fugam & odium omnium quæ mundi sunt. Sic enim suadet Iohannes dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* & quæ illa? *Omne*, inquit, *quod in mundo est, aut est concupiscentia carnis, aut oculorum, & superbia vitæ.* Ecce quæ quærenda non sunt, sed vtique fugienda.

Iustitia regni Dei consistit in duplici contemptu.

Fuge ergo primum, quia, inquit Apostolus, caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. & alibi: Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Regnum enim Dei, vt dicitur ad Rom. non est esca & potus. Fuge secundum. Beati enim dicuntur à Domino pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cœlorum. Qui verò pecunias habent, ex ipsius Christi ore, quàm difficilè intrabunt in regnum cœlorum. Propterea hodie dixit Dominus; Non potestis Deo seruire & mammonæ. Non nisi vnius serui esse possumus. Non diuidi patimur: aut vnum odio habebimus, & alterum diligemus; aut vnum sustinebit homo, & alterum contemnet. Sic etiam vult totum Deus, aut nihil, à quo esse totum, & velle, & posse habemus. Propterea voluit vt ex toto corde diligamus, non diuiso corde. Aliàs fraus est, non amor, nec seruitus. Non potestis ergo Deo seruire & mammonæ, qui duo Domini sunt oppositi.

1. Cor. 15. Gal. 5. Rom. 14. Matth. 5. Matth. 19.

Aduertite quod mammona accipitur hic & pro diabolo, & pro mundo, carne, & diuitiis. Diabolo seruit, qui suggestionibus eius cor suum aperit, delectatur in cogitationibus illicitis, consentit, facit, exemplo suos alios inducit, assuescit, peccare non erubescit, atque etiam malefacta de-

Quid significatur per mammonam.

Peccator seruit diabolo.

A fendit. O extremam miseriam! videte quibus ille seruit. Serui dominati sunt nostri, ait Ieremias in lamentis suis. Vnde antea sic Deus, qui in punitionem, peccatorem tradiderat in manus concupiscentiarum suarum, loquebatur similiter: Seruire te faciam inimicis tuis. Quod quidem satis expertus fuerat, & agnoscebat S. August. in Soliloquiis dicens. Satis Domine, satis inimicis tuis quos sub pedibus habes, seruiui. En ergo prima seruitus.

Thren. 5. Ierem. 17. S. August. Soliloq.

Secunda est, qua mundo seruimus, id est, creaturæ, & non creatori. Cuius seruitutis mercedem Iob narrat dicens; Tenent tympanum & cytharam, & ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt, qui dicunt Deo, recede à nobis.

B

Peccator seruit mundo. Iob. 21.

Tertia est, qua carni obsequimur & ventri. De qua loquitur Apostolus Philip. 3. & Rom. 15. Cuius merces est putredo, vermis & fœtor pro corpore, & pro anima ignis æternus. Ita Isaias ait: Subtus te sternetur tinea, & erunt vermes operimentum tuum. Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Crucior in hac flamma, dicebat epulo diues.

Peccator seruit carni. Philip. 3. & Rom. 15. Isa. 14.

Quarta est, qua seruitur auaritiæ, rapinæ, & multis congregandis diuitiis. Cuius quidem merces, summa est & continua egestas: nullus enim tam pauper est quàm qui semper petit, & nullis satiatur adeptis; præterquàm quod in morte omnia illi deficiunt, etiam gutta aquæ, vt ex illo epulone constat in mediis flammæ ardoribus. Ideo Ecclesiasticus dicit, quia insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam; non satiabitur pane, sed indigens & in tristitia erit super mensam suam. Fili si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. Memor esto quoniam mors non tardat, & testamentum Inferorum quia demonstratum est tibi: testamentum enim huius mundi morte morietur.

Peccator seruit auaritiæ.

C

Luc. 15. Eccl. 14.

Quodnam est testamentum Inferorum? mala fames, atque in ardoribus sempiterna sitis, mors & gehennæ. Ecce testamentum, quod tibi ex Euangelio epulonis demonstratum est in Inferis. Quod verò est testamentum huius mundi etiam quod morte finietur breui? Eiusmodi est, vt idem Ecclesiasticus dicit, aceruare ex animo suo iniustè, aliis congregare, vt in bonis illius luxurietur alius: aliis relinquere dolores & labores suos in diuisione sortis. Dicam vno verbo cum Propheta, relinquere alienis diuitias suas. Memor esto ô homo, quoniam mors non tardat, iuxtà est & velox nimis.

D

Quare iam dico vobis: Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quo operiemur? Scit enim pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius. Iustitiam dicit. Quid est hoc, nisi quia absque iustitia non possidetur regnum Dei? Hæc autem est, vt ea quæ regni Dei sunt, operemur, scilicet virtutes. Iustitia regni Dei pœnitentia est: vim namque patitur, & violenti rapiunt; & his qui agent appropinquabit. Item perseuerantia est, alioquin, dicit Dominus, nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei. Item & maximè est humilitas, quæ est omnis iustitia & virtus. Paruulorum enim atque humilium, dicit Dominus, solùm est regnum cœlorum; adeò vt nullus introëat in illud, nisi sit humilis. Quæ virtus tertium malorum genus, quod in

E

Quid est iustitiam regni Dei quærere Matth. 3. Luc. 9.

in mundo est, prosternit, videlicet superbiam vitæ. Ergo si primùm hoc regnum Dei quærimus, & iustitiam eius, non dubium erit quin statim & cætera adiiciantur nobis ab eo cui cura est de omnibus, & qui sic nobis largietur temporalia, vt non amittamus æterna.

DE MORTE, ET INstabilitate rerum.

Adolescens tibi dico: Surge. Luc. 7.

AVTHOR vitæ Christus IESVS nobis est, sicut Adam mortis. Quis est homo qui viuit, & non videbit mortem? inquiebat Dauid. (Ps.88.) Nullus, siue nobilis, Princeps, Rex, pauper, diues, senex, iuuenis; mortales omnes sumus, muliere ad hunc Regem sic dicente: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur super terram.* (1.Reg.14.) Hoc statutum est cunctis hominibus, semel mori, dicit magnus Apostolus. (Heb.9.) Sed ô mors quàm amara est mortalibus memoria tua, & pacem in deliciis suis habentibus! Interea hoc omnibus statutum est semel; momentaneumque est illud omne quod delectat, æternum verò quod sequitur & cruciat. Ecce corpus, quod hodie delicatè nutritur, cras cibus erit vermium. Quid superbis ô homo, qui terra es & cinis? Et quid hodie vis te extollere super alios, qui fortè sub pedibus omnium eris? O homo agnosce te mortalem, & frange elationem. Et tu pariter dedite pecuniis, & auare, agnosce quomodo sicut nudus egressus es de vtero matris tuæ, sic etiam nudus in terram reuerteris, & diuitias tuas alienis relinques. Quia, vt Apostolus ad Timoth. scribit, (1.Timot.6.) cùm nihil intulerimus in hunc mundum, non dubium quia nec auferre quid possumus. Aduertite quæso quod hodiernus defunctus iacebat in loculo. Cui enim viuenti magna olim palatia non sufficiebant, mortuo iam loculus sufficit. Vnde de Alexandro dixit quidam Philosophus; Quem totus mundus heri non capiebat, hodie parua continet vrna.

Et tu similiter ô voluptuose, & dedite carnis tuæ deliciis, recordare te breui futurum escam vermium, & fortè Inferni pabulum, æternorumque tormentorum alimentum. Adulteri, inquit S. Iacobus, (Iacob.4.) nescitis quia amicitia huius mundi, inimica est Dei? & quicunque voluerit amicus esse sæculi, inimicus Dei constituitur. Miseri estote & plorate, risus vester conuertatur in luctum, & gaudium in mœrorem. Et quid sunt gaudia mundi, nisi venena diaboli? cùm nemo quidem possit hic gaudere cum sæculo, & cum Christo regnare in cœlo; vnde necesse est, vt qui saluus esse desiderat, supra mundum conscendat. Ideo enim rursum dicit S. Iacobus: (Iacob.5.) Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra, in die occisionis. Quid est enim vita vestra? vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. (Iacob.4.) Et dicitis, faciemus hoc, aut illud; hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi annum & lucrum: qui ignoratis quid erit in crastino. Agite nunc diuites, plorate simul in miseriis vestris: fortè enim thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus, & qui proximi

A sunt, quoniam mors non tardat, iuxtáque est dies Domini magnus, iuxtà est, & velox nimis.

Ecce modò adolescens filius vnicus matris rapitur; & tu vigila quicunque sis, quia qua hora Dominus Deus venturus est, nescis. O mors quàm multis amara est memoria tua! Verùm non multum est, dicit S. Augustinus, (S. Aug. lib. 1. de Ciuit.) quod moriamur, sed quò ire post mortem cogamur; cùm alij decedant ad vitam, alij verò ad mortem æternam, sicut Sanctus Athanasius ait in Symbolo suo. Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum. Et tunc quæso quid proderunt omnia mundi gaudia & honores, cùm transierint velut vmbra? Multi sunt qui de morte ægrè ferunt aliquid audire & loqui: sed discant modò B illam meditari. Nihil sic enim nos reuocat à peccato, vt illa meditatio. Sicut enim videmus quod nauclerus locat se in fine nauis cùm ritè vult illam regere: sic nos in fine vitæ nostræ versari & manere debemus, vt ritè cursum eius dirigamus. Nam quid aliud est vita nostra, nisi velut nauis in medio maris sita, (*Vita nostra comparatur naui.*) & quæ, vt dicitur in Sapientia, (Sap. 5.) pertransit fluctuantem aquam?

Qui ergo eam vult rationabiliter dirigere, respicere eum oportet finem vitæ suæ, illiusque recordari semper. Vnde Ecclesiasticus dixit: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Et certè in tali exercitio deberet C tota esse & versari vita nostra. Nam & in hoc constituitur tota vita sapientis, vt videlicet tota sit meditatio mortis. Cuius hodie speculum habemus in adolescente Naim, qui efferebatur defunctus.

Naim interpretatur pulcher, & à quibusdam fluctus, (*Interpretatio nominis Naim.*) in quo mundus refertur. Mundus sic dictus à munditia, vel meliùs à continuo motu, quia sine quiete semper velut mare fluctuat. In ista ergo Naim, seu in isto mundo & fluctuanti mari, nihil aliud nisi meditationem & speculum mortis habemus, vbi omnia in fluxu & motu sunt continuo. (*In omnibus quæ circumstant nos, est imago mortis.*) Si naturam, si fortunam, si voluptates, si voluntates & tentationes spectemus, D omnia quidem in commotione sunt, & mortem prænuntiant.

Natura in motu est, (*Natura in motu.*) à natiuitate in infantiam, ab infantia in pueritiam, & sic vsque ad mortem. Induratur caro, & in puluerem redigitur, dicente Psalmista: Mane sicut herba transeat, mane floreat & transeat: vespere decidat, induret & arescat. Mane sicut herba; ecce pueritiæ viriditas. Floreat & transeat; ecce iuuentutis flos. Vespere decidat; ecce senectus. Induret & arescat; ecce mors. Iob similiter dicebat: (Iob.13.) *Quasi flos egreditur, & conteritur.* Flos à fluxu; & quidem talis est vitæ cursus: sicut enim aquæ dilabimur, à sanitate in ægritudinem, & ab ægritudine in mortem.

E Fortuna item in motu est, (*Fortuna in motu.*) & rota est quæ numquam quiescit, à prosperis transit in aduersa, à diuitiis in paupertatem, à principatu ad seruitutem, à gaudiis in dolores & luctus. Ecce motus.

Voluntas etiam hominis in motu est; (*Voluntates in motu.*) nunc odit, nunc diligit, vult & non vult: tanta est mentis instabilitas, & mutatio affectionum diuersa, quod tamen, sicut dicit S. Bernard. (S. Bern. ad fratres de monte Dei.) animum non sanat, sed magis infirmum amplius affligit, vbi semper vulnus vulnere sanare credit & nititur. Propterea tibi libenter dicerem, erubesce homo; terra stat, & tu stare non potes. Sana Domine contritiones voluntatis eius, quia commota est.

Etenim non constat in quo sit stabilis homo, nisi in Deo voluntatem suam stabilierit; sicut Sancto Augustino dictum est. Quid in te stas, & non stas? proiice te in Deum: & accipiet te, & sanabit te.

S. August. in Confess.

Deliciis in motu.

Motus item in deliciis inuenitur, à mensa in ludum, à ludo in luxuriam, ab illa in auaritiam; sicque vita rotatur de vitio in vitium, donec cum rota currat & descendat in Infernum.

Tentationes in motu.

Motus etiam in tentationibus est. Leo rugiens circuit, & quærit prædam quam deuoret. Caro concupiscit, mundus allicit, voluptas trahit. Quid amplius dicam? continuum est bellum simile pugnæ habitæ cum hydra, cuius vno abscisso capite plura alia renascuntur. Ita quidem est de tentationibus, vbi, vna deuicta, plures aliæ succedunt. Verùm non timendum est ne in hac pugna vincamur, aut moriamur, cùm arma fortiora habeamus. Astat enim in auxilium nobis Dominus, qui nos tentari non permittet supra id quod possumus, minusque mori, si manum illi præbere voluerimus.

Pugnemus ergo, & primò diaboli insidiis & armis resistamus, vt aduersus mortem postea tuti simus. Licet enim, ait S. Chrysost. in Genes. inæqualis sit pugna, magna tamen armorum nostrorum virtus est. Vnde cœlestis illa anima, doctor Gentium Paulus, orbisque lingua, dicit ad Ephesios: Accipite armaturam Dei, in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela hostis illius ignita extinguere; & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Vbi S. Chrysostom. Talibus armis induti, ne horreamus ob pugnam, ne fugiamus congressum; malignus dæmon numquam armorum nostrorum virtuti præualebit: imò si voluerimus, irritas faciemus eius machinationes, telaque ignita, quæ sunt malæ concupiscentiæ, imò & ipsius caput amputare valebimus, sicque mortem euadere. Adamante enim solidiores gratia Dei nos efficit, & si volumus, omnino inuictos. Itaque, inquit, sicut qui tundit adamantem, nihil admanti nocet, sed seipsum fatigat: in hunc modum se habent res nostræ cum salutis nostræ aduersario, si armis quæ nobis Spiritussancti gratia exhibet, continuò nos muniamus.

S. Chrysost. hom. 3. in Genes.

Eph. 6.

Idē S. Chrysost. hom. 4.

Accipiamus ergo armaturam nostram, ne succumbamus, ne moriamur. Quod si mortui peccato simus, exeamus obuiam Christo, vt eius viuus sermo nos excitet, adinstar huiusce filij mortui, vnici matris & viduæ Naim. Mortuos enim Christus alloquitur, tanquam si dormirent, dicit Sanctus Augustinus. Eos, inquit, qui nobis dormiunt, excitare possumus, vt surgant; si quis verò nobis sit mortuus, quantumcunque traxerimus, aut impulerimus, non surgit. Quia verò omnes mortui Christo dormiunt, ideo faciliùs potest facere vt surgant à morte, quàm nos, dormientes vt à somno resurgant. Et quidem id verissimum est de corporaliter mortuis, vt iste erat iuuenis. Sed spiritualiter mortuis, qui Deo adhuc resistunt, ô quantum laboris impendit! Quod si in eo tamen mortui verè simus, & non resistamus, ad resurrectionem vitæ nostræ minimè laborabit, sed sicut dixerit, ita fiet. Sicque nos viuentes reddet Ecclesiæ, & nobis ipsis vitam gratiæ, sicut filium reddidit matri viduæ, pristinamque nobis omnibus consolationem restituet.

Nam, vt veritatem hic loquar, in sola morte spirituali miseria & desolatio est. Si enim ad corporalem spectemus, non est causa & ratio tristitiæ, vt videre est in Dauide, qui ante mortem paruuli quem susceperat de Bersabee, fleuit, & comedere panem noluit cum amicis. Sed postquam defunctus est, ingressus est domum Domini, adorauit, & venit in domum suam, vnctusque est, & comedit panem, dicens: Cùm infans adhuc viueret, fleui, nunc autem quia mortuus est, quare ieiuno? numquid potero reuocare eum? Ego magis vadam ad eum, & ille non ad me est reuersurus. Vnde videre est, quod sola mors peccati fletibus digna est, non autem corporis, quæ sæpius ad vitam æternam iter est. Sic Euseb. ad Damasc. de morte S. Hierony. O mors dulcis & iucunda, quæ veram largiris vitam, per te itur de tribulatione ad consolationem, de miseria ad lætitiam, de labore ad requiem. Amodò enim iam dicit Spiritus, ait in Apoc. Iohannes, vt requiescant à laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos.

2. Reg. 12.

Euseb. de morte S. Hieronymi.

Apoc. 14.

DE INVIDIA, ET humilitate.

Cùm inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouissimo loco. Luc. 14.

CASSIANVS dicit intrasse Dominum IESVM in domum huius Pharisæorum principis, de quo in Euangelio dici sermo est, non amore conuiuij, sed ratione docendi, vt eis qui aderant præberet panem sapientiæ & salutis, de quo anima enutritur & viuit, sicut ipse dixit aliquando: *Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.* Qui panis erat animarum salus; sicut illarum, ipsius doctrina salutaris. Hæc igitur potissima ratio fuit, cur etsi malitiam Pharisæorum agnosceret, tamen inuitatus ad conuiuium sit ingressus: vt nempe verbo suo & exemplo prodesset præsentibus, & qui inuitauerat, mereretur manducare panem, in quo vitam posset inuenire. Hoc siquidem fecit curando hydropicum, contra malitiam eorum, ipsisque contra inuidiam præparando vias ad nuptias gratiæ hic in præsenti sæculo, sicut gloriæ in futuro.

Ioh. 4.

Primùm ergo legimus quod ipsi per inuidiam obseruabant eum, posito ante ipsum hydropico. Sed nesciunt quod Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Ac proinde non illorum interrogationibus, sed cogitationibus respondens, dicit illis: Si licet Sabbatho curare? at illi tacuerunt. O lethales effectus veneni inuidiæ! Venenum est certè sese diffundens per totum hominem, & totum inficiens. Passio est in oculis mortifera, in auribus & lingua. In oculis, nequam enim est oculus inuidi, ait Ecclesiasticus. Ita Psaltes: *Obseruat peccator iustum, & quærit mortificare eum.* Sic Pharisæi hodie Christum obseruabant; inuidorum enim obseruare alios proprium est. Gaudent in aduersis, dolent in prosperis. In auribus item, cùm libenter malum alterius audiant, & ægrè bonum. In lingua per detractionem, proximam filiam inuidiæ. Hæc est lingua serpentis, de qua sic loquitur Dauid: *Acuerunt linguam suam sicut serpentis; venenum aspidum sub labiis eorum.* Hæc est fera pessima paruulum Ioseph deuorans, & ad quam Iob alludere videtur dicens: Paruulum occidit inuidia.

Quale venenum per totum hominem se diffundens inuidia.

Eccli. 14.

Gen 36.
Iob. 5.

Sed

A Sed quomodo? in latebris & in occulto; in insidiis, atque in silentio. Eccl.10. Audi Ecclesiastem: Serpens in silentio, nihil minus est quàm qui detrahit in occulto. Quod equidem hodie animaduertere est in Pharisæis. IESVS dixit illis: Si licet Sabbatho curare? at illi tacuerunt, nempe vt insidiarentur ei; sicut antè legitur, quoniam & ipsi obseruabant eum.

Triplex taciturnitas. Notandum autem est, triplicem esse taciturnitatem, ignorantis, prudentis, & insidiantis. De prima documentum tale est in Ecclesiastico: Si est tibi intellectus, responde proximo; sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris. Eccli 5. & cap.20. Et rursus: Est tacens non habens sensum loquelæ. B De secunda sequitur: Est tacens sciens tempus aptum, & ipse est prudens. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus. Ideoque de quodam Agathone legitur, qui per triennium gestabat lapidem in ore, vt tacere disceret. Et de tribus philosophis pauca loquentibus, qui cùm requisiti fuissent cur ita tacerent, respondit primus, stultus tacere nescit. Secundus, qui bene loqui nescit, melius est vt taceat, ne quid dixisse pœniteat. Nam sapiens non loquitur multa, nisi priùs consideret, quid, aut quo loco, & tempore dicat. Tertius nomine Solinus, me locutum aliquando pœnituit, tacuisse numquam. Quare etiam dicere solebat S. Ambrosius. C Maior est virtus tacendi, quàm loquendi. Plures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo. Ideo difficilius scire tacere quàm loqui: plures sunt qui loqui nesciunt, pauci verò tacere bene sciunt. Patientia silendi, & opportunitas loquendi maxima sunt fundamenta virtutum.

De tertia taciturnitate, nempe insidiantium, hodie in Euangelio est sermo, vbi Pharisæi oblato hydropico ante Christum, obseruabant eum; & cùm eos interrogat, si licet Sabbatho curare? tacuerunt. Verùm iam effectus videatur bonitatis diuinæ contra inuidiæ ipsorum malitiam. Apprehensum eum IESVS sanauit, & dimisit. Et ad cogitationes eorum respondens, dixit: Cuius vestrûm asinus, D aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbathi? Et non poterant adhuc ad hæc respondere, inuidiaque tacebant. Sed Christus non minus spiritualem eorum hydropisim volens curare, quàm istius corporalem, dixit ad illos, intendens quomodo inflati superbia, primos accubitus eligerent. Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus, & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi, da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco, vt cùm venerit, qui te inuitauit, dicat tibi; Amice ascende E superiùs: tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

Hæc dixerat Christus cùm ad conuiuium inuitatus, voluit, post hydropici curationem, & datum remedium inuidiæ Pharisæorum, iam illis, ac cæteris vias præparare ad nuptias gratiæ, vt diximus, & gloriæ, videlicet humilitatis; ostendens quid necessariò sit agendum & obseruandum illi, qui vult attingere celsitudinem honoris, videlicet, quoniam oportet non superiùs ascendere, sed nouissimum locum eligere. Non ascendere dico, ne inde deiiciatur cum rubore, & dicatur illi; da huic locum, qui honoratior est te. Talem locum primum sibi elegerat Lucifer dicens: In cœlum conscendam, & ero similis Altissimo; verumtamen in Infernum detraheris. Vnde qui dixerat; Supra astra cœli exaltabo solium meum, cadens Isa.14. ad Inferos detrusus est. Vnde & de eo Dominus ipse apud S. Luc. Videbam Sathanam sicut fulgur Luc.10. cadentem de cœlo.

O quot eiusmodi sunt hodie, quibus Sanctus Bernardus etiam sic loquitur. Quem sequimini miseri, quem sequimini? Nonne iste est mons in quem ascendit Angelus, & factus est diabolus, vnde & descendit? In hunc locum similiter Nabuchodonozor ascenderat dicens: Nonne est hæc Babylon Ciuitas illa magna, quam ædificaui in ro- Dan.4. bore & gloria decoris mei? Cui cùm adhuc sermo in ore esset, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur, Nabuchodonozor Rex; Regnum tuum transibit à te, & cum bestiis erit habitatio tua. Sicque impletum est illud Psalmistæ in eo: *Retribuet abundanter facientibus superbiam.*

Sic filio eius Balthassari, cùm exaltaretur cor Dan.5. eius, & in suo conuiuio grandi biberet cum optimatibus, vxoribus & concubinis suis, in vasis aureis & argenteis, quæ asportauerat de Templo Nabuchodonozor pater eius, in eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis. Et facies eius commutata est, cogitationibus conturbantibus eum. Cui cùm Regina contristanti se dixisset: Non te conturbent cogitationes tuæ, Rex in æternum viue; Daniel statim introductus, & scripturam explicans, ait è contrà: Tu Balthassar filius Nabuchodonozor, non humiliasti cor tuum, cùm scires omnia quæ acciderunt patri tuo: sed aduersum dominatorem cœli eleuatus es, idcirco ab eo missus est articulus manus quæ scripsit hoc; diuisum est regnum tuum, & Deus compleuit illud: appēsus es in statera, & inuentus es minus habens. Et eadem nocte interfectus est. Ecce quomodo Deus superbis resistit, & deponit de sede poten- tes. Sic adhuc Vasthi Reginæ superbæ accidit, quæ Esther 1. repudiata est ab Assuero, eo quod ipsum spreuerat, dum inuitata primos in conuiuio accubitus erat occupatura.

O quot malorum causa est superbia! Legimus in Prouerbiis sex esse quę odit Dominus, sed septimū Prou.6. detestari animam eius, scilicet, oculos sublimes. Vnde etiam Iob dicit: Vir vanus in superbiam eri- Iob.11. & 12. gitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat, quasi sub nullius ditione & potestate esset; sed non videt, vt statim ille post dicit, quod qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Etenim, vt ait Dauid, suscipiens est mansuetos Dominus. Vbi Ps.146. Cassiodor. Mansueti suscipiuntur in cœlum, su- Cassiod. perbi verò deiiciuntur, iuxta illud Ierem. Si exal- Ierem.49. tatus fueris vt Aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Idcirco dictum est hodie, recumbe in nouissimo loco. Sic Salomon in Prouer- Prou.29. biis suis: Humilem spiritu suscipiet gloria, superbum autem sequitur humilitas. Vnde quanto magnus es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam. Quare gratiam? Quia certè diuinę gratiæ familiaris est humilitas. Vnde magna illa virtus, cui sic facilè se inclinat diuina Majestas.

Ita Cassiodorus hunc Psalmistæ versiculum ex- Cassiod. in Ps.103. plicans; *Inter medium montium pertransibunt aquæ.* In vallibus, ait, animarum humilium pertranseunt aquæ gratiarū: vnde sic in terra humilitas exaltatur

Sap. 5.

in gratia, ſicut in cœlo in gloria. Hi ſunt, inquiunt damnati, quos aliquando habuimus in deriſum, &c. Et Dominus apud S. Matthæum dicit ſuis: Vos qui ſequuti eſtis me, ſcilicet in humilitate, ſedebitis iudicantes. Ita vt poſtea dixerit; Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

Matth. 10. & 18.

Propter quatuor humilitas amplectenda eſt.

Iam verò propter quatuor humilitatem amplecti debemus. Primò, propter vilitatem noſtræ conditionis, terræ, ac cineris. Sic Dauid dicebat ad Michol filiam Saül: Vilior fiam quàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis. Sic Paulus vocat ſe minimum Apoſtolorum. Secundò, propter ſecuritatem. Qui ſedet in terra, non habet quò cadat, peritque omne quod agitur, dicit S. Gregorius, niſi humilitate cuſtodiatur. Vnde in Iſa. Ad quem reſpicit Deus niſi ad pauperculum, humilem & contritum ſpiritu? Tertiò, propter conformitatem Chriſti, qui, vt Apoſtolus dicit, exinaniuit ſemetipſum, &c. & qui in Apocal. dicit: Ego ſum primus & nouiſſimus. Vbi gloſſa, primus in æternitate, nouiſſimus in humilitate. Vnde etiam ſolus eſt qui dicit: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Vbi S. Hieronym. Quantumcunque te humiliaueris, Chriſto humilior non eris. Non igitur verearis ſedere in loco, in quo ſedet Dei filius. Et S. Auguſt. Erubeſcat ſuperbire humana infirmitas, cùm ſe ita humiliat diuina Majeſtas.

2. Reg. 6.
1. Cor. 15.
Iſa. vlt.
Phil. 2.
Apoc. 1.
Matth. 11.

Vltimò tandem propter tria quæ Chriſtus adducit in Euangelio. Primum eſt, quod inde habetur gratia amicitiæ Dei, nempe, vt cùm venerit, qui te inuitauit, dicat tibi, Amice. Secundum eſt conſecutio & gloria loci dignioris; aſcende ſuperiùs. Hinc equidem dixerat Sapiens: Melius eſt, vt tibi dicatur, aſcende ſuperiùs, quàm vt humilieris coram Principe. Tertium eſt acquiſitio æternæ gloriæ, vbi dicit, & erit tibi gloria coram diſcumbentibus, Angelis & Sanctis omnibus. Quia qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur in ſæculorum ſæcula.

Prou. 16.

DE CHARITATE ET amore Dei.

Diliges Dominum Deum tuum. Hoc eſt primum & maximũ mandatum. Matt. 22.

NON miror cùr Apoſtolus IESV Chriſti Paulus tantopere Corinthiis charitatem ſuadebat, dicens illis, omnia in charitate fiant; ſicut Coloſſenſibus: Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. Simul enim rationem ſequi videtis, quia eſt vinculum perfectionis. Nam, vt dicit S. Auguſt. tunc homo eſt perfectus, quando charitate plenus. Vnde de ea idem poteſt dici reſpectu aliarum virtutum, quod de Deo reſpectu rerum omnium, nimirum quod ſicut Deus omnia continet, ſic charitas virtutes omnes, omnium principatum tenet. Propterea S. Iohannes in Apoc. dicebat: Suadeo tibi emere aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, videlicet charitatem. Quare? quia equidem, ſi deſit illa nobis, fruſtra cætera adſunt; ſi verò adſit, habentur omnia. Audite Apoſtolum: Si habuero omnem ſcientiam, omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil ſum, nihil mihi prodeſt. Iam verò vt hic vtar verbis

Coloſſ. 3.

Charitas omnium virtutum cõplementum.

1. Cor. 13.

A bis S. Bernardi, de hac virtute loqui conſcientia dictat, charitas ſuggerit, & ſpiritus ingerit. Conſcientia, conſiderans rationes amandi Deum quæ in nobis ſunt. Charitas Chriſti, qui de ea loquitur. Denique Spiritusſanctus, qui & vt illam habeamus, & vt vbique eam prædicemus, nobis lumen præbet & obligationem, in quantum primum eſt in lege & maximum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. Mandatum certè illud eſt maximum, maximè à Deo requiſitum, à nobis maximè curandum, maximam pacem obſeruantibus afferens, maximéque in cœlo, ſi dignè in terra compleatur, coronandum: ſicut ſi negligatur, maximè in Inferno puniendum. Et quidem omnia

Dilectio Dei maximum mandatum.

B hic maxima ſunt. Deus eſt maximus, & maxima dilectio, vnde ex horum duorum connubio maximorum, etiam maximus eſt partus. Maximum mandatum, ſine quo reliqua ſunt parua, imò nihil ſunt, vt iam ex Apoſtolo oſtendimus: & cum quo etiam minima maxima ſunt. Quare in Euangelio Dominus dixit, calicem aquæ frigidæ cum dilectione datum, cœlum mereri. O verè alchimicum aurum, quod in aurum conuertit, quidquid tangit. O vita virtutum, ſine qua nulla virtus viuit; ſed potiùs vere Deus virtutum omnium, & bonorum operum: auertente te faciem omnia turbabuntur, & in nihilum rediguntur ſtatim: flante te, & mittente Spiritum tuum, omnia recreantur,

Matth. 10.

C & facies terræ renouatur. Tu ad Inferos ducis, ſi deſeris: reducis, ſi adſis: ſi abſis, omnia mortificas: ſi venis, viuificas: ſi fugis, homo iacet, perit, & moritur, ac iam in Inferno ſepelitur: ſi redis, eum viuificas, ditas, ac penè Deum efficis. O rem admirabilem! tua præſentia nihil felicius, tua abſentia nihil miſerius, quia tua præſentia Deum affert, abſentia aufert. Attende iam quàm amabilis ſit Deus, & tamen hoc nobis adhuc præcipit, vt amemus. Vnde ſic exclamat S. Auguſt. in Confeſſ. Quid tibi ipſe ſum Domine, vt te amari iubeas à me, & niſi faciam, iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? Paruane tibi iniuria ipſa eſt, ſi non amem te? Imò maxima. *Diliges Dominum*

S. Aug. lib. Confeſſ.

D *Deum tuum. Hoc eſt maximum mandatum.*

Tota vita noſtra à principio vſque ad finem currit ſuper duabus iſtis rotis, videlicet, amore, & cognitione; propter hoc enim intellectu præditi ſumus & voluntate. Sed in tuto procedet, ſi in Chriſto IESV rotas illas amoris, & cognitionis voluamus: de quibus ipſe hodie in Euangelio loquitur, quando nobis proponit, quid ſimul amare & noſſe debeamus. Amare, cùm ait; Diliges Dominum Deum tuum. Noſſe verò cùm interrogat eos; Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? In his ſiquidem duobus tota conſiſtit ratio noſtræ felicitatis, ſicut in Euangelio dixit: *Hac*

Rota vitæ noſtræ amor, & cognitio.

E *eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti* IESVM *Chriſtum.* Cognoſcant, non ſimpliciter, vt in hoc tantùm maneant, ſed cognitum ament. Sic enim noſſe illum cum amore, conſummata iuſtitia eſt: vnde etiam amare, eius notitiam præſupponit. Quod ex verbis Chriſti notandum occurrit, qui ſimul manſuetudine ſua ſuos tentatores & ad amorem, & ad notitiam veritatis deducit, cùm imprimis ait; Diliges Dominum. & ſtatim poſt: Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt?

Verùm quia talis amor abſque cognitione eius eſſe non poteſt, in amore manebimus. Diliges ergo, ait. Quare? Quia affectionum noſtrarum omnium Deus quidam dilectio eſt: quò enim

illa

illa tendit, totus homo contendit. Amor meus, pondus meum, ait S. August. Quid igitur hoc præcepto vult Deus? vt illi Deum demus affectionum nostrarum, scilicet amorem nostrum. Quem nisi dederis, nullam crede affectionem te dedisse. Ideóque etiam dixit, diliges: non verò, timebis. Et hoc tribus de causis. Prima est, quia timere seruorum est, diligere filiorum. Nos autem, ait Apostolus, non sumus filij ancillæ, sed liberæ, qua libertate Christus nos donauit. Propterea ait, diliges. Secunda, quia timor est necessitatis, amor libertatis. Coactè seruimus, liberè & voluntate amamus. Tertia, quia licet timor fugiat pœnam, tamen non dat gloriam, diligere autem facit vtrumque. Addi posset, quod timere afflictionem dicit: diligere verò delectationem.

Solus Deus nostræ dilectionis est obiectum. Sed obiectum dilectionis attendamus. Deus est, qui & nostri amoris simul terminus & causa est, quia secundùm S. Thomam, ipsa est per se essentia bonitatis, & omnium rerum finis vltimus. Parum oculos nostros attollamus, & fingamus iam, aut mundum non esse, aut certè respectu Dei tantùm guttulam, & atomum esse: & tûc oculos in Deum côiciamus. Quidnam videbimus? Deum esse lucis immensitatem, pulchritudinis infinitatem. An non tunc tuum extorquebit amorem? Sed an non iam raperis, inflammaris, & amore magno incenderis? Propterea si ab illa luminis abysso ad creaturas te conuerteris, quid videbis? Infinitos penè Angelos, amplitudinem cœli, & terrę plenitudinem, & omnia tandem quæ in eis sunt. Et si quæris quid omnia hæc faciant: hoc vnum certè contendunt, vt vnum illum Deum altissimum colant, atque etiam cum dispendio suo diligant. Nam quod Angeli Deo ministrent, hoc seruire, regnare est. Sed quod hominibus seruiant, etsi quidem iussu Dei, an non dispendium est?

Quod si verò omnia sic Deum amant, an non iam consentaneum est rationi, vt eum maximè diligant homines, qui plus cæteris ab eo receperunt, propter eum specialiter creati sunt, & per quos etiam ei cætera seruiunt, aut quidem alteri? Sicut si Rex aliquis præstaret obsequiû alteri Regi, quantum in se est etiam illi omnes suos subditos subiicit. Ita inquam est de homine omnium principe constituto respectu eius quem diligit, cui famulatur & honorem præstat. Propterea igitur iustè ei dicitur; *Diliges Dominum Deum tuum.*

Ratio noua Deum amandi, eo quod noster sit. Sed attende quod ille qui Deus est, Dominus tuus est. Vnde adhuc ex eo quod Dominus tuus dicitur, noua sese ipsum amandi occasio offert. Omnes enim quod suum est, amant. Et ecce Deus tuus est, & tuus Dominus. Ex hoc igitur certè amâdus est quod noster est. Sed qualiter, aut quomodo noster? Sic enim dicimus orando; Pater noster, sicut adhuc sæpius creator noster, gubernator noster, redemptor & glorificator noster. Ecce qualiter, & quibus modis noster, vt etiam multiplex ratio amandi ipsum innotescat nobis.

Noster creator. Primò igitur quia creator noster, ipse diligendus est, sed amore filiali, & illo adhuc excellentiori quàm diligeretur pater naturalis. Multo enim maiora etiam in natura à Deo accepimus, à quo omnia habemus. Et certè multum eum diligeres, qui tibi oculum amissum restitueret, aut vitam. Quanto magis ergo Deum diligere debes, qui hæc omnia tibi non habenti dedit, esse & vitam dedit, tale esse, & talem vitam, te hominem ad imaginem suam inter omnes creaturas faciens? Sanè aliqua eximia statua suum si cognosceret authorem, sta-

A tim illum amaret, de cuius manibus tam formosa prodiit. Te autem fecit Deus secundum corpus admodum egregiam creaturam; & secundum animam adhuc præstantiorem splendore imaginis, & gratia suæ similitudinis, rationis participem, & æternæ gloriæ capacem; & hoc absque spe vlla nostræ retributionis. Quid enim habemus quod non accepimus? aut quid ei ex nostris retribuere possumus? Propter igitur hæc omnia illum ama. Hæc est retributio tua: *Diliges Dominum Deum tuum.*

Verùm quia adhuc eius imago & similitudo sumus, magis certè amare debemus. Causa enim diligendi, similitudo est. Quod etiam inter plures filios videre est, vt qui magis est similis patri, naturaliter etiam plus diligat ipsum. O si corporalem B diligis patrem, à quo habes mortale hoc corpus, magis quæso cœlestem ama, à quo esse immortale habes. Et si matrem diligis, quę te in mundum produxit plenum miseriis: quanto magis patrem qui te ducet in alium plenum æternis gaudiis? Et si tantum fratres carnales diligis, etsi pauperiorem te faciant participando tecum hæreditatem: quanto magis Christum, qui hæreditatem suam diuidet tecum, & locupletiorem te faciet?

C Secundò, quia gubernator noster est, diligendus est. Diligimus patremfamilias, quia nobis necessaria vitæ prouidet: Principem qui nos regit pacificè. Deus autem ad nostram vtilitatem, omnem prouidit creaturam, omnemque adhuc pro nobis machinam hanc gubernat. Quomodo ergo non diligemus ipsum, qui tot beneficiis gubernator noster est? *Noster gubernator.*

Tertiò, quia noster est redemptor. Si quis esset in captiuitate positus, aut morti adiudicatus, quantum eum diligeret, qui pro se intercederet, & accedés, vt per seipsum redimeret & liberaret, etiam traderet se morti pro illo? Quid autê amplius debuit tibi facere, & nô fecit Dei filius? Cùm nô eras, creauit te; seruû peccati te feceras, & redemit te. O D quàm durè te redemit! heu plura dixit, mira fecit, dura & pertulit! non tam equidê facilè redêptus es, quàm creatus. O quàm plura Deus in tua redemptione, quàm in formatione impendit! Nihil est ita humanis affectibus impressum, quàm vt diligentem nos diligamus. Quare iam si amare pigeat, saltem redamare non pigeat. Audi enim quæso, quid pro te apud Ieremiam dicat: Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, & dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius. O quàm vehementer, exclamat S. Bern. amplexatus est me in Cruce, in qua effluxit aqua de latere, sanguis ex corde, anima ex corpore! Quantum ergo dilectionis debeo Deo meo, quem non solùm E credo vitæ meæ liberalissimum largitorem, conseruatorem, sed insuper copiosissimum redemptorem, & præterea ditissimum glorificatorem? *Noster redemptor.* *Ierem. 12.*

Ecce quidem vnde quartò est diligendus, quia scilicet noster glorificator est. Quisque vitam propriam diligit, pro qua etiam vniuersum mundum daret, diuitias, & honores. Quantum ergo ille est amandus, in quo inueniuntur hæc omnia? vita sine morte, diuitiæ sine paupertate. Et certè iam affectanti cœlestia, terrena non sapiunt, gustatoq; spiritu desipit omnis caro. Ita vt homo desideret cum Iob resolutionem corporis, & dicat cum eo; *Tædet animam vitæ meæ.* Cum Apostolo: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Nemo enim scit, quàm durum sit amanti animam cum Christo, & cum mundo diuidere. Quod si iam aliquis quærat, quo- *Noster glorificator.*

Vu 4 modo

modo acquiratur diuina dilectio, cum Origene respondemus, quia Dei amor indicibilis est, neque cadit sub arte; sed sicut videre lucem, aut amare parentes, nemo vnquam didicit: ita diuinæ dilectionis seminaria naturaliter sunt in nobis sine doctrina. Amemus ergo eum, vt gloriam, amoris fructum consequamur in cœlis.

DE CVRATIONE PAralysis spiritualis.

Ascendit IESVS *in nauiculam, & transfretauit, & venit in ciuitatem suam.* Matth. 9.

OMNIA quæ Christus IESVS in hoc mundo gessit opera, diuinis sunt plena mysteriis, hodieque nobis illa Euangelium demonstrat satis, vt notauit ibi S. Chrysologus, qui dicit Christum in humanis actibus diuina gessisse mysteria, & in rebus visibilibus inuisibilia exercuisse negotia. Ascendit, inquit, in nauiculam, vt lectio hodierna demonstrat, & transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Nonne ipse est qui fugatis fluctibus, maris profunda nudauit, vt Israeliticus populus inter stupentes vndas, sicco vestigio, velut montium concaua transiret? Nonne hic est qui Petri pedibus marinos vortices inclinauit, vt iter liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium? Et quid est quod ipse sibi sic maris denegat seruitutem, vt breuissimi laci transitum sub mercede nautica transfretaret? Ascendit, inquit, in nauiculam, & transfretauit. Et quid mirum fratres? Christus venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes; humana quærere, præstare diuina; accipere iniurias, reddere dignitates, ferre tædia, referre sanitates. Quia medicus qui non fert infirmitates, curare nescit: & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. Christus ergo si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet: & si non implesset carnis ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio. Ascendit, inquit, in nauiculam, & transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Christus omnium Deus postquam se propter nos nostra angustauit in carne, cœpit habere humanam patriam, cœpit ciuitatis Iudaicæ esse ciuis. Ascendit, inquit, in nauiculam, & venit in ciuitatem suam.

S. Chrysolog. Serm. 150.

S. Chrysost. dicit, non vnam, sed multas fuisse Christi ciuitates. Alia, inquit, suscepit Christum nascentem, nempe Bethleem. Alia nutriuit, nempe Nazareth. Alia continuè habitantem habuit, nempe Capharnaum: de qua hic mentio est, dicta quidem ciuitas eius, eo quod pluribus illam decorauit miraculis, vnumque illorum est paralytici nostri curatio. Sed longiùs procedamus, mundum hunc pro Christi ciuitate ad quam venit, considerantes. Ciuitas enim eius est, & creatione, & gubernatione, conuersatione, & mirabilium ostensione, curationibus postremò, & redemptione. De cœlo in mundum venit vt in ciuitatem suam, vt dicit Iohan. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Veniens in hanc magnam ciuitatem, ascendit in nauiculam. Nauicula caro eius fuit, & humanitas, quam quidem ipse ascendit, quia non fuit desideriis carnis subiectus: & hac nauicula carnis, seu humanitatis, transfretauit, id est, cunctas freti hu-

Diuersæ Christi ciuitates.

Quibus titulis mundus dicitur ciuitas Christi. Iohan. 1.

A ius tentationes transiuit, passionum eius & mortis; ita vt non solùm transierit, sed etiam sedarit omnes procellas & tempestates. Propter hoc enim fuerat missus ad hoc nostrum miseriarum mare, sicut nobis hodie in hoc Euangelij paralytico exemplum propositum est.

Quidnam repræsentat eiusmodi infirmus? Peccatorem. Si enim attentè morbi naturam consideres, paralysis omnia infirmi membra contrahit, ita vt vnum alteri subuenire & auxiliari nequeat: & sic impedit omnes actiones, vsus & exercitia vitæ: ita vt ille miser in grabato iaceat, absque vllis viribus. Talia autem peccatum operatur in anima, quæ ad omnia est impotens, neque sibi in minimo subuenire
B potest, eo quod per ipsum à cunctis actionibus vitæ, exercitiisque gratiæ prohibetur, ita vt misera langueat, & velut paralytica iaceat in lecto penitus postrata. Audiat Ieremiam. *Leua oculos tuos in directum, & vide vbi nunc prostrata sis.* Lectus eius est mollities carnis; pluma, oculorum & cordis concupiscentia. In tali lecto & grabato miser iacet peccator, & non attendit adhuc quia domus ruinæ & subuersioni est proxima: iam ignis est in pálea, coluber sub pallio, & se à loco in quo postratus est, dimouere non potest.

Paralytici imago est peccatoris.

Ierem. 1.

Sic quidem antequam veniret Christus in hunc mundum, magnam eius ciuitatem, totum humanum genus iacebat prostratum, quod ex Adæ pec-
C cato talem paralysim contraxerat. Sed sicut hodie fuere aliqui, qui paralytici huius Euangelici curam habuerunt, eumque ad Christum detulerunt: ita natura nostra infirma chara fuit sanctis illis Patriarchis, & Prophetis qui Christum præcesserunt. Illius ergo curationem vehementissima charitate optauerunt: ita vt non tam in infirmitate sua, quàm in eorum charitate iaceret, in qua velut in lectulo ad Deum portaretur ardentibus votis & postulationibus eius perfectæ sanitatis & curationis. Et nolite super hoc mirari. Nam ipse Deus sic nos omnes infirmos à prima die nostræ paralysis, in visceribus suæ charitatis tulit, qui apud Isaiam sic ait. Audite me qui portamini à meo vtero, qui ge-
D stamini à vulua mea: Ego ipse vsque ad senectam, & vsque ad canos ipse portabo vos. Vnde & hanc charitatem suam in illos sanctos Patriarchas transmiserat, vt ad Deum clamarent pro nostra, omniumque salute, & quasi bajuli nostri essent, quando ipse Deus Saluator noster adueniret, & descenderet ad nos.

Quomodo natura humana Patriarchis & Christo chara fuit.

Isa. 46.

Verùm quia non satis erat, aduenisse Deum, atque adhuc loquentem audire, nisi etiam & domus in qua erat & loquebatur, perforaretur, vt infirmo pateret ad salutem ingressus, id est, nisi caro ipsa, in qua corporaliter inhabitabat, (id est, tanquam in proprio corpore) eius Diuinitas, vulneraretur: & hoc insuper meruere Sancti, atque contribuerunt,
E vt nempe ipsam carnem, Diuinitatis tectum, transfigerent, perforarent, & amore, atque ardentissimorum desideriorum iaculo vulnerarent, & sic vsque ad Diuinitatis sanctuarium intrarent infirmi, vt sanarentur.

Passionis nec gratia ad curationem paralytici.

Hoc autem non videatur vobis nimis durum, quod dicimus, scilicet, Sanctos transfixisse Christum, non minus quidem, imò magis quàm impios milites & Iudæos, nihil enim est, vnde hoc dicere & prohibeamur & vereamur. Non sic impij, non sic, sicut & illi vulnerauerunt. Isti enim ex abundantia inuidiæ & iniquitatis: illi verò ex ardore & plenitudine charitatis. Quemadmodum enim pater filium & Christum suum ex nimia charitate tradidit

tradidit vulneribus & morti, atque etiam ipse eadem charitate se vulnerandum dedit: ita quidem fecit charitas Sanctorum, vulnera Domini qui expetiuit. Dicam amplius, quia nec impij Christum potuissent vulnerare & occidere, nisi priùs Sanctorum charitas & vota ipsum ad vulnera & ad mortem adegissent.

Charitas Sanctorũ & vota Christum ad mortem impulerunt.

Quis dubitaret, tot clamores Prophetarum, vt Isaiæ, Ieremiæ, Dauidis, & aliorum: sed præsertim B. Mariæ virginis, quæ tantopere salutis cupida humani generis, medicum, & Saluatorem postulabat, eius accelerasse aduentum, & quasi impulisse ad mortem? Nonne exinde dicebat interrogantibus se apud Zachar. Quid sunt plagæ istæ? His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Quasi diceret, amici mei hæc vulnera mihi fecerunt. Illorum fuit amor, & vota, quæ me Cruci affixerunt, & tot plagis affecerunt. Et alibi: Aspicient ad me quem confixerunt, & plangent planctu, & dolebunt, vt doleri solet in morte primogeniti. Quæ quidem verba ad Sanctos, Prophetas & Patriarchas optimè possunt referri, qui feruore amoris ipsum postulauerunt; sicut dicitur paulo antè: Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem, Spiritum gratiæ & precum. Atq; ita, qui postea planxerunt, continuóque plangent, quem sic amore suo vulnerauerunt. Minimè enim ipsum planxerunt impij: neque adhuc super eum dolent, vt iusti.

Zachar. 13. *Ibidē c. 12.*

Vnde iam dicendum, Christum Dominum magis amore & desideriis Sanctorum fuisse trãsfixum, tot vulnera suscepisse, maximè verò istud magnum in latere, per quod omnes, sicut Apostolus dicit, accessum ad eum per fidem habuimus, in gratiam istam, videlicet, vt iusti essemus, id est, pristinæ nostræ sanitati & dignitati restituti. Quomodo paralytico dictum est: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, quia tunc per fidem suam quam vidit Christus, sicut illorum qui portabant eum, accessum habuit ad Deum: sicut & nos pariter per eam corporis Christi membra efficimur, & introimus in merita & participationem gratiæ omnium vulnerum eius. Vnde iam quia ipse est, per quem remissio peccatorum facta est, & qui eam meruit nobis, ipse qui tectum aperuit; nihil amplius superest nobis, quàm vt introëamus & confidamus ei, fidem habeamus paralytici, vt iustificati perfectè sanemur.

Dicebamus modò Deum transmisisse charitatem suam in Sanctos, vt ipsi nos ad eum in visceribus amoris deferrent: sed multo aliter nos omnes Christus portabat in visceribus suæ charitatis. Sicut enim miserabili sorte primus Adã nos omnes carnaliter in se gestauit: ita è contrà, & feliciori sorte, secundus Adam & cœlestis, nos omnes in se spiritualiter portauit, vt sicut in primo Adam omnes moriuntur, sic etiam in secundo omnes viuificentur. Vnde quidem dicere possumus, quoniam meliùs quàm hodierni portatores Christus paralyticum hunc portabat, in corde, & in vlnis, & in humeris, & nos etiam omnes cum illo, vt sanaret, gestabat. Verùm, vt priùs rumperetur tectum, opus nobis erat. Nam sicut ex operibus legis nemo iustificabatur, vt dicitur ad Galatas, cùm impossibile esset sanguine vitulorum, & hircorum peccata mundari: ideo necesse erat, vt Christus legem abrogaret, Iudaismum rumperet, legaliáque omnia cessarent, vt sanaretur paralyticus. Vnde etiam factum est, quod cùm in Cruce rupta fuisset Christi caro, in eáque clamasset; Consummatum est, statim diruptum est Synagogæ tectum & Iudaicæ domus: in cuius testimonium, velum Templi scissum est. Vnde & postea tectum Cœli apertum est, & introitus Sanctorum patuit, vt omnes qui infirmi eramus, & longè facti à Deo, iam propè simus, & coram eo præsentemur.

Gal. 2.

Sed ô quanto labore tectum cœli nobis aperuit! & quanto sudore ipse nos supra legem tulit! sanè non nisi sudore sanguinis tectum aperuit, sursum nos sustulit, & in conspectu Dei nos posuit. O quanta nunc ingratitudo erit, si paralyticus spiritualis sic coram Deo à Christo eius filio positus, sanitatem oblatam contemnit! Sed modò audiant, quid facturi sint, qui sanari desiderant. Surge, inquit Christus, tolle grabatum tuum, vade in domũ tuam. Surge, id est, ne iaceas amplius, vbi antea iacuisti. Tolle grabatum, id est, ne permittas amplius cor tuum & carnem ad terram coniungi. Et vade in domum, id est, quæ sursum sunt, quære, non quæ super terram. Deum glorifica, & ne sis velut isti peruersi qui ante curationem paralytici cogitabant mala in cordibus suis. Dispone te per fidem ad curationem tuam, & peruersæ cogitationes nõ te separent à Deo. Sed potiùs, ô vos omnes qui sanitatem quæritis, sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. Cordium est perscrutator, qui scit discernere cogitationes. Fac ergo & tu similiter, ait S. Hieronymus scribẽs ad Demetriadem. Tutissimum est, ait, vt animus assuescat discernere cogitationes suas, vt bonas alat, malas occidat, quia fons boni, cogitatio bona; & fons mali, cogitatio mala. Cor tuum non te derelinquat, sed cogita, vt Cassiodorus ait super illud Psalmistæ; *Cor meum dereliquit me*, quocunque tempore non noueris te de Deo cogitasse, illud tempus te perdidisse. E contrà, si de eo cogites, vt eum glorifices, cogita te eum in æternum glorificaturum.

S. Hieron. ad Demetriad. *Cassiod. in Psal. 39.*

DE NVPTIIS VERBI Dei cum natura humana.

Venite ad nuptias. Matth. 22.

SANCTVS Iohannes in Apoc. beatos appellabat, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, Agni sine macula Christi IESV. Hodie parata sunt omnia, nihilque conuiuij deest nobis: sponsus & sponsa adsunt, tauri & altilia occisa sunt, disponitur mensa in proposito nobis regno, nobísque hodie inuitatio facta est; *Venite ad nuptias*. Quales autem illæ sunt nuptiæ & cuius, scire vultis? Agni Dei sunt, & filij æterni patris. Cuius verò sponsæ ille sit sponsus, audite iam: humanitatis nostræ, humilis ancillæ ipsius. Magnitudinem ergo mysterij si penetrare valeatis, Incarnationis nuptiæ sunt. Quare nunc intellige homo, qualis pro te dispensatio cum carne tua facta est, qualis vnio, quale commercium Dei cum homine. Deus dat suum esse, gloriam suam & infinitatem naturæ creatæ & humanæ, quæ illi suum esse humanum, creatum & mortale retribuit & communicat. Quid enim est omnis caro? fœnum. Ecce quid caro dat verbo, præterea labores, mortem, crucem atq; sepulturam.

Nuptiæ Incarnationis.

Expendite quæso quid inquerit Regem cœli & æternum, vt tali sponsæ tam vili & miseræ filium dilectionis suæ coniungeret. Profectò in hoc commen

nostra & desideria audiuntur, & exaudiuntur à Deo, si maximè cœlestia sint, & salutem nostram, vel proximi postulent. O si possem, inquit S. Aug. excitare homines, & excitari cum ipsis, vt tales essemus amatores, id est, cupidi vitæ permanentis, quales homines mundani amatores sunt huius vitæ fugientis! & quid ideo faceres? Adimpletionem desideriorum obtinerem à Deo.

Ecce hodie, dum iret IESVS in Ierusalem, & transiret per mediam Samariam & Galilæam, occurrerunt ei decē leprosi, qui ex desiderio sanitatis leuauerunt vocem magis cordis quā oris, dicentes: IESV præceptor, miserere nostri. Videte obsecro quàm feruēter à lepra sua corporali mūdari desiderabāt; & quis eorū effectus fuerit, efficacia & virtus desiderij. O si peccatores à spirituali sic sanari desiderarent, quā promptiùs adhuc sanitatē suam consequerentur? Dicant ergo extollentes vocem suam ad Deum: Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus, cor mundum crea in me Deus, miserere mei, quoniam infirmus sum. IESV præceptor, miserere mei.

Agnoscat sic homo se leprosū esse, & peccatorem corā Deo. Nō citiùs quidē aperiet ei vulnera, aut occurret cum desiderio salutis, quin sentiat se protinus exauditū, & sanatum, quod propheta expertus est dicens: Dixi, confitebor aduersū me in-
Ps. 31. iustitiam meā Domino, & tu remisisti, &c. Et decē nostri leprosi, dū irent, mundati sunt. Adeò Deus desideriis nostris promptè satisfacit, dūmodo salutē quæramus, & corā eo peccata nostra detegamus, illaque iuxta eius volūtatem, & mandatum, Sacerdoti in Ecclesia confiteamur. Hoc etenim nobis hodie significatur in illis decem leprosis, qui ad Sacerdotes missi sunt; & qualis etiam peccatorum debeat esse confessio.

4. *Conditiones confessionis.* Cuius quidem conditiones quatuor esse debent. Prima, vt sit voluntaria. Sic n. Psalmista dicit: *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo.* Vnde dicit Christus ad leprosos; Ite, &c. Secunda, vt sit pura, id est, non excusans peccata, aut accusans alios, aut eorū facta reuelans, aut adhuc interrogationē expectās, sed ostendite vos. Tertia, vt sit nuda & aperta; vnde ostendite dixit, quid egistis, cogitastis, & loquuti estis. Nuda, inquā, sed cū omnib. circūstantiis. Quarta, vt sit ordinata, id est, iis facta qui claues scientiæ & authoritatis in Ecclesia habent. Propterea dixit, ostendite vos Sacerdotibus.

Multiplex ratio cur peccata debemus confiteri. Nunc autē cur peccata confiteri debeamus rationes illæ sunt & causæ, quia non potest dissolui nodus nisi manifestetur; nec curari incognitū vulnus; neque dari consiliū de occultis. Peccatū enim est in anima, sicut vermis in carne, qui fouetur dum latet, moritur autē cùm in aperto est. Quia corruptio cuiuslibet rei, fit contrario modo suæ generationi. Vnde sicut peccatū in occulto cōscientiæ fit, sic oportet vt tollatur modo contrario, id est, virtute & gratia confessionis ipsum manifestantis.
S. Ambr. lib. de pœnit. distinct. 1. Neque enim quisquam potest, ait S. Ambros. à peccato iustificari, nisi peccatum antè fuerit confessus. Ideoque Christus hodie leprosos misit ad Sacerdotes, vt lepram suam ostenderent illis.

Contritio gratiam obtinet. Sed dicet aliquis, dum irent, mundati sunt. Propter quod respondeo nunc peccatorem, antequam ad Sacerdotem accedat, iam a Deo per contritionem impetrasse gratiam, dum tamen est in via, id est, in proposito confitendi peccata. Hoc enim ex necessitate est; si quidem non differt tunc misericordia Dei gratiam conferre. Testatur Psaltes qui ait: Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam me-

A am Domino, & ecce remisisti, &c. O quoties in dolore & confessione hanc gratiam contulit, & nos similes fuimus leprosis ingratis? Deus donat gratiam, & nos ingratitudinem. Decem curat, & vnus tantùm redit, & Deo dat gloriam. Heu! peccator, cur tam citò oblitus es misericordiæ Domini tui? De hoc cōqueritur Dauid dicens: *Obliti sunt Deū* Ps. 105.
qui saluauit eos. Vnde ait Sanctus Bernardus, nihil S. Ber. Serm.
ita displicere Deo sicut ingratitudinem, quàm vo- 12.
cat inimicam animæ, exterminationem meritorum, & dispersionem virtutum, ventum vrentem, siccantem sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.

Sic Apostolus Timotheo prædicebat, dicens quia 2. Timot. 3.
B in nouissimis diebus erunt homines seipsos amantes, ingrati, sine affectione, voluptatum amatores magis quàm Dei. Quinam verò illi? vtique nos sumus, qui tempore gratiæ & misericordiæ nati, omnium beneficiorum Dei obliuiscimur, *Hæretici leprosi.*
sed & ipsius Dei. Tales autem præsertim sunt Athei & hæretici omnes, qui verè dici possunt S. Aug. lib.
leprosi. Ita S. August. lib. quæstionum Euangel. quæst. Euāg.
vbi ait. Lepra vitium coloris est. Leprosi ergo cap. 40.
non absurdè dici possunt, qui scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Non enim abscondunt imperitiam suam; sed pro summa peritia proferunt in lucem, & iactantia sermonis ostentant. Dixit insipiens in
C corde suo, non est Deus, sed adhuc in ore sæpius. Corrupti sunt enim & abominabiles facti sunt in studiis suis, ij nimirum qui dixerunt Deo; recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.

Verùm leprosum alienigenam imitemur. Ex his namque decem qui mundati sunt, non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Non ille sit, obsecro, solus, sed nos adeamus cum illo. *Grati estote,* Coloss. 3.
dicit Apostolus, *& omne quodcumque facitis, in verbo, aut in opere, omnia facite in nomine Domini* IESV *Christi, gratias agentes Deo, & patri per ipsum.* Vbi Sanctus Chrysostomus. Optima S. Chrysost.
quippe beneficiorum est custos memoria bene-
D ficiorum, & perpetua confessio gratiarum. Hoc enim bonum & acceptum est coram Salvatore nostro Deo, dicit ad Timotheum Apostolus, qui vult omnes homines saluos fieri. Vn- 1. Timot. 2.
de rursus ad Thessalonicens. Gratias, inquit, 1. Thessal. 5.
in omnibus agite, hæc est enim voluntas Dei in Christo IESV in omnibus vobis.

Talis est in cœlis Angelorum occupatio continuò adorantium Deum, & dicentium, Amen, vt in Apocalypsi legitur: Benedictio, & claritas, & sa- Apoc. 7.
pientia, & gratiarum actio, honor, virtus & gloria. Quid enim, ait S. Aug. scribens ad Marcell. melius S. August. ad
animo geramus, & ore promamus, quàm Deo gra- Marcell. q. 5.
E tias? Hoc nihil dici breuius, audiri lætius, nec agi Marc. 14. & 23.
fructuosius potest. Cùm etiam Christus pro nobis gratias egerit patri, sicut frequenter in Euangelio legimus, vt & nos qui ab eo tot bona suscepimus, ad gratiarum actiones prouocemur. Et quid dicam? Nihil certè est quod ad illas non prouocet nos. Cœli, terra, Angeli, sed & sanguis IESV Christi, qui pro nobis effusus est. Adeò vt quocumque vertere me possim, nihil aliud intuear, quàm rationes & media, quæ ad hoc me inuitant. Quid enim præter omnia beneficia communia mihi & tibi, hodie & quotidie præstitum est?

Considera paucis mecum & magnitudinem, & multitudinem eorum. Certè multum illis nos deuinctos sentiemus. Cui enim multum datum est, vt ipse

Luc. 12. S. August. in medit. ipse dicit Christus, multum etiam quæretur ab eo. A Vnde S. Aug. lib. medit. Oportet ergo me Domine, ait, tanto magis tibi gratiosum & deuotum esse, quanto me de tantis beneficiis obligatiorem conspicio. Illa certè beneficia omnia Dauid perpendens dicebat: *Meditatus sum in omnibus operibus tuis, quapropter expandi manus meas ad te.* Vbi S. Chrysost. Non obliuiscamur, sed semper in mente nostra Dei beneficia versemus, vt ad continuam gratiarum actionem mentem nostram compellant, tametsi tot sint, vt mens nostra non sufficiat ad comprehendendum, & enumerandum magnam quæ nobis contigit illorum vbertatem. Quomodo enim quis enumerare sufficeret, sed & cogitare ea quæ iam in nos collata sunt? quæ item promissa? quæ & quotidie conferuntur? B

Psal. 142. S. Chrysost. hom. 27. in Genes.

Deinde maiora subiungens quæ Paulus recenset in futuro, scilicet, quæ oculus non vidit, auris non audiuit, ita prosequitur. Vidisti dona excellentia? vidisti beneficia illius omnium cogitationem transcendentia? In cor hominis non ascenderunt. Si igitur volumus supputare & pro viribus nostris gratias agere, poterimus multo maiorem illius gratiam nobis conciliare, & ad virtutem magis idonei fieri. Memoria enim beneficiorum Dei sufficiens est, quæ ad virtutem labores nostros præparet, vt præsentia omnia despiciamus: & vt ei, qui tanta in nos beneficia contulit, per amorem adhæreamus. C

Verùm etsi nulla alia ratio esset, quàm sola Redemptionis nostræ per Christum consideratio, nonne sufficeret, vt illi summas ageremus gratias? hoc siquidem beneficium respiciens Iohannes, sic scribit: In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum, quoniam misit propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, sic Deus dilexit nos, quoniam pater misit filium suum Saluatorem mundi. Et Christus ipse apud eumdem Iohan. Sic Deus dilexit mundum, vt filiū suum vnigenitum daret. Vbi S. Chrysost. Dic nobis, quomodo fiet: dic mensuram, dic magnitudinem, doce nos excellentiam. O Domine, meditabor cum Psalmista in operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor, vias perscrutabor & rationes quas inuenisti vt parceres delinquenti: vt priùs leproso occurreres, & voluntatem illi salutis eius in te ostenderes, quàm ipse tibi vulnus suum detegeret. Sicque nunc ad te redibo, & gloriam tibi in æternum dabo. In terra tibi gratias referam, vt in cœlo te in perpetuum glorificem, qui cum patre & Spiritu sancto viuis & regnas in sæcula sæculorum. D

1. Ioh. 4.

Ioh. 3. S. Chrysost. vt suprà.

DE MODO QVÆrendi regnum Dei.

Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius. Matth. 6.

Consilium Iesv Christi in hoc Euangelio, totum est vt nos à sollicitudine terrę reuocet ad spem & prosequutionem substantiæ melioris, nimirum, vt seruitute huius sæculi relicta, ad obsequium suum nos intentos reddat & iustitiam regni cœlestis, quam si quærimus, nobis cætera pollicetur adiici, si, vt dicit S. Petrus, omnem sollicitudinem nostram proiiciamus in eum, quoniam ipsi est cura de nobis, sicut ipsemet dicit hodie: Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus? hæc omnia gentes inquirunt; scit enim pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite primùm regnum Dei, &c. Quasi diceret: ecce de qua re mens vestra debet sollicita esse. Quærite, id est, petite & inuestigate; primùm, id est, præcipuè, & ante omnia, omni desiderio, & supra omnia; regnum Dei, quod est beatitudo æterna: & hæc omnia adiicientur vobis, id est, in cæteris contenti eritis.

1. Petr. 5.

Diximus autem regnum istud & petendum, & quærendum esse. Petendum, quia in alterius potestate collatio eius est; vnde in oratione Dominica illud petimus à Deo, & dicimus; Adueniat regnum tuum. Iam verò quærendum actionibus bonis; non obtinetur enim nisi à bene operantibus, dicente Domino: *Venite benedicti patris, possidete regnum. Esuriui, & dedistis mihi manducare,* &c. Videamus itaque quomodo quærendum sit. Sic enim S. August. in Soliloq. loquitur. Tu es summum bonum, quod nemo rectè quæsiuit, & minimè inuenit. Omnis autem rectè quæsiuit, quem tu quærere fecisti. Rectè autem quæritur, cùm principaliter quæritur. Sicut quidem Christus hodie docet & modum, dicens: *Quærite primùm regnum Dei*, id est, ante omnia quærite.

Vnde regnū Dei petendū, & quærendū, & quomodo.

Matth. 25.

S. August. in Soliloq.

Primò; quia omne bonum plenè atque perfectè in eo continetur, vbi nullus est defectus, nulla indigentia: sed vbi est omnis satietas & abundantia, vt Psaltes cum spe & desiderio loquitur dicens; Satiabor cùm apparuerit gloria tua.

Cur primùm sit quærendū regnum Dei.

Secundò, quia & ad illud participandum & habendum præsertim conditi sumus. Omnia autem illud quærunt ad quod facta sunt. Quare & vos regnum Dei primùm quærite, & ne sitis ignorantes finem vestrum velut rationis expertes. Etenim plures existimant ad hoc tantùm se natos, vt rebus mundi fruantur pro libito, vita præsenti gaudeant, diuitias congregent, honores acquirant, vacent comessationibus & luxuriis, cum illis insensatis dicentes Sap. 2. Hæc est pars & sors nostra, venite, fruamur bonis quæ sunt, vtamur creatura tanquam in iuuentute, vino pretioso & vnguentis nos impleamus. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra, vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.

Sap. 2.

Non est ita, non est ita, inquit Christus, æterna sapientia patris. Ad altiora, maiora, & digniora gaudia Deus hominem fecit. *Quærite primùm regnum Dei.* Quasi diceret: agnoscite quæ & quanta sunt gaudia & diuitiæ regni, vosque illis esse natos. Agnoscite, inquam, quia si talia primùm quæratis, etiam reliqua omnia, & quæ tam ardenter amatis & quæritis, adhuc adiicientur vobis: quia regnum quæritis, non qualecumque regnum, sed regnum Dei, quod est regnum omnium sæculorum, id est, quod diuitias omnes, honores, atque delicias, quæ omnibus antè sæculis fuerunt, & postea erunt, in se comprehendit. Vnde hæc omnia in æternum possidebit, qui semel tale regnum habebit. E

O immensa Dei bonitas! Iubemur illa bona quærere quæ sunt & habentur in regno Dei, & quæ ipsum regnū sunt. Nihil equidem excellētius, excelsiusque regno Dei dici potest. Ita vt nescias quid priùs admireris, aut Dei largitatē, qui hominē asciuerit in regnum suū, aut hominis stuporē &

ſtoliditatem, qui ad tantam languet paſſionem, & nihil mouetur: cùm ſciat adhuc, niſi illud quærat, ſe ad Inferos eſſe trudendum. Certè exinde duplici iam ex cauſa ſtupeo. Prima eſt, quod nihil regni Dei ſplendor moueat nos, etiam pœnis Inferni iam perterritos, niſi illud quæramus. Altera eſt, quod cùm quærimus illud, etiam via certa & facilis propoſita eſt nobis ad aſſequenda ſæcularia bona: ſi autem non quærimus, etiam ſponte iis caremus, quæ alioquin tantopere quærebamus.

1. Reg. 11.

Nonne hinc eſt ratio ſtuporis? Id quidem nobis demonſtrari poteſt in ſtupore quo Saül primus Rex Iudæorum correptus eſt, cùm illi Samuël regnum promiſiſſet. Nihil enim mouetur ad verba Prophetæ, imò pollicenti tanta ait; Numquid non filius Iemini ego ſum, de minima tribu & familia Iſraël? Quare ergo loquutus es mihi ſemonem hunc? Quaſi diceret, hæc non ad me pertinent. Verùm vbi Spiritu Domini vnctus eſt, qui antè riſerat verbum de regno, ſtatim regium induit animum, & nihil niſi regium aggreditur, atque exequitur. Ita nos, dicam, cùm tantùm homines ſimus, & in limo conuerſantes, tantùm etiam humilia & terrena cogitamus, nihilque ad nos pertinere videtur regnum Dei: ſed ſi ſemel Spiritu Dei vncti fuerimus, iam noſtram dignitatem intelligemus, nihilque vnquam regio nomine indignum faciemus: non terram, ſed cœlum quæremus, & ea quæ cœli ſunt, & ad cœlum nos ducunt, nempe iuſtitiam eius.

Vnde tantùm humilia & terrena cogitamus.

Iuſtitia regni Dei conſiſtit in duplici contemptu.

Iuſtitia autem eiuſmodi, ſcilicet regni Dei, conſiſtit in duplici contemptu omnium quæ ſunt mundi huius, ſcilicet, in contemptu aduerſitatis & proſperitatis. Primò aduerſitatis, per patientiam, & tolerantiam; cùm conſtet iam, quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Secundò proſperitatis, per fugam & odium omnium quæ mundi ſunt. Sic enim ſuadet Iohannes dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* & quæ illa? *Omne*, inquit, *quod in mundo eſt, aut eſt concupiſcentia carnis, aut oculorum, & ſuperbia vitæ.* Ecce quæ quærenda non ſunt, ſed vtique fugienda.

1. Cor. 15.
Gal. 5.
Rom. 14.
Matth. 5.
Matth. 19.

Fuge ergo primum, quia, inquit Apoſtolus, caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. & alibi: Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Regnum enim Dei, vt dicitur ad Rom, non eſt eſca & potus. Fuge ſecundum. Beati enim dicuntur à Domino pauperes ſpiritu, quia ipſorum eſt regnum cœlorum. Qui verò pecunias habent, ex ipſius Chriſti ore, quàm difficilè intrabunt in regnum cœlorum. Propterea hodie dixit Dominus; Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. Non niſi vnius ſerui eſſe poſſumus. Non diuidi patimur: aut vnum odio habebimus, & alterum diligemus; aut vnum ſuſtinebit homo, & alterum contemnet. Sic etiam vult totum Deus, aut nihil, à quo eſſe totum, & velle, & poſſe habemus. Propterea voluit vt ex toto corde diligamus, non diuiſo corde. Aliàs fraus eſt, non amor, nec ſeruitus. Non poteſtis ergo Deo ſeruire & mammonæ, qui duo Domini ſunt oppoſiti.

Quid ſignificatur per mammonam.

Peccator ſeruit diabolo.

Aduertite quod mammona accipitur hic & pro diabolo, & pro mundo, carne, & diuitiis. Diabolo ſeruit, qui ſuggeſtionibus eius cor ſuum aperit, delectatur in cogitationibus illicitis, conſentit, facit, exemplo ſuos alios inducit, aſſueſcit, peccare non erubeſcit, atque etiam malefacta de-

A fendit. O extremam miſeriam! videte quibus ille ſeruit. Serui dominati ſunt noſtri, ait Ieremias in lamentis ſuis. Vnde antea ſic Deus, qui in punitionem, peccatorem tradiderat in manus concupiſcentiarum ſuarum, loquebatur ſimiliter: Seruire te faciam inimicis tuis. Quod quidem ſatis expertus fuerat, & agnoſcebat S. Auguſt. in Soliloquiis dicens. Satis Domine, ſatis inimicis tuis quos ſub pedibus habes, ſeruiui. En ergo prima ſeruitus.

Thren. 5.
Ierem. 17.
S. Auguſt. Soliloq.

Peccator ſeruit mundo.

Secunda eſt, qua mundo ſeruimus, id eſt, creaturæ, & non creatori. Cuius ſeruitutis mercedem Iob narrat dicens; Tenent tympanum & cytharam, & ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, qui dicunt Deo, recede à nobis.

Iob. 21.

B

Peccator ſeruit carni.
Philip. 3. & Rom. 15.
Iſa. 14.

Tertia eſt, qua carni obſequimur & ventri. De qua loquitur Apoſtolus Philip. 3. & Rom. 15. Cuius merces eſt putredo, vermis & fœtor pro corpore, & pro anima ignis æternus. Ita Iſaias ait: Subtus te ſternetur tinea, & erunt vermes operimentum tuum. Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Crucior in hac flamma, dicebat epulo diues.

Peccator ſeruit auaritiæ.

Quarta eſt, qua ſeruitur auaritiæ, rapinæ, & multis congregandis diuitiis. Cuius quidem merces, ſumma eſt & continua egeſtas: nullus enim tam pauper eſt quàm qui ſemper petit, & nullis C ſatiatur adeptis; præterquàm quod in morte omnia illi deficiunt, etiam gutta aquæ, vt ex illo epulone conſtat in mediis flammæ ardoribus. Ideo Eccleſiaſticus dicit, quia inſatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non ſatiabitur donec conſumat areſaciens animam ſuam; non ſatiabitur pane, ſed indigens & in triſtitia erit ſuper menſam ſuam. Fili ſi habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. Memor eſto quoniam mors non tardat, & teſtamentum Inferorum quia demonſtratum eſt tibi: teſtamentum enim huius mundi morte morietur.

Luc. 15.
Eccl. 14.

Quodnam eſt teſtamentum Inferorum? mala fames, atque in ardoribus ſempiterna ſitis, mors & D gehennæ. Ecce teſtamentum, quod tibi ex Euangelio epulonis demonſtratum eſt in Inferis. Quod verò eſt teſtamentum huius mundi etiam quod morte finietur breui? Eiuſmodi eſt, vt idem Eccleſiaſticus dicit, aceruare ex animo ſuo iniuſtè, aliis congregare, vt in bonis illius luxurietur alius: aliis relinquere dolores & labores ſuos in diuiſione ſortis. Dicam vno verbo cum Propheta, relinquere alienis diuitias ſuas. Memor eſto ô homo, quoniam mors non tardat, iuxtà eſt & velox nimis.

Quare iam dico vobis: Nolite ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quo operiemur? Scit enim pater veſter quia his omnibus indigetis. E Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius. Iuſtitiam dicit. Quid eſt hoc, niſi quia abſque iuſtitia non poſſidetur regnum Dei? Hæc autem eſt, vt ea quæ regni Dei ſunt, operemur, ſcilicet virtutes. Iuſtitia regni Dei pœnitentia eſt: vim namque patitur, & violenti rapiunt; & his qui agent appropinquabit. Item perſeuerantia eſt, alioquin, dicit Dominus, nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei. Item & maximè eſt humilitas, quæ eſt omnis iuſtitia & virtus. Paruulorum enim atque humilium, dicit Dominus, ſolùm eſt regnum cœlorum; adeò vt nullus introëat in illud, niſi ſit humilis. Quæ virtus tertium malorum genus, quod in

Quid eſt iuſtitiam regni Dei quærere.
Matth. 3.
Luc. 9.

in mundo est, prosternit, videlicet superbiam vitæ. Ergo si primùm hoc regnum Dei quærimus, & iustitiam eius, non dubium erit quin statim & cætera adiiciantur nobis ab eo cui cura est de omnibus, & qui sic nobis largietur temporalia, vt non amittamus æterna.

DE MORTE, ET INstabilitate rerum.

Adolescens tibi dico: Surge. Luc. 7.

AVTHOR vitæ Christus IESVS nobis est, sicut Adam mortis. Quis est homo qui viuit, & non videbit mortem? inquiebat Dauid. (Ps. 88.) Nullus, siue nobilis, Princeps, Rex, pauper, diues, senex, iuuenis; mortales omnes sumus, muliere ad hunc Regem sic dicente: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur super terram.* (2. Reg. 14.) Hoc statutum est cunctis hominibus, semel mori, dicit magnus Apostolus. (Heb. 9.) Sed ô mors quàm amara est mortalibus memoria tua, & pacem in deliciis suis habentibus! Interea hoc omnibus statutum est semel; momentaneumque est illud omne quod delectat, æternum verò quod sequitur & cruciat. Ecce corpus, quod hodie delicatè nutritur, cras cibus erit vermium. Quid superbis ô homo, qui terra es & cinis? Et quid hodie vis te extollere super alios, qui fortè sub pedibus omnium eris? O homo agnosce te mortalem, & frange elationem. Et tu pariter dedite pecuniis, & auare, agnosce quomodo sicut nudus egressus es de vtero matris tuæ, sic etiam nudus in terram reuerteris, & diuitias tuas alienis relinques. Quia, vt Apostolus ad Timoth. scribit, cùm nihil intulerimus in hunc mundum, non dubium quia nec auferre quid possumus. (1. Timot. 6.) Aduertite quæso quod hodiernus defunctus iacebat in loculo. Cui enim viuenti magna olim palatia non sufficiebant, mortuo iam loculus sufficit. Vnde de Alexandro dixit quidam Philosophus; Quem totus mundus heri non capiebat, hodie parua continet vrna.

Et tu similiter ô voluptuose, & dedite carnis tuæ deliciis, recordare te breui futurum escam vermium, & fortè Inferni pabulum, æternorumque tormentorum alimentum. Adulteri, inquit S. Iacobus, nescitis quia amicitia huius mundi, inimica est Dei? & quicunque voluerit amicus esse sæculi, inimicus Dei constituitur. (Iacob. 4.) Miseri estote & plorate, risus vester conuertatur in luctum, & gaudium in mœrorem. Et quid sunt gaudia mundi, nisi venena diaboli? cùm nemo quidem possit hic gaudere cum sæculo, & cum Christo regnare in cœlo; vnde necesse est, vt qui saluus esse desiderat, supra mundum conscendat. Ideo enim rursum dicit S. Iacobus: Epulari estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra, in die occisionis. (Iacob. 5.) Quid est enim vita vestra? vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. (Cap. 4.) Et dicitis, faciemus hoc, aut illud; hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi annum & lucrum: qui ignoratis quid erit in crastino. Agite nunc diuites, plorate simul in miseriis vestris: fortè enim thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus, & qui proximi

A sunt, quoniam mors non tardat, iuxtáque est dies Domini magnus, iuxtà est, & velox nimis.

Ecce modò adolescens filius vnicus matris rapitur; & tu vigila quicunque sis, quia qua hora Dominus Deus venturus est, nescis. O mors quàm multis amara est memoria tua! Verùm non multum est, dicit S. Augustinus, quod moriamur, sed quò ire post mortem cogamur; (S. Aug. lib. 1. de Ciuit.) cùm alij decedant ad vitam, alij verò ad mortem æternam, sicut Sanctus Athanasius ait in Symbolo suo. Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum. Et tunc quæso quid proderunt omnia mundi gaudia & honores, cùm transierint velut vmbra? Multi sunt qui de morte ægrè ferunt aliquid audire & loqui: sed discant modò

B illam meditari. Nihil sic enim nos reuocat à peccato, vt illa meditatio. Sicut enim videmus quod nauclerus locat se in fine nauis cùm ritè vult illam regere: sic nos in fine vitæ nostræ versari & manere debemus, vt ritè cursum eius dirigamus. Nam quid aliud est vita nostra, nisi velut nauis in medio maris sita, & quæ, vt dicitur in Sapientia, pertransit fluctuantem aquam? (*Vita nostra comparatur naui.* Sap. 5.)

Qui ergo eam vult rationabiliter dirigere, respicere eum oportet finem vitæ suæ, illiusque recordari semper. Vnde Ecclesiasticus dixit: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Et certè in tali exercitio debe-

C ret tota esse & versari vita nostra. Nam & in hoc constituitur tota vita sapientis, vt videlicet tota sit meditatio mortis. Cuius hodie speculum habemus in adolescente Naim, qui efferebatur defunctus.

Naim interpretatur pulcher, & à quibusdam fluctus, in quo mundus refertur. (*Interpretatio nominis Naim.*) Mundus sic dictus à munditia, vel meliùs à continuo motu, quia sine quiete semper velut mare fluctuat. In ista ergo Naim, seu in isto mundo & fluctuanti mari, nihil aliud nisi meditationem & speculum mortis habemus, vbi omnia in fluxu & motu sunt continuo. Si naturam, si fortunam, si voluptates, si voluntates & tentationes spectemus, (*In omnibus quæ circunstant nos, est imago mortis.*)

D omnia quidem in commotione sunt, & mortem prænuntiant.

Natura in motu est, à natiuitate in infantiam, ab infantia in pueritiam, & sic vsque ad mortem. (*Natura in motu.*) Induratur caro, & in puluerem redigitur, dicente Psalmista: Mane sicut herba transeat, mane floreat & transeat: vespere decidat, induret & arescat. Mane sicut herba; ecce pueritiæ viriditas. Floreat & transeat; ecce iuuentutis flos. Vespere decidat; ecce senectus. Induret & arescat; ecce mors. Iob similiter dicebat: *Quasi flos egreditur, & conteritur.* (Ioh. 13.) Flos à fluxu; & quidem talis est vitæ cursus: sicut enim aquæ dilabimur, à sanitate in ægritudinem, & ab ægritudine in mortem.

E Fortuna item in motu est, & rota est quæ numquam quiescit, à prosperis transit in aduersa, à diuitiis in paupertatem, à principatu ad seruitutem, à gaudiis in dolores & luctus. (*Fortuna in motu.*) Ecce motus.

Voluntas etiam hominis in motu est; nunc odit, nunc diligit, vult & non vult: tanta est mentis instabilitas, & mutatio affectionum diuersa, quod tamen, sicut dicit S. Bernard. animum non sanat, sed magis infirmum amplius affligit, (*Volũtates in motu.* S. Bern. ad fratres de monte Dei.) vbi semper vulnus vulnere sanare credit & nititur. Propterea tibi libenter dicerem, erubesce homo; terra stat, & tu stare non potes. Sana Domine contritiones voluntatis eius, quia commota est.

S. August. in Confess.

Etenim non constat in quo sit stabilis homo, nisi in Deo voluntatem suam stabilierit; sicut Sancto Augustino dictum est. Quid in te stas, & non stas? proiice te in Deum: & accipiet te, & sanabit te.

Deliciæ in motu.

Motus item in deliciis inuenitur, à mensa in ludum, à ludo in luxuriam, ab illa in auaritiam; sicque vita rotatur de vitio in vitium, donec cum tota currat & descendat in Infernum.

Tentationes in motu.

Motus etiam in tentationibus est. Leo rugiens circuit, & quærit prædam quam deuoret. Caro concupiscit, mundus allicit, voluptas trahit. Quid amplius dicam? continuum est bellum simile pugnæ habitæ cum hydra, cuius vno abscisso capite plura alia renascuntur. Ita quidem est de tentationibus, vbi, vna deuicta, plures aliæ succedunt. Verùm non timendum est ne in hac pugna vincamur, aut moriamur, cùm arma fortiora habeamus. Astat enim in auxilium nobis Dominus, qui nos tentari non permittet supra id quod possumus, minusque mori, si manum illi præbere voluerimus.

S. Chrysost. hom. 3. in Genes.

Eph. 6.

Pugnemus ergo, & primò diaboli insidiis & armis resistamus, vt aduersus mortem postea tuti simus. Licet enim, ait S. Chrysost. in Genes. inæqualis sit pugna, magna tamen armorum nostrorum virtus est. Vnde cœlestis illa anima, doctor Gentium Paulus, orbisque lingua, dicit ad Ephesios: Accipite armaturam Dei, in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela hostis illius ignita extinguere; & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Vbi S. Chrysostom. Talibus armis induti, ne horreamus ob pugnam, ne fugiamus congressum; malignus dæmon numquam armorum nostrorum virtuti præualebit: imò si voluerimus, irritas faciemus eius machinationes, telaque ignita, quæ sunt malæ concupiscentiæ, imò & ipsius caput amputare valebimus, sicque mortem euadere. Adamante enim solidiores gratia Dei nos effecit, & si volumus, omnino inuictos. Itaque, inquit, sicut qui tundit adamantem, nihil admanti nocet, sed seipsum fatigat: in hunc modum se habent res nostræ cum salutis nostræ aduersario, si armis quæ nobis Spiritussancti gratia exhibet, continuò nos muniamus.

Idē S. Chrysost. hom. 4.

Accipiamus ergo armaturam nostram, ne succumbamus, ne moriamur. Quod si mortui peccato simus, exeamus obuiam Christo, vt eius viuus sermo nos excitet, adinstar huiusce filij mortui, vnici matris & viduæ Naim. Mortuos enim Christus alloquitur, tanquam si dormirent, dicit Sanctus Augustinus. Eos, inquit, qui nobis dormiunt, excitare possumus, vt surgant; si quis verò nobis sit mortuus, quantumcunque traxerimus, aut impulerimus, non surgit. Quia verò omnes mortui Christo dormiunt, ideo faciliùs potest facere vt surgant à morte, quàm nos, dormientes vt à somno resurgant. Et quidem id verissimum est de corporaliter mortuis, vt iste erat iuuenis. Sed spiritualiter mortuis, qui Deo adhuc resistunt, ô quantum laboris impendit! Quod si in eo tamen mortui verè simus, & non resistamus, ad resurrectionem vitæ nostræ minimè laborabit, sed sicut dixerit, ita fiet. Sicque nos viuentes reddet Ecclesiæ, & nobis ipsis vitam gratiæ, sicut filium reddidit matri viduæ, pristinamque nobis omnibus consolationem restituet.

Nam, vt veritatem hic loquar, in sola morte spirituali miseria & desolatio est. Si enim ad corporalem spectemus, non est causa & ratio tristitiæ, vt videre est in Dauide, qui ante mortem paruuli quem susceperat de Bersabee, fleuit, & comedere panem noluit cum amicis. Sed postquam defunctus est, ingressus est domum Domini, adorauit, & venit in domum suam, vnctusque est, & comedit panem, dicens: Cùm infans adhuc viueret, fleui, nunc autem quia mortuus est, quare ieiuno? numquid potero reuocare eum? Ego magis vadam ad eum, & ille non ad me est reuersurus. Vnde videre est, quod sola mors peccati fletibus digna est, non autem corporis, quæ sæpius ad vitam æternam iter est. Sic Eusseb. ad Damasc. de morte S. Hierony. O mors dulcis & iucunda, quæ veram largiris vitam, per te itur de tribulatione ad consolationem, de miseria ad lætitiam, de labore ad requiem. Amodò enim iam dicit Spiritus, ait in Apoc. Iohannes, vt requiescant à laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos.

2. Reg. 12.

Euseb. de morte S. Hieronymi.

Apoc. 14.

DE INVIDIA, ET humilitate.

Cùm inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouissimo loco. Luc. 14.

CASSIANVS dicit intrasse Dominum IESVM in domum huius Pharisæorum principis, de quo in Euangelio dici sermo est, non amore conuiuij, sed ratione docendi, vt eis qui aderant præberet panem sapientiæ & salutis, de quo anima enutritur & viuit, sicut ipse dixit aliquando: *Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.* Qui panis erat animarum salus; sicut illarum, ipsius doctrina salutaris. Hæc igitur potissima ratio fuit, cur etsi malitiam Pharisæorum agnosceret, tamen inuitatus ad conuiuium sit ingressus: vt nempe verbo suo & exemplo prodesset præsentibus, & qui inuitauerat, mereretur manducare panem, in quo vitam posset inuenire. Hoc siquidem fecit curando hydropicum, contra malitiam eorum, ipsisque contra inuidiam præparando vias ad nuptias gratiæ hic in præsenti sæculo, sicut gloriæ in futuro.

Ioh. 4.

Primùm ergo legimus quod ipsi per inuidiam obseruabant eum, posito ante ipsum hydropico. Sed nesciunt quod Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Ac proinde non illorum interrogationibus, sed cogitationibus respondens, dicit illis: Si licet Sabbatho curare? at illi tacuerunt. O lethales effectus veneni inuidiæ! Venenum est certè sese diffundens per totum hominem, & totum inficiens. Passio est in oculis mortifera, in auribus & lingua. In oculis, nequam enim est oculus inuidi, ait Ecclesiasticus. Ita Psaltes: *Obseruat peccator iustum, & quærit mortificare eum.* Sic Pharisæi hodie Christum obseruabant; inuidorum enim obseruare alios proprium est. Gaudent in aduersis, dolent in prosperis. In auribus item, cùm libenter malum alterius audiant, & ægrè bonum. In lingua per detractionem, proximam filiam inuidiæ. Hæc est lingua serpentis, de qua sic loquitur Dauid: *Acuerunt linguam suam sicut serpentis; venenum aspidum sub labiis eorum.* Hæc est fera pessima paruulum Ioseph deuorans, & ad quam Iob alludere videtur dicens: Paruulum occidit inuidia. Sed

Quale venenum per totum hominē se diffundens inuidia.

Eccli. 14.

Gen. 36.

Iob. 5.

Sed quomodo? in latebris & in occulto, in insidiis, atque in silentio. Audi Ecclesiastem: Serpens in silentio, nihil minus est quàm qui detrahit in occulto. (Eccl. 10.) Quod equidem hodie animaduertere est in Pharisæis. IESVS dixit illis: Si licet Sabbatho curare? at illi tacuerunt, nempe vt insidiarentur ei; sicut antè legitur, quoniam & ipsi obseruabant eum.

(Triplex taciturnitas.) Notandum autem est, triplicem esse taciturnitatem, ignorantis, prudentis, & insidiantis. De prima documentum tale est in Ecclesiastico: Si est tibi intellectus, responde proximo; sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris. (Eccli. 5. & cap. 20.) Et rursus: Est tacens non habens sensum loquelæ. De secunda sequitur: Est tacens sciens tempus aptum, & ipse est prudens. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus. Ideoque de quodam Agathone legitur, qui per triennium gestabat lapidem in ore, vt tacere disceret. Et de tribus philosophis pauca loquentibus, qui cùm requisiti fuissent cur ita tacerent, respondit primus, stultus tacere nescit. Secundus, qui bene loqui nescit, melius est vt taceat, ne quid dixisse pœniteat. Nam sapiens non loquitur multa, nisi priùs consideret, quid, aut quo loco, & tempore dicat. Tertius nomine Solinus, me locutum aliquando pœnituit, tacuisse numquam. Quare etiam dicere solebat S. Ambrosius. Maior est virtus tacendi, quàm loquendi. Plures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo. Ideo difficilius scire tacere quàm loqui: plures sunt qui loqui nesciunt, pauci verò tacere bene sciunt. Patientia silendi, & opportunitas loquendi maxima sunt fundamenta virtutum.

De tertia taciturnitate, nempe insidiantium, hodie in Euangelio est sermo, vbi Pharisæi oblato hydropico ante Christum, obseruabant eum; & cùm eos interrogat, si licet Sabbatho curare? tacuerunt. Verùm iam effectus videatur bonitatis diuinæ contra inuidiæ ipsorum malitiam. Apprehensum eum IESVS sanauit, & dimisit. Et ad cogitationes eorum respondens, dixit: Cuius vestrûm asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbathi? Et non poterant adhuc ad hæc respondere, inuidiaque tacebant. Sed Christus non minus spiritualem eorum hydropisim volens curare, quàm istius corporalem, dixit ad illos, intendens quomodo inflati superbia, primos accubitus eligerent. Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus, & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi, da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco, vt cùm venerit, qui te inuitauit, dicat tibi; Amice ascende superiùs: tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

Hæc dixerat Christus cùm ad conuiuium inuitatus, voluit, post hydropici curationem, & datum remedium inuidiæ Pharisæorum, iam illis, ac cæteris vias præparare ad nuptias gratiæ, vt diximus, & gloriæ, videlicet humilitatis; ostendens quid necessariò sit agendum & obseruandum illi, qui vult attingere celsitudinem honoris, videlicet, quoniam oportet non superiùs ascendere, sed nouissimum locum eligere. Non ascendere dico, ne inde deiiciatur cum rubore, & dicatur illi; da huic locum, qui honoratior est te. Talem locum
A primum sibi elegerat Lucifer dicens: In cœlum conscendam, & ero similis Altissimo; verumtamen in Infernum detraheris. Vnde qui dixerat; Supra astra cœli exaltabo solium meum, cadens ad Inferos detrusus est. (Isa. 14.) Vnde & de eo Dominus ipse apud S. Luc. Videbam Sathanam sicut fulgur cadentem de cœlo. (Luc. 10.)

O quot eiusmodi sunt hodie, quibus Sanctus Bernardus etiam sic loquitur. Quem sequimini miseri, quem sequimini? Nonne iste est mons in quem ascendit Angelus, & factus est diabolus, vnde & descendit? In hunc locum similiter Nabuchodonozor ascenderat dicens: Nonne est hæc Babylon Ciuitas illa magna, quam ædificaui in robore & gloria decoris mei? (Dan. 4.)
B Cui cùm adhuc sermo in ore esset, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonozor Rex; Regnum tuum transibit à te, & cum bestiis erit habitatio tua. Sicque impletum est illud Psalmistæ in eo: *Retribuet abundanter facientibus superbiam.*

Sic filio eius Balthassari, cùm exaltaretur cor eius, & in suo conuiuio grandi biberet cum optimatibus, vxoribus & concubinis suis, in vasis aureis & argenteis, quæ asportauerat de Templo Nabuchodonozor pater eius, in eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis. Et facies eius commutata est, cogitationibus conturbantibus eum. (Dan. 5.)
C Cui cùm Regina contristanti se dixisset: Non te conturbent cogitationes tuæ, Rex in æternum viue; Daniel statim introductus, & scripturam explicans, ait è contrà: Tu Balthassar filius Nabuchodonozor, non humiliasti cor tuum, cùm scires omnia quæ acciderunt patri tuo: sed aduersum dominatorem cœli eleuatus es, idcirco ab eo missus est articulus manus quæ scripsit hoc; diuisum est regnum tuum, & Deus compleuit illud: appēsus es in statera, & inuentus es minus habens. Et eadem nocte interfectus est. Ecce quomodo Deus superbis resistit, & deponit de sede potentes. Sic adhuc Vasthi Reginæ superbæ accidit, quæ repudiata est ab Assuero, eo quod ipsum spreuerat, (Esther 2.)
D dum inuitata primos in conuiuio accubitus erat occupatura.

O quot malorum causa est superbia! Legimus in Prouerbiis sex esse quę odit Dominus, sed septimū detestari animam eius, scilicet, oculos sublimes. (Prou. 6.) Vnde etiam Iob dicit: Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat, quasi sub nullius ditione & potestate esset; (Iob. 11. & 12.) sed non videt, vt statim ille post dicit, quod qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Etenim, vt ait Dauid, suscipiens est mansuetos Dominus. (Ps. 146.) Vbi Cassiodor. (Cassiod.) Mansueti suscipiuntur in cœlum, superbi verò deiiciuntur, iuxta illud Ierem. Si exaltatus fueris vt Aquila, & si inter sydera posueris (Ierem. 49.)
E nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Idcirco dictum est hodie, recumbe in nouissimo loco. Sic Salomon in Prouerbiis suis: Humilem spiritu suscipiet gloria, superbum autem sequitur humilitas. (Prou. 29.) Vnde quanto magnus es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam. Quare gratiam? Quia certè diuinę gratiæ familiaris est humilitas. Vnde magna illa virtus, cui sic facilè se inclinat diuina Maiestas.

Ita Cassiodorus hunc Psalmistæ versiculum explicans; *Inter medium montium pertransibunt aquæ.* (Cassiod. in Ps. 103.) In vallibus, ait, animarum humilium pertranseunt aquæ gratiarū: vnde sic in terra humilitas exaltatur

Sap. 5. in gratia, sicut in cœlo in gloria. Hi sunt, inquiunt damnati, quos aliquando habuimus in derisum, &c. Et Dominus apud S. Matthæum dicit suis: Vos qui sequuti estis me, scilicet in humilitate, sedebitis iudicantes. Ita vt postea dixerit; Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 10. & 18.

Propter quatuor humilitas amplectenda est. Iam verò propter quatuor humilitatem amplecti debemus. Primò, propter vilitatem nostræ conditionis, terræ, ac cineris. Sic Dauid dicebat ad Michol filiam Saül: Vilior fiam quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis. Sic Paulus vocat se minimum Apostolorum. Secundò, propter securitatem. Qui sedet in terra, non habet quò cadat, peritque omne quod agitur, dicit S. Gregorius, nisi humilitate custodiatur. Vnde in Isa. Ad quem respicit Deus nisi ad pauperculum, humilem & contritum spiritu? Tertiò, propter conformitatem Christi, qui, vt Apostolus dicit, exinaniuit semetipsum, &c. & qui in Apocal. dicit: Ego sum primus & nouissimus. Vbi glossa, primus in æternitate, nouissimus in humilitate. Vnde etiam solus est qui dicit: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Vbi S. Hieronym. Quantumcunque te humiliaueris, Christo humilior non eris. Non igitur verearis sedere in loco, in quo sedet Dei filius. Et S. August. Erubescat superbire humana infirmitas, cùm se ita humiliat diuina Majestas. 2. Reg. 6. 1. Cor. 15. Isa. vlt. Phil. 2. Apoc. 1. Matth. 11.

Vltimò tandem propter tria quæ Christus adducit in Euangelio. Primum est, quod inde habetur gratia amicitiæ Dei, nempe, vt cùm venerit, qui te inuitauit, dicat tibi, Amice. Secundum est consecutio & gloria loci dignioris; ascende superiùs. Hinc equidem dixerat Sapiens: Melius est, vt tibi dicatur, ascende superiùs, quàm vt humilieris coram Principe. Tertium est acquisitio æternæ gloriæ, vbi dicit, & erit tibi gloria coram discumbentibus, Angelis & Sanctis omnibus. Quia qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur in sæculorum sæcula. Prou. 26.

DE CHARITATE ET amore Dei.

Diliges Dominum Deum tuum. Hoc est primum & maximũ mandatum. Matt. 22.

NON miror cur Apostolus IESV Christi Paulus tantopere Corinthiis charitatem suadebat, dicens illis, omnia in charitate fiant; sicut Colossensibus: Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Simul enim rationem sequi videtis, quia est vinculum perfectionis. Nam, vt dicit S. August. tunc homo est perfectus, quando charitate plenus. Vnde de ea idem potest dici respectu aliarum virtutum, quod de Deo respectu rerum omnium, nimirum quod sicut Deus omnia continet, sic charitas virtutes omnes, omnium principatum tenet. Propterea S. Iohannes in Apoc. dicebat: Suadeo tibi emere aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, videlicet charitatem. Quare? quia equidem, si desit illa nobis, frustra cætera adsunt; si verò adsit, habentur omnia. Audite Apostolum: Si habuero omnem scientiam, omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest. Iam verò vt hic vtar verbis S. Bernardi, de hac virtute loqui conscientia dictat, charitas suggerit, & spiritus ingerit. Conscientia, considerans rationes amandi Deum quæ in nobis sunt. Charitas Christi, qui de ea loquitur. Denique Spiritussanctus, qui & vt illam habeamus, & vt vbique eam prædicemus, nobis lumen præbet & obligationem, in quantum primum est in lege & maximum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. Mandatum certè illud est maximum, maximè à Deo requisitum, à nobis maximè curandum, maximam pacem obseruantibus afferens, maximéque in cœlo, si dignè in terra compleatur, coronandum: sicut si negligatur, maximè in Inferno puniendum. Et quidem omnia hic maxima sunt. Deus est maximus, & maxima dilectio, vnde ex horum duorum connubio maximorum, etiam maximus est partus. Maximum mandatum, sine quo reliqua sunt parua, imò nihil sunt, vt iam ex Apostolo ostendimus: & cum quo etiam minima maxima sunt. Quare in Euangelio Dominus dixit, calicem aquæ frigidæ cum dilectione datum, cœlum mereri. O verè alchimicum aurum, quod in aurum conuertit, quidquid tangit. O vita virtutum, sine qua nulla virtus viuit; sed potiùs vere Deus virtutum omnium, & bonorum operum: auertente te faciem omnia turbabuntur, & in nihilum rediguntur statim: flante te, & mittente Spiritum tuum, omnia recreantur, & facies terræ renouatur. Tu ad Inferos ducis, si deseris: reducis, si adsis: si absis, omnia mortificas: si venis, viuificas: si fugis, homo iacet, perit, & moritur, ac iam in Inferno sepelitur: si redis, cum viuificas, ditas, ac penè Deum efficis. O rem admirabilem! tua præsentia nihil felicius, tua absentia nihil miserius, quia tua præsentia Deum affert, absentia aufert. Attende iam quàm amabilis sit Deus, & tamen hoc nobis adhuc præcipit, vt amemus. Vnde sic exclamat S. August. in Confess. Quid tibi ipse sum Domine, vt te amari iubeas à me, & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Paruane tibi iniuria ipsa est, si non amem te? Imò maxima. *Diliges Dominum Deum tuum. Hoc est maximum mandatum.*

Coloss. 3. *Charitas omnium virtutum complementum.* 1. Cor. 13. A *Dilectio Dei maximum mandatum.* B Matth. 10. C S. Aug. 1. Confess. D

Rota vitæ nostræ amor, & cognitio. Tota vita nostra à principio vsque ad finem currit super duabus istis rotis, videlicet, amore, & cognitione; propter hoc enim intellectu præditi sumus & voluntate. Sed in tuto procedet, si in Christo IESV rotas illas amoris, & cognitionis voluamus: de quibus ipse hodie in Euangelio loquitur, quando nobis proponit, quid simul amare & nosse debeamus. Amare, cùm ait; Diliges Dominum Deum tuum. Nosse verò cùm interrogat eos; Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? In his siquidem duobus tota consistit ratio nostræ felicitatis, sicut in Euangelio dixit: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti* IESVM *Christum.* Cognoscant, non simpliciter, vt in hoc tantùm maneant, sed cognitum ament. Sic enim nosse illum cum amore, consummata iustitia est: vnde etiam amare, eius notitiam præsupponit. Quod ex verbis Christi notandum occurrit, qui simul mansuetudine sua suos tentatores & ad amorem, & ad notitiam veritatis deducit, cùm imprimis ait; Diliges Dominum. & statim post: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? E

Verùm quia talis amor absque cognitione eius esse non potest, in amore manebimus. Diliges ergo, ait. Quare? Quia affectionum nostrarum omnium Deus quidam dilectio est; quò enim illa

illa tendit, totus homo contendit. Amor meus, pondus meum, ait S. August. Quid igitur hoc precepto vult Deus? vt illi Deum demus affectionum nostratum, scilicet amorem nostrum. Quem nisi dederis, nullam crede affectionem te dedisse. Ideóque etiam dixit, diliges: non verò, timebis. Et hoc tribus de causis. Prima est, quia timere seruorum est, diligere filiorum. Nos autem, ait Apostolus, non sumus filij ancillæ, sed liberæ, qua libertate Christus nos donauit. Propterea ait, diliges. Secunda, quia timor est necessitatis, amor libertatis. Coactè seruimus, liberè & voluntate amamus. Tertia, quia licet timor fugiat pœnam, tamen non dat gloriam, diligere autem facit vtrumque. Addi posset, quod timere afflictionem dicit: diligere verò delectationem.

Solus Deus nostræ dilectionis est obiectum.

Sed obiectum dilectionis attendamus. Deus est, qui & nostri amoris simul terminus & causa est, quia secundùm S. Thomam, ipsa est per se essentia bonitatis, & omnium rerum finis vltimus. Parum oculos nostros attollamus, & fingamus iam, aut mundum non esse, aut certè respectu Dei tantùm guttulam, & atomum esse: & tūc oculos in Deum cōiciamus. Quidnam videbimus? Deum esse lucis immensitatem, pulchritudinis infinitatem. An non tunc tuum extorquebit amorem? Sed an non iam raperis, inflammaris, & amore magno incenderis? Propterea si ab illa luminis abysso ad creaturas te conuerteris, quid videbis? Infinitos penè Angelos, amplitudinem cœli, & terræ plenitudinem, & omnia tandem quæ in eis sunt. Et si quæris quid omnia hæc faciant: hoc vnum certè contendunt, vt vnum illum Deum altissimum colant, atque etiam cum dispendio suo diligant. Nam quod Angeli Deo ministrent, hoc seruire, regnare est. Sed quod hominibus seruiant, etsi quidem iussu Dei, an non dispendium est?

Quod si verò omnia sic Deum amant, an non iam consentaneum est rationi, vt eum maximè diligant homines, qui plus cæteris ab eo receperunt, propter eum specialiter creati sunt, & per quos etiam ei cætera seruiunt, aut quidem alteri? Sicut si Rex aliquis præstaret obsequiū alteri Regi, quantum in se est etiam illi omnes suos subditos subiicit. Ita inquam est de homine omnium principe constituto respectu eius quem diligit, cui famulatur & honorem præstat. Propterea igitur iustè ei dicitur; *Diliges Dominum Deum tuum.*

Ratio noua Deum amādi, eo quod noster sit.

Sed attende quod ille qui Deus est, Dominus tuus est. Vnde adhuc ex eo quod Dominus tuus dicitur, noua sese ipsum amandi occasio offert. Omnes enim quod suum est, amant. Et ecce Deus tuus est, & tuus Dominus. Ex hoc igitur certè amādus est quod noster est. Sed qualiter, aut quomodo noster? Sic enim dicimus orando; Pater noster, sicut adhuc sæpius creator noster, gubernator noster, redemptor & glorificator noster. Ecce qualiter, & quibus modis noster, vt etiam multiplex ratio amandi ipsum innotescat nobis.

Noster creator.

Primò igitur quia creator noster, ipse diligendus est, sed amore filiali, & illo adhuc excellentiori quàm diligeretur pater naturalis. Multo enim maiora etiam in natura à Deo accepimus, à quo omnia habemus. Et certè multum eum diligeres, qui tibi oculum amissum restitueret, aut vitam. Quanto magis ergo Deum diligere debes, qui hæc omnia tibi non habenti dedit, esse & vitam dedit, tale esse, & talem vitam, te hominem ad imaginem suam inter omnes creaturas faciens? Sanè aliqua eximia statua suum si cognosceret authorem, sta- A tim illum amaret, de cuius manibus tam formosa prodiit. Te autem fecit Deus secundum corpus admodum egregiam creaturam; & secundum animam adhuc præstantiorem splendore imaginis, & gratia suæ similitudinis, rationis participem, & æternæ gloriæ capacem; & hoc absque spe vlla nostræ retributionis. Quid enim habemus quod non accepimus? aut quid ei ex nostris retribuere possumus? Propter igitur hæc omnia illum ama. Hæc est retributio tua: *Diliges Dominum Deum tuum.*

Verùm quia adhuc eius imago & similitudo sumus, magis certè amare debemus. Causa enim diligendi, similitudo est. Quod etiam inter plures filios videre est, vt qui magis est similis patri, naturaliter etiam plus diligat ipsum. O si corporalem diligis patrem, à quo habes mortale hoc corpus, magis quæso cœlestem ama, à quo esse immortale habes. Et si matrem diligis, quę te in mundum produxit plenum miseriis: quanto magis patrem qui te ducet in alium plenum æternis gaudiis? Et si tantum fratres carnales diligis, etsi pauperiorem te faciant participando tecum hæreditatem: quanto magis Christum, qui hæreditatem suam diuidet tecum, & locupletiorem te faciet?

Secundò, quia gubernator noster est, diligendus est. Diligimus patremfamilias, quia nobis necessaria vitæ prouidet: Principem qui nos regit pacificè. Deus autem ad nostram vtilitatem, omnem prouidit creaturam, omnemque adhuc pro nobis machinam hanc gubernat. Quomodo ergo non diligemus ipsum, qui tot beneficiis gubernator noster est? *Noster gubernator.*

Tertiò, quia noster est redemptor. Si quis esset in captiuitate positus, aut morti adiudicatus, quantum eum diligeret, qui pro se intercederet, & accedēs, vt per seipsum redimeret & liberaret, etiam traderet se morti pro illo? Quid autē amplius debuit tibi facere, & nō fecit Dei filius? Cùm nō eras, creauit te; seruū peccati te feceras, & redemit te. O quàm durè te redemit! heu plura dixit, mira fecit, dura & pertulit! non tam equidē facilè redēptus es, quàm creatus. O quàm plura Deus in tua redemptione, quàm in formatione impendit! Nihil est ita humanis affectibus impressum, quàm vt diligentem nos diligamus. Quare iam si amare pigeat, saltem redamare non pigeat. Audi enim quæso, quid pro te apud Ieremiam dicat: Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, & dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius. O quàm vehementer, exclamat S. Bern. amplexatus est me in Cruce, in qua effluxit aqua de latere, sanguis ex corde, anima ex corpore! Quantum ergo dilectionis debeo Deo meo, quem non solùm credo vitæ meæ liberalissimum largitorem, conseruatorem, sed insuper copiosissimum redemptorem, & præterea ditissimum glorificatorem? *Noster redemptor.* *Ierem. 12.*

Ecce quidem vnde quartò est diligendus, quia scilicet noster glorificator est. Quisque vitam propriam diligit, pro qua etiam vniuersum mundum daret, diuitias, & honores. Quantum ergo ille est amandus, in quo inueniuntur hæc omnia? vita sine morte, diuitiæ sine paupertate. Et certè iam affectanti cœlestia, terrena non sapiunt, gustatoq; spiritu desipit omnis caro. Ita vt homo desideret cum Iob resolutionem corporis, & dicat cum eo; *Tædet animam vitæ meæ.* Cum Apostolo: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Nemo enim scit, quàm durum sit amanti animam cum Christo, & cum mundo diuidere. Quod si iam aliquis quærat, quo- *Noster glorificator.*

modo acquiratur diuina dilectio, cum Origene respondemus, quia Dei amor indicibilis est, neque cadit sub arte; sed sicut videre lucem, aut amare parentes, nemo vnquam didicit: ita diuinæ dilectionis seminaria naturaliter sunt in nobis sine doctrina. Amemus ergo eum, vt gloriam, amoris fructum consequamur in cœlis.

DE CVRATIONE PAralysis spiritualis.

Ascendit IESVS *in nauiculam, & transfretauit, & venit in ciuitatem suam.* Matth. 9.

OMNIA quæ Christus IESVS in hoc mundo gessit opera, diuinis sunt plena mysteriis, hodieque nobis illa Euangelium demonstrat satis, vt notauit ibi S. Chrysologus, qui dicit Christum in humanis actibus diuina gessisse mysteria, & in rebus visibilibus inuisibilia exercuisse negotia. Ascendit, inquit, in nauiculam, vt lectio hodierna demonstrat, & transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Nonne ipse est qui fugatis fluctibus, maris profunda nudauit, vt Israeliticus populus inter stupentes vndas, sicco vestigio, velut montium concaua transiret? Nonne hic est qui Petri pedibus marinos vortices inclinauit, vt iter liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium? Et quid est quod ipse sibi sic maris denegat seruitutem, vt breuissimi laci transitum sub mercede nautica transfretaret? Ascendit, inquit, in nauiculam, & transfretauit. Et quid mirum fratres? Christus venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes; humana quærere, præstare diuina, accipere iniurias, reddere dignitates, ferre tædia, referre sanitates. Quia medicus qui non fert infirmitates, curare nescit: & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. Christus ergo si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet: & si non impleisset carnis ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio. Ascendit, inquit, in nauiculam, & transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Christus omnium Deus postquam se propter nos nostra angustauit in carne, cœpit habere humanam patriam, cœpit ciuitatis Iudaicæ esse ciuis. Ascendit, inquit, in nauiculam, & venit in ciuitatem suam.

S. Chrysolog. Serm. 150.

S. Chrysost. dicit, non vnam, sed multas fuisse Christi ciuitates. Alia, inquit, suscepit Christum nascentem, nempe Bethleem. Alia nutriuit, nempe Nazareth. Alia continuè habitantem habuit, nempe Capharnaum: de qua hic mentio est, dicta quidem ciuitas eius, eo quod pluribus illam decorauit miraculis, vnumque illorum est paralytici nostri curatio. Sed longiùs procedamus, mundum hunc pro Christi ciuitate ad quam venit, considerantes. Ciuitas enim eius est, & creatione, & gubernatione, conuersatione, & mirabilium ostensione, curationibus postremò, & redemptione. De cœlo in mundum venit vt in ciuitatem suam, vt dicit Iohan. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Veniens in hanc magnam ciuitatem, ascendit in nauiculam. Nauicula caro eius fuit, & humanitas, quam quidem ipse ascendit, quia non fuit desideriis carnis subiectus: & hac nauicula carnis, seu humanitatis, transfretauit, id est, cunctas freti huius tentationes transiuit, passionum eius & mortis; ita vt non solùm transierit, sed etiam sedarit omnes procellas & tempestates. Propter hoc enim fuerat missus ad hoc nostrum miseriarum mare, sicut nobis hodie in hoc Euangelij paralytico exemplum propositum est.

Diuersæ Christi ciuitates.

Quibus titulis mundus dicitur ciuitas Christi. Iohan. 1.

Quidnam repræsentat eiusmodi infirmus? Peccatorem. Si enim attentè morbi naturam considères, paralysis omnia infirmi membra contrahit, ita vt vnum alteri subuenire & auxiliari nequeat: & sic impedit omnes actiones, vsus & exercitia vitæ: ita vt ille miser in grabato iaceat, absque vllis viribus. Talia autem peccatum operatur in anima, quæ ad omnia est impotens, neque sibi in minimo subuenire potest, eo quod per ipsum à cunctis actionibus vitæ, exercitiisque gratiæ prohibetur, ita vt misera langueat, & velut paralytica iaceat in lecto penitus postrata. Audiat Ieremiam. *Leua oculos tuos in directum, & vide vbi nunc prostrata sis.* Lectus eius est mollities carnis; pluma, oculorum & cordis concupiscentia. In tali lecto & grabato miser iacet peccator, & non attendit adhuc quia domus ruinæ & subuersioni est proxima: iam ignis est in palea, coluber sub pallio, & se à loco in quo postratus est, dimouere non potest.

Paralyticus imago est peccatoris.

Ierem. 3.

Sic quidem antequam veniret Christus in hunc mundum, magnam eius ciuitatem, totum humanum genus iacebat prostratum, quod ex Adæ peccato talem paralysim contraxerat. Sed sicut hodie fuere aliqui, qui paralytici huius Euangelici curam habuerunt, eumque ad Christum detulerunt: ita natura nostra infirma chara fuit sanctis illis Patriarchis, & Prophetis qui Christum præcesserunt. Illius ergo curationem vehementissima charitate optauerunt: ita vt non tam in infirmitate sua, quàm in eorum charitate iaceret, in qua velut in lectulo ad Deum portaretur ardentibus votis & postulationibus eius perfectæ sanitatis & curationis. Et nolite super hoc mirari. Nam ipse Deus sic nos omnes infirmos à prima die nostræ paralysis, in visceribus suæ charitatis tulit, qui apud Isaiam sic ait. Audite me qui portamini à meo vtero, qui gestamini à vulua mea: Ego ipse vsque ad senectam, & vsque ad canos ipse portabo vos. Vnde & hanc charitatem suam in illos sanctos Patriarchas transmiserat, vt ad Deum clamarent pro nostra, omniumque salute, & quasi bajuli nostri essent, quando ipse Deus Saluator noster adueniret, & descenderet ad nos.

Quam, & natura humana Patriarchis & Christi curæ fuit.

Isa. 46.

Verùm quia non satis erat, aduenisse Deum, atque adhuc loquentem audire, nisi etiam & domus in qua erat & loquebatur, perforaretur, vt infirmo pateret ad salutem ingressus, id est, nisi caro ipsa, in qua corporaliter inhabitabat, (id est, tanquam in proprio corpore) eius Diuinitas, vulneraretur: & hoc insuper meruere Sancti, atque contribuerunt, vt nempe ipsam carnem, Diuinitatis tectum, transfigerent, perforarent, & amore, atque ardentissimorum desideriorum iaculo vulnerarent, & sic vsque ad Diuinitatis sanctuarium intrarent infirmi, vt sanarentur.

Passionis nec ... ad curationem paralytici.

Hoc autem non videatur vobis nimis durum, quod dicimus, scilicet, Sanctos transfixisse Christum, non minus quidem, imò magis quàm impios milites & Iudæos, nihil enim est, vnde hoc dicere & prohibeamur & vereamur. Non sic impij, non sic, sicut & illi vulnerauerunt. Isti enim ex abundantia inuidiæ & iniquitatis: illi verò ex ardore & plenitudine charitatis. Quemadmodum enim pater filium & Christum suum ex nimia charitate

tradidit

tradidit vulneribus & morti, atque etiam ipse eadem charitate se vulnerandum dedit: ita quidem fecit charitas Sanctorum, vulnera Domini .ui expetiuit. Dicam amplius, quia nec impij Christum potuissent vulnerare & occidere, nisi priùs Sanctorum charitas & vota ipsum ad vulnera & ad mortem adegissent.

Charitas Sanctorũ & vota Christum ad mortem impulerunt.

Quis dubitaret, tot clamores Prophetarum, vt Isaiæ, Ieremiæ, Dauidis, & aliorum: sed præsertim B. Mariæ virginis, quæ tantopere salutis cupida humani generis, medicum, & Saluatorem postulabat, eius accelerasse aduentum, & quasi impulisse ad mortem? Nonne exinde dicebat interrogantibus se apud Zachar. Quid sunt plagæ istæ? His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Quasi diceret, amici mei hæc vulnera mihi fecerunt. Illorum fuit amor, & vota, quæ me Cruci affixerunt, & tot plagis affecerunt. Et alibi: Aspicient ad me quem confixerunt, & plangent planctu, & dolebunt, vt doleri solet in morte primogeniti. Quæ quidem verba ad Sanctos, Prophetas & Patriarchas optimè possunt referri, qui feruore amoris ipsum postulauerunt; sicut dicitur paulo antè: Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem, Spiritum gratiæ & precum. Atq; ita, qui postea planxerunt, continuóque plangent, quem sic amore suo vulnerauerunt. Minimè enim ipsum planxerunt impij: neque adhuc super eum dolent, vt iusti.

Zachar. 13.

Ibidē c. 12.

Vnde iam dicendum, Christum Dominum magis amore & desideriis Sanctorum fuisse trãsfixum, tot vulnera suscepisse, maximè verò istud magnum in latere, per quod omnes, sicut Apostolus dicit, accessum ad eum per fidem habuimus, in gratiam istam, videlicet, vt iusti essemus, id est, pristinæ nostræ sanitati & dignitati restituti. Quomodo paralytico dictum est: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, quia tunc per fidem suam quam vidit Christus, sicut illorum qui portabant eum, accessum habuit ad Deum: sicut & nos pariter per eam corporis Christi membra efficimur, & introimus in merita & participationem gratiæ omnium vulnerum eius. Vnde iam quia ipse est, per quem remissio peccatorum facta est, & qui eam meruit nobis, ipse qui tectum aperuit; nihil amplius superest nobis, quàm vt introëamus & confidamus ei, fidem habeamus paralytici, vt iustificati perfectè sanemur.

Dicebamus modò Deum transmisisse charitatem suam in Sanctos, vt ipsi nos ad eum in visceribus amoris deferrent: sed multo aliter nos omnes Christus portabat in visceribus suæ charitatis. Sicut enim miserabili sorte primus Adã nos omnes carnaliter in se gestauit: ita è contrà, & feliciori sorte, secundus Adam & cœlestis, nos omnes in se spiritualiter portauit, vt sicut in primo Adam omnes moriuntur, sic etiam in secundo omnes viuificentur. Vnde quidem dicere possumus, quoniam meliùs quàm hodierni portatores Christus paralyticum hunc portabat, in corde, & in vlnis, & in humeris, & nos etiam omnes cum illo, vt sanaret, gestabat. Verùm, vt priùs rumperetur tectum, opus nobis erat. Nam sicut ex operibus legis nemo iustificabatur, vt dicitur ad Galatas, cùm impossibile esset sanguine vitulorum, & hircorum peccata mundari: ideo necesse erat, vt Christus legem abrogaret, Iudaismum rumperet, legaliáque omnia cessarent, vt sanaretur paralyticus. Vnde etiam factum est, quod cùm in Cruce rupta fuisset Christi caro, in eáque clamasset, Consummatum est, statim diruptum est Synagogæ tectum & Iudaicę domus: in cuius testimonium, velum Templi scissum est. Vnde & postea tectum Cœli apertum est, & introitus Sanctorum patuit, vt omnes qui infirmi eramus, & longè facti à Deo, iam propè simus, & coram eo præsentemur.

Gal. 2.

Sed ô quanto labore tectum cœli nobis aperuit! & quanto sudore ipse nos supra legem tulit! sanè non nisi sudore sanguinis tectum aperuit, sursum nos sustulit, & in conspectu Dei nos posuit. O quanta nunc ingratitudo erit, si paralyticus spiritualis sic coram Deo à Christo eius filio positus, sanitatem oblatam contemnit! Sed modò audiant, quid facturi sint, qui sanari desiderant. Surge, inquit Christus, tolle grabatum tuum, vade in domũ tuam. Surge, id est, ne iaceas amplius, vbi antea iacuisti. Tolle grabatum, id est, ne permittas amplius cor tuum & carnem ad terram coniungi. Et vade in domum, id est, quæ sursum sunt, quære, non quæ super terram. Deum glorifica, & ne sis velut isti peruersi qui ante curationem paralytici cogitabant mala in cordibus suis. Dispone te per fidem ad curationem tuam, & peruersæ cogitationes nõ te separent à Deo. Sed potiùs, ô vos omnes qui sanitatem quæritis, sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. Cordium est perscrutator, qui scit discernere cogitationes. Fac ergo & tu similiter, ait S. Hieronymus scribẽs ad Demetriadem. Tutissimum est, ait, vt animus assuescat discernere cogitationes suas, vt bonas alat, malas occidat, quia fons boni, cogitatio bona; & fons mali, cogitatio mala. Cor tuum non te derelinquat, sed cogita, vt Cassiodorus ait super illud Psalmistæ; *Cor meum dereliquit me*, quocunque tempore non noueris te de Deo cogitasse, illud tempus te perdidisse. E contrà, si de eo cogites, vt eum glorifices, cogita te eum in æternum glorificaturum.

S. Hieron. ad Demetriad.

Cassiod. in Psal. 39.

DE NVPTIIS VERBI Dei cum natura humana.

Venite ad nuptias. Matth. 22.

SANCTVS Iohannes in Apoc. beatos appellabat, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, Agni sine macula Christi IESV. Hodie parata sunt omnia, nihilque conuiuij deest nobis: sponsus & sponsa adsunt, tauri & altilia occisa sunt, disponitur mensa in proposito nobis regno, nobilisque hodie inuitatio facta est; *Venite ad nuptias.* Quales autem illæ sunt nuptiæ & cuius, scire vultis? Agni Dei sunt, & filij æterni patris. Cuius verò sponsæ ille sit sponsus, audite iam: humanitatis nostræ, humilis ancillæ ipsius. Magnitudinem ergo mysterij si penetrare valeatis, Incarnationis nuptiæ sunt. Quare nunc intellige homo, qualis pro te dispensatio cum carne tua facta est, qualis vnio, quale commercium Dei cum homine. Deus dat suum esse, gloriam suam & infinitatem naturæ creatæ & humanæ, quæ illi suum esse humanum, creatum & mortale retribuit & communicat. Quid enim est omnis caro? fœnum. Ecce quid caro dat verbo, præterea labores, mortem, crucem atq; sepulturam.

Nuptiæ Incarnationis.

Expendite quæso quid mouerit Regem cœli & æternum, vt tali sponsæ tam vili & miseræ filium dilectionis suæ coniungeret. Profectò in hoc commen

commendauit in nobis suam charitatem Deus, quoniam sic dilexit mundum, vt nobis tali fœdere & connubio, filium suum vnigenitum in fratrem daret, qui vt sponsus esse voluit nostræ carnis, etiã non confunditur vocare nos fratres suos:& sic vt affines & amicos sponsæ inuitare ad nuptias, dicens;venite, quia omnia parata sunt.Sed tales vos parate,ornate & exhibete,quales vos esse conuenit & dignum est illis.

Soror equidem nostra hodie in sponsam Regis magni assumpta est,& qui etiam nos omnes cupit locupletare magnificentiæ suæ donis,modò ingrediamur dignè in nuptialem eius aulam,vbi omnia parata sunt,nos expectant,nostraque erunt,& iam sunt, si ad vsum nostrum ac vtilitatem ea impendere velimus:qui inde adhuc ad amplioris & æterni regni fastigium sumus ab eodem vocati. Simile est enim regnum cœlorum, ait, homini regi qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos. Verùm propter hoc antè cum veste nuptiali ad nuptiarum & conuiuij præparati aulam in terra, ingredi necesse est. Illa autem nuptialis domus, aulaque regia, vbi tale festum agitur, regiumque quotidie conuiuium præparatur,Ecclesia est, quæ ob tria regnum cœlorum per similitudinem meritò dici potest; regnum cui præsidet Rex regum,& Dominus dominantium.

Ob tria Ecclesia dicitur regnum cœlorum.

Primò, quia ordo regni Ecclesiæ à cœlis venit. Quod videbat Iohannes in Apoc. dicens: Vidi Ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cœlo à Deo paratam. Vnde etiam in Exodo nobis proponitur inspicienda, vbi dicitur: Inspice,& fac secundum exemplar,quod tibi in monte monstratum est;quia quidem ad exemplum cœlestium,Ecclesia inferiùs ordinatur & regitur. Vnde dicit S. Bern. Non vilis est ista forma, quanquam in terris: nam exemplar habet in cœlo. Et super Cantic. de Ecclesia loquens. O humilitas tabernaculum Cedar, sed Sanctuarium Dei,terrenum habitaculum, domus lutea; sed aula regia, sponsa Christi, stabilimentum sacræ doctrinæ, & fertilitas fidei Christianæ.

Apoc. 21. Exod. 25. S. Bern. lib. 4. de Considerat. Item in Cant.

Secundò,ratione similitudinis. Nam in Ecclesia similitudo omnium virtutum cœlestium refulget, vbi sunt Seraphim ardentes charitate, Cherubim lucentes veritate & contemplatione,Throni præsidentes iustitia & æqualitate, Dominationes imperantes maiestate, Principatus regentes authoritate, Potestates tuentes & præualentes fortitudine,Virtutes operantes efficacia & actione,Archãgeli illuminantes in spiritualitate, & Angeli cum sedulitate,& humilitate administrantes.Ecce quidem vnde dicitur in Cant. *Quid videbis in Sulamite*, id est, in Ecclesia,*nisi choros castrorum*? id est, similitudinem ciuium supernorum. Quare quod Angeli faciunt in cœlis, faciamus & nos in terris.

In Ecclesia virtutum cœlestium similitudo est. Cant. 6.

Tertiò,ratione præmij, quia Ecclesia contendit vt cœlum,brauium comprehendere æternę felicitatis. Vnde omni dignitate terræ contempta, pro solis cœlestibus militat, Apostolo dicente; *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus*. Et alibi: *Quæ sursum sunt,quærite, vbi Christus est in dextra Dei sedens,quæ sursum sunt,sapite, non quæ super terram*.Quare:quia licet in terra simus, nostra tamen per Ecclesiam conuersatio in cœlis est. Ecce quomodo regnum cœlorum Ecclesia dicitur.

2. Tim. 2. Coloss. 3.

Regnum est, in quo nuptiæ sacræ factæ sunt, tauri & altilia occisa sunt, paratumque est cœleste conuiuium ad quod inuitamur omnes; *Venite ad nuptias*. O inuitatio honorifica, & admirabiles

A nuptiæ! Incarnationis verbi Dei mysterium est, quod in terris celebratur,non in cœlis. Thalamus nuptialis,templum fuit vteri virginalis.Regia domus,in qua paratur conuiuium,regnum cœlorum, id est,Ecclesia. Sponsa caro nostra est, seu nostra natura humana. Sponsus verbum æterni patris. Tauri & altilia occisa, idem ipse Dei filius Christus Dominus:qui & sponsus,& conuiua, & conuiuium est, cibusque conuiuij qui offertur inuitatis. O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur,recolitur memoria Passionis eius,mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur! *Venite ad nuptias*.

Sed quinam sunt inuitati? Dicam peccatores? B Vtique,cùm & pro illis sponsus nuptiarum Christus,pinguis agnus factus sit,& passer occisus, atq; in morte sua habuerit, & impleuerit virtutem & efficaciam omnium sacrificiorum legalium, videlicet,agni, vituli, hirci, ouis, vitulæ rufæ, passeris occisi:denique taurorum, & altilium occisorum, de quibus hodierna parabola loquitur. Quemadmodum enim manna omnis saporis delectamentum habuit:ita Christus omnium efficaciã habuit sacrificiorum,de quo propterea optimè potest intelligi;Tauri & altilia occisa sunt. Tauri, si eos referas ad ipsum secundum carnem,& altilia secun- C dum animam: sed occisa, quia in Cruce anima Christi à corpore separata est, & ita occisus est Christus. Ecce quantis sumptibus tibi conuiuium paratum est ô homo: Angelorumque cibus, panis hominum factus est;atque vt ita fieret, eodemque quo vescuntur Angeli pane in cœlis, vesceremur in terris, definito consilio pater eum tradidit tanquam taurum saginatum destinatum morti.

Quinam inuitantur ad nuptias Christi.

Sic ergo occiditur Christus,vt vitam daret homini morituro, lassatur, contumeliis afficitur, vt potens sit lassis auxiliari, & lugentes consolari: fortis taurus & robustus ligatur, ac tandem occiditur, vt ligatos & vacillantes corroboret, ac tandem morte sua nostram destrueret. Taurus ergo D occisus est,accedite omnes, & de eo edite. Edere non poteratis Deum viuentem in sæcula sæculorum, Deum vltionum, & Dominum exercituum, terribilem super omnes Reges & Principes terræ. Dicebant olim Bethsamitæ;Quis accedere poterit ad Deum sanctum istum? Num verò verebimini nunc ad ligatum, ad oppressum, & occisum accedere? Accedite iam, & comedite. Pingues reddet animas vestras, ipse in quo omnes sunt thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, ipse in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. Accedite, suiipsius vos reddet participes, Deos vos efficiet ille Deus comestus. Quodnam aliud quæso potest inueniri tam magnificum conuiuium, vbi Christus ipse Dei E filius conuiuium est & cibus, & qui de seipso sic loquitur in Euangelio; *Nisi manducaueritis carnem filij hominis,non habebitis vitam in vobis?*

1. Reg. 6. Iohan. 6.

Sicut olim Deus in deserto conuiuium Iudæis parauerat dans illis manna: ita hodie in Ecclesia conuiuium paratum est Christianis;mannaque denuò est, sed diuinius, nempe Christus,verè Angelorum panis & hominum. Vnde dicebat Apostolus: Habemus altare (id est,hostiam in ara Crucis oblatam, Christi corpus,) de quo edere non habent potestatem,qui tabernaculo deseruiunt,id est, legi,& Moysem adhuc obseruant. Vos itaque qui Christiani & fideles estis, veritati & non amplius figuris seruientes, venite ad nuptias, vobis omnia parata sunt. Parata vasa, nempe Sacramenta gratiam continentia:parati ministri,Sacerdotes:parata sponsa,

Heb. 13.

sponsa, paratus cibus, conuiua, & simul sponsus Christus: paratus conuiuij Architriclinus author gaudij ac lætitiæ nuptialis Spiritussanctus: paratus paterfamilias. O verè regium, magnificum, & Deo dignum conuiuium, vbi diuinitatem omnia redolent! O verbum absconditum à sæculis! Venite, parata sunt omnia: paratus Deus, & conuiua Deus, Deus cibus, Deus Architriclinus, paterfamilias Deus, & vasa diuina.

Omnia in altari diuinitate plena sunt.

Quare si tu tale conuiuium paruipendas & negligas, vestem nuptialem non habens, quos non ignes patieris ex Iudicis ira & summi Regis? Contra tales dicitur quod missi fuere exercitus. Notate obsecro, non vnus missus est, sed plures. Contra quem? vnum homuncionem misellum, qui folium est quod vento rapitur, quem nox vna frangit insomnis. Et quid faciet tunc, cùm multos viderit contra se mitti exercitus? armatos dæmones, paratos Inferorum ignes, niuium frigus, pœnarum perpetuitatem, Angelorum iram, Dei furorem? Denique omnem creaturam pugnantem contra eiusmodi insensatos? Sed quid denuò facient, cùm armatas viderint contra se suas cogitationes, affectiones, membra, bona & mala quæ in omni sua vita fecerunt?

Iratio in eos qui indigne accedunt ad mensam Domini.

Iam ergo sedulò expendat ille, quali confusione operietur qui paruifecerit tale conuiuium, & sine veste nuptiali inuentus in eo fuerit. Quomodo iram sustinebit eius qui ipsum inuitauerat vt amicum? non equidem poterit, sed vt alter de quo in Euangelio mentio fit, & qui obmutuit: ita similiter confusione operiet faciem suam. Quandoquidem tunc dicetur: Erubescant impij, & deducantur in Infernum, muta fiant labia dolosa. Quare muta? quia tunc quidem genus omne excusationis cessabit, nec quid respondeatur, occurret. Etenim minimè vnquam inspiratio defuit, gratia, prædicatio, misericordia & patientia. Ita vt, sicut Iob ait, si voluerit peccator contendere cum Deo, non possit ei respondere vnum pro obiectis, sed obmutescat, cùm Rex imperabit, & dicet de eo ministris; Mittite pedibus & manibus ligatis in tenebras exteriores.

Iob. 9.

Verumtamen locus adhuc veniæ erit, si dum viuimus, cum fiducia adeamus ad thronum gratiæ eius, & in silentio aut excusatione, sicut iste, non maneamus, sicut Adam, Eua, & Cain fecerunt: sed si peccata confiteamur, dicamusque cum prodigo in se reuerso; Pater peccaui in cœlum & coram te. Si cum publicano humiliemur, & cum Magdalena ad pedes Domini cum lacrymis prouoluamur; tunc nos ad se recipiet, iustificabit, peccatisque dimissis, in gratiam restituet, & gloriæ suæ consortes efficiet.

DE RECVRSV AD Deum in afflictione.

Domine descende priusquàm moriatur filius meus. Ioh. 4.

EN hodie regulus qui Regem magnum adit: regulus Capharnaum, Regem cœli & terræ, IESVM Christum, Regem respectu cuius omnes reges terræ, reguli sunt, Regem cui omnia viuũt, venite adoremus. Quoniam magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos, quia in manu eius

A sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipse conspicit. Ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius. Venite adoremus, & procidamus ante eum, quia ipse est Dominus Deus noster, qui fecit nos. Nos autem populus eius, & ipse Rex solus: in cuius femore atque vestimentis manet scriptum, Rex regum, & Dominus dominantium. Solus Rex per quem alij reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, & potentes iustitiam. Rex potens, & metuendus nimis. Ille tandem solus in quem omnes respiciunt, tanquam in vniuersorum dominatorem, & ad quem confugiunt, vt habentem in mortem & vitam imperium.

Prou. 18. & Eccl. 1.

B Sic in libro Paralip. sanctus Rex Iosaphat in afflictione sua, & cùm in angustiis videret se constitutum, conuersus ad Deum, ait. Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cœlo, & dominans cunctis Regibus gentium, in manu tua est fortitudo & potentia, si irruerint super nos mala, gladius iudicij, pestilentia & fames, clamabimus ad te in tribulationibus nostris, & exaudies, saluósque facies. Cùm enim ignoremus quid tunc agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros ad te dirigamus. Sic hodie noster regulus Capharnaum, in afflictionis suæ angustiis audiens quod IESVS adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum vt descenderet, & sanaret

2. Paralip. 20.

C filium eius, incipiebat enim mori.

Nos docent isti quæ & vbi sit nostra salus, vbi sit spes, & ad quem confugere debeamus. Domine, refugium factus es nobis, à sæculo & vsque in sæculum tu es Deus. Petra nostra & refugium herinaceis. Sic Petrus cùm audisset à Christo, post ortũ inter nonnullos scandalum qui ipsum deserebant, Numquid & vos vultis abire? Domine, inquit, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Hoc expertus est hodie regulus, abiit ad eum, verba vitæ æternæ ab eo audiuit, cùm, vt dicetur modò, ipsum ab ægritudine animi, sicut filium ab infirmitate corporis sanauit.

Sed antequam vlteriùs procedamus, quid causæ

D est aduertamus, cur ita & tam subitò sæpe ad Deũ nos conuertimus. Inueniemus ergo afflictionẽ esse & vexationem, quæ, vt Isaias dicit, istum dat intellectum. Homo quãtumuis obnoxius miseriis, non agnoscit illas antequam sentiat aut experiatur, & in eius caput incidant, minusq; recognoscit Deum dum fruitur suis honoribus & diuitiis, donec erudiatur flagellis superuenientibus. Homo cùm in honore esset, non intellexit, ait Dauid, comparatus est iumentis insipientibus. Verùm simulatque in Dei misericordia sentit se correptum, ad se reuertitur, vt ad Deum conuertatur. Misericordia enim vtitur Deus, non solùm cùm prospera donat, sed etiam cùm aduersis hominem vexat, vt ad bonam

Afflictio nos ad Deum conuertit.

Isa 28.

E frugem redeat; & in misericordia sua increpabit me. Si agricolam arborem ramis denudantem cernens roges cur id faciat, statim respondet tibi, vt prosit, & maius emolumentum faciat, vt ex arbore sterili fructuosam reddat. Ita ergo tibi hodie dicetur, si rationem petas cur Deus etiam iustos bonis priuat & consolationibus. Ita in Euangelio Dominus postquam dixit: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum pater*; statim & immediatè subiungit: *Et omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat.*

Iohan. 15.

Quare S. Aug. in epistolis scribit. Quid, inquit, nõ misericorditer præstatur hominibus à Deo, à quo etiam tribulatio beneficium est? Nam res prospera donum

S. Aug. ep. 17.

donum est consolantis; res autem aduersa donum est admonentis Dei. Quis autem non videat hoc in multis? Impius Antiochus postquam multa mala egisset contra Deum, tandem insanabili plaga percussus dixit; Iustum est hominem subditum esse Deo. Nabuchodonozor, qui Dei cultum sibi impiè & insolenter arrogabat, de regno eiectus, postquam iustitiâ, nisi fortè magis misericordiâ Dei, cum bestiis aliquot vixisset annos, qui antea non intellexerat in honore constitutus, similémque per arrogantiam se fecerat iumentis insipientibus, tandem post correptionem & finem dierum dixit: Ego Nabuchodonozor leuaui oculos meos ad cœlum, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, & viuentem in æternum laudaui, & glorificaui, quia potestas eius, potestas sempiterna, & regnum eius in generatione & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt. Ita vt omnes reges coram eo reguli sint, & minus adhuc, quia nihilum ante eum: solus enim est qui iuxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ. Nunc igitur ego Nabuchodonozor laudo, magnifico, & glorifico Regem cœli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.

1. Machab. 9.

Dan. 4.

Modum hunc loquendi aduertite, *viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest*, seu *scit Deus humiliare*. Regulus noster, quia satis potens erat, & diuitiis abundans (etenim saltê alicuius prouinciæ prorex erat,) Dominũ rogat, vt secum in domum descendat, & sanet filium eius: hæc dicens non minus ex tenuitate fidei, quàm quia putabat nihil illi propter diuitias & potentiam denegandum. Sed videte quomodo scit eum humiliare Christus. Nisi signa, inquit, & prodigia videritis, non creditis. Quare quæso sic eum repudiat rogatus? Audite Regem in psalmo dicentem: Non saluatur Rex in virtute sua, nec Gigas in multitudine fortitudinis suæ.

Quomodo scit Deus humiliare elatos.

Psal. 32.

S. Gregor. similem huic & moralem rationem affert, regulum nostrum cum Centurione conferens. Regulus rogat, inquit, & non descendit Dominus. Centurio non rogat, & dicit ei Dominus: Ego veniam, & curabo eum. Animaduertite iam quod ille non pro filio Regis rogat, sed pro seruo. Quare, ait S. Gregor. in regulo superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sumus, sed diuitias & honores veneramur. Ecce itaque non vult ire filius Dei ad filium Regis, & tamen paratus est venire ad salutem serui. Ita author operis imperf. Petitio Centurionis, inquit, erat pro seruo. Ideo Christus ire proposuit, vt nos doceret, nõ magnos colere, & modicos contemnere, sed pauperes & diuites similiter honorare. Vt discamus itẽ, pauperes nõ esse despiciendos, sed magni faciẽdos, quippe qui imago Dei sunt, eaque ratione nobilissimi.

S. Gregor. hom. 28. in Euangel.

Author operis imperf. hom. 21.

His adhuc rationibus vna addi potest, nempe, Christum excepisse Centurionem, quia confirmata erat eius fides: regulum verò repudiasse, quia adhuc imperfecta eius erat fides. Vnde illi ad augmentum fidei tali repulsa & dilatione opus fuit. Sic Chananæam diu distulerat, vt peteret ardentiùs. Ita ergo non protinus annuit regulo, vt eum argueret de incredulitate, quia putabat filium eius Christi præsentia egere ad salutem. Vnde non statim dat, quod petit, sed differt, vt ardentiùs petat, vt ipse fecit postea dicẽs; Domine descende priusquàm moriatur: sicque paulatim firmiorem reddens fidem eius, simul ipsum cum filio curaret, & domum totam; filium ab ægritudine corporis, patrem & domum totam ab infirmitate erroris animi, scilicet incredulitate.

In hoc certè iudicia sunt viæ eius. Iudicia quidem incomprehensibilia, sicut viæ sunt inuestigabiles: his enim modis, ad salutem potissimum animæ pro qua venerat, vsus est. Vnde etiam, vt perspeximus, priùs curam habuit, vt pater crederet, quàm sanaretur filius. Præcipuúmque etiam illud est quod in historia proponitur huius Euangelij, nempe, vt naturam fidei inspiciamus, scilicet principium eius, incrementum, & complementum, seu perfectionem. Nam sicut hominis ætas habet infantiam, adolescentiam, & virilitatem, id est, complementum & perfectionem: ita fides sua initia habet, rudimenta sua, profectus suos, & sua etiam fastigia. Quæ omnia in regulo Euangelij videre est, quem quidem paulo duriùs Christus est allocutus, non quasi sit eum abominatus, aut filij sanitatem voluisset negligere: sed vt fidem hac dura tentatione firmiorem eius redderet, qui fortè, vt Iudæi olim, ad credendum signa videre volebat: vnde dicit ei; Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Rogas me vt descendam, & non credis quod absens curare cum possim. Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Vult signa videre, quod est contra fidei naturam, quæ, vt dixit Apostolus eius, substantia rerum est sperandarum, argumentum non apparentium. Et ego, ait Christus, & signa, & prodigia tibi ostendam. Et quia sapientia ego sum quę à fine ad finem attingit fortiter, vade, filius tuus viuit, etiam absens curaui eum.

Latitudo fidei, & eius comparatur.

Igitur regulus iste, qui putabat necessariam esse Christi præsentiam, & dicebat ei; Domine descende priusquàm moriatur filius meus, nesciens quod à fine ad finem attingebat, prodebat quasi infantiam fidei suæ, eratque adhuc nota aliqua infidelitatis, cuius est festinare, & vrgere: sicut è cõtrà, fidei expectare. Ita enim apud Isaiam: *Qui crediderit, non festinet*. & in Abacuc, vbi de aduentu Messiæ: *Si moram fecerit, expecta eum*. Hoc est fidei signum, & discrimen ab infidelitate. Interim iam aliquo modo credebat ille, fideique rudimenta & principia habebat, alioquin minimè accessisset ad Christum. Sed quomodo? adhuc imperfectè & infantiliter, vt diximus. Quapropter, vt augmentum aliquod & profectum reciperet, ait illi Christus; vade, filius tuus viuit.

Isa. 28.

Abacuc. 2.

Vide quomodo condescendit diuina Majestas, & recordatur misericordiæ suæ; cognouit ipse figmentum, & quomodo benignissimus pater miseretur filiorum suorum. Vade, inquit. Sic propheta Elisæus per internuncium mandauit Naaman Syro, vt septies lauaret se in Iordane, & disceret obediendo virtutem sermonis serui Dei. Sic ergo hodie regulus audiuit; vade, filius tuus viuit. Quid est hoc? misit Deus verbum suum, & sanauit eos. Et credidit sermoni quem dixit ei IESVS, & ibat. Ecce fidei profectus. Iam eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes quia filius eius viueret. Et cùm interrogasset horam ab eis, in qua meliùs habuisset, & cognouisset quia illa erat, scilicet septima, in qua dixerat ei IESVS, filius tuus viuit, credidit ipse & domus eius tota, nempe Christum esse Deum verum. Ecce fidei perfectio & fastigium.

Verùm quisnam istorum omnium fructus esse poterit? Cogitare vnumquemque nostrûm filium habere, qui incipit mori, videlicet animam, pro salute

salute cuius, aliquo pacto regulus Capharnaum imitandus est. Accessit ille ad Christum, impetraturus filio salutem corporis, cùm iam mori inciperet. Et nos pariter ita faciamus, qui frequenter etiam cum mortis periculo ægrotamus; statim recurramus ad Christum, animæque nostræ curam saltem habeamus, quam pecudum haberemus. Cuius enim vestrûm asinus, aut bos, ait Dominus, in puteum cadet, & non continuò extrahet illum? Iumentum de luto extrahitur & lacunis, & manebit anima iacens in peccatis? Incipit mori, & ad Christum minimè ibimus, vt dicamus, Domine descende? Ita Domine, neque enim ad nos potes venire, aut etiam nos respicere, nisi descendas. Descende ergo priusquàm moriatur anima mea.

Luc. 14.

Sed quid tu, ô homo, ire ad ipsum differs? Nónne mundus iste morientium regio est, & vita nostra quædam prolixitas mortis? Quis non videat quod iam incipit mori, cùm viuere incipit? Veniente enim pueritia, ait S. Aug. moritur infantia: veniente adolescentia, moritur pueritia: iuuentute, adolescentia: senectute, iuuentus: morte denique adueniente, moritur omnis ætas. Quot optas gradus ætatis, tot simul optas & mortes ætatum. Quære ergo à sene, vbi infantia? &c. Respondebit illas omnes ætates esse mortuas. Vnde cùm incipimus viuere, incipimus mori. Præteritum tempus mortuum est, futurum nondum est. Quid igitur aliud vita nostra est, quàm momentum vnde pendet æternitas? Sic illo momento vtamur, vt Dei æternitate in gloria fruamur.

S. Aug. in psal. 127.

DE CONDONATIONE iniuriæ illatæ.

Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui? Matth. 18.

INGENS modus veniæ à Deo obtinendæ per Dominum nostrum IESVM Christum, est facilè nostris fratribus cõdonare. Abyssus abyssum inuocat, misericordia misericordiam. Et qua mensura mensi fueritis, ait Dominus, eadem mensura remetietur vobis. Propterea dimittite, & dimittetur vobis. Vnusquisque enim, ait S. Aug. ibi, talem gratiam accipiet à Deo, qualem faciet proximo. Æqualis mensura est, vis tibi dimitti? aliis dimitte. Si enim, ait rursus Dominus, dimiseritis hominibus peccata eorum, & dimittet vobis Deus debita vestra, aliàs non. Ecce conditio & mensura, sed & condemnatio tua. Sic enim pater meus cœlestis faciet vobis, si non dimiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Qui non vult fratri suo dimittere, non speret, ait S. Aug. orationis effectum, qua quotidie dicimus, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus. Vnde similiter dicit S. Ambros. Si iniuriam non dimittis, quæ tibi facta est, orationem pro te non facis, sed maledictionem super te inducis, dicendo, sicut & nos dimittimus. Temetipsum enim iudicas de ore tuo, teipsum condemnas.

Luc. 6.

Matth. 6.

O duritiam cordis dignam suppliciis! nolle centum denarios pro decem millibus talentis dimittere, nolle misereri conserui sui, diuina miseratione recepta. Serue nequam, id est, absque æquitate, à Deo suscepisti misericordiam, & conseruo tuo infers iniuriam. Omne debitum tam numerosum dimisit tibi, nulla interueniente satisfactione; sed solùm, ait, quia rogasti me. Dilationem rogasti, & quod amplius est, impetrasti remissionem. Nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui? Ex vobis ipsis quæso intelligite ea quæ sunt proximi. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur: & è contrà, maledicti qui nesciunt misereri. Sed vnde duritia tanta, nisi quia tot acceptis à Deo beneficiis, ea obliuiscentes etiam statim à Deo recedimus? Sic enim de seruo illo nequam refertur, quod post remissionem debiti sui, à patrefamilias egressus sit. Et egressus seruus, &c. Et quis est iste qui à Domino egreditur, nisi qui Deum obliuiscitur? O miserabile damnum! ô infelicem sortem, à Deo egredi! Tota hominis vita, & beata, adhærere Deo est, inquiebat Psaltes, eumque prouidere in conspectu suo semper: denique vnum esse cum Christo, in Deo. Quantum ergo malum erit ab illo egredi? In hoc certè est damnum omne damnatorum. Sicut enim Sanctorum felicitas tota est, intrare in gaudium Domini: sic totum damnum est damnatorum, foras mitti. Nolite ergo sic à Deo obliuione beneficiorum egredi: sed mementote semper quinam estis, quæ talenta accepistis, & quia de his omnibus ratio est reddenda; & quomodo, item miseratione & remissione diuina omnes indigemus.

Quantum ad primum, omnes sumus conditione & natura serui. Sic dicitur in Euangelio, quod voluit homo Rex rationem ponere cum seruis suis, id est, nobiscum omnium bonorum Dei dispensatoribus & œconomis, seruis & ministris. Multiplex autem ratio est & titulus nostræ seruitutis. Prima, vt diximus, ratio est, quia natura & conditione tales sumus. Sicut enim Deus habet natura sua, vt omnium sit supremus & absolutus Dominus: ita homo vt sit seruus. Sic apud Isaiam: Formaui te, seruus meus es tu Israël, nõ obliuiscaris mei. Sic Dauid; Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Dominus Deus noster, nos autem populus eius. Illa autem seruitutis prima ratio à creatione pẽdet.

Multiplex ratio nostra seruitutis.

Isa. 44.

Secunda à redemptione, id est, non solùm natura & conditione, sed insuper pretio redemptionis, ita vt ad seruiendum fuerimus empti, & magno pretio empti, vt S. Petrus dicit; scientes quia non corruptibilibus auro & argẽto redempti estis, sed sanguine Agni immaculati Christi. Sic dicebat pariter Isaias: *Pro nihilo quidem venundati estis, & sine argento redimemini.* Homo venditus fuerat diabolo pro minimo & vili pomi pretio, quasi pro nihilo. Ecce autem redemit eum Dominus, non vili pretio, non corruptibilibus auro & argento, sed maximo pretio, videlicet sanguinis. Vnde sic Corinthiis declarauit Apostolus dicens: *Empti estis pretio magno*; magno equidem, quo iam nobili seruitute ad libertatem donamur.

1. Petr. 1.

Isa. 52.

1. Cor. 6.

Gloriosa nunc planè est nostra seruitus, qua nobis Christus pacificè præsidet. Primò, vt Rex ciuibus suis, Apostolo dicente; Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei. Secundò, vt pater filiis suis: propterea enim docuit nos ipsum patrem appellare, & sic dicere cùm oramus; Pater noster qui es in cœlis. Tertiò, vt amicus amicis, ipso dicente: Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia

Quibus modis Christus præsidet nobis.

Ephes. 2.

Ioh. 15.

quæcunque audiui à Patre, nota feci vobis. Denique vt Magister discipulis, eodem iterum dicente: In hoc clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Ecce quales serui sumus: & vt nihil omittam, etiam ad vitam æternam conducti. Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis. Ite, serui mei estis, quibus ad vsuram & fructum talenta mea dedi.

Quæ & quanta talenta nobis à Deo donata sunt. Matth. 25.

Ecce quantum ad secundum, videlicet commissionem talentorum. Sed quænam illa sunt, & quanta? Dicitur apud S. Matth. quod vni duo talenta dedit, alij quinque, alij verò vnum, vnicuique secundum propriam virtutem: hodie verò dicitur in Euangelio, quod cuidam misero debitori & seruo decem millia dedit & dimisit. Hic quæso admirari liceat magnitudinem, atque dignitatem hominis, cui Deus tot ac tanta tribuat: & ille heu! ea omnia vt prodigus dissipare & consumere valeat. Iam verò quæ sint illa omnia videamus. Decem millia sunt, quæ omnia naturæ & gratiæ dona sunt, naturalia, supernaturalia, cœlestia, terrestria. Primò, si consideremus terrestria, dedit homini mundum, & omnia quæ in eo sunt. Vnde sic Psalmista clamat: Domine, quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quia reputas eum? sic magnificas eum. Constituisti eum super omnia opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius. O verè talenta magna, & decem millia, quibus vtique homo fructum multum Domino suo afferre potest. Sed quis ille erit fructus? Regi sæculorum immortali Deo honor, virtus & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Magister Sent. in 2. dist. 1.

Magister Sententiarum conuenienti ordine finem hominis ita cõsiderata. Factus est, inquit, homo propter Deum, vt ei seruiret, & mundus propter hominem, vt homini seruiret. Positus est itaque homo in medio, vt ei seruiretur, & ipse seruiret; & sic vtrumque Deus acciperet, voluit enim sibi Deus ab homine seruiri, vt ea seruitute non Deus, sed homo seruiens iuuaretur, & mundus seruiret homini, vt similiter homo iuuaretur. Totum igitur bonum est hominis; & quod factum est propter ipsum, & propter quod ipse factus est, videlicet, propter Deum. Et de omnibus his reddenda ratio est.

Si secundò consideremus bona naturalia, Deus hominem homini dedit, ipsum sibi ipsi fecit, & non alteri ex omnibus creaturis. Corpus dedit ei admirabile, & miris distinctum organis, animámque omnibus suis ornatam potentiis: & de his ratio reddenda est. De cogitationibus, quia scrutator est cordium, & ipse qui capillos omnes enumerat capitis, vt non pereat vnus ex illis, id est, omnes cogitationes obseruat. De verbis item, & de omni otioso quod loquuti homines fuerint, &c. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, ait Psaltes, blasphemias, fabulas, nugas & detractiones. De operibus pariter. Ideo enim, ait Apostolus, nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit. Vnde ait S. Chrysost. Tanto studio vitam nostram instituere debemus, perinde ac si mox de omnibus verbis, operibus, cogitationibus, iudicandi essemus. Væ mihi quid faciam tunc cùm ad iudicandũ surrexerit Dominus? Implebitur illud in nobis, quod Iob ait: Si voluerit contendere mecum, non potero respondere ei vnum pro mille. Et pro decem millibus talentis heu! quid respondere ei poterimus?

Matth. 10. Matth. 12. Psal. 5. 2. Cor. 5. S. Chrysost. hom. 8. in Genes. Iob. 9.

A Si tertiò consideremus cœlestia, videbimus quia & ipsi Angeli ad nostram custodiam deputati sunt, omnes administratorij spiritus missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Sed quid addam, cùm & filium suum Deus vnigenitum homini dederit? ipso dicente in Euangelio: *Sic Deus dilexit mundum*, &c. Ita vt etiam cum eo quemdam adhuc nouum mundum homini dederit, videlicet Ecclesiam, vbi Sacramenta ei conferuntur, gratiæ, & omnia alia spiritualia dona. Quid denique aliud ei deesse adhuc poterat? nisi id quod rursus Apostolus dicit: Omnia vestra sunt, vos autem Christi. Omnia, & superiora, vt diuina: & æqualia, vt Angeli, quibus certè in cœlo pares erimus: & inferiora denique omnia, quæ subsunt nobis. Ita vt vnum tantùm nobis superesse videatur quod Christi sumus, id est, vt serui hæc illi omnia impendere debeamus ad maiorem gloriam eius. Propterea enim nobis vt talenta data sunt omnia, de quibus ideo ratio reddenda est. Ecce quantum ad tertium.

Iohan. 3.

B

Et oblatus est ei vnus qui debebat decem millia. Quis iste est vnus debitor, nisi vnusquisque nostrûm, qui decem millium talentorum se debitorem constituit? Vnus dicitur, quia solus homo relinquitur suo oneri portando, dicente Apostolo: *Vnusquisque onus suum portabit*. Quare vnusquisque? Vtique quia non aliorum virtutes nos sequuntur, sed nostræ operationes, iuxta illud Iohannis in Apocal. Opera eorum sequuntur illos. Et de his Dominus ponet rationem cum eis, id est, exquiret vsuram de talentis suis, vtrùm in Dei vsum, qui dedit ea, consumpta fuerint. Vnde si in obsequium diaboli, (quod Deus auertat) & minimè habeant vnde soluant, nulla tunc profectò pœna alia satisfaciet, quàm Inferni & æterna. Si quidem numquam Deus fructibus suis & debitis vsuris frustrari potest, qui nouit vnde solutionem accepturus est. Sicut enim est liberalis dando, ita summus exactor est rationem exigendo. Sed heu! quid interim tot talentorum debitor miser homo faciet, & qui, vt soluendo sit, nihil de se habet? Quid enim habes ô homo, quod non accepisti? Sed quidnam adhuc rerum omnium acceptarum tibi superest, omnibus sic dissipatis? Michæas dicebat: Quid dignum offeram Domino? numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo? fructum ventris mei pro scelere animæ meæ? Imò non sufficit, homo, pro vno tantùm satisfacere peccato, quanto minus sufficiet pro millibus? Quid igitur est faciendum? Ad Dei misericordiam est recurrendum.

Gal. 6.

C

D

Michææ 5.

Et hoc est quantum ad quartum & vltimum. Imitemur seruum nequam, qui procidens orabat dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ita & nos faciamus omnes, venite adoremus, & procidamus ante Deum: ploremus coram Domino qui fecit nos. Ad pedes Christi procidamus, & orantes dicamus vnusquisque ei: Patientiam habe in me, miserere mei, gratiam inueniam apud te, & omnia reddam tibi. Si enim mihi amicus fueris, quid non acceptabis in solutionem? Calix aquę frigidæ satisfaciet, solùm habe patientiam in me, & omnia reddam tibi. Vnde tibi, ô pauper, hæc soluendi fiducia? Decem millia talenta debes, si te tuaque vendas, nihil es, vermis es, & si peccator es, profectò nihil es, & non homo. Vnde ergo ista soluendi fiducia? Ex hoc patientiam habe, si enim aliquod misericordiæ & dilectionis signum ostenderis, nihil mihi denegare poteris, omnia acceptabis,

E

acceptabis,& sic omnia reddam tibi. Item omnia reddam tibi, quia memetipsum reddo tibi. Cùm enim se homo Deo subiicit, an non etiam dicitur omnia subiicere ei?Hęc vnusquisque dicat seruum nequam imitando,sed non nequitiam eius,crudelitate nimia à conseruo suo debitum suum exigentis, ne etiam cum eo accusatus apud patremfamilias tradatur tortoribus. Sic enim & pater vester cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Dimittamus ergo fratribus,vt remittat nobis Deus.

DE PRÆCEPTO IESV Christi, quo tenemur omnia Deo reddere.

Reddite quæ sunt Dei, Deo. Matth.22.

SI verborum horum Domini nostri IESV Christi pondus consideremus, video nihil nobis superesse,quod Cæsari,parentibus,& amicis reddere possimus. Dei enim sunt omnia : terra, & omnis plenitudo eius, sicut ipsemet in propheta dicit, meus est orbis terræ,& quidem summo iure. Nam si fecit nos & omnia,creationis iure ipsius sumus, & omnia. Propterea ergo reddite quæ sunt Dei, Deo,id est,Deo omnia. Verùm memor sum quod in Exodo Dominus constituit, vt si Iudæi primogenita sua illi offerrent, etiam statim relinqueret illis liberum dominium cæterorum. Ita dico hodie,quia reliquorum vsus liber nobis relinquetur, dummodo primogenita nostra Deo reddamus. Poterimus tunc,vt tenemur & debemus,& Cæsari,& parentibus, & amicis, proximisque reddere quæ ipsorum sunt. Sed in primis Deo primogenitum offerre & sanctificare debemus.Noster autem primogenitus amor est; hunc Deo redde, hunc enim exigit à te. Fili mihi præbe mihi cor tuum. Vnde in Deuteronomio tale pręceptum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Sic facito,& mihi crede,omnia reddidisti Deo,Cœlum,terram, & Angelos. Vnde? quia certè homo est omnis creatura. Igitur te da, omnem simul tecum dedisti creaturam. Christus Dominus dixit aliquando: Quæcunque habet pater,mea sunt.Reddit se patri, dicens ei : Nunc ad te venio; & rediens reddit ei, quæ accepit ab eo. Similiter omnia Deus subiecit sub pedibus nostris : vnde si nosmetipsos reddamus ei,nobiscum etiam & simul omnia reddimus ei,quæ subiecit nobis,vtpote terram,mare & quæ in eis sunt, aëra & cœlos, vt non etiam omittam Angelos.Omnes enim sunt administratorij spiritus, &c.

[Margin: Exod.13.] [Margin: *Amor primogenitus hominis, quē petit Deus.*] [Margin: Deuter. 6.] [Margin: Ioh.16.& 17.]

Videtur quod Deus fecerit omnes creaturas, velut flumen ingens quod validissimo impetu currit in obsequium hominis, vt sic perinde ac flumina ad suum mare redeant. Ita vt si nos Deo reddamus, flumen illud omnium creaturarum, velut alueus Iordanis, de quo in Iosue est sermo, in suum redeat principium, & sic impleatur mandatum; Reddite quæ sunt Dei, Deo. Sicut è contrà, cùm nos à Deo auertimus, etiam ei denegare videmur omnia quantum possumus: flumenque hoc creaturarum non amplius ad Deum, sed ad diabolum conuertimus. O quale

[Margin: *Omnes creaturæ currunt in obsequium hominis, vt per eū redeāt ad Deum.*] [Margin: Iosue 3.]

A facinus! Reddite quæ sunt Dei,Deo,id est,omnia. Cęsar,& alij quicūq; in potestate sunt & superioritate constituti, à nobis non omnia petunt, sicut Deus. Certissimum est posse eos aliquid exigere. Qui enim regna constituit, ius etiam regium determinauit,sicut hodie Christus dicit;Reddite quę sunt Cæsaris, Cæsari. Et sicut legitur libro primo Reg. hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis:Segetes vestras,& vinearum reditus,atque greges vestros decimabit,vosque eritis ei serui.Sicque tenemur illi, sicut adhuc omnibus aliis superioribus,cultum & obsequium præstare.Qui enim potestati non obtemperat, Dei ordinationi resistit, quia quæ à Deo sunt,ordinata sunt.

[Margin: *Iure exiguntur Regis à subditis.*] [Margin: 1. Reg.8.]

B Reddite ergo superioribus obedientiam, maioribus honorem,parentibus pietatem, amicis beneuolentiam, egentibus subsidium. Verumtamen non istis, sicut Deo eo modo ac ratione debemus; Deo enim debemus omnia,& non illis. Vnde sicut Deus natura sua omnium est absolutissimus Dominus,nos verò natura serui,fit etiam,vt nos,& ea quæ nostra sunt,id est,nobis subiecta,omnia denique Dei sint. Hæc enim seruorum & captiuorum ratio tota & conditio est, vt & ipsi, & quæ sua sunt, Domini sint. Quapropter reddite quæ sunt Dei,Deo;mementote & quæ accepistis, & à quo, & cuius conditionis estis. Præter omnia alia creata, corpus, cor,& animam, vt magis vobis intima, C à Deo accepistis. Reddite ergo quæ sunt Dei,Deo. Creata omnia illi reddite, bene vtendo, vt in illis Deum glorificetis. Corpus reddite in immolationem & sacrificium, vt numquam in eo peccetis, numquam in eo regnare peccatum permittatis, sicut vos obsecrat ad Rom. Apostolus. Cor exhibeatis illi ad dilectionem, vt in Deuteronomio dicitur : Nunc Israël audi, quid Dominus petit à te, nisi vt diligas eum ex toto corde tuo? Plenitudo enim legis, dilectio, ait Apostolus. Vnde Sanctus dicit Augustinus. Dilige, & fac quidquid volueris, quia cum dilectione nemo damnatur, & sine dilectione nemo saluatur. Præterea adhuc ei animam reddere debemus, scilicet conuertendo eam ad laudem,& gratiarum actiones. Sic Psaltes D dicebat: *Benedic anima mea Domino.* & sic B. virgo in Cantico suo: *Magnificat anima mea Dominum,& exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.*

[Margin: *Quæ homo tenetur Deo reddere.*] [Margin: Rom.6.] [Margin: Deuter.10.] [Margin: Rom.13.]

Præterea si consideremus adhuc quomodo hominem fecerit ad imaginem & similitudinem suam, quid videbimus quod exinde à nobis exigat, nisi vt reddamus quæ sunt Dei, Deo; animam reddamus, hac Dei imagine & similitudine insignitam? Reddit semper imago id cuius est imago. Totum enim me mea reddit imago. Igitur cùm anima sit imago Dei,Deum debet referre, non in parte,sed in toto.Vt immortalis,reddit quidem & repræsentat Deum immortalem; vt intellectualis, reddit intelligentem. Cur igitur in amore nō red- E det amantem? & quare non amat,sicut amat Deus? Sed heu! quantum sæpius peruertitur hæc imago? Ostendite mihi, ait Christus, numisma census, id est,ex operibus ostendite vos ad me pertinere, & quomodo iam redditis quæ sunt Dei,Deo.

Ad pretium & valorem nummi hæc tria requiruntur,imago Principis & Regis, superscriptio, & integritas.Quātum ad primum,iam portamus imaginem Dei, qui etiam ad eius similitudinem conditi fuimus : sed opus est vt in nobis rursus illa similitudo appareat,id est,imago gratiæ.Deus enim non solùm,vt diximus, creauit hominem ad imaginem

[Margin: *Tria necessaria,vt valor sit aliquis in homine per similitudinem numismatis.*]

ginem suam,sed etiam ad similitudinem,quæ consistit in gratia & dono iustitiæ.Quare dicit Apost. Sicut per peccatum portauimus imaginem terrestris:sic & portemus(per gratiam) imaginem cœlestis,id est, humiles simus, benigni & misericordes.In hoc enim est similitudo Dei, & imago gratiæ. Quantum ad superscriptionem. Est operibus monstrare se Christianum esse, vel sanctimonia vitæ descriptum esse in libro vitæ. Gaudete enim, ait Dominus, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.Quantum ad integritatem.Etiam illa requiritur, scilicet iuxta S. Iacobum, vt sitis integri,in nullo deficientes.Hic est census quem Deo reddere debemus.

1. Cor. 15.

Luc. 10.

Sed ô quot inueniuntur qui non Deo, sed diabolo reddunt? Quot qui seruientes Idolis numisma istud Dominicum adulterant,atque etiam mutilant, & accepta diaboli imagine, illam delent quę Dei est?Hoc quidem Ieremias plorabat dicens: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus,denigrata est super carbones facies eorum*?Notate obsecro, quia quot peccatis consentit anima, tot etiam in ea diabolus exprimit imagines. Est imago luxuriæ,iuxta Ezechielem dicentem:Fecisti tibi imagines masculinas,& fornicata es in eis.Est imago auaritiæ,& superbiæ, dicente Apostolo ad Rom.Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei,in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, vt facerent quæ non conueniunt:coluerunt & seruierunt creaturæ potiùs quàm creatori.Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum,& in desideria cordis eorum.

Threnor. 4.

Tot diaboli imagines in homine, quot in eo peccata.

Ezech. 16.

Rom. 1.

O quantū Deus detestatur, & abhorret istas degeneres imagines! Reuelatur ira Dei de cœlo, ait Apost.super omnē impietatem eorū hominū.Non vos prætereat,quæso,quod videns Deus imaginem suam sic fœdatam, eamq; non amplius agnoscens, dicet;Cuius est hæc imago?Superbiæ est,libidinis, auaritiæ & vanitatis. Detur ei,cuius est imago. O quàm tunc timendum est ne dicat, detur diabolo. O vos omnes in quibus diuina imago fœdata est, violata, corrupta, & fortè iam dirè lacerata, contendite nunc reparare illam,ne aliquādo certè vox illa vos perterreat; Cuius est imago? peccati est, diaboli est. Reddite quæ sunt peccati,peccato,& quæ sunt diaboli, diabolo. Ite maledicti,discedite à me operarij iniquitatis, in ignem æternum qui paratus est diabolo & Angelis eius.

Vultis ergo scire cuinam vnusquisque dabitur? ei,cuius imago fuerit. Vnde si in morte imaginem diaboli habueritis,& eam afferatis,tradet vos Deus & reddet diabolo,cui priùs dederatis. Si verò Dei imaginem habueritis, Deus assumet vos ad se, & vos reddetis quæ sunt Dei,Deo,ipso dicente;Reddite quæ sunt Dei,Deo. Quare nunc si in vita tua ô homo, infeliciter ac miserè dedisti te diabolo, accepta imagine & forma ipsius, antequam mors accedat, accede tu ad thronum gratiæ Christi, vt misericordiam consequaris in auxilio opportuno, & dic ei, & cum fiducia dic offerens te ei: Domine,cuius est illa imago quam dedisti mihi?Tua est, redde ergo eam tibi.Fœdaui eam, sed tu sanguine abluisti & reparasti. Eam ergo redde tibi,& refice quod per me defecit. Iam tua est, & tota tua est, non minus reparationis iure quàm creationis.

Vnusquisque in morte redditur ei,cuius imago extiterit.

Sic ergo fortasse existima nunc propter te litem non minimam esse inter Angelos & diabolos. Diaboli tentant te,& dicunt te esse ipsorum;sicq; conantur & pretendunt secum te ad Inferos locum tuum rapere.(Ita enim de Iuda dictum est in Act. Apost. quod miser ille abiit in locum suum.) E contrà,Angeli te suum esse exoptant, & ad hoc tibi seruiunt,atque in conspectu Dei astant. Quid ergo facies? Accede ô peccator ad Christum, ei ostendens animam tuam eius imagine insignitam, & dic ei:Domine,cuius est hæc imago? Si tua est, & dixisti vt reddatur tibi quod tuum est,potens es & vales nunc eam reddere tibi. Redde ergo tuam tibi,qui vis suum vnicuique dari.

Inter Angelos & diabolos lis orta propter hominem.

A

Ne graueris adhuc & illud audire, inter misericordiam & iustitiam Dei super te litem esse. Vult iustitia te peccatorem Inferno tradere: misericordia è contrà contendit te peccatis absolutum Deo reddere.Quid ideo agit illa?Deo offert filium suum pro te,nempe Christum,qui formam serui & peccatoris accepit, vt pro te solueret & satisfaceret peccatore; & dicit patri: Domine, cuius est hæc imago insculpta in filio tuo?Nonne est peccatoris? Christum ergo & filium peccatori redde, & per eum suscipe peccatorem, tibi eum redde,quem tibi acquisiuit suo sanguine. Verùm & vos qui adhuc Dei imaginem portatis,etsi peccatores,reddite obsecro,& citò,quæ sunt Dei,Deo.

Altera lis inter misericordiam & iustitiam Dei.

B

Vim verbi huius attendite aliquando;Cuius est hæc imago? Certè ex hac interrogatione & petitione videtur quasi pendere tota ratio & norma vitæ nostræ. Cùm tentaris, & contentio est inter vitium & virtutem,cuius eris,esto tu in ea lite Iudex,& dic statim; Cuius est hæc imago impressa animæ?Si Dei est,quare eam vitio & dæmoni tradam? Præterea caro,aut mundus nobis offert aliquid. Attendamus modò,cuius sit hæc imago. Si diaboli, diabolo relinquamus, & non animæ demus.Item offertur aliquid sanctum & pium, tribulatio offertur,crux & angustia.Quęre iam cuius sit imago.Si virtutis,aut Dei, arripe eam statim,vt Deo quod suum est,per te offeratur.Imitare Christum,abnega temetipsum,tolle crucem,& sequere in omnibus IESVM.

C

Lis inter virtutem & vitium.

Item vides coram te pauperem vulneribus plenum.Iam tecum cogita & perpende;Cuius est hęc imago?Christi est pauperis,atque in Cruce pēdentis.Quod si tunc ei viscera misericordię aperueris, reddidisti Deo imaginem suam.Similis enim Christo apparuisti & factus es miserias nostras dolenti, doloresque nostros & languores ex misericordia portanti.Fortè quidem tunc lis inter misericordiā & auaritiam erit.Illa iubebit nūmos recondi:hæc verò in pauperem erogari.Iudicem tunc Christum constitue,& dicet tibi:Pauper iste cuius est imago? Quid tu respōdebis?vtiq; Christi.Redde ergo quæ sunt Christi,Christo.Quæris quę sunt Christi?Cōpassio & misericordia.Redde ergo quę sūt Christi, Christo.Redde in paupere misericordiamChristo.

D

Item te offendit aliquis. Considera cuius ille sit imago.Certè Dei,certè Christi, cuius est misereri & parcere.Parce ergo illi,& in illo redde Christo, quæ sunt Christi,nempe misericordiam.Ipse enim est Deus misericors,qui ait:Discite quid est,misericordiā volo,& non sacrificiū. Qui ait:Beati misericordes,quoniam misericordiā consequētur. Qui ait:Date,& dabitur vobis.Dimittite,& dimittetur vobis. Qua mensura mensi fueritis,remetietur & vobis. Reddite vnicuique quod suum est. Quæ sunt Cæsaris,Cæsari.Quæ sunt proximi,proximo, parentibus quæ sua sunt, & quæ sunt Dei, Deo. Reddite, & reddetur vobis, in præsenti centuplum, & gloria æterna in futuro.

E

DE GRA

DE GRATIA SALVTIS & vitæ in Christo IESV.

Dicebat intra se: Si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero. Matth. 9.

INTER diuersa nomina quæ recenset Isaias, & dicit conuenire Christo IESV, primum omnium est nomen Admirabilis. Ideo certè quia Deus est, cuius opera omnia admirabilia sunt. Hinc Dauid miris Dei operibus subitò correptus sic exclamat dicens: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.* Euangelista noster rerum similium in Christo testis oculatus & scriba fidelissimus, tot simul hodie comprehendit & videt, vt omnino illis correptus dicat adinstar Psaltis, fama illorum plenam esse terram. Sic enim Euangelium suum concludit post enarrationem miraculorum eius: Et exiit fama hæc in vniuersam terram. Quasi diceret cum Psalmista: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos; magnificentia tua, id est, eleuata humanitas est & magnificata vsque ad cœlos, tot factis mirabilibus & multiplicatis miraculis. Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es. Psal. 8. Psal. 138.

Hodie verò non facta mentione præcedētium & subsequentium in Euangelio, duo nunc tantùm nobis simul admiranda proponuntur: sanitas hæmorrhoissæ mulieris, & resurrectio filiæ Principis, quæ eodem interuallo temporis acciderunt. Rogatus ab vno Principe, cuius filia modò defuncta fuerat, vt veniret, & manum suam super eam imponeret. Ecce dum surgens sequebatur eū, & discipuli eius, mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero. Quam etiam ex illa hora saluauit Christus, sicut statim post cùm in domum Principis venit, resuscitauit mortuam filiam eius.

In illo autem statu diuerso mulieris & puellæ, quę nobis diuersam peccatorum conditionem referunt, multa etiā notanda nobis occurrunt, vtraque enim suum mysterium habet. Et primò quantum ad infirmam. Hæc mulier sanitatem quærens, accessit ad IESVM, vt ad eum, quem pater æternus proposuerat propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, & cui omnem in cœlo & in terra potestatem dedit. Neque est enim aliud nomen sub cœlo à quo salus speranda sit. Sed quomodo accessit? retrò. Vbi reuerentiam & humilitatem aduertere est. Reuerentiam: sicut enim nemo saluatur, nisi qui honorificat patrem; ita nec saluatur, nisi qui filium honorificat, ipso dicente quoniam pater dedit omne iudicium filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant & patrem. Rom. 8. *Quid in hæmorrhoissa imitandum, quando ad Christum est accedendum.* Iohan. 5.

Secundò humilitatem ostendit, retrò accedens. Retrò, planè quia non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens. Vultus enim Dei est plerunque, ait Dauid, super facientes mala, vt perdat de terra

A memoriam eorū. Propterea igitur retrò; vtique adhuc, vt scapulis suis obumbret nobis, protegatque nos sub vmbra alarum suarum, & sub pennis eius speremus. Retrò, vt peccata nostra post tergum suum proiiciat. Retrò, inquam, vt adhuc per filium suum pater in nos respiciat. Si enim ego peccator faciē eius videro, non erit salua anima mea, ipso dicente in Exod. *Non videbit me homo, & viuet.* Sed è cōtrà, si per filium aspexero, saluus ero. Vnde non absque ratione dicebat Psaltes: Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui, filij tui. Si enim primò oculi eius irati contra peccata nostra respiciant, moriemur statim, atque peribimus. Sed si primò filium respiciant, & per ipsum nos à B tergo existentes respexerint, salui erimus; quia certè radij oculorum patris per filium transeuntes, mansuescunt, & ita mansueti ad nos perueniunt. Exod. 33.

Hanc igitur mulierem imitemur, & ad IESVM accedamus retrò, vt peccata nostra tegantur, & eorum obliuiscatur Deus. Salutem vestram, ait Apostolus, operamini cum timore & tremore. Et quidni paueant immundissimæ sordes coram oculis mundissimis? Quid verò peccato immundius? Retrò igitur accedamus. Sed tangamus etiam fimbriā vestimenti eius, vt in omnibus nostra appareat humilitas: humiles enim sunt omnes quos Deus ad se recipit & saluat. Illud satis videre est in prodigo filio, qui dicit: fac me sicut vnum de mercenariis C tuis; nec oculos audet leuare ad cœlū. Sic in Magdalena, quæ capillis capitis sui stans retrò pedes Christi tergebat. Sic ergo mulier hodierna quęrit à tergo tangere fimbriam vestimenti eius. Philip. 2. Luc. 15. Luc. 7.

Verùm quænā est illa fimbria vestimenti Christi, quam tangere oporteat? Audite, vestimentum Christi corpus est, fimbria vestis, passio eius est, mors eius est: fimbria, in qua tintinnabula summi Sacerdotis appensa sunt, meliùs clamantia quàm Abel. Ecce tintinnabula & voces: Pater ignosce illis. Hodie in paradiso mecum eris. Sitio. Consummatum est. Vnde quidem dixit Apostolus: Accessistis ad Testamēti noui mediatorem IESVM, & sanguinis aspersionem, meliùs loquētem quàm Abel: videte ne recusetis. Hic enim ad vindictam D clamat: sanguis autem Christi ad veniam. Ipsius mors clamat: Pater ignosce illis. *Quid per fimbriam vestimenti Christi intelligatur.* Heb 12.

Sed præter tintinnabula, etiam in fimbria huius vestis malogranata appensa sunt, insignia quidem nimiæ ipsius charitatis, qua nos in fine dilexit. Hanc igitur fimbriam vestimenti Christi, anima quæ cupit sanari, tangat: afferet certè certissimum, atque præsentissimum remedium & solamen languoribus nostris. Sed quomodo illam tanget? dicetis. Respondeo, Ecclesiæ Sacramentis, in quibus illa mors & passio Christi continetur: vnde si illa infirmi tetigerimus, protinus sanabimur. Nam, vt Theologi docent, ex attrito, id est, ex infirmo, contritum faciunt, id est, omni ex parte E sanum. Sicque ex illis, de Christo exit in nos virtus sanitatis. Quis me tetigit? ait Christus: ego enim noui virtutem de me exiisse. Non se retinet virtus & gratia Christi, quin se in spiritum & corda contritorum effundat. Vt enim natura non patitur esse vacuum: ita nec virtus Christi vacuum humilem esse sinit. Quis me tetigit? ait Magister. Inquiunt discipuli eius, turbæ te comprimunt, & dicis, quis me tetigit? Mirantur illi quod compressus à turbis hoc dixerit. Forte quia à multis quidem oppressus est, & vnius tantùm contactum sensit: sustinet multos Christus cōprimentes *Per Sacramenta tangimus Christum.* Luc. 8.

ſe, affligentes ſe, interim tacet nihil dicens. Verùm loquetur tandem aliquando vt parturiens, & quaſi Leo rugiet.

Quid igitur hodie admirantur in eo diſcipuli? quod à turbis compreſſus dicat, quis me tetigit? Sed magis mirarer ego ſi id non dixiſſet; imò miraculum eſſet ſi id non diceret. Neq; enim de eo virtus exiit ad nos omnes ſanandos, aut exire debuit, niſi variis atq; acerbis torméntis cõpreſſo corpore eius. Ita enim apud Iſaiã dicit: *Torcular calcaui ſolus.* Nónne ideo dignũ erat, vt de ſe vinum & virtutem ſentiret exire? Ego noui virtutem de me exiiſſe. Quænam fuit illa virtus? Gratia per IESVM Christum, qua fluxus exſiccatur ſanguinis, qua vetus homo & corruptibilis renouatur in interiori homine, & fit nouus. Siccato enim eiuſmodi ſanguinis atq; peccatorum noſtrorum profluuio, alius ſtatim fons, ſcilicet ſanguinis & meritorum Christi, in nos effluit, dicente Apoſt. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*; qua diffuſa, etiam fons alius fit in nobis ac flumen aquæ ſalientis in vitam æternam. Hoc autem Dominus vult vt agnoſcamus, & ſcientes cui & quantum debeamus, ipſi demus gloriam, atque magis in eo confidere incipiamus. Vnde ſtatim atque ſanata eſt mulier illa, accerſitur, & accedens procidit ante Christum, glorificans, & omnem veritatem dicens, ob quam cauſam tetigerit eum, indicauit coram omni populo, ſicut optimè notauit S. Lucas.

Iſa. 63. — Rom. 5. — Luc. 8.

Hic quidem bene exprimitur conditio peccatoris ſanandi & ſanati. Qui primò, ſicut iſta mulier, tremens ad Christum accedere debet, iuxta Apoſtolum qui dicit: Veſtram ſalutem cum timore operamini. Deus enim eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Timor initium ſapientiæ eſt. Secundò, debet ad pedes Christi procidere, id eſt, coram Sacerdote, qui Christi vices gerit, & tunc dicere omnem veritatem, ſua peccata, atque infirmitatem confiteri: agnoſcere item ſe hactenus ambulaſſe in tenebris, & in vmbra mortis, vanitatem dilexiſſe, & quæſiſſe mendacium; vt iam omni derelicta vanitate, & pondere peccatorum, profluuióque concupiſcentiarum ſanato, perfectè ſe conuertat ad Dominum, procidat ante Christum & adoret: vt in eo tãdem verificetur quod dicit Apoſtolus: *In nomine* IESV *omne genu flectatur.* In hoc ſiquidé opere locus ille Pauli videtur impleri, id eſt, in peccatore ſic ſanato & procumbéte coram Christo. *In nomine* IESV, ait Apoſtolus, *omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum.* Homo ex ſe eſt terreſtris, per peccatum infernalis, per gratiam verò fit cœleſtis. Ideóque per prophetam dictum eſt: Coram ipſo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Arabum & Saba dona adducent. Nam qui priùs Æthiops erat, inimicus Dei, & obtenebratus peccatis, illuminatus gratia, incipit Rex eſſe, donaque ampliora ferre, quàm poteſt tota Arabia dare, ſcilicet, contritionis, laudis, gratiarum actionis, & confeſſionis.

Quid facere & imitari debeas peccator ad Christum accedens. — Philip. 2. — Pſal. 71.

Sed quid exinde futurum eſt, niſi certè quod audiet ille à Deo quod audiuit mulier? Quid? Confide fili, fides tua te ſaluum fecit. O miram laudem & ſupremam! Aduertite quæſo, peccator, ſicut mulier, ſanitatem ſuam & ſalutem adſcribit tactui fimbriæ Christi, & gratiæ eius, Dominus verò confeſſioni noſtræ ac fidei. Confide, inquit, fides tua te ſaluum fecit. Vnde hoc? Iam

A myſterium animaduertite aduerſus Lutherum, atque huius tempeſtatis hæreticos, qui dicunt nos nihil efficere in opere iuſtificationis. Non eſt quidem ita: ſed ſicut gratiæ Dei ſanitas debetur, ita etiam fidei & confeſſioni noſtræ quæ eamdem operatur. Fons ſalutis quidem gratia eſt: noſtra autem per gratiam adiuta cooperatur ſaluti operatio. Vnde laudat mulier illa Christum, & Christus illam laudat, vt agnoſcatis quomodo Deus & homo in iuſtificationis opere mutuò & ſimul concurrant. Atque ideo ſponſus & ſponſa ſe mutuò, atque inuicem laudant in Canticis. Illa enim dicit: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, & ego illi, inter vbera mea commorabitur, B vt videlicet eius contactu ſanetur ſponſæ pectus. Et ſponſus reſpondens dicit illi: Ecce tu pulchra es amica mea, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum. Quis eſt ille oculus? fidei eſt per dilectionem operantis. Sponſus igitur dicit illi, tu pulchra es: & ſponſa pariter repetit; Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Acſi dicat: Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam; nempe cùm ſponſa, quæ anima eſt, non ſolùm ſponſi tactu ſanitatem recuperat adinſtar hæmorrhoiſſç mulieris, ſed etiam adinſtar puellæ emortuæ, vitam manuum Christi impoſitione, atque clamore valido ingeminatæ vocis eius.

Quomodo contra hæreticos cooperetur homo in opere ſuæ iuſtificationis. — Cant. 1.

Quare nunc ſecundò in reſurrectione huius C puellæ, duo adhuc obſeruaſſe Christum aduertimus. Manum ſuam operatricem omnium impoſuit ſuper eam, tenuitque manum eius. Tenuit manum: quia non ſunt relinquendi homines, vt agant quæ voluerint, ſed planè eſt cohibenda noſtra manus, vt in manu Dei omnia reponamus. Præterea opus eſt vt clamet geminata voce; Puella tibi dico, ſurge, quia qui in peccato mortuus eſt, nimis profundè dormit, nec niſi voce grandi & forti excitatur, & reuocatur ad vitam. Vnum fiat Deus dixit, cùm eſſe & naturalem vitam dedit rebus: ſed cùm quæſtio eſt de eſſe & ſupernaturali vita, voce grandiori & geminata opus eſt. Illam ergo audiamus omnes, vt cum puella reuocati ad vi- D tam, in nouitate vitæ & ſpiritus ſicut illa ambulemus. Statim enim ambulat illa, omnibus viribus receptis, vt, iuxta Theologos, agnoſcamus, reddita gratia animæ, omnes etiam ſtatim reddi virtutes (quæ amiſſæ fuerant) ad perfectam conſequutionem gloriæ.

Duo Christus obſeruat in ſuſcitanda puella.

DE SIGNIS VLTIMI Aduentus Christi, & mundi occaſus.

E

Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet. Matth. 24.

CHRISTVS IESVS non niſi dolorem & tribulationem hodie repræſentat. Magnus quidem ille dolor eſt & acerbus, qui matrem occidit quæ parturit. Nunc parit mundus noſter, ſed cum tanto dolore, vt illo ſit breui moriturus. Ingemiſcit, eo quod æternitatem expectat, & iam parturit. Ita ſcribit ad Romanos Apoſtolus: Scimus quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit Rom. 8.
vſque

vsque adhuc. Omnis creatura, id est, mundus. Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri, (id est, resurrectionem in fine & occasu mundi.) Vnde apparet quomodo nunc mundus in expectatione est & dolore partus, ab eáque maledictione nullus excipitur; *In dolore paries.*

Quomodo omnis creatura diuersimodè ingemiscit expectans æternitatem.

Sed quid expectat, aut parturit mundus, vnde doleat? æternitatem. Et iusti ingemiscunt illam expectantes, & reprobi pariter; sed heu! quanto differentiùs ab illis, quibus quidem erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet? Quibus, vt ita dicam, cum tanto dolore mundus æternitatem parturiet, vt inde sit moriturus, & finem accipiat. Legimus quod Rachel moritur dum minimum Benjamin parturit, ita vt iam egrediente anima præ dolore, & morte imminente, vocauerit eum Benoni, id est, filium doloris mei: pater verò Benjamin, id est, filium dexteræ. Quid sibi vult in hoc infantulo, qui nascitur, illa altercatio nominis? Ille filius dexteræ, est æternitas. Nam in Dei dextera longitudo & æternitas temporum. Et ecce Rachel moritur in partu filij dexteræ: sic mundus finem accipiet & morietur in ipso ortu æternitatis. Item, minimè Christus fuit in partu Ecclesiæ, à dolore & morte exemptus: imò tantus fuit in Cruce, vt ipsum quidem tunc parturientem nos oppresserit, occiderit.

Gen. 35.

Quibus modis Christus nos genuit.

Gal. 4.

Sed vultis modum diuersum scire quo genuit nos? Audite Apostolum, & quid dicat: Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, (ecce quomodo natus de virgine genuit nos per gratiam,) factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus. Quotquot enim receperunt eum, ait S. Iohannes, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Vnde rursum ait Apostolus: Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem, Abba pater. Ita vt, sicut ad Rom. dicit, quicunque eius spiritu aguntur, ij sint filij Dei. Si quis verò spiritum Christi non habet, hic non est eius. Neque enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. Ipse enim Spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro quod sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt & conglorificemur. In Cruce enim fuit, in qua propriè nos genuit filios æterni patris, & in qua sustinens partus dolores, mortuus est, mortem subiit, vt vitam daret mortuis. In ipsius ergo natiuitate & morte, partus nostri sustinuit dolores. Vagit infans inter arcta conditus præsepia, clamansque in Cruce voce magna, expirauit.

Ioh. 1.

Certè neminem video ab hac eximi maledictione Euæ; *In dolore paries.* Soláque virgo summum paritura filium, in partu quidem summos visa est dolores euasisse. Neque enim tunc illi conueniebant, quæ à maledictione Euæ, & à lege eius immunis erat ex priuilegio gratiæ. At certè quos euasit in præsepi, iuxta Crucem non euadere potuit, vbi animam eius pertransiuit doloris gladius. Illa igitur beata virgine in partu suo exempta, hæc Euæ maledictio omnes implicat. Etiam complexa est Christum nos parturientem in Cruce sub forma & similitudine carnis

Quomodo Christus maledictionem Euæ passus est, quando nos verbo & morte genuit filios Dei.

A peccati, quam assumpsit ex nobis, non solùm factus homo, sed etiam filius hominis, de virgine natus, vt nos nasceremur ex Deo, sed per dolores & passiones Crucis, in qua pro nobis factus est maledictum & peccatum, ait Apostolus, id est, pœnas & dolores sustinuit peccatorum nostrorum, & maledictionis Euæ, vt nos parturiret Deo. Item genuit nos verbo veritatis, dum in terra nobiscum conuersatus est, aperiens os suum, quæcunque audiuit à patre nota fecit nobis, prædicans Euangelium regni Dei, gratiam & pœnitentiam in remissionem peccatorum, dans sanitatem infirmis, panem famelicis, & mortuis vitam. Sed quomodo ista peracta sunt? In laboribus,
B contradictionibus, iniuriis & persecutionibus quas sustinuit, etiamque Crucem, confusione contempta. Ecce quibus ipse Dei filius subiectus fuit doloribus, quando voluit nos denuò parere Deo, & filios eius constituere.

Quomodo mundus in ortu æternitatis patietur, & quis dolores.

Similiter dico de hoc mundo, qui in partu suo, Euæ maledictionem non euadet: vbi enim in fine temporum instans aderit æternitatis, & quasi de tenebris exoriri illa lux magna voluerit, tunc certè patietur mundus mortis suæ angustias; eritque tunc, sicut Dominus ait, tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque certè in posterum fiet. Erit enim tribulatio vltima, tribulatio mortis. Dolores mortis omnium
C quidem maximi sunt. Quare etiam Christus hodie occasum mundi & mortem narraturus, dolores describit, & præcedentes, & comitantes & subsequentes; omnes denique, vt talis tunc certè tribulatio appareat, qualis non fuit, neque fiet.

Tribulationes præcedentes finē mundi.

De singulis itaque aliquid dicamus. Quantum ad dolores præcedentes, iuxta Euangelium ij sunt. Seductio multorum à falsis prophetis venientibus in nomine Christi. Et qui isti sint, videre est satis, hæretici sunt. Item opiniones & seminaria præliorum, Regnorum, & gentium diuisio & seditiones, fames & pestilentia, motusque terræ per loca. Sed nondum erit finis: hæc solùm
D sunt initia dolorum. O quanti tunc dolores erunt, & qualis finis erit, si talia initia erunt! Totus mundus certè tunc in maligno positus erit, omniumque radix malorum fructus suos tunc proferet. Audientur homicidia, mutua odia & proditiones; particularia mala sunt quæ tunc aduenient & sequentur. Iniquitatis abundantia & extinctio charitatis. Denique pro abominatione desolationis quæ à Daniele dicta est, profanatio diuini cultus, aduentus Antichristi & persequutio. O quibus tunc monstris totus orbis scatebit!

Quibus malis plenus est mundus.

Sed numquid iam talis est mundus? Ipse enim pater est Antichristi, thesaurus errorum, semi-
E narium præliorum, locus pestilentiæ & famis, fidelium afflictio, odium Christianorum, iniquitatis scaturigo, fomes peccati, gelu charitatis. Siquidem abundans hodierna & nostra iniquitas manus Dei ligat, & impedit ne largiatur charitatem multis, adeò verum est quod Dominus dicit; *Vbi abundabit iniquitas, ibi & refrigescet charitas multorum.* Sicut enim abundantia bonorum operum Deum promouet, vt larga manu suas opes effundat: ita iniquitatis abundantia, & licentia ipsum quasi mouet & cogit, vt manus suas contrahat. Talium ergo origo & consummatio malorum in fine suo mundus erit,

Quomodo abundantia peccati manus Dei retrahit.

cum dolore atque angustia: suos enim in morte sua dolores habebit & insultus, extremitatis eius proximæ, & iam iam vrgentis prænuncios.

Tribulationes comitātes finem mūdi.

Item tribulationes erunt comitantes, circumstantes vndique, & ita prementes, vt dicat Christus hodie; Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Erit tunc tribulatio tanta, sicque vrgens, vt qui in tecto, tempus non habeat, nec otium, descendere, & tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuerti tollere tunicam suam. Vnde sicut fulgur exit ab Oriente, & in instanti paret vsque ad Occidentem: ita erit tunc aduentus filij hominis ad vniuersi huius Iudicium. Quæso comparationem perpendite. Dicit fulgur, & non fulgura in plurali; vt intelligatis quia tempore breuissimo, & quasi inopinato, implebitur mundi iudicium: & vt iam vigiletis, quia nescitis diem, neque horam. Sicut fulgur, in instanti apparebit & veniet. Item fulgur rutilat & paret à nubibus tenebrosis. Quod indicat Christi aduentum tenebroso & tristi tempore futurum. Nam quod etiam noctu adueniat, ipse testatur in parabola dicens. Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit; sed sponsus furore plenus, inexorabilis, & qui ianuas claudit. Sed adhuc qui inopinatè venit, & dum dormimus: sic enim dicit Apostolus ad Thessalonicenses, quoniam hic dies Domini sicut fur de nocte veniet. (Sicut fur, notate.) & ad Corinth. in ictu oculi, in nouissima tuba.

Quàm velox erit aduētus Christi ad Iudicium.

Matth. 25.

1. Thessal. 5.

1. Cor. 5.

O breue & triste, sed inopinatum tempus! Illud hodie comparare Dominus voluit cum diebus Noë, in quibus diluuium factum est, dicens: Sicut in diebus Noë, ante diluuium, erant comedentes, & bibentes, nuptui tradentes, &c. & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis. O inopinatum & triste tempus! Verùm cum hac tristitia, quodammodo tamen ex Euangelio lætor, & consolatione aliqua afficior, quod nempe, nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro. Verùm etiam, dicit Christus, propter electos breuiabuntur dies illi, vt videlicet tandiu desiderata eorum felicitas non prolongetur diutiùs; sed gaudeant videre se tam subitò raptos in nubibus obuiam Christo in aëra, cui summè vniri exoptant. Vbi enim fuerit corpus, dicit hodie Christus, illic congregabuntur & Aquilæ. Corpus Christi, corpora beatorum trahet ad se, eo modo quo Aquilæ subleuantur in cœlum. Hic enim ostenditur, quod sicut instrumentum gratiæ & meritorum Christi, eius fuit humanitas: ita erit eleuationis corporum; eo quidem adhuc modo, quo odor allicit aues ad locum, vbi cibus & esca earum est. Nam sicut Diuinitas cibus animarum est, quo rapiuntur illæ; ita & corpus Christi, corporum cibus erit beatorum, quo & illa rapientur adinstar Aquilarum: vt item dotes adhuc eiusmodi corporum beatorum ibi demonstrentur, nempe, agilitas, leuitas, &c. Aquilæ enim inter alias aues admodum agiles sunt: etiam & nobilitate præstant, vt reginæ aliarum, clariores cæteris, quæ in Solem oculorum aciem erigere possunt: vt sic ostendatur quia Christus quidem Sol Iustitiæ est, ad quem iusti veluti Aquilæ aspicient & eleuabuntur.

Ideo ergo Christus hodie dixit, quoniam propter electos breuiabuntur dies isti, vt scilicet salua fiat omnis caro Sanctorum. Et in hoc, respectu eorum aduentus Domini, mundique occasus ratio est gaudij: sicut è contrà quantum ad reprobos, tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet. Vnde? Equidem propter hunc formidabilem aduentum, atque præsentiam Iudicis, quem venientem visuri sunt in nubibus cœli cum virtute multa, potestate magna, & majestate, sedentem super thronos, & mittentem Angelos suos, qui separabunt malos de medio iustorum, vt hos mittant in caminum ignis, electos autem omnes congregatos simul in cœlum & regnum Dei perducant.

Quomodo respectu Sanctorum Aduentus Christi, & Iudicium mundi ratio est gaudij.

Quare ab apparitione signi eius, plangent mali simul cum vniuersis tribubus terræ; terræ dico, & non cœli, timoreque horribili turbabuntur in subitanea in illis morte generis humani. Sic enim loquitur hodie Christus: Tunc parebit signum filij hominis, & plangent omnes tribus terræ; postquam in tribulatione dierum illorum mundi iam iam morientis dolores enarrauit, sic dicens: Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur. Ecce quidem, & iam sunt signa mundi interitus: signa & testimonia quia in suo est fine atque deliquio. Sicut enim cùm quis moritur, oculi suam lucem amittunt, effluit aluus, & statim diuersis motibus atque repetitis concutiuntur omnia membra: ita certè tunc erit cùm finem accipiet mundus, sicut modò atque ordine commemorauit Dominus.

Heu! si Cœlum iram huius Iudicis descendentis non poterit ferre, sed obtenebrabitur statim, fluxumque stellarum suarum patietur, quomodo peccator sustinere poterit? & adhuc cùm sic omnem creaturam ad vltionem inimicorum armabit? O me miserum, qui tunc videbo Creatorem ipsum contra me armatum cum omnibus creaturis! Acuet enim, vt in Sapientia legitur, duram iram in lanceam, induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium, sumet scutum inexpugnabile, æquitatem, armabit creaturam ad vltionem, & pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos. Et sicut ait Psaltes, ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Sap. 5.

Verùm vndenam in Iudice isto tanta ira, cuius proprium est, misereri semper, & parcere: & alienum, irasci, condemnare, & punire? Audite nunc, quia certè peccata nostra Deum quasi amouent à natiua sua pietate, ideo ad punitionem venit non lubens, sed quasi inuitus & tristis, & sic dolore tactus, irascitur, omniaque horrore & tristitia replet. Audite iterum. Sicut moriente Christo, Sol & Luna lumen suum amiserunt, omnisque terra commota est: ita conuenit, & oportet genere humano moriente in impiis, etiam dolere omnem creaturam, ipsumque Christum iustè illis indignationem suam & iram ostendere ex perditione ipsorum, pro quorum salute venerat, effuderat sanguinem, & vitam dederat.

Cur & quomodo Deus puniētio irascitur.

Sed cur adhuc in Cœlo tunc Crux & signum apparebit filij hominis? Vt sciant similiter ad confusionem suā impij, quomodo Christus honorem restituit Cruci, quē abstulerat mūdus, & quomodo decepti

Cur Crux in Cœlo apparebit quomodo veniet Christus.

decepti sunt peccatores. Sicut enim cum angustia spiritus videbunt inter Sanctos computari & filios Dei, quos aliquando habuerunt in derisum & similitudinem improperij: ita Crucem, quam existimauerunt stultitiam & scandalum, stellis multo splendidiorem videbunt. O rerum omnium mutationem! ô adorandam Dei potentiam & sapientiam, qui mundi horrorem, facit beatorum honorem & lætitiam! In Cœlo tunc Crux apparebit, vt nimirum veluti gladius flammeus ante paradisum collocatus præuaricatores eius ab ingressu arceat: vt clauis verò quæ ianuam huic piorum multitudini aperiat. Et fortè illa est clauis Dauid, quæ vbi aperit, nemo claudit; & vbi claudit, nemo aperit.

Gen. 3.

Apoc. 3.

Ideo ergo Crux in Cœlo erit, vt aduertamus Cœlum Cruci & amatoribus Crucis deberi. Dignum est enim, vt qui in terra coluerunt Crucem militantes, in Cœlo regnantes eius lætentur aspectu. Dicebat S. Apostolus adhuc in terra: *Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri* IESV *Christi.* Nonne ergo dignum est, vt in eadem in Cœlo glorietur? Mater quæ genuit beatos, Crux est, pectus quod lactauit, Crux est. Dignum est ergo matrem quæ filios Cœlo donauit, extra Cœlum

Gal. 6.

Laudes & merita Crucis.

A non collocari. Igitur quantum ad beatos, conueniebat illis Crucem apparere in cœlis, quando ad iudicandum veniet filius hominis.

Verùm etiam & quantum ad Christum istud etiam congruum est. Nam & Crux igneus ille currus fuit, qui mysticum Eliam nostrum de terra ad Cœlum sustulit, vbi est sedens ad dexteram majestatis in excelsis. Quid igitur mirum si ad valuas remaneat Cœli? Item, cùm duces capta vrbe triumphant, in summa arce signum victoriæ constituunt. Quid ergo mirum erit, si Christus capta arce Cœli, Crucem signum & vexillum victoriæ in Cœlo collocet?

Sed vltimò audite. Tunc apparebit, & nunc adhuc quotidie nobis ante oculos apparet, vt iam intelligatis, quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Verumtamen multis hodie contemptui est & horrori: sed in fine apparebit oculis in gloria, & seruabitur in excelsis post procellas huius extremi diluuij. Nam sicut arca Noë, postquam homines seruauit ab aquis diluuij, super montes Armeniæ fuit collocata: ita Crux erit in Cœlo collocata, postquam nos ab aquis & diluuio huius sæculi nequam seruauerit, & ad portum pacis ac quietis perduxerit.

B

Ad maiorem IESV *Christi gloriam.*

MYSTERIA SACRA
QVÆ IN ECCLESIA
CELEBRANTVR.



MYSTERIA SACRA QVÆ IN ECCLESIA CELEBRANTVR.

DE AVGVSTISSIMA ET INEFFABILI Natiuitate IESV Christi.

Natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Luc. 2.

SALVATOR noster IESVS Christus natus ab æterno de patre, hodie in terra, vbi venit plenitudo temporis, nasci voluit de virgine, & qui inuisibilis erat in splẽdore suæ Diuinitatis, visibilem nobis se præbuit in nubilo nostræ humanitatis. Ecce enim *verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Sed cuius fulgor & gloria majestatis non potest comprehendi. Generationem seu Natiuitatem eius quis enarrabit? Hanc Natiuitatem dico, in qua qui in principio erat absque initio, in patre & intra se conclusus, sumens ex virgine initium, ad nos venire dignatus est, & fieri Emmanuel, nobiscum Deus. *Natus est enim vobis hodie Saluator*, dicunt Angeli, *qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid.* Hanc ergo Christi ex virgine matre sine patre Natiuitatem, factam in tempore, quis enarrabit? quis dicere & explicare poterit, quomodo in nouissimis temporibus dignatus est Dei filius sic nostram assumere naturam, vt non mutauerit suam, integro semper Diuinitatis suæ statu permanente in homine? Nam qui hodie nascitur homo de virgine, non amisit quod erat in patre, sed idem Deus mansit qui erat in principio. Talis est gloria hodiernæ Natiuitatis, in qua Diuinitatis seruatur & perseuerat splendor, atque æqualitas in humilitate humanæ generationis: in qua Deitas non minoratur cùm infirmitas assumitur, & plenitudo ipsa Diuinitatis quasi exinanita in suscepta forma, similitudine, & substantia hominis, tamen eadem mansit, & semper æqualis.

Ioh. 1.

Sanctus Augustinus hunc diem Natiuitatis Christi miro modo comparat cum exordio nascentis mundi, animaduertens quod sicut sub ipso principio hominem fecerat Deus ad imaginem & similitudinem suam; nunc in hac die, quæ est temporis plenitudo, mutata vice factus est Deus ad imaginem & similitudinem nostram. In primo de suis nobis contulerat meliora, & in secundo de nostris suscepit inferiora: in primo dedit nobis imaginem & similitudinem suam, & in secundo accepit nostram. O admirabile commercium!

Aug. Ser. de Natiui. n. 1.

A Creator generis humani, canit Ecclesia, animatum corpus sumens, de virgine nasci dignatus est, & nostræ factus humanitatis particeps, largitus est nobis suam Deitatem. In hoc equidem, notat Sanctus Augustinus, agnoscere debemus pij patris admirabilem bonitatem. Homo, inquit, sollicitante inimico, Deus esse voluit per superbiam: & Deus homo factus est per misericordiam. Vbi adhuc & innouatur in nobis quodammodo per Christi Natiuitatem species illius antiqui & incipientis sæculi, quando primus Adam de limi materia figuratur; & nunc etiam secundus Adam quasi de B intacta terra virginis de carne formatur, nouusque homo in nouam vitam solo Deo operante perficitur. *In Christi Natiuitate innouatur species & similitudo incipientis mũdi.*

En itaque in quo admiranda planè & noua est illa Christi Natiuitas, per quam verbum Dei caro factum habitauit in nobis, Deus homo factus est, & apparuit nobis, & qui in principio & apud patrem erat, de virgine natus est in plenitudine temporis. Nunc ergo ostendamus quotuplex sit magnitudo in hoc nouo cœli & terræ miraculo. Triplicem esse inuenio, tam ex parte æterni patris, quàm matris virginis, & omnium simul creatu- C rarum. Prima excellentia, seu magnitudo huiusce Natiuitatis potest in primis considerari ex parte virginis, de qua hodie Christus natus est, in ea enim eius maternitas impleta est. Iam quidem à primo instanti Incarnationis cœpit esse mater Dei; sicut statim atque ipse in ea conceptus est, etiam natus est, & perfectus homo in ea factus, vt dixit Iosepho Angelus; *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est:* quomodo etiam Sancta Elisabeth ante partum eam salutauit matrem Domini. Nondum tamen illa completa fuit maternitas, nisi postquam D natus est ille, qui Dei vnigenitus etiam voluit esse filius virginis, & matrem habere in terris, qui æternum patrem habebat in cœlis. Tunc enim in illum ius matris per gratiam obtinuit, quando sibi subditum habuit, & commissum suæ curæ, atque nobili custodiæ. *Triplex magnitudo & excellẽtia Natiuitatis Christi.* *1. In qua impleta est maternitas virginis.* Luc. 1.

O sublimitas & humilitas simul nascentis, qui creaturæ & virgini ius in Deum confert, atque dominium tanquam matris in filium suum, non amissa, sed permanente semper dignitate & gratia

ancillæ & nutricis! Lacta mater cibum nostrum, exclamat S. August. lacta Christum,& Dominum nostrum, lacta panem de cœlo venientem, & in præsepi positum velut piorum cibaria iumentorum. Ecce hodie Bethleem, maximè propter eum, explicatur & dicitur domus panis. Lacta virgo eum qui talem fecit te, vt ipse fieret in te, qui tibi & munus fœcunditatis attulit conceptus, & donum virginitatis non abstulit natus; qui sibi antequam nasceretur,& vterum de quo nasceretur,& ciuitatem in qua nasceretur, & diem in quo nasceretur, elegit. Ecce igitur dies ille exoptatissimus, dies quem sibi elegit & fecit Dominus, dies natalis Domini, dies in quo de creatura sua creator omnium procreatur, & de riuulo suo fons viuus oritur, fons sapientiæ verbum Dei in excelsis: dies in quo hac Natiuitate noua innouantur omnia, virgo mater efficitur,& Deus homo nascitur: in quo innouatur cœlum & terra, sed in quo terra efficitur cœlum ditam, præsepe solium efficitur majestatis & gloriæ, in quo Rex regum,& Deus summæ potentiæ in vestitu paupertatis & humilitatis nostræ sedet: quò & ipsum adoraturi descendunt Angeli, pastores accurrunt, & veniunt ab Oriente Magi. Hæc si quidem omnia signa & testimonia fuere Deitatis huius qui nascitur in Bethleem infantis: licet omnium illud sit maximum quod sit de virgine natus. Et hæc est Natiuitas quæ perturbat omnem cogitationem humanam. Nam quando admittit ratio generationis, sicut dicit Sanctus Augustinus, vt verbo concipiens, virgo post partum permanens videatur; filius videatur, & integritas inuiolata seruetur? Hoc non potest implere quilibet natus homo; ille autem potuit, quia non erat solùm homo, sed Deus & homo, qui propterea voluit nasci homo, quia perierat omnis homo.

S. Aug. Ser. 21. de temp.

In Natiuitate Christi omnia innouantur.

Serm. in Vigilia Natiu.

Primum itaque miraculum magnum huius mediatoris atque singulare, illud fuit, quod sic natus est. Solus enim de virgine natus est, quia solus de Spiritu sancto conceptus est. Ecce primum miraculum. Acceperunt ab illo discipuli vt facerent multa & magna miracula, & fecerunt: nec tamen quispiam prædicatur, aut creditur de virgine natus, aut de Spiritu sancto conceptus, nisi ille vnus, qui & Dei filius est & hominis filius: Dei filius de corde patris: hominis filius ex vtero matris. In quo vtero spiritales nuptiæ celebratæ sunt, Deus coniunctus est carni,& caro adhæsit Deo, vt esset vnus Christus qui ex illo processit velut sponsus de thalamo suo. Ad cuius etiam nuptias commota vniuersa exultare visa est creatura. Angelorum chorus pacem denuntiat hominibus, quia qui erat Dei filius factus est hominis filius, suscipiens quod non erat, non amittens quod erat: & pastores hoc exultantes Euãgelio accurrunt; cœli operante ipso sponso nouam stellã producunt, vt lumen verum sedentibus in vmbra mortis natum nũtiarent. Vnde & statim ad nuptias & spõsum Magi ab Oriente vocati venturi sunt, & sua munera ei offerent.

Verùm priusquàm ad considerationem excellentiæ huius sanctæ Natiuitatis descendamus, quæ tam ex parte Angelorum, quàm hominum accipitur; transcendamus adhuc altiùs, mentem nostram leuemus,& vsque ad æternum patrem transferamus, vt iam quid noui, quid magni in illa Natiuitate aduenerit ex parte ipsius, admiremur. Illud si quidem mirabile accidit, quod Deus pater dominium tunc accepit in filium suum, quod minimè antè propter æqualitatem Diuinitatis habebat, & sic quodammodo in eo diuina

A completa est paternitas quæ ius obtinet in filium; eumque iam respicit non vt æqualem tantùm, sed etiam vt subditum sibi. In Christo namque duplex est Natiuitas,& gemina Dei & hominis substantia, vnde potest dici minor patre, & illi æqualis, sicut Apostolus ait: *Cum in forma Dei esset*; ecce æqualitas, *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*; ecce inferioritas. Si ergo ipsum in diuina & æterna generatione atque substantia consideres, filius est apud patrem & cum patre æqualis, æternus cum æterno, & qui nulla temporis, & nulla ætatis lege concluditur, nulla denique differentia loci & temporis. Si verò in susceptione carnis & humanę substantię consideres, iam qui in forma Dei est æqualis, in hac forma serui minor est, minor non solùm patre, sed etiam Angelis: æqualis cum patre creans Angelos, æqualis cum patre homines faciens, æqualis cum patre nouum mundum constituens, & minor patre perditum reparans: æqualis cum patre vitam largiens æternam, minor patre mortem suscipiens nostram, corpus mortis, & subditum infirmitatibus nostris.

2. Magnitudo, seu excellentia Natiuitatis Christi ex parte æterni patris. Phil. 2.

B

Quomodo Christus intelligatur minor patre & æqualis.

Quem itaque credis in Diuinitate patri æqualem, hodie in hac Natiuitate & susceptione hominis seu carnis nostræ conspicis minorem. Loquatur quæso vt Dei filius & patri æqualis. *Omnia, inquit, quæcumque habet pater, mea sunt.* Nihil hic relinquit, dum omnia dicit. Cum patre habet omnia, id est, vnius Deitatis potentiam, substantiam, majestatem, aliasque omnes diuitias, quas (etsi pauper in hoc stabulo) in gloria Diuinitatis suæ habet. Neque enim in hac carne nostra rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, id est, æqualitatem Diuinitatis possidere per naturam, quam rebellis Angelus assumere voluit per rapinam; Christo enim etiam in hominis substantia debetur, vt sit filius Dei naturalis & patri æqualis. Quæso adhuc loquatur vt Dei filius. *Ego*, inquit, *& pater vnum sumus.* Loquatur iterum, licet etiam Crucis ligno sit affixus. *Amen dico tibi*, ait latroni qui pendebat cum illo, *hodie mecum eris in paradiso.*

Ioh. 16.

C

Phil. 2.

Ioh. 10.

Luc. 23.

Ecce Diuinitas Christi, & quomodo cum patre est æqualis, sed nunc quomodo illo minor est in homine, eique subditus, videamus. Hic ergo loquatur vt filius hominis. *Pater*, inquit, *maior me est.* Quandonam hoc dicit? hodie cùm infans nascitur, cùm in præsepio ponitur, cùm pannis inuoluitur, cùm sugit & pendet ad vbera matris. O verbum da verbum. *Pater*, inquit, *maior me est.* Hoc vtique dicit verbum quod caro factum est,& habitauit in nobis: hoc Dei filius dicit in susceptione nostræ carnis; hoc dicit quando fleuit, quando esuriuit, quando sitiuit, quando lassatus est. *Pater maior me est.* Hoc dicit, quando in Bethleem natus est, passus in Hierusalem, & extra portam in medio latronum crucifixus est: tunc vtique dixit; *Pater maior me est.*

D

Ioh 14.

E

Verùm etiam adhuc vt filius hominis locutus est, cùm ipse de se in Euangelio dixit: *Filius hominis non habet vbi caput reclinet.* O Domine IESV, etiam hodie natus non habes, cui etiam in diuersorio locus non est: vnde & præsepe non abhorruisti, nec præsepium in quo positus es. Quidnam est hoc Domine? nisi ratione nostri voluisse minorari paulominus, non dicam solùm ab Angelis, sed etiam cunctis hominibus, & dicere, tu qui in Diuinitatis gloria æqualis es; *Pater maior me est.* Talia similiter dixit, cùm in horto Gethsemani

Luc. 9. & Matth. 8.

Ps. 8.

Matt. 26. & Luc. 22.

semani orans & factus in agonia, dicit. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, tristis est anima mea vsque ad mortem. Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Hoc vtique cùm dixit, simul etiam dixit; *Pater maior me est.* Quod & in Cruce repetens etiam morte sua consignauit. *Pater*, inquit, *vt quid dereliquisti me? In manus tuas commendo spiritum meum.* Ecce igitur quomodo Dei filius minor patre suo factus est in hac assũptione & proprietate nostræ carnis, qui ei obediens factus est vsque ad mortem, mortem autem Crucis.

Phil. 2.

Verùm quantum adhuc in huiusce Natiuitatis statu apparuerit gloriæ eius profunda exinanitio, seruitus, & abiectio diuinæ Majestatis, attendere operæpretium est, qui ideo venit vt omnis obedientiæ iura persolueret, sicut ad Hebræos Apostolus dicit, quia impossibile est, sanguine taurorũ & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mũdum dicit: Hostiã & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi, holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt, nec quæ secundum legem offeruntur. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me: vt faciam, Deus, voluntatem tuam. Ecce quam ob causam filius Dei natus est, & venit in hac humili forma nostræ carnis, scilicet vt decentiùs vtiliúsque nobis adimpleret voluntatem patris, nobis hic præbens exempla omnis iustitiæ. Vbi enim maior potest esse humilitas, maior charitas, maior patientia, maior benignitas, & gratia? Hæc ipsa siquidem est quam Apostolus tantopere commendat, hodieque exponit dicens: *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri.* & rursus: *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei.* quia certè nusquam magis apparuit. Sed vbinam adhuc maior potest esse paupertas, derelictio, contemptus, & omnium huius mundi rerum abnegatio, quàm ea quæ in hac Natiuitate admirabili conspicitur? In qua, qui gloria Diuinitatis suæ resplendet in cœlo, sedetque super Thronos & Cherubim, hic inter animalia in fœno iacet, pannis inuolutus, & positus in præsepio.

Heb. 10.

Ps. 39.

In Natiuitate Christi omniũ extãt exēpla virtutum.

Ad Tit. 2. & 3.

Verùm ostendamus interea, quomodo in hoc abiectionis & humilitatis statu nihil amisit majestatis & gloriæ, qui natus est hominum Saluator, & Dominus Angelorum. Cum Angelo hodie pastoribus magnum huius Natiuitatis euangelizante gaudium, facta est multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Vnde quæso tale Euangelium exultationis in ore Angeli, nisi quia qui nasci voluit Saluator hominum, etiam natus est Rex omnium Angelorum? Quamobrem in cœlo hac die solemnitas natalis Domini celebrata est simulatque terra majestate Domini repleta est, totaque militia cœlestis gloriam dedit in altissimis Deo, dum annuntiat in terra pacem hominibus bonæ voluntatis. Et hæc est tertia excellentia quæ in hac Natiuitate reperitur, in qua Dei filius factus homo, primogenitus omnis creaturæ, caput, Rex, & Dominus omnium Angelorum atque hominum cõstituitur. Et certè minimè dubitari potest, ipsum tũc in omnem creaturam nouum ius accepisse, nouum dominium: Angelos agnouisse statim ab illo dependentiam suam, & tenere omnia. Nam & hoc præceptum illis in eo instanti factum est, sicut Apostolus animaduertit dicens: *Et cùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Hodie introductũ & natum adorauerũt omnes. Et facta est multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo. Quare gloria in excelsis in hoc statu abiectionis, in hac forma paupertatis? Vtique quia nullum est opus quod magis gloriam Deo reddat, quàm Incarnationis & Natiuitatis IESV Christi, quo non solùm terra, sed etiam cœlum omni laude repletur & gloria.

Luc. 2.

3. Excellẽtia Natiuitatis Christi ex parte omnis creaturæ.

Hebr. 1.

Opus Incarnationis plus cæteris gloriã Deo reddit.

Propterea igitur facta est multitudo militiæ cœlestis in terra, vt puerum hodie nobis natum agnosceret cœli & terræ conditorem & Dominum: & profiteretur, ante Apostolum, qui vt audiret illa arcana verba, & enarraret nobis, raptus est vsque ad tertium cœlum, quod cõstituit Deus pater ad dexteram suam IESVM Christum in cœlestibus, in altissimis, super omnem principatum, potestatem, virtutem, dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. & omnia subiecit sub pedibus eius, vt in nomine IESV omne genu flectatur cœlestium. Hodie flectunt qui eum adorant omnes Angeli Dei, & vt ei se suaque subdant, de cœlis in Bethleem descenderunt. Sed quare descenderunt? quia eorũ certè primum mobile erat in terris. Primũ mobile mouet & rapit omnes cœlos; & Christus qui est primogenitus omnis creaturæ, & primum mobile omnium, in quo viuimus, mouemur & sumus, in Bethleem natus rapuit ad se Angelos. En ad illum attracti vt adorent, & cognoscant quia ipse est omnis esse, motus, & vitæ principium, fons gratiæ, causa & origo omnis gloriæ.

Ephes. 1.

Christus comparatur primo mobili.

Act. 17.

Descenderunt ergo vt in nomine eius, & coram eo omne genu flectatur cœlestium: & pariter pastores venerunt festinantes, vt omne genu flectatur terrestrium. Quomodo etiam mox venturi sunt ab Oriente Magi & Reges cum muneribus suis adorare eum: hos stella præuia ducet, & illos hodie custodientes vigilias noctis super gregem suum, claritas Dei circumfulget, & iuxta illos stans Angelus, gaudio præuenit & consolatur dicens. *Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator.* Magnum vtique gaudium quod nobis annuntiari possit, est Christi Natiuitas quæ nobis facta est. Non enim sibi, sed nobis natus est; non Angelis, sed natus est nobis: dicam, & mihi natus est, quia ad salutem hominum natus est.

Natiuitas Christi magnũ gaudiũ quod nobis annuntiari possit, & vnde.

Venite omnes, adoremus, & procidamus ante eum, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius. In conspectu & nomine eius, omne genu flectatur terrestrium, dicam modò, & infernorũ, quia Saluator & totius mũdi Redemptor natus est. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Pax quidem in terra, quia in ea cum Deo nostra in Christo reconciliatio facta est. Sed absolutè & absque restrictione pax, quia & cum Deo, & cum Angelis, & cum proximis, & cum nobismetipsis facta est. Sed interim illa dicitur & annuntiatur hominibus bonæ voluntatis, quoniam quod maximè in terris postulat & quærit, est cor rectum, seu voluntas bona, beneplacens & perfecta hominis.

Quare pax in terra promulgatur ab Angelo.

DE CIRCVNCISIONE & nominatione IESV Christi.

Postquam consummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius IESVS. Luc. 2.

S.Ber.Serm. 3. de circũc.

Quid sit circuncisio. Rom. 4.

MAGNVM & admirabile sacractamentum ac mysteriũ est in circuncisione Christi. Sic S.Bern. de hoc mysterio loquẽs in admirationem & stuporem rapitur, dum circunciditur puer, & vocatur IESVS. Nam quid sibi vult ista connexio? Circuncisio magis saluandi quàm Saluatoris esse videtur, illudque antiquæ legis Sacramentuntum, fidei signum est in remedium culpæ originalis, figuratiuum nostri baptismatis, & quo Iudæi distinguebantur à Gentilibus. Sic enim Abraham dicitur accepisse signum circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei. Ecce quid est circuncisio, peccati indicium simul & superfluitatis. O Domine IESV, ait S.Ber. quid in te superfluũ est quod circuncidatur? Quid facitis modò circuncidentes eum? Ecce abbreuiatum in carne verbum audieramus & videramus: hodie mirabilius aliquid audimus; amplius enim abbreuiatur suscepta etiam carnis circuncisione. Illa die minoratus est paulo minus ab Angelis, Dei filius humanam naturam induẽs: hodie mirabilius aliquid audimus, cùm planè multo minus minoratus est ab eis, quando non solùm formam hominis induit, sed peccatoris, non respuens remedium humanæ corruptionis. Item quando fuit à Iohanne baptizatus, signa aliqua Diuinitatis apparuerũt, similiter in morte, hic autẽ minimè. Quidnam enim est circuncisio, nisi peccati indicium? O magnum humilitatis exemplum! Nã, vt cũ illo dicam Doctore Sancto, ad quid illa tibi necessaria est Domine IESV, qui peccatum non commisisti, nec contraxisti? Quod ipse non feceris, ætas manifestat; quod non contraxeris, multo certiùs probat patris Diuinitas, integritas matris. Est enim tibi pater ab æterno, sed Deus est, in quem non cadit peccatum. Est & mater ex tempore, sed virgo, nec parere potuit incorruptio corruptelam. Super omnia hæc circunciditur puer, Agnus sine macula, etsi non eguit, tamen voluit. Magnum humilitatis exemplum! Nullum habens vestigium vulneris, alligaturam nõ refugit. Non sic impij, nõ sic. Non sic Domine, nõ sic agit peruersitas humanę nostrę elationis, erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum gloriamur, & qui peccatum non fecit, non dedignatus est hodie se peccatorem reputari. Sine necessitate remedia & verecunda, & austera peccati suscipit, quæ non rapuit patienter exoluit, qui venerat facere, & non suscipere purgationem peccatorum. Nos autẽ inuerecundi ad peccatum, erubescimus pœnitẽtiam; proni in vulnera, verecundi in remedia. hæc S.Ber.

Nulla necessitas Christo circũcisionis, nisi ad humilitatis exemplum.

O magnum humilitatis Christi exemplum! Sed ô maius charitatis eius sacramentum! Et quid mirũ si pro nobis nõ dedignatur circuncidi, pro quibus dignabitur mori? Totus siquidem mihi datus, & totus in meos vsus expensus est, datus in exemplum, datus in remedium, & in liberationem expensus. Quare S.Ber. Ser. 3. post verba plurima hac fictione vtitur & exemplo, dicens. Ego captiuus audiens quia transiret ante carcerem filius magni

Ber. Ser. 3.

A Regis, cœpi gemere, & altiùs clamare: fili Dei miserere mei. At ille sicut benignissimus; Quisnam est, inquit, iste fletus & vlulatus quem audio? Dicunt ei. Ipse est proditor Adam, (seu iste Adami filius) quem pater tuus trudi fecit in carcerem, donec cogitet quibus illum suppliciis faciat interire. Quid tunc ageret? Sed quid nunc egit ille cuius natura bonitas, & cui proprium est misereri semper & parcere? Descendit priùs in carcerem, & venit vt educat vinctum de domo carceris. Ante paucos dies celebrauimus aduentum eius in carcerem huius mundi, id est, diem Natiuitatis: nunc verò, scilicet hodie, diem quo catenas & vincula nostra suscepit. Nam hodie qui peccatum non fecit, vt reos absolueret, innoxias manus catenis eorum inse-
B ruit: hodie sub lege factus qui legem dedit. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus,* &c. Et rursus: *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri* IESV *Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, & sectatorem bonorum operum.* Verè apparuit tunc gratia Dei omnibus hominibus, quando vt nos de peccato redimeret, notam peccati accepit.

Galat. 4. ad Tit. 2.

Vnde nũc mihi datur occasio vt cum S.Aug. in Medit. exclamẽ. Quò nate Dei, quò tua hodie descẽdit humilitas? quò tua flagrauit charitas? quò tua processit pietas? quò excreuit benignitas? quò tuus attigit amor? quò peruenit compassio? Ego iniquè
C egi, & tu pœna mulctaris. Ego inobediens extiti, & tu obediens inobedientiæ meæ scelus luis. Et in Manuali rursus ad patrẽ conuersus, sic ait. Et nónne est hic, mi Domine, innocens ille, quem vt seruum redimeres, filium tradidisti? Ita equidem, ille est ipse, qui amore nostri seruis suis factus est similis, & propter nostra delicta vulneratus est; hodie adiungamus, amore nostri circuncisus est.

S. August. Medit. c. 7.

Manual. c. 21.

Nam & hodierna solemnitas simul compassionis Christi plena est, & dilectionis. Compassionis, vbi nos redimit à malis, illa patiendo pro nobis. Hodie certè assimilari voluit fratribus, vt misericors fieret, dolores circuncisionis sustinere, vt cõpateretur nobis. Hodie, inquam, fuit misericors &
D miserator Dominus. Dilectionis etiam plena est, cùm noluit hunc primum diem anni præterire, quin exhibuerit nobis acceptabile & gratissimum munus, scilicet effusionẽ sui pretiosissimi sanguinis. Et nos igitur eamdem erga ipsum compassionem & dilectionem habeamus. Compassionem, quia pro nobis hodie patitur. 1. Petr. 4. *Christo in carne passo, vos eadem cogitatione armamini,* scilicet, vt vbi non potest esse corporalis passio, saltem sit in mente compassio. Et certè numquam ostendit pater rigorem suæ iustitiæ, sicut in effusione sanguinis filij sui, vbi etiam apparuit summa misericordia. Interim quod magis notum est, iustitia est. Sic Paul. Rom. 3. dixit quod filium suum Deus propo-
E suit propitiationem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ, &c. Et S.Ber. in die Nat. Domini, sic ait. Consideratione remedij, periculi mei ęstimo quantitatem. Sanus mihi videbar, & ecce mittitur filius virginis, filius Dei altissimi, & iubetur occidi (circunciditur,) vt vulnerib. meis pretioso sanguinis eius balsamo medeatur. Agnosce ô homo quã grauia sunt vulnera, pro quibus necesse fuit filium Dei & Dominum tuum pati. Agnosce ô homo dilectionem istam, vt simili erga ipsum te dilectione geras. Istud namque festum amoris solemnitas est, & circuncisio amoris & charitatis.

In circuncisione ostenditur compassio Christi & dilectio.

In circũcisione rigor iustitiæ ostenditur.

Rom. 3.

S.Ber Serm 3 de Nat. Domini.

Circũcisio solemnitas amoris.

Legitur in Genesi quod Sichem amore Dinæ filiæ Iacob passus est circuncidi, vt eam in sponsam

Gen. 34.

Exod.4. sam assumeret. Ita hodie Christus, &c. Similiter in Exod. animaduertitur, quod Sephora Moysi dixit: Sponsus sanguinum tu mihi es. Sic hodie Christus amore nostri (humanitate eius sanguinem passa circuncisionis,) dicit animabus nostris: Sponsæ sanguinum vos mihi estis. Sanguinis eius effusio semper aliquod ingens eius amoris insigne fuit erga nos. Sic hodie, vbi fundere incipit adhuc in infirmitate, dicens, pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea. Sic in horto, vbi in agonia factus est, & sudor sãguineus apparuit, eratque super terram decurrens. Sic in prætorio, sic in Cruce. Vnde S. Bern. Super omnia te mihi reddit amabilem, ô bone IESV, opus nostræ redemptionis, & sanguis quem pro nobis fudisti.

Bern.

Quare adhuc & plena exultatione est hæc nostra solemnitas, in qua tali effusione sanguinis arrham habemus nostræ redemptionis. Vnde cantare nobis licet hodie Domino, & cum Ecclesia dicere: Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Quare? quia dum circunciditur puer, fit Saluator, geritque nomen quod est super omne nomen, scilicet IESVS. *Postquam consummati sunt dies octo, vt circũcideretur puer, vocatum est nomen eius* IESVS. Meritò sanè dum circunciditur puer qui natus est nobis, vocatur Saluator; inde enim salutem nostram operari cœpit, immaculatum pro nobis effundens sãguinem. Neque iam opus est Christianos quærere cur Dominus voluerit circuncidi, siquidem propter hoc circũcisus est, propter quod & natus, & passus est. Nihil horum propter se, sed omnia propter electos. Vocatum est nomẽ eius IESVS: vocatum, quia non fuit illi impositum, sed ei erat innatum. Tale enim ab æterno nomen habebat, quia à natura vt Saluator esset habebat.

De nomine Iesu.

Verùm mouet quæstionem S. Bern. cur Isa. post multa Christi nomina, hoc vnum singulare tacuerit. Etenim dicit S. Doctor hunc prophetam velut alterum Abraham exultasse, vt diem hunc videret, vidisse quidem, & exultasse cùm sic gratulabundus loquitur. *Puer natus est nobis*, &c. *& vocabitur nomen eius Admirabilis, Cõsiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Ecce, ait, magna quidẽ nomina: sed vbi est nomẽ illud quod est super omne nomẽ, nomen IESV, in quo omne genu flectitur? Fortè, inquit, in omnib. istis effusum inuenies. Propterea enim sponsa dixit in suo Cantico amoris; Oleũ effusum nomen tuũ. Oleum quidem, quia mel in ore est, & iubilus in corde. Effusũ autẽ, quia in omnib. aliis nominibus inuenitur. Ita vt illa omnia nomina à propheta enarrata, ad illud vnum reducantur quod est IESVS. Alioquin nec ille IESVS esset, si non omnia illa haberet, & si eorum aliquid ei deesset. Vnde sub hoc IESV nomine ista omnia sunt, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, & Princeps pacis.

Cur Isaias non loquutur de nomine Iesu. Isa. 9.

Sub nomine Iesu comprehenduntur alia.

Admirabilis. Admirabilis quidem dicitur ima copulans supremis, exaltationẽ in humilitate ostendens; in circũcisione, quæ est nota peccati, gloriã & signum redẽptionis. Vnde Paul. ad Phil. dicit; humiliauit semetipsũ, propter quod & Deus exaltauit illum. In quo exaltauit? dedit illi nomẽ, &c. Sed vbinã adhuc est Admirabilis? In vnione hypostatica, etiam in Eucharistia, denique in potenti & familiari mutatione voluntatũ, vbi repentè peccatores in iustos conuertit. Hæc sunt mira quæ quotidie operatur in nobis: vnde & vocabitur nomẽ eius Admirabilis.

Phil. 2.

Consiliarius. Item Consiliariũ se exhibet in suis Euangelicis cõsiliis. Sed præterea Deus est, cui peccata dimittere

Deus. competit. Sic enim paralytico, & sic Magdalenæ, & multis aliis remissa sunt. Nemo autem illa potest dimittere nisi solus Deus. Sed quid præterea cùm & in Actis dicitur, quia non est aliud nomen sub cœlo in quo oporteat saluos fieri credentes? Ecce Deus. Sed ecce adhuc quomodo est fortis. Audi Paulũ: Omnia possum, inquit, in eo qui me confortat. Et de omnibus Apostolis dicitur, discipulis, & martyrib. quia ibant gaudentes contumeliã pati pro hoc nomine IESV. Etiã est Pater futuri sæculi, quia per eum resurgemus in immortalitatem, sicut ait: *Ego sum resurrectio & vita*, &c. Vide igitur quomodo nihil illi deest. Sed nonne adhuc est Princeps pacis, qui sic nos reconciliauit patri, vt cùm essemus inimici & peccatores, pro nobis sanguinem & vitam dederit? Vnde iam dicit Paul. Rom. 5. *Iustificati ex fide pacẽ habemus ad Deũ per Dominum nostrũ* IESVM *Christum*. Et ille vbique proclamat pacem. In mundo pressuram habebitis, inquit, (notate,) in me autẽ pacem. Vnde pax vobis, nolite timere, pacem meam do vobis, pacẽ relinquo vobis. Princeps pacis. Ecce certè quomodo nomina omnia continet nomen IESV. O nomẽ super omne nomen! Benedictus qui venit in nomine Domini. Qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Rorate cæli desuper, aperiatur terra, & germinet Saluatorem, IESVM. Dicite ô filiæ Sion, dicite omnes animæ iustæ, optamus te Domine IESV, oleum enim est effusum nomen tuum.

Fortis.

Pater futuri sæculi.

Princeps pacis.

DE EPIPHANIA, ET gloria Domini nostri IESV Christi.

Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Matth. 2.

NON sine causa simulatque Christus natus est, reuelatus fuit ab Angelis, & ab hominibus requisitus, vt ipsum dignis & congruis honoribus excipiant. Postquã Rex Regnũ sibi, superato hoste, redemit, à suis honorificè receptus, in illud gloria plenus & majestate ingreditur. Ita Christus veniens in mundum, foras eiecturus hostem & principem tenebrarum, cum honore, & gloria à suis exceptus est. Agnouerunt Angeli, & pastores, & hodie Reges terræ ab Oriente venerunt Ierosolymam, dicentes; Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Mirabilis hæc interrogatio. De eo qui dicit Ierẽ. 23. *Ego cælum & terram impleo*, inquiritur, vbi est? Vide ergo magnitudinem Saluatoris, quomodo in toto orbe diffusa est. Ascende cœlos, & vide quomodo cœlestia replenit: descende cogitatione in abyssum, & vide eum illuc descendisse. Si mundum intuearis, considera opere suo impletum. Magnus Dominus, & magnitudinis eius non est finis, & tamen inquiritur, vbi est? Item de eo qui ab æterno generatur à patre, & Dei verbum est, dicitur hodie, qui natus est. Denique is cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, is per quem Reges regnant, & quem pater excelsum posuit præ Regibus terræ, vt dicit Psaltes, fecitque Regem magnum super omnes populos, tantùm hodie quæritur vt vnius Rex populi, qui Rex Iudæorum dicitur.

Similitudo.

Admirabilis interrogatio.

Ierem. 23.

Equidem mirabilia hæc sunt, videlicet cuius regni non erit finis, dicitur Rex Iudæorum. Qui

 filius

filius Altissimi est æternus, dicitur, qui natus est. A Et quem laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, & in conspectu cuius omne genu flectitur, quæritur, vbi est? Verum de te, Domine, Isaias dixit cùm ait: *Tu es Deus absconditus Deus Israël*; vbique es, & de te quæritur, vbi est? Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymã dicentes; Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius, & venimus adorare eum. Adorare veniunt, quia Deum quærunt, & sic vbique præsentem quærunt. Quomodo ergo dicunt, vbi est, qui vbique per essentiam, & per potentiam præsens est? Nam, vt dicit Sanctus Gregorius, sic est intus, vt extra sit, sic circumdat, vt penetret, & sic præsidet, vt portet.

Isa. 45.

Ecce igitur vbique præsentia eius, & per essentiam, & per potentiam; & tamen dicunt, vbi est? Verùm quia hanc infinitam Majestatem suam in infirmitate carnis abscondit, & in homine nobiscum Deus absconditus permansit, ipsumque talem quærunt vt adorent, & dicunt, vbi est? Respondeamus eis, & dicamus: O Magi, in terris visus est in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Sed de loco qui abscondit ipsum, quærunt, cùm dicunt, vbi est qui natus est? Quare ostendamus illis, cum propheta Michæa dicentes: Venite, ascendamus ad mõtem Domini, & ad domum Dei Iacob. Et tu Bethleem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israël. Herodem igitur hodie relinquamus, hunc turbatum Regem, & Ciuitatem commotam cum illo. De genere gentium sumus, de quibus Michæas; Properabunt gentes multæ, & dicent: Venite, ascẽdamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, scilicet Bethleem. Properemus igitur qui hunc Regem gloriæ suscepturi sumus, & cum Magis Regibusque ascendamus: sicut enim illis, ita & nobis Rex natus est. Vidimus stellam eius, & quod natus sit, nobis innotuit. Iam vbi sit inquiramus.

B

Mich. 4.

Cant. 1.

Christus quærẽdus est vbi inueniamus.

Sponsa hoc vtique modo dicebat quærens: *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes.* Ita sit nobis omnis nostræ vitę ratio inquirere natum Regem, & inuenire. Ac primò in Nazareth, qui dicitur floridus, & immaculatus, conceptum inueniemus. Secundò, natum in Bethleem, quæ dicitur domus panis, ideo certè quia fructuosus nobis fuit eius ortus. Tertiò denique morientem in Hierusalẽ, quę dicitur visio pacis, inueniemus; quia eius occasus nobis fuit pacificus, illiusq; passione ac morte recõciliati sumus. Verùm natũ hodie inquiramus, & dicamus cum Magis; Vbi est qui natus est Rex Iudæorũ? in Bethleem terra Iuda. Transeamus ergo vsque Bethleem, neque nos terreat turbatus Herodes de nouo Rege nato. Herodes turbatur, ait. Petr. Chrysol. quia nasci non vult prophanus Deum, seruus Dominũ, reus Iudicem, rebellis Principem, perfidus cordium cognitorẽ. Et S. Leo. Stultè times, ô Herodes, velis nolis, regnabit in cœlo & in terra. Stultè times, nõn venit te perdere, qui venit peccatores saluos facere. Et similiter S. Aug. Herodes turbatur. Et quid faciet tribunal iudicãtis, cùm superbum Regẽ cuna terrebat infantis? Quid faciet ad dexteram patris sedens, quem Rex impius timuit adhuc lactantem vbera matris?

Commotio Herodis.

Sic turbatur Herodes successorẽ timens; sed magis turbatur diabolus, Inferni spoliationẽ timens, iuxta eũdẽ S. Aug. dicens. Quis est iste, cui nato totum cœlũ radio stellæ lætioris arridet? cui famulantur Angeli, & exultantes gaudia annuntiant? nouitatem hanc non intelligo. Quid agã? quò me vertam? fortè Deus iste est, quem nullum delictum maculare potest. Sic & totus Infernus turbatur cum eo, sicut tota Ierosolyma cum Herode commota est, quæ tunc summè lætari debebat, iuxta illud Zachariæ: *Lætare captiua filia Sion. Ecce Rex tuus venit.* Verùm qualis dominus, talis & seruus eius: & qualis rector Ciuitatis, tales sunt habitãtes in ea. Vnde Chrysol. dicit. Turbatur Ierosolyma cũ suis Principibus & Scribis. Hæc est causa: Ierosolyma varia se contaminatione perfuderat; Sacerdotes profanauerant sancta; Scribæ scientiam salutatem in suum sensum & perfidiæ lapsum commutauerant. Hinc est quod Christum nolunt nasci, viuere timent. Semel enim vitiis sauciati, de venia nihil sperabant, quia de correctione nihil cogitare poterant. hæc ille.

Zach. 9.

Commotio Hierusalem.

Chrysol.

Et fortè adhuc conturbantur præ confusione, quod scilicet ab alienigenis Regis sui Natiuitatem accipiunt, quem tunc certè iuxta scripturas nasciturum scire debebant, & tamen nesciebant. Quare dicit Psaltes; *Conturbati sunt & commoti sunt sicut ebrius, & omnis sapiẽtia eorum deuorata est.* Quare ad se postea reuersi locum designarunt Natiuitatis, sc. Bethleem Iudæ; sic enim scriptum est. Vnde eamus & nos cum Magis illis in Bethleem, non quidem propter Iudæos qui nunc locum demonstrant, sed propter istius prophetiæ veritatẽ, & splendorem stellæ, quam vidisse Magi nobis annuntiant, & vidimus cum illis. Stella enim ista, stella est noui Regis, quæ & ipsum nobis demonstrat, ac locum vbi natus est; stabat enim supra vbi erat puer.

C

Verùm dicet aliquis, quomodo per stellam Dei incarnati manifestata est Natiuitas? Optimè equidem insinuabatur per eã Incarnationis mysterium. Nam sicut non possumus inspicere Solem in se, sed in stellis quæ radium eius recipiunt; stellæ enim lumen suum habent à Sole: ita Diuinitatem in se videre nemo potest. Et ratio est quia, ex S. Paulo, lucem habitat inaccessibilem. Quare Deus corpus humanum induit, vt in illo lumen Diuinitatis videretur, & vt dicam, in stella videretur. Sic enim Apoc. vlt. ait; *Ego sum stella matutina.* Vnde fuit cõueniens vt per stellam hodie manifestaretur. Denique vt cœlum de eo qui de cœlo veniebat, testimoniũ daret cum cæteris. Terra ipsũ vt rorem excipiens, & nobis vt iustum & Saluatorem germinans, dabat suum. Lingua prophetarum dederat, qui eum & desiderauerant, & prædixerant. Lingua etiam Agelorum, qui nunc ipsum cum gaudio annuntiant. Et ecce adhuc hodie dat lingua cœlorum, videlicet hæc noua stella, per quam, ex Psalmista, cœli enarrant gloriam Dei. Quid enim erat illa stella, nisi lingua cœlestis & mirifica, quæ inusitatum virginis partum inuitato fulgore clamabat? Et hoc quidem, vt omnis lingua confiteatur, iuxta Apostolũ, quia Dominus noster IESVS Christus est in gloria Dei patris. Sic enim adhuc statim Reges, & omnes populi declarabunt ipsum: quousque tandem ipse pater æternus suum perhibeat de filio testimonium, & illius lingua & vox de nube clarificet illum dicẽs: *Hic est filius meus dilectus, &c.*

Reuelatio Christi per stellam.

D

Omnia de Christo perhibent testimonium.

Stella lingua cœlorum. S. Augustin.

E

Ecce igitur quæ linguæ testimonium iam dederunt, & postea daturæ sunt de Christo in Bethleẽ nato. Simile nunc vultis habere, quod ille nimirum spiritualiter sit natus in vobis? Necesse est primò, vt lingua & locutio Dei audiatur, & cum spõsa dicere possimus: Dilectus meus loquitur mihi, surge, propera. Audiã, surgam, ibo, quoniã loquetur pacem. Secundò,

Testimonia quod filius Dei spiritualiter natus sit in nobis.

Cantic. 2.

Secundò, oportet vt lingua Angelorum loquatur, id est, cōscientia pura, quæ sicut Angelus gaudium annuntiat, dicente Apost. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ.* Item oportet vt loquatur lingua humana, id est, bona reputatio & fama. Sicut conscientia necessaria est propter nos, sic bona fama propter proximos. Denique oportet vt lingua loquatur cœlestis, quæ irreprehensibilis vita est, & conuersatio continua in cœlis, non nisi quæ cœlestia sunt, quæ Dei sunt & æternæ vitæ, cogitando, & loquendo, aut etiam prosequendo in terris. Ecce enim quid cœlestis ille fulgor diuinæ gratiæ operatur in nobis: nos ad Christum continuò dirigit, ipsum quærere & inuenire facit, cunctis quæ terræ & mundi sunt, facilè contemptis. Hæc est virtus illius diuini luminis.

2. Corin. 1.

Nunc ergo prosequamur iter nostrum ad Dominum nostrum IESVM Christum. Ecce enim stella quam in Oriēte videramus, antecedit nos, vsque dum veniens stet supra vbi puer est. Videntes illam stellam Magi, gauisi sunt gaudio magno valde. Vtique quia turbatio nō venit super eos qui quærunt Dominum, nec tremor apprehendit eos. Audite quid ait Dauid Rex. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Audite quid dicit Salomon filius eius & sapiētissimus Rex. *Lætatus sum in omnibus, quia antecedebat me sapientia.* Sed iam audite multorum Regum ac sapientum exultationem & gaudium. Stellam videntes quæ antecedebat eos, ait S. Matt. gauisi sunt gaudio magno valde. Si autem ex eo quod tantùm pueri stellam viderunt, tali tamen gaudio fuere repleti, quid erit illis, inuenisse puerum & vidisse? Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Verùm si eū videre fortè iacentem in præsepio, aut recumbentem in sinu matris, tātum illis fuit gaudium, quantum illis erit, videre sedentem ad dexteram patris, gloriosèque decumbentem in throno suæ Majestatis? Atque interim, dicit Angelus, hoc vobis signum est, quia vobis hodie natus est Saluator, & summę potentię Deus, inuenietis infanté inuolutū pānis, & positū in præsepio. Ecce gloria Majestatis.

Gaudiū, non tremor apprehendit eos qui quærunt Dominum.

Sap. 7.

Sed quæso attendite omnes magnitudinem horum qui adoraturi veniunt. Reges sunt & sapientes, cumque apparatu & satellitio veniunt. Rursus adorandi magnitudinē perspicite. Rex est & Deus. Nūc videte si istis & illi competat adorationis locus. Domus ad quam ingrediuntur, stabulum est. Num ergo erat timendum, ait S. Bernard. Ser. 1. ne scandalizarentur viri isti, & illusos se crederent cùm tanta indigna viderent? A regia Ciuitate, vbi Regem quærendum coniectabant, ad Bethleem villam paruulam diriguntur. Ingrediuntur stabulum, & non illis sordet; inueniūt inuolutum pannis infantulum, & non pannis offenduntur, non scandalizantur lactentis infantia, procidunt, venerantur vt Regem, adorant vt Deum. hæc ille.

S. Bern.

Certè si oculis corporis omnia hic attendamus, non videbitur locus quadrare & esse conueniens Regi adorando, & Regibus ipsum adoraturis: sed si mentis oculos & fidei afferamus, omnia respondent & conueniunt. Vilent certè Deo omnes pōpæ mūdi: humilia Deus respicit, & alta à longè cognoscit. Ideo nascitur in stabulo, ponitur in præsepio, inuoluitur pannis, viuit in labore & penuria, moritur in patibulo. Vnde iuxta modum quo in paupertate venit in hunc mundum, tales etiam ab initio quæsiuit adoratores, & quærit adhuc, qui eum adorant in spiritu & veritate (humilitatis,)

Magnitudo Christi oculis nos corporis, sed animi est consideranda.

Quæ æstimātur à mundo, vilescunt Christo, & è contra.

A non in superbia, vanitate & diuitiarum iactantia. Scitote Deum & Sāctos ea sæpius quæ nos miramur, horrere, fugere, fastidire. Quare quid dicat Apost. audite. Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum; & sicut scriptum est, Dominus nouit cogitationes sapientum, quoniam vanæ sunt.

1. Cor. 3.

Iob. 5. & 13.

Vnde dicit S. Bern. Magi nostri eo modo insipientes facti sunt, vt fierent sapientes, quādo Deus qui per stellā foris admonuit, ipse in occulto cordis edocuit. Quia enim per sapientiam mundus in sapientia sua Deum cognoscere non poterat, placuit Deo per stultiam prædicationis saluos facere credentes. Istud est equidem, apud Paulū, magnum
B pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, apparuit Angelis, & prædicatum est gentibus. Angelis quidem immediatè apparuit, per eos pastoribus, & per stellam hodie Magis, sicut postea vniuerso orbi per stultitiam prædicationis.

S. Bern.

1. ad Tim. 3.

Verùm quantum ad Magos attinet, iuxta S. Chrysol. sic per stellam vocantur, vt per Christum ipsa materia erroris fieret salutis occasio. Nam sicut Astrologi, & Pagani stellas & astra venerabantur & adorabant, in illisque Deum quem non videbant, quærebant, & euanescebant. Ecce quod illis erat materia erroris: nunc autem per Christum occasio salutis est, sicut per eundē mors
C facta est causa vitæ. Dicunt igitur Magi: Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare. Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? inquiunt Iudæis. Cur non est in Hierusalem Ciuitate Regum? cur Rex Iudęorum iacet in præsepio, & non decumbit in Templo? cur non fulget in purpura, sed squalet in pannis? cur latet in specu Bethleem, & manifestus in Sanctuario non habetur? Receperunt iumenta in præsepi, quem in domo sua recipere vos spreuistis. Agnouit, sicut scriptum est, bos possessorem suum; tu autem Israël tuum Dominum non quæsisti. Vidimus stellam eius, inquiunt Magi & Gentiles, vbi est, &c. Prosequitur Chrysolog. Stella eius apparuit non volens, sed iussa, non cœli nu-
D tu, sed Diuinitatis impulsu, non lege syderum, sed nouitate signorum, non cœli climate, sed virtute nascentis, non ab arte, sed à Deo, non Astrologi scientia, sed præsentia cōditoris. hæc ille. Vidimus stellam eius, inquiunt, vbi est qui natus est, &c.

S. Chryso.

In stella relucet sapientia Christi.

Verùm ô Magi, quare tam longum iter carpitis, & non iam adoratis eum in spiritu, in proprio vestro loco, & in omni alio dominationis eius? Nihil hodie tale est, quia quem Deus illustrat & docet, minimè quiescit, sed vadit, currit & mouetur. Sic Apostolus in Actis, simulatque circumfulsit eum lux de cœlo, non quieuit in loco suo, sed dictum est ei, Surge, & vade in Damascum, ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Sic hodie dictum est
E Magis illuminatis per stellam: Ite in Hierusalem, ibi enim dicetur vobis quid facturi estis. Vnde & Chrys. ausus est dicere hāc stellam fuisse Spiritum sanctum, qui postea super Christum in specie columbæ apparuit, ipsumque manifestauit. Aug. Angelum fuisse, qui antea apparuerat pastoribus. Fulgentius tamen & D. Thom. fuisse dicunt nouam stellam, de nouo à nouo Rege creatam, & distinctam ab aliis. Vnde dixerunt isti; Vidimus stellam eius, vbi est, &c.

Act. 9.

Dei gratia nō sinit suum possessorem quiescere.

De stella opiniones diuersæ.

Chrysost: August. Fulg.

D. Tho. 3. p. q. 36. art. 7.

O Domine IESV, non solùm verum est te exaltatum à terra tracturum ad te omnia, vt Ioh. 12. habetur: sed etiam cùm natus es in terra traxisti ad te omnia, non solùm Cruci affixus; sed etiam in

præsepio reclinatus. In Cruce hamum habes quo venaris omnes, in præsepio stellam qua pertrahis ad te gentes. Potentior Deus in vilitate quàm in Majestate, potentior in infirmitate quàm in potestate. Vidimus stellam eius, vbi est, &c. Dicunt pastores instructi ab Angelo, transeamus; Reges autem à stella, vbi est? Accedunt illi de proximo, ait Chrysologus, hi veniũt de longinquo, vtrique tamen ad vnum eundemque fidei locum, quia deuotione conueniũt, vtrique ad præsepe Domini epulaturi accedunt, epulaturi non fœnum mortis, sed cibum salutis. Edite, edite pia animalia æternæ vitæ cibaria, & escam perpetuæ retributionis, non diuidentes in frusta, sed integram sumentes. Non potest enim edi Christus & diuidi; integer à credentibus sumitur, integer in oré cordis recipitur. Hæc omnia notate ex Chrysologo.

Iam igitur accurrite ô Reges, ad videndũ quem quæritis. Ecce stella antecedit vos, & stat supra vbi puer est: gaudete, sequimini eam, & intrate. Et propterea etiam ait Chrysol. Ecce omni deposito errore & terrore sequitur Magus, currit, peruenit, inuenit, gaudet, procidit, adorat, quia non per stellam, non per artem, sed per Deum, Deum se inuenisse humana miratur in carne. hæc ille. Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius. Inuenerunt qui expectatio gentium erat, desiderium collium æternorum, dominator terræ, & Angelus Testamenti magni, Messias, Christus, noster thesaurus, & diuitiæ animarum. Et procidentes adorauerunt eum.

S. Bern. Hic exclamat S. Bern. Quid facitis ô Magi? quid facitis? Lactentem puerum adoratis in tugurio vili, in vilibus pannis? Ergóne Deus est iste? Deus certè in Templo sancto suo, & in cœlo sedes eius. Et vos quæritis in vili stabulo, in gremio matris? Quid facitis, quod & aurum offertis? Ergóne Rex est ipse? Et vbi aula regia? vbi thronus? vbi Curiæ regalis frequentia? Numquid aula est stabulum? thronus præsepium? Curiæ frequentia Maria & Ioseph? Et Ser. 2. Sed vbi est, ô Magi, purpura Regis huius? nũquid viles panni? Si Rex est, diadema vbi est? Sed vos eum videtis in diademate quo coronauit eum mater sua Egredimini filiæ Sion, Cantic. 3. & videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit hodie mater sua. Egredimini virtutes Angelicæ, incolæ Ciuitatis supernæ, ecce Rex vester, sed in corona nostra. His deliciis vsque modò caruistis, vidistis sublimitatem eius, sed non humilitatem. Egredimini igitur, & videte.

Verùm exhortatione nostra non est illis opus, quia licet nobis tantùm sit natus, tamen ipsi nos præueniunt & exhortantur. Vnde & vobis hoc dicimus filiæ Sion, animæ sæculares, debiles & delicatæ filiæ, non filij, in quibus nihil est fortitudinis & virilis animi: Egredimini filiæ, egredimini de sensu carnis ad intellectum mentis, egredimini de terra, &c. Videte Regem; vbique certè Rex est, cùm nascitur proclamatur, & sic hodie quæritur. Ex ore etiam infantium cùm ingressus est Ierusalem, perfecit laudem suam, cum dixerunt; *Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini*. Denique etiã cùm moritur, à Iudæis Rex Iudæorum agnoscitur. Egredimini ergo omnes, & videte Regem in diademate quo coronauit eum mater sua, in corona humilitatis & paupertatis videte coronandum statim à Synagoga nouerca sua corona spinea & miseriæ: sed postea à patre & familia sua cælesti coronandum corona iustitiæ, & gloriæ, quando ad iudicium veniet. Sed modo videte eum ô filiæ Sio,

A in corona qua coronauit eum virgo mater sua. Illam suspicite, atque vnà cum Regibus istis ac Magis humilitatem eius adorate, & dicite: Adoramus te Christe vnigenite Dei altissimi & humillimæ virginis.

Hodie Magorũ fidei deuotio nobis proponitur in exemplum. Cuinam enim comparabimus illos? Si latronis fidem, & si Centurionis confessionem considero, hi certè superexcellere videntur. Tunc enim iam miracula fecerat Christus, hic autem nulla, nisi quod inuolutus pannis remanẽs in præsepio, apparitione stellæ trahit sapiẽtes ad se. Clamat latro de Cruce ad Crucifixum; Domine memento mei. Hæc certè magna fides erat. Item Cen- *Maxima fides Magorũ.*

B turio, eo quod Dominum clamantem audit dum expirat, ait: Verè filius Dei erat iste. Magna fides & multum oculata, vbi in patibulo & in morte Christus filius Dei agnoscitur. Hodie verò à Magis & Regibus in stabulo infans adoratur vt Deus, còque admirabiliùs quod nullum eis Diuinitatis signum ostendit, & tamen ipsum suum Regem & Deum suis muneribus testantur & confitentur, quando apertis thesauris suis obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham. Aurum vt Regi, thus vt Deo, myrrham vt homini & mortali. Sic enim profitebantur Deum assumpsisse carnem mortalem, cui vt omnium Regi & soli suis muneribus summum honorem deferebant. *Quid significabant munera.*

C Et nos itaque confidenter post illos Reges ad illum supremum Regem ingrediamur & accedamus: ipse est enim Saluator qui venit ad nostra, & saluare nos. Paruulus natus est nobis: propterea certè quia ad indulgentiam facilis erit, & leniter placari potest. Quis nesciat enim quia puer facilè omnia donat? Aperiamus ergo ei thesauros cordis nostri, & demus ei aurum perfectæ charitatis, thus feruentis deuotionis, & myrrham humilis mortificationis. Totũ certè quod ei dare possumus, valde exiguum est, totum carnale & terrenum est, & tamen pro illo paruo reconciliari ei possumus, si velimus. Totum istud paruum quod ei dare possum, ait S. Ber. miserum est istud corpus: sed si hoc

D nimis paruum est, addo & corpus ipsius: nam illud de meo est, & meum est. Paruulus enim natus est nobis, ait Isaias, & puer datus est nobis. Vnde de te, Domine, suppleo quod minus habeo in me: & sic suscipe me totum. Quod enim habeo in me, mihi largitus es, & tibi hoc totum restituo.

DE TRIPLICI ADMIRANDA Trásfiguratione Iesv Christi.

Transfiguratus est ante eos. Matth. 17.

DVo inueniuntur status in Christo Iesv, qui omnes alios comprehendunt. Vnus, qui terræ est, & dicitur humiliationis: alter, qui cœli, & dicitur gloriæ seu exaltationis. Primus manifestus fuit, dum in terris visus est, sed alter occultus remansit, nisi cùm in monte transfiguratus est, & facies eius sicut Sol hodie resplenduit. Mira quidem de Christo in montibus gesta & peracta sunt, inira in terris transierunt, & nunc permanent in cœlis. *In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*, ait propheta. Qui splendor gloriæ in cœlis erat inter agmina Angelorum, in terris visus est obuolutus caligine nostræ carnis, habens consortia hominũ, & sicut Apostolus dicit, qui cũ in forma Dei esset, id est, per omnia æqualis Deo, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem *Duplex Christi status cæteros comprehendens.* E *Baruch 3.* *Phil. 2.*

nem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Ecce quæ in terris primò facta est Transfiguratio filij Dei, qui cùm esset splendor patris & figura substantiæ eius, hominis figuram referre voluit, naturam assumpsit. Hæc admiranda Transfiguratio non in alto, sed imo facta est, non in monte excelso paternæ fœcunditatis, sed in valle humili fœcundæ virginitatis; in qua verè Deus transfiguratus est, quando qui priùs ad imaginem & similitudinem suam formauerat & figurauerat hominem, nunc quasi extra se prodiens formam eius & figuram accepit, & sic in homine quasi transfiguratus admirabiliter remansit.

1. Filij Dei Transfiguratio in terris.

Gen. 1.

Cuius etiam Transfigurationis penitus admirandę, (quam quidem Incarnationem intelligimus & dicimus) tam de cœlo quàm de terra testes omni acceptione dignos assumere voluit. Prodeant illi, & primus omnium Moyses appareat, & loquatur, etsi non videatur sibi eloquens ad promendum tale mysterium; sed quia est dux populi eius, appareat, & dicat testimonium suum primus. *Prophetam*, inquit Israëli, *de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, vt petisti à Domino Deo tuo.* Sicut me, dixit Moyses. O transfiguratio admirabilis! Loquatur alius, omniumque prophetarum qui scriptis suis testimonia sua de Christo consignauerunt, Isaias suum dicat primus. *Ecce*, inquit, *virgo concipiet in vtero, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, id est, nobiscum Deus. Accedat alius. Dic tu Ieremia testimonium tuum. *Nouum*, inquit, *fecit Dominus super terram. Mulier circumdabit virum.* Et tu Daniel iuuenis ætate, sed senior scientia, vindex innocentię, iudex æquitatis, esto etiam & tu hodie testis veritatis, dic quæso quid nosti de Christo, quid audisti & vidisti in somnio principis mundi huius, iam nos participes redde interpretationis antiquæ. *De monte*, inquit, *abscissus est lapis sine manibus, & percussit statuam in pedibus, comminuit testam, ferrum, & æs, & argentum, & aurum. Lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.* Quis iste obsecro admirandus lapis, nisi Christus qui dicitur petra, lapis angularis qui fecit vtraque vnum, de virgine natus absque hominis opera? & qui tantum creuit post destructionem statuæ peccati, vt etiam nomine suo & gloria vniuersam terram impleuerit, atque mós magnus apparuerit egressus de monte, qui Deus est de Deo, vnigenitus ab æterno patre; hanc enim gloriam postea meruit obtinuitque humilis transfiguratio, exinanitioque Diuinitatis eius in mysterio Incarnationis.

Vide & quis testes assumpsit.

Deut. 18.

Isa. 7.

Ierem. 31.

Dan. 2.

Ecce igitur qui inter alios plures, illius testes fuerũt & præcesserunt. Nunc prodeant qui ipsum viderunt, qui contrectauerunt manibus, & ab illo etiam in testimonium assumpti sunt. Prodeant pastores, qui venerunt festinantes ad vocem Angeli, & inuenientes Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio inuolutum pannis, viderunt & cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc, & adorauerunt. Veniant & Magi ab Oriente Ierosolymam dicentes, vbi est qui natus? stellam sequentes præuiam. Ecce domum intrant, & inuenientes puerum cum Maria matre eius, procidentes adorant. Collætetur hic Simeon senex de illo testimonium suum dare cum aliis, nam expectans erat consolationem Israël, & responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. Iam ergo veniat in spiritu in Templum,

Luc. 2.

Matth. 2.

A & ipse accipiens eum in vlnas suas, benedicat Deum, & dicat: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Tale siquidem testimonium fuit quod de illa diuina infantia Christi, pia senectus dare meruit: sicut iam antè dederant steriles parentes Iohannis, & ipse adhuc infans in vtero matris. Verùm maius proferat iste paranymphus, & dum loqui potest & debet, verbum patris prodat in carne, cuius ipse vox est. Ecce digito demonstrat dum eum videt venientem ad se, & ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis: ego vidi, & testimonium perhibui quia hic est filius Dei.* Post B præcursorem, Apostoli veniant; intereos verò, duo illi qui hodie assumuntur à Christo in montem, Petrus & Iohannes, de eo testimonium suum proferant. Dic ô Petre testimonium tuum. *Tu es Christus*, ait, *filius Dei viui.* Dic ô Iohannes quem diligebat IESVS, testimonium tuum de illo. *Quod fuit ab initio*, inquit, *quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud patrem, & apparuit nobis.*

Ioh. 1.

Matth. 16.

1. Ioh. 1.

Ecce quidem testes cum aliis multis qui de terra sumpti sunt, vt testimonium perhiberent veritati, quoniam filius Dei, natura hominis assumpta, modo admirabili transfiguratus est, quando hic latuit, & non resplenduit vlla Diuinitatis facies. C Vnde etiam opus fuit, vt non minus quàm terra cœlum de eo testimonium suum redderet, sicut factum est, quando & priusquàm conciperetur virgini ab Angelo annuntiatus est, & postquam natus est, statim ab eodem reuelatus est pastoribus, & cum eo *facta est multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Natus est vobis Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Ecce quid vident Angeli in terra, quid in porticu Bethleemitica annuntiant. Hæc est Transfiguratio noua & D prima, quam in verbo Dei admirantur, quod factum est caro: de qua inuicem exultant, & congratulantur nobis, cuius etiam testes fieri æternus pater voluit, sicut ipsemet extitit in aquis, vbi vox eadem quæ auditur hodie in monte, de cœlis intonuit dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et certè apprimè conueniens erat, vt qui sic latebat in homine, atque etiam ignominiosus apparere & deputari inter sceleratos debebat in Cruce, Dei filius priùs agnosceretur & reuelaretur à patre.

Matth. 3.

Testimonia Diuinitatis Christo erant conuenientia. Cùm nascitur.

Quare dum nascitur, & humanitas apparet in humili statu & cõditione infantis, ipsum Regẽ natum & Dei filium diuina produnt oracula, Angeli annuntiant, & stella noua de nouo creata, sicut flãma E diuina coruscans, Regem regũ Deum demonstrat: Magi eam viderunt, & magno Regi munera obtulerunt. Dum in aquis vult implere omnẽ iustitiam, lauari à Iohanne, & iam apparere à facie cœli & terræ, factus in similitudinem carnis peccati, confestim vt ascendit de aqua baptizatis, ecce aperiuntur ei cœli, Spiritus Dei sicut columba super eum descendit, & vox de cœlis auditur dicens: *Hic est filius meus dilectus.* Sed quia demum pro peccatis nostris ipsum humiliari oportebat vsque ad mortem, mortẽ autem Crucis, opprobriis affici, & pro reo atque scelerato à peccatoribus condemnari, etiam antè necesse fuit, vt ostenderet gloriam suæ

Luc. 2. Matth. 2.

Cùm baptizatur. Matth. 3.

suæ Diuinitatis, quæ in illa humanitate latebat quæ sic humilianda erat; & ita eam splendore magnificæ Transfigurationis decoraret, dum in monte sancto ipsum æternus Pater, in præsentia probatissimorum testium, voce delapsa & de cœlo allata filium suum signaret, & mirificè propalaret.

Math. 17.

Hoc diuinum consilium & mysterium est quod Euangelij verba declarant: Assumpsit IESVS Petrũ, & Iacobum, & Iohannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Animaduertite obsecro, ad gloriã suam contemplandam vocat Dominus discipulos suos, & non ad ignominiam Crucis, quam solus confusione contempta inter latrones sustinere voluit. Trãsfiguratus est igitur ante eos. Et resplẽduit facies eius sicut Sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. Qui sunt Moyses & Elias, nisi lex & prophetæ? ait S. Aug. Loquebantur cum illo, quia locuti erant de illo: ostendebãt quem prædixerant, manifestabant quem prophetauerant. Cum eo loquentes. Putas quid loquebãtur? vt Iudæi cõuincerentur, pagani conuerterẽtur, hæretici cõprimerentur & cõfunderentur, Catholici cõfirmamarẽtur. Loquebatur lex & gratia: lenitas & asperitas: terror & mansuetudo: ferramẽtũ & medicus: præco & Iudex: sentẽtia & misericordia. Moyses & Elias loquẽtes cũ eo. Et quid postea? Respondens autem Petrus dixit ad IESVM; Domine, bonum est nos hic esse, si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnũ. Quid dicis Sãcte Petre? mundus parturit, & tu secretum petis? vides tot gentes in vnum conuenisse aduersus Dominum, & tu requiem quæris? vides tenebras mundi, & tu lumen abscondis? *Nemo accendit lucernam*, dicit Dominus, *& ponit eã sub modio, sed super cãdelabrũ, luceat vt omnib. qui in domo sũt.* Ista domus iuxta S. Aug. totus est mundus; lucernæ accensio, verbi Incarnatio; candelabrum autem, Crucis est lignum; & lucerna in candelabro lucẽs, Christus est in Cruce pendens. Quomodo ergo dicis tu ô Petre, Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnũ, &c. Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio. Christus lux vera debet poni super candelabrum Crucis, vt luceat omnibus qui in domo sunt, qui in Ecclesia, qui in mundo sunt. Tenebræ multæ sunt, non offendamus in paganis, non erremus cum hæreticis: luceat nobis lucerna, doceat nos verbum in carne, dirigat nos veritas.

4. Et gloriosa in mõte Trãsfiguratio.

S. Aug. Ser. 199. de tẽp.

Math. 6.

Sed videamus an admissum sit consilium Petri. Adhuc eo loquente, (interrumpitur vtique) ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus; & vt alius Euangelista dicit, charissimus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Omnes audiamus quid illa vox dicat, nemo aures claudat, audiant pagani irrisores, audiant Iudæi persecutores, audiant hæretici erronei litigatores & phãtasmata somniantes, maximè verò audiant Catholici fideles Dei cultores; audiant isti ne seducantur, illi verò vt puniantur. Quid dicit vox de nube? audiant omnes: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Vbinam estis modò peccatores qui aduersamini filio Dei? quò fugietis qui sanguinem filij Dei dilecti fudistis, & toties fudistis, toties cõculcastis, quoties peccastis? Et vos hæretici vbinam estis? & quid modo dubitatis, qui auditis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui? Gustate iam & videte quoniã suauis & omnipotens ille est Dominus, qui dilectus est Dei filius? Videtis in terra hominis filium, sed auditis de cœlo Dei esse filium; quid dubitatis?

Marc. 9.

Qua dispositione & diligentia Christo sit audiendus.

Ecce intonuit vox patris, Domine audiuimus: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui. Et quid aliud? Ipsum audite. Quid dubitatis hæretici? Ipsũ audite. Ipse dixit, *Hoc est corpus meum*, quid dubitatis? ecce vox patris; Ipsum audite. Et vos pariter diuinorum irrisores & contemptores mandatorum & consiliorum eius, quid tam facilè in illũ peccatis? Ecce vox patris intonuit de cœlo: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite. Vos autem & contemnitis eum & exasperatis, vbinam vos abscondetis? & quinam montes super vos casuri sunt? Etsi in cauernis petrarũ vos abscõderitis, inde extrahã vos, dicit Dominus. Ipsũ audite, ait pater æternus, hic est filius meus dilectus. Reuerẽtiã, & honorem, exhibete illi, & obediẽtiã cũctis verbis eius. Ecce quid dicit: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Ipsum audite. Ecce quid iterum dicit. *Qui non odit animam suam, non potest meus esse discipulus.* Ipsũ audite. Ecce quid dicit alibi: *Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra, thesaurizate autem vobis in cœlo.* Ipsum audite. Ecce quid iterum dicit: *Quærite primũ regnũ Dei & iustitiã eius.* Ipsũ audite. *Nemo*, inquit, *potest duobus dominis seruire.* Ipsum audite. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderũt vos*, &c. Ecce quid dicit, ipsum audite. Hic denique dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite.

Luc. 14.

Math. 6.

Math. 5.

Ecce quomodo Deus pater nobis filium suum præceptorem dedit, sicut in Isaia legitur: *Ecce testẽ populis dedi eum, ducem ac præceptorẽ gẽtibus*; & ipsemet in Euangelio suo nobis enarrauit dicens: *Magister vester vnus est Christus.* Ipsum audite. Gratias tibi Deus æterna virtus: gratias tibi Pater omnipotens, qui & filiũ tuũ ostẽdisti mihi, & mihi doctorẽ dedisti. Doctorẽ dedisti. Recedat hæreticus, recedat Caluinus, recedãt cæteræ pestes, omnes isti vaniloqui recedãt, falsi prophetæ, & mẽtis seductores; recedat omnis iniqua doctrina, quæ mentita est sibi, & dicit impossibilia esse Dei præcepta, hoc credi posse, hoc verò non posse; & sic humano arbitrio cũcta subdit, & non Dei beneplacito. Doceat nos Deus, & non iniquus Caluinus: doceat nos Dei filius, & non Sathanæ seu aduersarij filius: doceat nos verbum veritatis, & non os & lingua mendacij. Tibi gratias immortales referimus Pater æterne, colende, omnipotens, adorande, quia filium tuum doctorẽ nostrũ constituisti, & iussisti vt ipsum audiremus: hanc enim magnificam vocem nos audiuimus de cœlo allatam; Ipsum audite, cui erimus continuò attendentes. Adhuc etiam gratias tibi Pater adorande, qui & ipsum in admirabili gloria Transfigurationis eius ostendere & reuelare nobis voluisti, & speculatores facere illius magnitudinis, atque etiam auditores, quando accepit à te Deo patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.

Christus vt doctor à patre datus est. Isa. 55.

Sed quandonam in huiusce Transfigurationis magnifica gloria, eiusmodi verba pater protulit, & testimonia perhibuit de Diuinitate filij sui? Cùm Moyses & Elias erant cum eo loquentes de excessu quem completurus erat in Hierusalem, vtique excessu qui alia multum admiranda & diuersa Trãsfigurationẽ adimplendus erat. Hodie gloriosum

Gloria filij Dei reuelatur & testificatur cùm sit sermo de excessu Crucis. Luc. 9.

se præ

se præbuit in monte, qui statim ignominiosus apparebit & videbitur in alio monte. Hodie sicut Sol resplenduit facies eius in monte Thabor, quia in monte Caluariæ Sol obscurabitur, & non erit ei species, neque decor. O stupenda, noua & inaudita Transfiguratio, vbi opprobriis & ignominia coopertus apparebit Rex gloriæ! Nullum est hodie in monte miraculum quod gloriosus appareat, & sicut Sol resplendeat facies eius, quia certè ex gratia vnionis hypostaticæ debetur illi naturaliter eiusmodi splendor & gloria. Sed in loco Caluariæ prodigium est ineffabile, vbi illa gloria & forma Dei transfiguratur in formam & similitudinem peccatoris, vbi facta in monte sancto reuelatio Majestatis, transit in contemptum & in opprobrium Crucis. O portentosa Transfiguratio, vbi qui agnoscebatur Dei filius, nunc conclamatur mortis atque patibuli reus!

Et prodigio sa Transfiguratio Christi in monte Caluariæ.

Testes huius prodigiosæ Transfigurationis adhuc fortè videre vultis? Duo sunt latrones, qui assumpti sunt & illi dati in socios & testimonium criminis. Quis vnquam talia audiuit? Cùm ascendit IESVS in montem suæ gloriosæ Transfigurationis, assumit Petrum, Iacobum, & Iohannem testes, quibus etiam æternus pater Moysem adiunxit & Eliam: & ecce cùm ducitur in montem Caluariæ, vt ibi subeat vicem alterã ignominiosæ Transfigurationis, illi conuenientes testes assumuntur, duo sunt latrones. Obstupescite cœli super hoc. Sed quid prætereà audiemus? In monte Thabor patrem dicentem: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Et in monte Caluariæ filium dicentem: Pater vt quid dereliquisti me? In monte Thabor audimus dicentem Petrum; Domine, bonum est nos hic esse, si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnũ, & Eliæ vnum: & in monte Caluariæ blasphemantem populum, & dicentem; Vah qui destruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas, salua temetipsum; si filius Dei es, descende de Cruce. Ecce tria tabernacula, tibi vnum, latroni vnum, & alteri vnum. In monte Thabor Moyses & Elias audiuntur loquentes cum IESV de excessu quem completurus erat in Hierusalem: & ecce vbi completus est, in monte Caluariæ, vbi IESVS dixit; *Consummatum est*, vbi excessus humilitatis apparuit, paupertatis, patientiæ tormentorum & doloris, obedientiæ & diuinæ charitatis: vbi denique maiora etiam Diuinitatis suæ insignia exhibuit, quando tenebræ factæ sunt super terram, Sol obscuratus est, aperta sunt monumenta, scissæ sunt petræ, velum Templi diuisum est, terra tremuit, omnes qui aderant, percutientes pectora sua reuertebantur: & Centurio dixit; *Verè hic homo filius Dei erat.*

Comparatio inter illa quæ acciderūt in monte Thabor & Caluariæ.

Matth. 17.

Marc. 15.

Ecce Domine IESV, quomodo in Passione tua & ignominiosæ Transfigurationis statu, quem ex parte peccatorum nostrorum subiisti, hunc locum Caluariæ sanctiorem & sacratiorem monte Thabor reddidisti: vbi non solùm hominum pectora & ora te Dei filium confessa sunt, sed etiam omnia elementa confitendæ Majestatis tuæ sensum habuerunt. Omnia enim ista Diuinitatis tuæ testimonia in illo monte sancto demonstrasti, & de ligno Crucis tanquam de sacrario gloriæ tuæ produxisti. Vbique, Domine, fulgor tuæ Majestatis apparet. In humilitate & opprobriis, sicut in excelso & gloria tuæ Diuinitatis. In diebus carnis tuæ, sicut in indiuisibili puncto diuinæ æternitatis tuæ. Vbique gloriosus es & decorus, gloriosus in cœlis, decorus in terris: gloriosus in montibus, decorus in humilibus; vbique gloriosus & decorus, gloriosus in sinu patris, & decorus in vtero virginis. Simul in ea gloriosus & decorus, in qua non amisit Diuinitatem, cùm nostrã suscepit ex illa humanitatem: vbique decorus, in præsepio & in pãnis; vbique gloriosus, in monte Thabor, vbi diuinum obiectum resplendet complacentiæ patris: decorus item & simul gloriosus in alio monte, qui est Caluariæ locus, decorus in ligno, & gloriosus in sepulchro. Vbique tandem & in omnibus decorus & gloriosus; decorus in sermonibus & in actionibus: in vestimentis etiam decorus, hodie facta sunt alba sicut nix, & de fimbriis eorum virtus exibat quæ sanabat omnes: decorus in facie, quæ omnibus plena est gratiis, & sicut Sol hodie resplenduit in conspectu patris. Vnde & gloriosus vbique refulget, in conuallibus terræ, sicut in montibus æternis.

Splendor Diuinitatis Christi in Cruce, vbi omnia de eo testimonium perhibent.

Vbique refulget decor & gloria Christi.

DE MAGNIFICA RESurrectione, & gloria Crucis IESV Christi, atque etiam singulari vita quam nobis reliquit in terra.

Surrexit, non est hic. Marc. 16.

TRIA in Christo IESV inueniuntur præcipua, quæ summopere consideranda sunt, exinanitio, dolores, & gloria. Exinanitio est in carne, in qua forma Dei humiliatur & descendit vsque ad formam serui: quod quidem initium habuit, & quodammodo adhuc perseuerat in mysterio Incarnationis, vbi gloria Diuinitatis vnita semper remanet etiam in cœlo humilitati nostræ carnis. Dolores fuerunt in morte, quam non absque acerbissima passione subiit & sustinuit, sicut Isaias dicit; & vidimus nos, sicut audiuimus, quia verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Gloria in mysterio Resurrectionis eius est, quę naturam, statum, & conditionem ęternitatis ingreditur. De natura enim gloriæ est, vt semper existat, æterna sit & permanens, cuiusmodi est ille status, quem hodie in æternum per Resurrectionis gloriam est ingressus, sicut Apostolus dicit: *Christus resurgens ex mortuis*, id est, ex statu mortis, *iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel*; id est, ad peccatum destruendum: *quod autem viuit, viuit Deo*, scilicet per Dei virtutem ad vitam gloriosam Deo dignam. Hæc est vita quam semper habuit ille qui vita est, Euangelista dicente; *In ipso vita erat*: absolutè in ipso vita, quia vita per essentiam erat, ipsomet dicente: *Sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit filio habere vitam in semetipso.* Vnde dixit postea: *Ego sum vita.*

Triã potissimũ in Christo consideranda.

Isa. 53.

Gloria Resurrectionis est de statu æternitatis.

Rom. 6.

Ioh. 1.

Ioh. 5.

Quare sic absolutè, *Ego sum vita*? quia in illo per essentiam erat: vnde in illo triplex vita fuit. Diuina in communicatione diuinæ subsistentiæ, quam Diuinitas ab instanti Incarnationis plenè largita est humanitati, & ipsa humanitas ex Diuinitate per gratiam vnionis accepit. Gloriosa in fruitione perfecta, qua eius anima lętabatur ab ipso creationis instanti, diuinæ essentiæ & visionis, cuius quidem delicias nec mors abstulit, nec Passio vnquã interrupit. Tertia laboriosa dicitur, & transitoria, quæ adhuc

Christus absolutè vita.
Ioh. 14.
Triplex vita in Christo Iesu.

adhuc ab initio Incarnationis suum exordium habuit, & progressum in omni statu & cursu vitæ, qua in terra nobiscum degit & conuersatus est; sed in morte suum finem inuenit. Hæc vita est quam in Cruce, in manus patris commendans spiritum suum & emittens, deposuit. Hæc vita est quam secum ad sepulchrum & Inferos non detulit; quia aliena erat, non propria, à nobis, & non à se proueniens, qui est Deus immortalis, æternus, immutabilis, benedictus in sæcula. Sicut etiam mors illi aliena erat, non propria, qui eam de nostro accepit, non de suo.

Vita laboriosa, sicut mors est Christo aliena.

Attendite quæso quomodo de nostro, & non de suo accepit mortem, & vnde nos vitam habuimus, inde ille habuit mortem. Ideo ipsum Euangelium attendite: *In principio erat verbum*, ait Sanctus Iohannes, *& verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum Hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat.* Quæso quærite hic & inuenite mortem. vbi? vnde? & quomodo? *Verbum erat apud Deum*; vnde illi mors? Si ibi inueniatis carnem & sanguinem, vtique inuenitis mortem: sed non inuenitis, ergo non erat ei vnde mortem acciperet. Si itaque illam habuit, de nostro, non de suo accepit. Quomodo de nostro? attendite modò, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ecce vbi, vnde, & quomodo mortem accepit, quia videlicet nostræ carni se coniunxit, sed vt sic postea de suo nobis vitam largiretur. Magnum hoc quidem mysterium. Non erat illi vnde haberet mortem, & non erat nobis vnde haberemus vitam. Quid igitur factum est? Accepit ille mortem de nostro, vt daret nobis vitam de suo. Nos igitur illi mors, ipse autem vita nobis, cùm & pro nobis obtulerit quod accepit à nobis. Quid accepit? carnem: *Verbum caro factum est.* Quid accepit? exinde mortem, dignatione tamen amoris & misericordiæ, & non alicuius conditione necessitatis; quia dignatus est, quia voluit, quia misertus est, ipso dicente in Euangelio: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterũ sumendi eam. Nemo tollit eam à me sed ego pono eam à meipso. Pono, vt iterum sumam eam* Hoc clarè per os Dauid Spiritussanctus declarauit dicens: *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit.* Liberè quidem egit, qui ponendo animam suam, mortem sustinuit; voluntate propria & nulla necessitate passus est in ligno suspendi: qui in sepulchro & in Inferis quò descendit majestate coruscans, & victoria triumphans, factus est sicut homo inter mortuos liber.

Ioh. 1.

Quid Christus de nostro accepit, & quid de suo nobis dedit.

Ioh. 10. *Christus voluntate, non necessitate mortuus est.*

Psl. 87.

Igitur sicut mors ab illo aliena erat, non propria, cuius necessitati & legibus minimè subiacere potest: sic nec illa vita quam morte dimisit, illi propria est; vnde etiam minimè eam secum detulit ad Inferos & sepulchrum. Vita verò quæ illi propria est, & quam etiam semper habuit, nec vnquam dimisit, quam secum detulit quocunque iuit & intrauit, gloriosa vita est. Quamobrem magnum hic, iuxta Sanctum Augustinum, animaduertitur sacramentum, quod Christus in alieno monumento post mortem positus est. Sic enim apud S. Matthæum legitur, quod Ioseph ab Arimathia, accepto corpore IESV, & inuoluto in sindone munda, posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra.

Vita Christi propria, & quã nũquã dimisit, gloriosa est.

Matt. 27. *Quare corpus Christi in alieno monumento positũ est.*

Hic ergo cum Sancto Augustino videamus, quare Saluator mundi suam non habeat sepulturam, sed in aliena ponatur. Ideo quidem in aliena, quia pro aliorum moriebatur salute: vt quid enim

S. Aug. Ser. 133. de tẽp. in vigilia Pasch. Ser. 2.

A illi propria sepultura, qui in se mortem propriam non habebat? Et quid illi tumulus in terris, cuius sedes manebat in cœlis? Et quid illi sepultura, qui tridui tantùm temporis spatio, non tam in sepulchro mortuus iacuit, quàm veluti in lecto conquieuit? Nam ipsa breuitas temporis potiùs somnum fuisse quàm mortem declarat. Sepulchrum autem, mortis, non vitæ, aut somni est habitaculum. Vnde minimè hoc habitaculo indigebat, qui semper viuens erat, & ipsa vita erat. Nos verò rectè hanc vitam in sepulchro nostro condidimus, vt mortem nostram viuificaret, & cum ipso à mortuis resurgeremus.

B Videtis igitur quomodo, & quam ob causam in monumento alieno, non suo positus est, miniméque necessarium illi erat mortis habitaculum qui vita est. Hinc enim fortè arguitur Magdalena ab Angelis, quæ Dominum inter alios defunctos requirebat in sepulchro, cum aliis quæ venerant vt vngerent corpus, & quæ parauerant, aromata sua portauerant. Quibus sic Angeli locuti sunt. *Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hic, sed surrexit.* Quasi dicerent: quid quæritis in tumulo, quem adorare debetis in cœlo? *Mulier quid ploras?* quid affligis cor tuum amplius non videns in sepulchro Dominum tuum? forte suspicaris quia tulerunt eum, & anxia nescis vbi posuerunt. Non ita est. *Surrexit, non est hic.* Quid quæris viuentem cum mortuis? quid apud Inferos quæris, quem iam constat rediisse ad superos? Sed cùm illa nondum satis Angelica verba penetraret, conuersa retrorsum vidit IESVM stantem, nesciens tamen quia IESVS est; qui cùm ei similiter dixisset; *Mulier quid ploras? quem quæris?* Illa existimans quia hortulanus esset, respondit sicut antè, *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. *Si tu sustulisti, dicito mihi.*

Vnde Magdalena reprehenditur ab Angelis quærẽs Christum in sepulchro. Luc. 24. Ioh. 20.

C

Optimè verò illa sancta mulier Christum requiens à Christo, etsi minimè sciret quid diceret, aiebat illi de semetipso; *Si tu sustulisti.* Ipsemet enim fuit, & non alius, qui de sepulchro tulit suum corpus: ipse qui sicut vitam suam ponendo, mortem sustinuit; ita etiam corruptioni & sepulchro non subditus, virtute propria viuus à mortuis resurrexit. Et quidem hoc mirum videri non debet; imò potiùs mirum esset, si quem totus mundus capere non potest, monumentum & sepultura retinuisset & seruasset: retentus est, sed sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Vtique difficilè surrexisset, si in morte & in sepulchro, & antequam resurrexit, non regnasset. Et quæso quomodo de sepulchro gloriosus exire non potuit, qui ex incorruptis matris visceribus salua virginitate processit? Propterea Sanctus Augustinus magnificè egregiéque comparat hoc sepulchrum Christi gloriosum, in quo corpus eius positum est, cum sacratissimo vtero virginis.

Solius Christi erat tollere de sepulchro suũ corpus.

D

E

Et certè vnum est adhuc in Euangelio quod multum facit ad veritatem huius mysterij, vbi nouum fuisse illud sepulchrum constat, in quo nondum quisquam positus fuerat: quod singularem planè conuenientiam habet cum vtero virginis. Beatum illud corpus, quod sicut illibatum seruauit Virginis vterus, ita incorruptum sacer custodiuit tumulus: vbique beato corpori defertur sanctitas, vbique virginitas. Nouus illud venter concepit, nouus tumulus conclusit. Ibi pollutione non tangitur, hic mortis corruptione non læditur. Est hæc similitudo non parua, notat

Comparatur sepulchrum Christi cum vtero Virginis.

Sanctus

S. Aug. Ser. 2. in vigil. Paschæ. Sanctus Aug. sicut enim Dominus de matris vtero viuus exiuit, ita & de Ioseph sepultura viuus surrexit: & sicut de vtero tunc ad prædicandum natus est; ita & nunc ad euangelizandum renatus est de sepulchro. Nisi etiam fortè quod sepultura ista & gloriosior sit, & religiosior, quàm illa Natiuitas. *In quo sepultura gloriosior est ipsa Natiuitate Christi.* Illa enim corpus mortale genuit; hæc edidit immortale: illa Dominum totius mundi nouem mensibus in vtero clausum tenuit; hæc autem triduo tantùm tumuli gremio custodiuit: illa cunctorum spem tardiùs protulit; hæc omnium salutem citiùs suscitauit. Adeò vt verum sit dicere, in hoc Resurrectionis mysterio Ecclesiam quæ ex latere Christi morientis in Cruce exorta est, vt sponsam ipsius in acquisitionem & possessionem salutis, & omnium gratiarum eius tunc intrasse, & fidelibus cunctis adoptionis gratiam filiorum Dei feliciter aduenisse.

Figura Resurrectionis Christi. Vtriusque mysterij extant figuræ in Scripturis sacris. In ipso mundi nascentis exordio & primo omnium hominum parente Adamo prima est. Sicut enim, immisso sopore in Adam, tulit Dominus Gen. 2. vnam de costis eius quam ædificauit in mulierem, *Figura 1.* adeò vt expergefactus Euam viderit de latere suo fabricatam matrem omnium viuentium: ita Christus Dominus secundus Adam, sed qui de supernis est, post immissum in eum soporem mortis, ab illa resurgens, fabricatam vidit de latere suo Ecclesiam matrem omnium credentium. Et hoc est quod nobis insinuare videtur Apostolus, qui hanc comparationem affert inter primum Adam & secundum, dicens: 1. Cor. 15. *Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem.* Quasi diceret: primus homo animalis erat, vt viuat, indiget alimentis, qui ideo anima viuente donatus est; sed secundus homo, scilicet Christus, spiritualis est, spiritum viuificantem habens, id est, absque subsidio alimenti, sed per semetipsum, tribuentem vitam suo corpori, ipsum viuificantem, spirituale facientem, inde etiam facilè à mortuis ipsum suscitantem. Sed quid adhuc amplius? Etiam Spiritum habuit viuificantem suam Ecclesiam, quam in Cruce fabricauit de latere suo.

Figura 2. Gen. 7. Figura secunda est in Noë, qui in suo nomine, sicut in opere arcæ suæ requiem Dei significat; & in hoc maximè Redemptoris nostri est figura, quod etiam per eum totius generis humani exterminati diluuio reparatio prima facta est. Hic cùm esset vir agricola, & vineam plantasset, bibens vinum inebriatus est, & nudatus dormiuit in tabernaculo suo, irrisus à iuniore filio suo, sed ab aliis honorificè pertractatus: vnde euigilans maledictum perpetuæ seruitutis irreuerenti imposuit, sicut benedictionem illis dedit, qui ipsum, vt decebat, venerati fuerant. Ita dico de Christo IESV supremo reparatore hominum, qui vineam suam fecit & plantauit Ecclesiam; cuius etiam amore non dedignatus est epoto calice Passionis Ps. 22. inebriari, sicut ipsemet dicit per os Dauid: *Calix meus inebrians quàm præclarus est!* & in Euan- Ioh. 18. gelio suo; *Calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum?* Adeò vt etiam in tabernaculo Crucis nudatus apparuerit depositis vestimentis suis, donec tandem quasi euigilans de somno, à mortuis surrexerit gloria coopertus; fulmine maledictionis suæ percutiens illos qui eum & Passionem suam contempserunt: benedictionem verò & vitam iis elargiens qui coluerunt, & Dei filium in Cruce agnouerunt. Hic est splendor gloriæ filij Dei, qui pro peccatis hominum dignatus est mo-

A ri, qui, vt Apostolus eius loquitur, traditus est Rom. 4. propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, vt Psalmista dicit, à ligno regnauit, & vt canit Ecclesia, dum in campo *Quomodo Christus de morte & de Inferno triumphare dicitur.* Caluariæ mors & vita duello conflixere mirando, dux vitæ mortuus, de morte & de Inferno triumphauit viuus; sicut per Osee prophetatum fuerat dicentem. *Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus Inferne.* Osee 13.

Optimè autem Christus dicitur mors mortis, & solùm morsus Inferni, quia mortem nostram moriendo penitus destruxit, & tantùm credentes qui tenebantur captiui, & expectabant consolationem Israël, cunctisque desideratum gentibus, B ex Inferno eduxit. Illud namque quod occidimus, facimus vt non sit penitus: ex eo autem quod mordemus, partem abstrahimus, & partem relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis extitit. Quia verò ex Inferno partem abstulit, & partem reliquit, non occidit *Quomodo mors funditus mortua est, non verò Infernus.* funditus, sed momordit, quando portarum eius vectes ferreos confregit, omnesque illos Tartareos carceres: omnes iustos vinculis peccati originalis soluit, captiuos ad libertatem vocauit, eduxit, & sic eorum luctus & lamenta in gaudium commutauit. Ait ergo; Ero mors tua ô mors, quia in electis meis te penitus occido. O mira res! vni mors data est, vt omnibus tolleretur. Ero verò mor- C sus tuus Inferne, quia sublatis qui mei sunt, te in parte transfigo. En quale & quantæ virtutis fuit hoc Dominicæ Passionis & Resurrectionis sacramentum. Non sine causa, vt videtis, vita venit ad mortem, fons vitæ bibit hunc calicem; quia per Christum, qui lux & vita est, mors destruenda erat, & introducenda in mundum noua vita. Mors per mortem destructa est. Ero mors tua ô mors. Et vita noua per Resurrectionem introducta est. Ero morsus tuus Inferne, non me detinere vales, nec eos qui mei sunt quos veni redimere, te spoliabo, & ponam in te in sempiternum titulum & signum victoriæ meæ. Nunc ergo facta præda mea in Inferno, etiam D viuus exibo de sepulchro, non potest claudere vitam regio vmbræ mortis: vbique gloriosus apparebo deuicta morte, Inferis morsum dabo & tumulo. Quid quæritis viuentem cum mortuis? Surrexit, non est hic. Ecce locus, sudarium, & linteamina posita. Dux vitæ mortuus regnat viuus.

Christus ergo qui in se habebat principium mortis & vitæ, postquam animam suam pro nobis posuit, etiam statim, & cùm voluit, ad vitam resurrexit, illam vitam, scilicet gloriæ, quam numquam dimisit. Sed quam demum ob causam? *Resurrectio Christi est nouitatis vitæ exemplar.* Iam quod ad nos spectat, percipite mysterium. Resurrexit, vt in hac vita sua admiranda, noua, & E gloriosa super terram, ostenderet vitæ nostræ nouitatem, sicut Apostolus dixit, quia resurrexit pro- Rom. 4. pter iustificationem nostram; & euidentiùs alibi. Consepulti sumus cum illo per baptismum in Rom. 6. mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim cōplantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & Resurrectionis erimus. Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltrà non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, scilicet cum Christo, iustificatus est à peccato, id est, resurrexit, & ambulat in nouitate vitæ cū Christo, vt immediatè subiūgit idem Apostolus dicens: Si autem

Zz mortui

mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum Christo. Vnde satis constat, quod in Resurrectionis mysterio nobis Christus vitæ nostræ rationem & formam reliquit.

Continuò ad Passionem & Resurrectionem Christi respiciendum est.

Quare iam duo hic simul inueniuntur mysteria, quæ multum mandare memoriæ, & numquam obliuisci debemus, Passio videlicet Domini, & Resurrectio. Duo sunt iuncta mysteria ad quæ incessanter nos respicere conuenit, vt fidei & iustificationis nostræ sacramenta. Ad Passionem respicere dico, vt in primis sanemur à peccatis nostris, & discamus penitus mori illis. Ad Resurrectionem verò, vt viuere vita noua discamus. Et quæso in hac die Resurrectionis gloriosæ Christi, vitæ nostræ & salutis, non in obliuionem veniat mysterium Crucis: in authorem fidei nostræ aspiciamus semper & consummatorem IESVM; in eum quem pater ad ostensionem iustitiæ suæ proposuit propitiatorem in sanguine Crucis, & eleuari voluit mediatorem super lignum, vt aspicientes & credentes in eum, non pereamus. Præcepit Dominus in deserto Moysi, vt serpentem æneum in ligno suspenderet, vt qui à serpentibus propter murmuratioñé contra Dominum percussi fuerant, in eum respicientes sanarentur, & liberarentur à morte; quod quidem figura erat mysterij Crucis. Vnde Christus Nicodemo dixit; *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat.* Nam sicut tunc quicunque percussus à serpente, in similitudinem respiciendo, statim sanabatur à vulnere: ita nunc humanum genus, quod à spirituali serpente diabolo lethaliter percussum est, in Christum credendo, qui factus est in similitudinem carnis peccati, à vulnere & morte sanatur. Quicunque percussus ab illis venenatis serpentibus in deserto non vidisset æneum, moriebatur: ita vnusquisque nisi in Christum crucifixum crediderit, diaboli veneno infectus perimitur.

Heb. 12.

Num. 21.

Ioh. 3.

Salutifer serpentis ænei aspectus, figura fidei credentium in Christum.

Serpentis ænei virtus admiranda.

Magnum mysterium, æneus serpens in ligno positus venena viuorum serpentium superabat: & Christus in ligno Crucis suspensus antiqui serpentis diaboli venena repellit, omnesque qui ab eo sunt vulnerati, sanat & liberat. Magnum mysterium, aspiciebat vnusquisque serpentem mortuum, vt posset euadere viuum: & nos vt veri & viui serpentis morsum & venenum valeamus effugere, in Christum crucifixum, mortuum, & similitudinem habẽtem peccatoris, in Cruce respicere oportet, ibi enim morte sua mortem nostram superauit.

Mors à morsu dicitur, & quomodo per Christũ mortua est.

Mors à morsu dici potest. Adam momordit lignũ vetitum, & mors illi aduenit; mors in ligno voluit mordere Christum, in quem nullum ius habuit, eo quod vita erat, absque peccato, vnctus non solùm gratia, sed etiam plenitudine Diuinitatis, & sic à peccatoribus & filiis Adam segregatus, vnde ipsamet morti adiudicata est, & mortua est, eo quod momordit quem tangere ei nõ licebat, & in quem non habebat quidquam, sicut ipse in Euangelio ait dum appropinquaret tempus Passionis. *Iam non multa loquar vobiscum*, ait, *venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam*, id est, nullum in me inueniet peccatum, nullum ius mortis. Quare illam iniustè accipiens, & quæ non rapui exoluens, etiam ipsi morti mortem inferam, & quam Adam perdidit iustè, reparabo vitam. Ille vniuersis mortem intulit, ego auferam, & vitam restituam cunctis. Ille inuenit arborem necis, & ego ostendam salutis. Ille extendit manum ad dulcedinem ligni, & ego manus, pedes, & totum corpus extendam

Ioh. 14.

A super lignum amarum Crucis, vt ex eo postea vnicuique liceat accipere fructum vitæ & remissionis, ita vt etiam quicunque aspexerit, id est, in me crediderit, certò salutem sit consequuturus.

Fructus Crucis, & quàm vtile sit in crucifixum aspicere.

Ecce antidotum salubre contra venenum peccati & antiqui serpentis, vt si, quis se eo senserit percussum, statim ad Crucem recurrat, & in IESVM crucifixum respiciat, in eum qui cùm filius Dei esset, natura nostra passibili assumpta, in similitudine illius ænei serpentis, in ligno suspensus est; & iam cum Apostolo dicat: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri* IESV *Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Nihil certè vtilius & gloriosius nobis esse potest aspectu, & continua memoria Crucis, per quam non solùm ab Inferis reuocari, sed etiam in cœlos eleuari meruimus. Huius salutiferi ligni etiam vmbræ in veteri Testamento valuerunt. Nullum Moyses signum & prodigium sine huius ligni sacramento peregit: vt enim patraret sua prodigia in Ægypto, iussit illi Dominus vt assumeret virgam in manu sua, in qua signa omnia esset facturus, & non solùm vt assumeret præcepit, sed etiam vt eleuaret eam, vt magis adhuc innotesceret nobis futuri ligni Crucis sacramentum, quando præterea hæc eadem virga versa in colubrum deuorauit serpentes & dracones maleficorum Pharaonis.

Gal. 6.

B

Figura Crucis quantum in veteri Testamento valuerunt.

Exod. 4.

Admirabilis virtus virgæ Moysis.

Exod. 7.

Si ergo prodigiis opus sit, omnia illa virga facit. Ipsa est quæ coram Pharaone percutit fluuios, & vertit in sanguinem. Ipsa est quæ super omnem terram Ægypti ranas de paludibus egredi facit, & etiam ingredi domum Pharaonis, & in cubiculum eius. Ipsa est quæ percutiens terram producit sciniphes innumeros, & omne genus muscarum in domos immittit. Ipsa est quæ in cœlum eleuata dat tonitrua, grandinem & fulgura discurrentia super terram, & alia eiusmodi facit stupenda opera ad interitum & confusionem Pharaonis. Quod si adhuc fortè diuidendum sit rubrum mare, vt præbeat iter Israëli, & submergat Ægyptios, tunc Moyses iubetur eleuare virgam suam, & ecce mare quasi cognoscens figuram Crucis & ligni venturi, statim populo iter pandit insuetum. Si postea egressus populus, & per solitudinem & desertum Sur, ad aquas amaras venit, non vertuntur in dulcedinem, nisi cùm lignum mittitur in illas. Quod quidem indicio erat, amaritudinem Gentium aliquando in dulcedinem fidei ligno Crucis conuertendam esse. Quod si adhuc de petra aquæ producendæ sint, necesse est vt illam percutiat virga, ad significandum de corde nostro non educi lacrymas pœnitentiæ, nisi virtute & contactu ligni Crucis.

C

Exod. 8.

Exod. 9.

Exod. 14.

D

Exod. 15.

Exod. 17.

Sed quid præterea dicam? cùm nec Elisæus huius Crucis, & admirandi ligni virtutem ignorarit, qui misso ligno in flumen, lapsum ferrum de profundo euocans sursum natare fecit: hoc quidem significans mysterio, dura hominum corda, & in profundum erroris immersa, tandem aliquando ligno Crucis ad notitiam Dei & vnionis gratiam esse reuocanda. Ecce fructus Crucis, resurrectio à peccatis nostris: sicut pariter gloriosæ Resurrectionis Christi erit nobis fructus, si in nouitate vitæ ambulemus. Istud est quod in Resurrectione Domini imitari conuenit, innouare vitam nostram, & quãtum fieri potest, reddere conformem imagini gloriosæ vitæ eius, quæ sursum sunt sapere, & nõ amplius quæ sunt super terram, sicut Apostolus ait nobis: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram.*

4. Reg. 6.

E

Fructus Resurrectionis, nouitas vitæ in nobis.

Coloss. 3.

Quod

Quid necessarium vt quis ſe dicat Christianum.

Quod in nobis iam vitæ principium eſſe debet, Chriſtus eſt. Qui enim Chriſtum non habet in ſe, minimè Chriſtianus dici poteſt. Nec ſe ita vnuſquiſque extollere debet, vt tantùm nomine ſe Chriſtianum dicat, factis autem & vita contrarium ſe & inimicum oſtendat. Chriſtus moriendo reliquit vitam, quam reſurgendo noſtram fecit & propriam. Meminiſtis triplicem in illo vitam fuiſſe, vt initio diximus, diuinam, glorioſam, & laborantem vnam in tempore peregrinationis. Iſta fuit quam ex nobis ſuſcepit, atque etiam nobis in morte reliquit; numquam enim diuinam & glorioſam dimiſit. Huius ergo vitæ nos hæredes in terra conſtituit & fecit conſortes; nam quantum ad participationem glorioſæ, ſpectat ad cælites. Quodnam ergo reſurrectionis noſtræ argumentum eſſe poteſt? Vtique ſi in nouitate huius vitæ quam Chriſtus nobis in terra reliquit, ambulemus, ſi quemadmodum ipſe ambulauit, ita & nos ambulemus, ſi quemadmodum vixit, ita & nos viuamus: ſi denique virtutum & diuinarum actionum eius efficiamur conſortes, ſicut hæredes ſumus, & nos ad imaginem hominis, non amplius terreſtris, ſed cœleſtis, ſed perfecti, & ſecundum Deum creari, qui Chriſtus eſt, diligenter conformemus: ſi contemptum terrenorum amemus, caueamus à colluuie peccati, accendamur virtutis & cœleſtium amore, Crucem amplectamur, honoremus, & numquam exercitium pœnitentiæ omittamus. Iſta autem eſt vera pœnitentia, iuxta S. Aug. quando ſic conuertitur quis, vt non reuertatur; quando ſic pœnitet, vt non repetat. Vultis denique vt iuxta Apoſtolum, ſignum & teſtimonium certiſſimum oſtendam reſurrectionis noſtræ, & nouitatis vitæ quæ iam exigitur à nobis? Iſtud eſt, ſi mortui peccato, viuamus Deo, in Chriſto IESV Domino noſtro.

Cuius vitæ nos Christus hæredes reliquit, & quod ſpem quod illam participamus.

S. Aug. Ser. 7 de tépore.

Rom. 6.

DE REDITV ET Aſcenſione IESV Chriſti Domini noſtri in cœlum.

***Dominus* IESVS *aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei.* Marc. 16.**

PERFECIT hodie Dominus IESVS circulum ſui curſus: à ſummo cœlo egreſſio eius, & nunc occurſus eius vſque ad ſummum eius. Exultauit vt Gigas ad currendam viam, ſalienſque venit & rediit. Dominus IESVS aſſumptus eſt in cœlũ. Grande equidem & glorioſum nobis hodie proponitur ſpectaculum, reditus eſt & Aſcenſio Saluatoris in cœlum. Theatrum huius ſpectaculi, mõs eſt oliuarum, ſtadium aër, terminus cœlum, operimentum nubes quæ ſuſcepit eum; ſpectatores Diſcipuli, videntibus illis eleuatus eſt. Item & Angeli in albis dicentes: Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic IESVS qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet. Aſcendit in iubilatione Dominus, de torrente in via bibit, propterea exaltauit caput. Aſcendit in altum ſuper Cherubim, ſuper cœlum cœli vſque ad patrem & ſuum pricipium. Omnia redeunt ad ſuum principium. Deus autem, vt ipſe dixit, rerũ omnium principium eſt & finis. Principium, quia à Deo ſunt omnia: finis, quia ad Deum reuertuntur omnia. Huius ſummæ perfectionis in Deo imago quædam eſt in natura, in qua

Admirabile ſpectaculum Aſcenſio Chriſti eſt.

Omnia redeunt ad ſuũ principiũ, & faciũt circulum.

A videmus omnia circulum facere. Eccleſiaſtes de fluminibus loquens dicit ſic: *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur.* Certè vt diſcamus inde, omnes creaturas eſſe velut flumina quæ ab illo immenſo Diuinitatis Oceano exierunt, & ad ipſum ſuo modo reuertuntur. Sic homines, & ſic Angeli, & ſic denique ille hodie primogenitus omnis creaturæ IESVS Chriſtus. Eccleſiæ 1.

Huius autẽ particularis reditus Chriſti ad patrẽ, pulchra eſt ſimilitudo & figura in ortu & occaſũ Solis, de quo mentio eſt apud eumdem Eccleſiaſtẽ. *Oritur*, inquit, *Sol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur. Ibique renaſcens gyrat per meridiem.* De quonã, quæſo, Sol iſte oriens & occidens, ſeu rediens, intelligi poteſt, niſi de Chriſto vero Sole Iuſtitiæ? B ipſo dicente: Exiui à patre, & veni in mundum. Iterum relinquo mundum, & vado ad patrẽ. Ecce corona & circulus. In orbe & circulo vltimus pũctus reuertitur ad primum, & primus ad vltimum. Ita vt principium & finis ſint in circulo vnus atq; idem punctus. Ita autem de Chriſto legitur vnde exierat redeunte, cùm dicit: Qui miſit me mecum eſt. & iterum: Ego in patre, & pater in me eſt. Vado ad eum qui miſit me: quaſi diceret, facio circulum, & redeo ad meũ principiũ. *In principio erat verbum.*

Figura Aſcenſionis Chriſti.

Ioh. 16.

Ioh. 8.

Eſt autem notandum, triplici via Saluatorem noſtrum rediiſſe ad patrem, via mortis, via Reſurrectionis, & hodiernæ Aſcenſionis. Vna fuit triſtitiæ, languoris, & paſſionis: altera ſplendoris & vitæ: tertia Majeſtatis & gloriæ. De prima dicitur C Luc. vlt. Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam: & cùm vadit ipſe dixit; Triſtis eſt anima mea, &c.

Triplex via reditus Chriſti.

De ſecunda apud Pſaltem legitur, quod ſic pater ad filiũ loquutus eſt de Reſurrectione ſua: Exurge gloria mea. & ille; Exurgã diluculo. Iuxta quod apud Luc. notatur, valde diluculo, & apud Marc. valde mane Reſurrectionem aduenliſſe, vtique plenam lætitiæ & ſplendoris. Tunc enim & perterriti fuere cuſtodes, & mulieres conſternatę mente, quę orto iam Sole Iuſtitiæ ad monumentum venerant, & Angelos in albis & ſplendore inuenerãt dicen- D tes: Quid quæritis viuentem cum mortuis? ſurrexit. IESVM quæritis crucifixum, non eſt hic, ſurrexit, ſicut dixit vobis. Ite in Galilæam, ibi eum videbitis. *Lætatum eſt cor meum*, inquit, *quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sãctum tuum videre corruptionem: notas enim mihi feciſti vias vitæ*, ſcilicet Reſurrectionis.

Luc. 24 & Marc. 16.

De tertia tandem hodie mẽtio eſt apud S. Marc. vbi dicitur quod Dominus IESVS aſſumptus eſt in cœlũ, & ſedet à dextris Dei. Ecce via Majeſtatis. Sic Apoſtolus hoc verbo vtitur dicens, ſedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis: in excelſis quidem, qui ſuper Cherubim in cœlum aſſumptus eſt vſque ad dexteram patris. Domine Dominus noſter, quàm E admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos. Magnificentia Chriſti, humanitas eius eſt, quæ antea humiliata paſſionibus, & terræ viſceribus conſepulta, modò ſuper cœlos magnificè eleuata eſt, & exaltata ſuper choros Angelorũ ad cœleſtia regna, ad dexteram Majeſtatis Dei in excelſis. Vnde & in vniuerſa terra admirabile nomẽ eius, quia & Aſcẽſio eius in cœlũ planè admirabilis eſt. Admirabilis, quando non obſequio creaturæ, vt Elias, ſed virtute propria aſcendit. Admirabilis, quãdo glorioſum eius corpus omnes cœlos abſq; diuiſione penetrauit. Admirabilis, quando ita velociter magnam illam diſtantiã pertranſiit, vt abſque vlla mora ſuper

Heb. 1.

Pſ. 8.

Admirabilis Chriſti Aſcenſio.

omnes fuerit constitutus ad dexteram patris. Non A quidem dicitur cum admiratione illud Prouerb.
Prou.25. *Cœlum sursum est, & terra deorsum.* Ita enim ordinatum fuit à Deo. Sed non sine admiratione est quod per Christum terra nostra sit sursum, & cœlum deorsum. Hæc enim natura, inquit S. Chrysost. cui dictum est; Terra es, & in terram ibis, hodie iuit in cœlum, eique dictum est, sede à dextris meis.

Ecce igitur tres viæ, quibus ad patrem rediit Christus, via Passionis, via Resurrectionis, via Ascensionis: via mortis, via vitæ, via gloriæ, seu magnificentiæ & Majestatis. Quæ quidem omnes viæ considerari possunt in prædicta figura ortus & occasus Solis. Nobis enim ortus est ille Sol Iustitię Christus prodiens à patre, qui natus est nobis, & B qui vt rediret ad patrem transiit per occasum mortis. Ibique renascens via gloriosæ Resurrectionis, tandem iter triumphantis Ascensionis ad patrem accepit, postquam sæpius ac iterum terram nostram circuiuit, gyrās per meridiem suæ charitatis omnes docendo; sicut etiam post Resurrectionem suam
Act.1. fecit, vt quidem legitur in Actis, quod per quadraginta dies apparens eis loquebatur de regno Dei: vt antè fecerat temporibus cōuersationis suæ, miracula faciens, & cum verbis operans, sicque suos verbis confirmans & exemplis, & ad vltimū ordinans omnia, antequā de terra ad cœlum, & de hoc mundo transiret ad patrem. Nam sic adhuc hodie ante discessum suum discipulis proponit quid de- C beant agere post discessum, gerēs se adinstar patrisfamilias, qui proficiscens in aliquam regionem lōginquam, antè seruis suis agēda relinquit. Sic enim hodie Christus vltimò apparēs suis, & exprobrans incredulitatem eorum, quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderant, dicit eis: Euntes in mundum vniuersum prædicate, &c. Et Dominus IESVS postquam locutus est eis, assumptus est, &c. scilicet, sic omnibus expletis propter quæ in mundum venerat, ad patrem reuertitur qui miserat eū, sicut ait: Pater, opus consummaui quod dedisti mi-
Ioh.17. hi vt faciam, nunc ad te venio. Ego te clarificaui super terram, & nunc clarifica me tu pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquàm mun- D dus fieret apud te. Ego enim ad te venio. Quos dedisti mihi, ego custodiui, & manifestaui eis nomen
Exempla & rationes Ascensionis Christi. tuum. Nunc ergo ad te venio. Opus enim tuum cōsummaui. Ita de iuniore Tobia legitur, quod in domum patris reuersus est, absoluto negotio sibi à
Tobiæ 4. & 11. patre commisso in ciuitate Medorum. Sic adhuc legatus pro Rege, rebus gestis in regno alieno, statim reuertitur ad eū. Ita igitur Christus facit filius
Cōsummatis rebus reuertitur Christus. æterni patris, & pro eo legatus in terra, opus consummat patris, & dicit: Vt cognoscat mundus
1. Causa Ascensionis. quia ego diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi, sic facio & feci, nunc vado ad eum qui me misit.

Hæc certè ratio vna est & prima ex pluribus & E potissimis Ascensionis eius. Rationes alias perscrutemur & consideremus. Secunda est in conuenien-
2. Glorificato corpori debetur locus gloriosus. tia iustitiæ, iuxta quam corpori glorioso non conuenit aut debetur nisi gloriosus locus, debet enim esse, ex Philosopho, inter locum & locatum proportio. Quare conueniebat Christo, vt post Resurrectionem suam ratione dignitatis & excellentiæ corporis glorificati, in cœlestem & gloriosum lo-
Naturarum distinctio in Christo. cum ascenderet. Propter quod operæpretium est scire distinctionem naturarum in Christo. Diuinæ, cuius proprium est vbique esse, & sic non competebat ei ascendere. Humanæ verò, sed gloriosæ competebat: & sic dicitur Christus ascendisse in cœlum ratione humanitatis assumptæ, vel certè adhuc Diuinitatis causaliter, in quantum illius Ascensionis causa erat efficiens & præcipua, ad quod tamen etiam operabatur gloria humanitatis. Nam quod ipsam humanitatem eleuauit, Diuinitas fuit & gloria, & quæ eleuata fuit natura, non diuina fuit, sed humana.

Tertia ratio humilitatis meritum dici potest. 3. Nam cōuenit vt qui se infra omnes humiliat, supra omnes exaltetur, ipso dicente Domino: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Quare cùm filius Dei factus homo, humilitate summa vsque ad inferiores partes terræ descenderit, etiam conueniens est, vt glorificatus ascendat super omnes cœlos. Sic Paulus ad Ephes. ait: Quod ascendit, quid est, nisi quia & Eph.4. descendit primùm in inferiores partes terræ? Exinde enim exaltationis meritum ortum est. S. Gre- S.Greg. gor. Sicut, inquit, Domino nascente humiliata visa est Diuinitas: sic hodie ascendente exaltata est humanitas. Et S. Chrysost. Natura cuius causa pa- S. Chrysost. radisus à Cherubim custodiebatur, super Cherubim summo cum honore suscepta est.

Hoc certè est quod cœlum replet admiratione *Cœlum stupore repletur, gaudio & honore.* & stupore. Ascendente Christo, ait S. August. pauet omne cœlum, mirantur astra, plaudunt Angelorum agmina, & læti miscent blanda modula- S.Aug. mina chori. hæc ille. Scilicet cùm supra se adorant quod infra se vident; infra se naturam vident, & supra se exaltatam adorant. Hoc certè est quod cœlum replet gaudio & honore, comitatu & famulatu patrum dicentium: Parate viam Domini. Attollite portas principes vestras, & introibit Rex gloriæ. Angelorum item respondentium cum gaudio & admiratione: Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum est, ô Angeli: ipse Rex gloriæ, Dominus vester & noster est, Deus vester & Deus noster. Quis est iste, interrogatis, qui venit de Edom tinctis vestibus? Ipsum respondentem audite. Ego qui loquor iustitiam. Quare Isa.63. iam miscete choros vestros, fiatque multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium; Gloria in excelsis Deo: ipsúmque concomitan- *Qualitates Christi ascendentis.* tes cum gloria, deducite tanquam Regem in solium Majestatis; tanquam Sacerdotem summum in Templum suæ æternitatis; tanquam Iudicem æternum in sedem iudiciariæ potestatis; & tanquam cum triumpho reuertentem ad brauium suæ Diuinitatis. Et hoc in signum reuerentiæ, obedientiæ, timoris & lætitiæ. De primo enim sic erat prædictum in Isa. *Super solium David, & su-* Isa.9. *per regnum eius sedebit.* De secundo dictum est ad Hebr. *Habemus Pontificem magnum qui penetrauit* Heb.4. *cœlos,* IESVM. De tertio Matth.25. *Cum venerit fi-* Matth.25. *lius hominis, &c. tunc sedebit, &c.* De quarto in Apo- Apoc.3. cal. *Ego vici, & sedi cum patre meo in throno eius.*

In hoc itaque relucet gloria Ascensionis, quod hodie Christus sedet ad dexteram patris: per quod intelligitur quod hac die supra omnem creaturam magnificatus est, tantoque etiam melior Angelis & gloriosior effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Dicitur autem à dex- *Quomodo Christus sedere à dextris Dei dicatur.* tris Dei sedere ratione Diuinitatis & vnitatis essentiæ cum patre. Sic S. Bern. Domino meo, inquit, S. Bern. datum est singulariter sedere à dextris patris in gloria, pro essentia consubstantiali, gloria consimili, majestate non dispari, æternitate non posteriori. Item à dextris ratione suæ propriæ gloriæ, & beatitudinis. Sic enim iuxta gloss. 1. Ephes. dextera perpetuitatē beatæ vitæ significat. Dicamus adhuc, si vultis, à dextris Dei, quia constituitur & lætatur

lætatur in potioribus bonis patris, & potissimùm quatuor quæ per dexteram significantur, videlicet, in æqualitate vt Deus: in dignitate vt homo & Dominus; *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*: in potestate vt Iudex: in misericordia vt Pontifex; & sic, vt dixit Apostolus, constituit hodie pater IESVM Christum ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum, virtutem, & dominationem, & omnia subiecit sub pedibus eius. Constituit, vt & simul ipsum Aduocatum & Pontificem apud se haberemus. Nobis itaque hodie magna orta est ratio lætitiæ, quod, vt dicit Apost. ad Hebræos, non in manu facta Sancta hodie IESVS introiuit exemplaria verorum, id est, figuras, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis, id est, vt apud patrem ipsum adhuc mediatorem habeamus. Vbi certè Apostolus multo excellentiorem esse docet hunc Christi introitum in cœlum, quàm Pontificis & summi Sacerdotis legis in Sancta Sanctorum, seu Sanctuarium Templi. Et hoc triplici ratione. (Heb. 9.)

(*Triplici ratione superat introitus Christi in cœlũ, introitum summi Pontificis in Sancta Sanctorum.*)

Prima, quia Sanctuarium in quod introiuit Christus, Empyreum est, & ipsa gloriæ habitatio & diuinæ Majestatis: Sanctuarium autem in quod intrabat Pontifex legalis, terrenum erat & humana manu factum. Vnde Apostolus noster notare hoc voluit dicens; Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum introiuit in Sancta, æterna redemptione inuenta. Secunda, quia summus Pontifex tantùm semel in anno, & breui tempore in Sanctuarium interius introibat, vt incensum offerret & oraret: Christus autem semel in æternum in tabernaculum interius ascendit ad dexteram patris in excelsis, vt pro nobis ei preces & merita sua offerret. Tertia, quia summus Sacerdos in Sanctuario Templi non nisi ad Dei nuncium, qui Angelus erat, accedebat: Christus verò in Sanctuario cœli sedet ad dexteram patris.

(*Quomodo Christo in Ascensione conuenit sedere.*)

Sedere, est quiescentis & regnantis. Optimè autem status iste in Ascensione Christo conuenit, cui congruum erat vt post laborem quiesceret, & post certamina terræ super cœlos sine termino regnaret. In quo & nobis proponitur exemplum, vt si participes velimus esse eius quietis & regni, viriliter decertemus & laboremus. Si enim compatimur, & conregnabimus, ait Apostolus. Et Dominus noster: Qui mihi ministrat, me sequatur. Vbi enim sum ego, illic & minister meus erit. Quare si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Quo honore, nisi regni eius & gloriæ? Simus ergo socij laboris, si velimus esse honoris. Simus pœnæ, si velimus esse gloriæ. Propterea certè in Actis notatur, quod videntibus Discipulis suis eleuatus est, scilicet vt semper in eum aspiceremus, & imitatione sequeremur; atque etiam corporali eius subtracta præsentia, toto corde anhelemus. Vnde ad Coloss. Quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram. Vbi est thesaurus noster, ibi & cor nostrum esse debet. (Ioh. 12. Act. 1. Coloss. 3.)

A

DE NECESSITATE Ascensionis Christi, quantum ad plura quæ ad nos spectant.

Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre. Ioh. 15.

B IESVS Christus in cœlum ascendens ostendere voluit se Dominum esse omnium rerum, sicut inferiorum, ita & superiorum. Se Dominum terræ esse demonstrauit, cùm de profundis eius suscitauit mortuos. Maris, cùm super eius vndas ambulauit, & imperauit illius fluctibus. Aëris, cùm item ventis imperauit, & multa alia signa fecit etiam in morte tenebris factis super faciem terræ. Inferni, cùm ipsum despoliauit, & solutis captiuitatis doloribus, patres detentos libertate donauit, captiuam secum ducens captiuitatem. Denique hodie cœli, cùm illud sua nobis Ascensione aperuit. Nam & in hoc nobis satis quoad nos necessitatem ostendit, vt rediret ad patrem.

(*Ostéditur necessitas multis de causis.*)

C Necessitas itaque ista ex multis petitur rationibus & causis. Primaque est, vt, sicut iam dicere cœpimus, nobis cœlum aperiret, & viam antè demonstraret & pararet. Vnde in Michæa sic prædictum erat: *Ascendet pandens iter ante eos, & transibunt portam, & ingredientur per eam, & transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Ecce quo pacto hodie Christus ascendens in cœlum, & aperiens iter præparat exemplo & demonstrat. O Christiani, hæc est via & porta Domini, & iusti intrabunt in eam. Ecce Rex coram eis, & Dominus in capite eorum. Si quis vult venire post me, inquit, sequatur me. Hæc est via cœli, humilitas Crucis; tollat crucem suam, & sequatur me. Non est seruus maior Domino suo. Oportuit D Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Ita & vobis necesse est, regnum enim cœlorum vim patitur. Christus IESVS, ait Apostolus, cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, humiliauitque semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum. Hodie certè exaltauit qui super omnes cœlos ascendit. Ita equidem expedit & nobis vt tali exinanitionis exemplo filij Dei humiliati, ad gloriæ altitudinem perueniamus. Nam & tales eius viæ fuerunt, exinanitio vsque ad formam serui, humilitas vsque ad vilitatem præsepij, obedientia vsque ad mortem E Crucis, & paupertas extrema vsque ad derelictionem omnium tam in Natiuitate eius quàm in morte. Inuenietis infantem inuolutum pannis: morientem verò nudum despoliatum suis vestimentis: in Bethlehem positum in præsepio, & iacentem in fœno: in Hierusalem verò & loco Caluariæ affixum Cruci, & reconditum in tumulo. Ecce viæ Christi. (1. Michææ 2. Phil. 2. *Via Christi.*)

Sed quid addam? Ecce saltus, & gradus eius descensus & ascensus. De patre in virginem descendit, de virgine ad præsepe, de præsepi in mundum, & de mundo humilitate ad Crucem ascendit: & de Cruce iterum descendit ad sepulchrum, de sepulchro ad Inferos, quousque tandem cum gloria resurgens à mortuis in cœlū hodie ascendit, vbi

vbi sedet ad dexteram patris. Ecce scala Domini, A cuius primus gradus fuit exinanitio, secundus humilitas, tertius mansuetudo, quartus obedientia, quintus passio, sextus pietas, septimus vitæ renouatio, octauus, qui est perfectionis summa, gloria & Majestas; quando videlicet ruptis per Passionem suam vinculis mortis, infirmitas nostra, ait S. Leo, in virtutem, mortalitas in æternitatem, & contumelia transiuit in gloriam: quando inquam voce paterna inuitatus, & in fortitudine virtutis suæ gradiens, susceptus à nube introiuit in Sancta Sanctorum, dixitque Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: electos autem tuos hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. B

2. *Ascensionis Christi ratio ob exercitium virtutum Theologicarum.* 1. *Fidei.*

Secunda Ascensionis ratio & causa est, vt exinde maiores fidei, spei, & charitatis actus exerceremus, quæ sunt primariæ virtutes & Theologicæ. Primò fidei, quæ maximè hoc Ascẽsionis mysterio confirmatur. Quidnam enim est Ascensio Domini, inquit Aug. nisi fidei Catholicæ confirmatio? Qui enim credit quod Christus ascendit, consequenter etiam omnia alia mysteria credit: si enim ascẽdit, etiam resurrexit, & si resurrexit, mortuus est; & sic de aliis: sed præterea adhuc quæ sunt æterna credit, cuiusmodi est gloria & beata vita in cœlis. Dicámne quod ista Ascensio, quæ eleuat & subtrahit à sensibus, secum importat rationem fidei, quæ est substantia rerum sperandarum, argumentũ non apparentium, & sic per per hoc mysterium offertur occasio exercendi fidei actum? Heb. 11.

2 *Spei.* S. Leo. S. Aug.

Secundò etiam & spei, inquantum caput nostrũ Christus est, & nos mẽbra eius. Vnde dicit S. Leo: vbi est gloria capitis, eò & spes vocatur corporis. Sic enim, vt etiam S. August. dicit, cùm Dominus noster naturam nostram humanam syderibus importauit, credentibus cœlũ posse patere demonstrauit.

3 *Charitatis.* S. Greg.

Denique & charitatis, vbi flammas ardentes ipsum videndi & adeundi pro sua absentia excitauit in nobis. Charissimi, inquit S. Greg. Christum illuc sequamur corde, quò credimus corpore ascẽdisse, & si adhuc tenemur infirmitate corporis, eum sequamur passibus amoris. Discessit ab oculis, sed vt ad cor redeamus omnibus terrenis contemptis. Ezechiel dicebat: Eleuauit me Spiritus inter cœlũ & terram, & adduxit me in Hierusalem in visione Dei; non dicit Propheta, non dimisit me Deus super terram, vbi sunt cupidi & amatores corruptibilium; neque etiam ad cœlum transtulit, vbi sunt qui æterna possident & fruuntur; sed inter vtrumque, supra terram & prope cœlum, vbi perfecti vitæ huius, elongati à terra per contemptum, & prope cœlum per affectum, vsque ad Dei visionem rapiuntur, in Hierusalem cœlestem iam adducti iuxta ostium interius, vbi gloriæ Dei mysteria gustari incipiunt. Ezech. 8. D

Tres virtutes Theologicæ accipiuntur pro tribus alis Columba, Aquila, & Phœnicis.

Ad hoc autem peruenitur tribus istis itineribus, fidei, spei, & charitatis. Quæ sunt adhuc velut tres alæ quibus ad Deum volatur. Prima est Columbæ, secunda Aquilæ, tertia verò Phœnicis. Columba pro fide est. Quis mihi dabit pennas vt Columbæ, inquiebat Dauid, & volabo? Audi, si dormiatis inter medios cleros, pennæ Columbæ deargentatæ erunt, id est, si credas, & in doctrina Ecclesiæ mysteriorumque fidei meditatione quiescas, volabis, & ad Deum accedes: ad quem qui accedit oportet imprimis credere, ait Apostolus. Fides autem mirum in modum repræsentatur per pennas Columbæ, quæ oppositæ radiis Solis multiformes apparent, licèt sint semper eædem & æquales. Ita fides vna & simplicissima in se iuxta vnitatem sui obiecti, in diuersis tamen diuersa videtur mysteriis.

Aquila pro spe accipitur, iuxta quod dicit: Qui sperant in Domino, assument pennas vt Aquilæ. Aquila directè Solem respicit: ita spes Deum, quæ in omnibus eius innititur promissis. Et certè pro præsenti mysterio, non sine mysterio olim dictum est à Christo; *Vbi erit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ.* Aquilæ, animæ iustæ sunt & fideles; corpus autem quod illas congregat, humanitas Christi est.

Pro Phœnice intelligitur charitas. Sicut enim Phœnix rogo ardore Solis incenso in illo consumitur, & postea de cineribus propriis renascitur & resurgit: ita si charitate accensus super lignum Crucis consumaris, ita vt teipsum totum in cineres redigas, tunc nouus resurges, & gloriosus expandes alas tuas versus Solem illum Iustitiæ, qui Christus est, & qui ascendit super omnes cœlos ad dexterã patris in excelsis. Hæc est via, & hic igneus currus mystici & spiritualis Eliæ, per quem volatus noster & ascensus est ad Deum dirigendus. Iste currus est Dei amor & charitas: quatuor rotæ sunt totidem modi diligendi Deum, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus: duo equi sunt fides & spes: & auriga qui regit & gubernat, agit & eleuat, Spiritussanctus fons omnis amoris, & pro cuius missione ad nos etiam ad patrem Christus ascendit. *Currus mysticus Elia.* C

Tertia & vltima Ascensionis ratio est: Expedit vobis vt ego vadã, inquiebat Dominus. Si enim nõ abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Cùm autem venerit ille, testimonium perhibebit de me, me clarificabit, & annunciabit vobis. Quid annunciabit? omnem veritatem, scilicet ea quæ cum veritate sunt quærenda, cœlestia, diuina, & æterna. Magna equidem promissa sunt Christi, vbi in illo Spiritu promissum & donum idem sunt. Sic 1. Pet. 1. dicitur, quod nobis per Christum Deus maxima & pretiosa promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ. Promissa ista & dona Spiritussanctus sunt. Et fortè ratio est, cur tam sæpe de illo nobis loquutus est Christus, scilicet, quia & omnium maximum promissum erat, & donum quo donantur omnia, vt breui dicemus; atque etiam vt in nobis tantæ rei excitaret desiderium. Sic enim ad hunc finem Samaritanæ dicebat: Si scires donum. Et sic aliquando in magno festiuitatis die clamabat: Si quis sitit, veniat ad me. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum, comparans flumini donorum ipsius abundantiam. *3 Ratio Ascensionis Christi, missio Spiritussancti.* Ioh. 16. *Cur tam sæpe Christus de Spiritu sancto loquutus est.* Ioh. 4. & 7.

Vultis ergo scire ad quid ascendit ad patrem? Certè vt mittat in nos hunc fontem bonorum omnium. *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre,* &c. Sed etiam scire vultis quid requirat à nobis? Certè vt dilatemus & præparemus ei corda nostra. O vtinam pura Dei capacitas essemus: siquidem & ad hunc finem missus est, vt impleat nos. Sed est necesse vt purgemus; nam in animas sanctas se transfert, ait Sapiens. Et S. Bern. Gratia Spiritussancti balsamum est purissimum, & requirit vas mundum. Impossibile est enim animam repleri deliciis Spiritus, & talis Spiritus, quæ subiacet carnalibus delectationibus. hæc ille. E *Spiritussanctus præparationem requirit.* Sap. 7. S. Bern. in Cant.

Spiritussanctus consolationis Spiritus est, vnde dicitur paracletus; *Cùm venerit paracletus.* Ergo venit vt consoletur. Sed quos? certè qui terræ consolationes

Diuersimodè consolator est Spiritussanctus. tiones respuunt, & diuinas quærunt. Vnde diuersimodè consolatur. Primò, peccata remittendo, sicut Apostolus dicit: Lex Spiritus vitæ in Christo liberauit me à lege peccati, quia, iuxta Sapientiam, (Rom. 8. Sap. 1.) benignus est, & ideo facilis ad veniam: & iuxta ipsum Christum dicentem; Spiritus est qui viuificat. (Iohan. 6.) Secundò, reuocando in pristinam gratiam. Sic ad Ephes. (Ephes. 2.) Accessum habemus ad patrem in vno Spiritu. Quis est ille vnus Spiritus? Spiritussanctus vnus & idem singulis diuidens prout vult. Vnde sic ait Apostolus: Fratres, iam non estis hospites & aduenæ, sed ciues Sanctorum & domestici Dei. Tertiò, nos adoptando in filios Dei. (Rom. 8.) Ideo enim inquit idem Apost. Accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater. Ipse est enim Spiritus qui testimonium dat, &c. Quartò, promittendo cœlestia. (Ephes. 1.) Sic ad Ephes. 1. Signati estis Spiritu sancto promissionis, qui est pignus hæreditatis nostræ. Quintò, tribuendo etiam in hac præsenti vita fructum aliquem futuræ gloriæ. 2. Cor. 3. (2. Cor. 3.) Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformabimur, à claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu. Sextò denique, deducendo in vitam æternam, vt Psaltes dixit: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

Quæ dispositiones sunt necessariæ ad Spiritum sanctum. Ecce itaque quale flumen est gratiarum & donorum Spiritussanctus, Spiritus veritatis, & consolationis. Ecce etiam & quales necessariæ sunt dispositiones. Primò, puritas cordis. Mundum enim te decet habitaculum, ô emundans virtus, dicit S. Aug. Secundò, humilitas. Super quem enim requiescet Spiritus meus nisi super humilem? dicit Dominus. Tertiò, desiderium & inuocatio. Psal. 118. *Os meum aperui, & attraxi Spiritum.* Sap. 7. *Inuocaui, & venit in me Spiritus sapientiæ.*

DE MISSIONE ET ADuentu Spiritussancti in mundum.

Paracletus autem Spiritussanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Ioh. 14.

MAGNVM hodie & admirabile fit commercium inter cœlum & terram à IESV Christo creatore & reparatore hominum: de terra nostra in cœlum deduxit humanitatem nostram, & nobis emittit de cœlo Spiritum sanctum suum in terram. Hodie ignis de cœlo missus est in terram, vt ardeat: hodie denique Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, vt renouet omnia. Iuxta Moysem (Genes. 1.) in Genesi, in prima creatione mundi dicitur quia Spiritus Domini ferebatur super aquas, vt renouaret terram quæ erat inanis & vacua, vt sic ex inani redderet vulem, ex vacua refertam, & ex informi formosam. *Spiritussanctus creator & reparator.* Sic hodie Spiritussanctus facit, dum fertur super aquas gratiæ in reparatione mundi, omnia facit, & innouat, sustinet & viuificat. Si mortuum corpus aliquid posset desiderare & petere, spiritus esset & vita. Certissimum autem est nos magis in anima mortuos esse sine spiritu, quàm corpus sine anima: sed quod illud non habet, nos habemus, scilicet quod hunc Spiritum & desiderare

A re & petere, & obtinere possumus. O si comprehenderemus quis sit, cùm non alius sit quàm Deus, quot suspiria & preces funderemus? Sed quis tale donum mereri poterit? aut quo pretio & labore adipisci? *Sine absentia Christi Spiritum sanctū non receperunt Apostoli.* Apostoli tribus annis fuerunt cum Christo, & minimè eum receperunt: quadraginta adhuc diebus post Resurrectionem eius conuersati sunt cum eo, & post hæc adhuc non receperunt. Sed oportuit tandem vt ad vnius præsentiam habendam, absentiam alterius sustinerent, & sic pro Deo Deum darent. Istud ponderate.

Minimè equidem hic satis excogitari potest cuius pretij, dignitatis & virtutis sit tam inæstimabile donum. In hunc mundum Christus venit, vt se B vniret naturæ nostræ. *Ad quid Spiritussanctus venit.* Spiritus autem ille sanctus, vt se penitus spiritui nostro vniret, & sanctificaret eum. Talis erga nos apparet Sanctæ Trinitatis amor, vt tres diuinæ personæ veluti diuiserint inter se opera nostræ salutis, non quod simul non operentur, quod enim facit pater, facit & filius, & facit etiam Spiritussanctus; sed quia in eis per appropriationē quādam relucet distincta perfectio & actio: vt patri conuenit creatio, filio redemptio, & Spiritui sancto animarū sanctificatio. Ideo enim dicitur Spiritussanctus, cuius etiam est per aduentum suum & inhabitationem nos sanctificare, & in nobis quæ cœpit IESVS perficere. Ad hoc enim datur, vt iis quæ nobis per passionem suam & mor- C tem Christus adeptus est, perfruamur, & iuxta illa operemur. Debet enim esse in nobis omnis actionis, & vitæ principium. Sic de illo sub hac ratione loquitur Apostolus dicēs: *Qui Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.* (Rom. 8.) Et ipse Christus hodie ipsius aduentui attribuit omnia, Paracletus autem Spiritussanctus, inquit, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia. Hincque etiam est quod comparatur igni, qui valde actiuus est, sub illaque forma in discipulos descendens apparuit.

Quare modò dicendum est nobis ex Euangelio, cur paracletus à Christo dictus est: quomodo ab eo missus, & cur adhuc sub ignis Dei forma visus D est, vt in Actis Apostolorum legitur, hodieque in (Act. 2.) Ecclesia lectū est: Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, & repleti sunt omnes Spiritu sancto. Ecce tria. *1. Triplici ratione Spiritussanctus paracletus dicitur.* Quantum ad primum, sciendum est, Spiritum sanctum triplici ratione dici paracletum, quem interpretamur consolatorem. Primò, quia amor est perfruens; amor quidem infinitus infinito bono perfruens. 1. Notandum enim est, *Duplex amor.* amorem esse duplicem. Vnus est indigentiæ & mendicitatis, seu amor desiderans, qui inseparabilem socium dolorem habet. Alter est plenitudinis, opulentiæ & fruitionis, qui pro germano gaudium habet & consolationem. Talis est Spiritussanctus amor patris & filij, amor Dei, & Deus amor, qui E est summum bonum & perfectissimum. Vnde ex eo dicitur consolator. Secundò, ratione officij. 2. Ita enim missus est in terram, vt loco filij discipulos & fideles consoletur. Ego, inquit, rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum: non relinquam vos orphanos, propterea non turbetur cor vestrum. Tertiò, ratione effectus, 3. qui est gratia & adoptio filiorum Dei. Ipse namque veniens in animam, nos filios & hæredes Dei facit, cohæredes autem Christi. Rom. 8. Spiritus est qui testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filij Dei. O quanta ista consolatio est, & quàm felix ille qui scit se ita disponere, vt tam dignum hospitem & inhabitatorem mereatur re-

cipere! Ecce equidem vnde consolator & paracletus meritò dici potest. *Paracletus autem Spiritussanctus, quem mittet pater in nomine meo,&c.*

2. De missione Spiritussancti triplex est veritas. 1.

Ecce quantum ad secundum, scilicet ad missionem eius. Triplex autem est veritas quantum ad hoc. Prima est, missionem in diuinis continere & dicere productionem. Vnde fit quod persona in Deo non potest aliam mittere nisi quam produxit, aut etiam mitti nisi ab ea à qua producta est, vt filius non est nisi à patre missus, à quo genitus est, vt ipse dixit apud S. Iohan. Exiui à patre, & veni in mundum. & alibi: Qui misit me mecum est, videlicet pater. Ego enim in patre, & pater in me. Et Nicodemo Ioh. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Sic & Apost. ad Gal. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum. Similiter de Spiritu sancto dici potest. Quia à patre & filio procedit, ita etiam ab vtroque mitti perhibetur. Sic hodie, quem mittet pater in nomine meo, & similiter quem ego mittam vobis à patre. Vbi sciendum est, filium habere suum esse à patre, & non solùm esse, sed etiam omnia quæ habet, virtutem & actionem; *Omnia mea tua sunt*, ait Ioh. 17. & sic creauit filius cœlum & terram, sed à patre: Ecclesiam regit, sed à patre: nos amat, sed à patre: ad nos mittit & Spiritum sanctum, sed à patre. Quem mittam vobis à patre, & quem mittet pater in nomine meo.

Ioh. 3. Gal. 3.

Filius omnia habet à patre.

2. Secunda veritas iuxta Euangelium præsens talis est, patrem adhuc filium suum respicere non tantùm vt Deum, sed etiam vt hominem, eáque ratione mittere Spiritum sanctum in nomine filij, id est, pro amore, merito & gratia filij. Passio Christi infiniti est meriti, & quidem promeruit omnibus remissionem peccatorum. Interim non est effectus qui tali merito sit æquiualēs & proportionatus, nisi donum & missio Spiritussancti. Missio equidē Spiritussancti ex emissione est spiritus Christi in Cruce.

3. Tertia & vltima veritas hæc est, patrem adhuc misisse ad nos Spiritum sanctum ex precibus Christi: hodie, quem mittet pater in nomine meo; & absolutè pro omnibus. Amen, amen dico vobis, si quid petieritis patrē in nomine meo, dabit vobis. Petite, & accipietis. Stephanus oratione & precibus lucratus est Paulum: latro in momēto & puncto mortis prece inuenit remissionem peccatorum: Elias precibus clausit & aperuit cœlum. Magna sunt hæc, sed super omnia est missio Spiritussancti, quæ precibus facta est Christi. Ego rogabo patrem meum, & alium paracletum dabit vobis Spiritum veritatis. Spiritum veritatis inquit, quem mittet pater in nomine meo. Ecce quæ ipsum meruere nobis, preces, nomen & merita Christi.

3. Duplex mysterium in missione Spiritussancti sub forma linguarum ignearum. Triplex ratio, cur sub forma linguæ descendit.

Sed nunc quantum ad tertium rationes videamus, cur sub forma linguarum ignearum missus est. Hic duo explicanda sunt. Primum est, cur sub forma linguæ visus est, vt notatur in Actis. Secundum, cur igneæ: hæc enim non fine mysterio sunt. Et de primo triplex item inuenitur ratio.

1. Prima est, quia sicut verbum nostræ mentis manet reconditum, & non proditur nisi lingua & voce quæ sensa animi explicat: ita filius Dei qui est verbum & conceptus patris, minimè reuelatur nobis, sed semper remanet absconditus, nisi reueletur nobis à patre per Spiritum sanctum, qui ideo dicitur lingua patris, sicut etiam filij, vt ipsemet dicit: Cùm venerit ille, me clarificabit, & testimonium perhibebit de me. Et Apost. Nemo potest dicere IESVS nisi in Spiritu sancto. Vnde & sub illa forma linguæ apparuit, quia ipse est qui dat verbum euangelizantibus virtute magna, suggeritque omnia quæ de Christo dicenda sunt.

Secunda ratio est, quia ipse est Spiritussanctus qui vnionem verbi patris cum nostra humanitate operatus est. Speciali enim & admirabili modo Christus conceptus dicitur de Spiritu sancto. Ista autem vnio meliùs conuenientiúsque significari non potest, quàm commercio verbi mentalis cum exteriori voce quæ per linguam efformatur. Mens nostra ex se quidem non cadit sub sensus, nisi arte & operatione linguæ quæ vocem fabricat. Sic filius Dei vnigenitus qui est in sinu patris, non fuit subiectus sensibus nostris, nisi cùm Spiritussanctus operatione sua & arte admirabili humanitatē ipsius fabricauit in vtero Virginis, qua ipse sibi hypostaticè coniuncta, nobiscum postea conuersatus est, atque in terris visus est. Vnde etiam & alia multa quæ miram inter se conuenientiam habent, sequuta sunt. Mens nostra habet suum esse permanens, indiuisibile, totúmque in se simul subsistens: vox è contrà successiuum habet, & continuò currens ad non esse. Ita est de verbo æterno in sinu patris, vbi subsistit cum suo esse semper permanenti: eius verò humanitas esse successiuum habuit, quousque tandem morte resoluta est quam in Cruce passa est. Item mens nostra ministerio & vehiculo vocis simul in plura loca defertur: & verbum diuinum similiter adminiculo humanitatis, speciali modo simul in cœlo & in terra inuenitur, multísque etiam adhuc in locis terræ super nostra tremenda Altaria. Quis itaque ista tam miranda fecit? Author est Spiritussanctus Altissimi virtus. Sic Gabriel Virgini dixit: *Spiritussanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Idcóque*, &c. 2.

Conuenientia inter Incarnationem & explicationē nostræ mētis.

Tertia & vltima ratio petitur ex S. Chrysostomo. Ideo, inquit, in linguis apparuit, vt homines qui diuersis linguis inter se diuisi fuerant tempore turris Babylonicæ, in vnum spiritum & voluntatem coadunaret, Gentiles cum Iudæis, Parthos cum Medis; sicque omnium vna lingua esset, sicut vna omnium & eadem fides. 3.

Cur sub ignis forma missus est. Triplex item ratio.

Ad secundum veniamus, & totidem rationibus ostendamus, cur in forma ignis missus est Spiritus sanctus. Prima est propter qualitatem & conditionem ignis. Ignis in suo elemento non agit, extra verò omnia facit: omnia enim opus igne habent, panis, cibus, & omnia alia necessaria vitæ. Ita est de Spiritu sancto. (Et quidem hæc notanda ratio est.) In Diuinitate est veluti infœcundus Spiritussanctus, neque enim producit, pater filium producit, & filius cum patre Spiritum sanctum: non autem producit personam in Diuinitate Spiritussanctus. Ad intrà non est agens, sed potiùs omnis actionis diuinæ terminus: ad extrà verò agit omnia, creat, renouat, accendit, viuificat, &c. 1.

Secunda, quia Spiritus ille ignis est, inquantum amor est. *Deus noster*, inquit textus sacer, *ignis consumens est.* Et S. Bern. lib. de Consider. loquens de Seraphim, dicit. Ardent Seraphim igne Dei, vel potiùs igne Deo (qui est supremus & sanctus Spiritus qui Deus est,) & sic quod præcipuum est in eis, amant. Triplex inuenitur ignis. Elementaris vnus, qui sub cœlo est: cœlestis alter, qui est in Sole; & supercœlestis seu diuinus, qui est Spiritussanctus. Item alio modo inuenitur triplex. Vnus naturalis, qui est calor vitæ, & excellentissimum naturæ corporalis opus: alter gratiæ & charitatis, qui est deuotio & eleuatio animæ ad Deum. Denique ipsa charitas, seu sanctus amor, qui est Spiritussanctus: amor qui Deus est & fons omnis amoris. Ille amor quo filius patrem 2.

Triplex ignis.

Alius ignis triplex.

patrem diligit, & pater filium quo filius est in patre,& pater in filio, qui denique diuinarum personarum est vinculum,& quo solo conuenit creaturæ diligere Deum. Ad hunc enim finem misit eum Deus in hunc mundum.

Duplex Ciuitas ex duplici amore. S. August. in Psal.

Quæso discretionem hodie faciamus amoris. S. August. in Psal. duplicem dicit esse amorem, qui duplicem constituit Ciuitatem. Cœlestem vnam, quæ est Hierusalem: & infernalem alteram, quæ Babylonia est. Amor Dei Hierusalem facit, & Babyloniam amor sæculi. Videat itaque vnusquisque cuius Ciuitatis incola esse velit. Hodie Christus volens nos esse ciues supernæ Hierusalem Ciuitatis cœlestis, nobis ideo suum misit amorem diuinum, qui est Spiritus eius sanctus, ignisque purissimus qui in altari cordium nostrorum ardere debet, quo solo Deum debemus amare,& amantes sacrum sanctissimę Trinitatis Templum efficimur, dicente hodie Christo: *Si quis diligit me, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* O vim admirabilem dilectionis diuinæ in Spiritu sancto, qui animam capacem reddit totius in se recipiendæ Diuinitatis! Nec mirum, quia patris cum filio admirabilis nexus est. Cultor Christi, inquit S. Bernardus, amator Dei, quid tibi modò videtur de præmio tui amoris? Anima mea quare non ardes? Ecce ignis de cœlo missus; & quid volo nisi vt accendatur? dicit Dominus.

Dilectio Dei animā Templum Trinitatis constituit.

S. Bern. de interiore domo.

3. Ratio & vltima.

Ad vltimum tandem tertia ratio, cur Spiritus sanctus in forma ignis apparuit, est, vt vim indicet & ornatum quibus discipuli Christi,& eorum successores præmuniri debeant ad loquendum, vt conuertere cum efficacia possint, & audientium cor charitate accendere. Ita enim dicit Dauid: *Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.* Hic totus est prædicationis scopus; plenitudo legis dilectio. Et hoc facit Dei Spiritus in nobis,& tale in nobis est eius præsentiæ indicium. Quod itaque illi debemus, est imprimis adoratio, gratiarúmque actio, quod venit vt Christum nobis manifestet. Secundò, perfecta animi submissio inspirationibus eius, maximè quia in nobis operatur quod Dei filius in nobis acquisiuit & meruit. Tertiò denique est verus & perfectus amor Dei & proximi, qui cum exercitio bonorum operum est. Ipse enim amor est & essentialis amor, ignísque semper agens & numquam otiosus. Vnde signum quod Spiritum sanctum & dilectionem Dei habeamus, est diuinorum præceptorum custodia. Probatio enim dilectionis, inquit S. Gregorius, est exhibitio operis. Et Christus hodie: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Qui enim habet mandata mea,& seruat ea, hic est qui diligit me.

Tria ab homine debentur Spiritui sancto.

DE FILIO DEI NOBIS dato à patre.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Iohan. 3.

Triplex causa aduentus Spiritussancti post aduentū Christi.

Licet Christus Iesvs filius Dei in omnibus nobis sufficiat, tamen adhuc valde conueniens fuit multis de causis, vt veniret Spiritussanctus. Prima est, vt mundus de eo cognitionem aliquam haberet. Pater iam manifestauerat se in creatione rerum omnium; filius similiter in Incarnatione. Restabat ergo vt reuelaret se Spiritussanctus in

1.

A opere suo, quod est nostra iustificatio. Quare & visibiliter hodie descendit in forma spiritus vehementis & ignis, vt appareret qualis eius est in nostras animas inuisibilis aduentus: & quid in illis agat, renouationem videlicet vitæ & sanctitatem. Secunda est, vt nobis eumdem filium Dei reuelaret, sicut iam dicere cœpimus; atque etiam vt eius merita applicarentur nobis per ipsum. Hinc enim est quod ei distributio donorum Dei attribuitur, nostráque sanctificatio. Tertia, vt tali mundo cognitione data etiam ipsum diuino amore inflammaret. Quare & in forma linguarum ignearum in discipulos descendit. Pro cognitione linguæ sunt; ignis pro amore. Quæ duo quidem sunt quæ simul B attulit, & dat adhuc hodie simul Spiritussanctus. Neque enim scientia Dei est & Christi absque dilectionis ardore: vnde quod adhuc expressè facit & operatur in nobis, illa est specialis notitia dilectionis patris qua filium suum vnigenitum nobis donauit: & quod item illa intelligimus verba & penetramus quæ ipsemet Dei filius retulit nobis Iohan. 3. dicens: Sic Deus dilexit mundum, &c.

2.

3.

Duobus modis in Deo consideratur amor. Necessarius, & ille duplex.

De illo itaque amore hodie loquuturi, operæpretium est vt antea quid sit amor in Deo cum distinctione dicamus. Duobus enim modis considerari potest. Primò, vt necessarius, & ita duplex. Vnus essentialis, absolutus & communis, principio carens. Alter notionalis & personalis, qui est rela- C tiuus Spiritussancti ad patrem & filium, initio quidem carens, sed habens principium: vterque autem simplex, æternus & infinitus seipso, qui numquam extra Deum egreditur, & qui in Deo Deus est, & qui semper manens in eo semper ad ipsum reuertitur, & sic consideratur non vt creaturas respicit; sed Deum solum. Secundò, vt liber est & relatiuus ad nos: prout videlicet in tempore ad nos extenditur,& per gratiæ suæ donum inuenitur in nobis.

Liber Dei amor, & ad creaturā relatiuus.

S. Dionys. lib. de diu. nominibus cap. 4.

Igitur si de primo loquamur, & prout in solo Deo inuenitur, & in quantum essentialis est, & in quantum notionalis seu personalis, diuinitus definiuit,& meliùs descripsit S. Dionysius ex S. Hierotheo lib. de diu. nominib. qui ita loquitur. Diuinus D amor ostenditur sicut quidam æternus circulus per optimum, ex optimo, in optimo, & in optimum inenarrabili conuersione circumiens: & in eodem & per idipsum proueniens semper, & manens, & reuolutus, seu, vt verterunt alij, restitutus. hæc ille. Ecce descriptio tantum quidem difficilis, quantum difficile est intelligere & explicare quid sit Dei amor, vt in illo. Dicit primò esse velut circulum: quia amor Dei vt in seipso est, est infinitus, principio & initio carens; principio, vt essentialis; & initio, vt personalis: vnde æternus est. Secundò dicitur, circumiens ex optimo, qui pater est: per optimum, qui filius est: in optimo, videlicet Spiritu sancto: in optimum tandem, nempe vnum & eum- E dem Deum obiectum proprium. Hæc inenarrabilis conuersio est, & inexplicabilis circulus diuini in Deo amoris. Est enim vnus amor trium, sicut tres vnus sunt Deus: & sic in eodem Deo, & per idipsum vnus trium amor. Amor proueniens semper,& manens,& reuolutus seu restitutus. Proueniens semper, quia semper pater filium diligit,& filius patrem: ex eóque mutuo amore semper procedit Spiritussanctus, qui est amor vtriusque: & sic manens semper & restitutus, vt nexus vtriusque. Vnde circulum in Deo constituit, in quo identitas cum æternitate ostenditur.

Si verò de posteriori loquamur prout ad nos extenditur & relatiuus est, sic Sanctus Bonauentura

S. Bonauen. in 3. Sent. dist. 32. q. 2.

tura Seraphicus Doctor definiuit dicens. Amor est donum in quo omnia alia dona donantur. Hæc definitio satis quidem vniuersalis esse potest, & multis aliis conuenire: tamen exactè, extensiuè & intensiuè sumpta, non potest referri nisi ad amorem Dei. Nullū enim donū est in quo omnia donantur, nisi istud quod est amor Dei. Et quæso hāc veritatem diligentiùs examinemus. Tale donum heri recepimus, scilicet Spiritum sanctum; & nónne in eo simul omnia bona recepimus, qui fons est bonorum omnium, & communiter appellatur dator munerum? Hodiéque item in filio nos tale donum recepisse Ecclesia repræsentat, cùm post talem hunc amorem filij in missione & dono Spiritussancti, statim etiam nobis proponere voluit amorem patris in dono filij sui, cùm ipsemet Nicodemum instruens, illi hæc verba dicebat, verba quidem inexplicabilia: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Sic, vt vndique talis amoris innotescat incomprehensibilitas. In quo etiam optimè Sanctus Bonauentura diuinum definiuit amorem, vbi donum dixit in quo donantur omnia.

Mutua dona patris & filij, in quibus donatur omnia.

Ioh. 3.

Quid sit amare in Deo.

Verùm antequam ad fusiorem explicationem veniamus, quid sit amare in Deo dicamus. Amare Dei, seu in Deo, est nobis velle bonum, proportionatum autem infinitæ eius potentiæ & bonitati. Deus amat, sed infinitè amat: vnde & infinitum bonum vult & donat. Dicam vno verbo? nos amando, totum quod dare potuit, dedit, filium dedit. Sic Deus dilexit mundum. Dicam, & amorem ipsum dedit Spiritum sanctum. Et certè minimè aliter facere potuit, nos diligendo sic. Sic Deus dilexit mundum.

Deus per omnia amor est, & quomodo.

Hoc autem accidit ex eo quod Deus per omnia amor est; essentialiter amor, personaliter amor, eminenter amor, effectiuè etiam & operatiuè amor. Deus essentialiter amor est, quia eius natura & essentia bonitas est. Et sic Trinitas amor est essentialiter: Deus personaliter amor, quia adhuc persona Spiritussancti per distinctionem & proprietatem amor & est, & dicitur, est enim eius proprietas personalis ipsum constituens & distinguens. Deus eminenter amor, quia eius summa perfectio, quódque in eo per differentiam præcipuum est (si in eo aliqua differentia inueniri potest,) charitas est. Vnde etiam effectiuè & operatiuè amor, quia quod operatur in nobis, operatur ex amore. Plura dicam; ipsum etiam adhuc in nobis operatur amorem, seipsum tandem naturæ nostræ capaci amore communicans. Amor enim Dei Deum donat, nec aliquem Deus amat capacem sui, quin etiam statim in eum veniat. Quid ergo mirum, si diligens mundum, ei dederit filium? & si filius dederit Spiritum sanctum?

Amor Dei omni ex parte infinitus.

Itaque, ô Christiani, sic Deus dilexit mundum. Sic, vt sic significet omni ex parte dilectionem eius infinitam fuisse, neque vllam vnquam fuisse maiorem, & ex parte diligentis, & dilectionis, & doni. Diligentis, qui Deus est: dilectionis, quæ Deus est; & doni item, quod Deus est. Diligens enim est pater, dilectio Spiritussanctus, & donum filius. Ecce vbique Deus, & per consequens in tali amore infinitas vbique. Sic Deus dilexit mundum. Quid dilexit? dilexit mundum. Ecce adhuc infinitas ex parte dilecti. Diligit enim Deus quod à se est infinitè distans & dissimile, videlicet mundum. Quare singulis verbis, vt optimè hic animaduertit Maldonat. expressè Christus voluit nobis erga nos hunc maximum Dei patris exaggerare amorem, cùm dixit, & simul hæc tria coniunxit: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat.* Ecce tria.

Maldonat.

1. Quod maximum videtur in dilectione Dei.

Primum autem quod maximum videtur in illo amore, istud est, quod Deus mundum diligens, homines dilexit infinito interuallo à se distantes & dissimiles: & præterea adhuc peccatores & suos inimicos, cum quibus certè nulla apparebat ratio eiusmodi contrahendi & conciliandi amoris. Et quæso quid bonitatis aut conformitatis in mundo Deus reperit, vt sic diligeret eum? Totus mundus, ait S. Iohan. in maligno positus est, omnéque quod in eo est, aut concupiscentia carnis est, aut oculorum, aut superbia vitæ. Ecce certè quomodo nulla ratio bonitatis erat in mundo vt diligeretur, & tamen sic Deus dilexit, &c. Sed videamus adhuc si eum diligere potuit: nam bonum esse debet diuini amoris obiectum. Igitur sciendum est quod inter amorem Dei & hominis illud est discrimen, quod hominis amor in re quam diligit, præsupponit bonitatem: Dei autem amor causat & ponit in illa. Vnde sicut Deum aliquem amare, est illi velle bonum, etiam inde sequitur quod in eo ponitur bonum, vnde Deus amat illum. Secundum suam naturam operatur Deus, & quia summè bonus est, etiam non vult nisi bonum. Quare cùm voluntas eius sit operatio, statim etiam illud bonum quod vult in re operatur. Præterea dicimus quia obiectū primarium, & adæquatum diuinæ dilectionis est ipsius Dei bonitas infinita, propter quam operatur: secundarium verò, si vultis, talis bonitas causata in creaturis.

Num Deus potuit diligere mundū.

Differentia inter amorē Dei & hominum.

2. Quod item videtur maximum.

Secundum quod in isto amore maximum aduertitur, illud est, quod illius ratione non quodcunq; Deus fecit & dedit, sed filium suum vnigenitum dedit. Non seruum dedit, non Angelum seu Archangelum, aut thronum, sed filium; non alienum, sed suum: non vnum è multis, neque enim plures habet, sed vnigenitum, & dedit illum. Certè quia nos infinitè amauit, etiam totum quod nobis dare potuit, dedit: filium suum vnigenitum dedit. Dedit, & non mutuauit: dedit, & non vendidit. Neque enim æstimatur pretio quem gratis donauit, & dedit sic.

3. Maximū.

Sed ad quid dedit? Ecce postremum & tertium quod in amore patris videtur maximum. Dedit, vt omnis qui credit in eum, non pereat: & non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Denique dedit, non ad imperandum, sed seruiendum nobis, & pro peccatis nostris moriendum: vt sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita & filius hominis exaltetur à terra, & aspicientes in eum sanentur à languoribus suis. Dedit itaque eum pater, id est, in manus peccatorum tradidit ipsum. O summam & infinitam dilectioné patris! Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum, ait Apostolus, quomodo etiam cum illo nobis omnia non donauit? Quis ergo prior dedit illi, & retribuetur ei? Abraham filium suum obtulit & dedit Domino, interim ipsum viuum in domum suam reduxit. Sed quæ comparatio filij Abrahæ cum filio Dei? Addamus. Abraham Isaac suum Deo: Deus autem mundo filium suum dedit & obtulit. Vbi adhuc videmus beneuolentiam Dei, qui noluit ab Abrahamo liberalitate vinci. Ideo enim quia Abraham voluerat immolare filium suum Deo, Deus dedit suum mundo, veritate figuram complente in sanguine Crucis.

Rom. 8.

Gen. 22.

O stupenda Dei dilectio, qua voluit Deus vt pereat filius, ne pereat seruus, vt vnigenitus Dei moriatur,

Gen. 37. moriatur, ne moriatur homo! Legimus Iacob ex nimio amore & solicitudine filiorum suorum, qui morabantur in Sichē in pascendis gregibus, misisse ad eos paruulū Ioseph, vt videret si cuncta prospera essent erga fratres eius, qui tradiderunt eum & vēdiderunt Ismaëlitis. Sed quidnam est istud cum amore Dei patris? qui vnigenitum quem habebat, tradidit hominum voluntati, mittēnsque ipsum ad ad nos, vt nos per viscera misericordiæ suæ visitaret Oriens ex alto. Non solùm vili pretio triginta argenteorum vendidimus ipsum alienigenis, sed etiam ei manus violentas attulimus.

O Christiani, si probetur operibus amor, qualis erit iste qui probatur tali opere? videlicet sanguine & morte filij Dei. O stupenda Dei dilectio! Sic Deus dilexit mundum, &c. S. Anselm. in meditat. suis sic ait. Quæ est maior Dei dilectio, quàm cùm non haberes vnde te redimeres, pater tibi dicit: Accipe filium meum, & da eum pro te; & filius similiter: Accipe me, & redime te? Sic Deus dilexit mundum. O quàm verum est istud, quod Deus semper in cunctis operibus suis cum gloria sua nostrā vtilitatem coniungit. Omnia vestra sunt, inquit Apostol. vos autem Christi: Christus autem Dei. Deus dedit Christum, Christus se, & secum omnia nobis, vt certè iam omnia nostra sint. Quid nunc ergo exiget à nobis, qui sic se & omnia dedit nobis? Certè vt ipsius simus, & amore eius amorem compensemus.

S. Ansel. in medit.

1. Cor. 3.

DE DONO ET SPIritu vitæ in Christo IESV.

Per me si quis introierit, saluabitur: veni vt vitam habeant. Ioh. 10.

Christus via, & vita nostra.

CHRISTVS IESVS via est, & via nostra, vita est, & vita nostra. Per me si quis introierit, saluabitur: veni vt vitam habeant. Ecce via & vita; via nostra, & vita nostra. Sic distinctè Iohan. 14. Nemo venit ad patrem nisi per me. Ego sum via, veritas & vita. Via ducens, veritas lucens, vita pascens: hodie, per me si quis introierit, pascua inueniet. Via non errans, veritas non fallens, vita non deficiens. Apoc. vlt. Ecce venio, & merces mea mecum est. Quærentibus via non errans. Quærite, & inuenietis. Inuenientibus veritas non fallens. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. In ipso verò manentibus vita non deficiens. Qui manet in me, hic fert fructum multum; fructum vitæ non deficientis. Ego sum via, veritas & vita. Via errantibus, veritas dubitantibus, vita credentibus. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Via incipientium, veritas proficientium, vita perfectorum. In ipso vita erat, omnium vita erat, & maximè perfectorum vita, vt Apostolus ait: Vita vestra abscondita est cum Christo, in Deo. Et alibi: Lex Spiritus vitæ in Christo IESV. Vita interior & gratiæ, vita abscondita & Spiritus: Qui enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Misit autem Spiritum filij sui Deus in corda nostra, in quo clamamus, Abba Pater, dicit Apostolus. Ita vt cum eodem dicere liceat, quia omnia & in omnibus Christus. Via est in exemplo, veritas in promisso, & vita in dono. Via in præceptis, veritas in consiliis, & vita in præmiis, vt S. Iohan. ait: Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius. Qui habet filium, habet

Ioh. 14.

Ioh. 10.

Apoc. vlt.

Ioh. 15.

Ioh. 11.

Coloss. 3.
Rom. 8.

1. Ioh. 5.

A vitam. Ego veni, inquit, vt vitam habeant. Per me si quis introierit, saluabitur. Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria, inquit Apostolus. Ego sum ostium, dicit Dominus: per me si quis introierit, saluabitur. Ego sum via ad vitam æternam.

Sed quis aperit nobis illam viam? Vtique Spiritussanctus, qui ostiarius est, author & principium vitæ nostræ. Ipse Spiritus quem ad nos misit Christus, & qui ipsius est: neque enim viuere possumus vita Christi, nisi per Spiritum Christi, qui omnis vitæ nostræ est principium. Hincque est quod idē Spiritus qui in temporum initio animauit hominem vita rationis, in temporis plenitudine missus est, vt ipsum vita gratiæ reformaret, idémque fieret creator & reparator vitæ nostræ. Mysterium notandum est, illiúsque conuenientia in vtroque Testamento, veteri & nouo; in Genesi, atque Euangelio. Primò in Genesi, vbi de creatione mundi sermo est, legitur quod Spiritus Domini ferebatur super aquas, videlicet, vt omnia animaret, sicut explicauit Psalmista dicens, quod Spiritu oris Domini omnis virtus eorum: sed expressiùs vbi de formatione hominis ad Dei similitudinem mentio fit. Ibi enim dicitur quod in faciem eius Deus inspirauit spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Hæc verba magno mysterio plena sunt. Filius Dei, patris imago est, homo verò ad Dei imaginem factus. Vnde sic factus? vtique ex spiritu vitæ inspirato in faciem eius. Nam ex parte corporis de limo terræ formatus est, & sic comparatus & similis factus iumentis insipientibus.

Spiritussanctus ostiarius & author vitæ nostræ in Christo Iesu.

B

Conuenientia vtriusque Testamenti circa donum vitæ factum homini in Spiritu sancto.

Gen. 1.

Gen. 2.

C

Igitur ex parte Spiritus Dei quo animatus est, ad Dei imaginem & similitudiem factus est, vnde & dictus est factus in animam viuentem: vt inde discas & recorderis, ô homo, quia iuxta animam, & non secundum corpus viuere debes. Hanc gratiam, hanc vitam à conditione tua & prima natiuitate habes. Formauit hominem Deus de limo terræ, ait Moyses, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Quis igitur ab initio author fuit & principiū vitæ nostræ? Spiritus Dei, Spiritus eius ad cuius similitudinem & imaginem factus homo fuerat, Christi IESV. Vnde etiam vt per eumdem Spiritum perficeretur vita nostra, decuit, sicque vt postrema conuenirent cum primis, initia cum fine, vbi inuenitur in homine idem Spiritus principiū & perfectio vitæ eius.

A creatione sua discit homo viuere secundum animam.

D

Quare simulatque homo perdidit spiritum vitæ suæ per peccatum, misit Deus Spiritum filij sui in mundum, & vt Apostolus dicit, in corda nostra; vt videlicet reparet in nobis vitā & omnia. Sic enim dicitur Ephes. 1. quod omnia Deus restaurauit in Christo, & quia in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitū misit Deus in mundum, vt viuamus per eum, scilicet per Spiritum eius, qui est in nobis author & donator gratiæ, hæreditatísque nostræ pignus, vt loquitur Apostolus; scilicet inquantum habentibus ipsum debetur, certóque dabitur gloria tanquam filiis Dei, & cohæredibus Christi. Iuxta quod Rom. 8. dicitur: Spiritus est qui testimonium dat spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si filij, & hęredes: hęredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Ergo fratres debitores sumus non carni, vt secundū carnem viuamus: sed Spiritui, vt secundum Spiritum viuamus, & Spiritum Christi. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Qua vita? ea certè de qua

Spiritus Christi reparator est vitæ nostræ.

Eph. 1.

E

Rom. 8.

de qua hodie Christus; Veni vt vitam habeant. Quam vitam? vitam gratiæ & Spiritus. Viuetis, dicit Apostolus, sed si Spiritus Dei habitat in vobis, id est, si quæ sunt Spiritus, & non quæ sunt carnis, quærimus. Tale namque signum est gratiæ, vitæ & Spiritus Christi in nobis. Qui scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, id est, ex differentia desider j apparet in nobis quo mouemur Spiritu. Adeò vt mundo detur Spiritussanctus, vt signum quo dignoscuntur electi à non electis, prædestinati à reprobis, & oues Christi ab hœdis. Ita ad Ephes. Credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, id est, promisso à filio Dei, vt habetur sic ex Iohan. *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, &c.* Eius itaque gratia, ait Apost. per Christum obsignati estis credentes in eum. Sed quam ob causam signati? In redemptionem, inquit, acquisitionis; in laudem gloriæ ipsius, id est, vt vos redimat acquisitionem suam, & laudetur, & glorificetur ipse; hoc enim est quod in nobis operatur Spiritus eius.

Quomodo vita gratia per Spiritum Dei vinimus.

Per Spiritum sanctum discernimur ab aliis. Eph. 1.

Multi sunt qui differenter se habent erga Spiritum sanctum. Alij penitus ei resistunt, quales erant hi quibus sic Stephanus loquebatur: Dura ceruice, & incircuncisis cordibus, vos semper Spiritui sancto resistitis. Alij contristant ipsum, cùm videlicet semel excepto in corde, postea reuertuntur ad desideria carnis. Hinc enim dicebat Paul ad Ephes. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis; id est, nolite illum aduersus vos irritare, cuius gratia signati estis in die baptismi, qui per excellentiam dies est nostræ redemptionis. Quasi diceret adhuc: qui bene cœpistis nolite deficere & finire malè. Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & postea relapsi sunt, renouari ad pœnitentiam. Nolite contristare & irritare Spiritum sanctum. Vnde ad Galat. Sic stulti estis, ait, vt cùm Spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Hoc est contristare & irritare Spiritũ sanctum Dei. Verùm sunt alij qui ipsum conseruant, sæpiùsque etiam renouant in visceribus suis. Quomodo dicebat Dauid: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritũ rectum innoua in visceribus meis. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Quis est iste Spiritus principalis? Certè est Spiritussanctus, quem ideo nobis sedulò conseruare conuenit; propterea enim ad Thessal. Apost. dicit: Nolite Spiritum extinguere. Quare nolite? Quia semel certè accensus & datus nobis, semper manet in nobis, nisi extinguatur à nobis; natura enim sua perpetuus ignis est.

Multi differenter se habent erga Spiritũ sanctũ. Primi resistentes. Act. 7. *Secundi contristantes.* Ephes. 4.

Galat. 3.

Tertij cõseruantes. Ps. 50.

1. Thess. 5.

Quare modò vnumquemque hic de duobus monebo. Primum est, vt qui hodie Spiritum sanctum accepit, studeat conseruare. Secundum, vt sciat qui non habet se Christi ouem non esse, iuxta illud ad Rom. Qui Spiritũ Christi nõ habet, hic nõ est eius: ac propterea certò periturus. Ego sum ostiũ. Per me si quis introierit, saluabitur: extra me, peribit. Ostium est, & Spiritussanctus ostiarius, qui nos introducit ad Patrem per Christum. Sic ad Ephes. Veniens Christus euangelizauit pacem iis qui longè, & iis qui propè, quoniam per ipsum ambo habemus accessum in vno Spiritu ad patrem, in vno Spiritu, ait. Mementote quia cùm peccauit Adam, misit Deus Cherubim cum gladio igneo ad custodiendam portam paradisi, ne in eum introiret peccator. Sed hodie, vt detur accessus, & vnusquisque introëat, Spiritussanctus in ignis figura ad nos missus est: vt gratia eius illuminati, diuinóque accensi amore, quæ sursum sunt, quæramus, vbi Christus est in dextera Dei sedens.

Duplex monitio de Spiritu sancto.

Rom. 8.

Eph. 2.

Comparatio.

Quare signa an oues Christi simus, & habeamus sanctum Spiritum eius, illa sunt, si illius vocem audiamus, & sequamur eum. Vocem Christi audire, est seruare præcepta eius, & colere consilia: sequi verò, est omnibus renunciare, & ambulare sicut ipse ambulauit. Ita enim adhuc fiet, vt per præsentiam Spiritus eius in nobis & imitationem, Trinitatis Templum efficiamur. *Si quis diligit me,* (quod vtique sine ipsius Spiritu fieri non potest,) *& pater meus diliget eum.* Qua dilectione? ea ipsa certè qua diligitur à patre. Ita enim apud Ioh. ad patrẽ dicebat: Notũ feci eis nomen tuum, & notum faciã, vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Ecce in quo certè per Spiritum Christi Templum Trinitatis efficimur.

Signa an simus oues Christi.

Ioh. 17.

DE AVGVSTISSIMO Sanctissimæ Trinitatis mysterio.

Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritussancti.

DVo præcipua fidei nostræ mysteria paucissimis verbis nobis Christus reserauit, diuinæ suæ Incarnationis, & augustissimæ Trinitatis. Ecce primum notum nobis: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Exaltatio est Incarnationis, & sublimitas Christi vsque ad æqualitatem Dei; vnde prouenit quod sit omnium Dominus, eique data fuerit omnis potestas in cœlo & in terra, tanquã nouo authori & principio rerum omnium. Et certè optimè dicere possumus, Incarnationis mysterium fecisse in Christo & posuisse dependentiam omniũ rerum ab ipso: illo namque mysterio constituit se centrum quod omnia trahit ad se; cœlum & terrã, Angelos atque homines. Cœlum equidem in terram traxit, & per ipsum adhuc terra cœlum traxit ad se, adeò vt potestati suæ & voluntati subiecerit omnia: vnde etiam singulariter Dominus dicitur, istúdque nomen illi vt proprium attribuitur in Scriptura sacra. Ita Rex Propheta, *Dominus,* inquit, *nomen illi.* & S. Petr. in Act. 10. *Hic est omnium Dominus.* Ibi enim de Christo singulariter loquitur. Vbi adhuc agnoscere licet eam in illo qualitatem fuisse, quam primam Apostoli mundo annunciauerunt: & hoc pro ratione æqualitatis quam habet cũ Deo patre, qui dat illi talem potestatem in omnia. Sic enim Paulus dicit: Constituit Deus pater ad dexteram suam IESVM Christum in cœlestibus super omnem principatum, potestatem, virtutem, dominationem, & omnia subiecit sub pedibus eius. Constituit, ait, non solùm quatenus Deus est, sed etiam ipsum vt hominem constituit. Sicut enim omnes diuinæ perfectiones, vt est sapientia & potestas, &c. humanitati Christi communicatæ fuerunt: ita etiam illi communicata fuit æqualitas; sicut inde Sanctus dicit Apost. Constituit Deus ad dexteram suam IESVM Christum. & in Apoc. Dignus est Agnus accipere virtutẽ & diuinitatẽ. &c.

Duo præcipua fidei nostra mysteria.

Incarnatio exaltata vsque ad æqualitatem Dei.

Christus centrum omniũ.

Christus Dominus omnium. 1 *Eius qualitas prædicata mundo.* Eph. 1.

Apoc. 5.

Igitur sicut omnes Theologi agnoscunt communicationẽ diuinæ personæ factam humanitati Christi: ita oportet vt pariter communicationẽ omnium diuina

A diuinarum perfectionũ illi factam agnoscant, iuxta quod dixit Apost. quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. i. realiter, verè, & substãtialiter; & sic omnia Dei attributa humanitati isti, sicut personam conuenire. Persona quæ se humanitati coniunxit, Deus est, & patri æqualis: ita etiam ex consequenti omnia illi attributa communicantur & conueniunt, vt videlicet Deum esse, infinitum esse, & cum æterno patre æqualitatem in omnibus habere; sicut intelligitur Apost. dicens: Constituit Deus pater ad dexteram suam IESVM Christum, id est, æqualem sibi per omnia. Dextera enim hic, & sæpius, pro æqualitate accipitur.

Quomodo omnia attributa diuina humanitati Christi conueniunt, & ipse æqualis patri dicitur.

Hic tamẽ vnũ est notandũ, quod æqualitas cõmunicatur verbo per generationem; datur verò huma-

B nitati per constitutionẽ. Constituit Deus, &c. Vnde sequitur, & subiecit ei omnia. Hac enim ratione factus est omnium Dominus; sicut ipse hodie dicit cùm redit ad patrem: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Quasi diceret: Deus sum, æqualis patri, & vnus Deus cum eo, quia cum eo omnipotens. Docete omnes gentes, in mea authoritate docete. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Euntes docete. Quid? notitiam patris & filij eius. Quod fuit ab initio, quod audiuistis, oculis vidistis, & manus vestræ contrectauerunt de verbo vitæ, attestamini, & annunciate omnibus vitam æternam quæ erat apud patrem, & apparuit vobis. Docete. Quid? quod vos docui, & à me didicistis, cùm dicerẽ sub-

1. Ioh. 1.

C leuatis oculis in cœlum: Hæc est vita æterna, vt cognoscãt te solũ verũ Deum, & quẽ misisti IESVM Christum. Quod denique ab ipso patre audistis, & didicistis in monte voce de cœlo delapsa: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. & iterum. Ego te clarificaui, & iterũ clarificabo. Hoc docete quomodo exiui à patre, & veni in mundũ, & iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Docete omnes gentes, & notum illis facite mysterium absconditum à sæculis, mysterium gloriæ, vitæ & salutis. Baptizate, & prędicate pœnitentiam omnibus in remissionẽ peccatorum. Ad hoc enim veni ante vos, & post me mitto vos. Data est mihi omnis potestas, &c.

Ioh. 17.

Matth. 17.

D Legimus in Genesi dixisse Iosephum fratribus suis in Ægypto: Pro salute vestra misit me Deus ante vos, qui fecit me Dominum & Principem in omni terra, (vt videlicet benefacerem vobis, & omnibus.) Sic hodie Christus à Deo primogenitus in multis fratribus, & Princeps in omni terra cõstitutus, per quem fecit & sæcula, dicit: Misit me Deus ante vos pro vestra omniũmq; salute. Constituitq; me Dominum domus suæ, & Principẽ fecit omnis possessionis suæ. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gẽtes. Diuinitatis meæ arcana illis pandite, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritussancti.

Genes. 45. Ioseph figura Christi.

Ecce adhuc mysteriũ quod reuelandum est cun-

E ctis, mysterium mysteriorum omnium primum & maximum; & quidem in Deo absconditũ à sæculis, quid sit Deus, & quid in eo vnitas & Trinitas: quid pater, quid filius, & quid Spiritussanctus. Hoc est mysterium, cuius hodie celebrem memoriam facit Ecclesia, quod prædicandũ est cunctis, & à cunctis sciri ad salutem est necessarium. Hęc est vita æterna, vt cognoscant te, &c. Verùm hic duo sunt quę non exiguo labore animũ afficiunt, vixque inter se conuenire possunt. Primum est, vt diximus, necessariã omnino esse istam Dei cognitionem ad salutem: in quantum est vltimus noster finis, quẽ semper scire oportet & nosse, vt in eum tendamus. Propterea. n. Apost. dicit quia sine fide. i. hac cognitione absoluta

Mysterium Trinitatis.

Necessarium ad salutem.

Duo difficilia quæ simul occurrunt spectantia ad cognitionẽ Dei.

A Dei, & vt in se est, impossibile est placere Deo. Secundum est, talem cognitionem esse supra captum nostræ naturalis intelligentiæ, & sic habitu omnino nobis impossibilem. Propterea enim. S. Greg. Naz. dicit. I a immensus est Deus, contemplatuque difficilis, vt in eo solùm cõprehendi possit quod sit immensus. Et S. Aug. in illa Ioh. verba; *In principio erat verbum.* De Deo loquimur, inquit, & quid mirum si non cõprehendimus? Si comprehendimus, non est Deus: sit pia confessio ignorantiæ magis, quàm temeraria possessio scientiæ. Attingere aliquantulum te mente Deum, magna beatitudo. Comprehẽdere autem, omnino est impossibile. Et in Ps. 35. Faciliùs dicimus quid non sit, quàm quid sit Deus. Terram,

S. Gregor. Naz. orat. 2.

S. Aug. in Iohan. & in Psal. 35.

B mare, & omnia quę in eis sunt vides? cœlum ipsum & Angelos? Et hoc nõ est Deus. Quid igitur est hoc? Solùm dicere potui quid non sit. Quæris quid sit? Quod oculus non vidit, & in cor hominis nõ ascẽdit. Quis poterit scrutari vias eius? ait Iob. Forsitan vestigia Dei comprehendes? excelsior cœlo est, & quid facies? profũdior Inferno, & vnde cognosces? Ecce Deus magnus vincens scientiam nostrã. Vnde Paul. ad Tim. Rex regũ, & Dominus dominantiũ, qui solus habet immortalitatẽ, & lucem habitat inaccessibilẽ, quẽ nullus hominũ vidit, sed nec videre potest. O altitudo diuitiarũ scientiæ Dei! Quis cõsiliarius eius fuit? Quare vt de re proposita, nunc labore exoneremus mentes nostras, sciendũ est quadru-

Iob. 11.

1 ad Tim. 6.

Rom. 11.

C plicẽ de Deo inueniri in Scriptura cognitionẽ: duplicẽ in cœlo, & similiter duplicẽ in terra. In cœlo vna est quæ dicitur cõprehensionis, & Deo soli cõpetit, de qua intelliguntur quę hactenus diximus; veluti est cognoscere exactissimè omnia Dei attributa & perfectiones. Quod quidẽ minimè vnquam vlli creaturæ, siue homini, aut Angelo cõuenire potest, & ipsius solius Dei est. Altera est visionis, quæ solis beatis in gloria conuenit, qua clarè & intuitiuè illa omnia cognoscunt, sed non cõprehendunt. De ea sic Ioh. scripsit: *Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, scimus autẽ quoniã cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est,* i. clarè, & facie ad faciem, vt loquitur Apost. Nũc. n. per speculum videmus, tunc autem, inquit, faciẽ ad

Quadruplex de Deo cognitio.

Duplex in cœlo.

1. Comprehensionis.

2. Visionis.

1 Ioh. 3.

D faciẽ; licet tamen hoc non sit per cõprehensionem.

Similiter in terra duplex inuenitur cognitio. Vna naturalis, qua Deum esse & existere agnoscimus: de qua S. Cyril. Cognitio Dei, ait, res est quę doceri nequit, sed per se discitur ab hominib. Inuisibilia Dei, ait Apost. à creatura mũdi, per ea quę facta sunt intellecta conspiciuntur. Et certè naturæ vox est: imò & nobiscum natam & impressam talem cognitionẽ habemus, vt dicit Psal. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Non dicit, resplenduit, sed signatum est, ita vt hoc deleri nequeat. Altera est fidei, qua non solùm Deũ esse agnoscimus, sed talẽ esse, sc. vnum in essentia, & trinũ in personis, & dicitur reuelationis, de qua Dominus sic: Nemo nouit filiũ

Item duplex in terra de Deo cognitio.

S. Cyril. lib. 2.

1 Naturalis.

Rom. 1.

Ps. 4.

2. Fidei, seu reuelationis.

Matth. 11.

E nisi pater, neque patrẽ quis nouit nisi filius, & cũi voluerit filius reuelare. Vnde dixit Apost. quia accedẽtem ad Deum oportet imprimis credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Adeò vt Isaias dixerit, *Si non credideritis, non intelligetis.*

Hebr. 11.

Hæc fidei notitia est veluti lucerna in nocte vitæ huius, per quam securè ambulamus, quousq; ad speciem, id est, ad claram Dei visionem perueniamus. Illa enim visioni correspondet, eadẽmque nos credere cõuenit in terris, quæ visuri sumus in cœlis. Quid videbimus in cœlis? In Trinitate personarũ vnitatẽ Dei: & hic in terra, fide intelligimus, credimus, adoramus. Cum isto autẽ discrimine intel-

Fides lucernæ comparatur in hac vita.

AA a ligimus,

ligimus, quod in cœlis videbimus fieri est, clarè, intuitiuè, & facie ad faciem: hic verò obscurè, per speculum & in ænigmate videmus, & extra omnẽ modum comprehensionis; vt certè intelligere est exemplo S. Aug. qui eo tempore quo libros de Trinitate scribebat, cùm infantulum quẽdam qui cocleari argenteo aquam maris in foueam exiguã conabatur immittere, reperisset, eúmque subridẽs voluisset reprehendere. Responsum illi est, facilius hoc illi esse, quàm ipsi volẽti in suo tam paruo ingenio tam incomprehensibile Trinitatis mysteriũ comprehendere. Vnde statim obstupefactus & admirans dicere cœpit, quia nullibi periculosiùs errabatur, quia nihil vnquam laboriosiùs quærebatur, sicut etiam nihil fructuosiùs inueniebatur.

Nolumus itaq; hic ex nimia indagatione in aliquod periculum incidere, quia præter illud, etiã labor noster vanus esset & inutilis. Sicut enim ille laboraret in vanum, qui oculorũ acie penetrare vellet profunditatẽ abyssi & centri terræ: ita certè qui ad Diuinitatis inuestigationem accederet, vnde etiã ex immẽsitate luminis posset incurrere cæcitatem, & cadere in periculum erroris. Et notare quæso, ex immẽsitate luminis. Quę enim natura sua sunt clariora, ex infirmitate oculorum minus sunt conuenientia illis, & quasi adhuc ab illis remotiora: & in his plus proficit obscuritas quàm lux. Lux immẽsa exiguo non comprehenditur lumine, sicut obscuritate. Vnde & Aristoteles ait, intellectum nostrum se habere ad ea quæ etiam in natura manifestiora sunt, sicut se habet oculus noctuæ ad lumen Solis. Quid igitur de supernaturalib. erit & diuinis? Virtutem terreni luminis obstupescimus, ait S. Cyrill. quid facies in Sole Iustitiæ? Et S. Dionys. lib. de diuinis nominib. vbi de illo Trinitatis mysterio loquitur. Trinam, inquit, vnitatẽ quæ simul est Deus, neque dicere, neque cogitare est possibile. Hinc ait Sapiens: Qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloria. Hic scrutari, temeritas est, credere autẽ, pietas. Hæc enim summa Trinitas fide est veneranda magis quàm curiosè inuestiganda, vt nobis in meritum, & Deo in gloriam cedat. Fructum itaq; nostrum quæramus cum Dei gloria, fide attingendo hoc imperscrutabile mysterium.

Quomodo Deus ex immensitate luminis est incomprehensibilis.

Aristoteles 2. Metaph.

S. Dionys. lib. de diui. nominib.

Prou. 25.

Igitur sciendum est, vnum esse Deum in vnitate essentiæ, & Trinitate personarum, sc. patrem, filiũ, & Spiritum sanctum, tres personas, & vnum Deũ. Ecce fidei nostræ mysteriũ. Vnitas essentiæ seu naturæ est consignata in Deuter. vbi legitur: Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est. Item in Euangelio nostro, vbi in termino singulari dicitur, in nomine patris, &c. Nomen notat essentiam rerũ; quare sicut vnitas nominis ponitur in tribus, sic etiã intelligitur essentiæ vnitas. Præterea & hoc rationibus probatur. Deus dicitur Altissimus: ergo vnus. Altissimus enim ille est qui super omnes est: ergo vnus. Neque enim super omnes quis esse potest, si sint plures eiusmodi. Item, Deus dicitur infinitus: ergo vnus est. Neque enim infinitas esse potest, vbi pluralitas & numerus est. Tertiò, Deus est vltimus finis rerum omnium: ergo vnus. Non est enim nisi vnus finis vltimus, alioquin daretur processus in infinitum, & sic nõ inueniretur vltimum. Quartò, Deus est qui prouidet omnibus: ergo vnus. Si enim essent plures, vel singuli possent prouidere, vel nõ. Si non possent, non essent Dij. Si possent, ergo sufficit vt sit vnus qui prouideat omnia omnibus. Ecce rationes vnitatis Dei.

Quid de Deo est credendũ.

Deut. 6.

Quomodo vnitas Dei ostenditur. Rationes.

Iam Trinitatem personarum videamus. Hodie distinctissimè animaduertitur in Euãgelio, vbi patris, filij & Spiritussancti distincta fit mentio. Euntes docete, baptizantes in nomine patris, &c. Similiter Ioh. 15. & 16. vbi de missione Spiritussancti loquẽs distinctam adhuc trium mentionem facit, dicens: Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre. & rursus: Expedit vt ego vadã, quia si abiero paracletus veniet ad vos. Exiui à patre, & veni in mundum. Iterum relinquo mundũ, & vado ad patrem. Ecce omnia quidem clarissima non solùm quoad vnitatẽ naturæ, sed etiam quoad distinctionẽ personarum. Vnde etiã statim dixerunt ei Discipuli: Ecce nunc palàm loqueris, & nullum prouerbium dicis. Nũc scimus, quia scis omnia, & in hoc credimus quia à Deo existi. Vnde & postea dixit Iohãnes qui hæc audierat: Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritussanctus, & hi tres vnũ sunt. Ecce in vnitate Trinitas. Sed quid de veteri Testamento dicemus, vbi Isa. 5. non cessant Angeli clamare, Sanctus, Sanctus, Sanctus? Ecce ter Sanctus in singulari numero. Figuræ sunt Gen. 18. vbi Abraham tres vidit, & vnum adorauit. Danielis 5. vbi Rex Baltassar tres digitos vidit in vna manu scribentes, Mane, Thecel, Phares, Deus appendit, numerauit, diuisit: pater potentia appendit; filius sapientia numerauit; diuisit bonitate Spiritussanctus, qui omnia prout vult partitur omnibus. Spiritus enim vbi vult spirat.

Trinitas ostẽditur.

Ioh. 15. & 16.

1. Ioh. 5.

Isa. 5.

Figura. Gen. 18. Dan. 5.

Verùm scripturis, & figuris adhuc rationes adiungamus, vnam ex Deo, & alteram sumptã ex nobis. Deus est agens semper in actu respectu sui. Est autem intellectuale agẽs: ergo semper intelligit se, & sic semper generat verbum suum, quod est filius. Quia autem etiam est beatus, intellectio ista nõ est sine amore & complacentia: vnde Spiritussancti processio, qui est amor vtriusque. Sic enim in Spiritu sancto mutuum amorem spirant pater & filius, sic suam illi naturam communicant; vnde vna est natura in tribus. Sed de Deo in nos descendamus, & omissis aliis creaturis solùm vestigiis Dei, mysterium hoc Diuinitatis in sua imagine, quam nos ipsi gerimus, videamus. Hoc certè in anima nostra est, quæ vna sua essentia, distincta verò tribus suis potentiis, refert & adorat Majestatem Dei sui, qui vnus est in natura, & trinus in personis, Deus benedictus in sæcula.

Rationes.

DE VENERABILI EVcharistiæ Sacramento. Ac primò de necessitate huius Sacramenti.

Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Ioh. 6.

PRINCIPIVM & complementum vitæ nostræ Christus est. Vnde sicut in ipso per Baptismum exordium vitæ suscepimus: sic in eo per Eucharistię Sacramentum vitæ complementum & perfectionẽ habemus. Panis communis est alimẽtum corporis: Eucharistia verò animæ est refectio. Inde est quod quantum ad vitam animæ, Angelicus Doctor necessitatem Eucharistiæ cum necessitate Baptismi comparat, dicens quod Baptismus quidem est principium spiritualis vitæ, & sic perceptio eius necessaria ad inchoandam spiritualem vitam: Eucharistia verò est quasi consummatio spiritualis vitæ, & sic perceptio eius necessaria ad consummandam ipsam. Ita vt Baptismus sit Sacramentum mortis & passionis Christi, prout homo regeneratur in Christo virtute passionis

Vnde necessitas Eucharistia.

S. Tho. 3. p. q. 73. art. 3.

nis eius: Eucharistia verò eiusdem passionis Sacramentum, prout homo perficitur in vnione ad Christum passum. Vnde sicut Baptismus dicitur Sacramentum fidei, quæ est fundamétum spiritualis vitæ: ita Eucharistia dicitur Sacramentum charitatis, quæ est vinculum perfectionis, & sic consummatio & perfectio vitæ spiritualis. Vnde adhuc accidit illa inter vtrumque cóparatio & differentia, quod sicut Baptismus vt fidei Sacramentum, Sacramentorum est ianua: ita Eucharistia vt Sacramétum charitatis, est omnium Sacramentorum finis. Per sanctificationes enim omnium Sacramentorum, fit præparatio ad istud vel consecrandum, vel suscipiendum: eò referuntur omnia, & in eo inuenitur & habetur perfectè spiritualis vita.

Differentia inter Baptismum & Eucharistiam.

Ecce vnde necessitas. Nisi manducaueritis carné filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ego sum panis vitæ. Fateor quod per Baptismum regeneramur in Christo: sed per Eucharistiam manducamus Christum, ipsique corporaliter vnimur, vt viuificemur. Fateor quod Baptismus dat introitum in Ecclesiam: sed non est satis ingredi, nisi in societate & vnione commoremur quæ facit Ecclesiam. Eucharistia autem operatur vnionem, & in Ecclesia consocietaté, dicéte Apost. Omnes vnú corpus sumus qui de eodé pane participamus. Quare modò vt perfectè simus vniti Ecclesiæ, & quasi vnú corpus omnes efficiamur, necesse est nobis, vt de isto pane participemus. Et quæso per quod arctius vinculum Christo, atq; etiam inuicé possunt homines vniri, quàm per illud Sacramentum, in quo omnes Christo sicut membra capiti suo vniuntur, à quo & sentire, & motum & vitam suam hauriunt? Sic loquitur S. Aug. in Iohan. Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat, accedat, credat, incorporetur vt viuificetur, hæreat corpori, & Deo viuat de Deo. O Sacramentum pietatis! ô signum vnitatis! ô vinculum charitatis! Qui vult viuere, habet vbi viuat, accedat, &c.

Ioh. 6.

S. Augustin. tract. 26. in Iohan.

Verè hoc diuinæ charitatis est Sacramentum, vbi & significatum & datum amoris est excessus, & vitæ Dei donum singulare quod confertur nobis. Propterea etiam eo tempore institutum est, in quo Dei filius discessurus à suis ostendere illis voluit maiorem excessum suæ charitatis, vt optimè adhuc notauit S. Aug. in lib. Resp. ad Ian. vbi dicit: Saluator quò vehementiùs commendaret mysterij huius altitudinem, vltimum hoc voluit arctiùs infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Sicut adhuc, & primus quidem omnium notare voluit S. Euangelista Iohannes dicens: Sciens IESVS quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos; scilicet, cùm antequam transiret ad morté, facta cœna cum discipulis, reliquit illis & nobis corpus suum & sanguinem, & instituit hoc tam augustum & venerabile Eucharistiæ Sacramentum, Sacramentum quidem maioris illius gratiæ & dilectionis. In finem dilexit eos. Antea certè eos dilexerat, sed non ad vltimum terminum amor peruenerat; peruenit autem cùm se manducandú dedit: & antequam traderetur pro nobis, priùs tradidit semetipsum nobis. Ponderate vitam eius, verba & conuersationem, etiam & ponderate mortem. Dilectionis eius non est hic terminus. Quid adhuc vltrà facere & dare potuit? Semetipsum cum vita, laboribus, passionibus & morte: denique secum omnia quæ egit & passus est, in donum & memoriale

Tempore institutionis ostéditur excessus charitatis.

S. August. in lib. Resp. ad Ian. ep. 118.

Ioh. 13.

Quousque descendit dilectio Dei in institutione Sacramenti Eucharistiæ.

sempiternum. Hoc autem totum in institutione Sacramenti huius peractum est. In finem dilexit eos, id est, adeò dilexit, vt plus diligere eos nó potuerit.

Narrat Plutarchus de Alexandro Magno, quod cùm victorias suas prosequeretur, vexillis suis hæc verba inscribi iussit, plus vltrà, vt indicaret exinde se velle iam partis nouas victorias adiungere. Christus certè, licèt etiam cùm natus est, innumeris nos cumulauerit beneficiis, adhuc tamen plus vltrà dicere potuit. Item & cùm mortuus est, dicere poterat, plus vltrà: sed cùm se in Eucharistia dedit, plus vltrà dicere non potuit; quia tunc totum quod dare potuit, nobis in hoc Sacramento dedit; vbi omnia dereliquit.

Plutarch. de Alexandro.

Et certè hinc secunda necessitas huius institutionis agnosci potest, qua nobis ratione eius qui in eo continetur Sacramento, extremus & maximus confertur amoris Dei effectus. Quid exigit amor, & perfectus Dei amor? Continuam præsentiá eius. Et ecce quid erga nos operatur. Cùm dilexisset suos Christus, in finé dilexit eos: scilicet, quando in propria specie discessurus ab eis, in sacramétali specie reliquit se nobis, & vt simul coleretur per iuge mysterium quod semel offerebat pro nobis in pretiú. Sic Euseb. Emiss. Quia corpus, inquit, assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus syderibus; necesse erat, vt die cœnæ Sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret nobis, vt coleretur iugiter per mysterium quod semel offerebatur in pretium. hæc ille.

2. *Necessitas.*

Eusebius Emiss. hom. 4. in Pasch.

Tertia & vltima necessitas respicit & spectat ad meritum fidei passionis Christi, sine qua fide numquá potuit esse salus. Iuxta quod Apost. dicit, quod filium suum IESVM Christú proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Vnde & oportuit omni tempore, dicit S. Tho. apud homines esse aliquid repræsentatiuum Dominicę passionis. Sic in veteri Testamento, eius signum & præcipuum sacramentum erat Agnus paschalis. Vnde etiá dixit Paulus: *Pascha nostrum immolatus est Christus*, scilicet is quem figurabat paschalis Agnus. Cui iam in nouo Testamento successit Eucharistiæ Sacramentum, quod rememoratiuum est præteritæ passionis, sicut aliud præfiguratiuum erat futuræ. Et ideo conueniens fuit & necessarium, vt imminente tempore passionis, celebrato priori Sacramento, quod finem accipiebat, hoc nouum Christus institueret, quod in perpetuum permaneret, veritate succedente figuris. Sic S. Leo. Vt vmbræ cederent corpori, antiqua obseruantia nouo excluditur Sacramento: hostia in hostiam transit, sanguine sanguis aufertur, & legalis festiuitas dum mutatur, impletur.

3. *Necessitas.*

Rom. 3.

1. Cor. 5.

S. Leo Serm. 7. de Pasch.

Adeò vt sicut toto tempore veteris legis obseruatio Agni paschalis durauit, ita manducatio veri Agni & immaculati Christi toto tempore nouæ legis & gratiæ in Ecclesia debeat esse; sicut ipse Christus dixit Apostolis suis quo tempore instituit: Hoc facite in meam commemorationé. Hoc facite vt feci, & faciendo estote memores mei, & eorum quæ feci. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, hunc quem ego dabo, hunc inquam, de quo antè dixi: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; morté Domini annunciabitis, donec veniat. Hæc S. Paul. addit, quæ ab ipso Christo accepisse refert 1. Corinth. 11. Et quidem vt exinde ostendatur ex necessitate fidei in Christum passum, hanc necessariam institutionem fuisse ad salutem quæ ipsum continet in Sacramento, & præterea memoria est passionis eius. Ne

Luc. 22.

1. Cor. 11. Ioh. 6.

Neceſſariam dico nobis ad ſalutem Chriſto paſſò,
non minus quàm Iudæis manducationem Agni
ante Paſſionem Chriſti. Et certè adhuc magis iſtud
neceſſarium fuit nobis, ex eo quod illis ſolùm fi-
guræ competebant, nobis autem veritas, & non
pro certo tempore & limitato, ſed pro omni, &
minimè definito, iuxta quod ſacrificium verum eſt
& ſempiternum.

In quibus conuenit & differt ſacrificium Altaris, cum ſacrificio Crucis.

Quod vt meliùs intelligatur, ſciendum eſt hoc
Altaris noſtri ſacrificium idem omnino eſſe cum
ſacrificio Crucis, & ipſiſſimam eſſe Redemptionē
in Euchariſtia, quæ in Cruce peracta eſt, ſcilicet ra-
tione hoſtiæ, offerentis, etiam & finis, quæ ipſa ge-
neris humani Redemptio eſt; & ſic quantum ad
præcipua & eſſentialia, eadem penitus oblatio eſt.
Verùm ſi rationem habeamus circumſtantiarum,
vt temporis, loci, durationis, & modi: diuerſitas eſt,
& non identitas. Diſtinctio quidem nota eſt tem-
poris, locorum, & durationis. Vnde ad diuerſitatē
quæ ex parte modi oritur, veniamus. Sacrificium
Crucis cum ſanguinis effuſione ſufficientem ſolùm
Redemptionem habuit: Euchariſtiæ verò Sacra-
mentum, Crucis efficaciam habet ſine effuſione
ſanguinis, ſicut adhuc omnia alia Sacramenta ha-
bent: maximè verò iſtud inter alia, quod Chriſtum
ipſum continet. Et ſic facilè omnibus hæreticis re-
ſpondetur, qui dicunt ſufficere nobis quod paſſus
fuerit Dominus. Ita, ô hæretice, ſufficit quod pro te
ſufficienter dederit; ſed non ſufficiet tibi, ſi applica-
tio deſit. Efficacia in ſumptione eſt & vſu. Vnde
ſolùm in hoc ſacrificiū Crucis eſt ſufficiens, quod
ibi ſolutio data eſt, & pharmacum paratum. Tibi
verò efficax, ſi accipias & tibi applices, id eſt, licet
ſufficiens, aut etiam in ſe efficax ſit, tamen non tibi
erit niſi per applicationem. Illa autem applicatio fit
per Sacramenta Eccleſiæ; maximè verò per Eucha-
riſtiam, quæ continet authorem vitæ & ſalutis, in
qua propterea eſt efficacia ſufficientiæ Crucis. Si-
militudo iam allata pharmaci conueniens eſt, in
quo quidem ſufficientia eſt ad ſanitatem, efficacia
verò cùm aſſumitur. Neq; enim ſatis eſt quod præ-
paretur, niſi aſſumatur.

Quomodo in Crucis ſacrificio eſt ſufficientia: in Sacramēto autem Euchariſtia efficacia.

Ecce igitur quare, & qua neceſſitate inſtitutum
eſt hoc tam auguſtum & venerabile Sacramētum.
Ecce ratio & finis, nimirum vt ſufficiens in ſacrifi-
cio Crucis Redemptio, efficax ſit in nobis. Ita Pau-
lus dicebat: *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chri-
ſti*; ſcilicet, per applicationem efficacem vitæ &
paſſionum Chriſti: & hanc conſequimur certè in
Euchariſtia, vbi de pane vitæ omnes trahimus vi-
tam. Qui manducat me, viuet propter me. Panis
quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Ec-
ce panis vitæ noſtræ, & panis ſolus neceſſarius ad
vitam. Ecce Euchariſtia, & vita noſtra in hoc my-
ſterio vitæ. Et meritò Euchariſtiam myſterium vi-
tæ appellabo, quæ in Miſſa & in Altari ſacrificium
vitæ ſimul eſt & Sacramentū. Sacrificium, eo quod
tunc ad ſalutem omnium offertur: & ſimul Sacra-
mentum, quia etiam tunc recipitur ad vitam, & vt
ſignum gratiæ datur. Inde enim Euchariſtia, id eſt,
bona gratia.

Cur ar iſtia vere dicitur myſteriū vitæ.

Verùm & propterea etiam datur ratio, cur Sacer-
dotes offerentes in Altari corpus & ſanguinem
Chriſti ſeparatim recipiunt, non verò laici ſeu ſæ-
culares. Ideo certè, quia Sacerdotes, & ſacrificij fa-
ciendi, & Sacramenti recipiendi, ſimul ſunt capa-
ces; ſæculares autem tantùm recipiendi Sacramen-
ti. Vnde ſicut Sacramenti vſus in eiuſmodi rece-
ptione & eſu conſiſtit, ſatiſque eſt ad naturam Sa-
cramenti vna ſpecierum quę detur vt corpus Chri-

Cur ſeparatim Sacerdotes corpus & ſanguinem Chriſti recipiunt, nō verò laici.

A ſti, quod ſine verbo Dei, anima & ſanguine nō eſt,
& per quod gratia confertur: propterea etiam ſæ-
culares talis receptionis capaces ſunt, vnâque eis
ſufficit, quibus etiam vt Sacramentum datur. Quia
verò Sacerdotes etiam ſacrificium conficiunt in
Altari repræſentatiuum Crucis, in quo ſanguis ef-
fuſus eſt & à corpore ſeparatus: ideo etiam ſepara-
tim corpus & ſanguinem recipiunt. O ſacrum ve-
rè & admirandum conuiuium, in quo Chriſtus
ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens
impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus
datur! Ecce verè Euchariſtia, & cordium no-
ſtrorum lætitia. *Memoriam fecit Deus mirabilium* Pſ. 110.
ſuorum, eſcam dedit timentibus ſe. Ecce eſca; Panis quē
B ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Caro mea
verè eſt cibus: ecce dilectionis Chriſti memoria, &
teſtimonium ſempiternum, Euchariſtia.

Cauſam & effectum dilectionis & paſſionis Chriſti in Euchariſtia habemus.

Cauſa paſſionis Chriſti dilectio fuit, & paſſio
dilectionis fuit effectus: vtriuſque autem memoriā
æternam in hoc Sacramento habemus, & ſimul in
hac memoria, ſummæ lætitiæ rationem. Quid aio
Domine IESV? quid dico rationem gaudij? Et qui-
dem quod de amore tuo infinito & maximo gau-
dere debeam, dignum & iuſtum eſt. Sed de paſſio-
ne vnde potero? & nónne potiùs recordatio iſta
mihi debet eſſe cauſa triſtitiæ? Nequaquā, ſed po-
tiùs mihi cauſa & occaſio lætitiæ; vbi ſic decuit, at-
que etiam oportuit pro mea omniúmque ſalute
C Dominum meum pati. Vnde cùm iret ad mortem,
flentes ſuper illam mulieres redarguit dicens: No-
lite flere ſuper me, id eſt, ſuper mortem meam &
paſſionem, quia gratiſſima mihi eſt. Sic & Angelus
dixit Mariæ quę ſtabat ad monumentum foris plo-
rans: Mulier quid ploras? vt oſtenderet illi, quia in
paſſione Domini ſui, ratio illi erat non doloris, ſed
gaudij. Paſſio enim iſta non pura & nuda, ſeu ſoli-
taria paſſio eſt, ſed paſſio Dei, & Chriſti ad vitam
noſtram reſurgentis. Et certè de paſſione ſimplici
non lætandum eſſet; ſed de Chriſti paſſione nobis
valde lætandum eſt, qui pro ſalute noſtra & vita
paſſus eſt. Paſſionis igitur effectus iunge, & videbis
rationes lætitiæ, dicéſque cum Apoſtolo: Decebat Heb. 2.
eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui
D multos filios in gloriam adduxerat, authorem ſa-
lutis eorum per paſſionem conſummare. O ſi vide-
retur gloria vnius animæ quæ eſt in paradiſo, & eſt
illius paſſionis effectus; ſtatim certè diceretur: De-
cebat, &c. Ratio lætitiæ ibi eſt, non ſi peccata ſpe-
ctes cauſam mortis Chriſti, ſed ſi gloriam ſpectes
animæ in cœlis effectum paſſionis eius. Quare &
in hac memoria paſſionis, & mirabilium Chriſti
nobis hodie eſt exultandum, in qua adhuc in veri-
tate continetur, adoratur, & ſumitur.

Quomodo de paſſione Chriſti oritur cauſa lætitia.

SECVNDO, DE VERITATE Chriſti in Sacramēto Euchariſtiæ.

E *Panis quem ego dabo, caro mea eſt, &c.* Iohan 6.

CHRISTVS IESVS vt veritas æterna ſemper
veritatem diligit, & omnes viæ eius veritas, vt
loquitur Pſaltes. Grandis & deplorabilis miſeriæ Pſ. 50. & 118.
conditio eſt, in meridie non videre lumen, & cla-
ritate Solis non gaudere: verùm non eſt iſte defe-
ctus imputandus Soli, ſicut ægritudini oculorum
aut auerſioni. Quare ita eſt dicendum de iis, qui à
veritate Sacramenti ſacroſanctæ Euchariſtię men-
tis ſuæ oculos hodie auertunt, poſtquam Chriſtus
æterna veritas & ſapientia patris, & in cuius ore
non eſt dolus, ſed veritas, hæc verba veritatis
dixit:

dixit: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Caro mea verè est cibus, qui manducat meam carnem, habet vitam æternam. Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Omnia sunt hic clariora luce, luxque in tenebris, sed tenebræ eam non comprehenderunt. Veritas loquuta est, & mentita est iniquitas sibi. Dixit veritas, hoc est corpus meum; & mentita est iniquitas errantiũ huius sæculi, dicentium ex ore mendacij, non est corpus Christi, sed figura corporis Christi.

Quid & quomodo de Sacramenti Eucharistia veritate sentiũt fideles & Catholici.
S. Hil. 8. de Trin.
Euseb. Emis.
S. Chrysost. hom. 6. ad popul. Ant.
S. Ambr. lib. 6. de Sacra.

Verùm quantum ad nos qui filij veritatis sumus & fideles, cum S. Hilar. 8. de Trin. dicimus, quia hic de veritate carnis & sanguinis Christi non est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, caro eius verè est cibus, & sanguis eius verè est potus. hæc Hilar. ante 1300. annos. Sic Euseb. Emiss. Recedat, inquit, hinc omne infidelitatis ambiguum, quia ipse est author muneris qui est testis veritatis, dicens, accipite & mãducate. Sic S. Chrys. ad pop. Ant. Verbum dicit, hoc est corpus meum, & pareamus nos, & credamus. Item ac similiter S. Ambr. lib. 6. de Sacram. & quæso illius sicut cæterorum notentur verba. Sicut verus Dei filius, inquit, est Dominus IESVS Christus: ita vera Christi caro quam accipimus. Panis quẽ ego dabo, caro mea est. Accipite, hoc est corpus meum. Sed vnde hoc credam? inquies. Ecce vnde credes, dicit idem S. Ambr. lib. 4. de Sacram. Sermo Christi hoc conficit Sacramentum: & quis ille sermo Christi, nisi is quo omnia facta sũt? Iussit Dominus, & factum est cœlum: iussit, & facta est terra: iussit Dominus, & facta sunt maria: iussit, & omnis creatura generata est. Vides ô hæretice, quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini IESV, vt inciperent esse quæ non erant; quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat, sed audi dicentẽ: Ipse dixit, & facta sunt; mãdauit, & creata sũt. Ergo tibi vt respõdeã, nõ erat corpus Christi ante consecrationem: sed post consecrationem dico tibi quod iam est corpus Christi. Ipse dixit, & factum est. Ipse mandauit, & creatum est. hæc ille.

Vndenam igitur dubitabis? Auctor Sacramentorum, inquit, quis est nisi Dominus IESVS? De cœlo ista Sacramẽta venerunt, consilium enim omne de cœlo est. Verè autem magnum & diuinum miraculum, quod populo pluit Deus manna de cœlo, & non laborabat populus, & manducabat. Tu fortè dicis: meus panis est vsitatus, sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum, vbi verò accesserit cõsecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. (Placet hunc discursum Ambrosij referre, quia nullus potentior & lucidior est.) Sed quomodo adhuc, inquit, potest qui panis est, corpus esse Christi? Attẽdite modum & rationem omnes. Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis, & cuius sermonibus? Domini IESV. Nam per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur. Oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris. Vbi verò venitur vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam nõ suis sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. hæc omnia ille.

S. Aug. libr. Sẽt. Prosperi.

Et certè nihil clarius verbis istis ad hanc veritatem dici potest. Verùm post verba tãti Doctoris, tanti Patris, & Magistri, adhuc etiã verba & pondus filij referamus, scil. S. Aug. lib. Sentẽt. Prosperi contra hæreticos sic dicẽtis. Fideliter fatemur ante cõsecrationem esse panem & vinum, quod natura

A formauit: post consecrationem verò esse carnem & sanguinem, quem benedictio cõsecrauit. Vnde ipse Christus ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Si verumque verè cibus est & potus, ergo vera est ibi substantia corporis & sanguinis Christi.

Ex ipsis verbis promissi & institutionis veritas Eucharistiæ probatur.
1. Ex verbis promissi.
Ioh. 6.

Verùm ex verbis ipsis quib. promissũ & institutũ est hoc Sacramentũ, veritatẽ hanc probemus. Ioh. 6. promissũ sic erat: Panis quẽ ego dabo, caro mea est. Et quæso omnes litterales circunstãtias hic videamus. Primò, loquitur Christus de mãducatione carnis, quam ipse oblaturus erat pro mundi vita. Secundò, ibi manducationem suæ carnis confert cum manducatione manna in deserto, quæ figura B fuit huius Sacramenti. Vnde restat, vt illa de qua erat sermo, veritas sit. Tertiò, tã clara tunc & aperta verba Christi fuerunt, vt ij qui eum tunc audiebant, intelligentes quidem hanc manducationem corporalem esse, sed non modum, scandalizati sint dicentes: Quomodo potest hic carnẽ suã dare ad manducandum? Vbi propterea ad confirmationem eorum quæ dicebat, tria tunc præstitit Christus.

Tria facit Christus in confirmationem eorũ quæ dixerat de veritate suæ carnis.

Primum est, quod ad sedandam turbationem eorum, tantùm abest, vt illis tunc ostenderit se non loqui de manducatione reali corporis sui, quin potiùs hoc illis magis confirmauit dicens, & istud præceptum subiungens; Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.

C Secundum est, quod manducantibus ipsum, effectum promiserit. Qui manducat me, viuet propter me: qui manducat meam carnem, habet vitam æternam. Qui manducat hunc panẽ, viuet in æternum. Vnde & ipsum cum manna comparãs etiam illi prætulit, nõ tantùm in miraculis, vterque enim panis præter ordinẽ naturæ datus est; sed maximè in vsu & fructu: siquidem manducauerunt patres manna, & mortui sunt. Sed vnde mortui, nisi quia tantùm in signo & figura Christum manducabant? Qui verò manducat hunc panem, viuet in æternum. Vnde quæso, nisi quia Christum, qui vita est, in veritate manducat?

D Tertium denique est, quod sic veritatem istam concludit dicens: Caro mea verè est cibus, &c. Quasi diceret: nõ iam amplius in parabolis loquor, in prouerbiis, aut metaphoris, sed propriè, clarè, & cum veritate; Caro mea verè est cibus. Quid vultis amplius? Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis. Hæc adhuc multiplex & reiterata locutio hanc veritatem satis indicat. Præterquàm quod adhuc ex quadam regula, & generali principio S. August. lib. 3. de doctr. Christiana, clarissimè, & fortissimè potest confirmari, vbi ait Scripturæ verba semper propriè intelligenda esse, si ita commode fieri queat, maximè verò vbi præceptiua est locutio, atque etiam in ea vtilitas nostra iubetur. Tunc enim figurata locutio penitus non est.

Regula S. Aug. iuxta quam verba Scripturæ semper debent intelligi propriè.
S. Aug. libr. 3. de doctr. Christiana cap. 10.

E In hoc autẽ c. Ioh. vbi maximè sermo est de mãducatione carnis Christi, quæ solùm tunc in promisso erat, cõmodè, & propriè de vera carne Christi potest intelligi. Primò, quia sic est sensus totius Ecclesiæ, & optimè cũ mysteriis consonat. Secũdò, quia præceptiua est locutio, vt: Nisi manducaueritis, &c. Tertiò, quia & iubet vtilitatem: Qui enim manducat meam carnem, in me manet, &c. Quod si in verbis promissi tanta est claritas veritatis, adhuc certè maior apparebit in verbis institutionis, vbi Christus accipiens panem, & benedicens, & tunc gratias agens, vt promissum suum implens dicit, & clarè dicit, & sine

metaphora dicit & figura: Accipite & manducate, hoc est corpus meum.

Ex verbis institutionis veritas Eucharistiæ ostēditur. Ex huius ergo institutionis verbis clariùs adhuc hodie veritatem huius mysterij comprobemus: & quidem adhuc clariùs quàm ex promissionis verbis. Quidnam hic agit, & dicit Dominus? Accipiens panem dicit discipulis suis: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Omnes quidem institutionis huius circunstantiæ in actione sunt & in verbis. Primò, hic Dominus familiariter agit cum discipulis, & vbi etiam illos instruit quid post se debeant agere vt Ecclesiæ magistri. Vbi autem inter discipulos & Magistrum de instructione agitur, debet doctrina veritatis esse & claritas. Secundò, vt amicus ad amicos etiam tunc loquebatur; maximè verò quando tanquam discessurus ab eis condebat suum testamentum. Supererat ergo vt propriissimè & clarissimè loqueretur eis: ita vt omnia optimè & clarè intelligerent. Sic enim statim post eis dixit, vt habetur Ioh. 15. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre, nota feci vobis. Et similiter illi: Ecce nunc palàm loqueris, & nullum prouerbium dicis. Vnde adhuc tertiò hæc magna coniectura fuit, quod tunc Christus illis palam & sine figura locutus est, quia ipsum etiam tunc non interrogauerunt. Solebant enim Apostoli quando figuratum sermonem audiebant, & non intelligebant, Magistro dicere: Edissere nobis parabolam istam. Hic autem nihil dicunt, sed statim communicant de manu Domini sui, & fidem adhibent, credunt, & intelligunt mysterium Dei.

Matth. 26.

Ioh. 15.

O quam à fide discipulorum & Apostolorum distant & aberrant hæretici! Ipsi omnem veritatem abnegantes dicunt: Edissere nobis parabolam istam. Sed audiant Christum, credantque dicenti: Panis quem ego dabo, caro mea est. Accipite, hoc est corpus meum. Amplius non est panis, sed est corpus meum. Hoc, id est, illud ipsum, seu substantia quam teneo: hoc, id est, quod ibi est contentum, est corpus meum, est substantia corporis mei, & non panis. Panis speciem vides, sed panis non est: hoc est corpus meum. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Panis speciem vides, sed corpus Christi non vides. Quod autem non vides, hoc corpus Christi est. Accipite & manducate: veritas loquuta est, quæ nec falli, nec fallere potest. Vnde nō figura, sed veritas corporis eius est. Si nō intelligitis, credite, & intelligetis. Hoc est corpus meū.

Verùm postquam os Domini locutum est, etiam Apostolum eius omni equidem acceptione dignum audiamus. Ipse enim est qui 1. Cor. 11. prolixiùs hoc mysterium enarrat nobis dicens: Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus IESVS in qua nocte tradebatur, accepit panem, &c. Quasi diceret quod dicitur Sapientiæ 6. Non abscondam à vobis sacramenta Dei. Neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem IESV Christi. Vbi, quia grandia illa sunt quæ nobis exponit, duas authoritates præmittit, Dei reuelantis, & suipsius nobis referentis. Accepi, ait, à Domino quod & tradidi vobis. Quo posito, iam aperit & explicat veritatem huius tanti mysterij dicens, quoniam Dominus IESVS in qua nocte tradebatur, accepit panem. Hic declarat quis sit author & dispensator, Dominus IESVS est ait. Consilium item differentiæ temporis notatur, in qua nocte tradebatur. Hoc certè non sine mysterio. Ideo enim in nocte, quia hoc mysteriū non patet oculis & sensibus. Sic in Exod.

1. Cor. 11.

Sap. 6.

Gal. 1.

Exod. 12.

A de figura dicitur, (vt omnia conueniant,) edent carnes nocte, scilicet Agni electi & absq; macula. Igitur in qua nocte tradebatur Iudæis à Iuda, Pilato à Iudęis, & à Pilato passioni & morti, seipsum nobis ad vitam manducandum tradit, gratiasque agens dicit: Accipite. Sed animaduertite quod gratias agit cùm tradit se, quia tunc lætabatur de nostra omniumque salute. Vnde etiam Eucharistia dicitur, id est, bona gratia: ideo certè, quia in hoc diuino Sacramento & donum, & significatio gratiæ est, & summæ gratiæ. Magna fuit gratia nostram carnem assumpsisse: maior, assumptam morti tradidisse: sed maxima, nobis ad manducandum dedisse. Accipite, hoc est corpus meum.

Igitur satis constat de veritate huius mysterij, B cùmque adhuc satis confirmatam habemus ex illo discursu & enarratione Apostoli; sed etiā cùm post reuelationem istā sibi factam à Christo, & tam ad longum enarratam nobis, adhuc tantam à nobis requirit dispositionem, & tantum exaggerat peccatum indignè sumentis, dicens: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat. De quo pane, ô hæretice? de eo certè, de quo ait: Accipite & mādûcate, hoc est corpus meum. Sed quid Apostolus requirit manducanti? vt probet se. Qui enim, inquit, manducat indignè, iudicium sibi manducat, non diiudicans corpus Domini. Qui non iudicat esse corpus Domini, dicit, indignè manducat, & C iudicium sibi manducat. Qui verò iudicat & credit, probat se, & tunc dignè manducat. Sed vnde iudicabo, inquies, esse corpus Domini? ex verbis Domini, qui dicit, hoc est copus meum.

Verùm adhuc pro veritate corporis Christi in Eucharistia, notanda illa est forma loquendi Scripturę. Nā vbi similis in Scriptura inuenitur, semper veritas rei enunciatæ asseritur, & numquam ponitur pro figura, aut pro metaphora intelligitur: scilicet, vbi in propositione hoc pronomen, hic, hæc, hoc, præcedit verbum substantiuum, sum, es, est, in tertia persona, quod nomen substantiuum post se regit, vt cùm de filio dixit pater: Hic est filius meus dilectus; hæc enunciatio vera quidem erat, & non D metaphorica. Item cùm de eo dicebant Iudæi; hic est filius Ioseph, putabant hoc dicere secundū veritatē. Et similiter de se Christus Dominus Ioh. 6. Hic est panis qui de cœlo descendit. Sicut adhuc Ioh. 17. Hæc est vita æterna. Omnes quidem huiusmodi enūciationes de veritate, & non per figuram intelliguntur. Et nulla alia similis inuenitur, quæ significationem non habeat veritatis. Igitur minimè est dubitandum de illa tam singulari & notanda: Hoc est corpus meum. Sed quid tot probationibus opus est? Constet quod illud quod voluntas Dei potuit, æterna veritas dixerit. Deū potuisse, nemo dubitat; voluisse autem testis est Scriptura. Vtrumque ergo coniunge, & minimè dubitabis. Et si sensus deficit, ad firmandum cor syncerum sola fides sufficit. E

Notāda forma loquendi in Scriptura similis huic, Hoc est corpus meum, pro veritate enunciationis.

Matth. 3. & 17.

Ioh. 6. & 17.

TERTIO, DE INCOMprehensibili natura & fide Sacramenti Eucharistiæ.

Panis quem ego dabo, caro mea est, &c. Ioh. 6.

PAVLVS vocatus Apostolus IESV Christi, & segregatus in Euangelium Dei, scribens Corinthiis de incomprehēsibili Incarnationis mysterio sic loquitur: Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam non huius sæculi, sed Dei sapientiam 1. Cor. 2.

tiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriã nostrã. Sapientia ista in mysterio absc͠odita, & præparata seu definita ab æterno in gloriam nostrã, Incarnatio est, de qua etiam in humilitate verborum loquitur illis dicens: Sermo meus, & prædicatio mea non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Ita enim cùm venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapiẽtiæ, (videlicet humanæ philosophiæ) annuncians vobis hoc testimonium Christi. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi IESVM Christũ. Certè omnis sciẽtia Pauli Christus est, sapientia patris quæ in mysterio B abscondita est. Verùm vt ipsum iuxta munus suum manifestet & reuelet nobis, non armatur præsidio alicuius humanæ philosophiæ, aut eloquẽtiæ sermonis, sed in humilitate animi sui, virtute & Spiritu Dei. Iuxta quod data est illi gratia hæc prædicare nobis hoc mysterium fidei, & illuminare omnes, quæ fuerit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, quod est Christus.

Ephes. 3.

Eucharistia est extensio Incarnationis, & quomodo de illa, sicut de aliis mysteriis Dei est humiliter loquendum.

S. Hil. lib. 8. de Trinit.

Idem hodie de Eucharistia dicã, quæ Incarnationis extensio est, & omnium mirabiliũ Dei memoria. Loquimur inter perfectos sapientiam, non huius sæculi, sed Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est mundi sapientib. curiosis, atque hæreticis. Ita vt sicut opus est auditu fidei, vt intelligatur, sic etiam opus sit verbis fidei & Spiritus, vt C dicatur & prædicetur. Egregium est & augustum dictum S. Hilarij. Non est, inquit, humano aut sæculi sensu in rebus Dei loquendum. Et certè verba nostra rebus quas tractamus conformia esse conuenit, vt omnia consonent.

Hodie igitur de omnium mysteriorum fidei miraculo & complemento loquuturi, quod est venerabile & augustissimũ Eucharistiæ Sacramentum, debemus vti verbis non humanis, sed fidei & altissimę sapientiæ. Vnde & vobis etiã, sicut & nobis expedit cor sursum habere, nec amplius terrena sapere, sed cælestia. Denique necesse est hic habere mentem sanam, humilem & docilem, ab omnique ægrititudine erroris expurgatam. Nam sicut ocu- D lus æger & debilis, etiã dum Sol lucet tenebras sequitur, aliaque pro aliis intuetur; sanus è contrà & firmus lumine gaudet, & discernit: ita oculus interior nostræ mentis, quandiu sanus & firmus est, etiam confusa clarè & distinctè videbit; deprauatus è contrà & sectator erroris, etiamsi vsque ad Solem ipsum, & cœlum cœlorum attollatur, omnia tamen ibi perturbata iudicabit. Firmis itaque nũc & sanis estote animis, maximè vbi hodie sunt eleuandi vsque ad Christũ oculi, & debent in eius lumine videre lumen per fidem, ipsum sub speciebus augustissimi Eucharistiæ Sacramenti contemplari & adorare. Sic hodie, dicit S. Chrysost. hom. 61. ad pop. Ant. necessarium est nobis mysteriorum discere hoc miraculum. Quod tandem sit, E quare datum, & quę eius rei vtilitas. Ecce tria magna in hoc miraculo mysteria. Quodnã sit, id est, quænã illius est natura & conditio. Quis illius in Deo finis & consilium. Et quæ vtilitas in nobis Quæ quidem omnia incomprehensibilia sunt. Sed in primo incomprehensibili maneamus, considerando quodnam sit hoc mysterium, & quomodo verè incomprehensibilis est natura eius.

Similitudo.

S. Chrysost. hom. 61. ad pop. Antioch.

Natura Sacramenti Eucharistiæ non solùm est in efficacia & communicatione gratiæ, vt est cæterorum: sed etiam in veritate & communicatione authoris gratiæ quem continet, Christi IESV. De manna pane Angelorũ dicebant Iudæi, Mãhu? & quid nos de Eucharistia continente Angelorũm Dominum? Ecce vbi atque vnde incomprehensibilitas eius est. Incomprehensibilitas adhuc in tã admirabili trãssubstantiatione quæ in eo fit, scilicet conuersione vnius substantiæ in alteram, & talem quæ corporis & sanguinis Christi est. Incomprehensibilitas, quod desinente substantia specierum panis & vini, eorum accidentia remaneant sine subiecto & sustentaculo proprio, vt quantitas, color, durities, sonus & sapor. Incomprehensibilitas, quod sub illis minutissimis speciebus & accidentibus totus Christus continetur corporaliter, realiter, substantialiter, & cum omnibus suis dimensionibus. Incomprehensibilitas denique, quod hoc totum mysterium vi verborum Christi, à Sacerdote prolatorum cum intentione consecrandi, id est, faciendi quod Christus fecit, peragitur. Hoc est corpus meum; hoc facite, ait IESVS Apostolis.

In multis est incomprehensibilitas Eucharistia.

Verùm his modò præmissis, amplius adhuc & distinctiùs hoc quod absconditum manet in hoc mysterio incomprehensibili, aperiamus Sciendum itaque, prolatis his verbis, hoc est corpus meum, primò substantiam panis, quæ priùs erat, amplius non manere in hoc Sacramento, sed transire & conuerti in substantiam corporis Christi, quæ propterea non variatur, nec fit maior, prioribus adhuc remanentibus accidentibus panis sine vllo fundamento proprio nisi diuinæ virtutis. Secundò, ibi tunc esse substantiam corporis & sanguinis Christi cum omnibus suis accidentibus: vnde ibi Christus est figuratus, coloratus, magnus, non quidem ratione & respectu specierum Eucharistię, sed suiipsius. Tertiò, non descendere propterea Christum de cœlo, nec fieri nouum corpus & sanguinem Christi, vt sit in Altari, sed ibi nouo modo esse, quo antea quidem non erat. Quartò, quidquid tunc in hoc Sacramento percipitur sensibus, colorem non esse, quantitatem, & gustum corporis & sanguinis Christi, sed accidẽtia esse, quæ adhuc remanserunt prioris substantiæ panis & vini: & sic aliud percipi sensu, aliud verò esse quod fide sumitur. Speciem panis vides, & panis non est, sed tantùm accidens panis est. Quod autem non vides, corpus Christi est. Ipse enim dixit, & factum est; & sic ipsum sumis. Accipite, hoc est corpus meum. Et hæc incomprehensibilis veritas aduersus hæreticos maneat, ipsósque euertat, qui dicere audent omnia remanere in pane, & præterea signum tantùm esse & figuram: non autem realem corporis Christi substãtiam, contra illa verba expressa Ioh. 6. Caro mea verè est cibus. Panis quem ego dabo, caro mea est. Accipite, hoc est corpus meum.

Declaratio huius incomprehensibilis mysterij, & eorum quæ in eo accidunt.

1.

2.

3.

4.

Ioh. 6.

Itaque iam credite ô hæretici, & si minimè intelligitis, nolite obstupescere, sed scitote hoc incomprehensibile mysterium esse, opusque esse fide vt intelligatur, Isaia dicente: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Diuina opera non sunt discutienda, dicit S. Aug. sed credenda. Nam pro luce rationis habes omnipotentiam conditoris, & quanto minus capis intellectu, tanto amplius venerari debes. Hic omnia sunt præter & supra naturam, omnia diuina & admirabilia, dicam & incomprehensibilia, Manhu? Memoriam fecit Deus mirabilium. Et S. Maxim. Quod non potest hic enarrari, potest credi. Si lingua & sensus deficit, tunc fides sufficit. Accipite, si non intelligitis, credite, & intelligetis. Talia certè Sacramenta necessariò fidem exiguat, & rationem

Necessaria fides.

Isa. 7.

Eucharistia est fidei mysterium, quo opus est vt intelligatur.

S. Maxim. in Serm.

Esther 13. non admittit. Vnde & cum Mardochæo est dicen-
dum: Domine, in ditione tua cuncta sunt posita.
Sed præsertim ibi tota ratio mysterij est in volun-
tate & potentia facientis. Quod autem potuerit,
& sicut etiam voluit, fecerit, verba declarant: Acci-
pite & manducate, hoc est corpus meum. Panis
quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ego
sum panis vitæ, & qui manducat me, viuet propter
me. Accedentem ad Deum oportet imprimis cre-
Ps. 61. dere, & rursus hic dicere cum propheta: Domine,
duo hæc audiui, quia tibi potestas & misericordia.
Voluisti hoc mysterium misericordia tua, & feci-
sti potestate tua. Voluisti illud, quia potuisti, &
quia potuisti, & voluisti, fecisti. Atque ita, Domi-
ne, misericordia tua magna te præbuisti nobis ci-
bum, & paně nostrum quotidianum supersubstan-
tialem, sicut nobis dixisti: Caro mea verè est cibus.
Panis autem quem ego dabo, caro mea est. Ego sú
panis viuus qui de cœlo descendi. Si quis mandu-
cauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Intelligite,
ex hoc pane, ô hæretici, de quo nunc ait: Ego sum
panis viuus & vitæ. Et de quo rursus: Panis quem
ego dabo, caro mea est, quæ mea caro verè est ci-
bus, & cibus vitæ manducantibus.

Triplici ratione caro Christi panis dicitur.

Propter tria autem (vt adhuc omnia propter hę-
reticos nota fiant nobis,) panis dicitur caro Chri-
sti. Primò, ratione conuersionis panis in carnem
Christi. Ideo enim adhuc retinet vocabulum pa-
nis, iuxta quod plerumque res nomen accipere so-
let alterius in seipsam conuersæ. Sicut virga Moy-
sis conuersa in serpentem, adhuc nomen virgę re-
tinebat, & tamen erat serpens. Secundò, ratione
connexionis, quam in hoc Sacramento caro Chri-
sti habet cum accidentibus panis: sub illis enim ac-
cidentibus continetur substantia corporis Christi.
Quę quidem accidentia adhuc panis dicũtur. Ter-
tiò, ratione comestionis; panis enim substantialis
& ordinarius cibus est hominum. Vnde quia car-
nem suam Deus dedit nobis ad manducandum vt
cibum, panis ideo dicitur: sed noster supersubstã-
tialis panis qui de cœlo descendit, & Deus est. Sic
canit Ecclesia: Panis Angelicus fit panis homi-
num. O res mirabilis! manducat Dominũ pauper,
seruus, & humilis.

Illuxit sapientia Dei, quod in propria specie nō dedit Christus carnem suã & sanguinē.

Verùm & in hoc cum potentia etiam eluxit
Dei sapientia, quod sic in hac aliena specie, & non
in propria Sacramentum istud instituit, scilicet vt
nullus sumentibus horror esset, vt accidisset cer-
tè, si in propria specie & visibili carnem suã Chri-
stus dedisset ad manducandum, & sanguinem ad
bibendum. Vnde dixit Iudæis Ioh. 6. non capienti-
bus verba sua, & modum manducationis suæ car-
nis, sed omnia accipientibus carnaliter, quasi eam
manducare debuissent, vt erat visibilis, dicentibus-
que quomodo nunc hæretici nostri ab illis didice-
runt loqui: *Quomodo potest hic carnem suam nobis da-*
re ad manducandum? Illis inquam ita respondit: *Ca-*
ro non prodest quidquã, spiritus est qui viuificat. Qua-
si dixisset, (& hic est sensus, verborum Christi ad-
uersus nostros hæreticos:) eo modo quo me intel-
ligitis, caro non prodest, spiritus autem prodest.
Caro mea, de qua loquor, carnali modo & visibili,
sicut cogitatis, manducanda non est, sed spirituali
modo & inuisibili, non in specie propria & visibi-
li, sed in visibili aliena, videlicet panis, sub forma
& accidentibus cuius carnem meam vobis inui-
sibiliter dabo.

Sensus verborum; Caro nõ prodest quidquam, &c.

Et sic facilè obiectio hæreticorum soluitur, qui
illa verba sumunt, vt ostendant non prodesse car-
nem Christi manducare, sed sufficere eam spiritu

A sumere. Alioquin, ô hæretice, cæcitatem tuam non
vides & blasphemiã? Vnde quæso non prodesse vi-
des? Nunc cõtra te argumentũ retorquebo. Si iux-
ta te caro Christi non prodest quidquã; ergo etiã
in vanũ passus est. Caro enim eius fuit quæ passa
est, ac in Cruce oblata est. Et ecce, inquit, panis
quẽ ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Igitur
vitę prodest. Et rursũ: Accipite, hoc est corpus meũ,
quod pro vobis tradetur. Ergo prodest. Vis scire
quid non prodest? Caro sola, nisi suo spiritu viui-
ficetur. Caro tua, ô hæretice, non prodest quidquã,
sensus tuus carnalis non prodest, spiritus autẽ pro-
dest, fides. Spiritus est enim qui viuificat, fides. Cre-
de ergo, & fidẽ habe, vt tibi possit prodesse. Qui. n.
credit, etiã quæ sunt supra se comprehendit. Hinc
B enim Isaias dicit: *Si non credideritis, non intelligetis.*

Ratione demonstratur mysterium.

Verùm non tantùm fide, sed etiam ratione hoc
mysterium comprehensibile reddamus, & posse
clarè probari ostendamus sex argumentis petitis à
Sex argumentis.
simili, à maiori, à minori, à natura, ab arte, & à gra-
tia, seu à diuina potẽtia. Primò, à simili. Ioh. 2. mu- *Ioh. 2.*
tatur aqua in vinũ: & sic fit vnius cõuersio substan- 1.
tiæ in aliã Secundò, à maiori. Omnia Deus ex ni- 2.
hilo creauit Et nõne hoc maius est quã aliquid ex
aliquo facere? Nouas creaturas ex nihilo produce-
re, nõnne maius est quàm creatas mutare? Tertiò, à 3.
minori. Deus puluerem terræ in Adam conuertit,
& costam eius in mulierem. Quare ergo non pote-
C rit terram & substantiam panis conuertere in sub-
stantiam suæ carnis? Hoc in statu naturæ factũ est
& creationis. Quid igitur facere poterit in statu
gratiæ & reparationis? Quartò, hoc iterum à na- 4.
tura ipsa clariùs videamus. Sol vi naturæ suæ de
terra facit aurum; apes succum & mel suum de flo-
rib. & in equo mutatur fœnũ in eius naturam: sicut
etiam in nobis, cibus in nostram substantiam, in
ossa & carnem. Hoc quidem natura facit. Quid er-
go poterit facere naturæ Dominus? Quintò, ab ar- 5.
te adhuc clariùs. Videmus arte cineres in vitrum
cõuersos. Si hoc facit ars, quid faciet Dominus om-
nium qui dedit, & de thesauris sapiẽtiæ suę produ-
xit omnes inuentiones artium? Omne quod vo-
luerit faciet, ait Sap. Eccles. 8. & sermo illius pote- *Eccle. 8.*
state plenus est: nec quisquam dicere potest, cur
D ita facis? Sextò denique, ab ipsa gratia, & Dei vir- 6.
tute etiam hominibus communicata. Ecce Moy- *Exod. 4. & 7.*
ses virgam suam proiecit in terrã, & in serpentem
conuersa est, & eamdem denuò per caudam assu-
mens, in suam naturam reuersa est, videlicet virgæ.
Ecce bis facta eiusdem rei conuersio. Item, flu-
mina Ægypti versa sunt in sanguinem, & rursus
cessauit cruor ad Moysis preces. Sed quid dicam?
Idem Moyses aquam de petra & rupe durissima
produxit. Quæ quidem omnia, & alia adhuc plura
ex diuina gratia & virtute in ipso, fecit. Vnde S.
Ambros. dixit lib. suo de Sacram. Si tantum valuit
E benedictio humana, quantum valebit diuina? Ma-
ioris certè est virtutis gratia quàm natura. Vnde si
tantum in homine potuit diuina virtus & gratia,
quid quæso poterit in Christo, qui est virtus &
sapientia Dei patris, ipsamet omnipotentia Dei &
virtus? Nostrum verò Sacramentum ipso virtutis
Dei verbo confectum est, quod omnia potest. Qua-
re neque amplius illud scrutari volumus. Puteus
enim altus est, & non habet homo vnde hauriat,
(cognitionem,) penetret, & comprehendat; hoc ad
ipsum spectat qui fecit & instituit. Solùm *Ioh. 4.*
quod haurire possumus, aqua est di- *Eucharistia, puteus altus.*
uinæ gratię & vitæ
æternæ.

QVAR-

QVARTO, DE INEFFABILI VIRTUTE & MAGNIFICA GLORIA EUCHARISTIÆ. ET DE DUPLICI CŒNA, IN DOMINICA OCTAUÆ.

Homo quidam fecit cœnam magnam, &c. Luc. 14.

Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Iohan. 6.

EVCHARISTIA conuiuium est dignum suo authore, qui Christus est æterna virtus & sapientia patris. Ipse est Euangelicus homo, de quo hodie apud Luc. 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Secundum naturæ veritatem Christus est homo: verbum enim caro factum est. Quidam autem, quia nomen eius admirabile est, in Isa. *& vocabitur nomen eius Admirabilis.* & in Apostolorum Act. *Non est datum aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat saluos fieri credentes.* Quidam, quia est singularis & ineffabilis homo. Singularis in persona, Deus enim est. Singularis in conceptione, quia de Spiritu sancto. Singularis in natiuitate, quia de virgine. Singularis in potentia, quia omnis illi data est in cœlo & in terra. Singularis denique in nomine, & significatione, qui dicitur Christus IESVS, id est, vnctus & Saluator, plenus gratiæ & veritatis. Hic ergo quidam homo hodie fecit cœnam magnam, videlicet Eucharistiæ Sacramentum.

Quomodo Christus dicitur quidam homo. Iohan. 1. Isa. 9. Act. 4.

Sacramentum hoc cœnam appellamus, non ex mente quidem & sensu hæreticorum, neque enim institutionem huius Sacramenti dicimus cœnam fuisse, quæ celebrata à Christo fuit ante passionem, & post quam cœnam celebratam, hoc instituit Sacramentum, vt Ioh. 13. habetur, vbi dicitur quod cœna facta surrexit Christus, vt lauaret pedes discipulorum: & postquam lauit, iterum recubuit, vt videlicet corporis sui institueret Sacramentum & sanguinis. Vnde tantùm cœnam hoc appellamus Sacramentum per conuenientiam temporis institutionis, sicut etiam significationis, & nominis. Primò igitur ratione temporis, eo quod tempore cœnæ, & post illam celebratam, fuit institutum. Secundò, quia sicut cœna est vltima refectio diei, ita illud Sacramentum nobis institutum fuit vespere, & in vltima ætate mundi. Nos sumus, inquit Apostolus, in quos fines sæculorum deuenerunt.

Iohan. 13. *Quomodo Eucharistia Sacramentum dicitur cœna.* 1. Cor. 10.

Triplex fuit mundi ætas. Naturæ, Legis, & gratiæ. Vnicuique autem cibus paratus & datus est. Ætati primæ, videlicet naturæ, lignum vitæ in paradiso datum est, & propter peccatum durauit paucis temporibus. Ætati Legis manna datum est in deserto, & 40. annis durauit. Nunc autem tempori gratiæ, quod veluti est vltima mundi ætas, cœna, quæ vltima est diei refectio, data est, scilicet Eucharistia, quæ vltima & vsque ad consummationem sæculorum duratura, hominis est refectio. Vnde & cœna dicitur.

Triplex mundi ætas, & vnicuique cibus paratus est.

Tertiò denique sic appellatur ex triplici etymologia huius nominis, iuxta quod ex Græco sumitur tribus modis. Primò dicitur καινὸν per αι, quod significat nouum: & sic hoc nomen Eucharistiæ conuenit, per quam Christum induti omnino renouamur. Secundò dicitur κενὸν per ε, quod significat vacuum & vmbram: & similiter hoc modo Eucharistia potest cœna appellari, quia sub vacuo, vmbris, & signis panis & vini, veram carnem & sanguinem Christi sumimus. Sic Sponsa dicebat: Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus illius dulcis est gutturi meo. Tertiò denique κοινὸν dicitur per οι, quod commune significat: & sic adhuc magis hoc nomen Eucharistia potest recipere, eo quod in illa omnibus omnium dulcedo gratiarũ datur & gustatur in proprio fonte. Et præterea adhuc omnes de vno & eodem pane participamus, qui Christus est: hinc enim est quod dicitur Sacramentum sanctæ communionis. Vnde etiam Isidor. lib. Etym. eam præsertim notauit & posuit à communione, scilicet vescentium. Sicut enim, inquit, apud veteres mos erat cœnare communiter (iuxta quod etiam κοινὸν commune dicitur, vnde cœna.) Ita quia in hoc Eucharistiæ Sacramento est communio vescentium de eodem pane IESV Christo: propterea etiam cœnæ nomen potest accipere; non quod tamen institutio cœna fuerit, aut quod in veritate illi res & nomen conueniant, vt de cœna cogitant & dicunt nostri hæretici. Illi enim in veritate nihil nisi panem manducant, vnde illi propriè cœnant. Nos autem corpus Christi manducamus, & ipsius gratiam per idipsum recipimus, vnde Sacramentum: & quidem Eucharistiæ Sacramentum, quæ dicitur bona gratia. Et si nomen à nobis cœnæ, seu conuiuij accipit, hoc solùm fit per conuenientiam, scilicet ratione communionis vescentium de eodem Christi corpore & sanguine; vt sic ponitur, atque etiam fundamentum habet in Apostolo, qui ait: Calix benedictionis cui benedicimus, id est, quem accipimus cum gratiarum actione, nónne communicatio sanguinis Christi est? hoc notent hæretici. Et panis quem frangimus, id est, corpus Christi, quod sub speciebus panis sumimus, nónne participatio corporis Domini est? Quid clarius adhuc istis verbis pro veritate Sacramenti Eucharistiæ, & communionis realis? Quod enim frangitur, panis est species. Quod verò participatur & datur, verum corpus & verus sanguis Christi est. Ecce Eucharistiæ magnifica gloria & ineffabilis virtus. Magna equidem cœna & magnum conuiuium, in quo Christus sumitur, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Tribus modis ex Græco cõuenit Eucharistiæ nomen cœnæ. Cant. 2. 1. Cor. 10.

Quidam homo fecit cœnam magnam, magnum & magnificum conuiuium: verè magnum, in quo idem est penitus instituens & institutum. Magnum ratione facientis, & contenti, vbi cibus datur non quicunque, sed qui sua virtute dat vitam omni carni. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Caro mea verè est cibus: cibus nobilis, quia de cœlo venit. Moyses non dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Hic est panis qui de cœlo descendit. Panis viuificus. Qui mãducat hunc panem viuet in æternum. Panis deificus. Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi, qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo.

Cõuiuij Eucharistia magnitudo. 1. Ratione contenti. Iohan. 6.

Item conuiuium magnum ratione indeficientiæ & sufficientiæ. Ecce vobiscum sum, inquiebat, vsque ad consummationem sæculi. Hoc certè in hoc conuiuio & Sacramento impletur, vbi nobiscum semper Christus manet, vbi manducatus viuit semper, & omnibus semper sufficit. *Inquirentes Dominum non deficient omni bono*, inquiebat Psaltes. Hic non deficient, vbi panis est esurientibus, & fons aquarum sitientibus: denique vbi omnia

2. Ratione indeficientiæ & sufficientiæ.

Chrysost. hom. 61. ad pop. Antioch.

3 Ratione modi.

omnia & in omnibus Christus. Hinc S. Chrysost. Vnus sit nobis dolor hac esca priuari. Magnum ratione modi, scilicet humilitatis extremæ, qua se nobis Christus manducandum tradit. Neque enim, nisi esset humilis, manducaretur à nobis, dicit S. August. Etiam abnegationis perfectæ sui ipsius, iuxta quam penitus sui obliuisci videtur & gloriæ. Quæso quæ abnegatio diuinæ Majestatis, cibum tradere se nobis, peccatoribus atque inimicis suis? Verùm & infinitæ erga nos charitatis, cùm ad illud conuiuium magnum omnes vocauerit, etiámque quos mundus despicit. Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, pauperes, debiles, cæcos, & claudos. Edent pauperes, & saturabuntur, laudabunt Dominum qui requirunt eum, viuent corda eorum. Christus enim Deus est & cibus cordium. Quorum cordium? Maximè pauperum qui requirunt eum, & quos etiam replet bonis suis, diuites dimittens inanes, sicut Maria dicit: *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes*, scilicet, qui se excusarunt, & venire noluerunt. Vnus dicit: Villam emi, alius dicit, iuga boum; alius verò, vxorem duxi, & ideo non possum venire. Omnes inuitati quidem fuere, sed se excusauerunt plures. Quinam fuerunt isti? Diuites. Et quid facit paterfamilias? dicit seruo suo: Exi citò in plateas & vicos Ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc, vt impleatur domus mea.

4. Et vltimò ratione triplicis vnionis.

Ecce equidem magnum conuiuium, prorsus admirabile & magnificum. Magnum denique, ac vltimò admirabile ratione triplicis vnionis, quam operatur & significat in nobis, Dei cum anima, Dei cum Ecclesia sua, quæ est societas fidelium, & consequenter omnium fidelium inter se. Primò, Dei cum anima. Ioh. 6. Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo. Vbi S. August. Manet in nobis cùm sumus templum eius, manemus autem in eo cùm sumus membra eius. Vnde ait. In quo Christus non manet, procul dubio non manducauit, licet dentibus Sacramenta sumpserit. Dei cum Ecclesia, quæ omnes vocatos includit, cum quibus Deus vnitur consilio & voluntate eorum salutis. Ita enim ab æterno vnio fuit cum prædestinatis: in tempore cum vocatis, sicut in æternitate cum beatis. Cum prædestinatis per misericordiam; cum vocatis & electis per gratiam; & cum beatis in cœlo per gloriam. Quorum omnium vitæ panis est Christus, & sic omnium fidelium inter se vnionis nota & perenne vinculum, quia per Christum omnes vnum corpus efficimur, omnes vna caro, omnes fratres, & eiusdem regni consortes & cohæredes.

1. Dei cum anima. Ioh 6. S Aug. tract. 27. in Ioh.

2. Dei cum Ecclesia.

3. Fidelium inter se.

S Chrysost. hom. 60. ad pop. Antioch.

Cogita iam, ô homo, ait Chysost. hom. 6. ad pop. Ant. quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quod Angeli videntes perhorrescunt, nec audêt intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos vnimur, & facti sumus vnum Christi corpus, vna caro. Quis loquetur potentias Domini, & auditas faciet omnes laudes eius? hæc ille. Et quæso quis potentiam tantam, & tam ineffabilem huius Sacramenti virtutem enarrabit, & magnificam eius gloriam annunciabit populis? vbi eadem majestate Dei & præsentia fruimur in terris, qua beati perfruuntur in cœlis, & per manducationem nobis datur in conuiuio pignus futuræ gloriæ, quæ per fruitionem possidetur in æterna requie. Hic namque mãducamus panem vitæ nostræ, panem nostræ immortalitatis, panem non deficientem, qui nos confortabit, & ducet vsque ad montem Dei Horeb, vsque ad visionem & satietatem Dei.

A

In pane subcinericio Eliæ figura est, in manducatione & fortitudine cuius grandem viam quæ restabat illi, perfecit, & ambulauit vsque ad montem Dei. Sic est de virtute & fortitudine panis Eucharistiæ, qui pro viatico nobis datur ad montem Dei & æternæ gloriæ. Qua ratione etiam dicitur Eucharistia, id est, gratia bona: quia, vt dicit Paulus, gratia Dei vita æterna. Ibi est, vbi conuiuij gloria in aperto est, vbi visio eum attingit, quem fides solum adorat, veneratur & credit. Ecce locus magni conuiuij, & vbi Deus cœnam vltimam & æternam instituit, Cœlum est, in quo disponit mensam suam, & omnibus thesauros & diuitias gloriæ suæ aperit.

3. Reg. 19. Figura panis aliæ.

Rom. 6.

Cœna gloriæ præparata à patre.

B

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Ille quidam homo, æternus pater est: homo, quia misericors est & benignus in homines, & quia ad Dei similitudinem conditus est homo. Ipse igitur misericors pater, eo quod filius eius Incarnationis suæ mysterium & matrimonium nobiscum celebrare voluit, fecit cœnam magnam, & vocauit multos. id est, nobis præparauit gloriam suam, illam equidem cœnam magnam, de qua in Apocal. *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Interim noluit Deus vt in terra priuaremur delicijs istis & gaudiis, qui etiam Altaris & Eucharistiæ mensam nobis Ecclesiæ suæ filiis præparauit. Hanc disposuit & instituit filius mensam primam & coopertam. Nam in fide est. Aliam verò pater disposuit secundam & vltimam, quæ in reuelatione est, visione & claritate, & quæ propriè cœna dici potest. Cœna dici potest gloria. Primò, quia sicut post laborem diei cœna datur: sic post huius vitæ labores gloria. Ita Isa. ait: Pro eo quod laborauit, anima eius videbit & saturabitur. Sic parabola Matth. 20. Cùm sero factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo, voca operarios, & redde illis mercedem. Secundò, quia sicut post cœnam non reditur amplius ad laborem diei, sed continua est requies: sic in gloria, vbi delectationes in dextera Dei vsque in finem. Ps. 15. Et iusti in perpetuum viuent. Sap. 5. Tertiò denique, quia sicut cœna est vltima refectio: sic gloria, nouissima hominis est beatitudo. Ideóque magna cœna. Quidam homo fecit cœnam magnam.

Apoc. 19.

C

Quomodo gloria, cœna dici possit. Isa. 53. Matth. 20.

D

Magna equidem est illa cœlestis gloriæ cœna, quæ minimè adhuc in cor hominis ascendere potuit, vt Isaias dicit: *Oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascendit*, &c. Magna, quia huius mensæ ferculum Diuinitas est, & à tota Trinitate præparatur. Pater faciei suæ dat claram visionem, vt S. Ioh. ait in sua Canon. Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Et denique omnium bonorum suorum possessionem. Tunc enim, dicit Apost. erit Deus omnia in omnibus. Filius item communicat visionem suæ diuinæ & hypostaticæ vnionis, in omni satietate, vt Ioh. 10. habetur, ingredietur & egredietur, & pascua inueniet, scilicet in clara visione vtriusque naturæ. Denique Spiritussanctus panem dat lætitiæ, & vinum omnis delectationis. Etenim hi sunt, ex Apostolo, fructus Spiritus, charitas, gaudium, pax, &c. Magna est certè illa cœna in gloria. Magna adhuc, quia ad eam omnes nos vocat, vt Petrus ait: Deus omnis gratiæ vocauit nos in æternam suam gloriam; sicut ad Tim. Apost. vult omnes saluos fieri. Denique magna ratione adhuc

Quot modis gloria dicitur cœna magna. Isa. 64.

1. Ioh. 3.

E

1. Cor. 15.

Ioh. 10.

Gal. 5.

1. Pet. 5. 1. Tim. 2.

adhuc inuitantis: per filium enim suum ad eam nos Deus vocat. Et misit seruum suum, ait Euangelium. Quis ille est seruus patris, nisi idem filius Christus, qui cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens? Misit autem pater per Incarnationem suam & aduentum in hunc mundum. Sed ad quid? dicere inuitatis vt venirent, quia omnia parata sunt. Ecce ego dispono vobis, inquit, sicut disposuit mihi pater, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno patris mei.

Locus gloriæ. Ecce locus, ecce palatium, ecce aula vbi disponitur mensa, & nobis paratur illud cœleste & gloriosum conuiuium. Regnum est Dei, domus infinitæ capacitatis, vt nos omnes recipiat: & propterea etiam hoc cœleste conuiuium paratum est, vt Ciuitas illa magna suis ciuibus impleretur in fine sæculorum. Ante Ascensionem Domini domus vacua erat quantum ad homines, nunc tantùm est semiplena: tunc autem implebitur domus tota, quando in fine sæculorum vnusquisque beatus erit in corpore & anima. O Israël, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! Domus gloriæ & beatitudinis. Domus laudis & sanctificationis. Domus denique, ait propheta Psal. 110. cuius confessio & magnificentia opus eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi. Confessio per laudes. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Magnificentia per largam communicationem gloriæ. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. Denique iustitia per retributionem talis gloriæ acquisitæ meritis. Et sic, Domine, in voce exultationis & confessionis, sonus epulantis. Ps. 41. Cassiod. ibi. Breuis definitio quid illa sit exultatio, sonus epulantis: quia iste sonus animam pascit, & epulas illi suaues delectatione concedit. Quid enim dulcius quàm Deum laudare? hæc ille. Ecce itaque qualis est refectio gloriæ, & qualis etiam est in terra Eucharistiæ, quæ omne delectamentum in se continet, & est illud conuiuium sacrum, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Baruch 3. *Ps. 110.* *Ps. 41.*

QVINTO, DE EMINENTI dignitate Eucharistiæ super sacrificia legis, & Sacramenta Ecclesiæ.

Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Iohan. 6.

Ex Sacramento Eucharistiæ dignitatem suã sumit Ecclesia. S. Dionys. in hierarchia. Eccles. cap. 5. par. 1.

TANTA est huius Sacramenti dignitas propter eum quem continet IESVM Christum, vt ex eo omnem suam dignitatem sumat Ecclesia, cui per ipsum datum est id realiter habere, quod tantùm in figuris concessum fuit Synagogæ. S. Dionys. in sua hierarchia Ecclesiastica loquens de Ecclesia, ponit eam mediam inter hierarchiam cœlestem seu Angelicam, & Synagogicam, seu legalem, eo quod vtriusque extremitates apprehendit societate mirabili, comparticipans & communicans superiori, spiritualibus intelligentiis, & euidentiore supernorum imitatione seu veritate: inferiori verò, scilicet Synagogæ, sensibilibus signis, qualia sunt Sacramenta. Vnde inter vtramque dicitur media Ecclesia, eo quod per participationem, & non per abnegationem vni & alteri earum extremitati communicat, in quo eius dignitas est.

A

Ecclesiæ dignitas per Eucharistiã, quæ proximè ad hierarchiam cœlestem accedit. Verùm & in hoc præsertim maxima est, quod per Eucharistiam proximè ad cœlestem hierarchiam accedit, & à legali seu Synagogica longissimè distat. Etenim si hanc cœlestem hierarchiam cum nostra, seu supernam Hierusalem cum Ecclesia conferamus, inueniemus eumdem Deum & Dominum nos habere præsentem in terra, quem illi ciues superni adorant in gloriâ; vnumque tantùm inter illos & nos interesse gradum distantiæ, quod illi in fruitione vident, nos autem veneramur in fide. Et ita propter hoc Sacramentum quodammodo inuenietur æqualis dignitas Ecclesiæ cum illa cœlesti hierarchia, quæ non magis veritate Dei præsentiæ gaudet quàm Ecclesia; in vnoque tantùm est differentia, quod patitur ista, fruitur illa.

B

Iam verò si cum Synagoga denuò Ecclesiam comparemus; adhuc inueniemus propter idem Sacramentum illam in dignitate infinitè superare, intantum vt omnis dignitas Ecclesiæ sit & dependeat ex dignitate Eucharistiæ. Et quæso, si modò illam cum Synagoga conferimus, quid amplius habuit illa quàm signa & vmbras? sicut ait Apostolus: *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem*, id est, veritatem, *numquam potest accedentes perfectos facere.* Quid est vmbram habere legem futurorum bonorum? Ex S. Gregor. Nazianz. est, Mosaicam legem tantùm ænigmaticè nobis bona futura præferre, & obscuram habere repræsentationem illorum, quorum imaginem, id est, veritatem habet Ecclesia, ad quæ etiam spe contingit. Ex S. verò Chrysost. est, Synagogam seu legem Mosaicam tantùm vmbram habere veri sacrificij & remissionis peccatorum, videlicet quasdam victimas carnales, non verò verorum bonorum veritatem, & sacrificium verum, quod remittit peccata, sicut habet Ecclesia. Et quidem hæc explicatio multum conuenit Eucharistiæ mysterio, quæ est verum sacrificium Ecclesiæ in remissionem peccatorum. Atque hinc est quod idem S. Dionysius alibi Eucharistiam appellat perfectionem perfectionum, mysterium mysteriorum, Sacramentum Sacramentorum, vt id quod est verum sacrificium, & omnium aliorum sacrificiorum continet veritatem. Vnde etiam videmus quod omnia sacrificia legis habuerunt relationem suam ad illud Sacramentum, vt ad suum finem & complementum, & verè omnium mysteriorum mysterium; denique vt vmbræ ad veritatem.

Vnde distat Ecclesia à Synagoga. Heb. 10.

C *Quid sit legẽ habere vmbram futurorum bonorum. S. Gregor. Nazianz. S. Chrysost.*

D *1. Eminens dignitas Eucharistiæ.*

Eucharistia est finis & complementum legaliũ.

Inter omnia vetera sacrificia, tria præcipua fuere. Oblatio Melchisedech, qui vinum & panem obtulit, ex Gen. 14. erat enim Sacerdos Dei altissimi. Victimæ pacificæ, seu etiam, & magis sacrificium expiationis, quod quidem solemnissimum erat, quod alio nomine dicitur oblatio holocaustorum, de qua in Exod. vbi Moyses, tenens volumen fœderis, assumptum sanguinem respergebat in populum dicens: hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum. Denique immolatio & manducatio simul Agni paschalis, de quo item Exod. 12. Hæc autem tria exactissimè referuntur ad Sacramentum Eucharistiæ, vt figuræ ad veritatem, iuxta quod etiam tria in Eucharistia considerare possumus. Primum est, id quod est Sacramentum tantùm, quod est species panis & vini. Secundum, id quod est res Sacramenti tantùm, scilicet gratia, huius Sacramenti effectus. Tertium denique, id quod est res & Sacramentum simul, scilicet corpus

Gen. 14. E *Exod. 24.* *Exod. 12.* *Tria diuersa in Eucharistia considerantur.*

Chriſti verum quod ſub ſpeciebus continetur, & ſimul communicat gratiam.

Notanda relationes ſacrificiorum legalium ad Euchariſtiã.

Quantum igitur ad id quod eſt Sacramentum tantùm, ſeu ſignum, ad id relationem habet oblatio Melchiſedech, qui panem & vinum obtulit. Quantum ad rem ſeu effectum, qui eſt gratia & remiſſio peccatorum, relationem habet oblatio holocauſtorum, & victimarum pacificarum, ſeu illud expiationis ſacrificium quod cum aſperſione ſanguinis ſuper populum fiebat, in ſignum teſtamenti & fœderis Dei. Vnde etiam Chriſtus, vt oſtenderet impleri in ſe hanc veritatem, cùm hoc inſtituit Sacramentum dixit, & nos, cùm idem facimus, poſt ipſum dicimus diuina inſtitutione formati: hic eſt calix ſanguinis mei, noui & æterni teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Vbi certè conuenientia notanda eſt inter figuram & veritatem, quod videlicet iiſdem penè verbis hic Chriſtus vſus eſt, quibus Moyſes Exod. 24. vſus fuerat. Moyſes aſſumens volumen fœderis, & reſpergens ſanguinem in populum dicebat: hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum. Et Chriſtus accipiens calicem teſtamenti ſui noui, volumen omnium mirabilium, dicit Matth. 26. hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum: & Luc. 22. hic eſt calix, nouum teſtamentũ in ſanguine meo qui pro vobis effundetur.

Collatio admirabilis Agni paſchalis cum Euchariſtia in tribus.

Quantum nunc ad ipſum Chriſtum ſub hoc Sacramento contentum, verè paſſum, immolatum in Cruce pro homine, eique largientem in illo dona ſuæ gratiæ, etiam relationem habet Agnus paſchalis, qui adhuc pluſquàm omnia ipſum Chriſtum iuxta omnia quæ in hoc Sacramento inueniuntur, præfigurabat. Tria enim in illo paſchali Agno reperiebantur (qui ſumebatur ſine macula,) valde ad propoſitum noſtrum notanda. Primum, immolabatur vt hoſtia. Secundum, comedebatur vt cibus. Tertium, ſanguinis eius effuſio filios Iſraël protegebat à deuaſtante Angelo, & Ægyptiorum ſeruitute, vt diuinæ gratiæ, atque redemptionis inſtrumentum & ſignum. Ita ſimiliter Chriſtus, qui propter innocentiam ſuam dicitur Agnus, in Euchariſtiæ Sacramento immolatur vt hoſtia, comeditur vt cibus, recipiturque vt gratiæ author & largitor, innumeroſque vt ſic operatur in nobis potentiæ ſuæ & bonitatis effectus; adeò vt ſacrificiorum omnium ſit complementum, quæ ad ipſum vt ad finem referuntur, & vt ſigna ad veritatem & rem ſignificatam.

3. Dignitas Euchariſtiæ ratione figurarum.

1. Ligni vitæ. Gen. 2.

Verùm præter ſacrificia oſtendamus adhuc fuiſſe figuras excellentiſſimas in Scriptura, quæ expreſsè & directè relationem ſuam habuerunt ad illud, vt ex illis adhuc magis Euchariſtiæ dignitas innoteſcat. Primò, lignum vitæ, quod Deus in medio paradiſi poſuerat, ad conſeruationem hominis, figura erat huius Sacramenti vitæ quod Deus poſuit in Altari, & in medio Eccleſiæ, ad vitam hominis: de quo equidem optimè intelligi poteſt illud Apoc. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod eſt in paradiſo Dei mei*, id eſt, in Eccleſia. Iſtud autem lignum vitæ Chriſtus eſt in Euchariſtia, his certè qui apprehenderint eum. Secundò, panis ſubcinericius Eliæ, & tam fortis ad vitam & ad ambulandum vſque ad montem Dei, de quo ſuprà, figura fuit. Item panis primitiarum, de quo Exod. 23. Denique inter omnes præcipua figura Manna fuit, quod ſuauiſſimus cibus erat, peregrinantibus in deſerto datus; miſſus de cœlo ad nutriendum populum Dei, & datus, vt dixi, tanquam viaticum

Apoc. 2.

2. Panis Eliæ.

3. Panis primitiarum.

4. Manna.

A peregrinantibus ad terram promiſſionis. In eoque adhuc præſertim fuit figura Euchariſtici panis, quod panis fuerit dubietatis, & contradictionis: ſicuti eſt hodie Sacramentum Euchariſtiæ multis. De Manna quid Iſraëlitę rebelles dicebant? Numquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Et cùm paratam viderent, & de cœlo cecidiſſe hunc panem, dixerunt, Manhu? quid hoc? Et poſtea: Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo. Sic hodie certè dicunt hæretici noſtri de hoc Sacramento, Ioh. 6. ſicut Capharnaitæ dicebant: Quomodo poteſt hic carnem ſuam dare nobis ad manducandum? Sic & noſtri hæretici: Manhu, inquiunt, & quid eſt hoc? Nauſeat anima noſtra ſuper iſto cibo

In quibus Manna fuit expreſſa figura Euchariſtiæ. Pſ. 77.

Num. 21.

B leuiſſimo. Ecce quæ figuræ veritatem præceſſerũt.

3. Euchariſtiæ dignitas in ſeipſa.

Verùm hanc etiam eminentem Euchariſtiæ dignitatem in ſeipſa videamus. Quo plura ſignificat, & plura recipit nomina res aliqua, eo etiam in natura dignior & eminentior eſt. De Euchariſtia autem dici poteſt quod in ſe omnia tempora complectitur, & quaſi æternitatis circulum, habens ſignificationem rei præteritæ, præſentis, & futuræ, iuxta quam ſua etiam habet nomina diuerſa. Primò enim repræſentat paſſionem Chriſti præteritam: & ſub hac ratione dicitur hoſtia, & ſacrificiũ. Secundò, ſignificationem habet præſentis gratiæ, & vnionis cum Chriſto: & ſecundum hoc nominatur Communio; per ipſam enim cõmunicamus

C Chriſto, ſicut adhuc per ipſum vnimur adinuicem. Tertiò, reſpectu futuri præfigurat & ſignificat æternam gloriam, quæ erit in patria: & hoc modo nominatur Euchariſtia, id eſt, bona gratia, quia gratia Dei vita æterna. Rom. 6. vel quia adhuc realiter continet Chriſtum, qui eſt plenus gratia.

4. Dignitas Euchariſtiæ reſpectu Sacramentorũ.

Inde eſt autem quod non ſolùm reſpectu legalium, ſupra omnia ſacrificia & vmbras quę præceſſerunt, Euchariſtiæ dignitas eminens eſt: ſed etiam reſpectu verorum in Eccleſia ſupra omnia Sacramenta, ratione videlicet contenti huius in ipſa, quod eſt Chriſtus, propter quem certè, vt iam notauimus, dicitur perfectio perfectionum, myſterium myſteriorum, & omnium Sacramentorum

D Sacramentum, conſummatio & finis.

S. Tho. 3. p. q. 65. art. 3. Dignitas Euchariſtiæ ſupra omnia Sacramenta. 1. Ratione contenti.

Ita S. Thom. qui dicit, ſimpliciter loquendo, Sacramentum iſtud inter alia potiſſimum eſſe, triplici ratione. Prima, ex eo quod, vt iam diximus, continetur in eo ſubſtantialiter Chriſtus, cùm tantùm in aliis contineatur inſtrumentalis quædam virtus gratiæ participata à Chriſto. Vnde cùm illud quod eſt per eſſentiam, ſemper potius ſit eo quod eſt per participationem: ita etiam hoc Euchariſtiæ Sacramentum, quod per eſſentiam gratiæ principium habet, ſcilicet Chriſtum, inter alia erit potiſſimum quæ tantùm virtutem gratiæ habent per participationem.

2. Ratione ordinis ſeu relationis omnium ad illud.

Secunda, ex eo quod omnia alia Sacramenta

E ordinantur ad illud ſicut ad finem. Ordo ad conſecrationem. Baptiſmus ad receptionem. Confirmatio ad frequentiorem acceſſum. Pœnitentia & Vnctio extrema ad præparationem ſumendi & digniùs & vtiliùs. Denique Matrimonium ad ſignificandam illam vnionem Dei cum anima & Eccleſia, quæ in illo Sacramento accidit. Eſt enim Euchariſtia ſymbolum & virtus perfectiſſimæ vnitatis & Dei vnionis cum homine. Et ſic Matrimonium ſaltem ſua ſignificatione attingit hoc Sacramentum. Vt iam cognoſcamus quia ad ipſum potiſſimum quidem omnium in dignitate, alia referuntur, & non ſolùm referuntur ſeu ordinantur, ſed etiam in ipſo omnia conſummantur.

Et

3. Ratione finis & perfectionis, seu consummationis in isto Sacramento.

Et hæc tertia est ratio, cur adhuc dicimus Eucharistiam eminere super omnia, scilicet, quia per eam & in ea consummantur omnia, adeò vt vltimã in illius vsu perfectionem habeant. Sic enim videmus ordinatos non solùm interesse tremendis mysteriis & consecrare, sed etiam communicare. Et sic omnes baptizatos, (modò sint adulti,) mensa Ecclesiæ recipit, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, clericos cum laicis, nuptos cum innuptis, & tandem peccatores atque pœnitentes cum iustis. Adeò vt hoc memorabile verbum de Eucharistia dixerit S. Dionys. in sua Ecclesi. hierarch. quod non contingit aliquod sacerdotalis muneris mysterium peragi, nisi diuinum istud Eucharistiæ augustissimumque Sacramentum compleat, quod ei qui perficitur coniunctionem ad Deum operatur. Et sic adhuc quia non contingit, (vt optimè intellexit, & ex eodem S. Dionysio retulit S. Thom. 3. p. q. 65. art. 3.) aliquem perfici perfectione hierarchica, nisi per diuinissimam Eucharistiam, (ecce quo nomine eam colit,) quia nimirum recepta, perficit recipiẽtes, & eorum adunationẽ consortiumque ad Deum peragit, in quo vitam inueniunt & gratiam. Scio quia alia Sacramenta non sunt quidem absque vita & gratia, sed eam semper vt instrumenta, & ita adhuc vt imperfecta conferunt. Diuinissimæ verò Eucharistiæ Sacramentum per se & immediatè confert, vt in se continens authorem vitæ & gratiæ, & velut perfectio aliorum. Vnde accidit, vt qui eam suscipit, & dignè suscipit, hoc ipso, realiter, substantialiter, ac immediatè, ipsi authori vitæ vniatur, vnumque euadat cum illo. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo. O virtus & admirabilis dignitas! Heu! quid est hoc, manere in Deo, & Deum in nobis? Non est certè alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest Deus noster. Et per Eucharistiam adest.

S. Dionys. Eccl. hierar. cap. 3.

In Eucharistia omnis nostra perfectio.

Vnde S. Cyrill. Alexãdrinus in Ioh. sic nos omnes exhortatur dicens. Si vitam æternam consequi volumus, & si largitorem immortalitatis habere in nobis desideramus, ad recipiendam benedictionem libenter concurramus. (hic per benedictionem, Eucharistiam intelligit, quæ dicit bonam gratiam.) Sic enim statim subiungit. Caueamus autem ne loco laquei, damnosam religionem diabolus nobis prætendat. Rectè, inquit diabolus, dicis scriptum esse, iudicium sibi manducare qui accedit indignè, neque hoc ignoramus. Item, probet semetipsum homo. Rectè etiam dicis; Ego probo meipsum, & indignum inuenio. Hæc equidem est damnosa religio, cum sua indignitate ad Eucharistiam accedere, & talem panem comedere qui confert gratiam. Quare dicit S. Cyrill. Si peccando indignè accedis, & peccare non desinis, (quis enim delicta intelligit?) expers omnino eris huius viuificæ sanctificationis. Quare pias quæso cogitationes suscipias, studiosè sanctèque viuas, & benedictionem participes, gratiam videlicet & vitam quę in Eucharistia est. Iam anima tua dicat: Introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Ecce, ait S. Ambros. deposuisti peccatorum senectutem, & sumpsisti gratię iuuentutem. Hoc tibi præstiterunt Sacramenta cœlestia. Sed audi iterum dicentem: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Bona aquila esse cœpisti quæ cœlum petis, terrena fastidis, bona aquila circa altare: Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. In altari enim corpus Christi est: vbi

S. Cyrill. Alexãd. lib. 4. in Ioh.

S. Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 2.

A autem corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Quare introibo ad altare Dei, & ad mensam corporis Domini mei IESV Christi accedam, vt in lætitia cordis mei communicem cum hæreditate sancta eius. *Matth. 24.*

SEXTO, DE ADORATIONE debita Eucharistiæ, & admirabili operatione eius in animabus iustis.

B *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Iohan. 6.

INTER opera Christi memorabilissimum, & memoria mirabilium eius, est Eucharistia. Propterea S. Thomas opusc. 57. loquens de institutione huius festi in Ecclesia à summo Pontifice Vrbano IV. illius triplicem refert rationem, ex conueniente deuotione fidelium. Prima est, vt ineffabilem modum diuinæ præsentiæ in Sacramento visibili veneremur. Secunda, vt laudetur Dei potentia, quæ in eodem Sacramento tot mirabilia operatur. Tertia, vt de tam salubri, tamque suaui beneficio exoluantur Deo debitæ gratiarum actiones. Ita enim ipse Christus cùm mysterium instituit, eadem penitus ratione voluit vt eius memoriam haberemus & faceremus, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*; in perpetuam videlicet pro re tanta gratiarum actionem. Immensa siquidem diuinæ largitatis beneficia, (inquit ille Doctor) populo Christiano in hoc Sacramento exhibita, inæstimabilem ei conferunt dignitatem. Neque enim est, aut fuit aliquando tam grandis natio quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest Deus noster. Vnigenitus siquidem Dei filius suæ Diuinitatis volens nos esse participes, nostram naturam assumpsit, vt homines Deos faceret factus homo. Et hoc insuper quod de nostro assumpsit, totum nobis in ara Crucis contulit ad salutem: & vt tanti beneficij iugis in nobis maneret memoria, corpus suum in cibum, & sanguinem in potum sub specie panis & vini sumendum fidelibus dereliquit. Vnde nihil illo conuiuio est pretiosius, in quo nõ carnes vitulorũ, vt olim in lege, sed nobis Christus sumendus proponitur verus Deus. Nihil illo mirabilius, in quo panis & vinum in corpus & sanguinem Christi substantialiter conuertuntur, & manducatur à fidelibus, sed minimè laceratur, nec diuiditur dentibus. Nihil illo salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium charismatum spiritualium abundantia impinguatur. Denique nihil illo suauius, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte degustatur, & recolitur memoria illius quam in sua passione Christus monstrauit excellẽtissimæ charitatis. Inde equidẽ Eucharistia dicitur gratia bona, quia videlicet per eam, vt omnium mirabilium Dei memoriam, & de eodem beneficio, & de omnibus aliis, Deo debitas gratiarum actiones exoluimus. Adeò vt etiam vna ex rationibus institutionis huius festi, hæc fuerit cum duabus aliis, scilicet, adoratione, & laude.

Triplex ratio institutionis festi corporis Christi.

S. Thom. opusc. 57.

Eucharistiæ elogia.

Primò igitur de adoratione Eucharistiæ debita hic loquamur. Adoramus enim eam, quia vi diuini præcepti tenemur. Deut. 6. & Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis.* Iam verò in Eucharistia ineffabili

Adoratio Eucharistiæ, & quomodo. Deut. 6. Matth. 4.

ineffabili modo Christum Deum præsentem habemus. Imò Sacramentum istud substantialiter Christus est, cui vbique adoratio debetur. Neque enim illi solùm conuenit quia in cœlo est, vel in alio loco, sed quia Deus est. Sic enim obiicere nobis conantur hæretici. Non instituit hoc Christus Sacramentum, vt adoraretur in illo, sed vt manducetur; ille enim est finis. Ergo malè faciunt qui adorant. Inepta consequentia: & rem similem audiat. Non venit Christus ad præsepe, vt adoraretur ibi, sed vt nasceretur, & iacens in fœno aliquandiu maneret. Ergo malè fecerunt Magi, qui huc venerunt adorare eum: & de facto apertis thesauris suis obtulerunt ei munera sua, & procidentes adorauerunt. Item, non eo fine ambulabat, vt adoraretur circuiens ciuitates & vicos, sed vt miracula faceret, & doceret. Et tamen passim adorabatur, vt videre est Matth. 8. 9. & 14. Sed aliunde exemplum sumamus, scilicet à Regibus, qui non foras quidem proficiscuntur eo fine, vt ab occurrentibus salutentur: & tamen honor iste defertur illis ab omnibus. Igitur malè concludunt hæretici, quod in Sacramento non debeat Christus adorari, eo quod eo fine illud non instituit.

Argumentum hæreticorum & solutio.

Exemplum.

Ex hisque illa duo colligemus aduersus eos. Primum, hæreticos pluris facere aliquem amicum, aut Principem terrenum quàm Christum filium Dei, & patri coæternum, quem solum pro nihilo habent, & sine honore excipiunt. Secundum, licet illa sit primaria causa & ratio institutionis vt manducetur, tamen hanc etiam fuisse, vt ipsum magis præsentem, atque propinquiorem haberemus: sicq; veneraremur, & antequam manducaremus, adoraremus. *Manducauerunt*, ait Dauid, *& adorauerunt omnes pingues terræ*. Vbi Aug. & maximè in Ps. 98. ait. Quia ipsam carnem ad manducandum ad salutem dedit, nemo illam manducat nisi priùs adorauerit, eadem quidem adoratione qua adoraretur, si videretur in propria specie; nec enim minori veneratione digna est. Cùm differentia quæ in modo existendi est siue naturali, siue sacramentali, visibili, aut inuisibili, nihil penitus referat ad rei mutationem, fidéque, & non sensibus adoratio nitatur, sicut de hoc Sacramento canit Ecclesia. Præstet fides supplementum sensuum defectui. Nam si sensus deficit, ad firmandum cor syncerum sola fides sufficit. Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui. Id est, adoremus procidentes, & cum illo Centurione accedentes dicamus, Domine non sum dignus, &c.

Ps. 21.
S. August. in Ps. 98.

Quæ verba explicans Origenes dicit. Quando manducas corpus, & bibis sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Tu ergo humilians temetipsum, (ecce adoratio) imitare hunc Centurionem, & dicito, Domine non sum dignus. Vbi enim in indignum ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti. Et S. Chrysost. in Matth. ad pastores Ecclesiæ sermonem suum conuertens, & monens eos, vt neminem permittant irreuerenter & indignè ad hanc mensam Dei accedere, dicit eis. Siue quis dux militiæ sit, siue præfectus, aut Princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, id est, sine honore & reuerentia, sine adoratione, humilitate, & dispositione animi, prohibe: maiorem illo potestatem habes. Propterea Deus hoc vos insigniuit honore, vt talia discernatis: alioquin non parua vobis imminet vltio, si illius culpæ conscij, quemquam huius mensæ participem esse concedatis. Vnde hom. 61. ad pop. Ant. nobis sedulò proponit, vt quotquot

Origen.

Chrysost. hom. 83. in Matth.

A huius corporis participes efficimur, cogitemus quod illum sursum sedentem qui ab Angelis adoratur, degustamus; scilicet, vt non accedamus ad manducandum, nisi priùs adorauerimus, & dispositi fuerimus, humilitate, reuerentia, puritate. Hæc enim est adoratio quæ conuenit Deo, & tali Sacramento quod continet ipsum.

Verùm veniamus nunc ad laudem potentiæ eius, quæ in eodem Sacramento tot mirabilia operatur. Cuiusmodi sunt operationes vitæ in animabus iustis, videlicet, gratia, remissio peccatorum, præseruatio à peccatis, & vita æterna. *Panis autem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Hos effectus sacrosanctæ & diuinissimæ Eucharistiæ tangit B S. Thom. 3. p. quæst. 79. art. 1. 2. 3. & 6. Quantum ad primum, diuersimodè consideratur gratia, seu spiritualis vita procedere ex hoc Sacramento. Primò quidem & principaliter ex eo quod in eo continetur, quod est Christus, qui sicut in mundum visibiliter veniens contulit mundo vitam gratiæ, iuxta illud Iohan. 1. *Gratia & veritas per* IESVM *Christum facta est*: ita in hominem sacramentaliter veniens vitam gratiæ operatur, iuxta etiam illud Ioh. 6. *Qui manducat me, viuet propter me. Panis enim quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Operatio Eucharistiæ.

1. Gratia.

Ioh. 1.

Ioh. 6.

Secundò consideratur gratia ex hoc procedere Sacramento, ex eo quod repræsentatur per illud, quod est passio Christi. Vnde effectum eumdem C facit in homine, quem in mundo passio fecit. Ita enim in illa verba Ioh. *De latere Christi exiuit sanguis & aqua*, dicit S. Chrysost. Quia hinc suscipiunt principium sacra mysteria, cùm accesseris ad tremendum calicem, vt ab ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas. Ita enim dixit Dominus IESVS: hic est sanguis meus qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.

Ioh. 19.
S. Chrysost.

Tertiò adhuc consideratur ex modo quo traditur illud admirabile Sacramentum, traditur enim per modum cibi & potus. Vnde per hoc significatur quod eumdem effectum facit quantum ad spiritualem vitam, quem facit materialis cibus quantum ad corporalem. Materialis cibus sustentat ho-D minem, auget, fouet & reparat. Ita facit caro Christi quæ est verè cibus, vt S. Ambros. dicit tract. de Sacramentis. Iste est panis vitæ æternæ, ait, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Caro mea verè est cibus: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: panis nō quidem simplex & purus, sed Diuinitati vnitus, qui & Deus est, & cuius etiam participatione, spiritus & vitæ Christi participes efficimur. Vnde etiam S. August. in Ioh. dicit. Estne aliquis qui velit habere spiritum Christi, & viuere de spiritu Christi? Sumat iam & maneat in corpore Christi. Corpus meum de spiritu meo viuit, & tuum de tuo. Sic non potest viuere corpus Christi nisi de spiritu Christi. Vis ergo & tu viue-E re de spiritu Christi? esto in corpore Christi. Qui vult viuere, habet vbi viuat, vnde viuat, accedat, credat, & incorporetur vt viuificetur, & vnum in Christo corpus fiat. Sicut Paulus dixit, vnus panis, & vnum Christi corpus multi sumus. O Sacramentum pietatis! ô signum vnitatis! ô vinculum charitatis! ô Eucharistia, gratiæ & vitæ mysterium! *Panis quem ego dabo*, &c.

S. Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 4.

S. Aug. tract. 17. in Ioh.

Quantum ad secundum, sciendum est virtutem huius Sacramenti dupliciter considerari. Primò, secundum se, vt videlicet oritur ex passione Christi, quæ est fons & causa remissionis omnium peccatorum, & sic ex se remittit. Secundò, secundum dispositionem eius qui recipit. Si enim cum impedimento

2. Remissio peccatorum.

dimento & conscientia peccati mortalis recipitur, non remittit, imò magis auget culpam. Neque enim anima in actu & affectu peccandi, perceptione Eucharistiæ purificatur, sed grauatur magis. Si verò non est in conscientia peccati, & accedat reuerenter, (licet tamen non sit sufficienter contrita) tunc certè consequetur per hoc Sacramentum charitatis gratiam, quæ contritionem perficiet remissionemque operabitur cuiuscunque peccati. Nam in eo communicatur gratia, seu charitas, non solùm quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum qui sæpius excitatur, & per quem etiam peccata venialia soluuntur. Vnde S. Ambros. libro suo de Sacr. dicit quod iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ necessitatis. Adeò vt illa duo semper ei conueniant horum respectu qui suscipiunt dignè & vt decet, venialia delere, cauere mortalia.

S. Ambros. lib. 5. cap. 4. de Sacram.

3. Præseruatio à peccatis.

Ecce quantum ad tertium, quod est præseruatio à peccatis in futurum. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Dixerat Christus de cœlo descendisse hunc panem, vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur. Quod quidem constat minimè intelligi de morte corporali, sed de spirituali quæ est per peccatum, à quo præseruatur per hoc Sacramentum. Quid enim est mortale peccatum, nisi animæ mors? Eo autem modo anima præseruatur à sua morte futura, quo corpus à sua. Quod quidem fit dupliciter. Corpus enim primò inquantum contra corruptiuum interius roboratur, præseruatur à morte, quod fit per cibum & medicinam. Secundò, inquantum contra exteriores assultus munitur, quod fit per arma. Ita est de Sacramento isto, quod quidem vtroque modo præseruat animam à peccato futuro. Primò enim per hoc quod manducatione animam coniungit Christo per gratiam, roborat spiritualem hominis vitam, tanquam spiritualis cibus & medicina. Nam iste est panis qui confirmat cor hominis, vt dicit Psaltes. Vnde etiam dicit S. August. Securus accede, panis enim est, non venenum. Secundò, inquantum etiam passionis Christi signum & memoria est, per quam dæmones victi fuere. Ita quoque vt armatura fortis omnem Inferni impugnationem expellit.

Quomodo corpus à futura morte præseruatur, sic anima à peccato.

Ps. 103. S. August. in Ioh.

Hinc enim ait S. Chrysostom. Tanquam Leones ignem spirantes sic ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles; & attendamus nobis ipsis talibus fruentes bonis, quali honore, & quali mensa facti sumus digni, ea certè de qua dicit Dauid: Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Qui tribulant me, dicit. Licet enim hæc mensa virtutem habeat à peccato præseruandi, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi; peccare enim semper potest homo, sed hæc mensa ipsum, si velit, præseruare potest à peccato. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Qui continuò incedit inter hostes, operam dat vt muniatur cibariis & armis in tutelam vitæ. Sic & nos, qui vndique circumdamur hostibus, illo Sacramento magno muniri debemus, in quo omnia habemus. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Qui manducat hunc panem, meam carnem, habet vitam æternam.

S. Chrysost. hom. 61. ad pop. Antio.

Ps. 22.

4. Vita æterna seu gloria.

Ecce nunc quantum ad quartam operationem, seu vltimum Eucharistiæ effectum, qui est æterna vita in gloria. Quod vt intelligatur, & quomodo gloria Eucharistiæ operatio est & effectus, notandum illi attribui vt semen & radicem habenti, inquantum videlicet hoc Sacramentum confert gratiam quæ dat ius ad gloriam, & est semen vitæ æternæ. Gratia enim Dei vita æterna, dicit Apostolus. Verùm præterea est notandum, hanc gratiam speciali modo conferre, quo non conferunt alia Sacramenta Ecclesiæ, nimirum vt continet ipsum qui author gratiæ est & gloriæ, qui vita est & vita æterna, sicut dicit Iohannes in sua Canonica: *Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius.* Christus enim quem continet & donat, nostra vita est & gloria: Illiusque adhuc passio, cuius in hoc Sacramento est memoria, introitus ad vitam & æternam gloriam. En vnde dicimus adeptionem gloriæ pertinere ad Sacramentum Eucharistiæ, Sacramentum admirabile & magnum, quod in nobis est causa tot admirabilium effectuum, secundum tamen dispositionem suscipientium: virtus enim causæ, vt turba omnium philosophorum docet, pro dispositione est suscipientis; maximè verò hic, vbi Deus expostulat nostri desiderium cordis.

Eucharistia dispositionem requirit.

Antequam quidquam existeret in rerum natura, nulla re alia opus erat quàm Dei voluntate & omnipotentia: dixit enim, & facta sunt, mandauit, & creata sunt. Sed posita & iam præiacente materia, ad eius dispositionem Deus operatur: Sol pro dispositione terræ, &c. Quod autem constat in natura, multo certius est in gratia, Augustino dicente; Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. Quare Apostolus de mysterio nostro & Sacramento loquens, dicit; Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. Quid est hoc, inquit S. Gregor. illa verba Apostoli ponderans, nisi euacuata peccatorum nequitia, se probatum ad Dominicam mensam & purum exhibere? Sicut enim medicina operatur pro dispositione stomachi: ita Eucharistia pro dispositione animi Si medicina indisposito corpori detur & non præparato, causa est plerumque mortis: si verò præparato & bene disposito, causa erit salutis. Ita est certè de Eucharistiæ Sacramento respectu indignè, vel dignè sumentis. S. Chrysost. in Ioh. Si purè accesseris, ad salutem accessisti: si in praua conscientia, ad pœnam & supplicium. Legitur de Oza quod tenens Arcam protinus moritur, eamque ob causam, inquiunt Iudæi, quia non se seruauerat purum illa nocte. Quid igitur erit ad animatam Arcam Domini, dico Eucharistiam, tot & tantis inquinatum criminibus accedere? Sanctus Augustinus propterea dicit, quod illud quod ad altare portare debemus, est innocentia. Et S. Cyrill. Alexand. similiter. Oportet, inquit, omnibus viribus à peccato mundari, & rectè viuendi iactis fundamentis, magna cum fiducia ad sumendam vitam accedere. Sic denique Sanctus Ambrosius in Luc. Nemo Christi cibum accipit, nisi qui fuerit antè sanatus. Vbique igitur mysterij huius ordo seruatur, vt priùs per remissionem peccatorum, vulneribus medicina tribuatur, pòst alimonia mensæ cœlestis exhibeatur. Cibus enim iste non mortuorum est, sed viuentium.

S. August.

1. Cor. 11.

S. Gregor.

Exemplum.

S. Chrysost. hom 45. in Ioh.

2 Reg. 6.

S. Aug. tract. 26. in Ioh.

S. Cyrill. Alexād lib. 3. in Ioh.

S. Ambros. lib 6. in Luc. c. 9.

* * *

SEPTIMO, DE DISPOSITIONE, & differentia recipientium Eucharistiæ Sacramentũ.

Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Iohan. 6.

Quanta dispositio requiratur & necessaria sit ad communicandum.
S. Chrysost. hom. 83. in Matth.

SI vim & significationem huius diuinissimi Sacramenti consideremus, quod nos tam arctè coniungit cum Christo, vt ipse in nobis maneat, & nos similiter in illo; constat quanta ad percipiendum illud dispositio requiratur, & cur Apostolus dixerit: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat; de illo pane, qui est caro Christi: *Panis quem ego dabo, caro mea est.* Vnde S.Chrysost. in Matth. Audiamus, inquit, & Sacerdotes & subditi, quali esca facti sumus digni. Audiamus & horreamus: sanctis carnibus suis nos dedit Christus impleri. Quænam ergo erit nobis excusatio cùm talibus pasti, talia peccemus, cùm lupi fiamus Agnum comedentes? Probet seipsum homo. Certè satis Ecclesiastica declarauit consuetudo hanc esse probationẽ necessariam, vt nullus conscius mortalis peccati quãtumcunque sibi videatur contritus, ad sacram Eucharistiam accedere præsumat (etiã cùm tenetur,) absq; confessione sacramẽtali præmissa, vbi fieri potest. Tale enim est diuinũ præceptum, & Ecclesiæ traditũ hic verbis Apostolicis: Probet seipsum homo. Ego enim accepi à Domino. Fauet Tridentina Synodus, quæ ait, cõmunicare volenti reuocandũ esse in memoriã hoc præceptũ; Probet seipsum homo.

Concil Trident. sess. 13. cap. 7.

Et ex parte Eucharistia, & ex parte confessionis obligatur homo ad præparationẽ dignã communionis.

Quod quidem talẽ obligationẽ induxit duplici ex causa. Prima, ex institutione & significatione eiusdem Sacramenti. Est enim signũ vnionis Ecclesiæ cum suo capite, quod est Christus; quod quidẽ nequit fieri in membris absque reconciliatione per Sacramentũ confessionis. Secunda, ex fine eiusdem confessionis sacramẽtalis, cuius est etiã peccatores ad Deum adducere. Probet igitur seipsum homo, & sic accedat, & de pane illo edat. Hæc enim probatio, digna erit præparatio quæ omnia secum fert ornamenta gratiæ. Parabolæ de filio prodigo hic recordor, vbi legimus, patrem filio pœnitẽti & reuerso priùs stolam dedisse, quàm ad epulas vituli saginati ipsum introduxisse. Quod quidem ponderans S.Ambros. ita ad eum cõuertit, qui ad hoc diuinum Eucharistiæ conuiuium accedit, dicens. Recordetur ille Dei patris, ad eum redeat, vestem pristinam recipiat, statum scilicet eum, quem Adam transgressus amiserat; annulum quoque accipiat, quo fidei pactum interrogatus obsignat; atque ita exinde opimitate Dominici corporis vescatur. Quod idem est planè, ac si diceret: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. Ad dispositionẽ recipientis, suos Eucharistia operatur effectus. Sumũt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vitæ vel interitus. Mors est malis, vita bonis. Vide paris sumptionis quàm sit dispar exitus. Optima eius dispositio, probatio est cordis.

Luc. 15.

Tria mala simul facit, qui indignè, & non probans se ad mensam Domini accedit.
1 Infidelitatis.

Quare qui aliter facit, trium simul criminum est particeps. Primò enim more infidelium accedit: secundò, sacrilegium facit: tertiò etiam mendaciũ in re diuina committit. Ecce tria mala. Quãtum ad primum. Ille equidem vt infidelis accedit, qui minimè semetipsum probat, & manducat indignè, nõ diiudicans corpus Domini. Hoc satis videtur concludere doctrina Apost. 1. Cor. 11. cùm dicit illa verba: Probet seipsum homo, & sic de pane illo A edat, qui enim manducat indignè, iudiciũ sibi mãducat, non diiudicans corpus Domini. Itaque quicunq; manducauerit panẽ hunc, vel biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniã Dominus IESVS in qua nocte tradebatur, accepit panẽ, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meũ quod pro vobis tradetur. Probet ergo seipsum homo, & sic de pane illo edat, qui est corpus Christi. Panis quem ego dabo, caro mea est. Ecce qui dignè manducat, qui credit & est fidelis. Qui enim non credit, est infidelis, & non mãducat. Exod. 12. Alienigena non comedet ex eo. Et Ioh. 3. Qui incredu- B lus est filio Dei, non videbit vitã: sed ira Dei manet super eum, qui videlicet cum Capharnaitis infidelibus, & incredulis Iudæis dicit; *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Tales quidem sunt hæretici, qui non credunt & litigant, ideo etiam sunt infideles, & non manducant.

Exod. 12.
Ioh. 3.

Notanda verba S. Cyrilli Hierosolym. de veritate Eucharistiæ.

Sed rursus fidẽ mysterij huius aduersus ipsos firmam & ratam faciamus ex verbis antiquissimi Patris & Doctoris S.Cyrill. Hierosolymitani, qui ante S.Aug. vixit tẽporibus Imperatorum Constãtij, Iuliani, Valentis, & Theodosij. Ipse explicans supra citata verba Apost. Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. Ego enim accepi à Domino, &c. ita dicit. Ipsa Beati Pauli doctrina abundè sufficere vi- C detur, vt certã de diuinis mysteriis fidem faciat, quibus digni redditi, concorporei, vt ita dicam, & cõsanguinei Christi facti estis. Cùm igitur ipse de pane pronũtiauerit, ac dixerit; hoc est corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? Et cùm idem ipse tam asseueranter dixerit; hic est sanguis meus, quis vnquam dubitauerit, vt dicat non esse eius sanguinem? Nil clarius & certius ab antiquo Patre dici potest: adeò vt videatur directè contra hæreticos huius tẽporis hæc dixisse, & nihil omisisse ad defensionẽ huius veritatis, & maiorẽ elucidationem. Vnde & exemplũ sumit conuersionis aquæ in vinũ in Cana Galilææ, & inde explicationẽ admirabilis huius in Eucharistia conuersionis panis in corpus D Christi, & vini in sanguinẽ, dicens. Ad eas nuptias quibus corpora copulantur, vocatus, præter opinionem omnium, hoc facit miraculũ: & non multo magis sic eum corpus & sanguinẽ suum fruẽda nobis donasse persuasum firmiter habebimus, vt ea cũ omni certitudine tanquam corpus ipsius & sanguinem sumamus? Nam in specie panis (ecce penitus clara explicatio, & vt se mysterium habet,) dat nobis corpus, & in specie vini dat nobis sanguinem, vt cùm sumpseris, gustes corpus & sanguinem Christi, factus eiusdem corporis & sanguinis particeps. Sic enim efficimur Christiferi, id est, Christum in corporibus nostris ferentes.

Sed præterea adhuc refert figuram mysterij pro E maiori certitudine veritatis, addẽs. Erant & in veteri Testamento panes propositionis: verùm illi cùm fuerint veteris Testamẽti, finẽ iam acceperũt. In nouo verò Testamento panis est cœlestis, & calix salutaris, qui & animam & corpus sanctificant. Quamobrẽ non sic hæc attendas velim, tanquã sint nudus & simplex panis: nudum & simplex vinum; corpus enim sunt, & sanguis Christi. Nam etiamsi sensus illud tibi renuntiat (quæso notẽtur omnia,) fides tamen te confirmet. Quare ne rem iudices ex gustu, sed te citra vllam dubitationem fides certum reddat, quod sis dignus factus qui corporis & sanguinis Christi particeps fieres. hæc omnia S. Cyrillus. Omitto adhuc quod clarè explicat respon

responsionem Christi factam Capharnaitis & Iudæis de hac manducatione murmurantibus,& adinuicem litigantibus.

Verùm si verba ipsa veritatis minimè prosint hæreticis,quid illis fidem & rationes Patrum proderit referre?Interim hoc adhuc ad vltimum fecimus, vt saltem fides antiquorum ipsos conuincat, aut certè confundat,fides quæ penitus cum nostra eadē est:& sic,vt iam eos velut infideles relinquamus. Idemq; ac simile faciamus de iis qui indignè, & sine probatione accedunt,& manducant;ij namque more equidem infidelium accedunt, & sic iudicium sibi manducant, quia corpus Domini non diiudicant:vnde etiā partem & sortē suam in æternum cum infidelibus habebunt. *Qui non credit,iam iudicatus est.* Ille autem minimè credere videtur,& diiudicare corpus Domini,qui indignè accedit ; & sic habetur vt infidelis. *Cùm venerit Spiritus veritatis, arguet mundū de peccato,* huius infidelitatis peccato.

2. Malum sacrilegij. Quantum ad secundum.Etiam dicimus talē qui non se probat,& accedit indignè , sacrilegium facere. Ibi enim res sacra accipitur, vbi ius in ea non habetur ; in quo est sacrilegium.Neque enim vllū ius est,nisi cùm habendi dispositio est.Et sic qui eo modo iniustè recipit , sortem suam cum sacrilegis habebit. Matth. 7. aiebat Dominus : Nolite dare sanctum canibus. Memorabile est illud Baltassaris exemplum,qui ex eo quod vasa Templi contaminauit bibens in eis cum concubinis suis , in illo grandi cōuiuio quod fecerat optimatibus suis,manum in parietis superficie vidit scribentem condēnationem suæ mortis, & diuisionem Regni. Quid ergo fiet illis,qui non vasa Templi,sed ipsum corpus Christi sacrilego ore contaminant , indignè suscipientes?Certè iudicium sibi manducant.

Matth. 7.

Dan. 5.

3. Malum mendacij. Quantum ad tertium.Similiter dicimus mendacium cōmittere qui cum indignitate accedit.Eiusmodi enim Sacramenti susceptio,vt diximus,significat vnionē sumentis cum Christo.Quia autē non vnitur illi,& tamen vnionem significat dum sumit, in re sacra mētitur:nulla enim ibi vnio esse potest, vbi ex peccato diuisionis causa inest.Vnde sequitur quod tunc Christum blasphemat,inhonorat & cōculcat,rursúmq; adhuc sacrilegium committit,cùm ita liberè peccans & pollutus eum indignè,& absque timore percipit. Et certè etiā magis delinquere videntur , qui iam in cœlis regnantem contemnūt in Altari , quàm qui in terris ambulantem affixerunt Cruci: suntque velut alter Iudas qui in specie amici ipsum osculatus est.Hinc enim est quod dicit S.Chrysost. Nullus Iudas assistat, nullus auarus,inhumanus nemo,nemo crudelis & immisericors ; nemo prorsus immundus : nam tales mensa non suscipit.Sed si quis est discipulus,adsit,cum discipulis enim meis,ait,facio Pascha.

S. Chrysost. hom. 60. ad pop. Antio.

Ecce iam quos aduocat Christus, qui in mensa Dei sedere digni iudicātur. Probet seipsum homo, inquit Apostolus,& sic de pane illo edat : de pane qui dat vitam mundo,dicit Dominus ; *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Istius namque panis est effectus,vitā dare omnibus qui dignè accedunt & comedunt,& eadē operari in corde quæ materialis in corpore.Nam cùm qui in eo continetur sit Deus , & eiusdem naturæ cum patre, in quo omnia viuunt,& per quē viuunt: ita etiam in quibus recipitur , operatur vitam gratiæ. Meritóque propterea dixit : Ego sum panis viuus. Et rursus: Ego sum panis vitæ ; quia simul habet vitā,& donat vitam.Quod non inuenitur in aliis.Vnde & de pane Moysis in deserto,videlicet manna, Christus

In Eucharistia vitam gratiā operatur Christus.

A dixit:Non Moyses dedit vobis panem de cœlo verum;(intelligite hæc hæretici,)quia panis iste figura erat,vnde nec viuus,nec vitæ panis erat. Noster autē quia panis est verus,& panis Dei qui de cœlo descendit,& dat vitam mundo,ideo panis viuus & vitæ dicitur,iuxta quod & vita in se,& in nobis est origo vitæ;& sic verus panis,qui sub illis speciebus panis visibilis continetur. Cùm enim de isto pane loquimur,de veritate eius loquimur qui dicit:Ego sum panis viuus,& se ad māducandum tradit,sicut mox subiungit:Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum ; & panis quem ego dabo , caro mea est pro mundi vita. Vnde & facit hoc sequi præceptum:Nisi manducaueritis, &c.Qui mandu- B cat meam carnē,&c.Caro enim mea verè est cibus. Accipite & manducate,hoc est corpus meum.

Ioh. 6.

Propterea est hic sciendum, triplicem esse istius Eucharistici panis manducationem.Vnam accidētalem & sensibilem. Alteram veram,substātialem, sed inuisibilem. Tertiam virtualē,seu spiritualem. Prima est accidentium seu specierum panis & vini, quæ subiacent sensibus,gustantur, atteruntur dentibus,& videntur. Secunda est substantiæ corporis Christi & sanguinis,quæ inuisibiliter manducatur. Tertia denique est gratiæ & spiritus , dum scilicet virtus Sacramenti recipitur in nobis.Quare & triplicis huius panis, seu manducationis triplex inuenitur figura in Scripturis sacris. Prima in Mel- C chisedech Rege Salem, & Sacerdote altissimi , qui obtulit Abraham reuertente à cæde Regum in valle Saue,panem & vinum:vt ostenderetur exinde,quod sub accidentibus & speciebus panis & vini,à Sacerdotibus altissimi secundum ordinē Melchisedech sumeremus corpus & sanguinē Christi. Secunda est in subcinericio pane Eliæ , seu in alio subcinericio pane, de quo mentio est Iudic.7.qui videbatur in castra Madian descendere,& illa subuertere penitus. Qui panis sumebatur interpretatione pro gladio Gedeonis,qui significat *Conterens.* Sic enim est de corpore Christi, quod coctum sub cinere mortis descendit in castra Madian,in sepulchrum,vbi percussit & destruxit inimicum, portas D infernales confregit,& contriuit caput antiqui serpentis. Hoc enim est verum corpus, verè passum, atque in Cruce immolatum,quod sumimus. Accipite & manducate,hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Tertia est in manna deserti omne delectamentum in se habēte,per quod significatur gratia,& spiritualis virtus quæ in istius diuinissimi Sacramenti cōmunione sacra recipitur.Quæ quidē manducatio iustorum tantùm propria est, scilicet, cùm non solùm sacramentaliter seu sensibiliter, atque etiam substantialiter,id est, verè ; sed adhuc virtualiter & spiritualiter Christum recipiunt & manducant,id est,gratiam eius,quæ significatur per hoc Sacramentum.Vnde Eucharistia dicitur. Hoc E enim sola est ratione qua in hoc Sacramento dicimur in Christo manere,& ille in nobis.

Triplex mā-ducatio panis in Eucharistia.

Triplex figura triplicis panis in Eucharistia.

Genes. 14.

3. Reg. 9. Iudic. 7.

Vnde quantum ad primam & secundam manducationem,& accidentiū,videlicet panis,& simul substantię corporis Christi,illæ duę omnibus sunt communes,siue bonis,siue malis.Quicunque enim hoc Sacramentum recipit,simul recipit & visibilia accidentia panis,quæ atterit dentibus, & præterea inuisibilem substantiā corporis & sanguinis Christi,quæ cibus est.Caro enim mea verè est cibus;sed cibus qui non prodest animæ nisi dispositio sit. Probet seipsum homo. Quare cum distinctione sciendum est,quatuor esse genera hominum qui ad hoc Sacramentum accedere prætendunt. Alij sunt qui

Quatuor hominum genera, qui accedere diuersis modis ad Eucharistiæ Sacramentum dicuntur.

qui nec sacramentaliter, nec substantialiter, nec A spiritualiter recipiunt. Tales sunt hæretici in cœna sua, qui in ista ceremonia, seu potiùs abominatione, nihil omnino edunt & bibunt nisi panem purum, & vinum merum. Quare & illos omissos facimus. Neque enim sunt de nostris, nec manent in vite, vnde vt excisi arescent, & in ignem mittentur. *Habemus altare*, ait Apostolus Heb. vlt. *de quo non habent potestatem edere qui tabernaculo corporis sui deseruiunt*; vt sunt isti qui penitus sunt carnales & corporei.

1. Hæretici qui nil nisi panē in sua cœna sumūt.

Igitur tantùm hic loquamur de fidelibus, & qui in Ecclesia sunt. Et dicamus quosdam esse qui tantùm sacramentaliter & substantialiter recipiunt, sed non spiritualiter, sicut iam notauimus: & ij sunt inter Catholicos hypocritæ & obstinati in peccatis, qui corpus quidem Christi recipiunt, sed ad condemnationem suam & iudicium, iuxta quod Apostolus dixit: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.*

2. Inter Catholicos.

Peccatores obstinati.

Alij sunt qui tantùm spiritualiter, & non sacramentaliter recipiunt, vt pij multi, qui deuotè & cum reuerentia animi assistunt diuinis mysteriis: ij enim gratiam recipiunt, qui est effectus Sacramenti, & ita spiritualiter communicant. Ita dicit Sapiens: Qui bonus est, hauriet sibi gratiam à Domino.

Assistentes deuotè diuinis mysteriis.

Prou. 12.

Alij denique sunt qui & sacramentaliter seu sensibiliter, & substantialiter, & spiritualiter panem hunc vitæ comedunt, vt iusti & electi omnes, qui cum contritione cordis, confessione oris, & humilitate animi, ad illam mensam Domini accedunt, & sub speciebus Sacramenti veritatem carnis & sanguinis Christi cum charitate & gratia recipiunt. Nam præter gratiam qua tunc anima locupletatur, etiam substantia corporis Christi impinguatur, alitur, confortatur, quam sub illa visibili forma specierum inuisibiliter sumit. Caro mea verè est cibus: sed inuisibilis cibus. Quomodo Angelus Tobiæ dixit cap. 12. Videbar vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.

Electi, & Sacramentis instructi.

Caro Christi cibus inuisibilis.

Tob. 12.

Ita est in hoc Sacramento, vbi inuisibilis est cibus, scilicet Deus, caro Christi, & sanguis eius. In quo & illud est mirabile, quod multum differt quidem in hoc vno & eodem Sacramento, visibilis seu sensibilis manducatio ab inuisibili, purè sacramentalis à substantiali. Primò, in sensibili accidentia percipiuntur ferè ab omnibus sensibus: in inuisibili verò substantia corporis Christi nullo sensu est comprehensibilis. Secundò, in visibili diminuitur Sacramentum quando corrumpuntur accidentia: in inuisibili substantia perseuerat. Tertiò, in visibili & sacramentali franguntur accidentia: in inuisibili, fractis illis integra remanet corporis substantia, (veluti fracto speculo non frangitur imago.) Vnde dum multiplicatur manducatio visibilis, sacramentalis, seu sensibilis, vna & eadem semper remanet inuisibilis. Quartò denique in sensibili accidentia transeunt in substantiam manducantis: in inuisibili verò manducans in assumptum mutatur & transit.

In quibus differt visibilis manducatio Sacramenti Eucharistiæ ab inuisibili.

Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

DE COMPLEMENTO omnis perfectionis, & memoria omniū mirabiliū Dei Eucharistia.

Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Iohan. 6.

Optime S. Dionys. Sacramētū magnū corporis IESV Christi, seu Eucharistię quæ cōtinet ipsum, appellauit τελετὴν τελετῶν, *perfectionē omnium perfectionum*. Ideo certè quia est perfectionis Ecclesiæ complementum, & memoria omniū mirabiliū B Dei. Quantū enim ad primum, penitus videtur cōueniens fuisse primò perfectioni nouæ legis, illiq; dedisse super veterē, quæ tantùm in figuris erat, dignitatē suam. Nam cùm sacrificia antiqua, & legales cæremoniæ solùm Christum figurarent & rerū veritatem, oportuit vt Ecclesia & noua lex hanc veritatem haberet, qua quidem gaudet & præualet in hoc Sacramēto, in quo realiter Christus cōtinetur. Secundò, perfectioni fidei nostræ, quæ sicut est de Diuinitate Christi: ita etiā de humanitate eius, iuxta illud Ioh. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Quia autē fides est inuisibilium, sicut Diuinitatem suam nobis exhibet Christus inuisibiliter; ita & in hoc Sacramēto nobis inuisibili modo carnē suā exhi- C bet. Tertiò, perfectioni spei, ex tā familiari cōiunctione Christi ad nos. Si enim hic in terra tā arctè cōiungimur illi per hoc Sacramentū, vt ipse in nobis maneat, & nos in illo, quomodo non sperabimus illi vniri in cœlo, vbi eum videbimus facie ad faciem, eiq; associabimur vt mēbra nostro capiti? Quartò deniq; cōueniens fuit perfectioni charitatis ipsiusmet Christi erga nos, quando videlicet assumpta iā nostra carne, adhuc perpetuò vt amicus nobis voluit conuiuere in hoc Sacramēto: in quo, dum peregrinamur à Domino, sua corporali fruimur præsentia, etiā ante vnionem in æterna patria, expectantesq; beatā spem & aduentū gloriæ magni D Dei, illi coniungimur per veritatē & realē mādu- cationem corporis sui. Qui māducat meam carnē, dicit, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Quomodo manet? vtique vnione carnis suæ cum nostra, & Diuinitatis sua præterea in nobis. Sicut enim Dominus IESVS consors est Diuinitatis & corporis: ita etiam & tu qui accipis carnem eius, diuinæ eius in illo alimento participas substantiæ, scilicet & diuinæ & humanæ. Imò dicam, manducas & recipis quod non licet Angelis. Angeli quidem Diuinitatem habent qua viuunt, sed non humanitatem. Tu verò Diuinitate simul & humanitate pro alimento tuo & pane potiris.

Eucharistia complementum perfectionis.

1. Ecclesiæ.

2. Fidei.

3. Spei.

4. Charitatis.

Huius mysterij magni, & singularis priuilegij quo nos supra Angelos insigniuit, figura pulchra est E in illo paruulo Benjamin, cui Ioseph, quia vtrinque frater eius erat ex patre, & ex matre, scil. vterinus, iussit in conuiuio maiorē partē aduenire quàm aliis suis fratribus. Ita Christus noster mysticus Ioseph, & qui dicitur augmentū, ille qui ex vtero virginis factus est homo, frater noster, & nostra caro, etiam in conuiuio quod in Ecclesia sua instituit, atque in terra nostræ seruitutis, voluit nobis maiorē partē aduenire quàm Angelis, quia nos ipsius genus sumus. Angeli quidem quā ad ipsum pertinent Diuinitatis ratione, ea etiā enutriuntur, reficiunturque. Nos verò, qui & ratione Diuinitatis, & humanitatis simul, ipsius sumus, etiam voluit Diuinitate simul refici, & humanitate, vt oues pascuæ eius. Ipsum ergo

Figura priuilegij hominū supra Angelos in Eucharistia.

Genes. 43.

ergo cum pari gratitudine animi, & dispositione amoris recipiamus, cùm præ cæteris tam multa bona præstiterit nobis. Apud S. Iohan. dicebat: *Multa bona ostendi vobis*. Multa certè; nam & omnia quæ habuit, dedit nobis. Corpus in refectionem. Caro mea verè est cibus. Sanguinem in potum, & in ablutionem; & sanguis meus verè est potus. Et rursus in Apoc. Iohan. ait; Lauit nos in sanguine suo. Animam in redemptionem, ipso dicente: Pono animam meam pro ouibus meis. Denique Diuinitatem suam in præmium & fruitionem æternam. Dispono vobis, sicut disposuit mihi pater, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno patris mei. Vnde S. Pet. ait; Deus omnis gratiæ vocauit nos in æternam suam gloriam; vbi oculus hic certè non vidit quæ præparauit Deus, &c. Et ecce, omnia illa simul in hoc Eucharistiæ Sacramento recipimus, quod est omnis perfectionis complementum, & præterea omnium mirabilium Dei memoria.

Ioh. 10.

Apoc. 1.
Iohan. 10.

1. Petr. 1.

Eucharistia memoria mirabiliū Dei.

Ecce quantum ad secundum: Dauid enim paucis verbis omnia comprehendit, vbi de illo loquens mysterio dicit: *Confessio, & magnificentia opus eius.* Quale istud opus? Memoriam, inquit, fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus. Escam dedit timentibus se. Verè illa esca mirabilium Dei est memoria, in qua Deus ab homine mãducatur, & à seruo Dominus. Vnde etiam canit Ecclesia: O res mirabilis, manducat Dominum pauper, seruus & humilis. Verè Eucharistia est mirabilium Dei memoria, in qua omnia Dei continentur opera. Mirabilia opera tua Domine, & anima mea ea cognoscit nimis, scilicet, esse mirabilia in se, & te etiam mirabilem prædicare: sed in isto, Domine, præsertim opere memoriam fecisti mirabilium tuorum. Quasi diceret: licet omnia alia opera tua te admirabilem prædicent, laudent, & magnificent, istud tamen inter omnia, & plusquàm omnia te magnum, potentem, & mirabilem prædicat.

Opera Dei sunt lingua ipsius & verba oris eius. Sicut enim os explicat quid sit in mente conceptum: ita opus alicuius artificis quis ille sit declarat; & dicebat Dominus, à fructibus eorum cognoscetis eos. Sic autem præsertim in suis operibus, quasi verbis, Deus manifestat nobis suam potentiam, & illam prædicat: adeò vt vniuersa creatura sit veluti vox Dei, quæ ipsum indicat, & dicit, hic est author. Sic iuxta Psalmistam, cœli enarrãt gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Adeò vt etiam in tenebris Deus innotescat, & in silentio prædicet potentiam suam. Quod si verò Deus in omni opere quod patrauit, prædicatur magnus; quanto magis in illo quod ipsum suum verbũ continet & filiũ, qui ipsius æterna sapientia est? Cùm itaque filius Dei sit æternum verbum patris, ita etiam illud opus Dei quod continet ipsum, præ omnibus aliis operibus declarabit potentiam eius. Quis loquetur potentias Dei, & auditas faciet omnes laudes eius? inquiebat Dauid. Christus ipse verbum patris in illo diuinissimo Sacramento Altaris, in quo memoriam fecit mirabilium suorum, scilicet operum omnium, in quibus nobis agnitus est, & præterea nobis communicauit seipsum.

Vniuersa creatura vox Dei.

Eucharistia memoria omniũ operũ & communicationum Dei.

Quadruplex communicatio Dei.
Natura.

Quadruplex nobis innotescit opus seu communicatio Dei, per quam prædicatur magnus & admirabilis Deus. Naturæ, gratiæ, gloriæ, atque hypostaticæ vnionis. Per communicationem naturæ prædicatur magnus, inquantum vnicuique rei diuisit & dedit suum esse conforme: elementis esse,

A plantis vitam, animalibus sensum, homini rationem, Angelis intelligentiam, sic prout voluit diuidens singulis aliquid quod emanat participatum ex suis diuinis perfectionibus. Per communicationem iam gratiæ, quæ soli fit creaturæ rationali, & capaci vt eleuetur vsque ad notitiam Dei & amicitiam eius, multo magis adhuc admirabilis apparet, cùm scilicet ipsam adhuc in terra supra se eleuans, (videlicet hominem) diuinæ suæ facit consortem naturæ. Sed quid de communicatione gloriæ in cœlo dici potest, vbi eleuatur creatura vsque ad visionem, vnionem, & fruitionem diuinæ essentiæ? Domine, quid in æternum dicent & enarrabunt de te beati? gloriam regni tui dicent, B & potentiam tuam loquentur.

Gratia.

Gloria.

Verùm vna adhuc communicatio Dei superest, quæ omnem excedit admirationem, & in se est modus & potentia omnis diuinæ laudis, scilicet communicatio hypostaticæ vnionis, qua Deus personaliter naturæ humanæ vnitus est, intantum vt homo fuerit Deus: quæ quidem Dei communicatio ita est singularis & admirabilis, vt omnem aliam superet. Nec enim primam similem antè visa est habere, nec sequentem. Confessio & magnificentia opus eius. In hoc autem vnico opere, quod est Sacramentum Eucharistiæ, omnes illæ diuinæ communicationes seu Dei opera continentur, & videntur tanquam in volumine. Quod considerans Psalmista dixit: Memoriam fecit mirabilum suorũ Do- C minus misericors & miserator. Escã dedit timentibus se, scilicet, quia in hoc Sacramento cernuntur opera naturæ, gratiæ, gloriæ, & vnionis hypostaticę.

Vnionis hypostatica.

Videamus singula, atque in primis naturæ. In natura quidem relucet diuina potentia, vt in creatione, qua Deus produxit aliquid de nihilo. Ita in hoc Sacramẽto, licet aliter seu alio modo, Deus per suam omnipotentiã desinere faciens quę antè erat, substantiam, conuersionem & productionem eius operatur quæ nõ erat antè, & sic incipit modò esse, alterius loco, sub panis specie. In natura quotidie conuersio fit substantiæ in aliam. Primò, terræ in hominem. Secundò, costæ viri in mulierem, & nũc quotidie cibi in substantiam nostram; & hoc natu- D raliter. Quomodo ergo credi non poterit diuina virtute transubstantiatio Sacramenti, scilicet panis in corpus Christi, & vini in sanguinem? Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides præter rerum ordinem. Item in natura relucet Dei sapientia in gubernatione, & conseruatione rerum, vbi ex paucis granis & seminibus omnia viuentia nutrit. Ita in Eucharistiæ Sacramento, & magis, vbi vnico illo pane Ecclesiam suam Deus nutrit. S. August. notat maius fuisse miraculum, & nunc adhuc hodie esse, quod Deus ex paucis frumentis in terram iniectis sustentet & conseruet mundum, quàm cùm Christus ex quinque panibus in monte satiauit quinque millia hominum. Quanto igitur mi- E rabilibus erit, hoc vnico frumẽto diuini Sacramẽti omnes fideles Ecclesiæ enutriri? Demum in natura Deus admirabilis apparet in paruis animantibus, magis quàm in magnis, vt in formicis & muscis, magis quàm in Elephantibus & Aquilis; quia omne quod in magnis est, abbreuiatur in minimis & paruulis. Sic certè est de hoc Sacramento admirabili, in quo sub paruis & minutissimis speciebus, qui totum mundum continet, continetur. Memoriam fecit Deus mirabilium suorum.

1.
Quomodo, opera naturæ relucent in Eucharistia.

S. Aug. tract. 24. in Iohan.

Secundò, agnoscamus opus & communicationẽ gratiæ in hoc Sacramẽto dari & relucere, vbi degustatur velut in proprio fonte. Gratia per IESVM

2.
Quomodo communicatio gratia datur & relucet in hoc Sacramento.

 Chri

Iohan. 1. Christum facta est, ait S. Ioh. & de plenitudine eius omnes accepimus. Qui autẽ hic recipitur Christus est, vt canit Ecclesia. O sacrum conuiuium in quo Christus sumitur! Et hinc etiã est quod Eucharistia dicitur. Vnus sit nobis dolor hac esca priuari. Suauitatem huius Sacraměti nullus certè dignè exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo sic in suo fonte gustatur. Interim gustemus hanc suauitatem, vt & eam cognoscamus & amemus. Quis enim amare valeat quod ignorat? Gustate & videte. Ac si apertè diceret Propheta, inquit S. Greg. suauitatem eius non cognoscitis, si hanc minimè gustetis. Sed cibum vitæ ex palato cordis tangite, vt probantes eius dulcedinem, amare valeatis. Afferte cor & amorem. Deus enim cordis, &c.

S. Gregor.

B

3. *Quomodo gloria in hoc Sacramento relucet.*

Tertiò adhuc in hoc mysterio similitudo gloriæ Dei relucet & communicatio. Gloria in cœlo est, vbi videbimus Deum sicuti est, vbi amor erit, impeccabilitas & gaudium. Et nonne in hoc Sacramento inueniuntur eadem quæ in cœlo? Hic enim præsens Deus adoratur, & creditur sicuti est. Trinitas etiam præsens est, quia semper cum filio pater est & cum Spiritu sancto. Neque enim separantur personæ in Deo, aut vna est sine alia quæ vnũ sunt in natura. Quare numquid hic quædã est anticipata felicitas, qua licet exules à patria fruimur in terra? vbi per hoc fidei mysteriũ illuminatur intellectus, accenditur voluntas, anima in Deum suũ tota transformatur; & sic quodammodo ei impeccabilitas, immortalitásque confertur. Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam. Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus qui de cœlo descẽdi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ; & panis quẽ ego dabo, caro mea est pro mũdi vita.

C

Ioh. 6.

Felicitas data hominib. ante tempus in Eucharistia.

Ecce igitur in hoc pane vitæ nostra felicitas; eóque maior habenda quod ante tempus est obtenta. Creauerat Deus homines vt Angelos ad beatitudinem: sed quia statim à creatione, in cœlis Angelos collocauit, etiam illis statim gloriam suam cómunicauit. Quod non fecit hominibus quos posuerat in terra. Quid igitur interea fecit? Vt non omnino sua gloria priuarentur in terra, sed eam iam ante tempus & mortem obtinerent, hoc Sacramentum instituit, in quo eadem illis velata dereliquit, quæ nũc in cœlo reuelata sunt beatis; videlicet Diuinitatem simul cum humanitate obiectum totale nostræ beatitudinis & futuræ, & nunc præsentis.

D

4. *Quomodo Incarnatio includitur in Eucharistia Sacramento.*

Vnde quartò dicimus adhuc super omnia Eucharistiam continere & referre hoc vltimũ & mirabilius opus Dei, quod est Incarnatio. Quid namque est Sacramentum illud, nisi Incarnationis continuatio, seu extensio? & quid continet nisi ipsum? O sacrum conuiuium in quo Christus sumitur! Sed quid adhuc refert, aut repræsentat nisi eumdem immolatum, & passum in Cruce pro homine? O sacrũ conuiuium in quo recolitur memoria passionis! *Hoc facite in meam commemorationem*, dicit Dominus. Verè memoriam fecit Dominus mirabilium suorum, cùm escam dedit timentibus se Dominus. Memoriam fecit Incarnationis, vbi per verba cõsecrationis, conuersio fit substantiæ panis in substãtiam corporis Christi, & vnio Christi cum speciebus panis. Memoriam fecit Natiuitatis, vbi Altare nostrum per hoc Sacramentum fit Bethleem domus panis, & dicam præsepiũ Diuinitate plenũ. Memoriam fecit conuersationis suæ in terra, vbi in Eucharistia singulariter factus est Emmanuel, nobiscũ Deus. Memoriam fecit passionis, quia præterquam quod pridie quàm pateretur instituit, adhuc

E

A tamẽ fecit in monimentũ æternę suæ mortis. Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam cõmemorationem. Quotiescumque manducabitis panẽ hunc, ait Apost. (de quo Dominus dixerat; Accipite, hoc est corpus meũ,) mortem Domini annũciabitis donec veniat, scil. in consummatione sæculi. Memoriam adhuc hic fecit Resurrectionis, vbi datur vitę æternæ panis. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Qui mãducat meam carnẽ, dicit Dominus IESVS, habet vitã æternã: & ego resuscitabo eũ in nouissimo die. Deniq; memoriã etiam hic Ascẽsionis fecit, vbi adhuc pro viatico datur ad cœlestẽ patriam. Memoriã igitur fecit omnium mirabiliũ suorum Dominus. Escam dedit timentibus se. Escã dedit, vt manducatione carnis suæ omnium etiam mirabilium eius efficeremur consortes. O sacrum conuiuiũ in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur! Propter vnionem datur, propter vitam datur, propter transformationẽ. Audiuit S. Aug. vt lib. Confess. refert: Sum cibus grandium, cresce, & manducabis me, nec tu tamen me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. O quis fructum cibi huius explicare potest? Et quis nollet, aut etiam non curabit sic se quotidie disponere, vt quotidie mereatur accedere?

Matth. 26.

1. Cor. 11.

S. August. in Confess.

Quare vltimò & breuiter duo sunt retinenda, & obseruanda quantum ad vsum & frequentiã huius Sacramenti. Primum est ex parte ipsius Sacraměti, quod eius virtus tanta est & tã salutaris suscipienti, vt si fieri posset, quotidie sumi deberet. Secundũ ex parte sumẽtis, videlicet dispositio, reuerentia & deuotio, sine qua accedere nõ debes, saltẽ frequẽter. Vis tamẽ tibi vno verbo dicã, quomodo sępius possis accedere? Sic viue, vt quotidie merearis accipere.

Duo consideranda in vsu & frequentia huius Sacramenti.

HEBDOMADA SANCTA cum corollario festiuitatum beatissimæ Virginis Mariæ, matris IESV Christi. Ac primò de immaculata conceptione Virginis.

De qua natus est IESVS, *qui vocatur Christus.* Matth. 1.

NVLLA laus maior sanctissimæ Virgini dari potest, quàm ipsam agnoscere & prædicare matrem Christi. Mensura illa est omnium prærogatiuarum eius. S. Chrysost. dicit apud Metaphrast: illud magnum miraculum esse. Quid namque illa maius, aut illustrius, aut sanctius, inquit, vllo vnquã tempore inuentum est, seu aliquando inueniri poterit? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, nõ Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, nõ denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles, aut inuisibiles maius aut excellentius inueniri potest; scilicet illa quæ, inquit, eadẽ ancilla Dei est, & mater. Eius mater qui à patre ante omne principium genitus fuit. Propterea S. Bonau. in suo Spec. dicit, Deum quidẽ potuisse facere mundum maiorem & pulchriorem, sed digniorem & excellẽtiorem matrem facere non potuisse quàm Dei matrem. Hanc summam dignitatem & excellẽtiam notare voluit Euangelista, cùm in libro & ordine generationis IESV Christi, nullam mentionem faciens parentum virginis, absolutè dixit: *De qua natus est* IESVS, *qui vocatur Christus.* Ecce equidem vnde

S. Chrysost.

S. Bonau. in suo Speculo cap. 8.

Vnde variæ prærogatiuarum Mariæ.

vnde omnis ratio prærogatiuarum eius accipitur. Ecce vnde ex priuilegio singulari sine peccato cõcepta est, atque etiam vnde obtinuit sola omnem plenitudinem gratiæ.

Tres natiuitates celebrãtur in Ecclesia, & duæ conceptiones.

Tres natiuitates celebrat Ecclesia, & duas tantùm conceptiones. Natiuitatem Christi, Mariæ virginis, & Iohannis: Iohannis cum IESV & virgine, eo quod sanctificatus ex vtero præcursor Domini, in gratia natus est. Sed duæ tantùm conceptiones fuêre, IESV & Mariæ, quæ festiuis celebrantur honoribus, eo quod solæ immaculatæ fuerunt. Conceptio Christi, quæ Incarnatio eius fuit, & conceptio hodierna virginis, quæ initium fuit & primum instans ipsius esse & ortus: dieam initium quoddam & signum propinquissimũ futuræ conceptionis Christi. Adeò vt in ista conceptione virginis, iam initia conceptionis seu Incarnationis Christi celebremus, iuxta quod vna refertur ad aliam, hodiéque virgo concipitur, vt postea Christus in ea de Spiritu sancto concipiatur. Vnde etiã ex diuina prouidentia accidit (& quidem non sine magno mysterio) quod in Aduentus tempore hæc solemnitas occurrit, & in Ecclesia celebratur, vt simul vtriusque conceptionis agatur memoria, matris & filij, Christi & virginis: inquantum scilicet vna conceptio continetur in alia, filij in conceptione matris, & sic vna refertur ad aliam, conceptio matris ad conceptionem filij, prima reddente honorem vltimæ.

Mysteriũ ex occurrentia conceptionis in Aduentu.

Triplex abyssus.

Tres inueniuntur abyssi supremæ dignitatis & excellentiæ, quarum duæ honorem & gloriam deferunt primæ, & tertia secundæ, scilicet Trinitas, Incarnatio seu Christus, & mater Dei.
1. Trinitas prima est abyssus, quæ nulli honorem tribuit, sed recipit ab omnibus, vt prima & suprema Majestas.
2. Christus est secunda, quæ honorem refert huic primæ, scilicet Trinitati; factus est enim filius Dei filius hominis, vt hac noua & temporali generatione continuum honorem redderet æternæ, & simul in virgine inueniretur maternitas, quæ paternitati in Deo, suum æternum honorem exhiberet; vnde accidit iam, quod virgo in qualitate matris Dei continuam ad hoc relationem habet, fitque illa
3. tertia abyssus, quæ patri & filio perpetuum honorem reddit. Sola equidem virgo magis Deum honorat, quàm omnes simul creaturæ.

Duplex cõmendatio & gloria virginis.

Deus intra se, & extra admirabilis est, magnus in se & in suis creaturis, verumtamen multo magis in se quàm in omnibus suis creaturis. Sic virgo duplicem commendationem habet suæ gloriæ & magnitudinis, vnam interiorem, & alteram exterioré; in se, & extra se. Extra se, & quantum ad ea quæ in aliis operatur, magna quidem & valde admirabilis est, quæ trahit ad se omnia, & ea sibi subiicit: omnia enim sibi inferiora videt, & in eis operatur vt Domina. Verùm multo magis admirabilis apparet intra se, & quantum ad eius interiorem gloriam, cuius commendatio Christus est: & maternitas relatio. Mater enim est, sed Christi, sed vnigeniti à patre, sed Dei. Vnde simul mater est & gloria filij sui, qui non solùm homo, sed etiam per eam filius hominis fieri dignatus est; & sic mulierem matrem in terris habere voluit, qui Deum patrem habebat in cœlis. Hac enim superexcellentissima dignitate suæ matris summè honorari voluit mysterium suæ Incarnationis, quæ tam admirabilem & tam prodigiosam relationem habet, vt virgo in æternum constituatur, sit & nominetur mater Dei.

Tria momẽta præcipua virginis.

Quare omnia eius momẽta magna & mira sunt. Inter omnia autem tria sunt præcipua & notanda. Momentum immaculatæ eius conceptionis. Momentum conceptionis filij eius in ipsa, seu Incarnationis: & momentum denique mortis, quæ illi fuit introitus & assumptio ad æternitatem. Verùm hic tantùm de primo momento virginis loquuturi sumus, videlicet de immaculata conceptione eius, in qua adhuc tria sunt maximè honoranda & consideranda. Primum est, via redemptionis à peccato per præuentionem gratiæ. Secundum, gratiarum plenitudo, quæ tunc illi fuit concessa. Tertium, totalis applicatio & fidelis cooperatio animæ eius huic tantæ plenitudini & abundantiæ gratiarum.

Tria consideranda in immaculata cõceptione virginis.

1. Quantum ad primum, operæpretium est ante omnia scire quid sit peccatum originale, de quo virgo hic præseruata fuit etiam per viam redemptionis. B Notandum itaque, Deum in principio hominem creasse ad imaginem & similitudiné suam; statimque vt capacem sui ornasse duobus præcipuis donis, scilicet gratia, & originali iustitia. Gratia, vt per eam gratus Deo fieret, & consors amicitiæ eius, & sic vt amicus & filius dilectus, omnium bonorum eius particeps redderetur. Originali iustitia, quæ rectitudo erat in omnibus, vt sic cum omnibus pacem haberet, & suauiter omnia ordinaret in se, & ex iustitia. Illa autem duo dona, & supernaturalia dona sic primo homini data sunt, vt etiam eius posteritati fuissent concessa, si ipse in præceptis Dei fidelis permansisset: sicut è contrà C perdidit illa in sua transgressione pro se & pro suis, iuxta pactum quod Deus cum illo fecerat. Quam quidem donorum in Adamo iacturam, originale peccatum in nobis appellamus, eo quod & in ipso illa dona amisimus, & ex ipso præterea, vt descendentes, rebellem nostram naturam naturaliter trahimus, nisi præueniamur gratia. Igitur in primo illo instanti quo Adam peccauit, etiam omnes dicimur originaliter in illo peccasse, & sic in illo gratiam & iustitiam amisisse. Iuxta quod istud peccatũ nihil est aliud in nobis, quàm primæ gratiæ priuatio, & iactura iustitiæ originalis. Neque enim vlla est qualitas inhærés animæ, sed solũ absentia gratiæ.

Quibus donis ornatus homo fuerat à Deo in principio suæ creationis.

Quid sit peccatum originale. Et quomodo cõtrahitur.

D Nunc igitur vt ad immaculatam virginis conceptionem redeamus, dicimus primò illam quidem habuisse debitum & obligationẽ contrahendi peccatum originale, quia filia Adami erat: & sic hoc pacto in Adamo peccasse, hoc est, naturaliter debuisse peccatum contrahere, & gratiam amittere, sicut aliis accidit: interim ex præuentione misericordiæ & præseruationis priuilegio, actualiter hoc peccatum non contraxisse. Magna enim differentia est inter, habere debitum seu obligationem contrahédi, & actualiter contrahere. Primum ergo habuit virgo vt filia Adami: non verò secundum vt filia Dei, vt sponsa Spiritussancti, & vt electa mater filij Dei: ab hoc enim in instanti suæ conceptionis præseruata E fuit, vbi tunc ex priuilegio singulari omnis gratiæ plenitudinem obtinuit & accepit. Quod valde conueniens fuit tantæ dignitati matris Dei, cui debebatur vt plus gratiæ quàm alicui Sanctorum conferretur. Legimus autem quibusdam Sanctis datum fuisse vt sanctificarentur ab vtero matris. Sic enim de Ieremia legitur: Priusquàm te formarem in vtero, noui te, & antequàm exires de ventre, sanctificaui te. Similiter de Iohanne Baptista dixit Angelus Zachariæ: replebitur Spiritu sancto adhuc ex vtero matris suæ. Adeò vt dixerit S. Ambros. in in Luc. quod nondum inerat ei spiritus vitæ, & iam inerat ei Spiritus gratiæ.

Quomodo virgo nõ cõtraxit. Et quid de ea sentiendum.

Argumenta immaculatæ conceptionis virginis.

Ierem. 1.

Luc. 1.

S. Ambros. in Luc.

Ergo dicendum superest & credendum, quod B. Virgo in ipsa conceptione sanctificata est. Nam

rationa

rationabiliter creditur, quod illa quæ portare meruit & parere vnigenitum à patre plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus aliis acceperit maiora priuilegia gratiæ, sicut eam etiam salutauit Angelus; Aue gratia plena. Ita S. Anselm. lib. de conceptu virginis. Conueniens fuit, inquit, vt illa virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. Vnde Cant. 4. de ea dicitur: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Quod quidem minimè accideret, si aliquando in maculam originalem incidisset. Et certè plus gratiæ concessum fuisset Adamo & Angelis, in quibus etiam Deus reperit prauitatem, quàm ipsi, quæ tota pulchra & sine vlla macula fuit. Adam enim in gratia creatus est, & Angeli similiter: Adam in terra, & Angeli in cœlo. Quid igitur de virgine dicendum est & Dei matre? Certè quod creata & concepta est sine contagio vllius peccati, etiam originalis, tantâque puritate nituit qua maior sub Deo nequit intelligi: adeò vt in ipsa sua conceptione fuerit perfectè sanctificata, & transcenderit omnes puritates Angelorum. Ita S. Bern. Sic eius mentis fuit puritas, inquit, vt non audeat se ei comparare Angelica dignitas. Ita rursus S. Anselm. O Domina, nihil tibi æquale, nihil comparabile; quidquid est, aut supra te, aut infra te est; supra te, solus Deus est; infra te, omne illud quod non est Deus. Et certè de ea dici potest, quod sola diuinæ puritati proxima est. Ego in altissimis habito, ait, & quasi cedrus exaltata sum in Libano. (Libanus dicitur candidatio.) Vt ostendatur quia inter puritates creatas, illa est odoriferans cedrus exaltata, scilicet singulari gratia puritatis, quam in ipsa conceptione obtinuit, ab omni labe præseruata.

S. Ansel. Ser. de concept. Virginis. Cant 4. S. Bern. S. Ansel. Ser. de concept. Virginis. Eccl. 24.

Quare hic sciendum qua via fuerit beata virgo à peccato præseruata etiam originali. Dicimus autem fuisse via redemptionis, misericordiæ & gratiæ proprij filij, vt hic simul ostendatur quomodo differat à filio in hac exemptionis gratia; & quomodo ingrediatur adhuc cum aliis viam vniuersalis redemptionis. Imprimis ergo differentia quæ reperitur inter virginem & Christum quantum ad exemptionem peccati, in tribus est. Primò, in mysterio conceptionis vtriusque. Christus enim de Spiritu sancto conceptus est: Maria verò de semine Adam; vnde est præuenta misericorditer ne in culpam originis laberetur. Quod de Christo dici nequit. Secundò, in modo præseruationis. Christus enim per naturam præseruatus est: Maria verò per gratiam. Sicut Rex, aut Imperator minimè continetur sub lege, Augusta verò continetur, sed per gratiam liberatur: ita Christus minimè sub hac lege peccati continebatur. Maria verò Augusta, mater & sponsa filij sui continebatur sub illa, sed per gratiam liberata est ab illa, in eâque lex valuit quæ dicit; Mulieres maritorum radiis coruscant. Tertiò, in beneficio & singularitate vnctionis. Humanitas enim Christi in ipso primo instanti sui esse, plenitudine Diuinitatis vncta est & gloriæ: anima verò virginis tantùm plenitudine gratiæ. Vnde de illa dicitur quod sit plena gratia, & de Christo quod in eo omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter inhabitat. De plenitudine quidem cuius Maria accepit, quidquid in ea gratiæ & misericordiæ fuit. Inde enim est benedictionibus Dei præuenta, & sine peccato concepta. Inde omnium creaturarum prima & Domina. Inde tandem in decreto redemptionis, ipsius Christi meritis omnium prima quæ est re-

Quomodo fuerit virgo præseruata à peccato, explicatur. *Differentia inter Christũ & virginem quantum ad exemptionẽ peccati. Exemplum.* *Viam redẽptionis virgo ingreditur.*

A dempta, sed sublimiùs, sed nobiliùs, sed diuiniùs, quàm simul alij omnes. Alij per gratiam aut remissiuam, aut purgatiuam, quæ semper præsupponit peccatum, redempti sunt: illa verò per gratiam præseruatiuam quæ præuenit. Quæ quidem gratia tanto melior est & potior supra aliam, quanto innocentia dignior & melior est supra pœnitentiam, & sanitas supra curationem.

Gratia diuersa redemptionis.

Vnde iam dicimus plus gratiæ cæteris accepisse Beatam Virginem in mysterio & via redemptionis, quæ sola redempta est à futuro lapsu, & assumpta à dilecto suo, præuentâque ne caderet, sicut dicit: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quasi diceret: quod me seruauit illæsam à
B peccato, humanitas fuit filij mei atque Diuinitas; vtraque manus fuit quæ me amplexata est & protexit, læua humanitatis, & dextera Diuinitatis, infirmitas passionis, & potestas gloriæ. Quare hodie meliùs quàm Moyses cantabo Domino: gloriosè enim magnificatus est in me, equum & ascensorem deiecit in mare, (peccatum & peccatorem.) Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius. Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare. Dixit inimicus, persequar & comprehendam, & ecce flauit spiritus tuus & operuit mare. Quis similis tui Domine, quis similis tui in fortibus? magnificus in sanctitate, ter-
C ribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia, in me quidem magna & mirabilia? Magnificat anima mea Dominum.

Exod. 15.

Et certè aptior figura huius mysterij dari non potest, quàm in mari rubro submersio Pharaonis, vbi Israël liberatur ab hoste sine vulnere, sine plaga, sine morte. Quod non sic accidit, quando rursus populum suum Deus de Amalecitis redemit: ibi enim multi vulnerati ceciderunt. Ita ergo de virgine dico respectu cæterorum: sola sine vulnere peccati liberata & redempta est, submersúsque est Pharao cum exercitibus suis in immaculata conceptione eius, per medium maris rubri humanitatis & passionis filij sui, virtute & merito cuius sola sic à peccato sine vulnere, & sine mor-
D te est redempta. Quare etiam optimè figuratur per illam mulierem Hebraicam matrem Moysis, de qua Exod. 2. Quæ cùm in Ægypto esset, minimè tamen captiua Pharaonis fuit, sed semper mansit libera, & omni seruitute exempta, vt filium suum nutriret, & mare rubrum cum eo transiret. Numquam finiremus, si hic in enarratione aliarum figurarum cunctaremur. Adhuc sufficiat vnam afferre, quæ est Arca Testamenti, quæ de ligno facta erat incorruptibili, vt in ea manna asseruaretur. Sic est de Virgine, quæ incorruptibilis & immaculata facta est, vt in ea seruaretur panis non corruptibilis, vt erat manna, sed incorruptibilis & viuus qui de cœlo descendit. Propter quod etiam
E omni plenitudine virtutum & gratiæ instructa est, ad hoc vt dignum efficeretur filij Dei habitaculum.

Diuersæ figuræ redemptionis & immaculatæ conceptionis virginis. Exod. 2.

Et hoc est secundum, quod in conceptione virginis obseruandum proponitur, scilicet quod in eo instanti omni gratia ornata est, eâque singulari qua disponeretur vt mater Dei esse mereretur. Quæ quidem gratia ei soli ex priuilegio concessa est, & mensura fuit cæterarum. *Ne timeas Maria*, inquit illi Angelus; *inuenisti enim gratiam apud Deum.* Quam gratiam? Illam certè qua electa est ab initio in Dei matrem. Quando inuenit? In ipso suæ conceptionis exordio & momento. Sola ergo hanc gratiam singularem inuenit. Non

2. Quod considerandum proponitur in immaculata conceptione virginis, scilicet plenitudo eius gratiarum.

Non inuenerunt Angeli, non Seraphim: sed Maria inuenit, cui tota se plenitudo gratiæ infudit. Vnde hodie eam colere debemus secundū illam mensuram donationis gratiæ, qua meruit honorari à Deo, & quæ continet in se omnes differentias gratiarum. Illas enim omnes sub vna accepit quæ illi data est. Et quæ fuerit illa? vtique electionis gratia in matrem Dei, quam in illo instanti conceptionis suæ accepit.

Figura. Gen. 1. Figura pulchra est in Genesi, vbi Deus in ipso principio creationis rerum, plantauit paradisum voluptatis & deliciarum, omni quidem decore & gratia ornatissimum, in quo posuit hominem quē formauerat. Ita in ipso principio noui mundi & reparationis rerum omnium, plantauit & formauit hodie Deus virginē paradisum omnis benedictionis atque gratiarum; in qua poneret filium suū vnigenitum nouum hominem factū, non de limo terræ, sed de puritate virginis formatum, & de Spiritu sancto conceptum. Vnde decuit vt omni decore & excellentia ornaretur, omníque abundantia & plenitudine. Legitur de paradiso terræ, quod de eo fluuius egrediebatur, qui inde diuidebatur in quatuor capita. Sic est certè de Virgine, paradiso ac loco omnis voluptatis: de ea egreditur fluuius gratię, qui diuiditur in quatuor plenitudines, quas omnes continet. Plenitudinem sufficientiæ, quæ est cōmunis omnibus. Plenitudinē abundantiæ, quæ est specialis aliquibus, vt Apostolis. Plenitudinem vniuersalitatis, seu generalitatis, quæ est propria Ecclesiæ, cui nihil donorum deest atque gratiarum. Denique plenitudinem excellentiæ, quæ omnes complectitur eminenter, & illi propria est. Vnde in ea dicitur fluuius esse irrigans paradisum, iuxta quod Psalmista dicit: *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei.* Vnde etiam dicitur ipsa puteus aquarum viuentium. Ecce qualis gratiarū abyssus extitit. Abyssus certè, quia minimè potest comprehendi, sicut etiam nec explicari qualem vsum illarum fecerit. (4. Plenitudines in Maria.)

3. Quod proponitur considerandum in virgine. Quod quidem adhuc hic paucis superest considerandum, & est tertium quod hic proponitur obseruandum in virgine, videlicet fidelis & continua cooperatio tam eximiæ gratiæ. Adeò vt in ea fuerit in illo primo instanti vsus rationis perfectæ, quæ tunc commisit se Deo, & continuò illi postea adhæsit secundum omnē extensionem naturæ & gratiæ. Gratia formauit eam, & perfecit. Singulare opus gratiæ Maria est; Aue gratia plena. Vnde etiā dicimus ipsam fuisse excellentissimum diuinæ potentiæ & operationis obiectum. Et certè vnum hic consideratione dignum est, quod Christus in terra plus circa matrem suam operatus est quàm circa totum mundum. Vixit Christus 33. annis, & solùm tres expendit pro mundo in suis prædicationibus & miraculis, & integros triginta pro matre. Neque enim tunc otiosus erat qui magna operabatur in illa, & quidem maiora quàm in toto mundo, quia maius toto mundo obiectum operationis erat, sicut dicit in suo Cantico: *Fecit mihi magna qui potens est. Magnificat anima mea Dominum.*

SECVNDO, DE AVGVSTA NATIVITATE MARIÆ VIRGINIS.

Liber generationis IESV *Christi.* Matt. 1.

Inter opera Christi admiranda & maxima, duo sunt quæ omnipotentiam eius maximè declarāt,

A ipsius Incarnatio, & qualitas matris Dei in virgine. Hæc duo sunt quæ magnificāt Deum, & ipsum potentem prædicant. Nullum est enim opus Incarnatione diuinius: & nullum post illud, admirabilius, potentiúsque qualitate & dignitate Dei matris in virgine. Hoc est quod in creatura omnem admirationem & magnitudinem excedit. Dicam, quod vniuersæ creaturæ superat præstantiam & majestatem. Quid faciunt cœli? enarrant gloriam Dei. Quid firmamentum facit? opera manuum eius annunciat. Quid denique terra, plenitudo eius, maria, & omnia quæ in eis sunt, faciunt? loquuntur potentiam eius. Et ecce admirabiliùs, altiúsque, vna virgo hodie quæ apparuit in mundo, supra omnia B quæ sunt in eo, enarrat, annunciat & loquitur potentiam Dei, gloriam & opera manuum eius. Quare modò non debemus in huius antiqui & visibilis mundi considerationem oculos attollere, sed magis in contemplationem & admirationem huiusce noui, quem sibi creauit & fecit Deus omnipotens. (Post Incarnationem nullum Dei potentius opus Dei matre.)

Nouum mundum appello B. virginem Mariam, sed mundum gratiarum, & ideo nouum & admiratione dignum. Mundum veterem propter vnum hominem Deus fabricauit, scilicet Adam: hunc verò nouum propter semetipsum. De isto apud Isaiā dicitur: *Ecce ego creo nouos cœlos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, non ascendent super cor: C sed gaudebitis & exultabitis in sempiternum in his quæ ego creo.* Quasi diceret, antiquum mundum huic nouo collatum, non esse hominum memoria dignū, sed totum in admiratione istius noui debere esse, ab initio & ante omnia sæcula ordinati. Cuius quidem noui sunt cœli, & noua est terra. Noui cœli. Cœlū dicitur à celando, quia nemo inuestigare potest quæ in eo sunt, videlicet præ altitudine. Ita est, ô virgo, mulierum ornatissima, & omnium creaturarum excellentissima atque amplissima, ita est sinus potentiæ tuæ, qui est infinitæ capacitatis. Quia vt canit Ecclesia: Quem cœli capere non poterāt, tuo gremio contulisti. Gremium quidem virginis altius & sublimius fuit omnibus cœ- D lis, & quasi cœlorum cœlum, quod minimè penetrare potest mens hominum. Vultis cognoscere quàm sit impenetrabile? Hinc dicitur in Apocal. quia signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius. Quia scilicet nihil illa altius est, nisi Sol Iustitiæ Christus, qui de ea natus est. Sic enim adhuc in Eccl. *Ego feci in cœlis vt oriretur lumen indeficiens.* Lumen istud ortum, Christus est. Sed à quo cœlo ortum? ex Maria virgine, quæ mulier est illa amicta Sole, mulier inquam, quæ circumdat Solem velut summum cœlum. Ecce admiratio: ecce & noui huius cœli nouitas. Et à summo, inquit, illo cœlo egressio eius, videlicet Solis huius Iustitiæ, cùm in mundo ap- E paruit vestitus nube & substantia carnis nostræ. Hinc enim dicit Apost. Quia primus homo est de terra terrenus: secundus verò de cœlo cœlestis. (Beata virgo nouus mundus. — Isa. 65. — Virgo dicitur cælū nouū. — Apoc. 12. — Eccl. 24. — 1. Cor. 15.)

Ecce itaque quomodo hodie prodiit, & nata est beata virgo tanquam nouum & summum cœlum in mundo. Cœlum enim sursum est & summum, ratione Diuinitatis quam cōtinuit in se; sicut deorsum terra adhuc noua, ratione humanitatis quam administrauit ex se. Terra noua quam Dominus sapientia fundauit, quam Majestate sua repleuit, & cui sic benedixit, vt aperiretur & germinaret Saluatorem. Sic enim in Genesi figuraliter dictum est terræ; Germinet terra herbam virentem: vt iuxta veritatem dicitur de nostra per Psalmistam: Dominus (Virgo dicitur noua terra. — Prou. 3. — Gen. 1.)

Ps. 83. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Benedictus fructus huius benedictæ & virginalis terræ Christus est. Ecce ergo quomodo illa nobis hodie proponitur velut nouus mundus, qui suum cœlum habet & suam terram. Mundus quem Iohannes in Apocal. contemplabatur dicens: *Vidi cœlum nouum, & nouam terram.* Mundus quem Deus solus, & non alius implere potuit, vt in Hierem. ait: *Cœlum & terram ego impleo*, scilicet quando in virgine Deus factus est homo: quando inquam de hac admirabili terra veritas orta est, & iustitia de isto summo cœlo prospexit. Mundus denique, cuius nouum ortum & creationem petebant Prophetæ. Aggæus, dicens: Mouebo cœlum & terram, & veniet desideratus cunctis gentibus. Et similiter Isaias: Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra & germinet Saluatorem. Videte quæso quomodo cœlum & terram alloquuntur isti. Cœlum, vt pluat iustum: terram autem, vt germinet Saluatorẽ.

Apoc. 21. Ierem. 23. Agg. 2. *Quomodo in mysterio virginem Propheta petebant.* Isa. 45.

Hic certè omnes Prophetæ in natiuitatem & ortum virginis tanquam noui mundi Messiæ destinati aspiciebant, expectantes beatam spem in illa noui huius miraculi super terram, de quo Ierem. sic ait: *Nouum fecit Dominus super terram. Mulier circumdabit virum.* Igitur in virginis ortu, tandiu expectati filij eius ortum & natiuitatem petebant; in nouitate præsentis ortus, nouitatem & gloriam futuri partus. Nam sicut Deus creans mundum pro homine, eo condito, etiam statim fecit hominem quem posuit in eo, dicens; *Faciamus hominem*, &c. Ita virgine nata, futurum erat vt breui Messias veniret, qui de ea nasci debebat. Vnde etiam ordo generationis eius, atque natiuitas potest dici liber generationis IESV Christi, eo quod in eius gratiam nascitur. Sic Moyses mundi creationem describens, illam integram, librum generationis Adæ appellat Gen. 5. quia quæ facta sunt, in Adæ gratiam facta sunt. Ita S. Matthæus cùm voluit natiuitatem & seriem generationis Mariæ describere, de qua nasciturus erat Christus, hunc nouum gratiæ mundum, librum generationis IESV Christi appellauit, quia nimirum illa tantùm nata est, vt postea de ea nasceretur IESVS, qui vocatur Christus. Ita vt ordo generationis eius, liber sit diuinæ Christi generationis. Et librum adhuc appello, quia sicut in libro describuntur & continentur cõceptus sapientis: sic in virgine conceptus æternus patris, scilicet filius. Generationem eius quis enarrabit? & quis dignè natiuitatem istam referre poterit?

Ierem. 31. *Quomodo generatio & natiuitas virginis dici potest liber generationis Iesu Christi.*

O admirabile natiuitatis instans, quo virgo mater Dei ab æterno electa, in tempore aduentum suum & ingressum celebrat in terram, vt ei salutem afferat! ô admirabile instans, in quo prodiit in mundum diuinis gratissima conspectibus! in quo & recepit vt Domina constituta rerum omnium, ad omnes creaturas relationem, licet de ea medium silentium teneant omnia. Hoc mirabile est, quod dum nascitur Iohannes, omnes loquuntur, audiũt, & mirantur, dicentes; Quis putas puer iste erit? De natiuitate verò Mariæ nemo loquitur, & nullus est foris & in ciuitate rumor, sed silentium in terra. Vnde hoc? Certè quia ad cœlum spectabat aspicere illam & mirari. O momentum & instans admirabile! dignum planè quod ipsum admiretur Cœlum, quod Angeli admirentur & Cherubim: momentum in quo noua creatura hodie incipit in terra operari abundantiùs diutiúsque in gratia, quàm in cœlo antiqua & Angelica natura. Angelis tantùm vnum instans datum est, scilicet primum, ad

Admirabile & considerãdum est instans natiuitatis virginis.

A operandum in gratia: Mariæ verò spatium plurium dierum, mensium & annorum, & ad tam perfectè operandum in illa.

Non ergo mirum si liber appellari queat, omnis perfectionis & gratiæ liber, liber in quo Spiritus sanctus à principio cuncta posuit charismatum dona. Liber, inquam, vt omnia vno verbo complectar, generationis IESV Christi. Generationem eius quis enarrabit? Natiuitatem virginis de qua nasciturus est IESVS? Et cuius temporalis generatio ab illa, in æternum durat vt æterna. Nam sicut generatio verbi in intellectu patris æterna est, & adhuc hodie durat, sic temporalis quæ facta est in vtero virginis. Quandiu enim Christus Deus erit & filius patris,
B (quod quidem est, & in æternum erit:) ita etiã nunc tãdiu homo erit & filius virginis. Et illa dicere poterit filio æterno patris, vt ipse pater; Filius meus es tu. Ab initio & ante secula creata sum, (Dei mater) & vsque ad futurũ sæculũ nõ desinã, (esse Dei mater.) *Quomodo virgo dicitur liber generationis Christi.*

Ex quibus iam videre facile est, quibus cũ gratiis talem matrem nasci cõueniens erat. Quare nemo amplius miretur, si nouus mundus, atq; mundus gratiæ appelletur. Nouus mundus, quia est singularis & rarus. Quando hunc mundũ Deus creauit, illi dedit esse creatum, & non simile sibi. Mariæ verò quodammodo in temporis plenitudine increatum contulit & simile sibi, quando in ea verbũ caro factum est. Tunc enim Diuinitas verbi vnita
C est Mariæ carni, & caro verbi, caro Mariæ est, & semper erit. Vnde adhuc sequitur, quod in hac nouitate singularis sui esse, mũdus extitit gratiæ. Homo natus est in ea (homo-Christus,) & ipse fundauit eam Altissimus. Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei: fundamenta tua in montibus sanctis. Natiuitas tua in altitudine omnis sanctitatis & gratiæ, & in plenitudine Sanctorum habitatio tua. Diligit Dominus portas Sion (habitationem & Ciuitatem gloriæ suæ,) super omnia tabernacula Iacob, scil. iustorum. Fluminis enim impetus lætificat Ciuitatẽ Dei. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus, domúmque sibi ædificauit sapientia. O Domine, visitasti terram tuam, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam, donis gratiæ tuæ. Flumen
D Dei repletum est aquis.

Esse increatũ virgini collatum est. *Virgo mũdus gratiæ. Et Dei Ciuitas.* Ps. 86. & 45. Ps. 64.

Ecce quæ nomina virgini conueniunt ex plenitudine & abundantia gratiarum, quã accepit. Quare S. Bern. in hac festiuitate hodie dicit. Fons deriuatus est vsque ad nos, & descendit per aquæductum vena illa cœlestis, non quidem fontis exhibens copiam, sed tantùm stillicidia gratiæ arentibus cordibus nostris infundens, aliis quidem plus, aliis minus. Plenus quidem aquæductus, vt accipiant cæteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam. Aduertistis quẽ velim dicere aquæductum? Qui plenitudinẽ fontis ipsius de corde patris ex-
E cipiens, nobis edidit illum. Vbi videmus S. Bernardum per illum aquæductum excipientem fontis plenitudinem, intelligere B. Virginem, cui tota se infudit plenitudo gratiæ: per stillicidia verò gratię, omnes alias creaturas intelligere, quibus tantùm datur per partes & guttas. Vt hoc modo discrimen ponatur inter alios Sãctos, qui de plenitudine quidem accipiunt, sed non plenitudinem ipsam, & inter B. Virginem, quę ipsius plenitudinem fontis de corde patris excepit, & nobis edidit illum. Vnde statim Sanctus Doctor prosequitur. Intuere ô homo, consilium Dei: agnosce consilium sapientiæ, consilium pietatis. Cœlesti rore aream rigaturus, totũ vellus priùs infudit. (de quo Iudic. 6. & cuius Maria veritas est.) Redempturus humanum genus, pre

S. Bern. Ser. de Nat. virg. *Plenitudo gratiarum in virgine.*

pretium vniuersum contulit in Mariam. hæc ille.

In Maria triplex plenitudo seu perfectio gratiæ. S. Thom. 3. p. q. 27. a. 5.

Vnde, & ex doctrina Doctorum, vt Sancti Thomæ, triplicem agnoscimus præ cæteris plenitudinem gratiarum Mariam accepisse à Deo, seu perfectionem gratiæ, iuxta illud ad quod fuerat electa. Prima est dispositiua ad illum grandem statum ad quem eleuata est, illa videlicet per quam idonea reddebatur ad dignitatem suæ maternitatis; quæ quidem fuit perfectio sanctificationis singularis cum qua in hoc mundo nata est. Secunda ex præsentia filij Dei in eius vtero incarnati orta. Tertia autem est perfectio finis quam habet in gloria. Per primam ab omni peccato etiam originali liberata adepta est inclinationem ad omne bonum: per secundam confirmata est & aucta: per tertiam consummata & perfecta est in fruitione omnis boni. Hæc denique vltima & vniuersalis ratio datur, qua superasse in gratia omnes creaturas conuincitur. Quod quanto magis aliquid appropinquat principio in aliquo genere, tanto magis participat effectum illius principij. Iuxta quod etiam S. Dionysius dicit, quod Angeli qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus diuinis quàm homines. Christus autem principium est omnis gratiæ, & secundum Diuinitatem authoritatiuè, & secundum humanitatem instrumentaliter. Vnde dicitur: *Gratia per* IESVM *Christum facta est, & de plenitudine eius omnes accepimus.* Iuxta quod etiam Apostolus dicit, quia prædestinatus est & electus, vt esset filius Dei in virtute, scilicet, omnes sanctificandi. Beata autem virgo propinquissima fuit Christo, secundum humanitatem quam ille accepit ex ea. Quare etiam præ cæteris maiorem debuit à Christo obtinere gratiæ plenitudinem; & de facto obtinuit tantam, vt esset, ait Angelicus Doctor, propinquissima authori gratiæ, sic superans omnem statum & ordinem Angelorum & hominum.

S. Dionys. cœlest. hierarchiæ c. 4.

Ioh. 1.

Quomodo in gratia omnes superat virg. Maria.

O Domina, nil tibi æquale, nil comparabile. Propterea dicit S. August. in quodam Sermone, quod licet omnium nostrûm membra in linguas conuerterentur, tamen laudare eam sufficeret nullus. Altior enim est cœlo ea de qua loquimur; abysso profundior cuius laudes dicere conamur. Et ita si, ô virgo, Cœlum te vocem, altior es: si matrem gentium, præcellis: si formam Dei te appellem, digna existis. Quid igitur dignè de te dicam? Quod digna sis, vt forma & similitudo Dei appelleris, quæ eiusdem filij cum æterno patre mater eligeris. Et S. Ansel. in laudibus eius. O admirabilis ad contemplandum! ô pulchra ad videndum! ô desiderabilis ad amandum! Quomodo iam effugies capacitatem cordis mei? O virgo singulariter mirabilis, per te elementa renouantur, homines saluantur, dæmones conculcantur, & Angeli redintegrantur.

S. Aug. in Serm.

Omnium certè gratiarum illa promptuarium est: sicut antè eam librum & volumen generationis Christi agnouimus. Promptuarium & liber est, in quibus ea quæ asseruantur nobis legenda & consideranda sunt. Liber est mandatorum Dei & consiliorum eius, quæ perfectiùs cunctis ea obseruauit. Liber est vitæ, in quo operatione admirabili Spiritussancti impressum est & vnitum carni nostræ verbum patris. Liber vitæ, & beatus qui in eo fuerit descriptus: sicut maledictus qui delebitur de eo, & nõ fuerit amplius in memoria eius. In tẽpore illo, ait Daniel, saluabitur populus omnis qui inuẽtus fuerit scriptus in libro. In quo libro? Generationis IESV Christi. In Maria matre eius, libro & volumine vitæ. In qua & per participationẽ, scil. per gratiã, & per essentiã, scilicet per Incarnationẽ, inuenies vitam. Beatus ergo qui in ea fuerit scriptus. Saluabitur enim omnis qui in eius memoria fuerit inuẽtus, & qui similiter descriptã in se habuerit vitam eius: sicut è contrà in stagnum mittetur ignis, qui in hoc libro vitæ non fuerit his modis inuentus. Qui me contemnunt, ait, erunt ignobiles. Qui autem me elucidant, vitam ęternam habebunt. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me omnis gratia, & omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini: mea & filij mei memoria in generationes sæculorum. Natiuitatem Mariæ, & generationem Christi quis enarrabit? Ipsam itaque veneremur, vt & ipsa recordetur nostri.

Quomodo virgo dicatur liber vitæ.

Dan. 12.

Apoc 20. Eccles. 24.

Altiùs intueamur, ait Bern. quanto deuotionis affectu eam à nobis voluerit Deus honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, vt si quid spei in nobis, si quid gratiæ, si quid salutis, ex ea nouerimus redũdare. Ad patrẽ verebaris accedere. IESVM dedit tibi mediatorẽ. Quid non apud talẽ patrẽ filius talis obtineat? exaudietur vtiq; pro reuerentia sua. An verò ad ipsum trepidas? Maria hunc tibi fratrem dedit. Forsitan diuinam verearis Majestatem, & Aduocatum vis habere ad ipsum. Ad Mariam iam recurre, non dubium quin exaudiatur pro reuerentia sua; vtique exaudiet filius matrem, & filium pater. Filioli, hæc est peccatorum scala, & mea fiducia maxima; hæc tota ratio spei meæ: hæc semper inueniet gratiam, & sola gratia est qua egemus, qua saluamur. Quid nos alia concupiscimus? Quæramus ergo gratiam, & quæramus per Mariam. Eia ergo Aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, & IESVM benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens, ô pia, ô dulcis virgo Maria.

S. Bern. Ser. de Natiuit.

Scala peccatorum.

TERTIO, DE HVMILI & deuota præsentatione in Templo, B. Mariæ Virginis.

***Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Luc. 11.**

EXTOLLENS vocem quædam mulier de turba, hæc verba Christo dicebat. Singula suã emphasim habent. Quædam mulier de turba, quia obscura & ignota erat; sed fide sua & deuotione pręclara. Magnæ fidei mulier, ait Beda, extollẽs vocẽ confessionis suę, de turba, de medio populi, dixit: Beatus venter qui te portauit. Quædã ergo mulier, & singularis, de quadã altera & singulari quæ virgo erat, Christo dicit: Beatus vẽter qui te portauit, Sicut altera sãcta mulier, scilicet Elisabetha, dixerat ipsi virgini & matri: Beata quæ credidisti, quoniã perficientur in te quę dicta sunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominũ. Quia respexit humilitatẽ ancillæ suæ; ecce ex hoc beatã me dicẽt omnes generationes. Ita hodie dicũt omnes, & à Solis ortu vsq; ad occasũ laudabile nomẽ eius, vbi domus pudici pectoris tẽplũ repẽtè fit Dei, nesciẽsq; intacta virgo virũ, statim verbo cõcipiet Dei filiũ. Iste namq; secessus virginis in Templum, indicat nobis quoniam Deus per hunc eam præparabat ad illum sublimem statum Dei matris. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea; dies in qua in Templum Dei excipitur,

Virgo in Tẽplum ingreditur, vt præparetur in dignitatẽ & gratiã matris Dei.

vt animatum filij sui Templum præparetur. Elegit enim eam Deus, & præelegit eam, vnde & in tabernaculo suo habitare facit eam, hodieque sibi singulariter assumens sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Quare hęc dies quam fecit Dominus, solemnis consecrationis eius, dedicationis, & sanctificationis. Et sic exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro, & in psalmis iubilemus ei: iubilemus ei, deducentes in lætitia cordis nostri Arcam fœderis Domini in Templum sanctũ eius.

Ps. 84.

1. Paral. 15. *Asportatio Arcæ in Ciuitatem Dauid, figura præsentationis Mariæ.*

Legimus in Paral. congregasse Dauid vniuersum Israel in Hierusalem, vt de domo Obededom afferretur Arca ad se, hoc est, in Ciuitatem suam & locum quem præparauerat ei, & tunc præcepisse principibus familiarum Leuiticarum, qui eã portare debebant, vt sanctificarent se, atq; constituerent de fratrib. suis Cantores in organis musicorũ, lyris & cymbalis, vt resonaret in excelsis sonitus lætitiæ: & sic vniuersum Israel cum Dauid de domo Obededom deduxisse Arcam fœderis Domini in iubilo vsque ad Ciuitatẽ Dauid, & constituisse eã in medio tabernaculi quod tetẽderat & præparauerat ei. Ita hodie nobis cõuenit hanc diẽ solemnem habere, vt in iubilo Mariam virginem in locum quem præparauit ei Deus, deducamus, videlicet Templum; & Ioachim & Annam comitemur, qui principes sunt, & sanctificati propter istam Arcã fœderis Domini. Ipsi sunt qui offerũt, qui portãt, qui deducunt, qui præsentant: & nos in iubilo & lætitia comitemur collaudantes Dominum, qui suscepit eam in medio Templi sui.

Præsentatio virginis excellentior illis. *Superat oblationem Samuelis.* *1. Reg. 1.*

Nusquam equidem oblatio Deo fuit charior & gratior ista. Huic cedat oblatio alterius Annæ & Elcanæ viri sui, de qua 1. Reg. 1. Isti Deo consecrarunt & præsentarunt Samuelem suum, consolationis filium, quem obtinuerant lacrymis, & ablactatum adducentes eum ad domum Domini, vt appareret ante conspectum eius, & maneret ibi iugiter, obtulerunt ei ministrũ ante faciem Heli Sacerdotis. Verũ multo dignior & celebrior est oblatio & præsentatio Mariæ virginis, quæ adhuc infantula per manus parentum, sed magis adhuc propriæ suæ electionis atque voluntatis consecratur Deo & præsentatur, non vt sit ancilla tantùm, sed vt Dei mater electa, vt sic cunctis diebus vitæ suæ appareat ante conspectum Domini.

Etiam Isaac & filia Iephte. *Gen. 22.* *Iudic. 11.*

Isti cedat oblatio Abrahæ & Isaac: cedat & oblatio filiæ Iephte. Præterquàm quod enim Maria virgo dignitate sua facilè omnes superat; in hoc adhuc immolationem Isaac, & præsentationem eius ad sacrificium superat, quod ille domum patris reuertitur: virgo verò sic Deo præsentatur in Templo, & traditur consecrata voluntati eius, vt ibi remaneat quousque vero & humili sacrificio cordis sui eam perfectè impleat. In hoc item præsentationem superat, & sacrificium filiæ Iephte, quod illa in montibus virginitatem suam cum sodalibus plorat: Maria verò in mõtibus sanctis Siõ, scilicet in Templo, magnificat suam cum Angelorum choris, redditque fœcundam in tabernaculo Dei, in medio Templi sui sancti. O præsentationem admirabilem, augustam, singularem! Duæ fuerunt excellentissimæ Deo factæ, Christi & Mariæ.

Multiplex præsentatio virginis.

Multæ autem & diuersæ hic notandæ sunt præsentationes beatissimæ virginis. Prima est & excellentissima omnium, ea quæ ab æterno in sinu & mente æterni patris facta est secundum consilium voluntatis suæ, in quo disposuit in plenitudine temporum dare filio suo quem genuit ab
1.
æterno, matrem in terra, in qua vniretur carni nostrę, & fieret homo, Emmanuel, nobiscum Deus. Adeò vt verum sit dicere, virginem ab æterno repræsentatam sic fuisse ante Deum: & sic, ad hanc præsentationem omnes alias referri.

Secunda est ea, qua seipsam Deo ab instanti suæ conceptionis obtulit & exhibuit hostiam viuentem, sanctam, & Deo placẽtem, in obsequium perfectum suæ diuinæ voluntatis. Ab illo enim instanti temporis quo illi gratia ex priuilegio singulari data est, etiam tunc habuit & consequuta est perfectissimum vsum rationis, cognitionis Dei, atque amoris, iuxta quem totam se nunc commisit & tradidit voluntati Dei, & consiliis supremæ ac omnipotentis sapientiæ eius. 2.

Tertia est præsentatio hodierna in Templo, quando Deo per Ioachim & Annam oblata & consecrata est, dignúsque adhuc sanctificata per seipsam Templi Domino; vt fieri postea mereretur seruiens Templo, animatum Dei sui Templum, séque ancillam Domini dicens, mater filij Dei diceretur: & sic Domina Templi, sacraque Arca fœderis Domini agnosceretur, constituta in medio tabernaculi. Et planè conueniens erat, vt illa quæ paritura erat Dominum Templi, imò & propriis suis expensis, vtpote carnis suæ ac substantiæ, Templum Diuinitatis ædificatura, scilicet humanitatem Spiritussancti operą, non alibi quàm in domo Domini & Templo gloriæ suæ moraretur. Vnde etiam illa est, de qua Spiritussanctus dicit: Veni sponsa mea, veni electa, & ponam in te thronum meum; tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Quàm pulchri sunt gressus tui, ô filia Principis! Siquidem & incredibile erat, quàm valde exultans in Templum Dei tanquam in thalamum virgo ibat. Dicebat illi sponsus Spiritussanctus illud Dauid patris eius: Audi filia virgo, & vide, & inclina aurem tuam. Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. Et illa obediens ei in auditu auris: Ecce, inquiebat, venio. In capite enim libri scriptum est de me: Vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Ecce ancilla Domini. Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo? Sitiuit anima mea ad te Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei? Ecce ascensiones in corde meo disposui, desideria omnia mea & vota, vt adhæream ei, & adimpleam suam voluntatem in me, in valle hac lacrymarum, in loco quem posuit & præparauit mihi. 3.

Quàm conueniens erat in Téplo morari virgo. *Cant. 5. & 7.* *Ps. 44.*

Locus hodie præparatus virgini, Templum Domini est, quò festinanter ascendit, vt visitetur à Deo salutari suo, & statim mereatur ipsum præsentare mundo. Si enim apud Lucam dicitur quod vt Elisabeth visitaret, in montana cum festinatione abiit, ita vt sua præsentia adhuc Iohannis sanctificationem accelerare meruerit. Qua promptitudine quæso, & lætitia mentis suæ in Templum credendum est ascendisse, vt & visitaretur à Deo, & præterea salutem afferret toti mundo? Nam minimè dubium est, quin tunc viam Incarnationis diuinæ inceperit præparare, & filij sui in mundum Aduentum, qui propter eam solam, & non aliam creaturã exultauit vt Gigas ad currendã viã, hanc viã, & à summo cœlo egressio eius. Sicut etiã illi, & non alteri eamdẽ ob causam pater æternus dixit: Vulnerasti cor meum amica mea; Septuaginta vertunt, abstulisti. quid? cor meum, filium meum. Vnde in Isa. voca nomen eius, Accelera.

Luc. 1. *Virgo meruit accelerare Aduentum Domini.* *Ps. 18.* *Isa. 8.*

Acce

Accelerauit quidem eum virgo, cùm hodie præsentauit se in Templo, in ministerium tanti ac tam noui mysterij. Nusquam certè alia similis & tam efficax oblatio fuit, vbi omnia cum excessu magna sunt. Ex parte enim offerentium, qui sunt nobiles & principes familiarum, maxima est affectio, & eorum in vouendo & exequendo singularis religio. Ex parte muneris, maxima dignitas; est enim virgo, & virgo in Dei matrem prælecta. Ex parte denique Dei, donum & dispositiones acceptantis, congratulatio est maxima: patris acceptantis in dilectam filiam; filij in matrem; Spiritussancti in sponsam: ac tandem totius simul Sanctæ Trinitatis in rerum omnium Dominam. Nihil enim dubij est, quin fuerit statim hic salutata Regina Angelorum vt hominum, & agnita simul pro ancilla singulari, & electa matre Dei. Vnde adhuc talis oblatio fuit, vt in ea fuerit nouitas & mutatio communis ordinis. Communiter priùs in offerentes quàm in oblata respicitur: pro dispositione enim donantium est donorum æstimatio. Sic in Genesi legitur quod respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Sed hic omnis ordo mutatus est, vbi Dominus priùs respexit ad munus quàm ad offerentes. Qui offerunt, sunt parentes: & quod offertur, est proles; & Deus priùs ad prolem respicit quàm ad parentes.

Omni ex parte dignitas præsentationis Mariæ virginis.

Gen. 4.

Mutatur communis ordo in oblatione & præsentatione virginis.

Sed si adhuc considerationem nostram ad solam virginis personam, quæ offertur, referamus, eiusdem dignitatis esse offerentem & munus inueniemus. Ipsa est enim virgo quæ hodie semetipsam offert in Templo in odorem suauitatis Deo, & omnium in se intuentium oculos conuertit: Dei, qui eam intuetur vt potentius & capacius gratiæ suæ obiectum: Angelorum, qui eam admirantur, & stupent videre in hac parua ætate gloriam totam filiæ Regis ab intus, dicuntque attoniti & cum admiratione illud Cantic. Quæ est ista quæ progreditur tanquam Aurora consurgens, quę diei initium facit, & in luce sic crescit? Pulchra vt Luna, quæ in sui creatione tenebras nescit, & à Sole mutuatur candorem sui luminis? Electa vt Sol, qui est omnium mundi præstantissimũ ornamentum? Ita enim est de illa virgine, quæ in Apocal. dicitur mulier amicta Sole: illa siquidem ornamentum est Ecclesiæ, & terror Inferni. Vnde, quæ est ista, inquiũt Angeli, quæ progreditur terribilis vt castrorum acies ordinata, omni genere virtutũ instructa?

Virgo omnium oculos in se conuertit.

Cant. 6.

Si sic Angelorum oculos in conuertit, profectò & hominum, Sacerdotum & ministrorum Templi, vt illud cum cæteris animatum Dei cœlum admirentur. Sic enim eam vocat S. Iohannes Damascen. & meritò, quia sicut cœlum est incorruptibile, & nullam alterationem & peregrinam impressionem patitur: ita virgo inuiolata manet, & illæsa seruatur. Cœlum est de quo breui debet egredi secundus Adam cœlestis. Cœlum est quod tandem influit in omnes. Ita S. Bernard. Omnibus, inquit, Maria sinum aperuit, & de eius plenitudine accipiunt omnes. Captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, Trinitas Sancta gloriam: denique filij persona carnis humanæ substantiam; vt non sit qui se abscondat à calore eius. Ecce quomodo cœlum est, & cunctis adhuc admirationis ratio, in plenitudine & abundantia gratiarum; adeò vt dicat adhuc ille Sanctus super Salue Regina. Nihil est virtutis quod in te non resplendeat virgo; & quidquid habuere singuli Sancti, tu sola possedisti. Ecce itaque vnde in hac tam celebri præsentatione nobis se offerunt rationes admirandi incomparabiles gratiarum diuitias, delicias que quibus illa humilis virgo ornata fuit, vt appareret hodie in Templo ante conspectum Domini, & præpararet se vt faceret omnes voluntates eius. Quare de hac singulari præsentatione ad alias transeamus.

Virgo animatum Dei cœlũ. S. Ioh. Dam. Serm. de Assumpt.

S. Ber. Serm. 13.

Serm. 4.

Quarta igitur ea est qua Deo, respectu Incarnationis filij sui, totam se perfectè commisit & tradidit, cùm illi, hoc mysterium annunciante Angelo, dixit: Ecce ancilla Domini. Quid namq; hoc erat, nisi altissima sui ipsius æternis consiliis patris præsentatio atque oblatio? cùm perfectè illuminata fulgoribus fidei, intellectum suum seque captiuat in obsequium filij Dei, & verbum verbo concipit. Ecce, ô infideles & tardi corde ad credendum, vnde discere potestis modum & rationem vos Deo præsentandi, & illi captiuandi in difficilioribus credendis omnem intellectum vestrum, rationem & sensum, in obsequium fidei. Altioris fidei magistra vobis Maria est, quæ dum hodie salutatur ab Angelo quod conceptura sit virgo filium Dei, ancillam Domini se dicit, & præsentat ei obsequium perfectæ suæ obeditionis. *4. Præstatio seu oblatio virginis.*

Quinta præsentatio est in natiuitate filij sui, vbi statim quem genuit adorauit, totamque adhuc dedicauit se & consecrauit eius seruitio, quem filium suum, & Deum suum esse agnouit. 5.

Sexta esse potuit, cùm in purificatione filium suum primogenitum patri obtulit, secundum consuetudinem legis, vt habetur apud S. Luc. Tulerũt illum in Ierusalem parentes eius, vt sisterent eum Domino. Tunc enim credendum est, matrẽ vnà cũ filio se obtulisse & præsentasse Domino in vnionem & honorem tam augustæ & diuinæ oblationis, qualis illa filij sui erat facta æterno patri. 6. Luc. 2.

Septima iuxta Crucẽ fuit in passione filij, de qua S. Ioh. ait; Stabat iuxta Crucem IESV mater eius. Stabat. Actio hic erat alicuius se offerentis & præsentantis: quomodo verè tunc virgo offerebat se cum filio æterno patri, vt secundum propositum æternum diuinæ voluntatis eius, gladium acceptaret doloris, de quo prædictum fuerat à Simeone quod ipsius animam pertransiret. 7. Ioh. 19.

Vltima denique & octaua ea est, quam in ipsius gloriosa Assumptione consideramus, quando videlicet in die felicis huius introitus in cœlum & statum gloriæ, præsentata est ante conspectum Sanctæ Trinitatis, ante faciem æternæ Majestatis, ante thronum semper beatæ Deitatis: vbi velut filia patris, mater filij, & sponsa Spiritussancti, Arca fœderis Domini, & Domina vniuersi, in æternum collocata fuit ad dexteram Dei in excelsis, vt adhuc quodie sua merita offerat altissimo & præsentet pro nostra omniúmque salute. *8. Et vltima.*

QVARTO, DE SALVTATIONE ANGELICA, & ineffabili maternitate B. Mariæ Virginis.

Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem, & dixit: Aue gratia plena. Luc. 1.

CVM Theologi de Incarnatione loquũtur, aut de excellentia virginis Christi matris, gaudent & lætantur vtriusque magnitudinem probare ex nuncio qui missus est, scilicet Gabriele Angelo. Eamq; ob causam animũ impendũt & tẽpus, vt in vniuersum ostendant Angelorũ excellẽ-

tiam, quomodo Deus illis loquitur, & mittit; quomodo itē intelligunt, & mouentur, de cœlis per aëra in terram pertranseunt; quomodo corpus de aëre assumunt, loquuntur postea, & nobiscum versantur, & alia eiusmodi, quæ ipsorum naturã, proprietatem, statum & excellentiam declarant: vt inde magis appareat & constet de illorum dignitate ad quos ipsi mittuntur. *Missus est Grabriel Angelus*, &c. Verùm nulla amplius habita ratione huiusce Angelicæ missionis, diuinam vnam hic considerabimus, quæ est missio Spiritussancti ad eamdē virginem. Ecce enim audio ipsum Angelũ dicere ei: *Spiritussanctus superueniet in te*.

Missio Spiritussancti ad virginem, & quantũ admirabilis.

Nihil certè admirabilius est missione alicuius diuinæ personæ. Nam cùm tres eamdē voluntatē habeāt, quomodo fieri potest vt vna aliam mittat? Cũ quæ mittit, ea quæ mittitur, videatur esse superior, atq; volũtas personæ missæ quodãmodo distingui debere à voluntate mittentis. Et quidē saltē videtur necesse, vt mittens missæ consilia sua prodat & cõmittat. Et sic illa diuinarũ personarum missio planè est admirabilis, mysteriumque quod in se multa arcana comprehendit, quæ non licet homini loqui. Magna quidem fuit missio Angeli ad virginem, sed sine comparatione, multo maior fuit illa Spiritussancti ad eamdem, & eo maior quo Deus creaturam superat.

Igitur cùm Scriptura sacra declaret Spiritum sanctum superuenturum in virginē ab alto, quod absque particulari missione fieri non potest; simul aliquod opus prodigiosum declarat & admirabile. Gabriel virtutem Dei significat, & ita conuenienter propter Incarnationem mittitur maximum & fortissimum Dei opus. Hic nonnulli Doctores existimãt voluisse Spiritum sanctum Christo reddere in terra, quod ab eo super omnes cœlos acceperat, videlicet processionem & missionē. Quare Matth. 4. legitur quod ipse Spiritussanctus misit Christum, & duxit in desertum, vt à diabolo tentaretur post ieiuniũ ibi 40. dierum: hodieque specialiter in virginis vtero Incarnationē Christi operatur. *Spiritussanctus superueniet in te*, ait Mariæ Angelus, *& virtus altissimi obumbrabit tibi*. Ita similiter Iosepho declarauit, *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Sed quid addam? Non Angelus hodie, nec aliquis ex Seraphim aut thronis, sed specialiter mittitur Spiritussanctus, vt cum Incarnatione verbi operetur maternitatem virginis, & mulierem matrem Dei efficiat. Quæso Christiani, hic cor, hic animus.

Conuenienter propter Incarnationis opus Gabriel mittitur, qui fortitudo Dei dicitur.

Spiritussanctus reddit filio Dei in terra, quod ipse ab eo acceperat in sinu patris.

Duo genera perfectionum agnoscunt Theologi in Deo. Primæ dicuntur essentiales & cõmunes, vt bonitas, sapientia, potētia, misericordia, iustitia, &c. Aliæ sũt personales, vt paternitas, filiatio, imago, verbũ, procedens seu Spiritussanctus, processio seu passiua spiratio, &c. Priores autē essentiales dicuntur, quia Diuinitati conueniunt, de Diuinitate dicuntur, & in Diuinitate inueniũtur; proprietates sunt, attributa & perfectiones Diuinitatis, quæ est essentia trium personarũ. Vnde secũdò communes dicuntur, quia æqualiter conueniunt tribus, & non vni tantùm appropriantur. Pater enim vt filius, & filius vt pater, & Spiritussactus vt pater & filius, bonus est, sapiens, potens, & sic de aliis. Rursus autem est hic notandum, eiusmodi perfectiones essentiales etiam adhuc creaturis diuina bonitate & potentia communicari. Nam ratio bonitatis in omnibus repetitur ipso statu creationis, vt legitur Gen. 1. quia vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Potentia similiter, miseri-

Duo genera perfectionũ in Deo.

Quæ dicuntur essentiales & cõmunes. Et quomodo etiã creaturis cõueniunt.

A cordia & iustitia est in Angelis atque hominibus; etiam & in dæmonibus fortitudo. Ecce igitur cuius conditionis & naturę sunt eiusmodi perfectiones in Deo, quas essentiales nominamus.

Personales autē & relatiuæ, seu notionales differunt ab istis. Nam nullatenus participari possunt etiam in diuinis, vt paternitas, aut filiatio: paternitas enim sic patri conuenit, vt filio communicari nõ possit, & sic de aliis. Quod similiter etiã respectu creaturarum intelligi debet. Neque enim alicui creaturæ paternitas cõmunicari potest, aut filiatio Dei. Perfectiones quidē sũt personarũ propriæ & incõmunicabiles, nisi in hoc admirabili Incarnationis diuinę mysterio, vbi homo filius Dei, & virgo mater Dei, Θεοτόκος, nominatur. Hęc sola est cui
B incõmunicabile Dei cõmunicatũ est, sola quæ Deũ genuit, sola quæ vt æternus pater esse dedit filio, eiusdēq; mater dicitur, cuius ipse Deus ab æternò est pater. Vnde sicut illa æternum patrem hominis patrem nunc reddidit per filium, sic & eam pater per eumdem filium, verè Dei matrem constituit & in æternum fecit, cùm hodie in ea verbum caro factum est: & sic illa constituta in æternum non solũ mater Christi, sed & Θεοτόκος, mater Dei. Ecce omnis laus & gloria virginis. Ecce plenitudo gratiæ eius, quod audiat: *Ecce concipies*, &c.

Quæ dicuntur personales & propria, seu incõmunicabiles.

Perfectio personalis per maternitatẽ cõmunicata est virgini.

Et certè Incarnatio etiam illos tres præcipuos fines habuisse videtur: eleuationem hominis in
C verbo; redemptionem totius humani generis in Christo: ac tandem per ipsum in virgine illam dignitatem matris. Etenim optimè Deus homo esse poterat absque matre, vt primo Adam contigit: sed illam simul voluit Deus maternitatem facere, eamque prodigiosam relationem exigere & honorare, quæ Deum cœli & terræ correlatum habet. Axioma philosophorum est & Aristotelicum, imò dico Theologicum & Doctorum Ecclesiæ, Deum non habere ad creaturam relationem realem: quia sic haberet in se aliquod esse à creatura dependens, & quod consequenter creatura pereunte periret. Et ecce super hãc regulã veritatis, admirabilis per Incarnationē modus vnionis, & huiusce relatio-
D nis realis Dei ad creaturã, filij Dei ad virginē matrē. Sed quid addã? Quod nõ potuit esse in virgine talis maternitas, talisq; in ea admirabilis & noua dignitas, quin aliquã nouitatē attulerit in qualitate & proprietate personali patris. Immutabilis quidem est pater, & immutabilis filius: & ecce productione humanitatis Christi in virgine, & ipsius virginis in matrem mira & noua mutatione, personalis relatio patris, quæ non nisi vnum filiũ respicit infinitum, nunc eumdem finitum respicit ac limitatum, cuiusque vita triginta tribus annis præscribitur. Sicque proprietates personales quæ extra Diuinitatem non referebantur, nunc ad Crucem vsque se extendunt, in qua filius dicit ad patrem
E suum: Pater, vt quid dereliquisti me? Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

Tres præcipui fines Incarnationis.

Relatio admirabilisque ex Incarnatione prouenit.

Sed quæso, quid isti paternitati æternæ & immutabili talē mutationē attulit? Equidem ista temporalis virginis maternitas: illa est quæ Deum patrem hominis fecit, sicut eã Dei matrē Deus fecit. Maxima illa laus est quæ Mariæ aduenire potest. Nulla laus maior Deo dari potest, siue ab hominib. siue ab Angelis, siue à seipso, quàm quod filium suum genuit. Processio quidē Spiritussancti æqualis est; sed post eam, nihil est quod sic eum exaltet. Non creatio mundi, non cœlorum & terrarum productio, non denique gubernatio vniuersi, Deũ admirabilem prædicat & magnum, hoc spectat ad

Virginis maternitas paternitati æternæ aliquam mutationem attulit, & nouitatem.

genera

Virgo sicut Deus exaltatur in generatione Christi.

generationem æternam filij. Sic igitur eadem hodie & similis laus virgini defertur, cùm dicitur illi: *Ecce concipies.* Omnis gloria eius, nomen est & qualitas matris.

Argumentum gloriæ Christi ex ipsius nomine. Heb. 1.

Sic virginis gloria argumentũ ex nomine matris.

Apostolus ad Hebr. ex qualitate & nomine IESV Christi argumentum format, vt ipsum super omnes Angelos extollat, dicens: *Tanto est melior Angelis effectus, quanto differentius præ iis nomen hæreditauit.* Illa est Dialectica eius, vel potiùs Spiritussancti. Iuxta quam etiam regulam nos similiter argumentari debemus, & dicere tanto virginem esse maiorem super omnes Angelos, aliasque creaturas, quanto etiam præ omnibus differentius nomen accepit & adepta est, scilicet nomen matris Dei. Omnes tantùm administratorij spiritus sunt, & illa mater. Nihil certè puræ creaturæ maius potest accidere. Ecce concipies, & paries filium, filium Altissimi, filium qui Deus est. Ipsum in vtero cócipies, & mater eius eris, cuius pater Deus est. Deus hominis est pater, quia Christi est pater; & negare æternum patrem esse patrem hominis, hoc negare esset patrem esse Christi. Ita dico de virgine. Illa est mater Dei, quia est mater Christi; & illã negare Dei matrẽ, negare esset esse Christi matrem. Matres etsi ad productionem animarum nihil operentur, sola tamen productione corporum & concursu ad mutuam vnionem, matres totius hominis dicuntur. Ita virgo, licet nihil de Diuinitate produxerit, quia tamen humanitatem administrauit, quæ Diuinitati vnita est, propterea dicitur mater Dei. mater Christi. Hæc est admirabilis maternitas quæ hodie incipit.

Quomodo virgo potest dici mater Christi.

In quibus differt, & conuenit maternitas virginis cum paternitate patris.
1. In quibus differt.

Verùm ostendamus hic in quibus admirabiliter differt, & conuenit ista maternitas virginis cum paternitate patris. Differt primò, quod filium pater ab æterno genuit, & virgo in plenitudine tẽporis: pater genuit vt Deum, & virgo vt hominẽ: pater æqualem sibi, virgo se maiorem: pater sibi coæternum, virgo priorem se: pater sine vlla mutatione, & virgo cum nouitate: pater per seipsum, & virgo per virtutem Altissimi, & operationem Spiritussancti: pater necessitate naturæ, & virgo consensu libero voluntatis: pater ex tota substantia sua, & virgo ex portione tantùm & parte substantiæ. Sed quid dicam? A patre genitus tantùm est filius patris; genitus verò ex virgine, simul est pater & filius virginis. Illam itaque differentiam sic concludamus. Genitus à patre, in ipso & cũ ipso producit Spiritũ sanctũ, amorẽ cósubstantialẽ & æternũ. Genitus autem ex matre, in ea producit gratiã huiusce amoris diuini, infiniti, & æterni imaginẽ.

2. In quibus conuenit.

Multæ adhuc aliæ similes & infinitæ inueniuntur differentiæ: sed missas facimus, vt iam secundò ad conuenientias veniamus, & rursus ostendamus quomodo propriissimè conuenit cum paternitate Dei, illa maternitas virginis, & quod virgo Christũ cócepit valde cóformiter patri. Audiamus ergo. Pater in seipso, seu in sinu suo filiũ suũ generat, vt Ioh. ait; *In principio erat verbum:* & similiter Psaltes; *Ex vtero ante Luciferũ genui te.* Ita virgo eundẽ in vtero suo cócepit, & peperit. Hodie ait Angelus: *Ecce concipies in vtero, & paries filiũ.* Qui modus generãdi cómunis est: vnde ipse Deus in Isa. dicit; Numquid ego qui alios parere facio, ipse nó pariã? Hoc modo Ioh. Baptist. dixit vnigenitum qui est in sinu patris: Angeliq; omnes, sicut homines dicunt hodie patri; Tu Domine ille pater es de quo Christus natus est. Sicut Matth. de virgine ait: *de qua natus est* IESVS, *qui vocatur Christus.* De patre generatur sine matre; & de matre etiam sine patre. De patre generatur in instanti indiuisibili æternitatis; & pariter de virgine producitur in instanti temporis, quomodo Ierem. intelligitur qui dicit: *Mulier circumdabit virũ.* Eo namque instanti quo filius Dei in vtero eius incarnatus est, vir perfectus factus est. Pater generat dicendo seu intelligendo; & virgo loquendo concipit, & dicendo: Ecce ancilla Domini. Pater cum indicibili puritate generat filium; & mater pariter, virgo manens ante partum, in partu, & post partum.

Ioh. 1. Ps. 109. Isa. 66. Ioh. 1. Matth. 1. Ierem. 31.

Sed quid adhuc admirabile dicam? In patre adoranda manet per generationem verbi sui & processionem Spiritussancti admirabilis Trinitas cũ vnitate: & similiter in virgine per Incarnationẽ eiusdẽ verbi ex operatione Spiritussancti, altera fit similis & admirabilis Trinitas cũ vnitate. In prima & æterna Trinitate, vnitas est naturæ in trib. personis: in secunda verò & temporali, vnitas personæ in tribus naturis. *Verbum caro factum est*, ait Ioh. sed in virgine caro factum est. Verbum est persona; naturæ verò sunt, Diuinitas verbi, caro & anima, caro vnita verbo, ex carne virginis. Hæc sunt equidem quæ talem maternitatem, quæ hodie initium in virgine sumit, summè admirabilem reddunt, & quodammodo diuinæ paternitati similem. Rursus pater cum filio, hominem formauit dicendo; *Faciamus hominem*, &c. Et virgo similiter cum filio sanctificauit hominem salutando. Luc. 1. *Vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth.* In patre denique filius est creator, & in matre reparator.

Gen. 1.

Dignitas matris Dei in virgine, ratio extremæ humilitatis eius.

Aue gratia plena, Dominus tecũ, & nunc in te. Aue simul virgo & Dei mater. Hęc est qualitas quę te eleuat super cœlos, super Angelos, super omnes potestates, Seraphim & thronos, quæ tandẽ vsque ad Deũ subleuat te: & quæ etiã, ô virgo, vt omniũ sis creaturarũ humillima, obligat te. Quare & nunc humilitatẽ eius audiamus. Audit se virgo salutari ab Angelo gratia plenam, & turbatur, cogitatque qualis ista est salutatio. Sic gerit se Deus in iis quos exaltat, quibus humilitatem confert ad mensuram gratiæ. Sic itaq; virgo exaltata hodie super omnes, & priuilegio gratiæ Dei insignita maternitatis honore, omnium se humillimam exhibet, vt declarat Euangeliũ. Verba quib. concipit, verba sunt humilitatis: Ecce ancilla Domini. Statimque pòst, prima actio quam exercuit, etiã extremę humilitatis fuit, cùm exurgens abiit cũ festinatione in montana, vt visitaret & salutaret Elisabeth cognatã suã, eiq; seruiret. Illa autẽ tantæ humilitatis actio fuit, vt Elisabeth admirans dixerit ei: Vnde hoc mihi, &c.

Luc. 1.

Sed prosequamur. Cũ appropinquarent dies vt pareret, iter conficit & peregrinationem obedientiæ & humilitatis, vt S. Luc. refert: Exiit edictum à Cæsare Augusto, &c. Ascendit illa cũ Ioseph in ciuitatem Dauid, vt profiteretur se esse de eius familia. Sed quænam ibi exercitatio fuit humilitatis eius? Non erat eis locus in diuersorio, notat Scriptura, vnde illa cogitur Regẽ regum parere in stabulo, ipsumque pannis inuolutũ in præsepio reclinare. O Domine, in tua natiuitate prima, seu generatione æterna paterni sinus altitudinem habes: in secunda verò aetẽporali, humilitatẽ vteri virginalis. In tertia autem & visibili, horrorem stabuli habere voluisti, & illã summam abiectionem eligere præsepij. Vnde quæso ista Domine, nisi vt humilitate tua honorares humilitatem tuæ matris, qui sic ab ea sumpseras humilitatem tuæ carnis? Humilitas est omnium donorum Dei fidelissima custos. In humilitate vita nostra abscondita est cum Christo, & Christi matre, in Deo.

Luc. 2.

Humilitas Mariæ.

Christus vita nostra, humilitate absconditus est: hodie in virgine, in qua conceptus & natus est. In præsepio, vbi pannis inuolutus. In Cruce, in qua moritur spinis coronatus. In Altari & Eucharistia, vbi datur sub speciebus absconditus. Et hic vbique vita est, vita in virgine, vita in præsepio, vita in Cruce, vita denique in Altari & Eucharistiæ Sacramento. Vt igitur viuamus, humilitate vitam nostram habeamus absconditam in Deo cum Christo, & Maria virgine Christi matre.

Humilitas Christi.

QVINTO, DE HVMILI & pia visitatione Beatæ Mariæ Virginis.

Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Luc. 1.

TOTI mundo dies fuit magnæ lætitiæ, natiuitas præcursoris Christi Iohannis Baptistæ. Sed iste visitationis Mariæ illi fuit multo felicior, in quo donum vsumque non naturalis vitæ, sed gratiæ accepit, multoque maiorem illi attulit occasionem exultationis quàm dies natiuitatis. Si enim nascendo gaudium mundo attulit, hoc tantùm fuit ratione sanctificationis quam hodie acceperat, qui etiam illi fuit primæ suæ natiuitatis cum exultatione dies, sicut mater ipsius nobis declarauit dicens: Vt vox facta est salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans præ gaudio in vtero meo. Quasi diceret Mariæ Elisabeth, tua præsentia, mihi natus est puer in me, antequam mundo nasceretur ex me. Ecce dies vitæ eius, exultauit infans. Maledictionis dies est & luctus, dies nostræ natiuitatis, nisi gratia sit præuentus. Sic inquiebat Iob: *Pereat dies in qua natus sum, vtinam fuissem quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum.* Ideo quidem hæc dicit, quia conceptus in peccato, natus erat cum peccato, filius iræ, non gratiæ. Propterea igitur rectè dicere possumus, hunc diem visitationis sanctissimæ virginis, fuisse Iohanni verum & proprium diem suæ natiuitatis, in quo spiritum accepit gratiæ, vitæ, & veritatis. Vnde si in die natali eius lætitiam duximus, maximè in isto inchoare debemus: hæc etenim dies quam fecit Dominus, fecit inquam, non solùm Iohanni, vel Elisabeth matri, aut Zachariæ domui: sed sibi Dominus fecit & matri. Quæ dies est solemnitatis primæ IESV & Mariæ. Propterea cum Iohanne exultemus, & lætemur in ea. Hæc adiunximus, quia in veritate non minus hodie celebrantur festa Christi & virginis, quàm Elisabeth & Iohannis: imò amplius, atque excellentiùs. Aut si vultis, sub vna celebritate agitur simul festum trium, qui omni Sancto in cœlo & in terra sunt maiores; scilicet festum Christi, filij Dei & Sãcti Sanctorum: Mariæ virginis, matris eiusdem Christi, & Reginæ Sanctorum: denique Iohannis inter Sanctos sanctissimi, maioris inter natos mulierum ex ipsius Christi oraculo, Matth. 11.

Dies natiuitatis Iohannis, dies fuit sanctificationis sua in visitatione Mariæ virginis.

Tria festa in visitatione virginis celebrantur.

Primò igitur dicimus, hanc primam esse festiuitatem Christi solemnem triplici ratione. Prima est, quia hodie incipit gloriam suam mundo manifestare, primumque omnium miraculum facere. Notatur in Iohan. miraculum conuersionis aquæ in vinum: & hoc initium signorum fecit IESVS, ait Euangelista, & manifestauit gloriam suam. Ini- A tium quidem istud erat à die ostensionis suæ & exitus ad prædicandum. Sed illud omnium primum est, quod etiam in vtero materno factum est, ad manifestationem Diuinitatis suæ. Opus dicam infantiæ, in infirmitate cuius ostendit majestatem omnipotentiæ suæ, scilicet sanctificationem animæ sui præcursoris.

1. Festiuitas Christi.

Ioh. 2.

Item, quia hodie incipit opus primum æternæ rationis sui diuinissimi Aduentus. Licet enim vniuersaliter ad omnia peccata tollenda venerit, vt habet S. Matth. qui dicit; venit filius hominis saluare quod perierat: & ad Timoth. Apostolus, saluos peccatores facere; & Sanctus Ioh. quia ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Tamen ex doctrina Sancti Thomæ maximè venit ad tollen- B dum vniuersalius, quod est originale peccatum: quod quidem extensiuè maius est, vtpote toti mundo commune. Huius autem consilij æterni hodie operari incipit primum opus, cùm sanctificat animam serui sui sanando illam à peccato originali: & sic in illo operatur primum effectum humanæ Redemptionis. In quo summa eius est festiuitas.

Matth. 18.
1. Tim. 1.
S. Thom. 3. p. q. 1. art. 1.

Sic Origen. Maxima festiuitas Christi, inquit, est humana salus. Propterea cùm inuitaretur à suis, vt ascenderet ad diem festum, & manifestaret se, dicit: Nondum venit hora mea; ascendite vos: nõ ascendam ego ad diem festum istum, quia tempus meũ C nondum aduenit; tempus festiuitatis meæ, & dies tandiu expectatus meæ in Cruce exaltationis. Quo etiam animo dicebat: Baptismo habeo baptizari, quomodo coarctor donec perficiatur? Hoc animo Petrum arguebat, & Sathanã vocabat, quia ipsum volebat impedire ne moreretur. Hoc animo dicebat: Ecce ascendimus Hierosolymã; hic dies festus meus est. Hoc denique animo Crucem exaltationem suam vocat. Vnde hodie prima eius festiuitas est, vbi primam operatur redemptionem.

Origen. hõ. 23. in Num.
Ioh. 7.
Luc. 12.
Matth. 20.

Tertia ratio est, quia incipit reuelari & prædicari ab aliis. Infans reuelat matri: mater reuelat, & benedicit. Chrysostom. apud Metaphrast. hac de re homiliam elegantissimam habet. Cùm ad nos, D inquit, venisset Redemptor, protinus venit ad amicum suum Iohannem, quem ille cùm ex vtero in vtero aspexisset, terminos naturæ concutiens exclamat; video Dominum: non expecto tempus nascendi, & nouem mensium tempus mihi non est hic necessarium, quia in me est qui est æternus, & qui naturæ terminos imposuit; egrediar, & rerum admirabilium compendiosam prædicabo cognitionem: sum signum, significabo Christi Aduentum: sum tuba, proferam filij Dei in carne dispensationem; tuba canam, & vterum maternum viuificabo. Ecce, accessit, inquit, qui soluit vincula, & ego manebo detentus? Exibo, præcurram, & prædicabo omnibus: Ecce qui tollit E peccatum mundi. (Notetur, peccatum mundi, scilicet originale, quod ab eo abstulit verbum iam vnitum carni.) Sed dic nobis Iohannes, rursus prosequitur Chrysostom. Cùm adhuc in vtero materno sis, quomodo intueris & audis? quomodo res diuinas contemplaris? Magnum est, inquit, quod peragitur mysterium. Meritò innouo naturam propter eum qui est innouaturus omnia. Quare video, etsi adhuc in vtero, quoniam in vtero gestari video Solem Iustitiæ. Auribus percipio, quoniam nascor vox magni verbi, exclamo, exulto, quoniam filium patris vnigenitum & effectorem vniuersi, video carne indutum, & formam suscepisse hominis; vnde exilio

S. Chrysost. apud Metaphrast.

exilio & præcurto aduentum eius. hæc ille.

Exultauit infans in vtero meo, ait mater Elisabeth, & vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Benedicit, admiratur, laudat; & exclamauit voce magna: vnde hoc mihi? Sed vnde sic exclamauit? quia infans in vtero exultauit. Vnde verò voce magna, nisi quia in vtero vocem clamantis gestabat? clamantis in deserto, & in pœnitentium auribus. Voce magna, id est, deuotione. Magna enim vox, magnusque clamor est deuotio; adeò vt etiam audiatur in cœlo. Exod. 14. Moysi dictum est: Quid clamas ad me? Cùm tamen non clamaret ille clamore oris, sed tantùm desiderio cordis. Voce magna, quia videbat in virgine Dei magnalia, videlicet Deum simul & hominem conceptum in ea. Hinc enim dixit; vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Quasi diceret, non tam propter me & filium gaudeo, quàm propter declarationem Diuinitatis in te, ô Virgo, & benedictus fructus ventris tui. Fructus in quo benedicentur omnes gentes, benedictus in sua generatione æterna, quia verbum est apud Deum, benedictus in sua temporali generatione, quia filius est virginis. Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me? benedictus in sua virtute, quia in eo est gratia & salus. Ecce enim iam sensi virtutem de illo exisse ad me, & sanasse filium meum. Benedictus fructus ventris tui. Exultauit infans in vtero meo, &c. Valde admirabilis Domine es tu. Benedictus fructus qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, & me & filium meum. Exultauit infans.

Vnde Elisabeth exclamauit voce magna.

Exod. 14.

Copia benedictionum Christi.

Ecce fructus vitæ in medio paradisi. Tu ô virgo paradisus es cœli & terræ, in medio cuius producta est arbor vitæ, arbor scientiæ nō mali, sed boni. O quàm multo est gratior excellētiorque paradisus ille virginalis & inmaculatus, quàm iste terrestris & per Adam corruptus! Fructus paradisi terræ mors hominis fuit, huius verò virginalis vita fuit. Cuius dicam & flores, & fructus sunt Deus. Cant. 4. Emissiones tuæ paradisus: Christus IESVS de virgine, paradisus de altero paradiso. Et benedictus fructus ventris tui, qui præsentia sua & generatione te paradisum constituit & facit. Benedictus fructus in suauitate sui odoris: cuius certè tantus odor fuit, vt iam totum mundum suauitate sua repleuerit, terram & cœlum; tantus odor, vt patrem æternum reconciliauerit homini. Genes. 27. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, dixit Isaac de Iacob, qui coram eo apparuerat vestibus indutus fratris sui Esau valde bonis. Ita æternus pater videns verum Iacob & supplantatorem filium suum, indutum veste nostra, sed valde bona, quia de virgine orta, statim vt sensit vestimenti huius fragrantiam, nos reconciliauit sibi, osculo dato, in ipsoque benedicens nobis ait: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni. Ager iste plenus virgo fuit; odor verò seu fructus odoriferans, Christus, gratia & plenitudine Diuinitatis vnctus. Fructus virginalis vteri adhuc in decore benedictus, sicut Psaltes dixit, speciosus forma præ filiis hominum: in visione cuius est gloria hominum & Angelorum, in quem desiderant Angeli & homines respicere. Sed dicamus. Benedictus fructus in gustu & sapore, sicut idem Psaltes dicit: *Gustate, & videte quàm suauis est Dominus.* De illo gustauit Petrus in monte, de illo gustauit Paulus in cœlo:

Genes. 27. *Figura benedictionis Christi, & nostra reconciliationis in ipso.*

A de illo denique gustauit primus Iohannes in terra, & adhuc in vtero matris. Exultauit infans in vtero meo, ait Elisabeth. Benedictus fructus ventris tui, sub vmbra illius sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo, ventri meo. Exultauit infans: & vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Benedicta tu inter mulieres.

Secunda est hic festiuitas, scilicet Virginis, & quidem eius prima solemnis, vbi innotescit & declaratur admirabilis & diuina eius maternitas; & sic benedicta prædicatur inter mulieres: quia illa sola est quæ virgo & mater est; sola cuius filius Deus est, cuius & pater Deus est. Ita Sanctus Bernardus. O Maria, inquit, illius es mater, cuius
B Deus est pater: & filius paternæ charitatis corona tuæ virginitatis. Vnde benedicta tu in mulieribus; quia generalem mulierum euasisti maledictionem, vt nec sterilis maneas, nec cum dolore parias. Benedicta, ait Sanctus Hieronymus, quia quid quid maledictionis per Euam diffusum est, totum benedictio Mariæ abstulit, & refudit gratiæ. Benedicta, quia humiliauit se infra mulieres, quando se ancillam esse dixit. Qui enim humiliat se, exaltabitur. Benenedicta à Deo, quia illum semper glorificauit. Magnificat, inquit hodie, anima mea Dominum. Ab Angelo, quia ruinam reparauit Angelorum: & nunc à muliere, quia mortem quam mulier intulit mundo, fugauit. Propterea vbi Angelus salutationem dimisit, ibi statim Eli-
C sabeth incepit: Benedicta tu in mulieribus.

1. Festiuitas hodierna, scilicet Mariæ Virginis.

S. Bernard.

S. Hieron.

Et certè inter omnes festiuitates & solemnitates Virginis hæc videtur maior, & propter quam etiam solùm est benedicta inter omnes; scilicet, quod Christi mater est. Hodierna itaque dies festiuitas eius est, vbi proclamatur Dei mater. Esse Dei matrem, & prædicari talem, quid iucundius & excellentius dici potest? Hodie itaque celebrari tanta solemnitas incipit: vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad? Multum hæc præsens visitatio Mariæ ad Elisabeth celebris fuit, vbi tot gratiæ & sanctificationes elucescunt: vbi, ait Sanctus Ambrosius, superiores veniebant ad inferiores; vbi denique tot miracula simul innotescunt.
D Sed multo præstantior illa, & omnium prima fuit, scilicet verbi Dei in illam virginem, quando de sinu æterni patris descendens in eam, statim adhuc in ea, & ex ea homo factus est, & ipsa facta est mater Dei. Olim visitauit Dominus Saram, & illa concepit filium suum Isaac. Olim visitauit Annam, & illa concepit Samuelem. Olim Elisabeth vxorem Zachariæ, & illa concepit Iohannem. Nunc adhuc hodie visitat, & ipsum sanctificat, & matrem. Magnæ quidem istæ omnes visitationes sunt, vbi misericordia, gratiæ, & miracula relucent: sed omnium prima est & maxima, per quam ipse Dei filius Mariam virginem visitauit?
E Primò, per gratiam. Secundò, per Angelum. Tertiò, per Spiritum sanctum superuenientem in illam. Quartò, per virtutem Altissimi obumbrantem ei. Quintò denique per seipsum, quando ex ea carnem nostram assumpsit, & eam suam matrem effecit. Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?

Visitatio Dei facta Virgini omnē aliam visitationem superat.

Genes. 21.

1. Reg. 1.

Luc. 1.

Quot modis Deus visitauit Virginē.

Fortè de hac prima, & diuina visitatione legitur illud Psalmi: Domine visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius. Et certè nemini dubium est, Beatam Virginem, postquam filium Dei concepit, in eam ascendisse celsitudinem dignitatis, vt post

Psal. 64.

CCc 4 altitu

Poſt altitudinem Chriſti, nulla maior excogitari poteſt quàm Virginis.

altitudinem filij ſui, nulla excogitari poſſit maior in cœlo & in terra. Sicut enim humana natura ex ipſa hypoſtatica vnione verbi omnem plenitudinem Diuinitatis habuit:ita virgo ſuo modo ſimulatque eam Deus viſitauit, vt fieret homo in illa, ſic deificata eſt,plenaque gratiarum,vt ſimilis non fuerit in cœlo, nec in terris. Sicut Sanctus Hieronymus dicit,quia cæteris tantùm per partes; Mariæ verò tota ſe infudit plenitudo gratiæ. Et Sanctus Thomas. Tantam illa gratiæ obtinuit plenitudinem, vt eſſet propinquiſſima authori gratiæ. Forſitan hoc pacto eſt intelligendum quod dicitur in Euangelio: Exurgens Maria abiit in montana. Supergreditur enim omnes,ex eo quod mater Dei eſt. Fortè etiam hac ratione dixit Sanctus Thomas, quod in ea dignitas quædam eſt infinita, quod ſit mater Dei. Exurgens Maria: ſed ideo planè in montana abiit, quia plena Deo erat, vt videlicet de plenitudine ſua daret aliis. Quare & in domum Zachariæ intrauit, & ſalutauit Eliſabeth.

S.Hieron.

S.Thom. 1. p.q. 27.a.5.

1.Reg 6. *Arca Domini figura Mariæ.*

O plenam gratia ſalutationem! Olim intrauerat in domum Obededom Arca Domini,& benedixit Dominus domui propter Arcam. Sic hodie domui Zachariæ propter virginem animatam Arcam Domini factum eſt,vbi parentes cum prole,Spiritu ſancto repleti ſint,& ſanctificatione. Et certè ſatis apta inter vtramque Arcam conuenientia eſt. Arca enim Domini tribus menſibus in domo Obededom manſit, & continuò Dominus benedicebat illi. Ita virgo cum Eliſabeth manſit quaſi tribus menſibus:tandiu, inquit Sanctus Ambroſius,quandiu Eliſabeth tempus pariendi impleret. O felix partus, ait Petrus Damian. quem illa lux excepit, quæ illuminare venerat omnem hominem!Ipſum ſanctificauerat in vtero. Quid ergo gratiæ toto illo tempore, & tunc etiam cùm natus eſt, illi dediſſe putandum eſt, cùm & ipſum recens natum puerum in vlnas ſuas accepit virgo, & ſæpius portauit? Fortè propterea dicimus quia exurgens Maria ibat cum feſtinatione,quia adhuc & ipſum geſtabat, cui nomen Accelera, quique tale opus gratiæ citò erat operaturus.

Luc.1. S.Ambr.

Petr. Dam. Ser. de Ioh.

3. *Feſtiuitas, ſcilicet domus Zachariæ.*

Iſta itaque benedictio eſt quam domui Zachariæ attulit virgo,feſtuſque dies omnis domus huius. Sic tertia quæ hic celebratur ſolemnitas, vbi infans repletur gratia, mater Spiritu ſancto,pater prophetia, tota cognatio & vniuerſa domus gaudio. Certè omnibus eſt ſolemnis iſte dies feſtus, vbi nihil auditur niſi laus, canticum, & hymnus. Infans ſuum canit exultando, mater ſuum exclamando, vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?Beata quæ credidiſti,benedicta tu inter mulieres: benedicta ſuper Iudith,cui dictum eſt; Benedicta tu filia à Domino,gloria Hieruſalem & honorificentia populi noſtri. Tu enim ſola,ô virgo,benedicta es inter mulieres, quia tu ſola virgo & mater es,& mater Domini. Quare iam ratione huius fructus ventris tui benedicti, etiam ſuper omnes creaturas benedicta diceris. Neque enim, ait Sanctus Bernardus ſuper Miſſus, ideo benedictus eſt fructus eius,quia illa benedicta: ſed ideo illa eſt benedicta,quia benedictus fructus ventris eius. Sed poſt Eliſabeth audiamus canticum Zachariæ patris. Apertum eſt enim illicò os eius & lingua, & repletus eſt Spiritu ſancto,& loquebatur benedicens Deum,prophetauitque dicens:Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. Adeò vt tota ſimul

S.Bern. Ser. 3.ſup. Miſſ.

A domus cum cognatione etiam ſuum canticum cecinerit admirans & dicens: Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Dei erat cum illo. Numquid ergo hic dies magnæ feſtiuitatis eſt, vbi tot reſonant laudes & congratulatione, vbi in ore omnium eſt canticum,& in corde lætitia? Verùm vbi adhuc ipſa verbi mater Maria virgo ſuum cecinit dicens: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce ex hoc beatam me dicent omes generationes. Ita eſt ô virgo. Ita ô Maria,benedicta enim tu inter omnes,& benedictus fructus ventris tui,in quo benedicentur omnes gentes.

B

SEXTO, DE INVIOLATA & ſacra purificatione ſanctiſſimæ Mariæ Virginis.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ, tulerunt puerum IESVM *in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino.* Luc.2.

C OMNIVM Dei operum opus maximum, Incarnatio eſt IESV Chriſti: maximum ex parte Dei, ex parte omnium creaturarum, & ex parte vnius ſpecialis,videlicet virginis. Primò, ex parte Dei opus eſt maximum, ob eam præſertim rationem, quod ſicut Deus ad intrà non plus ſe communicare poteſt filio quàm per generationem, in qua ei communicauit ſe per identitatem ſubſtantiæ:ſic ad extrà non poteſt plus ſe communicare creaturæ, quàm per Incarnationem,in qua verbum hypoſtaticè & per vnitatem perſonæ vnitum eſt humanæ naturæ, adeò vt Deus homo ſit. Neque enim amplius poteſt eleuari homo, quàm ad eſſe perſonale Dei.

Incarnatio maximũ Dei opus reſpectu trium. 1. *Ex parte Dei.*

D S.Thomas opuſcul.60.tria refert diuinæ communicationis genera quæ fiunt creaturis. Prima communicatio eſt in natura per creationem, cùm Deus vnicuique dedit eſſe conforme. Secunda eſt in gratia per eleuationem diuinæ vnionis & amicitiæ, in qua quodammodo creatura rationalis efficitur conſors diuinæ naturæ, ſicut in gloria per eleuationem diuinæ viſionis. Tertia autem & omnium maxima hypoſtatica & perſonalis communicatio eſt vni ſoli facta naturæ, cùm videlicet verbum æternum ſuam propriam perſonam humanitati de Maria virgine extractæ, in ipſaque adhuc remanenti communicauit; ita vt Deus-homo in ea & de ea natus ſit, IESVS Chriſtus.

S. Thomas opuſc.60. Tria genera cõmunicationis diuinæ.

E Quæ communicatio ita eſt infinita, omnémque aliam ſuperans, vt etiam dici queat, quod in hoc opere Deus ad extrà præſtitit, quod ad intrà minimè potuit: in homine fecit, quod in ſeipſo non potuit operari. Non potuit Deus ad intrà facere vt perſona communicaretur alteri,quoniam talem communicationem non admittit diſtinctio perſonarum in Deo. Hoc autem per Incarnationem in homine fecit,cui ipſa perſonalitas verbi communicata eſt, & ei ſoli,vt magis adhuc commendaretur gratia Dei quæ ipſi facta eſt. Neque enim, ait Sanctus Auguſtinus, potuit gratia Dei gratiùs commendari, quàm quod filius Dei manens immutabilis indueret hominem.

S.Aug. lib. 10 de Ciuit. cap.29.

Vnde

2. *Ex parte omniū creaturarum, Incarnatio est maximū Dei opus.*
S. Thomas loco citat.
S. Greg.
Gen. 1.

Vnde & secundò ex parte omnium creaturarum est maximum Dei opus, inquantum in ipso omnes creaturæ dignificatæ fuerunt. Ita Angelicus Doctor opusc. 60. Communicauit se, inquit, Deus homini, & per consequens generibus singulorum in vnitate personæ. Huius veritatis fundamentum est, quod homo sit omnis creaturæ compendium & summa, iuxta illa Sancti Gregorij verba; Omnis creaturæ aliquid habet homo. Item ex eo quod ante creationem hominis noluit Deus vniuersum mundum approbare; sed tantùm post formationem ipsius, vt videre est Genes. 1. quia videlicet ipse erat perfectio vniuersi, vt imago Dei. In eóque maximè adhuc, quod Deus in persona ei se communicaturus erat.

3. *Ex parte virginis.*

Verùm ex parte vnius singularis creaturæ, scilicet virginis Mariæ, fuit tertiò maximum Dei opus: opus certè singulare, opus mirabile, quando in ea factus homo, eam reddidit Dei matrem. Vt pura creatura Deus fieret, minimè facere Deus potuit. Puram autem creaturam & virginem Dei matrem facere, hoc solùm potuit, & non plus. Post Incarnationem namque verbi, nullum maius potest esse Dei opus quàm maternitas virginis, in cuius vtero recóciliatio hominis facta est, in cuius vtero Deus hominem in signum pacis amplexatus est, in cuius vtero Deus homo factus est, in cuius vtero prima hominis redéptio & beatitudo facta est: de qua denique natus est IESVS, qui vocatur Christus. Ecce igitur quantum dignitas filij exaltat dignitatem matris, quæ licet inferior sit Angelis in natura, ipsos tamen infinitè excedit in gratia. Nulla est Deo propinquior creatura matre eius: illáque est dignitas in virgine, quæ omnium merita transcendit, etiam Angelorum. O Maria, illius es mater, cuius Deus est pater, & sola digna existis æterno patri tuum, & qui eius est, offerre filium.

Leuit. 12.
In lege purificationis duplex præceptum.

Quare crederem facilè legem hanc purificationis, de qua Leuitic. 12. in gratiam vnigeniti Dei fuisse latam, videlicet, vt ab ipsa virgine sanctissima eius matre, Deo patri præsentaretur in Templo. Nam in hac lege duplex præceptum erat. Vnum quidem generale, & ad omnes, quo sacrificium offerretur ad expiationem peccati, in quo concepta & nata proles erat. Alterum præceptum erat ad consecrationem & sanctificationem quandam ipsius prolis, vnde in Templo tunc præsentabatur Deo, & aliquid ideo in holocaustum offerebatur. Et hoc diebus completis purificationis matris. Vnde virgo hanc legem implere voluit, non quidem propter indigentiam, tota enim pulchra est, & nulla macula in ea est; virgo est, & nullam immunditiam habet: sicut etiam minimè vnquam in conceptione & natiuitate filij sui habere potuit, in quibus singulariter immaculata remansit quatuor de causis.

Quomodo virgo legem purificationis impleuit.
Quatuor ex causis virgo immaculata remāsit incōceptione filij sui.

Prima est, propter dignitatem patris eius, qui Deus est, & non alium esse patrem permittit. Secunda propter proprietatem eiusdem filij, qui verbum est Dei, quod quidem in summa puritate & absque vlla corruptione de intellectu & corde patris concipitur. Quare quia ab eodem Dei verbo caro sic fuit assumpta, vt fuerit caro verbi Dei: ita etiam conueniens fuit, vt ipsa conciperetur sine corruptione matris. Tertia propter excellentiam huius sanctissimæ humanitatis Christi, in qua nullo pacto peccatum locum habere debuit, cùm per eam potiùs tolleretur peccatū mundi, vt dicit Sanctus Iohannes: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Quarta denique propter ipsum finem Incarnationis, quæ ideo maximè fuit vt renascamur omnes in filios Dei, vt dicitur: Dedit potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Sed modum simul ostendit dicens: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, id est, ex corruptione; sed ex Deo nati sunt, id est, spiritu & virtute Dei. Cuius quidem rei exemplar in ipsa conceptione Christi apparere debuit, per quem in eiusmodi prædestinamur adoptionem filiorum Dei, vt Apostolus dicit, & quia taliter nos prædestinauit Deus, vt simus conformes imaginis filij sui. Vnde Sanctus Augustinus lib. de sancta virginitate dicit. Oportebat caput nostrum insigni miraculo secundum carnem nasci de virgine, quo significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura. hæc ille.

S. Thom. 3. p. q. 28. a. 1.
Ioh. 1.
Rom. 8.
S. Aug. libr. de sācta virginit. cap. 6.

Ex istis ergo rationibus constat satis, Beatam virginem huius legis impleuisse obseruantiam, non quidem propter indigentiam, vt diximus, & quasi indiguisset purgari: virgo enim post partum, sicut ante permāsit; sed voluntariè obseruauit propter præceptum, vt insigne humilitatis suæ præberet exemplum. Propterea etiam notauit Euangelista, & dixit quia secundum legem illos dies Maria impleuit. In quo & humilitatem filij sui sequuta est, qui minimè obnoxius legi, voluit tamen & circuncisionem, & omnia alia legis onera subire, ad demonstrandum humilitatis suæ, & obedientiæ exemplum. Item vt approbaret legem, & sic vt calumniæ occasionem tolleret Iudæis. Ita igitur virgo propter easdem rationes, legis hodie obseruantias impleuit, quibus tamen non erat obnoxia. Sicut enim omnis plenitudo gratiæ à Christo deriuata est in illam: ita decuit vt eius humilitas, filij humilitati conformaretur in huiusce obseruatione legis.

Quare Christus legi obseruare voluit.

Sed maximè adhuc obseruare voluit, propter illud secundum præceptum, quod illa lex continebat, sanctificationis & consecrationis prolis, quæ tunc fiebat Deo; vnde & præsentabatur in Templo: sicut adhuc hodie de Christo hic notauit Euangelista, dicens quod, dum implebatur hoc mysterium purificationis virginis, tulerunt IESVM in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. Hæc lex non solùm in Leuitico tradita legitur, sed primò & distinctiùs Exod. 13. data est, & repetita Numer. 8. vbi Deus sanctificat sibi omne primogenitum in filiis Israël, tam de hominibus quàm de iumentis seu bestiis, eo quod ad liberationem ipsorum, percusserat primogenita Ægypti ab homine vsque ad pecus, (primogenitis filiorum Israel reseruatis) In quo certè præfigurabatur & præuidebatur Christus, qui est primogenitus in multis fratribus: qui pretium est liberationis nostræ & libertatis, percussis per eum primogenitis Ægypti spiritualis. Præuidebatur inquam, vt in obseruatione huius legis inter omnes offerretur.

Quomodo in lege sanctificationis, & oblationis primogenitorum Christus præfigurabatur.
Exod. 13.
Num. 8.
Rom. 8.

Hic in memoriam venit illud Herodis Regis immanissimū edictum, quo iussit omnes infantes occidi à bimatu & infra, etiam minimè parcens proprio sanguini, id est, filio. Et hoc tantùm, vt inter omnes ille infans singularis occideretur IESVS. Ita dicimus, sed multum ratione diuersa, hanc legem sanctificationis primogenitorū fecisse Deū, vt inter omnes illi Christus eius filius offerretur. Quid addam? Quod simul hanc purificationis legem etiam eo fine tulit, vt eam virgo cum humilitate obseruans, oblationem perfectam impleret

Quo fine edictū suū promulgat Herodes: & cōparatio.

pleret, illique tandem suum primogenitum filium offerret; & ipse sibi oblatum de manu eius reciperet. Valde enim conueniens erat, vt sicut filio suo pretium nostræ redemptionis dederat, scilicet humanitatem, ita etiam ipsum æterno patri offerret. Dictum est de Paulo, quod electus est vt portet nomen Christi coram Regibus & populis. Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meũ coram gentibus, & Regibus, & filiis Israël, inquit Christus Ananiæ. Et de Maria virgine matre eius, quanto magis dicere conuenit quia electa est, vt non solùm nomen, sed ipsum filium suum portet coram Rege regum, ipsique patri offerat coram filiis Israël, Angelis eius, & cunctis gentibus?

Conueniebat vt virgo suũ filium patri æterno offerret.
Act. 9.

Nunc igitur offer ô virgo, filium tuum in Templo Dei patris; licet enim purificatione non indigeas, debes tamen, eoque magis Templum introire Domini, quo purior es, & domum Dei sanctitudo decet, quo Dominum Templi mundo pepe-sisti, & eum qui venit purgationem facere delictorum. Ipsum igitur, ô virgo, offer Deo patri, & benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta in medio Templi sui. Offer ô virgo, offer ô mater, ô clemens, ô pia, ad nostram salutem offer, & omnium reconciliationem, hostiam sanctam, viuentem, Deo placentem; omnino enim Deus acceptabit illam, & tibi congratulabitur dicens: hic est filius tuus & meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Mihi nunc ipsum offers in Templo, quẽ in loco Caluariæ pro cunctis offerre debeo. Ecce nunc matutinum sacrificium, & tunc erit vespertinum. De vtroque scriptum erat in Exodo, & lex impleta est. Istud præsens in exordio Natiuitatis eius factum est per matrem: alterum autem fiet in plenitudine ætatis per patrem. Istud est matutinum, aliud vespertinum: istud quidem iucundius, vbi redimitur; sed aliud plenius, vbi ad redimendum omnes de se largietur. De vtroque autem accipe quod propheta prædixit; oblatus est quia voluit. Modò enim offertur in Templo, non quia legis edicto obnoxius fuit; sicut adhuc in Cruce, non quia Iudæus præualuit, sed quia nunc & tũc voluit offerri pro mea omniũq; salute.

Exod. 29.
Duplex sacrificium in lege quod Christus impleuit.

Hodie ergo primò offerri voluit per manus virginis matris, quia ipsa dederat illi pretium nostræ Redemptionis, videlicet carnem; vnde vt cooperatrix cum filio gratiæ reparationis nostræ, etiam ipsum pro salute nostra æterno patri meruit offerre. Quomodo eam Sanctus Bernardus agnoscit & suspicit dicens. Meritò, ô Domina, respiciunt in te oculi vniuersæ creaturæ, in qua & ex qua benignissima manus Dei quidquid creauerat, reparauit. Et S. Antoninus in sua Summa Theol. illa verba explicans Prouerb. 8. Cum eo eram cuncta componens: scilicet, ait, recreãdo quæ per culpam quasi destructa erant. Et Beatus Petrus Damian. Serm. de Annunc. In ipsa, inquit, hoc totum faciendum decernitur, vt sicut sine illo (scilicet verbo,) nil factum est, ita sine illa (videlicet virgine,) nihil refectum sit. Ita denique S. Irenæus contra Valentinum. Sicut Eua inobediens facta est sibi & vniuerso generi humano causa mortis: sic Maria obediens virgo habens prædestinatum virum, & sibi & vniuerso generi humano causa facta est salutis. hæc ille. Causa facta est obediens legi, quãdo iuxta eam Deo patri primogenitum suum pro nobis obtulit.

Virgo cooperatur gratiæ nostræ reparationis.
S. Bern.
S. Antonin. p. 4. Summæ Theologicę
Petr. Dam. Ser. de Ann.
S. Iren. lib. 3. cõtra Valẽtinũ cap. 33.

Tulerunt IESVM parentes eius in Ierusalem, vt sisterent eum Domino. Sistitur puer Domino in Templo, & domum illicò reportatur. Offertur inter brachia Simeonis, sed statim pretio redimitur. Quo pretio alieno, pretio vtique nostræ paupertatis; & dederunt pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum. Admiranda quidem & delicata satis videtur esse ista oblatio, vbi puer tantùm sistitur Domino, alieno redimitur pretio, statimque domum reportatur. Sed tempus veniet, quando non amplius in Templo, sed extra Templum & Ciuitatem offeretur, non amplius inter brachia Simeonis, sed Crucis, quando denique non amplius redimetur alieno pretio & exiguo, sed redimet omnes sanguine proprio. Quia Redemptionem misit eum Deus pater populo suo: vnde hodie pretium nostrum accepit, vt nobis conferat suum. Scitis gratiam Domini IESV Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis. Fit denique sub lege seruus, vt nos libertate filiorum Dei gratificet, dicente Apostolo: *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.* Hodie certè hoc videtur impleri. Dum enim in hac præsentatione Christus redimitur, præfigurabatur quod in ipso nostra erat Redemptio, & quod pro nobis factus sub lege, nos ab illa legis redimebat seruitute.

Christus pretiũ nostrũ accipiens nobis cõfert suum.
1. Cor. 8.
Gal. 4.

Quare de Simeone etiam dictum est quia illã erat expectans consolationem Israël, & quia ideo responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurũ se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. Sub ista quidem expectatione fuerant omnia sæcula, sed super omnes ille consolationẽ expectabat quia promissa fuerat. O felicem expectationem, sed consolatione plenam, vidisse eum, & in vlnas accepisse quem tot sæcula petierunt, & videre desiderauerunt! Beati oculi, inquiebat se Dominus, qui vident quæ vos videtis: & beatæ manus quæ contrectauerunt de verbo vitæ, dicebat Sanctus Iohannes eius Apostolus. Quare beatus est hodie Simeon super omnes, quia oculis vidit, & manibus contrectare meruit verbum vitæ quod erat apud patrem, & apparuit nobis. Vnde etiam desiderium eius atque omnium completum in se lætificat animam eius, & benedicens Deum carmen gratulatorium canit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. Sic Moyses in Exod. sic Anna mater Samuelis 1. Reg. 2. pro beneficiis à Deo receptis, illi carmina & laudes cecinere: Zacharias item pro Iohanne, & similiter sanctissima virgo pro IESV filio suum cecinit Magnificat, hodie reiterat, exultante spiritu eius cum Simeone in Deo salutari suo.

Priuilegium Simeonis super omnes.
1. Ioh. 1.
Exod. 15.
1. Reg. 2.
Luc. 1.

Hodiernam gloriam virginis, & lætitiam cordis quis enarrabit? Neque enim hodie aspicio in illam prædictionem gladij qui pertransibit animam ipsius; tenet me satis exultatio in qua nũc est, ex confessione tam solemni & testimonio quod recipit ab omnibus, quia filius eius expectatio est Israël, filius Dei promissus, & desideratus cunctis gentibus. Neque enim solùm ab Angelis, vt dicit S. Ambros. à prophetis & pastoribus, sed etiam à senioribus & iustis generatio Domini accipit testimonium Omnis ætas, & vterque sexus, euentorumque miracula fidem astruunt, virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus adorat, vtero clausus exultat, vidua cõfitetur, iustus expectat. Vidua quę cõfitetur hodie, est

Christus accipit testimonium ab omni statu, ætate & sexu.
S. Ambros.

est illa Anna prophetissa, de qua dicitur in Euāgelio, quod non discedebat de Templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die; & hæc, ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israël. Et iustus qui expectabat, Simeon erat, de quo similiter dicitur quia homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeō, & homo iste iustus expectans consolationem Israël, expectauit, & quod maius est, venit in spiritu in Templum, & accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum.

Nunc ergo redeo ad te ô felix & fortunate Simeon, tibique congratulor quod plus cæteris tibi hodie à Christo gratiæ concessum est. Congratulor quod ipsum in vlnas tuas accipiens, nobis tradidisti eum. Complectatur itaque felix ille senex hunc quem tandiu expectauit, & quem nunc videt, puerum gaudiorū. Plus certè recepit quàm ei promissū est: promissum fuerat ei quod videret; & non tātùm hodie videt, sed accipit, complectitur, osculatur, & benedicit Deū dicens: Nunc dimittis. O quis posset æstimare fructum quem vir ille sanctus inde perceperit? Ipsum ponderat comparatione Origenes, dicens. Fimbriam vestimenti IESV mulier tetigit, & sanata est. Si illa ad extremam partē vestimenti IESV tantū emolumenti habuit; quid de Simeone putandum est, qui in suas vlnas infantem accepit, & brachiis tenens lætabatur videns paruulum à se gestari, qui ad vinctos venerat resoluendos? hæc ille. Nunc dimittis seruum tuum Domine, quia viderunt oculi mei salutare tuum, lumen ad reuelationem gentium.

Orig. hō. 15.

Affectiones S. Simeonis erga Christū. Gen. 32.

Angelus qui luctabatur cum Iacob, in medio luctæ dicit illi: Dimitte me. Ecce enim aurora ascendit. Ita Simeon Angelus & Sacerdos testamēti Dei, mysticum Iacob Christum amplexans in in vlnis suis, luctansque cum eo dicit: Nunc dimittis me. Ecce enim aurora misericordiæ ascendit, lumen ad reuelationem gentium, viderūt oculi mei salutare tuum. Nunc dimittis seruum tuum Domine. Sed quid dicis sancte senex? Dic potiùs quæso cum Iacob ad istum Angelum pacis, quem tu tenes & amplexaris, & qui vult dimitti à te inter manus & brachia suæ matris: Nunc dimittis seruum tuum Domine? Siccine eum relinquis Domine? Non dimittam te nisi benedixeris mihi. Dilectus meus mihi, & ego illi, inter brachia mea commorabitur. Quod concupiui iam video, quod amaui iam teneo, teneo, & non dimittam. Abraham diem tantùm videre voluit, vidit & gauisus est, & gaudeo ego magis, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Teneo iam, nec dimittam. Sed quænam fuerunt vota sponsæ? Osculetur me osculo oris sui. Quis mihi det te fratrem meum, vt inueniam te foris? Et ecce hodie ait Simeon; Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. In vlnas mea excepi, & dedi illi osculum oris. Iam non amplius cupio dissolui, sed viuere, & esse cum Christo. Beati oculi mei, quia viderunt quem multi Reges & prophetæ videre voluerunt, & non viderunt, salutare Dei nostri hodie viderunt, lumen ad reuelationem gentium.

Duo beneficia quæ Iacob recepit in lucta sua cum Angelo, nobis in purificatione conferuntur.

Duo beneficia recepit Iacob in illa aurora & lucta cum Angelo. Primò, illuminationem intellectus & scientiæ Dei, vnde ei nomen Israël imponitur, quod interpretatur, videns Deum. Secundò, purificationem carnis, quādo contactu Angeli emarcuit neruus fœmoris eius, & vno pede claudus remansit. Sic & nos hodie similia in hoc mysterio recipimus: illuminationem spiritus, & purificationem carnis. Nam simulatque verbum Dei vnitum est carni, & Deus factus est homo, mens hominis illuminata est lumine Dei, & caro purgata infectione peccati, scilicet per Christum, qui splendor est patris, & nostrorum fecit purgationem peccatorum, natura nostra in ipso remanente vno pede clauda, scilicet sua persona, vt nobiliùs, fortiùsque subsisteret in diuina. Et hæc duo sunt mysteria quæ nobis hodie dantur intelligi per Simeonem, & virginem. Obseruat virgo purificationem legis, vt nobis demonstret in filio nostræ purificationem carnis: Simeon verò cantat suum canticum luminis, quod adhuc obseruat Ecclesia in filiis suis, qui hunc diem illustrant luminibus & canticis, vt etiā ostendatur quia in Christo salutari nostro omnes illuminati fuimus, & quia ipse est qui lumen est ad reuelationē gentium, & gloriam plebis suæ Israël. Plebis suæ, Simeon dixit, quia nemo est qui lumē fidei recipiat ad gloriā, nisi sit Christi, & confiteatur ipsū. Hodie quotquot fuerūt in Tēplo, fuerūt iusti, sancti, & perfecti. Erat Anna vidua, & illa seruiebat Domino die ac nocte, orationibus, ieiuniis, & non discedebat de Templo, omnibusque qui aderant loquebatur de Christo. Erat Simeon, & ille iustus, & illam consolationem expectans plenus Spiritu sancto. Ecce qui sunt digni Christum excipere: qui expectant ipsum, confitentur, & de eo omnibus loquuntur, qui pleni sunt Spiritu sancto, iustitia atque bonis operibus. Quibus denique conuenit dicere: Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui.

SEPTIMO, DE GLOriosa Assumptione in Cœlum Beatissimæ Virginis Mariæ.

Maria optimam partem elegit, Luc. 10.

MAIOR commendatio virginis, altiorque laus & prædicatio gloriæ eius in eo est & cōsistit, quod sit mater IESV Christi. Inde est quod hodierna eius Assūptio in Cœlū, miraq; post vitā trāslatio ad dexterā majestatis Dei in excelsis, omne exemplū superet. Quia tamen ex prauitate nostra, humilibus atq; exiguis similitudinib. indigemus, vt in altiora feramur; ante omnia vobis ob oculos pono magnificū ingressum alicuius Regis triūphātis de hostib. suis, & cū summa pace redeūtis in aliquā sui Regni ciuitatē celeberrimā, vt de victoriis feliciter partis cōmunes lætitias omniū & applausus excipiat. Tunc enim vix potest exprimi quibus cum gaudiis acclamationibusque à populo excipitur, quomodo omnes exeunt obuiam ei, congratulantur, felicem introitum exoptant, vocemque eleuantes dicunt, viuat Rex in æternum. Ita nunc hodie dico de virgine de terra in cœlum assumpta, plenaque victoriis & meritis, de certamine mortalitatis huius redeūte; minimè quidē enarrari potest, sicut nec concipi, quanto cū apparatu, magnificētia & honore à Rege regū, ciuibusq; supernis excepta est, quomodo omnes illi congratulati sunt, & salutātes dixerunt: Maria mater Dei nostri, Regis regū IESV Christi, nobiscū in cœlo viuat in æternū. Aue gratia plena, Dominus tecū. Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectū suum? Ecce nunc

Exēplo ostēditur magnifica Assūptio virginis

nunc gloriosè Regina ascendens cœlum ingreditur cum Rege.

Semel Christus Dominus in terra triumphare voluit ante victoriam, aut certè simul, cùm venit in mundum, hostes suos vincere, & triumphare de illis, cùm ait: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* & rursus: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Denique ait, iam iudicatus est, & eiicietur foras. Quare sic cum victoria & triumpho veniens, in præcipuam regni sui Ciuitatem cum omni gloria & plenitudine suæ Diuinitatis magnificè intrare voluit, scilicet in virginalé vterum Mariæ suæ sanctissimæ matris, & quam ideo Scriptura sacra Ciuitatem Dei appellat, sicut de ea loquutus est propheta dicens: Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius, non commouebitur: fundamenta enim eius in montibus sanctis. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei. Ciuitas Dei, electa vt ingressum reciperet Regis pacifici Christi.

Ioh. 12. 14. & 16.

Ps. 45. & 86.

Hodie ex Euangelio dicitur, quia intrauit IESVS in quoddam Castellum, & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Martha illa & Maria sorores, sunt Maria vigo simul & mater Domini, quæ excepit ipsum in domum suam. Aula pudici pectoris Templum repentè fit Dei, cùm scilicet intenta vt Maria contemplationi mysteriorum Dei, andiuit ab Angelo verbum illius, & sedens humilis secus pedes eius, dixit: Ecce ancilla Domini, &c. Vnde statim intrauit in eam IESVS: simulatque enim aperuit illi ianuam suæ voluntatis, atque infinitæ suæ capacitatis sinum amplissimum, intrauit IESVS in illud quoddam suum & admirabile Castellum; verbum enim in ea caro factum est, & statim habitauit in nobis. Quare etiam & Marthæ officio functa est, frequenti & quotidiano circa ipsum ministerio. Quis enim in terra tandiu & tam dignè Christo seruiuit vt Maria? Igitur quia tam ineffabili modo cooperata est Aduentui Christi in hunc mundum, qui & in eam ineffabiliter ingressus est, & in cuius etiam obsequium omnem suam operam impendit & vitam, meruit etiam vt assumeretur ad eum post hanc vitam, & gloriosa ascendens de deserto terræ, delicijsque affluens, Ciuitatem cœlestem intraret, vt potioribus bonis, æternisque gaudiis filij sui frueretur.

Quomodo per Martham & Mariam intelligitur virgo Maria.

Magna itaque ratio est cur in hodierna Assumptione virginis lectum est Euangelium duarum sororum Marthæ & Mariæ, quæ Dominum hospitio susceperunt, & quidem adhuc in Castellum suum, & circa quem corpore & spiritu, actione & contemplatione occupatæ erant, scilicet, vt exemplo isto clariùs perfectissima Mariæ virginis vita nobis proponatur. Nam cùm omnium gratiarum, quarum tota plenitudo se infudit Mariæ, aliæ ad vitam actiuam, quædam verò ad contemplatiuam pertineant, aliæ ad meritum, quædam verò ad præmium vitæ, si demonstrauerimus nunc quomodo vtraque hac vita ipsa virgo perfectissimè in terris functa sit; statim etiam ostendemus qualis & quanta extiterit super omnes, & quàm nunc sit eminenter exaltata, exquo assumpta est super choros Angelorum ad cœle-

Cur in Assumptione virginis legitur Euangelium sororũ Marthæ & Mariæ.

Duplex vita in virgine, actiua & contemplatiua.

A stia regna. Martha quidem & Maria simul fuerat in terris suscipiens: modò autem in cœlis assumpta est & suscepta: non amplius in actione est, nisi contemplationis & quietis. Ibi tota Maria est, tota fruens, & tota deliciis affluens. Ibi denique firmiter adhæret & occupata manet: vbi meliorem partem elegit quæ non auferetur ab ea in æternum. *Et in plenitudine Sanctorum*, inquit, *detentio mea.*

Meritum vitæ præcessit præmium, quando priusquàm assumpta fuerit in Cœlum, suscepit Dominum suum gaudens in Castellum suum. Martha excepit Dominum, & Maria suscepta est à Domino sedens secus pedes eius. Maria virgo similiter suscepit & suscepta est: B suscepit in terris, & suscepta est in cœlis. Vnde primò fuit suscipiens Dominum, & post, assumpta à Domino. Hoc figuratur mysterium in Euangelio, vbi primò dicitur: Intrauit IESVS in quoddam Castellum. Quodnam est quæso istud? Marthæ & Mariæ sororum, videlicet Bethania. Sic apud Sanctum Iohannem notatur, licet hic apud Sanctum Lucam nomen taceatur. Bethania autem domus obedientiæ exponitur, vt in hoc exprimatur magis ingens virginis capacitas, quæ obedientia sua, quem cœli capere non poterant, in se continere meruit. Annuit verbis Angeli Incarnationem verbi referentis, C dicens; Ecce ancilla Domini, Deus-homo & nascitur in ea IESVS Christus, homo-Deus. Vnde sequitur ex Psalmista; & ipse fundauit eam Altissimus, vt Ciuitatem suam, domúmque altam, & proinde Castellum, quia status quidem virginis super omnem alium statum creaturæ est. Et ita Castellum, est cuius fundamenta in montibus sanctis, cuiusque portas Dominus diligit super omnia tabernacula Iacob. Omnes creaturæ siue humanæ, siue Angelicæ exigua tabernacula sunt, atque domunculæ Dei: Maria verò virgo Castellũ est in montib. vnde illud plus cunctis Dominus diligit, quia plus cæteris est ornatũ puritate, fundatũ humilitate, & dignitate erectum.

Castellum Marthæ & Mariæ Bethania est. Et quid significet.

Quomodo virgo dicitur Castellum.

Puritas primò ex ipsa etymologia nominis sumi potest. Castellum enim quasi castum liliũ dici D potest: vt hic agnoscatur inquantum virgini potest attribui, mysticè nomẽ suũ accipere à castitate, sed virginali, quæ lilio cõparatur, florẽ tãtùm producenti, & nõ fructus, scilicet Christũ Dominum, de quo dicitur; Flos de radice eius ascẽdet, de radice casti lilij, virginis suæ matris, de qua etiam dicitur: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Quomodo in isto nomine Castelli significatur primò puritas virginis.

Secundò etiam hic humilitas notatur, Castellum enim diminutiuum est, quasi paruũ castrum; vnde illa dixit: Quia respexit humilitatẽ ancillæ suæ, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Cùm enim essẽ paruula, placui Altissimo, vnde & in me descendit oriens ex alto, in suumque Castellum E intrauit. Et bene dicitur quia intrauit IESVS in Castellum, cùm ad virginem descendit. Expugnaturus enim tunc venit hostem generis humani, & plebi suæ refugium daturus & succursum.

2. Humilitas.

Huius rei est figura 1. Reg. 4. vbi dicitur quod cùm venisset Arca Domini in castra Israël, & hoc cognouissent Philistiim, timuerunt dicentes, venit Deus in castra, & ingemuerunt dicentes, væ nobis. Ita dico, simulatque Christus Arca fœderis Domini in Mariam venit castrum Ecclesiæ, ingemuit Infernus, vociferatique sunt dæmones, & dixerunt timore perterriti, Deus venit in castra, væ nobis. In Castellum suum IESVS

1. Reg. 4. Figura destructionis Inferni per aduentum Christi in virginem.

Salua

Saluator intrauit, væ nobis. Verbum caro factum est in virgine, væ nobis. Tres digiti omnipotentis manus scripserunt iudicium nostrum, væ nobis. In medio conuiuij sui prophani & sacrilegio pleni, Baltassar Rex aspiciebat articulos qui apparuerant manus scribentis contra candelabrum in superficie parietis Aulæ regiæ, & facies eius commutata est, cogitationes eius conturbant eum: sed & optimates eius turbabantur similiter. Daniel introducitur, & visioné illam sic explicat. Hæc est, inquit, interpretatio scripturæ quæ digesta est, Mane, Thecel, Phares: numerauit Deus regnum tuum, & compleuit, diuisum est à te; appẽsus es in statera, & inuentus es minus habens. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.

Daniel. 5.

A

Illud est iudicium diaboli & regni eius, quod illi statim declaratum fuit & explicatum, vt vidit manum omnipotentis apparere, & verbum suum imprimere in humanitate nostra assumpta ex virgine. Verbum caro factum est, væ nobis, dixit ingemiscens illa caterua dæmonum, venit Deus in castra, intrauit IESVS in Castellum suum, vt perdat nos. Quid enim conturbauit Infernum & destruxit regnum eius, nisi humilitas virginis? Quis confregit potentias inimici nostri, nisi Christus Mariæ filius? qui cùm in forma Dei esset, & non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Hæc est humilitas IESV & Mariæ, quæ cõtriuit caput atque superbiã infernalis bestiæ. Intrauit IESVS in quoddam Castellũ. In Mariam intrauit propugnaculum nostrum. O quis dicere posset quot salui facti sunt confugientes ad illud?

B

Philip. 2.

C

Ecce igitur Castellum virgo diminutiuum castri propter humilitatem eius. Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ, ait, & sic in Castellum suum intrauit, in quo homo factus est, & de quo prodiit liberator mundi. Propterea dicit S. Aug. O vera humilitas quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innouauit, aperuit paradisum, mundum purificauit, & omnium animas liberauit! Facta est Mariæ humilitas scala cœlestis, per quam Deus ad terras descendit, descendit vt liberaret nos. Quare ait Serm. de Nat. ipsius. Sicut mater sceleris nostri pœnam intulit mundo: sic genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Percussit illa, sanauit ista. Sanauit cum antidoto suæ humilitatis, & huiusce suauitatis odore filium Dei de paterno attraxit ad se accubitu: & in suum IESVS Castellum intrauit. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis.* Nardus herba humilis est & odoriferans: vt ostendatur quia suaui odore humilitatis virginis, Rex regum Dei filius de accubitu, id est, de sinu patris in quo erat, & est semper, in eam attractus est, & descendit velut in Castellum suum.

S. Augustin. Ser. de Assumpt.

D

Cant. 1.

E

Ex hoc igitur diminutiuo nomine satis apparet, satisque prædicata fuit humilitas virginis. Vt tertiò ex eodem ascendamus ad dignitatem illius excellentissimam super omnes. Castellum domus est exaltata, sita in montibus, & excelsior cunctis. Ita fuit sancta virgo cunctis altior fabricatione & ædificio virtutum. Fundamenta eius in montibus sanctis, fundauit eam altissimus; Castellum est super omnia tabernacula Iacob, eminet vniuersis altitudine atque dignitate, ad eamque refertur

3. Per hoc nomen Castellum, dignitas & altitudo virginis significatur.

quod Prou. vlt. dicitur: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* O Domina, nil tibi æquale, nil comparabile, quidquid est, aut supra te, aut infra te est: supra te solus Deus est, infra te illud omne quod Deus non est, ait S. Ansel. & S. Hieron. Cæteris tantùm per partes gratia data est: Mariæ verò tota se infudit plenitudo gratiæ, in suum IESVS Castellum intrauit. Quis enim sicut Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Altior Dei habitatio Maria fuit, omnes aliæ exiguæ sunt, deque sola virgine potest dici, quia Deus habitans in ea, in altis habitat. Castellum enim Domini IESV est, de quo & prodiit ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exiit Columba de Arca quam eleuauerant aquæ in sublime; & de Maria Arca nostræ salutis, mirabiliterque eleuata super aquas diluuij, egressa est mystica Columba portans ramum oliuæ & pacis nostræ Christus.

Prou. vlt.

S. Anselm. Ser. de concept.

S. Hieron.

Sed nunc quæso videamus quomodo sic Dominum suum suscipiens fuit illa simul Martha & Maria. Intrauit IESVS in quoddam Castellum, & mulier quædam Martha nomine suscepit eum in domum suam. Martha idem sonat atque prouocantem & dominantem: quod multum quidem virgini conuenit, quæ plusquàm omnes Prophetæ & Patriarchæ, desideriis, votis & precibus Deum prouocauit, vt caro fieret verbum patris, in eamque sicut pluuia in vellus descenderet, terram virginalem aperiret & germinaret Saluatorem. Adeò vt tandem dominans fuerit illa, cui dixerit Dominus: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Vulnerasti cor meum amica mea*, &c. De Anna legitur matre Samuëlis, quod dixit ad Heli pro filio suo quem susceperat: Ego sum mulier illa quæ steti coram te orans Dominum pro puero isto. Oraui, & dedit mihi Dominus petitioné meam. Sed multo magis prouocans, potens, atque etiam dominans apud Deum extitit Maria, quæ vnico nutu ac verbo potuit cœlum aperire, & de sinu patris verbum eius attrahere ad se, & dicendo, fiat; ecce ancilla, continentem omnia continere in se, suique esse mater creatoris; & sic simul ipsum in domum vteri sui & mentis suscipiens, admirabiliter dicere: Qui me creauit in me requiescit, genitrix sum eius qui me formauit. Illi do esse & vitam, qui omnibus dedit. Hoc certè est quod omnes admirantur, & propter quod vnus Chrysologus dicit. Pauet cœlum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & vna puella sic Deum in sui pectoris thalamo recipit, oblectat hospitio, vt pacem conferat terris, cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis & cœlestibus parentelam, denique ipsius Dei cum carne commercium.

Quomodo Maria virgo Martha dicitur.

Cant. 5.

1. Reg. 1.

Chrysolog.

Sed prætereà videamus quomodo nõ in nomine tãtùm, sed adhuc actione & obsequio Martha dici potest, & circa frequens Christi ministerium satagebat. Ecce enim ipsum excipit & gestat in vtero, parit in stabulo, & inuoluit pannis, reclinat in præsepio, lacte nutrit, & fouet gremio, fugit in Ægyptum cum eo timore Herodis, & postea Nazareth reducit; in Templum inducit, perditum requirit, reperit, & 33. annis sequitur quocunque pergit diuinis eius intenta obsequiis, & non solùm quidem vitæ, sed etiam mortis, ipsum sequitur euntem in Golgotha; stabat iuxta Crucem, & sepelit corpus cum lacrymis suis. Ecce actiones Marthæ, & actiua vita virginis circa filium eius.

Maria nomine & actione dici potest Martha.

A Sed iam videamus quomodo etiam semper Maria extitit diuinis dedita contemplationibus. Quis mihi dabit pennas, & volabo, & requiescam? Maria enim exaltata exponitur; & illa semper ad Deum eleuata est intenta gloriæ eius. Hodie in Euangelio dicitur quod Christo in domum Marthæ suscepto, huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius: & de virgine Maria postquam suscepit eum, & reddidit illi obsequium & ministerium matris & ancillæ, quid Luc. 2. dicitur, nisi quod admodum intenta mysteriis filij sui reuelatis, conseruabat omnia verba quæ dicebantur de illo, conferens in corde suo? Ecce Maria contemplationi vacans sedens secus pedes Domini. Verùm sicut adhuc Martha implorabat Mariæ auxilium: B ita etiam in virgine contemplatio semper actioni coniuncta est, sorores enim sunt in terra. Sic contemplatiua Rachel, Liæ actiuæ soror erat. Sic ergo in virgine in præsenti vita, ita tamen vt actioni contemplatio semper præualuerit & fuerit Domina, tenens Diuinitatis vestigia, quousque fuerit, vt nunc, perfectè associata claræ visioni, & sola sine labore finem suum, & quietem cum summa pace & tranquillitate, in Deo possederit. Sic enim hodie in cœlis collocata est in plenitudine vitæ & quietis, vbi in thronum & firmamentum gloriæ Dei assumpta æternitatis suæ fruitur prærogatiuis, vbi posita iuxta Solem Iustitiæ Christum eius C filium, & in illius visione & aspectu splendidior facta cunctis astris, alter Sol præ cunctis est effecta. Vnde S. Bernard. O virgo sublimis, quàm familiaris hodie facta es Domino! O Domina, quàm proxima, quàm intima ei qui apud te manet! Tu vestisti IESVM Deum summæ Majestatis carnis tuæ substantia, qui te vestit ineffabili gloria. Tu vestisti Solem nube, & ipsa Sole vestiris. Magnum hodie signum apparuit in cœlo, mulier est amicta Sole. Tota hodie lucida facta est, tota Maria, sublimis & in contemplationem Diuinitatis eleuata, dicente Psalmista: Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, amicta splendore, gloria & Majestate. Ecce momentum summè honorandum ex multis beatæ virginis. Psal. 44.

Tria præcipua momenta virginis. D Tria præcipua habuit. Primum est eius vitæ in gratia. Secundum, vitæ Incarnationis, seu Christi in ea. Tertium est vitæ suæ æternitatis, quod hodie est, contemplatiuæ vitæ eius in gloria & dextera filij, vbi meliorem partem sibi elegit Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum. O Maria, in contemplatione & gloria filij tui gloria tua est. In terris quidem semper adhuc Maria in contemplatione fueras, sed sæpius vt amarum mare, amaritudinem eius passionis contemplando, vt legitur; Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absinthio. Et hoc non solùm respectu passionis eius, sed etiam gloriæ per ipsius absentiam in E Ascensione, quando relicta in terris sic cum eo cupiebat esse, vt omnia illi viderentur amara, diceretque cum Propheta: Renuit consolari anima mea, memor fui Dei mei filij, & delectata sum in eo in quo solùm mihi complaceo, vnde & deficit spiritus meus. Hæc recordata sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei. Ita vt certè vita eius potiùs mors & languor dicenda esset, quàm vita. Sicque continuò vt Maria ad pedes Domini sedebat, id est, per amorem, ipsius gloriæ & contemplationi adhærebat, totaque in Thren 3. Ps. 76. Psal. 41.

amore erat, sicut etiam mater pulchræ dilectionis in Scriptura nominatur. Sicut enim ait S. Ambros. ferrum in ignem missum totum igneum efficitur: sic virgo in dilectionis igne tota in amore erat, adeò vt nihil aliud diceret Angelis nisi canticum istud Canticorum; *Nunciate dilecto meo quia amore langueo.* Cant. 5.

Eo certè, ô beata virgo & mater, languisti in terra, & verè adhuc mortua es: sed nunc in cœlis eodem viuis in æternum & lætaris, sedens iterum ad pedes Domini vt Maria contemplans: ad pedes dico Domini, quia in cœlis, infra Christum filium tuum, nihil est supra te, quæ exaltata es sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna: vbi iam sedes cum filio ad dexteram patris. Nam si Ioh. 12. dixit: Volo pater vt vbi ego sum, illic sit & minister meus. Quid de te? & Matth. 10. Si quis iustum & Prophetam receperit, mercedem iusti accipiet. Quidnam meruisti quæ Dominum tuum in te recepisti? Et si dicet his qui in membris suis receperunt eum & nutrierunt: Venite benedicti patris, possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi. Quid quæso tibi dicet matri quæ ipsum corporaliter recepisti & lactasti vberibus? nonne eiusdem throni particeps eris? Sic enim de te & de filio loquutus est Dauid: Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca sanctificationis tuæ. Arca equidem quam sibi sanctificauit Altissimus, virgo sanctissima fuit, quæ hodie mirabiliter est eleuata ad thronum gloriæ Dei, honorificè suscepta ab Angelis, à Deo autem assumpta, à patre in filiam, à filio in matrem, & à Spiritu sancto in sponsam: denique à sancta Trinitate in nobile triclinium, à Sanctis omnibus in Reginam, & à peccatoribus in Aduocatam, vt adeamus eam, eique dicamus: Monstra te esse matrem virgo singularis. Iter para tutum, vt videntes IESVM semper collætemur.

TRIVMPHVS VIRGINIS Mariæ in cœlo: & corollarium omnium festiuitatum eius.

Quæ est ista quæ progreditur tanquam Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol? Cant. 6.

TRIA sunt obiecta gaudiorum & complacentiæ singularis in cœlo & in terra, Trinitas sancta, IESVS Christus, & virgo sanctissima mater eius. Dico virginem, & cum Deo adiungo, quia in statum est eleuata qui rapit ad se vniuersos. Mater namque Dei est: & iuxta hunc superexcellentissimum gradum honoris, euecta est & assunpta ad gloriam Majestatis Dei, qui præparauit ei thronum suum à dextris. Ergóne corda vestra hodie adhærentia terræ, & infixa in limo profundi tenebitis? & non facietis ea sursum ascendere super alas sanctæ contemplationis, ad videndum in bonitate electorum Dei lætitiam gẽtis supernę, omniumque illorum domesticorum *Tria obiecta complacentiæ nostræ.*

Dei

Dei & concilium cœlestium, qui comitantes Regem suum & Dominum gloriæ, vnà cum ipso Reginæ suæ & Dominæ obuiam exeunt, vt ipsam dignis honoribus recipiant? Et quis quæso hic obstupefactus non admirabitur ordinem & apparatum omnium illorum beatorum ordinum, qui sic obuiam processerunt, vt hunc triumphum virginis gloriosæ sua præsentia cohonestent, quanta cum alacritate expectant venientem; & quomodo statim atque viderunt coruscantem gloria & meritis, cum benedictionibus istis, laudibus atque acclamationibus exceperunt: Quæ est ista quæ progreditur tanquam Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?

Tria quæ triumphum circumstant virginis.

Tria sunt vt plerumque quæ triumphum implere & circumstare debent. Primum est, triumphantis meritum. Secundum, decretum Senatus. Tertium, vt corollarium, acclamatio populi. Hæc tria simul reperiuntur in triumpho virginis, & notantur istius Cantici verbis: Quæ est ista? per admirationem. En meritum gloriæ æternæ in cœlis, & in terra laudis immortalis. Meritum quidem illius quæ Diuinitatem traxit ad se, & suo contulit gremio quem cœli capere non poterant. In fabulis de Prometheo legitur, quod ausus sit de cœlo ignem extrahere, vt terrenam suam statuam animaret. Hoc quidem fabulosum est: sed veritas hæc est, ingeniosiorem virginem, cœlisque altiorem, gratiam inuenisse in oculis Dei, vt nobis ignem diuinum afferret, qui vniuersum mundum viuificaret. Ignis iste Deus est, Deus de Deo, lumen de lumine, Christus IESVS, virginis filius. En igitur quomodo meritum eius extitit in terris, cuius hodie honorem & gloriam adepta est in cœlis. Quænam igitur est ista? Audite: hæc ipsa quæ progreditur tanquam Aurora consurgens, pulchra vt Luna, &c. Hæc autem pars tertia est triumphi, quæ præsupponit secundam, quæ ad decretum spectabat, & de qua hic amplius non loquar. Nam si ordinem videatis cum quo iste procedit, & progreditur triumphus versus illam cœlestem Hierusalem; nonne satis constabit vobis, ita fuisse constitutum in secretiori Diuinitatis consilio? Parumper ergo sistamus, & cum attentione animi admiratione que attendamus. Quæ est ista quæ progreditur tanquam Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?

Hic circumstantiæ triumphi & accessoria occurrunt, de quibus etiam maximè nobis instituendus est sermo; vt cùm agnouerimus, quomodo eius opera & virtutes talem ipsi gloriam meruerunt, ipsum eius filium glorificantes, ei demus laudem in illa, sicut ipsi in filio honorem. Quod quidem adhuc dignius fiet, si virtutes eius imitemur, præclarásque actiones, vt tandem aliquando eas mereamur celebrare inter illos mirabiles Angelorum choros, nostrósque concentus illorum sacris miscere melodiis. Igitur omissis multis, de tribus hic tantùm agam præcipuis virginis virtutibus, in quibus omnes eminenter continentur, scilicet, fide, spe, & charitate, quæ dicuntur virtutes Archi-tectonicæ, & Theologales, vtpote quæ pro obiecto Deum habent. Fides enim illum respicit vt primam veritatem; spes vt bonum possibile, sed habitu difficile: charitas verò vt bonum supremum, & amore dignum. Qui modus cæteris quidem excellentior est. Vt autem melius ordinem seruemus, tria hic puncta ponam, quæ & ad verba huius Cantici referam, vt feliciùs inuenire postea, & at-

Virtutes Theologicæ omnium præcipuæ, & in quibus eminenter aliæ continentur.

Tria puncta narrationis de triumpho virginis.

A tentiùs adhuc triumphum hunc considerare possimus. Talis igitur ordo erit. Quæ est ista quæ progreditur tanquam Aurora consurgens? ecce fides; pulchra vt Luna: ecce spes; electa vt Sol, charitas est.

1. De fide. Quid sit Aurora, & eius comparatio cum fide.

Quantum itaque ad primum, in hoc potest institui comparatio Auroræ cum fide, quod Aurora de tenebris ad lucem consurgit; & est media inter illas, est veluti nox illuminata, diésque obscurus, vnius finis, & alterius principium. Ita est de fide, quæ in mediis lucescit tenebris, & de obscuritate procedit ad lucem & veritatem. Videmus nunc per speculum & in ænigmate, dicit Apostolus: tunc autem facie ad faciem. In terra non habemus nisi
B fidei Auroram: in cœlo verò diem claræ visionis. Itaque fides hic, Aurora consurgens est, quæ semper veritatem respicit. Propterea dicimus quia illa Deum respicit sub ratione, & obiecto primæ veritatis.

Quid sit fides.

Verùm quia generaliter loquendo, fides nihil aliud est quàm consensus animi iis quæ nobis ab alio referuntur, cuiusque authoritati deferimus, atque innitimur: propterea etiam constat quia illa virtus ab hac authoritate dependet. Quare, vt iam agnoscamus quæ sit illa quæ tantopere nobis necessaria est, ac in virgine tam eminenter refulsit: nunc sciendum est, duplicem esse ratione duplicis authoritatis. Vna est humana & titubans, vtpote
C illa quæ verbis tantùm, atque authoritate hominis errori obnoxij fulcitur & constat. Altera verò diuina est & certissima, quæ fundatur in authoritate Dei reuelantis, primæque veritatis, quæ nec falli, nec fallere potest; omnémque intellectum feliciter captiuans, reducit in huius fidei obsequium. Quomodo Apostolus sic definiuit: Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Post quem ita Hugo à Sancto Victore. Fides, inquit, est voluntaria certitudo absentium supra opinionem, & infra scientiam constituta.

Duplex fides.

Heb. 11.

Hugo à S. Victore.

Supra opinionem dixit, quæ dubia & numquam sine timore est, vt Aristot. docet. Et infra scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur
D & vias rationis. Quæ quidem fidei minimè conueniunt, vnde media ponitur, vt ex vna parte denotetur certitudo eius, & ex alia obscuritas: vbi non in ratione & discursu fundatur, vt scientia, sed multo certiùs in authoritate & pondere diuinæ reuelationis. Quare Apostolus appellauit substantiam & argumentum, id est, conuictionem, non apparentium. In hac enim authoritate lux vera hominum consistit, qua Deum contemplamur, vitæque æternæ mysteria. Hoc sensu S. Chrysostomus in Symbolum dicit. Fides lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. & in Matth. Fides lampas est, quia sicut lampas illuminat domum; ita fides animam. Aurora est con-
E surgens, tenebras dissipans, & lumen afferens.

Aristot. 1. Poster. c. 4. *Explicatur quid sit fides.*

S. Chrysost. in Symbol. & in Matt. 25.

Emblema fidei, & eius explicatio.

Hoc emblemate veteres vtebantur ad repræsentandam fidem. Mulierem pingebant, aureum annulum habentem in ore: sub se Regem captiuum, multósque circum se milites occisos; eóque modo constitutam in medio campi diuersis discriminati floribus. Ecce equidem fides Christiana egregiè admodum depicta & repræsentata. In medio Ecclesiæ est, omnium virtutum circundata varietate. In ore gestat annulum aureum, qui est verbum Dei, per quod ipsi desponsatur, totámque se tradit & committit dominio eius, vt firmiter &

fideliter ipsius authoritati credat. Habet sub se captiuum Regem, videlicet intellectum humanum. Circa se verò interemptos milites, nostros videlicet sensus.

Quàm autem bene ista fidei beatæ virginis conueniant, & quàm similis consurgenti Auroræ illa fuerit in terra, videamus. In difficilioribus agendis, ait S. Bernard. obeditio est gratior; sicut etiam in credendis est fides sublimior. Nam in altitudine mysteriorum & credendorum tota fidei ratio est. Quis autem exinde non videat excellentiam & pondus fidei virginis? Missus est Gabriel Angelus ad eam nuncians ei verbum, & salutans gratia plenam. Sed quale ei nunciat verbum? verbum quod in aure excipit, & velut annulum aureum in ore, verbum dicam quod & in corde suo abscondit. Turbata est enim in sermone eius,& cogitabat qualis esset ista salutatio. Admirabile enim & fidei erat verbum. Cuius etiam statim potentiam declarauit Angelus, dicens quia in vtero suo filium concipiet, iuxta quod non est impossibile apud Deum omne verbum. Vnde illa statim,vt fidelis mater & sponsa verbi,omnes sensus suos interficit, Regémque captiuat intellectum suum,dicens: Ecce ancilla Domini,&c. Mulierem illam fortem quis inueniet, habentem in ore annulum aureum; captiuum Regem,& sub se milites occisos? Ista est virgo Dei genitrix, quæ aure verbum Dei excipiens, & concipiens in corde, in ore postea, sicut in manibus ipsum gestare meruit cùm dixit: Ecce ancilla Domini. Iámque Deo plena, Deíque mater effecta, in vtero incarnatum tulit,mundo genuit, vbere lactauit, in gremio & manibus portauit. O fidem incomparabilem virginis!

Luc. 1.

Fides virginis cum Aurora consurgẽte comparatur.

Sed quàm bene adhuc Auroræ comparetur videamus. Aurora, vt diximus, de tenebris procedit ad lucem,sempérque ascendit,quousque dies plenissimus fiat. Ita est de fide sanctissimæ virginis, quæ in difficilioribus, obscurioribúsque mysteriis illuxit,& semper ascendit. Reuelatur ei ab Angelo Diuinitatis & Trinitatis mysterium, vbi illi fit in annunciatione distincta mentio trium personarum, & credit. Consequenter diuinæ Incarnationis declaratur mysterium & modus; & consentit, annuit, dicitque: Ecce ancilla Domini. Item Redemptionis mundi mysterium exponitur, quando dixit Angelus, quia quod nasceretur ex ea sanctum,saluum faceret populum suum à peccatis eorum. Propteréaque nomen illi conueniens imponit, quod est IESVS. Denique alia omnia quæ exinde sequuntur, vt mortis mysteria, Resurrectionis, & Ascensionis: & omnibus credit, sciens quia nihil impossibile apud Deum. Dicam adhuc, videt & admiratur in se maternitatem diuinam: propter quod in humilitate Dominum suum magnificat. O felicem fidem virginis! Digna equidem est, vt omnes eam admirentur & dicant: Quæ est ista?

Ipsa virgo cũ Aurora comparatur.

Verùm non adhuc satis est fidem virginis comparasse Auroræ, nisi etiam ipsa comparationem recipiat. Aurora ex mente Astrologorum, & experientia omnium, prænuncia est diei ac Solis, qui in ortu suo, cùm minimè videri possit in orbe, tunc apparere incipit amictus nube sicut vestimento, & diluculum efficit. Ita Christus Dominus verus Sol Iustitiæ, lucémque habitans inaccessibilem, à nobis minimè videri poterat in seipso manens, nisi cùm operuit se nubecula carnis nostræ, vt Isa. ait:

1. Timot. 6.

A *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* Hæc nubes caro nostra est, per quam venit ad nos,& visibilem se fecit. Iuxta quod S. Iohannes dicit; *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Vnde Auroram statim formauit virginem matrem, quæ præiret ante ipsum, & nobis mox vt Aurora diem produceret. Fortè enim adhuc propterea dicitur Aurora, quia sicut Aurora est productrix roris antelucani: sic virgo genitrix verbi, quod adinstar roris ad nos de cœlo descendit, iuxta quod sic à Prophetis petebatur, vt ab Isaia, qui dicebat: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Isa. 19. Isa. 45.

B Et quodnam quæso est istud cœlum diuinum rorem afferens, nubésque illa pluens iustum, nisi Aurora nostra, virgo Maria? sic enim dicitur Aurora quasi rorem afferens: & sic illa fuit adhuc tanquam cœlum, aut nubes nostrum Solem circumdans, ac nobis in mundo producens, ad reuelationem gentium, & gloriam plebis suæ Israël. Vnde adhuc hodie vt Aurora consurgens facta est, & quæ meruit ad cœlum vsque ascendere; iuxta quod Deus dicebat Iob: Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo,& ostendisti Auroræ locum suum? Quasi diceret: ego solus diluculum feci, & Auroræ locum suum ostendi. Ita quidem est; sed præsertim huic virginali Auroræ & supercœlesti ostendit, quando in tabernaculo suo habitare C eam fecit Altissimus. Deus enim in medio eius erat, cùm ascendit, sicque gloriosa ab illis Psalmistis cœlestibus excepta est dicentibus: Quæ est ista quæ progreditur tanquam Aurora consurgens? Sed non satis adhuc vt Aurora, adiungamus iterum, pulchra vt Luna. Iob. 38.

Punctum hic secundum est, vbi de spe instituendus est sermo. Primò itaque sciendum quid sit. Deinde quomodo Lunæ comparetur,& virgini conueniat. Igitur quantum ad primum, spes est virtus quæ Deum respicit vt bonum promissum, & ad obtinendum difficile: seu, est virtus Theologica infusa diuinitus, qua ex Dei promissione bona vitæ æternæ expectamus,& ad ea tendimus. Habita D namque fide, ait S. Thomas, adhuc restat & remanet animæ motus ad aliud, scilicet ad videndum perfectè veritatem quam credit, & ad assequendum ea per quæ ad veritatem huiusmodi poterit introduci. hæc ille. Iste autem animæ motus ad Deum semper tendentis, & adeptionem promissionum eius, est spes, quæ non patitur nos aliò ferri quàm ad Deum. Speret Israël in Domino, inquiebat Dauid, quia apud eum misericordia,& copiosa apud eum redemptio. Hinc S. Bern. dicit. De creatore desperare est, spem in creatura ponere. Vera enim spes semper, vbique ac in omnibus Deum respicit. Theologica virtus est, & propriè non est spes nisi de rebus diuinis & promissis.

2. Punctum de spe, & quomodo cũ Luna comparatur. Quid sit spes.

S. Thom. in Comp. suæ Theologiæ par. 2.

Ps. 129.

E Propterea egregiè comparari potest Lunæ propter quatuor. Primò, ratione formæ: secundò, motus: tertiò, augmenti luminis: quartò, directionis in silentio & obscuritate noctis. Quantum ad formam, cùm Luna plena est, figuræ est sphericæ & orbicularis, quæ non est capax mensurari & definiri. Ita est spes quæ voluitur & simul innititur bonorum infinitorum pollicitationibus. Quantum ad motum, inter omnia alia astra, naturalem suum motum rapidiorem habet Luna, quæ in mense suum cursum perficit, sicut Sol in anno. Ita est spes, quæ fortiter animam, difficilioribus superatis, ad Deum rapit, sicut dicit Scriptura: Sancti per fidem

Comparatio spei cum Luna in quatuor proprietatibus.

fidem vicerunt Regna, adepti sunt repromissiones. A Qui sperant in Domino habebunt fortitudinem, assument pennas vt Aquilæ, & volabunt, & non deficient. Quantum ad accretionem luminis, crescit Luna ex propinquitate Solis vsque ad plenitudinem. Et ita est de spe, quæ ex præsentia diuini luminis gratiæ crescit semper, & quousque ad perfectam vnionem veniat. Sed in hoc comparationem excedit, quod sicut Luna non decrescit: vbi enim tantisper decrescit, amittitur statim. Quantum ad directionem, Luna dirigit in nocte, & ne pedes ad lapidem offendamus, viam demonstrat. Ita spes, quæ in obscuris huius vitæ anfractibus nos dirigit, nos securè ducit in omnibus viis nostris; in manibus portat, & vsque ad veritatem nos perducit. B *Spes autem*, inquit Apostolus, *non confundit*. Sic dicebat Dauid: *In te Domine speraui, non confundar in æternum*. Sic iterum Apostolus Rom. 8. *Spe salui facti sumus*. Sed qua spe? qua quod non videmus, per patientiam expectamus:

Rom. 5. Psal. 30.

Sed videamus iam quo pacto in virgine hæc virtus fuerit pulchra vt Luna, quæ antonomasticè hoc spei nomen sibi appropriat & conuenire facit, vt Eccl. 24. videri potest. Ego enim, inquit, mater pulchræ dilectionis, magnitudinis & sanctæ spei. Verè mater sanctæ spei, quæ in perfecta plenitudine eam habuit, vt etiam de eius abundantia redundaret in omnes: per eam enim (sicut dixit in Cantico suo,) & misericordia Dei à progenie in C progenies timentibus eum. Quare & in hac spe pulchra vt Luna fuit, quæ plus cæteris semper in Deo confidit, & eius promissis, totaque mente introiuit semper in misericordias & potentias Domini, seruans æqualitatem animi sui tam in aduersis quàm in prosperis: adeò vt à spe sua & charitate nullo vnquam tempore exciderit. Concipit filium Dei in pectore, in manibus portat, & cum eo multo tempore versatur in terra. Videt expirantem in Cruce, & mortuum in sepulchro, numquam autem spes illi defuit. Cæteri deficiunt animo, & quasi in diffidentiam incidunt. Illa verò semper integra & firma remansit: pulchra denique & speciosa vt Luna, quæ semper illuminatur à Sole, & versus eum non patitur eclipsim. D Luminaria cœli obscurentur, virgo supercœlestis semper erit pulchra vt Luna, quæ Solem suum continuò prospiciens numquam obscurabitur.

Eccl. 24.

Quomodo qualitas spei conuenit Virgini.

Animaduertunt Astrologi, quod cùm Luna versus terram illuminata apparet, tunc versus cœlum obscuratur: & è contrà, si versus terram patitur defectum, tunc cœlum versus multo magis illuminata apparet. Quod quidem multis conuenire potest, qui sæpius ex parte cœli patiuntur eclipsim & spei defectum, cùm in terra relucent, sæculi fauores respiciunt, ex eáque parte omnem spem suam enutriunt. Quod equidem è contrario accidit Sanctis. Maximè verò Beatæ virgini, quæ nullam ponens E spem in terris, totam collocauit in cœlis: & quo magis visa est nobis deficere, vt in morte Christi, iuxta Crucem, & sepulchrum eius; eo magis pars animæ eius superior versus cœlum relucebat, & in conspectu Dei semper viuentis radios fidei & spei suæ refundebat, quousque his dimissis in terra, tota charitate perfusa, electáque vt Sol auolauit in cœlos. Postquam adhuc non solùm spes eius, sed ipsamet nobis apparuit pulchra vt Luna, quod comparationi nostræ superest. Neque enim solùm spes, sed etiam virgo comparatur cum Luna. Luna in sui creatione nesciuit tenebras, quia postea nox facta est. Ita virgo in sui creatione nesciuit tenebras, quæ cum lumine gratiæ concepta & formata est. Item Luna crescit vsque ad 14. diem, & postea fit plena: ita virgo semper creuit vsque ad 14. annum suæ ætatis in gratia, & postea Diuinitatis plenitudinem accepit, quando in vtero eius verbum caro factum est.

Luna proprietates. Et conuenit spes.

Luna cum virgine comparatur quoad initium ad id quod perfectum est in illa.

O quàm admiratione digna est! ô quàm conuenienter hodie de imo ascendens in altum, deliciis affluens, & innixa super dilectum his laudibus ab omnibus choris Angelicis excepta est: Quæ est ista quæ progreditur tanquam Aurora consurgens, pulchra vt Luna, sed vt Sol electa? Neque enim amplius Aurora est, nec Luna in cœlo, sed Sol, aut certè tota amicta Sole, & Luna sub pedibus eius. Ita Iohan. in Apoc. Magnum signum apparuit in cœlo; Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus. Optimè nunc Luna est sub pedibus eius: si enim ei competit quod erat perfectionis in Luna, quod imperfectionis est & defectus, minimè conuenire potest, propterea eam sub pedibus habet. Luna in mutabilitate sua, symbolum est inconstantiæ & vanitatis, quæ in mundo triplex inuenitur. Gratiæ ad culpam, quæ omnium prima est & grauissima mutatio. Corporis ad puluerem. Et status fortunæ, seu vicissitudinis, vbi nihil nisi vanitas est, & vanitas vanitatum. Ecce triplex mundi mutatio.

Triplex mutabilitas in mundo.

Iam verò vt significaret Spiritussanctus, quia illa omnia imperfectionis & mutabilitatis genera extra virginem erant, & veluti supplantata ab illa, dixit; & Luna sub pedibus eius. Quasi diceret, eiusmodi mutationibus obnoxia esse nó potuit. Primò, peccare non potuit, (præuenta priuilegio gratiæ singulari.) Secundò, corpus eius post mortem corrumpi non potuit, quod statim in gloriam est assumptum. Tertiò denique mundi vanitatibus subiici non potuit, quæ omnia semper arbitrata est vt stercora, vt Christum filium suum lucrifaceret. Quare iam tota amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, in cœlos ascendit vt Sol electa.

Tertium est punctum, in quo de charitate virginis debemus agere, & eam Soli comparare. Hanc autem omnium excellentissimam virtutum, nec concipere, nec exprimere satis hic possumus: maximè verò si dixerimus, quia Deus charitas est, vt Iohannes sanctissimus Apostolus in sua Canon. dixit; & qui manet in charitate, in Deo manet. Nulla est diuinior virtus; nulla admirabilior, quæ etiam Deum ad hominem inclinare potuit, & hominem vsque ad Deum eleuare. Hugo Victorinus de ea sic loquitur. Nescio si quid maius in tua laude dicere possum, quàm vt Deum de cœlo traheres, & hominem de terra ad cœlum eleuares. Magna virtus tua, vt per te vsque ad hoc humiliaretur Deus, & vsque ad hoc exaltaretur homo. Hæc autem omnia charitatis officia & mysteria in vtero virginis completa sunt, quando in ea verbum caro factum est, quando Diuinitatis altitudo ad humilitatem, & formam hominis descendit; & humilitas virginis ascendit, & prouecta est ad maternitatem Dei.

Tertium punctum de charitate B. Virginis.

Hugo à S. Victore.

De ista itaque Regina virtutum multa dicere, mens nostra non sufficeret cum tempore. Satísque est modò vt dicamus, quia forma est & parens omnium virtutum, & veluti Sol qui dat vitam omnibus, lumen & calorem. Ita enim de charitate est sine qua nulla manet virtus. S. Greg. hac comparatione vtitur hom. 27. in Euangelia. Vt multi

Charitas Regina & radix omnium virtutum.

S. Gregor.

DDd 3 arboris

arboris rami, inquit, ex vna radice prodeunt: sic multæ virtutes ex vna charitate generantur; nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. hæc ille. Videtur aliquid similitudinis cum Deo habere; operatur enim omnia in omnibus, nec definitur tempore seu loco, sed in æternum manet in terra sicut in cœlo. Forsitan adhuc apud nos in terra fides & spes remanserunt, sed timeo ne discesserit charitas, & euanuerit dilectio. Pauci enim sunt qui sectantur eam in hoc mundo. Iuit certè in cœlum hodie cum Maria matre pulchræ dilectionis. Cum virgine ascendit, neque nobis nisi vestigia eius remanserunt. Sed mihi dicet aliquis quia rectè Deum diligit, etiam & ego istud dicam: nihil enim certè amore isto dulcius est, & quis eum abnuere posset? Sed comprobaturne operibus? Charitas, ait Apostolus, patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia sustinet, non quærit quæ sua sunt, congaudet veritati, &c. Probatio dilectionis exhibitio est operis. Talis autem in virgine virtus fuit, cui nihil vnquam defuit gratiarum Dei, vt sic inter omnes electa vt Sol appareret.

Veritas operibus cōprobatur.
1. Cor. 13.

Hanc itaque comparationem Solis prosequamur cum ea virgine & muliere amicta Sole, & in vestitu deaurato charitatis circundata virtutum omnium varietate. Sol præstantissimum est ornamentum mundi, & inter creaturas omnes, licet purissimas & excellentissimas quæ sunt in firmamento Ecclesiæ, virgo est præstantissimum ornamentum, cui tota se infudit plenitudo gratiæ, quæ tantùm per partes cæteris data est, vt dixit S. Hieronymus. Item Sol medium locum tenet, videlicet quartum inter planetas cœli, quæ sunt numero septem. Sic virgo Sole charitatis amicta, supra se solùm respicit tres diuinas personas: infra verò tres Angelorum hierarchias. Ita vt quasi in medio omnium sit constituta. Sicut elegantissimè hoc aduertens S. Anselm. lib. de exordio hum. vitæ, & Serm. de concept. dixit. O domina, nihil tibi comparabile. Omne enim quod est, aut supra te, aut infra te est. Supra te solus Deus est; infra te illud omne quod Deus non est. Quænam igitur est ista quæ progreditur vt Sol electa? Et equidem signum magnum quod hodie apparuit in cœlo. Illa est mulier & virgo quæ amicta Sole ascendit, id est, splendore gratiarum & virtutum: sicque electa vt Sol procedit.

Charitas virginis, seu virgo ipsa feruens charitate comparatur cum Sole.
Solis proprietates.

S. Ansel. lib. de exordio hum. vitæ, & Serm. de concept. virginis.

Sol itaque est, sed ille, de quo dicitur in Psal. In Sole posuit tabernaculum suum Altissimus. Tabernaculum, de quo illa similiter virgo loquens de se ait in Eccles. Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Scilicet cùm nunc in omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor, qui & mihi dixit: In electis meis mitte radices. In plenitudine enim Sanctorum detentio tua. Scilicet cùm hodie gloriosa, electaque vt Sol super omnes choros Angelorum ascendit ad cœlestia regna. Quænam ergo est ista quæ progreditur tanquam Aurora consurgens, quæ vniuersum mundum illuminans infinitis pene fidei mysteriis repleuit? Pulchra vt Luna, quæ peccatoribus & miseris misericordiæ spem reliquit? Electa denique vt Sol, qui cœlum nostrum replet nouo splendore, & ardore diuinæ suæ dilectionis atque charitatis? Talia hodie sunt cantica & laudes quibus ab Angelorum choris in isto glorioso introitu & triumpho excepta est. Cùm Archangelus Ga-

Psal. 18.

Eccl. 24.

A briel ad eam missus est hoc diuinæ voluntatis nunciare mysterium, scilicet Incarnationem verbi, & eam simul salutare Dei matrem; illam sic præuenit timore & reuerentia correptus: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Hodie verò omnes missi obuiam illi vt assumant ad gloriam, admirantes ea salutatione exceperunt: Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Quæ est ista quæ progreditur tanquam Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?

Hic mihi in mentem venit gaudium & magnificentia, cum qua Iudith excepta est ab omni populo cùm Bethuliam reuersa est, gestans secum caput Holofernis principis Assyriorum. Tu lætitia Israël, dicebat populus; tu gloria Hierusalem, tu honorificentia populi nostri: benedicta filia tu à Domino. Quanto magis hodie & dignius putandum est exceptam fuisse virginem, nostro communi hoste interempto ab illa, & reddita nobis libertate perueniēdi ad cœlum, quò assumitur cum acclamationibus istis & laudibus? Benedicta filia tu à Domino, lætitia Israël. Tu Salomonis thronus, tu Aula regia, tu thalamus in quo Rex regum, & Dominus dominantium requieuit. Tu fuisti orientalis porta, quam soli filio Dei Ezechiel apertam vidit: & ecce hodie tibi omnes cœli aperti sunt, & super omnes illos, chorosque Angelorum exaltata coronaberis Sancta Dei genitrix. De illa sic Bern. sanctissimus eius paranymphus. Neque in terris locus vllus dignior virginalis vteri templo, in quo Dei filium Maria suscepit. Neque in cœlis regali solio, in quo Mariam hodie filius sublimauit. Felix nimiùm vtraque susceptio. O quantum & qualem honorem excepisse putandum est! S. August. Serm. hodierno dicit. Thronum Dei, thalamum Dei, tabernaculum Christi, dignum est ibi esse vbi ipse est: tam prætiosum thesaurum dignius est seruari in cœlo quàm in terra.

Figura Assumptionis & triumphi virginis in Iudith.

B

Describitur triumphus virginis à doctoribus.
S. Bern. Ser. de Pass.

C

S. Aug.

Et S. Damasc. similiter in solemnitate hodierna. Hodie, inquit, sacra & animata Arca Dei viuentis quæ suum in vtero concepit creatorem, requiescit in Templo Domini, quod nullis est extructū manibus. Hodie columba innocens auolans ex arca, id est, corpore, quam Dominus suscepit, pedibus requiem adinuenit. Dauid eius parens exultat, & cum eo choros ducunt Angeli, celebrant Archangeli, virtutes glorificant, principatus exultant, potestates collætantur & dominationes: throni diem festum agunt, laudant Cherubim, gloriam eius prædicant Seraphim. Et rursum S. Bern. Serm. 1. de Assumpt. Illud quis cogitare sufficiat? quanto deuotionis affectu tota in eius occursum cœlestium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta; sed quàm placido vultu, quàm serena facie, quàm diuinis amplexibus suscepta à filio, & super omnem exaltata creaturam, cum eo honore quo tanta mater digna fuit; cum ea gloria quæ tantum decuit filium. Felicia prorsus oscula labiis impressa lactentis. Verùm numquid non feliciora censebimus, quæ ab ore sedentis in dextera patris hodiè in beata salutatione suscepit, cùm ascenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens, & dicens: Osculetur me osculo oris sui? Christi generationem & Mariæ assumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis. hæc ille.

S. Damasc.

D

S. Bern. Ser. 1. de Assumptione.

E

Sic

S. Laur. Iustinian. Ser. de Assumpt.

Sic etiam meditatur S. Laurent. Iustinian. Ser. de Assumpt. tunc illi filium loquutum fuisse, & dixisse. Veni mater verbi, & singulariter benedicta patris, & paratum tibi ab origine mundi percipe thronum. Me quidem suscepisti in te: concepisti & genuisti de te, tuo me lacte nutriuisti, mihi piæ deuotionis affectu, humanitatis obsequia præbuisti, tuæque mentis templum impolluto decore seruasti. Quare & tu ingredere nunc in vnici tui gaudium: agnosce quem peperisti filium: contemplare Diuinitatis meæ gloriam, & humanitatis quam abs te habui ineffabilem gratiam; thronum paratum conscende, coronam gemmis ornatam suscipe, stolaque immortalitatis te indue, vt meritò sublimeris in me, quæ me præcipuo dilexisti charitatis affectu. Et quidem volo, vt vbi ego, ibi & tu, eademq; gloria fruaris. hæc ille. Iam hyems transiit, imber abiit & recessit. Surge amica mea & veni. Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas, intra in gaudium Domini tui. O immensum & admirabile gaudium! ô inenarrabilem iubilationem! ô augustum ac ineffabilem introitum! ô quàm iucundum & gratum cunctis astantibus erat, mutua contemplari oscula & audire colloquia sponsi & sponsæ, matrisque & filij! Cùm illi filius ac sponsus dicebat: Veni de Libano, & coronaberis. Tota pulchra es amica mea, mater mea, & macula non est in te. Cui etiam statim illa dicebat: Ecce venio, quia in capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui. Ecce igitur A venio ad te, in voluntate enim tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Magnificat anima mea Dominum.

Si Bersabee mater Salomonis conferens se ad eum post mortē Dauid, tam gloriosè & magnificè ab illo excepta est, vt obuiam ei procedens, & adorans eam, in throno collocauerit ad dexteram suam astantibus cunctis suis Aulicis. Quanto quæso maiori honore & gloria putamus electam virginem fuisse ad filij sui dexteram veri Salomonis, cùm ad eum hodie assumpta est? Hoc minimè dici & explicari potest. Ita enim magnificè & honorificè B est excepta, vt thronum suum prope thronum filij sui habuerit exaltata Sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna. Sicque eam euntem supra ipsos aspiciebant collaudantes Dominum, vt cum admiratione dicerent omnes: Quæ est ista quæ progreditur? Hæc est quæ nesciuit torum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Hæc est lætitia Israël, gloria Hierusalem, honorificentia populi nostri: hæc est verbi mater, & animarum Diuinitatis templum. Digna fuit planè quam respiceret Dominus, cuius decorem concupisceret Rex, C & consedere ad dexteram suam faceret. Ita est ô felicissima virgo: ita est cunctis veneranda mater. Gaude itaque & fruere filij tui in æternum gaudiis. Tibi hodie congratulamur omnes, simulque cœli & terra collætantur. Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli, collaudantes benedicunt Dominum in sæcula sæculorum.

3. Reg. 2.

Laus Deo & Virgini Deiparæ.

FESTA SOLEMNIA
SANCTORVM.



FESTA SOLEMNIA SANCTORVM.

DE NATIVITATE, LAVDIBVS, ET prærogatiuis Sancti Iohannis Baptiſtæ.

Quis, putas, puer iſte erit ? Luc. 1.



NIMIS honoratus eſt puer, qui hodie altiſſimi Propheta natus eſt, quem honorare ſuper omnes, terque elogiis, laudibus, & prærogatiuis ſublimare Chriſtus IESVS dignatus eſt. 1.Cor.10. *Non qui ſeipſum commendat*, inquiebat Paulus, *ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*. Idipſum ſentiebat de hominum iudicio, cùm loquens de ſemetipſo, iterum dicebat: 1.Cor.4. *Mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer; qui me iudicat, Dominus eſt.* Sanctus Iohannes ante & poſt natiuitatem à multis quidem magnius iudicatus eſt, & digniſſimis laudibus commendatus. Angelus celſo veniens Olympo, Gabriel, hunc patri magnum fore naſciturum nuntiauit, cui etiam ſtatim nomen eius, & vitæ ſeriem gerendæ ordine promit. *Ab Angelo ante natiuitatem Iohãnes prædicatur magnus.* Cùm enim Zacharias ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum, & fuiſſet ingreſſus in Templum Domini, vt oraret, & incenſum poneret, in ipſa hora apparuit illi Angelus ſtans à dextris altaris incenſi, qui dixit illi: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua; vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Iohannem, & erit tibi gaudium: & præterea multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ, & multos filiorum Iſraël conuertet ad Dominum, ante quem & ipſe præcedet in ſpiritu & virtute Eliæ.

Ecce quantum ipſum commendauit Angelus ante ortum, poſtquam verò natus eſt, videamus quanti fecerint omnes. Eliſabeth autem, inquit Euangeliſta, vt impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium, mirati ſunt vniuerſi. *In natiuitate ab omnibus magnus prædicatur.* Et factus eſt timor ſuper omnes, & ſuper omnia montana Iudææ diuulgabantur verba hæc, & iudicabant eſſe manum Domini: & poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo dicentes; Quis, putas, puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Vtique manus Domini eſt Iohannes, qui in ſtatu gratiæ, primum & excellentiſſimum opus ad extrà Chriſti

A eſt. In ſinu Dei patris fecit Adam, & in vtero virginis matris Iohannem. Videte quæſo opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram. In altitudine paternæ gloriæ, hominem fecit qui à gratia & iuſtitia defecit: in humilitate verò vteri materni, hominem qui ſemper in iuſtitia, ſpiritu, & gratia creuit. Puer autem creſcebat, & confortabatur in ſpiritu. Adam primò formatus ad ſimilitudinem Dei, propterea dictus eſt præ cæteris manus Dei. Ita S. Iohannes ad hanc ſimilitudinem reformatus, &, vt videtur, ex priuilegio primus, per ſpiritum, & gratiam IESV Chriſti, etiam ſingulariter dicitur manus Chriſti. *Iohãnes manus Chriſti dicitur.* Sic titulus quem ſibi erexerat Abſalom cùm adhuc viueret, in valle Regis, 2.Reg.18. (ſecundum Ioſephum) pulcherrima imago de mar- B 7.Antiquit. more, facta ad ſimilitudinem Abſalonis, nomine ſuo appellatur manus Abſalonis, &c. Hoc erit in monimentum nominis mei, inquit; vocauitque titulum, (imaginem & ſimilitudinem ſuam) nomine ſuo: & appellatur manus Abſalom vſque ad hanc diem. Nuncque adhuc mos iſte inualuit, vt præſtantiſſima opera nomen ferant authoris, dicántque qui vident aliquam tabellam egregiè factam, manus eſt talis artificis. Hoc equidem ſæpius in vſu eſt.

Ita igitur de Iohanne iure optimo poteſt dici, quod ſit manus Chriſti, tùm quia primus eſt, qui priuilegio ſpeciali adhuc in vtero matris, ſpiritum C Chriſti, donum gratiæ & diuinæ ſimilitudinis recepit, tum quia etiam opus eius ſingulare eſt, eximium, & prorſus admirabile. Quare cùm natus eſt, hac ſtatim laude, admiratione & clamore populi exceptus eſt, dicentis: Quis, putas, puer iſte erit? Iſte prodigiorum puer, conceptus oraculo, ſed maiori miraculo natus, qui ſpiritu exultauit in vtero, & naſcendo repleuit vniuerſum gaudio. Qui dum concipitur mutum reddidit patrem promiſſi dubium ſuperni, ſed reformauit genitus peremptæ organa vocis. Qui denique Spiritu ſancto repletus, & patrem & matrem eodem repleuit, vt dicat omnis populus laudem iſtam Deo, qui talia viderit: Quis, putas, puer iſte erit? pluſquàm homo, qui inter natos mulierum ſurrexit maior: pluſquàm

Propheta,

Propheta,qui erit Angelus in terra. Quod nouum & inusitatum est rapit in admirationem,admiratio verò in perquisitionem. Sic filij Israël in deserto cùm viderent manna cadere de cœlo in terram, dicebant admirantes, Manhu? quid est hoc?Ignorabant enim quid esset. Quibus Moyses: Panis est quem vobis Dominus dedit ad vescendum. Sic hodie nato per miraculum Sancto Iohanne ex sterilitate parentum, & quasi nouo prodigio adueniente de cœlo in montana Iudææ, mirati sunt vniuersi,timorque factus est super omnes dicentes adinuicem, Manhu? Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Tali laude & admiratione commendata est à plebe natiuitas Iohannis.

Exod.16.

Sed videamus etiam quibus ipsum laudibus prosequatur Zacharias pater eius. Repletus Spiritu sancto prophetauit dicens: Benedictus Dominus Deus Israël,quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Vnde statim ad natum se conuertens:Et tu puer, inquit, Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis, &c.Pater filium maiorem se laudat, Sacerdos Altissimi Prophetam, præcursorem Christi. Sed non satis fuisset,si eius laudibus Euangelium defuisset:vbi dicitur homo missus à Deo, vt testimoniũ perhiberet de lumine Christo: vbi baptista Christi agnoscitur:vbi lucerna ardens & lucens prædicatur. Verùm quod super omnia ipsum commendat, illa præsertim commendatio est ex proprio ore Christi.Quem Deus commendat,ille probatus est,dicit Apostolus. Qui iudicat me,Dominus est. Qui Iohannem commendauit,approbauit,magnum iudicauit, & fecit,Deus est,Dominus est, Christus est. Cœpit IESVS dicere ad turbas de Iohanne. Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? hominem mollibus vestitum? Prophetam? Dico vobis plusquàm Prophetam,inter natos mulierum maiorem.Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam,qui præparabit viam tuam ante te.

Ioh.1. *Laus Iohannis in Euangelio.*

Iohãnes magnus prædicatur à Christo. *Matth.11.*

Ecce quibus laudibus extollit eum Dei filius. Plusquàm hominem, & plusquàm Prophetam prædicat, quem Angelum appellat. Plusquàm homo est,qui antequam natus sit,renatus est,qui priùs hausit spiraculum gratiæ, quàm vitæ, priùs vsum attigit rationis, quàm cursum & conditionem temporis. Denique priùs natus est Deo,quàm sibi. Plusquàm Propheta est, qui Propheta natus est,& Propheta Altissimi:propiùs,& plus cæteris in Diuinitate vidit. Cæteri tantùm à longè viderunt in spiritu & in ænigmate absentem & futurum: hic verò ante faciem præiuit parare vias eius, viditque adhuc in vtero, quem postea digito omnibus demonstrauit in deserto. Vidit,& testimonium de lumine perhibuit, quod patrem agnouerat in filio, cuius vocem audierat de cœlo: Spiritum sanctum super eum descendentem sicut Columbam viderat;&, ipsum filium in humanitatis specie,ante faciem cuius vt amicus,contemplator & testis præibat. Moyses cum Deo vt amicus cum amico loquutus est, minimè tamen videre potuit faciem eius: sed Iohannes vt fidelis amicus sponsi faciem eius vidit, imò & eam demonstrauit aliis. Dicam amplius,vt Angelus Dei,astitit coram eius filio,& missus est ante eum parare vias eius. Non mirum igitur est, si tot in natiuitate ipsius prodigia aduenerunt.Etenim manus Domini erat cum illo.Verè cum illo manus Domini erat, cum illo in natiui-

Exod.33.

A tate,cum illo in vita, & cum illo in morte. In tribus istis cum laudibus inueniuntur prærogatiuæ Sancti Iohannis.

Prærogatiuæ S.Iohannis.

Primò autem in natiuitate multæ sunt. Omniumque prima est quod sit Sanctus IESV Christi in Maria:quod eius sanctitas & superexcellens natiuitas ad Christum pertineat & referatur natum in Maria: in illa denique communicatione magna & largitione gratiarum Christi, quam habuit per ipsum. Nam sicut effectus primi altissimarum & supremarum causarum multo sunt nobiliores & excellentiores cæteris: ita credendum est gratiam illam & sanctificationem primam, qua Christus ex priuilegio animam huius pueri decorauit, primam dico quam ad extrà mundo exhibuit, fuisse abundantantissimam & excellentissimam. In Deo duplex operatio dignoscitur,vna ad intrà,& altera ad extrà.Sic in Christo duplex erat. Interior vna & immanens animæ, quæ latebat & minimè apparebat. Exterior altera, quam extra se producebat. Talis autem fuit sanctificatio Iohannis, quæ quidem prima actio fuit, quam extra se in mundo exercuit. Et sic prærogatiua singulari potest dici primum opus non quidem creationis, sed gratiæ & sanctificationis IESV Christi: & sic omnium maximum, vtpote quod de plenitudine Christi primitias spiritus accepit. Hincque sumptum est nomen eius Iohannes, quod significat, cui donatum est, donum, gratiam, & misericordiam Dei.

1. Magna communicatio gratiarum Christi facta Iohanni.

Comparatio.

B

In Christo ut in Deo duplex operatio.

C

Quid significatur nomine Iohannis.

Nomen quidem magnum & admirabile,in quo etiam meritò secũda prærogatiua esse potest. Hoc nomen magnum est, & puerum commendat tribus modis. Primò, ex impositione. Ab Angelo enim antequam nasceretur,imò & conciperetur,ei prænunciatum & impositum est.Quæ animaduersio non parui est ponderis. Ita enim de nomine IESV accidit,quod postea impositum est filio Dei. Secundò, approbatum & commendatum miraculo. Cùm enim illud in tabella descripsisset Zacharias, qui antea ob incredulitatem fuerat mutus, apertum est illicò os eius,& lingua eius,& loquebatur benedicens Deum, repletusque Spiritu sancto prophetauit dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, &c. Tertiò denique significatione sua valde est commendabile. Nam,vt diximus,significat,cui donatum est, (sine limitatione, non definiendo quid, aut quantum) Deus dedit, gratis dedit,Deus misertus est; vtique quia non naturæ viribus habuerunt parentes: sed eis ex misericordia Dei donatus est. Denique abundantiam gratiarum significat;vnde etiam dicitur quod ab vtero Spiritu sancto repletus est. De Ieremia legitur quod fuerit sanctificatus, sed non repletus. Iohannes verò & sanctificatus est,& repletus: vt in eo simul cum sanctificatione plenitudo denotetur gratiæ, qua quidem omnes etiam Apostolos anteiuit. Licet enim illi in die Pentecostes plenitudinem Spiritussancti acceperint: iste tamen ex priuilegio ab vtero dicitur repletus; vnde & nomen tale habuit,quod indicaret,& diceret plenitudinem gratiæ Dei.Nomen habet, sed penitus conueniens sibi,qui tempore gratiæ mundo apparuit.Ipse enim fuit Orizon legis & gratiæ, finis vnius,& initium alterius. Lex & Prophetæ vsque ad Iohannem,dixit Dominus, & à diebus eius regnum cœlorum vim patitur. Denique tale nomen habuit propter dignitatem & efficaciam eiusdem gratiæ quam primus prædicauit,videlicet,baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum,& acquisitionem gloriæ.

2. Prærogatiua in nomine.

Nominis commendatio tribus modis.

D

E

S. Iohannes nomen sibi conueniens habuit.

Matth.11.

Matth. 3. gloriæ. *Pænitentiam agite*, inquiebat, *& appropinquabit vobis regnum Dei.* Sed maximè adhuc hoc nomen meruit ex eo quod authorem gratiæ mundo declarauit, digito ostendit, ante faciem præiuit, & parauit vias eius.

Hæ quidem rationes fuerunt cur etiam ab Angelo dictum est; Et multi in natiuitate eius gaudebunt. Et ipse priùs ad vocem salutationis Mariæ præ gaudio exultauit infans in vtero, repletusque est Spiritu sancto, Dominum suum in vtero adhuc videns ex vtero. Atque in hoc tertia est prærogatiua Iohannis. Triplex miseria est cum qua nascimur omnes. Miseria peccati, ignorantiæ, & fletus. De prima Iob dicebat: *Nemo mundus à sorde, nec infans vnius diei super terram.* Quilibet enim in peccato conceptus, nascitur peccator: ita vt Apostolus dixerit, quod omnes nascimur filij iræ. Iohannes autem adhuc in vtero Spiritu sancto repletus, natus est puer gratiæ. Secunda miseria ignorantia est boni, cum qua omnes nascimur. Ipse verò vnctus est ab vtero in Prophetam Altissimi, omnemque scientiam edoctus, Christum & matrem cognouit, suæque matri Dominum & Dominam indicauit. Vnde S. Aug. Cœlum & terram nondum viderat, & Dominum cœli & terræ cognouit, & antè fuit suæ matris magister quàm filius eius, & priùs ipsam edocuit, quàm ipsa eum lactauit. Tertia miseria est quod flentes nascimur. Ille verò puer adhuc in vtero exultauit præ gaudio, natusque gaudium attulit vniuerso mundo. Patri attulit & matri, viciais qui audierunt, exultauerũt, & qui talia posuerunt in cordibus suis. Et multi adhuc in natiuitate eius gaudebunt. Ipse est enim Isaac qui hodie cum risu parentum pro consolatione omnium natus est. Ille Samuel Propheta Domini, qui in natiuitate sua meruit vt exultationis canticum cantaretur Domino.

3. Prærogatiua in natiuitate Iohannis. Triplex miseria cum qua homo nascitur.

S. August.

Pulchra quidem & conueniens relatio est & cõparatio duorum horum infantium cum natiuitate Iohannis. Ambo enim per prædictionem de parẽtibus nati sunt sterilibus, & iam ætate prouectis. Isaac, cui facta est promissio benedictionis terræ; Isaac risus parentum, & gaudium cunctarum gentium, de Sara iam nonagenaria natus est, quæ dixit cùm peperit: Risum fecit mihi Dominus, & quicunque audierit, corridebit mihi. Quis enim crederet quod Sara lactaret filium Abrahæ, quem peperit ei iam seni? (erat enim centum annorũ.) Vnde & ipsum vocauit Isaac, id est, risum, puerum lætitiæ, & consolationis. Ita nunc de Iohanne puero gratiæ, nato de Elisabeth sterili, & quæ etiam cum Zacharia processerat in diebus suis, vt audierunt vicini & cognati quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, corridebant, & congratulabantur ei; factumque est vt mater dixerit, pater verò scripserit, Iohannes est nomen eius. Gaudij puer est & gratiæ: Deus dedit, misertus est. Et multi in natiuitate eius gaudebunt. Exultauit infans in vtero meo; & simul cum eo exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Hæc dicebat mater, quãdo postea pater, suo exultante spiritu, canticum suum cecinit Domino dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redẽptionẽ plebis suæ.

Figura natiuitatis Iohannis.

Gen. 21.

Similia quidem adhuc in natiuitate alterius audita sunt, videlicet magni Prophetæ Samuëlis, qui de altera sterili natus, Anna scilicet vxore Elcanæ, sic matrem est consolatus, vt statim illa etiam hoc canticum exultationis cantauerit Domino. Exultauit cor meum in Domino. Non est fortis sicut

Reg. 1.

A Deus noster, sterilis peperit plurimos. Plurimos dicit, quia puer eiusmodi, tali modo & priuilegio natus, superexcellit quidem & supereminet multis. Verùm inter omnes talis fuit S. Iohannes, cuius quidem in natiuitate prærogatiuæ fuere maiores. Nam & manus Dei erat cum illo: erat, & fuit adhuc dum viuebat. Vita enim eius à natiuitate minimè discrepat in donis, prærogatiuis gratiarum, & priuilegiis. Hoc rursum videamus, & quomodo manus Dei erat cum illo in vita.

Manus Dei cum Iohanne in vita.

Domus eius amplissima, erat solitudo: vestis cilicium: potus aqua: panis & cibus, mel syluestre & locusta: deliciæ austeritas: consortium bestiæ: sermo pœnitentia. Adeò vt aliquando dixerit interrogantibus se: Ego vox clamantis in deserto. Sed B in vno adhuc amplius manum Dei cum illo fuisse videamus, in illa nimirum subtractione & priuatione IESV Christi in deserto, quam triginta annorum spatio patienter & fortiter sustinuit. Illa enim maxima fuit & asperrima eius pœnitentia. Desertum, cilicium, potus cibique parcitas, in huiusce comparatione priuationis, nihil erant. IESVM cognoscebat, amore præcipuo amabat, & plusquàm omnes Patriarchæ, & Prophetæ videre cupiebat. Et tamen voluit Deus secundum propositum voluntatis suæ, vt hac dulci consolatione toto illo tempore, spatio videlicet triginta annorum, priuaretur. Magna quidem illa fuit pœnitentia in vita Iohannis, magnus rigor in tam longo C decursu & interuallo temporis. Sed non minima etiam in eo prærogatiua amoris. Etenim manus Dei erat cum illo.

Si autem illa manus Dei in vita; vt in natiuitate cum Iohanne fuit, etiam & in morte cum prærogatiua fuisse eam videbimus, quando mortem sustinens pro defensione iustitiæ, præiuit ante faciem Domini parare viam mortis eius. Triplex fuit via Christi. Prima Incarnationis. Et præiuit Iohannes, eàmque Domino præparauit, cùm virgini in exemplum ab Angelo adductus est. Secunda via fuit prædicationis. Et præiuit Iohannes pœnitentiam prædicans. Tertia fuit mortis. Et præiuit Iohannes, suoque Domino præparauit, quando innocens & D pro iustitia moriens ante Christum, descendit ad limbos, & annuntiauit patribus aduentum Saluatoris, & captiuis indulgentiam. Ecce igitur quomodo manus Dei erat cum illo, in natiuitate, vita, & morte; natusque est vt vbique scientiam daret salutis.

Prærogatiua Iohannis, & manus Dei cum illo in morte. Triplex via Christi, quã Iohãnes præparauit.

DE EXCELLENTI magnitudine S. Iohannis.

Quis, putas, puer iste erit? Erit magnus coram Domino. Luc. 1.

E FELICITER natus est S. Iohannes, puer gratiæ, Propheta Altissimi, & præcursor IESV Christi. Gratia natiuitatem eius operata est, & omnis natura admiratur dicens: Quis, putas, puer iste erit? Non soli sunt vicini Zachariæ, cognati eius & amici habitantes montana Iudææ, qui in istam admirationem rapiuntur, sed etiam totius huius vniuersi incolæ. Nam vnumquemque talis natiuitas vrget scire & quærere: Quis, putas, puer iste erit? Verùm cum Isaia dicam hodie; Brachium Domini cui reuelatum est? Captum nostrum superat puer iste. Nam & manus Dei cum illo est. *Isa. 53.*

Non coram hominibus magnus est, vt ad eum oculos attollant & mirentur. Erit enim magnus coram Domino, dicit Angelus. Quis ad eum attingere poterit? Magna est Dei manus, huiusque manus magnum opus, magnus est Iohannes. Magnus Dominus, & ille certè magnus qui coram Domino magnus est, vt Sanctus Iohannes. Manus Dei erat cum illo: & hæc manus magnum eum fecit, quia coram eo est magnus. O magnitudinem Iohannis! Multi sunt magni in oculis suis, & coram seruis. Iohannes verò fuit, & semper erit magnus coram Domino. Multi, vt Alexander, Cæsar & Pompeius, magni quidem fuere coram hominibus. Sed quænam quæso in illis est magnitudo, illius respectu qui fuit, est, & erit semper magnus coram Domino? Quàm ille magnus fuerit, ait Beda, ille solus insinuat qui magnitudinem eius donauit; & nouit Dominus, cùm dixit: Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista. Similiter verbis istis insinuauit Angelus: Magnus erit coram Domino.

Discrimē inter magnitudinem Iohānis & aliorū. Beda hom. de Iohan.

Metaphrast. *Similitudo.*

Illa autem apud Metaphrastem per Theodorum Studitam similitudo datur. Quomodo, inquit, Rex aliquis regaliter procedens ex regia, habet primùm quosdam præcedentes, qui virgas ferunt, & quosdam qui sceptra gestant, deinde Consules & ductores ordinum: postremum autem quemdam maiori dignitate præditum, post quem statim Rex apparet nullo interiecto. Sic Rege Christo per carnem ingressuro in orbem, quidam Patriarchæ præcesserunt, deinde vniuersa turba Prophetarum, & alij ordinum ductores; vltimus autem extitit manifestus Iohannes, magnus coram Domino, & statim Rex & Dominus IESVS Christus. Et sic qui erat vltimus ordine, maior factus est dignitate; quia coram Domino magnus erat, nulloque interposito præibat ante faciem eius. Vtique & verè magnus est Iohannes.

Duplex magnitudo.

Duplex est magnitudo; vna coram homine, altera coram Deo: vna fallax, & altera vera est. Quæ sunt extra nos, apparenter magnum quid faciunt coram hominibus; & hæc falsa sunt. Seneca de tali fallaci magnitudine dicebat: Domum pulchram habet, & multum fœnerat. Nihil horum in ipso est; sed extra, & hæc magnum efficiunt: fallax & vana magnitudo. A Rege sceptrum, coronam, purpuram, aurum & argentum, satellites, cæteraque bona externa tolle, quæ illum attollunt, ex magno efficies paruum, ex maximo minimum. Filij hominum vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Scitote quia mirificauit Dominus Sanctum suum, scilicet Iohannem, quem coram se fecit magnum. Conuertite quæso in Sanctum istum oculos vestros, & scitote quod hæc quæ apparent bona, solùm apparenter hominem magnum efficiunt, & non in veritate. Sanctus verò Iohannes non coram hominibus, sed coram Deo magnus est. Dicat Rex terræ coram Deo: Proiectus sum à facie oculorum tuorum, & in veritate tua humiliasti me. Dicat Princeps similiter, Dux, Marchio, Prorex, Præses, & Consul, Imperator, sicut arator. Omnes gentes, dicit Isaias, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt. Vtique ille solus magnus est, qui coram Deo magnus est. Sicut è contrà ille in veritate est minimus, qui solùm magnus est coram hominibus.

Magnitudo coram hominibus fallax. Senec. ep. 41.

Psal. 4.

Isa. 40.

Olim falsò magni nomen homines imponebant Cæsaribus: fallebant, & fallebantur illi; mors melior erit magistra veritatis, quæ Reges æquabit pauperib. & subditis; & cùm hæc omnia bona apparentia subtrahet, in puluerē eumdē corpora omnium rediget, & omnem gloriam in nihilum; vt expergefacti de somno suo dicant, qui sic dormierunt in lectulo vanitatis: Ergo errauimus à via veritatis, lumènque iustitiæ non illuxit nobis. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt illa omnia tanquam vmbræ. Sic equidem dormierunt somnum suum omnes viri diuitiarum, & nihi inuenerunt in manibus suis, cùm de somno surrexerunt. Vidi impium, id est, potentem, superexaltatum, (ecce qualitas potentis & diuitis in Scriptura sacra) transiui, & ecce non erat.

Sap. 5.

Ecce quid sit esse magnum coram hominibus. Illud ipsum quidem, penitus non esse, aut nihilum coram esse, quod est Deus. Sciamus neminem esse & existere propriè nisi Deum; & nihil præterea subsistere, existere & esse in se, nisi in Deo hæc omnia habeat. In ipso enim, vt dixit Apostolus, viuimus, mouemur & sumus. Omnia enim Deus, & omnia in ipso constant; vnde qui non est in ipso, pro nihilo est & nihil est. Illa etiam est ratio cur egregiè falluntur qui in opinione propria, aut aliena gloriantur, & magni apparere volunt coram hominibus, cùm nihil sint, sicut dicit Apostolus: *Qui putat se aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit, & veritas in eo non est.* Huc referam quod dicere solebat sanctissima Catharina Genuensis, videlicet, omne quod apparet & visibile est, non esse; tantùm est, quod est, nempe Deus, in quo omne esse verum consistit. Item, (licet hoc paradoxum videatur) ambitionem in cœlo manere, & humilitatem in Inferno; intelligendo per ambitionem, veram magnitudinem, quæ minimè in terra est, & coram hominibus, sed in cœlis, & coram Deo: per humilitatem verò, affectionem inordinatam positam in creatis, vilibus, exiguis, hominumque cogitatione indignis, & nequaquam habentibus in se verum esse, veramque magnitudinem hominis. Vnde dicebat illa. Si iuxta naturam tuam magna vis quærere, illa in cœlo & coram Deo quære, vbi ambitio licita est, non verò in vanis, atque coram hominibus: alioquin humilitas tua, & tua talis abiectio damnabitur, id est, talia sectando, vsque ad inferna humiliaberis, efficierisque abominabilis, sicut ea quæ dilexisti & quæsisti in terra.

Nulli nisi Deo esse conuenire potest.

Act. 17.

S. Cathar. Genuensis lib. vitæ c. 14.

Sententia admirabilis.

O qualem confusionem, & qualem dolorem, cùm ille generosus animus, & tantùm ad magna & maxima creatus, videbit se sic deiectum in æternum à gloria, & humiliatum in tormentis! Tunc videbit, quod dum in mundo erat, somnum dormiebat, & quod certè, non verè, sed coram hominibus, & tantùm apparenter diues erat & magnus. Videbit, quod omnia vanitas præter amorem & gratiam Dei. Quod quæ videntur omnia, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. Et quia ab istis ad illa transeundum erat, in quorum quidem expectatione & possessione nostra est magnitudo vera. Experto credamus simul sapienti & Regi. Ille est Salomon filius Dauid, & cui nihil desiderabilium vnquam defuit. Quomodo igitur de semetipso loquatur, audiamus. Magnificaui, inquit, opera mea: ædificaui mihi domos & hortos feci: possedi seruos & ancillas, multamque familiam habui: coaceruaui mihi aurum, argentum, & substantias Regum: feci mihi cantores, & omnes delicias hominum, & omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur,

Omnia vanitas præter possessionem Dei. Eccles. 2.

retur, & oblectaret se in his quæ præparaueram. A Cúmque me conuertissem ad vniuersa, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem spiritus. Hic certè Rex magnus erat, & coram hominibus magnus, cui nihil omnino deerat, non Regnum, non honores, non diuitiæ, non deliciæ. Interim videt in omnibus vanitatem, & quia ex istis magnus non est. O quàm antea verè & sapienter Dauid dixerat pater eius: *Quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terram Deus cordis mei, & pars mea in æternum?* Ecce vbi vera magnitudo, in Deo & coram Deo eam habere, non coram creaturis, nec in illis, &c.

Psal. 72.

2. Magnitudo quæ est coram Deo, & in quo cõsistit.

Secunda igitur ista est, vera & sola, quæ non externis bonis constat, sed internis & quæ inhærent B animo; non apparentibus & falsis, sed veris & æternis. Ecce dico in quibus consistit magnitudo coram Deo. Talem autem Iohannes habuit, qui coram Domino magnus erat ex ore atque oraculo Angeli. Sed qua magnitudine magnus? vtique animi, & non corporis: virtutis, non vanitatis, non peccati, sed gratiæ Dei. Peccatum, inquit Origenes, hominem facit paruum, & exiguum; virtus eminentem præstat & magnum. Talis fuit Iohannes coram Domino magnus, virtutis magnitudine, gratiæ & veritatis; denique charitate magnus. Hac mensura omnes animas æstimat S. Bern. Quantitas cuiusque animæ, inquit, æstimatur de mensura charitatis quam habet. Ita vt quæ multum charitatis habet, magna sit; quæ parum, parua: quæ verò nihil, nihil sit, Apostolo dicente: Si charitatem non habuero, nihil sum.

Qua magnitudine magnus Iohãnes fuit.

Origen. hom. 12. in Leuit.

S. Bern. Ser. 27. in Cant.

1 Cor. 13.

Charitas mensura est omnis magnitudinis.

O quanta igitur & quàm immensa huius pueri anima erat, quæ Spiritu sancto omnis gratiæ & charitatis authore plena erat! hæc fuit mensura magnitudinis eius. Vnde etiam postquam dixit Angelus: Erit magnus coram Domino; subdit, & replebitur Spiritu sancto adhuc ex vtero matris. Omnis gloria eius ab intus, non autem ab externorum apparentia: fide splendescebat, spe attollebatur, charitate flagrabat, puritate nitebat, mirabili abstinentia lucebat, paupertate diues erat, solitudine crescebat & confortabatur, & D omnium virtutum incremento magnus erat coram Domino. Exterioribus oculis & corporeis videbatur paruus, vel etiam minimus; sed omnis gloria eius ab intus, vbi est vera magnitudo & gloria. Interim in fimbriis aureis circumdatus varietate erat. Quod enim adhuc exteriùs apparebat, aureum erat, & magnum coram Domino. Non palatium, aut domus opulenta, sed ampla solitudo: non vestes pretiosæ, sed pili camelorum: non exquisitæ epulæ, sed locustæ, aut mel syluestre: non vinum & sicera, sed nitida aqua: non copia famulorum, sed bestiarum, sed dicamus potiùs Angelorum, quia magnus erat famulus coram Domino omnium beatorum & superE norum spirituum. Magnus inquam coram Domino famulus, quia iuxta Angeli oraculum, multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Hoc eius officium est & scopus prædicationis, corda conuertere ad Christum, & de eo testimonium perhibere: præire ante faciem Domini, & parare vias eius. Vnde ab Euangelista dicitur homo missus à Deo, scilicet vt testimonium perhiberet de Christo, & daret mundo scientiam salutis, vt dicebat Zacharias pater eius. Certè magnus ille Doctor erat, qui hanc scientiam dabat: sed maximus qui eam priùs in praxim redigebat.

Officium & scopus prædicationis Iohannis.

Ioh. 1.

Scire autem vultis quænam erat scientia ista? Pœnitentia; vtique scientia est & doctrina salutis, per quam ad regnum cœlorum peruenitur, atque ingreditur omnis. Item scientia & cognitio est Saluatoris IESV Christi. Hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te, &c. Cognitio inquam Christi, qui venit vt tollat peccata mundi. Ecce quam scientiam docet Iohannes in deserto, vt Propheta Altissimi instructus à Spiritu sancto: & qua ratione nos debemus hanc vocem audire clamantis. Audiamus ergo: sed magis adhuc nobis imitari liceat. Talis vox ad sequelam vocat & prouocat. Quid prædicat? Pœnitentiæ baptismum, & Christum. Et vos mementote quod promisistis, quo die omnes in Christo baptizati estis, renunciare Sathanæ, mundo, & operibus carnis. Abrenunciate igitur hodie omnes tenebrarum operibus, & testimonium perhibete de lumine. Nox præcessit, inquit Apostolus, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. De nostro lumine, notitia & veritate, testimonium reddamus. Fidem nostram operibus comprobemus, & quomodo verè in Christum credimus. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis, vt ad imitationem eius & cum ipso mortui peccatis, resurgant ad vitam quæ cum ipso æterna est in cœlis.

Rom. 13.

Galat. 5.

C

DE PRINCIPATV sanctissimorũ Apostolorũ Petri & Pauli, in dono & gratia potestatis & scientiæ IESV Christi.

Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis. Matt. 16.

CHRISTVS Dominus ostendere volens discipulis suis quantum diligeret eos, dixit illis: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis.* & rursum: *Cùm venerit paracletus, docebit vos omnem veritatem.* Quantum verò præ cæteris Petrum dilexerit, & maiori priuilegio ornauerit, hodie illi palàm demonstrauit, cùm ipsum beatum prædicans de reuelatione sibi facta à patre, exinde statim illi largitus est iudiciariam potestatem patris, dicens illi postquam filium Dei confessus est: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. Ecce enim tua beatitudo præ cæteris, quod non solùm, vt illi, à filio, aut Spiritu sancto, de me fueris instructus & eruditus, sed etiam à patre meo; propter quod dico tibi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claues regni cœlorum, decoraberis à me potestate patris. Quodcunque solueris aut ligaueris super terram, erit solutum & ligatum in cœlis. Ecce pro confessione tua, & reuelatione de cœlis tibi facta à patre, tradita tibi in terra à filio potestas.

Ioh. 15.

Hoc quidem maioris prærogatiuæ eius signum est: in qua tamen illi Paulus adiunctus est. Omitto quod dicit Corinthiis; Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? Quia & in hoc præsertim immoror, quod

S. Paulus S. Petro in prærogatiua reuelationis adiũctus est.

quod sicut Apostolus Petrus reuelationem & notitiam filij Dei specialiter à patre accepit;sic coapostolus Paulus,in quo gloriatur ad Galatas scribens; Cùm placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ,ait illis,& vocauit per gratiam suam,vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizarem illum in Gentibus, continuò non acquieui carni. Præterquàm quod adhuc specialiter à Christo notitiam mysteriorum & scientiam omnem accepit, quando videlicet arcana illa didicit, quæ non licet homini loqui, non hic in terra, sed vsque ad tertium cœlum raptus, & inter Angelos edoctus, vt ipsemet prosequitur dicens: Notum vobis facio Euangelium quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, sed neque ab homine accepi, neque didici, sed per reuelationem IESV Christi. Vnde sicut Petrus dispensationem habuit thesauri potentiæ patris, vt per ipsum largitio fiat; sic Paulus commissum sibi sapientiæ filij thesaurum habuit, vt Ephesiis humiliter declarat dicens: Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, euangelizare inuestigabiles Christi diuitias in Gentibus, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit; vt innotescat etiam principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo IESV. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri IESV Christi, ego Paulus vinctus Christi IESV. Si tamen audistis dispensationem huius gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis, quoniam secundum reuelationem notum mihi hoc factum est sacramentum, quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc per Euangelium, cuius factus sum minister, secundum donum gratiæ Dei quæ data est mihi.

Galat. 1.

Ephes 3.

Exinde igitur dictum est vni: Quodcunque solueris erit solutum. Alteri verò, seu potiùs Ananiæ de illo: Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus & Regibus, &c. Adeò vt sicut intrare nemo potest in thesauros sapientiæ & scientiæ Dei, nisi per doctrinam Apostoli Pauli, cui gratia hæc data est: ita in thesauros potentiæ patris nemo possit intrare, nisi per claues & potestatem Petri. Hæc enim omnia condita sunt apud illos, & signata in eorum thesauris. Duo isti sunt thesaurarij magni diuitiarum Ecclesiæ, principes à Deo constituti super omnem terram, & omnium distributioni gratiarum singulariter ordinati atque præpositi, Petrus Apostolus, & coapostolus eius Paulus. Ille custos & distributor potestatis clauium: iste verò scientiæ mysteriorum. Vtrique clauis data est: scientiæ Paulo: potentiæ Petro. Paulus docet, Petrus ligandi atque soluendi pontificium habet.

Act. 9.

Sciendum enim in Ecclesia duplicem esse clauem. Vna est & prima potestas illa ligandi collata Petro, & per eum cæteris. Altera & secunda potestas discernendi, id est, potestas seu authoritas vtendi scientia ad discernendum. Quam vtique scientiam à Sancto Paulo Apostolo doctore gentium accipimus: sicut à Sancto Petro pastore omnium, potestatem in vtrumque simul, id est,& ad ligandum,& ad discernendum; cùm illi præsertim dictum sit post fidei suæ confessionem,à Domino; Et ego dico tibi quia super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues. Claues dixit, & non tantùm vnam. Tibi dabo, & (tuis successoribus.) Vtique quia eius confessio non tantùm sua erat, sed simul confessio aliorum. Interim, tibi, dixit, quia Cephas, id est, caput erat Ecclesiæ, princeps pastorum, pastorum agnorum simul & ouium.

Duplex clauis in Ecclesia.

Ioh. 21.

Sed quomodo, inquies, illa clauis aperiendi cœlum per remissionem peccatorum Petro data est, & cum illo cæteris? cùm de Christo dicat Isaias: Dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & dicat in Apocal. Iohannes, quod non fuit ostium apertum nisi per ipsum. Item quod nemo librum aperire poterat, & soluere signacula eius, nisi Agnus. Denique referatur in Euangelio: Quis est qui peccata dimittit, nisi solus Deus? Propterea sciendum, claudi cœlum duobus modis. Quibusdam in æternum, & hoc modo, pro iis non datur clauis. Aliis verò ad tempus, & pro illis datur: vt si quis in præsenti peccat tempore, vbi est pœnitentiæ locus & veniæ, clauis datur, vt cœlum clausum aperiatur. Quo posito, iam sciendum duplicem illam esse clauem potestatis. Vna est quæ dicitur authoritatis, quæ in solo Deo est, quomodo suprà allatæ scripturæ intelligendæ sunt. Alia verò est administrationis huiusce collatæ authoritatis, quæ Petro data est & aliis: cùm nempe illi cœlum aperiunt beneficio & ministerio Sacramentorum, in quibus est virtus Passionis IESV Christi.

Isa 22.
Apoc. 4. & 5.

Duobus modis cœlum clauditur.

Quæ clauis tradita est Petro & aliis.

Ad hunc autem vsum & effectum tria illa necessaria sunt, & concurrunt. Dispositio recta instrumenti, proportio materiæ, & virtus motoris. Opus est exemplo aliquo, vt ista explicari possint. Sera non secat, nisi sit acuta, lignum habeat, & moueatur præterea; vbi videre est dispositionem instrumenti, proportionem materiæ, & virtutem motoris. Ita dico, vt dignè & validè illa administretur concessa Ecclesiæ authoritas, requiritur primò instrumentum dispositum, videlicet pastor cui illa data est authoritas. Deinde dispositio suscipientis, pro qua tandem motus ille à virtute diuinæ in se potestatis ligat vel absoluit.

Tria requisita vt per ministrum Ecclesiæ cœlū aperiatur.

Sed cuiusnam merito & fidei concessa est illa cœlestis authoritas? Petri, super quem etiam Ecclesia in æternum fundata est. Cuiusque adhuc caput & princeps esse meruit, & hoc triplici ratione. Prima fuit humilitatis. Cùm enim in solo verbo Christi capturam tot piscium vidisset, qui antea per totam noctem laborans nihil ceperat, indeque stupore & humilitate plenus, procumbens ad genua Domini IESV dixisset illi. Exi à me me Domine, quia homo peccator sum, statim audiuit: noli timere, ex hoc iam homines eris capiens,vt ostenderet futuram potestatem eius.Sicut adhuc in eius nauim ascendere voluit, docere, & facere miracula, vt constaret simul quod illi principatus Ecclesiæ conferebatur.

Triplex ratio cur Petro principatus Ecclesiæ collatus est.

Luc. 5.

Secunda fuit ardentissimæ charitatis in Christum. Cùm enim aliquando fuisset ab eo interrogatus, Simon diligis me? diligis me plus his? Domine tu scis, respondit, tu scis quia amo te. Ex quibus verbis statim dixit illi IESVS: Pasce agnos meos, pasce oues meas. Principem te constitui super omnes, tu es pastor ouium, princeps Apostolorum, tibi traditæ sunt claues regni cœlorum,verbo claudis & aperis.

Ioh. 21.

Tertia

Tertia est fidei eius, & hodiernæ confessionis. Cùm enim in partibus Cæsareæ interrogasset Iesvs discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? & dixissent illi. Alij Iohannem Baptistam; alij autem Eliam: alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Vos autem (ait) quem me esse dicitis? Vos quibus datum est nosse mysteria Dei, quibus omnia quæ audiui à patre, nota feci, qui semper mecum fuistis, doctrinam meam audistis, & mirabilia vidistis, qui estis lux mundi, & mihi adhuc in omni Iudæa & Samaria testes eritis, quem me esse dicitis? Nolite errare sicut cæteri hominum. Qui enim est incredulus filio Dei, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Quem me igitur esse dicitis? Ecce Petrus respondens vt os & oraculum omnium; Tu es, inquit, filius Dei viui. Talis fuit confessio, qualis amor: incunctanter profitetur; Tu scis quia amo te, incunctanter confitetur; Tu es Christus filius Dei. In cunctis Petrus testatur & demonstrat suum feruorem in Christum. Sic olim promptus fuerat ad relinquenda retia, ad offerendum se morti ad defensionem Domini, & ad sua deflenda peccata. Sic igitur hodie subitò in confessione sua scintillas feruoris sui exteriùs promit, cùm dicit: Tu es Christus filius Dei viui. Ecce quæ fuit fides eius. Integra, quæ vtramque confitetur naturam: feruida etiam & solida, propter quam ipsum beatitudine & illa honorauit dignitate, dicens: Beatus es Simon Bar-Iona, quia pater meus reuelauit tibi; & ego dico tibi, &c.

Ioh. 3.

S Petrus Christum filium Dei confitendo, beatus est. Quare? vtique quia eius fidei confessio, eius est quæ charitate formata est, quæ per dilectionem operatur, & perfecta est. Hæc autem consistit in his tribus: vt sit in corde per firmitatem: in ore per confessionem, & in opere per iustificationem. Hæc est fides Petri, & qua omnis iustus viuit: qua denique Christus habitat in cordibus nostris. Primò igitur in corde fides debet esse, vt minimè hæsitans. *Qui hæsitat*, dicit S. Iacobus, *similis est fluctui maris qui à vento mouetur & circumfertur*. Vnde Ecclesiasticus dicit, datque væ dissolutis corde qui non credunt Deo. Corde enim creditur ad iustitiam, docet Apostolus, ore autem fit confessio ad salutem. Hinc Dominus: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coràm patre meo*. Denique consistit in opere, quæ substantia est rerum sperandarum, & sic omnium radix bonorum operum. Vnde illa est prima pars vitæ gratiæ, totiusque causa etiam vitæ residuæ. Quantum credis, ait S. Gregor. tantum speras, quantum speras, tantum amas. O, ait S. August. in Soliloquiis, væ cæcis oculis qui te æternum lumen non vident, tenebras diligunt, de tenebris ad tenebras vadunt, (de interioribus etiam ad exteriores.) Vnde hoc? quia eorum mala erant opera.

Fides perfecta in tribus consistit.

Iacob. 1.
Ecclesi. 2.
Rom. 10.
Matth. 10.
S. Gregor.
S. August.

Fides ergo perfecta, recta & charitate instructa existit in operibus. Fidem illam habebat qui dicebat: Obsecro, Domine, memento quomodo ambulauerim in veritate coram te, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim. Quia igitur hac fide Petrus Christum Dei filium confessus est, propterea ab ipso Christo beatus vocatus est. Sed beatus, quia super fidem talem & confessionem fundata est Ecclesiæ domus. Et ego dico tibi quia super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Item beatus, quia hæc est vera & Catholica fides, sine qua placere Deo impossibile est, illa quæ ex Dei reuelatione est. Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi. Illa est sola quæ de Christo est, & in Christum, quæ ipsum confitetur Deum & hominem, & de illo eiusque mysteriis reddit testimonium. Hæc fides in qua gloriatur Ecclesia, & testatur cum Sancto Petro, quoniam Iesvs est filius Dei. Tota Sancta Trinitas de eo testimonium perhibuit, & simile de eo perhibet fides nostra, fides Petri: hinc enim dicitur à patre reuelata, quia idem de filio testatur quod pater, idem quod filius, idem quod Spiritussanctus, quod scripturæ & creaturæ omnes.

4. Reg. 20.

Fides Petri laudatur in multis.

Omnia testimonium perhibent de Christo.

Ecce igitur quibus testimoniis fides nostra de Christo confirmata est. Pater in aquis, & in monte de illo testatus est, & vox de nube audita est dicens: hic est filius meus dilectus. Vnde postea dixit ipse filius: Ego autem non ab homine testimonium accipio, & testimonium maius Iohanne habeo. Alius est qui testimonium perhibet de me. Qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me, & scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me. Item perhibuit Spiritussanctus, quando in columbæ specie super eum mansit: sicut adhuc Euangelista Iohannes in sua Epistola notauit, cùm ait; Spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas. Denique filius de se, verbo & opere. Opere. Quæ enim fecit, multoties ea in testimonium producit, vt cùm in Euangelio dicit: Ipsa quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia pater misit me. & rursus: Quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Si ergo mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis quia pater in me est, & ego in patre. Item verbo, vt cùm dicit: Ego sum qui testimonium perhibeo de me, & testimonium meum verum est, quia scio vnde veni, & quò vado. Ecce ergo quomodo tres sunt qui testimonium dant in cœlo de fide nostra in Christum, pater, verbum, & Spiritussanctus; & non solùm dant in cœlo, sed etiam in terra dederunt. Item scripturæ omnes. Scrutamini illas, inquit Saluator Christus, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me: de me in Prophetis, de me in Patriarchis, de me in libris Moysi & in Psalmis. Omnes item creaturæ. Angeli, quando nato Domino facta est multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum. Cœli luminaria quæ resplenduerunt eo nascente, & moriente obscurata sunt. Terra tremuit, tenebræque super eam de cœlo factæ sunt. Vnde, ô Israël, testem inuoco aduersum te cœlum & terram. Venti, aër & mare, quæ obediunt ei, etiam testimonium suum non negauerunt ei.

Ioh. 5.
1. Ioh. 5.
Ioh. 5. & 10.
Ioh. 8.
Ioh. 5.
Luc. 2.
Deut. 3.

Ecce ergo quibus testimoniis fides nostra de Christo confirmata est. Hæc est Petri fides, & quam vniuersalis profitetur Ecclesia, quam professi sunt Centurio, Regulus, Iairus princeps Synagogæ, Samaritana, & egressa de finibus suis illa mulier Chananæa, leprosi, cæci, cæterique omnes. Quam professi sunt Apostoli omnes, qui, vt dicitur in Actis, virtute magna reddebant testimonium Resurrectionis Iesv Christi, eique fuerunt in omni Iudæa testes, & profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonẽ confirmante sequentibus signis. Martyres item in sanguine suo confessi sunt, Ignatius, Laurentius, Vincentius, Stephanus, Cęcilia, Agnes. Cõfessores, Eremitæ, & virgines, senes cũ iunioribus.

Act. 4.
Marc. 16.

Denique hodie illustri martyrio, & non ore & prædicatione solùm, duo illi sanctissimi Apostoli & principes Petrus & Paulus, qui pro confessione fidei huius admirandæ quam verbis dilatauerunt & factis, adhuc gloriosam mortem passi sunt, vt per eam transirent ad vitam, de fide ad speciem & visionem gloriæ, ad quam cum ipsis nos perducat Dominus noster IESVS Christus.

DE COMMEMORATIONE & singulari electione Sancti Pauli Apostoli.

Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & Regibus, & filijs Israël. Act. 9.

DVo sunt opera, quorum author agnoscitur IESVS Christus. Primum est naturæ, alterum gratiæ. Per ipsum, ait S. Euangelista, omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est: per ipsum, ex ipso, & in ipso omnia, dixit similiter Apostolus. Opera naturæ in ipso facta sunt vt omnium principio, iuxta quod Moyses scripsit: *In principio creauit Deus cælum, & terram*, videlicet patrem in filio. Item ex ipso orta sunt opera gratiæ, iuxta quod scribit S. Iohannes: *Gratia per Christum facta est.* Quàm autem insigne primũ sit opus, videlicet, creationis & creaturæ, ex tribus patet. Primò, ex causa efficiente, quæ est ipsa Dei bonitas, sapientia atque potentia. Secundò, ex ipso effectu, qui est ipsa bonitas Dei communicata creaturis, etiam probata ab illo, vt in Genesi legitur; vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Tertiò, ex illa insigni & notanda memoria tanti beneficij, cui etiam diem vnum consecrauit Dominus, vt maior commendatio existeret.

Ioh. 1.

Rom. 11.
Gen. 1.

Ex tribus agnoscitur dignitas operum naturæ.

Verumtamen quàm insignius, diuiniusque fuerit opus gratiæ, patet ex eo quod huic operi tantopere ipse Dei filius insudauit: quod sit splendor, & emanatio quædã Diuinitatis eius, & veluti diuinæ similitudinis participatio in anima, quod denique per eam plura Deus operatur in vna anima, si velit illa, quàm in vniuerso mundo per naturam. Heu, quanta est miseria nostra, quantumque adhuc dolere & flere peruersitatem nostram debemus, qui sæpius Deum, & nos ipsos, ob res nihili tot operationibus diuinis priuamus! Nam quot operationum Dei capax est anima vna, non dicam amplius in terra & in tempore, sed in cœlo & in æternitate? Illis tamen in æternum nos priuamus, vt demus locum vanis ac peruersis cogitationibus. Vnde etiam plerunque accidit quod sicut ager, qui plenus est spinis, & non profert nisi tribulos, à cultore deseritur, & iustè seminibus priuatur, quia nimis asper est, & difficilis, aliique faciliores inueniuntur & meliores: ita etiam gerit se erga animam Deus, deserendo eam quæ meretur deseri. Neque enim omnes in benedictione, vt Paulum, solet præuenire. Quàm autem verum sit, quod anima nostra sit veluti ager gratiæ Christi, ex eo constat, quod plus prouidentiæ Deus erga vnam animam exercet, quàm erga vniuersum mundum, vt colligitur & patet ex mysteriis creationis omnium propter istum hominem; maximè verò Incarnationis Dei, & redemptionis adhuc propter ipsum.

Dignitas gratiæ & simul animæ.

Similitudo.

Anima ager gratiæ Christi.

A

Sed quàm demum ager ille spatiosus sit, rursus ex eo cognoscitur, quod capit & comprehendit omnia, æterna, vt temporalia: omniumque seminum gratiæ est capax, quæ vult ei Christus effundere & largiri. Hodie in admiranda electione Sancti Pauli illustre & memorabile exemplum esse potest, qui cùm adhuc esset spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, etiam ab eo vas electionis factus est, vt nomen suum portaret coram gentibus & Regibus; vas quidem electionis ille, quia ad sublimitatem gratiarum electus, simul etiam ad earundem communicationem est assumptus: de persecutore fideliũ, statim factus per misericordiam & vocationem Dei Apostolus & doctor gentium. Hæc est singularis gratia ad quam electus est Paulus, tantam dixerim, vt animam eius S. Chrysostomus paradisum spiritualem appellauerit. Nihil prorsus errauerit, inquit lib. de laudibus eius, qui pratum quoddam insigne virtutum, ac paradisum spiritualem Pauli animam nuncupauerit. Quoniam enim vas electionis effectus est, largissime in eum Spiritus munus effusum est, vnde & mirabiles nobis fluuios genuit, non secundum paradisi fontem, quatuor tantùm: sed multo etiam plures, & quotidie fluentes, non terram irrigantes, sed animas hominum ad producenda virtutum germina incitantes. Quis ergo ad explicanda istius merita sermo sufficiet? Quæue lingua laudibus eius inueniatur æqualis, cùm omnia quæ sunt in hominibus bona, (percipite obsecro,) anima vna possideat, & ea cuncta plenè atque cumulatè, bona omnia dico, nec solùm hominum, sed etiam, quod est amplius, Angelorum?

B

Dignitas gratiæ & animæ Pauli.

S. Chrysost. hom. 1. de laudibus S. Pauli.

C

Hoc certè maximum est laudis genus, cùm orationis copiam virtus superat & magnitudo laudati. Omnem autem procul dubio orationem superauit magnitudo Pauli, qui Christo vas tantæ electionis fuit, vt nomen suum portaret coram populis; ostenditque ex omnibus quanta naturæ nostræ sit nobilitas, quantæque capax virtutis, vt electionis gratia ad istud portandum nomen deputemur, quod minimè vnquam concessum est Angelis. Hinc certè est quod ipsemet Apostolus scribens ad Timotheum vasis diuersis comparat homines. Discedat, inquit, ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. Cognouit enim Dominus qui sunt eius. (notanda comparatio illa est quę sequitur.) In magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed lignea & fictilia: quædam quidẽ in honorem, quædam autem in cõtumeliam. Vbi quidem ostendit Apostolus in Ecclesia, quæ, iuxta Baruch, magna est domus Dei, varietatẽ esse bonorum & malorum, atque adhuc diuersitatem inter illos. Per vasa aurea & argentea intelliguntur boni, per argentea minus boni, & per aurea meliores. Similiter per vasa lignea & fictilia intelliguntur mali, per lignea minus mali, & per fictilia peiores. Vnde etiam differentia finis & vsus ipsorum sequitur. Nam boni, vt vasa aurea & argentea, in honorem deputantur: mali verò, vt vasa fictilia & lignea, in contumeliam. Sic in Isaia dicitur, quod fraudulenti vasa pessima sunt: & in libris Sapientiæ, Cor fatui quasi vas confractum, sapientiam non tenebit, fictile est & ligneum. Qui enim contemnunt me erunt ignobiles. Igitur dicit Apostolus, si quis emundauerit se ab istis, id est, à moribus & consortio malorum, erit vas in honorem sanctificatum, vtile Domino, ad omne opus bonum paratum.

D

1. Timot. 2.

Vasis diuersis comparantur homines.

Baruch. 3.

E

Isa. 32.

Eccli. 21.

2. Timot. 2.

Ecce tria quæ ponit, & commemorat Apostolus. Primum est, quod sit consecratum & in honorem deputatum, dicente Psalmista: Nimis honorati sunt amici tui Deus. Consecratum dico & sanctificatum, Salomone dicente: *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.* Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, dicit Apostolus, vt sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione. Omnia Dei præcepta, & Christi consilia eò tendunt, vt nimirum sancti simus. Duo autem sanctitas dicit, integritatem vitæ, & firmitatem seu constantiam animi. Denique vt sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione. Vas nostrum anima nostra est, solius Dei & gratiæ capax. Et certè quod animæ nostræ aliud non sint quàm vasa quædam & capacitates, constat satis ex eo, quod nos semper aliquid occupat, sed sæpius quod nihil est: si tamen potiùs dicere liceat, quia tunc verè nos vacui sumus, cùm res illa nos occupat quæ Deus non est, aut de Deo non est. Vnde iam apparet quàm sit vas pretiosum, ingens & immensum hæc anima, quæ non nisi diuinæ plenitudinis, Spiritus Christi, & gratiæ eius est capax. Vas es, dicit Sanctus Augustinus, si plenus es, effunde quod habes, & recipies quod non habes. Effunde amorem sæculi, & recipies amorem Dei.

Psal.138. Prou.25. 1.Thess.4. Sanctitas duo dicit.

Secundum est quod vas eiusmodi Domino vtile est, vt videlicet ipsius nomen portet & gloriam coram omnibus, & in omni loco bonum Christi odorem relinquat.

Tertium denique est quod sit paratum ad omne bonum opus, vt quando necesse est, secundum præcepta & consilia Dei operetur & voluntatem eius exequatur. Igitur conuenientissimè, vt videtis, homines Dei vasis comparauit, qui vas Christo electionis fuit. Hoc autem propter quatuor. Primum est quantum ad constitutionem. Sicut enim vas subiacet artificis arbitrio, vt in Ieremia legimus quod figulus faciebat vas alterum (confracto primo,) sicut placuerat in oculis eius vt faceret; ita quidem est de constitutione hominum quæ Dei subiacet arbitrio. Ipse enim fecit nos, & non ipsi nos: ab eóque pendemus velut vas de manu figuli, qui interim in omnibus seruat summam sapientiam & æquitatem. Lutum, Isaias dicit, non potest, nec debet dicere figulo suo: Quid facis? væ enim qui contradicit factori suo. Deus irreprehensibilis manet, & non potest in altitudine diuitiarum sapientiæ suæ à creatura sua inuestigari, minúsque comprehendi. *Quis nouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ, quod in hoc mundo conuersamur non in sapientia carnali, sed in simplicitate & gratia Dei. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione & honore.

Ob quatuor homines vasis comparantur. Ierem.18. Isa.45. Rom.11. 2.Cor.1.

Secundò, quantum ad repletionem homo vas dicitur: etenim ideo vasa fiunt, vt aliquo liquore repleantur. Sic Elisæus mulieri quæ ad ipsum clamabat propter creditorem qui vrgebat eam, dicebat; Pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vasa non pauca, qui offerentes, illa infundebat, oleóque omnia replebat vt necessitati subueniret. Sic igitur est de cunctis hominibus, ad quos quidem pertinet, diuersis repleri liquoribus & gratiæ differentiis, vt noster dicit Apostolus; Diuisiones gratiarum sunt, & diuisiones operationum. Idem autem Deus qui diuidit, & operatur omnia in omnibus. Alij da-

4.Reg.4. 1.Cor.12.

A tur sermo sapientiæ, alij scientiæ, alteri fides; alij gratia sanitatum, alij operatio virtutũ; alij discretio spirituum, vel interpretatio sermonum. Quæ omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidés singulis prout vult: singulis quidé & prout vult Deus, vt sciat vnusquisque vas suũ possidere in honore.

Tale verò honorificum, sanctum & admirabile vas Apostolus erat, qui totus Christo plenus erat, ipsum habebat in notitia intellectus. Non iudicaui, inquit, me scire aliquid inter vos, nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum. Ipsum habebat in dilectione cordis & affectus. Quis nos separabit à charitate Christi? Salutatio mea manu Pauli, qui non amat Dominum IESVM, sit anathema. Ipsum in B conuersatione. Christo confixus sum Cruci. Ipsum in colloquiis. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Ipsum in prædicatione. Nos autem prædicamus Christum. Ipsum denique in plenitudine vitę habebat cùm dicebat: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus. Ecce quæ plenitudo vas illud magnificè replebat, & quomodo tantus electionis gratia Apostolus bonus odor Christi erat in omni loco. Propter quod etiam audet & ille nos exhortari vt eius imitatores simus, sicut ipse fuit Christi. Disce quid dixerit, ait Sanctus Chrysostom. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ille, inquit, ipsius Christi factus est imitator, tu verò nec Apostoli: ille Domini æmulator, C tu autem neque conserui. Et quam tandem poteris negligentiæ tuæ vmbram obtendere? (scilicet, si non audeas, aut pigeat te imitari conseruum, qui ausus est & potuit imitari Dominum, & æmulator factus eius nominis & gloriæ, ipsum statim prædicare omnibus.) Ab ipsis namque principiis, tanto plenus igne exiuit, vt nec sibi necessarium putaret magistrum. Non enim expectauit Petrum, dicit Chrysostom. nec venit ad Iacobum, nec ad alium quemquam, sed propria alacritate raptus, iam totam illam, in qua fuerat baptizatus, sua prædicatione inflammauit vrbem, de violentissimo persecutore Christi, in ardentissimum repentè prædicatorem mutatus, iuxta quod Ananiæ dixit Dominus D ille conuertens animas: Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, Regibus, & filiis Israël.

Paulus totus Christo plenus. 1.Cor.2. Rom.8. 1.Cor.vlt. 2.Cor.13. 1.Cor.1. Gal.2. 1.Cor.11. S.Chrysost. homil.7. de laudib.Pauli.

Tertiò, quantum ad finem & vsum homines vasa appellantur in Scriptura sacra. Sicut enim omnia fiunt propter aliquem vsum, alia ad honorem, alia verò in contumeliam. Ita est de hominibus, qui omnes ex eadem luti massa educti, diuersis interea destinantur vsibus, diuersósque fines consequuntur. Alij vt vasa iræ inueniuntur ad contumeliam & in opprobriũ sempiternum. Alij verò vt vasa electionis & gratiæ ad gloriam. Nostrum Apostolum audite; In multa sapientia, inquit, sustinuit Deus E vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet postea diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum: trahuntur ista de arcanis & de thesauris sapientiæ tuæ, quæ summa cum iustitia cuncta disponit & ordinat. Ecclesiasticum sapientem audite: Omnes homines de solo, & ex terra vnde creatus est Adam. In multitudine disciplinæ Dominus separauit eos, & immutauit vias eorum, ex ipsis benedixit & exaltauit, sanctificauit & ad se applicauit. Et ex ipsis maledixit, & humiliauit. Sed notate quæso sensum Domini; In multitudine disciplinæ, vt quidem in omnibus iustus inueniatur & irreprehensibilis. Quare quod nobis hic faciendum superest, istud est, vt vsui gratiæ fideliter nos disponamus: & non in

Eccl.33. In dispositione sua Deus est irreprehensibilis.

malum capacitatem nostram conuertamus, quæ tantum nobis data est propter Deum, & Christum filium eius.

Finis electionis Pauli. Ad hunc finem Paulus electus est, & propter hunc vsum vas electionis & gratiæ effectus est, vt nempe non alterius quàm Christi capax inueniretur: conuersationem eius & passionem, per imitationem, in corpore portaret, de quo gloriatur ad Galatas, dicens: Ego stigmata Domini mei porto in corpore, in ore & in corde continuò nomen eius, in quo vt in amplissimo vase manebat repositum. Quod in verbis & in epistolis notum est satis, in quibus tam frequenter inseritur. Et certè non nisi ex abundantia cordis, os eius istud dicere poterat, & manus scribere. Vnde etiam optimè comparari potest columbæ, quæ venit ad arcam in ore portans ramum oliuæ. Quid enim aliud repræsentat oliua quàm Christum, qui factus est nobis salus & misericordia? Hunc itaque ramum sanctus Apostolus, vt columba in arcam detulit, id est, in Ecclesiam, quando tam sæpe gratiam Christi, verbum atque nomen in scriptis, atque in seipso expressit. Ita vt ad Timotheum scripserit, se ideo misericordiam esse consecutum, vt primùm in eo ostenderet Christus IESVS omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam. Ecce quo modo, quo fine, & quo vsu, iste sanctus Apostolus vas electionis Christo fuit. *Gal. 6. Gen. 8. 1. Tim. 1.*

Vnde etiam quartò & vltimò quantum ad fructum adhuc homines vasa dici possunt, quia iuxta quod recipiunt, reddunt: vel potiùs, iuxta dispositionem suam reddunt. Vas corruptum, iniectum inficit liquorem; sanum verò seruat odorem & ipsum emittit. Similiter terra bona semen & pluuiam recipiens, reddit fructum suum in tempore suo: mala verò sterilitatem vel tribulos. Ita dico de cordibus nostris, quæ, iuxta quod disposita sunt, capacia sunt seminis & fructus. Si bona sunt, vasa sunt gratiæ: si verò mala, peccati, zizaniorum, & seminis diaboli. Hic autem, ô homo, considerandum tibi est, præstò esse semper gratiam Christi, quæ præuenit te, circumstat, & sequitur, vt certò salutem consequaris, si cum Paulo respondere & cooperari velis. *Qualitas operis sequitur dispositionem cordis.*

DE VOCATIONE S. Andreæ, & nota Diuinitatis Christi in electione atque officio Apostolorum.

Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Matth. 4.

CHRISTVS IESVS vbique est Deus, Deus apud patrem, & Deus apud hominem, Deus in principio, & Deus in plenitudine temporum, Deus in cœlo & in terra, Deus qui in Deo patre post se traxerat Angelos: idem Deus in homine homines facit post se venire. Sic de eo loquitur Apostolus: Constituit Deus pater ad dexteram suam IESVM Christum in cœlestibus super omnem principatum, &c. & omnia subiecit sub pedibus eius, siue in cœlo, siue in terra, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed

A etiã in futuro. (omnia subiecit:) in eo enim quod omnia ei subiecit, ait Paul. nihil dimisit non subiectum ei. Hinc eorum adoratio: illos enim subiecit ei pater. Talis fuit honor quem ab initio reuelati mysterij, scilicet Incarnationis, exhibuerunt illi omnes, cùm statim victoria obtenta aduersus rebelles, hoc silentium factum est in cœlo, omnia sub pedibus eius. Quis vt Deus? dixit Princeps omnis militiæ cœlestis; ipse est qui facit Angelos suos spiritus, omnes sumus administratorij spiritus, & iam propter eos qui in nomine eius hæreditatem capient salutis. Hæc eius dominatio, & plena authoritas in cœlo. Venite post me, dixit, & omnes ei se statim voluntariè submiserunt dicentes; Quis vt B Deus? Dignus est Agnus accipere virtutem, & diuinitatem, & honorem, &c. Conformiter hic ipse dicebat Nathanaëli, qui eum ex vocatione sua filium Dei agnouerat: Quia vidi te sub ficu, credis; sed maius his videbis. Et quid? Cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis, scilicet ipsorum obedientiam & subiectionem mihi in omnibus: & quomodo ab ipsis eorum Deus agnoscor, sic & in terra hominum Deus agnoscar attrahendo illos ad me necesse est. *Heb. 2. Apoc. 5. Iohan. 1.*

Hanc diuinitatem hodie ostendit virtute & verbis: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* In duobus autem hic, demonstrat. Primò, in attractione omnium animarum ad se, subiectionéque voluntatum, quæ cùm liberę sint, etiam liberè Deo resistere aut se subiicere possunt: cætera respectu Dei obediẽtialem potentiã habent, vt de quolibet quodlibet voluerit faciat, homines soli potentiã liberam habent, vt si velint resistãt. O vtinam sicut alia non nisi obediendi potentiam haberent! Ideo certè quia nostra libera est voluntas, quotiescunque trahitur à Deo, apparet statim nota diuinæ eius potentiæ & virtutis; sic intelligitur quod ipsemet Christus dixit: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum, sicut etiam nemo ad patrem, nisi per me. *Venite, faciam vos fieri piscatores hominum.* Sed primò venite post me. Ecce enim vbi primò ostenditur diuina virtus & potentia, in attractione voluntatum. *Duo signa diuinitatis in Christo. 1. C Ioh. 6. & 14. D*

Secundò, consistit in concessione talis potentiæ hominibus, qui ex gratia sibi data possunt alios ad Christum conuertere, mutare voluntates, flectere, & Christi obsequio captiuare. Hodie, ex Euangelio, ambulans IESVS iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Sic optimè impletur illud Psaltis; *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Iure merito Apostoli appellandi sunt infantes. Primò, quoniam fuerunt quasi infantia, exordium & primitiæ Ecclesiæ. Secundò, vel quia aperuit eis labia, vt Dei loquerentur magnalia. Nam in principio rudes erant, & Christum cœlestia loquentem intelligere non poterant, vt quando locutus est eis de manducatione sui corporis, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? quibus propterea respondet Christus: Verba quæ ego loquor, spiritus & vita sunt. Quasi diceret; nunc sine intellectu estis, hæc enim intelligenda sunt, non sensu carnali, sed spirituali. Ideoque veniet Spiritus veritatis, & docebit vos omnem veritatem. Tunc igitur, vt videre est, alloquebatur ipsos tanquam infantes. Sic apud Lucam ait: Nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis. Nam ego *2. Ps. 8. Quibus modis Apostoli appellãtur infantes. E Iohan. 6. Luc. 12.*

ego ipse dabo vobis os,& sapientiam,cui non poterunt contradicere omnes qui aduersantur vobis, aut nolite solliciti esse quid dicatis:Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. Vnde tertiò eos appellat infantes, sicut & Ioh.vlt. Pueri,numquid pulmentarium habetis? Ideo inquam,quia sicut infans nescit loqui nisi quę mater præloquitur, & velut cibos præmansos in os ingerit;ita Apostoli & discipuli non nisi quæ per Spiritum sanctum edocti erant, loquebantur. Spiritussanctus enim erat qui dabat eis eloqui, ac lac diuinæ sapientiæ instillabat eis, vt cum pondere veritatis & virtute loquerentur,& dicerent: Benedictus qui venit in nomine Domini. Prædicamus IESVM crucifixum, & hunc filium Dei, hominem-Deum, verbum quod in principio erat Deus apud Deum, & in tempore caro factum habitauit in nobis, de plenitudine cuius accepimus omnes, & in nomine cuius prædicamus. Vnde quartò non tantùm infantes, sed etiam lactentes appellati sunt ad maiorem Christi gloriam,qui sic, vt ipse dixit apud Psal. ex ore infantium & lactentium laudem suam perfecit,scilicet,cùm replens illos lacte suæ sapientiæ & prædicationis, misit statim ad conuersionem totius mundi, qui antea ieiuni erant,idiotæ & ignari. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Quadruplici autem virtute armauit ipsos Dominus, vt mundum debellarent, Euangelio, Sacramentis, potentia nominis sui, ac donis Spiritussancti. Hæc omnia describuntur Marc.vlt. Euntes prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Signa eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis nouis loquentur,super ægros manus imponent & bene habebunt; (quæ sunt dona Spiritussancti.) Vnde illi profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante,& sermonẽ confirmante sequentibus signis.

Ioh.vlt.

Quadruplici virtute armati Apostoli.

Marc.vlt.

Ex quo certè grande miraculum patet,quod isti lactentes adhuc vt pueri, id est, ignari & idiotæ sermone simplici & rudi, longè latéque per vniuersum orbem doctrinam Christi sparserũt,quod potestatem omnem deuicerũt, sapientiam omnem & eloquentiam,quod Reges & Principes, principatus & regna sub Christi iugum adduxerunt, & tot nationibus & diuersarum linguarum ac religionum populis,per stultam Euangelij prędicationem,ius, legem, normámque viuendi præscripserunt. Et illa sunt quæ Paulus ob nostros oculos ponit, scribens ad Cor. Videte enim, ait,vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem,non multi potentes,sed quæ stulta sunt mundi,elegit Deus,vt confundat sapientes. Piscatores elegit, infirmos ac idiotas, denique ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. Ex ipso autem, ait, vos estis in Christo IESV,qui factus est nobis sapientia & redemptio, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Ex eo dicit ibi S. August. quod non per philosophum piscator,sed per piscatorem captus est philosophus & Imperator. hæc ille. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium,& prudentiam prudentium reprobabo, vbi enim hic sapiens,& conquisitor huius sæculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum; placuit Deo per stultitiam prædicationis,(vt Crucis)& per idiotas,saluos facere credentes. Iudæi signa petunt (prosequitur Apostolus,)& Græci sapientiam. Nos autem prædicamus Christum crucifixum,Iudæis quidẽ scandalum, & stultitiam Gentibus,vocatis autem Dei virtutem,& Dei sapientiam;quia quod stultum est Dei, sapientius est omnibus hominibus; & quod infirmum est,fortius. Sapientia Dei Crux est; fortitudo Dei sunt piscatores & paruuli.

1.Cor.1.

S.August.

A

Hodie ambulans iuxta mare & videns duos fratres, Simonem & Andream mittẽtes rete in mare, (erant enim piscatores) ait illis; Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominũ,& non amplius piscium. O mutationem dexteræ excelsi! ô magnitudinem mysterij! hic simul miracula video,& Diuinitatem prædico. Venite post me, & sectatores mei estote,atque imitatores. Ad mortem,passiones & tormenta Crucis vos inuito, & ambo vestigiis Crucis me sequi & prædicare debetis. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suam, & sequatur me.* Venite igitur post me, & omnibus quæ possidetis renunciate,propter me retibus renunciate, & piscaturæ; tollite iugum meum super vos,per humilitatem namque Crucis & paupertatem faciam vos fieri piscatores hominũ. Ego enim si exaltatus fuero à terra,omnia trahã ad meipsum. Ita & vos,in hoc arma vestra sunt,potentiæ & virtutes. Et illi continuò relictis retibus sequuti sunt eum,piscium retibus, vt caperent retia hominum. Ecce hodie S. Andreas Dominũ sequutus est: omnibus spretis & relictis, vnum amauit,& desiderauit, scilicet Crucem, per quam & in qua totam Achaiæ prouinciam ad Christum conuertit.

B

C

Æterna sapientia patris,quę omnia suauiter disponit in numero,pondere & mensura, omnia opera sua suo in mundum Aduentui conformia reddere constituit. Veniens in carne posuit tenebras latibulum suum,adeò vt iuxta Isa. nomen Dei absconditi acceperit in terra;& Paulus dixerit Incarnationem sapientiam Dei esse in mysterio absconditam. Similiter,venturus in Majestate ponet adhuc nubem sedem suam: videbunt filium hominis venientem in nube. Et hoc, vt ostendat quia illi conuenit semper in humilitate nobis gloriã suam reuelare, suísque aduentibus sua opera conformia facere. De cœlo veniet iudicare mundum: & ecce, ait Psaltes,annunciabunt cœli iustitiam eius; sedebit in nube,& in forma hominis Iudex apparebit; & ecce,qui spretis terrenis cœlestia quæsierũt,hos Iudices secum constituet, homines, non Angelos: homines viles & abiectos Angelorum atque hominum Iudices. *Vos qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, sedebitis super sedes,* &c. Et Paulus dicit quia & Angelos iudicabimus. Sed adhuc magis in Aduentu misericordiæ conformitatẽ istam videamus. In humilitate & infirmitate carnis venit: & ecce, inquit Apost. quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes; infirma, vt cõfundat fortia; & ea quæ non sunt, vt destrueret ea quæ sunt, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Videte vocationem vestram fratres,quia non multi sapientes,non multi nobiles,sed pauperes, & pauci, vniuersum orbem ad notitiam & cultum Christi conuerterunt. Mittitur ille euangelizare pauperibus, vt & hi sapientiores edoceant & confundant. *Vidit* IESVS *duos fratres mittentes retia,* &c.

Isa.45.

1.Cor.2.

Luc.21.

D

Matth.19.

1.Cor.1.

Gloria & virtus prædicationis Christi.

E

Et certè istud vnum est ex maioribus miraculis Christianæ vitæ,& signis Dominici Aduẽtus,quod pauculi homines,& rudes fidem Christi,& iugum vniuerso orbi dederunt. Venite post me,dicit illis IESVS, faciam vos fieri piscatores hominum. Sicut misit me pater,& ego mitto vos: euangelizare misit me,& ego mitto vos: cum potestate misit me mortuos vocare ad vitam,& ego similiter sepultos in aquis

Ioh.20.

in aquis peccatorum mitto vos extrahere. Venite, sicut sum ego, faciam vos fieri piscatores hominum. Non sit prædicatio vestra in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis. Venite post me, spectaculum eritis mundo, Angelis & hominibus.

1. Cor. 4.

Quid sit ire post Christū.

Sed hic nonnulla notanda sunt. Venite, dicit, & non manete. Neque item, quò volueritis ite: sed venite post me. i. ad sequendum & imitandum me. Alioquin nec nos prædicatores Christi in veritate erimus: nec vos auditores. Et quantum ad nos, vtique cum Christo ad piscaturam animarum venimus, sicut ipse demonstrat, dicens: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Piscatores nihil ferè suum habent nisi rete. O vtinam nihil nostrum haberemus nisi Dei verbum; nisi meditationem diuinæ legis, atque animarum piscandarum curam. Non miror iam si tam paucæ aueniāt conuersiones. En ratio. Quia amplius non sunt Apostoli; pauci certè qui adinstar Apostolorū retia sua relinquant, vt sincerè & purè sequantur Dominū, & cum eo saluti animarum penitus incumbant.

Paucos sectatores Christus habet.

Sed quantum ad auditores. Heu, quàm pauci sunt qui Christum suscipiunt, sequuntur, imitantur, colunt & meditantur corde verbum eius! Pudet me, Dauidem Regem totius & amplissimi regni negotiis implicatum, interim meditari tota die legem Dei, & dicere: Cōcupiui salutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea est. & paulo antè: Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est. Nos autem vix semel in anno meditabimur illam, aut etiam mente diuinum verbum audiemus: & si sæpius auditores, non tamen factores sumus, in quo solùm, vt dicit Scriptura, iustificatio est. Quàm pauci heu, qui vt Apostoli relictis omnibus vocantem sequuntur Dominum!

Psal. 118.

Duplex vocatio.

Duplicem quæso vocationem attendite. Vna est efficax, qua statim quis obedit vocanti, de qua Ioh. 6. Omnis qui audiuit à patre meo, venit ad me. Altera est communis seu inefficax, cui resistimus, de qua Prou. 1. Vocaui, & renuistis. Dicitur autem inefficax, non quia ex se sit talis, ac impotens operari effectum: sed quia ex nobis ipsis pigris ac pertinacibus redditur inefficax. Quisnam igitur excepit efficacem? Magnus noster Apost. Andreas, qui cum Simone fratre suo obediens in auditu auris, omnibus relictis sequutus est Dominum primus. Verùm ô summam in istis duobus primis sectatorib. Christi dignitatem! Primi sunt qui sequuntur Christum, & relictis omnibus sequuntur. Illud admiratur S. Gregor. hom. 5. dicens: Audistis fratres, quod ad vnius iussionis vocem Petrus & Andreas relictis retibus Redemptorem sequuti sunt. Nulla hunc facere miracula adhuc viderant: nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, & tamen ad vnum Domini præceptum hoc quod possidere videbantur, obliti sunt. Quanta nos miracula eius videmus, & audimus præmia, & tamen vocantem sequi contemnimus; ménsque superba non vult spōte deserere, quod quotidie perdit inuita? Sed fortè, inquit S. Gregor. aliquis tacitis secum cogitationibus dicat; Ad vocem Domini quid aut quantum vterque piscator dimisit, qui penè nihil habuit? Sed in hac re respondet; affectum debemus potiùs pensare quàm censum. Multum certè reliquit, qui sibi nihil retinuit, & qui totum quantumlibet parum deseruit. Nos autem & habita cum amore possidemus, & ea quæ minimè habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus & Andreas dimiserūt, qui etiam desideria habendi reliquerunt. At illi cōtinuò relictis retibus sequuti sunt eum. Relictis retibus, vt equidem capaciores fierent maioris piscaturæ, & proximiores Christi sectatores.

Dignitas duorum fratrum ex eo quod primi sequuti sunt Dominum.

S. Gregor.

Sed quàm bene omnia ista conueniant videamus. Ante omnes vocat Christus Simonem, qui dicitur Petrus, & Andream fratrem eius. Simon significat audientem vel obedientem. Ecce fides in Petro, quæ venit ex auditu, & cuius est intellectum captiuare in obsequium Christi. Andreas verò significat robur: & hoc est charitas quæ fortis est vt mors, & minimè timet pro fide animam ponere; & illa relucet in Andrea fratre Simonis. Audiant omnes. Fides & charitas sorores sunt: Simon & Andreas fratres. Hinc est quod Dominus vtrumque vocauit, & ad fidem prædicandam, & ad mortem libenter pro dilatatione eius subeundam. Interim quia Simon dicitur audiens seu obediens; Andreas autem robur: ita etiam secundum conuenientem significationē nominum dedit vnicuique in eminentiori gradu quo haberi possit, suam propriam virtutem & gratiam. Petro vt aliorum principi, & solidissimæ petræ totius Ecclesiæ, dedit fidem adeò firmam, vt in ea tanquam in columna veritatis, hanc suam Ecclesiam fundarit, ædificaritque. Matth. 16. interrogatus cum aliis, & simul respondens pro omnibus: Tu es Christus filius Dei viui; audit à Christo: Beatus es Simon; & ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et alibi: Ego oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Ecce in Petro fidei soliditas & firmamentum.

Fides & charitas ambæ sorores relucent in Simone & Andrea fratribus.

Nominum Simonis & Andreæ conueniens significatio. Et iuxta illam conueniens donum gratiæ.

Fides Petri.

Sed robur & vim charitatis cuinā dedit Deus? Andreæ fratri eius. Et certè non sic, nec talis fuit Petrus in morte, sicut in confessione. Aliquando audet mori, aliquando etiam timet, nec semper est paratus, nisi cùm obuiam Christum habet exhortantem ipsum ad passionem Crucis. Noster verò Andreas, cuius laus est in nomine, vitæ suæ pro Christo mortem præfert fortiter, quærit Crucem, occurrit, salutat, amplectitur, & quam in corde habebat charitatem, demonstrat in gestu, & in voce, dicens; Salue Crux, &c. Ita S. Bern. Serm. 1. huius festi. Videns, inquit, paratam eminus Crucem, nequaquam (vt exigere videtur mortalis infirmitas) facies eius expalluit, nequaquam sanguis eius gelatus est, non stetêre comæ, aut vox faucibus hæsit, non contremuit corpus, nec mens turbata est, sed ex abundantia os locutum est; & charitas quæ feruebat in corde, quasi scintillas ardentissimas emittebat in voce, dicens: O Crux diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te. Ita & tu exultans suscipias me discipulum eius qui pependit in te, quia amator tuus fui, & desideraui amplecti te.

Feruor Andreæ.

S. Bern.

Verùm vnde illa tam feruens charitas? Certè quia Andreas erat, id est, robur. Non quod ex se virtutem talem habuerit, ait S. Bern. Spiritussanctus enim erat qui adiuuabat infirmitatem eius, per quem & fortior morte erat. Sicque cum illo tales erimus, si cum illo Crux requiratur à nobis. Verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salui fiunt, virtus Dei. Propterea dicit Dominus, venite post me. Qui vult venire post me, tollat Crucem; sum signum eleuatum in nationes, fons aquæ salientis in vitam æternam.

* * *

DE DESIDERIO ET modo regnandi cum Christo. In festo Sancti Iacobi maioris.

Dic vt hi duo filij mei sedeant, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Matth. 20.

IN isto accessu matris filiorum Zebedæi ad IESVM Christum Dominum nostrum, mihi in mentem veniunt duæ matres in Scriptura sacra. Vna est Rebecca, quæ pro filio suo Iacob apud Isaac laborabat plurimum, vt illi ius & benedictio primogenituræ accideret. Altera est Bersabee, quæ etiam pro filio Salomone circa Dauid multum satagebat, vt post eum regnaret, & non Adonias. Multæ hodie sunt eiusmodi matres, multique etiam patres cum illis, qui pari cura & sollicitudine vigilant pro filiis suis, nihilque aliud animo proponunt assiduè laborantes, quàm vt illi gaudeant perituro honore, & salute temporali. Vna autem ex illis matribus oculis nostris apparet, Salome vxor Zebedæi, mater Iacobi & Ioannis, quæ nunc accessit ad IESVM cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo: vtique aliquid petens, quia primos accubitus postulabat & primos honores. Sic enim rogabat accessu obtento: Domine dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. O mulier, magna quidem, sed incognita tibi est petitio tua. Quare Dominus illi respondet, ad filios conuertens se, qui per os matris, ambitione ducti, petebant. Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Quasi diceret, exaltari vultis, & nondum estis humiliati: regnare vultis, & nondum certastis. Corona non datur sine pugna, præmium sine merito, denarius sine labore, brauium sine cursu. Nescitis quid petatis. Sic currite vt comprehendatis, ait Apostolus. Et rursus: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus; nam & qui certat in agone, non coronatur nisi legitimè certauerit. Tu ergo labora sicut bonus miles Christi* IESV. Ecce quid requirit Apostolus, vt legitimè, & sicut boni milites Christi certemus, laboremus. Legitimè, dicit. Non enim quilibet labor est legitimus, sed is tantùm qui & magnus & voluntarius est. Crux & calix Christi, labor est legitimus. Vnde dixit: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Huius calicis participatio est quæ nos Dei filios efficit: sicque meretur vt nobis tanquam filiis hæreditas & corona donetur. Sic enim eóque sensu Apostolus dixit; non coronatur nisi qui legitimè certauerit.

Triplex est Crux, iuxta quod in natura triplex filiatio inuenitur. Sunt enim filij illegitimi, & qui ex adulterio exorti sunt, & ij minimè sunt hæreditatis participes. Legitimi è contrà nascuntur hæredes, iique sunt qui ex legitimo procreantur matrimonio. Alij denique legitimati vocantur, nimirum hi, qui quamuis nati sint ex adulterio, tamen per matrimonium consequens à parentibus legitimi fiunt, & sic legitimati dicuntur, vt alij, bonorum omnium hæredes. Ita igitur est de Cruce. Vna est illegitima, quam nimirum inuoluntariè, perperam, sine matrimonio & consensu voluntatis nostræ cũ diuina sustinemus: quæ hæreditatis minimè est capax, imò magis signaculũ adulterij & reprobationis.

Gen. 27.
3 Reg. 1.
1 Cor. 9.
2 Tim. 2.
Quæ Crux, & qui labor legitimus.
Triplex Crux admilar triplicis filiationis.
Crux illegitima.

A / B / C / D / E

Alia est legitima, quam vnione & imitatione cum Christo libenter amplectimur, quærimus, & in qua, dicam, solùm gloriamur. Hæc est quæ nos parturit per Christum filios Dei, & cui etiam debetur paterna hæreditas in cœlis. Sic Christus præbuit se filium Dei obediens factus vsque ad mortem Crucis, dixitque: *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Vnde iam nobis constat satis, quia si compatimur, & conregnabimus, quia per Crucem & legitimum certamen filij Dei erimus. Si autem filij, & hæredes. Vultis vos considere ad dexteram, & sinistram meam: sed potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Ecce ratio & legitimus modus, vt sicut filij Dei mecum sedeatis in gloria, mea Crux est, & inebrians calix meus.

Crux legitima.

Tertia Crux dicitur legitimata. Illa autem est quam initio coactè suscepimus, non voluntariè quidem, postea tamen conformes facti voluntatis diuinæ, eamdem libenter & cum gratiarum actione amplectimur: tunc enim legitimata fit; & per eam gloriam meremur, & vt filij cõsequimur. Ideo igitur Apostolus dixit, non coronatur nisi qui legitimè certauerit, nisi qui calicem Christi biberit, eiúsque Crucis particeps fuerit. Ad magna præmia perueniri non potest, ait S. Gregor. nisi per magnos labores. Et certè vili pretio non comparatur res pretiosa. Necesse est, ait S. Chrysost. magnum laborem impendere, si velimus ad regnum cœleste peruenire. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, consessus ad dexteram meam, sed non deterreat certamen laborum. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Calicem hunc passionis? Nescitis quid petatis.

Crux legitimata.
S. Gregor. hom. 37.

Nesciebant autem illi duo fratres quid petebãt quatuor ex causis. Prima, quia temporale regnum petebant, & nesciebant quia regnum eius de hoc mundo non erat, vt ipse postea respondit Pilato, & antea euanuit ab eis qui ipsum Regem facere volebant. Secunda, quia statim post Resurrectionem ipsum regnaturum existimabant, & nesciebant quia tantùm in fine mundi, futurum erat eius regnum plenè atque perfectè super omnes nationes terræ, vt ipse iam antè declarauerat, dicens: Amen dico vobis, quod vos qui sequuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos, &c. Et hinc quidem in his duobus fratribus nata erat cupiditas dominandi, & ratio petendi à Christo per os matris, vt sederent, vnus ad dexteram, & alter ad sinistram. Propter quod etiam eis respondit Christus, & non matri, nescitis quid petatis. Tertia adhuc causa cur sic illis respondit Christus, est, quia putabant in regno eius, sicut in regnis terræ, esse simul dexteram & sinistram, nescientes in illo cœlesti tantùm esse dexteram, illo tunc Iudice dicente his qui à dextris eius erunt; venite benedicti: & qui à sinistris erũt, discedite maledicti à me. Dextera recipit, & sinistra excludit. Quarta denique, quia per propinquitatem carnis ad ius regni & consessus accedere se putabant: (erant enim ex cognatione Christi secundum carnem) & nesciebant quia tale regnum tantùm acquiritur meritis, ignorantes, quod iam Christus ipse dixerat: *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum, filij autem regni eijcientur in tenebras.* & iterum: *Dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Nescitis quid petatis, non est acceptor personarum Deus.

Quatuor ex causis apparet ignorantia duorum fratrum in petitione ipsorum.
Matth. 19.
Meritis regnum Christi acquiritur.
Matth. 8.
Matth. 21.

Verùm

Duobus modis accipitur regnũ Christi. Verùm istud regnum Christi hic dupliciter accipi potest. Primò, pro Ecclesia militante, de qua sic loquebatur Dominus cùm dicebat; Et mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Secundò, pro triumphante in cœlis, vbi fulgebunt electi sicut Sol in regno patris eorum, ait Dominus. Fulgebunt, & vbi iudicabunt nationes, dicit Sapientia, vbi dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Sed in vtroque regno vnam dexteram, & vnam sinistram nobis nunc obsecro ostendere liceat. Quod enim nescientes petierunt isti duo discipuli, vtrique obtinuerunt. In regno militante, scilicet Ecclesia, sinistra, persecutio erat & martyrium. Dextera verò, pax est atque tranquillitas, in qua nunc est. Sicque illis duobus fratribus datum est quod petierunt nescientes. Iacobus enim sinistram habuit, quem occidit Herodes: Iohannes verò dexteram, qui sine martyrio obdormiens in Domino, in pace quieuit. Sic eũ volo manere, dixit de illo Dominus.

Matth. 24. Matth. 13. Sap. 3. *Quomodo in Ecclesia sinistra esse dicatur, & dextera.* Ioh. 21.

Aliquid adhuc simile de cœlesti & triumphãte Ecclesia dicamus. Huius dextera gloriæ est plena, & perfecta glorificatio hominis tam secundũ corpus, quàm animam. Sinistra verò, expectatio est corporis ab anima in resurrectione nouissima, nondum enim perfectè homo fruitur gloria, dũ adhuc corpus seruatur in terra. Quid igitur petitione sua Iohannes obtinuit? Vtique vt sederet à dextris, qui, vt à multis creditur, si mortuus sit, iam resurrexit à mortuis, & cum Christo immortalitate plena perfruitur, in corpore & in anima beatus. S. verò Iacobus, qui non est resuscitatus, adhuc solùm sedet à sinistris, dum eius corpus colitur in terra, & anima in cœlis gloriæ perfruitur deliciis. Sicque quod petebant, & nesciebant, habuerunt. (hic est mos quẽ Dominus plerunque seruat, dum ipsum oramus.) Nescitis, ait illis, quid petatis. Nesciunt & multi, quos tamen contra intentionem ipsorum Dominus exaudit. Itaque vnusquisque cogitet & attendat sedulò, quid petere debeat à Domino.

Multi obtinent à Deo quod ignorantes postulant.

Verùm quid præterea duobus illis Apostolis Dominus dicat videamus. Potestis bibere calicem quẽ ego bibiturus sum? Ecce, inquit, medium gloriæ quam quæritis, & honoris quem vos vultis, calix est meæ passionis; hic verè calix inebriãs & præclarus, de quo ipsemet cùm in agonia factus oraret, dicebat: *Transeat à me calix iste*, (à me, in eos qui secuturi sunt me.) Si enim gloriæ eius voluerimus esse cohæredes, necesse est antè vt Crucis eius & calicis simus consortes. Definitum est consilium, non euacuabitur. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Amen dico vobis, quod vos qui sequuti estis me, sedebitis. Sed quomodo sedebimus, si sequamur ipsum? Vtique tanquam cohæredes Christi; si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Infelix prorsus hominum ambitio, ait S. Bern. quæ magna ambire non nouit, quærens de modico crescere, & de maximo minui; amant primos recubitus in cœnis, primásque cathedras in Synagogis. Vultis autem vos ambire magna, mecumque sedere super sedes majestatis in excelsis: potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Calicem istum, de quo dixi: Baptismo habeo baptizari, quomodo coarctor vsquedum perficiatur? Calicem istum, de quo rogabo patrem, vt si possibile est, transferat à me; vos autem potestis bibere? Dicunt ei, possumus. Certè adhuc nescientes & inexperti posse se iactitant. Interea respõdet illis IESVS: Calicem quidẽ meum bibetis. i. Cruci meæ & pas-

Matth. 16. & 19. Rom. 8. S. Bernar. in declama. Matth. 23. Luc. 12.

A sionibus cõmunicabitis: in cuius rei testimonium, iam proximus morti calicẽ accipiens dedit illis dicens; bibite ex eo omnes. O quàm tũc illis gratũ & gloriosum erat, sic cũ Rege suo & Domino bibere ex eo calice! Cõmunicantes Christi passionibus, ait Petrus, gaudete, vt reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Et vos ô gloriosissimi & coapostoli fratres gaudete, qui post Dominum tandem aliquando calici eius passionibus vestris communicastis. S. enim Iacobus communicauit verè Herodis gladio: & S. Iohan. similiter feruẽtis olei dolio, veneni poculo, exilióque in Insulam Patmos. 1. Pet. 4.

Quomodo duo illi fratres de calice biberunt.

B Hic est calix benedictionis qui cum illis bibendus est, si cum illis partẽ habere voluerimus. Alias enim nemo est sui calicis expers. Qui mundi sunt, calicem mundi bibunt, calicem Babylonis, de quo Ioh. in Apoc. loquitur. Qui verò Christi sunt, calicẽ salutaris accipiunt, ex eóque bibunt nomẽ Domini inuocantes. Calix iste, in principio quidem, amaræ videtur esse potionis, verumtamen in mẽsura, sicut Psaltes dicebat: *Potasti nos vino compunctionis, & potũ dabis nobis in lacrymis in mensura*. In fine autẽ, omni dulcedine & suauitate plenus est, vtpote qui in gloria gaudio inenarrabili animam inebriat. Iste est calix, qui propterea præclarus dicitur, qui in hoc mundo baptismus pœnitentiæ vocatur in remissionem peccatorum. Quo qui lotus est, statim cœlesti regno dignus efficitur; sicut vox clamabat in deserto: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*. & Christus ipse: *Pœnitemini, appropinquauit enim regnum Dei*.

Nemo sui calicis expers. Apoc. 13. *Conditio calicis Christi.* C Matth. 3. Marc. 1.

Verùm si hoc ita sit, vndenã hodie dixit: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est? Hic quidẽ non minima est difficultas. Diceres enim; Nonne per passionẽ & crucis ianuam intratur in gloriã? Et nónne Christi est illam dare iis qui sequuti sunt ipsum, & sequendo obtinere meruerunt? cùm adhuc dicat quia omnia ei tradita sunt à patre, omnísque data potestas in cœlo & in terra. Propter quod itaque imprimis est sciẽdum, id verum esse nimirum, regnum cœlorũ minimè dari nisi per Christum, passionẽ, & mortẽ Crucis eius. Tale namque est eius officium. Sic in parabola Euangelij dicebat, sub figura patrisfamilias: Voca operarios, & redde illis mercedem. Illa autem merces non datur nisi operantibus, & iis qui diuites sunt meritis. Ideo cùm dicit, non est meum dare vobis, primò intelligendũ est istud de merito: quasi diceret, acquiritur merito; vnde nec meum est dare vobis absque merito. Secundò, facienda est vis præsertim in illo pronomine & termino, vobis, sc. quatenus propinquis, ambitiosis, de posse vestro præsumentibus, & quid petatis nesciẽtibus, nec etiã calicem meũ bibentibus. Quare obsecro? Certè quia non sunt condignæ passiones ad futurã gloriã, quæ nobis reuelabitur in cœlis. Quasi diceret Apost. hæc omnia parũ, aut nihil proficiunt, genus, fortuna, adhuc dicam tribulatio ipsa, nisi tunc ei gratia adsit, & ex parte Dei præparatio tota perfecta, præueniens & cõsequens, disponens atque cõfirmans. Alioquin non est meum dare vobis, licet ex parte matris & meæ carnis, propinqui mei sitis, & ego cognatus ac frater; sed tãtùm quibus est parata sedes mea ex tunc; iis tantùm qui me sequuturi sunt per humilitatẽ Crucis. Quare in hoc statu, in quo nunc estis, (ambitionis) nõ est meũ dare vobis. Dare quidem meũ est, sed quibus à patre paratum est, humilibus, paruulis, & calicem meum bibituris. Regnũ meum, atque in eo sedere mecũ, non est iã amplius dantis,

Matth. 11. & 28. D Matth. 20. *Regnum Dei cum meritis acquiritur.* E 1. Cor. 13.

Sensus notâ dus istorum verborum Christi, non est meũdare vobis. dantis, sed accipientis. Hoc notetur, in eo.n. sensus verborum Christi esse videtur: quia ex dispositione Dei, est iam in dispositione, & sic in potestate accipientis, secundũ quod definitũ est à Deo dare iis tantùm, qui eo, per crucem & humilitatem cordis, digni erunt. Vnde tunc & meum est, sicut complacuit patri meo, dare vobis regnum. Meum est & secundum Diuinitatem, in qua sum æqualis patri, & secundum humanitatem, cui etiam data est omnis potestas, vobis quidem dare, sed quibus paratum est à patre. Optimè adiunxit, quibus paratum est à patre. Sicut.n. vt Christus.i. homo-Deus, Iudex omnium est constitutus: ita & patrisfamilias bonorum omnium procurator & dispensator est factus, vt iis solis daret mercedem, cum quibus ex denario pater conuenit, vt irent in vineam suam, operarentur, & colerent eam.

Tria de regno cælesti notanda. Quare de hoc regno hæc tria notãda sunt, quod præparatur, comparatur, & datur. Præparatur per prædestinationem ab æterno. Prędestinatio.n. ex S. Aug. æterna est præparatio gloriæ. Comparatur per gratiam in tempore, per vocationem, & omnia iustificationis opera. Denique datur per possessionem Dei in cœlis, fruitionem in gloria. Electio in primo est, meritum in secũdo, retributio & merces in tertio. Sic omnia narrat ordine Apostolus dicẽs: *Quos prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Sicque, vt videtis, non datur nisi quibus paratum est, & qui sibi meritis & gratia comparauerunt. Neque etiam alicui vnquam datum est ante aduentum filij patrisfamilias, omniumque bonorum eius fidelissimi dispensatoris, qui simul cum patre & sedes præparauit, & parauit nobis, sicut aliquãdo dixit: *Vado parare vobis locum.* Propterea sit ille in æternum benedictus Deus, qui elegit nos in Christo, ante constitutionem mundi, vt essemus sancti, & prædestinauit nos in adoptionem filiorum per ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ suæ.

Rom. 8. Ioh. 14. Ephe. 1.

DE ASCENSIONE MENTIS in Deum per Christum. In festo SS. Philippi & Iacobi Alphæi Apostolorum.

Domine, ostende nobis patrem. Philippe, qui videt me, videt & patrem. Ioh. 14.

Lucæ 10. CONVERSVS aliquãdo ad discipulos suos dicebat IESVS Christus: Beati oculi qui vidẽt quæ vos videtis. Dico enim vobis quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quę vos videtis, & non viderunt. De Elia amplificato in mirabilibus dixerat pariter Ecclesiasticus: Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt. Ideo quidem quia præcursor Domini ante Iohannem Baptistam erat, in cuius virtute & spiritu ille venit, imò qui & ipse Elias erat, ex ore Domini, præparans vias eius, sicut prædixerat Malachias: *Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol Iustitiæ, dicit Dominus: & ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies eius; & conuertet cor patrum ad filios, & filiorum ad patres.* Elias iste de quo Malachias prophetabat, Iohannes quidem erat, qui vt præcursor Domini, in virtute & spiritu huius Prophetæ veniebat: qui quidem propterea ante Iohannem titulo præcursoris primi Aduentus Domini meruit honorari. Vnde etiam meritò scriptum est de eo: Beati qui te viderunt, ô Elia, (quia iam in te venturum Dominum viderunt.)

Eccli. 48. Matth. 11. Malach. 4.

A Et beati adhuc qui in amicitia tua decorati sunt, quia scriptus es in iudiciis temporum, lenire iracundiam Domini, & restituere tribus Iacob, propterea receptus in curru & in turbine ignis. Ecce ergo cur beatos appellat qui Eliam viderunt, Ecclesiasticus scriptor: vtique quia vtriusque Dominici Aduentus ille est præcursor. Ante faciem Domini venientis in carne præiuit, & præibit adhuc ante illũ venientem in gloria majestatis, vt iudicet mundum, scriptus atque reseruatus lenire irã eius.

O Domine IESV, si propter hoc, ex ore Spiritus tui, beati sunt qui hunc Prophetam viderũt: quanto nunc beatiores illi sunt qui vident te, & simul ex ore tuo sacro illa beatitudinis suæ verba audiũt: B Beati oculi qui vidẽt quæ vos videtis? Verè illi sũt beati oculi, quia in te omnia vident. Philippe, qui videt me, videt & patrem, & omnia in me. Omnia enim mihi tradita sunt à patre: & sic beati oculi qui vident me. O Domine, verè de te solo, & propter te solũ verba ista dici debent, in cuius notitia perfectio tota est, & hominũ beatitudo. Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentib. & reuelasti ea paruulis, sc. humilibus meis discipulis. Vnde in ipsa hora exultauit Spiritu sancto, & dixit hæc, (notat S. Luc.) Etiã pater, confiteor tibi, quoniam sic placuit ante te, vt me, & omnia in me, paruulis reuelares. Nemo.n. scit quis sit pater, nisi filius, & cui C voluerit filius reuelare. Quare statim conuersus ad discipulos suos dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Quare? quia qui vident me, vident & patrem. Sic hodie Philippo respondet interroganti & dicenti: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Iuxta quod ab eo audierat cum aliis; Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis: & amodò cognoscetis eum, & vidistis eum. Hoc enim fuit in causa, cur ei Philippus dixerit; ostẽde nobis patrem. Et ille ei similiter dixerit: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrẽ. Nõ creditis quia ego in patre, & pater in est? Quomodo ergo tu dicis, ostende nobis patrẽ? Pater in me manens, ipse facit opera. Qui videt me, videt & patrẽ.

In reuelatione & notitia Christi est beatitudo. Luc. 10.

D Hinc quæso intelligite omnes qui expectantes estis beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, quoniã si patrẽ videre, & Deum agnoscere vultis, antè oportet filiũ videre, & cognoscere eũ. Oportet, inquam, ad patrem per filium ascendere. Ego sum, inquit, via, veritas & vita. Ego sum ostium, & nemo venit ad patrem nisi per me. Ego sum lux vera: & nemo scit quis sit luminum pater, nisi filius qui in ipso est, & cui voluerit reuelare. O Domine IESV, beati qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt, vt te eis, atque patrem in te speciali gratia & priuilegio amoris reuelares. O Christiani, vultisne omnes vanis omnibus prætermissis & E reiectis, citò Deum apprehendere, & eo perfrui? IESVM omnes filium eius cognoscite, in quo Deus est, & ille in Deo, vnitate essentiæ, sicut ait Euangelista: *Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* & ipse dixit: *Ego in patre, & pater in me. Ego & pater vnum sumus.* Et sic qui videt filium, videt & patrem qui misit illum.

Per filiũ ascenditur ad patrem. Ioh. 10.

Deus quidem est in omnibus creaturis, & omnes creaturæ in illo, vt dicitur in Act. quoniam in ipso viuimus, mouemur & sumus. Vnde omnes sunt veluti gradus quibus ascendimus ad Deum, omnesque clamant quod Deus est. Cœli enarrant gloriam eius, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Sic enim existunt

Act. 17.

FFf omnes

omnes & perseuerant, vt per eius præsentiam & coexistentiam subsistant. Sed longè aliter Deus pater est in filio, & filius in patre, nempe per consubstantialitatem, & identitatẽ naturæ. Vnde etiam solus dicere potuit: Qui videt me, videt & patrem meum. Correlatiua sunt pater & filius, vnoq; cognito, necesse est cognosci & alterũ. Christus autẽ natura, & nõ adoptione est Dei filius, patri in substantia æqualis, & idem cum illo Deus. Quare ab Apostolo vocatur splendor patris, & figura substantiæ eius: à Salomone speculũ sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius, in se permanẽs, portãsque omnia verbo virtutis suæ, creãs, cõseruãs, innouãs atq; glorificans. Propterea igitur optimè dicit hodie Philippo: Qui videt me, videt & patrẽ meũ, cuius videlicet sũ splẽdor, speculũ atq; imago.

Quomodo longè aliter Deus est in Christo quã in creaturis.

Heb. 1. Sap. 7.

Triplex imago Dei inuenitur; vna generationis, & aliæ duæ creationis: seu, vt clarius dicam, in tribus inuenitur imago Dei. In verbo, Angelo, & homine. In verbo est imago generationis & per naturam: in Angelo verò & homine, creationis & per gratiã. Sic de homine dictũ est, cùm ille creatus est; Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinem nostram. Et creauit Deus hominẽ ad imaginẽ suã. Cùm nempe inspirauit in faciem eius spiraculũ vitæ, & factus est homo in animam viuentẽ, consors spiritus, vitæ, gratiæ, & similitudinis Dei sui.

Triplex imago Dei, seu in tribus imago Dei inuenitur.

Gen. 1. & 2.

De Angelo similiter constat quod imaginem Dei habuerit in creatione sua. Sic enim de Lucifero primo omnium qui principatũ suũ deseruit per lapsum, & sicut Adam, imò ante eum præuaricatus est, primusque rebellionis author fuit, de eo inquã dictũ est per Ezechielẽ sub nomine Regis Tyri. Tu signaculum similitudinis, videlicet Dei, plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti, donec inuenta est iniquitas in te. O Cherub, eleuatũ est cor tuũ in decore tuo, & perdidisti sapientiam tuã, polluisti sanctificationẽ tuã. Producã ergo, non amplius de me imaginẽ meam, amorem meum in te, sed ignem de medio tui, qui comedat te. Nihili factus es, & non eris in perpetuum. Ecce igitur quomodo in gratia Lucifer creatus appellabatur signaculum diuinæ similitudinis. Et quidem quotquot adhuc in cœlis remanserunt Angeli, omnes habent & in æternum retinuerunt imaginem & similitudinem Dei. In Cherubim imago est & similitudo Dei semetipsum contemplantis: ipsi enim aliud non sunt quàm plenitudo scientiæ Dei. Ita vt in ipsis cernere sit Dominum scientiarũ, qui totus est lux, & in quo tenebræ nõ sunt vllæ. Similiter in Seraphim imago & similitudo est Dei seipsum amantis. Ardent enim ipsi igne Dei, vel potiùs igne Deo; quodque præcipuum est in eis, amant. Ita in thronis, qui sedes sunt & firmamentum Dei, similitudo est æternæ eius beatitudinis. In dominationibus imago est supremæ quæ in Deo est majestatis. In principatibus similitudo est rerum omnium principij. In potestatibus imago diuinæ omnipotentiæ. In virtutibus similitudo est diuinarum operationum, & prouidentiæ omnia gubernantis. In Archangelis denique & Angelis imago est diuinæ præsentiæ in cunctis.

Ezech. 28.

Quomodo relucet imago Dei in Angelis.

Numquid ergo imaginem Dei in Angelis, sicut in hominibus relucere videtis, imò excellentiori modo in illis quã in hominibus? Interim qui Angelum videret, propterea Deũ non videret: & qui hominẽ nũc videt, propterea adhuc Deũ aut patrẽ non videt, quamuis vterque imaginem Dei portet. Et ratio est; quia in vtroque illa Dei imago est, tãquã in aliena natura, & sic imperfecta imago minimè implens id cuius imago est. Vnde fit vt vterque veriùs dicatur ad imaginem Dei factus, quàm imago Dei. In Christo è contrà, quia imago Dei est perfecta, & in identitate naturæ perfectè implens id cuius est imago, (videlicet patrem:) propterea qui videt ipsum, videt & patrem, quia in eo, vt verbo, est illa imago secundum æqualitatẽ Dei, & eamdem naturam cum patre; sicque similitudo eius perfecta appellatur. Ideo igitur Philippo dixit: Qui videt me, videt & patrem.

Alium adhuc sensum his verbis, & explicationi propositæ satis conformem addere possumus. Nimirũ, qui videt me, id est, qui cognoscit cur in hunc mundum veni, qui meditatur & requirit Aduentus mei diuinas rationes, meque semper ob oculos ponit, ille statim ad eum qui me misit, ascendit, videt bonitatem & misericordiam Dei patris: & sic, ô Philippe, tibi sufficiat me videre. Qui enim videt me, videt & patrem meum in me.

Sed numquid etiam bonum est adhuc cùm isto discipulo dicere; Domine, ostende nobis patrẽ, & sufficit nobis? Iã nouimus te, & qui sis, cum Petro, aliisque scimus, sed nobis adhuc patrem tuũ ostẽde, & sufficit. Ita certè hoc velle scire, patrẽ videre Domini nostri IESV Christi, & nobis bonũ est, & gratissimum illi, qui sic oculis subleuatis in cœlũ loquebatur ad patrẽ suum, & dicebat: *Hæc est vita æterna, vt cognoscãt te solũ Deum verum, & quẽ misisti* IESVM *Christũ.* Ad nihil quidem aliud laborauit Christus, quã vt Deum patrẽ per ipsum agnosceremus, sed in fide & spiritu, vt post hanc vitã ipsũ facie ad faciẽ videamus, interea cum Psalmista dicentes: Quẽadmodum desiderat Ceruus ad fontes aquarũ, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deũ fontẽ, fortẽ viuum, (sc. patrem æternum, omnipotentẽ, principium sine principio diuinarũ personarum, omniũque rerũ creatorẽ.) & post: Quãdo veniam, & apparebo ante faciem Dei mei, ante filium qui est splendor patris, imago bonitatis eius, speculũ Dei sine macula, & figura substãtiæ eius? Deniq; ante Christũ, in lumine cuius videmus patrẽ luminum. Satiabor Domine, cũ apparuerit gloria tua, cũ Deũ videbo sicuti est, patrem in filio, & filiũ in patre, & S. Spiritum in vtroque: cùm reuelata facie illam gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformabimur.

Velle videre patrem, filio est gratissimum.

Ps. 41.

Hoc ipsum est certè quod vult filius cũ patre vt quæramus, vult pater vt quæramus filiũ per ipsum, eiq; dicamus, Domine, ostẽde nobis faciẽ tuã, splẽdorẽ tuũ, atque imaginem filiũ, & salui erimus. Nemo. n. potest venire ad me, dicit ille tuus filius, nisi pater meus traxerit eũ. Item vult similiter filius vt patrẽ per ipsum quæramus, dicamúsque ei cũ Philippo; Domine, ostende nobis patrem tuum, & sufficit nobis. Nemo. n. nouit patrem, nisi filius, & cui filius voluerit reuelare. Ecce, ô Christiani, in quo omnis nostra sufficientia est. Salomon laudẽ meruit, quod cæteris omissis tantũ sapientiam postulauit, etiã dicente Deo, quia postulasti verbũ hoc, feci tibi secundum sermones tuos: sed & hæc quæ non postulasti, etiã dedi tibi, nimirum, diuitias & gloriam, vt nemo fuerit tibi similis in Regibus. 3. Reg. 3.
Quanto igitur magis laudẽ ille consequetur à Deo, qui cum Philippo desiderabit faciẽ videre patris? Deus meus & omnia, dicebat S. Frãciscus. & S. Aug. Omnis copia quæ Deus meus non est, egestas est. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Vis tu igitur citò Deum & omnia in Deo inuenire, adi Christũ, ipsũ contẽplare & vide. Philippe, qui videt me, videt & patrem, ad quem nemo

nemo venit nisi per me. Deum, inquit Baptista, nemo vidit vnquam, vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Hodie enarrauit Philippo & nobis: Philippe, qui videt me, videt & patrem. Ego sum via, veritas, & vita: via ducens, veritas illuminans, vita pascens.

Iesus via ducis ad patrē, & quomodo. Via est ducens ad patrem. Primò, propter legem quam dedit nobis; hanc enim si obseruauerimus, procul dubio ad patrem perueniemus, & sine qua non possumus. Secundò, propter fidē in ipsū: sic. n. in vitam æternā via est, sicut ipse dixit; *Misit Deus filium suum in mundum, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitā æternam.* (Ioh. 3.) Tertiò, propter imitationem ipsius. Quos. n. Deus pater acceptat, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Vnde S. Bern. (S. Bern.) Si similis Deo fieri cupis, videndo eum sicuti est, da operam vt similis fias ei, videndo eum sicuti pro te factus est, & ita per imitationem sacræ humanitatis, ad similitudinem venies summæ Diuinitatis. Ego sum via: vtique est via, & sibi, & nobis ad æternum patrem. Sibi, qui ad eum suo merito, & authoritate vadit. Etiam & nobis, quia eius insistētes vestigiis, certò ad patrem tendimus. Ita S. Aug. (S. Aug tract. 69.) Ibat Christus ad seipsum per seipsum: & nos quò imus nisi ad ipsū? & quà imus nisi per ipsum? Sequimur te Domine IESV, sed vt sequamur accersi, quia sine te nullus ascendit. Domine notas fac mihi vias vitæ, fac me per imitationem ire post te, vt tandem perueniam ad eum qui misit te ad me, & adimpleas me ibi lætitia cum vultu tuo, vbi delectationes in dextera tua vsque in finē. Et ego sum via, inquit: via nō errans quærentib. me, & per imitationem sequentib. Vnde & ego sū veritas, non fallens vtique, sed lucens inuenientibus. (*Iesus veritas.*) Si enim ipsum imitando sequaris, nō ambulas in tenebris: sed habebis lumē vitæ, dicit Dominus. Tale enim lumen est, vt vbi sit vita, ostendat. Philippe, qui videt me, videt & patrem. Sicut pater habet vitam in semetipso, sic & dedit filio vitam habere in semetipso. Ego sum vita, & cum patre fons vitæ æternæ. (*Iesus vita.* Ioh. 17.) *Hæc est. n. vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verū, & quem misisti* IESVM *Christum.* In ipso vita erat. Clamat igitur errantibus & viam ignorantibus: Ego sum via. Dubitantibus, & non credentibus: Ego sum veritas. Sed iam ascendentibus: Ego sum vita. Sed quæ vita? vtique indeficiens in illo permanentibus; vitam æternam enim dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius. (1. Ioh. 5.) Vnde qui hunc filium habet, vitam habet; qui verò filium non habet, vitam non habet. Ego sum via, veritas, & vita. Philippe, qui videt me, videt & patrem. In hoc certè est summa totius Euangelij. Ecce enim paucis, quò & qua via omnes tendere debemus. Quid ergo sic per inania vagamur, & dimissi secundum desideria cordis, lassati vias difficiles ambulamus, cùm sit nobis omnia Christus? Ecce, inquit in Apoc. (Apoc. 22.) venio citò, & merces mea mecum est. Etiam venio citò. Amen. Veni Domine IESV. Gratia Domini nostri IESV Christi cum omnibus vobis. Amen.

DE MYSTERIIS APOSTOLATUS, & insigni martyrio S. Bartholomæi.

Vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit. Luc. 6.

MAGNA nobis hodie Christus IESVS reuelauit mysteria in electione, numero, appellatione, & munere seu officio sancto Apostolorum, quos ex omnibus discipulis suis in familiares domesticos assumpsit, & verbi sui singulares ministros atque dispensatores. Primum mysterium in electione est, (*1. Mysterium in electione Apostolorū.*) vbi infirma mundi elegit, vt confundat fortia; stulta, vt confundat sapientes: & ea quæ non sunt, vt Apostolus ait, vt destrueret ea quæ sunt. (1. Cor. 1.) Idem Dominus in noua lege fecit, quod olim in veteri. De minima tribu inter omnes, & de minima adhuc huiusce tribus familia Saül Rex primus electus atque vnctus est. (1. Reg. 9.) Sic Dauid minimus fratrum, cumque sine armis esset, solùm in funda & baculo debellauit Goliath. (1. Reg. 17.) Sic igitur hodie, vt verbis Apostoli vtar, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, quia quod infirmum & stultum est Dei, fortius & sapientius est hominibus. Hoc equidem memoria est dignissimum, quod nullus ferè antiquorum primogenitorum Deo gratus erat. Cain Deus à facie sua eiecit: Esau autem odio habuit; & in Exodo legimus (Exod. 12.) Dominum desæuisse contra primogenitos Ægypti, è contrà seruasse minores, vt Abelem, Isaac, Iacob, Ioseph, &c. & hoc quasi in testimonium odij primogenitorum; dilectionis autem minorum. Sic Iacob pro figura manus commutauit, vt dextera non maiori, sed minori filiorum Ioseph adueniret. (Genes. 48.) Vnde & notauit Philo ius istud fuisse Regni Israëlitici, (Philo.) vt inter filois Regum minimus hæreditaret. Quasi colligendum inde, tantùm minimorum regnum esse cœlorum, qui illud violenter rapiunt. (*Ad quos regnare pertinebat, & nūc pertinet cum Deo.*) In hoc enim violentia est, vbi de humili fertur ad sublime; neque alio modo istud regnum rapitur, sed hac vtendum violentia est, istaque vi atque potentia in humilitate. Vnde qui minimi in hac expeditione videntur, ad conuincendum quidem sunt fortiores. Atque ita, vt de Apostolis nunc loquar, qui in humilitate sua hoc cœleste regnum debebant violenter rapere; in eadem oportebat priùs vniuersum mūdum eos subiugare. Hinc Dominus pauperiores elegit discipulos, multumque humiles, sed in fide fortes, & à quibus fortis vinceretur armatus: vt sic in nihilo & in abiectione potentior appareret quàm in Majestate. Vbi imprimis considerare oportet conditionem mundi ac statum, in quo misit illos Deus. Sodoma enim erat, imò Infernus, dæmonis tyrannide oppressus: vnde eos mittit vt medicos, Soles, fortes, atque cœlestes, vt curent, illuminent, vincant, ac tandem Infernum nostrum in Paradisum conuertant. Quare & illos Apostolos nominauit.

Secundum in hac appellatione mysterium est: (*2. Mysterium in appellatione Apostolorum.*) vocantur Apostoli, id est, missi. Suo nomine dignatur illos appellare Dominus. Quis profunditatem huius mysterij penetrare potest? Moyses sic ad patrem de filio loquebatur: (Exod. 4.) *Mitte Domine quem missurus es,* id est, Apostolum tuum mitte IESVM Christum. Sic Iacob in prædictionibus; (Gen 49.) *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat Silo,* id est, missus, seu Apostolus, qui est Dominus IESVS; vt interpretatur Paulus dicens: Considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ IESVM. (Heb. 3.) Sicut ergo Christus ipse missus dicitur seu Apostolus patris, ita Apostoli Christi. Hoc. n. modo dicebat illis: Sicut misit me pater, & ego mitto vos, (Ioh. 20.) cum eadem potestate, talesque vos facio, qualis sum ego. Super cœlos, terram, elementa, & omnem carnem, vobis potestatem trado; imò & spirituum potestatem, & per consequens omnis naturæ: sed & his qui vobis postea succedent.

3. Mysterium in numero 12. Apostolorum. Verùm iam in numero illorum qui primò fuerunt electi, non minimum adhuc mysterium est. Duodecim fuere. Et hoc quidem iuxta diuisionem & numerum duodecim filiorum Israël, quibus Deus totidem mundi partes constituit, vt in Cantico suo Moyses commemorat, dicés: Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei Pars Domini, populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. Quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorũ Israël. Ita ergo conueniens fuit, illis duodecim mundi partibus Apostolos duodecim assignari, qui sederent super sedes duodecim, iudicãtes illas duodecim tribus Israël, & terminos populorum. Huius mysterij alia demum in libro Iosue figura erat: vbi legitur, quod postquam Arca Domini transiisset Iordanem, Iosue præcepit vt duodecim viri, duodecim petras è medio alueo Iordanis educerẽt, & in locum castrorũ deferrẽt: rursusque vt ab illis afferrentur alij duodecim lapides, & deponerentur in alueo fluminis. (Deut. 32. Iosue 4.)

Hi duodecim viri, duodecim sunt Apostoli, qui electi à Christo, eduxerũt à fluminis & flaminis impetu lætificãte Ciuitatẽ Dei, ad castra nostra, id est, ad terras, loca militiæ & certaminis, duodecim symbola fidei, tesseras nostræ pacis; simulque è castris istis extrahentes totidem lapides, id est, duritiem de cordibus nostris, in profundum fluminis miserunt, submittentes & captiuantes intellectum nostrum in obsequium fidei: vt iam per illos felix fiat cœli cum terra commercium: & si mihi dicere liceat, conueniens inter spiritualem mundum atque naturalem concentus. In naturali mundo Sol currit per duodecim signa Zodiaci. Sic in spirituali, & mundo gratiæ, per duodecim Apostolos currit & resplẽdet Sol Iustitiæ. Adeò vt ab illis duodecim signis Ecclesiæ firmamenti, maximè dependeat tota vita spiritus. Item in duodecim horas dies distribuitur, vt adhuc innotescat quàm conueniebat lumen fidei per illos duodecim Apostolos nobis distribui, nostrisque cordibus infundi.

4. Mysterium in officio Apostolorum. Sed à numero iam ad eorum officium descendamus. Istud verò tale est, vt pro gloria Crucis Christi, & prædicatione Euangelij aduersus principem tenebrarum dimicaturi sint, & in morte sua Christo victoriam adepturi. Sic legimus fortissimos duodecim pueros Isboseth pugnasse cum totidem pueris Dauid, qui interempti sunt: interim victorem extitisse Dauid. Ita decretum est, vt duodecim mundi partes cum principibus suis aggredi debeant Apostolos Christi, domesticos & pueros filij Dauid, eosque tradere morti: interim cum hoc genere virtutis atque potentiæ, vt eorum morte, dux superet, Dauid vincat, Christus regnet. Ad hoc igitur munus & officium duodecim electi sunt & missi, facti Apostoli, vt contra mundum, carnem, & diabolum, continuò decertarent. (2. Reg. 2.)

Sicque hodie vnus eorũ Bartholomæus decertauit, qui in conflictu etiã pellẽ deposuit. Regnum cœlorum vim patitur, inquiebat Dominus, & violenti rapiũt illud. O qualis illa fuit violẽtia huius sanctissimi Apostoli! Talis certè, ac tanta vt pellẽ reliquerit. Sed quid iterũ Domine dicis? Contẽdite intrare per angustã portã. Intrauit per illã S. Bartholomæus, Domini sequutus consiliũ, & simul prudẽtiã serpentis: voluit veterẽ hominem exuere, & induere nouũ, qui Christus est. Quid fecit? hominem exteriorẽ reliquit, pellẽ deposuit, per viã arctam, & angustã portã intrauit. Porta vitæ Christus est: *Ego sũ ostiũ*, ait, *per me si quis introierit, saluabitur*. Sed hęc porta angusta est, Christus nãque in Cruce est, propterea clamat; Cõtẽdite: nemo potest nisi per Crucẽ post Christũ venire, arctaque via est, vbi abnegatione opus est. Si quis, ait, vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem, & sequatur me. (Matth. 11. Luc. 13.)

Ecce qua contentione, violentia, & depositione carnis & pellis, non dicam, sed etiã animæ, opus est ad Christi sequelã. Ideo erudiens nos Apostolus sæpius dicit: Deponite secundũ pristinam conuersationẽ veterem hominẽ, qui corrũpitur secundum desideria erroris. Renouamini autẽ spiritu mentis vestræ, & induite nouũ hominẽ, qui secundũ Deũ creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Ecce quo pacto fieri debeat nostra renouatio; priùs necesse est vt exuamur, & sic induamur. Impedimẽta omnia relinquẽda sunt, & penitus deponẽda, mundus, caro, sanguis, concupiscẽtia carnis, oculorũ, & superbia vitæ. Qui nõ renunciauerit omnibus quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus, dixit Dominus IESVS. Si quis vult venire post me, abneget semetipsũ: vt pateat ad cœlum aditus, omnia sunt relinquenda, vsque ad derelictionem suiipsius. (Eph. 4.)

Sed hoc multũ difficile est, inquietis, scio; propterea contendite, angusta.n. est porta, ex proprio Christi ore. Simulque memẽtote olim dixisse, diuitẽ difficiliùs intrare in cœlũ, quàm camelũ per foramen acus. Ecce porta cœli admodũ angusta, non est latior foramine acus: propterea igitur contẽdite, omniaque impedimẽta deponite. Hæc.n. porta Domini, iusti intrabunt in eã: intrabũt, sed vt cum Domino perfruãtur æterna requie. Talibus.n. talis merces præparatur in cœlo & regno Dei patris, vt sequentibus se promisit filius dicens: Vos estis qui permansistis mecũ in tentationib. & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater regnũ. Regnũ quęso dispositũ videte iis qui cum Christo in tẽtatione, & crucis afflictione permanent. Sed quid aliud est vita nostra, quàm tentatio & militia super terram? Interim quantũ, heu! dissimiles sumus & contrarij iis, de quib. sic loquitur S. Greg. Erat tunc, inquit, vita longã, salus continua, opulentia in rebus, tranquillitas in diuturna pace, & tamen cùm in seipso floreret, iam in eorum cordibus mũdus aruerat. Nos è contrà quid facimus? Ecce mundus in seipso aruit; & adhuc in cordibus nostris floret. Vbique mors, vbique luctus, vbique desolatio, vndiq; percutimur, vndique inimicis circumdamur, vndique amaritudinibus replemur: & tamẽ cæca mente carnalis cõcupiscẽtiæ, ipsas eius amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus. (S. Greg. hõ. 28. in Ioh.)

Quid ergo præstandum est nobis? vtique ad arma Christi recurrendum. Scuto enim circumdabit te veritas eius, dixit propheta, & non timebis à timore nocturno, à sagitta volãte. Multiplex autem scutum est, quo in hoc bello, intus & foris muniri debeamus. Primũ est fidei: vnde dixit Petr. Aduersarius vester circuit, cui resistite fortes in fide. Hoc ipsũ quidẽ est quod Psalmista veritatem appellauit: Sanctus verò Petrus cum coapostolo eius Paulo, fidem. Sic enim scribit ad Ephes. *In omnibus scutum fidei assumite, in quo possitis omnia tela mali huius ignita extinguere.* Quare dicit, *in omnibus assumite?* Quia, inquit S. Chrysost. multæ sunt insidiæ, id est, viæ, per quas negligentiores supplantare nititur: idcirco nobis opus est magna vigilantia, quoniam & continuum est bellum, & induciæ nullæ: propter quod nihil omittens illa cœlestis anima, lingua orbis, & Doctor Gentium, pro salute discipulorum, dicit; In omnibus assumite, vt possitis tela ignita extinguere. Sed quæ sunt illa malæ (Ps. 90. Scutũ multiplex. 1. Fides intus. Ephes. 6. S. Chrysost. homil. 3. Genes. fi finem.)

malæ vtique concupiscentiæ, immundæ cogitationes, perniciosi affectus. Hæc omnia poterit extinguere gladius ille fidei & spiritus, qui est intra nos.

2. Scuti memoria Dominicæ passionis extra nos. Alia quæ sequuntur scuta, & quibus protegimur, sunt extra nos. Vnde secundum quod iterum in omnibus est assumendũ, memoria est Dominicæ passionis. Tale cõsiliũ Apostolus dabat, qui dicebat: Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris. In aspectu serpentis ænei figura est, vbi filij Israël aspicientes eum illæsi & salui fiebant à morsibus serpentium. Sic hodie omnibus spiritualiter accidit, qui currunt statim aspicientes in authorem fidei nostræ, & consummatorem IESVM, qui assumpta similitudine carnis peccati, propter nos sic à terra exaltatus est. Animaduerte hæc ô anima mea, & omissis vanitatibus vniuersis, nunc ad IESVM crucifixum interiorem cordis oculum dirige: plus enim inuenies in vulneribus crucifixi, quàm in totius possessione vniuersi. Et quæso, quid tibi adhuc durum esse poterit, si recorderis quid pro te sustinuit author mundi? Nihil aut pro nihilo certè sunt omnes labores hominum, si cum Christi doloribus comparentur. O vos omnes attendite, & videte si est dolor similis sicut dolor eius. Heu Domine! vbi sunt oculi nostri, & aures quò dimisimus, vt te nõ attendamus? Heu Domine, quàm multi inconsideratè coram te transeunt! Sed nunc ô spes vnica animæ desolatæ, pallens, ac pendens in Cruce, fac me per cõpassionem, & imitationem, sic in aperta vulnera tua transire, vt mei oblitus, & solius tui memor doloris, in nulla deficiam tribulatione, & cum gaudio cordis mei dicam: Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini mei IESV Christi, per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Vnum scio IESVM Christum, & hunc crucifixum. O vos omnes hoc vnum, obsecro, scitote, & vobis semper ob oculos hoc veritatis scutum proponite, si vultis in cruce, in tentationibus, & aduersis cor & consolationem recipere.

Hebr. 12. Num. 21.

3. Scutum nouissimorũ memoria. Eccli. 7. Tertium scutum aduersus peccata, & tela ignita inimici, ante & circa nos est, videlicet memoria mortis, atque iudicij. *Memorare nouissima tua*, inquit Sapiens, *& in æternum non peccabis.*

4. Scutum. Quartum infra nos est, Inferni memoria. Et quæso, nonne melius est hic modicum pati, quàm alibi in æternum damnari? Puto certè quod numquam satis considerastis hæc tormenta, fletus & dentium stridores, ignisque deuorantis impetum & rigorem. O Domine hic vre, hic seca, & pellem detrahe, modò in æternũ parcas. Fortè existimatis esse difficile, tẽtationi & peccato resistere. Sed quid dicit S. Iacobus audite. Omne gaudium existimate fratres, cùm in tẽtationes varias incideritis, sciẽtes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum, vt sitis perfecti, in nullo deficientes. Ecce quid tribulatio operatur, patientiam: patientia autem opus perfectum, in qua animas nostras possidemus in nullo deficiẽtes. Nullum siquidem certius est signum euasionis æternæ tribulationis, quã quod ait Dauid; In misericordia corripiet me: quia, vt dicit Nahum propheta, non consurget duplex tribulatio. Afflixi, & non affligam te vltrà: & sic præsens afflictio, misericordia, & non iustitia est.

1. Iacobi 1. Nahum 1.

5 Scutum. Quintum scutum supra nos est, videlicet spes bonorum cœlestium. Quò equidem nemo perueniet, nisi multum purgatus; purgatio autem, etiam auri, per fornacem & ignem fit. Iuxta quod dicitur in Actis, quod per multas tribulationes intrare oportet in regnum Dei, per quas & Christus ipse introiuit, qui dicit: *Nónne oportuit Christum pati?* O misericordia & ineffabilis dilectio omnipotentis, qui fecit vt quod in præsenti leue & momentaneum est tribulationis, operetur in nobis æternũ gloriæ pondus! O forte & salubre scutũ! verè non sunt condignæ passiones huius tẽporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Vos estis, inquit Saluator, qui permãsistis mecum in tentationibus. & ecce ego dispono vobis regnum. Ego vnigenitus Dei, quem Sol & Luna mirantur, ego splendor patris, dispono vobis, quid? mensam, vt edatis & bibatis in regno meo, vt mecum in gloria sedeatis; vobis qui permansistis mecum in tentationibus.

Act. 14. Luc. 24. 2. Cor. 4. Rom. 8.

Hoc est quod hodie noster S. Bartholomeus assecutus est, qui Dominum in Cruce sequutus est, qui ad instar & imitationem Christi despoliati & nudati, etiam libenter pro eo pellem dimisit: qui denique in tentationibus cum eo permansit, vt mereretur perfrui deliciis mensæ eius. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, in mensa mea. Magnus honor, in eodem throno, & in eadem mẽsa sedere cum Rege. Aman magnus honoris æstimator, supremum esse iudicabat vehi mulo Regis, & sedere cum illo in mensa: heu! quid erit in eodem throno & mensa sedere cum Christo? Beatus, inquiebat ille in Euangelio, qui manducat panẽ in regno Dei. Et ego dispono vobis, qui permansistis mecũ in tentationibus. Vobis dicetur vtique: Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi. Comedite de meritis & humanitate: bibite de sanguine, & inebriamini de Diuinitate & torrente voluptatis.

Apoc. 3. Esther. 6. Luc. 14. Cant. 5.

DE EFFICACIA DIVINÆ vocationis & gratiæ in Sancto Matthæo Apostolo & Euangelista: & de impedimentis in itinere salutis.

Vidit IESVS *hominem sedentem in telonio, &c.* Matth. 9.

VERBA Christi IESV spiritus & vita sunt. Nihil admirabiliùs agit, & maiora in hominibus operatur, quàm efficacia diuinæ gratiæ & vocationis, quæ illos efficit diuinæ consortes naturæ, & diuinarum rerum sectatores. Quid Christo hodie publicanum vocante diuinius? Vocantem vocatus Matthæus sequitur: nec hoc solùm, sed vt dicetur statim, post grande suo vocanti conuiuium facit. Huius rei figura est in tertio libro Regum. Venit Elias de monte Horeb ad Elisæum arantem in campis, misit super illum pallium suum, & statim bobus relictis, post Eliam cucurrit, coxit carnes, & surgens sequutus est eum. Ita Christus verus Elias de monte Cœli venit ad Elisæum Matthæum arantem in campis auaritiæ, & in telonio sedentem iuxta mare; pallium misit, Diuinitatem palliatam humanitate, & eum

3. Reg. 19. Figura conuersionis Matthæi ad Christum.

trahit post se currentem, vt conuersio excipiat, & sequatur statim, eodem spiritu, quo Apostolus, dicens: *Omnia arbitratus sum vt stercora, vt lucrifaciam Christum*; qui surgens, relictis omnibus, ipsum mox sequutus est.

Ratio sperandi in misericordia Dei.

Ecce diuina bonitas facta publicano, nobis in exemplum fiduciæ & spei misericordiæ Dei. Nemo, ait Sanctus Augustinus, iam diffidat de pietate Dei, quia maior est eius misericordia omni nostra nequitia. Si misericorditer vocauit Matthæum auaritiæ innitentem, multo magis suscipiet te clamantem. Vnde similiter Sanctus Bernardus contra desperantes. O res confusa, inquit, res monstruosa, desperare de Dei misericordia, cùm omnia peccata nostra respectu Dei misericordiæ, sint quasi gutta vna respectu maris! Et hoc quidem bene animaduerterat Matthæus, cùm surgens de telonio, in quo sedens erat, vocantem secutus est Dominum.

Tres gradus in peccato. Ps. 1.

Quod verò dicatur sedisse in telonio, non paruum indicatur scelus, sed maximum. Quare aduertendum in peccato illos tres esse gradus, ire, stare, & sedere, quod à propheta significatum est dicente: *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Certè miserum est ire in peccatum, miserius stare, sed miserrimum in illo sedere. Sed si in quocunque etiam minimo, hoc tertium, scilicet sedere, miserrimum sit, quid iam erit in peccato summo, quale est publicanorum, & principis omnium Matthæi?

Aristoteles. *Auis cuiusdam admiranda proprietas.*

Verùm nullus est adeò languor peruersus, quem non præcidat medicus noster Christus, nullus tam miser Matthæus, quem non sanet, si in eum respiciat IESVS. Aristoteles libr. de anima, de cuiusdam auis natura refert, albi & refulgentis admodum coloris, cuius talis est conditio & proprietas, vt si exponatur ægroto, cuius morbus est lethalis, in signum certò futuræ mortis, statim ab illo oculos auertat: si verò ægritudo non est ad mortem, in testimonium futuræ sanitatis, statim ad ægrotum conuertat se, quasi applaudens vitæ. Sic hodie, & quidem admirabiliùs de Christo dicimus, qui de cœlo venit, candor est lucis æternæ, speculum sine macula, & sponsæ dilectus candidus, si semel vultum & oculos diuinæ suæ gratiæ, atque misericordiæ, ab infirmo & peccatore auerterit, signum est mortis eius. Vnde Dauid: *Respice in me, & miserere mei, & ne auertas faciem tuam à me.* Sed si ad eum se conuerterit, & respiciat misericordiæ oculis, signum est ipsius salutis, quod viuet, & non morietur in peccatis. Sic igitur hodie ad Matthæum sedentem in telonio, & in infirmitate sua iacentem conuertit se, & sanauit eum. Ipsum oculis gratiæ vidit, & in Apostolum elegit.

Virtus oculorum Christi.

Mirum equidem est quod in tam insignem & notum peccatorem, (publicanus enim erat, sedens in telonio) tam amabiles coniecit oculos, & quasi ad Infernum vsque dimisit. Verùm quæ gratia de fonte gratiæ haurienda & speranda non erat? maximè verò vbi ille fons vitæ clamat: Voca me, dicebat Iob, & ego respondebo tibi, Operi manuum tuarum porriges dexteram. Satis est, Domine, satis est, modò respicias nos, & voces. Sicut enim quæ non sunt, cùm vocantur à Deo, respondent: Ecce adsumus. Ita qui per peccatum ad nihilum deducti sunt, aut certè saltem in delictis suis mortui sunt, viuunt statim & respondent, Deo ipsos efficaciter vocante ad vitam; nouáque resurgunt & fiunt creatura in Christo, solo eius aspectu vel voce. Sic Lazarus de monumento prodiit ad vocem vitæ imperantis: sic filia Iairi, & filius viduæ Naim. Sic Paulus eadem voce prostratus surrexit, & vocanti respondit; Domine, quid me vis facere? Sic tandem hodie Matthæus in telonio sedens, voce & aspectu Christi, statim ipsum sequutus est relictis omnibus. Omnibus relictis, pecuniis cum telonio, parentibus, & amicis. Hæc enim tria sunt quæ nos impediunt Christum sequi in itinere nostræ salutis.

Iob. 14.

Tria aut quatuor impedimenta in itinere salutis.

1. De primo impedimento, scilicet pecuniæ, & diuitiarum, testis ipse est iuuenis, de quo in Euangelio Dominus. Cùm enim ille multas possessiones habens petiisset à Christo, quid faceret vt vitam æternam haberet, respondit ei Dominus; Serua mandata. Cui statim ille: Seruaui à iuuentute. Et intuitus Dominus dilexit eum. Istud quæso considerate & admiramini. Cùm verò ab eo rursus petiisset, quid adhuc illi deerat, & responsum accepisset, solummodo vnum, hoc scilicet: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, da pauperibus, veni, & sequere me, audiens, abiit tristis, erat enim multas possessiones habens. Vnde statim cœpit ad suos, & ad omnes qui circumstabant, dicere: Quàm difficilè, qui pecuniam habent, intrabunt in regnum cœlorum! Amen dico vobis, facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in cœlum. Hoc periculum iam præuiderat qui dixerat: *Aurum & argentum multos perdidit.* Eccles. 8.

2. Impedimentum. Luc. 9.

De secundo impedimento, videlicet parentum, alter est similis testis in Euangelio. Cui cùm dixisset IESVS, sequere me. Respondit, dimitte me priùs sepelire patrem meum. Et propter quod dixit Dominus postea: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & vxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. & rursus: Qui amat patrem, vel matrem, plusquàm me, non est me dignus. Quæ verba quo tempore, & modo debeamus parentes odisse ostendunt. Si enim vim præcepti diligendi cum verbis istis perpendimus, vtrumque quidem agere per discretionem valemus & debemus: eos diligere quos carnis cognatione nobis coniunctos agnoscimus, parentes & proximos: eos verò odisse, fugere & nescire, quos in via Dei inimicos patimur & aduersarios. Alioquin qui eos plusquàm me amabit, non me dignus erit. Luc. 14. Matth. 10.

Luc. 9. 3. Impedimentum.

De tertio impedimento, videlicet amicorum, etiam ille alter in Euangelio testis est. Cui cùm adhuc in eodem loco Dominus dixisset, sequere me. Respondit ei, sequar te, sed mitte me priùs nuntiare his qui domi sunt. Ecce impedimenta, & quidem nimis frequentia in itinere nostræ salutis, & quomodo illud impletur quod Dominus dicit: *Inimici hominis domestici eius.* Matth. 10.

4. Impedimentum. Leuit. 23. Ps. 40.

His tribus quartum adhuc impedimentum addi potest, scilicet timor mundi, & propriæ infirmitatis. Propterea de eiusmodi qui trepidant vbi non est timor, dixit Scriptura, terrebit eos sonus folij volantis. Sed sciant, quia qui sperant in Domino, habebunt fortitudinem. Hanc hodie Matthæus habuit, qui relictis omnibus Christum vocantem sequutus est. Qui vult Christum sequi, oportet vt promptè obediat eius voci. Perfectus obediens, vt Bernardus dicit, parat aures ad audiendum, oculos ad videndum, linguam voci, manus operi, & totum se colligit, vt ex toto mandatum impleat. Ita quidem gessit se Sanctus Matthæus, qui relictis omnibus, telonio, amicis & propinquis, statim surgens

Conditiones obedientiæ perfectæ.

surgens

surgens sequutus est Christum, & pulsanti ianuam aperuit, vt ipsum exciperet conuiuio, vti desiderare sciebat, ipso dicente: *Si quis mihi aperuerit, intrabo, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Hoc hodie in gaudio in domo Matthæi impletum est.

Conuiuium Matthæi & peccatorum cum Christo. Grande quidem suo vocanti parauerat conuiuium, cuius conuiuæ & recumbentes, sicut ipse, publicani erant & peccatores, quorumque animarum conuersio grande & pingue fuit conuiuium Christi. Adeò vt sicut in Eucharistia ipse nobis est sacrum conuiuium, in quo mens impletur gratia: ita in conuersione nostra, & si dimittimus peccata, nos illi simus nobile conuiuium, in quo summè delectatur cum Angelis in gloria. In Cruce sitiebat, quia inter latrones pendens inueniebat, B vnde gaudens sitim extinguere poterat. Quanto igitur magis hodie gaudebit discumbere inter multos peccatores, quorum salutem sitit? In prædio Samariæ sedens iuxta fontem Iacob famescit, & renuit cibos quos illi parauerant, & de ciuitate attulerant discipuli, quia iam aliis epulis & cibis erat repletus, videlicet salute mulieris Samaritanę, *Ioh. 4.* & aliorum qui ad eum veniebant. Vos discipuli mei comedite. Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris. Quæ illa est? Publicanorum, meretricum, & omnium peccatorum sanctificatio. In eorum conuersione me epulari oportet; salus animarum grande mihi est conuiuium, & panis cœli qui C præbebit delicias Regibus: gaudium enim erit in cœlo coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Faciamus ergo & nos illi hodie cum Sancto Matthæo conuiuium. Aperiamus ei cor nostrum, vt intret, & cœnet nobiscum, & nos tandem cum illo in gloria, vbi cum patre & Spiritu sancto regnat in sæcula sæculorum, Amen.

DE TRIPLICI PLAGA Iesv Christi reuelata Apostolis, & Sancto Thomæ.

Vide manus meas, & infer digitum tuum. Affer manum tuam, & mitte in latus meum. Ioh. 20.

Qvod potuimus retribuere Iesv Christo Domino nostro pro omnibus quæ retribuit nobis, exinanitio fuit, & plaga. Exinanitio fuit in Diuinitate vnita humanitati. Plaga fuit in humanitate vnita Diuinitati. De exinanitione sic loquitur Apostolus dicens: *Cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens.* De plaga *Phil. 2.* ipsa satis loquitur infirmitas naturæ qua circumdatus est, nec amplius super hoc Scripturæ & Patrum testimonio ad astruendam fidem opus est. Testis est experientia, testis est oculus, & quod manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & *1. Ioh. 1.* apparuit nobis, hoc annunciamus vobis. Infer digitum tuum huc, ait hodie dubitanti Thomæ, & vide manus meas. Affer manum tuam, & mitte in latus meum. His plagis plagatus sum in domo eorum qui diligebant me, qui me attraxerunt ad se.

Triplex plaga Christi. Triplex autem Christi plaga fuit. Vna in natura, quæ subtractio seu abdicatio fuit personæ illi debitæ: & hæc plaga respiciens integritatem na- A turæ, ab initio Incarnationis fuit, in omni temporis & vitæ decursu super terram, eritque adhuc in cœlo in æternum; vbi est, & erit semper Deus-homo. *Plaga in natura humana.* Cætera mysteria filij Dei in terra cum tempore transierunt, Natiuitas eius, infantia, passio, & mors: sed in æternum stabit illud vulnus etiam in cœlo, quia æternum est Incarnationis mysterium. Plaga est peculiaris Christo abnegatio, quam nemo Sanctorum vnquam habuit, quæ nulli vnquam fuit communicata, nec in posterum communicanda erit, quam venerati, sed non imitari possumus. Viuo ego iam non ego, inquiebat Apostolus. Sed non potest istud non ego intelligi de persona Pauli: remanet semper ego, vt dicatur, viuo ego. Sed in filio Dei non est istud Ego humanum, quia in eo non est humana persona; talisque abnegatio personæ in illo æterna est, & cum illo in cœlo est, & erit in perpetuum, tam ineffabili quàm incomprehẽsibili modo. Istud est mysterium & sacramentum absconditum à sæculis in Deo, quod primò reuelatum est Angelis, deinde Petro, postea Apostolis.

Plaga in anima. Præter hanc plagam in natura humana, altera fuit in anima, videlicet tristitia, quam ipsemet reuelauit in horto discipulis dicens: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Et in hoc genere comprehendi possunt omnia quæ Christus in anima passus est. *Plaga in corpore.* Tertiò, præter illas plagas, aliæ adhuc sunt quæ dicuntur corporis, illæ videlicet quas pertulit in membris tempore suę passionis, & prętertim maiores, quas etiam post Resurrectionem retinere voluit, hodieque Sancto Thomæ adhuc dubitanti ostendit dicens: *Vide manus meas*, &c. Quæ supersunt hic dicenda, requirantur in Aduentu, vbi in festo Sancti Thomæ sæpius de eodem agitur.

D

DE ODIO QVO MVNdus domesticos Christi prosequitur, & de præcepto charitatis, sanctissimos Simonem & Iudam Apostolos adunantis.

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Ioh. 15.

Grandis consolatio est cum Iesv Christo manere in tribulationibus. Nihil est certè quod nos consoletur amplius, quàm si cogitemus nos non esse maiores Domino. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* E Nemo deficiat animo. Non estis soli, multi Sancti, & ipse Christus in eadem sorte fuit: nihil noui vobis accidit. Si quidem tale est, & fuit vetus ingenium mundi, iustos persequi atque innocentes. Quem enim prophetarum non est persequutus? aut quis vnquam iustorũ, odium mundi nõ est expertus? Sic Naboth expertus est odiũ Iezabelis: sic Iohannes Christi præcursor & Baptista, Herodiadis: sic Michæas, Achab, eo quod ipsum arguebat, & cõtrarius erat operibus eius. Sic & Christus dixit, odio habuerunt me gratis. Nolite ergo mirari, si vos mundus odit, quia me priorem vobis odio habuit. Quasi diceret de tali odio nullo modo esse

tristandum, sed potiùs gaudendum in Domino, A inquãtum ex quo incipimus esse mundo contrarij, & tanquam aduenæ, exinde incipimus ciues esse Sanctorum, & domestici Dei. Odium mundi, amorem Dei concipit.

Ciuitas duplex ab initio mundi. Duæ ciuitates, ab initio sæculi, exortæ sunt inter se multum & semper dissidentes, Babylonis infernæ, & Hierusalem supernæ. Quare quia Babylone egressi estis, odit vos mundus: & hoc parum, imò verò multum est vobis, modò diligant vos Hierusalem ciues. Odium mundi breue est, suoque tempore stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt. O quàm præstantius est pati cum Christo & Sanctis, quàm gaudere in sæculo cum impiis! Si enim compatimur, ait Apo- B stolus, & conregnabimus. Si è contra mundo congaudeamus, simul cum eo peribimus: mundus enim transit, & concupiscentia eius, omniaque sicut vestimentum veterascent. Tu autem in æternum Domine permanebis. Quare si Christum sequamur, & cum ipso simus in tribulatione, crucem tollentes, momentaneum quidem istud & leue nostræ tribulationis, æternum pondus gloriæ operabitur in nobis. Magister noster & Dominus IESVS Christus animum semper habuit appetentissimum Crucis, vt ex ipso dicente innotescit:
Luc. 12. *Baptismo habeo baptizari, quomodo coarctor donec*
Christus suis largitur desiderium crucis. *perficiatur?* & hunc certè animum discipulis infundit, & partitur. Audiamus Apostolum: Mihi C absit, inquit, gloriari, nisi in Cruce Domini mei
Gal. 6. IESV Christi & rursus: Libenter gloriabor in
2. Cor. 12. infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. In hoc siquidem dignoscuntur discipuli Christi, si animum patiendi habeant. Alioquin, ô homo, si crucem renuas, nec eam tibi imponas, nec tibi aliunde impositam toleres, maior vis esse magistro & Domino tuo, dicente ipso: Non est discipulus super Magistrum, nec seruus maior Domino suo.

Iam autem velim vt expendas, quia Magister tuus & Dominus Christus, nullo vtique malo dignus, nec etiam vlli per se obnoxius, tamen ex patiendi animo, pro te omne malum perpessus est, D
Psal. 87. ipso in Psalmis dicente: *In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Omnes fluctus tuos induxisti super me.* Nos è contrà, eius discipuli & serui, digni omni malo, nullum malum pati poterimus? & si offeratur, fugiemus? O iniuriam maximam à seruis Domino illatam! Conditio Domini est, vt sedeat, quiescat, & ministretur ei seruorum è contrà, vt laborent, patiantur, seruiant & ministrent. Et ecce Christus Dei filius, primogenitus, hæres & Dominus vniuersorum, ipse est in laboribus à iuuentute, & tentatus per omnia, qui interim recumbere & ministrari natus erat: nos autem serui nati ad laborem, gustare & subire laborem recusabimus? Omnes quæso attendite. Non cupit E Magister & Dominus noster auditores verbi, sed factores. Si quis, ait, vult venire post me, abneget semetipsum. Ecce super eum & super nos vox patris: hic est filius meus dilectus, & Dominus vester, in ipso mihi bene complacui. Ipsum audite. Non est discipulus super Magistrum. Si mundus vos odit, scitote quia ipsum priorem vobis odio habuit. O verba nobis consolatione plena! Quomodo iam audeat quis meliora sperare? Quid à nobis exigit pater æternus, quàm vt efficiamur conformes imaginis filij sui? Ecce modò mundus eum odit, persequitur, & affigit Cruci, noli & tu dulciora quærere, meliora sperare. Dicebat Elias:

Obsecro Domine, tolle animam meam; non enim 3. Reg. 19. melior sum quàm patres mei. Tunc verò Christo melior es, aut meliora expectabis? aut dulciora desiderare audebis, qui vides Dominum, & patrem tuum spinis coronatum? Non est seruus maior Domino suo. Hæc summa sit gloria nostra, nonnihil pati pro Christo. Melius est certè aliquantulum pati cum eo, & regnare, quàm multum cum mundo lætari, & postea in æternum perire.

Hinc Moyses improperium Christi, omnibus bonis Ægypti prætulit, quando maluit cum populo Israël pati, quàm cum Ægyptiis gaudere. Ita & *Quantum mundus contrarius est seruis Christi.* nos non multum curemus amicitias, vel odium mundi, scientes quod qui amicus est huius sæculi, efficitur inimicus Crucis Christi: & è contrà. Propterea inquit Christus: Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret, similem enim similis amat. Quia verò de mundo non estis, & vos elegi de mundo, propterea odit vos mundus, vt contrarios sibi atque extraneos. Canis est mundus, qui non domesticis adlatrare solet, sed tantùm extraneis. Sic igitur Christum & suos mundus odit. *Quomodo mundus Christum odit.* Christum odit, quia ex alio mundo peregrinus in hunc venit. Peregrinus autem non facilè amicum reperit inter alienos, maximè cùm opera illorum arguit, & contrarius est eis, sicut quidem Christus erat Iudæis. *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis*, ait Sanctus Iohannes, *aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Hæc autem condemnat Dominus. Propterea igitur odit ipsum mundus, persequitur, & pariter qui sunt eius, & sicut ipse mundum de peccato arguunt, de iustitia, & de iudicio. Non est enim seruus maior Domino suo. Vnde si me persequuti sunt, dixit Dominus, & vos persequentur. Si enim in ligno viridi hoc faciunt, in arido quid fiet? Consuetudo inimicitiarum hæc est, quod qui Dominum persequuntur, etiam persequuntur & seruos.

Verumtamen nolite timere, sed potiùs gaudete. *Beneficium quod persequentes afferunt.* Possunt occidere corpus; animam autem non possunt occidere: & ideo gaudete, quod per eos habetis, quod Deo offeratis, id nempe quod maximum habetis. Magnus Abraham erat coram Deo, qui filium vnigenitum ei in holocaustum offerebat. Sed quantus erit iste qui semetipsum offeret? Nolite timere, quia certè exinde sponsam iungunt sponso; ad fontes aquarum applicant sitientem, abstergunt lacrymas ab oculis, & miserum eripiunt à miseriis. Nolite timere, animam nequeunt occidere.

Heu nos tantùm illi miseri sumus qui animam *Homo sibi ipsi crudelis est.* nostram occidere possumus, qui soli crudelem manum in nos habemus, & præter nos, nobis nihil nocere potest. Vnde ait regius Psaltes: Si consistant aduersum me castra, dæmonum castra, atque hominum, non timebit cor meum. Certè si quis timendus, tu tibi es, cùm neque Deus ipse animam tuam possit occidere. Occisam quidem potest perdere, & conicere in gehennam, non verò occidere. Propterea enim dixit: Timete eum qui potest animam perdere in gehennam ignis, id est, iuxta Græcum, repudiare, adinstar viri vxorem adulteram abiicientis. Misera fuit Regina Vasthi, quæ è regio solio deiecta, in tantum cecidit dedecus. Sed ô multo miserior est illa anima, desponsata vni viro Regi regum, Christo, cùm à tanta gloria deponit semetipsam apud Inferos, cùm mortis suæ per peccatum fit rea. Vnde à nullo quidem est timendum, nisi à seipso. Propterea si odit vos mundus, atque etiam vos ad mortem persequitur,

quitur, nolite timere: imò alter alterius onera portate, & cōsolamini inuicem. Odit vos mundus, & vos inuicem diligite. In aduersis multum solatij confert mutua fratrum dilectio. Ideoque sic exorsus est Christus: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.

Tale duorum sanctissimorum Apostolorum Simonis & Iudæ, in aduersis solatium fuit, qui quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati, quando Simon in Mesopotamiam, & Iudas in Ægyptum profecti, eodem zelo charitatis Christi, postea in Persidem conuenientes, cùm innumerabiles filios IESV Christo peperissent, simul gloriosissimo martyrio nomen Christi illustrarunt. Verùm & hoc præceptum Domini etiam vtiliùs erga proximum obseruarunt: si quidem adeò necessaria est huius mandati executio, vt Deus non dicatur diligi, si proximum nostrum non diligimus ad salutem. *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt*, dicit S. Ioh. *Deum quem non videt, quomodo diligere potest?* Ad hoc Christus de seipso nobis dedit exemplum, qui in tantum nos dilexit, vt omnes saluos fieri voluerit, & animam suam dilectam ponere pro omnibus. Ita & nos facere debemus. Quare dixit Dominus: Diligite inimicos vestros, vt filij sitis patris vestri. Orate pro persequentibus vos, & benefacite iis qui oderunt vos. Et hinc est quod suum vocat hoc præceptum, dicens: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. Meum, ait, & non philosophorum, sicut contemptui habetis. Meum, & non Mosaicum, vt non putetis abrogandum. Meum est, & stabit in æternum. Meum, à me renouatum, vobis autem mandatum: imò & perfectissimè à me impletum. Commendat enim charitatem suam Deus, quod cùm adhuc inimici essemus, pro peccatis nostris mortuus est. Vt iam sibi persuadeat vnusquisque, multū illud referre, si seruetur, & quia qui non diligit, manet in morte. Qui fratrem suum odit, homicida est: facit enim contra præceptum; Non occides, quod quidem non tantùm homicidium prohibet, sed etiam iram & odium. Denique vt adhuc vnusquisque sciat, non supra naturam esse hoc præceptum, imò iuxta eam, qua coniuncti adinuicem sumus. Sumus enim alter alterius membra; neque opus est maria circuire, vel cœlum ascendere, vt aliquis istud intelligat, quod etiam in corde suo gerit, poteritque semper inuenire. Sic enim per Moysem loquitur Israeli Deus: Mandatum hoc quod præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum, nec in cœlo situm, nec trans mare; sed iuxta te est, in ore, in corde, vt facias illud, & faciendo vitam æternam habeas.

[Margin notes: 1.Ioh.4. *Probatio amoris Dei est dilectio proximi.* — Matth.5. — Rom.5. — 1.Ioh.3. — Deut.40.]

DE OPERE CRVCIS & prędicationis IESV Christi, ad quod S. Barnabas Apostolus assumptus est.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum, &c. Matth.10.

MAGNVM & admirabile prorsus est illud opus, ad quod suos assumpsit Christus Dominus. Subleuatis aliquando oculis in cœlum, de discipulis suis ad patrem dicebat: Pater, manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo; tui erant, & mihi eos dedisti. Serua eos in nomine tuo: ego dedi eis sermoně tuum, & mundus eos odio habuit. Nunc autem ad te venio, serua eos in nomine tuo. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum, & pro eis sanctifico meipsum. Sanctifica eos in veritate; sermo tuus veritas est. Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me. Ecce ego mitto vos; sed quomodo? sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete ab hominibus, tradent enim vos in conciliis, & ad præsides ducemini propter me, & eritis odio omnibus propter nomen meum. Ecce quid prædicit suis Dominus. Veruntamen, ait, ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Item cùm tradent vos, nolite tunc cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, Spiritussanctus loquetur in vobis. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri in vobis. O admirandum persecutionis genus, quod nos gratiæ Christi consortes efficit, & organa Spiritussancti! Videte quæso quale pectus tribuit, ex quo manant postea verba Spiritussancti.

[Margin notes: A — Ioh.17. — B — Luc.12. — C]

Hic cuius dignitatis sit Euangelij prædicatio aduertitur, quæ quidem & omnes alias scientias excedit, vtpote veritatis plenissima. Ideoque in aperto prædicatur & super tecta; testem enim Deum & authorem habet. Hinc est quod cùm hodie discipulos suos misit Christus, dixit illis: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta, & non solùm vobis datum est, nunc prædicare, sed etiam aliis post vos. Quod enim in tenebris & in aurem loquuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Ne ergo timueritis. Nihil est opertum quod non reuelabitur, & occultum quod non scietur. Ita est, nec amplius in lege nostra Cherubim, qui scientiæ plenitudo dicuntur, latent sub velo Templi, vt in antiqua: sed in aperto sunt, exquo apparuit veritas in nobis, & hominibus os Domini verbum patris loquutum est, ac tandem posuit in nobis verbum vitæ & reconciliationis. Quod non tacuit Paulus dicens: Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex synceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur; qui videlicet misit nos, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo, vt alibi dicit, legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Ecce quomodo dignitas Euangelicæ prædicationis mirificè suos cultores exaltat, gloriaque non minima reddit conspicuos, cùm eos facit organa Spiritussancti: & præterea adhuc dignos qui pro nomine IESV contumeliam patiantur & mortem, sicut accidit Sancto Barnabæ & quamplurimis cum eo, qui sicut passionum, ita & amicitiæ Christi consortes fuere. Audierũt hoc à Domino, & retinuerunt, non illos timendos qui occidunt corpus. Sola enim timenda quæ animam à Christo separant, alia autem minimè. Sic dicebat Apostolus: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque creatura vlla poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo* IESV.

[Margin notes: *Cuius virtutis gratia, & dignitatis sit prædicatio Euangelij.* — D — 2.Cor.2. — 2.Cor.5. — E — Rom.8.]

Quod, heu! à Christo nos separat, solum peccatum est, & ideo solum timendum. Permittite vt hic

hic vnum superaddam, scilicet, animam nostram ita esse immortalem, vt à nullo sit mortalis quàm à nobis ipsis. Item istud audierunt discipuli, & nó obliti sũt nó esse seruos maiores Domino suo. Vnde & libentiùs cum eo mori cupierunt. Audierunt quia qui amat animam suam, id est, vitam, perdet eam, & qui odit, custodiet eam. Audierunt, vt altero vnum explicetur, eum Christum Dominum negaturum coram patre, qui non confessus fuerit eum coram hominibus; & ideo vt confiterentur Christum, animam & semetipsos abnegauerunt. Sed quid est in Deo, vel in Christo negare aliquem? vtique eum ad nihilum redigere. Sicut enim dicere Dei, est dare esse rei quæ antè non erat, ipse enim dixit, & facta sunt. Ita negare Dei, est tollere esse ab aliquo, quod antè acceperat.

Quid sit in Christo aliquem negare.

Quod vt meliùs intelligatur, sciendum est, aliud esse in Deo, negare simpliciter, & aliud negare coram patre. Si enim simpliciter Christus aliquem negaret, eiusmodi statim & certò in nihilum redigeretur, & sic de omnibus damnatis esset, si sic absolutè Deus eos negaret: istud enim est plusquàm mors corporis & animæ, vbi accidit destructio totalis. Negare verò aliquem coram patre & Angelis, est illi negare omnia æterna bona quæ pater possidet, & in illo omnes Angeli, adeò vt nihil horum bonorum vnquam perueniat ad eum, respectu cuius sic sunt omnia, ac si minimè vnquam fuissent. Denique negare coram patre infideles, est illos in eam miseriam eiicere, quam Deus solus comprehendere potest. Sicut è contrà Christum confiteri aliquem coram patre, est eum in illam sublimitatem gloriæ euehere, quã solus Deus comprehendit. Quem verò confitebitur sic? eum vtique qui priùs confitebitur eum coram hominibus. Te nunc Domine Regem & Deum confitemur, & in æternum confitebimur, qui es Rex omnium sæculorum, Rex regum, & Dominus dominantium: & qui tales confitentes te confiteberis coram patre, imò & facies, videlicet Reges, atque Deos. Et quæso nónne iam illud dixit & promisit, quod super omnia bona sua constituet seruum suum? Rogo iam, numquid istud est aliquo pacto Regem esse & Deum? Et nónne sic gloriatur Paulus, cùm dicit quod Deus consedere nos fecit in cœlestibus in Christo IESV? Annon Reges sunt qui cum Christo sic sedebunt?

Quid sit corã patre cõfiteri.

Ephes. 2.

Ad talia itaque animemur opera, quæ tantam gloriam & mercedem à Christo accipere digna sunt. Ingrediamur viam Crucis, & sequamur eum. Qui non accipit crucem suam, & non sequitur me, non est me dignus, dicit Dominus. Sed quid est crucem ferre? Est omni tempore paratum esse animo, contumeliam pati, cruci affigi, & mori, si ita exigeret gloria Christi; est vti continua mortificatione spiritus, & carnis. Sic loquitur & cupit Apostolus, vt semper mortificationem IESV Christi in corpore nostro circumferentes simus, vt vita IESV manifestetur in corporibus nostris; quod est seipsum, suasque voluntates abnegare in omnibus. Crucem adhuc ferre, est seipsum à sæculo separare, & vt Apostolus dicit, sibi mundum per Christum crucifigere, & seipsum mundo. Nam si membra sumus Christi, Crux Christi nostra erit, & sic nos pudebit habere aliquid cum mundo, si attendamus nos cũ Christo Cruci esse affixos. Sed potiùs tunc cum amatore Crucis dicemus: IESVS vt sanctificaret populum per suum sanguinem, extra portam passus est; exeamus igitur & nos

Quid sit ferre crucem.

2. Cor. 4.

Heb. 13.

A cum eo extra portam, extra ciuitatem, extra castra, extra mundum, carnem & sanguinem, improperium eius & Crucem portantes. Hæc est lex Domini immaculata conuertens animas. Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me. Qui voluerit animã suã seruare, (à cruce diuertere,) perdet eam.

O quanta hominum est deceptio! amittunt, cùm seruare existimant. Quid enim aliud homines curant, quàm reiicere crucem, vt animam seruẽt? Deliciis se dedunt, & non audiunt; væ vobis qui ridetis, & consolationem vestram hic habetis: væ his qui ducũt in bonis dies suos, qui in labore hominum non sunt, qui nũc coronantur rosis. Inuenerunt nunc sanè animam suam, sed in fine perdent. B Quis ergo ille erit qui inueniet eam, & seruabit? Qui tollet crucem suam, & sequetur Christum: hoc enim modo Christo dignus erit. Etenim licet crucem feras, si tamen Christum non sequaris, minimè illo dignus es, id est, si non ambules sicut ipse ambulauit: si in corde non habeas ignem quo debeas sacrificium accendere; nam sine igne non fit sacrificium. Sic Abraham sine igne filium suum in monte non obtulit. Sic nec sanctus Apostolus de se absque illo igne ausus est aliquid præsumere, cùm dixit; Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, (ecce crux,) charitatem autem non habuero, (ecce defectus ignis,) nihil sum, nihil mihi prodest. C Quare hoc? quia sine charitate sequi Christum non possumus, in pectore cuius tantus ardor & ignis erat amoris. Vult ergo Dominus, vt sequamur eum, si velimus illo esse digni.

Quomodo sequi Christũ debemus.

1. Cor. 13.

Sed ô Domine, quis sum ego, vt te sequi possim? nunquid puluis, & tam ad malum ab adolescentia procliuis? Quomodo ergo te sequar, cuius viæ sic exaltantur à terra; & tamen vis vt ad Crucem sequar te, & non nisi cum flamma amoris? Ad hoc quidem inuitamur; sed vbi vires nostræ desunt, nobis inuitantis gratia præstò est. Ipse enim qui præcipit, præcedit; & qui vocat, formam dat sequendi. Exemplum dedi D vobis, discite à me. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Ecce ego mitto vos, ait discipulis suis. Hic in Apostolis & eorum successoribus innotescit Dei authoritas, cuius est mittere, & prædicationis atque miraculorum in confirmationem eius gratiam conferre, vt nos quos sic misit, audiamus, & quæ dicunt faciamus.

Ecce igitur ego mitto vos, sed sicut oues. Ouium conditio illa est, nullam sui curam habere, adeò sunt simplices, & à pastoris vigilantia dependent. Sic est de Christi discipulis & Ecclesiæ pastoribus, à summo omnium pastore Christo totaliter dependere debent. Talis ouis Dei erat Rex Dauid cùm dicebat: Dominus reE git me, & nihil mihi deerit. In loco pascuæ, ibi me collocauit. Oues quidem sunt Prælati omnes, quos Deus pascit, vt ex eis pascantur cæteri: sed oues occisionis, oues inquam ad occisionem destinatæ, & consecratæ pro salute populi. Sic Psalmista: *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* & Paulus: *Quotidie morior per vestram gloriam, quam habeo in Christo* IESV. Propterea dixit Christus oues in medio luporum, scilicet, Inferni, mundi, carnis, & sanguinis: hæc enim omnia nos circumstantia militant aduersus legem & doctrinam IESV Christi.

Ouiũ & pastorum Ecclesiæ conditio.

Psal. 22.

Psal. 43.

1. Cor. 15.

Sed videamus quid propterea Dominus subiunxit,

iunxit; Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Ecce quales debent esse discipuli, & prædicatores Domini. Primò dixit, sicut serpentes. Vnde, quemadmodum ille antiquus serpens Paradisi terræ, ex spiritu diaboli, & non ex se, factus callidior cunctis animantibus, Adam, & in illo genus omne humanum prostrauit: ita oportet vt prædicator, non quidem à se, sed Dei Spiritu, cunctis sapientior, hoc genus humanum sic prostratum ad vitam reuocet, & propterea abiiciat spiritum suum, vt imbuatur Spiritu sancto, & cum Apostolo dicere queat, qui dicebat: *Præ omnibus laboraui abundantiùs, non ego, sed gratia Dei mecum.* & alibi: *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Intantum vt sicut per diabolum summa ars serpentis erat, oculos hominis conuertere in lignum vetitum scientiæ boni & mali, vt comederent, & vitam edendo perderent: ita prædicatoris summa sit ars, per Spiritum Dei homines è contrà in Crucem Christi dirigere, qui pro nobis mala nostra expertus est, ipse qui est fons omnis bonitatis.

Sed secundò simplicitatis columbæ debent recordari, quæ emissa ex arca, cùm non inuenisset inter cadauera vbi requiesceret, statim ad arcam reuersa est. Sic enim facere debent prædicatores missi à Christo vt columbæ ex arca, qui non inuenientes inter mortalia vbi pedem suum ponant, semper ad Christum redire debent. Ecce igitur in quo, qui missi sunt à Christo, debent esse prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ: sed etiam in quo nos omnes prudentiam serpentis, & simplicitatem columbæ imitari debemus, & possumus. Serpentes per media saxa transeuntes, pellem exuunt, vt nouam induant. Hac prudentia vtamur, sicque per saxa tribulationis transeamus, vt exuti veteri homine, induamus nouum, qui est Christus, qui spiritum rectum innouat in visceribus nostris.

In quo diuersimodè omnes imitari possimus prudentiam serpentis, & simplicitatem columbæ.

Columbæ simplices videntur armatæ rostro & vnguibus, & tamen non habent pro armis nisi suspiria & gemitus; suisque paribus fidelitatem seruant. Ita animæ iustæ & fideles viuere debent, cum generositate apparere, & contra pericula & insultus afflictionum, pro armis gemitus habere & suspiria ad cœlum. Dicere continuò cum Ezechia Rege in extremis posito: *Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba. Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. Domine vim patior, responde pro me.* & cum alio Rege & Psalmista: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino.*

Isa. 38.

Ps. 120.

DE ARCANIS ET thesauris sapientiæ Dei in electione S. Mathiæ locum Iudæ accipientis.

Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti paruulis. Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Matth. 11.

CVM hæc diceret IESVS Christus, meminisse arbitror electionis antiquæ præuaricatorum de cœlo, & electionis humilium; istisque admirandis & incomprehensibilibus iudiciis vidisse illa respondere quæ posuit prodigia super terram, videlicet, deponi potentes de sede, & exaltari humiles: hodie in terra Iudam, qui fuerat assumptus in ordinem Apostolorum, deserturum vt Luciferum in cœlo, principatum suum, & Mathiam accepturum locum ministerij huius & Apostolatus, de quo iste præuaricatus est, vt abiret in locum suum, locum tormentorũ: & ille alter annumeraretur cum vndecim Apostolis, gratiaq; potiretur electionis in terra, quę in cœlo data est humilib. Angelis. Propterea vt ostenderet consilia cœli ad consilia terræ referri, respondens dixit: Confiteor tibi, id est, gratias ago tibi pater, Domine cœli & terræ.

Hoc autem dignũ consideratione est, quod cùm nemo tunc interrogaret Christum, Matthæus tamẽ scripserit; In illo tempore respõdẽs IESVS ait: Confiteor tibi pater. Respondens, ait. Ad quid respondet, cùm ipsum nemo interrogat? Ecce mysterium. Patrem audierat dicentem sibi per prophetam: Ego dedi te in fœdus populis, in lucẽ gentium, paruulorum, humilium. Vnde in illo tẽpore, quasi tunc de nouo ei pater fuisset loquutus, respõdens ait: Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quia iuxta quod à te data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, in iudiciũ ego veni in hunc mundũ, vt qui non vident, videãt, & qui vident, cæci fiant; vt desertos faciã montes. i. superbos, & impleam valles, videlicet paruulos. Videbam sathanam, inquiebat IESVS, sicut fulgur de cœlo cadentem, videbam & in eo Iudam: videbam & in vtriusque miserabili lapsu, Mathiæ & omnium paruulorum atque humilium electionem, siue qui in cœlis sunt, siue qui in terris: denique in perditione præuaricantium, Sanctorum prædestinationem.

Isa. 42.

Ioh. 9.

S. Aug. ista considerans terret nos verbis suis. Magna, inquit, sunt hæc iudicia Domine Deus Iudex iuste, quia nõ securatur homo viuens super terrã, vt non fit seruitiũ sine timore, & nõ glorietur ante te omnis caro. (de iis loquitur qui è iustis efficiuntur impij, & è cõuerso.) Vidimus. n. multos Domine, & audiuimus ascẽdisse primitus quodammodo vsque ad cœlos, & inter sydera nidũ suũ collocasse, postmodum cecidisse: & eos qui iacebant in puluere terræ, à facie subleuantis manus mirabiliter ascendisse. Vidimus viuos morientes, & mortuos à morte surgentes. Vidimus eos qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quasi lutum ad nihilum defluxisse. Vidimus lucem obtenebrasse, & de tenebris lucem processisse, quia publicani & meretrices præcedunt incolas in regno cœlorum: filij autem regni eiiciuntur in tenebras exteriores. (Hæc intelligite charissimi.) Sed vnde, nisi quia in montem illum ascenderunt, in quem primitus ascendit Angelus, & descendit diabolus? Quos Deus exaltat, inuenire vult humiles. Confiteor tibi pater, &c. Nouum videt regnum inchoari, nouos ciues eligi, noua fieri omnia, se autem noui huius regni principem constitui, cuius non erit finis. Quare gratias agit, & maximè adhuc quod abscondit hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelauit paruulis. Quæ ista sunt? Omnia equidem regni sui mysteria, quæ tanta sunt, vt nullo nomine appellari possint. Hæc, dixit, laus erit illis silentium; solus Deus qui reuelat, & abscondit, nominare potest. Auris hæc non audiuit, oculus non vidit, neque in cor hominis ascenderunt.

S. Aug. Soliloq. cap. 29.

Interim

Interim mirum hic videri poterit cur Christus de eo gratias agit patri, nimirum quia hæc absconderit à sapientibus; quasi gratularetur de damnatione ipsorum. Ad quod respondebimus, non ob hoc quidem gratias agere, sed quod cùm ab illis hæc absconderit, reuelauit ea paruulis. Abscondisse autem ab illis dicitur, quia ea noluerunt recipere. Vnde addidit: Ita pater, supple, tibi gratias ago, indeque tibi confiteor, quod cùm hi regnum tuum recipere noluerint, veritatem & Euangelium, ea reuelasti paruulis qui acceperunt. Et sicut in cœlo superbos Angelos eiecisti, qui ire ad te noluerunt, existimantes se esse sapientes: illos verò elegisti, & assumpsisti, qui in oculis tuis, sicut in suis proiecti & humiles facti, te Dominum omnium, & incomprehensibilem agnouerunt, dicentes cum antesignano Michaële, Quis vt Deus? Ita nunc in terra superbos eiicis, humiles autem recipis; Iudam reprobas, Mathiam verò eligis, vt sortiatur sortem, & locum accipiat ministerij huius.

Consiliũ rigoris patris super Christũ in perditione Iudæ.

Hic autem absque consideratione, & cum silentio prætermittendum non est rigoris consilium æterni patris super filium, quo voluit vt vnius ex suis iacturam faceret, quem tam vnicè amabat. De mundo non naturæ, sed gratiæ duodecim elegerat, vt testes illi essent in omni Iudæa & Samaria vsque ad vltimum terræ, & coadiutores in opere Euangelij, ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum. Dederat illis potestatem patrandi miracula, & opera naturæ ordinem superantia. Quid dicam? singulari prærogatiua eos omnes titulo matris, fratris, ac sororis, honorauerat, tam ingens amor erat quo prosequebatur eos: vno verbo, licet venisset pro omnibus, videbatur tamen singulariter, ac magis venisse pro his duodecim. Et ecce vnus ex illis miserrimè perit. O quanta in hac iactura & perditione, I e s v Christi afflictio erat! & quàm meritoria eius resignatio & patientia circa illam! In veritate dici potest, hoc momentum & instans, in quo talis resignatio facta est, plus æternum patrem glorificasse, quàm si Iudas in gratia vocationis suæ perstitisset. Non pro vno die, non pro vno anno, aut multis sæculis, iacturam hanc tolerat, sed pro æternitate suffert eam: illum amittit, quem tantopere diligebat, prosequebaturque deliciis.

O quantum recipit pater honorem, cùm filium videt tale super se consilium ferre rigoris! Meretur Abraham vt de carne sua ipse Dei filius humanam carnem assumeret, quia pro amore Dei libenter voluit proprio filio orbari, quem in holocaustum obtulit Domino. Quid igitur merebitur de patre æterno Saluator meus Christus, qui sic & tam perfectè eius subditus consilio, etiam huius quem elegerat, & tam vnicè amabat, discipuli perditionem suffert? Hoc equidem & incomprehensibile & ineffabile est. Sed quæso, vnde & vt quid perditio ista? Nunc audite. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum pater. Manete in me; si quis enim in me non manserit, mittetur foras. Non manebat Iudas in Christo, qui vitæ eius inuidebat & gloriæ; vnde etiam missus foras & suspensus possedit agrum de mercede iniquitatis, & episcopatum eius accepit alter, videlicet Sanctus Mathias. Et sors cecidit super Mathiam, & annumeratus est cum

Vnde nostra perditio. Ioh. 15.

A vndecim Apostolis. *Nihil damnationis ijs qui sunt in Christo* I e s v, dicit Apostolus. Adeò vt sicut qui extra ipsum sunt, omnes reprobantur, ita qui in ipso sunt, omnes saluentur. Omnia mihi tradita sunt, omnium electio, gloria, salus & prædestinatio. Venite ad me omnes. Ego sum via, veritas & vita. Manete in me; si quis in me non manserit, mittetur foras. *Rom. 8.*

Audite ergo iterum. Omnis plantatio, inquit, quam non plantauit pater meus, eradicabitur. Talis plantatio Iudas fuit, qui ideo de numero Apostolorum eradicatus est. Non enim plantat eum pater, qui filium suum supplantare nititur, sicut ait: Nemo venit ad me, nisi B pater meus traxerit eum. Non te, ô Iuda, traxit pater, cuius filium tradidisti voluntati quærentium eum, & idcirco eradicaberis, vt coronam tuam accipiat alter, & locum Apostolatus, de quo præuaricatus es, vt in locum tuum abires. Et cecidit sors super Mathiam. Ipse est quem traxit ad filium pater. *O altitudo diuitiarum scientiæ & sapientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis nouit sum Domini?* Quis vnquam cogitasset quod Iudas post electionem de Apostolatu suo cecidisset, & in locum eius Mathias speciali sorte non ex hominum industria, sed Dei gratia ascendisset? Ex vocante dictum est, ait Apostolus, quia C maior seruiet minori, sicut scriptum est: Esau odio habui, Iacob autem dilexi. Mathias Iacob fuit supplantator Iudæ. Iudam Deus odio habuit, & sustulit de medio, quia fructum non ferebat in filio: Mathiam autem dilexit, quem videbat & eligebat in filio. Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Omnia mihi tradita sunt. Ecce quæ pater reuelauit paruulis. Sic Paulus de hoc cum filio gratias agit patri, dicens: Benedictus Deus, & pater Domini nostri I e s v Christi, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per I e s v m Christum, secundum propositum voluntatis suæ, in qua gra- D tificauit nos in dilecto filio suo, id est, omnem inuenire fecit gratiam in illo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ eius, sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti. Notate obsecro. Ecce omnia in Christo quæ nobis ad salutem necessaria sunt, sicut dicit: Venite ad me. Omnia mihi tradita sunt. *Matth. 15.* *Rom. 11.* *Eph. 1.* *In Christo omnia sunt.*

Sed quid dicit? Venite ad me. ô felix terminus! Omnes qui laboratis, & onerati estis, nunc deponentes omne pondus & peccatum circumstans, & in authorem fidei vestræ & consummatorem aspicientes, venite ad me. Ex vano labore vestro, ait S. Bern. venite ad me portum E quietis, ostium veritatis, medicum salutis, vt in die nouissimo veniatis ad me gloriam æternitatis. Nunc ergo venite ad me per fidem, bona opera, spem, & charitatem: vt cùm ad vos venero in iudicium, vobis dicam; Venite benedicti patris. Interim venite ad me omnes qui laboratis, in tristitia estis, & peccatis onerati estis, & ego reficiam vos. Ego sum vita, fons vitæ, & salientis aquæ in vitam æternam. Omnia mihi tradita sunt à patre Notate; cùm Christi humanitas accepit esse verbi, simul cum eo omnia eius bona accepit, omnia quæ possidet Deus. Ita dico, omnis qui per gratiam esse Dei recipit, simul etiam

etiam omnium bonorum eius suo modo consors efficitur. Sed quinam tantæ gratiæ sunt capaces? Vtique paruuli & humiles, quibus etiam Christus dicit: Venite ad me, & inuenietis requiem animabus vestris. Non sunt nisi humiles gratiæ Dei & mysteriorum capaces. Confiteor tibi pater, quia reuelasti ea paruulis. *Omne datum optimum desursum est*, ait S. Iacobus, *descendens à patre luminum.* Descendens dicit, quia non datur nisi humilibus. Sic hodie de Sancto Mathia dicitur, quod sors cecidit super eum; vt hic innotescat quia humilis erat. Finge Deum flumen esse omnium gratiarum. Flumen autem tantùm solet descendere per decliuia, vt valles illo repleantur. Et ros pariter in vallibus fructificat, non verò in montibus petrosis. Denique vt finiam, certius prædestinationis testimonium est humilitas & simplicitas cordis: sicut reproborum superbia vitæ, & duritia cordis. Aliud item signum electionis, diuinæ est sapientiæ desiderium, & sequi Christum omnibus contemptis.

Dei gratia non datur nisi humilibus.

DE PRÆPARATIONE necessaria ad ingressum IESV Christi in animam. In festo Sancti Marci Euangelistæ.

Misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipse venturus, &c. Luc. 10.

VERBIS non potest exprimi, nullíque intelligentiæ notum est, quanto cum feruore, zelo, & excessu amoris, ille sponsus cœlestis IESVS Christus animas nostras prosequitur, vt ingrediatur. Altitudinem eius considerans, & quo impetu desiderij animam humilem habitare desiderat, eam vt centrum respicere, minimè dubitarem dicere. Nolite interea existimare non aliud nisi istud habere: alterum etenim habet, quod aliud non est nisi sinus patris, neque extra se egreditur, vt inueniendo conquiescat in eo, & Diuinitatis plenitudine perfruatur. Hoc centrum sibi coæternum & consubstantiale est, sicut Ioannes dicit: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Istud verò de quo hic loquimur, tempore definitum est, humile, & vsque ad exinanitionis punctum proiectum, scilicet cor hominis, de quo dicere dignatur: *Fili mi, aperi & prabe mihi cor tuum. Deliciæ enim meæ, esse cum filiis hominum.* Mirum hoc certè est, & quis comprehendere potest? Omnia vnicum centrum habent. Ignis sursum tendit, deorsum lapis, suóque pondere corpus ad locum suũ nititur. Ponderibus suis aguntur omnia, & loca sua petunt, ait S. August. Oleum infra aquam fusum, supra aquam attollitur: aqua supra oleum fusa, infra oleũ demergitur. Ponderibus suis aguntur omnia, & loca sua petunt: minus ordinata, inquieta sunt; ordinantur, & quiescunt. Pondus non ad ima tantùm est, sed ad locum suum. Et sic homo pondere etiam eleuatur ad Deum, quia centrum eius & locus est. Pondus meum, amor meus, eò feror, quocunque feror. Dono tuo, Domine, accendimur, & sursum ferimur, inardescimus, & imus. Ascendimus ascensiones in corde, & cantamus canticum graduum. Igne tuo, igne tuo bono inardescimus, & imus Domine, quoniam sursum imus ad te. Sed quomodo imus? Pondere nostro, quod est amor. Omnia enim suo pondere locum suum petunt: pondúsque non ad ima tantùm est, sed ad locum suum & ad centrum.

Ioh. 1.

Omnia centrum vnicũ habent.

S. Aug. lib. 13. Confess. cap. 10.

A

Cum rebus igitur aliis quæ tantùm vnum & proprium centrum habent, & petunt, etiam in nostrum ferimur, nempe Deum. Et ecce filius Dei, ô mysterium & commercium admirabile! duo habet, sinum patris, & cor hominis. De vtroque sic Isaias loquutus est: Deus sublimis & excelsus habitans æternitatem, & cum humili spiritu, & contrito corde, vt viuificet spiritum humilium, & contritorum. Æternitatem habitat. Ecce vnigenitus, qui est in sinu patris, vt in centro æterno & sublimi. Et cum spiritu humili, & corde contrito. Alterum centrum est, & loco & tempore definitum, cor hominis. De vtroque similiter potest intelligi quod Euangelista dicit: *Verbum erat apud Deum, verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ecce apud Deum mansio, & altera in nobis. Iuxta quod cor hominis centrum ipsius est, cum excelso & ineffabili sinu patris. Vnde & ipse dixit simul de vtroque: Vado & venio ad vos. Vado ad patrem, & venio ad vos, cum quibus & in quibus semper inhabitare volo.

Duplex centrũ filij Dei. *Isa. 57.*

B

Ioh. 1.

Ioh. 14.

C

Sed vnde adhuc obsecro ratio illa huiusce duplicis mansionis & tendentiæ in filio Dei? Ex eo quod vtique ipsa est sapientia quæ attingit à fine ad finem fortiter. Æternus pater rerum omnium principium est & finis, & similiter homo finis omnis creaturæ, propter quem conditus est vniuersus orbis. Et ecce Dei filius à fine ad finem attingit, qui sapientia æterna est patris, & exemplar singulare hominis. Ecce duo termini & fines à se inuicem infinitè distantes, Deus & homo: Deus, cui omne esse competit; homo, cui nihilum. Ecce autẽ, ô admirabile commercium! ille qui est, & cuius centrum, esse supremum est, quærens requiem in homine, descendit ad centrum, & non esse creaturæ. Quid Domine quæris cupiens sic habitare in nobis? Delicias meas, inquit, esse cum filiis hominum, conuersari, & esse in illis, implere gratia, & Diuinitatis meæ præsentia, nihilum creaturæ meæ. Nihilum homo est, sed nihilum misericordia circumdatum: imò Dei essentia & præsentia repletum. Ita vt sicut placuit filio in plenitudine temporum communicare se homini in persona per Incarnationis mysterium, (vt Apost. dixit,) in quo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter: ita etiam placeat illi omni tempore communicare se nobis per gratiam, esse, atque speciali modo præsentiæ inhabitare in nobis, non propterea tamen egrediens ex se, aut ex sinu patris. Sicut enim radij Solis emissi in terram, orbi suo & corpori luminis adhærent: ita, ait Seneca ad Lucilium scribens, magnus animus & sacer conuersatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ.

D

E

Senec. epist. 41.

Ecce ineffabilis modus præsentiæ Dei in nobis, qui in se semper manens, inuenitur tamen præsens in omnibus, vt anima in corpore, & Sol in mundo dans esse & vitam: & specialiùs adhuc præsidet in iustis per communicationem suæ gratiæ, in quorum corde vt in centro, quærit & desiderat habitare. *Fili mi, prabe mihi cor tuum.* Ecce diuinæ dilectionis centrum, & quo ad illud pondere Deus fertur. Pondus meum, amor meus, eò feror quocunque feror. Ita Domine IESV, amor fuit pondus

tuum quod te ad imum traxit & ad limum: hominem diligis, & statim amoris pondere ad ipsum descendis, vt ad locum habitationis gloriæ tuæ. Beatus apud quem mansionem facies Domine IESV. Ipsum enim & centrum facis sacrosanctæ atque indiuiduæ Trinitatis, qui tecum semper patrem adducis & Spiritum sanctum, cum quibus vnus es Deus, essentia, voluntate, atque potentia indiuisus. *Si quis diligit me, ad eum veniemus*, &c. O beata anima quæ sedes est sapientiæ, in qua sapienti ædificat sibi domum! Quænam est illa? anima vtique iusti. Et meritò planè, quia iustitia præparatio sedis eius: & ea maximè quæ est omnis virtus, Christiana atque Euangelica virtus, humilitas, mansuetudo, charitas, patientia in aduersis, zelus & studium veritatis. Ea denique virtus de qua ipse Dominus dixit: sic decet nos implere omnem iustitiam, quæ nimirum simul ad Deum & ad hominem refeeratur.

Ioh. 14.

Omnis virtus requiritur, vt in nos Christus veniat.

Tale est mysterium quod hodie ex Euangelio exprimitur, iuxta S. Gregor. vbi legimus Christum discipulos suos binos misisse ante faciem suam. Quare quæso ad prædicationem binos? Hoc moralitate & mysterio non caret. Quia, inquit ille Doctor, duo sunt præcepta charitatis, Dei & proximi, propter quæ nobis commissum est prædicandi onus. Subditur autem quia misit eos ante faciem suam, in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipse venturus. Prædicatores enim suos Dominus sequitur, quia prædicatio præuenit, & tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit, cùm verba exhortationis præcurrunt, atque per hoc veritas in mente suscipitur, si nimirum ea priùs auribus cordis percipimus, sicut Psalmista loquitur: Os meum aperui (videlicet cordis,) & attraxi spiritum, (scilicet veritatis.) Cognoui enim quia omnia verba tua veritas. Vnde & in corde meo abscondi ea, vt non peccem tibi. Sermo enim tuus veritas est.

S. Greg. homil. 17. in Euang.
Cur Christus discipulos suos binos misit ad prædicandū.

Ps. 118.
Ioh. 17.

Omnis ergo illa ciuitas, & locus quò Dominus venturus est, & propter quod ante faciem suam discipulos suos mittit, anima nostra est, in quam minimè ingreditur, nisi antè prædicatione Euangelij præparetur, & notitia veritatis. Quomodo enim credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Euangelio: non omnes ipsi Christo pacis & veritatis oraculo, qui à patre in hunc mundum missus lumen ad reuelationem gentium, ipse priùs lucem dedit sæculo, euangelizauit inuestigabiles Aduentus sui diuitias, & illuminauit omnes, quæ fuit illa dispensatio sacramenti absconditi in Deo, vt innotescat; testimonium perhibuit veritati, nomen suum & patris manifestauit hominibus, notum fecit, & notum faciet, vt dilectio qua eum pater dilexit, in ipsis sit, & ille in ipsis.

[R]om. 10.

Sic ipse Christus reuelauit nobis, vt ostenderet etiam in eo, quomodo necesse fuit vt de sacro ore eius exiret & præiret verbum veritatis, antequam Spiritus eius locum inueniret, quem quærebat in nobis. Sed non omnes obedierunt Euangelio. In propria venit, & sui eum non receperunt: lux in tenebris luxit, & tenebræ eam non comprehenderunt. Qui receperunt eum, & verbum adhuc eius audiunt, ij sunt qui de mundo non sunt, & ij pauci sunt. Ij sunt quos filio suo Deus pater dedit, & hi pauci sunt discipuli, pro quibus patrem orat, & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in ipsum, dicens: *Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum.* Sed quomodo? Hodie binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipse venturus: prædicatores enim suos Dominus sequitur, quibus vias eius præparare munere speciali datum est. Hinc namque eis, iuxta S. Gregor. Isaias dicit: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Hinc & illis Psalmista dicit: Iter facite ei qui ascendit super occasum, id est, qui mortem quam pertulit, resurgendo calcauit, & inde maiorem suam gloriam manifestauit hominibus. Hoc itaque modo Christo iter facimus, cùm nos eius gloriam vestris mentibus prædicamus, vt eas & ipse post veniens per amoris sui præsentiam illustret, id est, per fidem habitet (viuam, & omni charitate instructam,) in cordibus vestris. Hæc est necessaria Dei cognitio, quæ in animam introducit, atque inhabitare facit fontem sapientiæ, verbum Dei in excelsis, fides per dilectionem operans.

Isa. 40.

Ps. 67.

Eccl. 1.

Verùm quænam ex parte nostri ad hoc necessariæ dispositiones erunt? Prima, obedientia & docilitas cordis. Corde enim creditur ad iustitiam, dicit Apost. & iustitia præparatio est sedis eius. & Dominus: Beati qui audiunt, & qui custodiunt verbum Dei. Sic enim in auditu auris obedientes, idem verbum in suo corde spiritualiter concipiunt. Audiam ergo, dicat fidelis anima, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Audiam quid loquantur in me, quos ante faciem suam ad prædicandum misit in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipse venturus, sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Euangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, sed non omnes crediderunt. Quod igitur primùm requirit Deus, obedientia est cordis.

Necessaria dispositiones vt Christus habitet in nobis.

Isa. 53.

Secunda dispositio est humilitas spiritus. Primò, ob magnitudinem gratiæ quæ tunc nobis confertur, & secum dat communicationem Dei animæ. Secundò, ob nihilum ipsius animæ, quæ per se non nisi nihilum, aut Infernum meretur, non autem eiusmodi communicationem supremam. Tertiò, ob eamdem gratiam & lucem, quæ solo merito Christi pro nobis humiliati diffusa est in cordibus nostris.

Tertia dispositio est puritas mentis, quæ in voluntate consistit peccatum nunquam committendi quodcunque sit, & præterea nihil nisi Deum, aut quod est Dei, in se vnquam admittendi. In continua adhærentia & mentis vnione cum ipso, vt queat dicere cum Psalmista illud breue verbum, sed complectens vniuersum: Mihi adhærere Deo bonum est. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei? Ecce nunc aperio tibi qui stas ad ostium, & pulsas, & ingressum petis. O anima admirabilis, quò te deiicis? Terram intueris, melior es. Cœlum contemplaris, altior es. Solem miraris, pulchrior es. Deo solo creatore tuo inferior es: & exinde dicam, sola capax habitationis gloriæ & Majestatis Saluatoris tui IESV Christi, qui est Deus benedictus in sæcula.

* * *

DE

DE MYSTERIIS IN verbo Dei absconditis. In festo Sancti Lucæ Euangelistæ.

Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Luc. 10.

STVPORE & admiratione plena sunt IESV Christi mysteria, & mirum in modum consonant noua veteribus. Dominus noster hodie dicit messem esse multam, quia ab initio Prophetarum, atque omnium primo semen seminatum est, quod est verbum Dei, & nos in labores eorum introiuimus, quemadmodum Apostoli, vt & qui seminarunt, & qui nunc fructus colligunt, in vitam æternam congregent & simul gaudeant. Maximè verò vbi venit plenitudo temporis in Christo, in qua vberius semen sparsum est, & simul aduenit æstas & messis: semen quod est verbum patris, factum panis & frumentum vitæ nostræ, sedulò collectum à quatuor Euangelistis, & ab illis in posterum exhibendum cunctis populis & nationibus. (Ioh. 4.)

Videamus autem nunc quàm congruè hac in re lex vetus figura fuerit nouæ, & alteram vna adumbrarit. Talem apud Ezech. visionem legimus. (Ezech. 1. Visio & explicatio.) Aperti sunt cœli, & vidi, dicit Propheta: ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, & de medio eius similitudo quatuor animalium. Similitudo autem vultus eorum, facies hominis, & facies Leonis à dextris: facies autem bouis à sinistris, & facies Aquilę desuper, vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat, vbi erat impetus spiritus. Cúmque aspicerem animalia, apparuit rota super terram iuxta animalia, habens item quatuor facies: cúmque ambulabant animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea. Spiritus enim vitæ erat in eis. (hæc erat visio.) Et quidem hæc omnia vita & spiritu plena sunt, mysteriáque non minima significant, ignis videlicet, splendor, spiritus, rotæ, & spiritus in rotis. Quibus omnibus verbum Dei, & Euangelium exprimitur. Sicut per quatuor animalia cum diuersis faciebus, verbum æternum patris caro factum, nempe Christus, qui quodammodo vermis, & non homo, quatuor facies habuit, secundum quatuor status quos in terra exercuit. (In visione Ezechielis Christus exprimitur.) Primò enim in Natiuitate sua in facie hominis visus est, in similitudinem hominum factus, dicit Apostolus. (Phil. 2.) Secundò, in sua passione, quasi in facie bouis qui ad victimam ductus est, quando in Cruce pro nobis immolatus est. (Prou. 7.) Tertiò, in Resurrectione sua faciem habuit Leonis, quando suos exterruit custodes, qui & facti sunt velut mortui. (Matth. 28.) In persona Iudæ figura pulchra est, vbi illi à Iacob dicitur: *Ad prædam ascendisti fili mi, requiescens accubuisti vt Leo, & quasi Leana.* (Gen. 49.) Et paulo post: *Quis suscitabit eum?* Magnus prædator extitit Christus, qui ascendens in Crucem omnia traxit ad se, qui requiescens in tumulo, & postea suscitatus vt Leo fortis deuicit mortem: qui denique ascendens in cœlum captiuam duxit captiuitatem. Vnde quartò in Ascensione faciem Aquilæ induit, quando ascendit super Cherubim, & volauit super pennas ventorum, eleuatáque est magnificentia eius super cœlos, vbi sedet ad dexteram majestatis in excelsis. *Et videntibus illis,* (videlicet discipulis, vt dicitur in Actis) *eleuatus est.* (Act. 1.) Ecce in illo Aquilæ facies. Ita S. Maximus. (S. Maxim. hom. 4.) Sicut Aquila, inquit, humilia deserit, alta petit, cœlorúmque vicina conscendit: ita Saluator noster humilia Inferni deseruit, Paradisi altiora petiit, & cœlorum fastigia penetrauit. Ecce igitur quomodo tunc in Christo facies erat Aquilæ, & quantum hæc visio tota conueniens illi erat.

Verùm vt meliùs adhuc omnia conueniant, iterum ad quatuor Euangelistas, sacrósque diuini verbi scriptores conuenientissimè potest referri. (In eadem visione quatuor Euangelista exprimuntur.) Quatuor sunt iuxta numerum animalium, & vnusquisque eorum sibi vendicat alterum istorum animalium: Matthæus faciem hominis; Marcus faciem Leonis; Lucas bouis, & Iohannes Aquilæ. Iuxta quod vnicuique speciale munus verba & diuersa mysteria Christi describendi commissum est. Matthæus enim genealogiam & temporalem Natiuitatem IESV Christi ex virgine secundum tribum regiam scribit; vnde faciem habet hominis. Sic enim incipit, & sic primum caput Euangelij sui concludit, dicens: Liber generationis IESV Christi filij Dauid. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est IESVS, qui vocatur Christus. Marcus faciem habet Leonis, eo quod præ cæteris describit magis, clariúsque resurrectionem Christi. Vnde etiam in die Paschatis legitur eius Euangelium. Noster Sanctus Lucas gerit faciem bouis: quia eamdem genealogiam Christi, quam S. Matthæus secundum tribum regalem deduxit, ille secundum sacerdotalem descripsit, cuius est victimas & boues offerre Deo. Denique Iohannes faciem Aquilæ habet, eo quod cæteris altiùs volauit, loquens de æterna generatione Christi.

Ecce igitur quomodo hi quatuor Euangelistæ, quatuor sunt animalia, seu facies Ezechielis: sed in medio, ignis, & iuxta, rotæ in quibus est spiritus Dei. Quidnam adhuc quæso ista sibi volunt? & quod vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat, vbi erat impetus spiritus? nisi quia isti quatuor magni consilij Angeli præ cæteris participes & conscij fuere mysteriorum Dei, & quæ illis suggessit Spiritus sanctus, scriptis suis consignarunt: per quos vitam & mores, doctrinam, mysteria, actiones, ipsa denique verba Christi accepimus; prout vnusquisque ad impetum spiritus ambulauit, id est, spiritu Christi eruditus penetrauit, vt traderet nobis.

Nunc autem quod requiritur à nobis, præparatio est animi & cordis. (Quid requiritur ad recipienda verba Christi.) Spiritus enim & vitæ verba sunt, & qui recipiet ea cum dispositione animi, vita viuet. Doctrina bona, ait Sapiens, dabit gratiam; quanto igitur magis diuina, & quæ plena est vita, imò vita ipsa? (Prou. 14.) Non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. (Matth. 4.) Quare dicit Sanctus Gregorius. Omnes qui viam vitæ scire desiderant, verba vitæ audire debent. (S. Gregor. in Ezech.) Sic Petrus alloquens Christum: *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* (Ioh. 6.) Ipsum ergo adeamus, audiamus, & ab istis quatuor Euangelistis illa verba vitæ auribus cordis recipiamus. Exiit primò qui seminat, seminare semen suum, quod postea ac post seminandum dedit aliis. Hoc semen verbum Dei est: horrea ex quibus trahitur, quatuor Euangelistę; terra & agri in quibus debeat spargi, animæ. Nunc vnusquisque videat quomodo recipiendum sit, an secus viam, id est, an debeat qui militat Deo, implicare se negotiis sæcularibus. An supra petram indurationis & pertinaciæ. An inter spinas diuitiarũ & concupiscentiæ. An verò in terrã bonã, vt centuplum afferat. Seminis enim fructificare est propriũ;

leuauit signum in nationibus, ordinauit in me charitatem, vexillum eius super me, dilectio. Ecce
Rom. 5. equidem in quo commendauit charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; & iterum,
1. Ioh. 3. vt dicit S. Iohannes, in hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.

Ecce igitur quò pro nobis peruenit Christi compassio, quò flagrauit pietas, quò excreuit benignitas, quò eius attigit amor, quò descēdit nimia charitas, qua voluntariè se obtulit; oblatus est enim
Isa. 53. quia voluit. Qua factus est obediens patri vsque ad
Phil. 2. mortem, mortem autem Crucis. Qua non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum mise-
Ad Tit. 3. ricordiam suam saluos nos fecit. Qua lauit nos à
Apoc. 1. peccatis nostris in sanguine suo. Qua denique de se holocaustum fecit in Cruce pro nobis. *Holocaustum pro peccato non postulasti*, (videlicet aliud quàm meipsum.) *Tunc dixi: Ecce venio.* O charitas, clamat
Hugo à S. Victore. Victorinus Hugo, quantum est vinculum tuum! Deum de cœlis ad terram traxisti, de terra ad Crucem; vulnerasti impassibilem, æternum fecisti mortalem. Certè totus amor pro nobis Christus esse
Cant. 3. videtur. Hoc videt sponsa, & canit; *Ferculum fecit sibi Rex Salomon media charitate constratum, propter filias Hierusalem*, id est, Ecclesiæ. Ecce quæ gratia, quæ virtus & majestas Christum portat & circumdat, est charitas.

Apoc. 1. Ecce ignis quo ardet, & splendor quo effulget, nimius amor est. Hoc videbat in Apocalypsi Iohannes in illa figura filij hominis, cuius facies sicut Sol lucebat, oculi eius tanquam flamma ignis, pedes erant similes aurichalco. In dextera septem stellas habebat, & præcinctus erat ad mammillas zona aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum, dicens quod primus erat atque nouissimus, quod mortuus fuerat, & ecce viuens erat in sæcula sæculorum. Ecce quidem visio admirabilis, visio autem filij hominis, id est, IESV Christi, qui totus est amor, primus atque nouissimus, totúsque resplendet fulgoribus amoris, facies, oculi, manus, pedes, & pectus. Nascitur cum amore, viuit cum amore, conuersatur cum amore, docet cum amore, & præceptum amoris: patitur cum amore, & cum amore moritur. Ita vt quod nobis reliquit, antequam rediret ad patrem, pignus fuerit eius supremi amoris: sicut adhuc testatus est, ideo in hunc mundum venisse, vt ipsum suo inflammaret amore:
Luc. 12. Veni, inquit, ignem mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? & sicut ex verbis Apostoli notum est nobis, quod ex amore præsertim quo hominem prosequutus est, in hunc mundum venit; & quia etiam quod tunc magis apparuit, ille amor
Ad Tit. 3. fuit. *Apparuit*, inquit, *benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei*, ex Græco legitur φιλανθρωπία, amor hominum, verè hominum amor, quia hominibus, & non Angelis venit.

Vnde antequam ad prærogatiuas S. Iohannis, quem diligebat IESVS, veniamus, operæpretium est antè charitatis eius erga nos omnes excessum agnoscere, & quomodo ex pura dilectione sua, & non ex meritis nostris, aut iustitiæ operibus saluos nos fecit. Ita enim docet S. Thom. nulla merita præcessisse Incarnationem Christi, sicut Zacharias dicit apud S. Luc. quoniam per viscera misericordiæ Dei nostri visitauit nos Oriens ex alto. Sic
Luc. 1. virgo in suo Cantico: Suscepit Israël puerum suum recordatus misericordiæ suæ. Et sic denique

A Prophetæ omnes, vt notauimus, cùm Messiam petierunt, ad misericordiam recurrerunt, & dixerunt, vbi sunt misericordiæ tuæ, Domine?

Rationes autem Sancti Thomæ tres sunt. Prima, quod merita nostra propriè ordinantur ad beatitudinem, quæ est præmium virtutis, & consistit in plena & perfecta fruitione Dei, & est actus fruentis. Vnio autem verbi ad humanitatem est in esse personali, & transcendit omnem vnionem beatæ mentis ad Deum, siquidem vnio ista hominis cum Deo in vnitatem personæ, infinito interuallo superat vnionem mentis ad Deum. Vnde cùm merita nostra non transcendant istam, alteram, quæ Incarnationis est, mereri non possunt. S. Thom. 3. p. q. 2. art. 4. *Incarnatio non cadit sub meritū. Ratio 1.*
B Secunda, quia prima gratia non cadit sub meritum, cùm sit meriti principium; vnde multo minus Incarnatio, quæ est omnis gratiæ principium: gratia enim & veritas, Iohan. 1. per Christum facta est. 2.
Tertia, quia Incarnatio Christi facta est ad reformationem creaturæ vniuersæ, etiam Angelicæ. Vnde patet nullius particularis merita præcessisse eam, quia bonum alicuius puri hominis non potest esse causa boni totius naturæ. 3.

Hæ sunt Angelici Doctoris rationes, quæ tamen intelligendæ sunt quoad condignitatem, non autem congruitatem. Nam ex congruo aliquo multi sancti Patres Incarnationem desideriis & precibus quodam modo meruerunt.
C Congruum enim videbatur exaudiri eos, cùm Deus timentibus se vt plurimum obediat. Et præsertim de virgine Sanctus Thomas dicit, quod ex gratia sibi data hunc sanctitatis gradum meruit, vt congruè posset esse mater Dei. Tamen ex condigno nullus meruit; in quo semper pura Dei dilectio innotescit. Vnde ait Dominus: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Ioh. 3.
Propter quod adhuc offert se occasio aliquid dicendi latiùs de merito, & illud denuò considerandi, prout diuiditur. Meritum ergo est triplex, Congruum, dignum, & condignum. *Diuisio meriti.*

Congruum est, quando aliquis, quantum est in se, se disponit ad gratiam. Sic dicitur de vir- *Quid sit congruum.*
D gine, quod etiam ante annunciationem, imò in ipso suæ conceptionis instanti meruit esse ex congruo mater Saluatoris, inquantum ex sua puritate maxima ad hoc disposita erat; sicut etiam ex omnibus aliis virtutibus quæ in ipsa erant.

Dignum est, quando pro augmento gratiæ aliquis meretur exaudiri, & rursus sanctificari. *Quid sit dignum.*
Vnde in Apocalypsi dicit Sanctus Iohannes: *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Et sic virgo post annunciationem Angelicam, quando consensum suum præbuit, & Spiritussanctus in eam descendit, vt filius Dei incarnaretur, dignè meruit.

E Condignum autem est, quando præmio proportionatur meritum. Et sic nullus meruit vt incarnaretur Dei verbum; quia omne certè meritum Incarnatio excedit: & sic constat quod ex puris diuinæ misericordiæ visceribus Christus ad nos venit; & quia consequenter omnes huius communis dilectionis & gratiæ Dei æqualiter fuêre participes. *Quid sit condignum.*

Interim quid hodie de Iohanne dicam? Illud equidem quod ipsemet de se ait, scilicet quod ille est discipulus quem diligebat IESVS. Discipulus ille qui plus cæteris gaudet priuilegiis Incarnationis, & dilectionis Dei. Constat ex *Iohannes gaudet priuilegiis amoris Christi.*

Sap. 11. Sapientiæ, Deum nihil odisse eorum quæ fecit, sed omnia diligere quæ sunt: vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona; valde bona, iuxta quod valde dilexit omnia, ex sola enim dilectione diuina venit, vt omnia bona sint. Tamen iste est discipulus quem diligebat IESVS. Differentia & nota Iohannis est in amore & dilectione Christi, discipulus quem diligebat IESVS. Omnibus communis, par & æqualis Dei dilectio fuit, quod nos creauerit ad imaginem suam, & Diuinitatis participes fecerit; tamen iste est discipulus quem diligebat IESVS. Item communis dilectio, quod factus homo similitudinem nostram sumpserit; tamen iste est discipulus quem diligebat IESVS. Communis adhuc erga omnes amor, quod Deus voluerit pro omnibus mori, omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; & tamen semper iste est per excellentiã discipulus quem diligebat IESVS. Ille discipulus cui præ aliis priuilegia exhibita sunt amoris; & vt notauit S. Gregor. priuilegia in vita, in morte, & post mortem.

Gen. 1.

B

Iohannis priuilegia post mortem. Post mortem, qui ex opinione multorum incorruptus seruatus est, & statim translatus ad gloriam. Ita Hugo à Sancto Victore, & Nicephorus, qui tenent eodem die quo mortuus est resurrexisse ad gloriam. Senio enim confectus, vt S. Hieron. refert super Epist. ad Galat. & plenus dierum, intrauit in foueam suam adhuc viuus, vbi statim obdormiuit in Domino, & resurrexit viuus. Priuilegia in morte, cùm, vt refert Tertullianus & Sanctus Hieron. contra Iouinianum, Romæ missus in feruentis olei dolium, purior & vegetior exciterit. Crudeli mortis generi exponitur, & ille de morte vegetior eripitur, & viuus in æternitate dierum. Existimant enim multi alij quod nondum mortuus est, sed viuus translatus in paradisum cum Elia & Enoch, reseruatus in vltimis temporibus lenire iracundiam Dei. Iuxta quod Dominus de eo dixit; Sic eum volo manere donec veniam: secundum S. Chrysost. nolo ipsum consummari per martyrium, sed volo manere. Hoc eius in morte priuilegium est, quod ille non moritur. Non tamen dixit IESVS quod non moritur, sed tantùm; Si, aut sic eum volo manere, nobis non reuelans, sed abscondens quid de eo constituerat facere, vt Petro dixit: Quid ad te, si eum volo manere? Tu me sequere. Morieris tu, & alius ducet te quò tu non vis: sed de isto, & si eum volo manere, quid ad te? Nihil certè asserere voluit Dominus de Iohannis morte. Quare etiam & nos nihil hic asseremus, sed tantùm manebimus nunc in priuilegiis amoris, quibus supra alios in vita gloriari potest. Multa quidem sunt, & omissis multis, tantùm quatuor referam.

In morte.

C

D

Priuilegia amoris in vita.

1. Primum est, quod nihil latet ipsum. Non æternæ generationis mysterium, quod ipsemet descripsit sui Euangelij cap. 1. cùm dixit; *In principio erat verbum.* Non distinctio diuinarum personarum, cùm addit; *Et verbum erat apud Deum.* Non denique ignorauit consubstantialitatem cum patre, vbi sequitur; *Et Deus erat verbum.* Non æqualitatem potentiæ, cùm dicit; *Omnia per ipsum facta sunt.* Non mysterium Incarnationis, cùm descendens dicit; *Et verbum caro factum est.* Non denique alia omnia quæ sequuntur, sicut enim scripsit, sic & ritè cognouit: benignam eius cum hominibus conuersationem, cùm dicit; *& habitauit in nobis*: gloriæ maiestatem cum nostra infirmitate, cùm ait; *vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à patre*: plenitudinem denique gratiæ in eo pro omnibus, cùm dicit; *vidimus*

Ioh. 1.

E

A *eum plenum gratia, & de plenitudine eius omnes accepimus.*

Ecce omnia, & quidem in primo suæ enarrationis capite verbis paucis comprehensa. Vnde Origenes in Iohan. ipsum præfert Paulo, dicens. Paulus raptus est vsque ad tertium cœlum: Iohannes verò supra omne cœlum, quia excedit omnem humanum & Angelicum intellectum. Paulus audiuit verba quæ non licet homini loqui: & Iohannes vnum verbum, quod licuit ei hominibus loqui, dicens; In principio erat verbum. Vnde Aquilæ comparatur, quæ omnes volucres cœli suo volatu transcendit. Sic Hieron. contra Iouinianum, ipsum cæteris præfert Euangelistis. Ipsum eius, ait, Euangelium multum distat à cæteris. Matthæus quasi de homine incipit scribere; Liber generationis IESV Christi filij Dauid: Lucas à sacerdotio Zachariæ: Marcus à prophetia Malachiæ & Isaiæ: Iohannes verò à Diuinitate. Primus habet faciem hominis propter genealogiam, Matthæus est: secundus faciem vituli propter sacerdotium: tertius faciem Leonis propter vocem clamantis in deserto; parate viam Domini. Iohannes verò noster quasi Aquila ad superna volat, & ad ipsum patrem peruenit, dicens: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.

Orig. hom. 1. in Ioh.

S. Hier. contra Iouin.

Secundum priuilegium est, quod supra pectus Domini in cœna recubuit. O qualem cum Deo familiaritatem! Quis vnquam talia audiuit? & quis vnquam tale reclinatorium habuit? Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet, inquit ipse: & Iohannes habet pectus Domini. Baptista, qui ex ore Verbi inter natos mulierum maior surrexit, trepidat tangere verticem Domini, etiam Domino iubente: ille autem supra pectus recumbit. Magdalena indignam se videt & reputat osculo pedũ eius, vnde retrò accessit, licet sit illa quæ multum dilexit: ille verò supra pectus quiescit. Thomas Apostolus tangendo latus Domini, præ stupore clamat, Dominus meus: ille autem recumbit supra pectus. Moysi promittuntur tantùm posteriora Dei, desideranti videre faciem eius: & Iohannes sapientiæ patris interiora contemplatur. Sed vultis adhuc magis eius familiaritatem considerare? Ipse est discipulus solus in cœna, qui Christum Dominum interrogare audet de proditore Iuda. Hoc in Sermone quodam notauit Petrus Damian. Tacet, inquit, Petrus cœli clauiger, & lingua quæ soluit cœlum & terram, silet: Andreas item qui primus ad fontem vitæ venit, tacet: similiter & Philippus, qui patrem sibi ostendi poposcerat; omnes tacent: Petrus autem innuit Iohanni vt interroget, Domine quis te tradet? Hæc demum notauit & Hieron. lib. contra Iouinian. Quod Petrus interrogare non audet, illum rogat, scilicet Iohannem, vt interroget. Et post Resurrectionem nunciante Maria Magdalene, quod Dominus resurrexisset, vterque cucurrit ad sepulchrum, scilicet Petrus & Iohannes: sed ille præuenit, & cucurrit citiùs Petro. Cúmque essent in naui, & piscarentur in lacu Genezareth, IESVS stabat in littore, nec sciebant Apostoli quem viderent. Solus virgo virginem agnoscit, & dicit Petro, Dominus est. Ecce in familiaritate IESV, eius dilectionis priuilegium. Quem enim, dicit S. Hieron. fides Christi virginem repererat, & virgo permansit, ideo plus amatur à Domino, & recumbit super pectus IESV.

2. Priuilegiũ.

Petr. Dam.

S. Hier.

Tertium priuilegium est, quod in eo fuerit, vt refert cum S. Hieronymo Petrus Damian. perfectio omnis sanctitatis; id est, quod perfectiones omnium

3. Priuilegiũ.

omnium Sanctorum habuerit: Apostolorum, quia scripsit Epistolas ad Ecclesias vt Magister: Euangelistarum, quia librum Euangelij condidit: Prophetarum, quia vidit in Patmos Insula Apocalypsim infinita futurorum mysteria continentem: Martyrum in oleo: Episcoporum in Epheso. Confessorum item & virginum, ita vt dici possit de eo illud

Nahum. 1.

Nahum: Ecce super montes pedes euangelizantis & annunciantis pacem. Iohannis Euangelistæ pedes super cacumina montium, inquit Aug. id est, Sanctorum: facilè enim omnes Sanctos transcendit, qui omnium Sanctorum perfectiones habuit. Priuilegia sunt dilectionis eius.

4. Et vltimũ priuilegium.

Quartũ adhuc & vltimũ priuilegium afferamus, quod quidem in eo consistit, quod Christus ei in Cruce matrem suam cõmendauit. Quodnam enim, dicit Beda, clarius esse poterat signum dilectionis, quàm cùm Dei filius in vltimo amaræ mortis articulo, suorum vulnerum oblitus, sed non dolorosæ matris, hũc tam pretiosum thesaurũ & venerabile depositum Iohanni discipulo commendauit? Hic est certè discipulus quem diligebat IESVS, cui de Cruce dicit de matre loquens, & illi commendans: Ecce mater tua; non Domina, dicit, sed mater tua. Et matri de discipulo: Ecce filius tuus; non nepos, aut seruus, sed ecce filius tuus. Ecce equidem mutua multum chara & pretiosa commendatio. O quis non videat modò quantis supra alios priuilegiis amoris Christi Iohannes gaudet? Ille est certè discipulus quem diligebat IESVS.

S. Tho. 2. p. q. 20. art. 4.
De amore Iohannis & Petri controuersia.
S. Aug. vitã actiuam ad Petrum refert: contemplatiuã verò ad Iohannẽ.

Sed quis item non agnoscat inde, quantus ipsius erga Christum super omnes fuit amor? Huius rei gratiâ formatur dubitatio apud S. Thom. in eius Summa de Iohanne & Petro, quis eorum plus diligebat Christum. De Petro enim dicitur quod Christum diligebat; & de Iohanne quod eum diligebat IESVS. S. Aug. hæc duo considerans ad mysterium refert, dicens quod vita actiua, quæ significatur per S. Petrum, plus diligit Deum, quia magis sentiens præsentis vitæ angustias, æstuantiùs cupit ab illis liberari, & sic ad Deum ire. Contemplatiua verò, quæ per S. Iohan. refertur, plus à Deo diligitur, qui eam magis conseruat, neque finitur cum actiua, sed in æternum perseuerat. Vnde S. Aug. in Ioh. vtriusque differentiam afferens, & simul inter se conferens dicit. Tota hic agitur ista vsque in huius sæculi finem, & illic inuenit finem. Differtur illa complenda post huius sæculi finem: sed in futuro sæculo non habet finem. Ergo vna bona est, sed adhuc misera: altera melior, & beata.

S. Thom.
Petrus in mẽbris, Iohannes in se Christũ diligebat, vnde diuersa vtrique res commendatio à Christo.

Sanctus autem Thom. ex sententia aliorum istã differentiam affert: quod scilicet S. Petrus plus dilexit Christum in membris suis. Quare etiam hac differentia plus à Christo fuit dilectus, qui ei etiam propterea Ecclesiam suam commendauit, & dixit; Pasce agnos, &c. Iohannes verò plus in seipso Christum Dominum suum dilexit. Et hoc modo discipulus ille per excellentiam fuit, quem dilexit IESVS. Quare etiam ei matrem suam quam summè diligebat, commendauit. Propterea hæc Bernardus dixit Per Iohannem ad virginem, per virginem ad filium, per filium ad patrem, in hoc vehiculo vehitur ab hoc sæculo.

A

DE DILECTIONE qua S. Magdalena Christum IESVM dilexit: & de statu sanctitatis eius.

Quoniam dilexit multum. Luc. 7.

SÆPIVS repletus sum consolatione, & superabundo gaudio, ex eo quod nomen dilecti do-

B

netur per excellentiam IESV Christo. Quæsiui causam, & iuxta quod mihi videtur, inueni eam. Primò, quia respectu æterni patris, nemo est tam dilectus vt ille: sicut pater ipse testimonium in aquis & in monte perhibuit huic veritati, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Sic Paulus postea hoc nomen illi attribuit, gratias agens Deo patri qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, & gratificauit nos, id est, omnem gratiam inuenire fecit, in dilecto filio suo. & alibi: Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Ecce nomen, gloria, & qualitas Christi apud Apost. filius dilectionis Dei.

Duplex ratio cur Christo nomen dilecti detur.
Eph. 1.
Coloss. 1.

C

Secundò, quia respectu omnis creaturæ, Angelorum & hominum, super omnia dilectus est, nullusque fuit, qui tot, tantos, ac tam perfectos amatores habuit. Propterea à Patriarchis & Prophetis est appellatus expectatio, desiderium, & desideratus cunctis gentibus: à Psalmista Deus cordis, & à sponsa toties in Canticis suis, dilectus. Ea siquidem plenitudine diuinitatis & gratiæ vnctus est à patre, vt omnium corda & affectiones attraxerit ad se, non tantùm hodie, sed etiam ab initio creaturæ. Exquo enim fuere homines atque Angeli, semper fuere & futuri sunt amatores IESV Christi: possibiliusque est Solem carere suo lumine, quàm mundum sanctis & iustis qui diligant & adorent

Sẽper Christus amatores suos habuit.

D

Christum. Quia ille amor fulcimentum est vniuersi, & veluti manus quæ tenet ipsum ne pereat. Neque enim mundus subsistit, nisi inquantum in eo est aliquis, & erit, qui ardet amore Christi. Nam sicut omnia vt eius gloriæ seruiant condita sunt: ita cùm nullus erit amplius in terra qui eum diligat, & se suaque in eius obsequium impendat, tunc certè resolutio mundi in proximo erit, finemque suum omnia acceptura sunt, vt inutilia ad id ad quod creata sunt. Christus veluti centrum est, quod omnia ad se trahit. Cœlum & terram, Angelos atque homines: omnium denique corda & voluntates.

Hodie Magdalenam ad se trahit peccatricem,

E

sed pœnitentem, sed amantem. Amore traxit & vinculo cordis. Vt cognouit mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, quod IESVS accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, osculabatur, & vnguento vngebat. Et conuersus ad mulierem, dixit Pharisæo: Vides hanc mulierem? Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Ecce status sublimis Magdalenæ; dilexit multum. Ecce eminentia sanctitatis eius; dilexit multum. In hoc amore multo multũ aliis supereminet, in quo iam possidet, sed & transcendit omnia. Nihil est magis hominem sanctificans & deificans quàm charitas,

In amore est omnis status & sanctitas Magdalenæ.

Laus & præstantia charitatis super omnes virtutes.

quæ est inter omnes virtutes, morales, Cardinales, etiamq; Thoelogicas, quod homo est inter animalia, aurum inter metalla, ignis inter elementa, Sol inter stellas, Cœlum empyreum inter corpora cœlestia, Seraphim inter Angelos, & ipse denique Christus inter homines. Non est animal nobilius homine, qui solus ratione vtitur, & est cæterorum Rex & Dominus. Non est metallum auro pretiosius, quod cæteris in splendore & valore præfertur. Non est elementum splendidius & efficacius igne, nec in stellis quidquam clarius Sole, & inter cœlos, empyreo quid altius, vbi regnant & viuunt beati? Similiter Seraphim primum ordinem tenent inter spiritus beatos, quia sunt Deo plus cæteris amore coniuncti. Sed inter omnes, Angelos, atque homines, Christus præcellit, qui non tantùm homo, sed vnione hypostatica Deus est. Ita igitur dico de charitate & dilectione Dei inter omnes virtutes, quæ nobilitate, pretio, splendore & altitudine eas omnes superat, quæ Deo magis est coniuncta, sed ipse Deus est, facitque vt qui eam colunt, sint vnum cum Deo, dicente beatissimo Iohanne: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* (1. Ioh. 4.)

Talis ergo status Magdalenæ erat, quæ amore tota Christo adhærebat, tota in eo erat, sicut ipse in illa. In hoc quodammodo potest exprimi quanta illa in Christo fuerit, & quàm sublimis & supereminens gradus sanctitatis eius. Omnis iustorũ sanctitas emanatio est sanctitatis Dei; fit adhærendo ei, & per participationem ipsius. Vnde sicut sanctitas Dei separatio & abnegatio est omnis rei quæ Deus non est: ita sancti eatenus sunt sancti, quatenus abstracti & separati sunt à cunctis rebus creatis, vt solùm adhæreant creatori. Et Maria hodie stans retrò secus pedes Domini tota illi adhærebat. Sanctitas adhuc seu sanctificatio, imitatio est Incarnationis IESV Christi. Nam sicut humanitas per diuinitatem sanctificata est, quæ in ipsa est: ita anima ex reali præsentia Dei in illa sanctificata est. Et sicut præsentia diuinitatis in humanitate, est fons & origo omnis plenitudinis gratiæ, & gloriæ quæ in Christo est: ita dicimus quod ex reali præsentia Dei in anima Sancti, nascitur gratia, tanquam lux ex Solis præsentia.

Vnde oritur sanctitas in iustis.

Sed quid adhuc in hoc Incarnationis & vnionis hypostaticæ mysterio videmus? Quod Christi humanitas persona propria destituitur. Ita Sanctus ex vnione quam per gratiam cum Deo est assecutus, debet seipso exui & omni peccato, vt cum Apostolo dicat; *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.* Ecce altitudo atque sublimitas sanctitatis. Talis autem Magdalena erat, quæ tota de Christo pendebat, tota illi adhærebat, in eo tota erat, non amplius in se. Quæ viuens non viuebat, sed solum Christus in ea. Et equidem conuenienter asserere possumus, Christum Dominum ferculis longè excellentioribus epulatum fuisse apud Magdalenam quàm apud Simonem Pharisæum. Apud Pharisæum pascebatur foris: sed apud peccatricem iam conuersam, intus. In domo Simonis prandebat necessitate corporis: in corde verò pœnitentis, epulis delectabatur mentis.

Fercula quibus Christũ pascebat Magdalena.

Sed quot & quibus obsecro Magdalena Dominum ferculis pascebat, dum in mensa cum Simone accumbebat, & cum illo manducabat? vtique omnia ordine in Euangelio posita sunt. Primum est, peccatorum cognitio cum bono & sanctissimo odore pœnitentiæ. Vt cognouit quod IESVS accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vn-

A guenti. Vt cognouit, tacta dolore intrinsecus, in seque reuersa, dixit cum prodigo: Surgam, ibo ad eum qui me priùs respexit & traxit, & dicam ei, peccaui in cœlum & coram te. Deus meus confundor leuare faciem meam ad te. Iam non sum digna vocari famula tua, quoniam multiplicatæ sunt iniquitates super me. Nunc Domine, nunc scio quoniam mihi malè fuit præter te: vnde me conferam ad te, vbi iam mihi bene erit de te. Pœnitens accessit, & attulit alabastrum vnguenti, cor attulit, dolore fregit, effudit, & impleta est domus ex odore vnguenti, admirandæ, & insignis pœnitentiæ eius. Mulier in ciuitate famosa & peccatrix, dicit S. Aug. non inuitata irruit conuiuio, vbi suus

Agnitio peccati cum pœnitentia.

B medicus recumbebat, & quæsiit pia impudentia sanitatem, irruens quasi importuna conuiuio, opportuna beneficio. Nouerat enim quanto morbo laboraret, & illum ad sanandum idoneum esse ad quem venerat. (S. Aug. lib. 50. hom. 23.)

Confusio Magdalenæ.

Quare ad eum accessit: sed retrò stetit. Quare retro? vtique vt confusionem suam ostenderet, quam sibi intulerat ex peccato. Ferculum secundum erat quo intus Dominum suum pascebat. Publicanus à longè stans nolebat nec oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus in domum suam aduersus Pharisæum qui illam contemnendo accusabat. Similiter ho- (Luc. 18.)

C die peccatrix Magdalena stans non quidem à longè, sed retrò, (quia & Christo proxima erat, & confusione plena,) nolens nec oculos leuare, prosternitur secus pedes, dum eam Christus iustificat aduersus Pharisæum qui illam accusabat.

Humilitas Magdalenæ.

Sed vbinam ô Magdalena iaces? secus pedes Domini. Ecce humilitas pœnitentis, & tertium ferculum quo pascebat intus Dominum. *Egredietur diabolus ante pedes eius,* quidam ait Propheta. Ideo ergo stabat Magdalena secus pedes Domini, cuius erat eiicere dæmonia. Ad Pharisæi pedes si talis mulier accessisset, ait S. August. dicturus erat quod Isaias de talibus dicit: Recede à me, noli me tangere, quoniam mundus sum. Accessit autem ad Do- (Abacuc 3.)

D minum immunda, vt rediret munda. Accessit ægra, vt rediret sana: & quæ diu malè ambulauerat, vestigia recta quærebat, stans retrò secus pedes eius.

Amaritudo animæ Magdalenæ.

Quatuor genera lacrymarum.

Quid facit? rigare lacrymis cœpit. Quartum hic est ferculum quo pauit Dominum, videlicet amaritudo animæ ex peccato proueniens, & testificata in eius lacrymis. Inueniuntur quatuor genera lacrymarum, quas Magdalena effudit. Hodie contritionis, in amara recordatione peccatorum; lacrymis cœpit rigare pedes eius. In morte Lazari, compassionis, quibus etiam Christus commotus est, sicut Euangelista dicit: IESVS ergo vt vidit eam plorantem infremuit spiritu, & turbauit seipsum. (Ioh. 11.)

E Doloris, in passione & morte Domini, vt dicitur quia sequebatur eum multa turba populi, & mulierum quæ plangebant & lamentabantur eum, inter quas procul dubio Magdalena erat, quæ etiam cum Maria matre eius iuxta Crucem stabat. Denique amoris, ex desiderio videndi eum, cùm adhuc ipsum inter mortuos quærebat, vt legimus. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Sic Angeli dicunt ei: Mulier quid ploras? & illa Tulerunt Dominum meum, &c. (Luc. 23.) (Ioh. 20.)

Quatuor Christi fletus.

Tot lacrymas fudit Magdalena, quot Christus fudit pro nobis in terra. Aliquando enim ex compunctione fleuit super Hierusalem, & afflictionem populi sui. *Videns IESVS ciuitatem fleuit super illam.* Vrbs exultans, quidnam est tibi? Propterea dixi, (Luc. 19.) (Isa. 22.)
recedite

recedite à me, nolite incumbere vt cõsolemini me super vastitate filiæ populi mei: dies enim interfectionis, &c. Similiter ex compassione cum Magdalena, & propter eius lacrymas, in morte Lazari. Item ex dolore in perditione Iudæ, & aliorum peccatorum cum illo. Lacrymæ eiusmodi in horto fuere, vbi in agonia etiam sudor sanguinis factus est. Denique in Cruce fleuit ex amore & desiderio nostræ salutis: vbi in diebus carnis suæ, sicut Apostolus dicit, preces cum clamore valido & lacrymis offerens, pro sua reuerentia exauditus est. Pro sua reuerentia, dicit, quia nostra illi ingratitudo resistebat. Ita vt etiam proruperit in vocem lamentationis; Pater vt quid dereliquisti me? Ignosce illis.

Heb. 5.

Cur oportuit Christũ flere in Cruce.

Sed curnam, dicetis, sic Christum flere in Cruce oportuit, qui voluntariè morti semetipsum obtulit? Nunc audite. Primò, vt mortis suæ acerbitatem magis exprimeret. Sic enim vult vt innotescat nobis, per os Ieremiæ dicens: O vos omnes qui transitis per viam, attendite, &c. Secundò, vt nostram hic ingratitudinem demonstraret, simulque ad compassionem nos excitaret. Non enim sua, sed nostra dolebat vulnera, quibus ille vulnerabatur in anima. Vnde sicut ascendit in altum, vt ab omnibus videretur, & clamauit pariter, vt ab omnibus audiretur: ita fleuit, vt ei omnes compaterentur. Tertiò, vt patrem æternum etiam ad misericordiam prouocaret: hinc enim est quod pro sua reuerentia & lacrymis exauditus est. Quartò denique, vt nobis in se flendi exemplum præberet pro delictis nostris. Hodie cum Magdalena, quæ pedes eius lacrymis rigabat, quæ ipsum sequens, iuxta Crucem, & ad monumentum plorabat. Cum Dauide, qui panem & potum cum fletu miscebat, cui lacrymæ panes erant die ac nocte, cuius oculi deducebant exitus aquarum, & qui lacrymis rigabat lectum suum.

Dignitas & virtus lacrymarum.

O quàm salubris est lacryma in cruce pœnitentiæ effusa! Ablue te lacrymis, laua te fletibus. Si tu teipsum fleueris, non te deflebit alius. Heu! si sua peccata Saül defleuisset, Samuel eum non planxisset. Quidnam sunt lacrymæ? Gaudium cœli, & salus mundi. Si mundus ad lacrymas confugisset, certè diluuio non periisset. Lacrymæ apud Deum habentur pro baptismate, in quo omnes lauantur maculæ. Hodie in hoc baptismate omnia peccata sua deleuit, & maculas lauit Magdalena. Quæ fuerat in ciuitate peccatrix, ait S. Gregorius, amando veritatem, lauit lacrymis maculas criminis, & vox veritatis impletur qua dicitur; dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Turpitudinis suæ maculas aspexit, & lauanda ad fontem misericordiæ cucurrit: stans retrò secus pedes Domini, lacrymis rigare cœpit, & quæ lauanda erat diluuio fontis, priùs fontem rigat suis lacrymis. O admirandæ virtutis lacrymæ! Domine da mihi lacrymas Magdalenæ. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, dixit Dominus. Lacrymæ eius testes fuerunt amoris. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent*, ait Psaltes. Magdalena cœpit lacrymis rigare pedes Domini; seminauit in lacrymis, & audiuit in exultatione cordis, remittuntur tibi peccata tua, vade in pace. Sol post pluuiam clarior fulget: & Christus verus Sol Iustitiæ post lacrymarum effusionem benignior nobis apparet.

S. Gregor. hom. 25. & 33. in Euãg.

Psal. 125.

Sed quid sunt lacrymæ? Sanguis pœnitentis animæ, & quæ sæpius fusæ reputantur pro sanguinis effusione. Sanguis inquam animæ vindictam sumentis de se, semperque puniêntis in se quod do-

A let cõmisisse. Illa fuit vindicta & punitio quam de se ad pedes Domini Maria sumebat. Hæc effusio sanguinis, quam de anima sua lacrymando extorquebat. Offenderat in oculis, & ecce lacrymæ. Offenderat in capillis, & ecce satisfactio, cùm eos impendit ad abstergendos pedes Domini. Offenderat in ore & in osculis, & ecce nunc in signum reconciliationis & amoris, pedes osculatur Dei sui offensi. Dilexit multum, remittuntur ei peccata multa. Denique sicut famosa mulier erat, mala vtique fama, quia peccatrix in ciuitate erat, nunc facta est bonus odor Christi, & domus impleta est ex odore vnguenti.

Magdalena Sancta Christi.

Prodigium certè sanctitatis & gratiæ est illa B mulier, & quam etiam vt conuenit nos colere oportet. Christi Sancta est, & per specialem gratiam adhæsionis ei, per singulare donum amoris. Multiplex est ratio honorandi Sanctos. Prima est honorandi consilium Dei super eos, quod est principium sanctitatis ipsorum. O quale fuit super sanctitatem Magdalenæ Dei consilium! Et quale ipsius fuit principium! Dilexit multum. Secunda est honorandi viam gratiæ Dei, & in ea fidelitatem Sancti. O quàm via gratiæ quam Christus tenuit super conuersionem & sanctitatem Magdalenæ, fuit admirabilis! & quàm illa ad sequendam viam extitit fidelis! Tertia est circa operationes secretas Dei in anima Sancti. Multo enim plura & C præstantiora sunt in eo quæ latent, quàm quæ oculis apparent. Omnis gloria eius est ab intus. Dilexit multum. Quarta est adorandi diuinitatem speciali modo præsentem in Sanctis. Est enim Deus in iusto, ait S. Thomas, vt cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Sic hodie de amante sua dicit Christus, quoniam dilexit multum. Quinta est gratias agendi Deo, quod ei placuerit Sanctos dare Ecclesiæ suæ, & Magdalenam inter omnes. Sexta denique erit inuocandi eos, hodieque Magdalenam cum eodem spiritu qui eam ad tantum sanctitatis gradum & statum euexit, vt cum ea in cœlis mereamur perfrui præmio amoris. Plura de hac Sancta in feriis Dom. Pass. primæ Quadragesimæ operis tripartiti.

Multæ & diuersæ viæ honorandi Sanctos.

D

DE POTENTIA ET gloria Crucis IESV Christi. In festo Exaltationis.

Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Ioh. 12.

NEMO venit ad me, dicit Dominus IESVS, nisi pater meus traxerit eum. Hic verò ostendit se etiam vt patrem ad se omnia tracturum, qui E cum eo eandem potestatem habet & naturam. Interim talis attractionis modum & rationem hodie attentiùs considerare conuenit. *Et ego*, inquit, *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Vbi loquitur de humilitate Crucis suæ, quam exaltationem appellat; & meritò, non tam quia corporaliter in Crucem exaltandus erat, quàm quia illa Crux coram Deo & hominibus initium & ratio gloriæ suæ, & veræ exaltationis futura erat: ita vt non in potentia majestatis, sed in infirmitate passionis, congressurus cum tenebrarum principe, de eo reportaret mirabilem victoriam, ipsum eiiciendo foras, & reuocando ad se quod in animas

Ioh. 6.

Ezech. 29. animas habebat imperium. Quod apud Ezechielem prædictum erat, cùm sic de diabolo loquitur, sub nomine Pharaonis: *Extrahebam te, ô draco magne, de medio fluminum, in quibus habitas*, id est, de cordibus hominum. Soli Christo quidem concessum erat extrahere Leuiathan de mari, Cetum magnum de quo Iob loquitur: quod non alteri datum est, vt ipse dixit; Iob. 1. *An extrahere poteris Leuiathan hamo?* quasi diceret, minimè. Non est humana virtus quæ illi præualeat; nisi fortè non sibi prospiciens, longiùs se protrahat super terram, vnde postea abire non possit propter defectum aquæ. Solus enim ille est modus capiendi Cetum. Sicque infernalis Leuiathan captus est, cùm sibi minus prospiciens, iniecit se super nouam nostram terram & cœlestem, non permixtam aquis, videlicet, peccatis.

Verùm quod adhuc respectu huiusce Leuiathan, qui hamo à nemine quidem extrahi poterat, impossibile erat cunctis hominibus, istud soli Christo possibile fuit, qui diuinitatis suæ hamo, carnis suæ esca cooperto, piscem hunc magnum de mari extraxit, draconem de medio fluminum, & de mundo foras principem tenebrarum eiecit, & hoc, ligneo instrumento suæ Crucis cui fuit affixus, & per quam sic à terra exaltatus, etiam ad se, & post se omnia attraxit. O potentia Crucis! Exaltatio verè admirabilis. *Figura virtutis & potentiæ Crucis.* Nihil minus timere videbatur Goliath, quàm fundam pueruli & baculum pastoris; & tamen hac funda prostratus est. 1. Reg. 17. Sic diabolus nihil minus metuebat quàm Crucem: imò & mortem nostro paruulo Dauid tentabat inferre, sollicitabat, procurabat, & ecce hac ipsa ille prostratus & mortuus est. Hæc virga fuit Mosis, qua mare aperuit Israëlitis, & reduxit idipsum super Ægyptios. Hoc lignum Elisæi, quod natare ferrũ fecit immersum aquis, id est, animas traxit ad se ex profundo Inferni. Hæc scala Iacob, quæ summitate sua cœlos tangit, per quam de cœlo descendunt Angeli, & homines ascendunt in cœlum. Audiamus quæso in hac Cruce somniantem Dominum, & reuelantem nobis quid in gradibus huius scalæ videat. Ecce, ait, nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi huius eiicietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.

Ecce erectio scalæ. Ecce exaltatio Crucis. Ecce potentia eius admirabilis, in qua, vt Sanctus Leo dicit, est tribunal Domini, iudicium mundi, & potestas Crucifixi. S. Leo hom. 8. de Pass. Domini. Traxisti Domine omnia ad te, cùm, eo tempore quo expandisti tota die manus tuas ad populum non credentem, sed contradicentem tibi, confitendæ Majestatis tuæ sensum totus mundus accepit: cùm in execrationem Iudaici sceleris, vnam protulerunt omnia elementa sententiam (te nimirum esse Dei filium:) cùm obscuratis luminaribus cœli, & conuerso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, vniuersaque creatura impiorum se vsui denegaret. Traxisti Domine omnia ad te, quoniam scisso Templi velo Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, vt figura in veritatem, prophetia in manifestationem, & lex in Euangelium verteretur. Traxisti Domine omnia ad te, vt quod in vno Iudææ Templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno, apertoque sacramento, vniuersarum vbique nationum deuotio celebraret. Nunc enim ordo, & dignitas, & sacratior est vnctio Sacerdotum, quia Crux tua, omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur

A virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.

Nunc autem videamus quomodo verè Crux est fons omnium benedictionum, vt in eam omnes hodie aspiciant. Ex ea si quidem prouenit nobis tota salus mentis & corporis, quæ causa est totius nostræ beatitudinis: & hoc non tantùm ex eo quod nobis operatur; sic enim principium est & causa omnium gratiarum, sed etiam ex eo quod omnium est forma, disciplina, & instructio virtutum: atque in eo fons perennis semperque fluens omnium benedictionum. *Crux Christi fons omnium gratiarum & benedictionũ.* Hinc S. Bernardus in quatuor illis extremitatibus Crucis meditando inuenit quatuor omnium altissimas virtutes, humilitatem, patientiam, obedientiam, & charitatem. B *4. Altissimæ virtutes in Cruce. Humilitas.*

Humilitatis consideratio est in inferiori cornu Crucis: cuius virtutis iam dederat exemplum in Natiuitate sua, vbi apparuit in similitudinem hominum factus, qui ante per Incarnationem exinanierat semetipsum formam serui accipiens. Item in lotione pedum Apostolorum, linteo præcinctus, & ante eos prostratus, postea dicens eis: Ecce exemplum dedi vobis, non est seruus maior Domino suo. Ioh. 13. Sed admirabiliter in Cruce, vbi humiliatus est ab iniquis, & inter iniquos vsque ad formam peccatoris. Ista autem tanta est virtus, vt sit fundamentum aliarum, parens & forma omnium, vt nec ipsa virgo absque ea mater Dei esse potuerit, ipsa dicente; C *respexit humilitatem ancillæ suæ*: vt nec denique Imperator Heraclius absque ea hodie Crucem meruerit portare. Cùm enim deuicto Chosroa Persarum Rege, voluisset Pius Imperator Hierosolymam redire, suisque humeris soleni celebritate, Crucem in eum montem, quò eam Saluator tulerat, referre, vt erat auro & gemmis ornatus, insistere coactus est in porta, quæ ad Caluariæ montẽ ducebat, vltrà non valens progredi. Cui Zacharias Hierosolymorum Antistes, vide, ait, Imperator, ne isto triumphali ornatu, in Cruce ferenda, parum IESV Christi paupertatem & humilitatem imitere. Tum Heraclius abiecto amplissimo vestitu, detractisque calceis, ac plebeio amictu indutus, reliquum viæ facilè confecit, & in eodem Caluariæ D loco Crucem statuit, vnde à Persis fuerat asportata. Hinc Exaltationis Sanctæ Crucis solemnitas quæ hac die celebratur, illustrior haberi cœpit.

Obedientia est secunda virtus, quæ adhuc admirabiliter coruscat in dextro cornu Crucis: *Obedientia.* sic enim humiliauit semetipsum Christus, ait Paulus, vt fuerit factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Talis verò & tam extrema obedientia illi fuit conueniens propter iustificationem nostram. Sicut enim per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita Rom. 5. per obedientiam vnius multi constituuntur iusti. Vnde etiam non sine mysterio factum est, vt de E Bethania, quæ dicitur domus obedientiæ, Christus Dominus transierit ad montem Caluariæ. Hanc verò obedientiam docuit, primò veniens in mundum, sicut ait: *Non descendi vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me, patris.* Ioã. 6. Item transiens per mundum, cum hominibusque conuersans. Sic enim dicebat discipulis suis per Samariã transiens, & sedens supra fontem Iacob, ex itinere fatigatus: *Cibus meus est vt faciam voluntatem patris.* Ioh. 4. Et rursus: *A meipso facio nihil, sed sicut docuit me pater, hæc loquor.* Ioh. 8. Tertiò tandem de mundo exiens. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Non mea, sed tua voluntas fiat.* Matth. 26. Sequamur eum charissimi, & in omnibus obediamus ei,

vt cum

vt cum Apostolo valeamus & audeamus dicere: Christo confixus sum Cruci. Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus. Ipsum ad Crucem sequamur, vbi in signum obedientiæ inclinatum caput habet. Sed quid est obedientia, nisi diuinorum præceptorum virtus perfectissima?

Patientia. Heb. 12. Consideratio patientiæ est in sinistro cornu & latere. Vnde dixit Paulus: Considerate eum, recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem: eum qui sicut ouis ductus est ad occisionem, & quasi agnus mansuetus coram tondente se obmutuit. Mirabilis certè illa fuit IESV Christi in Cruce patientia. Quare iam, dicit S. Bern. omnis labor est leuis, omnis amaritudo dulcis, omnis pœna tolerabilis, si consideremus quid in Cruce biberit & tulerit Christus. Heu! quot tormenta & dolores?

Charitas. Consideratio charitatis est in altiori parte Crucis, tanta siquidem est, vt nulla vnquam maior extiterit, dicente Domino, *Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam suã ponat quis pro amicis.* Commendat autem suam Christus in nobis, qui posuit animam suam in Cruce etiam pro inimicis suis. Ecce igitur quomodo Crux fons est omnium benedictionũ, & quomodo in eam nobis est aspiciendum, per quam datur credentibus salutis & vitæ remedium. Exaltatio serpentis ænei in deserto

Num. 21. his tantùm proficiebat, qui in eum aspiciebant: vnde pariter nos erudiuit Christus quid in exaltatione suæ Crucis agere debeamus; alioquin timẽdum, ne frustra fuerit Cruci affixus pro nobis. *Sicut*

Ioh. 3. *Moyses, ait, exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt* (iam causam perpendite,) *omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ideo enim & in Cruce, & in gloria exaltatus est, vt in eum respiciant omnes, non oculis carnis; hoc enim nihil confert ad salutem, sed mentis & fidei oculis, id est, vt in eum credatis, & credentes vitam æternã habeatis, vt ad eum curratis, tanquam in authorem fidei & consummatorem bonorum omnium aspicientes, quæ ab eo petere & præstolari debetis, sicque semper veluti mediatorẽ Dei & hominum inter cœlum & terrã exaltatum consideretis, & quomodo omnis nostra exaltatio in ipsius Cruce existit, ac tribulatione, per quam consortes efficimur æternæ gloriæ. Beatus enim vir qui suffert tentationem, ait S. Iacobus, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

Oculis fidei & mentis in Christũ crucifixum est aspiciendum.

DE SANCTO STEPHANO PROTOMARTYRE.

Ierusalem, Ierusalem quoties volui congregare filios tuos, & c. & noluisti? Matt. 23.

BEATVS noster & protomartyr Stephanus, qui primus sanguine Christum confessus est, occasionem nobis præbet inuestigandi profundissima diuinæ Incarnationis mysteria. Inter plures & cõ-

S. Tho. 3. p. q. 3. art. 8. uenientiores causas, quæ sunt apud S. Thom. vna summopere notanda est, videlicet, quod persona incarnanda mediatrix esse debebat inter Deum & homines, & vt mediatrix, orare Deum in natura assumpta, nobisque perfectissimum exemplum dare omnis virtutis; vt humilitatis, obedientiæ, diuini cultus & reuerentiæ. Hæc autem omnia magis

A personæ filij competebant, qui medius est inter patrem & Spiritum sanctum, & cui adhuc vt filio magis cõueniebat, patrem orare, & ei reuerentiam exhibere, quàm patri hæc filio præstare. Vnde ipsum filium decuit talis mediatoris ratio intẽr Deum & hominem: & sic ipsum venire in tali natura quam assumpsit, in qua posset nos reconciliare patri. Figura pulchra est in Aaron, qui assumpto thuribulo & igne egressus est obuiam iræ Dei, quæ iam sæuiebat in populum, & stans inter mortuos & viuentes pro populo deprecatus est, & plaga ignis alieni cessauit. Ita Christus, assumpto humanitatis nostræ thuribulo, cum igne suæ diuinitatis, iræ Dei patris occurrens, stetit inter mortuos & viuentes, inter peccatores & iustos, inter homines & Angelos, paulo minor factus ab illis: deniq; inter peccatores mortuos, & Deum ipsum viuentem in sæcula sæculorum, orans & mediator, vt ignis alieni plaga cessaret, plaga infidelitatis nostræ, plaga iræ Dei, quam & cessare fecit, vt dicit Apostolus ad Timoth. cùm semetipsum obtulit in redemptionem. Vnde ab eodem ita est appellatus, mediator Dei & hominum.

Causa cur filius incarnatus est, fuit mediatoris ratio. *Figura.* Num. 16.

Mediator, inquantũ satisfecit pro nobis, & nunc pro nobis adhuc apud patrem intercedit. Sic hodie stantem à dextris Dei Stephanus vidit. Mediator, inquantum & ea quæ beatitudinis sunt, hominibus communicat. Propteréaque hodie est in dextera patris, inde dona sua in nos transmittens, sicut dicit: Pater, claritatem (scilicet immortalitatis) quam tu dedisti mihi, dedi eis. Mediator, vt communicans vtraque natura cum Deo atque hominibus: cum Deo diuinitate, & cum hominibus humanitate: Deus de Deo ante sæcula genitus ex substantia patris; homo verò de homine ex substantia virginis in sæculo natus. Atque hinc certè mediator Dei & hominum dictus; Dei, qui in eo posuit causam omnium hominum: hominum autem, qui in eo habuerunt & statuerunt fiduciam suæ reconciliationis apud patrem. Adeò vt sic de eo Propheta locutus sit quasi gerente vicem & personam simul Dei & hominum: Dei sic dicentis homini; Ponam in salutari tuo (causam meam:) & statim additur hominis responsio: Et ego fiducialiter agam in eo. Sit mediator, pax nostra & reconciliatio, lapis angularis inter nos & Deum, & qui faciat hæc duo extrema vnum.

Quot modis Christus mediator dicitur. Ioh. 17.

Verùm lapidem hunc reprobauerunt ædificantes. Ierusalem, Ierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare, conciliare filios tuos, & noluisti? Omni certè tempore voluit nos Deus congregare sibi, tempore naturæ, legis & gratiæ, mittendo propterea ad nos Patriarchas, & Prophetas; nouissimè autem filium suum, & noluimus. Lex præcessit naturæ, etiam lex scripta, & noluerunt qui sub illis vixerunt. Missi sunt Patriarchæ & Prophetæ, & ecce occisi sunt. Hoc est quod hodie exprobrat illis Stephanus dicens Actor. 7. Quem Prophetarum non sunt persequuti patres vestri? Ierusalem, Ierusalem quæ occidis Prophetas. O Ierusalem dicit S. Chrysostomus, misi ad te Isaiam, & secasti eum: Ieremiam, & lapidasti eum, (& sic hodie lapidauerunt Stephanum.) Misi Ezechielem, & tractum per lapides excerebrasti eum. Quomodo iam sanaberis quæ nullum medicum admittis? Ierusalem quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro te? Ecce enim post seruos & nuncios interfectos hæres. Fortè, dixit

Omni tẽpore voluit nos Deus reconciliare sibi. S. Chrysost.

dixit pater, verebuntur filium meum; sed non veriti sunt, imò & occidere cogitauerunt. Hodie venit, & in Bethleem Ciuitate Dauid natus est. In propria venit, & sui eum non receperunt. Dicam, & adhuc puerum ad mortem persecuti sunt, quousque tandem & ipsum,& Prophetas suos occiderunt. Hodie lapidauerunt Stephanum innocentem, & dicentem; Domine IESV, ne statuas illis hoc peccatum. Ierusalem, Ierusalem quæ occidis Prophetas, quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Quid debui facere vineæ meæ, & non feci? Ecce tempus acceptabile, & dies salutis, tempus gratiæ, & non amplius legis, redemptionis,& non amplius captiuitatis. Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Hodie certe plusquam antè cupit nos omnes sub se congregare, qui se coniunxit nobis. Ecce enim tempus aggregationis, vnionis, & non dispersionis, tempus plenitudinis, & plenitudo temporis, in quo misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret,& adoptionem filiorum reciperemus. Venit,ô homo, ad reconciliandum te patri, & congregandum te sibi sub alas suas, sicut gallina pullos suos, & noluisti.

Tēpus Christi, tēpus est vnionis.

Proprietates gallinæ Christo comuenientes.

Pulchrè & humiliter accommodat sibi Christus gallinæ nomen & proprietatem. Gallina cùm videt pullos suos dispersos, clamitat vt congre-
1. get illos, protinusque etiam accurrit, cùm eos clamitantes audit. Ita Christus clamat vt nos conuocet ad se, dicens: Venite ad me omnes. Sic Ioh.7. in die festiuitatis magno clamabat IESVS, & dicebat: Si quis sitit, veniat ad me & in Prouerb dicitur, quia foris sapientia clamitat,& in plateis dat vocem. Verùm vt Psalmista dixit, etiam de cœlo ipso intonuit, & dedit vocem suam Altissimus. Si autem nos clamantes audire contingat illi, iam nobis liceat videre quàm protinus accurrit nobis dicens: Clamabit ad me, & ego exaudiam. Sic clamantem Stephanum audiuit, & ecce statim de cœlo apparuit illi, qui dicit: Ecce video cœlos apertos,& IESVM stantem,&c.

Ioh.7. Prou.1. Psal.90.

2. Gallina nihil inuenit ad edendum, quod non statim diuidat & impartiatur paruulis suis. Ita Christus nihil habuit quod non communicauerit nobis, corpus & sanguinem, diuinitatem & vitam. Denique vt mediator Dei & hominum, quæ accepit à patre & nobis, eadem retribuit nobis.

3. Huic proposito conformiter dicam? Gallina exponit se & opponit rapacitati milui, & cum eo vnguibus & rostro contendit pro salute pullorum; adeò vt sæpius in pugna suas pennas amittat, & pro eorum defensione & vita vulnerata occumbat. Ita Christus. Et quæso in eum crucifixum attollamus oculos; nónne ipsum spoliatum, nudatum, vulneratum, sed & pro salute nostra mortuum videbimus? Iustitia Dei rapere venerat peccatores, abiectos & viles, impotentes ac paruulos: & pro illis ipse se exponit. Illa est eorum sanguinis cupida: ipse verò vt mater honorificata vitæ & salutis. Magna hæc certè contentio fuit inter Dei filium, & iustitiam eius. Atrox pugna, & nusquam similis in sæculis fuit, vbi tandem filius Dei pro defensione & salute peccatorum, cedens iustitiæ, occubuit. Vnde ait: Si me quæritis, sinite hos abire. Ecce ego sum, & pro illis offero,& sanctifico meipsum. Pater ignosce illis. Mei sunt, & pono animam meam pro eis. Inter te & illos fideiussor ero, Pontifex, purgationem peccatorum faciens, & à peccatoribus segregatus, mediator in sanguine, innocens, impollutus, vt & ipsi misericordiam consequantur.

Ioh.18.

Hic offertur occasio vt aliquid dicamus de differentia & distinctione quæ est inter mediationem Christi, & Sanctorum, vt Stephani, qui hodie pro persecutoribus exorauit. Nam ex S. Tho. 3. p. quæst. 26. art. 1. conuenit Christo vt sit mediator simpliciter, absolutè, & per redemptionem, adeò vt hac ratione vnicus sit apud patrem qui factus est propitiatio pro peccatis nostris, & totius mundi: qui nos reconciliauit omnes in sanguine suo, vt dicitur, quod Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi; & sic vnicus qui semetipsum obtulit in redemptionem pro multis, id est, omnibus. Aliis verò vt Sanctis dispositiuè conuenit & ministerialiter, seu per intercessionem. Sic hodie Sanctus Stephanus Dominum suum in Cruce imitans dum lapidatur, orat & dicit; Ignosce. Hæc distinctio sufficit, vt respondeatur omnibus hæreticorum argumentis.

In quo mediatio Christi differt à mediatione Sanctorum.

1. Cor.5.

Sed redeamus ad comparationem nostram, &
proprietatem. Gallina cùm tegit pullos suos sub 4.
alis, suum illis calorem impartitur, & fit macilenta, vt illos foueat, detrimentum patitur, vt illis vigorem communicet. Idem videamus in Christo, qui nos vndique protegit sub alis suæ misericordiæ, etiam cum detrimento aliquo gloriæ suæ & Majestatis: pauper nascitur, vt nos ditescamus; homo, vt nos Deos efficiat, & vt repleat nos consolationibus, & vigore; languores nostros ipse tulit. Elisæus 4. Reg. 4. expansus super mortuum puerum, calore suo reuocauit ad vitam. Et sic Christus totus super nos extenditur, vt nos ad vitam de morte reuocet. Ita enim natus est, vt sua morte vitam nobis mereatur æternam. Sed videamus amplius quomodo nobis sua propria iactura, & exinanitione, vigorem largitus est In Cruce dicit: Pater, vt quid dereliquisti me? Stephanus è contra hodie gaudens, & consolatione repletus, videt cœlos apertos, inuocat & dicit; Ignosce.

Sed videamus adhuc quomodo certè multo plus nos amet & foueat, quàm gallina pullos suos. Gallina tantummodo pullis suis alas aperit, non cor, & pectus: Christus verò non solùm alas aperuit, manus & brachia in Cruce extendit, vt obumbraret nos, vt Psalmista dixit; *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis*: verùm etiam latus & cor, vt ingrederemur. Nec adhuc contentus istis, sed & sua membra nos effecit, dicens: Volo pater, vt in nobis vnum sint, sicut ego & tu vnum sumus: adeóque etiam nos in sui cordis penetralia introduxit, vt nos voluerit esse participes eiusdem gaudij quo ipse fruitur in sinu & gloria patris, vnicuique dicens qui fideliter seruierit ei: Intra in gaudium Domini tui,& ecce modò tibi aperiuntur cœli, vt eius gloriam qui te expectat, contempleris. Stephanus hodie contemplatur, & ait: Ecce video cœlos apertos, & IESVM stantem, &c. Sed quibusnam aperiuntur cœli? vtique Martyribus & his qui lauerunt stolas suas in sanguine Agni. Ideo enim coronati possident palmam, vt Stephanus. Etiam his qui, vt ille, orant pro inimicis & persequentibus. Isti enim filij habentur cœlestis patris, sicut dicit: *Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est.* Hi sunt certè de quibus filius sic loquitur ad patrem: Volo pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus: vbi ego sum, illic & minister meus erit. Vbi es Domine

Psal.90. Ioh.17.

Quibusnam aperiuntur cœli.

Matth.5 Ioh.12.

Domine IESV, nisi in cœlo ad dexteram patris? Ecce video cœlos apertos, & IESVM stantem, &c. Et vbi ego sum, illic & minister meus erit. Vbi es Domine IESV, nisi in patre & throno Majestatis? Et volo pater, vt vbi ego sũ, illic sit & minister meus. Ecce præmium & corona ministrorum Christi, cœlum, dextera, thronus, Majestas & gloria patris, iucunditas in cœlo, altitudo in dextera, dignitas in throno, dominatio in Majestate, & in patris gloria æternitas. Ecce inquam corona iustitiæ, quam reddidit Stephano martyrio coronato iustus Iudex, atque etiam omnibus suis fidelibus ministris reddet in regno patris sui.

DE SS. INNOCENTIBUS Martyrum floribus, & primis Christi in sanguine testibus.

Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum. Matth. 2.

SOLIVS Christi est summi Dei, è summis malis scire summa bona elicere. Quis non miretur, eum qui venerat in mundum dare vitam & felicitatem omnibus, permittere crudelitatem hostium grassari, vt vitam perdant innocentium, & tam acerbum dolorem afferant afflictis matribus? Qua quæso ratione ille qui est princeps pacis, & in cuius natali vniuersalis pax ab Angelis audita est in terris, causa & occasio est belli tam immanis indicti infantibus? Deus certè solus est qui è summis malis nouit summa bona eruere, & suam prodere, atque dilatare gloriam de absconditis. Hodie crudelitate Herodis vtitur, vt ipse qui venerat absconditus, magis innotesceret toti mundo, hoste deluso, qui quærebat puerum ad perdendum eum. Itéque vt innocentibus pueris maiorẽ conferret gratiam, addendo eorum innocentiæ, coronam martyrij. Ecce enim, dicit S. Aug. profanus hostis numquam beatis pueris & paruulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio. Iis vt plurimum Dominus vtitur instrumentis, quæ accommodatiora videntur ad gloriam suam. Sic Pharaone vsus est, cùm populum suum de Ægypto educere voluit in manu potenti. Sic hodie Herode vtitur, cùm filium suum introducit in Ægyptum.

Cur permisit Christus occidi Innocẽtes.

S. Aug. Ser. 10. de Sãctis.

Ad famam Messiæ per vniuersum orbem deferendam multum certè seruiebat Herodis crudelitas in istos innocentes pueros, quæ nõ solùm Romæ, sed statim etiam vbique terrarum diuulgata est; & qua etiam Deus vsus est, vt simul causa vbique agnosceretur, quæ Natiuitas Messiæ erat. Sed potioribus item bonis minimè caruerunt interfecti infantes, cùm in hoc testimoniũ Christi assumpti sunt, & priusquàm corrumperent vias suas, aut mutarent intellectum, rapti sunt ad gloriam. Ita Chrysolog. Christus non despexit suos milites, sed prouexit, quibus dedit antè triumphare quã viuere, quos donauit coronis antequam membris. Beati quos martyrio natos vidimus esse, nõ sæculo: beati ventres qui eos portauerunt, & vbera quæ lactauerunt, & beatæ lacrymæ quæ pro ipsis fusæ sunt. Denique illi beati qui martyrio suo in testimonium, & fidem Christi assumpti sunt. Legitur in Reg. historia, quod cùm Dauid intulisset Arcam Domini in Bethleem, ipse immolauit hostias pacificas Domino. Ita hodie factum est, cùm in

Chrysolog.

1. Reg. 6. Figura.

A Bethleem pater æternus intulit Arcam suam, scilicet humanitatem Christi sui: etiam illi statim immolatæ sunt hostiæ pacificæ, & victimæ innocentes, pro eo pueri interfecti sunt, de quibus propterea ita canit Ecclesia: Vos prima Christi victima, grex immolatorum tener.

Ad eos itaque, dimisso Herode, mentem nostram conuertamus & oculos, qui sic à principio ætatis suæ, gloriæ & defensioni Christi sui, & Domini seruierunt. Expugnaturus quis hostem constituit in prima acie fortissimos: & ecce hodie fortissimi Christi milites cohors infantium est. Sed fortitudinẽ agnoscere vultis? Audite quid de illis dicat Chrysol. Coorta Regi suo cohors, inquit, magis

B præmori voluit quàm commori. Christo dicati milites cœperunt antè militare quàm viuere, antè pugnare quàm ludere, fundere antè sanguinem quàm lactis vbera perpotare. Hæc Chrysol. Num aliquando audistis, quia elegit Deus infirma mundi, vt confundat fortia? Ecce nunc prima omnium infirmorum electio, ad terrorem & confusionem omnium potestatum mundi, infantium est electio.

In infirmis ostẽdit Deus potẽtiã suã.

In Exod. paruulus eligitur Moyses, ouium pastor, & mittitur ad Pharaonem, vt ei loquatur, & educat tandẽ de Ægypto filios Israël, licet impeditioris linguæ sit, & nihil præter virgam in manu habeat. Ita in Samsone, omnem Deus fortitudinem posuit in capillis eius, & nõ in brachiis. Sic gerit se Deus,

Exod. 3 & 4.

C qui in infirmis vult videri potentior quàm in fortibus. Sicque hodie cohors infantium pronuntiare incipit potentiam eius, & dicere, implendo Dauidicum illud: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem*; Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. De his in Apoc. dictum est. Hi sunt qui empti sunt ex omnibus primitiæ Deo & Agno: hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocunque ierit, candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, & sapphiro pulchriores.

Apoc. 14.

Exclamat S. Aug. in Serm. & dicit. O beata es, ô Bethleem terra Iuda, quæ Herodis immanitatem

S. Aug.

D perpessa es in puerorum extinctione, quæ sub vno tempore candidatam plebem imbellis infantiæ Domino meruisti offerre: scilicet cùm illo simul nato Domino, eidem, ô Bethleem non minima in principibus Iuda, plebeculam hanc in infirmitate sua fortissimam obtulisti. Quare non est opus, nec conuenit vt amplius audiatur iste vlulatus multus in Rama. Non conuenit vt ploret Rachel filios suos, quia non sunt, sed potiùs gaudeat & lætetur quod non sunt, & quia per hoc Domino hostiæ sunt.

Quare iam de hostiis ad Dominum, cui oblatæ & immolatæ sunt, transeamus, & de his floribus Martyrum ad vnigenitum Dei, propter quem sunt occisi, conuertamur, sequamúrque

1. Pars de fuga Christi.

E fugientem in Ægyptum. Multi equidem infantes occiduntur, sed vt vnus occidatur inter omnes; & certè iam in illis omnibus moriebatur, etsi ferè nondum natus. Sed quid interim agit Deus? Tyranni astutiam eludit, qui per Angelum Iosepho dicit: Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum; futurum est enim, &c.

Chrysologus quinque ponit rationes cur Christus fugerit. Bellicosus, inquit, quod fugit, artis est, non timoris. Deus hominem quod fugit, sacramẽti est, non pauoris. Christus fugit, vt producat hostem, & publicam victoriam reportet. hæc ratio

Fuga Christi quinque rationes.

S. Chrysol.

prima est. Secunda, quia mors Christi tunc fuisset infirmitas, non virtus, casus, non voluntas, innocentiæ præmium, non gloria Maiestatis. Tertia, quia necesse erat prophetias impleri. Quarta, occultatio causæ nostræ salutis. Quinta, amoris indicium erga illos pueros. Si enim stetisset, haberet eos Synagoga filios. Ecclesia Martyres non habuisset. Hæ sunt Chrysologi rationes cur Herodis persecutionem Dominus IESVS fugit, & in Ægyptum ductus est.

Figura. Gen. 39.

Ioseph dilectus patri præ cæteris suis fratribus, cùm liber esset, tamen seruus in Ægyptum descendit fugiens fratrum suorum inuidiam. Ioseph ductus est in Ægyptum, fuitque Dominus cum eo. Sic hodie Christus dilectus patri præ cunctis filiis & Regibus terræ, fugiens fratrum suorum inuidiam, cùm liber esset, seruus tamen descendit in Ægyptum. Quid est enim Ægyptus, nisi domus seruitutis? Et quis tam seruus quam is qui propter peccata nostra omnium etiam dolorum nostrorum seruus factus est? sicut apud Prophetam conqueritur dicens: Seruire me fecistis in peccatis vestris, & dolorem mihi præbuistis & laborem. Propterea itaque hodie in Ægyptum descendit domum seruitutis.

Exod. 13.

Mysterium. Exod. 12.

Sed adhuc mysterium aliud erat cur potiùs in Ægyptum quàm in aliam regionem descenderit Christus. Legitur enim quod Dominus omnia primogenita abstulerat ab Ægypto: vnde hodie primogenitũ suum illi reddit, qui omniũ valorem primogenitorũ habet & excedit. Accipe puerũ & matrem eius, & fuge in Ægyptũ. In Ægyptum fugit, quando factus in similitudinẽ nostræ carnis peccati, ad nos peccatores diuertit. Sed ad quid, nisi vt postea nos de hac seruitute Ægyptiaca & peccati liberaret? Causa n. certè est cur ad nos descẽdit, & liberator venit. Hinc enim est cur S. Tho. docet quod non est incarnatus Dei filius nisi ob peccata, & quod non venisset, nisi Adam peccasset.

Christus non nisi propter peccata venit. S. Thom. 3. p. q. 1. art. 1.

Eius ratio non exigui est ponderis. Dicit S. Doctor, ea quæ ex sola Dei voluntate pendent, nobis nõ innotescere, nisi quia in Scriptura sacra tradũtur, per quã talis voluntas innotescit. In Scriptura autem sacra vbique Incarnationis ratio attribuitur peccatis. Sic apud Luc. cùm Deus per Gabrielẽ hoc mysteriũ Mariæ reuelauit & Iosepho, causam etiã declarauit, videlicet totius populi redemptionem, Vnde & tale nomẽ sortitus est, quod est IESVS; *Vocabis nomen eius* IESVM: *ipse enim* (ecce causa) *saluum faciet populum suũ à peccatis eorum.* Sic ipsemet postea dixit: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suũ vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat. Neque enim misit, nisi vt saluetur mundus per ipsum. Hinc est quod, vt Petrus dixit, peccata nostra in corpore suo tulit, hodiéque in Ægyptum nostram descendit. Sanctus Athanasius huius opinionis est Sermone contra Arrianos. Necessitas, inquit, & indigentia hominum anterior est quàm Christi Natiuitas, qua sublata carnem non induisset: & rursum, non propter seipsum, sed propter nostram salutem aduenit.

Luc. 1. Ioh. 3. 1. Petr. 2. S. Athanas. Ser. 3. cõtra Arrian.

Præter has authoritates tã Scripturæ quã authorum, adhuc sunt figuræ tã in nouo quàm in veteri Testamẽto. In veteri figura est Arca fabricata à Noë propter diluuium. Dixit Dominus ad Noë: Finis vniuersæ terræ venit coram me, repleta est terra iniquitate. Facies tibi Arcam, & in ea mansiunculas; de omnibus animantibus tolles, vt seruetur semen, &c. Adhuc enim & post dies septem ego pluam super terram, & disperdam.

Figura in veteri Testamento. Arca Noë. Gen. 6.

Item descensus Elisæi, qui dicitur Deus saluans, ad suscitandum puerum. Similiter proiectio Ionæ in mare propter tempestatem ortam.

Descensus Elisæi. 4. Reg. 4. *Proiectio Ionæ in mare.*

Figuræ in nouo Testamento sunt primò parabola derelictionis 99. ouium, propter vnam perditam requirendam. Item lucernæ accensæ propter perditam drachmam. Missio adhuc hæredis in vineam à patrefamilias ob colonorum inobedientiam & improbitatem. Neque obstat quod aliquando inueniatur in Scriptura sacra, ideo venisse Christum, & missum fuisse, vt prædicaret & testimonium perhiberet veritati. Etenim hæc omnia eò referuntur semper, vt deleret peccatum, & simul mala, vt ignorantiam, & alia quæ ex peccato consequuntur. Ecce ergo propter quid in Ægyptum fugit Christus, & ad nos descendit, scilicet quia in captiuitate omnes eramus, & ad nos liberandum venit. Igitur ipsius in Ægyptum fuga docet, nos omnes descendisse in seruitutem diaboli, Pharaonis, & peccati. Mansio eius ibi per 7. annos, quomodo sub iugo peccati tenebamur captiui. Reductio autem ipsius, & vocatio ab Ægypto, quomodo per ipsum ad cœlestem patriam reuocamur. Sic enim de eo in Osee 11. dicitur: *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Vocatio quidem ista Christi ab Ægypto, nostræ fuit causa vocationis à peccato ad gratiam, quando placuit patri in filio nos omnes ad se vocare.

Ioh. 1. Luc. 15. *Figuræ in nouo Testamento.* *Mysteriũ in fuga, mãsione, & reductione Christi de Ægypto.* Osee 11.

Sed vnum hic quæso audite, maius opus fuisse Deo, peccatores ex Ægypto peccati reuocare, quàm lucem de tenebris, tantúmque etiam admirabile fuisse, descendere Christum in Ægyptum, quantum nos omnes in eo fuisse reuocatos ex Ægypto peccati. Id est, tam, imò magis mirabile fuit, Christum personam peccatorum accepisse, vt eorum operaretur vocationem è peccato. Sic ergo propter nos fugit in Ægyptum Christus. Sed quinam in via sunt comites eius? vtique Maria & Ioseph, qui pueri laborum fuere participes. O quis dicere posset quàm plenam afflictionibus & ærumnis vitam duxerint, sine domo, sine pane, & amicis? Cur, ô dignissime puer, qui ferè nondum natus eras, sic exul factus es, & in peregrinatione tua tulisti miserias nostras? Ita certè quia colonus in terra ad nos veneras, vt nos cœli tui ciues redderes, & gaudiorum tuorum participes. *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audiui, & sciens dolorem eis, descendi vt liberem eum.*

DE REGNO REGIS Regum IESV Christi: & de ambitione sancta, ac modis regnandi per illum & in illo, cum Sancto Ludouico Christianissimo Francorum Rege. In eius festo & solemni memoria.

Homo quidam nobilis abijt in regionem loginquam accipere sibi regnum, & reuerti. Luc. 19.

MAGNVM est diuinæ pietatis sacramentum, IESVM Christum Regem regum, vniuersorum hæredem ac Dominum, inter plures excellentiæ

cellentiæ & dignitatis titulos, Regis nomen & officium ferre. Vna est & sublimis qualitas ex tribus quæ absque vnctione non sunt. Vnctio semper vel ob celebritatem alicuius festi, vel ob celebritatem personæ seruata est, quæ ad aliquod diuinum consecrabatur opus atque officium. Ideo ad ostendendam excellentiam Christi, vnctum eum Scriptura dicit, qui diuina munia Sacerdotis, Prophetæ & Regis in terris exercere debebat præ participibus suis, vt ipse qui est Sanctus Sanctorũ, & radix omnis sanctitatis, Sacerdos in æternum, & qui per semetipsum ad Deum accedit, Propheta magnus & legifer noster: Dominus Rex noster, qui in iustitia regnat, qui viuens saluauit nos, cuius thronus in sæculum sæculi; & quem introductum in orbem terræ adorauerũt omnes Angeli Dei, sicut per ipsũ omnes Reges regnant, & potentes decernunt iustitiam, qui est omnium Rex sæculorum, & Dominus dominantium, portansque omnia verbo virtutis suæ, & quæ in terris sunt, & quæ in cœlis. Nihil siquidem ei deest omnium quæ ad tantæ dignitatis administrationem requiruntur, atque hominum saluti expediunt.

Ob quid vnctio fit.

In vnctione ostēditur dignitas Christi.

Quod vt rectiùs intelligatur, sciendum tria esse quæ necessaria videntur, vt aliquis magnam aliquam dignitatem conuenienter assequatur, & administret. Primum est sapientia, ne erret gubernãdo: sic enim ait in Prouerbiis suis Sapiens; *Gloriam sapientes possidebunt.* Secundum est nobilitas & prosapia generis, ne contemnatur præcipiendo. Vnde in Deuteronomio dicebat Moyses populo, cuius non valebat solus negotia sustinere, pondus ac iurgia: *Tuli de tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos principes, tribunos, centuriones, & quinquagenarios, ac decanos, qui docerent vos singula.* Sic enim cum sapientia decet esse nobilitatem in Principe ad regendum. Vnde in parabola Euangelij; *Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum.* Tertium est potentia & virtus in exequendo. Ad Reges enim & potentes spectat, qui imaginem Dei referunt, locumque tenent in terris, imperare, exequi, virtute irrumpere iniquitates, & omnia portare.

Triã requiruntur vt aliquis magnã aliquam assequatur, & administret dignitatem.

Deuter. 1.

Hæc autem tria eminentissimè inueniuntur in Christo, quæ & simul retulit Apostolus scribens ad Hebræos, cùm dicit; *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ.* Ecce sapientia, qui splendor est patris. Ecce prosapia generis & nobilitas, qui est figura substantiæ eius, imago Dei inuisibilis. Et filius Dei dicitur figura seu imago substantiæ eius, quia eiusdem est naturæ & substantiæ cum patre; neque enim alia est substantia patris, & alia substantia filij, sed vna, eadem, atque indiuisibilis, & quæ non multiplicatur pro suppositorum distinctione, sicut ipse dicit: *Ego & pater vnum sumus. Ego in patre, & pater in me est.* Ecce nobilitas Christi, Regis regum. Ecce & potentia virtutis, portansque omnia verbo virtutis suæ: non solùm potens, sed & potentia ipsa, qui operatur, portat, & sustinet omnia virtute propria, & virtute patris; est enim eadem virtus vtriusque. Sed quomodo rursus portat omnia? verbo virtutis suæ, id est, imperio suo, vt ostendatur quia ipse est, qui omnium Rex est sæculorum, qui omnia fecit quæ sunt, & eadem virtute conseruat. Sed quid rursus ex Apostolo dicam? nisi quod ex illa regia dignitate Christi hominum exorta est salus, vt sequitur; *purgationem peccatorum faciens.*

Hebr. 1.

Tria requisita ad administrationem regia dignitatis, inueniũtur in Christo.

Ioh. 10. & 14.

Veritas æterna est, & ab omnibus nota sæculis,

A neminem saluandum absque Rege, mundique salutem acquirendam ab vno qui ferret nomen & titulum Regis, sicut Isaias dicit: *Dominus Rex noster, ipse saluabit nos.* Et iterum: *Regem inuocabunt. Ipse veniet, & saluabit vos.* Vnde etiã super omnes est Rex appellatus: à Prophetis passim, vt Dauid maximè, qui inter alios qualitatem personæ & regni admirabiliter describit, vt statim dicemus: ab Isaia, qui ipsum appellat Regem pacis, sicut Zacharias iustum atque mansuetum. Inter Angelos Gabriel ipsum vocat Regem æternum, cùm sic de eo loquitur virgini dicens: *Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* A Regibus item quæritur Rex sic inquirentibus; *Vbi est qui natus est Rex*
B *Iudæorum? vidimus enim stellam eius,* id est, regium insigne & vexillum. A plebe in deserto simul agnoscitur Saluator, & petitur Rex, postquam cum tanto miraculo ex quinque panibus pauit quinque millia hominum: & in alma ciuitate Hierusalem proclamatur, recipiturque, cùm in eam tanto cum triumpho ingressus est. A Pilato Iudice suo similiter agnitus est, qui talem adhuc ipsum scripsit, delineauitque in epigraphe Crucis: sicut etiã à Latrone pio & sancto, qui in ea Regem cœli adorauit. Ecce quomodo ante conceptionem eius & natiuitatem, in vita, in morte, & post mortem, in stabulo & Cruce Rex agnitus & appellatus
C est.

Salus mundi à Rege fieri debuit.

Isa. 33 34. 35.

Super omnes, & à cunctis Rex Christus cognoscitur.

Luc. 1.

Matth. 2.

Ioh. 5.

Verùm in duobus Psalmis regij Prophetæ, qualitates huius summi Regis, sicut conditiones regni eius, videamus. Sic enim primò qualitates personæ describit & ordine, dicens. Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Et statim formam eius & pulchritudinem prodit; Speciosus forma præ filiis hominum. Deinde eius eloquentiam; diffusa est gratia in labiis tuis. Postea potentiam; Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Item gratiam; Specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna. Denique personæ splendorem, Aulæ magnificentiam, & illustrem comitatum; Sedes tua Deus in sæculum sæculi: virga directionis, virga
D regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Adducentur virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi in lætitia & exultatione, adducentur in Templum Regis. Ecce qualitates personæ in hoc Psalmo.

Qualitates personæ Christi Regis describuntur ps. 44.

Nunc in alio conditiones regni videamus: sic enim adhuc de Christo ad Deum patrem loquitur Psalmista regius, cùm dicit. Deus iu-
E dicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis. Vbi statim plures regni eius conditiones enumerat. Prima est, quod sit summa cum laude, iustitia & æquitate administratum, vt post statim sequitur sic: Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Liberabit pauperem à potente; parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet. Ex vsuris & iniquitate redimet, &c. & honorabile nomen eorum coram illo. 1.

Conditiones regni Christi describũtur ps. 71.

Secunda est, quod sit æternum, vt in ordine 2.

HHh 2 ponitur;

ponitur: Et permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione, & generationem.

3. Tertia est, quod sit in vniuersum orbem diffusum, vt sequitur: Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Sic Angelus nuntiauerat Mariæ dicens: *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Ecce vtraque regni eius conditio postrema. Ninus, qui, vt creditur, fuit omnium Regum primus, Cyrus, Xerxes, Darius, Alexander, aliique omnes, regna sua atque imperia finibus temporis, & terrarum suarum limitata habuerunt, atque etiam cum cæteris, & inter omnes magnus & sanctissimus Rex noster Ludouicus. Sed Christus Dei & virginis filius regnabit in æternum, & regni eius non erit finis: & dominabitur à mari vsque ad mare, & vsque ad terminos orbis terrarum. Sic Daniel explicabat Nabuchodonozor secundum quod viderat in statua terribili, de lapillo illo de monte abscisso absque manibus, qui statuam comminuit, testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum. i. vniuersa regna; & factus est mons magnus, impleuitque vniuersam terram, videlicet regnũ Christi, quod in æternũ stabit, inquit propheta, in æternum non dissipabitur, & alteri populo non tradetur. Ecce regnũ quod alia consumit, eis terminos finesq; imponit, ac tandẽ per vniuersum orbem imperio se extendit. Sic Pharisæi quondã ad semetipsos de Christo dicebãt: *Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abijt.*

Luc. 1. — Dan. 2. — Ioh. 11.

4. Quarta conditio est, quod tremendum & terribile sit supremis etiam terræ Regibus, qui sponte, summaque cum reuerentia & humilitate se ei subiiciunt, vt in hoc Psalmo sequitur. Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei. Et certè huic Regi magno seruisse, regnare fuit Sancto Regi nostro Ludouico, Christianissimo, & primogenito Ecclesiæ filio.

5. Quinta tandem ac postrema regni Christi cõditio est, quod sit magnificum, plenum majestate & gloria, sicut Psalmista concludit dicens: Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum: & benedictum nomen majestatis eius in æternum, & replebitur majestate ejus omnis terra. Repletur majestate Dei omnis terra, cùm in ea Reges regnant, qui referunt Dei majestatem; sicut Dauid in Paralip. dicebat in gloria regni sui, sicut & sceptri filij sui Salomonis. Tua est Domine magnificentia & potentia, tibi laus; cuncta enim quæ in cœlo sunt, & in terra, tua sunt. Tuum Domine regnum, tuæ diuitiæ, & tua est gloria: in manu tua magnitudo & imperium omnium. Nunc igitur Deus noster confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum.

Quomodo terra repleatur maiestate Dei. — 1. Paral. 29.

Ecce in quo, & quomodo in Regibus terræ relucet Dei majestas, Regisque regum IESV Christi splendor & gloria. Nã & Rex omnis imago Dei est in terra, maximè verò qui Christianissimus est, & suum imperiũ acceptũ subdit Christi imperio. Deus portat orbem, & de Christo similiter dicitur quod omnia portat verbo virtutis suæ. Et sic Reges instar orbis coronas suas portant, seu instar murorũ cum turribus suis, vt ostendatur ad eos pertinere & regna sua, & ciuitates, & populos portare, sicut Iob dicit loquens de supremo dominio Dei, *sub quo curuantur qui portant orbem*, id est, Reges, mundique rectores. Aliquando etiam loco coronæ, diadema in fronte gestabant, quod fascia erat candida, veluti posita alligandis vulneribus, vt exinde adhuc agnosceretur, Reges esse tanquam medicos populi, & ad ipsos spectare mederi contritis corde, omniumque curam habere ac portare. Vnde apud Isaiam, ille cui à fratribus suis talis offerebatur imperandi authoritas, & ab illis audiebat: Esto Princeps noster; respondebat excusans se: Non sum medicus, & in domo mea nõ est panis, neque vestimentũ; nolite cõstituere me Principem populi. En quomodo in veritate Rex aut Princeps in terra est imago Dei, cuius est, & portare omnia, & auxilio nõ solùm adesse, sed & inesse omnibus.

Quid denotat corona & diademata Regum. — Iob. 9. — Isa. 3.

Ergo in Regibus admirabiliter Dei relucet majestas & splendor. Sic enim de Salomone expresse legitur, quod Deus magnificauit eũ, & dedit ei gloriam regni. Quod etiã & meritò hodie de Sancto Ludouico dicere possumus, quod nimirum Christus magnificauit ipsum, & dedit ei super omnes gloriam regni. Gloriam dedit regni sui. Quis dedit? Non dubium quin ille qui dominatur filiis hominum, & qui habet in vestimentis & in femore suo scriptum, Rex regum & Dominus dominantium. Sed quid dedit? Gloriam & honorem regni sui. Sed cui dedit? Regi vtique nostro, de quo hodie habemus sermonem, sanctissimo Ludouico, Christianissimo & gloriosissimo inter Sanctos Regi. Rex est a nobis hodie maximis atque celeberrimis attollendus præconiis, qui non solùm accipere, sed & dilatare gloriam regni Dei, & filij eius IESV Christi meruit; qui vt Christianissimus Rex nõ de dominio augẽdo, aut de aliena possessione vsurpãda, sed de possessione terræ sãctę à potestate hostiũ Crucis redimenda & recuperãda Christo cogitat; qui vt Christianissimus Rex vexillo ab Episcopo Parisiensi accepto, mare cum ingenti exercitu traiicit, primo prælio hostes fugat & vincit: ac tandẽ pestilentia fracto exercitu comminutoque, (diuina sic prouidẽtia permittẽte) victus ipse & captus; sed postea rebus cõpositis liber cum exercitu dimissus, iam partis plures victorias & gloriosos triumphos adiunxit, cùm quinque annis in Oriente commoratus, plurimos Christianos à Barbarorum seruitute redimit, multos etiam infideles ad Christi fidem conuertit: prætereaque aliquot Christianorũ vrbes suis reficit sumptib. Quousque decessu sanctissimæ matris eius in regnũ suum redire coactus, vbi totũ se pietatis officiis dedit, Templis construendis, Monasteriis, pauperumque hospitiis; iterũ mare parat traiicere, & bellũ denuò inferre Christi & Ecclesiæ hostib. cũ iam in eorũ conspectu castris positis, ipse pestilentia decessit, dicens ad Dominũ: Introibo in domũ tuam, adorabo ad Templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Quasi diceret tunc; Mihi gloriam regni dedisti in terra, dabis & in cœlo: contulisti in exilio, dabis & in patria; nunc que de hoc terreno ac temporali regno, me ad cœlestis & æterni transferes gloriam. Introibo in domum tuam relinquens meam, luteam iam iamque labentem, vt adorem te ad Templum sanctum tuum, quod est cœlum, & benedicam nomini tuo in sæculum sæculi: vt confitear in conspectu omnis cœli, quia tu es Rex super omnes reges, quia tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria atque victoria, & tibi laus. Tua sunt omnia, & quę de manu tua accepimus, reddimus tibi; gloriam regni accepi, reddo tibi. Introibo in domum tuam, adorabo ad Templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo,

1. Paral. 29. — *In quantu Christus magnificauit Sanctum Ludouicum.* — Apoc. 19. — *Breuis narratio omnium gestorum in vita & morte Sancti Ludouici.*

Verùm

Verùm Deus possit communicare gloriã suã, & quomodo. Verùm quæstio potest fieri, & dubitario, an Deus communicet & det alteri gloriam regni sui, cùm dicat Apostolus; *Soli Deo honor & gloria:* & Deus ipse apud Isa. *Gloriam meam alteri non dabo.* Sic ergo absolumus quæstionem, dicentes atque confitentes soli Deo gloriam esse & honorem, regnum atque imperium, eminenter, propriè, & fastigium omnis communicatæ seruituris, seu per elongationem ab omni subiectione: aliis verò fieri donum & communicationẽ honoris, seu attribui regnum & gloriam per imitationem, participationem, & reductionem ad Deum. In hoc siquidem titulo ordinatæ seruituris & subiectionis fundatur omnis gloria regni in rebus creatis, vt maximè, altéque de iis quæ subiiciunt se Deo Scriptura dicit; *seruire Deo, regnare est:* omnisque Euangelicæ perfectionis fundamentum erigitur, & fastigium omnis gloriæ & regni Dei, scilicet in subiectione perfecta simul animi & voluntatis Deo. Et certè hoc modo fas est, imò & præceptum à Deo vnicuique nostrum, regnare cum nostro sanctissimo Rege. Si enim cum Sancto Ludouico Reges nos natura non fecerit, omnes certè gratia constituit. Sed quid dicam quod & in natura ipsa simul posita est potestas regnandi & gloria?

1. Tim. 1.
Isa. 42.

Triplex genus regni in terra. Quare iam sciendum, triplex esse regnum in hominibus, vnum personale & intrinsecum, alterum ciuile & politicum, tertium spirituale & Euangelicum, seu Christianum; vnum in ordine ad se, alterum in ordine ad alios, tertium in ordine & reductione ad Deum, & ad Christum. *1. Et in quo fundatur.* Primum fundatur in subiectione & reductione ad rectæ rationis dictamen. Magnum enim imperium est & regnum, ait Seneca, imperare sibi. Vis, inquit, omnia tibi subiicere? subiice te rationi. & Sapiẽs: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.*

Senec. in ep.
Prouerb. 16.

2. Et in quo fundatur. Secundum fundatur in subiectione humanæ societatis, & reductione potestatis ad vtilitatem publicam, cum electione Dei, vel hominum, vel hæreditaria successione; quomodo omnes Reges nostri maximo & penitus singulari cœli priuilegio tam Christiana fide, quàm hæreditaria successione. Florentissimum hoc regnum, & antiquitate sua non minus quàm sua vnctione augustissimum, iam à mille & ducentis circiter annis possederunt, quorum omnium decor & stupor extitit, sicut etiam aliorum omnium qui vnquam fuerant, sanctissimus Rex noster Ludouicus, qui in illo vt maxima sanctitatis gloria floruit, ita & imperij; cuius hódie hæredem sicut sanguinis sui ac nominis Ludouicum XIII. Regem nostrum Christianissimum intuetur, & sua ope circumdat de cœlis.

3. Et in quo fundatur. Tertium regnum, quod spirituale & Euangelicum est, seu Christianum, fundatur in subiectione ad charitatem & iustitiam Dei, in reductione ad præcepta & consilia Euangelij: quomodo Christus dicebat, *Quærite primum regnũ Dei, & iustitiã eius,* quæ est charitas, humilitas, obedientia, rerum sæcularium abnegatio, paupertas, omnis virtus, *& hæc omnia adycientur vobis.* Fundatur inquam in ambitione sancta Christum imitandi, sic enim in illo, per illum, & cum illo regnare est; in violentia spiritus, & vt omnia paradoxo complectar, in odio & amore sui.

Math. 6.

Regnum Dei in odio consistit. In odio, dixi, dicente Domino: *Qui amat animam suam, perdet eam; qui odit, in vitam æternam custodit eam.* In odio carnis consistit, & quæ sunt mundi. Qui enim non renunciauerit omnibus quæ A possidet, carni & sanguini, sibi, amicis, atque parentibus, non potest esse Christi discipulus: & qui nõ reliquerit domum, patrem, matrem, fratres & sorores, propter Christum, non regnabit cum illo in cœlis. Rex à natiuitate Sanctus Ludouicus erat, & tamen non nisi per contemptum regni, & suipsius regnat, & est Rex in cœlis. Domum relinquit & regnum, matrem & patriam, & bis contra infideles transfretat, vt dilatet imperium Christi. Rex erat, & propter Euangelium Christi, carnem & vitam propriam odit. Quis factum & exemplum non miretur? Dum in bello vltramarino præliabatur prælia Domini, frequenter cæsorum cadauera iam vermibus exundantia, & fœtorem exhalantia, humanda B humeris suis deportabat. Quis non miretur exemplum? Sæpius pauperum sordidos pedes quos abluebat, osculabatur reuerenter, & piis suis irrigabat lacrymis; atque eorum manibus contrectatos, sine vllo nauseæ signo, cibos comedebat. O profundissimam Regis nostri humilitatem! O summi Regis admirabile imperium, qui sic seipsum in sua potestate habuit, qui tam fortiter animo suo, carnem suam domans, & sancto prosequens odio, imperauit!

Præclara gesta S. Ludouici in odio sua carnis & vita.

Et quis adhuc hoc factum quæso non miretur & exemplum? Erat aliquando in Monasterio montis regalis prope Luteriam, contemplationi vacans, solitudini, & aliis piis & diuinis officiis, dum illi offertur homo totus scabie & lepra consumptus, putridus, vlceribus & fœtore plenus, & qui plura in suo corpore, vt bene absolutum, quàm idonei cadaueris quàm hominis signa habebat. Quid, putatis egisse tunc Regem nostrum, cùm sibi sic primò oblatus est aspectibus? Fortè ceruicem retroflexit & oculos, aut spuit humi, vel aliqua alia signa indignationis, & horroris ostendit? Minimè equidem. Sed statim ad eum chaseiens se, flexis genibus deuotissimè coram eo reuerenter stetit, ac postea in mensa sua hoc modo ei ministrare voluit, manúque propria cibos in os eius inmittere, adhuc non fœtorem, & faciei deformitatem minimè perhorD rescens. Ecce quomodo Rex magnus propter Christum & Euangelium carnem suam & vitam odio habuit. Ecce in quo sanctè in terra regnauit, in odio sui.

In amore sui, sicut in odio consistere quomodo Dei regnum. Verùm ostendamus adhuc quomodo etiam consistat in amore sui, sicut in odio inueniri in nobis regnum Dei, vt tam paradoxi propositi veritas appareat, neque ambitionem sanctam regnandi cum Sancto Ludouico amittamus. Dicimus ergo hominem, qui ambit regnum Dei, debere seipsum amare, iuxta quod Dei consilio super se coniunctus est. Deus iustum amat, ipsumque ad æterni regni gloriam gratia sua disponit & eleuat; E vnde tali ac tanto Dei consilio vnitus & conformis effectus, hac ratione tenetur seipsum diligere, vt illam sibi gloriam procuret, & non amittat. Tale est inter iustum & peccatorem discrimen, quod iustus amat se secundum motus gratiæ; peccator autem secundum inclinationes peruersas naturæ suæ corruptæ. Iustus amat se cœlo, peccator amat se sæculo: iustus Deo se diligit, & peccator sibi. Vnde in veritate dicendum, soli iusto amorem competere & deberi; odium verò peccatori, qui seipsum cum tanto sui dispendio, atque detrimento diligit. Hoc quæso ita esse clarè videamus.

Discrimẽ inter iustũ & peccatorẽ quãtum ad amorem sui.

Aristot. 9. Ethic.

Quinque conditiones requisitæ ad amandum aliquem.

Quinque sunt conditiones ad amandum aliquem requisitæ iuxta Aristotelem, atque etiam iuxta Angelicum Doctorem S. Thomam. Prima est, velle amato esse, & vitam conformiter eius conditioni. Secunda, optare illi bona etiam naturæ eius, esse, ac statui conuenientia. Tertia, non solùm velle ea, sed & illi totis viribus procurare. Quarta, libenter & voluntariè conuersari cum illo. Quinta tandem & vltima, simul animo, vita & moribus consentire. Illæ autem conditiones omnes non in peccatore inueniuntur, sed tantùm in iusto qui seipsum diligit in Christo, & per illum, & cum ipso regnare appetit & quærit. Primò enim esse desiderat & vitam penitus gratiæ conformem, videlicet Deum, qui vita est animæ, sicuti anima est corporis. Secundò, bona huic tantæ vitæ proportionata, & conformia, scilicet, virtutes Christi. Tertiò, non illa tantùm desiderare solet, verùm etiam totis viribus laborat vt acquirat. Quartò, frequenter & continuò conuersatur cum seipso, id est, cum conscientia sua. *Anima mea in manibus meis semper*, inquiebat iustus Rex. Quintò denique, pacem secum sedulò conseruat, curatque vt omnia in se summè consentiant. Conscientia illi dictat non esse peccandum, & ille sequitur conscientiæ dictamen, mauultque millies mori quàm in minimo Deum offendere.

In iusto solo reperiuntur conditiones veri amoris.

Psal. 118.

Ecce quàm sanctè diligit se iustus, ecce consensus, pax & regnum eius. Ecce quomodo adimplet, quod veritas dicit; Regnum Dei intra vos est: quomodo tandem in Christo, & per illum gloriosè regnat cum iustissimo & sanctissimo Rege nostro Ludouico, qui à teneris annis, sicut sanctè fuerat institutus à Sancta Blancha matre sua, dicere solebat, malle se regnum & vitam amittere, quàm Deum offendere. Quam innocentiam, & si dicere audeam, baptismalem, licet in magnis negotiis regni occupatus, illæsam seruauit. Quis regni eius non miretur sanctitatem & gloriam? & cum illo, si iustus fuerit, regnare posse non speret? Modus est in ambitione sancta, & diuini huius impletione præcepti; *Quærite primum regnum Dei*, quærite & iustitiam eius. Modus est in Dei amore, & odio peccati. Modus, vt omnia absoluam, in intentione recta, seu vnione perfecta voluntatis nostræ ad diuinam, & in di[illegible] mundi contemptu, etiam regnorum huius sæculi propter Christum.

Quomodo in ... S. Ludouico regnare possit.

In amore Dei & mũdi contemptu iustus regnat.

1 In vnione.

Dico primò, in vnione nostræ voluntatis ad voluntatem & omnia Dei consilia, eaque maximè quæ spectant ad destructionem peccati, sine qua minimè cum Christo ascendere & regnare possumus. Exemplum simul & mysterium audite. Iehu, vt refert Regum historia, cùm in Samariam descenderet, vt omnem familiam Achab, & cultores Baal disperderet, inuenit Ionadab in occursum sibi, & ait ad eum: Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Ionadab; Est. Si est, inquit, da manum tuam; qui dedit. Et leuauit eum ad se in currum: dixitque ad eum, veni mecum, & vide zelum meum pro Domino. Et impositum in curru suo duxit in Samariam, percutiens omnes qui reliqui fuerant de Achab, vsque ad vnum. Iehu qui interpretatur, *ipse, & existens*. Christum repræsentat, Regem Sion & Iuda, id est, gloriæ, visionis diuinæ, & confessionis, nempe beatorum in cœlis videntium, & confitentium iugiter Dominum; cùm in Samariam nostram descendit, in hanc videlicet terram & regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti: & vt nostra indutus carne, peccata hominum, quæ sunt familia diaboli, mundique idololatriam funditus euerteret; ad hoc negotium hominem associandum sibi in occursum offendit, scilicet Christianum, Ionadab dico militem, qui dicitur spontaneus & vouens. Satisque Christianum repræsentat, qui sponte vouit obsequium Christo, abrenuntiauit satanæ in baptismo, & omnibus pompis eius, mundo, carni & peccato; cuius denique vita militia est super terram. Sed quid petit ab illo Deus? quid Christus exigit? cor simul & manum, rectitudinem cordis cum corde suo, & operationem manus. Numquid est cor tuum rectum cum corde meo? Si est, da manum, vt nempe ipsum leuet ad se in currum, vt ipsum regni sui & gloriæ, sicut victoriæ consortem efficiat. Ecce igitur primò, quo pacto in rectitudine & vnione nostræ voluntatis ad Dei voluntatem & consilium aduersus mundum, diabolum, carnem & peccatum, omnes in Christo feliciter ac verè cum S. Ludouico regnare dicimur.

4. Reg. 10.

2 In contemptu mundi.

Secundò denique, vt finiam, in illo rerum omnium huius mundi, etsi amplissimorum regnorum, contemptu ditissimo. Quis enim non subitò spernat terrena omnia, si parumper animum suum leuet ad ea quæ illi promittuntur, æterna & cœlestia regna? Si cœlum, inquam, consideret, vbi merces amplissima, de qua Dominus dicit: *Gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in cælis*; vbi in terra omnia deficiunt, & nulla sunt quæ habentur. Cœlum vbi regnum est æternum, & cum securitate possidetur quod oculus non vidit, auris non audiuit, neque in cor hominis ascendit, sed Deus præparauit quærentibus se. In terra autem, sicut in hac vita, nihil est quod non subsit formidini, periculo, amissioni. Sed à cœlo & gloria cœli, qui semel intrauerit, excidere non poterit. Audite quid dicat propheta: *Oculi tui videbunt Hierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur: quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster.* Cœlum dicam, vbi bonorum laborum, ait Sapientia, gloriosus est fructus. Cœlum vbi gaudium est purum & verum in Domino, vbi lætitia sempiterna super eorũ capita qui in eo habitant; & non sicut in hoc mũdo, vbi plerũque, vt Salomon dicit, extrema gaudij luctus occupat. Cœli vbi pax non quomodo mũdus dat, sed quomodo dat Deus: vbi quies non tempore, aut labore amplius interrumpenda, vt quies sæculi; sed sempiterna, & nullum vnquam finem habitura. Amodò iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. Cœlum vbi vita non amplius anxia, vt vita mundi quæ morti est obnoxia, incerta, & infinitis subiecta periculis, ac tandem morte finienda: sed perpetua, mortis expers, nescia mutationis, & nullo fine claudenda. Quoniam apud te Domine est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Cœlum, inquam, vbi nox nulla est, vt in terra: vbi Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ; vbi lumen & splendor est Agnus, & Deus illuminator assiduus: vbi nulla est eclipsis Solis, vt in terra: vbi, dicam, Ciuitas illa superna Hierusalem non indiget Sole, neque Luna, vt luceant in ea; nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius Agnus, & nox non erit illic. Atque vt omnia finiam & absoluam, vbi omnes Sancti induentur lumine sicut vestimento, & sul

Luc. 6. Matth. 5.

Differentia magna inter regnum cæli, & regnum terræ.

Isa. 33.

Sap. 3.

Prou. 14.

Apoc. 14.

1. Ioh. 1.

Apoc. 21.

Digitized by Google

& fulgebunt iusti sicut Sol in regno patris eorum. Quid igitur superest, vt tanti regni & gloriæ in cælis cum Sancto Ludouico participes euadamus? nisi vt in hoc mundo Christus suum in nobis habeat regnum per debitam ac perfectam ad ipsum subiectionem; vt non regnet peccatum in nostro mortali corpore, & per terrenorum contemptum studeamus ad æterna regna peruenire, meritis & precibus sanctissimi atque gloriosissimi Regis nostri, quem Rex regum IESVS Christus Dominus noster de hoc terreno regno ad cœlestis regni gloriam feliciter transtulit.

DE TRIPLICI VIA, qua possumus Christum sequi cum Sancto Laurentio martyre.

Si quis mihi ministrat, me sequatur. Ioh. 12.

VT ostenderet IESVS Christus non solùm ad ipsum pertinere mori & pati, verùm etiam ad nos spectare, si cum eo regnare & viuere voluerimus; proposuit nobis parabolam grani frumenti, quod cadens in terram moritur, vt multum fructum afferat. Quam parabolam ad se primùm refert, se illud granum esse ostendens: deinde ad nos, docens quomodo similes ei esse debemus, & cum eo renasci, ne tanquam paleæ inutiles & infructuosæ tradamur ignibus: sed potiùs curemus vt veluti grana solida reseruemur in cœlestes areas. Quod fiet, si animam nostram semel perdamus, ad instar grani decidentis in terram, vt in futurum eam seruemus. Iam verò quomodo seruari possit, exemplo grani tritici ex parabola discimus. Si enim parcas ei, aut semper congreges in horrea, minimè illud seruas, sed tibi perit, aut certè breui deuorabitur à vermibus & muribus: si verò mandes terræ, tibi seruas, quia ex vno grano quod moritur, alia multa resurgent. Sic est igitur de anima, perit tibi, eamque perdis, si illi parcas: sed si mortifices, melior resurgit, & conseruas. Hoc itaque sensu dixit Dominus: *Qui amat animam suam, perdet eam; & qui odit, seruat:* deficiente enim hac vita præsenti, succedet æterna. Ecce parabolæ sensus.

Explicatio parabola.

In hoc videtur & apparet, quàm differunt inter se doctrina Christi, & studium mundi. Quod enim ille cõmendat & miratur, alter condemnat & exhorrescit. Hinc subiũxit Christus: *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Sum enim istud granum singulare frumenti mortificandum in Cruce, neque præcipio nisi quæ per meipsum facio. Nemo est tam timidus, qui si ducem viderit primum certamen subire, protinus non accipiat animum. Qui mihi ministrat, dicit dux noster & Dominus Christus, qui baptizatus signum Crucis in fronte suscepit, & se in obsequium meum tradidit, restat iam vt testetur, id est, me sequatur, vt quod promisit, exequatur. Qui non sequitur me, non est me dignus. Duo sunt hic quæ ad discipulum Christi attinent, ministare ei, & sequi. Ita vt, etiamsi persecutio defuerit, illum tamen per viam abnegationis debeamus sequi, & pro amore eius animam nostram odisse & perdere. Sic, ait Petrus, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius: & alius, videlicet Iohan. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulauit, ambulare, id est, sequi per vias eius.

Quid debeat facere discipulus Christi.

1. Petr. 2. Ioh. 2.

Sed quænam sunt istæ viæ? dicetis. Innocentiæ, pœnitentiæ, & Crucis. Ecce viæ quibus Christo adhærere, & eum sequi possumus. Tres sunt. Prima est innocentiæ. Hac via nihil Deo est dignius, & homini nihil salubrius. Duo autem signa sunt innocentiæ. Primum est extinctio omnis cupiditatis. Qui biberit de fluuio paradisi, ait S. August. restat quod in eo extincta sit sitis huius mundi. Quia secundum S. Chrysostom. Nihil est super terram quod amet, qui donum Dei in veritate gustat. Secundum est iucunditas mentis. Gaude innocentia, ait S. Amb. vbique es illæsa, vbique secura: si tentaris, proficis: si humiliaris, erigeris: si pugnas, vincis: si occideris, coronaris. Et Seneca. Non est maior huius mundi lætitia quàm tranquilla conscientia. Ideo dicitur in Prou. *Secura mens qualis est innocentis, quasi iuge conuiuium.* Hinc B. virgo tota plenitudine gratiæ & innocentiæ refulgens, dicebat in cantico suo; *& exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Triplex via qua Christus sequitur. Innocentia, & duo signa eius.

Prou. 15.

Secunda via pœnitentiæ est seu abnegationis. De hac via sic Dominus loquutus est: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. & iterum: Nisi pœnitentiam habueritis, peribitis. Hæc enim post innocentiæ naufragium, tabula secunda ad salutem necessaria est. Propterea prima prædicatio Christi de pœnitentia fuit. *Pœnitentiam agite*, inquit, *& appropinquabit vobis regnum cœlorum.* Venit IESVS prædicans regnum Dei, & dicens, pœnitemini: & similiter ante illum qui præiuit Baptista, vias præparauit pœnitentiæ, tam voce prædicationis, quàm officio baptismatis. Pœnitentia autem à pœna dicitur, quia homo per eam malum in se punit quod commisit. *Qui amat animam suam,* dicit hodie Saluator, (id est, permittit ei omne quod desiderat,) *perdet eam*: & sic grande malum committit. Malum & perditionem videre vultis? Si animæ tuæ, inquit Ecclesiasticus, præstes concupiscentias suas, faciet te gaudium inimicis tuis. Quinam sunt inimici tui? diaboli. Ecce malum quod committit amor sui, tradit animam, & sic gaudium facit inimicis. Hoc autem malum pœnitentia per abnegationem punit. Vnde subiunxit Dominus: *Qui verò odit animam suam*, (id est, eam abnegat, & denegat ei omnia, pœnitentiáque punit malum quod commisit) *eam amat, & seruat in vitam æternam.*

Pœnitentia seu abnegatio.

Matth. 16. Luc. 13.

Matth. 4. Marc. 1.

Eccli 18.

Non vult autem hic Christus, vt eam ob rem vitam nostram de medio tollamus: sed tantùm vt mortificemus eam, denegando ei quod suadet & petit, sicque odio illam habeamus. Quomodo verò eam debes odisse? Ex ipso exteriori odio disce. Qui odit aliquem, nec vocem eius audire, nec vultum, aut gestum potest sustinere: sed omnia vult ei contraria, & facit. Hæc est natura odij. Similiter ergo qui animam suam odit, & in veritate odit, aduersus eam gerit se & facit. Cùm enim plerumque nihil nobis persuadeat, quàm quod omnino est contrarium legi Dei, vt est, concupiscentiæ carnis obsequi, aut auaritiæ: tunc faciendum est quod illi amplius displicet, magisque contrarium est, scilicet, tunc crucem portare debemus, domare carnem, & propriam abnegare voluntatem; sicque deserto mundo Christum sequi, vt hanc seruemus animam in vitam æternam.

Quomodo possumus animam odisse.

S. Isidor. lib. de sum. bono.

Sed quid istud facit? vtique pœnitentia, quæ odio malum punit in terra, quod anima commisit, sectando quod amauit. O felix pœnitentia, ait S. Isid. quid de te dicam? exprimere te non valeo, vt volo. Melior es auro, rutilantior Sole; per te mors destruitur, diabolus fugatur, cœlum aperitur, Infernus clauditur. O felices qui hanc viam ingressi ad Deum reuersi sunt! Per hanc reuersus est Dauid, per hanc Ezechias, per hanc publicani. Per hanc denique peccatrices Magdalena & Ægyptiaca ad Christum conuersæ sunt: & per eam nos omnes ad Christum reuerti oportet, qui ait; Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.

Crux & persequutio. Apoc. 7.

S. Aug. Ser. 30 de sanctis.

Tertia via crucis est & persecutionis, quam ingressi sunt omnes Martyres, Apostoli & discipuli Christi, Stephanus, Ignatius, Vincentius, qui omnes calicem Domini biberunt, & lauerunt stolas suas in sanguine Agni: virgines pariter, quæ hac via sequutæ sunt Agnum, Catharina, Margarita, Cecilia, Agnes, &c. Verùm hodie S. Laurentius inter omnes: cuius martyrij tanta gloria extitit, ait S. August. vt passione sua mundum illuminauerit vniuersum. Illuminauit mundum planè Laurentius eo lumine quo ipse accensus est; & flammis quas pertulit, omnium Christianorum corda calefecit. O quis nolit ad horam vri Laurentij igne, vt æternum gehennæ non patiatur incendium?

Huius ergo Martyris exemplo prouocamur ad martyrium, accendimur ad fidem, incalescimus ad deuotionem, & si persecutorum nobis flamma deest, (vt multi dicunt) fidei tamen flamma non deest: non ardemus corpore pro Christo, sed ardemus affectu; non enim subijcit persecutor ignem, sed subijcit mihi desiderium Saluatoris. Esse namque Saluatoris ignem legimus in Euangelio, dicente eodem; *Nescitis quia veni ignem mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Hoc igitur igne beatus Laurentius accensus flammarum non sensit incendium; & dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœnam non sensit.

S. Leo in natali S. Laurentij.

Segnior fuit ignis qui foris vssit, ait S. Leo, quàm qui intus accendit. Flammis superari non potuit flamma charitatis Christi.

Hic est igitur sacer ignis quo omnes accendi debemus, quo pati, saltem crucem & martyrium possumus. Martyrium nostrum est fides, & viuere iuxta Euangelium. Crux nostra tribulatio est quam quotidie propter Christum sustinemus. In hoc mundo enim velut in stadio certaminis positi sumus, vbi Christus mortuus est, ait S. Bernard. Qui ergo liuorem, vel plagam hic non susceperit, in futuro Iudicio miles ingloriur apparebit, quia non decet sub spinoso capite delicatum nutrire corpus. Calicem salutaris vnusquisque accipere potest, & ipsum bibere cum Domino; omnibus enim porrigit illum, & ad sequelam suam inuitat omnes: Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me. Qui non baiulat crucem suam, non potest meus esse discipulus.

Tribus de causis suos Deus tribulari permisit. Phil. 4. 1. Cor. 10.

Sed dicetis; Quare sic Deus suos tribulari permittit? Tribus de causis respondeo. Prima est, vt sint fortiores: tunc enim Deus magis cum ipsis est. Vnde ait Apostolus: Omnia possum in eo qui me confortat, & cùm infirmor, tunc potens sum. Fidelis est Deus, qui non patietur nos tentari supra id quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere. Secunda est, vt liberiores appareant. Sicut enim ignis fornacis Babylonis vincula soluit trium puerorum, nec in vllo læsit eos: ita ignis tribulationis soluit mundi vincula, & minimè lædit. Tertia est tandem; vt cautiores sint ne superbiant, sed in humilitate permaneant, & sic virtuosiores fiant. Sic inquit Paulus: Datus est mihi stimulus carnis, angelus sathanæ, vt me colaphizet. Quare hoc? ne, inquit, magnitudo reuelationum extollat me. Ita etiam Dominus dicit, quos ego amo, castigo, arguo.

2. Cor. 12. Apoc. 3. Gen. 7.

In aquis multiplicatis, quæ tempore Noë eleuauerunt Arcam in sublime, huius rei quædam figura est. Ita enim prosunt iustis multiplicatæ tribulationum aquæ, cùm ipsorum mentem ad sublimitatem bonitatis Dei eleuent, & quæ nos hic premunt mala, ad Deum ire compellant. Adeò vt tunc temporis mens plenè ad eum conuersa, nihil amplius speret & petat, quàm esse cum Christo siue in cruce, siue in consolatione, siue in gloria. Quomodo illud intelligi potest quod dicit; *Vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Quod primò referri potest ad Crucem, vt sit sensus. Nihil melius quam ego speret minister meus in hoc mundo. Non est enim maior seruus Domino suo. Secundò, ad consolationē quæ in Cruce est & afflictionibus, quasi diceret; non diffidat, qui mihi ministrat, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Pater meus mecum in Cruce fuit, & sic ego illi adero qui mihi in Cruce ministrabit. Tertiò denique ad gloriam hoc referri potest. Qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit, scilicet, quando veniam, & eum ad meipsum assumam. Ita enim, inquit, dispono vobis regnum, sicut mihi disposuit pater. & Paulus, Si commortui sumus, & conuiuemus. Magnum certè præmium istud est, cum Christo in gloria esse, vita, luce, omnibusque bonorum patris hærede, & qui adhuc per se nobis talia promittere dignatus est. Si quis mihi ministrauerit, inquit, honorificabit eum pater meus. Sed quo honore? vtique regni cœlestis.

Lucæ 22. 2. Timot. 2.

Quibus regnum cœlest. paratum sit. Marc. 10. Marc. 1.

Quibusnam verò à patre paratum est? Audite iam. Paruulis primò atque innocentibus. *Sinite paruulos ad me venire*, dicit Dominus. *Talium enim est regnum cœlorum.* & *Si quis non acceperit vt paruulum, non intrabit in illud.* Secundò, pœnitentibus. Prædicat IESVS Euangelium regni Dei, & dicit: Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitemini & credite Euangelio, Euangelio, quod non aliud quàm pœnitentiam dicit. Tertiò denique paratur & confertur pugnantibus. Vim namque patitur regnum cœlorum, & violenti rapiunt illud. Hinc militibus suis Ecclesia dicit: Estote fortes in bello, & accipietis regnum æternum. O pretiosum fructum crucis & tribulationis! Verè Domine non sunt condignæ passiones huius sæculi ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leuè tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus quę videntur, sed quæ non videntur. Quę enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt; & talia sunt ad quæ aspiramus & currimus, aspicientes in authorem fidei nostræ, & consummatorem IESVM Christum.

Matth. 11. Rom. 8. 2. Cor. 4.

DE

DE LVMINE GRATIÆ, & bonorum operum, quo in Sanctis, ac præsertim in Sancto Martino Ecclesia refulget.

Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio. Luc. 11.

NON tantùm homini Christus IESVS mundum vnum condidit: sed alterum sibi, vtrumque omnibus suis ornamentis distinctum, sua terra, suo cœlo, suisque luminaribus maioribus, atque minoribus, & quorum vsus semper spectat & dirigitur ad gloriam conditoris. De primo mundo, qui est vniuersus orbis, propter hominem creatus, sic Psalmista loquitur: Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. & rursus: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Eleuata est magnificentia tua super cœlos. De secundo mundo, qui est Ecclesia, propter Christum erecta, ipsemet dixit: Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Sic itaque luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Quomodo apud Lucam hodie; Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Ecce finis vtriusque orbis.

Duplex mundus. — Psal. 18. — Psal. 8. — Matth. 5.

Verùm quantum alterius vsus supra alium, Deum glorificat, ex differentia creationis vtriusque peti potest. Primus visibilis creatus est & corruptibilis: secundus verò licet visibilis, creatur tamen incorruptibilis & æternus. Vnde & nouus dicitur apud Isaiam, quasi sempiternus. Primus homini creatur: secundus Christo filio Dei. Vnde dicit Dominus: *Ecce ego creo nouos cœlos & terram nouam, & non erunt in memoria priora, neque ascendent super cor, sed exultabitis in sempiternum in his quæ ego creo.* Sed quis iste est quæso mundus nouus, vbi omnia noua sunt, nisi Ecclesia? quæ suam terram, suos cœlos, suos Soles habet & lucernas, ad hunc quidem finem vt luceant aliis in firmamento Ecclesiæ; sicut Sanctus Martinus fecit, noui huius mundi nouum luminare & maius. Quem Deus super candelabrum constituit, vt fulgore & gloria meritorum prælucear omnibus qui in domo sunt. Ad hunc siquidem vsum est à Deo præordinatus, & de quo id potest dici, quod de Iohanne dicitur; *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Lucerna nempe fuit ardens & lucens. Nemo autem lucernam accendit, dicit hodie Dominus, & in abscondito ponit, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.

Quid igitur Dominus intelligat his verbis, & B. Martini exemplo, agnoscere facile est, scilicet, nolle nos animam nostram in vanum accipere. Quis. n. ascendet in montem Domini? ait Psaltes. Qui nõ accepit in vano animam suam. i. lucernam accensam in abscondito non posuit, lumẽ gratiæ & naturæ quod in nobis est, sub modio non occultauit. Qui denique talentũ non defodit & abscondit in terra, sed ex eo sibi aliisque vtilitatẽ percepit. Nã, vt inquit Apostolus, vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatẽ, qui videlicet omnia operatur, diuidens singulis prout vult. Hinc est igitur quod vult Dominus noster talẽta nostra ad mensã poni, & lucernã accensã super candelabrũ, vt qui ingrediũtur, & qui in domo sunt, videant: sicque luceat lux vestra corã hominib. vt videãt opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Quasi diceret, minimè illi fidẽ nostrã placere nisi resplendeat bonis operib. Et sanè Deus ipse verbũ suum, lucẽ æternã, absque Spiritu sancto, qui amor est, nõ produxit, vt discamus & nos non posse, nec debere fidẽ nostrã producere in medium & profiteri absque charitate, & bonis operib. Et quis arborem sola folia ferentẽ ferat? Ficũ nihil habentem præter folia Dominus maledicit. Cùm ergo dicit Christus accẽdi lucernã, vt ponatur super cãdelabrũ, nobis dicere est, fidei nostræ charitatẽ esse cõiungendã, omnib. prælucendũ esse bonis operibus.

Psal. 23. — 1. Cor. 12. — *Fides debet esse instructa operibus.* — Marc. 11.

In hoc autẽ S. Martinus exemplũ nobis singulare dedit, qui lucerna fuit & in vita, & in morte sẽper ardens, semper lucẽs, numquã extincta, sed semper oleo charitatis perfusa. Nondũ baptizatus, & catechumenus, sed miles magis certè cœli quã sæculi, corã Deo, Angelis eius, atque hominib. admirandũ specimen charitatis suæ ostendit. In exercitu Iuliani militãs, Ambiani nudo pauperi ab eo petenti, vt Christi nomine sibi eleemosynam tribueret, cùm nihil haberet præter arma & vestimentum quo tegebatur, partẽ chlamydis dedit. Cui sequenti nocte Christus dimidiata illa veste indutus apparuit, hanc mittens vocem, hoc factum Angelis ostentans & dicens; Martinus catechumenus hac me veste contexit. Miles Christi factus, & in prælatura Ecclesiæ dux & princeps constitutus, etiã maiori gratia auctus est, vt ipso semper amplius testimonium perhibente de lumine quod in eo erat, simul Deus nobis in Sancto suo admirabilis appareret, qui diuitẽ fecit eum in miraculis, meritis, atque virtutibus. Tot suscitat mortuos, quot legerat Dominum Saluatorẽ mundi suscitasse, nimirũ tres. Reddit visum cæcis, auditũ surdis, loquelã mutis, gressum claudis, sanitatẽ infirmis: leprosum mundauit osculo: paralyticũ curauit oleo: proprij corporis obice repulit flammas, aliaque pericula sæpius diuina virtute euadit. Propter iustitiã & pacẽ Cleri persecutiones sustinet, dissidentes pacificat, & antequam in pace quiescat, sæpius deuictis dæmonibus; videt Angelos collætantes sibi, quoad vsque non confunditur loqui inimico in porta: Nihil in me funeste reperies; Abrahæ me sinus suscipit, verumtamen adhuc non recuso laborem. Hæc omnia optimè aduertere nouit S. Bernard. in Serm. de illo Sancto.

Virtutes & miracula S. Martini.

O animum inuictum qui non timet millies ponere animam suã pro ouibus suis! Lugentes filij dicunt ei: Cur nos pater deseris? & ille eorum voce commotus tanquã pastor bonus; Domine, ait, si adhuc populo tuo sum necessarius, nõ recuso laborẽ. Vnde Ecclesia illi congratulans dicit. O virũ ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincẽdum, qui nec mori timuit, nec viuere recusauit! O verè sanctissimam animam! ô inæstimabilem charitatem! Bonum certamen certasti, ait S. Bern. cursum consummasti, fidem seruasti, de reliquo superest tibi corona iustitiæ, quam reddet tibi Dominus iustus Iudex; & adhuc dicis, non recuso laborem, fiat voluntas

voluntas tua. Obtulisti planè Isaac tuum vnicum illū quem diligis. Quod in te est iugulasti. Immolasti singulare gaudium tuum pia deuotione, paratus iterum redire in pericula, innouare certamina, denuò subire laborem, sustinere tribulationem, prolongare tentationem: denique differri adhuc ab illa tanta felicitate, & diu desiderata societate spirituum beatorum, atque in huius mortalitatis ærumnas ab ipso introitu gloriæ reuocari: postremò, quod maximum est, à Christo tuo peregrinari diutius etiam si ipse voluisset.

Ecce lucerna ardens super candelabrum Ecclesiæ posita: ecce charitas pastoris. Talis pastor Paulus erat, qui dicebat: *Optabam ego non solùm vobis conferre Euangelium, sed & viscera nostra.* & amplius adiuc: *Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Ecce lucerna ardens & lucens non in abscondito posita, neque sub modio, sed super candelabrum, & in aperto. Similis ergo illi fuit magnus noster S. Martinus, qui hodie pro fratribus suis & filiis, & animam ponere, & à Christo anathema esse, id est, peregrinari à Domino & diuidi paratus est. Domine, inquit, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Paratum cor tuum Martine, paratum cor tuum, siue manere in corpore, siue dissolui, & esse cum Christo. Magna certè illa obedientia, & non dubium, ait hic S. Bernardus, quin ampliorem gratiam mereatur, qui paratum se exhibet, etiam ante mandatum, quàm qui obedire satagit post mandatum. O Angeli, magna quidem obedientia vestra; sed quod audeam dicere pace vestra, nescio an inueniatur in vobis quisquam paratus in tale aliquando ministerium mitti, in quo necesse habeat non videre faciem patris. Magnum est, ô Petre, quod Dominum secuturus omnia reliquisti; sed audiui te in monte dicentem: Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula. Non est hoc, ô Petre, non est hoc; Si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Paratum autem, Martine, cor tuum pro Christo, siue manere in corpore, siue dissolui, & cum Christo esse. Desidero requiem, sed non recuso laborem; fiat voluntas tuas. Qui tanto desiderio præsentiam Domini concupiscit, viuere quoque non renuit, & expectatione molestissima fatigari. Ecce quantum ardet Martini charitas. Istud lumē morte non deficit, nec extinguitur lucerna eius: imò quo magis circumstant eam tenebræ mortis, eo magis per diuinam antiperistasim accenditur, vt luceat his qui in domo sunt. Domine, si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.

[Margin: 1. Thess. 2. — Rom. 9. — S. Martinus similis Sancto Paulo. — S. Bern.]

Verùm ostendamus quomodo & ad cœlum vsque suum emittat splendorem. Versus terram videbatur lucerna hæc occidere, cùm versus cœlum incipiebat splendescere: discipuli eius ipsum videbant in sua vehementi febre supinum, orantem & attollentem sursum oculos, ab eoque petunt, vt corpore conuerso, tantisper pronus conquiesceret. Quibus ille, sinite me, inquit, cœlum potiùs quàm terram aspicere, vt suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. Quo vtique morti propinquior est, eo etiam vegetior est. Ideo quidem quia erat lucerna ardens & lucens. Lucerna iam & breui consummanda, collectis tunc viribus lucidior est quàm antè. Ita S. Martinus. Sed quid exinde discemus, nisi vt adinstar Sancti Martini, sic luceat lux nostra coram hominibus, vt opera videant, & glorificent patrem qui in cœlis est? Fides nostra lux nostra est, vel potiùs lucerna, iuxta Psalmistam; *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Ecce lucerna & verbum. Verbum Dei lux est, & lux illa quæ omnem hominem illuminat: fides verò lucerna. Sicut enim lucerna non lucet ex se, nisi lumen acceperit aliunde: ita fides, dicit Apostolus, ex auditu est, auditus autem per verbum Dei. Nostra ergo fides lucerna est, sed lucens & ardens.

[Margin: Fides lucerna est.]

Quare etiam hic à Christo comparatur cum oculo corporis, dicente ipso; *Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Vnde si oculus tuus fuerit simplex, totū corpus tuum lucidum erit.* Ita autem de fide est oculo mentis. Si simplex fuerit, obediens & fidelis, lucida erit tota anima, munda & nitida, vt Deum contemplari possit. Mens suos habet oculos, intellectum scilicet & voluntatem: sed eos simplices esse oportet & defæcatos, vt ad Deum vsque eleuentur. Simplicem intellectum esse oportet ad credendum; & voluntatem similiter ad exequendum. Puros etiam atque defæcatos, id est, omni duritia & prauitate purgatos. Munditiei enim animæ & cordis magnum proponitur præmium, scilicet, videre Deum. *Beati mundo corde*, ait Dominus, *quoniam ipsi Deum videbunt.* Hinc orat & optat eius Apostolus, vt Deus, Domini nostri IESV Christi pater gloriæ, det vobis in agnitione eius illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in Sanctis, & quæ supereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus.

[Margin: Fides comparatur cum oculo. — Matth. 5. — Ephes. 1.]

DE VOTIS ANIMÆ suspirantis ad Christum: & singulari deuotione Sanctæ Theresiæ virginis ei obuiam exeuntis.

Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ exierunt obuiam Sponso. Matth. 26.

MAGNVS amator IESV Christi Paulus desiderio coarctari se dicit, videlicet, dissolui, & esse cum Christo. Causam non omittit subiungens: Mihi enim viuere Christus est, mori lucrum. Pari ac simili angebatur desiderio Sancta Theresia, (illa inquam Sancta, nuper, id est, hoc præsenti anno, à Beatissimo Papa nostro Gregorio XV. Sanctorum numero adscripta) quæ dum viueret sæpius repetebat: Morior, eo quod non morior. Verba Apostoli, & vota huius virginis, satis & optimè sensum explicant parabolæ nostræ, quæ dicit simile esse regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso. Quid enim est animam obuiam ire Christo, dum viuit in terra, quàm desiderium habere dissolui, & esse cum illo? & quàm mori, quoniam non moritur? Talis certè eorum est status, qui militant Deo, & regno eius. Talis virginum status, quæ exeuntes obuiam sponso, sumpserunt oleum secum cum lampadibus. Sic enim paratæ intrauerunt cum eo ad nuptias. Talis denique status vitæ Sanctæ Theresiæ virginis, quæ de illis decem fuit, & vna

[Margin: Philipp. 1.]

& vna de numero prudẽtum: vna de cœlestibus in terra, nunc autem de beatis in gloria; vna de suspirantibus in via, & nunc de coronatis, & quæ perfruuntur in patria; quæ dum in corpore viuebat, cum Paulo dicebat: Coarctor è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.

In duobus vita Christiana consistit. Omnis vita nostra, vita vera, dico, Christiana & beata, versatur & consistit in duobus. In expectatione Dei; & in exitu sui, à se, à mundo, & omnibus creaturis. Ita vt ista duo, expectatio & exitus beatã vitam nostram efficiant, consortem sanctitatis, in terris gratiæ, & gloriæ in cœlis. De primo loquitur ad Ephesios Apostolus, erudiens nos vt piè viuamus in hoc sæculo, (exquo apparuit nobis gratia Dei Saluatoris nostri) expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesv Christi, qui dedit semetipsum pro nobis. Sed ipse Dominus sic antè suos erudierat dicens: Et vos estote similes expectantib. Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis. Beati serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes, expectantes. Qui expectant, semper vigiles sunt & parati, vt cùm Dominus venerit, confestim aperiant ei. Talis ergo esse debet fidelis anima, omnisque Christianus, veluti Anna Tobiæ iunioris mater, quę ad montes pergebat circũspiciens si filius veniret qui absens erat, & in nullo poterat se consolari. Heu fili mi, inquiebat, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, & solatium vitę nostrę? Omnia simul in te vno habentes, non te debuimus dimittere ire à nobis. Vnde quotidie egrediebatur sic pergens ad montes, expectansque circumspiciebat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, vt procul videret eum, si fieri posset, venientem. Sic igitur & nos in hac continua Dei expectatione esse debemus, ideoque in montes contemplationis ascendere, circumspicere vias quibus debeat aduenire, nec in alio consolationem admittere, sed dicere cum propheta; *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.*

1 In expectatione Dei.
Ad Tit. 3.
Luc. 12.
Tobiæ 10. & 11.
Ps. 76.
Cassiod.

Quæ verba explicans Cassiod. dicit. Vir iste sanctus iure negat illis rebus animam consolari quæ humanis appetuntur desideriis, quia iam Domini contemplatione gaudebat: illi enim fuit vna consolatio, omnem intentionem ponere semper in Domino. Memor fui Dei. Inde quidem consolatio, inde amor, inde desideriũ, feruor animę & lãguor. Ascensiones eiusmodi erant quas in corde suo disposuerat S. Theresia, quæ plus in Deo quàm in se viuebat. Talésque sunt ascensiõnes animæ, quæ tota amore eius est vulnerata, & de eius languescit præsentia. Neque enim amplius ipsum expectat desiderio, sed de desiderio trãsit ad feruorẽ, de feruore ad lãguorem, de languore ad complãctum, & dè cõplanctu ad excesũ & egressum amoris: cũ videlicet iã desiderio & feruore recedẽtibus, languore continuo atque impatientia quærit ipsũ; imò amoris excessu volat vsque ad illum, dicens cum Propheta: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei? quousque tandem, non adhuc præsentem sibi inueniens, in complanctus & lacrymas prorumpat, donec perfruatur largiùs præsentia; & dicit in exilio suo, in hac lacrymarum valle, in loco quem posuit ei: Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar; Cedar, quod interpretatur nigredo atque tristitia: multum incola fuit anima mea. Educ de custodia animam meam ad confitendum tibi, ad perfruendum te. Coarctor desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.

Ascensiones animæ Deũ amantis.

A Mihi enim viuere Christus est, mori lucrum.

2. In exitu animæ ad Deum, vita Christiana consistit. Secundum de quo nunc dicendum, est, vitam nostram Christianam totam esse in exitu animæ ad Deum. Sic enim dicit parabola simile esse regnum cœlorũ virginib. quæ cum lampadibus suis exierunt obuiam sponso. Planè Deus cùm per gratiam suam, animam illuminat, id facit, vt statim à peccatis exeat, à se, à mundo, & ab omni creatura, & iungat se soli sponso. O admirabilem lampadis huius atque illuminationis virtutem! Ideo quidem illuminat, & necessaria est nobis, vt omnia videãtur quæ nos circũstant, plena periculis, obscura, & indigna quæ diligantur à nobis, & quia nõ est nisi spõsus noster Iesvs Christus, in quem cor & oculos conijcere debeamus. Videre igitur vis si illuminaris? vide si lumen in te est, quo ad Christum du- B caris. Simile est enim regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso. Sed antequam de hoc exitu necessario animæ ampliora dicamus, in his paucis verbis quatuor notanda sunt, & de singulis nonnihil aduertere bonum atque vtile videtur.

Quæ lux nobis necessaria est.

1. Primò enim hic sermo est de regno quod est regnum omnium sæculorum, de regno cœlorum. Oculus certè nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod Deus in illo diligẽtibus se præparauit. De hoc itaque regno loquitur, quod dicit esse simile decem virginib. Simile vtique vir- C ginibus, quia virgineum est, purũ, & nihil inquinatum intrabit in illud. Quis ascendet in montẽ Domini? Innocens manibus, respondet Psalmista. & rursus: Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur, ait, sine macula, & operatur iustitiam, hic accipiet benedictionem à Domino, à Deo salutari suo. hæc est generatio quærentium Dominum. Spõsas quæ exeunt obuiam Christo, & debent cum eo intrare ad nuptias, virgines esse oportet & immaculatas, i. ab omni peccato expurgatas. O anima, sponsa es non cuiuscumque Regis, aut cuiusdã Alexandri & Cęsaris, sed Christi filij Dei vnigeniti. *Despondi vos vni viro,* ait Apost. *virginem castam exhibere Christo.* 2. Cor. 11. D Te igitur tali sponso dignam sponsam exhibe. Nobilis est sponsus, & nobilis debet esse sponsa. Purus est sponsus, & immaculatus totus eius; vnde virgo debet esse sponsa.

Cur regnum cœlorũ dicitur esse simile virginibus.

Sed quænam est illa necessaria virginitas? Etenim non omnes virgines esse possunt. Cũ S. Bern. respondeo. animã esse quæ virtutum omniũ splendore coruscat. Oportet, inquit, virginẽ Christi (animam fidelẽ dico) omnium virtutum itinere in hac vita sponsũ imitari, si vult illuc venire vbi sine fine eũ, quocunq; ierit, sequetur. Quomodo. n. posset sequi virgo superba Agnũ in humilitatis via gradiẽtem? quomodo mitissimũ iracũda? quomodo charitate feruentẽ inuida? Ambulat in omni via virtu- E tũ Agnus sponsus: ambulet sic & virgo spõsa cupiens Agnũ imitari. Sit mitis, sit humilis, sit charitate feruens, sit larga, sit alacris, sit sobria, & imitabitur Agnũ sine macula, sequetur quocũq; ierit, & merebitur ab ipso sponso suo audire: Quã pulchri sunt gressus tui, filia Principis, & Domina regũ terræ! Talis est virginalis anima. Talisq; fuit S. Theresia virgo, Regis regum filia, sponsa Christi, non solùm lilio virginitatis suæ, sed etiam virtutum omnium ornata splendore, quæ ideo meruit in vita exire obuiam sponso, & in morte intrare cum eo ad nuptias gloriæ, dicens cum Paulo, vnionis amore; *Coarctor desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* & horum memor verborum Christi;

S. Ber. Serm. 31 de pass. Domini.

Simile

Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, quæ exierunt obuiam ſponſo.

2. *Quid per numerum decẽ virginum intelligatur.* Sed quare hic numerus ille denarius? Hoc ſecũdò notandũ eſt. O altitudo diuitiarũ ſcientiæ Dei! Ex tot millibus tantùm decem ad cœleſtia regna vocantur. Hoc numero intelliguntur Chriſtiani, omniſque congregatio fidelium quæ eſt Eccleſia, quia numerus iſte perfectionis eſt ſymbolum, qui completus eſt, & ſupra quẽ non aſcenditur, niſi per additionẽ alterius numeri vnius & duorũ, &c. Ita autem eſt de Religione Chriſtiana, ſupra quã non aſcenditur, & quæ in ſe habet omne cõplementum legis atque perfectionis. Nihil vltrà expectamus. Lex naturę Moſaicã expectabat: illa verò Chriſtianam, quæ vltima eſt, perfecta eſt, omnes virtutes profitetur, omnẽ ſecũ gratiam communicat, ſolâq; eſt ſcala atque via per quã aſcenditur ad cœlum. Sub hoc item ænigmate & numero comprehenditur Eccleſia: quia ſola eſt Religio Chriſtiana quæ vocatur ad implendũ numerum nouem ordinum Angelorum, qui de ſtatu gloriæ ſuæ ceciderant, & vnum conſtituendum illis ſuperiorem, quem ſola virgo virginum Dei genetrix Maria per ſe facit, exaltata, ſicut canit Eccleſia, ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna.

3. *Ex decẽ vocatis tantùm quinque donantur præmio.* Tertiò adhuc hic vnũ valde notandũ eſt, nimirũ, ex decem illis tantũ quinque intraſſe cum ſponſo ad nuptias, & clauſam ianuã fuiſſe aliis. Heu, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia Dei, & inueſtigabiles viæ eius! Multi ſunt vocati, inquiebat Dominus, ſed pauci electi. Heu! ex decẽ vocatis & illuminatis, dimidia pars rapitur ad tenebras exteriores. O quis nõ metuet? Numquam audiſtis ex Chriſto, quod ex duob. qui ſunt in agro, vnus aſſumetur, alter verò relinquetur? (Matth.24.) Hodie decẽ ſunt virgines, omnes quidẽ virgines, omnes fidei lampadem habentes, omnes expectantes, & ad ſpõſi aduentũ ſurgentes, eiq; obuiam exeuntes: ſed non omnes æqualiter paratæ. Ex illis enim erant quinque fatuæ, & quinque prudentes. Ecce diuiſæ ſunt. Fatuæ non ſumpſerunt oleum ſecum: prudentes verò ſumpſerunt oleum ſecum in vaſis ſuis cum lampadibus: vnde adueniente ſponſo intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua. Ob defectum olei, & Dei amoris fatuæ non erant paratæ, vnde nec intrauere. Quidnam enim dicunt? lampades noſtræ extinguuntur. Verè ita eſt, fides abſque charitate non ardet, ſed mortua eſt. Vnde etiam ſtatim ſequitur deſertio Dei qui charitas eſt, & clauſa eſt ianua.

O miſeræ, quid vobis profuit eſſe virgines, atque etiam vocationis gratia illuminatas ſine nuptiali veſte & oleo charitatis? Laudabilis quidem eſt virginitas, ſed neceſſaria eſt charitas. Meritò ſanè tales animæ, ait S. Chryſoſt. (S. Chryſ. in Matth.25.) virgines fatuæ dicuntur: fatuæ quidem, quia difficilioribus ſuperatis, faciliora eas perdiderũt, ſcilicet, captiuauerunt intellectum ſuum in obſequium fidei: & non ſe dederunt facilioribus operibus charitatis. In magnis mundum & carnem vicerunt, (relictis omnibus) & in minimis, leuioribuſque vincuntur atque deficiunt. Cor non habent, neque oleum, & vnctionem. Hic (cum tremore & flens dico,) quarumdam animarum ſtatus videtur, quæ poſt acceptam notitiam veritatis, & cœleſtis donum vocationis, prolabuntur, & hæ virgines fatuæ dicuntur.

Prudentes verò habent oleum cum lampadibus, fidem charitate ornatam, & ſic paratæ exeunt obuiam ſponſo, cum eoque merentur intrare ad nuptias.

4. Iſtud eſt quod quartò notandũ eſt, & in quo, vt ab initio diximus, conſiſtit tota vitæ perfectio,

A ſcil. in exitu à ſe, & à rebus cunctis, cũ adhærentia & aſpiratione continua ad Deũ; vno verbo, cũ diſpoſitione exeundo obuiã Chriſto. (*Tota perfectio conſiſtit in exitu animæ ad Deum.*) Qui exit obuiã Chriſto, propter ipſum libenter omnia relinquit, memor etiã quod ipſe vt veniret ad nos, omnia dereliquit. Exiui à patre, inquit, & veni in mundum. (Ioh.16.) Reliqui domum meã, & dimiſi hæreditatẽ meam. (Ierem.12.) Dicãmne, quod quaſi extra ſe exiit, cùm & ſemetipſum exinaniuit, iuxta Apoſtolũ, formam ſerui accipiens? (Phil.2.) Vnde poſtea & de virgine matre ſua exire voluit, ac tandẽ de hoc mundo per mortẽ, & ponendo animam ſuã pro omnib. Nónne ergo dignũ eſt vt exeamus obuiã ei, nos & omnia propter ipſum relinquẽtes? Hoc ipſũ eſt quod ſenſũ parabolę noſtræ explicat, inſinuatque Apoſt. dicens: Extra
B portã Chriſtus paſſus eſt, exeamus igitur ad illũ extra caſtra, (Hebr.13.) extra omnia quę nos circũſtant, ac impediunt. Deponẽtes omne põdus & peccatũ circumſtans, curramus aſpicientes in authorẽ fidei & conſummatorẽ Iesvm. (Hebr.12.) Quæ retrò ſunt obliuiſcẽtes, ad ea verò quæ priora ſunt, nos ipſos extendentes, ad deſtinatum perſequamur brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Iesv. (Phil.3.) Simile eſt regnum cœlorum virginibus, quæ exierunt obuiam ſponſo.

Talis fuit noſtra S. Thereſia, vna de numero prudentum virginum, ſed mater multarum quæ Regi adductæ ſunt & adducentur poſt eam. O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! immor-
C talis eſt memoria illius. Immortalis quidem non ſolùm in generatione ſua, ſed quia hodie nota eſt ea apud Deum & homines, glorificata in cœlis, & nunc inuocata in terris, orbem vniuerſum illuſtrans ſanctitate vitæ quam egit, Ordinis quem reſtituit, & doctrinæ quam reliquit nobis. Non immeritò illi Spiritusſanctus apponitur, quo inſpirante didicit quæ ſcripſit. Elias (*S. Thereſia comparatur Eliæ.*) totus ardebat zelo Dei, & ſalute populi; & quo zelo illa, quæ Ordinem ſuum maximè ad conuerſionem peccatorum, atque hæreticorum inſtituit? Nominis etymologia hoc ſignificare videbatur; (*Etymologia nominis.*) Thereſia enim, quaſi terens hæreſim: verè filia Eliæ, & gloria Carmeli erat. Eliſæus (*Comparatur Eliſæo.*) duplicem Eliæ ſpiritum habuit: & quid minus
D habuit illa, quæ ſexui vtrique, id eſt, virginibus, atque hominibus Religiõnis ſuæ ſpiritum diuiſit, eiſque diuinitus viuendi regulam præſcripſit? Certè illa mulier fuit & virgo fortis, quæ Inferno confuſionem dedit. De Iudith legitur, quod (*Comparatur cum Iudith.*) abſciſſo capite Holofernis, dixerunt ſtatim omnes Aſſyrij: Hodie vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Regis. Sic de Sancta Thereſia dixerunt Inferni dæmones. Sicut è contrà ſurrexerunt filij eius, & beatiſſimam prædicauerũt, nempe tot Religioſi, qui in fortitudine huius virginis, quàm matrẽ habere gloriantur, inimicos proſtrauere. Sicut etiam multæ Reginæ eius filiæ, quæ de Inferno, mundo & carne quotidie triumphant.

E Mulierem ergo fortem quis inueniet? (Prouerb.31.) Procul, dicebat Sapiens, ſed ecce propè eſt. Noſtra enim Sancta Thereſia eſt. De vltimis finibus pretium eius; quia bene operata eſt conſilio manuum ſuarum, id eſt, iunxit interiora exterioribus. Manum ſuam miſit ad fortia, contemplationem maritauit actioni. Digiti eius apprehenderunt fuſum. Ecce actio. Guſtauit, ecce contemplatio, & vidit quia bona eſt negotiatio eius. De nocte ſurrexit, vacans orationi, deditque prædam domeſticis ſuis, fructum contemplationis. Conſiderauit agrum Carmeli, id eſt, derelictionis, & emit eum. De fructu manuum ſuarum plantauit vineam,

vineam,id est,reformationem. Quare nunc,ô filiæ Acius, date ei de fructu manuum suarum. Imitatrices estote matris vestræ. Paratæ estote, lampades vestras ornate, & vos similes expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis; Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit; exite obuiam ei.Non nisi vnum instans habemus,& instans mediæ noctis, à quo dependet dies nostræ æternitatis. Quid facimus? bonum operemur dum tempus habemus; media nocte clamor factus est.

Quid faciendum ante mortem.

Ecce igitur quid præstandum.Primò,opera Dei, donec dies est, debemus operari, ad exemplum ipsius Christi dicentis: *Oportet me operari opera eius qui misit me,donec dies est.* Quanto magis nos? Secundò,continuò debemus esse parati,quia qua hora non putamus,filius hominis veniet. Media nocte clamor factus est,ecce venit. Tertiò,inspirationes eius & monita recipere. Clamor factus est. Ideo dicere; Audiam quid loquatur. Paratum cor meum Deus. Quartò etiam ipsum recipere,semetipsum enim loquendo insinuat Christus. Venio citò, ait, & merces mea mecum est. Etiam venio citò. Si quis mihi aperuerit, intrabo. Amen. Veni Domine IESV. Amen.

Ioh. 9.

Apoc. vlt.

DE ANGELIS, ET principe omnis militiæ cœlestis.

Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris. Matth. 18.

NIHIL vicinius & conformius est gloriæ in cœlis, quàm humilitas, ex quo Christus IESVS humilis apparuit in terris. *Abyssus abyssum inuocat,* ait Psalmista, duplex abyssus, humilitas,& gloria; aliamque attrahit altera. Humilitatis abyssus ita profunda est, vt nihil inueniat præter altitudinem gloriæ, quod eam implere valeat: & gloria ita supereminet vniuersis,vt nulli quàm humiliati cedat. Naturæ, gratiæ, atque gloriæ, vnicum est hoc miraculum, vt quæ inter se remotissima sunt,sic immediatè,& absque mediorum contagione, vniantur & penitissima sint. De Angelis hodie nobis dicendum est: & ecce profunda humilitas iuncta cum inenarrabili gloria. Angeli eorum in cœlis,dicit Christus,semper vident faciem patris. In terra nobis assistunt,vili obsequio mancipati, nec deserunt visionem & præsentiam Dei in cœlis,cui in gloria deseruiunt.

Ps. 41. Duplex abyssus.

Sed si vniuersalem considerationem aliquantulum relinquamus, vt ad singularem veniamus, videlicet Michaëlis Archangeli & totius huius cœlestis militiæ principis, inueniemus quod primus ille fuit qui se subiecit Deo, & in humilitate sua singulari post se subiecit ei omnia. Hoc sonat nomen eius, Michaël, quis vt Deus? Illa fuit via qua omnium primus & primò dedit gloriam Deo, séque in æternum stabiliuit in gratia. Illa via qua rebelles lumini, ac iniustos vsurpatores gloriæ Altissimi prostrauit. Michaëlis fuit humilitas quæ Angelorum superbiam ad Inferos expulit. Nolite putare solam terram capacem esse certaminis, etiam cœlum fuit. Pugnam in cœlo sustinuit Michaël. Nobis refert in sua Apocalypsi Iohannes dicens: Factum

Humilitas via qua Michaël dedit gloriam Deo atque victoriam.

Pugnam sustinet Michaël in cœlo.
Apoc. 12.

A est prælium magnum in cœlo; Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius: & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo. Non valuerunt contra robur humilitatis Michaëlis.Quis vt Deus? Et sic non amplius inuentus est eorum locus in cœlo; in cœlo vbi curia est humilium, paruulorum, procidentium ante Deum, & dicentium; Quis vt Deus? Propterea & proiectus est draco ille magnus, superbus draco, ambitionis ardore feruescens & inuidiæ flammis, serpens antiquus qui vocatur diabolus, qui seducit vniuersum orbem. Proiectus est, & angeli eius cum illo missi sunt. Et vox magna audita est in
B cœlo dicens: Nunc facta est salus, regnum Dei, & potestas Christi eius. Potestas Christi, quia humilitas Incarnationis eius fuit,quæ cœlum curiam humilium & paruulorum constituit, angelos rebelles proiecit,& fecit exules apud Inferos.

Adeò vt orta sit occasio huius certaminis in cœlo,ex reuelatione facta Angelis mysterij Incarnationis. Hoc immediatè antè S. Iohannes viderat dicens: Et signum magnum apparuit in cœlo; Mulier amicta Sole, quæ paritura erat filium, qui raptus est ad Deum, & ad thronum eius.Et tunc factum est prælium magnum in cœlo;Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & ipsi vicerunt eum, propter sanguinem
C Agni. Ecce in quo a Michaële proiectus est draco. In humilitate mysterij absconditi, exinanitione filij Dei, in sanguine & infirmitate Crucis. Hæc etiam fuit humilitas quæ tantopere in Michaële præualuit, eluxitque, vt primus fuerit qui coram Deo,& humilitate filij sui reuelata semetipsum exinaniuerit, fideles Angelos ad simile ac tale obsequium adduxerit, & superbiam præuaricantium confregerit, dicendo; Quis vt Deus? Hoc est quod nobis hodie proponitur singulariter considerandum, omnes videlicet Angelos qui fuerunt fideles,cum suo principe Michaële,in obsequium Dei, & eius gloriæ fruitionem intrasse, per renunciationem perfectam suiipsius & proprij amoris,& si vultis,annihilationem.Quis vt Deus?
D Superbia impiorum & insipientium dixit: Ascendam, & ero similis Altissimo: humilitas verò bonorum,atque fidelium;Quis vt Deus? hæc filiorum nota est,& domesticorum Dei.

Propter Incarnationem Christi bellum ortū est in cœlo.

Sed à quonam sic loqui didicerunt omnes, & sic in veritate Dei humiliare se? Vtique à Sancto Michaële principe totius militiæ cœlestis. Pulchra quidem conuenientia & comparatio est inter ipsum & Sanctum Petrum principem Ecclesiæ militantis. Petrus enim erudiens alios quomodo de Christo sentire, loqui,& ipsum profiteri deberent,primus dixit respondens interroganti:Quem dicunt homines esse filium hominis? vos autem quem me esse dicitis? Tu es Christus filius Dei
E viui.Sic Michaël princeps militiæ cœlestis,Ecclesiæ in cœlo adhuc militantis, in reuelatione sibi facta & Angelis de dispensatione mysterij absconditi à sæculis in Deo, primus dixit, & pro cunctis; Quis vt Deus? Vnde & primus meruit totius Ecclesiæ princeps constitui, non solùm Angelorum sed etiam hominum. Petrus in confessione sua super homines primatum obtinere meruit in Ecclesia. Ex hoc, dixit illi Christus, iam homines eris capiens.Beatus es Simon Bar-Iona,quia pater meus reuelauit tibi. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Sanctus verò

Comparatio inter S. Michaëlem & S. Petrum.
Matth. 16.

Luc. 6.
Matth. 16.

Michaël Angelorum & hominum professione sua in cœlo & in terra princeps constitutus est. Primò Angelorum, in potentia & virtute suarum operationum super ipsos, in illo certamine magno contra Luciferum. Quod autem operatus est in eis, humilitas fuit, submissio perfecta, & rerum omnium abnegatio in conspectu Dei. Quis vt Deus? Vnde & eorum meruit princeps constitui. Similiter & hominum, quos etiam operationibus suis gubernat & regit, sicut totam Ecclesiam, in qua à Deo eam ob rem est constitutus princeps omnium animarum quas sibi elegit, sicut ab ipsa Ecclesia dicitur: Constitui te principem super omnes animas suscipiendas. Ità vt nullus sit omnino in Ecclesia, qui huius Angeli aliquam operationem non experiatur, siue in ordine Apostolorum, siue Martyrum, siue Confessorum, aut virginum, meritóque Angelus totius Ecclesiæ dicatur.

Michaël Angelus Ecclesiæ.

Meritò dixi, quia omnium creaturarum prima fuit quæ laudem & gloriam Deo dedit, quæ pro eius honore pugnam sustinuit, & confessione gloriosa ei victoriam dedit. Prima creatura quæ fidem seruauit, bonum vsum gratiæ fecit, séque amore, & abnegatione omnium Deo intimè coniunxit. Quis vt Deus? Seraphim Deo per amorem adhæserunt: Cherubim per cognitionem. Et ille princeps omnium, Seraphica non iudicauit indignum dignitate, via annihilationis, & abnegationis Deo adhærere, quam & alios edocuit, qui ipsius institutione formati, omnes post ipsum dixerunt; Quis vt Deus? Nam & in hoc solùm gloriam se habere existimant, & aliquid esse, si in veritate Dei, & à facie oculorum eius, nihil esse se agnoscant, perfectáque abnegatione sui & omnium, honorent continuò gloriam Diuinitatis humiliatæ & absconditæ in mysterio Incarnationis. Neque enim sinunt vllum temporis momentum præterire, in quo supremum honorem atque obsequium huic mysterio non præstent, idque coram illo continua exinanitione ipsorum. Exinaniunt se, vt eum honorent, qui cùm in forma Dei esset, non pro ipsis, sed pro nobis exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. Exinaniunt se, vt exinanitioni, cui non cooperati sunt, debitum semper honorem reddant. Neque enim propter peccata Angelorum, aut eorum naturam, descendit Deus in creaturam, sed solùm propter peccata hominum, qui & causa & forma fuêre exinanitionis eius. Quanto igitur magis debemus humiliari & annihilari coram Deo, qui eiusmodi exinanitioni quæ in eius filium cadit, occasionem dedimus?

Incarnatio Christi ratio exinanitionis Angelorum.

Hoc itaque discamus officium ab Angelis, qui in hoc non minus honoris & gloriæ percipiunt, quàm ex eo quod vident faciem patris, & maximè adhuc cùm eorum respectu nihil simus nisi cinis & limus. Quid putatis esse Angelos? participationes perfectionum & bonitatum quæ in Deo sunt. In Deo amor est, lux, requies, potestas, imperium, Majestas, &c. & ecce Seraphim creauit, qui nihil aliud sunt quàm creatus amor Dei. Ardent Seraphim igne Dei, vel potiùs igne Deo. Quod præcipuum est in eis, amant, dicit S. Bern. Item Cherubim creauit, qui nihil aliud sunt quàm plenitudo scientiæ Dei, sed participio, quæ in eis est, veritatis. Similiter Thronos creauit, qui sunt sedes, requies, & firmamentum Dei; & sic de aliis. Adeò autem sunt omnes stabiles & fideles in statu & ordine, in quibus à Deo primùm positi sunt,

Angeli participationes sunt diuinarum perfectionum.

S. Bern. lib. de consider.

A vt semper ei reddant quod ab eo acceperunt. Qui acceperunt amorem, illi reddunt amorem: qui lumen, lumen; & sic de aliis: neque aliter Deum honorificant quàm de propriis eius donis ac datis. Fideles item in ordine in quo positi sunt, adeò vt inferioris ordinis Angelus (& hoc quidem mirabile est,) minimè vnquam aspiraret ad dignitatem & differentiam superioris; tantùm omnes conformiter adhærent supremæ intelligentiæ & rationi, quæ Deus est, in eaque omnes sua sorte sunt contenti. Contenti quidem, in eo quod omnes vident faciem Dei, & in cunctis gloriantur facere voluntatem eius. Ecce eorum gloria, atque sublimitas.

In duobus fidelitas Angelorum.

B Certè plusquàm in omnibus creaturis Deus admirabilis apparet in Angelis suis, & maximè adhuc si in eis extensiuè omnia consideremus. Si primò eorum originem & antiquitatem: quia omnium sunt primi, generatione mundi huius superiores, & conditione temporis anteriores. Secundò, si excellentiam eorum essentiæ & naturæ consideremus, quia incorporei sunt, & magis de qualitatibus atque perfectionibus Dei participant, vt iam ostendimus. Tertiò, si durationem, quia omnino sunt incorruptibiles.

In quibus Deus admirabilis in Angelis plusquà in aliis creaturis.

Quartò, si multitudinem, quæ tanta est vt cuncta alia creata superet, & quasi sit infinita: superat multitudinem stellarum cœli, volatilium aëris, C arenæ maris, animantium, plantarum, etiam pulueris terræ, ex opinione aliquorum. Dicebat Daniel: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, id est, absque numero. Huius ratio est apud S. Thomam, quod iuxta perfectionem vniuersi quam Deus intendit in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in maiori excessu sunt creata à Deo. Sicut autem in corporibus attenditur excessus secundum magnitudinem: ita in rebus incorporeis potest attendi excessus secundum multitudinem. Videmus autem quod corpora incorruptibilia quæ sunt perfectiora inter corpora, excedunt quasi incomparabiliter secundum magnitudinem corpora cor-D ruptibilia, vt videre est in sphæris elementorum, & cœlorum supra elementa. Vnde rationabile est, quod substantiæ immateriales, vt sunt Angeli, excedant secundum multitudinem substantias materiales quasi incomparabiliter.

Dan 7.

S. Tho. 1. p. q. 50. art. 3.

Quintò, si eorum potentiam consideremus, videtur adhuc esse incomparabilis: ex eo enim quod Angeli sunt, tota natura corporali sunt superiores, totoque mundo maiores; ita vt sufficiat vnus ad gubernationem vniuersi. Iob loquens de potestate diaboli, dicit quia non est potestas super terram quæ comparetur ei. Quid igitur existimandum de potestate vnius Angeli, qui præualet super omnes illos apostatas Inferni? Legimus in E libris Reg. quod in vna nocte Angelus Domini, ad defensionem Ezechiæ Regis, percussit in castris Sennacherib Regis Assyriorum centum octoginta quinque millia hominum. Ecce vnius Angeli potestas. O quàm ergo potens erit Michaël, qui est princeps totius huius militiæ cœlestis, & qui in fronte scriptum portat, & in manu hoc terribile & inexpugnabile scutum quod atterit superbos; Quis vt Deus?

Iob 41.

4. Reg. 19.

Sextò, si eorum statum consideremus, nihil sublimius illis. Dum in terra seruiunt paruulis, in cœlis semper vident faciem patris. Eorum humilitas nihil ipsorum gloriæ detrahit. Angeli eorum, dicit hodie Christus, videlicet paruulorum istorum,

istorum, in cœlis vident faciem patris. In cœlis, vt ex loco maior adhuc dignitas notetur. Angelum esse magna dignitas est, sed accrescit, vbi dicitur, in cœlis. Quanto enim terra altius est cœlum: ita tanto sublimiores sunt atque maiores qui habitant in cœlo, iis qui habitant in terra, licet sint principes. Et quid quæso tam speciosum est in terra, aut potens, quod pulchritudini aut virtuti vnius stellæ firmamenti queat comparari? Meritò certè Christus de Iohanne ita dixit: *Qui minor est in regno cœlorum, maior est illo.* Minor in cœlo, maior est omni qui magnus est in terra: in cœlo vbi videtur facies patris. Hoc est quod superadditur Angelis, & eorum amplius declarat gloriam & dignitatem. Illa siquidem dignitas tanta est, vt nulla sit creatura in cœlo, vel in terra, quæ huic comparari queat. Dicam. Nulla est vilis & inferior creatura quæ cum hac visione, non sit maior omni Angelo absque illa. Ecce igitur Angelorum dignitas, semper vident faciem patris.

Matth. 11.

Quare nomina diuersa Angelorum.

Vltimò denique in diuersitate & differentia nominum quæ sortiti sunt, adhuc admirabilis eorum virtus atque proprietas innotescit. In hierarchiis hoc iam satis exprimitur. Seraphim appellantur, quia ardent igne & amore Dei. Cherubim, quia lucent plenitudine scientiæ. Throni, quia in eis præsidet & requiescit Deus. Dominationes, quia sub Domino imperant. Principatus, quia regunt. Potestates, quia fortiter Dei mandata exequuntur. Virtutes, quia satagunt excitare corda torpentia hominum. Denique Archangeli & Angeli, quia nobis adsunt, in obsequium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Præterea adhuc alia nomina in Scriptura sacra & apud Patres sortiuntur. Dauid eos vocat flammam ignis, seu ignem vrentem; *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem:* ignem vrentem, flammam ignis, eo quod erga nos ardescunt amore, nos illuminant, atque in Dei amore accendunt. Apud Zachariam appellantur oculi Dei; *Super lapidem vnum septem oculi sunt*, qui in Apocalypsi spiritus appellantur & Angeli septem Ecclesiarum. In Genesi dicuntur à Iacob castra Dei. Fuerunt ei obuiam in itinere Angeli Dei. Quos cùm vidisset, ait; Castra Dei sunt hæc. Sic sponsa castrorum choros nuncupauit, quatenus ad defensionem nostram & consolationem simul, nobis adsunt, ac circumstant.

Psal. 103.

Zachar. 3. Apoc. 2. & 3.

Gen. 32.

Cant. 8.

Origenes consiliarios nostros & tutores appellat. Angeli, inquit, velut procurationem animarum nostrarum tenent, quibus, dum adhuc paruuli sumus, veluti tutoribus & actoribus committimur. Nos attendunt peregrinos, ait S. August. & iussu Domini auxiliantur nobis, vt ad illam patriam communem aliquando redeamus. S. Bernardus vocat eos mediatores Dei atque hominum. Discurrunt medij, ait, inter nos & Deum, fidelissimè portantes ad Deum gemitus nostros, & ipsius gratiam ad nos. Quod satis nobis demonstratum est in illa mystica scala, Patriarchæ Iacob ostensa, ibi enim eos videbat ascendentes & descendentes, & Dominum innixum scalæ: & sic semper videbant faciem patris, licèt ad nos descenderent. Vt hic intelligamus quod dicit Dominus; Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris: quia ibi se seruant per contemplationem internam, vnde recesserunt, quando ad nos spiritali sua præsentia foras exierunt. Quid ergo in illis honorare debemus? Gloriæ sublimitatem, in qua continuo sunt, dum nobis præsentes sunt. Castra Dei sunt, quæ nos circumstant & protegunt. Quorum omnium princeps constitutus est Michaël, & non solùm super Angelos princeps constitutus; sed etiam super animas nostras, vt eas illi committamus, & ille repræsentet eas in lucem sanctam quam Deus promisit fidelibus.

Origen. hom. 8. in 21. Gen.

S. August. in Psal. 62.

S. Bern. Ser. 2. de Natiuit.

Gen. 28.

DE CVSTODIA ANgelorum.

Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris. Matth. 18.

CHRISTVS IESVS solus non indiguit custodia Angelorum. Triplicem huius rei rationem afferunt Theologi. Prima est, quia non solùm conuersans nobiscum in terra, viator erat, sed etiam comprehensor, semper videns faciem patris. Secunda est, quia ab ipso instanti Incarnationis suæ, plenus erat omnis gratiæ & veritatis, atque in se reconditos habebat omnes thesauros sapientiæ. Tertia, quia ipsa humanitas à verbo æterno dirigebatur, quod hypostaticè illi vnitum erat. Quare in illo duello & certamine, quod in deserto inter ipsum & diabolum factum est, tunc Angeli recesserunt, & à solo Spiritu sancto ductus est in locum certaminis; quia ad victoriam minimè tunc necesse illi erat, aut conueniens vti, vt in cœlo, ministerio Angelorum. Sed finito duello, & simul atque reliquit eum diabolus, ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Nec obstat, quod dum in agonia factus est in horto, apparuit illi Angelus confortans eum, quasi tunc Angeli ope & ministerio indiguisset. Eiusmodi namque confortatio tantùm colloquium erat Angeli cum Christo, de negotio suæ mortis atque voluntate patris, quam antè optimè nouerat, & cum gaudio animi implere paratissimus erat, vt statim ostendit dicens: *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Vnde apparuit illi Angelus confortans eum, id est, fortem prædicans, & exaltans.

Triplex ratio cur Christus non eguit custodia Angelorum.

Matth. 4.

Angeli ergo Christo seruiunt non ratione præsidij, non necessitate auxilij, sed officio laudis, exhibitione gloriæ & honoris. Nobis autem necessitate præsidij: tanta siquidem, respectu nostri, est illa Angelorum custodiæ necessitas, vt ad conseruationem etiam esse nostri referatur. Ratio & fundamentum est, quia natura nostra ita fuit per peccatum diminuta, vt penitus ad nihilum reduceretur, & minimè vnquam ad finem suæ creationis perueniret, si Deus illi aliquo particulari adiutorio, & superiori intelligentia ac ratione, quæ eam ducit & gubernat, non adesset, & quæ adhuc ad finem beatum sollicitat & dirigit. Eiusmodi autem est Angelorum custodia & præsidium. Qui omnes, sicut Apostolus dicit, sunt administratorij spiritus, omnes in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Et quibus adhuc, vt Psalmista dicit, mandauit Deus de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Dixit, in omnibus, vt nihil in nobis, siue naturæ, siue gratiæ, eorum custodiæ subtrahatur.

Ratio custodiæ Angelorum.

Duplici de causa custodia Angelorum conueniebat hominibus.

O altitudo diuitiarum sapientię Dei in hoc admirabili regimine hominum ab Angelis! Duplici de causa certè postulabat illa sapientia, vt homines gubernarentur ab Angelis. Prima est ob ingentia dona naturæ, & gratiæ quę in eis sunt, & quibus conuenit vt præualeant hominibus. Ille est enim ordo quem diuina sapientia & ratio posuit in omnibus, vt quæ inferiora sunt, à superioribus gubernentur, & iis vt mediis ad altiora vt ad finem suum eleuentur. Angeli autem medij sunt, & quasi mediatores inter Deum altissimum finem nostrum, & homines, quia natura sunt immortales, spirituales, atque confirmati in gratia: vnde conueniens & necesse erat, vt eorum custodia, atque vigilantia, ad Deum finem nostrum altissimum duceremur.

Secunda causa & ratio est, quia in illo primo certamine quod factum est in cœlo, quando ille superbiens spiritus voluit se in potentia diuinitatis extollere, & tot post se ad interitum legiones traxit, hi in authore suo humili corde perstiterunt, & fideles majestati diuinæ, vndè & meruerunt præsidere, & adesse adhuc continuò hominibus, in quos postea omnis ira diaboli descendit. Hinc est quod S. Thomas existimat, & plures cum eo, vnum esse Archangelum qui toti multitudini hominum præsidet: & præterea vnicuique Angelum adesse qui regat, moneat, gubernet, & quotidie videat faciem patris. Angeli enim eorum in cœlis, dicit Christus, semper vident faciem patris. Magna equidem dignitas animarum, ait S. Hieron. vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis, in custodiam sui Angelum delegatum. Et S. Bern. hæc verba Psaltis explicans; *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Mira, inquit, dignatio, & verè magna dilectio charitatis. Quis enim? quibus? de quo? quid mandauit? studiosè consideremus. Summa ergo majestas mandauit Angelis, & Angelis suis. Illis vtique sublimibus, tam beatis, quàm proximis sibi cohærentibus & domesticis. Sed quid putas mandauit de te? de te putredo, de te vermis? Vt custodiant te, in manibus tollant te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum: vt custodiant te in omnibus viis tuis.

S. Hieron. lib. 3. comm. in Matth.
S. Bern. in Psal. *Qui habitat.*

Angelorum humilitas in custodia hominum.

Nostri ergo sunt custodes, & omnes administratorij spiritus. Nostri sunt in vita, nostri in morte, & nostri adhuc post mortem in gloria: nec desistunt vnquam à custodia hominis in terra. O qualis obedientia, & qualis humilitas, quod tam sublimes creaturæ, propter Deum suam gloriam tam vili obsequio subiiciant: quod qui semper in cœlis vident faciem patris, nobis adsint, & continuò nobiscum conuersentur in terris! Quis nostrûm, obsecro, vellet, aut etiam posset, etsi propter Deum, vilium formicarum & muscarum curam sic habere, idque diu, vt continuò ministraret illis? Quinam verò respectu Angelorum nos sumus? muscis certè ac formicis viliores. Sed his adhuc addere possumus, quod etiam procurant nobis & satagunt, vt in cœlis, atque in gloria sublimiores simus illis. Vultis ampliora, magisque eorum humilitatem perpendere? Omnes sciunt, neque enim de hoc dubitare possunt, aliquem ipsorum Antichristo affuturum, & quantum ad inspirationes bonas & sanctas, non minus ei defuturum, quàm si iustus esset & prædestinatus. Sed adhuc maiora? Sciunt, nec ignorant, vnum hominem occupaturum locum primi Angeli, Luciferi, non autem quempiam ex ipsis. Certè si insidiæ subiacerent, iampridem inter eos orta

A fuisset occasio, tam ratione nostræ vilitatis, quàm eorum excellentiæ naturæ. Sed quid hoc impedit? Ipsorum humilitas, & conformitas voluntati Dei & gloriæ eius: & nimius adhuc dicam, amor quo nos prosequuntur. Quia enim nos vident Christo esse per Incarnationem affinitate coniunctos, licet quidem natura, gratia, & meritis multum nos superent: ideo cupiunt, atque etiam satagunt, vt eos excedamus gloria. Et sic minimè grauantur curam nostri habere, & continuam custodiam, in vita, in infantia, pueritia, & omni ætate; in consiliis, periculis, & diuerso statu vitæ.

Angelorum amor erga nos.
Et ratio.
Custodia Angelorũ & cura in vita.

Iudith 13.

B Sic fortis & casta vidua Iudith dicebat: Viuit Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & reuocauit me Dominus gaudentem in victoria sua, in euasione mea, & liberatione vestra. Sic ad Tobiam Angelus dixit: Ego sanum ducam filium tuum, & reducam. Sic Iacob benedicens filiis Ioseph, Ephraim & Manasse, meritò voluit illis impertiri benedictionem Angeli sui dicens: *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Ipse est Angelus qui nos consolatur in afflictionibus. Sic Eliæ apparuit confortans eum in persecutione Iezabel, cum pane subcinericio, & dicens: Surge, grandis tibi restat via. Ipse est qui nos admonet de salute nostra, & C de periculis eripit. Sic duo Angeli cogebant Loth egredi de Sodoma cum familia sua. Illoque dissimulante, apprehenderunt manum eius, vxoris, & filiarum, & posuerunt extra ciuitatem, dicentes; Salua animam tuam. Ipse est qui nos instruit in dubiis & difficilioribus. Dum prosterneret Daniel preces suas ante faciem Dei, Gabriel citò volans tetigit eum in tempore sacrificij vespertini, & dixit: Daniel, nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres quia vir desideriorum es; & tunc aperuit ei sensum mysterij omnium mysteriorum. Ipse denique est qui offert Deo preces nostras, lacrymas, aliaque pietatis & pœnitentiæ exercitia. Sic dicebat Tobiæ postquam ipsum à cæcitate sa- D nauit, & reduxit sanum filium eius: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium, & mortuos abscondebas in domo tua per diem, & nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino.* Ita, ita est Domine, gemitus nostros atque suspicia referunt ad te, sed vt impetrent nobis faciliorem tuæ benignitatis propitiationem. Hæc sunt officia Angelorum tuorum atque præsidia, quibus, Domine, te omnia gubernante, protegitur in hac vita.

Tobiæ 5.
Gen. 48.
3. Reg. 19.
Gen. 19.
Dan. 9.
Tob. 12.

Custodia Angelorum in morte.
Luc. 16.

Sed quomodo adhuc nos tueantur in morte, nobisque in hoc articulo vltima obsequia, atque officia præstent, videamus. In Euangelio legimus, quod cùm mendicus Lazarus mortuus fuisset, fa- E ctum est, vt ab Angelis portaretur in sinum Abrahæ. Ecce officium Angelorum, animas deducere ad Deum, eisque in illo exitu occurrere, & adesse contra insultus insidiantium. Sic pro figura in Exodo dicebat Deus populo suo: Introducet te Angelus meus in locum quem paraui tibi. Quis ille est quæso locus paratus, nisi regnum Dei paratum nobis à constitutione mundi? Eò igitur ad Angelos spectat vt nos introducant, & ab hostium tueantur insidiis. Sic Psalmista dixit, quia *immittet Angelos Dominus in circuitu timentium eum.* Hoc iam in peregrinatione Iacob vidimus, qui cùm sibi occurrentem Esau fratrem suum seniorem habuisset, statim circum se vidit exercitum Angelorum,

Exod. 23.
Psal. 33.
Gen. 33.

Angelorum, multitudinem militiæ cœlestis pro defensione sua,& dixit:Castra sunt hæc.O inenarrabilem consolationem iustis, & his qui de tribu & familia Iacob sunt,qui cum eo peccatum, mundum, carnem supplantauerunt! Nam & in exitu etiam diabolum supplantabunt, qui fugiet ab eis, Angelis tunc occurrentibus, qui numquam eos deserunt, donec ad gaudia æternæ gloriæ perducant, vbi non amplius ad eorum custodiam deputati, sed in eadem societate conregnantes, eadem simul perfruuntur visione patris.

Associatio admirabilis inter Angelos & homines. Ecce quousque peruenit inter Angelos & homines arctum vnionis & affinitatis vinculũ. Nihil videtur remotius ab homine quàm Angelus;& tamen in communicatione & vnione nihil propius, intimiusque,vbi in terra Angeli deputantur ad custodiam hominum,& in cœlo ad perpetuum consortium. Quod istæ duæ creaturæ,inter tot alias, solæ sint capaces eiusdem visionis Dei & gloriæ,& ad istum æqualem honorem conueniant, licet à se inuicem tantopere distent: quod maior non dedignetur seruire minori, Angelus homini, atque etiam procuret,vt illi maior status gloriæ accidat. Quid facimus? quidve tanti carnem & mundum facimus? Quæ cùm ita sint,iam videamus quid illis retribuere debeamus.

Quadruplex modus honorandi Angelos. Superest ergo vt debito honore veneremur, qui tanto nos amore prosequuntur. Modus autem est quadruplex. Primus est reuerentia: secundus gratitudo: tertius dependentia: quartus obedientia. Quantum ad reuerentiam,debetur illis ratione naturæ quæ incomparabiliter omnem aliam superat, quæ illis inferior est,vt est humana,ratione dignitatis gratiæ in qua sunt creati,& ratione item gloriæ in quam sublimantur; vident semper faciem patris. *Reuerentia debita Angelis.* Si pretium gloriæ indagare sciremus,ô quãtum honoraremus qui frueretur illa! hi autem licet nobiscum sint,semper illa perfruuntur: imò in terra circa nos faciunt paradisum, conuersantes enim nobiscum,semper vident faciẽ patris. Coram Regibus & Principibus terræ reuerenter nos gerimus, quia in dignitate supra nos sunt constituti. Quanto igitur magis hoc conuenit coram Angelis principibus cœli,& domesticis Dei? *S. Bern. in Psal. Qui habitat.* Quantam tibi hoc verbum debet inferre reuerentiam,afferre deuotionem,conferre fiduciã? *Angelis suis Deus mandauit de te,vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Reuerentiam pro præsentia, deuotionem pro beneuolentia,& fiduciam pro custodia. *In omnibus viis tuis,* dixit Psaltes. In quouis ergo diuersorio,in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam habe, & ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes. Semper vident faciem patris. Hanc etiam ab eis gratiam petamus, scilicet,vt impetrent,vt nũquam Dei præsentiam amittamus, & ipsorum exemplo, à reuerentia exhibenda Deo numquam recedamus. Neque enim Deus minus est nobis præsens quàm ipsis,qui vbique essentia sua adest. Cæcus qui non videt Regem,& tamen scit esse præsentem,nõ minori reuerentia vti coram eo tenetur, quàm qui videt. Deus nobis cæcis præsens est,sicut Angelis faciem videntibus: pari ergo reuerentia atque isti ipsum honoremus. Angeli circa nos vacant exterioribus,& tamen vident semper faciem patris. Ita & nos sic vacemus negotiis, vt semper Deus adsit nobis. Hanc Theologiam discamus ab Angelis.

Gratitudo debita Angelis. Quantum ad gratitudinem, non minima quidẽ debetur illis pro singulari cura,vigilãtia,omnibúsque bonis officiis pietatis, quæ tam fideliter erga nos exercuerunt. Si enim teneremur in æternũ illi A gratias agere & præstare obsequium,qui semel tãtùm de periculo mortis nos eripuisset, aut aliquod beneficiũ ingens contulisset,etsi postea nõ amplius esset memor nostri: quanta quæso gratitudine debemus erga Angelos esse affecti,à quibus tot bona recepimus, per quos à tantis periculis liberati fuimus,& qui quotidie memores nostri,nobis tam affectuosè assistunt, vt nos custodiant in omnibus viis nostris?

Quare iam quantum ad dependẽtiam,admodũ singularis esse debet. *Dependentia debita Angelis.* Primò, quia sunt coadiutores Christi in opere nostræ salutis. *Omnes administratorii spiritus*, inquit Apostolus, *in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Vnde mul- B tum ab eis dependere debemus, in quantum mediãtibus adhuc illis,multa Deus nobis confert,quæ aliàs nõ reciperemus. Secũdò, quia ab instanti primo nostri ortus vsque ad vltimum mortis, nobis assiduè assistunt, & nũquam curam nostri interrũpunt. Vnde etiam cooperari,atq; voluntate & animo illis nos vnire debemus,& nihil agere sine eorũ directione, debemus esse in societate cum ipsis, & vtilitati incumbere, quam tam sollicitè procurant nobis. Hoc equidẽ deplorandum, quod militantes Deo,rebus tantùm secularibus implicati simus, totaquẽ intentio nostra sit circa parum luti; cõuersatione autẽ Angelorum priuemur, & negotiis Cœli. Si totius orbis Imperator videretur,om- C niumque Philosophorum scientia eruditus,aliquẽ infantulum, & pro derelicto habitum, regere & instruere, omnium in ore & admiratione esset. Et tamen hoc nihil est respectu Angeli homines & pueros gubernantis. Nonne igitur rationi consentaneum est, vt totaliter à tali rectore & magistro dependeamus? *Obedientia debita Angelis.* Et præterea (quod adhuc superest,) maximam ei obedientiam præstemus, & fidelitatẽ in omnibus promptè exequendis, quæ à Deo suggerit nobis. Veniam petamus, quod tamdiu ei restitimus, ac in posterum cor nostrum & voluntatem inclinemus directioni eius ac votis, vt simul cum illo in cœlis semper videamus faciem patris.

D
DE GLORIA ET BEATITUDINE SANCTORUM.

Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth. 5.

Duplex beatitudo proposita à Christo. DVPLEX hic beatitudo nobis proponitur à Christo:vna quæ dicitur viæ,& altera patriæ. Prima est fidei, & in spe, & adhuc per charitatem operans: altera verò est in possessione & fruitione diuinæ essentiæ. Prior ænigmatica est & obscura: altera verò intuitiua & clara visio, atque cognitio. Vtramque cõprehendit Apostolus dicens: *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* *1. Cor. 13.* Prior est initium & pignus æternæ bea- E titudinis, aut si vultis, in illo actu meritorio vitæ quæ habetur in patria:altera è contrà,ipsamet beatitudo & vita. De priori Psalmus incipit; Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: *Psal. 118.* & de altera Euangelium IESV Christi, qui os suum aperiens sic suos docebat in monte, dicens: Beati pauperes spiritu, beati mites, qui lugent, esuriunt iustitiam, misericordes, mundo corde, pacifici,& qui patiuntur persecutionem, quoniam (sic concludit in omnibus,) ipsorum est regnum cœlorum. Postquam enim de octo viis ad hanc beatitudinem cum distinctione loquutus est, tandem

A dem demonstrat vbi terminus sit dicens: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. De hoc itaque termino primùm nobis loquendum est, vt nobis antè proposito, faciliùs eò vias & gressus nostros dirigamus. Tanta siquidem est illa proposita gloria, vt in illo sermone quem de viis ad illam Dominus in monte habuit, hodie animaduerterit Euangelista, quod propterea os suum aperuit. Et non vacat mysterio, vt nimirum magis exprimeret dicendorum magnitudinem, nosque attentiores redderet ad audiendum eum, atque adhuc in his quæ sic ad salutem nostram spectant.

Deus loquitur per Angelos.

Gen. 18. & 19. item 16. & 21. Tobiæ 5.

Act. 7. Ad Gal. 3.

Inuenimus diuersimodè olim Deum loquutum fuisse hominibus, per Angelos, & suos Prophetas. B Primùm per Angelos: sic enim sæpius ad Abraham loquutus est, similiter ad Loth, ad Agar ancillam Saræ, & ad plures alios, vt in Genesi sæpissime videre est. Etiam sic Tobiæ loquutus est, & Moysi multoties; maximè verò cùm dedit ei legem in monte Sinai, vt Sanctus Stephanus Iudæis dixit in Actis, & scripsit Galatis Apostolus. *Lex*, ait, *propter transgressiones posita est, ordinata per Angelos in manu mediatoris*, nimirum Moysis. Sic igitur multis Deus per suos Angelos loquutus est. Similiter etiam per suos Prophetas, interpretes suæ voluntatis. Sic per Isaiam Ezechiæ Regi loquutus est, mortem ei annuntians & vitam: sic per Moysem multoties Pharaoni, & C Dauidi per Nathan: sic per Eliam Regi Achab & Iezabel: sic adhuc per Elisæum ciuibus Samariæ, & Benadab Regi Syriæ, cuique sermo Hazael, qui regnauit pro eo: sic denique per vniuersos Prophetas de Aduentu suo patribus nostris loquutus est. Quousque etiam nobis loqui per semetipsum voluit, sicut dicit Apost. nouissimè diebus istis Deus, non sicut olim in Prophetis, sed in filio loquutus est nobis, veluti maiora dicturus. Quænam illa? quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, nisi exquo Dei filius os suum aperuit, & dilatauit nobis cor suum, cùm in illo monte nos docuit arcana quæ non licebat homini loqui, & D quæ solus filius hominis IESVS Christus Dei vnigenitus hominibus reuelare potuit. Idcirco enim hodie os suum aperuit, vt videlicet simul aperiat abscondita sui cordis, & quæ audiuit à patre, nota faciat nobis. Dicitur in Prouerb. *Vena vitæ os iusti.* Si vena vitæ os iusti est: quanto magis, excellentiusque os Christi vena, fons, fluuius, atque Oceanus vitæ erit? Domine, dicebat Petrus, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos hodie ad quem alium ibimus audiendum, quàm ad ipsum, cuius os vena est vitæ, & qui os suum aperiens, nobis fluuium & abyssum vitæ aperit? Aperiamus ei itaque aures quæ auscultent, E & corda quæ percipiant. Nam talis apertio oris Christi, profunditatem magnam significat sacramenti. Sed quodnam est istud? vtique æternæ gloriæ quæ reuelabitur in nobis. Gaudete, quia merces vestra copiosa est in cœlis.

Deus loquitur per Prophetas. 4. Reg. 20. 3. Reg. 21.

4. Reg. 7. 8.

Deus per semetipsum atque in filio loquitur. Heb. 1.

Prou. 10.

Diuersæ definitiones beatitudinis à Boëtio, cum definitione Aristotelis.

Hic igitur imprimis quærendum est, quid sit illa merces & gloria. Boëtius in libris consolationis suæ, eam diuersis explicat definitionibus. Primò, quod sit bonum naturæ, ratione vtentis. Secundò, bonum, quo adepto nihil vlteriùs desiderari queat. Tertiò, omnium summum bonorum, cunctaque intra se bona continens. Quartò denique & communiter, status omnium bonorum aggregatione perfectus. Statum dicit Boëtius, A quia beatitudo debet esse stabilis. Cum aggregatione, adiunxit, bonorum omnium, quia nihil boni illi deesse potest. Philosophus Aristoteles formam tetigit, in operatione constituens: dicit enim felicitatem esse operationem optimæ potentiæ secundum optimam virtutem in vita perfecta & continua. Nam sine visione Dei in intellectu, & amore Dei in voluntate in cœlis, vbi vita est æterna, nulla erit fruitio & gloria in anima. Idcirco quia extra Deum nulla inuenitur talis ratio boni quod sit perfectum & permanens, iam secundum Theologos dicimus, beatitudinem nostram esse ipsum Deum, summum bonorum omnium, omniaque in se bona continentem, bonum B vnicum & solum creaturæ ratione vtentis: & vt formaliter dicam, animæque operationem circa Deum explicem, fruitionem Dei cum clara visionem eius essentiæ, perfecta dilectione bonitatis, & gaudio inenarrabili continuæ præsentiæ, Deum videre, amare, in eo esse, de eo, & cum eo semper viuere. Adeò vt sit tota merces. Quod equidem hic mente capio, verbis exprimere non valeo: fide non attingitur, spe non capitur, charitate non comprehenditur. Acquiri, sed non comprehendi potest. Attamen quantum potero dicam hic quid sentio, & quid sit, distinctione adhibita, illa beatitudo.

Definitio beatitudinis iuxta Theologos.

Duplex beatitudo. Obiectiua.

Imprimis igitur sciendum est, duplicem esse C beatitudinem: vnam obiectiuam, alteram formalem: primam increatam, alteram creatam. Illa prima, obiectiua, increata, seu essentialis, Deus in Trinitate est, & vt dicam, sicuti est. Item obiectum beatitudinis omnium, & in cuius visione & possessione est perfecta beatorum satietas. Addam adhuc, quia IESVS Christus simul Deus & homo, beatis erit pro gloriæ obiecto, qui vnus est cum patre & Spiritu sancto Deus. Sic enim de eo dixit Isaias: Regem in decore suo videbunt, Deum in humanitate videbunt, & hominem in diuinitate. Vnde & de se dixit: *Per me si quis introierit saluabitur. Ingredietur & egredietur* (de diuinitatis contemplatione, in humanitatis, & è conuerso.) D *& pascua inueniet* (videlicet gloriæ.) O quis explicare posset quantæ gloriæ erit obiectum diuina ista & hypostatica vnio: De Salomone legitur, quod vniuersa terra desiderabat videre vultum eius, & vt vidit eum Regina Saba in throno sedentem, exclamauit: Beati serui tui, qui stant coram te semper. O quanto magis Christus IESVS sedens ad dextram majestatis in excelsis, omnium ad se attrahit corda & oculos! plusquàm enim Salomon est hic. Heu! quàm multæ Reginæ videntes eum in decore suo dicunt admirantes, attonitæ, exultantes: Verus est sermo quem audiuimus. Sicut audiuimus, sic vidimus in Ciuitate Domini virtutum. Beati serui tui qui stant coram E te semper. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur. Gloria hæc est omnibus Sanctis tuis: gloria in obiecto diuinitatis, & humanitatis simul IESV Christi: gloria nata ex præsentia Trinitatis, patris, filii, & Spiritus sancti.

Christus erit obiectum gloriæ. Isa. 33.

3. Reg. 10.

Beatitudo formalis & subiectiua: & de ea sententiæ diuersæ.

1. Opinio in illapsu.

Iam de formali beatitudine loquamur quæ in operatione est, & subiectiua dicitur, quia in anima tanquam in subiecto recipitur, ipsaque attingentia Dei est, & intima vnio animæ cum illo. De illa autem sententiæ diuersæ sunt, in quo consistat. Prima est dicentium in illapsu Dei in animam, seu quod Deus recipitur primò in essentia

essentia animæ per quamdam sui communicationem & influentiam perfectam, quam illapsum vocant, quod nomen vix potest explicari, & circuminsessionem dicit: deinde in potentias animæ similis modo illabitur. Hæc quidem opinio digna est suo authore, qui Henricus est Gandauensis: digna etiam silentio, & difficilis, quia non satis intellecta. Interim exemplo satis intellectu facilis,

Exempla.

quale illud esset, videlicet ferri candentis, & quod in medio fornacis vndique concepit ignem, tunc enim quasi in ignem transformari videtur, & ignis penetrasse illud. Sic est de tali illapsu Dei in animam, per quem Deus inessendo totam illam penetrat, ita vt in eum etiam transformata videatur.

Aliquid adhuc huic simile in Angelis videre est, in quibus sic Deus per intimam communicationem sui est vnitus, circumque infusus, vt plus in eis videatur, quàm illi in seipsis. Adeò vt etiam speciali præsentia & communicatione sui in eis, tali, & tali ratione inessendi eis, eorum etiam differentias constituat: vt Seraphinorum, illabendo & inessendo eis per amorem: Cherubinorum per intelligentiam; & sic de aliis. Quod similiter de beatis dici potest, & eorum differentia gloriæ, iuxta quod à Paulo dicitur, quod gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformabimur de claritate in claritatem. Ecce quomodo de transformatione, & de differentia loquitur. Oculus, Deus, non vidit absque te, quæ præparasti diligentibus te.

1.Cor.3.

Secunda opinio est dicentium in operatione animæ circa Deum consistere; & illa conformior est veritati. Interim in qua operatione animæ consistat, controuersia est. Nonnullorum enim opinio est, esse in operatione intellectus, seu in visione Dei. Ad intellectum enim pertinet primò attingere obiectum, & iuxta hoc Dominus dicebat: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te*, &c. & sic S. Aug. Visio Dei tota merces. Aliorum è contrà est, in actione voluntatis, seu in amore, qui omnium est perfectissimus actus, vinculum & arctioris vnionis complementum. In perfectissima autem animæ vnione cum Deo nostra beatitudo consistit: præterquàm quod initiatiuè tantùm operatio intellectus, seu contemplatio quæ primò attingit Deum, hominem beatum reddit. Charitas verò, quæ voluntatis operatio est, vltimò, & sic perfectè amplectitur ipsum, & sic complementum est nostræ beatitudinis. Intellectus ad voluntatem refertur, iste intelligit, vt illa accendatur, in cuius actione, id est, amore, fruitio tota est. Et satis per se notum est, vt cum S. Dionysio loquar, quod dilectio supereminet scientiæ; plus enim diligitur, quàm intelligitur, & intrat dilectio, vbi scientia foris est.

2. Opinio & verior, beatitudinē in operatione animæ cōsistere.

Ioh.17.

Quare modò ex omnibus his opinionibus diuersis, hanc assumam, &, vt credo, tenendam, nimirum, beatitudinem consistere in plena & perfecta Dei possessione, quæ includit & operationem intellectus & voluntatis, simul claram Dei visionem, & amorem: denique perfectam atque intimam Dei plenitudinem in essentia animæ, & in omnibus eius potētiis; ita vt in tota anima sit Deus, & tota anima in Deo maneat, & operetur circa ipsum. Dicam adhuc clariùs. Tota est in possessione Dei quantum ad suam essentiam, tota in contemplatione quantum ad intellectum, & tota in dilectione seu fruitione Dei quantum ad voluntatem: ardet vt Seraphim igne Deo; lucet vt Cherubim luce Deo; sedetque vt Thronus, sed beneficio infi-

Opinio tenēda, in quo beatitudo cōsistat.

A dentis. Cùm apparuerit, similes ei erimus. Deus amat vt charitas, nouit vt veritas, sedet vt æquitas; & sic in cœlo beati videbunt, amabunt, sedebunt, & delectabuntur in multitudine pacis. Gaudete, dicit Dominus, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Quid non properamus & currimus, ait S. Cypr. vt patriam nostram videre, magnificum Regem & parentes salutare possimus? Magnus namque illic charorum numerus nos expectat, parentum & fratrum frequens & copiosa turba nos desiderat, iam de sua incolumitate securi, adhuc de nostra salute solliciti. Ad horum conspectum & complexum venire, magna nobis & illis erit lætitia.

S.Cypr. lib. de mortalitate.

Verùm nunc superest vt octo media, seu itinera
B capiamus quæ in Euangelio dicuntur octo beatitudines. Plures ianuas & ingressus habebat illa cœlestis & sancta Ciuitas Hierusalem, de qua in Apocalypsi mentio est. Sic hodie Christus de illa loquens gloriosa Ciuitate Dei, simul plures vias ostēdit, portas octo, quas beatitudines nuncupauit: vtique quia ad veram beatitudinem in cœlis semitæ sunt, scilicet, paupertas spiritus, mansuetudo atque humilitas, luctus, esuries, sitis iustitiæ, misericordia, munditia cordis, pax animi, & tribulationum tolerantia. Quæ omnia itinera sunt certissima ad regnū cœlorum. Vnde etiam beatos illos vocat, qui eiusmodi vias ambulant dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Quare ipsorū?
C quia imitatione sequuntur Dominum, & pro eo contemnentes terrena, merentur habere cœlestia.

Apoc.21.

Octo viæ ad beatitudinē.

De magno Alexandro refert Quintus Curtius quod cùm vellet Indiam petere, iussit omnes suas & suorum diuitias, tentoria & currus simul congregari, & statim illis ignem apponi, vt sic milites præsenti penuria incitati, velociùs, fortiusque hanc prouinciam susciperent, suumque iter ad illam terram opulentissimam dirigerent. Sic hodie Christus vult & iubet omnia quæ sunt terræ, contemni, si ad Indiam cœlestem velimus ingredi. Nihil eò deportandum, quod inibi in omni abundantia est, cuiusmodi sunt opes & gloria, sed quod deportandum, sarcina est omnium virtutum mansuetudinis,
D humilitatis, iustitiæ, misericordiæ, &c. Beati enim mites, quoniam ipsi possidebunt terram, & inhabitabunt eam in sæculum sæculi. Beati qui esuriunt iustitiam. Non Deum dixit, qui finis est, sed iustitiam, quæ medium est & iter ad finem. Non humilitatem dixit, aut aliam virtutem, sed iustitiam, quæ est omnis virtus. Qui esuriunt, dixit, non autem qui edunt, quia in terra fruitio non est, sed tantùm sitis & fames. Beati ergo qui esuriunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.
E Quis enim, putatis, ascendet in montem Domini? Innocens manibus & mundo corde. Cor mundum crea in me Deus. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, qui Deus est pacis, & per filium suum annuntiauit nobis, in cuius natiuitate cecinerunt Angeli, & ipse nobis eam acquisiuit in sanguine Crucis.

Quintus Curtius.

Explicatio octo beatitudinum.

Ps.40.

Ecce quæ sarcina virtutum deducenda est in cœlum. Non illuc deportandæ sunt voluptates, sed lacrymæ & tribulationes. Beati qui lugent, peccata sua, vt Magdalena, lugent; exilium suum in terra lugent; quoniam ipsi consolabuntur in remissione peccatorum, & possessione æterna felicis patriæ. Denique beati qui persecutionem patiuntur pro-

pter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; vim enim patitur, & violenti rapiunt illud. Beati ergo estis omnes, cùm vos persecuti fuerint homines. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

DE IESV CHRISTO omnium animarum fidelium termino.

Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eũ qui venit ad me, non eiiciam foras. Ioh. 6.

2. Cor. 5. TErribilis vox illa videtur Apost. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum:* vox quæ mortem prænuntiat, in qua rerum omnium discussio est facienda. Verùm si consideremus, in cuius manum & potestatem incidamus, & quomodo de morte hac transimus ad vitam, & vitam æternam, nihil est pertimescendum: imò ratio est & causa lætitiæ, vbi in morte renouatio est vitæ. Et si quæ sit ratio timoris, hæc aut illa esse potest, quia sic viuitur, vt iam in morte damnatio certissima expectetur: vel certè quia homo nescit vtrùm odio, an amore dignus sit, & sic ignorat quò properat.

Verùm minimè hic locum debet habere formido, & maximè in iustis, vbi hodie Dominus dicit: Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Hæc est voluntas patris qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ecce vnde consolatio nostra oritur, quod sit requies animarum Christus, omniúmque fidelium hinc exeuntium terminus: vt securiùs omnes discamus mori in hac vita securi. Qui de sua enim spe & operatione securus est, cùm tempus propinquæ mortis aduenerit, de gloria proximæ retributionis hilarescit, dicit Sanctus Gregorius. *Vbinam est securitas mortis.* S. Gregor. hom. 13. in Euang.

Quod autem ad hanc securitatem necessarium est, testimonium bonæ vitæ & conscientiæ est, quod in hoc mundo conuersati sumus, non in sapientia carnali, sed in synceritate & simplicitate Dei. Sic enim viuentes in terra, dicere possumus cum Paulo: Cupio dissolui, & esse cum Christo; & cũ Psalmista in morte: Conuertere anima mea in requiem tuam. Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, ait Christus. Ego sum resurrectio & vita, felix terminus, & fidelium requies. Vnde S. Ambros. Intrepidè transeamus ad Redemptorem nostrum IESVM Christum, intrepidè ad Abraham patrem nostrum, intrepidè ad Patriarcharum concilium, ad illum Sanctorum cœtum iustorumque conuentum. Vbi enim corpus, illuc congregabũtur & Aquilæ. Corpus nostrum Christus est: vnusquisque autem nostrûm huius corporis membrum. Vnde ait; Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras.

Animæ datæ sunt Christo à patre. Iohan. 17. Hic tria consideranda proponuntur. Primum, animas omnium fidelium ac iustorum Christo datas esse à patre, sicut ipse dixit: *Tui erant, & mihi eos dedisti.* Fortasse iste est pretiosus thesaurus, quem petebat diabolus, sub nomine Regis Sodomorum, ab Abraham patre credentium, dicens; Da mihi animas, cætera tolle tibi. Sed eas Deus filio suo elegit, & tradere voluit, vt ab eo creatas, redemptas, atque dependentes in omnibus. Quomodo apud Gen. 14.

A Ezechielem dicit: Ecce omnes animæ meæ sunt, vt anima patris, ita & filij. Ipse enim fecit nos, nos autem populus eius. Ipse qui inspirauit in faciem hominis spiraculum vitæ, & qui hominem fecit in animam viuentem. Ipse qui præterea hominem redemit à morte, sicut ait: Venit filius hominis dare animam suam in redemptionem pro multis. Denique ipse in quo viuimus, mouemur & sumus, & à quo in omnibus dependemus. Ezech. 18. Gen. 2. Matth. 20.

Secundum, quod hic in cõsiderationem venit, est, Christum esse terminum & scopum quò omnes animæ fideles post mortem tendunt, vt ad locum quietis. In pace in idipsum, inquiebat Psalmista, dormiam & requiescam. Vbi S. Aug. O in pace! ô B in idipsum! ô quis ille qui dixit, dormiã & requiescam! Domine fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec cõquiescat in te. Ad ipsum ergo animæ vt ad suum locum seu patriam tendunt. Quamdiu enim viuimus in corpore, peregrinamur à Domino; sed cùm morimur, ad ipsum tendimus & peruenimus, in quo nostra felix est patria, & regio viuentium, sicut ait Dauid: Placebo Domino in regione viuorum. Quam regionem atque iter ad eam sic describit S. Ambros. Ibimus eò vbi paradisus iucunditatis est, vbi Adam qui incidit in latrones, nescit iam sua vulnera flere, vbi & latro ipse regni consortio gratulatur, vbi nulla nubes, nulla tonitrua, nullæ coruscationes, ventorum procella & C tenebræ; vbi nec vesper, nec æstas, nec hyems vices temporum variabunt, non frigus, non grando, nix, pluuiæ, & glacies: vbi non Solis istius erit vsus, aut Lunæ, sed sola Dei claritas refulgebit. Lucerna enim Agnus est. Ad quem idcirco omnes iustorũ animæ aspirant, velut ad lucem vitæ, sicut Psaltes dixit: In lumine tuo videbimus lumen. Tendunt velut sitiẽtes ad fontem, & velut esurientes ad panem æternæ vitæ. *Christus terminus & scopus quietis animarum hinc exeuntium.* S. Aug. lib. confess. S. Ambros. lib. de bonis morib.

Ecce ergo qua ratione Christus, animarum in transitu, est terminus. Finis vniuersæ carnis venit coram me. Finis vniuersæ carnis, mors est qua perimus omnes. Illa mors coram Christo venit, statque vt captiua ante tribunal eius, cùm anima, finita hac D vita carnis, posteaque viuens vita immortalitatis suæ, statim Christo offertur, vt viuat vita gloriæ. Sicque intelligi debet; *Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras.* Gen. 7.

Tertium hic notandum, est, Christum nullum vnquam fidelem à se eiectũrum, & è contrà omnes eiectũrũ infideles, vt in Apoc. legitur; Foris canes, foris venefici, impudici, homicidæ, & idolis seruiẽtes, omnisque qui amat & facit mendaciũ. His enim dicetur; Discedite maledicti, &c. Sed quantum ad fideles, qui ad eum venient, excipiens omnes, vtiq; dicet illis: Venite benedicti patris, &c. O quale bonum sic amicabiliter excipi à te Domine! Pone me iuxta te, iube me venire ad te, quia tu es susceptor E meus, gloria mea, liberator meus. Sed vnde hoc Domine? nisi ex beneplacito tuo, qui pro me preces offerens dixisti patri tuo: Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum. Deliciæ enim meæ, sicut in terra & in cœlo, esse cum filiis hominum: & exauditus est pro reuerentia sua. Omne, inquit, quod dedit mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Nam & hæc est voluntas patris, vt omnis qui credit in filium, non pereat: vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitẽ in nouissimo die. Iam quidem venit hora, & nũc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Qui audierint (notate,) id est, qui conuertentur, *Nullum fidelium Christus eiicit.* Apoc. 22.

& in

& in eum credent, eiuſmodi enim viuent. Ille eſt enim nouus medicus miſſus in mundum, qui viuificat mortuos, reſurrectioniſque eorũ eſt author, ſicut dicit: Ego ſum reſurrectio & vita. Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet. Cuius virtutis rationem antè dederat, dicens: Sicut enim pater habet vitam in ſemetipſo, ſic & dedit filio vitã habere in ſemetipſo. Propterea ſicut pater ſuſcitat mortuos & viuificat; ſic & filius quos vult viuificat. Vnde Apoſtolus dicit: Dominus in iuſſu & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.

Ioh. 11. *Ioh. 5.* *1. Theſſ. 4.*

Quare illi primi? Certè quia ad gloriam & ad vitam æternam reſurgent. Etenim, vt idẽ dicit Apoſt. omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. Erit enim reſurgentium diſtinctio, de quibus ſic Daniel loquitur. Multi de his qui dormiunt in puluere terræ, euigilabunt, alij in vitam æternã, alij in opprobrium. Quod ſimiliter dixit Dominus & Saluator: Et procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ; qui verò mala, in reſurrectionẽ iudicij. Reſurgent ſiquidem corpora damnatorum, vt in pœna aſſocientur animabus, ſicut in culpâ cõiuncta fuêre. Corpora verò iuſtorum, vt coniuncta animabus iam glorificatis, eadem etiam immortalitatis gloria perfruantur: & ſic illud Iob verificatur, qui dicit; *Auditu auris audiui te*, i. credidi, & fidelis fui: *nunc autem oculus meus videt te*, & illud Patriarchæ Iacob: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.* Denique vt ſic, & quoad corpus, & quoad animam, nihil de iuſto perdatur, ſicut Dominus ait; Hæc eſt enim voluntas eius qui miſit me patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die.

Differentia eorum qui reſurgent. *Dan. 12.* *Ioh. 5.* *Iob 42.* *Gen. 32.*

Hoc enim rurſus conſiderandum occurrit. Primò, nullum iuſtum & fidelem de manu Chriſti periturum. Sic enim adhuc alibi declarauit: Non eſt, inquit, voluntas ante patrem veſtrum qui in cœlis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis. Similiter nihil quod ad iuſtum pertineat. Anima non peribit, quã potiùs inueniet, & in vitam æternam cuſtodiet, ſi propter Chriſtum perdiderit. Non corpus, nec aliquid partium, vel membrorum diſperſum, aut in cinerem redactum; cuſtodit enim Dominus oſſa eorũ; vnum ex his non cõteretur, dicit Pſaltes: imò Chriſtus ipſe promittit capillum non periturum de capite iuſti. Inde audet dicere Apoſt. Expectamus Saluatorem noſtrum IESVM Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.

Matth. 18. *Matth. 10.* *Luc. 21.* *Phil. 3.*

Sed quomodò, inquietis, talis reſurrectio eſſe poterit? De poſſibilitate familiaria exempla ſunt. Sol quotidie occidit, noſtriſq; oculis moritur, & quotidie reſurgit. Quas videmus arbores æſtiuo tẽpore frõdibus & fructibus plenas, hyeme videntur mortuæ, & rurſus verno tẽpore reuiuiſcunt, reſurgũt. Quare ergo non fiet, aut poſſibilis non erit reſurrectio & reparatio in nobis? Sed conſideremus quod Deus ex nihilo amplitudinem cœli & terræ, & omnia quæ in eis ſunt, cum Angelis atque hominibus creauit: multo magis igitur ex puluere corpora noſtra reparare poterit. De veritate & certitudine omnis Scriptura loquitur, & ipſa veritas Chriſtus. De die autem nemo ſcit, quem Deus in ſua poteſtate, ac voluntate poſuit. Conſtat ſolùm quod ille eſt nouiſſimus omniũ: hoc ſolùm reuelauit Dominus, dicẽs quod in nouiſſimo reſuſcitaret die. Sic Oſee: Viuificabit nos poſt duos dies. Primus dies eſt natiuitatis, ſecũdus noſtræ mortis. Qui verò ſequitur eſt dies reſurrectionis, videlicet vltimus ad viuificationem corporum reſeruatus, & quẽ expectamus omnes, ex quo Chriſtus reſurrexit à mortuis, vt Iob prædixerat. *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, & oculi mei conſpecturi ſunt. Hæc ſpes repoſita eſt in ſinu meo.*

Poſſibilitas reſurrectionis per exẽplar. *Veritas & certitudo.* *Dies reſurrectionis dicitur nouiſſimus.* *Oſee 6.*

DE CONSECRATIONE ET ſanctitate Templorũ & Oratoriorũ.

Hodie huic domui ſalus à Deo facta eſt. Luc. 19.

OCVLOS coniiciens in hoc materiale Templũ, Dei domum, atque ſpecialẽ gloriæ, majeſtatis, ſimulque humilitatis IESV Chriſti in terra manſionem, tria notanda conſidero. Primum eſt, Deum elegiſſe ſibi & ſanctificaſſe hunc locum, vt in illo noſtras orationes audiat, & declaret magis, atque oſtendat præſentiam ſuæ Majeſtatis. Sic 2. Paral. dicebat: Elegi & ſanctificaui mihi locum iſtum, vt ſit ibi nomen meum in ſempiternum, & permaneant oculi, & cor meum ibi cunctis diebus. Et aures meę erectæ erunt in orationes eius qui in iſto loco orauerit. Vnde Dauid tantopere nos exhortatur, vt ad nihil aliud intendamus quàm ad benedicendum Deum, cùm in Eccleſiis ſumus. Quoniam hic eſt Deus, Deus noſter in æternum. Propterea igitur, inquit, in Eccleſiis benedicite Deo Domino. Ibi Benjamin, ibi orans, filius doloris & dexteræ Dei, in mentis exceſſu debet eſſe. En ratio, quia locus iſte domus Dei eſt. Ibi aures, oculi & cor eius. Domus orationis eſt.

Tria conſideranda in Templis. *2. Paral. 7.* *Pſ. 47. & 67.*

Hinc ſequitur quod ſecundò eſt notandum, nimirum hunc locum eſſe terribilem inimicis Dei, ex præſentia diuinæ eius Majeſtatis. Cùm veniſſet Iacob ad quendam locum, & ſuppoſuiſſet capiti ſuo lapidem, ſcalam vidit in ſomnis ſtantem ſuper terram & cacumẽ illius tangens cœlũ, Angelos quoq; deſcendentes, & aſcendentes per eam, & Dominũ innixum ſcalæ, dicentẽ ſibi: Ego ſum Dominus, &c. Cúmque euigilaſſet Iacob de ſomno, ait. Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebã. Pauenſque, Quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte! non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli. Terribilis certè eſt omnibus, veruntamen inimicis Dei, tam ex præſentia eius Majeſtatis, quàm etiam Angelorum eius. Vnde ſponſus Eccleſiæ & cultor, progreſſum eius ſuſpiciens in Canticis, admiratus vſque ad terrorem inimicorum aſcendiſſe, & dicit: Quæ eſt iſta quæ progreditur (hic ſecundum litteram mẽtio fit de Eccleſia & congregatione fidelium,) tanquam Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Ita apud Zachariam ſub nomine Hieruſalem: In die illa ponam Hieruſalem lapidem oneris cũctis populis. Omnes qui leuabunt eam, cõciſione lacerabuntur. S. Hier. hunc locum explicãs dicit, lapidem quemdã Athenis extitiſſe, & vidiſſe ingentis quidem molis, & ad hunc finem deſtinatum, vt ſcilicet viribus cuiuſcunque dignoſcendis inſeruiret, qui hunc plus, vel minus de terra leuare, & in altum efferre poſſet. Qui propterea dicebatur lapis oneris, eò quod ſuo pondere leuantes deprimebat. Ita ergo alludit S. Hier. ſenſum Prophetæ referens, & dicit. Sic eſt Eccleſia quam Deus lapidem oneris poſuit cunctis populis. Diuerſimodè illa perſecutionẽ patietur, plus & minus ab iis qui eam agitare & de ſuo loco dimouere conabũtur, ſed omnes qui leuabunt eam, ſubtus cadent, ipſiuſque mole & pondere confringentur. Omnis qui ceciderit ſuper lapidem iſtum cõquaſſabitur,

Eccleſia terribilis inimicis. *Gen. 28.* *Cant. 6.* *Zachar. 12.* *S. Hieron.* *Luc. 20.*

Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ exierunt obuiam sponso.

Quid per numerum decẽ virginum intelligatur.

2. Sed quare hic numerus ille denarius? Hoc secũdò notandũ est. O altitudo diuitiarũ scientiæ Dei! Ex tot millibus tantùm decem ad cœlestia regna vocantur. Hoc numero intelliguntur Christiani, omnisque congregatio fidelium quæ est Ecclesia, quia numerus iste perfectionis est symbolum, qui completus est, & supra quẽ non ascenditur, nisi per additionẽ alterius numeri vnius & duorũ, &c. Ita autem est de Religione Christiana, supra quã non ascenditur, & quæ in se habet omne cõplementum legis atque perfectionis. Nihil vlterà expectamus. Lex naturę Mosaicã expectabat: illa verò Christianam, quæ vltima est, perfecta est, omnes virtutes profitetur, omnẽ secũ gratiam communicat, solaq; est scala atque via per quã ascenditur ad cœlum. Sub hoc item ænigmate & numero comprehenditur Ecclesia: quia sola est Religio Christiana quæ vocatur ad implendũ numerum nouem ordinum Angelorum, qui de statu gloriæ suæ ceciderant, & vnum constituendum illis superiorem, quem sola virgo virginum Dei genetrix Maria per se facit, exaltata, sicut canit Ecclesia, super choros Angelorum ad cœlestia regna.

Ex decẽ vocatis tantùm quinque donantur præmio.

3. Tertiò adhuc hic vnũ valde notandũ est, nimirũ, ex decem illis tantũ quinque intrasse cum sponso ad nuptias, & clausam ianuã fuisse aliis. Heu, quàm incomprehensibilia sunt iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius! Multi sunt vocati, inquiebat Dominus, sed pauci electi. Heu! ex decẽ vocatis & illuminatis, dimidia pars rapitur ad tenebras exteriores. O quis nõ metuet? Numquam audistis ex Christo, quod ex duob. qui sunt in agro, vnus assumetur, alter verò relinquetur? Hodie decẽ sunt virgines, omnes quidẽ virgines, omnes fidei lampadem habentes, omnes expectantes, & ad spõsi aduentũ surgentes, eique obuiam exeuntes, sed non omnes æqualiter paratæ. Ex illis enim erant quinque fatuæ, & quinque prudentes. Ecce diuisæ sunt. Fatuæ non sumpserunt oleum secum: prudentes verò sumpserunt oleum secum in vasis suis cum lampadibus: vnde adueniente sponso intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Ob defectum olei, & Dei amoris fatuæ non erant paratæ, vnde nec intrauere. Quidnam enim dicunt? lampades nostræ extinguuntur. Verè ita est, fides absque charitate non ardet, sed mortua est. Vnde etiam statim sequitur desertio Dei qui charitas est, & clausa est ianua.

Matth. 24.

O miseræ, quid vobis profuit esse virgines, atque etiam vocationis gratia illuminatas sine nuptiali veste & oleo charitatis? Laudabilis quidem est virginitas, sed necessaria est charitas. Meritò sanè tales animæ, ait S. Chrysost. virgines fatuæ dicuntur: fatuæ quidem, quia difficilioribus superatis, faciliora eas perdiderũt, scilicet, captiuauerunt intellectum suum in obsequium fidei: & non se dederunt facilioribus operibus charitatis. In magnis mundum & carnem vicerunt, (relictis omnibus) & in minimis, leuioribusque vincuntur atque deficiunt. Cor non habent, neque oleum, & vnctionem. Hic (cum tremore & flens dico,) quarumdam animarum status videtur, quæ post acceptam notitiam veritatis, & cœlestis donum vocationis, prolabuntur, & hæ virgines fatuæ dicuntur.

S. Chrys. in Matth. 25.

Prudentes verò habent oleum cum lampadibus, fidem charitate ornatam, & sic paratæ exeunt obuiam sponso, cum eoque merentur intrare ad nuptias. Hinc est quod quartò notandũ est, & in quo,
4. vt ab initio diximus, consistit tota vitæ perfectio, scil. in exitu à se, & à rebus cunctis, cũ adhærentia & aspiratione continua ad Deũ; vno verbo, cũ dispositione exeundo obuiã Christo. Qui exit obuiã Christo, propter ipsum libenter omnia relinquit, memor etiã quod ipse vt veniret ad nos, omnia dereliquit. Exiui à patre, inquit, & veni in mundum. Reliqui domum meã, & dimisi hæreditatẽ meam. Dicamne, quod quasi extra se exiit, cùm & semetipsum exinaniuit, iuxta Apostolũ, formam serui accipiens? Vnde postea & de virgine matre sua exire voluit, ac tandẽ de hoc mundo per mortẽ, & ponendo animam suã pro omnib. Nónne ergo dignũ est vt exeamus obuiã ei, nos & omnia propter ipsum relinquẽtes? Hoc ipsũ est quod sensũ parabolę nostræ explicat, insinuatque Apost. dicens: Extra portã Christus passus est, exeamus igitur ad illũ extra castra, extra omnia quę nos circũstant, ac impediunt. Deponẽtes omne põdus & peccatũ circumstans, curramus aspicientes in authorẽ fidei & consummatorẽ IESVM. Quæ retrò sunt obliuiscẽtes, ad ea verò quæ priora sunt, nos ipsos extendentes, ad destinatum persequamur brauium supernæ vocationis Dei in Christo IESV. Simile est regnum cœlorum virginibus, quæ exierunt obuiam sponso.

Tota perfectio cõsistit in exitu animæ ad Deum. *Ioh. 16.* *Ierem. 12.* *Phil. 2.* *Hebr. 13.* *Hebr. 12.* *Phil. 3.*

Talis fuit nostra S. Theresia, vna de numero prudentum virginum, sed mater multarum quæ Regi adductæ sunt & adducentur post eam. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est memoria illius. Immortalis quidem non solùm in generatione sua, sed quia hodie nota est ea apud Deum & homines, glorificata in cœlis, & nunc inuocata in terris, orbem vniuersum illustrans sanctitate vitæ quam egit, Ordinis quem restituit, & doctrinæ quam reliquit nobis. Non immeritò illi Spiritussanctus apponitur, quo inspirante didicit quæ scripsit. Elias totus ardebat zelo Dei, & salute populi; & quo zelo illa, quæ Ordinem suum maximè ad conuersionem peccatorum, atque hæreticorum instituit? Nominis etymologia hoc significare videbatur; Theresia enim, quasi terens hæresim: verè filia Eliæ, & gloria Carmeli erat. Elisæus duplicem Eliæ spiritum habuit: & quid minus habuit illa, quæ sexui vtrique, id est, virginibus, atque hominibus Religionis suæ spiritum diuisit, eisque diuinitus viuendi regulam præscripsit? Certè illa mulier fuit & virgo fortis, quæ Inferno confusionem dedit. De Iudith legitur, quod abscisso capite Holofernis, dixerunt statim omnes Assyrij: Hodie vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Regis. Sic de Sancta Theresia dixerunt Inferni dæmones. Sicut è contrà surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerũt, nempe tot Religiosi, qui in fortitudine huius virginis, quam matrẽ habere gloriantur, inimicos prostrauere. Sicut etiam multæ Reginæ eius filiæ, quæ de Inferno, mundo & carne quotidie triumphant.

S. Theresia comparatur Eliæ. *Etymologia nominis.* *Comparatur Elisæo.* *Comparatur cum Iudith.*

Mulierem ergo fortem quis inueniet? Procul, dicebat Sapiens, sed ecce propè est. Nostra enim Sancta Theresia est. De vltimis finibus pretium eius; quia bene operata est consilio manuum suarum, id est, iunxit interiora exterioribus. Manum suam misit ad fortia, contemplationem maritauit actioni. Digiti eius apprehenderunt fusum. Ecce actio. Gustauit, ecce contemplatio, & vidit quia bona est negotiatio eius. De nocte surrexit, vacans orationi, deditque prædam domesticis suis, fructum contemplationis. Considerauit agrum Carmeli, id est, derelictionis, & emit eum. De fructu manuum suarum plantauit vineam,

Prouerb. 31.

vineam, id est, reformationem. Quare nunc, ô filiæ eius, date ei de fructu manuum suarum. Imitatrices estote matris vestræ. Paratæ estote, lampades vestras ornate, & vos similes expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis; Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit; exite obuiam ei. Non nisi vnum instans habemus, & instans mediæ noctis, à quo dependet dies nostræ æternitatis. Quid facimus? bonum operemur dum tempus habemus; media nocte clamor factus est.

Quid faciẽdum ante mortem.

Ecce igitur quid præstandum. Primò, opera Dei, donec dies est, debemus operari, ad exemplum ipsius Christi dicentis: *Oportet me operari opera eius qui misit me, donec dies est.* Quanto magis nos? Secundò, continuò debemus esse parati, quia qua hora non putamus, filius hominis veniet. Media nocte clamor factus est, ecce venit. Tertiò, inspirationes eius & monita recipere. Clamor factus est. Ideo dicere; Audiam quid loquatur. Paratum cor meum Deus. Quartò etiam ipsum recipere, semetipsum enim loquendo insinuat Christus. Venio citò, ait, & merces mea mecum est. Etiam venio citò. Si quis mihi aperuerit, intrabo. Amen. Veni Domine Iesv. Amen.

Ioh. 9.

Apoc. vlt.

DE ANGELIS, ET principe omnis militiæ cœlestis.

Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris. Matth. 18.

Nihil vicinius & conformius est gloriæ in cœlis, quàm humilitas, ex quo Christus Iesvs humilis apparuit in terris. *Abyssus abyssum inuocat*, ait Psalmista, duplex abyssus, humilitas, & gloria; aliamque attrahit altera. Humilitatis abyssus ita profunda est, vt nihil inueniat præter altitudinem gloriæ, quod eam implere valeat: & gloria ita supereminet vniuersis, vt nulli quàm humiliati cedat. Naturæ, gratiæ, atque gloriæ, vnicum est hoc miraculum, vt quæ inter se remotissima sunt, sic immediatè, & absque mediorum contagione, vniantur & penitissima sint. De Angelis hodie nobis dicendum est: & ecce profunda humilitas iuncta cum inenarrabili gloria. Angeli eorum in cœlis, dicit Christus, semper vident faciem patris. In terra nobis assistunt, vili obsequio mancipati, nec deserunt visionem & præsentiam Dei in cœlis, cui in gloria deseruiunt.

Ps. 41. Duplex abyssus.

Sed si vniuersalem considerationem aliquantulum relinquamus, vt ad singularem veniamus, videlicet Michaëlis Archangeli & totius huius cœlestis militiæ principis, inueniemus quod primus ille fuit qui se subiecit Deo, & in humilitate sua singulari post se subiecit ei omnia. Hoc sonat nomen eius, Michaël, quis vt Deus? Illa fuit via qua omnium primus & primò dedit gloriam Deo, seque in æternum stabiliuit in gratia. Illa via qua rebelles lumini, ac iniustos vsurpatores gloriæ Altissimi prostrauit. Michaëlis fuit humilitas quæ Angelorum superbiam ad Inferos expulit. Nolite putare solam terram capacem esse certaminis, etiam cœlum fuit. Pugnam in cœlo sustinuit Michaël. Nobis refert in sua Apocalypsi Iohannes dicens: Factum

Humilitas via qua Michaël dedit gloriam Deo atque victoriam.

Pugnam sustinet Michaël in cœlo.

Apoc. 12.

A est prælium magnum in cœlo; Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius: & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo. Non valuerunt contra robur humilitatis Michaëlis. Quis vt Deus? Et sic non amplius inuentus est eorum locus in cœlo; in cœlo vbi curia est humilium, paruulorum, procidentium ante Deum, & dicentium; Quis vt Deus? Propterea & proiectus est draco ille magnus, superbus draco, ambitionis ardore feruescens & inuidiæ flammis, serpens antiquus qui vocatur diabolus, qui seducit vniuersum orbem. Proiectus est, & angeli eius cum illo missi sunt. Et vox magna audita est in
B cœlo dicens: Nunc facta est salus, regnum Dei, & potestas Christi eius. Potestas Christi, quia humilitas Incarnationis eius fuit, quæ cœlum curiam humilium & paruulorum constituit, angelos rebelles proiecit, & fecit exules apud Inferos.

Adeò vt orta sit occasio huius certaminis in cœlo, ex reuelatione facta Angelis mysterij Incarnationis. Hoc immediatè antè S. Iohannes viderat dicens: Et signum magnum apparuit in cœlo; Mulier amicta Sole, quæ paritura erat filium, qui raptus est ad Deum, & ad thronum eius. Et tunc factum est prælium magnum in cœlo; Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & ipsi vicerunt eum, propter sanguinem
C Agni. Ecce in quo à Michaële proiectus est draco. In humilitate mysterij absconditi, exinanitione filij Dei, in sanguine & infirmitate Crucis. Hæc etiam fuit humilitas quæ tantopere in Michaële præualuit, eluxitque, vt primus fuerit qui coram Deo, & humilitate filij sui reuelata semetipsum exinaniuerit, fideles Angelos ad simile ac tale obsequium adduxerit, & superbiam præuaricantium confregerit, dicendo; Quis vt Deus? Hoc est quod nobis hodie proponitur singulariter considerandum, omnes videlicet Angelos qui fuerunt fideles, cum suo principe Michaële, in obsequium Dei, & eius gloriæ fruitionem intrasse, per renunciationem perfectam suiipsius & proprij amoris, & si vultis, annihilationem. Quis vt Deus?
D Superbia impiorum & insipientium dixit: Ascendam, & ero similis Altissimo: humilitas verò bonorum, atque fidelium; Quis vt Deus? hæc filiorum nota est, & domesticorum Dei.

Propter Incarnationem Christi bellum ortũ est in cœlo.

Sed à quonam sic loqui didicerunt omnes, & sic in veritate Dei humiliare se? Vtique à Sancto Michaële principe totius militiæ cœlestis. Pulchra quidem conuenientia & comparatio est inter ipsum & Sanctum Petrum principem Ecclesiæ militantis. Petrus enim erudiens alios quomodo de Christo sentire, loqui, & ipsum profiteri deberent, primus dixit respondens interroganti: Quem dicunt homines esse filium hominis? vos autem quem me esse dicitis? Tu es Christus filius Dei
E viui. Sic Michaël princeps militiæ cœlestis, Ecclesiæ in cœlo adhuc militantis, in reuelatione sibi facta & Angelis de dispensatione mysterij absconditi à sæculis in Deo, primus dixit, & pro cunctis; Quis vt Deus? Vnde & primus meruit totius Ecclesiæ princeps constitui, non solùm Angelorum sed etiam hominum. Petrus in confessione sua super homines primatum obtinere meruit in Ecclesia. Ex hoc, dixit illi Christus, iam homines eris capiens. Beatus es Simon Bar-Iona, quia pater meus reuelauit tibi. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Sanctus verò

Comparatio inter S. Michaëlem & S. Petrum. Matth. 16.

Luc. 6. Matth. 16.

Michaël Angelorum & hominum professione sua in cœlo & in terra princeps constitutus est. Primò Angelorum, in potentia & virtute suarum operationum super ipsos, in illo certamine magno contra Luciferum. Quod autem operatus est in eis, humilitas fuit, submissio perfecta; & rerum omnium abnegatio in conspectu Dei. Quis vt Deus? Vnde & eorum meruit princeps constitui. Similiter & hominum, quos etiam operationibus suis gubernat & regit, sicut totam Ecclesiam, in qua à Deo eam ob rem est constitutus princeps omnium animarum quas sibi elegit, sicut ab ipsa Ecclesia dicitur: Constitui te principem super omnes animas suscipiendas. Ita vt nullus sit omnino in Ecclesia, qui huius Angeli aliquam operationem non experiatur, siue in ordine Apostolorum, siue Martyrum, siue Confessorum, aut virginum, meritóque Angelus totius Ecclesiæ dicatur.

Michaël Angelus Ecclesiæ.

Meritò dixi, quia omnium creaturarum prima fuit quæ laudem & gloriam Deo dedit, quæ pro eius honore pugnam sustinuit, & confessione gloriosa ei victoriam dedit. Prima creatura quæ fidem seruauit, bonum vsum gratiæ fecit, séque amore, & abnegatione omnium Deo intimè coniunxit. Quis vt Deus? Seraphim Deo per amorem adhæserunt: Cherubim per cognitionem. Et ille princeps omnium, Seraphica non iudicauit indignum dignitate, via annihilationis, & abnegationis Deo adhærere, quam & alios edocuit, qui ipsius institutione formati, omnes post ipsum dixerunt: Quis vt Deus? Nam & in hoc solùm gloriam se habere existimant, & aliquid esse, si in veritate Dei, & à facie oculorum eius, nihil esse se agnoscant, perfectáque abnegatione sui & omnium, honorent continuò gloriam Diuinitatis humiliatæ & absconditæ in mysterio Incarnationis. Neque enim sinunt vllum temporis momentum præterire, in quo supremum honorem atque obsequium huic mysterio non præstent, idque coram illo continua exinanitione ipsorum. Exinaniunt se, vt eum honorent, qui cùm in forma Dei esset, non pro ipsis, sed pro nobis exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. Exinaniunt se, vt exinanitioni, cui non cooperati sunt, debitum semper honorem reddant. Neque enim propter peccata Angelorum, aut eorum naturam, descendit Deus in creaturam, sed solùm propter peccata hominum, qui & causa & forma fuêre exinanitionis eius. Quanto igitur magis debemus humiliari & annihilari coram Deo, qui eiusmodi exinanitioni quæ in eius filium cadit, occasionem dedimus?

Incarnatio Christi ratio exinanitionis Angelorum.

Hoc itaque discamus officium ab Angelis, qui in hoc non minus honoris & gloriæ percipiunt, quàm ex eo quod vident faciem patris, & maximè adhuc cùm eorum respectu nihil simus nisi cinis & limus. Quid putatis esse Angelos? participationes perfectionum & bonitatum quæ in Deo sunt. In Deo amor est, lux, requies, potestas, imperium, Majestas, &c. & ecce Seraphim creauit, qui nihil aliud sunt quàm creatus amor Dei. Ardent Seraphim igne Dei, vel potiùs igne Deo. Quod præcipuum est in eis, amant, dicit S. Bern. Item Cherubim creauit, qui nihil aliud sunt quàm plenitudo scientiæ Dei, sed participio, quæ in eis est, veritatis. Similiter Thronos creauit, qui sunt sedes, requies, & firmamentum Dei; & sic de aliis. Adeò autem sunt omnes stabiles & fideles in statu & ordine, in quibus à Deo primùm positi sunt,

Angeli participationes sunt diuinarum perfectionum.

S. Bern. lib. de considerat.

A vt semper ei reddant quod ab eo acceperunt. Qui acceperunt amorem, illi reddunt amorem: qui lumen, lumen; & sic de aliis: neque aliter Deum honorificant quàm de propriis eius donis ac datis. Fideles item in ordine in quo positi sunt, adeò vt inferioris ordinis Angelus (& hoc quidem mirabile est,) minimè vnquam aspiraret ad dignitatem & differentiam superioris; tantùm omnes conformiter adhærent supremæ intelligentiæ & rationi, quæ Deus est, in eaque omnes sua sorte sunt contenti. Contenti quidem, in eo quod omnes vident faciem Dei, & in cunctis gloriantur facere voluntatem eius. Ecce eorum gloria, atque sublimitas.

In duobus fidelitas Angelorum.

B Certè plusquàm in omnibus creaturis Deus admirabilis apparet in Angelis suis, & maximè adhuc si in eis extensiuè omnia consideremus. Si primò eorum originem & antiquitatem: quia omnium sunt primi, generatione mundi huius superiores, & conditione temporis anteriores. Secundò, si excellentiam eorum essentiæ & naturæ consideremus, quia incorporei sunt, & magis de qualitatibus atque perfectionibus Dei participant, vt iam ostendimus. Tertiò, si durationem, quia omnino sunt incorruptibiles.

In quibus Deus admirabilis in Angelis plusquã in aliis creaturis.

Quartò, si multitudinem, quæ tanta est vt cuncta alia creata superet, & quasi sit infinita: superat multitudinem stellarum cœli, volatilium aëris, C arenæ maris, animantium, plantarum, etiam pulueris terræ, ex opinione aliquorum. Dicebat Daniel: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, id est, absque numero. Huius ratio est apud S. Thomam, quod iuxta perfectionem vniuersi quam Deus intendit in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in maiori excessu sunt creata à Deo. Sicut autem in corporibus attenditur excessus secundum magnitudinem: ita in rebus incorporeis potest attendi excessus secundum multitudinem. Videmus autem quod corpora incorruptibilia quæ sunt perfectiora inter corpora, excedunt quasi incomparabiliter secundum magnitudinem corpora corD ruptibilia, vt videre est in sphæris elementorum, & cœlorum supra elementa. Vnde rationabile est, quod substantiæ immateriales, vt sunt Angeli, excedant secundum multitudinem substantias materiales quasi incomparabiliter.

Dan. 7.

S. Tho. 1. p. q. 50. art. 3.

Quintò, si eorum potentiam consideremus, videtur adhuc esse incomparabilis: ex eo enim quod Angeli sunt, tota natura corporali sunt superiores, totoque mundo maiores; ita vt sufficiat vnus ad gubernationem vniuersi. Iob loquens de potestate diaboli, dicit quia non est potestas super terram quæ comparetur ei. Quid igitur existimandum de potestate vnius Angeli, qui præualet super omnes illos apostatas Inferni? Legimus in E libris Reg. quod in vna nocte Angelus Domini, ad defensionem Ezechiæ Regis, percussit in castris Sennacherib Regis Assyriorum centum octoginta quinque millia hominum. Ecce vnius Angeli potestas. O quàm ego potens erit Michaël, qui est princeps totius huius militiæ cœlestis, & qui in fronte scriptum portat, & in manu hoc terribile & inexpugnabile scutum quod atterit superbos; Quis vt Deus?

Iob. 41.

4. Reg. 19.

Sextò, si eorum statum consideremus, nihil sublimius illis. Dum in terra seruiunt paruulis, in cœlis semper vident faciem patris. Eorum humilitas nihil ipsorum gloriæ detrahit. Angeli eorum, dicit hodie Christus, videlicet paruulorum istorum,

istorum, in cœlis vident faciem patris. In cœlis, vt ex loco maior adhuc dignitas notetur. Angelum esse magna dignitas est, sed accrescit, vbi dicitur, in cœlis. Quanto enim terra altius est cœlum: ita tanto sublimiores sunt atque maiores qui habitant in cœlo, iis qui habitant in terra, licet sint principes. Et quid quæso tam speciosum est in terra, aut potens, quod pulchritudini aut virtuti vnius stellæ firmamenti queat comparari? Matth.11. Meritò certè Christus de Iohanne ita dixit: *Qui minor est in regno cælorum, maior est illo.* Minor in cœlo, maior est omni qui magnus est in terra: in cœlo vbi videtur facies patris. Hoc est quod superadditur Angelis, & eorum amplius declarat gloriam & dignitatem. Illa siquidem dignitas tanta est, vt nulla sit creatura in cœlo, vel in terra, quæ huic comparari queat. Dicam. Nulla est vilis & inferior creatura quæ cum hac visione, non sit maior omni Angelo absque illa. Ecce igitur Angelorum dignitas, semper vident faciem patris.

Quare nomina diuersa Angelorum. Vltimò denique in diuersitate & differentia nominum quæ sortiti sunt, adhuc admirabilis eorum virtus atque proprietas innotescit. In hierarchiis hoc iam satis exprimitur. Seraphim appellantur, quia ardent igne & amore Dei. Cherubim, quia lucent plenitudine scientiæ. Throni, quia in eis præsidet & requiescit Deus. Dominationes, quia sub Domino imperant. Principatus, quia regunt. Potestates, quia fortiter Dei mandata exequuntur. Virtutes, quia satagunt excitare corda torpentia hominum. Denique Archangeli & Angeli, quia nobis adsunt, in obsequium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Præterea adhuc alia nomina in Scriptura sacra & apud Patres sortiuntur. Psal.103. Dauid eos vocat flammam ignis, seu ignem vrentem; *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem:* ignem vrentem, flammam ignis, eo quod erga nos ardescunt amore, nos illuminant, atque in Dei amore accendunt. Zachar.3. Apoc.1.& 5. Apud Zachariam appellantur oculi Dei; *Super lapidem vnum septem oculi sunt*, qui in Apocalypsi spiritus appellantur & Angeli septem Ecclesiarum. Gen.32. In Genesi dicuntur à Iacob castra Dei. Fuerunt ei obuiam in itinere Angeli Dei. Quos cùm vidisset, ait; Castra Dei sunt hæc. Cant.8. Sic sponsa castrorum choros nuncupauit, quatenus ad defensionem nostram & consolationem simul, nobis adsunt, ac circumstant.

Origen. hom. 8. in 22. Gen. Origenes consiliarios nostros & tutores appellat. Angeli, inquit, velut procurationem animarum nostrarum tenent, quibus, dum adhuc paruuli sumus, veluti tutoribus & actoribus committimur. S.August. in Psal.62. Nos attendunt peregrinos, ait S. August. & iussu Domini auxiliantur nobis, vt ad illam patriam communem aliquando redeamus. S. Bern. Ser. 1. de Natiuit. S. Bernardus vocat eos mediatores Dei atque hominum. Discurrunt medij, ait, inter nos & Deum, fidelissimè portantes ad Deum gemitus nostros, & ipsius gratiam ad nos. Gen.28. Quod satis nobis demonstratum est in illa mystica scala, Patriarchæ Iacob ostensa, ibi enim eos videbat ascendentes & descendentes, & Dominum innixum scalæ: & sic semper videbant faciem patris, licèt ad nos descenderent. Vt hic intelligamus quod dicit Dominus; Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris: quia ibi se seruant per contemplationem internam, vnde recesserunt, quando ad nos spiritali sua præsentia foras exierunt. Quid ergo in illis honorare debemus? Gloriæ sublimitatem, in qua continuo sunt, dum nobis præsentes sunt. Castra Dei sunt, quæ nos circumstant & protegunt. Quorum omnium princeps constitutus est Michaël, & non solùm super Angelos princeps constitutus; sed etiam super animas nostras, vt eas illi committamus, & ille repræsentet eas in lucem sanctam quam Deus promisit fidelibus.

DE CVSTODIA ANgelorum.

Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris. Matth.18.

CHRISTVS IESVS solus non indiguit custodia Angelorum. *Triplex ratio cur Christus non eguit custodia Angelorum.* Triplicem huius rei rationem afferunt Theologi. Prima est, quia non solùm conuersans nobiscum in terra, viator erat, sed etiam comprehensor, semper videns faciem patris. Secunda est, quia ab ipso instanti Incarnationis suæ, plenus erat omnis gratiæ & veritatis, atque in se reconditos habebat omnes thesauros sapientiæ. Tertia, quia ipsa humanitas à verbo æterno dirigebatur, quod hypostaticè illi vnitum erat. Quare in illo duello & certamine, quod in deserto inter ipsum & diabolum factum est, tunc Angeli recesserunt, & à solo Spiritu sancto ductus est in locum certaminis; quia ad victoriam minimè tunc necesse illi erat, aut conueniens vti, vt in cœlo, ministerio Angelorum. Matth.4. Sed finito duello, & simul atque reliquit eum diabolus, ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Nec obstat, quod dum in agonia factus est in horto, apparuit illi Angelus confortans eum, quasi tunc Angeli ope & ministerio indiguisset. Eiusmodi namque confortatio tantùm colloquium erat Angeli cum Christo, de negotio suæ mortis atque voluntate patris, quam antè optimè nouerat, & cum gaudio animi implere paratissimus erat, vt statim ostendit dicens: *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Vnde apparuit illi Angelus confortans eum, id est, fortem prædicans, & exaltans.

Angeli ergo Christo seruiunt non ratione præsidij, non necessitate auxilij, sed officio laudis, exhibitione gloriæ & honoris. Nobis autem necessitate præsidij: tanta siquidem, respectu nostri, est illa Angelorum custodiæ necessitas, vt ad conseruationem etiam esse nostri referatur. *Ratio custodiæ Angelorum.* Ratio & fundamentum est, quia natura nostra ita fuit per peccatum diminuta, vt penitus ad nihilum reduceretur, & minimè vnquam ad finem suæ creationis perueniret, si Deus illi aliquo particulari adiutorio, & superiori intelligentia ac ratione, quæ eam ducit & gubernat, non adesset, & quæ adhuc ad finem beatum sollicitat & dirigit. Eiusmodi autem est Angelorum custodia & præsidium. Qui omnes, sicut Apostolus dicit, sunt administratorij spiritus, omnes in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Et quibus adhuc, vt Psalmista dicit, mandauit Deus de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Dixit, in omnibus, vt nihil in nobis, siue naturæ, siue gratiæ, eorum custodiæ subtrahatur.

Duplici de causa custodia Angelorum committebat homines.

O altitudo diuitiarum sapientię Dei in hoc admirabili regimine hominum ab Angelis! Duplici de causa certè postulabat illa sapientia, vt homines gubernarentur ab Angelis. Prima est ob ingentia dona naturæ, & gratiæ quæ in eis sunt, & quibus conuenit vt præualeant hominibus. Ille est enim ordo quem diuina sapientia & ratio posuit in omnibus, vt quæ inferiora sunt, à superioribus gubernentur, & iis vt mediis ad altiora vt ad finem suum eleuentur. Angeli autem medij sunt, & quasi mediatores inter Deum altissimum finem nostrum, & homines, quia natura sunt immortales, spirituales, atque confirmati in gratia: vnde conueniens & necesse erat, vt eorum custodia, atque vigilantia, ad Deum finem nostrum altissimum duceremur.

Secunda causa & ratio est, quia in illo primo certamine quod factum est in cœlo, quando ille superbiens spiritus voluit se in potentia diuinitatis extollere, & tot post se ad interitum legiones traxit, hi in authore suo humili corde perstiterunt, & fideles majestati diuinæ, vndę & meruerunt præsidere, & adesse adhuc continuò hominibus, in quos postea omnis ira diaboli descendit. Hinc est quod S. Thomas existimat, & plures cum eo, vnum esse Archangelum qui toti multitudini hominum præsidet: & præterea vnicuique Angelum adesse qui regat, moneat, gubernet, & quotidie videat faciem patris. Angeli enim eorum in C cœlis, dicit Christus, semper vident faciem patris.

S. Hieron. lib. 3. comm. in Matth. S. Bern. in Psal. Qui habitat.

Magna equidem dignitas animarum, ait S. Hieron. vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis, in custodiam sui Angelum delegatum. Et S. Bern. hæc verba Psaltis explicans; *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Mira, inquit, dignatio, & verè magna dilectio charitatis. Quis enim? quibus? de quo? quid mandauit? studiosè consideremus. Summa ergo majestas mandauit Angelis, & Angelis suis. Illis vtique sublimibus, tam beatis, quàm proximis sibi cohærentibus & domesticis. Sed quid putas mandauit de te? de te putredo, de te vermis? Vt custodiant te, in manibus D tollant te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum: vt custodiant te in omnibus viis tuis.

Angelorum humilitas in custodia hominum.

Nostri ergo sunt custodes, & omnes administratorij spiritus. Nostri sunt in vita, nostri in morte, & nostri adhuc post mortem in gloria: nec desistunt vnquam à custodia hominis in terra. O qualis obedientia, & qualis humilitas, quod tam sublimes creaturæ, propter Deum suam gloriam tam vili obsequio subiiciant: quod qui semper in cœlis vident faciem patris, nobis adsint, & continuò nobiscum conuersentur in terris! Quis nostrûm, obsecro, vellet, aut etiam posset, etsi propter Deum, vilium formicarum & muscarum curam sic habere, idque diu, vt continuò ministraret illis? Quinam verò respectu Angelorum nos E sumus? muscis certè ac formicis viliores. Sed his adhuc addere possumus, quod etiam procurant nobis & satagunt, vt in cœlis, atque in gloria subliminiores simus illis. Vultis ampliora, magisque eorum humilitatem perpendere? Omnes sciunt, neque enim de hoc dubitare possunt, aliquem ipsorum Antichristo affuturum, & quantum ad inspirationes bonas & sanctas, non minus ei defuturum, quàm si iustus esset & prædestinatus. Sed adhuc maiora? Sciunt, nec ignorant, vnum hominem occupaturum locum primi Angeli, Luciferi, non autem quempiam ex ipsis. Certè si insidiæ subiacerent, iampridem inter eos orta

A fuisset occasio, tam ratione nostræ vilitatis, quàm eorum excellentiæ naturæ. Sed quid hoc impedit? Ipsorum humilitas, & conformitas voluntati Dei & gloriæ eius: & nimius adhuc dicam, amor quo nos prosequuntur. Quia enim nos vident Christo esse per Incarnationem affinitate coniunctos, licet quidem natura, gratia, & meritis multum nos superent: ideo cupiunt, atque etiam satagunt, vt eos excedamus gloria. Et sic minimè grauantur curam nostri habere, & continuam custodiam, in vita, in infantia, pueritia, & omni ætate; in consiliis, periculis, & diuerso statu vitæ.

Angelorum amor erga nos. Et ratio.

Custodia Angelorũ & cura in vita.

Sic fortis & casta vidua Iudith dicebat: Viuit Iudith 13.
B Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & reuocauit me Dominus gaudentem in victoria sua, in euasione mea, & liberatione vestra. Sic ad Tobiam Angelus dixit: Ego sa- Tobiæ 5.
num ducam filium tuum, & reducam. Sic Iacob Gen. 48.
benedicens filiis Ioseph, Ephraim & Manasse, meritò voluit illis impertiri benedictionem Angeli sui dicens: *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Ipse est Angelus qui nos consolatur in afflictionibus. Sic Eliæ apparuit confortans eum in persecutione Iezabel, cum pane 3. Reg 19.
subcinericio, & dicens: Surge, grandis tibi restat via. Ipse est qui nos admonet de salute nostra, & de periculis eripit. Sic duo Angeli cogebant Loth egredi de Sodoma cum familia sua. Illoque dissi- Gen. 19.
mulante, apprehenderunt manum eius, vxoris, & filiarum, & posuerunt extra ciuitatem, dicentes; Salua animam tuam. Ipse est qui nos instruit in dubiis & difficilioribus. Dum prosterneret Daniel Dan. 9.
preces suas ante faciem Dei, Gabriel citò volans tetigit eum in tempore sacrificij vespertini, & dixit: Daniel, nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres quia vir desideriorum es; & tunc aperuit ei sensum mysterij omnium mysteriorum. Ipse denique est qui offert Deo preces nostras, lacrymas, aliaque pietatis & pœnitentiæ exercitia. Sic dicebat Tobiæ postquam ipsum à cæcitate sa- Tob. 12.
nauit, & reduxit sanum filium eius: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium, & mortuos abscondebas in domo tua per diem, & nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino.* Ita, ita est Domine, gemitus nostros atque suspicia referunt ad te, sed vt impetrent nobis faciliorem tuæ benignitatis propitiationem. Hæc sunt officia Angelorum tuorum atque præsidia, quibus, Domine, te omnia gubernante, protegitur in hac vita.

Custodia Angelorum in morte.

Sed quomodo adhuc nos tueantur in morte, nobisque in hoc articulo vltima obsequia, atque officia præstent, videamus. In Euangelio legimus, Luc. 16.
quod cùm mendicus Lazarus mortuus fuisset, factum est, vt ab Angelis portaretur in sinum Abrahæ. Ecce officium Angelorum, animas deducere ad Deum, eisque in illo exitu occurrere, & adesse contra insultus insidiantium. Sic pro figura in Exodo dicebat Deus populo suo: Introducet te Exod. 23.
Angelus meus in locum quem paraui tibi. Quis ille est quæso locus paratus, nisi regnum Dei paratum nobis à constitutione mundi? Eò igitur ad Angelos spectat vt nos introducant, & ab hostium tueantur insidiis. Sic Psalmista dixit, quia Psal. 33.
immittet Angelos Dominus in circuitu timentium eum. Hoc iam in peregrinatione Iacob vidimus, qui cùm sibi occurrentem Esau fratrem suum seniorem habuisset, statim circum se vidit exercitum Gen. 33.
Angelorum,

Angelorum, multitudinem militiæ cœlestis pro defensione sua,& dixit:Castra sunt hæc.O inenarrabilem consolationem iustis, & his qui de tribu & familia Iacob sunt,qui cum eo peccatum, mundum, carnem supplantauerunt! Nam & in exitu etiam diabolum supplantabunt, qui fugiet ab eis, Angelis tunc occurrentibus, qui numquam eos deserunt, donec ad gaudia æternæ gloriæ perducant, vbi non amplius ad eorum custodiam deputati, sed in eadem societate conregnantes, eadem simul perfruuntur visione patris.

Associatio admirabilis inter Angelos & homines. Ecce quousque peruenit inter Angelos & homines arctum vnionis & affinitatis vinculũ. Nihil videtur remotius ab homine quàm Angelus;& tamen in communicatione & vnione nihil propius, intimiusque,vbi in terra Angeli deputantur ad custodiam hominum,& in cœlo ad perpetuum consortium. Quod istæ duæ creaturæ,inter tot alias, solæ sint capaces eiusdem visionis Dei & gloriæ,& ad istum æqualem honorem conueniant, licet à se inuicem tantopere distent: quod maior non dedignetur seruire minori, Angelus homini, atque etiam procuret,vt illi maior status gloriæ accidat. Quid facimus? quidve tanti carnem & mundum facimus? Quæ cùm ita sint,iam videamus quid illis retribuere debeamus.

Superest ergo vt debito honore veneremur, qui tanto nos amore prosequuntur. Modus autem est *Quadruplex modus honorandi Angelos.* quadruplex.Primus est reuerentia:secundus gratitudo: tertius dependentia: quartus obedientia. Quantum ad reuerentiam,debetur illis ratione naturæ quæ incomparabiliter omnem aliam superat, quæ illis inferior est,vt est humana,ratione dignitatis gratiæ in qua sunt creati,& ratione item gloriæ in quam sublimantur; vident semper faciem *Reuerentia debita Angelis.* patris.Si pretium gloriæ indagare sciremus,ô quãtum honoraremus qui frueretur illa! hi autem licet nobiscum sint,semper illa perfruuntur: imò in terra circa nos faciunt paradisum, conuersantes enim nobiscum,semper vident faciẽ patris. Coram Regibus & Principibus terræ reuerenter nos gerimus, quia in dignitate supra nos sunt constituti. Quanto igitur magis hoc conuenit coram Angelis *S. Bern. in Psal. Qui habitat.* principibus cœli,& domesticis Dei? Quantam tibi hoc verbum debet inferre reuerentiam,afferre deuotionem,conferre fiduciã? *Angelis suis Deus mandauit de te,vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Reuerentiam pro præsentia, deuotionem pro beneuolentia,& fiduciam pro custodia. *In omnibus viis tuis,* dixit Psaltes. In quouis ergo diuersorio,in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam habe, & ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes. Semper vident faciem patris. Hanc etiam ab eis gratiam petamus, scilicet,vt impetrent,vt nũquam Dei præsentiam amittamus, & ipsorum exemplo, à reuerentia exhibenda Deo numquam recedamus. Neque enim Deus minus est nobis præsens quàm ipsis,qui vbique essentia sua adest. Cæcus qui non videt Regem,& tamen scit esse præsentem,nõ minori reuerentia vti coram eo tenetur, quàm qui videt. Deus nobis cæcis præsens est,sicut Angelis faciem videntibus: pari ergo reuerentia atque isti ipsum honoremus. Angeli circa nos vacant exterioribus,& tamen vident semper faciem patris. Ita & nos sic vacemus negotiis, vt semper Deus adsit nobis. Hanc Theologiam discamus ab Angelis.

Gratitudo debita Angelis. Quantum ad gratitudinem, non minima quidẽ debetur illis pro singulari cura,vigilãtia,omnibúsque bonis officiis pietatis, quæ tam fideliter erga nos exercuerunt. Si enim teneremur in æternũ illi A gratias agere & præstare obsequium,qui semel tãtùm de periculo mortis nos eripuisset, aut aliquod beneficiũ ingens contulisset,etsi postea nõ amplius esset memor nostri: quanta quæso gratitudine debemus erga Angelos esse affecti,à quibus tot bona recepimus, per quos à tantis periculis liberati fuimus,& qui quotidie memores nostri,nobis tam affectuosè assistunt, vt nos custodiant in omnibus viis nostris?

Dependentia debita Angelis. Quare iam quantum ad dependẽtiam,admodũ singularis esse debet. Primò, quia sunt coadiutores Christi in opere nostræ salutis. *Omnes administratorii spiritus*, inquit Apostolus, *in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Vnde mul- B tum ab eis dependere debemus, in quantum mediãtibus adhuc illis,multa Deus nobis confert,quæ aliàs nõ reciperemus.Secũdò, quia ab instanti primo nostri ortus vsque ad vltimum mortis, nobis assiduè assistunt, & nũquam curam nostri interrũpunt. Vnde etiam cooperari,atq; voluntate & animo illis nos vnire debemus,& nihil agere sine eorũ directione, debemus esse in societate cum ipsis, & vtilitati incumbere, quam tam sollicitè procurant nobis. Hoc equidẽ deplorandum, quod militantes Deo,rebus tantùm secularibus implicati simus, totaque intentio nostra sit circa parum luti; cõuersatione autẽ Angelorum priuemur, & negotiis Cœli. Si totius orbis Imperator videretur,om- C niumque Philosophorum scientia eruditus,aliquẽ infantulum, & pro derelicto habitum, regere & instruere, omnium in ore & admiratione esset. Et tamen hoc nihil est respectu Angeli homines & pueros gubernantis. Nonne igitur rationi consentaneum est, vt totaliter à tali rectore & magistro dependeamus? Et præterea (quod adhuc superest,) *Obedientia debita Angelis.* maximam ei obedientiam præstemus, & fidelitatẽ in omnibus promptè exequendis, quæ à Deo suggerit nobis. Veniam petamus, quod tamdiu ei restitimus, ac in posterum cor nostrum & voluntatem inclinemus directioni eius ac votis, vt simul cum illo in cœlis semper videamus faciem patris.

D DE GLORIA ET BEATITUDINE Sanctorum.

Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth. 5.

Duplex beatitudo proposita à Christo. DVPLEX hic beatitudo nobis proponitur à Christo:vna quæ dicitur viæ,& altera patriæ. Prima est fidei, & in spe, & adhuc per charitatem operans: altera verò est in possessione & fruitione diuinæ essentiæ. Prior ænigmatica est & obscura: altera verò intuitiua & clara visio, atque cognitio. Vtramque cõprehendit Apostolus dicens: *Videmus* *1. Cor. 13.* *nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie* E *ad faciem.* Prior est initium & pignus æternæ beatitudinis, aut si vultis, in illo actu meritorio vitæ quæ habetur in patria:altera è contrà,ipsamet beatitudo & vita. De priori Psalmus incipit; Beati *Psal. 118.* immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: & de altera Euangelium IESV Christi, qui os suum aperiens sic suos docebat in monte, dicens: Beati pauperes spiritu, beati mites, qui lugent, esuriunt iustitiam, misericordes, mundo corde, pacifici,& qui patiuntur persecutionem, quoniam (sic concludit in omnibus,) ipsorum est regnum cœlorum. Postquam enim de octo viis ad hanc beatitudinem cum distinctione loquutus est, tan-

dem demonstrat vbi terminus sit dicens: Gaudete [A] & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. De hoc itaque termino primùm nobis loquendum est, vt nobis antè proposito, faciliùs eò vias & gressus nostros dirigamus. Tanta siquidem est illa proposita gloria, vt in illo sermone quem de viis ad illam Dominus in monte habuit, hodie animaduerterit Euangelista, quod propterea os suum aperuit. Et non vacat mysterio, vt nimirum magis exprimeret dicendorum magnitudinem, nosque attentiores redderet ad audiendum eum, atque adhuc in his quæ sic ad salutem nostram spectant.

Deus loquutur per Angelos.

Inuenimus diuersimodè olim Deum loquutum fuisse hominibus per Angelos, & suos Prophetas. [B] Primùm per Angelos: sic enim sæpius ad Abraham loquutus est, similiter ad Loth, ad Agar ancillam Saræ, & ad plures alios, vt in Genesi sæpissime videre est. Etiam sic Tobiæ loquutus est, & Moysi multoties; maximè verò cùm dedit ei legem in monte Sinai, vt Sanctus Stephanus Iudæis dixit in Actis, & scripsit Galatis Apostolus. *Lex*, ait, *propter transgressiones posita est, ordinata per Angelos in manu mediatoris*, nimirum Moysis. Sic igitur multis Deus per suos Angelos loquutus est. Similiter etiam per suos Prophetas, interpretes suæ voluntatis. Sic per Isaiam Ezechiæ Regi loquutus est, mortem ei annuntians & vitam: sic per Moysem multoties Pharaoni, & Dauidi per Nathan: sic per Eliam Regi Achab & Iezabel: sic adhuc per Elisæum ciuibus Samariæ, & Benadab Regi Syriæ, cuiusque seruo Hazael, qui regnauit pro eo: sic denique per vniuersos Prophetas de Aduentu suo patribus nostris loquutus est. Quousque etiam nobis loqui per semetipsum voluit, sicut dixit Apost. nouissimè diebus istis Deus, non sicut olim in Prophetis, sed in filio loquutus est nobis, veluti maiora dicturus. Quænam illa? quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, nisi exquo Dei filius os suum aperuit, & dilatauit nobis cor suum, cùm in illo monte nos docuit arcana quæ non licebat homini loqui, & [D] quæ solus filius hominis IESVS Christus Dei vnigenitus hominibus reuelare potuit. Idcirco enim hodie os suum aperuit, vt videlicet simul aperiat abscondita sui cordis, & quæ audiuit a patre, nota faciat nobis. Dicitur in Prouerb. *Vena vitæ os iusti.* Si vena vitæ os iusti est: quanto magis, excellentiusque os Christi vena, fons, fluuius, atque Oceanus vitæ erit? Domine, dicebat Petrus, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos hodie ad quem alium ibimus audiendum, quàm ad ipsum, cuius os vena est vitæ, & qui os suum aperiens, nobis fluuium & abyssum vitæ aperit? Aperiamus ei itaque aures quæ auscultent, [E] & corda quæ percipiant. Nam talis apertio oris Christi, profunditatem magnam significat sacramenti. Sed quodnam est illud? vtique æternæ gloriæ quæ reuelabitur in nobis. Gaudete, quia merces vestra copiosa est in cœlis.

Gen. 18 & 19 item 16. & 21.
Tobiæ 5.
Act. 7.
Ad Gal. 3.
Deus loquitur per Prophetas.
4.Reg. 20.
3.Reg. 21.
4.Reg. 8.
Deus per semetipsum atque in filio loquitur.
Heb. 1.
Prou. 10.

Hic igitur imprimis quærendum est, quid sit illa merces & gloria. Boëtius in libris consolationis suæ, eam diuersis explicat definitionibus. Primò, quod sit bonum naturæ, ratione vtentis. Secundò, bonum, quo adepto nihil vlteriùs desiderari queat. Tertiò, omnium summum bonorum, cunctaque intra se bona continens. Quartò denique & communiter, status omnium bonorum aggregatione perfectus. Statum dicit Boëtius, [A] quia beatitudo debet esse stabilis. Cum aggregatione, adiunxit, bonorum omnium, quia nihil boni illi deesse potest. Philosophus Aristoteles formam tetigit, in operatione constituens: dicit enim felicitatem esse operationem optimæ potentiæ secundum optimam virtutem in vita perfecta & continua. Nam sine visione Dei in intellectu, & amore Dei in voluntate in cœlis, vbi vita est æterna, nulla erit fruitio & gloria in anima. Idcirco quia extra Deum nulla inuenitur talis ratio boni quod sit perfectum & permanens, iam secundum Theologos dicimus, beatitudinem nostram esse ipsum Deum, summum bonorum omnium, omniaque in se bona continentem, bonum [B] vnicum & solum creaturæ ratione vtentis: & vt formaliter dicam, animæque operationem circa Deum explicem, fruitionem Dei cum clara visionem eius essentiæ, perfecta dilectione bonitatis, & gaudio inenarrabili continuæ præsentiæ, Deum videre, amare, in eo esse, de eo, & cum eo semper viuere. Adeò vt sit tota merces. Quod equidem hic mente capio, verbis exprimere non valeo: fide non attingitur, spe non capitur, charitate non comprehenditur. Acquiri, sed non comprehendi potest. Attamen quantum potero dicam hic quid sentio, & quid sit, distinctione adhibita, illa beatitudo.

Diuersæ definitiones beatitudinis à Boëtio, cum definitione Aristotelis.
Definitio beatitudinis iuxta Theologos.

Imprimis igitur sciendum est, duplicem esse [C] beatitudinem: vnam obiectiuam, alteram formalem: primam increatam, alteram creatam. Illa prima, obiectiua, increata, seu essentialis, Deus in Trinitate est, & vt dicam, sicuti est. Idem obiectum beatitudinis omnium, & in cuius visione & possessione est perfecta beatorum satietas. Addam adhuc, quia IESVS Christus simul Deus & homo, beatis erit pro gloriæ obiecto, qui vnus est cum patre & Spiritu sancto Deus. Sic enim de eo dixit Isaias: Regem in decore suo videbunt; Deum in humanitate videbunt, & hominem in diuinitate. Vnde & de se dixit: *Per me si quis introierit saluabitur. Ingredietur & egredietur* (de diuinitatis contemplatione, in humanitatis, & è conuerso,) [D] & *ita pascua inueniet*, (videlicet gloriæ.) O quis explicare posset quantæ gloriæ erit obiectum diuina ista & hypostatica vnio? De Salomone legitur, quod vniuersa terra desiderabat videre vultum eius, & vt vidit eum Regina Saba in throno sedentem, exclamauit: Beati serui tui, qui stant coram te semper. O quanto magis Christus IESVS sedens ad dextram majestatis in excelsis, omnium ad se attrahit corda & oculos! plusquàm enim Salomon est hic. Heu! quàm multæ Reginæ videntes eum in decore suo dicunt admirantes, attonitæ, exultantes: Verus est sermo quem audiuimus. Sicut audiuimus, sic vidimus in Ciuitate Domini virtutum. Beati serui tui qui stant coram [E] te semper. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur. Gloria hæc est omnibus Sanctis tuis: gloria in obiecto diuinitatis, & humanitatis simul IESV Christi: gloria nata ex præsentia Trinitatis, patris, filij, & Spiritussancti.

Duplex beatitudo. Obiectiua.
Christus erit obiectum gloriæ.
Isa. 33.
3.Reg. 10.

Iam de formali beatitudine loquamur quæ in operatione est, & subiectiua dicitur, quia in anima tanquam in subiecto recipitur, ipsaque attingentia Dei est, & intima vnio animæ cum illo. De illa autem sententiæ diuersæ sunt, in quo consistat. Prima est dicentium in illapsu Dei in animam, seu quod Deus recipitur primò in essentia

Beatitudo formalis & subiectiua: & de ea sententia diuersæ.
1. Opinio in illapsu.

essentia animæ per quamdam sui communicationem & influentiam perfectam, quam illapsum vocant, quod nomen vix potest explicari, & circuminsessionem dicit: deinde in potentias animæ simili modo illabitur. Hæc quidem opinio digna est suo authore, qui Henricus est Gandauensis: digna etiam silentio, & difficilis, quia non satis intellecta. Interim exemplo satis intellectu facilis, quale illud est, videlicet ferri candentis, & quod in medio fornacis vndique concepit ignem, tunc enim quasi in ignem transformari videtur, & ignis penetrale illud. Sic est de tali illapsu Dei in animam, per quem Deus inessendo totam illam penetrat, ita vt in eum etiam transformata videatur.

Exempla.

Aliquid adhuc huic simile in Angelis videre est, in quibus sic Deus per intimam communicationem sui est vnitus, circúmque infusus, vt plus in eis videatur, quàm illi in seipsis. Adeò vt etiam speciali præsentia & communicatione sui in eis, tali, & tali ratione inessendi eis, eorum etiam differentias constituat: vt Seraphinorum, illabendo & inessendo eis per amorem: Cherubinorum per intelligentiam; & sic de aliis. Quod similiter de beatis dici potest, & eorum differentia gloriæ, iuxta quod à Paulo dicitur, quod gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformabimur de claritate in claritatem. Ecce quomodo de transformatione, & de differentia loquitur. Oculus, Deus, non vidit absque te, quæ præparasti diligentibus te.

2. Cor. 3.

Secunda opinio est dicentium in operatione animæ circa Deum consistere; & illa conformior est veritati. Interim in qua operatione animæ consistat, controuersia est. Nonnullorum enim opinio est, esse in operatione intellectus, seu in visione Dei. Ad intellectum enim pertinet primò attingere obiectum, & iuxta hoc Dominus dicebat: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te*, &c. & sic S. Aug. Visio Dei tota merces. Aliorum è contrà est, in actione voluntatis, seu in amore, qui omnium est perfectissimus actus, vinculum & arctioris vnionis complementum. In perfectissima autem animæ vnione cum Deo nostra beatitudo consistit: præterquàm quod initiatiuè tantùm operatio intellectus, seu contemplatio quæ primò attingit Deum, hominem beatum reddit. Charitas verò, quæ voluntatis operatio est, vltimò, & sic perfectè amplectitur ipsum, & sic complementum est nostræ beatitudinis. Intellectus ad voluntatem refertur, iste intelligit, vt illa accendatur, in cuius actione, id est, amore, fruitio tota est. Et satis per se notum est, vt cum S. Dionysio loquar, quod dilectio supereminet scientiæ; plus enim diligitur, quàm intelligitur, & intrat dilectio, vbi scientia foris est.

2. Opinio & verior, beatitudinē in operatione animæ cōsistere.

Ioh. 17.

Quare modò ex omnibus his opinionibus diuersis, hanc assumam, &, vt credo, tenendam, nimirum, beatitudinem consistere in plena & perfecta Dei possessione, quæ includit & operationem intellectus & voluntatis, simul claram Dei visionem, & amorem: denique perfectam atque intimam Dei plenitudinem in essentia animæ, & in omnibus eius potētiis; ita vt in tota anima sit Deus, & tota anima in Deo maneat, & operetur circa ipsum. Dicam adhuc clariùs. Tota est in possessione Dei quantum ad suam essentiam, tota in contemplatione quantum ad intellectum, & tota in dilectione seu fruitione Dei quantum ad voluntatem: ardet vt Seraphim igne Deo; lucet vt Cherubim luce Deo; sedetque vt Thronus, sed beneficio infi-

Opinio tenēda, in quo beatitudo cōsistat.

A dentis. Cùm apparuerit, similes ei erimus. Deus amat vt charitas, nouit vt veritas, sedet vt æquitas; & sic in cœlo beati videbunt, amabunt, sedebunt, & delectabuntur in multitudine pacis. Gaudete, dicit Dominus, quoniam mercés vestra copiosa est in cœlis. Quid non properamus & currimus, ait S. Cypr. vt patriam nostram videre, magnificum Regem & parentes salutare possimus? Magnus namque illic charorum numerus nos expectat, parentum & fratrum frequens & copiosa turba nos desiderat, iam de sua incolumitate securi, adhuc de nostra salute solliciti. Ad horum conspectum & complexum venire, magna nobis & illis erit lætitia.

S. Cypr. lib. de mortalitate.

Verùm nunc superest vt octo media, seu itinera B capiamus quæ in Euangelio dicuntur octo beatitudines. Plures ianuas & ingressus habebat illa cœlestis & sancta Ciuitas Hierusalem, de qua in Apocalypsi mentio est. Sic hodie Christus de illa loquens gloriosa Ciuitate Dei, simul plures vias ostēdit, portas octo, quas beatitudines nuncupauit: vtique quia ad veram beatitudinem in cœlis semitæ sunt, scilicet, paupertas spiritus, mansuetudo atque humilitas, luctus, esuries, sitis iustitiæ, misericordia, munditia cordis, pax animi, & tribulationum tolerantia. Quæ omnia itinera sunt certissima ad regnū cœlorum. Vnde etiam beatos illos vocat, qui eiusmodi vias ambulant dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Quare ipsorū? C quia imitatione sequuntur Dominum, & pro eo contemnentes terrena, merentur habere cœlestia.

Apoc. 21.

Octo via ad beatitudinē.

De magno Alexandro refert Quintus Curtius quod cùm vellet Indiam petere, iussit omnes suas & suorum diuitias, tentoria & currus simul congregari, & statim illis ignem apponi, vt sic milites præsenti penuria incitati, velociùs, fortiusque hanc prouinciam susciperent, suumque iter ad illam terram opulentissimam dirigerent. Sic hodie Christus vult & iubet omnia quæ sunt terræ, contemni, si ad Indiam cœlestem velimus ingredi. Nihil eò deportandum, quod mihi in omni abundantia est, cuiusmodi sunt opes & gloria, sed quod deportandum, sarcina est omnium virtutum mansuetudinis, D humilitatis, iustitiæ, misericordiæ, &c. Beati enim mites, quoniam ipsi possidebunt terram, & inhabitabunt eam in sæculum sæculi. Beati qui esuriunt iustitiam. Non Deum dixit, qui finis est, sed iustitiam, quæ medium est & iter ad finem. Non humilitatem dixit, aut aliam virtutem, sed iustitiam, quæ est omnis virtus. Qui esuriunt, dixit, non autem qui edunt, quia in terra fruitio non est, sed tantùm sitis & fames. Beati ergo qui esuriunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. E Quis enim, putatis, ascendet in montem Domini? Innocens manibus & mundo corde. Cor mundum crea in me Deus. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur, qui Deus est pacis, & per filium suum annuntiauit nobis, in cuius natiuitate cecinerunt Angeli, & ipse nobis eam acquisiuit in sanguine Crucis.

Quintus Curtius.

Explicatio octo beatitudinum.

Ps. 40.

Ecce quæ sarcina virtutum deducenda est in cœlum. Non illuc deportandæ sunt voluptates, sed lacrymæ & tribulationes. Beati qui lugent, peccata sua, vt Magdalena, lugent; exilium suum in terra lugent; quoniam ipsi consolabuntur in remissione peccatorum, & possessione æterna felicis patriæ. Denique beati qui persecutionem patiuntur pro-

pter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; vim enim patitur, & violenti rapiunt illud. Beati ergo estis omnes, cùm vos persecuti fuerint homines. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

DE IESV CHRISTO omnium animarum fidelium termino.

Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eũ qui venit ad me, non eiiciam foras. Ioh. 6.

2. Cor. 5. TERRIBILIS vox illa videtur Apost. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum*: vox quæ mortem prænuntiat, in qua rerum omnium discussio est facienda. Verùm si consideremus, in cuius manum & potestatem incidamus, & quomodo de morte hac transimus ad vitam, & vitam æternam, nihil est pertimescendum: imò ratio est & causa lætitiæ, vbi in morte renouatio est vitæ. Et si quæ sit ratio timoris, hæc aut illa esse potest, quia sic viuitur, vt iam in morte damnatio certissima expectetur: vel certè quia homo nescit vtrùm odio, an amore dignus sit, & sic ignorat quò properat.

Verùm minimè hic locum debet habere formido, & maximè in iustis, vbi hodie Dominus dicit: Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Hæc est voluntas patris qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ecce vnde consolatio nostra oritur, quod sit requies animarum Christus, omniúmque fidelium hinc exeuntium terminus: vt securiùs omnes discamus mori in hac vita securi. Qui de sua enim spe & operatione securus est, cùm tempus propinquæ mortis aduenerit, de gloria proximæ retributionis hilarescit, dicit Sanctus Gregorius.

Vbinam sit securitas mortis. S. Gregor. hom. 13. in Euang.

Quod autem ad hanc securitatem necessarium est, testimonium bonæ vitæ & conscientiæ est, quod in hoc mundo conuersati sumus, non in sapientia carnali, sed in synceritate & simplicitate Dei. Sic enim viuentes in terra, dicere possumus cum Paulo: Cupio dissolui, & esse cum Christo; & cũ Psalmista in morte: Conuertere anima mea in requiem tuam. Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, ait Christus. Ego sum resurrectio & vita, felix terminus, & fidelium requies. Vnde S. Ambros. Intrepidè transeamus ad Redemptorem nostrum IESVM Christum, intrepidè ad Abraham patrem nostrum, intrepidè ad Patriarcharum concilium, ad illum Sanctorum cœtum iustorumque conuentum. Vbi enim corpus, illuc congregabũtur & Aquilæ. Corpus nostrum Christus est: vnusquisque autem nostrûm huius corporis membrum. Vnde ait; Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras.

Anima data sunt Christo a patre. Iohan. 17. Hic tria consideranda proponuntur. Primum, animas omnium fidelium ac iustorum Christo datas esse à patre, sicut ipse dixit: *Tui erant, & mihi eos dedisti.* Fortasse iste est pretiosus thesaurus, quem

Gen. 14. petebat diabolus, sub nomine Regis Sodomorum, ab Abraham patre credentium, dicens; Da mihi animas, cætera tolle tibi. Sed eas Deus filio suo elegit, & tradere voluit, vt ab eo creatas, redemptas, atque dependentes in omnibus. Quomodo apud

A Ezechielem dicit: Ecce omnes animæ meæ sunt, vt anima patris, ita & filij. Ipse enim fecit nos, nos autem populus eius. Ipse qui inspirauit in faciem hominis spiraculum vitæ, & qui hominem fecit in animam viuentem. Ipse qui præterea hominem redemit à morte, sicut ait: Venit filius hominis dare animam suam in redemptionem pro multis. Denique ipse in quo viuimus, mouemur & sumus, & à quo in omnibus dependemus. Ezech. 18. Gen. 2. Matth. 20.

Secundum, quod hic in cõsiderationem venit, est, Christum esse terminum & scopum quò omnes animæ fideles post mortem tendunt, vt ad locum quietis. In pace in idipsum, inquiebat Psalmista, dormiam & requiescam. Vbi S. Aug. O in pace! ô B in idipsum! ô quis ille qui dixit, dormiã & requiescam! Domine fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec cõquiescat in te. Ad ipsum ergo animæ vt ad suum locum sue patriam tendunt. Quamdiu enim viuimus in corpore, peregrinamur à Domino; sed cùm morimur, ad ipsum tendimus & peruenimus, in quo nostra felix est patria, & regio viuentium, sicut ait Dauid: Placebo Domino in regione viuorum. Quam regionem atque iter ad eam sic describit S. Ambros. Ibimus eò vbi paradisus iucunditatis est, vbi Adam qui incidit in latrones, nescit iam sua vulnera flere, vbi & latro ipse regni consortio gratulatur, vbi nulla nubes, nulla tonitrua, nullæ coruscationes, ventorum procella & C tenebræ; vbi nec vesper, nec æstas, nec hyems vices temporum variabunt, non frigus, non grando, nix, pluuiæ, & glacies: vbi non Solis istius erit vsus, aut Lunę, sed sola Dei claritas refulgebit. Lucerna enim Agnus est. Ad quem idcirco omnes iustorũ animæ aspirant, velut ad lucem vitæ, sicut Psaltes dixit: In lumine tuo videbimus lumen. Tendunt velut sitientes ad fontem, & velut esurientes ad panem æternæ vitæ.

Christus terminus & scopus quietis animarum hinc exeuntium. S. Aug. lib. confess.

S. Ambros. lib. de bono mortis.

Ecce ergo qua ratione Christus, animarum in transitu, est terminus. Finis vniuersæ carnis venit coram me. Finis vniuersæ carnis, mors est qua perimus omnes. Illa mors coram Christo venit, statque vt captiua ante tribunal eius, cùm anima, finita hac D vita carnis, posteaque viuens vita immortalitatis suæ, statim Christo offertur, vt viuat vita gloriæ. Sicque intelligi debet; *Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras.* Gen. 7.

Tertium hic notandum, est, Christum nullum vnquam fidelem à se eiecturum, & è contrà omnes eiecturũ infideles, vt in Apoc. legitur; Foris canes, foris venefici, impudici, homicidæ, & idolis seruiẽtes, omnisque qui amat & facit mendaciũ. His enim dicetur; Discedite maledicti, &c. Sed quantum ad fideles, qui ad eum venient, excipiens omnes, vtiq; dicet illis: Venite benedicti patris, &c. O quale bonum sic amicabiliter excipi à te Domine! Pone me E iuxta te, iube me venire ad te, quia tu es susceptor meus, gloria mea, liberator meus. Sed vnde hoc Domine? nisi ex beneplacito tuo, qui pro me preces offerens dixisti patri tuo: Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum. Deliciæ enim meæ, sicut in terra & in cœlo, esse cum filiis hominum: & exauditus est pro reuerentia sua. Omne, inquit, quod dedit mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Nam & hæc est voluntas patris, vt omnis qui credit in filium, non pereat: vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscite in nouissimo die. Iam quidem venit hora, & nũc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Qui audierint (notate,) id est, qui conuertentur, & in

Nullum fidelium Christus eiicit. Apoc. 22.

A & in eum credent, eiusmodi enim viuent. Ille est enim nouus medicus missus in mundum, qui viuificat mortuos, resurrectionisque corũ est author, sicut dicit: Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Cuius virtutis rationem antè dederat, dicens: Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic & dedit filio vitã habere in semetipso. Propterea sicut pater suscitat mortuos & viuificat; sic & filius quos vult viuificat. Vnde Apostolus dicit: Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.

Ioh. 11.
Ioh. 5.
1. Thess. 4.

Quare illi primi? Certè quia ad gloriam & ad vitam æternam resurgent. Etenim, vt idẽ dicit Apost. omnes quidem resurgemus, sed non omnes immu-B tabimur. Erit enim resurgentium distinctio, de quibus sic Daniel loquitur. Multi de his qui dormiunt in puluere terræ, euigilabunt, alij in vitam æternã, alij in opprobrium. Quod similiter dixit Dominus & Saluator: Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui verò mala, in resurrectionẽ iudicij. Resurgent siquidem corpora damnatorum, vt in pœna associentur animabus, sicut in culpã cõiuncta fuêre. Corpora verò iustorum, vt coniuncta animabus iam glorificatis, eadem etiam immortalitatis gloria perfruantur: & sic illud Iob verificetur, qui dicit; *Auditu auris audiui te*. i. credidi, & fidelis fui: *nunc autem oculus meus videt te*. & illud Patriar-C chæ Iacob: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea*. Denique vt sic, & quoad corpus, & quoad animam, nihil de iusto perdatur, sicut Dominus ait; Hæc est enim voluntas eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.

Differentia eorum qui resurgent.
Dan. 12.
Ioh. 5.
Iob. 42.
Gen. 32.

Hoc enim rursus considerandum occurrit. Primò, nullum iustum & fidelem de manu Christi periturum. Sic enim adhuc alibi declarauit: Non est, inquit, voluntas ante patrem vestrum qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis. Similiter nihil quod ad iustum pertineat. Anima non peribit, quã potiùs inueniet, & in vitam æternam custodiet, si propter Christum perdiderit. Non corpus, nec ali-D quid partium, etsi membratim dispersum, aut in cineres redactum: custodit enim Dominus ossa eorũ; vnum ex his non cõteretur, dicit Psaltes: imò Christus ipse promittit capillum non periturum de capite iusti. Inde audet dicere Apost. Expectamus Saluatorem nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.

Matth. 18.
Matth. 10.
Luc. 21.
Phil. 3.

Sed quomodò, inquietis, talis resurrectio esse poterit? De possibilitate familiaria exempla sunt. Sol quotidie occidit, nostrisq; oculis moritur, & quotidie resurgit. Quas videmus arbores æstiuo tẽpore frõdibus & fructibus plenas, hyeme videntur mortuæ, & rursus verno tẽpore reuiuiscunt, resurgũt. E Quare ergo non fiet, aut possibilis non erit resurrectio & reparatio in nobis? Sed consideremus quod Deus ex nihilo amplitudinem cœli & terræ, & omnia quæ in eis sunt, cum Angelis atque hominibus creauit: multo magis igitur ex puluere corpora nostra reparare poterit. De veritate & certitudine omnis Scriptura loquitur, & ipsa veritas Christus. De die autem nemo scit, quem Deus in sua potestate, ac voluntate posuit. Constat solùm quod ille est nouissimus omniũ: hoc solùm reuelauit Dominus, dicẽs quod in nouissimo resuscitaret die. Sic Osee: Viuificabit nos post duos dies. Primus dies est natiuitatis, secũdus nostræ mortis. Qui verò sequitur est dies resurrectionis, videlicet vltimus ad viuificationem corporum reseruatus, & quẽ expectamus omnes, ex quo Christus resurrexit à mortuis, vt Iob prædixerat. *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, & oculi mei conspecturi sunt. Hæc spes reposita est in sinu meo.*

Possibilitas resurrectionis per exẽplar.
Veritas & certitudo.
Dies resurrectionis dicitur nouissimus.
Osee 6.

DE CONSECRATIONE ET sanctitate Templorũ & Oratoriorũ.

Hodie huic domui salus à Deo facta est. Luc. 19.

Ocvlos coniiciens in hoc materiale Templũ, Dei domum, atque specialẽ gloriæ, majestatis, simulque humilitatis Iesv Christi in terra mansionem, tria notanda considero. Primum est, Deum elegisse sibi & sanctificasse hunc locum, vt in illo nostras orationes audiat, & declaret magis, atque ostendat præsentiam suæ Majestatis. Sic 2. Paral. dicebat: Elegi & sanctificaui mihi locum istum, vt sit ibi nomen meum in sempiternum, & permaneant oculi, & cor meum ibi cunctis diebus. Et aures meę erectæ erunt in orationes eius qui in isto loco orauerit. Vnde Dauid tantopere nos exhortatur, vt ad nihil aliud intendamus quàm ad benedicendum Deum, cùm in Ecclesiis sumus. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum. Propterea igitur, inquit, in Ecclesiis benedicite Deo Domino. Ibi Benjamin, ibi orans, filius doloris & dexteræ Dei, in mentis excessu debet esse. En ratio, quia locus iste domus Dei est. Ibi aures, oculi & cor eius. Domus orationis est.

Tria consideranda in Templis.
2. Paral. 7.
Psal. 47. & 67.

Hinc sequitur quod secundò est notandum, nimirum hunc locum esse terribilem inimicis Dei, ex præsentia diuinæ eius Majestatis. Cùm venisset Iacob ad quemdam locum, & supposuisset capiti suo lapidem, scalam vidit in somnis stantem super terram, & cacumẽ illius tangens cœlũ; Angelos quoq; descendentes, & ascendentes per eam, & Dominũ innixum scalæ, dicentẽ sibi: Ego sum Dominus, &c. Cùmque euigilasset Iacob de somno, ait. Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebã. Pauensque, Quàm terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli. Terribilis certè est omnibus, verumtamen inimicis Dei, tam ex præsentia eius Majestatis, quàm etiam Angelorum eius. Vnde sponsus Ecclesiæ & cultor, progressum eius suspiciens in Canticis, admiratur vsque ad terrorem inimicorum ascendisse, & dicit: Quæ est ista quæ progreditur (hic secundum litteram mẽtio fit de Ecclesia & congregatione fidelium,) tanquam Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Ita apud Zachariam sub nomine Hierusalem: In die illa ponam Hierusalem lapidem oneris cũctis populis. Omnes qui leuabunt eam, cõcisione lacerabuntur. S. Hier. hunc locum explicãs dicit, lapidem quemdã Athenis extitisse, & vidisse ingentis quidem molis, & ad hunc finem destinatum, vt scilicet viribus cuiuscunque dignoscendis inseruiret, qui hunc plus, vel minus de terra leuare, & in altum efferre posset. Qui propterea dicebatur lapis oneris, eo quod suo pondere leuantes deprimebat. Ita ergo alludit S. Hier. sensum Prophetæ referens, & dicit. Sic est Ecclesia quam Deus lapidem oneris posuit cunctis populis. Diuersimodè illa persecutionẽ patietur, plus & minus ab iis qui eam agitare & de suo loco dimouere conabũtur, sed omnes qui leuabunt eam, subtus cadent, ipsiusque mole & pondere confringentur. Omnis qui ceciderit super lapidem istum cõquassabitur,

Ecclesia terribilis inimicis.
Gen. 28.
Cant. 6.
Zachar. 12.
S. Hieron.
Luc. 20.

sabitur, & super quem ceciderit, comminuet eum. Terribilis hominibus & dæmonibus, cunctisque inimicis eius.

Iosue 6.

Forsitan adhuc expressiùs cuperetis considerare hunc terrorem. In libris Iosue & Regum videre est in Arca Domini, quæ sub duce Iosue multoties circuiens cum clãgore buccinarum vrbem Iericho, septimo die muros euertit. Sic enim est de Ecclesia, in cuius conspectu & doctrina corruunt illicò omnia castra hostium, hæreticorum, atque infidelium, in cuius præsentia corruit, & prostratum iacet idolũ omniũ hæreseon: sicut accidit Dagon iuxta Arcam Domini, lib. 1. Regum. Iacebat enim ante Arcam super faciem in terra, totus confractus, hic caput, illic manus, & ex altera parte truncus solus. Sic est confracta & diuisa hæresis ante Ecclesiã. Denique ante Arcam Domini, hostes filiorum Israël statim fugam perterriti carpebant. Sic enim legimus quod Moyses antequam ad certamen veniret, illam præferre solebat ante se, sursumque attollere, vt esset terrori hostibus, & simul manibus sursum eleuatis dicere Deo: Exurge Domine, & dissipẽtur inimici tui, & fugiant qui te oderunt à facie tua. Hæc igitur Arca, lignea Arca, & quæ tantùm Moysi tabulas, virgam Aaron, & manna continebat, terribilis erat hostibus aliisque fiducia victoriæ. Quomodo iam non magis hostes suos terrebit & fugabit Ecclesia, quæ Deum ipsum præsentẽ habet, atque etiam in veritate cõtinet? Præterquàm quod domus orationis est, gratiæ, auxilij: atq; hinc fidelib. locus refugij.

Arca Domini figura Ecclesia.

1. Reg. 5.

Num. 10.

Ecclesia locus gratia, & refugij.
Isa. 2.

Tertium est quod nunc amplius cõsiderandum occurrit. Isaias dicit: *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & ibunt populi multi, & dicent: Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Ecce in Propheta promissio & descriptio Ecclesiæ. Sic in Psalmista: Introibimus, inquit, in tabernaculũ eius, adorabimus in loco vbi steterũt pedes eius. Ibi steterunt pedes eius, (hic notat Cassiod.) vbi fidei veritas approbatur esse fundata. In hoc enim nobis in æternũ standũ est, vbi plenitudo legis & Prophetarũ Christus Dominus insistit. Nõ inuenitur autẽ Christus nisi in Ecclesia eius. In illa, in qua fides est & doctrinæ veritas, id est, substantia rerum sperandarum. In quã steterunt pedes eius, vt sit columna & firmamentum veritatis; ita vt qui sunt extra eam, expulsi sint, nec potuerint stare, vt ille dixit Propheta. Sed quis huius quæso Ecclesiæ locus? ille locus vbi stant Dei pedes? robur nostrum & tota securitas? vbi fides, doctrinæ veritas, columna veritatis & firmamentum? vbi deniq; Deus nobis in auxilium? Hoc certè Templum est, hoc Oratorium, cultui & ministerio verbi eius dedicatum. Faciẽt mihi sanctuarium, dixit Dominus in Exodo, & habitabo in medio eorum, vt videlicet præsentiæ meæ & diuinæ virtutis magis singulares effectus percipiant. Quod autem apud Israëlitas tabernaculum seu sanctuarium erat, hoc apud nos Templum est & Ecclesia. Tabernaculum istorum consecrauit Deus obumbratione nubis: nostrum verò sua benedictione, præsentia, atque Majestate sanctificat. Vnde ad ipsorum imitationem, & pro tot in hac sancta domo beneficiis acceptis, hanc hodie dedicationem celebramus, scilicet, vt cum gratiarum actione simul omnium recordemur donorum atque communicationum quæ nobis quotidie in Ecclesia fiunt.

Psal. 131.

Cassiodor.

Exod. 25.

Quadruplex Ecclesia.

Quod vt meliùs intelligatur, sciendum est qua-

A tuor esse genera Ecclesiarum, in quibus eiusmodi diuisiones fiunt gratiarum. Vna est in cœlo Ecclesia, quæ dicitur triumphans, vbi Deus communicat se per gloriam beatis. Aliæ tres in terra, militans, materialis & spiritualis. Quæ quidẽ omnes etsi vnitate finis, ordinis, & relationis ad beatitudinẽ, tantùm vna sint, tamen diuersæ sunt, pro differentia functionum & proprietatum: vti in cœlo visio est, & fides in terra: in cœlo gloria & triũphus, in terra verò afflictio & militia: in cœlo fruitio, spes in terra. In vna & in altera tamen mutua est charitatis communicatio, atque in eiusdem amoris vsu perfecta vnio. Igitur quia omne bonum quod recipitur à Deo, in Ecclesia datur & confertur, & non extra: vt

1. Triũphans in cœlo.

B qui gloria perfruuntur, illam tantùm in cœlo, seu in triumphante Ecclesia cõsequuntur, atque recipiũt, nec alibi, propterea enim dixit Apost. ædificationẽ nos habere ex Deo non manu factam, sed æternam in cœlis. In qua beati qui in ea habitant, Domine, quia in sæcula sæculorum laudabunt te. Inebriabuntur enim ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ tu potabis eos. O qualis heu, in cœlo illa est pro tot collatis beneficiis festiuitas! Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei. Ita dicimus in terra, quod in Ecclesia militante omnia merita Christi, & passionis eius recipimus. Iuxta quod Paulus ait, quod seipsum Christus tradidit pro Ecclesia, vt sanctificaret illam, quæ est, inquit,

2. Cor. 5.

Ecclesia militans.

Eph. 5.

C columna & firmamentum veritatis. Item quia saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritussancti, vt mundaret sibi populum acceptabilem & sectatorem bonorum operum. Similiter dicimus. In hoc materiali Templo multa etiam bona & beneficia recipimus, cuiusmodi sunt Sacramenta & administratio verbi Dei: quorum vsui inseruit & consecratur. Præterea etiam locus est, in quo corda nostra & preces ad Deum effundimus, in quo aures eius erectæ sunt, vt nos audiens statim etiam exaudiat. Vnde etiam præsens dedicationis festum in memoriam horum celebratur.

1. Tim. 3.
Ad Tit. 3.

Ecclesia materialis.

Verùm adhuc memoria superest & celebritas vl-

D timi & quarti Templi, scilicet spiritualis, quod est anima nostra, iuxta quod Apostolus dicit: *Nescitis quia Templum Dei sanctum est, quod estis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Propterea S. Bern. sic in nos hodiernam festiuitatem conuertit dicens. Vestra est, charissimi, hodierna festiuitas, quia de Ecclesia vestra, magis autem de vobis ipsis, quia vos dedicati estis Domino, vos elegit & assumpsit in proprios, quibus bene omnia fecit. Et adhuc maximè conuenit ille Christi sermo: Hodie domui huic salus facta est, eo quod ipse sit filius Abrahæ. O Zachæe, ô anima humilis & fidelis, parumper tuum animum in hanc salutem tibi à Deo datam conuerte, & considera tibi factam fuisse quadruplicem, na-

Templum spirituale.
1. Cor. 3. & 6.

S. Ber Ser. 1. de dedicatione.

E turalem, temporalem, spiritualem, & æternam.

Quadruplex salus animæ facta à Deo.

Salus naturalis in tali naturali esse consistit, in dono nempe & gratia imaginis Dei, vt legitur in Gen. *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. Ad cuius considerationem vocat nos S. Chrysostom. dicens. Vide quomodo cùm in nullo Deus ipse indigeat nostri, (in omnibus enim sufficit sibi) tamen cùm non essemus, esse nos fecit, animamque inspirauit talem, qualem nulli ex omnibus animantibus quæ sunt super terram. Et Hugo Victorin. Primùm cogita anima mea, quod aliquãdo non fueris, & vt esse inciperes, eius dono acceperis. O donum admirabile! esse tale accipere quod Dei portet imaginem. Ecce prima salus.

Naturalis salus, & in quo consistit.
Gen. 1.
S. Chrysost. lib. 2. de cõpunct. cordis.

Hugo à S. Victore tract. de arrha animæ.

Secunda

Temporalis salus, & in quo consistat. Secunda dicitur temporalis, quæ in eo consi- A stit, vt omnia creata propter hominem facta sint. Respice hunc mundum vniuersum, ait ille Venerabilis Hugo, & considera si aliquid sit in eo quod tibi non seruiat. Omnis natura ad hunc finem cursum suum dirigit, vt obsequiis tuis famuletur & vtilitati deseruiat. Sic Dauid; *Psal. 8.* Gloria & honore coronasti eum Domine,& constituisti eum super omnia opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius.

Salus spiritualis. De hac salute temporali ad tertiam & spiritualem veniamus. In hac nobis Deus gratiæ atque *S.Bern. Ser. 3. de Ascē.* meritorum dona elargiri solet. Ita Sanctus Bernardus. Quis, inquit, cogitare sufficiat, qualiter rerum Dominus præuenit nos, venit ad nos, subuenit nobis; vt singularis illa Majestas voluerit mori,vt viueremus: seruire,vt regnaremus: exulare, vt repatriaremus, & vsque ad seruilissima opera inclinari, vt constitueret nos super omnia opera sua? Denique quis cogitare sufficit, qualiter nos Christus diligit, vt velit, dilectione, & nostra dilectione, ipse in nobis manere,& nos similiter in illo? sic enim ipsemet ait: Si quis dili- *Ioh.14.* git me, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Si quis diligit me, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, vt postea æternam faciat nobiscum in cœlis. Manete in me, &c. Hæc est nouissima salus & æterna, in qua in æternum perfruemur gloria,omnibúsque Dei bonis.

Interim domum hanc nostram, spiritualem dico, primùm Christo ædificare curemus, decorem *Salus æterna.* eius diligere, & locum habitationis eius gloriæ. Deliciæ meæ, ait, esse cum filiis hominum. Ei igitur domum ædificemus conuenientem. Omnis domus requirit quatuor, fundamentum, parietes, *Domus in quatuor consistit.* tectum, & supellectilem. Pro fundamento fidem habeat; est enim substantia rerum sperandarum: oportetque accedentem ad Deum imprimis credere. Sed fidem in Christum habeat, fidem viuam, omniumque virtutum ornamento instructam. Pro parietibus habeat spem ornatam virtutibus Cardinalibus. Qui enim spem habet, vt S.Iohan. dicit, B sanctificat se, & ad ea quæ sursum sunt, erigit se. Vnde pro tecto charitatem habeat, quæ omnium multitudinem operit peccatorum. Denique pro supellectili, omnia dona Spiritussancti. Sic enim futurum est, vt nobis aliam domum & æternam ædificemus in cœlis: vbi fidei visio respondebit, spei possessio, & charitati æterna fruitio Dei, patris, filij, & Spiritussancti, creatoris omnium, qui est Deus benedictus in sæcula.

Laus Deo, & Sanctorum Regi IESV *Christo.*

CATECHESES CHRISTIANÆ CENTVM ET VIGINTI,

OMNIA COMPLECTENTES QVÆ NECESSARIA sunt ad salutem.

CATECHESES CHRISTIANÆ CENTVM ET VIGINTI, OMNIA COMPLECTENTES QVÆ NECESSARIA sunt ad salutem.

De vtilitate ac necessitate instructionis Christianæ.

ON mirum si mysteriorum & beneficioru IESV Christi obliuiosi facti, de tanta erga eius obsequium negligentia,& impietate accusemur. Non mirum si tam facilè in superstitionem labātur,atque in errorem inducantur Christiani. Ratio est, quia verbi non sunt auditores,nihil,aut parum de doctrina Christi,aut Christiana institutione audierunt, vnde equidem tam exiguum in religione fundamentum habent, vt ad minimam etiam quæstionem obstructum sit os eorum, muti appareant, atque etiam parati eam deserere pro leuissima occasione videantur,similes Esau, qui pro lentis edulio primitiua sua vendere paruifecit. Hic itaque imprimis est sciendum, neminem absque instructione Catechismi,seu doctrinæ Christianæ, firmum esse & constantem in fide. Sicut enim artifex in arte sua perfectus non est,nisi sciat principia artis : ita Christianus nullus perfectus est,nisi per instructionem Catechismi,principia fidei & institutionis Christianæ continentis; vndè tantum discrimen est inter catechizatum & illum qui non est,quantum inter doctorem & eum qui prima alphabeti elementa nescit. Adeò igitur necessaria est illa instructio,vt in ea sit omne fundamentum fidei & nostræ salutis, dicente Apost. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? Ergo fidès ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Qui ergo non fuerit instructus, aut non audierit, ignorans erit. Omnis autem ignorans, sicut Scriptura dicit, ignorabitur, id est, omnis ignorans Deum, à Deo ignorabitur. *Hæc est vita æterna*, inquiebat Christus, *vt cognoscant te solum Deum*, &c. cognoscant te non quidem simpliciter, id est, solùm per intellectum cognoscant; sed etiam per affectum, videlicet te ament : sicut Dauid tale dedit initium huic versiculo Psalmi sui; *Gustate, & videte quàm suauis est Dominus*. Sic enim Deum nosse sūma iustitia est.

Gen. 25.
Absque instructione nemo firmus in fide.
Similitudo.
Rom. 10.
Ioh. 17.

A

B

C

Ideo igitur instructionem Christianam dicimus absolutè necessariam esse ad salutem, quia omnia continet quæ de Deo & scienda & credenda sunt,vt ametur;in quo equidem nostra est perfectio & vltimus finis. Ad hoc enim cum Angelis nati & conditi sumus, sicut ait Magister Sētentiarum, quod omnis rationalis creatura creata est vt Deum cognosceret,cognoscendo amaret, amando possideret, possidendo sua Deitate frueretur. Ecce ordo, ecce finis, Deum nosse, amare, ei seruire, & postea illo frui; hæc summa est perfectionis. Primò inquam debet agnosci, quia summum bonum est, sicut Apostolus dicit, quia accedentem ad Deum oportet imprimis credere, &c. Sine ipso enim nulla est requies, vt testatur in Confessionibus Sanctus Augustinus dicens. Fecisti nos ad te Domine, & inquietum est cor nostrum donec conquiescat in te. Secundò, sic cognitus, etsi non videatur, summopere est amandus. Est enim hoc discrimen inter incognita & inuisa,quod nondum visa diligere possumus, nunquam verò incognita. Quare cognoscitur Deus vt ametur.

Necessitas Christianæ instructionis.
lib. 1. cap. 1.

Rationes amandi multæ & infinitæ sunt, quia omnium creator est, conseruator, author gratiæ, munerum dator & redemptor,&c. Testimonia autem amoris,obsequium,operis exhibitio,& obseruatio mandatorum eius. Non enim qui credit,aut cognoscit Deum, sed qui obedit est seruus fidelis, vt in exemplo subditorum Regum & Principum videre est. Vnde ait Christus: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Qui habet mandata mea, & seruat ea, hic est qui diligit me.* & rursus : *Non qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei*, &c. Ecce igitur in quo summopere necessaria est Christiana institutio, eo quod omnia quæ ad notitiam, amorem, atque Dei obsequiū spectant, cōplectatur & doceat,

videlicet mysteria fidei, spei, charitatis, atque media cuncta ad gratiam. Quæ omnia in quatuor illis partibus comprehenduntur, videlicet Symbolo fidei, Oratione Dominica, decem præceptis & Sacramentis. Hæc sunt enim maiora atque potiora capita Christianæ instructionis, quorum necessitatem S. August. demonstrat exemplo & similitudine domus, quæ suo fundamento constat, eleuatione parietum, tecto, & vtensilibus necessariis.

S. Aug. Ser. 22. de verbis Domini.

Igitur satis superque de necessitate Catechismi, seu instructionis Christianæ ad salutem diximus. Cùm enim triplex sit Dei cognitio, vna naturalis, altera fidei, & tertia claræ visionis in cœlo; nihil vtique prodest naturalis, vt beati simus in terra; sed fide opus est, sicut in cœlo visione clara. Iam verò non nisi per instructionem datur fides. Est enim fides ex auditu, ait Apostolus, auditus autem per verbum Christi. Quomodo autem audient sine prædicante? Rursus ergo necessitatem instructionis aduertite ex ipsius Apostoli verbis. Huius verò instructionis nomen commune est Catechismus, qui fundamentum est fidei, sicut fides diuinæ & supernaturalis cognitionis, cognitio amoris, amor autem fruitionis & bonitatis infinitæ Dei; qui & agnosci & amari vult à nobis, vt, quemadmodum inter amicos omnia communia sunt, ita mutuò ex eo omnium bonorum participationem recipiamus, & ipse à nobis gloriam & sanctificationem, cùm eius voluntatem facimus. Adeò vt qui eam in terra exequitur, iam eius fruatur amore & pace, quæ in vnione diuinæ voluntatis cum humana consistit; sicut aliquando pastoribus dixit Angelus: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Rom. 10.

Vtilitas Catechismi.

Luc. 2.

Ecce demum cum necessitate Catechismi vtilitas, qui cùm nihil aliud sit quàm instructio & summa doctrinæ Christi, propterea illos decet maximè qui ipsum cognoscere dicunt, & profitentur, nomineque ac titulo Christiano gloriantur. Iam ergo & priusquàm ad explicationem partium huius instructionis veniamus, scilicet, Symboli, Orationis Dominicæ, Decalogi, & Sacramentorum, sciendum est, quis sit dicendus Christianus.

De nomine Christiani.

Catechesis I.

NOMEN Christiani, quo vt filij Ecclesiæ omnes gloriamur, satis vnumquemque nostrûm admonet suæ professionis, & vt memor sit cuius magistri est discipulus, cuius Domini seruus, cuius patris est filius, & cuius capitis membrum. A Christo dicimur omnes Christiani, nomine à chrismate deducto. Non solùm vnctum est caput nostrum, sed & corpus eius vnctum est: vnde nos qui ipsius membra sumus, gratiæ eius atque vnctionis participes effecti, Christiani nuncupamur, vt etiam glorificemus Deum in isto nomine, si & in eo Christi bonus odor simus. Christus ab ipso conceptionis momento præ participibus suis oleo lætitiæ vnctus est, id est, donis omnibus Spiritussancti, quibus mundo lætitiam attulit, vt in Isaia dicit: Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit Dominus me. Deinde sanguine proprio in Cruce vnctus est, qui verè est hominibus oleum lætitiæ atque misericordiæ. Denique & à suis vnctus est, vt à Magdalena, quæ libram accepit vnguenti nardi

Christus tribus modis præ cunctis vnctus est. Isa. 61.

Ioh. 12.

A pistici pretiosi, & vnxit pedes IESV, & domus impleta est ex odore vnguenti. Christus Dominus vnctus à patre, vnctus à seipso, etiam vngi postulat & à nobis, sed quo vnguento? nardi pistici, fidelis ac synceri, id est, operibus nullo peccati fuco corruptis, sed in veritate nos ipsum moribus & vita profiteri demonstrantibus. Nemo enim propriè Christianus dici potest, nisi qui Christi est: inde nomen, inde & nominis veritatem trahimus, sicut optimè Christianum in Summa definiuit Doctor Angelicus. Christianus, ait, ille dicitur qui Christi est: dicitur autem aliquis esse Christi, non solùm ex eo quod habet fidem Christi, sed etiam ex eo quod spiritu Christi ad opera virtuosa procedit, &

B ad imitationem eius, peccatis moritur, iuxta illud Apostoli. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*

Vnde & quomodo quis dici potest Christianus.

2. 2. q. 124. art. 5. ad 1.

Gal. 5.

Ecce in quo solùm & verè hoc nomine gloriari possumus, quod quidem omnium præstantissimum est. Ita S. Chrysost. Vno omnes appellamur nomine Christiano, scilicet omnium maximo & præstantissimo, cum quo & filij Dei, & amici, & corpus dicti sumus. Nam & in hoc tantùm nomine Ecclesia est, cui etiam illud Isaiæ conuenit iuxta glossam: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit*; nomen nouum, id est, Christianum, quod ignotum fuerit antiquis, nunc autem à IESV Christi Saluatoris nostri appellatione deductum, &

C miris in toto terrarum orbe celebratum laudibus, Iudæi nomen suum à Iuda homine habuerunt: Israëlitæ ab Israël, videlicet, Iacob. Nos autem à Christo, non ab homine puro, sed ab homine-Deo; non ab Angelo, aut Archangelo, sed omnium Angelorum & Archangelorum Deo. Non denique ab Apostolis, qui Christum prædicauerunt, nomen suum fideles acceperunt, sed ab ipso Christo Christiani appellari cœperunt, nimirum, Antiochiæ vt in Actis legitur, vnde postea semper nomen est asseruatum. Sic enim exinde retulit S. Athanas. orat. 2. contra Arrian. quod nunquam populus ab Episcopis suis, sed à Domino in quem creditum fuit, nomen accepit. Certè, inquit, à beatis Apostolis

Isa. 62.

Quomodo nomen nouũ Christianum est, & de Ecclesia dicitur.

Act. 11.

S. Athanas. orat. 2. contra Arrianos.

D præceptoribus nostris, ministrisque Euangelij Seruatoris nostri appellationes adepti non sumus, sed à Christo Christiani & sumus, & nuncupamur. Illi verò qui aliunde originem suæ fidei deducunt, meritò authorum suorum cognomenta, vt ad quos pertineant, præ se ferunt, vt Marcionistæ à Marcione, Manichæi à Manichæo; Arriani ab Arrio; Valentiniani à Valente; Nouatiani à Nouato; Simoniaci à Simone, & alij eiusmodi.

Nos ergo per Christum gloriamur nomine nostro, vt secundum illud ita & laus nostra sit in fines terræ, dummodo nomini veritas vitæ respondeat. Christianus enim mihi nomen est, Catholicus verò cognomen, illud me nuncupat, istud ostendit. Vn-

E de S. Hieron. ad Nepotianum. Christiane disce nomen tuum interpretari. Magna vtique nostra est ruditas, vt cùm tam præclarum nomen habeamus, ipsum tamen ignoremus, intelligere parum curemus, minusque etiam huic respondere. Multum nouerat qui & tantopere illo gloriabatur ille Martyr inclytus, de quo mẽtionem facit Euseb. qui tãta celsitudine animi & constantia Ethnicis resistebat, vt ne nomen quidem suũ, vel gẽtis, vel Ciuitatis, neque vtrũ seruus, an liber esset, illis vellet dicere; sed tantùm ad omnia rogata & interrogata respõderet, Christianus sum; illúdque solùm iterum ac sæpius pro quacunque re, nomine, ciuitate, aut genere eloqueretur, Christianus sum. Hoc item nomine Blan-

d ina

Nomen proprium Christianus, cognomen Catholicus.

Euseb. lib. 5. histor. Ecclesiãst. c. 1.

dina inuicta Martyr Lugdunensis omnia tormenta A sua superabat, leuabat, vires colligebat, cui denique omnium dolorum, quibus vrgebatur, summa & sola leuatio erat, verborum istorum prolatio, Christiana sum.

Magna res, & magnum nomen est, Christianos & esse & nominari. Hoc quidem omnia alia nomina & cognomenta superat, quæ vel à parentibus, vel à nobis ipsis, id est, à propriis vitæ studiis & actionibus egregiis accipimus. Hoc itaque nomine sancto gloriemur, sed ita, vt Christianum istud nomen, Christi, à quo ducimus, imitatione exornemus. Si quis, ait S. Chrysost. Principis cuiuspiam, aut alterius clari viri nomen sortitus est, cùm id audit, tumet, & magnæ id sibi gloriæ arbitratur, at- B que ne illi, à quo nomen accepit, sua negligentia infamia inuratur, pro viribus adnititur. Quid nobis faciendum est, qui non terrenæ alicuius potestatis, sed ipsius omnium Regis nomine appellari dignati sumus? nonne animam nostram ita instituemus, vt non afficiatur infamia, qui tanto nos honore prosequutus est? Si ergo, ô homo, vt nomen dicit, Christianus es, Christum Deum imitare, noli vacuum ferre nomen atque inane, sed tanti mensuram nominis imple, imple operibus dignis nomine. Vis itaque iam scire quis sit Christianus, audi. Ille est qui Baptismi Sacramento initiatus, IESV Christi veri Dei & hominis salutarem doctrinam in eius Ecclesia profitetur; neque vllis sectis & opi- C nionibus ab Ecclesia Catholica alienis adhæret.

S. Chrysost. hom. 18. in Iohan.

Quantum debet nomini respõdere vita Christiani.

Quis dicēdus Christianus.

Hic, tres necessariæ conditiones inueniuntur. Prima est, vt sit baptizatus, videlicet, Baptismo Christi, in aqua & Spiritu sancto, de quo ipse Nicodemo dixit: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* & explicans se magis: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Ita vt per illum in Baptismo homo sit verè incorporatus Christo & Ecclesiæ, id est, factus membrum vtriusque, Apostolo dicente; *Nescitis quia vestra corpora membra sunt Christi?* & paulo post: *Quia membra* D *vestra Templum sunt Spiritussancti, & non estis vestri?* Vnde hoc? quia tunc certè renascimur Christo in quo noua creatura efficimur.

Tres conditiones necessaria.

Ioh. 3.

Duplex est hominis natiuitas. Vna quæ naturalis dicitur & corporalis; per quam ex Adamo nascimur natura filij iræ, sicut dicebat Propheta de se: Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Altera est gratiæ, quæ spiritualis dicitur, scilicet in Christo per Baptismum, per quam denuò renascimur & adoptionem filiorum Dei accipimus, in quo & clamamus, Abba pater. Hoc quidem ius amiseramus in Adamo, sed in Christo recuperauimus, cuius meritorum fructus atque vsus reperitur in Baptismo, vbi effectus per- E cipitur passionis eius, sicut Apostolus dicit: Quicunque baptizati sumus in Christo IESV, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Vnde postea sic nos exhortatur; Et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo IESV Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. Et alibi; Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.

Duplex hominis natiuitas.

Rom. 6.

Gal. 3.

A Ecce in quo est necessitas Baptismi. Christum induistis, ait, ad distinctionem catechumenorum & eorum qui licet edoceantur & credant in Christum, nondum tamen induerunt, nec Christiani sunt, nisi baptizentur, & Christi, Ecclesięque membra fiant. Ita autem Baptismus est necessarius, vt licet sine eo nullus dici queat Christianus, tamen nisi cætera adsint, etiam huius nominis veritate nullus gaudere valeat. Nam adhuc necessaria est absolutè quæ sequitur secunda conditio, nimirum profiteri doctrinam IESV Christi, quæ est lux vera, columna & firmamentum omnis veritatis.

Differentia inter catechumenũ & Christianũ.

2. Conditio necessaria vt aliquis dici queat Christianus.

Quæretis autem quid sit hanc salutarem doctrinam profiteri. Dico ergo esse, eam corde credere, B & ore confiteri solam esse veram atque salutarem; veram, quia Christi est, id est, non puri hominis, vt Aristotelis, Platonis, aut Caluini errorem disseminantis, sed hominis-Dei: non humanam & terrenam, sed cœlestem & diuinam, vt eam magis amplectaris. Quæ ideo sola dicitur salutaris, vtpote quæ salutem & vitam affert obseruantibus, & sine qua non est salus. Propterea inquiebat; Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. & rursus: Si quis sermonem meum seruauerit, non videbit mortem in æternum. Ad distinctionem igitur aliarum dicitur Christi, quia ipsemet nos eam edocuit, propter quã & venit, nec alium quàm ipsum, C non Angelum, sed vnigenitum pater in hunc mundum misit; sicut ipse ait: Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat, non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum. Vnde qui credit in me, credit in eum qui misit me. Ita enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Quid sit profiteri doctrinam Christi.

Ioh. 8.

Ioh. 14.

Ioh. 12.

Ioh. 3.

Ecce quo pacto ipse Dei filius præceptor noster, Doctor, & Magister esse voluit, vt nos ad sui notitiam perduceret, quam sine eo numquam habuissemus, cùm supra nos sit. Verùm quonam modo hodie illam ab eo accipimus, qui minimè nunc D per semetipsum loquitur? Ex verbis ipsissimis quæ ad suos primùm loquutus est habemus: illi enim, scilicet Apostoli, annuntiantes retulerunt nobis, sicut adhuc scriptis suis postea nobis in Ecclesia integram reliquerunt, vt essent fidei nostræ regula. Hoc enim pacto à Christo ad nos vsq; peruenit diuinus sermo. Vnde tertiam hanc conditionem addidimus, profiteri in Ecclesia, extra quam non est veritas, extra quam qui alicui adhæret doctrinæ, falsitati adhæret.

Quomodo nunc in Ecclesia doctrinam Christi profitemur.

Nostra igitur tertia conditio hæc est, vt nullis sectis & opinionibus ab Ecclesia Catholica alienis cõsentiat, aut adhæreat, alioquin minimè Christianus dici potest. Doctrinam Christi in Ecclesia, E & non extra illam profiteri debemus, in Ecclesia, quę vna est, Catholica & Apostolica, cuiusmodi est Romana. In Ecclesia, inquam, in qua demum filius Dei loquitur nobis per Spiritum sanctum quem promisit ei, & dedit in æternum. Cùm venerit, inquit, Spiritus veritatis, ille vos docebit omnem veritatem. Ecce autem ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, scilicet, meo Spiritu qui permanet in vobis. Ecce ergo quid requiritur, vt aliquis sit & dicatur Christianus, nimirum, vt non quouis modo doctrinam Christi post Baptismum profiteatur, sed in Ecclesia Romana quæ vna est, Catholica, & Apostolica, in Ecclesia, dico, extra quam veritas non est, nec salus. Quis-

3. Conditio necessaria.

S. Aug. Ser. 81. de temp. quis ille eſt, inquit S. Aug. Chriſtianus non eſt, qui in Eccleſia Chriſti non eſt. Quare minimè dicendi ſunt hæretici Chriſtiani, etiamſi baptizati ſint, quia extra Eccleſiam, fide Chriſti priuati ſunt, quæ non niſi in Eccleſia haberi poteſt. Nam licet illi per baptiſmum membra Chriſti facti fuerint, tamen mortua, putrida & à corpore diuiſa ſunt. Catholici ſoli viua membra ſunt Chriſti, ſana & cohærentia; vnde & Chriſtiani dicuntur, quia in Eccleſia ſunt, in qua profitentur vita & moribus doctrinam Chriſti, vnde & per eam adhuc filij Dei dicuntur & cohæredes IESV Chriſti.

Diuerſimodè hæretici nomina ſua ſortiuntur. Quomodo verò hæretici appellantur? Iuxta profeſſionem ſuam & doctrinam erroris, alij Caluiniſtæ, alij Lutherani, alij Anabaptiſtæ, alij Ariani, non verò Chriſtiani, quia extra Eccleſiam, doctrinam Chriſti & fidem minimè profitentur, licet contrarium iactitent. Fides enim & doctrina ſalutis nonniſi in Eccleſia eſt, quæ Petri eſt. In hanc nauim Chriſtus aſcendit vt doceret turbas, Luc. 5. in eaque ab eo profunditas myſteriorum auditur, Petro dicente, duc in altum. Itẽ nec illi veri habentur Chriſtiani qui hæreticos libenter audiunt, atq; libros eorum legunt. *Oues meæ*, ait Dominus, *vocem meam audiunt, alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo.* Ioh. 10. Ille itaque ſolùm Chriſtianus eſt & agnoſci debet, qui baptizatus, doctrinæ Chriſti tantummodo in Eccleſia adhæret, qui ſpiritu Chriſti ad opera ſancta procedit, qui ad imitationem eius peccatis moritur, nomen ſuum vacuum non reddit, ſed implet menſuram eius, atque dignitatem dignis nomine operibus. Memores ergo ſimus omnes nominis noſtri, & in veritate illo gloriemur. Solebat ſummus Pontifex nomina duodecim Patriarcharum ferre inſculpta lapidibus pretioſis: ſed nos debemus nomen quod non à Patriarchis, ſed à Deo Chriſto accepimus, quaſi gemmis inſculptum ferre operibus homine Chriſtiano dignis. *Ex nomine Chriſtiano magna tenemur operari.* Regium nomen habemus, quod ideo à nobis regium animum charitate plenum, fide, rerumque æternarum atque diuinarum meditatione illuſtratum, omnia denique regia, & non vilia, abiecta & caduca, expoſtulat. O Chriſtiane, regij tui nominis dignitatem intuere & tuere, & tam nobili appellatione ad præclara opera excitare.

De ſigno Chriſtiani.

CATECHESIS II.

ANTIQVAM fidei noſtræ regulam certiſſimam tradamus, traditam nobis ab Apoſtolis fidelibus miniſtris & diſpenſatoribus myſteriorum IESV Chriſti, qui ea quaſi collecta in vnum in ſuo Symbolo comprehenderunt, ſermonem hunc de externo Chriſtiani ſigno inſtituemus. Iam enim de Baptiſmo ſigno indelebili & interno loquuti ſumus, quo ab infidelibus diſtinguimur. Nunc ergo de externo, videlicet Crucis ſigno, quo demum & viſibiliter ab iiſdem, aliiſque ab Eccleſia alienis diſcernimur, in quo & nos gloriamur, eſt dicendum. Hoc enim ante omnia expedit & eſt neceſſe, tum quia nota eſt fidem Catholicam profitentis, inſigne & quaſi vexillum glorioſum militiæ Chriſti: tum quia præcipua in ſe myſteria continet, quæ abſolutè neceſſarium eſt ſcire, & optimum ſaltem ea A ſummatim intelligere, antequam ad omnium ſeriem & diſtinctionem quæ in Symbolo reperitur, veniamus.

Imprimis ergo tria hîc de Cruce dicenda occurrunt. *Tria de Cruce Chriſti cõſideranda. 1.* Primum eſt, quantum venerabile ſit hoc lignum ſacrum & verum in quo Chriſtus pro nobis pependit, & mortuus eſt pro noſtra omniúmque ſalute, ex eo maximè quod non caſu, aut inuitus, vel etiam propter aliqua ipſius peccata, Cruci eſt affixus: ſed ipſe ſponte ſua & voluntariè hanc elegit, & elegit vt altare eſſet ſummi ſacrificij, quo *Ad quos vſus Crucẽ ſuam Chriſtus elegit.* Deus placaretur pro peccatis populi, vt ſibi ipſi ſcala eſſet ad regnum; vt inſtrumentum eſſet liberationis generis humani, ac tandem gladius eſſet B quo diabolum vinceret: & de eo ſicut de peccato glorioſè triumpharet. Ex quo equidem ſequitur, *Multiplex excellentia Crucis.* Crucem illam veram à Deo mirificè fuiſſe honoratam, & nobis etiam omnibus amabilem eſſe debere & venerabilem.

Quod ſponte Deus eam elegerit, patet ex Iſaia Iſa. 53. dicente; *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*: ex Euangelio, vbi ait; *Ego pono animam meam*, &c. Ioh. 10. Quod fuerit ara ſummi Sacerdotij, ex eo patet quod Chriſtus Heb. 7. ipſe crucifixus ſummus Pontifex, & ſummum ſimul ſacrificium extitit. Quod illi ſcala fuerit ad regnum ſuper omnes gentes, ex eodem probatur dicente: *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*; Ioh. 12. ſicut ex teſtimonio Apoſtoli eius di- C centis, humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis: Phil. 2. propter quod & Deus exaltauit illum. Quod item fuerit inſtrumentum liberationis noſtræ, colligitur ex multis figuris. Ex ligno vitæ in medio paradiſi, ex lignea Arca Noë domum eius ſaluante, ex ligno in aquas amaras iniecto, & dulces reddente: præcipuè verò ex æneo ſerpente, de quo ipſe Chriſtus Nicodemo loquutus eſt. Denique quod Crux fuerit gladius atque inſtrumentum quo vicerit diabolum de eo triumphans, ſatis patet, ſatiſque declarat Apoſtolus eius dicens, quoniam delens quod Coloſſ. 2. aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens D illud Cruci, & expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo. Origenes dicit duos fuiſſe in Cruce affixos, Chriſtum viſibiliter, ſponte ſua & ad tempus: Orig. hom. 8. in Ioſue. diabolum autem inuiſibiliter, inuitum & in ſempiternum eius opprobriũ. Quod ex iſto loco Apoſtoli probat, vtens metaphora triumphi, & indicare volens Crucem currum triumphalem, in cuius *Triumphus Crucis.* ſumma parte Chriſtus ſedet triumphans, & in ima trahitur diabolus alligatus, & oſtentatur quaſi in pompa.

Ecce Crucis gloria, ecce nominis Chriſtiani fundamentum in montibus ſanctis, lignum in quo per Chriſtum filij Dei ſumus geniti, Chriſtianorũ E nobile vexillum adorandum à cunctis; adeò vt S. Hieron. exponat de Cruce illud Pſalmi, *adorate ſcabellum pedum eius.* S. Hieron. in Pſ. 98. Hac ſiquidem diuina diſpenſatione factum eſt, vt ad venerandum illud debito & *Quam ob cauſam lignum Crucis aſſeruatũ atque inuentum eſt.* digno honore, nobis Deus illæſum atque integrum ſeruauerit, non permiſerit in mare demergi, vel abſumi flammis, atque etiam eo tempore voluerit inueniri, quo poterat tutò coli, ſcilicet, ad initium Imperij Conſtantini, & non ante, quo tempore regnabant ac ſæuiebant in Chriſtum perſecutores: ſed cùm primùm potuit coli, inueniri fecit, atque etiam miraculis inſigniuit, & tanto honore apud omnes commendauit, vt habendi, vel etiam videndi aliquas eius particu

particulas, sancto desiderio teneantur. Quod certè ad honorem eius multum facit, hocque imprimis iam in suis Catechesibus Sanctus Cyrillus asserebat, nimirum, ex ligno Crucis Hierosolymis inuento totum mundum repletum, plurimis inde particulas petentibus & impetrantibus. Ecce quod primum de vera Cruce dicendum occurrit.

S. Cyrill. Catech. 10.

2. Quod in Cruce considerãdum est.

Secundum est de ipsius etiam honoranda imagine, scilicet ad similitudinem eius facta, in qua Christus pependit. Ex eo enim conueniens ratio ostenditur cur item à nobis honorari debeat, quæ nostræ imago est redemptionis. Est illud insigne Beati Euangelistæ, *tunc parebit signum filij hominis in cœlo*. Inde igitur digna honore est, quoniam & ab ipso Christo vocatur signum eius, id est, vexillum. Si autem Imperatoris vexillum à militibus colitur, quare Crux Christi vexillum non adorabitur? Præterquàm quod adhuc apparebit in cœlo, loco sublimi & honorifico, Angelorum manibus gestabitur, coruscabitque miris splendoribus, quando Sol, Luna & stellæ obscurabuntur. Hoc signum & vexillum militiæ nostræ Christianæ iam Christus magno Imperatori Constantino gloria & triumpho decoratum ostendere voluit, cui, vt vult Eusebius, apparuit Crux lucidissima in aëre, non in somno, vt vult Sozomenus, sed vigilanti, & dum iter cum toto exercitu faceret, cum verbis istis, *ἐν τούτῳ νίκα, in hoc vince*. Neque verò ei dictum est frustra, in hoc signo vince, vt ex tot postea constat victoriis, adeò vt etiam labarũ suum, nempe militare vexillum, auro intertextũ, coruscans gemmis, ante se gestari, & à turba militari adorari solitum iusserit pius Imperator in Crucem conuerti, & hoc signo illustrari, vt milites Crucem venerari assuescerent: porrò hoc vexillum & labarum Cruce insignitum in prælus semper deferri ad eam partem agminis quæ magis laborabat, referente Eusebio, quocunque accessisset labarum, solitam mox sequi victoriam; vnumque memorabile addit ille, quod is qui in prælio labarum deferebat, cùm aliquando metu hostium irruentium illud reliquisset, statim necatus est. Qui autem de manu abiicientis suscepit, numquam postea feriri potuit, etiamsi in eum innumerabilia tela coniecta fuissent; omnia enim (mirabile dictu) in hasta Crucis infigebantur.

Matth. 24.

Vnde & quãtum Crucis imago veneranda sit.

Euseb. de vita Cõstant.

Crucis virtus admirãda

Ecce vtique signum in quo vincimus omnes; absit modò, absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi. Sed quid præterea fecit iste sanctissimus Imperator? Ex Sozomeno, statim atque Magentium deuicit, in loco celeberrimo Crucem erexit his verbis: hoc salutare signum; & rursum in dextera manu statuæ suæ Crucem apponi iussit, cum verbis istis: hoc vno veræ fortitudinis signo vrbem vestram liberaui. Deinceps cauens decreto ne vlli facinorosi Cruci affigerentur, vt Crux amplius non esset horrori, sed amori & venerationi omnibus. Signum honorificum est Christianorum, in quo gloriantur, militant pro Christo, & superant.

Sozom. lib. 1. cap. 4. & 8.

Pietas & deuotio Constãtini erga Crucem.

Quare non superest vt ad tertiam considerationem Crucis veniamus, quæ ad ipsum signum spectat, quo etiam ex deuotione & religionis spiritu muniri solemus, ad omnia enim se extendit virtus Crucis, ita vt etiam signum quod vel in fronte, vel in aëre formamus, vel adhuc super res quascunque digito exprimimus, sacrum sit & salutiferum. Quod primò ex figuris veteris Testamenti ostendimus. Sanguis enim agni in postibus domorum, ex Sancto August. de catechizandis rudibus, nihil aliud significabat quàm signum Crucis in frontibus Christianorum. Et littera Tau apud Ezechielem pariter, quam iussit Dominus Angelo signare super frontes gementium. Sed quid de benedictione Iacob dicam, qui cancellatis manibus suis, benedixit filiis Ioseph, signans tempus fore quo benedictiones signo Crucis fierent? Sed in Apoc. quid dicit Angelus: *Nolite nocere terra & mari, neque arboribus, quoad vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.*

3. Quod in Cruce considerandum superest.

Signũ Crucis in omnibus salutiferum.

S. Aug. lib. de catech. rud. cap. 20.

Ezech. 9.

Gen. 48.

Apoc. 7.

Sed iam vsum, fructum & rationem huius consuetudinis sanctæ videamus. Tertull. lib. de corona. Ad omnem, inquit, progressum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubicula, ad sedilia, quomodocunque nos conuersatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Quare? quia certè in hoc signo gratia Dei & virtus est, salus quoque & redemptio nostra, contra hoc signum portæ Inferi non præualebunt. Adeo vt etiam S. Epiph. scribat, quemdam Iosephum nondum Christianum signo Crucis dæmones expulisse, & deinde Christianum factum, eodem signo incantationes Iudæorum destruxisse. Et de Iuliano, licet apostata, quid refert Gregor. Nazianzenus: Ipsum cum spectra quædam horrenda videret dum necromantiam suam operaretur, signo Crucis se muniuisse, & mox spectra omnia euanuisse. Ecce etiam in malis atque inimicis Crucis fructus Crucis. Vsus ergo & sanctus & antiquissimus est, nobis & pietatem veterum commendans, atque etiam constantem Ecclesiæ consuetudinem: præterquàm quod adhuc in hoc signo multiplex nobis oritur fructus.

Vsus signãdi se signo Crucis.

S. Epiph. hæresi 30.

Gregor Nazian. orat. 1. in Iulian.

Multiplex fructus in signo Crucis.

Primò enim inde excitamur ad gratam continuámque memoriam summi mysterij ac beneficij, quod nobis in Cruce & peractum & donatum est. Secundò, ad veram gloriam & totius salutis nostræ anchoram in Cruce Domini nostri desigendam. Tertio, testamur exinde nos cum inimicis Crucis nihil habere commune. Quartò, hoc signo prouocamur ad patientiæ studium, vt si gloriæ æternæ cupidi simus, Crucem & vitam crucis post Christum amplectamur. Quintò, petimus hoc signo arma & victoriam aduersus sathanam, olim Crucis virtute perfractum. Sexto denique, vt felicius & cum benedictione ordiamur, maioremque in rebus agendis, negotiisque nostris successum experiamur cum illo trophæo Crucis. Inde enim scribebat ad Eustochium S. Hieronym. Ad omnem incessum manus pingat Domini Crucem. & ad Demetriadem; Claudas cubiculum pectoris, & crebro signaculo Crucis munias frontem tuam.

S. Hierony. epist. ad Eustoch. & Demet.

Verùm si rationem spectemus, hanc quidem inuenimus cur signum adhuc Christiani nuncupetur, quod nimirum in illo memoria præcipuorum mysteriorum fidei nostræ habetur. Illa autem quatuor sunt, vtpote mysteria vnitatis Dei in Trinitate, Incarnationis, Redemptionis, & extremi Iudicij. Quæ simul cum formatione signi, & verborum istorum prolatione, In nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, inueniuntur. Primum omnium mysterium est Sanctæ Trinitatis, in quo principium continetur & finis vltimus hominum. Principium est in creatione, sic enim habetur in Genesi, quod in principio creauit Deus cœlum & terram, ipsumque hominem fecit ad imaginem suam. Finis vltimus, quia item hominis felicitas tota in cognitione & amore Dei consistit, vt in se est, vnus in essentia & trinus in personis, Domino ipso dicente; *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te*

In signo Crucis habetur memoria quatuor præcipuorũ mysteriorũ fidei.

Mysterium Trinitatis.

Gen. 1.

Ioh. 17.

ſolum Deum verum, & quem miſiſti IESVM *Chriſtum.* A Nunc autem dicere & explicare, quid ſit illa vnitas & Trinitas in Deo, non intendit animus, quia paulatim, atque in progreſſu à nobis explanabitur, ſed modò ſufficiet ſcire nomina, atque quomodo poterimus intelligere myſteria.

Pro hac itaque vnitate in Deo eſt ſciendum, vnum quid eſſe præter & ſuper alia omnia, quod initium non habet, & dedit cæteris, cuncta regit, præeſtque omnibus, quod in ſe perfectiſſimum & abſolutiſſimum eſt; & hoc Deus eſt, qui vnus eſt, & non multi. Quia tantùm vna eſt eiuſmodi natura & Diuinitas, quæ cùm eadem penitus inueniatur in tribus perſonis, etiam vocatur Trinitas, ratione diſtinctionis perſonarum quibus B communicatur illa & eadem, & cuius etiam ratione tres illæ perſonæ ſunt vnus atque idem Deus, vt in exemplo & ſimilitudine Solis videri poteſt, reſpectu corporis, luminis, & caloris, in quibus omnibus Sol vnus eſt. Item animæ, reſpectu memoriæ, intellectus, & voluntatis, quæ quidem facultates ſeu proprietates ſimul nihil aliud ſunt in ſubſtantia, quàm ipſa anima, quæ recordatur, intelligit, deſiderat. Item Pauli, Iohannis, & Petri, qui ſi vnum tantum corpus & animam haberent, (quod quidem ex impoſſibili ſupponimus,) iſti tres vnus eſſent homo, & tamen diſtincti abinuicem remanent. Quod autem his tribus non conuenit propter eorum eſſe finitum, tribus certè conuenit perſonis C in Deo propter eſſe infinitum. Et hoc ſufficiet modò pro illo myſterio, vt breuiter alia commemoremus.

Exempla

Myſterii Incarnationis.

Secundum igitur myſterium, etiam præcipuum, Incarnatio eſt, in qua certiſſimum medium continetur perueniendi ad primum. Tertium quoque Redemptio eſt, quæ liberationem noſtram continet & pretium futuræ gloriæ. Denique quartum, Iudicium eſt extremum, in quo huius gloriæ retributio erit, felix & interminabilis aſſecutio.

Redemptionis.

Iudicij vltimi.

Iam verò illa ſingula myſteria nobis in Crucis ſigno repræſentantur, cùm enim in formando dicimus, in nomine ſingulari patris, & filij, & Spiritusſancti; in Trinitate perſonarum denotatur vni- D tas eſſentiæ, & naturæ, potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis, & vt vno verbo dicam, Diuinitatis, quæ vna eſt in tribus perſonis. Faciendo Crucem, ſignû denotatur Redemptionis, & per conſequens Incarnationis myſterium, quia qui mortuus eſt, homo antè factus eſt. A ſiniſtra etiam ducendo ad dextram, myſterium repræſentatur Iudicij, in quo nos ſperamus à ſiniſtra mortis, ducendos ad dextram vitæ & ſalutis. Præterea, in ipſa adhuc formatione Crucis, à capite incipiendo, patrem denotamus principium diuinarum perſonarum: deſcendendo ad pectus, filium, qui è ſinu patris deſcendit ad vterum virginis. Ecce Incarnatio, qua docemur, filium ſecundam in Trinitate perſonam, præter E ſuum eſſe æternum, adhuc in tempore naturam noſtram aſſumpſiſſe in vtero virginis, ſicque incepiſſe, qui ab æterno Deus erat, Deum ſimul & hominem eſſe, ac tandem in Cruce mortuum poſtquam in terris viſus eſt, & cum hominibus per triginta quatuor annos conuerſatus eſt.

Diuerſimodè prædicta myſteria repræſentantur in ſigno Crucis.

Verùm hic etiam nobis declaratur perſona Spiritusſancti, cuius virtute & obumbratione homo factus eſt; in eo pie adhuc maximè, quod eiuſmodi myſterium opus & ſacramentum eſt amoris, qui in Deo Spiritusſanctus eſt. Sic enim Deus dilexit mundum, ait Nicodemo Chriſtus, vt filium ſuum vnigenitum daret. Ecce ergo, vt videris, in hoc ſigno Crucis, vnitas eſſentiæ ſimul & Trinitas ſubſiſtentiæ; ecce Incarnatio filij, ecce & Redemptio hominis, fructus Crucis atque paſſionis IESV Chriſti. Ecce denique forma Iudicij, cùm in formatione Crucis, à ſiniſtra proceditur ad dextram, à ſtatu mortis, ad ſtatum vitæ & ſalutis, vbi tunc in æternum ſeparatio fiet iuſtorum ab iniuſtis, ouium ab hœdis: à terrenis ad cœleſtia, à caducis ad permanentia, à temporalibus ad æterna.

De fide & ſupernaturali cognitione Dei.

CATECHESIS III.

IAM ſatis conſtat nobis ex his quæ diximus, de gloria nominis quod à Chriſto IESV accepimus; de intentione atque vltimo fine noſtræ creationis, ex eo quod tandem aliquando ipſe vbi venit plenitudo temporis, carne noſtra indutus, in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſari dignatus eſt, ad quid? niſi vt per eum qui eſt lux vera & æterna, Deum noſtrum ſummum bonum agnoſceremus, ſine quo nemo eſt beatus, ipſum amaremus, ac tandem ſeruata eius voluntate, & in mandatis permanentes, æterna eius perfrueremur gloria. Vnde apud Ieremiam dicit: *In hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me.* Sicut etiam dixit Apoſtolus eius, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Cùm ergo eiuſmodi theſaurum nullus inueſtigare potuiſſet & ſcire, niſi ipſe Deus reuelaſſet qui lucem habitat inacceſſibilem, ideo venit & factus eſt homo, vt qui iam olim multifariam multiſque modis loquutus fuerat patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis loqueretur nobis in filio, per quem fecit & ſæcula, ſicque per fidem agnoſceretur a nobis in terra credentibus verbis eius, & captiuum ducentibus intellectum noſtrum ad ſalutem in eius fidei obſequium. Qui enim non crediderit, vt Saluator dicit, condemnabitur.

Chriſtus venit in hunc mundum, vt cōſequeretur homo finem ſuum.

Ierem. 9.

Heb. 11.

Marci vlt.

De fide ergo iam nobis incumbit dicere, quæ prima eſt pars Catechiſmi, ſicut ipſum in fidem, ſpem, charitatem, atque Sacramenta diuiſimus. Quare imprimis quid nomine fidei intelligamus, neceſſe eſt declarare. Primùm igitur fidei nomen virtutem quamdam ſignificat voluntatis, non intellectus, per quam opere completur id quod promittitur, quæ virtus nominatur fidelitas & veracitas, ſicut dicitur ad Rom. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei*, id eſt, veracitatem & fidelitatem, *euacuabit? abſit. Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.*

Quot modis nomen fidei accipiatur.

Pro fidelitate ſeu veritate.

Rom. 3.

Secundò, promiſſionem ſignificat, quam ipſa fidelitas implet, ſicut idem Apoſtolus dicit ſcribens ad Timotheum, & præcipiens, vt viduas adoleſcentiores deuitaret, quas poſt votum continentiæ pœnitet emiſiſſe, nubere volentes, atque otioſas diſcentes circuire domos, non ſolùm otioſas, ſed & verboſas, & curioſas, loquentes quæ non oportet: habentes, ait Apoſtolus, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, id eſt, votum ſuum atque promiſſionem. Quid eſt enim ex S. Auguſt. primam fidem irritam facere? Vouere, & non reddere.

Pro promiſſione.

1. Timot. 5.

S. Auguſt. in Pſal. 75.

Tertiò, fiduciam ſignificat ſeu ſpem firmam, ſicut loquitur

Pro fiducia. Iacobi 1.

loquitur S. Iacobus; *Si quis vestrùm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, postulet autem in fide nihil hæsitans.* Et Dominus ipse Petro dicens;

Matth. 14.

modica fidei quare dubitasti? Talem enim fidem, seu fiduciam certum est à fide distingui, de qua nunc loqui volumus, quæ habitus quidam est vel actus intellectus, quo firmiter, & sine vlla formidine, tametsi inæuidenter, assentimur iis omnibus quæ à

Vera acceptio fidei, Heb. 11.

Deo reuelata proponuntur credenda in Ecclesia. Quomodo ad Hebræos sic ab Apostolo accipitur, substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Nam hoc ipso quod fidem nominat substantiam, & quasi basim & fundamentum spei, indicat esse aliquid permanens & durabile, atque adeò habitum. Sic ergo sumpta minimè fiducia esse potest, cùm sit spei fundamentum, atque in Scri-

1. Cor. 13.

ptura distinguatur à spe, atque adeò à fiducia, Apostolo dicente cum distinctione; nunc autem manent fides, spes, charitas. Præterquàm quod spes oritur ex fide, eodem Apostolo rursus dicente ad

Ephes. 3.

Ephes. quoniam in Christo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius: atque etiam fides ad intellectum pertinet, cuius est scire, intelligere & credere; spes verò seu fiducia ad voluntatem, cuius est propendere in rem speratam.

His præmissis, modò sciendum est eò totam fidei intentionem spectare, vt sciamus quid de Deo scire, credere & sentire debeamus tam in se quàm

Deus obiectum est primarium & formale fidei.

in creaturis. Ipse namque est primarium & formale obiectum ipsius, cùm omnia quæ per fidem cognoscuntur & creduntur, eò spectent, vt plenitudinem de Deo cognitionem habeamus, quantum in hac vita fieri potest; etiam ipsum Incarnationis mysterium, quod ad talem cognitionem maximè

S. Aug. lib. 11. de ciuit. cap. 2.

refertur, iuxta Sanctum August. qui lib. de ciuitate Dei, pulchra oratione ostendit Christum vt hominem viam esse qua fides peruenit ad Dei cogni-

Mysterium Incarnationis refertur ad cognitionem Dei.

tionem. Vt mens in fide, inquit, fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei filius homine assumpto, non Deo consumpto, eandem constituit, ac fundauit fidem, vt ad Deum iter esset homini per hominem Deum: hic est enim mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS. Per hoc enim quod est mediator, est homo & via perueniendi ad Deum: quia si inter eum qui tendit, & illud quò tendit, via media est, spes est perueniendi: si autem desit, aut ignoretur quà eundum sit, quid prodest nosse quò eundum sit? Sola est autem aduersus omnes errores via munitissima, vt idem ipse sit Deus & homo; quò itur Deus, quà itur homo. Hæc digna sunt Sancto Augustino, sicut etiam Apostolo

Ephes. 1.

dicente pariter ad Ephes. mysterium hoc plenè ad cognoscendum Deum in se & in nobis referri. Audiens, inquit, fidem vestram quæ est in Domino IESV, non cesso gratias agens pro vobis, vt Deus Domini nostri IESV Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis, in agnitione eius: illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius in Sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus. Ecce quomodo ex mysterio Incarnationis nobis compertum est, omnia ad notitiam Dei conferre, quæ per fidem credenda proponuntur in Ecclesia.

Tribus modis obiectiuè fides fertur circa Deum.

Vnde antequam ad explicationem seu definitionem fidei veniamus, sciendum tribus modis fidem circa Deum obiectiuè ferri posse, vt constabit ex sequentibus. Primò, vt creator est, atque supremus author omnium. Secundò, vt Redemptor est, scilicet, Christus mediator Dei & hominum. Tertiò, vt sanctificator Ecclesiæ est per Spiritum sanctum, qui eam sanctificat, instruit & protegit vt columnam veritatis, fidelem custodem, Sacramentorúmque omnium atque gratiarum dispensatricem. Iuxta enim hanc triplicem fidei considerationem Catechismum instituimus, & Christianæ instructionis formam. Nam aduersus primã sunt Athei,

Rom. 1.

de quibus illud Apostoli intelligi potest: Sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia,

Psal. 13.

fornicatione, auaritia, &c. Itẽ illud Psalmistæ: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis, &c.

Psal. 78.

& rursus: Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non in-

Psal. 118.

uocauerunt. & rursus: Longè à peccatoribus salus, quia iustificationes tuas nõ exquisierunt. Aduersus secundam sunt Iudæi, etiam & Mahumetani, qui minimè in Christum credunt, sed potiùs ipsum persequuntur. Aduersus tertiam sunt omnes hæretici, qui Ecclesiam nolunt agnoscere, sed eam impugnant, rebelles lumini & Spiritui sancto qui eam gubernat.

Quare iam quid sit fides & dicendum & explicandum est, vt de eius veritate contra errantes nobis appareat. Secundum communem Doctorũ or-

Definitio & explicatio fidei.

thodoxorum sententiam sic definiri solet; Donum & lumen Dei, quo illustratus homo credit omnia quæ reuelauit Deus, & credenda proponit Ecclesia. Primò donum est, quia gratis nobis fides infunditur, nec eam viribus humanis habere possumus, etiamsi frequenter Euangelium audiremus, etiam

Ioh. 6.

miraculis confirmatum. *Nemo, inquit Dominus, potest venire ad me* (scilicet, per fidem) *nisi pater qui misit me, traxerit eum.* & statim post in eodem

Ephes. 2.

loco, *nisi fuerit ei datum à patre meo.* Ita Apostolus: Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est: non ex operibus, vt ne quis glorietur.

Secundò, lumen dicitur mentem illuminans veritate Dei, & tenebras expellens erroris, Isaia dicente, nisi credideritis, non intelligetis. Vnde sicut lumen Solis aut lucernæ est respectu corporum vt videantur: ita in anima est lumen fidei respectu credendorum. Sicut enim supernaturalia sunt, nec sub sensum, nec sub rationem cadentia, omnemque naturæ ordinem excedentia: ita etiam vt agnoscantur, supernaturali lumine opus est. Ideoque [illegible]

S. Chrysost. in Symbol. & in S. Matthæum.

S. Chrysost. super Symbolum dicit. Fides lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. & super S. Matth. Fides lampas est, quia sicut lampas illuminat domum, ita fides animam.

Tertiò, in fide vis eiusmodi est & efficacia, vt non tantùm animam illuminet, sed eam adhuc eleuet supra se, ita vt citra dubitationem omnibus reuelatis à Deo firmiter assentiatur & per Ecclesiam propositis; non iam legibus naturæ, experientia sensuum, iudicioque rationis innixa, sed authoritate diuina, quæ multo tutior, imo planè est infallibilis, vtpote quæ mentiri, fallere, aut falli minimè potest, & cui nihil prorsus est impossibile. Hinc namque est quod fidei proprium sit intellectum captiuare in obsequium Christi, maiorque sit ratio credẽdi iis quę dicit, quàm si sensus essent testes: vt exemplo potest ostendi baculi, qui immersus aquis fractus apparebit si credatur sensibus, etsi rectus sit, vt constet de errore qui residet in sensibus: sed non in fide, quæ ipsum Deum habet pro lumine, & omnis veritatis regula. Vnde iam absque

dubio

dubio est asserendum, inuisibilia Dei quatenus reuelata sunt, magis credenda, ac firmiùs tenenda, quàm quæ obiiciuntur sensibus. Vnde hoc? vtique quia à veritate prima quæ Deus est, & mentiri & fallere non potest, dicta & reuelata sunt.

Prima veritas obiectum formale fidei.

Certè hinc tota est formalis ratio fidei nostræ, seu obiectum formale quo credimus iis, quæ minimè subiiciuntur sensibus nostris, & tantùm vt reuelata à Deo proponuntur nobis, scilicet, illa prima & summa veritas Dei reuelantis ea quæ creduntur. Vbi interim notandum, hoc nomen veritatis dupliciter intelligi. Primò, vt eo nomine intelligatur ipsa Dei entitas, & vt est veritas essentialis quæ Deus est; & sic prima veritas est obiectum quod fidei, vt nuper & suprà diximus, & solet nominari prima veritas in essendo. Secundò, potest intelligi ipsa diuina reuelatio infallibilis, seu, quod idem est, Deus ipse infallibiliter reuelans. Et sic primam veritatem intelligimus esse rationem formalem obiecti sub qua fidei, & solet nominari prima veritas in dicendo, sicut antè prima veritas in essendo. Sub hac enim formali ratione dicebat aliquando Dominus Petro, *caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus*. Et Euangelista; *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis*. Et S. Paulus. Notum facio vobis Euangelium quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem IESV Christi. & alibi: Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis. Ecce vnde gratias Deo agere conuenit, per quem verba vitæ & salutis accepimus, sicut idem Apostolus iterum dicit: Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Necessaria itaque reuelatio fuit, formalisque ratio fidei est, cùm inuisibilia Dei, atque in eo abscondita, vt innotescant & credantur, diuino testimonio opus est. Propterea dicit S. Ambrosius in baptismo Christi Spiritum sanctum in columbæ specie apparuisse, & Patris vocem auditam, vt intelligeremus fidem nostram diuino testimonio niti.

Matth.16. Ioh.1. Gal.1. 1.Thess.2. 2.Timot.3. S. Ambros. Ser.41.

Propositio Ecclesiæ requiritur ad credendum.

Sed quodnam est testimonium diuinam reuelationem esse? Istud est, quod & quartò est obseruandum, nimirum, tibi esse ab Ecclesia propositam per ipsius scriptores canonicos, legitimosque quos adhuc complectitur rerum fidei definitores, Prophetas, Apostolos, Principes suos, atq; pastores, & supremum omnium Pontificem Vicarium Christi: per quos quidem omnes Deus sufficienter eam instruit de his omnibus quæ ad statum religionis pertinent, & credere fideles expedit. Hoc enim modo Apostolus dicit ad Ephesios, ipsos esse superædificatos supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, id est, supra reuelationes eis factas; eorum enim & lingua & manu Deus vtitur, vt nobis quæ in eo sunt abscondita reuelet. Cuius reuelationis verum testimonium, clauem, atque scientiam sola habet Ecclesia. Vnde iam dicimus, præter ipsam reuelationem adhuc necessarium esse eiusmodi veritatem proponi ab Ecclesia tanquam à Deo reuelatam, & fide credendam, quia nimirum illa Ecclesiæ propositio necessaria quædam conditio est & requisita, sine qua ordinariò

Ephes.2.

A nullus Christianæ fidei assensus elicitur, quæ veritatis est columna & fidei regula, sed & extra quam nulla fides, sicut nulla salus esse potest.

Nomine Ecclesiæ summus Pōtifex intelligitur, & quomodo.

Nomine autem Ecclesiæ intelligimus caput eius, Romanum summum Pontificem per se, vel vnà cum Concilio ex sua authoritate propositionem aliquam fidei & statutum fidelibus declarantem. Tunc enim eiusmodi propositio dicitur Ecclesiæ, quià certissimè aliqua est à Deo reuelata veritas, quæ firmiter ideo tenenda est & seruanda. Quia non nisi ad Ecclesiam pertinet mysteriorum fidei propositio, sicut eorumdem adhuc dispensatio, quæ tota solis pastoribus, & ministris commissa est. Certissimè enim ex Apo-B stolo constat, non posse fidem suscipi nisi per ministerium eorum, qui ab Ecclesia destinati sunt ad docendum, atque adeò ex sententia Ecclesiæ doceant, vel immediatè, vel mediatè per alios quos ipsi erudiuerint, vel miserint. *Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Interim Sanctus Apostolus dicit, quia non omnes obediunt Euangelio? vnde? Quia certè tam sublimia sunt fidei nostræ mysteria, vt nisi adhuc præter reuelationem & propositionem Ecclesiæ multa alia etiam maxi-C ma motiua & argumenta interueniant, cuiusmodi sunt miracula facta, hominum consensus, exempla, consonantia fidei nostræ cum naturali lumine rationis, & alia eiusmodi, minimè inducamur non solùm ad acceptandam de nouo fidem, sed etiam ad retinendam. Sic enim Philippus & Petrus non simpliciter Eunucho & Cornelio fidem proposuerunt, sed argumentis & testimoniis ad eam persuadendam vsi sunt. Sic in Euangelio, multi de Samaria crediderunt in IESVM propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcumque feci: & alibi, Centurio videns quod factum fuerat, glorificauit Dominum. Ecce adhuc necessitas motiuorum circa fidem, tanta est mysteriorum D sublimitas, etsi à Deo reuelata sint, & proponantur ab Ecclesia.

Rom.10.

Ad fidē opus est motiuis.

Act.8. & 10. Ioh.4. Luc.23.

Quæ dicantur reuelata.

Verùm nunc operæ pretium est scire, quæ reuelata, & quæ credenda sint. Reuelata ea dicuntur maximè quæ nunquam venirent in mentem hominis, nisi illa Deus reuelaret, quia neque sensu, neque vlla naturali cognitione comprehendi possunt: vt sunt omnia salutis nostræ mysteria, quæ iam homo dono fidei adiutus magis credit, quàm si vel per sensum, vel per demonstrationem agnosceret: idque propter authoritatem Dei reuelantis, & Ecclesiæ testificantis. Vnde iam credenda illa sunt quæ & scripta, & non scripta sunt, vbi talis interuenit authori-E tas, vt ab hæreticis distinguamur, qui tantùm Scripturam iactitant, atque ita sciamus adhuc esse multa credenda quæ non scripta sunt; denique omnia esse credenda quæ proponit Ecclesia, Concilia, traditiones, &c. sicut Apostolus dicit; *State & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Ecce multa etiam non scripta credenda & tenenda, sicut etiam ipse Dominus dicebat Apostolis suis: Adhuc habeo multa dicere vobis, sed non potestis portare modò: & Euangelista pariter, quod nimirum mundus non poterat continere omnia quæ Dominus noster & dixit, & fecit, quæ interim credenda sunt.

Credēda omnia quæ proponit Ecclesia.

2.Thess.2.

sunt. Quare satis apparet in sola Ecclesia fidem esse, quæ scripta, & non scripta reuelata à Deo credenda proponit, fideliter & sanctè captiuans intellectum in obsequium Christi, qui est caput eius, cuius & sponsus est Spiritussanctus, in qua ideo & infallibilitas remanet, & reuelationum gratia.

De Symbolo fidei.

Catechesis IV.

DVo sunt fidei nostræ mysteria, quorum visione in æterna beatitudine perfruemur, mysterium Trinitatis, & Incarnationis sacramentum: gloria abscondita Diuinitatis, & apparitio humanitatis Saluatoris nostri Iesv Christi. Hæc duo in cœlis videnda nobis proponuntur, Diuinitas, cuius visio nos beatos efficiet: humanitas Christi, per quem accessum habuimus ad hanc gloriam filiorum Dei. Ecce duo mysteria quæ omnia complectuntur ad fidem pertinentia; ideo enim dixerat aliquando Christus: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesvm Christum.* Quæ ad Diuinitatem pertinent mysteria, illa sunt, vnitas Deitatis, Trinitas personarum, ipsiusque opera ad extrà, quæ tria sunt, vnum pertinens ad esse naturæ, alterum ad esse gratiæ, tertium ad esse gloriæ. Quæ autem ad Incarnationem pertinent, illa sunt, conceptio de Spiritu sancto, natiuitas ex virgine, conuersatio in mundo, passio, mors, sepultura, resurrectio, & alia huiusmodi. Adeò vt illa duo mysteria & quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, contineant; & quæ in Deo, & quæ in creaturis, & quæ in triumphanti Eccesia, & quæ in militanti. Denique & quæ videntur in futura vita & beata, & quæ in præsenti & laboriosa creduntur.

In mysteriis Trinitatis & Incarnationis, alia omnia ad fidem pertinentia continentur. Ioh. 17.

Quare sapientissimè prouisum est à Spiritu sancto, vt Apostoli qui à Christo fuerant assumpti ad disseminandam fidem, ab eoque instructi de mysteriis absconditis à sæculis in Deo, symbolum quoddam conficerent, indicium, atque formam fidei & Christianæ professionis paucis articulis comprehensæ. Symbolum enim quod Apostolicum dicimus, nihil aliud est quàm regula fidei nostræ, & velut collatio, congeries & summa præcipuorum mysteriorum quæ nobis à Christo reuelata fuerunt, facta ab Apostolis, ab eisque tradita nobis, & iam ab Ecclesia proposita, vt omnes addiscant. Nam cùm mandatum accepissent à Domino antequam ascenderet in cœlos, vt in omnem terram sonum Euangelij deportarent, sicut in Euangelio legitur & in Actis, illis simul in Spiritu sancto congregatis tunc visum est, statimque ad prædicandum discessuris, vt formulam hanc fidei in Iesvm Christum componerent, ideo quidem, vt postea ab alterutrum separati, & dispersi in longinquas nationes, idipsum sentirent ac dicerent, sicque adhuc inter illos quos ad fidem erant perducturi, nulla dissensio & contrarietas inueniretur, sed idem esset omnium sensus, eadem & fidei eorum sententia, atque adhuc cunctis esset velut signum, aut tessera, qua ab infidelibus & Paganis discernerentur, qui se militiæ Christi sacramento obligabant.

Quid sit Symbolum Apostolorũ.

Marc. vlt. Act. 1.

Quare Symbolum factũ est ab Apostolis.

Ex multis igitur causis iustissimis Symbolum appellatur, per quod agnosceretur etiam ex institutione prima quis Christum verè secundum Apostolicas regulas prædicaret, atquè ipsum religione & fide profiteretur. Quod quidem & in bellis ciuilibus solet obseruari, in quibus armorum est par habitus, idem vocis sonus, mos vnus, atque eadem bellandi instituta, & ne qua adhuc doli subreptio fiat, signum est quoddam à duce traditum militibus, quod symbolum olim dicebatur, vt si fortè quis occurreret de quo dubitari posset, interrogatus statim symbolum produceret, vt innotesceret, an hostis, an verò socius esset. Ita autem est de Apostolorum Symbolo, quod signum est militiæ nostræ & professionis. Ita S. Augustinus dicit, quoniam sancti Apostoli certam fidei regulam tradiderunt, quam secundum numerum Apostolicum duodecim sententiis comprehensam Symbolum vocauerunt, per quam credentes Catholicam tenerent vnitatem, & per quam hæreticam conuincerent prauitatem.

Exemplum.

S. Aug. Ser. 181. de tempore.

Symbolum ergo tali ratione institutum maiores nostri dixerunt. Tradunt enim quod post Ascensionem Domini & Saluatoris nostri ad patrem, cùm per aduentum Spiritussancti, discipuli eius inflammati, linguis omnium loquerentur ad singulas quasque nationes, vt Dei verbum prædicarent, ituri ac discessuri ab inuicem, normam priùs sibi futuræ prædicationis in commune statuerunt, ne localiter ab inuicem discedentes diuersum vel dissonum prædicarent his qui ad fidem Christi initiabantur. Omnes igitur in vno positi & Spiritu sancto repleti, breue suæ prædicationis indicium conferendo in vnum, quod sentiebat vnusquisque computabat, atque sic hanc fidelibus & credentibus regulam dandam esse instituerunt, breuem quidem verbis, sed magnam sacramentis. Nam quidquid est præfiguratum in Patriarchis, quidquid denuntiatum est in Scripturis, quidquid prædictum est in Prophetis vel de Deo ingenito, vel ex Deo apud Deum nato, vel de Spiritu sancto; vel de suscipiendo omni Sacramento, vel de morte Domini, Resurrectionisque eius mysterio, totum breuiter hoc Symbolum continet, & continendo habet. Munimentum certè fidei est aduersus faciem inimici, constructum ex lapidibus viuis atque pretiosis margaritis Iesv Christi, scilicet mysteriis; quod propterea nec venti impellere, nec flumina obruere, nec tempestates & procellæ permouere possunt. Domus est aduersus quam portæ Inferi non præualebunt. Tuba est cuius sonus exiuit in omnem terram, ac demum iturus est.

Symbolũ fidei munimentũ.

Meritò filij Noë separandi ab inuicem solo ac religione, turrem suam ædificantes superbiæ, linguarum confusione damnati sunt, vti ne vnusquisque posset aduertere proximi sui loquelam. Sed Apostoli filij atque domestici Iesv Christi, qui turrem fidei & vnanimitatis construebant, omniũ linguarum scientia & agnitione donati sunt, in testimonium & approbationem eorum vitæ, doctrinæ, atque veritatis. Adeò vt, iuxta S. Ambrosium, velut periti artifices conuenientes in vnum, vt hoc Symbolum conficerent, non solùm turrem fortitudinis aduersus inimicas potestates construxerint, sed etiam clauem scientiæ conflauerint. Clauem enim quamdam dixerim Symbolum Apostolicum, per quod reserantur diaboli tenebræ, vt lux Christi adueniat; aperiuntur conscientiæ clausa peccata, vt iustitiæ fulgeant opera manifesta. Hæc igitur clauis est ostendenda Christianis fratribus nostris, vt & ipsi tanquam discipuli Petri inferna sibi claudere, cœlos aperire consuescant.

S. Ambros. Ser. 38.

Symbolũ clauis scientiæ.

Quare

Quare optimè à Symbolo Apoſtolico, in quo vera fidei traditur regula, Chriſtianæ Inſtitutionis ſumpſimus initium, quod quidem, vt diximus, ſignum eſt Chriſtianorum; ſoli quippe Chriſtiani illo rectè vtuntur & armantur aduerſus malitiam hæreſeon, militiámque infernalis & diabolici furoris: ſoli denique profitentur ipſum ad ſyncerum germanúmque ſenſum Apoſtolorum. Nam infideles & Iudæi, qui à Chriſtianæ religionis cultu omnino alieni ſunt, prorſus ignorant; & hæretici vel penitus aliquos articulos negant, vel interpretationibus deprauatis in nouas alienáſque ſententias detorquent. Vnde etiam nulla vnquam extitit hæreſis quæ non potuerit hoc Symbolo damnari.

B

Quare maximopere neceſſarium eſt & perutile, hanc fidei noſtræ regulam ritè ſcire & intelligere.

Quis putandus fidem tenere, & Symbolum ſcire.

Non autem ille putandus tenere fidem, qui ſolùm verba Symboli adamuſſim recenſere nouit; ſed qui vim verborum intelligens, quod ore profert, corde credit. Nam fides non eſt quod de Deo labiis ſonamus, ſed quod etiam atque maximè corde credimus, qualem quidem credulitatem cordis non Doctor docendo, ſed Deus infundendo tradit; eſt enim fides donum Dei.

Diſtincta Doctoris & Dei opera in myſteriis fidei.

Diſtincta ergo in myſteriis fidei ſunt Doctoris & Dei opera; ſed vtraque vtilia, vtraque ad ſalutem nobis neceſſaria. Doctor ſermone imbuit, oſtendens ex Scripturis quid nos de Deo credere & ſentire oportet, monitor eſt atque inſtitutor credendorum,

C

alioquin ignoraremus, Apoſtolo dicente; *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo verò audient ſine prædicante? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.*

Rom. 10.

Igitur ad hauriendam fidem vtilis eſt & neceſſaria inſtitutio diligens Doctoris ex verbo Dei deſumpta. Deus autem eſt qui interna vnctione Spiritus ſui, mentem intus demulcet, infigens ei tenaciter verbum per aurem acceptum, vt iam ſine hæſitatione vlla aſſentiamus, & credamus vera eſſe omnia, quæ de Deo diuina eloquia prodiderunt.

Fides in tria tempora ſe extendit.

Iuxta quod etiam ſciendum eſt, fidem in omnia tempora ſe extendere. Præteritum, vt credamus vera eſſe quæcunque ſuperioribus ſæculis referuntur geſta in Scripturis ſacris.

D

Præſens, vt de Dei in nos voluntate & operibus iuxta traditionem Scripturæ ſentiamus, hodiéque etiam mundum & Eccleſiam à Deo gubernari & conſeruari non dubitemus. Futurum, vt credamus ea euentura quæcunque vel promittunt, vel minantur Scripturæ ſanctæ; ad quæ quidem omnia neceſſaria eſt virtus Dei, qui & linguam miniſtri ſui inſtruit ſermone ad ædificationem & inſtructionem efficaci; & mentem audientis ſua temperans vnctione, veræ fidei capacem reddit. Hæc omnia ſunt quæ in hoc Symbolo duodecim articulis comprehenſo, & ſcienda & credenda fidelibus proponuntur.

Symbolum in tres potiſſimùm partes diuiditur.

E

Verùm notandum, etſi duodecim ſint articuli, potiſſimùm tamẽ Symbolum diſtribui in tres partes, iuxta tres maximas operationes, quæ tribus in Diuinitate perſonis conueniunt, & cætera fidei myſteria, beneficiáque comprehendunt, ſcilicet, creationem mundi, redemptionem generis humani, & Eccleſiæ ſanctificationem: patri rerum omnium conditionem attribuens, filio humani generis redemptionem, & Spiritui ſancto Eccleſiæ ſanctificationem. Non quod omnes iſtæ actiones, quæ hic de Deo referuntur, à tota ſimul Trinitate inſeparabiliter non perficiantur. Pater enim ingenitus per filium, & ſuum Spiritum ſanctum condidit vniuerſa; & filius vnigenitus cooperante patre & Spiritu ſancto mundum redemit: ſi-

A

cut Spiritusſanctus ex patre filióque procedens, cum patre & filio Eccleſiam ſanctificat, viuificat & gubernat. Vna eſt enim trium perſonarum Deitas, & æqualis potentia; ab vnoque Deo in tribus perſonis diſtinctis omnia bona recipimus.

Interim quia per appropriationem aliquam nonnulla conueniunt perſonis diſtinctis, vt potentia patri, ſapientia filio, & bonitas Spiritui ſancto: ita etiam prima pars Symboli quæ tractat de creatione rerum, & eſt infinitæ potentiæ effectus, attribuitur patri.

1. Pars attribuitur patri, & quomodo.

2. Pars filio.

Secunda pars filio, quia hic agitur de opere redemptionis ſummæ ſapientiæ effectu, vbi lapſo homine per peccatum à fine ad quem creatus fuerat à Deo, ipſiúſque conſilium

B

irritum faciente, cùm minimè poſſet huic infinitæ offenſæ ſatisfacere: hunc tamen modum admirabilem & ſeruandi ſui conſilij, & ſatisfaciendi pro homine, diuina ſapientia inuenit, vt nimirum ipſe creator Deus factus homo, ipſa Dei ſapientia quæ eſt filius, ſimilitudinem carnis peccati, ac formam ſerui induens pro reis ſolueret, portánſque iniquitates & maledicta hominum, manum percutientem patris ſuſtineret. Hæc ſunt quæ pro noſtra omniúmque ſalute inuenit diuina ſapientia; vnde & Iſaias dicebat: *Notas facite in populis adinuentiones eius.* Magnæ vtique ſunt.

Iſa. 12.

3. Pars attribuitur Spiritui ſancto.

Tertia pars attribuitur Spiritui ſancto, quæ agit de opere gubernationis Eccleſiæ, & omnium communicatione gratiarum

C

in ea, quę ad bonitatem ſpectant, proprietatem Spiritusſancti. Nam bonitatis eſt ſe diffundere per omnia, bonitas autem amor eſt, qui in Deo Spiritusſanctus eſt, per quem filius à patre nobis elargitur omnia.

De interno actu fidei, qui eſt credere.

Credo in Deum.

CATECHESIS V.

Per fidē primò acceditur ad Deum.

QVOD primùm Chriſtus IESVS docuit nos veniens in mundum, fides fuit in illum; ipſa

D

enim eſt per quam accedimus ad Deum, ſicut dicit: *Nemo venit ad patrem niſi per me. Ego ſum via, ego ſum oſtium.* Et Apoſtolus eius loquens de fide, eam ponit primam ianuã acceſſus noſtri ad Deum, cùm ait: Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.

Ioh. 14.

Heb. 11.

Fides neceſſaria neceſſitate medij.

Rom. 3.

Ita vt ad credendum, & neceſſitate medij ad conſequendum finem noſtrum, id eſt, ad perueniendum ad Deum, obligemur: ſic enim paſſim docet Apoſtolus, quia ex operibus legis, minúſque adhuc ex operibus naturæ non iuſtificabitur omnis caro, id eſt, homo coràm Deo, ſed per fidem IESV Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum, eſt iu-

E

ſtitia Dei. Vnde & ſcribitur in Sapientia: Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, (fidem, notitiam tuam) mitte illam de cœlis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te, ſcit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis. Subditque ſtatim rationem ſuæ petitionis. Nam, inquit, per ſapientiam (id eſt, hanc fidem & cognitionem tuam,) ſaluati ſunt, quicunque placuerunt tibi Domine à principio.

Sap. 9.

Ecce neceſſitas vt medij ad finem: finis eſt ſupernaturalis, cui etiã debent proportionari media. Vnde minimè cognitio naturalis eſt ſufficiens, cuiuſmodi eſt illa quæ à creatura mundi elicitur; ſed

ſed præterea abſolutè neceſſaria eſt ſupernaturalis, quæ ex verbo & reuelatione Dei oritur, & fides dicitur, dicente Apoſtolo; Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Non ſolùm autem hoc genere neceſſitatis obligamur ad credendum, verùm etiam neceſſitate præcepti. Nam non minus Scriptura ſancta loquitur de fide, quàm de baptiſmo, Euchariſtia, & pœnitentia; nec minus eam præcipit quàm cætera. Vt enim dixit; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua. Niſi pœnitentiam habueritis. Niſi manducaueritis carnem filij hominis.* Ita dixit; *Qui verò non crediderit, condemnabitur*: ſicut per Apoſtolum ſuum: Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum. Oportet; ecce neceſſitas, neceſſitas, inquam, non tantùm medij, ſed etiam præcepti.

Neceſſaria neceſſitate præcepti.

Mar. 16.

Sed quid aut quomodo credere oportet? Myſteria quæ in Eccleſia reuelata ſunt nobis; eáque non tantùm implicitè, vt in aliqua propoſitione vniuerſali, ex qua deduci poſſet particularis: ſicut credere vera eſſe omnia quæ in Scriptura ſacra continentur, ſic enim credere eſt implicitè Abraham genuiſſe Iſaac; & ſic de aliis. Verùm etiam oportet & neceſſitate medij, & neceſſitate præcepti, credere explicitè myſteria ad ſalutem, id eſt, diſtinctè & in particulari ſcire & his aſſentiri: vt credere quod Deus eſt, & author omnium donorum, atque inquirentibus ſe remunerator, credere nos eſſe peccatores, & diuina liberatione indigere; animam noſtram immortalem eſſe: nunc autem, videlicet hoc tempore gratiæ, explicitè & diſtinctè ſcire articulos fidei, qui in Apoſtolorum Symbolo continentur: denique myſteria Trinitatis & Incarnationis, ad quæ omnes illi articuli pertinent, myſteria dicam, quæ & ad Diuinitatem & humanitatem IESV Chriſti ſpectant, ſicut ipſe in Euangelio dicit; *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille.* Item; *Creditis in Deum, & in me credite.* & rurſus: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti* IESVM *Chriſtum.* Ex quibus omnibus ſatis manifeſtum eſt, ſi nobis in votis ſit ſalutem conſequi, teneri diſtinctam atque explicitam habere notitiam myſteriorum fidei, iiſque corde aſſentiri, etſi ſenſu & intellectu non percipiantur. Captiuitatem ſenſuum & intellectus ad obſequium Chriſti fides expoſtulat: huic ille debetur honos, propter eum quem ſuſpicit, reuelat, oſtendit, prædicat.

Tenemur nõ tantùm implicitè, ſed etiam explicitè credere myſteria.

Ioh. 6. 34. & 17.

Vt ergo incipiamus explicare quid ſit credere, iuxta S. Auguſt. nihil aliud eſt quàm cum aſſenſione cogitare. Cum aſſenſione, ait; plerique enim cogitant ne credant, vt hæretici & rebelles lumini. Vnde ſine aſſenſione non eſt fides; credere, eſt cum aſſenſione cogitare. Omnis qui cogitat non credit, ſed qui cum aſſenſione cogitat, credit. Certè omnis qui credit, cogitat: ſed aſſentiendo cogitat, & ſic cogitando credit. Quare iam vt claram definitionem demus, dicimus quod credere eſt veritati diuinitus reuelatæ aſſentiri, non quidem euidenter, ſed certò & firmiter. Quod quidem id ipſum eſt quod S. Aug. dicebat, cum aſſenſione cogitare. Nam quod (cum aſſenſione) dicit, hoc certitudinem indicat aſſenſus. Quod verò (cogitare) dicit, imperfectionem ineuidentiæ explicat; cùm cogitatio imperfecta tantùm ſit cognitio, vtpote quæ nondum peruenit ad claram viſionem illius quæ indagatur veritatis, ideoque dicatur cognitio adhuc ineuidens; cuiuſmodi eſt cognitio fidei, qua clarè non intuemur in vnitate eſſentiæ diuinæ

Quid ſit credere

S. Aug lib de præd. Sanct. cap. 2.

Clariùs explicatur quid ſit credere.

tres perſonas, in vnitate perſonæ Chriſti duas naturas, in Sacramento Euchariſtiæ verum Chriſti corpus; etſi de veritate horum omnium ſimus certiores, quàm ſi oculis cerneremus, inquantum illa certitudo & veritas pro fundamento habeat omnipotentiam Dei, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum. Vnde ſtatim in nobis per imperium voluntatis ſequitur aſſenſus intellectus, ita conſtans & firmus, vt certè pro his etiam ſanguinem profundere, & extrema quæque perpeti ſimus parati. Dixi per imperium noſtræ voluntatis talem ſequi ac ita firmum, & conſtantem aſſenſum noſtri intellectus, quia ex tribus, quæ maximè potiſſimúmque neceſſaria ſunt, vt myſteria diuina & ſupernaturalia percipiantur à nobis, vnum iſtud eſt.

Tria ergo illa neceſſaria eiuſmodi ſunt. Primum eſt diuina reuelatio, quæ per ſcripturas, aut prædicatores miſſos à Deo nobis declaratur & exponitur. Nam cùm talia myſteria ſupernaturalia ſint, nulli vnquam certè in mentem veniſſent, niſi Deus illa manifeſtare voluiſſet. Vnde inquiebat Apoſtolus; Loquimur ſapientiam inter perfectos, ſapientiam non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram: quam nemo principum huius ſæculi cognouit: ſi enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Vnde mox ſubdit; Sed ſicut ſcriptum eſt: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum: nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuum. Et alibi: *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* Hinc certè iam ſatis conſtat cur Dominus mandauit diſcipulis ſuis: Prædicate Euangelium omni creaturæ; cur Philippus miſſus eſt vt prædicaret Eunucho; cur miſſus eſt Petrus vt prædicaret Cornelio; cur Paulus miſſus eſt vt prædicaret Macedonibus, quia nimirum ordinariè neceſſaria eſt ad fidem prædicatio, per quam Deus ſicut per Scripturam reuelat ſua myſteria.

Tria neceſſaria vt myſteriis ſupernaturalia à nobis percipiãtur.

1. Reuelatio diuina.

1. Cor. 2.

Rom. 10.

Marc. 16.

Act. 8.

Act. 10.

Secundum eſt perſuaſio ſiue per ſigna, ſiue alia ratione. Non enim ſatis eſt, vt doctrina reuelata proponatur, ſed demum neceſſe eſt, vt accedat etiam aliquid, quod eam credibilem faciat. Hinc cùm mitteret Dominus Moyſem ad prædicandum Pharaoni, atque etiam omni populo, poteſtatem dedit ei operandi miracula, quibus fidem faceret atque teſtaretur, prædicationem ſuam verè diuinam eſſe. Vnde Chriſtus ipſe in Euangelio ſuo dicebat de ſe: Si non veniſſem, & loquutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. & rurſus: Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Et alibi, cùm mittens diſcipulos dixiſſet eis: Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cœlorum; adiunxit ſtatim, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite, &c.

2. Perſuaſio.

Exod. 4.

Ioh. 15.

Matth. 10.

Tertium eſt voluntatis imperium, quod maximè facit conſentire intellectum, ipſumque adiutum diuina gratia captiuat in obſequium fidei. Et certè nulla perſuaſio eſſe poteſt, quæ hominem poſſit cogere ad credendos fidei articulos, imò nec ipſa quidem miracula poſſunt, ſi ipſius volũtas reſiſtat. Requiritur ergo inclinatio voluntatis quæ

3. Imperium voluntatis.

intellectum moueat ad assentiendum iis quæ vim A omnis creatæ intelligentiæ superant. Sic enim in Euangelio dicebat S. Iohan. de ipso Christo, quod cùm tanta signa fecisset coram eis, videlicet Iudæis, non propterea tamen credebant in eum. Hæc igitur ratio fuit, cur dixerit Apostolus, captiuandum intellectum esse in obsequium fidei, id est, pio affectu & voluntate quasi cogendum. Hinc notabile illud dictum S. Augustini. Intrare quisque in Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest Sacramentum nolens, credere non potest, nisi volens. Ecce ergo quid sit credere, veritati diuinitus reuelatæ, certò & firmiter, etsi ineuidenter, assentiri, voluntariè captiuare intellectum suum in obsequium B fidei.

Ioh. 12. — *2. Cor. 10.* — *S. Aug. tract. 26. in Ioh.*

Tribus modis credere aliquis dicitur.

Nunc autem quot modis id circa Deum contingat videndum est, simulque respondendum, tribus modis, nempe, credere Deum, Deo, & in Deum; iuxta quod actus fidei habet tres illos respectus diuersos ad obiectum suum, quod Deus est. Nam cùm dicimus, credere Deum, signamus habitudinem actus fidei ad materiale obiectum fidei præcipuum, quod est Deus, & illa simul quæ habent ordinem ad Deum, vt ipsum existere, vnum esse, veracem esse, perfectissimum, & fontem bonorum omnium. Hæc enim particula, *Credo*, simul hæc omnia nobis proponit; & cùm in C eum credimus, & simul esse credimus, & verbis eius credimus, eique coniungi amore profitemur. Hæc doctrina est S. Augustini, qui ponderans illa verba Symboli, *Credo in Deum*, ait, non ideo poni Credo Deum, vel Credo Deo, quamuis & hæc saluti necessaria sint. Aliud est enim credere in illum, aliud credere illi, aliud credere illum. Credere illum, est quia ipse est Deus. Credere illi, est credere vera esse quæ loquitur, hoc enim respectum & ordinem significat actus fidei ad obiectum formale, id est, ad diuinam veritatem reuelantem cui credimus, cuique proinde assensus fidei innititur. Tunc enim sic verbis eius fidem adhibemus, vt sine vlla hæsitatione, sed constanter aperienti Deo mysteria sua mens as- D sentiatur, & non vel in opinionem tantùm, vel existimationem veniat, neque sit amplius curiosa indagatrix propositæ veritatis. Quia, vt dicit Catechismus Concilij Trident. cùm iussit Deus nos credere, non diuina tunc iudicia scrutanda, eorumque rationem & causam perquirendam nobis proposuit; sed immutabilem fidem præcepit, quæ efficit vt animus in æternæ veritatis notitia conquiescat: eiusque affert exemplum qui impudentiæ argueretur, si non crederet statim sapienti & experto aliquid affirmanti, eumque adhuc vrgere vellet. Quanto magis ergo ille est accusandus, qui Deum vrgere vult, & non statim credit ei, cùm sit verax, omnis autem homo mendax?

S. Aug. Ser. 181. de tēp.

Ecce ergo quid credere Deo significet & dicat, ordinem actus fidei ad veritatem diuinam reuelantem. Credere verò in Deum, signat & dicit habitudinem & respectum fidei nostræ ad Deum, vt vltimum finem nostrum, quem diligimus, & propter quem omnia credimus, ipsum actum penitus atque totaliter referentes ad ipsum. Ita vt credere in Deum, propriè nihil aliud sit, quàm cum fide, spe, & charitate illi adhærere & coniungi, & sicut Sanctus Augustinus dicit, credendo amare; credendo, in eum ire. Credere Deo, veráque esse esse quæ dicit, multi, etiam & mali, possunt. Item Deum existere & dæmones credunt: sed in Deum E credere soli norunt & possunt qui diligunt illum, qui non solùm nomine Christiani sunt, sed vita & factis, quia sine dilectione fides est inanis.

Quid sit propriè credere in Deum.

Multiplex certè fides nostra considerari potest. In aliquibus est mortua & inanis, quæ est sine operibus bonis. In aliis exigua, de qua in Euangelio Dominus: *Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?* In aliis verò est magna, qualis Chananææ erat; *magna est fides tua.* Illa autem est qua propriè in Deum credimus, quæ viua est, instructa & informata bonis operibus, qua in factis atque vita testimonium reddimus, quod in veritate credimus; qua denique Christum corde, ore & opere prædicamus. Sicut Apostoli, qui vbique virtute magna testimonium reddebant Resurrectionis Iesv Christi Domini nostri, & ad principes Sacerdotum constanter respondebant; *Non possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.* Sic dicebat & Paulus quia non erubescebat Euangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti: & rursus, corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hinc Dauid; Credidi, propter quod locutus sum. Sic crediderunt omnes Sancti, omnes Martyres, omnes fideles, propter quod & loquuti & operati sunt. Charitas operatur magna, si est. Ita fides operatur magna, si charitate ornata est.

Multiplex consideratio fidei. — *Matth. 6.* — *Act. 4.* — *Rom. 1.* — *Rom. 10.* — *Psal. 115.*

De nomine, veritate, & vnitate Dei.

Credo in Deum.

Catechesis VI.

Sanctvs Athanasius in Symbolo suo docet, fidem Catholicam, quam à Iesv Christo traditam, ab illiúsque discipulis prædicatam accepimus, hanc esse, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Hoc primum officium est fidei, & hominis Christiani, scilicet, in Deum credere; credere Deum esse, assentiri verbis eius, atque in eum vt ad finem pia moueri affectione. Verùm ab ipso limine ingens difficultas oritur, ingensque labor, vnde nec vnquam extricari poterimus, scilicet, quid & quis ille Deus sit, in quem nos credere oportet. Ita enim est incomprehensibilis, vt ad cogitandum minimè quidem tres dies cum Simonide sint postulandi, cùm nec tota vita ad id sufficiat. Lucem Deus habitat inaccessibilem, miniméque natura eius definiri potest. Cœlo excelsior est, & quid facies? Vnde equidem à nobis, sicuti est, agnosci non potest, aut oportet, si aliqua de eo notitia habenda sit, vt diuersa nomina sortiatur. Ita enim in Scripturis sacris dicitur α & ω, lux & pater luminum, Spiritus, Charitas, Qui est, &c. à Philosophis, Ens entium, primum mouens immobile, Actus purus, &c. Denique communi nomine, & vt dicam vulgò, vocabulo apud omnes accepto, Deus. Cæterùm vndecunque adhuc nomen istud veniat, suamque etymologiam trahat, non tam substantiam Dei quàm operationem significat, si vocis originem ab operationibus desumptam spectemus, iuxtá tres etymologias nominis huius admodum operationibus diuinis conuenientes. Iuxta primam sumptam à θέειν, Θεός, Deus, idem est ac percurrens & disponens vniuersa,

Dei nomina. — *Nomen commune Deus.* — *Vox Dei operationem dicit, non substantiam.* — *Multiplex etymologia nominis Deus.*

vniuersa, quia prouidentia sua Deus cuncta percurrit, fouet & gubernat. Iuxta secundam sumptam ab *αἴθειν*, quod vrere significat, Deus ignis consumens dicitur, consumens malitiam omnem. Denique à θεᾶσθαι Deus dicitur, quasi videns omnia, quia omnia nouit & omnibus prospicit, prouidetque. Alij denique à dando deducunt, quod omnia à Deo proueniant.

Nomē Deus impositū est ad significādam naturā per se subsistentem, quæ Deus est.

Exod. 3.

Interim ad substantiam & naturam quamdam denotandam excellentissimam, & immortalem, qua nihil melius aut sublimius excogitari potest, quæque ex seipsa subsistit, ac proinde à nullo alio dependet, oritur, aut regitur, sed liberè alia vniuersa à se producta, efficit, mouet & gubernat, hoc nomen impositum est, iuxta illud Exodi; *Ego sum qui sum.* & illud Apost. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Vbi quidem hoc adhuc dignum obseruatione est, quod ferè in omni lingua nomen *Dei* sit tetragrammaton, id est, quatuor litterarum, Deus, Θεὸς, Dieu. Quo signatur quadruplex excellentia Dei, scilicet in sua essentia, in suo esse, in virtute, & operatione.

Diuinitatis existentia & veritas probatur.

Iam verò talem naturam esse quam Deum dicimus, omnia prædicant, vnaque omnium communis vox est, & naturali instinctu patet quemdam inesse humanæ menti Diuinitatis sensum. Nulla est enim tam barbara natio, inquiebat Cicero, nulla gens tam efferata, cui non insideat hæc persuasio Deum esse. Vox totius naturæ est, vt si quæ in ea pulchra sint, bona & fortia, Dei authoris pulchritudinem, bonitatem, & potentiam demonstrent. Omnium vox creaturarum, quæ clamant, ipse fecit nos. Nam vt Apostolus dicit, inuisibilia ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas. Vnde S. Chrysost. in Genes. Quando, inquit, subleuas oculos & cœli spectas pulchritudinem, magnitudinem, vtilitatem, tunc inde ad opificem ascende. & infrà. Cui sagax est animus, ex singulis etiam paruis quæ facta sunt, videbit ineffabilem Dei potentiam. Quod si iam visibilia sola sufficiunt nobis ad docendam potentiæ conditoris magnitudinem, vbi ad inuisibiles veneris virtutes, scilicet, Angelos, quis sermo sufficiet enarrare magnificentiam eius inenarrabilem? Propheta visibilium dispositionem considerans exclamauit: Quàm magnificata sunt opera tua Domine! Quid nos, qui terra & cinis sumus, dicemus? Certè debemus continuò vultum demittere, & obstupescere vniuersorum Domini indicibilem misericordiam; qui, nempe, per hoc quod continet omnia, id est, vniuersam creaturam, nobis se intelligibilem reddit, & prorsus admirabilem. Ratio item quæ facilè per effectus ad causarum notitiam venit, vnum quid esse à quo alia omnia producuntur & dependent, apprehendit. Præter omnia creata quæ videntur, quamdam, vt diximus, essentiam esse inuisibilem, initium non habentem, neque finem, sed quæ principium existit & finis cæterorum, gubernat & regit, vbique præsentem, diffusam, & quæ super omnia existit, quam Deum esse dicimus, id & Scripturæ referunt, & fides docet.

Rom. 1.

S. Chrysost. hom. 4. in 1. cap. Genes.

Deū esse probatur multis testimoniis.

Verùm & testimoniis adhuc vndique sumptis Deum esse probemus, ex his & quæ intra, & quæ extra nos sunt. Probat conscientiæ propriæ stimulus, quo statim qui peccat & offendit, diuinæ iræ iudicium & animaduersionem exhorrescit: ipsa etiam naturalis inuocatio Dei in peri-

A culis, & prompta recordatio diuini numinis. Item si consideremus rerum omnium mutabilitatem, dispositionem, & ordinem, creationem & gubernationem. Sicut enim qui videret nauem æquor perambulare & portum petere, diceret nauclerum in ea esse: ita qui videt rerum ordinem & gubernationem, statim agnoscit totius vniuersi aliquem esse gubernatorem, qui res omnes ad suum finem dirigat; primam aliquam causam efficientem esse quæ non sit ab alia, sed à se esse aliquod primum mouens in rerum natura, quod non ab alio moueatur, sed cuncta moueat. Esse denique in rerum natura aliquod primum ens optimum, verissimum, & nobilissimum, quod

B omnibus aliis sit causa entitatis, bonitatis, veritatis, & omnis virtutis laudabilis.

Item miracula Deum esse conuincunt, omnem vtique creaturæ virtutem excedentia, vt mortuorum resuscitatio, prædictio in Prophetis, qui futura reserarunt; conseruatio ab igne, vel morsu leonum, vt accidit Danieli. Item aliorum cultorum Dei frequens protectio, quos mirabiliter Deus semper & ab initio mundi custodiuit, & eripuit à manibus & insidiis peccatorum. Item pœnæ malorum, vt conflagratio Sodomorum, perditio Pharaonis & exercitus eius in mari, & aliæ eiusmodi, satis Deum esse prædicant. Denique, vt nihil omittam, Deus per Incarnationem

C filij sui satis se manifestauit hominibus, restituendo visum cæcis, vitam mortuis, totum denique orbem per ignominiam Crucis ad sui notitiam adducendo. In eo enim summa Dei virtus elucet, quod in nomine IESV crucifixi omne genu flectatur; quod persuaderi potuerit toti orbi, in Cruce vitam & salutem esse.

Verùm post experientiam sensumque huius veritatis, nunc etiam de vnitate Dei est aliquid dicendum. Profitemur enim nos credere in Deum, non in plures deos, quia tantùm vnus est, vnde singulariter dicimus in Symbolo, Credo in Deum; & Christus in Euangelio: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum.* Nam dij gentium dæmonia, omnes falsi dij: vnus

Vnitas Dei.

Ioh. 17.

D verò tantùm est Rex regum, Dominus dominantium, vnus creator rerum, vnus author & finis omnium, cui soli cultus latriæ debetur. Scimus, inquit Apostolus, quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi vnus. Nam etsi sunt qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terra, (si quidem sunt dij multi & domini multi) nobis tamen vnus Deus. Sed non in omnibus est scientia. Sciendum itaque est Deum vnum esse, & plures etiam deos appellari, sed vnicum natura esse, alios dici propter participationem quamdam excellentiæ & perfectionis diuinæ, vt Reges, Principes, Iudices, Prophetas & Sacerdotes. *Ego autem dixi, dij estis,* dij participatione

1. Cor. 8.

E alicuius perfectionis diuinæ, non veritate naturæ.

Tribus rationibus ostēditur nō posse esse plures deos.

1. Quod ergo plures dij esse nequeant, tribus rationibus ostenditur, præterquàm quod id nos fides edoceat. Prima sumitur ex perfectione summa quæ in Deo reperiri debet, & cui nihil omnino deesse potest; nam perfectissimus est Deus, id est, absolutissimè perfectus. Ita vt etiam eius perfectio alteri communicari nequeat, alioquin illi deesset aliquid, nempe, quod illi soli non inesset talis perfectio, & sic totam atque totaliter non haberet eam; & sic tunc minimè Deus esset, cui solùm conuenit omnes

 perfectio

perfectiones habere. Dicam præterea, quod sicut A vna est perfectio quæ omnes alias complectitur, ita vnum esse oportet cui competit illa, qui Deus est. Hac igitur ratione, ex illa summa perfectione vnitatem Dei facile est colligere, cui nihil prorsus deesse potest, in quo & omnia simul & vnum esse debent: quod adhuc per comparationem nostri esse imperfecti quodammodo intelligi potest, semper enim nobis aliquid deest, & quod iam præterijt esse, & quod futurum est. Vnde quod nobis præsens remanet, nescio quid tantùm imperceptibile est: sed in Deo, in quo, propter summam eius simplicitatem, & præteritum, & futurum, & præsens simul sunt, omnia denique simul, etiam vnitas perfectionis, & consequenter naturæ suis omnibus numeris absolutissimæ certò inueniri debet. B

2. Secunda ratio huius vnitatis sumitur ex infinitate Dei, & quia est incircumscriptus, vnde cùm nequeant inueniri duæ naturæ infinitæ, ita etiam inueniri non possunt duæ res summè perfectæ natura distinctæ. Quare quamuis Deus ita sit vnus, vt tamen non sit solitarius, quia trinus est in personis, tamen semper est & dicitur vnus, quia in tribus vnitas est eiusdem naturæ & substantiæ, perfectionis, bonitatis, virtutis, potentiæ, & voluntatis. Nam distinctio in illis solùm per proprietates personarum inuenitur, quod in patre diuinitas, seu diuina essentia a nullo alio accepta existat: filio autem per viam generationis, atque eadem Spiritui sancto per spirationem à patre filioque communicetur. C Cuius diuinæ naturæ identitatem in tribus personis, simulque trium personarum in illa vnitate naturæ distinctionem aliqui exemplo elucidant Adami, Euæ, & Seth; in his enim tribus eadem specie natura diuersimode subsistebat. In Adamo quidem vt in fonte existebat: in Eua tanquam ab Adamo accepta: in Seth vero tanquam ab vtroque procedens. Hæc tamen similitudo claudicat in eo, quod hi tres homines vnus sunt homo specie, sed non numero, quia diuersam quidem numero naturam suam habent. In tribus autem personis diuinis eadem penitus & vna numero natura est, vnde etiam dicuntur vnus Deus, D quia illa infinita est, incircumscripta, nec vllis definita terminis.

Exemplo res elucidatur

3. *Ratio.* Tertia ratio petitur à multitudine & numero qui ab vnitate proficiscitur: vnitas enim principium est numeri à quo est omnis multitudo; vnde ipsa multitudo rerum Dei vnitatem declarat, qui est principium omnium. Regimen monarchicum optimum est; mala verò, & multa gignens bella diuisionemque, principum multitudo. Vnde facilè tantùm vnum Deum esse colligimus, quem videmus tam diuersas mundi partes concordi pace regere, alioquin iamdudum, si diuersis subiectus fuisset imperiis, dissolutus corruisset, ortaque dissensione periisset. Ergo quod ab initio mundus ordine suo perseueret, vnicum esse Dominum qui sua prouidentia ipsum gubernet, facile est demonstrare, vnum inquam qui diuisus à cæteris, in se & à se maneat indiuisus, id est, pluribus aliis extra se incommunicabilis. Hæc est tua Domine majestas, quod solus sis qui es, solus qui esse & vitam aliis tribuis, conseruas quæ facis, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia, qui es omnium Deus benedictus in sæcula.

* * *

ARTICVLVS PRIMVS.

De distinctione personarum diuinarum. Ac primùm de nomine, & omnipotentia Patris.

Credo in Deū patrem omnipotentem.

CATECHESIS VII.

CHRISTVS IESVS lux venit in hunc mundum, vt ait Euangelista, *erat lux vera*, & ipsemet in Euangelio, *quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Vnde purgans ipsum tenebris erroribusque infidelitatis, contulit ei fidem, veritatis lumen, & Diuinitatis notitiam, quæ in reuelatione mysterij vnitatis & Trinitatis in Deo consistit. Huius autem mysterij duo esse retinenda vocabula docet Catechismus Concilij, quibus illud maximè explicari & significari potest. Primum est essentiæ, alterum personæ.

Ioh. 1. Ioh. 9.

Duo vocabula quibus explicatur mysterii vnitatis & Trinitatis in Deo.

Quare postquam vnam Dei naturam & Diuinitatis essentiam in hoc primo Symboli Apostolici articulo posessi sumus, statim etiam eamdem pluribus personis, scilicet tribus, communem esse profitemur & credimus, mentione facta primæ in Diuinitate personæ, quæ in voce Patris declarata est; *Credo in Deum patrem.* Ecce pater qui in Diuinitate persona prima est, non quod in diuinis sit aliquid prius & posterius, maius & minus; absit: vna est enim & eadem, vt diximus, æternitas & majestas: sed quia Pater in Trinitate principium est sine principio; filius principium ex principio, non item Spiritussanctus respectu personarum, sed tantùm cum patre & filio, rerum omnium creatarum vnum atque idem principium, qui procedit ipse à patre & filio, tanquam ab vno principio. His iam positis, explicare superest quamobrem prima persona Pater dicitur, omnipotens, & creator, vt infrà dicemus.

Quantum ad primum. Illa vox, Pater, non dicitur de Deo secundum substantiam, neque secundum accidens, sed secundum proprietatem primæ in Diuinitate personæ, quæ eiusdem naturæ filium ex se ab æterno genuit; vel vt significat modum subsistendi & habitudinem ad secundam Diuinitatis personam, iuxta illud ad Ephes. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri IESV Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur*, id est, æterna, & temporalis. Nam solus in diuinis generat, & præterea etiam ab eo omnes qui temporaliter generant, habent & esse, & posse generare. Vbi iam significatur alio modo Deum esse patrem verbi sui, quàm Angelorum, hominum, atque etiam omnium creaturarum. Filij enim sui, scilicet Christi, pater est natura, id est, non tantùm nomine, sed æterna & incommutabili generationis proprietate, vnde solus Christus vnigenitus, consubstantialis, primogenitus, verus, & proprius æterni Patris sempiternus est filius, proprietate originis, non gratia adoptionis: veritate, non nuncupatione: natiuitate, non creatione. Nos verò, & Angeli pariter, filij Dei tantùm creatione dicimur, prouidentia & adoptione; analogia quadam

Quid illa vox, Pater, dicat, & significet in Deo.

Ephes. 6.

Deus alio modo pater est Christi quàm hominum, &c.

Tripliciter Deus pater dicitur. quadam & nuncupatione, non natiuitatis proprietate. Sicque tripliciter Deus pater dici potest. Primò natura, filij sui. Secundo adoptione, Angelorum & hominum. Tertio creatione, prouidentia & gubernatione rerum omnium creatarum. Vbi adhuc quidem inter Christum & omnes creaturas hoc est discriminis, quod non solùm prima persona Trinitatis, scilicet Pater, sed etiam filius & Spiritussanctus, nempe Deus, Pater est omnium, creatione, prouidentia, gubernatione, gratia & adoptione; vt dicitur in Deuteron. (Deuter. 32.) Numquid non ipse est pater tuus qui possedit te, & fecit, & creauit te? Et in Malachia; (Malach. 2.) Numquid non pater vnus omnium nostrûm? numquid non Deus vnus creauit nos? Et ad Romanos, (Rom. 8.) vbi Apostolus de gratia nostra adoptionis filiorum Dei sic loquitur: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Et Iob de conditione rerum inanimatarum loquens, hoc dicendi genere vtitur: (Iob. 38.) *Quis est pluuiæ pater? vel quis genuit stillas roris? de cuius vtero egressa est glacies? & gelu de cœlo quis genuit?*

Ecce quo pacto Deus, videlicet tota Trinitas sancta omnium creatrix, omnium etiam patens dicitur, speciali tamen modo & ratione, hominum, maximè verò Christianorum, qui plus prouidentiæ eius quàm alij omnes recipiunt. Eam namque charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus; (1 Ioh. 3.) Si autem filij Dei, ait Apostolus, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, (Rom. 8.) vt ipse sit primogenitus in multis fratribus. Primogenitus, quia & vnigenitus à patre est; vnicus qui natura & generatione diuina & æterna, patris æterni est filius, à quo solo via generationis procedit, cùm seipsum intelligendo Deus & ab æterno, continuò etiam imaginem sui, similemque sibi producit, quæ verbum est, & æqualis sibi in natura & majestate filius; iuxta quod in Psalmo dicitur: (Ps. 2.) *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* & ipsemet dicit in Euangelio; (Ioh. 16.) *Exiui à patre:* sicut etiam ipsius Euangelista; (Ioh. 1.) *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Gloriam certè, quam solus ille possidet filius qui natura est vnigenitus, gloriam qua item æternus pater in illo vnico potitur pleniùs, intimiùs, veriúsque quàm in cunctis creaturis. (*Plus Deus honoratur in qualitate patris, quàm Domini & creatoris.*) Illa est enim omnis gloria Dei, quod pater dicatur, & pater vnigeniti sui; multoque plus honoratur in hac qualitate & nuncupatione patris, quàm Domini & creatoris. Vnde etsi respectu etiam creaturarum pater dici possit, interim veruísque earum est creator & Dominus; sed filij sui pater tantùm est, & non Dominus, cui in omnibus ipse est æqualis.

O admirabilis, incomprehensibilis, ineffabilis, & omnipotens paternitas! (*In generatione verbi tota Dei virtus & omnipotentia apparet.*) *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* In nullo certè magis manifestari potest, aut potuit potentia Dei & majestas, quàm in generatione verbi, vbi tota virtus exhibetur, quando producit illud omnino æquale & simile sibi; vbi & in modo producendi, & ex parte producentis, & parte producti omnipotentia ostenditur. Nam in creatione mundi minimè diuina potentia secundum

A omnem suam virtutem operata est, neque etiam nisi in modo producendi nobis est manifestata, scilicet, quia ex nihilo, non verò in re producta, quia illa est finita. In generatione autem verbi omni ex parte relucet omnipotentia Dei.

Verùm quantum ad illam omnipotentiam, nunc sciendum, inter nomina, quibus Dei majestas & immensa virtus eius explicari solet, vocem hanc omnipotentis esse frequentissimam, vtpote quam Deus velut notam sibi propriam reseruat. (*Quare in Symbolo solius omnipotentia facta est mentio.*) Propterea etsi multis elogiis celebretur in Scriptura, nam bonus, sapiens, iustus, sanctus, fortis, & immortalis prædicatur; hic tamen tantùm expressa omnipotentiæ fit mentio, quod hæc vox reliquas Dei perfectiones contineat. Nam omnipotentem, B bonum, sapientem, iustum, sanctum, immortalem, summéque perfectum esse oportet, rerum omnium scientiam habere, omniaque sibi subiecta. Ideo ergo primùm, atque ante omnia omnipotentiæ Dei in Symbolo mentio facta est, vt minimè dubitemus ab eo facta, & vera quæ credenda nobis proponuntur, etsi supra nos sint, omnemque mentem creatam atque rationem superent. Ad hoc valet ista persuasio omnipotentiæ Dei, quæ penitus facit ad fidem, spem, atque humilitatem fidelium confirmandam, cùm facile is credat quidquid proponitur credendum, quantumuis etiam humani ingenij captum excedat, & C rerum vsitatum cursum, qui Deum longè plura posse nouit, quàm humanæ mentis acies penetrare valeat. Hinc Deus magnificas promissiones Abrahæ facturus dicebat: Ego Deus omnipotens, &c. (Gen. 17.) Et ipse Christus in Euangelio; (Matth. 19.) Apud Deum omnia possibilia sunt. Et Angelus ad virginem loquens de futuro eius (Luc 1.) conceptu & partu; Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Et Angeli ad Saram quæ erat sterilis; Numquid Deo aliquid est impossibile? Vt quidem intelligamus ex his, quanta religione Deum colere debeamus qui omnia potest. Omnia dico quæ possibilia sunt, (*Quæ possibilia dicantur.*) quæ contradictionem non implicant, nec summæ perfectioni aduersantur, aut repugnant. D Quare cùm dicimus, quod Deus peccare non potest, aut mori; hoc non est defectus omnipotentiæ, sed potiùs ratio omnipotentiæ eius & summæ perfectionis: sicut quod miles non possit vinci, ratio est & indicium fortitudinis animi & magnanimitatis. Item fieri non possunt quæ non cadunt sub rationem possibilis, vt simul esse & non esse: fieri enim nequit, vt idem concipiatur esse & non esse. Quare in hoc dicitur Deus omnipotens, quod omnia facere potest, quæ possibilia sunt.

Præterea sciendum hoc nomine significari, nihil esse, nec animo cogitari posse quod Deus efficere E non possit, & sic, & quæ creauit in nihilum posse redigere, & multo plura posse, maiora & meliora, quàm ea quæ fecit, & secundum substantiam, & secundum accidentia, conditionesque tam genericas, specificas, quàm indiuiduas. Infinitæ est enim virtutis, omnisque author virtutis, neque ob aliud dicitur omnipotens, nisi quia quidquid vult potest, quod vult facit, & pati nequit quod non vult, vtpote is in quo potentia tantùm actiua est, non autem passiua, quæ imperfectionem denotat, (*Qua potentia imperfectionem denotat.*) cuiusmodi esset, vt iã diximus, mori, peccare, ignorare, mentiri, fallere, & falli, atque seipsum

negare: hæc enim omnia imbecillitatis sunt, & non potentiæ; vnde nec potest, quia illa posse, infirmitas est. Quid Deus potest? omne quod possibile est, idque etiam quod numquam facturus est, vt quod per foramen acus Camelus transeat.

Duplex potestas in Deo.
Quod vt meliùs intelligatur, sciendum iuxta Theologos duplicem constitui in Deo potentiam: vnam absolutam, qua omnia possibilia potest; alteram ordinariam, qua secundum ordinem à se præfixum creaturis agit. Vnde quod numquam ordinaria potentia & lege facturus est, absoluta potest. Quomodo quidem inuenimus multos errasse circa Dei omnipotentiam, vt qui dicebant; Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Et malè loquuti sunt de Deo, ait Psaltes. Sic in Euangelio minimè credentes iterum dicebant Iudæi; *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Ita & in historia Regum vnum ex ducibus Samariæ, & super cuius manum Rex incumbebat, legimus in introitu portæ conculcatum à turba mortuum esse iuxta verba prophetæ, eo quod non credebat verbum à Deo immissum impleri posse.

Errores de omnipotentia Dei. Ps. 77. Ioh. 6. 4. Reg. 7.

Quā efficax & multos producit effectus fides omnipotētiæ Dei. 1. Petr. 5. Heb. 10. Luc. 12.
Magna certè multumque efficax in nobis est fides omnipotentiæ Dei, quæ primò efficit humilitatem in nobis, dicente Petro: *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Apost. *Horrēdum est incidere in manus Dei.* & Christo Domino: *Ostendam vobis quem timeatis. Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittendi in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Secundò efficit confidentiam in aduersis, vt animus nulla desperatione frangatur, sicut accidit tribus pueris, qui hac fide armati dicebant summa libertate Regi eos ad idololatriam prouocanti: Ecce Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Tertiò dat confidentiam obtinendi quod petimus, dicente Domino; Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc; & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Quartò plurimum coërcet audaciam peccandi, sicut obiiciebat Tyranno Antiocho septimus fratrum Machabæorum, qui pro lege Dei tormenta mortis animo forti sustinebant, dicens ei: Tu qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. O scelestе, & omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in seruos eius inflammatus; nondum enim omnipotentis Dei, & omnia inspicientis iudicium effugisti, &c. Quintò multum valet, inducitque illa fides omnipotentiæ Dei ad recolenda & celebranda erga nos immensa eius beneficia; vt cum beata virgine grato animo exclamemus, dicamusque; fecit mihi magna qui potens est. Vnde enim nobis tanta fecit Deus, nisi quia potens est? Certè ex omnipotentia eius nobis omnia bona proueniunt.

Dan. 3. Matth. 17. 2. Mach. 7. Luc. 1.

In quibus relucent signa omnipotentiæ Dei.
Signa autem omnipotentiæ eius relucent, primò in creatione mundi huius. Secundò, in modo producendi ipsum, videlicet, inquantum ex nihilo & sola virtute verbi fecit omnia, dixit enim, & facta sunt. Tertiò, in gubernatione rerum omnium quas condidit. Quartò, in bonorum protectione, & malorum punitione. Quintò, in resuscitatione Christi a mortuis, variisque prodigiis, atque miraculis quæ in mundo apparuerunt. Sextò, A in peccatorum & impiorum iustificatione, in qua rebelles ad se conuertit propitius voluntates. Septimò, in mundi renouatione, omniumque mortuorum futura resurrectione.

Triplex excellētia omnipotentiæ Dei.
Verùm huius omnipotentiæ triplex adhuc excellentia agnosci & considerari potest. Prima est, quod ad Deum solum spectat ex natura sua & essentia habere potentiam; nulla enim creatura nisi per participationem habet. Vnde Deus solus est & dicitur potens: nos autem ea conditione sumus, vt nihil possimus, qui ab eo qui est & potest, esse & posse habemus. Secunda est, quod Deus solus per se, & sine alterius ope potest operari, quod nulla creatura potest, nisi omnipotentia Dei cooperetur cum illa. Neque enim Sol lucere, nec ignis ardere, nec cœlum moueri, nec homo ambulare, audire, vel loqui potest, nisi concurrat Dei omnipotentia. Inde Isaias dixit; *Omnia enim opera nostra operatus es nobis Domine Deus noster.* Et Christus: *Sine me nihil potestis facere.* Et Apostolus eius Paulus; *Omnia & in omnibus Christus.* Vnde iam constat satis quantam dependentiam habeamus ex illa omnipotentia Dei, vt in humilitate nos stabiliamus. Tertia est & vltima, quod Deus in se solo non retinet potentiam suam, sed eam suis diuidit & communicat creaturis, vt vnaquæque operari possit modo suæ naturæ conformi; etsi adhuc supra debitum naturæ nostræ gratia potentiori nos exornet, adeo vt omnipotentiæ & gratiæ Dei adhærentes possimus quidquid in nobis & ex nobis voluerit Deus, vt cum Apostolo vnusquisque dicere queat; *Omnia possum in eo qui me confortat.*

1. 2. Isa. 26. 3.

De creatione vtriusque naturæ, inuisibilis & visibilis.

Creatorem cæli & terræ.

CATECHESIS VIII.

Duplex differentia perfectionum in Deo.
DVPLEX inuenitur in Deo perfectionum differentia: vna earum quæ ad personas referuntur, & dicuntur relatiuæ seu personales, cuiusmodi sunt, IESVM Christum patris æterni filium esse vnicum ac naturalem. Item, primam personam Trinitatis patrem esse verbi sui, quod est filius: sicut ab vtroque tanquam ab vno principio procedere Spiritum sanctum per spirationem mutuam. Altera differentia perfectionum est quas essentiales nominamus, vtpote quæ ad naturam Dei spectant, ideóque tribus personis sunt communes, licet per appropriationem alicui earum attribuantur & conueniant, vt omnipotentia attribuitur patri, eo quod fons sit omnis esse atque originis, à nullo alio suam essentiam accipiens, sed à seipso subsistens, quamuis hoc attributum quod essentiale est, tribus commune sit; filius enim est omnipotens, & Spiritussanctus similiter sicut pater. Ita est de sapientia communi quidem vt potentia tribus, tamen per appropriationem attributa filio, quia verbum patris est æternum, per quod ordinatissimè cōdita sunt omnia, & à quo fluit omnis sapientia. Idem est de bonitate respectu Spiritussancti, cui adhuc illa per appropriationem attribuitur, eo quod patris & filii amor æternus est, quo se amant mutuò & omnia.

Creare conuenit tribus personis, & non vni absolute.
Itaque constat ex istis, quomodo non vni personæ diuinæ creare proprium est, sed omnibus est com

eſt commune; ſicut omnes per communem omnibus eſſentiam, intellectum, atque voluntatem creant, vt dicitur in Geneſi; *In principio creauit Deus*, &c. & in Pſal. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et in Euangelio Chriſtus IESVS ait: *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor.* Et Apoſtolus eius Paulus: *Nobis vnus Deus, pater, ex quo omnia, & vnus Dominus* IESVS *Chriſtus, per quem omnia.* Illud verò ſuadet ratio. Nam ita fiunt creaturæ à Deo, ſicut fit opus artis ab artifice, nempe per verbum intellectus quo rem faciendam cogitat, & per amorem quo ad rem efficiendam impellitur. Sic enim omnia Deus facit per verbum ſuum æternum repræſentatiuum omnium creaturarum, & per amorem vtriuſque, qui eſt Spirituſſanctus, quo etiam creaturæ faciendæ amantur.

Gen. 1. Pſ. 32. Iob. 5. 1. Cor. 8.

Ratio & ſimilitudo artificis.

Omnes creaturæ repræſentant Trinitatem diuinarũ perſonarum, & quomodo.

Vnde etiam fit, vt omnes creaturæ in ſe aliquo modo Trinitatem diuinarum perſonarum repræſentent, (nam omnis effectus eſt aliquo modo ſimilis ſuæ cauſę.) In hoc autem repręſentant, quod, iuxta quod dicit Sapientia, omnia Deus in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit. Vnaquæque enim res eſt vnum aliquid per ſuam limitatam ſubſtantiam; ecce menſura. Deinde habet formam ſuam. i. ſua ſpecie formatur; ecce numerus. Pręterea habet aliquam congruẽtiam & ordinem; ecce pondus. Quamuis tamen in hoc ſit diſcrimen inter creaturas, quod quæ ſunt intellectus & voluntatis participes, Deum repræſentent per modum imaginis, quia perfectè repræſentant & ſecundum formam & fœcunditatem Diuinitatis, quæ in productione verbi & amoris conſpicitur. Quæ verò non ſunt huiuſmodi, tantùm per modum veſtigij repræſentant, & non perfectè, per modum ſigni quod denotat quidem cauſam; ſed non venire facit in cognitionem eius perfectam.

Sap. 11.

Quid igitur omnes creaturæ, vnaquæque lingua ſua & voce propria, clamant? Deum eſſe creatorem cœli & terræ. *Ipſe fecit nos*, inquiunt, *& non ipſi nos.* Vnde etiam hic profitemur & agnoſcimus, nullius creaturæ quantumlibet paruæ alium creatorem eſſe quàm Deum, atque etiam omnes figuras, ſpecies & formas naturales quas videmus in quibuſcunque naſcentibus, non extrinſecus adhiberi, ſed intrinſecus intima potentia creatoris effici, nulli creaturæ poſſe attribui, ſed Deo ſoli, qui à fine ad finem attingit diſponens omnia ſuauiter. Ipſe eſt ſolus à quo mundus formam ſuam & ſpeciem accepit cũ fieret, & omnia demum quæ fiunt, accipiunt. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, ait Apoſtolus, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus. Soli ergo Deo creare conuenit.

Nullius creaturæ creator eſt alius quã Deus.

1. Cor. 3.

Tripliciter vox creandi accipitur.

Verùm ſciendum hanc vocem creandi tripliciter accipi: duobus modis latiùs, & vno magis ſtrictè & propriè. Primò, latè accipitur, vt dicit & ſignat quamcunque rei productionem, quomodo ſapientia genita de ſe ait; *Ab initio & ante ſæcula creata ſum.* Secundò, pro eo quod eſt deſtinare & conſtituere ad aliquid illud quod iam antea erat, ſicut cùm dicimus creari magiſtratus. Tertiò denique accipitur magis ſtrictè & propriè, vt nimirum dicit & ſignat productionem rei ex nihilo. Et hoc modo de creatione loquimur in propoſito. Sic enim omnia Deus creauit, vt illa ex nihilo fecerit, atque etiam omnia in nihilum redigere poſſit. Angeli quidem & homines poſſunt facere aliquid; ſed modò materia adſit, vt ex lignis & lapidibus domum conſtruere. Item deſtruere, ſed ſemper remanebit materia, puluis & cineres: Deus autem ſolus poteſtatem habet in nihilum redigendi omnia, ſicut eduxit de nihilo omnia. Apud Iſa. *Ecce vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo quod non eſt.* Sic pia mater Machabæorum adoleſcentiori dicebat: Peto, nate, vt aſpicias ad cœlum & terram, & ad omnia quæ in eis ſunt, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.

Eccli. 24.

Soli Deo cõuenit & ex nihilo facere, & in nihilũ redigere.

Iſa. 41. 2. Macha. 7.

Cõſiderationes ex nihilo creationis noſtra deducendæ.

Ecce quomodo ex nihilo omnia prodeunt. Ecce vnde & deduci poteſt nobilis & eximia extractio hominum. Ecce quod principium omnes creaturæ habuerunt, quarum nulla ante mundi creationem erat. Extra Deum omnia nihil erant, ſoluſque ille erat, à quo omnia eſſe ceperunt. Vnde ſi iam originem noſtram conſiderauerimus, eſſe ipſum nihil videbimus, vt exinde noſmetipſos excitemus ad actiones gratiarum ei rependendas, qui ſic per ſuam omnipotentiam traxit nos ex nihilo, & inter creaturas ſuas nobiliſſimos fecit, capaces ſui, & vt pręſimus cęteris. Hæc eſt erga hominem creatoris cœli & terræ pia affectio & liberalitas, vt ipſe non ſit ingratus in illum, ſed continuò laudet & agnoſcat vt authorem ſuum, & dicat pari affectione; Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

Sub nominibus cœli & terræ vniuerſalis intelligitur creatura, inuiſibilis atque viſibilis.

Quid autem ſub his nominibus cœli & terræ intelligatur, explicandum ſupereſt. Dicam ergo vniuerſam intelligi creaturam, inuiſibilem atque viſibilem, ſpiritualem, atque corpoream; denique omnia quæ cœli & terræ ambitu continentur. Cœlum enim pars mundi ſuprema eſt, & terra centrum, ſub quibus extremis, omnia vniuerſitate rerum comprehenſa, quæ vel ſenſu, vel mente, à nobis percipi poſſunt, creata eſſe à Deo confitemur, iuxta illud Pſalmi; *Tui ſunt cœli, & tua eſt terra* videlicet, & omnia quæ in eis ſunt, tam quæ inuiſibilia ſunt, quàm quæ viſibilia, ſicut expreſsè in Symbolo Niceno adiunctum eſt; Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium. Ecce quæ ſub nominibus cœli & terræ intelliguntur. Ita S. Aug. & multi cum illo, nomine cœli Angelos intelligunt, qui hanc digniorem mundi partem inhabitant, qui ſubſtãtiæ ſunt ſimplices, incorruptibiles, mundi huius corporei conditione anteriores. Nam, vt vult S. Baſilius, etiam ante tempus & mundum hunc viſibilem, in ipſa Dei æternitate, ſed non tamen ab æternitate creati fuerunt.

Pſ. 88.

S. Baſil. in Gen. hom. 1.

Sicut autem nomine cœli Angelos: ita etiã nomine terræ hominem maximè intelligere poſſumus, qui omnium poſtremus de terra factus eſt, vnde etiam homo ab humo dictus. Hinc certè ratio cur Abraham ſe puluerem agnoſcit, Dauid figmentum Dei, Iob lutum dixit, ſicut Iſaias, Nos lutum, & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Et ipſe Deus apud Ierem. *Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea.* Ecce humana conditio, nihil vilius, ratione corporis, vt humiliare nos diſcamus; ſed nihil excellentius, ratione animę, quæ ornata eſt & reſplendet Dei imagine. Vtrumque Moyſes enarrauit & coniunxit dicens: *Formauit Deus hominem de limo terra, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Sed quid dicam, quando in ipſa creatione inſignitus eſt, per gratiam, Dei ſimilitudine, & nunc per eandem diuinæ fit conſors naturæ; ac ſemper capax & potens laudare Deum ſuum in cunctis operibus eius? Ipſe enim eſt & ſolus in terra, qui ratione præditus poteſt Deum factorem ſuum cognoſcere, laudare, venerari, adorare, meditari in adinuentionibus eius, &

Iſa. 64. Ierem. 18. Gen. 2.

diuinas perscrutari rationes, cur & ob quem finem fecit hæc omnia.

Cur Deus & quo fine mũdum hunc creauit.

Igitur & nos in illas introeamus potentias Domini, & quod superest nobis, consilium indagare non grauemur, quod potissimum Deus in hoc opere creationis habuit, qui semper gloriam suam in omnibus quærit, etiam & simul vtilitati nostræ intendit. Vultis ergo sci[illegible] cur hunc ornatum mundi Deus creauit? cur c[illegible] n & terram? inuisibilia atque visibilia? Angelos & homines? Attendite; eius bonitas iuncta vtilitati nostræ causa est, consilium, & finis. Primò enim in hoc opere nullum aliud exemplar habuit Deus quàm seipsum, qui per infinitam suam sapientiam omnia creauit, & qui solus causa est efficiens, & finis vltimus eorum. Secundò, nullum aliud motiuum habuit præter bonitatem suam, qui ex pura liberalitate & libera voluntate, non necessitate coactus, aut meritis cuiusquam, fecit hæc omnia. Vnde etiam nullum alium finem habuit quàm propriam gloriam, iunctam cum vtilitate nostra, qui cũ esset summè bonus, & summè beatus, nos etiam bonitatis suæ ac felicitatis participes esse voluit, cùm hæc omnia fecit, atque vt inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intelligeremus. Omnia Deus nobis produxit, ait S. Chrysost. vt his manuducti ad conuenientem sibi adorationem ascendamus.

S. Chrysost. hom. 6. in Genes.

Sic ergo vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, vt suam nobis bonitatem, potẽtiam, sapientiam communicaret & demonstraret, & per ea quæ facta sunt, ad eius notitiam atque adorationem ascenderemus; ex rerum enim omnium conditarum vtilitate bonitas Dei demõstratur, ex magnitudine potentia, ex dispositione sapientia: vt intelligant omnes quanta gloria, quãta laus & honor illi debeatur qui est opifex huius vniuersi. Et certè erudiendis creaturis ratione præditis, ac in Dei amorem prouehendis officina huius mundi accõmodatissima est. Quis enim in ea ex creaturarum magnitudine creatoris infinitam esse vim non colligat? quis ex rerum omnium vtilitate summam eius bonitatem non videat? quis denique diligendum non censeat, qui in hominum gratiam, vtilitatem & commodum tot & tanta fecerit? Cœlum, in quo sempiterna felicitate perfruantur, & terram cum omnibus quæ in ea sunt commoditatibus, ne quid vitæ deesset transitoriæ decursu temporis.

Ad cognoscendũ & amandum Deum multum conducit officina huius mũdi.

Fructus qui ex creatione mundi colligi debeat.

Itaque ex consideratione vniuersi discimus primò, quanta obligatione teneamur seruire Deo secundum totum quod habemus ab illo. Quid enim habet homo quod nõ acceperit? & si acceperit totum, vtique totum ad Dei gloriam debet referre. Quare par est vt tota anima Deum diligat, totum cor, totus spiritus, tota virtus; denique totum quod accepit impendendum in Dei obsequium & amorem. Secundò discimus, vt quomodo omnis creatura voci Dei obtemperat, nam simul atque dixit Deus, fiat lux, lux facta est: ita & nos submittamus omnipotentiæ Dei, eiusque voluntati fideliter obtemperemus, sine mora & contradictione, promptè, exactè, simpliciter & perfectè. O anima, quomodo sola Deo resistis, cui statim obsequuntur omnia? Tibi voluntatem dedit liberam; sed libertati renuncia quam habes ei resistendi, vt postea in omnibus ei obedias. Vtere Deus omnipotens efficaci voluntate tua in me, vt amplius tibi non valeam contradicere; agnoscam te, factor meus, tibique & in obsequium tuæ majestatis & gloriæ rependam omnia quæ dedisti mihi. Esse dedisti, tibi esse reddam; animam dedisti, & libertatem; tibi animã, & libertatẽ, atque voluntatem omnem rependã. Quidquid habeo, possideo, mihique largitus es, quidquid sũ & per te valeo, hoc tibi totũ restituo, gratiasq; tibi immortales refero pro omnibus operibus tuis & beneficiis quæ fecisti mihi. Ex te enim, per te, atque in te sunt omnia. Tibi gloria.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De fide in IESVM Christum.

Et in Iesum Christum filiũ eius vnicum.

CATECHESIS IX.

SALVS & redemptio hominum, finis & fructus est Aduentus IESV Christi in hunc mundum, ideo enim verbum caro factum est, vt quod perierat, saluum faceret genus humanum. Quare etiam post confessionem Dei patris qui nos creauit, rectè subiungitur professio Dei filij qui nos liberauit; cuius sicut patris cognitio & fides ita est necessaria ad salutem, vt minimè sine ea consequi beatitudinem possimus, dicente ipso: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti* IESVM *Christum.* & ad Petrum qui ipsum fuerat confessus: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est.* Hinc in sua Canonica similiter dixit S. Ioh. Quisquis confessus fuerit, quoniam IESVS est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Hoc siquidem Religionis nostræ & salutis est fundamentum, nosse & confiteri eum per quem redempti & reconciliati sumus Deo patri, qui semetipsum, vt salutem consequeremur, obtulit pro peccatis nostris, solusque potuit & voluit ex nimia charitate sua qua dilexit nos, satisfacere ad rigorem iustitiæ patris, atque in reconciliationis & libertatis nostræ pretium animam suam dare. Licet enim potuisset Deus ex pura liberalitate nobis omnia condonare, sine vllo Aduentu Christi, solummodo loqui, & maledictionem soluere, aliúsque non defuisset illi modus sanandæ miseriæ nostræ, cuius potestati cuncta æqualiter subiacent: tamen certum est, manetque in confesso apud omnes, absque Christo per satisfactionem æquiualentem offensæ salutem suam consequi neminem potuisse, sicut optimè animaduertit S. Basil. in verba Psalmistæ dicentis; *Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam & pretium redemptionis animæ suæ,* (scilicet frater ille noster qui purus homo est.) Neque igitur fratrem quære in redemptionem, ait S. Basilius, sed eum qui excedit naturam tuam, neque hominem nudum, sed hominem-Deum IESVM Christum, qui etiam solus placationem dare potest pro omnibus nobis. Et ratio est, quia eiusmodi satisfactio debet esse infinita, quam ideo non alius quàm Christus exhibere poterat, cuius actiones, & obsequia Deo pro nobis præstita, sunt, sicut persona, infinitæ dignitatis.

Fides in Christum necessaria.

Ioh. 17.

Matth. 16.

1. Ioh. 4.

Nõ alius quã Christus poterat satisfactionẽ æquiualentem offensæ facere. S. Basilius in ps. 48.

Ecce igitur quam ob causam maximè in hunc mundum venit Dei filius factus homo, vt videlicet ita perfectè & æquiualenter pro peccatis nostris satisfaciendo, nos redimeret ab illis, omniaque instaurarentur in illo, & quæ in terris sunt, & quæ in cælis. Ecce etiam vnde talis Redemptoris cognitio, & fides in illum nobis & necessitate

Necessitate præcepti, & medij, fides in Christum necessaria est ad salutem.

necessitate præcepti, & necessitate medij ad salutem necessaria est, ad salutem primam, quæ iustificatio est, & ad salutem secundam, quæ beatitudo est: fides inquam illa, quam tunc temporis, videlicet exquo Euangelium sufficienter in orbe diuulgatum est, debere esse explicitam dicimus: quam certè nunc omnes habere & amplecti tenentur qui fidei & credulitatis sunt capaces. *Prædicate*, inquit Dominus, *Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Fidem exigit, tanquam initium & fundamentum salutis. Sic Apostolus scribebat Corinthiis; *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui*, id est, Christum prædicaui. Vnde statim subdit; *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus* IESVS. Ecce fides necessaria ad salutem, notitia Redemptoris, ipso dicente; Qui credit in me, habet vitam æternam. & rursus: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet; & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Adeò vt verum sit dicere, post lapsum Adæ, neminem absque fide Christi saluari potuisse. Iuxta quod etiam tale nomen sortitus est quod salutem & redemptionem significat: dixitque Apostolus non esse aliud in quo nos saluos fieri oporteat. Nomen illud est IESVS. *Credo in Deum patrem*, &c. *& in* IESVM *Christum filium eius*. &c.

Marc. 16. *1. Cor. 3.* *Ioh. 6.* *Ioh. 11.*

Nomē IESVS *non fortuitò filio Dei imponitur, sed Dei consilio & ratione.*

Verùm nomen istud gloriosum non fortuitò, sed iussu, ratione, & Dei consilio illi impositum est, eo quod nimirum futurus erat Saluator. Imponitur illi à maximo omnium Dei opere, à salute mundi, quam in carne & Cruce ipse erat completurus. Hinc Gabriel Virgini, & Iosepho pariter retulit; *Vocabis nomen eius* IESVM: *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, reddens rationem ab effectu cur illi hoc nomen imponatur. Moyses eo quod in ripa fluminis inuentus est, tale nomen habuit. Sic Christo nomen IESVS impositum est, eo quod salutem nostram operatus est, factúsque est omnium Saluator, in sanguine immersus proprio. Iacob item cum Angelo luctatus, ab eóque tactus in femore, Israël est appellatus. Sed Christus cum diuina iustitia luctatus, ab eáque in omnibus corporis partibus tactus, ita vt vndique sanguis effluxerit, vnde benedictionem patris nobis promeruit, meritò etiam nomen IESVS à salute & redemptione hominum habuit.

Luc. 1. *Matth. 1.* *Exod. 2.* *Gen. 32.*

Tripliciter nomē IESVS *Christo conuenit.*

Tripliciter autem illi hoc nomen conuenit. Primò, ratione simul Diuinitatis eius, & humanitatis. Saluator enim est inquantum Deus, & inquantum homo: natura vt Deus; authoritate accepta vt homo, cui nimirum illa, sicut omnis potestas à Deo concessa est. Vnde dixit Apostolus, *donauit illi nomen quod est super omne nomen*, &c. Secundò, ex decentia, vt qui reipsa saluat, conueniens exinde nomen accipiat. Tertiò denique ex efficacia, quia per eum solum decreuit pater æternus saluare mundum in sanguine ipsius. Vnde in Euangelio ipsa inquiebat veritas; Non misit Deus filium suum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Inde tandiu desideratus est, vt nomen eius hoc nomen IESVS, in desiderio fuerit animæ, & oris omnium, nunc autem in suauitate cordis, in gaudio & exultatione spiritus, vt in Apostolis videre est, qui ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti erant pro nomine IESV cōtumeliam pati. Ita vt hodie sit à Solis ortu vsq; ad occasum laudabile hoc nomē Domini, in fide & virtute cuius omnis qui inuocauerit, saluus erit.

Phil. 2. *Ioh. 3.* *Isa. 26.*

Quando & quam cōgruē nomē IESVS *Christo impositum est.*

A Notandum verò est in circuncisione nomen illi impositum fuisse, dum Saluatorem ageret in effusione sanguinis, rursúsque promeruisse in sanguine Crucis, in qua nostræ salutis opus consummauit: vt iam agnoscamus quo dignum sit honore & gloria istud nomen Inter omnia, in quo est salus, vita & resurrectio nostra. Hinc ratio cur audito illo nomine caput inclinemus, & genua flectamus. *In nomine* IESV, ait Apostolus, *omne genu flectatur*; in omni periculo cum reuerentia inuocetur; etiam & cùm pingitur, vndique illuminetur radiis. Nomen enim proprium est, nomen Dei Saluatoris, sicut Christi nomen potestatis. Vt iam discamus, non nisi ab illo salutem esse quærendam qui dicitur B IESVS, id est, Saluator: & similiter gratiam non nisi ab illo esse quærendam qui dicitur Christus, id est, oleo gratiæ vnctus præ & pro participibus suis.

Vnde nomen Christi.

Christus ergo demum appellatur, quia vnctus à patre oleo spirituali, venit in hunc mundum triplicis personæ partes atque officia suscepturus, Prophetæ, Sacerdotis, & Regis, qui omnes vngebantur, eo quod in functionibus suis Dei majestatem in terra referebant. Vngebantur Prophetæ, quia interpretes erant diuinæ voluntatis: Sacerdotes, quia eorum munus erat orare pro populo, & offerre sacrificia pro peccatis: Reges, quorum est leges ferre, & populum regere. Vnde & in lege veteri figura erant veritatis quæ est in Christo IESV, C qui à patre Propheta vnctus est, id est, Christus factus, vt interpres eius voluntatis, & mysteriorum quæ nota fecit nobis. Sic apud Isaiam; *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me*, &c. Quid annunciandum? omne quod accepit à patre, hoc enim reuelauit nobis. Reuelauit quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis vnquam ascendit. Item tanquam Sacerdos vnctus est, qui officium exercuit pro nobis orando, atque etiam in Cruce sacrificiū offerendo pro peccatis nostris; & nunc in cœlo atque in æternum mediator existens apud patrem, & apparens vultui eius pro nobis. Ecce in æternum Sacerdos. Denique tanquam Rex vnctus est, D qui omnium Dominus est; licet enim vnctione & oleo spirituali fuerit vnctus, non temporali, eiúsque regnum præsertim spirituale sit, non tamen temporale amisit, qui & à ligno regnauit, sibíque per Crucem regna mundi sicut corda subiecit. Quare & creatione & redemptione Rex est atque Dominus, & pace super iustos, (regnabit enim in domo Iacob in æternum,) & iustitia super iniustos. *Hic est*, ait S. Petrus, *omnium Dominus*. Ecce quomodo meliùs, veriúsque cæteris Propheta, Rex & Sacerdos à Deo vnctus est, Propheta & Rege dicente: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quare? quia Propheta magnus est, Rex regum, E Sacerdos & filius Altissimi, cui propterea debetur imperium, honor & gloria in sæcula sæculorum.

Christus officia exercet Prophetæ, Sacerdotis & Regis. *Isa. 61.* *Act. 10.* *Ps. 44.*

Filium eius vnicum Dominū nostrū.

De naturali, diuina, & æterna filiatione IESV Christi, ac illius supremó in omnes dominio.

CATECHESIS X.

IAM maiora nobis explicanda sunt, cum videlicet qui dicitur IESVS Christus, vnicum esse Dei

Quare optimè à Symbolo Apostolico, in quo vera fidei traditur regula, Christianæ Institutionis sumpsimus initium, quod quidem, vt diximus, signum est Christianorum; soli quippe Christiani illo rectè vtuntur & armantur aduersus malitiam hæreseon, militiámque infernalis & diabolici furoris: soli denique profitentur ipsum ad syncerum germanúmque sensum Apostolorum. Nam infideles & Iudæi, qui à Christianæ religionis cultu omnino alieni sunt, prorsus ignorant; & hæretici vel penitus aliquos articulos negant, vel interpretationibus deprauatis in nouas alienásque sententias detorquent. Vnde etiam nulla vnquam extitit hæresis quæ non potuerit hoc Symbolo damnari. Quare maximopere necessarium est & perutile, hanc fidei nostræ regulam ritè scire & intelligere. Non autem ille putandus tenere fidem, qui solùm verba Symboli adamussim recensere nouit; sed qui vim verborum intelligens, quod ore profert, corde credit. Nam fides non est quod de Deo labiis sonamus, sed quod etiam atque maximè corde credimus, qualem quidem credulitatem cordis non Doctor docendo, sed Deus infundendo tradit; est enim fides donum Dei. Distincta ergo in mysteriis fidei sunt Doctoris & Dei opera; sed vtraque vtilia, vtraque ad salutem nobis necessaria. Doctor sermone imbuit, ostendens ex Scripturis quid nos de Deo credere & sentire oportet, monitor est atque institutor credendorum, alioquin ignoraremus, Apostolo dicente; *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo verò audient sine prædicante? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.*

Qui putandus fidem tenere, & Symbolum scire.

Distincta Doctoris & Dei opera in mysteriis fidei.

Rom. 10.

Igitur ad hauriendam fidem vtilis est & necessaria institutio diligens Doctoris ex verbo Dei desumpta. Deus autem est qui interna vnctione Spiritus sui, mentem intus demulcet, infigens ei tenaciter verbum per aurem acceptum, vt iam sine hæsitatione vlla assentiamus, & credamus vera esse omnia, quæ de Deo diuina eloquia prodiderunt. Iuxta quod etiam sciendum est, fidem in omnia tempora se extendere. Præteritum, vt credamus vera esse quæcunque superioribus sæculis referuntur gesta in Scripturis sacris. Præsens, vt de Dei in nos voluntate & operibus iuxta traditionem Scripturæ sentiamus, hodiéque etiam mundum & Ecclesiam à Deo gubernari & conseruari non dubitemus. Futurum, vt credamus ea euentura quæcunque vel promittunt, vel minantur Scripturæ sanctæ; ad quæ quidem omnia necessaria est virtus Dei, qui & linguam ministri sui instruit sermone ad ædificationem & instructionem efficaci; & mentem audientis sua temperans vnctione, veræ fidei capacem reddit. Hæc omnia sunt quæ in hoc Symbolo duodecim articulis comprehenso, & scienda & credenda fidelibus proponuntur.

Fides in tria tempora se extendit.

Verùm notandum, etsi duodecim sint articuli, potissimùm tamé Symbolum distribui in tres partes, iuxta tres maximas operationes, quæ tribus in Diuinitate personis conueniunt, & cætera fidei mysteria, beneficiáque comprehendunt, scilicet, creationem mundi, redemptionem generis humani, & Ecclesiæ sanctificationem: patri rerum omnium conditionem attribuens, filio humani generis redemptionem, & Spiritui sancto Ecclesiæ sanctificationem. Non quod omnes istæ actiones, quæ hic de Deo referuntur, à tota simul Trinitate inseparabiliter non perficiantur. Pater enim ingenitus per filium, & suum Spiritum sanctum condidit vniuersa; & filius vnigenitus cooperante patre & Spiritu sancto mundum redemit: sicut Spiritussanctus ex patre filióque procedens, cum patre & filio Ecclesiam sanctificat, viuificat & gubernat. Vna est enim trium personarum Deitas, & æqualis potentia; ab vnoque Deo in tribus personis distinctis omnia bona recipimus.

Symbolum in tres potissimùm partes diuiditur.

A

Interim quia per appropriationem aliquam nonnulla conueniunt personis distinctis, vt potentia patri, sapientia filio, & bonitas Spiritui sancto: ita etiam prima pars Symboli quæ tractat de creatione rerum, & est infinitæ potentiæ effectus, attribuitur patri. Secunda pars filio, quia hic agitur de opere redemptionis summæ sapientiæ effectu, vbi lapso homine per peccatum à fine ad quem creatus fuerat à Deo, ipsiúsque consilium irritum faciente, cùm minimè posset huic infinitæ offensæ satisfacere: hunc tamen modum admirabilem & seruandi sui consilij, & satisfaciendi pro homine, diuina sapientia inuenit, vt nimirum ipse creator Deus factus homo, ipsa Dei sapientia quæ est filius, similitudinem carnis peccati, ac formam serui induens pro reis solueret, portánsque iniquitates & maledicta hominum, manum percutientem patris sustineret. Hæc sunt quæ pro nostra omniúmque salute inuenit diuina sapientia; vnde & Isaias dicebat: *Notas facite in populis adinuentiones eius.* Magnæ vtique sunt. Tertia pars attribuitur Spiritui sancto, quæ agit de opere gubernationis Ecclesiæ, & omnium communicatione gratiarum in ea, quę ad bonitatem spectant, proprietatem Spiritussancti. Nam bonitatis est se diffundere per omnia, bonitas autem amor est, qui in Deo Spiritussanctus est, per quem filius à patre nobis elargitur omnia.

1. Pars attribuitur patri, & quo modo.

2. Pars filio.

B

Isa. 12.

3. Pars attribuitur Spiritui sancto.

C

De interno actu fidei, qui est credere.

Credo in Deum.

Catechesis V.

Qvod primùm Christus Iesvs docuit nos veniens in mundum, fides fuit in illum; ipsa enim est per quam accedimus ad Deum, sicut dicit: *Nemo venit ad patrem nisi per me. Ego sum via, ego sum ostium.* Et Apostolus eius loquens de fide, eam ponit primam ianuā accessus nostri ad Deum, cùm ait: Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Ita vt ad credendum, & necessitate medij ad consequendum finem nostrum, id est, ad perueniendum ad Deum, obligemur: sic enim passim docet Apostolus, quia ex operibus legis, minúsque adhuc ex operibus naturæ non iustificabitur omnis caro, id est, homo coram Deo, sed per fidem Iesv Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum, est iustitia Dei. Vnde & scribitur in Sapientia: Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, (fidem, notitiam tuam) mitte illam de cœlis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te, scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis. Subdítque statim rationem suæ petitionis. Nam, inquit, per sapientiam (id est, hanc fidem & cognitionem tuam,) saluati sunt, quicunque placuerunt tibi Domine à principio.

Per fidē primò acceditur ad Deum.

D

Ioh. 14.

Heb. 11.

Fides necessaria necessitate medij.

Rom. 3.

E

Sap. 9.

Ecce necessitas vt medij ad finem: finis est supernaturalis, cui etiá debent proportionari media. Vnde minimè cognitio naturalis est sufficiens, cuiusmodi est illa quæ à creatura mundi elicitur; sed

sed prætereà absolutè necessaria est supernaturalis, quæ ex verbo & reuelatione Dei oritur, & fides dicitur, dicente Apostolo; Sine fide impossibile est placere Deo. Non solùm autem hoc genere necessitatis obligamur ad credendum, verùm etiam necessitate præcepti. Nam non minus Scriptura sancta loquitur de fide, quàm de baptismo, Eucharistia, & pœnitentia; nec minus eam præcipit quam cætera. Vt enim dixit; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua. Nisi pœnitentiam habueritis. Nisi manducaueritis carnem filij hominis.* Ita dixit; *Qui verò non crediderit, condemnabitur*: sicut per Apostolum suum: Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum. Oportet; ecce necessitas, necessitas, inquam, non tantùm medij, sed etiam præcepti.

Necessaria necessitate præcepti.

Mar. 16.

Sed quid aut quomodo credere oportet? Mysteria quæ in Ecclesia reuelata sunt nobis; eáque non tantùm implicitè, vt in aliqua propositione vniuersali, ex qua deduci posset particularis: sicut credere vera esse omnia quæ in Scriptura sacra continentur, sic enim credere est implicitè Abraham genuisse Isaac; & sic de aliis. Verùm etiam oportet & necessitate medij, & necessitate præcepti, credere explicitè mysteria ad salutem, id est, distinctè & in particulari scire & his assentiri: vt credere quod Deus est, & author omnium donorum, atque inquirentibus se remunerator, credere nos esse peccatores, & diuina liberatione indigere; animam nostram immortalem esse: nunc autem, videlicet hoc tempore gratiæ, explicitè & distinctè scire articulos fidei, qui in Apostolorum Symbolo continentur: denique mysteria Trinitatis & Incarnationis, ad quæ omnes illi articuli pertinent, mysteria dicam, quæ & ad Diuinitatem & humanitatem IESV Christi spectant, sicut ipse in Euangelio dicit; *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille.* Item; *Creditis in Deum, & in me credite.* & rursus: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti* IESVM *Christum.* Ex quibus omnibus satis manifestum est, si nobis in votis sit salutem consequi, teneri distinctam atque explicitam habere notitiam mysteriorum fidei, iisque corde assentiri, etsi sensu & intellectu non percipiantur. Captiuitatem sensuum & intellectus ad obsequium Christi fides expostulat: huic ille debetur honos, propter eum quem suspicit, reuelat, ostendit, prædicat.

Tenemur nō tantùm implicitè, sed etiam explicitè credere mysteria.

Ioh. 6. 34. & 17.

Vt ergo incipiamus explicare quid sit credere, iuxta S. August. nihil aliud est quàm cum assensione cogitare. Cum assensione, ait; plerique enim cogitant ne credant, vt hæretici & rebelles lumini. Vnde sine assensione non est fides; credere, est cum assensione cogitare. Omnis qui cogitat non credit, sed qui cum assensione cogitat, credit. Certè omnis qui credit, cogitat: sed assentiendo cogitat, & sic cogitando credit. Quare iam vt claram definitionem demus, dicimus quod credere est veritati diuinitus reuelatæ assentiri, non quidem euidenter, sed certò & firmiter. Quod quidem id ipsum est quod S. Aug. dicebat, cum assensione cogitare. Nam quod (cum assensione) dicit, hoc certitudinem indicat assensus. Quod verò (cogitare) dicit, imperfectionem ineuidentiæ explicat; cùm cogitatio imperfecta tantùm sit cognitio, vtpote quæ nondum peruenit ad claram visionem illius quæ indagatur veritatis, ideoque dicatur cognitio adhuc ineuidens; cuiusmodi est cognitio fidei, qua clarè non intuemur in vnitate essentiæ diuinæ

Quid sit credere

S. Aug lib de præd. Sanct. cap. 2.

Clariùs explicatur quid sit credere.

A tres personas, in vnitate personæ Christi duas naturas, in Sacramento Eucharistiæ verum Christi corpus; etsi de veritate horum omnium simus certiores, quàm si oculis cerneremus, inquantum illa certitudo & veritas pro fundamento habeat omnipotentiam Dei, apud quem non est impossibile omne verbum. Vnde statim in nobis per imperium voluntatis sequitur assensus intellectus, ita constans & firmus, vt certè pro his etiam sanguinem profundere, & extrema quæque perpeti simus parati. Dixi per imperium nostræ voluntatis talem sequi ac ita firmum, & constantem assensum nostri intellectus, quia ex tribus, quæ maximè potissimúmque necessaria sunt, vt
B mysteria diuina & supernaturalia percipiantur à nobis, vnum istud est.

Tria ergo illa necessaria eiusmodi sunt. Primum est diuina reuelatio, quæ per scripturas, aut prædicatores missos à Deo nobis declaratur & exponitur. Nam cùm talia mysteria supernaturalia sint, nulli vnquam certè in mentem venissent, nisi Deus illa manifestare voluisset. Vnde inquiebat Apostolus; Loquimur sapientiam inter perfectos, sapientiam non huius sæculi, neque principum huius sæculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram: quam nemo princi-
C pum huius sæculi cognouit: si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Vnde mox subdit; Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum: nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum. Et alibi: *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Hinc certe iam satis constat cur Dominus mandauit discipulis suis: Prædicate Euangelium omni creaturæ; cur Philippus missus est vt prædicaret Eunucho; cur missus est Petrus vt prædicaret Cornelio; cur Paulus missus est vt prædicaret Macedonibus, quia nimirum ordi-
D nariè necessaria est ad fidem prædicatio, per quam Deus sicut per Scripturam reuelat sua mysteria.

Tria necessaria vt mysteria supernaturalia à nobis percipiantur.

1. *Reuelatio diuina.*

1. Cor. 2.

Rom. 10.

Marc. 16.

Act. 8.

Act. 10.

Secundum est persuasio siue per signa, siue alia ratione. Non enim satis est, vt doctrina reuelata proponatur, sed demum necesse est, vt accedat etiam aliquid, quod eam credibilem faciat. Hinc cùm mitteret Dominus Moysem ad prædicandum Pharaoni, atque etiam omni populo, potestatem dedit ei operandi miracula, quibus fidem faceret atque testaretur, prædicationem suam verè diuinam esse. Vnde Christus ipse in Euangelio suo dicebat de se: Si non venissem, & loquutus eis fuissem, peccatum non
E haberent. & rursus: Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Et alibi, cùm mittens discipulos dixisset eis: Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cœlorum; adiunxit statim, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite, &c.

2. *Persuasio.*

Exod. 4.

Ioh. 15.

Matth. 10.

Tertium est voluntatis imperium, quod maximè facit consentire intellectum, ipsumque adiutum diuina gratia captiuat in obsequium fidei. Et certè nulla persuasio esse potest, quæ hominem possit cogere ad credendos fidei articulos, imò nec ipsa quidem miracula possunt, si ipsius volũtas resistat. Requiritur ergo inclinatio voluntatis quæ

3. *Imperium voluntatis.*

intellectum moueat ad assentiendum iis quæ vim A omnis creatæ intelligentiæ superant. Sic enim in
Ioh.12. Euangelio dicebat S. Iohan. de ipso Christo, quod cùm tanta signa fecisset coram eis, videlicet Iudæis, non propterea tamen credebant in eum. Hæc igi-
2.Cor.10. tur ratio fuit, cur dixerit Apostolus, captiuandum intellectum esse in obsequium fidei, id est, pio affectu & voluntate quasi cogendum. Hinc
S.Aug.tract. 36. in Ioh. notabile illud dictum S. Augustini. Intrare quisque in Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest Sacramentum nolens, credere non potest, nisi volens. Ecce ergo quid sit credere, veritati diuinitus reuelatæ, certò & firmiter, etsi inuidenter, assentiri, voluntariè captiuare intellectum suum in obsequium B fidei.

Tribus modis credere aliquis dicitur. Nunc autem quot modis id circa Deum contingat videndum est, simulque respondendum, tribus modis, nempe, credere Deum, Deo, & in Deum; iuxta quod actus fidei habet tres illos respectus diuersos ad obiectum suum, quod Deus est. Nam cùm dicimus, credere Deum, signamus habitudinem actus fidei ad materiale obiectum fidei præcipuum, quod est Deus, & illa simul quæ habent ordinem ad Deum, vt ipsum existere, vnum esse, veracem esse, perfectissimum, & fontem bonorum omnium. Hæc enim particula, *Credo*, simul hæc omnia nobis proponit; & cùm in C eum credimus, & simul ei credimus, & ver-
S. Aug. Ser. 181. de tēp. bis eius credimus, eique coniungi amore profitemur. Hæc doctrina est S. Augustini, qui ponderans illa verba Symboli, *Credo in Deum*, ait, non ideo poni Credo Deum, vel Credo Deo, quamuis & hæc saluti necessaria sint. Aliud est enim credere in illum, aliud credere illi, aliud credere illum. Credere illum, credere est quia ipse est Deus. Credere illi, est credere vera esse quæ loquitur, hoc enim respectum & ordinem significat actus fidei ad obiectum formale, id est, ad diuinam veritatem reuelantem cui credimus, cuique proinde assensus fidei innititur. Tunc enim sic verbis eius fidem adhibemus, vt sine vlla hæsitatione, sed constanter aperienti Deo mysteria sua mens as- D sentiatur, & non vel in opinionem tantùm, vel existimationem veniat, neque sit amplius curiosa indagatrix propositæ veritatis. Quia, vt dicit Catechismus Concilij Trident. cùm iussit Deus nos credere, non diuina tunc iudicia scrutanda, eorumque rationem & causam perquirendam nobis proposuit; sed immutabilem fidem præcepit, quæ efficit vt animus in æternæ veritatis notitia conquiescat: eiusque affert exemplum qui impudentiæ argueretur, si non crederet statim sapienti & experto aliquid affirmanti, eumque adhuc vrgere vellet. Quanto magis ergo ille est accusandus, qui Deum vrgere vult, & non statim credit ei, cùm sit E verax, omnis autem homo mendax?

Ecce ergo quid credere Deo significet & dicat, ordinem actus fidei ad veritatem diuinam reuelantem. Credere verò in Deum, signat & dicit habitudinem & respectum fidei nostræ ad Deum, vt vltimum finem nostrum, quem diligimus, & pro-
Quid sit propriè credere in Deum. pter quem omnia credimus, ipsum actum penitus atque totaliter referentes ad ipsum. Ita vt credere in Deum, propriè nihil aliud sit, quàm cum fide, spe, & charitate illi adhærere & coniungi, & sicut Sanctus Augustinus dicit, credendo amare; credendo in eum ire. Credere Deo, veráque esse esse quæ dicit, multi, etiam & mali, possunt. Item Deum existere & dæmones credunt: sed in Deum credere soli norunt & possunt qui diligunt illum, qui non solùm nomine Christiani sunt, sed vita & factis, quia sine dilectione fides est inanis.

Multiplex certè fides nostra considerari potest. In aliquibus est mortua & inanis, quæ est sine operibus bonis. In aliis exigua, de qua in Euangelio Dominus: *Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?* In aliis verò est magna, qualis Chananææ erat; *magna est fides tua.* Illa autem est qua propriè in Deum credimus, quæ viua est, instructa & informata bonis operibus, qua in factis atque vita testimonium reddimus, quod in veritate credimus; qua denique Christum corde, ore & opere prædicamus. Sicut Apostoli, qui vbique virtute magna testimonium reddebant Resurrectionis IESV Christi Domini nostri, & ad principes Sacerdotum constanter respondebant; *Non possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.* Sic dicebat & Paulus quia non erubescebat Euangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti: & rursus, corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hinc Dauid; Credidi, propter quod locutus sum. Sic crediderunt omnes Sancti, omnes Martyres, omnes fideles, propter quod & loquuti & operati sunt. Charitas operatur magna, si est. Ita fides operatur magna, si charitate ornata est.

Multiplex consideratio fidei. Matth.6. Act.4. Rom.1. Rom.10. Psal.115.

De nomine, veritate, & vnitate Dei.

Credo in Deum.

CATECHESIS VI.

SANCTVS Athanasius in Symbolo suo docet, fidem Catholicam, quam à IESV Christo traditam, ab illiúsque discipulis prædicatam accepimus, hanc esse, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Hoc primum officium est fidei, & hominis Christiani, scilicet, in Deum credere; credere Deum esse, assentiri verbis eius, atque in eum vt ad finem pia moueri affectione. Verùm ab ipso limine ingens difficultas oritur, ingensque labor, vnde nec vnquam extricari poterimus, scilicet, quid & quis ille Deus sit, in quem nos credere oportet. Ita enim est incomprehensibilis, vt ad cogitandum minimè quidem tres dies cum Simonide sint postulandi, cùm nec tota vita ad id sufficiat. Lucem Deus habitat inaccessibilem, miniméque natura eius definiri potest. Cœlo excelsior est, & quid facies? Vnde equidem à nobis, sicuti est, agnosci non potest, aut oportet, si aliqua de eo notitia habenda sit, vt diuersa nomina sortiatur. Ita enim in Scri- *Dei nomina.* pturis sacris dicitur α & ω, lux & pater luminum, Spiritus, Charitas, Qui est, &c. à Philosophis, Ens entium, primum mouens immobile, Actus purus, &c. Denique communi nomine, & vt *Nomen commune Dei.* dicam vulgò, vocabulo apud omnes accepto, Deus. Cæterùm vndecunque adhuc nomen istud *Vox Dei, operationem dicit, non substantiam.* veniat, suamque etymologiam trahat, non tam substantiam Dei quàm operationem significat, si vocis originem ab operationibus desumptam spectemus, iuxta tres etymologias nominis huius admodum operationibus diuinis con- *Multiplex etymologia nominis Deus.* uenientes. Iuxta primam sumptam à θέειν, θεὸς, Deus, idem est ac percurrens & disponens vniuersa,

vniuersa, quia prouidentia sua Deus cuncta percurrit, fouet & gubernat. Iuxta secundam sumptam ab *αἴθειν*, quod vrere significat, Deus ignis consumens dicitur, consumens malitiam omnem. Denique à *θεᾶσθαι* Deus dicitur, quasi videns omnia, quia omnia nouit & omnibus prospicit, prouidetque. Alij denique à dando deducunt, quod omnia à Deo proueniant.

Nomẽ Deus impositũ est ad significãdam naturã per se subsistentem, quæ Deus est.

Exod. 3.

Interim ad substantiam & naturam quamdam denotandam excellentissimam, & immortalem, qua nihil melius aut sublimius excogitari potest, quæque ex seipsa subsistit, ac proinde à nullo alio dependet, oritur, aut regitur, sed liberè alia vniuersa à se producta, efficit, mouet & gubernat, hoc nomen impositum est, iuxta illud Exodi; *Ego sum qui sum.* & illud Apost. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Vbi quidem hoc adhuc dignum obseruatione est, quod ferè in omni lingua nomen *Dei* sit tetragrammaton, id est, quatuor litterarum, Deus, Θεὸς, Dieu. Quo signatur quadruplex excellentia Dei, scilicet in sua essentia, in suo esse, in virtute, & operatione.

Diuinitatis existentia & veritas probatur.

Iam verò talem naturam esse quam Deum dicimus, omnia prædicant, vnaque omnium communis vox est, & naturali instinctu patet quemdam inesse humanæ menti Diuinitatis sensum. Nulla est enim tam barbara natio, inquiebat Cicero, nulla gens tam efferata, cui non insideat hæc persuasio Deum esse. Vox totius naturæ est, vt si quæ in ea pulchra sint, bona & fortia, Dei authoris pulchritudinem, bonitatem, & potentiam demonstrent. Omnium vox creaturarum, quæ clamant, ipse fecit nos. Nam vt Apostolus dicit, inuisibilia ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas. Vnde S. Chrysost. in Genes. Quando, inquit, subleuas oculos & cœli spectas pulchritudinem, magnitudinem, vtilitatem, tunc inde ad opificem ascende. & infrà. Cui sagax est animus, ex singulis etiam paruis quæ facta sunt, videbit ineffabilem Dei potentiam. Quod si iam visibilia sola sufficiunt nobis ad docendam potentiæ conditoris magnitudinem, vbi ad inuisibiles veneris virtutes, scilicet, Angelos, quis sermo sufficiet enarrare magnificentiam eius inenarrabilem? Propheta visibilium dispositionem considerans exclamauit: Quàm magnificata sunt opera tua Domine! Quid nos, qui terra & cinis sumus, dicemus? Certè debemus continuò vultum demittere, & obstupescere vniuersorum Domini indicibilem misericordiam; qui, nempe, per hoc quod continet omnia, id est, vniuersam creaturam, nobis se intelligibilem reddit, & prorsus admirabilem. Ratio item quæ facilè per effectus ad causarum notitiam venit, vnum quid esse à quo alia omnia producuntur & dependent, apprehendit. Præter omnia creata quæ videntur, quamdam, vt diximus, essentiam esse inuisibilem, initium non habentem, neque finem, sed quæ principium existit & finis cæterorum, gubernat & regit, vbique præsentem, diffusam, & quæ super omnia existit, quam Deum esse dicimus, id & Scripturæ referunt, & fides docet.

Rom. 1.

S. Chrysost. hom. 4. in 1. cap. Genes.

Deũ esse probatur multis testimoniis.

Verùm & testimoniis adhuc vndique sumptis Deum esse probemus, ex his & quæ intra, & quæ extra nos sunt. Probat conscientiæ propriæ stimulus, quo statim qui peccat & offendit, diuinæ iræ iudicium & animaduersionem exhorrescit: ipsa etiam naturalis inuocatio Dei in periculis, & prompta recordatio diuini numinis. Item si consideremus rerum omnium mutabilitatem, dispositionem, & ordinem, creationem & gubernationem. Sicut enim qui videret nauem æquor perambulare & portum petere, diceret naucleru in ea esse: ita qui videt rerum ordinem & gubernationem, statim agnoscit totius vniuersi aliquem esse gubernatorem, qui res omnes ad suum finem dirigat; primam aliquam causam efficientem esse quæ non sit ab alia, sed à se esse aliquod primum mouens in rerum natura, quod non ab alio moueatur, sed cuncta moueat. Esse denique in rerum natura aliquod primum ens optimum, verissimum, & nobilissimum, quod omnibus aliis sit causa entitatis, bonitatis, veritatis, & omnis virtutis laudabilis.

Item miracula Deum esse conuincunt, omnem vtique creaturæ virtutem excedentia; vt mortuorum resuscitatio, prædictio in Prophetis, qui futura referarunt; conseruatio ab igne, vel morsu leonum, vt accidit Danieli. Item aliorum cultorum Dei frequens protectio, quos mirabiliter Deus semper & ab initio mundi custodiuit, & eripuit à manibus & insidiis peccatorum. Item pœnæ malorum, vt conflagratio Sodomorum, perditio Pharaonis & exercitus eius in mari, & aliæ eiusmodi, satis Deum esse prædicant. Denique, vt nihil omittam, Deus per Incarnationem filij sui satis se manifestauit hominibus, restituendo visum cæcis, vitam mortuis, totum denique orbem per ignominiam Crucis ad sui notitiam adducendo. In eo enim summa Dei virtus elucet, quod in nomine IESV crucifixi omne genu flectatur; quod persuaderi potuerit toti orbi, in Cruce vitam & salutem esse.

Vnitas Dei.

Ioh. 17.

Verùm post experientiam sensumque huius veritatis, nunc etiam de vnitate Dei est aliquid dicendum. Profitemur enim nos credere in Deum, non in plures deos, quia tantùm vnus est, vnde singulariter dicimus in Symbolo, Credo in Deum; & Christus in Euangelio: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum.* Nam dij gentium dæmonia, omnes falsi dij: vnus verò tantùm est Rex regum, Dominus dominantium, vnus creator rerum, vnus author & finis omnium, cui soli cultus latriæ debetur. Scimus, inquit Apostolus, quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi vnus. Nam etsi sunt qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terra, (si quidem sunt dij multi & domini multi) nobis tamen vnus Deus. Sed non in omnibus est scientia. Sciendum itaque est Deum vnum esse, & plures etiam deos appellari, sed vnicum natura esse, alios dici propter participationem quamdam excellentiæ & perfectionis diuinæ, vt Reges, Principes, Iudices, Prophetas & Sacerdotes. *Ego autem dixi, dij estis*, dij participatione alicuius perfectionis diuinæ, non veritate naturæ.

1. Cor. 8.

Tribus rationibus ostẽditur nõ posse esse plures deos.

1\. Quod ergo plures dij esse nequeant, tribus rationibus ostenditur, præterquàm quod id nos fides edoceat. Prima sumitur ex perfectione summa quæ in Deo reperiri debet, & cui nihil omnino deesse potest; nam perfectissimus est Deus, id est, absolutissimè perfectus. Ita vt etiam eius perfectio alteri communicari nequeat, alioquin illi deesset aliquid, nempe, quod illi soli non inesset talis perfectio, & sic totam atque totaliter non haberet eam; & sic tunc minimè Deus esset, cui solùm conuenit omnes

perfectiones habere. Dicam præterea, quod sicut vna est perfectio quæ omnes alias complectitur, ita vnum esse oportet cui competit illa, qui Deus est. Hac igitur ratione, ex illa summa perfectione vnitatem Dei facile est colligere, cui nihil prorsus deesse potest, in quo & omnia simul & vnum esse debent: quod adhuc per comparationem nostri esse imperfecti quodammodo intelligi potest, semper enim nobis aliquid deest, & quod iam præterijt esse, & quod futurum est. Vnde quod nobis præsens remanet, nescio quid tantùm imperceptibile est: sed in Deo, in quo, propter summam eius simplicitatem, & præteritum, & futurum, & præsens simul sunt, omnia denique simul, etiam vnitas perfectionis, & consequenter naturæ suis omnibus numeris absolutissimæ certò inueniri debet. A B

2. Secunda ratio huius vnitatis sumitur ex infinitate Dei, & quia est incircumscriptus, vnde cùm nequeunt inueniri duæ naturæ infinitæ, ita etiam inueniri non possunt duæ res summè perfectæ natura distinctæ. Quare quamuis Deus ita sit vnus, vt tamen non sit solitarius, quia trinus est in personis, interea semper est & dicitur vnus, quia in tribus vnitas est eiusdem naturæ & substantiæ, perfectionis, bonitatis, virtutis, potentiæ, & voluntatis. Nam distinctio in illis solùm per proprietates personarum inuenitur, quod in patre diuinitas, seu diuina essentia à nullo alio accepta existat: filio autem per viam generationis, atque eadem Spiritui sancto per spirationem à patre filioque communicetur. Cuius diuinæ naturæ identitatem in tribus personis, simulque trium personarum in illa vnitate naturæ distinctionem aliqui exemplo elucidant Adami, Euæ, & Seth: in his enim tribus eadem specie natura diuersimode subsistebat. In Adamo quidem vt in fonte existebat: in Eua tanquam ab Adamo accepta: in Seth vero tanquam ab vtroque procedens. Hæc tamen similitudo claudicat in eo, quod hi tres homines vnus sunt homo specie, sed non numero, quia diuersam quidem numero naturam suam habent. In tribus autem personis diuinis eadem penitus & vna numero natura est, vnde etiam dicuntur vnus Deus, quia illa infinita est, incircunscripta, nec vllis definita terminis. C D

Exemplo res elucidatur.

3. Ratio. Tertia ratio petitur à multitudine & numero qui ab vnitate proficiscitur: vnitas enim principium est numeri à quo est omnis multitudo; vnde ipsa multitudo rerum Dei vnitatem declarat, qui est principium omnium. Regimen monarchicum optimum est; mala verò, & multa gignens bella diuisionemque, principum multitudo. Vnde facilè tantùm vnum Deum esse colligimus, quem videmus tam diuersas mundi partes concordi pace regere, alioquin iamdudum, si diuersis subiectus fuisset imperiis, dissolutus corruisset, ortaque dissensione periisset. Ergo quod ab initio mundus ordine suo perseueret, vnicum esse Dominum qui sua prouidentia ipsum gubernet, facile est demonstrare; vnum inquam qui diuisus à cæteris, in se & à se maneat indiuisus, id est, pluribus aliis extra se incommunicabilis. Hæc est tua Domine majestas, quod solus sis qui es, solus qui esse & vitam aliis tribuis, conseruas quæ facis, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia, qui es omnium Deus benedictus in sæcula. E

* *
*

ARTICVLVS PRIMVS.

De distinctione personarum diuinarum. Ac primùm de nomine, & omnipotentia Patris.

Credo in D. patrem omnipotentem

CATECHESIS VII.

CHRISTVS IESVS lux venit in hunc mundum, vt ait Euangelista, *erat lux vera*, & ipsemet in Euangelio, *quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Vnde purgans ipsum tenebris erroribusque infidelitatis, contulit ei fidem, veritatis lumen, & Diuinitatis notitiam, quæ in reuelatione mysterij vnitatis & Trinitatis in Deo consistit. Huius autem mysterij duo esse retinenda vocabula docet Catechismus Concilij, quibus illud maximè explicari & significari potest. Primum est essentiæ, alterum personæ.

Ioh. 1. Ioh. 9.

Duo vocabula quibus explicatur mysterium vnitatis & Trinitatis in Deo.

Quare postquam vnam Dei naturam & Diuinitatis essentiam in hoc primo Symboli Apostolici articulo posessi sumus, statim etiam eamdem pluribus personis, scilicet tribus, communem esse profitemur & credimus, mentione facta primæ in Diuinitate personæ, quæ in voce Patris declarata est; *Credo in Deum patrem.* Ecce pater qui in Diuinitate persona prima est, non quod in diuinis sit aliquid prius & posterius, maius & minus; absit: vna est enim & eadem, vt diximus, æternitas & majestas: sed quia Pater in Trinitate principium est sine principio; filius principium ex principio, non item Spiritussanctus respectu personarum, sed tantùm cum patre & filio, rerum omnium creatarum vnum atque idem principium, qui procedit ipse à patre & filio, tanquam ab vno principio. His iam positis, explicare superest quamobrem prima persona Pater dicitur, omnipotens, & creator, vt infrà dicemus.

Quantum ad primum. Illa vox, Pater, non dicitur de Deo secundum substantiam, neque secundum accidens, sed secundum proprietatem primæ in Diuinitate personæ, quæ eiusdem naturæ filium ex se ab æterno genuit; vel vt significat modum subsistendi & habitudinem ad secundam Diuinitatis personam, iuxta illud ad Ephes. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri* IESV *Christi, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur*, id est, æterna, & temporalis. Nam solus in diuinis generat, & præterea etiam ab eo omnes qui temporaliter generant, habent & esse, & posse generare. Vbi iam significatur alio modo Deum esse patrem verbi sui, quàm Angelorum, hominum, atque etiam omnium creaturarum. Filij enim sui, scilicet Christi, pater est natura, id est, non tantùm nomine, sed æterna & incommutabili generationis proprietate, vnde solus Christus vnigenitus, consubstantialis; primogenitus, verus, & proprius æterni Patris sempiternus est filius, proprietate originis, non gratia adoptionis: veritate, non nuncupatione: natiuitate, non creatione. Nos verò, & Angeli pariter, filij Dei tantùm creatione dicimur, prouidentia & adoptione; analogia quadam

Quid illa vox, Pater, dicat, & significet in Deo.

Ephes. 6.

Deus alio modo pater est Christi quàm hominum, &c.

quadam & nuncupatione, non natiuitatis proprietate. Sicque tripliciter Deus pater dici potest. *Tripliciter Deus pater dicitur.* Primò natura, filij sui. Secundo adoptione, Angelorum & hominum. Tertiò creatione, prouidentia & gubernatione rerum omnium creatarum. Vbi adhuc quidem inter Christum & omnes creaturas hoc est discriminis, quod non solùm prima persona Trinitatis, scilicet Pater, sed etiam filius & Spiritussanctus, nempe Deus, Pater est omnium, creatione, prouidentia, gubernatione, gratia & adoptione; vt dicitur in Deuteron. (Deuter. 32.) Numquid non ipse est pater tuus qui possedit te, & fecit, & creauit te? Et in Malachia (Malach. 2.); Numquid non pater vnus omnium nostrûm? numquid non Deus vnus creauit nos? Et ad Romanos (Rom. 8.), vbi Apostolus de gratia nostra adoptionis filiorum Dei sic loquitur: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Et Iob de conditione rerum inanimatarum loquens, hoc dicendi genere vtitur (Iob. 38.): *Quis est pluuiæ pater? vel quis genuit stillas roris? de cuius vtero egressa est glacies? & gelu de cœlo quis genuit?*

Ecce quo pacto Deus, videlicet tota Trinitas sancta omnium creatrix, omnium etiam parens dicitur, speciali tamen modo & ratione, hominum, maximè verò Christianorum, qui plus prouidentiæ eius quam alij omnes recipiunt. Eam namque charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus (1. Ioh. 3.); Si autem filij Dei, ait Apostolus, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (Rom. 8.), vt ipse sit primogenitus in multis fratribus. Primogenitus, quia & vnigenitus à patre est; vnicus qui natura & generatione diuina & æterna, patris æterni est filius, à quo solo via generationis procedit, cùm seipsum intelligendo Deus & ab æterno, continuo etiam imaginem sui, similemque sibi producit, quæ verbum est, & æqualis sibi in natura & majestate filius; iuxta quod in Psalmo dicitur (Ps. 2.): *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* & ipsemet dicit in Euangelio (Ioh. 16.); *Exiui à patre*: sicut etiam ipsius Euangelista (Ioh. 1.); *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Gloriam certè, quam solus ille possidet filius qui natura est vnigenitus, gloriam qua item æternus pater in illo vnico potitur pleniùs, intimiùs, veriúsque quàm in cunctis creaturis. *Plus Deus honoratur in qualitate patris, quàm Domini & creatoris.* Illa est enim omnis gloria Dei, quod pater dicatur, & pater vnigeniti sui; multoque plus honoratur in hac qualitate & nuncupatione patris, quàm Domini & creatoris. Vnde etsi respectu etiam creaturarum pater dici possit, interim veruisque earum est creator & Dominus; sed filij sui pater tantùm est, & non Dominus, cui in omnibus ipse est æqualis.

O admirabilis, incomprehensibilis, ineffabilis, & omnipotens paternitas! *In generatione verbi tota Dei virtus & omnipotentia apparet.* *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* In nullo certè magis manifestari potest, aut potuit potentia Dei & majestas, quàm in generatione verbi, vbi tota virtus exhibetur, quando producit illud omnino æquale & simile sibi, vbi & in modo producendi, & ex parte producentis, & parte producti omnipotentia ostenditur. Nam in creatione mundi minimè diuina potentia secundum A omnem suam virtutem operata est, neque etiam nisi in modo producendi nobis est manifestata, scilicet, quia ex nihilo, non verò in re producta, quia illa est finita. In generatione autem verbi omni ex parte relucet omnipotentia Dei.

Verùm quantum ad illam omnipotentiam, nunc sciendum, inter nomina, quibus Dei majestas & immensa virtus eius explicari solet, vocem hanc omnipotentis esse frequentissimam, vtpote quam Deus velut notam sibi propriam reseruat. *Quare in Symbolo solius omnipotentiæ facta est mentio.* Propterea etsi multis elogiis celebretur in Scriptura, nam bonus, sapiens, iustus, sanctus, fortis, & immortalis prædicatur; hic tamen tantum expressa omnipotentiæ fit mentio, quod hæc vox reliquas Dei perfectiones contineat. Nam omnipotentem, B bonum, sapientem, iustum, sanctum, immortalem, summéque perfectum esse oportet, rerum omnium scientiam habere, omniaque sibi subiecta. Ideo ergo primùm, atque ante omnia omnipotentiæ Dei in Symbolo mentio facta est, vt minimè dubitemus ab eo facta, & vera quæ credenda nobis proponuntur, etsi supra nos sint, omnemque mentem creatam atque rationem superent. Ad hoc valet ista persuasio omnipotentiæ Dei, quæ penitus facit ad fidem, spem, atque humilitatem fidelium confirmandam, cùm facile is credat quidquid proponitur credendum, quantumuis C etiam humani ingenij captum excedat, & rerum visitatum cursum, qui Deum longè plura posse nouit, quàm humanæ mentis acies penetrare valeat. Hinc Deus magnificas promissiones Abrahæ facturus dicebat: Ego Deus omnipotens, &c. (Gen. 17.) Et ipse Christus in Euangelio; Apud Deum omnia possibilia sunt. (Matth. 19.) Et Angelus ad virginem loquens de futuro eius conceptu & partu; Non erit impossibile apud Deum omne verbum. (Luc. 1.) Et Angeli ad Saram quæ erat sterilis; Numquid Deo aliquid est impossibile? Vt quidem intelligamus ex his, quanta religione Deum colere debeamus qui omnia potest. Omnia dico quæ possibilia sunt, *Quæ possibilia dicantur.* quæ contradictionem non implicant, nec summæ perfectioni aduersantur, aut repugnant. D Quare cùm dicimus, quod Deus peccare non potest, aut mori; hoc non est defectus omnipotentiæ, sed potiùs ratio omnipotentiæ eius & summæ perfectionis: sicut quod miles non possit vinci, ratio est & indicium fortitudinis, animi & magnanimitatis. Item fieri non possunt quæ non cadunt sub rationem possibilis, vt simul esse & non esse: fieri enim nequit, vt idem concipiatur esse & non esse. Quare in hoc dicitur Deus omnipotens, quod omnia facere potest, quæ possibilia sunt.

Præterea sciendum hoc nomine significari, nihil esse, nec animo cogitari posse quod Deus efficere E non possit, & sic, & quæ creauit in nihilum posse redigere, & multo plura posse, maiora & meliora, quàm ea quæ fecit, & secundum substantiam, & secundum accidentia, conditionesque tam genericas, specificas, quàm indiuiduas. Infinitæ est enim virtutis, omnisque author virtutis, neque ob aliud dicitur omnipotens, nisi quia quidquid vult potest, quod vult facit, & pati nequit quod non vult, vtpote is in quo potentia tantùm actiua est, non autem passiua, quæ imperfectionem denotat, *Quæ passiua imperfectionem denotat.* cuiusmodi esset, vt iã diximus, mori, peccare, ignorare, mentiri, fallere, & falli, atque seipsum

negare: hæc enim omnia imbecillitatis sunt, & non potentiæ; vnde nec potest, quia illa posse, infirmitas est. Quid Deus potest? omne quod possibile est, idque etiam quod numquam facturus est, vt quod per foramen acus Camelus transeat.

Duplex potentia in Deo. Quod vt meliùs intelligatur, sciendum iuxta Theologos duplicem constitui in Deo potentiam: vnam absolutam, qua omnia possibilia potest; alteram ordinariam, qua secundum ordinem à se præfixum creaturis agit. Vnde quod numquam ordinaria potentia & lege facturus est, absoluta potest. Quomodo quidem inuenimus multos errasse circa Dei omnipotentiam, vt qui dicebant; *Errores de omnipotentia Dei. Ps.77.* Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Et malè loquuti sunt de Deo, ait Psaltes. Sic in Euangelio minimè credentes iterum dicebant Iudæi; *Joh.6.* *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* *4.Reg.7.* Ita & in historia Regum vnum ex ducibus Samariæ, & super cuius manum Rex incumbebat, legimus in introitu portæ conculcatum à turba mortuum esse iuxta verba prophetæ, eo quod non credebat verbum à Deo immissum impleri posse.

Quàm efficax & multos producit effectus fides omnipotentiæ Dei. Magna certè multumque efficax in nobis est fides omnipotentiæ Dei, quæ primò efficit humilitatem in nobis, dicente Petro: *1.Petr.5.* *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Apost. *Heb.10.* *Horrendum est incidere in manus Dei.* & Christo Domino: *Luc.12.* *Ostendam vobis quem timeatis. Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittendi in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Secundò efficit confidentiam in aduersis, vt animus nulla desperatione frangatur, sicut accidit tribus pueris, qui hac fide armati dicebant summa libertate Regi eos ad idololatriam prouocanti: *Dan.3.* Ecce Deus noster quêm colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Tertiò dat confidentiam obtinendi quod petimus, dicente Domino; *Matth.17.* Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc; & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Quartò plurimum coërcet audaciam peccandi, sicut obiiciebat Tyranno Antiocho septimus fratrum Machabæorum, qui pro lege Dei tormenta mortis animo forti sustinebant, dicens ei: *2.Mach.7.* Tu qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. O scelestе, & omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in seruos eius inflammatus; nondum enim omnipotentis Dei, & omnia inspicientis iudicium effugisti, &c. Quintò multum valet, inducitque illa fides omnipotentiæ Dei ad recolenda & celebranda erga nos immensa eius beneficia; vt cum beata virgine grato animo exclamemus, dicamusque; *Luc.1.* fecit mihi magna qui potens est. Vnde enim nobis tanta fecit Deus, nisi quia potens est? Certè ex omnipotentia eius nobis omnia bona proueniunt.

In quibus relucent signa omnipotentiæ Dei. Signa autem omnipotentiæ eius relucent, primò in creatione mundi huius. Secundò, in modo producendi ipsum, videlicet, inquantum ex nihilo & sola virtute verbi fecit omnia, dixit enim, & facta sunt. Tertiò, in gubernatione rerum omnium quas condidit. Quartò, in bonorum protectione, & malorum punitione. Quintò, in resuscitatione Christi a mortuis, variisque prodigiis, atque miraculis quæ in mundo apparuerunt. Sextò,

A in peccatorum & impiorum iustificatione, in qua rebelles ad se conuertit propitius voluntates. Septimò, in mundi renouatione, omniumque mortuorum futura resurrectione.

Triplex excellentia omnipotentiæ Dei. Verùm huius omnipotentiæ triplex adhuc excellentia agnosci & considerari potest. Prima est, 1. quod ad Deum solum spectat ex natura sua & essentia habere potentiam; nulla enim creatura nisi per participationem habet. Vnde Deus solus est & dicitur potens: nos autem ea conditione sumus, vt nihil possimus, qui ab eo qui est & potest, esse & posse habemus. Secunda est, quod Deus 2. solus per se, & sine alterius ope potest operari, quod nulla creatura potest, nisi omnipotentia Dei cooperetur cum illa. Neque enim Sol lucere, nec ignis ardere, nec cœlum moueri, nec homo ambulare, audire, vel loqui potest, nisi concurrat Dei omnipotentia. Inde Isaias dixit; *Omnia enim opera nostra operatus es nobis Domine Deus noster.* Isa.26. Et Christus: *Sine me nihil potestis facere.* Et Apostolus eius Paulus; *Omnia & in omnibus Christus.* Vnde iam constat satis quantam dependentiam habeamus ex illa omnipotentia Dei, vt in humilitate nos stabiliamus. Tertia est & vltima, quod 3. Deus in se solo non retinet potentiam suam, sed eam suis diuidit & communicat creaturis, vt vnaquæque operari possit modo suæ naturæ conformi; etsi adhuc supra debitum naturæ nostræ gratia potentiori nos exornet, adeo vt omnipotentiæ & gratiæ Dei adhærentes possimus quidquid in nobis & ex nobis voluerit Deus, vt cum Apostolo vnusquisque dicere queat; *Omnia possum in eo qui me confortat.*

De creatione vtriusque naturæ, inuisibilis & visibilis.

Creatorem cæli & terræ.

CATECHESIS VIII.

Duplex differentia perfectionum in Deo. DVPLEX inuenitur in Deo perfectionum differentia: vna earum quæ ad personas referuntur, & dicuntur relatiuæ seu personales, D cuiusmodi sunt, IESVM Christum patris æterni filium esse vnicum ac naturalem. Item, primam personam Trinitatis patrem esse verbi sui, quod est filius: sicut ab vtroque tanquam ab vno principio procedere Spiritum sanctum per spirationem mutuam. Altera differentia perfectionum est quas essentiales nominamus, vtpote quæ ad naturam Dei spectant, ideòque tribus personis sunt communes, licet per appropriationem alicui earum attribuantur & conueniant, vt omnipotentia attribuitur patri, eo quod fons sit omnis esse atque originis, à nullo alio suam essentiam accipiens, sed à seipso subsistens, quamuis hoc attributum quod essentiale est, tribus commune sit; filius enim est omnipotens, & Spiritussanctus similiter sicut pater. Ita est de sapientia communi quidem vt potentia tribus, tamen per appropriationem attributa filio, quia verbum patris est æternum, per quod ordinatissimè cōdita sunt omnia, & à quo fluit omnis sapientia. Idem est de bonitate respectu Spiritussancti, cui adhuc illa per appropriationem attribuitur, eo quod patris & filij amor æternus est, quo se amant mutuò & omnia.

Creare conuenit tribus personis, & non vni absolute. Itaque constat ex istis, quomodo non vni personæ diuinæ creare proprium est, sed omnibus est com

est commune; sicut omnes per communem omnibus essentiam, intellectum, atque voluntatem creant, vt dicitur in Genesi; *In principio creauit Deus,*&c.& in Psal.*Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et in Euangelio Christus IESVS ait: *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Et Apostolus eius Paulus: *Nobis vnus Deus,pater,ex quo omnia,& vnus Dominus* IESVS *Christus, per quem omnia.* Illud verò suadet ratio. Nam ita fiunt creaturæ à Deo, sicut fit opus artis ab artifice, nempe per verbum intellectus quo rem faciendam cogitat, & per amorem quo ad rem efficiendam impellitur. Sic enim omnia Deus facit per verbum suum æternum repræsentatiuum omnium creaturarum,& per amorem vtriusque, qui est Spiritussanctus, quo etiam creaturæ faciendæ amantur.

Gen.1. Psal.32. Ioh.5. 1.Cor.8. Ratio & similitudo artificis.

Vnde etiam fit, vt omnes creaturæ in se aliquo modo Trinitatem diuinarum personarum repræsentent, (nam omnis effectus est aliquo modo similis suæ causę.) In hoc autem repręsentant, quod, iuxta quod dicit Sapientia, omnia Deus in mensura, & numero, & pondere disposuit. Vnaquæque enim res est vnum aliquid per suam limitatam substantiam; ecce mensura. Deinde habet formam suam.i.sua specie formatur; ecce numerus. Pręterea habet aliquam congruētiam & ordinem; ecce pondus. Quamuis tamen in hoc sit discrimen inter creaturas, quod quæ sunt intellectus & voluntatis participes, Deum repræsentent per modum imaginis, quia perfectè repræsentant & secundum formam & fœcunditatem Diuinitatis, quæ in productione verbi & amoris conspicitur. Quæ verò non sunt huiusmodi, tantùm per modum vestigij repræsentant,& non perfectè, per modum signi quod denotat quidem causam; sed non venire facit in cognitionem eius perfectam.

Omnes creaturæ repræsentant Trinitatem diuinarũ personarum, & quomodo. Sap.11.

Quid igitur omnes creaturæ, vnaquæque lingua sua & voce propria, clamant? Deum esse creatorem cœli & terræ. *Ipse fecit nos,* inquiunt, *& non ipsi nos.* Vnde etiam hic profitemur & agnoscimus, nullius creaturæ quantumlibet paruæ alium creatorem esse quàm Deum, atque etiam omnes figuras, species & formas naturales quas videmus in quibuscunque nascentibus, non extrinsecus adhiberi, sed intrinsecus intima potentia creatoris effici, nulli creaturæ posse attribui, sed Deo soli, qui à fine ad finem attingit disponens omnia suauiter. Ipse est solus à quo mundus formam suam & speciem accepit cũ fieret,& omnia demum quæ fiunt, accipiunt. Itaque neque qui plantat est aliquid, ait Apostolus, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Soli ergo Deo creare conuenit.

Nullius creaturæ creator est alius quã Deus. 1.Cor.3.

Verùm sciendum hanc vocem creandi tripliciter accipi: duobus modis latiùs,& vno magis strictè & propriè. Primò, latè accipitur, vt dicit & signat quamcunque rei productionem, quomodo sapientia genita de se ait; *Ab initio & ante sæcula creata sum.* Secundò, pro eo quod est destinare & constituere ad aliquid illud quod iam antea erat, sicut cùm dicimus creari magistratus. Tertiò denique accipitur magis strictè & propriè, vt nimirum dicit & signat productionem rei ex nihilo. Et hoc modo de creatione loquimur in proposito. Sic enim omnia Deus creauit, vt illa ex nihilo fecerit, atque etiam omnia in nihilum redigere possit. Angeli quidem & homines possunt facere aliquid; sed modò materia adsit, vt ex lignis & lapidibus domum construere. Item destruere, sed semper remanebit materia, puluis & cineres: Deus autem solus A potestatem habet in nihilum redigendi omnia, sicut eduxit de nihilo omnia. Apud Isa. *Ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrùm ex eo quod non est.* Sic pia mater Machabæorum adolescentiori dicebat: Peto, nate, vt aspicias ad cœlum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus,& hominum genus.

Tripliciter vox creandi accipitur. Eccli.24. Soli Deo cõuenit & ex nihilo facere, & in nihilũ redigere. Isa.41. 2.Macha.7.

Ecce quomodo ex nihilo omnia prodeunt. Ecce vnde & deduci potest nobilis & eximia extractio hominum. Ecce quod principium omnes creaturæ habuerunt, quarum nulla ante mundi creationem erat. Extra Deum omnia nihil erant, solusque ille erat, à quo omnia esse ceperunt. Vnde si iam originem nostram considerauerimus, esse ipsum nihil videbimus, vt exinde nosmetipsos B excitemus ad actiones gratiarum ei rependendas, qui sic per suam omnipotentiam traxit nos ex nihilo, & inter creaturas suas nobilissimos fecit, capaces sui,& vt pręsimus cęteris. Hæc est erga hominem creatoris cœli & terræ pia affectio & liberalitas, vt ipse non sit ingratus in illum, sed continuò laudet & agnoscat vt anthorem suum, & dicat pari affectione; Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

Cõsiderationes ex nihilo creationis nostra deducẽda.

Quid autem sub his nominibus cœli & terræ intelligatur, explicandum superest. Dicam ergo vniuersam intelligi creaturam, inuisibilem atque visibilem, spiritualem, atque corpoream; denique C omnia quæ cœli & terræ ambitu continentur. Cœlum enim pars mundi suprema est,& terra cētrum; sub quibus extremis, omnia vniuersitate rerum comprehensa, quæ vel sensu, vel mente, à nobis percipi possunt, creata esse à Deo confitemur, iuxta illud Psaltis; *Tui sunt cœli, & tua est terra.* videlicet,& omnia quæ in eis sunt, tam quæ inuisibilia sunt, quàm quæ visibilia, sicut expresse in Symbolo Niceno adiunctum est; Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Ecce quæ sub nominibus cœli & terræ intelliguntur. Ita S. Aug.& multi cum illo, nomine cœli Angelos intelligunt, qui hanc digniorem mundi partem inhabitant, D qui substãtiæ sunt simplices, incorruptibiles, mundi huius corporei conditione anteriores. Nam, vt vult S. Basilius, etiam ante tempus & mundum hunc visibilem, in ipsa Dei æternitate, sed non tamen ab æternitate creati fuerunt.

Sub nominibus cœli & terræ vniuersalis intelligitur creatura, inuisibilis atque visibilis. Psal.88. S.Basil. in Gen. hom.1.

Sicut autem nomine cœli Angelos: ita etiã nomine terræ hominem maximè intelligere possumus, qui omnium postremus de terra factus est, vnde etiam homo ab humo dictus. Hinc certè ratio cur Abraham se pulucrem agnoscit, Dauid figmentum Dei, Iob lutum dixit, sicut Isaias; Nos lutum,& fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Et ipse Deus apud Ierem. *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Ecce humana con-E ditio, nihil vilius, ratione corporis, vt humiliare nos discamus; sed nihil excellentius, ratione animę, quæ ornata est & resplendet Dei imagine. Vtrumque Moyses enarrauit & coniunxit dicens: *Formauit Deus hominem de limo terra, & inspirauit in faciem eius spiraculum vita, & factus est homo in animam viuentem.* Sed quid dicam, quando in ipsa creatione insignitus est, per gratiam, Dei similitudine, & nunc per eamdem diuinæ fit consors naturæ, ac semper capax & potens laudare Deum suum in cunctis operibus eius? Ipse enim est & solus in terra, qui ratione prædictus potest Deum factorem suum cognoscere, laudare, venerari, adorare, meditari in adinuentionibus eius,& diuinas

Isa.64. Ierem.18. Gen.2.

A diuinas perscrutari rationes, cur & ob quem finem fecit hæc omnia.

Cur Deus & quo fine mũdum hunc creauit.

Igitur & nos in illas introëamus potentias Domini, & quod superest nobis, consilium indagare non grauemur, quod potissimum Deus in hoc opere creationis habuit, qui semper gloriam suam in omnibus quærit, etiam & simul vtilitati nostræ intendit. Vultis ergo scire cur hunc ornatum mundi Deus creauit? cur cœlum & terram? inuisibilia atque visibilia? Angelos & homines? Attendite; eius bonitas iuncta vtilitati nostræ causa est, consilium, & finis. Primò enim in hoc opere nullum aliud exemplar habuit Deus quàm seipsum, qui per infinitam suam sapientiam omnia creauit, & qui solus causa est efficiens, & finis vltimus eorum. B Secundò, nullum aliud motiuum habuit præter bonitatem suam, qui ex pura liberalitate & libera voluntate, non necessitate coactus, aut meritis cuiusquam, fecit hæc omnia. Vnde etiam nullum alium finem habuit quàm propriam gloriam, iunctam cum vtilitate nostra, qui cũ esset summè bonus, & summè beatus, nos etiam bonitatis suæ ac felicitatis participes esse voluit, cùm hæc omnia fecit, atque vt inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intelligeremus. Omnia Deus nobis produxit, ait S. Chrysost. vt his manuducti ad conuenientem sibi adorationem ascendamus.

S. Chrysost. hom. 6. in Genes.

C Sic ergo vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, vt suam nobis bonitatem, potẽtiam, sapientiam communicaret & demonstraret, & per ea quæ facta sunt, ad eius notitiam atque adorationem ascenderemus; ex rerum enim omnium conditarum vtilitate bonitas Dei demõstratur, ex magnitudine potentia, ex dispositione sapientia: vt intelligant omnes quanta gloria, quãta laus & honor illi debeatur qui est opifex huius vniuersi. Et certè erudiendis creaturis ratione præditis, ac in Dei amorem prouehendis officina huius mundi accõmodatissima est. Quis enim in ea ex creaturarum magnitudine creatoris infinitam esse vim non colligat? quis ex rerum omnium vtilitate summam eius bonitatem non videat? quis denique diligendum non censeat, qui in hominum gratiam, vtilitatem & commodum tot & tanta fecerit? D Cœlum, in quo sempiterna felicitate perfruantur, & terram cum omnibus quæ in ea sunt commoditatibus, ne quid vitæ deesset transitoriæ decursu temporis.

Ad cognoscẽdũ & amandum Deum multum conducit officina huius mũdi.

Fructus qui ex creatione mundi colligi debeat.

Itaque ex consideratione vniuersi discimus primò, quanta obligatione teneamur seruire Deo secundum totum quod habemus ab illo. Quid enim habet homo quod nõ acceperit? & si acceperit totum, vtique totum ad Dei gloriam debet referre. Quare par est vt tota anima Deum diligat, totum cor, totus spiritus, tota virtus; denique totum quod accepit impendendum in Dei obsequium & amorem. E Secundò discimus, vt quomodo omnis creatura voci Dei obtemperat, nam simul atque dixit Deus, fiat lux, lux facta est: ita & nos submittamus omnipotentiæ Dei, eiusque voluntati fideliter obtemperemus, sine mora & contradictione, promptè, exactè, simpliciter & perfectè. O anima, quomodo sola Deo resistis, cui statim obsequuntur omnia? Tibi voluntatem dedit liberam; sed libertati renuncia quam habes ei resistendi, vt postea in omnibus ei obedias. Vtere Deus omnipotens efficaci voluntate tua in me, vt amplius tibi non valeam contradicere; agnoscam te, factor meus, tibique & in obsequium tuæ majestatis & gloriæ rependam omnia quæ dedisti mihi. Esse dedisti, tibi A esse reddam; animam dedisti, & libertatem; tibi animã, & libertatẽ, atque voluntatem omnem rependã. Quidquid habeo, possideo, mihique largitus es, quidquid sũ & per te valeo, hoc tibi totũ restituo, gratiasq; tibi immortales refero pro omnibus operibus tuis & beneficiis quæ fecisti mihi. Ex te enim, per te, atque in te sunt omnia. Tibi gloria.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De fide in IESVM *Christum.*

Et in Iesum Christum filiũ eius vnicum.

CATECHESIS IX.

SALVS & redemptio hominum, finis & fructus est Aduentus IESV Christi in hunc mundum, ideo enim verbum caro factum est, vt quod perierat, saluum faceret genus humanum. Quare etiam post confessionem Dei patris qui nos creauit, rectè subiungitur professio Dei filij qui nos liberauit; cuius sicut patris cognitio & fides ita est necessaria ad salutem, vt minimè sine ea consequi beatitudinem possimus, dicente ipso: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti* IESVM *Christum.* & ad Petrum qui ipsum fuerat confessus: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est.* Hinc in sua Canonica similiter dixit S. Ioh. Quisquis confessus fuerit, quoniam IESVS est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Hoc siquidem Religionis nostræ & salutis est fundamentum, nosse & confiteri eum per quem redempti & reconciliati sumus Deo patri, qui semetipsum, vt salutem consequeremur, obtulit pro peccatis nostris, solusque potuit & voluit ex nimia charitate sua qua dilexit nos, satisfacere ad rigorem iustitiæ patris, atque in reconciliationis & libertatis nostræ pretium animam suam dare. Licet enim potuisset Deus ex pura liberalitate nobis omnia condonare, sine vllo Aduentu Christi, solummodo loqui, & maledictionem soluere, aliúsque non defuisset illi modus sanandæ miseriæ nostræ, cuius potestati cuncta æqualiter subiacent: tamen certum est, manetque in confesso apud omnes, absque Christo per satisfactionem æquiualentem offensæ salutem suam consequi neminem potuisse, sicut optimè animaduertit S. Basil. in verba Psalmistæ dicentis; *Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam & pretium redemptionis animæ suæ.* (scilicet frater ille noster qui purus homo est.) Neque igitur fratrem quære in redemptionem, ait S. Basilius, sed eum qui excedit naturam tuam, neque hominem nudum, sed hominem-Deum IESVM Christum, qui etiam solus placationem dare potest pro omnibus nobis. Et ratio est, quia eiusmodi satisfactio debet esse infinita, quam ideo non alius quàm Christus exhibere poterat, cuius actiones, & obsequia Deo pro nobis præstita, sunt, sicut persona, infinitæ dignitatis.

Fides in Christum necessaria.

Ioh. 17.

Matth. 16.

1. Ioh. 4.

Nõ alius quã Christus poterat satisfactionẽ æquiualentem offensæ facere.

S. Basilius in ps. 48.

Ecce igitur quam ob causam maximè in hunc mundum venit Dei filius factus homo, vt videlicet ita perfectè & æquiualenter pro peccatis nostris satisfaciendo, nos redimeret ab illis, omniaque instaurarentur in illo, & quæ in terris sunt, & quæ in cælis. Ecce etiam vnde talis Redemptoris cognitio, & fides in illum nobis & necessitate

Necessitate præcepti, & medij, fides in Christum necessaria est ad salutem.

A necessitate præcepti, & necessitate medij ad salutem necessaria est, ad salutem primam, quæ iustificatio est, & ad salutem secundam, quæ beatitudo est: fides inquam illa, quam tunc temporis, videlicet ex quo Euangelium sufficienter in orbe diuulgatum est, debere esse explicitam dicimus: quam certè nunc omnes habere & amplecti tenentur qui fidei & credulitatis sunt capaces. *Prædicate*, inquit Dominus, *Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Fidem exigit, tanquam initium & fundamentum salutis. Sic Apostolus scribebat Corinthiis; *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui*, id est, Christum prædicaui. Vnde statim subdit; *Fundamentum enim aliud* B *nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus* I e s v s. Ecce fides necessaria ad salutem, noticia Redemptoris, ipso dicente: Qui credit in me, habet vitam æternam. & rursus: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet; & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Adeò vt verum sit dicere, post lapsum Adæ, neminem absque fide Christi saluari potuisse. Iuxta quod etiam tale nomen sortitus est quod salutem & redemptionem significat: dixitque Apostolus non esse aliud in quo nos saluos fieri oporteat. Nomen illud est I e s v s. *Credo in Deum patrem*, &c. *& in* I e s v m *Christum filium eius* &c.

Marc.16.
1.Cor.3.
Ioh.6.
Ioh.11.

Nomẽ I e s v s *non fortuitò filio Dei imponitur, sed Dei consilio & ratione.*

C Verùm nomen illud gloriosum non fortuitò, sed iussu, ratione, & Dei consilio illi impositum est, eo quod mundi futurus erat Saluator. Imponitur illi à maximo omnium Dei opere, à salute mundi, quam in carne & Cruce ipse erat completurus. Hinc Gabriel Virgini, & Iosepho pariter retulit; *Vocabis nomen eius* I e s v m: *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, reddens rationem ab effectu cur illi hoc nomen imponatur. Moyses eo quod in ripa fluminis inuentus est, tale nomen habuit. Sic Christo nomen I e s v s impositum est, eo quod salutem nostram operatus est, factúsque est omnium Saluator, in sanguine immersus proprio. Iacob item cum Angelo luctatus, ab eóque tactus in femore, Israël est appellatus. D Sed Christus cum diuina iustitia luctatus, ab eáque in omnibus corporis partibus tactus, ita vt vndique sanguis effluxerit, vnde benedictionem patris nobis promeruit, meritò etiam nomen I e s v s à salute & redemptione hominum habuit.

Luc.1.
Matth.1.
Exod.2.
Gen.32.

Tripliciter nomẽ I e s v s *Christo conuenit.*

Tripliciter autem illi hoc nomen conuenit. Primò, ratione simul Diuinitatis eius, & humanitatis. Saluator enim est inquantum Deus, & inquantum homo: natura vt Deus; authoritate accepta vt homo, cui nimirum illa, sicut omnis potestas à Deo concessa est. Vnde dixit Apostolus, *donauit illi nomen quod est super omne nomen*, &c. Secundò, ex decentia, vt qui reipsa saluat, conueniens exinde nomen accipiat. E Tertiò denique ex efficacia, quia per eum solum decreuit pater æternus saluare mundum in sanguine ipsius. Vnde in Euangelio ipsa inquiebat veritas; Non misit Deus filium suum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Inde tandiu desideratus est, vt nomen eius hoc nomen I e s v s, in desiderio fuerit animæ, & oris omnium, nunc autem in suauitate cordis, in gaudio & exultatione spiritus, vt in Apostolis videre est, qui ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti erant pro nomine I e s v cōtumeliam pati. Ita vt hodie sit à Solis ortu vsq; ad occasum laudabile hoc nomẽ Domini, in fide & virtute cuius omnis qui inuocauerit, saluus erit.

Phil.2.
Ioh.3.
Isa.26.

Quando & quam cõgruè nomẽ I e s v s *Christo impositum est.*

A Notandum verò est in circuncisione nomen illi impositum fuisse, dum Saluatorem ageret in effusione sanguinis, rursúsque promeruisse in sanguine Crucis, in qua nostræ salutis opus consummauit: vt iam agnoscamus quo dignum sit honore & gloria istud nomen inter omnia, in quo est salus, vita & resurrectio nostra. Hinc ratio cur audito illo nomine caput inclinemus, & genua flectamus. *In nomine* I e s v, ait Apostolus, *omne genu flectatur*, in omni periculo cum reuerentia inuocetur; etiam & cùm pingitur, vndique illuminetur radiis. Nomen enim proprium est, nomen Dei Saluatoris, sicut Christi nomen potestatis. Vt iam discamus, non nisi ab illo salutem esse quærendam qui dicitur B I e s v s, id est, Saluator: & similiter gratiam non nisi ab illo esse quærendam qui dicitur Christus, id est, oleo gratiæ vnctus præ & pro participibus suis.

Vnde nomen Christi.

Christus ergo demum appellatur, quia vnctus à patre oleo spirituali, venit in hunc mundum triplicis personæ partes atque officia suscepturus, Prophetæ, Sacerdotis, & Regis, qui omnes vngebantur, eo quod in functionibus suis Dei majestatem in terra referebant. Vngebantur Prophetæ, quia interpretes erant diuinæ voluntatis: Sacerdotes, quia eorum munus erat orare pro populo, & offerre sacrificia pro peccatis: Reges, quorum est leges ferre, & populum regere. Vnde & in lege veteri figura erant veritatis quæ est in Christo I e s v, C qui à patre Propheta vnctus est, id est, Christus factus, vt interpres eius voluntatis, & mysteriorum quæ nota fecit nobis. Sic apud Isaiam; *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me*, &c. Quid annunciandum? omne quod accepit à patre, hoc enim reuelauit nobis. Reuelauit quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis vnquam ascendit. Item tanquam Sacerdos vnctus est, qui officium exercuit pro nobis orando, atque etiam in Cruce sacrificiũ offerendo pro peccatis nostris; & nunc in cœlo atque in æternum mediator existens apud patrem, & apparens vultui eius pro nobis. Ecce in æternum Sacerdos. Denique tanquam Rex vnctus est, D qui omnium Dominus est; licet enim vnctione & oleo spirituali fuerit vnctus, non temporali, eiúsque regnum præsertim spirituale sit, non tamen temporale amisit, qui & à ligno regnauit, sibique per Crucem regna mundi sicut corda subiecit. Quare & creatione & redemptione Rex est atque Dominus, & pace super iustos, (regnabit enim in domo Iacob in æternum,) & iustitia super iniustos. *Hic est*, ait S. Petrus, *omnium Dominus.* Ecce quomodo meliùs, veriúsque cæteris Propheta, Rex & Sacerdos à Deo vnctus est, Propheta & Rege dicente: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quare? quia Propheta magnus est, Rex regum, E Sacerdos & filius Altissimi, cui propterea debetur imperium, honor & gloria in sæcula sæculorum.

Christus officia exercet Prophetæ, Sacerdotis & Regis.
Isa.61.
Act.10.
Psal.44.

De naturali, diuina, & æterna filiatione I e s v *Christi, ac illius supremò in omnes dominio.*

Filium eius vnicum Dominũ nostrũ.

Catechesis X.

Iam maiora nobis explicanda sunt, eum videlicet qui dicitur I e s v s Christus, vnicum esse Dei

Dei filium, confubftantialem, coæternum, & in omnibus coæqualem. Confubftantialem, inquantum cum patre vnius ac eiufdem eft naturæ, atque effentiæ. Coæternum, quia ficut numquam Deus fuit, quin pater extiterit, fic numquam extitit, quin filium talem habuerit, ipfúmque ab æterno genuerit: vnde minimè hic temporis interualla fingere & imaginari oportet, ita vt antè pater fuerit, & poftea filius, abfque enim temporis difcretione, fed fimul in eodem æternitatis puncto fuêre, & nunc adhuc funt, & erunt femper cum Spiritu fancto vnus Deus. Pater & filius fimul funt, quia correlata funt. Coæqualem iterum dixi, quia eiufdem funt Majeftatis, potentiæ, virtutis, bonitatis, &c. Quæ omnia fatis exprimuntur verbis Euangelistæ dicentis; *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum.* His contenti fimus, & ne altiora quæramus: nam ficut dicit Ifaias; *Generationem eius quis enarrabit?* Attamen vt aliquo modo hanc generationem admirabilem intelligibilem reddamus, & vnufquifque pro captu fuo concipere valeat, illa fimilitudine vtemur quam Catechifmus Concilij Tridentini docet, & exiftimat afferendam effe populo, & quæ ex nobis noftràque intelligentia fumi poteft. Sicut enim mens noftra feipfam intelligens, imaginem fui quodammodo effingit & format, quam Theologi vocant verbum mentis: fic Deus (quantum tamen diuinis humana conferri poffunt) feipfum intelligens, fpiritus enim & intelligentia eft, verbum fuum, imaginem fuam æternam & filium generat.

Filius in omnibus eft patri coæqualis.

Ioh. 1.

Ifa. 53.

Similitudo.

Faciliori adhuc exemplo hoc illuftremus myfterium, videlicet exemplo fpeculi. Cùm aliquis in eo feipfum confpicit, ftatim producit in illo imaginem fui tam fimilem fibi, vt penitus idem effe videatur, non folùm quantum ad formam vultus, fed etiam quantum ad agitationes & motûs corporis; ita vt fi moueat fe, etiam moueatur & impreffa fpecies. Hæc autem imago non cum labore, inftrumento aliquo, aut tempore formatur, fed in inftanti producitur. Ita in Deo, qui ficut fpiritus eft feipfum femper & ab æterno intelligens, etiam in Diuinitatis fpeculo producit cum oculo fui intellectus imaginem fuipfius fimillimam, quæ verbum æternum eft, feu æterni patris filius, inquantum per talem productionem communicat ei totum fuum effe atque fubftantiam; quod minimè fic in nobis ex operationibus noftris accidere poteft. Huius autem myfterij in Deo ratio eft, quod actiones Dei immanētes Deus funt, vnde cùm illa operatio diuini intellectus minimè egrediatur extra ipfum, fed femper in illo remaneat, propterea cum eo vnus Deus eft. In hoc cognofcitur difcrimen actionum Dei ad intrà & ad extrà, quod quæ funt ad extrà, vt creatio mundi, & aliæ huiufmodi non funt Deus. Quæ verò funt ad intrà, vt productio imaginis & amoris, generatio fcilicet filij, & fpiratio Spiritusfancti, Deus vnus funt cum illo; iuxta illud veritatis oraculum, quod cuncta quæ in Deo funt, Deus funt, manētque in diftinctione perfonarum & relationum vnitas naturæ.

Aliud exemplum.

Quomodo pater per intellectionem producit & generat filiū fuum.

In quo differunt actiones ad extrà & ad intrà.

Interim quod audimus Chriftum ab æterno generatum à patre, & in plenitudine temporum à virgine, non inde exiftimandum effe duos filios. Nam etfi duplicem hic generationem & natiuitatem agnofcamus, vnus tamen atque vnigenitus creditur effe filius & patris, & matris, quia tantùm vna eft perfona, in qua duæ naturæ, diuina & humana fubfiftunt. Dicitur autem diuerfimodè fe-

A cundum vtramque naturam, vnigenitus & primogenitus, vnigenitus fecundum diuinam; & primogenitus quantum ad humanam, propter quam non dedignatur vocare nos fratres, quos fibi adoptat per Spiritum fuum, & fic dici à nobis primogenitus in multis fratribus. Per hoc autem quod & vnigenitus, & primogenitus dicitur, femper intelligitur filius Dei vnicus, ad differentiā omnium creaturarum, maximè verò Chriftianorum. Ille enim vnicus dicitur, quia fingulariter eft Dei filius; nos verò adoptiui. Ille natura; nos voluntate & gratia. Ille generatione; nos verò adoptione, & per Spiritum fanctificationis, in quo clamamus, Abba pater: in quo, diuināque inftitutione formati audemus

Diuerfimodè Chriftus dicitur vnigenitus & primogenitus.

Rom. 8.

Chriftus quomodo filius Dei vnicus.

B dicere, Pater nofter. Ipfe enim abūndè infudit Spiritum fuum in nos, vt diuinæ per eum facti confortes naturæ, etiam vt filij ius haberemus obtinendæ cœleftis & æternæ cum illo hæreditatis. Ecce quid nobis promeruit Dei filius, & Dominus nofter IESVS Chriftus in hac carne noftra quam induit.

Verùm vt fciamus modò quibus titulis dicatur Dominus nofter, notandum multa effe quæ ei diuerfimodè conueniunt, inquantum eft Chriftus, fcilicet Deus-homo. Quædam enim ei conueniūt vt Deo, ficut effe omnipotentem, creatorem, & alia huiufmodi. Quædam verò vt homini foli, nempe, paffum & mortuum effe. Quædam autem

Quibus modis Chriftus dicitur Dominus.

C tanquam Deo & homini fimul, vt Regem & Dominum effe vniuerforum. Si enim vtramque naturam fpectemus, diuinam & humanam, Dominum effe eft in confeffo apud omnes. Nam vt Deus, idē planè dominium habet cum Patre & Spiritu fancto pleniffimum & potentiffimum tam in ea quæ funt, quàm in ea quæ non funt. Creator eft, author, paréntque noftræ vitæ, magis, abundantiúfque patribus noftris, qui folum corpus, & adhuc cum illo, non autem animam nobis dederunt. Præterea perpetuus eft conferuator, à quo & in effe, & in vfu vitæ omnino dependemus: ita vt fi à gratia fui concurfus defifteret, ftatim redigeremur in nihilū. Vnde folebat dicere fic S. Bernardus. Totum quod

Chriftus fecundum naturā diuinā omnium eft Dominus.

D es, illi debes à quo totum habes. Ille creator, tu creatura; ille Dominus, tu feruus; tu figmentum, ille figulus. Illi ergo præcipuè totum debes qui te fecit, & benefecit tibi; qui tibi miniftrat curfus fyderum, aëris temperiem, vbertatem terræ. Huic reuera totis viribus feruiendum, ne te indignationis oculo refpiciat, defpiciat, & in æternum te conterat. Multa certè & diuerfa iura occurrunt rerum habendarum, qualia funt quæ per emptionem acquiruntur & donationem; maximè autem per rei productionem, fub qua potiffimùm ratione Chriftus vt Deus vniuerforum eft Dominus, qui ex nihilo produxit omnia.

S. Ber. tract. de quadrup. debito.

E Verùm etiam vt homo adhuc Dominus eft, fed fub alia ratione. Primò, conftitutionis & donationis à patre, ficut ipfe teftatus eft, dicens: *Data eft mihi omnis poteftas in cælo & in terra.* Et Apoftolus eius: Conftituit Deus pater ad dexteram fuam IESVM Chriftum in cœleftibus fuper omnem principatum, & poteftatem, & virtutem, & dominationem, &c. & omnia fubiecit fub pedibus eius. En vniuerforum Dominus. Sed adhuc alia ratione admirabili, nempe emptionis, & redemptionis, ficut idem Apoftolus dicit: Empti enim eftis pretio magno. & S. Pet. Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eftis, fed pretiofo fanguine quafi Agni immaculati Chrifti. Ecce magnum pretium quo nunc Chrifti fumus, & ipfe eft Dominus, fanguis

Chriftus fecundum humanitatem omnium eft Dominus

Matth. vlt.

1. Cor. 6.

1. Pet. 1.

guis eius, quo nos à peccatis, à morte liberauit & Inferis. Ecce iam vnde & singulariter noster dicitur Dominus, qui totus datus est nobis, totúsque in vsus nostros atque libertatem expensus. Ecce, ô homo, quo titulo tuus est Dominus, obsequiúmq; & gloriam exigit à te; humiliauit semetipsum pro nobis factus obediens vsque ad mortem Crucis, sed vt omnis lingua confiteatur, dicit Apostolus, quia Dominus noster est in gloria Dei patris. Ex hoc præstolatur gloriam, obsequiúm, & vult agnosci Dominus. Illi vitam debemus qui pro nobis posuit suam; illi totum debemus, corpus & animã, qui totum se pro nobis exposuit. Ex humilitate Crucis petit exaltari, & agnosci omnium Dominus: quamuis eam ob causam tale nomen illi debeatur, iuxta Catechismum Concilij, quod in vna persona duæ naturæ, diuina & humana coniunctæ sint. Ita vt propter illam admirandam coniunctionem semper absolutè omnium Dominus constitueretur, etsi non fuisset mortuus.

Phil. 2.

Quantum teneatur vnusquisque Christo seruire.

Sed quod præterea voluerit adhuc pro salute nostra animam suam ponere, quid retribuemus ei? Nemo iam sibi viuat, inquit S. Bern. sed ei qui pro se mortuus est. Cui enim iustiùs viuam quàm ei qui si non moreretur, ego nõ viuerẽ? cui commodiùs quàm promittenti vitam æternam? & cui magis ex necessitate quàm flammas perpetuas minitanti? Verùm & si donauero ei quidquid possum, nonne istud est sicut stella ad Solem, gutta ad mare, lapis ad montem, granum ad aceruum? Et si iam totum me illi debeo pro me facto, quid addam pro me refecto? non enim tam facilè refectus quàm factus. Semel dicendo fecit me; in reficiendo autem & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura. In primo opere me mihi dedit; in secundo se, & vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Quid autem Domino retribuam pro se? quid? subiectionem, amorem, obsequium, obedientiam. Præterquàm quod adhuc hæc omnia illi debeam ex eo quod sit vltimus finis meus. Nam quod propter aliud factum est, ei subiectum esse oportet. Eum ergo agnoscamus propter quem omnes facti sumus, scilicet ad seruiendum ei in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

ARTICVLVS TERTIVS.

Qui conceptus est de Spiritu sancto.

De Incarnationis mysterio, seu conceptionis IESV *Christi in vtero Virginis.*

CATECHESIS XI.

HVIVS articuli duæ sunt partes. Prima est de conceptione: altera de natiuitate IESV Christi. Non autem sine magna ratione in primo articulo mentio facta est omnipotentiæ Dei, propter admiranda mysteria quæ sequuntur, & de quibus posthac loquuturi sumus, vt à Deo in carne nostra peracta sunt. Nunc igitur de ipso omnium fundamento, & salutis nostræ initio, quod Incarnatio est, loquimur, vbi profitemur & credimus vnicum Dei patris filium, hominem esse factum seu incarnatum in vtero B. Mariæ Virginis, non cooperatione viri, sed virtute Spiritussancti,

Quid de Incarnatione credendum sit.

A qui humanum corpus ex purissimis sanguinibus B. Virginis, omnibus suis partibus & perfectionibus integrum, anima rationali, & vniuersis suis naturalibus facultatibus prædítum, efformauit, quod statim eodémque instanti verbum diuinum in suæ vnitatem personæ assumpsit. Quam assumptionem, siue naturæ humanæ vnionem cum verbo in eadem subsistentia, Incarnationem appellamus, per quam Deus optimo, perfectissimóque modo suæ se communicat creaturæ, illi tribuendo diuinam personam substantiali & personali vnione, qua maior quidem excogitari non potest. Iuxta quod etiam ritè hoc mysterium appellauit Apost. magnum pietatis sacramentum, sapientiam in mysterio absconditam, inuestigabilésque Christi diuitias: S. Dionysius, nouum omnium nouorum, nouitatum omnium supereminentem nouitatem; & S. Leo, maximum Dei operum. Verè maximum est quod & diuina sapientia inuenire, & diuina charitas potuit exhibere; & certè nihil est in quo magis erga nos reluxit diuina pietas, ipso Christo dicente: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Ioh. 3.

1. Tim. 3. 1. Cor. 2. Eph. 3.

B

Diuini amoris excessum agnouimus, quando placuit Deo non in tempore, sed ab æterno de nostra salute & redemptione cogitanti, nos ingratos, atque inimicos, mentis suæ atque dilectionis obiectum habere. Sed non minus adhuc hunc excessum amoris, sicut sapientiæ, nobis demonstrauit, quando talem modum cogitauit, & assumpsit, naturam sibi vniendo eorumdem peccatorum hominum, vt sic coram patre appareret in similitudinem carnis peccati; & qui erat patri gratissimus, ab eo nostrorum sustineret pœnam delictorum, cùm percussus propter scelus populi, & tormentis traditus, atque derelictus, peccata nostra in corpore suo tulit. Ad hoc igitur carne nostra indutus in mediam exterminij terram prosiliuit, de cœlo à regalibus sedibus exiliens, sicut in Symbolo Niceno dicitur, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est: ita vt eadem persona Deus permanens, quod ex æternitate erat, in tempore homo fieret, quod antè non erat, & sic Christus IESVS appareret in terra, idem atque vnus perfectus Deus & perfectus homo, Deus ex substantia patris ante sæcula genitus, & homo ex substantia matris in sæculo natus, sicut Euangelista dicit; *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Iohan. 1.

C In Incarnatione excessus charitatis & sapientiæ Dei.

D

Ecce diuinæ bonitatis & dilectionis mysterium in Christo IESV. Creando hominem dedit ei imaginem suam, & redimendo, illius formam accepit, in similitudinem hominum factus, formam serui in similitudinem factus carnis peccati; & non sicut in se erat mundo apparens. In principio erat verbum, Deus erat & figura substantiæ patris, segregatus à peccatoribus, & ecce in terra habitu inuentus est vt homo, homo inquam similitudine carnis peccati amictus, portans in se veritatem & distinctionem duplicis substantiæ, diuinæ & humanæ, absque confusione vlla in vnitate personæ. Quis autem creditur author tanti mysterij, tamque admirandæ vnionis? Spiritussanctus, vt in Symbolo dicitur; *Qui conceptus est de Spiritu sancto.*

E

Quare etsi tres personæ opus istud coniunctim operatæ sunt, iuxta quod ea quæ fiunt ad extrà,

extrà, tribus communia sunt, atque etiam in annuntiatione Angelica specialis mentio est Trinitatis, vbi sic refertur; *Spiritussanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideóque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei:* tamen triplici ratione attribuitur Spiritui sancto. Primò quidem ratione causæ quæ consideratur ex parte Dei, nimirum amoris; hoc enim mysterium totum ex amore Dei prouenit, quod propositum diuinæ voluntatis nominatur & sacramentum pietatis. Quid enim filium Dei impulit vt carnem nostram assumeret in vtero virginis, nisi amor & dilectio singularis? *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Amor autem qui in Deo est, Spiritussanctus est, vtriusque amor patris & filij.

Luc. 1.

Opus Incarnationis attribuitur Spiritui sancto tripliciratione.

Ioh 3.

Secundò, quia hoc congruit causæ Incarnationis ex parte naturæ assumptæ: per hoc enim datur intelligi quod natura humana assumpta est à filio Dei in vnitatem personæ, non ex meritis aliquibus, sed ex sola gratia, quæ Spiritui sancto attribuitur, iuxta illud Apost. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & diuisiones operationum, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus: vt simul intelligatur totam Trinitatem operari, quod interim per appropriationem Spiritui sancto attribuitur. Vnde Sanctus Augustinus dicit, quod modus iste quo Christus conceptus dicitur de Spiritu sancto, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis in ipso primo exordio naturæ suæ quo esse cœpit, verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset filius Dei qui filius hominis; & filius hominis qui filius Dei.

1. Cor. 12.

S. August. in Enchirid. c. 40.

Tertiò, quia hoc congruit termino Incarnationis. Ad hoc enim terminata est Incarnatio, vt homo ille qui concipiebatur esset sanctus, & Dei filius. Vtrumque autem horum Spiritui sancto attribuitur: ipse enim est Spiritus sanctificationis, & per quem etiam homines efficiuntur filij Dei, iuxta illud Apost. Quoniam estis filij Dei, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, clamantem, Abba pater. Sicut ergo homines per Spiritum sanctum spiritualiter sanctificantur, vt sint filij Dei adoptiui: ita Christus in omni sanctitate conceptus est de Spiritu sancto vt filius Dei naturalis, sicut Angelus dixit Mariæ virgini; *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.*

Gal. 4.

Luc. 1.

Ex eo autem minimè est cogitandum, Spiritum sanctum dici posse patrem IESV Christi secundum carnem; quia operationem suam tantùm dedit illi, non naturam: tùm quia adhuc nomina illa paternitatis, maternitatis, & filiationis, generationem consequuntur, non adhuc qualemcunque, sed viuentium, & quæ in similitudinem fiat generantis. Sicut non dicimus quod capillus qui nascitur ex homine, sit filius hominis, & calor, vel ignis qui nascitur ex igne, sit filius ignis: aut quod architectus sit pater domus & ædificij, vel pictor tabellæ suæ; sed vterque dicitur tantùm operator, quia suam operam, & non naturam vel materiam dedit operi, quam aliunde desumpsit. Sic Spiritussanctus non de sua, sed de matris substantia corpus Christi cum patre & ipso filio, efformauit. Ita vt secundum carnem tantùm sit mater, & non pater, secundum quam tantùm Deus est & dicitur operator: secundum Diuinitatem tantùm sit pater, & non mater, pater qui Deus est; secundum verò assumptionem carnis

Quomodo Spiritussanctus non potest dici pater Iesu Christi.

Incarnatio tantùm in filio facta sit, & non in patre, aut Spiritu sancto.

Quod mysterium his exemplis explicari potest. Primò, trium hominum qui simul vnum ex istis splendidissima veste induerent, ipso quoque se induente: hic quidem omnes tres induerent, sed tamen vnus tantùm indueretur. Ita pater & Spiritussanctus splendidissima humanitatis veste filium induerunt, & ipse quoque filius sese induit, eáque solus indutus est: solus enim filius, & non pater, aut Spiritussanctus, humanitatem assumpsit. Aliud exemplum ponit Sanctus Augustinus. Tria, inquit, ars, manus, & chorda; & tamen vnus sonus auditur: ars dictat, manus tangit, chorda resonat. Nec ars, nec manus sonum reddunt, sed cum chorda pariter operantur. Sic nec pater, nec Spiritussanctus carnem susceperunt, & tamen cum filio pariter operantur. Sonum sola chorda reddit, carnem solus Christus accepit. Ecce egregia & facilis cum cithara Incarnationis similitudo, & quomodo tantùm in filio facta est. Hinc fortè illa vox patris ad filium adhuc in sepulchro positum, iuxta Dauid: *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara.* Quænam enim est illa cithara tam suauis & Deo grata, nisi caro nostra vnita verbo? Verbum caro factum est, ait Euangelista.

Explicatur exemplis quomodo solùm in filio Incarnatio facta est.

S. Aug. Ser. 3. de temp.

Ps. 107.

Ioh. 1.

Hinc nonnihil discriminis inter Incarnationem & conceptionem IESV Christi, in quo saltem ratione Incarnatio distinguitur à conceptione, quod Incarnatio est respectu verbi, quod suam subsistentiam communicabat naturæ humanæ, eámque sibi personaliter vniebat: conceptio verò dicitur respectu matris, quæ similem sibi specie generabat. Quare modò superest dicendum quid ex eo mysterio nouum & admirandum virgini acciderit, quid conueniens Christo, & vtile nobis. Quantum ad virginem hoc fuit mirabile, quod simul vnum fuit secundum naturam, alterum supra naturam; secundum naturam, quod de materia proprij sanguinis formatum est Christi corpus; supra naturam, quod in instanti formatum est, statim enim atque virgo consensit, etiam in illo instanti & corpus formatum est, & anima creata, eique vnita, & verbum totum hoc in vnitatem personæ assumpsit; adeò vt in eodem puncto simul fuerit perfectus Deus & perfectus homo, & virgo statim Dei mater, sicut postea eam salutauit Elisabeth, quamuis nondum ex ea Christus fuisset natus. Ecce quid nouum & admirandum illi accidit. Secundum naturam erat, quod conceptus in matris vtero, per tot menses manserit reconditus in illo: sed vltra & supra naturam erat, quod concepit virgo, virgo generauit, vt credamus quia Deus quidem erat, qui naturam innouabat.

Ratione distinguitur Incarnatio Christi à conceptione.

Miracula facta in virgine per Incarnationem.

Quantum ad Christum etiam hoc conueniens erat mysterium, quia per hunc modum completur omnis diuersitas humanæ generationis. Nam primus homo productus est sine viro & femina ex limo terræ; prima femina, scilicet Eua, producta est ex viro sine femina: alij omnes ex viro nascuntur & femina. Quartus autem modus adimplens omnia, debebatur & relinquebatur Christo, scilicet, vt produceretur ex femina sine viro, Dei filio relinquebatur vt fieri posset filius virginis.

Conueniens Christo Incarnationis mysterium.

In Incarnatione cōpletur omnis modus humanæ generationis.

Denique & hoc mysterium nobis erat vtile, per quod tota natura humana nobilitata est; per quod & potestatem dedit Christus filios Dei fieri, his

Nobis vtile hoc mysterium.

his qui credunt in nomine eius; per quod, inquam, habemus exemplar & modum in nobis concipiendi Dei filium. Quamuis enim vnicam IESVS Christus matrem habeat, tamen secundum spiritum multas habet animas quæ ipsum verbo, inspirationibusque sanctis concipiunt & pariunt. Sicut aliquando dicebat extendens manus in discipulos suos: *Quicunque fecerit voluntatem patris mei, hic mater mea, soror, & frater est.*

Natus ex Maria virgine.

De natiuitate IESV *Christi.*

CATECHESIS XII.

DVÆ fuerunt IESV Christi natiuitates, vna in virgine, altera ex virgine. De prima dixit Angelus Iosepho; *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* De secunda dixit virgini matri; *quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei. Ecce concipies, & paries.* Vtriusque promissio est, adeò vt admirabili modo priusquàm Christus nasceretur ex virgine, in ea natus sit ab ipso conceptionis instanti, quo perfectus formatus est homo. Duplex mysterium est in hoc tertio articulo contentum. De primo iam satis loquuti sumus; nunc de secundo dicendum, quo dicitur ex virgine natus. Illa enim completa & perfecta est natiuitas, in qua omnia quidem magna sunt, & supra naturæ ordinem.

In natiuitate Christi omnia admiranda, & supra naturæ ordinem.

1. Quod primum admirabile occurrit, est, quod qui ab æterno est filius Dei, cuique generatio æterna competit, cœpit in tempore esse filius hominis, & ex virgine nasci: & sic qui Deum patrem habebat in cœlis, virginem matrem habere in terris: nascendo in Bethleem tempus & æternitatem simul coniungere, Deum & hominem, paternitatem Dei, & maternitatem virginis, ac præstare vt idem qui filius Dei erat, esset & virginis, vt Deus pater hominis diceretur, & virgo mater Dei, mutuóque referrentur ad vnum & eumdem filium creator & creatura. Certissimum enim est, secundum hanc temporalem Christi natiuitatem, & Deum posse dici filium hominis, & virginem matrem Dei, & Christum vtriusque filium. Quia quod conuenit naturæ diuinæ, vel humanæ in illo, etiam personæ conuenit. Vnde & hac ratione Deus dicitur homo, atque etiam in Cruce mortuus, & similiter homo Deus dicitur, immortalis, atque infinitus. Cùm igitur natura humana in ipso conceptionis principio assumpta fuerit à diuina persona; consequens est verè dici posse & Deum conceptum esse, & natum de virgine, sicque eumdem esse Dei filium & virginis. Ex hoc enim mulier dicitur alicuius mater, quod concepit ipsum & genuit. Ita virgo mater dicitur Christi, mater Dei, quia ipsum concepit & genuit, cùm nimirum in virgineo eius vtero; illa sanctissima Christi humanitas assumpta à verbo, numquam fuit separata ab illo, sed in primo instanti cum illo coniuncta. Nam vt dicit Sanctus Iohannes Damascenus, non Deus præexistenti seorsim carni vnitus est, sed simul vt caro extitit, simul quoque verbi caro extitit; caro animata, rationis & intelligētiæ particeps.

Quomodo in Christo diuina cum humana filiatio extitit.

S. Damasc. libr. 2. fidei cap. 2.

2. Secundum est, quod prodiit Christus ex vtero matris, ex eaque natus est, salua perpetua virginitate eius, & sine vlla læsione integritatis. Manet enim verissima semper illa sentētia Ecclesiæ, B. Virginem ante partum, in partu, & post partū semper mansisse incorruptam & integerrimam. Ante partum probant Scripturæ. *Ecce virgo concipiet* ait Isaias, *& pariet filium.* Et in Euāgelio, virgini interroganti Angelum, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco: id est, non possum, nec volo cognoscere, obstante voto; sic enim cum Sancto Augustino interpretantur multi: respondit Angelus, Spiritussanctus superueniet in te, amplissimè per hoc significans nullum passuram ex eo virginitatis suæ detrimentum, quem ex virtute Spiritussancti, & non ex virili semine conceptura esset. Vnde subiunxit; ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei. Quod enim hic ignorabat virgo, modus tantùm & non factum erat. Legerat Maria, ait Sanctus Ambrosius: Ecce virgo concipiet; ideo credidit futurum: sed quomodo fieret, antè non legerat. Non enim quemadmodum fieret, vel prophetæ tanto Isaiæ fuerat reuelatum; tantum enim mandatum mysterium non hominis fuit, sed Angeli ore promendum: auditur ab eo, Spiritussanctus superueniet in te; auditur, & creditur.

Natiuitas nō offecit integritatem virginis.

Isa. 7. Virgo ante partum. Luc. 1.

S. Ambr. in Luc.

Similiter in ipso partu probant Scripturæ fuisse integram & incontaminatam, eodem Isa. dicente: *Ecce virgo pariet.* Neque enim, vt optimè animaduerti potest, tantummodo concepturam virginem, sed & parituram virginem dixit propheta, vt in ipso partu integritas videretur. Sic in Ezech. *Conuertit me, inquit, ad viam portæ Sanctuarij exterioris quæ respiciebat ad Orientem, & erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta hac clausa erit, nō aperietur.* Optimè illa porta est Maria, transiuit enim per eam Christus, sed non aperuit, ait S. Ambros. non soluit matris claustra, mansit intemeratum claustrum, durauere inuiolata virginitatis signacula; Christus per eam transiit, & non aperuit. Ita Proclus sanctissimus Episcopus in Cōc. Ephes. O mysterij magnitudinem! diuinitatem prædico, & humanitatem non nego. Naturæ portas reserauit Emmanuel vt homo: sed virginitatis claustra non violauit, neque perrupit vt Deus. Ita enim ex vtero est egressus, sicut per aurem ingressus: ita natus, sicut conceptus: qui impatibiliter fuerat illapsus, ineffabiliter est elapsus. Et certè in fidem atque testimonium huius mysterij facta esse videntur quæ in Resurrectione Christi postea sequuta sunt. Nam in eo quod ianuis clausis ingressus est ad discipulos, modum demonstrat quo ex matris vtero clausis ianuis egressus est ad nos: quomodo denique ex ventre clauso sicut ex sepulchro prodiit, salua integritate matris.

Virgo in partu. Isa. 7.

Ezech. 44.

Proclus Conc. Ephe. tom. 6. c. 7.

Alia similia mysteria in Resurrectione Christi.

Verùm quomodo etiā post partum virgo permansit, ostendamus. Ezechiel satis adhuc prædixisse videtur, vbi. n. dixit: *Porta hac clausa erit, non aperietur;* statim subiūxit, *& vir non transibit per eā, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eā.* Quare etiā iuxta illud in Euāgelio dicitur de S. Ioseph cui mysterium reuelatū fuerat, quod exurgens fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugē suā, & non cognoscebat eā donec peperit filiū suum primogenitū. i. numquā. Istud. n. aduerbium, *donec*, hic vt sæpius, infinitū tempus significat, non antè certū tempus, quasi ad partū vsque nō cognouerit; sed infinitū, vt dixi, videlicet, quod omnino non cognouerit eā. Sicut in illo Gen. Non est reuersus coruus donec siccaretur terra. i. numquā ad arcā est reuersus. & alibi. Ego sū, ego sū, dicit Dominus, & donec cōsenescatis, ego sū. i. semper sum.

Virgo post partum. Ezech. 44.

Matth. 1.

Aduerbium, donec, infinitum tēpus significat. Gen. 8.

MMm Num

Numquid enim postquam senuerint homines, Deus esse desistet? Ita igitur Euangelista perpetuam etiam post partum virginitatem Mariæ declarare voluit, cùm dixit; & accepit eam, & non cognoscebat donec peperit. Quod adhuc maximè confirmat cùm addit. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel; quod est interpretatum, nobiscum Deus.

Duo quæ perpetuam virginis integritatem defendunt.

Ecce duo quæ perpetuam virginis integritatem defendunt, virgo concipiet, & Deum pariet. Sed si Ioseph post monita Angeli tanto honore, tantaque deuotione & religione, sponsæ suæ integritatem & puritatem ante partum coluit, quanto magis obsecro post partum, partum inquam tam admirabilem? post apparitionem militiæ cœlestis laudantium Deum, post pastorum narrationem, Magorum adorationem, post confessionem iusti Simeonis, & Annæ vaticinium, post tot denique miracula, quibus ipse interfuit, minimèque ignorans sponsam suam esse matrem Dei, & vt talem honore condignoque obsequio venerans. Quare Sanctus Hieronymus contra impium Heluidium scribens hostem virginitatis Mariæ, loquebatur sic ad illum. Tu Heluidi dicis Mariam non permansisse virginem; ego mihi plus vendico, etiam ipsum Ioseph virginem permansisse per Mariam, vt ex virginali coniugio virgo Christus nasceretur.

Rationes cur virginē oportuit esse desponsatam.

Satis hinc de rationibus constat, ob quas decuerit atque etiam oportuerit Dei matrem fuisse desponsatam, & tali sponso qui permaneret virgo, & sponsæ suæ virginitatem & honorem post partum protegeret. Prima siquidē est, ne infamiam incurreret, simulque testem & custodem virginitatis, castissimæque fœcunditatis haberet, atque etiā ipsius sponsi testimonio, vtique certiori, fides nostra comprobaretur, qua credimus Christum esse de virgine natum. Secunda, ne Christus ipse contemneretur & reiiceretur à Iudæis. Tertia, vt commodiùs educaretur, & contra persecutores protegeretur, sicut accidit quando ire oportuit in Ægyptum. Quarta, quam S. refert Ignatius, vt diuinus partus celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de vxore generatum.

Rationes ob quas Christus nasci de virgine voluit.

Ecce rationes cum aliis multis, cur decuit virginem esse desponsatam. Sed nunc aliæ quæri possunt, propter quas Christus voluit ex virgine concipi & nasci. Prima est, quia, inquit S. Bernardus, Deum decebat talis natiuitas, qua non nisi de virgine nasceretur; sicut talis congruebat & virgini partus, vt non pareret nisi Deum. Et certè creatorem decebat non consueto, sed peregrino & admirando vti partu. Secunda, quia Seruatorem decebat matris seruare virginitatem. Et certè meritò salua sunt omnia virgini quæ omnium Saluatorem genuit. Tertia, quia decebat vt qui est verus & naturalis Dei filius, alium patrem non haberet quàm suum æternum. Quarta, quia cùm idem Christus sit verbum, verbum autem absque omni corruptione in mente concipi soleat; sic decebat vt Christus sine vlla matris corruptione conciperetur & nasceretur ex illa. Quinta, quia cùm eo nomine venerit, vt tolleret peccatum mundi, propterea decuit vt ab eius conceptu abesset omnis concupiscentia carnis, quæ ex peccato prouenit. Sexta denique, vt virginitatis tam filius quàm mater essent exemplum. Interim adhuc dicam quod de virgine quæ Maria dicitur, id est, Domina, nasci voluit, quia talis mater, talisque natiuitas decebat eum qui est Dominus omnium. Ecce conuenientiæ tanto vtique ac soli mysterio singulares.

Rationes & exempla quibus ostēditur Christū posse de virgine nasci.

Sed dicetis; Quomodo hoc fieri potest, vt nascatur de virgine homo, sed Deus homo? Mementote imprimis diuinæ omnipotentiæ, & quia non est impossibile apud Deum omne verbum; etsi tamen id possibile esse etiam rationibus demonstrem, & exemplis. Attendite. Terra communiter absque semine, cultura, imbre, Solisque ardore non producit quidquam; & tamen cùm adhuc in exordio creationis quasi virgo esset, & nondum culta, solo Dei verbo & imperio dicentis, germinet terra herbam, statim produxit. Vbi Sanctus Chrysostomus dicit. Non erat homo, non aratrum, non boum cooperatio, sed solum audiuit præceptum, & statim quod suum erat fecit, nullo alio ad cooperationem opus habens. Satis enim sufficiebat ei pro omnibus verbum illud Dei quod dicebat, germinet terra, &c. Ita est certè, & fuit de virginali terra Maria, vt audiuit verbum Dei, & obtemperauit illi dicens; *Ecce ancilla Domini*, &c. statim concepit & nobis protulit, absque hominis opere, semen & fructum vitæ IESVM Christum. Cuius mysterij adhuc in Scriptura nobis quædam exempla relicta sunt & figuræ. In virga Aaron, quæ posita in tabernaculo coram Domino germinauit. Item in lapide absciso de monte sine manibus hominum, qui postea factus est mons alter magnus implens vniuersam terram. Quis enim est lapis iste nisi Christus, qui de Maria virgine natus est? Verùm prætermissis aliis similibus figuris, afferamus adhuc demusque penitus familiare & sensibile exemplum. Quotidie videmus Solem transmittere radium suum in cubicula per mediam crystallum sine scissura vlla & fractura illius. Facit hoc natura; quanto magis Deus poterit nasci ex matre virgine sine læsione integritatis, cui possibilia sunt omnia?

Gen. 1. S. Chrysost. hom. 5. in 1. cap. Genes.

Figura. Num. 17. Dan. 2.

Fructus qui ex natiuitate Christi potest colligi.

Superest modò vt attendamus quem fructum ex eo mysterio colligere possumus. Scilicet, non amplius ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo spiritualiter nasci discamus; non superbire attendentes humilitatem Dei, qui nostri causa gloriam suam nostræ coniunxit infirmitati: ecce enim natus in terra, quem continuò Angeli adorant in cœlis. Discamus non apponere cor diuitiis, attendentes summam paupertatem in hac natiuitate noua filij Dei. Nascitur egenus, & tanquam peregrinus in præsepio vili, quia ei, vt notat Euangelista, non erat locus in diuersorio; ei, hoc attendite: neque enim absolutè & simpliciter dicitur, quia non erat locus, sed ei non erat, qui dicit, meus est orbis terræ, & plenitudo eius; ei, qui in propria venit, & sui eum non receperunt. Paupertatem attendite, etiam pannis inuolutum inuenietis, & sic reclinatum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio; vt discamus & curemus locum ei dare in cordibus nostris.

* * *

DE

Natiuitas Mariæ virginis.

De dignitate Virginis matris.

Catechesis XIII.

PROFITEMVR, vt ex superiori catechesi notauimus, duas IESV Christi perfectas & completas natiuitates: vnam æternam, quæ ex patre est, & qua Deus de Deo est; alteram temporalem, quæ ex virgine est, qua & homo est. Diuersitatis huius & distinctionis ratio & fundamentum est, quod cùm in Christo duæ sint naturæ, etiam necesse est duas illi attribui natiuitates, vnam æternam, qua æternaliter à patre processit; alteram temporalem, qua propter nos temporaliter ex matre natus est. Hinc quidem ratio atque principium donorum omnium & gratiarum, quibus Deus amplissimè virginem sanctissimam suam matrem cumulauit. Titulus hic est admirandus & singularis, titulus matris Dei, qui fert secum & dicit omnia priuilegia & prærogatiuas gratiarum, quibus potest pura creatura à Deo largitore omnium donorum locupletari. Illum autem perfectè atque in æternum virgo possedit in natiuitate Christi, in qua quem genuit, etiam vt ancilla adorauit. Hinc est quod Sanctus Matthæus consultò hanc dignitatem virginis matris in fine genealogiæ Christi proposuit, cùm veniens ad Ioseph dixit, virum Mariæ, de qua natus est IESVS, qui vocatur Christus. Sicut in Symbolo etiam ab Apostolis expressè ponitur, *natus ex Maria virgine*.

Titulus matris Dei omnia dicit priuilegia gratiarum.

Matth. 1.

Quare hoc? vt primò certè agnosceretur quia omnes prophetiæ de ea completæ sunt. Isaiæ dicentis: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Ieremiæ; *Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum.* Dauid; *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quis enim est ille venter Dauid, nisi virgo, cuius fructus benedictus est Christus, cui, iuxta quod Angelus prædixit, dedit Dominus sedem Dauid patris eius, tanquam Messiæ & Regi super omnem domum Israël? Vnde etiam & congruenter, vbi iam diximus, de tali virgine voluit nasci quæ Maria appellaretur, quæ Syriacè Dominam significat; quasi non decuisset Dominum orbis nasci ex alia quàm ea quæ & nomine, & priuilegio gratiæ, mundi est Domina.

Duplici ratione notatur in Symbolo natiuitas Christi ex virgine. Isa 7. Ierem. 31. Psal. 131.

Secundò, signatur expressè illa Christi natiuitas ex virgine, vt illa crebrò dignitas matris in memoriam redeat, atque vt decet veneremur illam, agnoscamusque magnum esse titulum & principium ex quo recta consequutione summa omnia dona, quæ virgini facta sunt, deducuntur. Nam summa sanctitas, summa virginitas, summa gratia, summaque gloria, ex eo concluduntur in illa, adeò vt decuerit exinde, vt Sanctus Anselmus loquitur, vt ea puritate niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi. Ex eóque etiam principio potest optimè cum Sancto Bernardo colligi, omnia reliquorum Sanctorum dona in virgine reperiri. O miram dignitatem! Et certè habet hoc hierarchicus ordo iuxta Sanctum Dionysium, vt inferiorum virtutes sint in superioribus perfectiori modo repositæ. Quemadmodum sapientia perfectior est in Seraphim quàm in Cherubim. Est autem Beata virgo Maria super omnes choros Angelorum per gratiam & gloriam sublimata: erunt igi-

S. Bern. ep. 174. Omnia Sanctorum dona reperiuntur in virgine.

A tur in ea perfectiones cæterarum creaturarum, & omnium Sanctorum dona etiam eminentiori modo quàm in illis sint. Hoc enim decet dignitatem eius.

Titulus filij Dei, aiunt Theologi, principium est ex quo humanitas Christi omnia dona sua excellentissima habet. Ita titulus matris Dei, principium est ex quo iidem Theologi collata à Deo virgini eximia munera inferunt. Vt enim decuit filij Dei humanitatem omni cœlesti dono ornari: ita par æquumque fuit matrem Dei omni diuina gratia post filium decorari; post præstantissima gratiæ dona & opera assumptæ humanitati à Deo collata, primùm excellentiæ B gradum habuisse ac sortita esse munera gratiarum virgini Dei matri condonata: quæ quidem tam in donis gratiæ gratis datæ, quàm in donis, habitibus, atque operibus gratiæ gratum facientis, in donis quoque gloriæ, post filium, gloriosè, ineffabiliterque refulget. Quemadmodum enim fuit decentissimum, vt illam naturam quam voluit creator suæ personæ vnire, omni chrismate gratiæ & gloriæ, omni virtute perfecta, donoque Spiritussancti summè & incomparabiliter decoraret, etiam eodem instanti, quo illam assumpsit: ita omnino decuit, vt virginē illam quam sibi matrem elegit, statim vniuersis gratiæ & C gloriæ ornamentis ditaret, excellentiùs munificētiúsque præ omnibus seruis. Hinc apud Metaph. S. Chrysost. Magnum re verâ miraculum, fratres dilectissimi, fuit beata semper virgo Maria. Quid namque illa maius, aut illustrius vllo vnquam tempore inuentum est, seu aliquando inueniri poterit? Hæc sola cœlum ac terram amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim; non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles, aut inuisibiles maius, aut excellentius inueniri potest. Eadem ancilla Dei est & mater, eadem virgo & genitrix. Hęc D eius mater est qui à patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli & homines Dominum rerum omnium agnoscunt. Visne cognoscere quāto virgo hæc præstantior sit cœlestibus potentiis? Illæ cum timore & tremore assistūt, faciem velātes suam: hæc humanum genus illi offert quem genuit, per quam & peccatorum veniā consequimur.

Similitudo sumpta à titulo filij Dei plenitudinis omnium gratiarū in Christo.

S. Chrysost. apud Metaphrast.

Ecce ergo vnde ei tot collata sunt dona & gratiarum priuilegia, titulus matris Dei admirandus. Vnicuique, inquit S. Thom. (& in hoc primū fundamentum consistit,) datur gratia à Deo secūdum hoc ad quod eligitur. Electa est autē virgo in matrem Dei; qui titulus vt admirabilis est, ita admirabiles sanctimoniæ vniuersæ diuitias postulat. Magni Regis titulus magnum honorem, magnasque opes exigit: ita magnæ matris, vt Dei, titulus & di- E gnitas gratiam eximiam, eximiamque gloriam flagitat. Hic ergo (vt cum Sancto Anselmo loquar,) intendat mens humana & contempletur, videat & admiretur; vnum filium sibi consubstantialem Deus pater genuit, & hunc sibi tam vnicum, & in omnibus omnino æqualem non passus est remanere solùmodo suum, sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse B. Mariæ vnicum & naturalem filium; nec ita vt duo essent, vnus filius Dei, & alius virginis: sed vnus idem ipse qui filius Dei in vna persona esset filius virginis; & qui filius virginis vnus & idem ipse esset in vna persona filius Dei. Quis hæc audiens non

S. Thom. 3. p. q. 27. a. 5. Ratio prima gratiarū virginis, electa in matrem Dei.

S. Ansel. lib. de excellen. virginis c. 3.

obstupescat? ac non videat simul quantis ornari gratiis illa virgo debuerit, quæ electa erat vt portaret Regem cœli? Si domus qua terrenus & temporalis Rex excipitur, pretiosis aureisque tapetibus exornatur, & fragrantibus perfunditur odoribus; matrem Dei quæ ipsum in ventre concepit, quibus gratiæ ornamentis ornatam, & virtutum odoribus perfusam fuisse est credendum? Salomon thronum suum vestiuit auro, de quo & Scriptura dicit, quod non est factum tale opus in vniuersis regnis. Quid igitur de virgine dicere conueniet, cuius & vterus & anima templum erat animatum Diuinitatis, thronus veri & æterni Salomonis, qui est Christus Dominus, nisi quod omni gratia præfulgebat, & nihil tale factum est in omnibus regnis?

Comparatio.

Figura. 3. Reg. 10.

S. Thom. 3. p. q. 25. a. 6. *Mater Dei dignitas infinita.*

Hinc est quod Sanctus Thomas affirmet continere illam, per hanc qualitatem matris Dei, infinitam quamdam dignitatem; sicut continet humanitas Christi ex eo quod vnita est Deo: & similiter beatitudo, ex eo quod fruitio est Dei. Sic inquam virgo ex eo quod est mater Dei, habet quamdam infinitam dignitatem ex illo bono infinito, quod Deus est; ex eo quod mater Dei est. Vnde ex illa parte nihil maius meliusque fieri potest. Summa humanitas est Christi humanitas; summa felicitas est Sanctorum qui Dei visione perfruuntur. Ita summa mater summa dona postulans est virgo Deipara? virgo quæ dicitur non solùm γεννήτωρ, sed etiam θεοτόκος. Vnde optimè dixit S. Bonauentura. Virgo mater est, qua maiorem Deus facere non potest. Maiorem mundum posset facere Deus; maius cœlum posset facere Deus, maiorem matrem quàm Dei matrem non potest facere Deus. Ipsa est cui pater æternus suam communicauit potentiam, vt caput contereret draconis: filius lumen diuinæ sapientiæ, vt penetraret mysteria, & obsequendo reuelationibus digna existeret, quæ ipsum de accubitu paterno in suum vterum virginalem attraheret, faceretque vt qui tanquam Deus nullum potest superiorem habere, vt homo matrem haberet, cui posset obtemperare. O mysterij magnitudinem! & erat subditus illis, ait Scriptura. Denique Spiritussanctus supremum ei communicauit amorem, vt sic mediatrix fieret hominum apud Deum, & reparatrix gratiæ quam in Eua perdiderant.

S. Bonauen. in Spec. c. 8.

1. Cor. 15. *Antithesis inter Christum & Adā, Mariā & Euā.*

Vnde sicut per quamdam antithesim ab Apostolo confertur IESVS cum Adamo, in eo quod sicut primus Adam pater fuit totius generis humani secundum carnem in statu creationis: ita Christus secundus Adam in statu reparationis secundum Spiritum sanctificationis, & adoptionis gratiã author & pater est filiorũ Dei, ita vt sicut omnes in primo mortui sunt, sic in secundo, nempe in Christo, ad vitam sint reuocati. Ita inquam virgo cum Eua per antithesim optimè conferri potest. Sicut enim prima Eua mater omnium viuentium, inobediens facta, maledictum attulit mundo, per eamque facti sumus omnes natura filij iræ & mortis: ita secunda opposita primæ, Maria Euæ, omnium extitit viuentium in Deo mater benedicta, factaque obediens Deo, salutem attulit mundo, vitam dedit sæculo, per quam omnes in eius filio, filij Dei renascimur cœlo. Vbi abundauit peccatum, ibi superabundauit & gratia. Eua causa mortis facta est hominibus, per ipsam enim mors ingressa est in mundum: Maria verò causa vitæ, per quam genita est nobis vita; per hanc enim filius Dei aduenit in mundum, vt no-

A bis vita factus per virginem, mortem excluderet à muliere introductam. Nam quia illic Eua cùm adhuc esset virgo per inobedientiam transgressa est: è contrario per virginem obedientia gratiæ facta est, annuntiato aduentu in carne de cœlo, & vita æterna.

ARTICVLVS QVARTVS.

Passus sub Pontio Pilato.

De mysterio Passionis IESV *Christi.*

CATECHESIS XIV.

B

MAGNVM & admirabile fuit consilium Dei super Aduentum IESV Christi in hunc mundum, natus est pro nobis, vt moreretur pro nobis; habitauit in nobis, vt pateretur ex nobis. Hinc ratio cur in Symbolo fidei, statim de natiuitate transitur ad mortem, nulla mentione facta vitæ eius. Certè vt innotescat, quoniam ad hoc natus & datus est nobis, vt pateretur pro nobis: & quia tota vita eius in terra, nihil aliud fuit quàm continuus labor, passio, & dolor de peccatis nostris; sicque sacro quodam silentio intellecta conspicerentur, quæ credenda supersunt de vita, doctrina, miraculis, aliisque operibus, quæ à natiuitate sua vsque ad mortem peregit. Nunc itaque de mysterio passionis Christi agimus, quod inter cætera quidem inauditum, & prorsus admirabile dici potest. Quid enim admirandum magis quàm audire Deum passum & mortuum esse, & tali genere mortis? Magnum planè, Deum hominem esse, sed Deum pati, Deum mori, hoc omnia excedit. In hoc demonstrauit ac in nobis commendauit charitatem suam Deus, quoniam cùm adhuc inimici essemus, mortuus est pro nobis. Tu non habebas, ô homo, vnde te ab Inferis redimeres, & Deus, non Angelus, te per mortem suam à seruitute peccatorum redemit: beneficium agnosce, & non sis ingratus. Te hominem inter cætera animantia sui capacem effecit, vt possideres eum, & gloria fruereris: te illa peccatum tuum priuauerat in æternum, & vt redimeret te, naturam tuam, formam serui & peccatoris, induit, vt pro te sustineret vindictam patris. Iam excessum amoris cognosce, & illum audi clamantem de Cruce: Sed heu! quoties ante eum siccis oculis, & clausis auribus transeunt homines? Causam perpende; peccata tua sunt, ea detestare. Hunc articulum fidei, obsecro, inter omnes meditare, sedulò ac crebrò memorare. Apostolum audi: Mihi autem, ait, absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini IESV in corpore meo porto. Quicunque hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos. Et alibi: Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum. & iterum: Christo confixus sum Cruci. Ecce gloria, scientia, & conuersatio, seu locus habitationis Pauli, Crux & memoria passionis IESV Christi. Et quidem eiusmodi debet esse omnes Christiani. Qui enim sunt Christi, dicit idem Apostolus, carnem suam crucifixerũt cum vitiis & cõcupiscẽtiis. Nihil aliud videre iam deberemus quàm sãguinem, clauos & Crucem: denique nihil aliud scire cum illo Apostolo, nisi IESVM

Cur statim à natiuitate Christi transitur ad passionem eius.

C

Consideratio diuinæ dilectionis in passione Christi.

D

Gal. 6.

E

1. Cor. 2

Gal. 2.

Gal. 5.

Iesvm Christum,& hunc crucifixum. Ignorentur omnia,& hoc vnum sciatur.

Verùm vt meliùs conuenientiúsque id fiat, operæpretium est historiam scire sicut peracta est, id est, veritatem sicut modum historiæ. Nam quorsum hæc omnia in vno articulo coniuncta esse oportuit, *passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus?* quorsum illæ circunstantiæ appositæ sunt, nisi vt de veritate non dubitetur? Historia igitur talis est. Cùm decreuisset Deus ab æterno hominem redimere à peccato, ipse in plenitudine temporum homo factus in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, mundo vitam agens incognitam in paupertate & laboribus multis, sed tamen gratia & sapientia plenam apud Deum & homines. Vnde postquam ex triginta quatuor annis quibus vixit in terra, tres aut circiter quatuor expleuit in prædicatione & verbo salutis, in miraculis aliisque diuinitatis suæ argumentis, tandem inuidia falsóque à Iudæis accusatus, & Pontio Pilato traditus, qui eo tempore pro Tiberio Cæsare Iudæam administrabat, post diuersa tormentorum genera, in Crucem ignominiosè actus est inter duos latrones, in qua & expirauit mortuus, sicque postea de Cruce sublatus & sepultus est. Ecce historia, mandate eam sedulò memoriæ, & nolite obliuisci. *Recogitate*, inquit Apostolus, *eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem*, quod nimirum ab eis mortem subierit, mortem autem Crucis: vnde posuit Apost. *recogitate*, id est, semel atque iterum cogitate, sed quomodo? Suprà dicit; *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem* Iesvm, *qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta.* Optimè sibi proposito gaudio, quod nimirum & ex liberatione nostra, & ex gloria Dei exinde futura esset perceptsurus.

Historia passionis Iesu Christi.

Heb. 12.

Vnde equidem nunc satis apparet, alium non fuisse conuenientiorem modum ad liberationem nostram, quàm per passionem Domini nostri Iesv Christi. Tanto enim aliquis modus conuenientior est ad assequendum finem, quanto per ipsum plura concurrunt, quæ fini sunt expedientia: per hoc autem quod per passionem Christi homo liberatus est, multa concurrunt ad salutem hominis pertinentia præter liberationem à peccato. Primò enim per hoc cognoscit homo quantum Deus hominem diligit; & per hoc prouocatur ad eum diligendum, in quo omnis perfectio humanæ salutis consistit. Vnde Apostolus dixit: *Commendat suam charitatem Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.*

Non fuit alius modus conuenientior ad saluationem generis humani, quàm per passionē Christi.

Rom. 5.

Secundò etiam cognoscit homo quantum Christus patrem suum dilexit, cui factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis, sicut aliquando discipulis suis dixit: Iam non multa loquar vobiscum; venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Sed vt cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio, surgite, eamus hinc. Ecce in quo & quousque per Christum gloria reddita est Deo, quam per peccatum inobedientiæ abstulerat homo.

Ioh. 14.

Tertiò, quia per hoc dedit Christus exemplum omnium virtutum quæ ad salutem nobis necessariæ sunt, videlicet obedientiæ, humilitatis, constantiæ, dilectionis, patientiæ, vnde ait Sanctus Petrus: *Christus passus est pro nobis; vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*

1. Petr. 2.

Quartò, quia per hoc inducta est homini maior necessitas se immunem à peccato conseruandi, qui se sanguine Christi redemptum à peccato cogitat, sicut rectè ostendit Apostolus dicens: Empti estis pretio magno, pretioso scilicet sanguine quasi Agni immaculati Christi, sicut S. Petrus dicit.

1. Cor. 6.
1. Petr. 1.

Quintò, quia hoc ad maiorem etiam hominis dignitatem cessit, vt sicut homo victus fuerat & deceptus à diabolo; ita etiam homo esset qui diabolum vinceret: & sicut homo peccando mortem meruerat, ita homo patiendo & moriendo mortem superaret atque destrueret. Vnde Paulus: Absorpta est mors in victoria. Stimulus mortis peccatum est. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesvm Christum.

1. Cor. 15.

Sextò denique, quia per passionem suam Christus non solùm hominem liberauit à peccato, sed etiam iustificationem ei promeruit & gloriã beatitudinis, Apostolo dicente: Nunc in Christo Iesv, vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, quoniã per ipsum habemus accessum ad patrem. & alibi: habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi. Ecce quam ob causam non fuit alius, quàm per passionem Christi, liberationis nostræ conuenientior modus, nullus ad redemptionem nostram accommodatior, nullus efficacior, atque etiam vtilior nobis.

Ephes. 2.
Heb. 10.

Magnum hic obsecro pretium tuum cogita ô homo, quod pro te qui Deum offenderas, non alius præter ipsum Deum offensum dare poterat & dignus erat. Offensa sumit grauitatem suam ex parte offensi: satisfactio autem ex parte satisfacientis. Graue peccatum est quod plebeius homo committit in Regem, vilis creatura in suum creatorem. Magnus est honos quem facit Rex plebeio homini, & magnum pretium quod Deus ex se & ex suo pro homine peccatore impendit. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras*, ait Isaias, *attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* S. Paulus loquens de patre æterno dicit: Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Et de liberalitate atque magnificentia ipsius filij in ipsa eius passione, quid dicemus? Quid enim illi dandum restat, qui omnia donauit? nihil quod non elargiretur sibi retinuit, qui vitam profudit, sanguinem dedit, & cum passione humanitatis etiam largitus est gloriã Diuinitatis.

Dignitas pretij nostri.

Isa. 53.

Rom. 8.

Sed quantum adhuc nobis illa passio fuit vtilis propter exempla virtutum, quæ in ea demonstrantur, & iam suprà tetigimus, rursum cum otio videamus. *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Moritur pro nobis, patitur pro peccatis nostris: ita & nos & pro eo nobis moriamur & peccatis nostris, illa affigentes Cruci, memoresque quia simul cum Christo vetus homo noster crucifixus est. Quid ergo? peccabimus? absit. Christo in carne passo, eadem & vos cogitatione armamini, vt non amplius peccetis. Exēplũ dedit vobis perfectæ humilitatis. Quæ enim maior humilitas, quàm altissimum videre alligatum columnæ, flagris cæsum, spinis coronatum, sputis sordidatum, alapis & arundine percussum, confossum clauis, affixum Cruci, felle

Ioh. 13.

Quæ virtutes in passione Christi reluxerunt. Humilitas.

felle & aceto potatum, lancea vulneratum, inter duos latrones pendentem in ligno, & mortuum? O vermis & putredo quid superbis? Exemplum dedit vobis obedientiæ. Quæ enim obedientia maior, quàm hominum & peccatorum subiici iudicio? Non solùm Dei filius subditus esse voluit in terra virgini matri & Iosepho, sed etiam Iudici iniquo. Quæ obedientia maior, quàm Dominum omnium & Deum omnipotentem obedientem fieri vsque ad mortem, mortem autem Crucis? pati & mori hoc genere mortis, vt voluntas seruaretur patris? O homo quid mandata Dei tui contemnis? Exemplum dedit vobis patientiæ. Quæ enim patientia maior, quàm innocenter pati pro alienis peccatis? *Quæ non rapui*, inquit, *tunc exsoluebam*. Et tu peccator mala & aduersa etiam debita ferre non poteris? Exemplum dedit vobis charitatis. Quæ enim maior charitas, quàm pati & mori etiam pro inimicis? Dixerat olim neminem habere maiorem charitatem, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis, sed omnem excedit, quando ipse eam posuit pro inimicis. Et tu ingrate Deum tuum, & talem amatorem tuum offendere audebis, redamare grauaberis? Dedit se tibi, da te illi, pro te animam suam posuit, pone tu [illegible], & ne dedigneris pro tali ac tanto amatore mori. Eius te trahit amor, sine te trahi [illegible] & intellige quid dicat ipse. *Nunc inquit, iudiciũ est mundi, nũc princeps huius mundi eiicietur foras, & ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum*. Tolle obstaculum ne resistas [illegible] te trahi. Passio Christi viuus est sermo, & ad omnem instructionẽ efficax lectio. Non sis sicut illi, de quibus dicitur; non fuerut memores multitudinis miserationũ tuarum Domine. Memor esto tu illarum, & omnium mirabilium & virtutum, quæ tibi in passione Dominus tuus demonstrauit. Plus equidem te consolabitur solus IESVS in meditatione suæ passionis, quam totus mundus in suis honoribus, atque diuitiis. Hic sit fructus amaritudinis, donec peruenias ad requiem æternæ beatitudinis.

Obedientia.

Patientia.

Charitas.

Ioh. 12.

Crucifixus.

De genere & excessu Passionis IESV *Christi.*

CATECHESIS XV.

NIHIL est quod non prouocet nos ad amorem IESV Christi, nihil quod non ipsum exigat à nobis. Domine, aiebat Sanctus Augustinus, omnia mihi dicunt, vt amem te. Sed inter omnia excessus amoris eius, qui in passione ipsius relucet, nobis dicit & clamat vt amemus. In quonam enim magis nos dilexit, & maiora nobis argumenta dilectionis demonstrauit & reliquit, quàm cùm pati & mori pro nobis dignatus est? Quare etiam voluit, vt præ cunctis beneficiis, quæ vnquam nobis contulit, frequentior atque intimior esset memoria eius passionis. Hinc in mediis Ecclesiis eriguntur Cruces, in biuiis, plateis, angulis, penetralibus, ac tandem vbique refulgent; & hoc, vt ingens illud beneficium quod in Cruce percepimus, è memoria numquam excidat: sed sæpius ante oculos ponentes, causas inuestigemus & rationes.

Duæ causæ passionis Christi.

Causæ sunt, ex parte ipsius, amor; ex parte hominum, peccata. Amor Dei fecit omnia. Ipse est qui hominem fecit, ipse qui hominem redemit, ipse qui homini Dei imaginem contulit, ipse qui Deo dedit imaginem serui. Ipse est qui humanitatem Deo hypostaticè coniunxit, hominem eleuauit, & Deum humiliauit; Deum humiliauit, dicam exaltatum, an exinanitum vsque ad mortem Crucis? Ecce quid fecit & potuit amor. Quo etiam factum est, vt non coactè & inuitè, sed voluntariè mortem, & hoc genus mortis subierit pro nobis, sicut animaduertitur in Euangelio; *Et baiulans sibi Crucem, exiuit*, &c. & apud Prophetam; *oblatus est, quia ipse voluit*. Sicut etiam ipsemet verbis ostendere voluit dicens: Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso: & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à patre meo. Hinc ratio cur Paulus dixerit quod factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Quare? quia, inquit, hoc mandatum accepi à patre meo, & sicut mandatum dedit mihi, sic facio.

1. Ex parte Dei, amor.

Ioh 19.
Isa. 53.

Ioh. 10.

Phil. 2.

Ecce Domine vnde mihi occurrit causa tuæ passionis, amor tuus fuit, & beneplacitum patris, qui sic dilexit mundum, vt te filium vnigenitum daret. Apostolus dicit, Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. & iterum; Dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Et Dominus dicit; Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Sic, vt iuxta verba Apostoli, etiam pro nobis omnibus tradiderit illum, secundum quod, tempore, æterna sua voluntate præordinauit passionẽ Christi ad liberationem generis humani, quomodo Isaias dicit: *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit; & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm*. Et sequitur, *oblatus est, quia ipse voluit*: vt nempe intelligatur, quomodo pater secundum quod ab eo definitum fuerat, pro nostra omniumque salute tradidit filium suum Cruci, inspirando ei voluntatem patiendi, infundendo ei charitatem, & sic ipsum exponendo passioni, & non liberando à morte, vt in Cruce pendens demonstrauit dicens; Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Et similiter explicandum id quod dicit Petro; *Calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum?* Ecce quo sensu pater pro nobis Cruci filium suum tradidit: ecce ex parte Dei causa passionis Christi.

Gal. 2.

Ephes. 5.

Rom. 8.

Isa. 53.

Quomodo pater dicitur tradidisse filium suum.

Matth. 27.
Ioh. 18.

Iam ex parte hominum causam videamus. Peccata sunt, calix iste amaritudinis, propter quem & in horto filius Dei talem aduersus semetipsum sustinuit contradictionem: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Propter quem & dicam, factus in agonia, prolixiúsque orans, sudorem emisit sicut guttas sanguinis decurrentis in terram. Heu! quæ causa diuinæ passionis? Quid dicam? peccata nostra cum amore Dei concurrere in causam passionis filij Dei? Ita est, & ita in ipso factum est, quod nimirum ille qui minimè passionis capax ex se est, per nos ad patiendum potens factus est. Deus pati & mori non potest; & peccata nostra ipsum ad patiendum & moriendum potentem reddiderũt. Quem? Deum. Non Angelum, aut vnum ex sublimioribus illis potestatibus: non Patriarcham, aut vnum ex Prophetis, sed Dei filium, vnigenitum, cœli & terræ Dominum. Pro quibus? Non pro Angelis, sed pro ingratis hominibus, pro vilibus terræ vermicu-

Ex parte hominum causa passionis Christi, peccata

Matth. 26.

Luc. 22.

vermiculis, pro peccatoribus & inimicis. Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer. Obstupescunt cœli, atque Angeli pariter; & soli homines non mirantur, pro quibus Dei filius patitur, qui natura est impassibilis: pro quibus naturam suscepit infirmitatis, passionibus & morti obnoxiam; verè enim languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: atque etiam, vt omnium princeps Apostolorum dicit, peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.

Isa. 53.

1. Petr. 2.

Genus passionis Christi, supplicium Crucis.

Nunc ad genus passionis & mortis dirigere oculos mentis, sicut corporis operæpretium est. Passionis genus omnium quidem turpissimum, atque etiam non solùm apud Gentiles, sed apud Iudæos execrandum supplicium, sicut in lege Mosis dicitur; Maledictus homo qui pendet in ligno: verùm ad nostram salutem & redemptionem accommodatissimum, vt statim dicemus. Figura erat serpentis exaltatio in deserto, cuius virtus in aspicientes exibat ad salutem; & Christus in similitudine carnis peccati factus, pendens in ligno, & a terra exaltatus in Caluariæ deserto extra vrbem passus figuram impleuit, sicut ait: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Aspice itaque ô homo in salutem tuam; *Erit vita tua*, dixit Moyses in Deuteronomio, *quasi pendens ante te*, scilicet in ligno Crucis ante omnium oculos Ecce vita pendens in ligno, Christus Cruci affixus, in illum aspiciát omnes & viuant. Ascendam, inquit, ad palmam, & apprehendam fructus eius. Quæ est illa palma in quam ascendit Christus? Crux est. Quis fructus quem nobis in ea retulit? vita est, iuxta illud Iacob dicentis ad Iudam hoc mysterium Crucis referentem; Ad prædam fili mi ascendisti. Ad prædam quidem Christus in Crucem ascendit, cùm ibi de diabolo triumphans & de morte, vitam nobis restituit, sicut optime ita S. Cyprianus dicit. Ascendisti Domine palmam, quia illud Crucis tuæ lignum portendebat de diabolo triumphum.

Num. 21.

Ioh. 3.

Deut. 28.

Cant. 7.

Gen. 49.

Multis modis conueniebat Christū pati mortem Crucis.

Nunc itaque quomodo etiam conuenientissimum fuit pati Christum mortem Crucis, videamus. Primò, propter exemplum virtutis, & vt ostenderet quod nullum genus mortis homini rectè viuenti est metuendum. Secundò, propter iustitiæ debitum, hoc enim genus mortis erat valde conueniens satisfactioni pro peccato primi parentis, qui pomum sumpsit ligni vetiti. Vnde sicut ille de eiusmodi ligni fructu per inobedientiam & præcepti contemptum manducando, iniuriam Deo intulerat, eumque grauissimè offenderat, atque etiam innocentiam sibi & posteris perdens, se cum illis obnoxium morti constituerat; ita quoque conueniebat vt secundus Adam, primique reparator Christus, ex obedientia, humilitate, Deique patris reuerentia & amore, ligno Crucis affixus, honorem Deo sublatum in ligno restitueret; iniuriam illatam ista voluntaria humilitate compensaret: eoque modo diuinæ iustitiæ satisfaciens, Deum iratum humano generi propitium redderet; donaque gratiæ & gloriæ omnibus qui in eum crederent, ac in iustitia perseuerarent, impetraret. Hoc enim videbatur postulare ordo nostræ salutis, vt ars artem falleret proditoris, & medelam ferret inde, vnde hostis læserat; vt qui per lignum vicerat, per lignum quoque vinceretur, & chirographum, id est, mortis debitū, quod per lignum contra nos scriptum erat, deleretur in ligno. Tertiò, quia per hoc nobis etiam ascẽsum parat in cœlum, dicens: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Quartò, quia & hoc conuenit saluationi vniuersali totius mũdi, vbi figura Crucis à medio in quatuor partes protẽsa, virtutem & prouidentiam eius qu' in ea pependit, significat & demonstrat vbique diffusam. Ecce quãtum ad passionis genus, videlicet extremum; (nam & de aliis etiam breuiter & statim aliquid dicemus.)

Ioh. 12.

Conueniens locus passionis Christi.

Quantum autem ad locum passionis, etiam vt conuenientissimum elegisse Christum videre est, scilicet Hierusalem ad offerenda sacrificia electam. Primò igitur vt ibi Dominus se in hostiam offerret Deo, vbi typica atque legalia offerebantur sacrificia; sicque veritas impleretur in illo. Secundò, quia ita humilitatem eius decuit, vt sicut Bethleem Natiuitati, sic Hierosolymam Passioni eligere voluerit, ad docendum in tam celebri loco mundi contemptum. Tertiò denique extra portam, vt non tantùm pro Iudæis, sed etiam pro vniuerso orbe pati agnosceretur. Animalia, quorum sanguis ad expiationem peccatorum totius populi offerebantur, extra castra cremabantur; & Christus implens figuras extra vrbem in holocaustum offertur pro populo. Cain occidit Abel eductum in agrum; & Synagoga educit Christum innocentissimum extra vrbem in Caluariæ locum, & occidit eum. O vos omnes qui transitis per viam, attendite. Quid? Iam non tantùm genus, sed etiam excessum passionis eius.

Excessus passionis Christi, & quantus.

Vt cognoscamus quantus ille fuerit excessus, sciendum imprimis Christum conscium virium suarum ea omnia tormenta sustinuisse, quæ sufficerent, ac erogari poterant ad tollenda omnia peccata, quæ ab Adam vsque ad vltimum hominem futura sunt, vnde quasi mare tribulationum est ingressus, vt in Psalmo dicitur; *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Hæc tempestas pœnarum vniuersitas fuit, suscepta ab omnibus, etiam à patre ipsum exponente tormentis, & non protegente, sicut dixit in Cruce vt quid dereliquisti me? Ex parte hominum, à quibus passus est; vtpote à Iudæis, Gentilibus, ab omni sexu, ætate, & conditione, à Regibus, Principibus, Iudicibus, Pharisæis & Sacerdotibus, seruis, ancillis, senibus & iunioribus: denique à familiaribus & notis, ipsisque domesticis & Apostolis, sicut ab ignotis & extraneis. Item ex parte eorum in quibus passus est, scilicet, in patre per blasphemias in matre per gladium doloris, in amicis ipsum deserentibus, in fama per contumelias, in honore & gloria per irrisiones, in vestibus profanatis, in corpore per vulnera, in anima per tristitias & agonias mortis.

Ps. 68.

Vniuersitas pœnarum Christi.

Verùm de illis pœnis quas in se expertus est, aliquid dicere superest nobis. Quantæ autem fuerint illæ, breuis hic ordo declarabit. Primò, quod in passione sua omni fuerit consolatione destitutus, purique fuerint dolores, adeò vt etiam Diuinitas eius opem tulerit, vt vehementiùs diutiúsque pateretur. In angustiis suis lætabantur Martyres, dicebatque Apostol. Repletus sum consolatione, & superabundo gaudio in omni tribulatione nostra: & hoc Christus dicere non potuit, quia in hoc discrimen est, quod pati pro Christo Martyri

Breuis ordo & distinctio passionis Christi.

felle & aceto potatum, lancea vulneratum, inter duos latrones pendentem in ligno, & mortuum? O vermis & putredo quid superbis? Exemplum
Obedientia. dedit vobis obedientiæ. Quæ enim obedientia maior, quàm hominum & peccatorum subiici iudicio? Non solùm Dei filius subditus esse voluit in terra virgini matri & Iosepho, sed etiam Iudici iniquo. Quæ obedientia maior, quàm Dominum omnium & Deum omnipotentem obedientem fieri vsque ad mortem, mortem autem Crucis? pati & mori hoc genere mortis, vt voluntas seruaretur patris? O homo quid mandata Dei tui contemnis? Exemplum dedit vobis patientiæ. Quæ
Patientia. enim patientia maior, quam innocenter pati pro alienis peccatis? *Quæ non rapui*, inquit, *tunc exsoluebam*. Et tu peccator mala & aduersa etiam debita ferre non potes? Exemplum dedit vobis cha-
Charitas. ritatis. Quæ enim maior charitas, quàm pati & mori etiam pro inimicis? Dixerat olim neminem habere maiorem charitatem, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis, sed omnem excedit, quando ipse eam posuit pro inimicis. Et tu ingrate Deum tuum, & talem amatorem tuum offendere audebis, sed amare grauaberis? Dedit se tibi, da te illi, pro te animam suam posuit, pone tuã, & ne dedigneris pro tali ac tanto amatore mori. Huius te trahit amor, tuæ te trahi audi & intelli-
Ioh. 12. ge quid dicat ipse. *Nunc iudicium est mundi, nũc princeps huius mundi eiicietur foras, & ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Tolle obstaculũ, ne resistas ei, & permitte te trahi. Passio Christi viuus est sermo, & ad omnem instructionẽ efficax lectio. Non sis sicut ij, de quibus dicitur; non fuerunt memores multitudinis miserationũ tuarum Domine. Memor esto tu illarum, & omnium spiritualium & virtutum, quæ tibi in passione Domini tui demonstrãtur. Plus equidem te consolabitur solus IESVS in meditatione suæ passionis, quàm totus mundus in suis honoribus, atque diuitiis. Hic sit fructus amaritudinis, donec peruenias ad requiem æternæ beatitudinis.

Crucifixus.

De genere & excessu Passionis IESV *Christi.*

CATECHESIS XV.

NIHIL est quod non prouocet nos ad amorem IESV Christi, nihil quod non ipsum exigat a nobis. Domine, aiebat Sanctus Augustinus, omnia mihi dicunt, vt amem te. Sed inter omnia excessus amoris eius, qui in passione ipsius relucet, nobis dicit & clamat vt amemus. In quonam enim magis nos dilexit, & maiora nobis argumenta dilectionis demonstrauit & reliquit, quàm cùm pati & mori pro nobis dignatus est? Quare etiam voluit, vt præ cunctis beneficiis, quæ vnquam nobis contulit, frequentior atque intimior esset memoria eius passionis. Hinc in mediis Ecclesiis eriguntur Cruces, in biuiis, plateis, angulis, penetralibus, ac tandem vbique refulgent; & hoc, vt ingens illud beneficium quod in Cruce percepimus, è memoria numquam excidat: sed sæpius ante oculos ponentes, causas inuestigemus & rationes.

Duæ causæ passionis Christi. Causæ sunt, ex parte ipsius, amor; ex parte hominum, peccata. Amor Dei fecit omnia. Ipse est qui hominem fecit, ipse qui hominem redemit, ipse qui homini Dei imaginem contulit, ipse qui *1. Ex parte Dei, amor.*
Deo dedit imaginem serui. Ipse est qui humanitatem Deo hypostaticè coniunxit, hominem eleuauit, & Deum humiliauit; Deum humiliauit, dicam exaltatum, an exinanitum vsque ad mortem Crucis? Ecce quid fecit & potuit amor. Quo etiam factum est, vt non coactè & inuitè, sed voluntariè mortem, & hoc genus mortis subierit pro nobis, sicut animaduertitur in Euangelio; ***Et baiulans sibi Crucem, exiuit***, &c. & apud Prophetam; ***oblatus est, quia ipse voluit.*** Sicut etiam ipsemet verbis *Ioh. 19.* *Isa. 53.*
ostendere voluit dicens: Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso: & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à patre meo. Hinc ratio cur Paulus dixerit quod factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Quare? quia, inquit, hoc mandatum accepi à patre meo, & sicut mandatum dedit mihi, sic facio. *Ioh. 10.* *Phil. 2.*

Ecce Domine vnde mihi occurrit causa tuæ passionis, amor tuus fuit, & beneplacitum patris, qui sic dilexit mundum, vt te filium vnigenitum daret. Apostolus dicit, Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. & iterum; Dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Et Dominus dicit; Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Sic, vt iuxta verba Apostoli, etiam pro nobis omnibus tradiderit illum, secundum quod, nempe, æterna sua voluntate præordinauit passionẽ Christi ad liberationem generis humani, quomodo Isaias dicit: *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit; & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Et sequitur, *oblatus est, quia ipse voluit*: vt nempe intelligatur, quomodo pater secundum quod ab eo definitum fuerat, pro nostra omniumque salute tradidit filium suum Cruci, inspirando ei voluntatem patiendi, infundendo ei charitatem, & sic ipsum exponendo passioni, & non liberando à morte, vt in Cruce pendens demonstrauit dicens; Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Et similiter explicandum id quod dicit Petro; *Calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum?* Ecce quo sensu pater pro nobis Cruci filium suum tradidit: ecce ex parte Dei causa passionis Christi. *Gal. 2.* *Ephes. 5.* *Rom. 8.* *Isa 53.* *Quomodo pater dicitur tradidisse filium suum.* *Math. 27.* *Ioh. 18.*

Iam ex parte hominum causam videamus. Peccata sunt, calix iste amaritudinis, propter quem & in horto filius Dei talem aduersus semetipsum sustinuit contradictionem: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Propter quem & dicam, factus in agonia, prolixiúsque orans, sudorem emisit sicut guttas sanguinis decurrentis in terram. Heu! quæ causa diuinæ passionis? Quid dicam? peccata nostra cum amore Dei concurrere in causam passionis filij Dei? Ita est, & ita in ipso factum est, quod nimirum ille qui minimè passionis capax ex se est, per nos ad patiendum potens factus est. Deus pati & mori non potest; & peccata nostra ipsum ad patiendum & moriendum potentem reddiderũt. Quem? Deum. Non Angelum, aut vnum ex sublimioribus illis potestatibus: non Patriarcham, aut vnum ex Prophetis, sed Dei filium, vnigenitum, cœli & terræ Dominum. Pro quibus? Non pro Angelis, sed pro ingratis hominibus, pro vilibus terræ *Ex parte hominum causa passionis Christi, peccata.* *Math. 26.* *Luc. 22.*

vermiculis, pro peccatoribus & inimicis. Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer. Obstupescunt cœli, atque Angeli pariter; & soli homines non mirantur, pro quibus Dei filius patitur, qui natura est impassibilis: pro quibus inquam naturam suscepit infirmitatis, passionibus & morti obnoxiam; verè enim languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: atque etiam, vt omnium princeps Apostolorum dicit, peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.

Isa.53.

1.Petr.2.

Nunc ad genus passionis & mortis dirigere oculos mentis, sicut corporis operæpretium est. Passionis genus omnium quidem turpissimum, atque etiam non solùm apud Gentiles, sed apud Iudæos execrandum supplicium, sicut in lege Mosis dicitur; Maledictus homo qui pendet in ligno: verùm ad nostram salutem & redemptionem accommodatissimum, vt statim dicemus. Figura erat serpentis exaltatio in deserto, cuius virtus in aspicientes exibat ad salutem; & Christus in similitudine carnis peccati factus, pendens in ligno, & à terra exaltatus in Caluariæ deserto extra vrbem passus figuram impleuit, sicut ait: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Aspice itaque ô homo in salutem tuam; *Erit vita tua*, dixit Moyses in Deuteronomio, *quasi pendens ante te*, scilicet in ligno Crucis ante omnium oculos Ecce vita pendens in ligno, Christus Cruci affixus, in illum aspiciát omnes & viuant. Ascendam, inquit, ad palmam, & apprehendam fructus eius. Quæ est illa palma in quam ascendit Christus? Crux est. Quis fructus quem nobis in ea retulit? vita est, iuxta illud Iacob dicentis ad Iudam hoc mysterium Crucis referentem; Ad prædam fili mi ascendisti. Ad prædam quidem Christus in Crucem ascendit, cùm ibi de diabolo triumphans & de morte, vitam nobis restituit, sicut optimè ita S. Cyprianus dicit. Ascendisti Domine palmam, quia illud Crucis tuæ lignum portendebat de diabolo triumphum.

Genus passionis Christi, supplicium Crucis.

Num.21.

Ioh.3.

Deut 29.

Cant.7.

Gen 49.

Nunc itaque quomodo etiam conuenientissimum fuit pati Christum mortem Crucis, videamus. Primò, propter exemplum virtutis, & vt ostenderet quod nullum genus mortis homini rectè viuenti est metuendum. Secundò, propter iustitiæ debitum, hoc enim genus mortis erat valde conueniens satisfactioni pro peccato primi parentis, qui pomum sumpsit ligni vetiti. Vnde sicut ille de eiusmodi ligni fructu per inobedientiam & præcepti contemptum manducando, iniuriam Deo intulerat, eumque grauissimè offenderat, atque etiam innocentiam sibi & posteris perdens, se cum illis obnoxium morti constituerat; ita quoque conueniebat vt secundus Adam, primique reparator Christus, ex obedientia, humilitate, Deique patris reuerentia & amore, ligno Crucis affixus, honorem Deo sublatum in ligno restitueret; iniuriam illatam ista voluntaria humilitate compensaret: eoque modo diuinæ iustitiæ satisfaciens, Deum iratum humano generi propitium redderet; donaque gratiæ & gloriæ omnibus qui in eum crederent, ac in iustitia perseuerarent, impetraret. Hoc enim videbatur postulare ordo nostræ salutis, vt ars artem falleret proditoris, & medelam ferret inde, vnde hostis læserat; vt qui per lignum vicerat, per lignum quoque vinceretur, & chirographum, id est, mortis debitũ,

Multis modis conueniebat Christũ pati mortem Crucis.

A quod per lignum contra nos scriptum erat, deleretur in ligno. Tertiò, quia per hoc nobis etiam ascẽsum parat in cœlum, dicens: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Quartò, quia & hoc conuenit saluationi vniuersali totius mũdi, vbi figura Crucis à medio in quatuor partes protẽsa, virtutem & prouidentiam eius qui in ea pependit, significat & demonstrat vbique diffusam. Ecce quãtum ad passionis genus, videlicet extremum; (nam & de aliis etiam breuiter & statim aliquid dicemus.)

Ioh.12.

Quantum autem ad locum passionis, etiam vt conuenientissimum elegisse Christum videre est, scilicet Hierusalem ad offerenda sacrificia electam. Primò igitur vt ibi Dominus se in hostiam offerB ret Deo, vbi typica atque legalia offerebantur sacrificia; sicque veritas impleretur in illo. Secundò, quia ita humilitatem eius decuit, vt sicut Bethleem Natiuitati, sic Hierosolymam Passioni eligere voluerit, ad docendum in tam celebri loco mundi contemptum. Tertiò denique extra portam, vt non tantùm pro Iudæis, sed etiam pro vniuerso orbe pati agnosceretur. Animalia, quorum sanguis ad expiationem peccatorum totius populi offerebantur, extra castra cremabantur; & Christus implens figuras extra vrbem in holocaustum offertur pro populo. Cain occidit Abel eductum in agrum; & Synagoga educit Christum C innocentissimum extra vrbem in Caluariæ locum, & occidit eum. O vos omnes qui transitis per viam, attendite. Quid? Iam non tantùm genus, sed etiam excessum passionis eius.

Conueniens locus passionis Christi.

Vt cognoscamus quantus ille fuerit excessus, sciendum imprimis Christum conscium virium suarum ea omnia tormenta sustinuisse, quæ sufficerent, ac erogari poterant ad tollenda omnia peccata, quæ ab Adam vsque ad vltimum hominem futura sunt, vnde quasi mare tribulationum est ingressus, vt in Psalmo dicitur; *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* D Hæc tempestas pœnarum vniuersitas fuit, suscepta ab omnibus, etiam à patre ipsum exponente tormentis, & non protegente, sicut dixit in Cruce vt quid dereliquisti me? Ex parte hominum, à quibus passus est; vtpote à Iudæis, Gentilibus, ab omni sexu, ætate, & conditione, à Regibus, Principibus, Iudicibus, Pharisæis & Sacerdotibus, seruis, ancillis, senibus & iunioribus: denique à familiaribus & notis, ipsisque domesticis & Apostolis, sicut ab ignotis & extraneis. Item ex parte eorum in quibus passus est, scilicet, in patre per blasphemias in matre per gladium doloris, in amicis ipsum deserentibus, in fama per contumelias, in honore & gloria per E irrisiones, in vestibus profanatis, in corpore per vulnera, in anima per tristitias & agonias mortis.

Excessus passionis Christi, & quantus.

Ps.68.

Vniuersitas pœnarum Christi.

Verùm de illis pœnis quas in se expertus est, aliquid dicere superest nobis. Quantæ autem fuerint illæ, breuis hic ordo declarabit. Primò, quod in passione sua omni fuerit consolatione destitutus, purique fuerint dolores, adeò vt etiam Diuinitas eius opem tulerit, vt vehementiùs diutiúsque pateretur. In angustiis suis lætabantur Martyres, dicebatque Apostol. Repletus sum consolatione, & superabundo gaudio in omni tribulatione nostra: & hoc Christus dicere non potuit, quia in hoc discrimen est, quod pati pro Christo Martyri

Breuis ordo & distinctio passionis Christi.

consolatio est; pati pro peccato, agonia, contradi- A ctio, & tristitia Christo est. Vnde secundò passio-

Passio in anima.

nis eius in anima acerbitatem videre licet propter efficacem apprehensionem ipsius. Dum adhuc in horto est orans dicit; Tristis est anima mea vsque ad mortem, & in agonia factus est tanta, vt etiam vim habuerit sudorem sanguineum exprimendi. Quid in Cruce actum est? si peccatorum nostrorum memoria talia operata sit, quid potuit tormentum Crucis? Sed vnde passio tanta? vtique ex eo quod peccata populi non debita sibi sustinebat.

Exemplum.

Seruus militis dum humeris suis domini sui arma simul conglobata gestat, onus sentit; non sic autem miles, quando ea applicat, vnumquodque singulis membris corporis. Ita Christus sudat, omnisque sentit, qui aliorum peccata non conuenientia sibi ferebat. B Vnde & in omnibus animæ partibus angustia & passio erat. In intellectu, qui videbat obedientiam suam patri vsque ad mortem Crucis, derelictionem eius, pœnarum acerbitatem, & talis vitæ amissionem, &c. In memoria, quæ illi hominum ingratitudinem repræsentabat, & futura peccata. In voluntate, quæ vltro se pro illis offerebat; & demum quasi sibi adscribebat dicens per Psalmistam; *Longe à salute mea verba delictorum meorum.*

Ps. 21.

Sed præterea etiam in corpore acerbitatem & generalitatem passionis videamus, quia certè passus in omnibus membris, in capite, in lingua, in humeris, manibus, pedibus, & in corde. C Iuxta quod etiam pati debebat pro omnibus, pro peccatoribus superbis, auaris, inuidis, impudicis, &c. In capite patitur spinas, fel in ore, flagella pondusque Crucis in humeris, alapas & sputa in genis, clauos in manibus pedibusque, quousque tandem ad latus vulnus accesserit, per quod nobis patent viscera misericordiæ, & compassio cordis. Sed cur, Domine, tot genera passionum perferre voluisti? en vtique ratio, vt omnes illas deificaret, & hominibus expetendas redderet; vt homines doceret omnia humana commoda contemnere, & nihil eorum malorum timere quæ ab hominibus inferri possunt. D Dicam? hæc omnia assumpsit, & passus est, vt sanctitatem omnibus afferret. Eleuatur in aera vt mediator: expandit brachia, vt te in amplexus excipiat.

Passio in corpore.

Fructus passionis Iesu Christi.

Mortuus.

De morte IESV *Chisti, & fructibus nobis in ea comparatis.*

CATECHESIS XVI.

DE fide est, Dominum nostrum IESVM Christum non solùm passum pro nobis Crucique affixum, sed verè mortuum esse, id est, animam separatam à corpore, vnionemque partium essentialium, animæ videlicet & corporis, dissolutam fuisse, in cuius vnionis dissolutione & separatione mors essentialiter consistit, quod apertè Euangelistæ testantur & declarant his verbis; inclinato capite tradidit spiritum; expirauit, emisit spiritum, scilicet animam. Nam pro anima spiritus accipitur, quia dum animus corpus viuificat, habet rationem animæ, quia tunc ipsum propriè animat; cùm verò separatur à corpore,

Ioh. 19. Luc. 23. Matth. 27.

A induit rationem spiritus. Hinc ergo sequitur primò, in morte Christi destructam fuisse, & sic desiisse humanitatem ipsius, de cuius essentia est vnio corporis cum anima, donec ipsa in Resurrectione facta est. Vnde etiam factum est, vt in triduo mortis deperdita fuerit vnio humanitatis ad verbum, humanitatis, dico, quæ per separationem animæ à corpore destructa & sublata est; ex quo adhuc factum est, vt in illo instanti mortis verbum desierit esse homo. O prodigium in morte! Homo constituitur humanitate, humanitas destruitur morte; morte ergo desiit esse homo.

In triduo mortis destructa est, desiitque humanitas Christi.

Verùm dixi expressè deperditam fuisse vnionem humanitatis ad verbum, quia à Diuinitate B seu à verbo numquam separata fuerunt corpus & anima, quæ etsi morte à se inuicem separata, diuina tamen verbi subsistentia semper subsisterunt, vt ex Symbolo discimus, vbi Dei filius per communicationem idiomatum, propterque hypostaticam vnionem dicitur conceptus, passus, crucifixus, mortuus, etiamque sepultus, vt statim dicemus. Ita vt sicut dicitur conceptus, ex eo quod in primo conceptionis ipsius instanti verbum vnitum est carni, sic etiam mortuus, ex eo quod semper idem verbum remansit vnitum mortuo corpori, & animæ separatæ ab illo, iuxta sensum illius memorabilis sententiæ Patrum; Quod Deus semel C assumpsit, numquam dimisit. Sic enim adhuc Dei filius appellari voluit in Apocalypsi Ioannis primogenitus mortuorum, ex eo quod scilicet primus ac solus virtute propria à mortuis resurrexit, iuxta quod vnitus erat mortuo corpori.

Numquã à verbo separata fuerunt corpus & anima, & quare.

Apoc. 1.

Egregia autem est ratio qua etiam probari potest, corpus Christi & animam in morte numquam fuisse à Diuinitate separata; quia neminem Deus priuat gratia concessa illi absque eius culpa. Gratia autẽ vnionis corpori Christi facta est, & hęc gratia multo maior est quàm gratia adoptionis, per quam tantùm aliqui sanctificantur, magisque etiam est permanens in sui ratione, quia ad vnionem personalem ordinatur: gratia verò adoptionis ad quamdam solùm vnionem voluntatis D & affectualem. Interea videmus quod numquam perditur sine culpa gratia adoptionis. Sine pœnitentia enim, dicit Apostolus, sunt dona & vocatio Dei. Cùm igitur in Christo nulla prorsus culpa fuerit & peccatum, etiam fuit impossibile quod vnio Diuinitatis à corpore & anima ipsius solueretur: & sic in morte, & post mortem, sicut antè caro Christi vnita est secundum hypostasim verbo Dei. Sine pœnitentia enim sunt dona Dei.

Ratione probatur.

Rom. 11.

Antequam progressum longiorem faciamus, admirandas mortis huius conditiones videamus. Quatuor sunt; miraculosa simul fuit & naturalis, violenta simul & voluntaria. Miraculosa est, cùm E morti proximus, & contra robur naturale, iamque penè exangui corpore, vitalibusque exhausto spiritibus interim clamans voce magna expirauit, adeò vt hoc miraculo diuinam statim potentiam agnouerit Cẽturio dicens; Verè filius Dei erat iste. Sic enim notat Euangelista. Videns autem Centurio quia sic clamans expirasset, dixit: Verè hic homo filius Dei erat. Item ex eo miraculosa, quod anima quæ iam gloriosa erat, permiserit suum corpus posse & pati & mori. Quare iam hoc miraculo supposito, etiam & naturalem fuisse dicimus, vtpote quæ ex vi caussarum naturalium, effusione sanguinis, & vulnerum inflictione, necessario ac naturali ordine subsequuta est.

Quatuor conditiones mortis Christi.

Matth. 27. Marc. 15.

Sed

Sed cùm talis dispositio corporis ad mortem, ex sola violentia tormentorum Christo acciderit, atque cõtra naturalem illius inclinationem, etiam violentam fuisse dicimus. Verùm iam dicamus magis liberam ac voluntariam fuisse, quàm naturalem & violentam. Poterat enim illam impedire Christus si voluisset, sed noluit, qui animam suam posuit, deditque redemptionem pro multis. Quare modò nobis veniendum est ad fructus, beneficia, & rationes huius tam admirandæ mortis, quæ in Dei filio facta est.

Mala quæ per peccatum incurrimus.

Imprimis ergo, vt beneficia omnia, quæ per mortem & passionem Christi Domini accepimus, rectè comprehendamus, operæpretium est antè paucis recensere mala omnia quæ nobis per peccatum acciderunt; quod nimirum hominem priuat gratia & amicitia Dei: iram eius & odium conciliat: quod regno cœlorum priuat, & delet è libro vitæ: quod qui peccat, gehennam incurrit, & reum se constituit æternæ damnationis: quod denique in potestate est diaboli, cuius se seruituti subiecit; & multa alia eiusmodi mala & damna, à quibus omnibus per mortem filij Dei liberati sumus. Nam per eam primò reconciliati sumus Deo, sicut Apostolus dicit; *Reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* Quæ mors ideo reconciliationem attulisse dicitur, quod peccati remissionem operata sit, odiique causam sustulerit, vnde statim gratia redit: & hoc per modum meriti, satisfactionis, & sacrificij.

Rom. 5.
Beneficia quæ per mortem Christi recipimus.

1. Est reconciliatio per modum meriti.

Meriti, iuxta quod Christo gratia data est, non solùm sicut singulari personæ, sed inquantùm est caput Ecclesiæ, vt ab ipso in membra redundaret. Vnde opera Christi tam ad se quàm ad sua membra habent se, sicut habent se opera alterius hominis in gratia constituti ad seipsum. Manifestum est autem quod quicunque in gratia Dei constitutus patitur propter iustitiam, ex hoc ipso sibi meretur salutem, ipso Domino dicente: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*, &c. Vnde etiam Christus non tantùm sibi gloriam corporis; sed etiam nobis membris suis per passionem suam meruit salutem & vitam, sicut dicit Apost. *Propter quod & Deus exaltauit illum.* Et S. August. Vt mediator Dei & hominum homo Christus IESVS Resurrectione clarificaretur, vel glorificaretur, priùs humiliatus est passione: nõ.n. à mortuis resurrexisset, si mortuus non fuisset; humilitas claritatis est meritũ: claritas humilitatis est præmium. Non tantùm verò in se clarificatus est, sed etiam in fidelibus suis, quibus nimirum gratiam promeruit.

Matth. 5.

Philip. 2.

S. Aug. tract. 104. in Ioh.

2. Est apertio cœli per modum satisfactionis.
Isa. 35.
Gen. 3.

Per modum item satisfactionis reconciliati sumus, vnde & Christus dicitur morte sua nobis aditum cœli aperuisse, quod peccatum clauserat. Apud Isaiam; Via illa sancta vocabitur, & non transibit per eam pollutus. Vnde statim in signum, post peccatum primi parentis, collocauit Deus Cherubim ad custodiendam viam paradisi & ligni vitæ. Et in lege pro figura scriptum erat, quod profugus homicida in illa ciuitate quæ ad refugium erat deputata, & ad quam confugerat, manere debebat vsque ad mortem sacerdotis magni qui oleo sancto vnctus erat, quo mortuo, statim in terrã suam, ac domum redire poterat. Sic ergo in cœlum ingredi homo per peccatum prohibitus est, donec Christus per mortem pro peccato satisfaciens ianuam aperuit; sicut dicit Apostolus: Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta æterna redemptione inuenta. Vnde etiam & nos, iuxta eundem, iam sumus habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi. En quo satisfactionis modo nobis Christus cœlum aperuit, in sanguine Crucis. Id enim Christus moriendo exhibuit Deo patri, quod magis ille dilexit, quàm offensam nostram oderit, aut recompensatio exigeret offensæ totius mundi: & hoc propter magnitudinem charitatis ex qua moriebatur; dignitatem vitæ quam ponebat pro satisfactione: atque etiam generalitatem passionis quam sustinebat pro omnium peccatis.

Num. 35.

Heb. 9.

Heb. 10.

3. Est liberatio à peccato per modum sacrificij.

Per modum item sacrificij nos reconciliauit liberans à peccato sua morte. Sacrificium enim propriè oblatio exterior est & sacra ad placandum Deum, vel colendum ordinata. Mors autem Christi verum sacrificium fuit, cùm per eam tradidit semetipsum oblationem pro peccatis, & hostiam Deo in odorem suauitatis, id est, ad placandum eum, colendum, & per satisfactionem reconciliandum nobis, remissione peccatorum obtenta. Quod quidem nobis abundè atque etiam efficaciter promeruit, quando nos vt caput nostrum meritorum suorum participes effecit, & prætereà per modum prouocantis ad charitatem, quæ multitudinem operit peccatorum, etiam gratiam & virtutem huius remissionis delictorum nostrorum nobis acquisiuit: hoc enim modo etiam dicitur Christus nos sua morte liberasse à peccato.

4. Est liberatio à pœnis peccati per modum redemptionis.
Ioh. 12.
Triplici ratione diabolus ante passionem Christi, potestatẽ habebat in hominem.

Sed quid addam? Cùm etiam & per modum redemptionis nos à potestate diaboli, & omnibus pœnis peccati liberauit, quod maximum beneficium est, nec minimus fructus & ratio mortis eius. *Nunc*, ait Dominus, *princeps huius mundi eijcietur foras.* Quod vt meliùs intelligatur, etiã consideranda sunt circa potestatẽ quam diabolus exercebat in homines ratione peccati ante passionẽ & mortẽ IESV Christi. Primũ est ex parte ipsius hominis, qui peccato suo meruerat, vt in potestatem traderetur diaboli, per cuius tẽtationẽ fuerat superatus. Secundũ est ex parte Dei offensi, qui ipsum iustè tali potestati reliquerat. Tertium est ex parte ipsius diaboli, qui eũdẽ subditũ sibi nequissimè sẽper impediebat à via salutis. Postquã autem Christus passus & mortuus est, statim vniuersalis redẽptio facta est. Quantũ n. ad primũ, homo à potestate inimici liberatus est, quia morte Christi remissio peccatorum facta est. Quantum ad secundum, eadem morte reconciliati sumus Deo. Quantum etiam ad tertium, mors Christi diabolo & Inferno, sicut peccato mortem intulit; Christus sua morte, de morte ac tenebrarum principe triumphauit: sicque hodie nostris deuictis hostibus, ea libertate gloriamur qua Christus nos donauit.

Applicationis defectu, & quomodo tã pauci fructũ mortis Christi percipiũt.

Sed vnde igitur, dicetis, tam pauci inueniuntur, qui huius redẽptionis & libertatis fructum percipiunt? vtique defectu applicationis. Qui sua opera & labore satis cõparauit ab alieno ære, vel carcere redimendis, dũmodo ipsi velint cautionẽ accipere & pretium, illis quidẽ fecit satis, per eosq; stabit si non redimantur. Ita per Christũ sufficiens, imò & superabundans redẽptio nostra & satisfactio facta est. Efficacia in applicatione est, in vsu fidei & Sacramentorũ, maximè autem pœnitentiæ. *Adimpleo ea quæ desunt passionũ Christi in carne mea* dicit Apostolus. Denique in fide & virtute Crucis, in qua omnia Christus cõsummauit sua morte, ipsius merita nobis applicare possumus: hæc siquidem extunc virtutem crucifixi in se retinuit, vnde ipsius etiam signum, sicut præsentia dæmones fugat, qui eam formidant & fugiunt, vt canes baculum quo

Coloss. 1.

Virtus admirãda Crucis.

percussi

percussi fuerunt. Morbos pellit & mala, ac tandem etiam ea quibus imprimitur sanctificat. Iuxta quod ex deuotione hominis & fide eius, signum Crucis quædam inuocatio est ad omnia, & contra dæmones & mala, mortis & omnium meritorum Christi; vnde & sanctitas quædam contrahitur; & protectio attrahitur aduersus ea quæ saluti mentis & corporis contraria sunt. Sed vt addam, etiam sicut existimo, dici potest ex Dei instituto, & ex opere operato, & non tantùm operantis, aduersus diabolum valere signum Crucis, cui certè indictum est à Deo vt cedat Cruci tanquam sceptro summi Regis, quomodo, ait S. August. populi cedunt militibus, cùm ab illis proferuntur signum & vexillum Imperatoris. Nec mirum, inquit, quod hæc signa, cùm à bonis Christianis adhibentur, valent, quando etiam cùm vsurpantur ab extraneis, & qui ad istam militiam nomen suum non dederunt, tamen propter honorem excellentissimi Imperatoris valent. Cùm autem non cedunt his signis eiusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cùm id iustum atque vtile iudicat. Nam nullo modo vlli spiritus auderent hæc signa contemnere, qui contremiscunt, vbicumque illa prospexerint. Ecce Crucis virtus, in qua mortuus est Christus, Dei filius, sapientia & virtus, vt iam nobis absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi.

S. Aug. libr. 83. quæst. q. 79.

De sepultura.

De sepultura IESV *Christi.*

CATECHESIS XVII.

Prodigia facta in morte Christi ad significandum mysteria multa.

INTER multa prodigia quæ in morte Christi acciderunt testantia eius Diuinitatem, fuérunt tenebræ factæ super vniuersam terram, quæ mortem sunt sequutæ, quasi annuntiantes aduenisse & adesse Solis Iustitiæ occubitum. Item post mortem, id est, statim mortuo Christo, velum Templi scissum, significans morte filij Dei ianuam cœli iam apertam esse, quæ antea clausa erat, viámque Sanctorum esse propalatam: atque etiam fortè vt hoc signo satis Iudæis accommodato, qui audita blasphemia in Deum solebant scindere vestimenta sua, vt fecit impiè Caiphas in Christum, ostenderet ipse quantum eorum scelus detestaretur, velum Templi scissum est. Item motus terræ, vtique factus ad indicandam iram Dei patris aduersus Iudæos in morte filij eius, iuxta illud Psaltis: *In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui, & exaudiuit de Templo sancto suo vocem meam; & clamor meus in conspectu eius, introiuit in aures eius. Commota est & contremuit terra; fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est in eis.* Sicque terræ eiusmodi motus factus est, vt declararetur ira Dei, & supplicium quod imminebat Iudæis propter mortem IESV Christi, atque etiam magna futura rerum mutatio. Præterea ex illo vehementi motu terræ etiam scissæ sunt petræ, vt eiusmodi signo adhuc euidentiùs conuinceretur Iudæorum perfidia, eorumque corda saxis duriora viderentur, quæ minimè commota erant, dum petræ ipsæ, ô prodigium! tunc per medium scindebantur. Denique tunc & monumenta aperta sunt, & hoc quidem speciali Dei prouidentia, ad efficaciam mortis Christi ostendendam, per quam mors mortua tunc fuerat, erantque Sancti ad immortalem vitam reuocandi; ad ostendendum quod per mortem eius vita daretur mortuis. Sol defecit propter Iustitiæ Solem: scissæ sunt petræ propter spiritualem petram: aperta sunt monumenta propter vitam; & mortui surrexerunt propter eum qui inter mortuos liber erat, qui viuens in morte sepultus est cum mortuis, vt fieret sepulchrum eius gloriosum.

Ps. 17.

Rationes sepulturæ Christi.

Non solum mori Christus voluit, sed etiam sepeliri; & hoc magno consilio. Primò, vt intelligeremus nostri causa filium Dei omnia quæ ad naturam humanam spectant, subiisse, & sua diuina virtute tam gloriosam sepulturam contra Iudæorum intentionem sibi prouidisse. Secundò, vt constaret certò esse mortuum; vltimum enim & extremum quod dari potest signum, aliquem esse mortuum, sepultura est. Omnino autem erat necessaria illa fides, vt scilicet minimè dubitaretur de morte Christi, ad comprobandam veritatem hominis. Tertiò, vt etiam fides Resurrectionis magis elucesceret, ad comprobandam veritatem Diuinitatis, dum de sepulchro rediuiuus exiuit. Quartò, vt discamus nos, qui per baptismum mortui sumus peccato, debere veterem hominem sepelire cum Christo, vt cum eo ad nouitatem vitæ resurgamus, sicut Apostolus dicit: Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Ad quid? vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & Resurrectionis erimus: hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato. Ecce quid nos edoceat sepultura Christi, vt simus cum illo ad resurrectionem vitæ consepulti. Quintò denique, vt certa spes resurgendi omnibus daretur, qui in monumentis sunt; ipse enim est qui morte sua vitam meruit mortuis, iisque semen resurrectionis tribuit, exquo mortuus, sed principium & potestatem vitæ in se retinens, in corde terræ iacuit, sicut Apostolus loquitur dicens: Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium; quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Mors Christi in sepulchro somnus fuit, sicut per Psalmistam dicit; Ego dormiui & soporatus sum: vnde & exurrexi. Qui dormit habet in se principium, quo excitetur à somno absque alterius ope. Sic ergo Christus primitiæ dormentium dicitur in sepulchro factus inter mortuos liber, & causa futuræ resurrectionis omnium.

Rom. 6.

1. Cor. 15.

Ps. 3.

Idē numero Christus qui mortuus est, sepultus est.

Quod igitur hic primum de sepultura Christi scire & credere oportet, est, quod verè, vt ex Euangelio constat & ex fidei Symbolo, sepultus est idē numero secundum corpus, quod semper remansit vnitū verbo diuino, idem enim mortuum corpus erat & viuum. Secundum est, in sepulchro nullo pacto fuisse corruptum ratione & gratia huius diuinæ vnionis, iuxta illam vocem Psaltis; *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Quare? quia putrefactio cuiuscumque corporis ex infirmitate illius prouenit. Mors autem Christi minimè prouenit ex infirmitate naturæ, nec etiam debuit, quæ voluntaria fuit. Ideoque mori voluit, non ex morbo, sed ex illata passione, cui se sponte obtulit, vt dictur:

Corpus Christi incorruptū in sepulchro.

Ps. 15.

Isa. 53.

dicitur per Prophetam, *oblatus est quia ipse voluit.* Vnde ne mors ipsius infirmitati naturæ adſcriberetur, noluit ſuum corpus qualitercumque putrefieri, & in elementa reſolui, ſed integrum & incorruptum remanere voluit, ad oſtenſionem diuinæ virtutis. Tertium eſt, tempore ad veritatem hominis & Dei demonſtrandam ſufficienti, tantùm in ſepulchro manſiſſe, ſcilicet triduo, & non tribus integris diebus & noctibus: ſed duabus noctibus integris, feriæ ſextæ, & Sabbathi vſque ad diluculum matutinum, & vna die integra, videlicet Sabbathi. Quod interuallum temporis apprimè ſufficiens erat ad denotandam veritatem mortis, & reſurrectionis, & quod verus homo, & verus Deus erat.

Triduo mãſit corpus Christi in ſepulchro, ad demonſtrãdã veritatẽ Dei & hominis.

Verùm & in hoc myſterio multa adhuc virtutum exempla nobis conſideranda ſe offerunt. Primum eſt obedientia ſingularis, quam Chriſtus etiam poſt mortẽ ſuam exhibere voluit, cùm etiam legem ſubeundo malefactorum, qui non poterant iniuſſu Præſidis è patibulo tolli, ipſe voluit, vt Ioſeph vir iuſtus ſuum corpus à Pilato peteret; & ſicut vt obediret patri, Crucẽ aſcendit, ſic poſt mortem legi obtemperare voluit & Præſidi; vt & nos diſcamus in Cruce manere quam Deus impoſuit, quandiu voluerit. Sed hic etiam nobis conſiderare liceat, quàm fuerit conueniens vt à nobilibus illis viris & ſanctis Ioſepho & Nicodemo ſepeliretur Chriſtus, vt ſeruaretur & præfiguraretur deuotio, quæ decebat eos qui Chriſto mortuo erant ſeruituri. Quanta igitur cum deuotione & pietate, cultu, religione, & reuerentia illi ſancti viri hoc pium opus exequuti ſunt? Item illic cogitare, qua affectione animi & cordis tunc piiſſima virgo excepit illum tanquam myrrhę faſciculum inter vbera ſua, & quibus oculis perluſtrabat omnia vulnera eius. Secundum eſt amor paupertatis quem tunc Chriſtus demõſtrauit, cùm voluit ex eleemoſynis myrrham & ſudarium ſibi parari, atque in alieno condi ſepulchro. Sed ô myſterium! in alieno monumento ſepultus eſt, qui pro ſalute aliorum mortuus eſt. Tertiũ eſt perfectæ humilitatis atque exinanitionis documentum, cum exhibitione amoris, quando ille qui eſt ſupra cœlos exaltatus, iacere inter mortuos dignatus eſt in tenebris ſepulchri, & in vmbra mortis, vt nos eriperet ab æterna ſepultura Inferni. O verè glorioſum ſepulchrum, in quo ſplendor æternæ gloriæ reconditur!

Virtutũ exempla in ſepultura Christi myſterio.

Obedientia.

Paupertas.

Humilitas.

Sed non omittamus aliud myſterium in eo quod nouum erat ſepulchrum, in quo poſitus eſt Dominus; vtique ne poſtea alius aliquis ſurrexiſſe fingeretur. Item exciſum in petra, & bene clauſum, admoto videlicet magno ſaxo ad oſtium, vt certè poſtea euidentius appareret miraculum reſurrectionis eius. Verùm & aliud rurſus magnum apparet myſterium in horto, in quo iſtud Domini ſepulchrum inuentum eſt. Valde etenim decebat vt in horto Chriſtus ſepeliretur vita noſtra, ibique mortem moſtram reſurgendo deſtrueret, quam peccatum commiſſum in horto nobis attulerat.

Myſteria in petra ſepulchri, & in horto in quo erat.

Quod ſi iam nobis ex conſideratione tam humilis ſepulturæ Chriſti fructum aliquem quæramus, in eo eſſe poterit, vt diſcamus omnes qui mundo debemus eſſe mortui, exquo Chriſtus pro nobis mortuus eſt: *Mortui enim eſtis*, inquit Paulus, *& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*; inſtar ſepultorum terrenas voluptates, & omnia ſæcularia deſideria deſpicere: parum curare de ſepultura corporum noſtrorum, ſed de morte pretioſa in conſpectu Domini. Humilis ſepultura, vel etiam priuatio, nihil adimit gloriæ Chriſtianis; nouit enim Deus vnde reſuſcitet quos creauit. Non illæ ſæpius ſunt pretioſæ exequiæ quæ fiunt in conſpectu hominum. Et certè illis nemo iudicabit pretioſas, quas illi purpurato diuiti & in Inferno ſepulto exhibuit in conſpectu hominum magna turba famulorum. Quare? quia non fuit mors eius pretioſa in cõſpectu Domini. Vnde illæ exequiæ verè, multoque pretioſiores in Dei conſpectu fuere, quas Lazaro pauperi copioſa Angelorum multitudo exhibuit, qui eum in ſinum Abrahæ extulerunt, quia pretioſa fuerat mors eius in conſpectu Domini.

Coloſſ. 3.

Fructus qui ex Christi ſepultura poteſt colligi.

Ecce quod maximè curandum eſt, vt pretioſè moriamur, & non vt magnificè ſepeliamur. Non quod tamen hic velim pia & officioſa funera defunctorum, maximè verò fidelium, contemnere, aut eorum monumenta cultu debito & ornatu decorata improbare. Nequaquam. Ipſi enim honorificè ſepeliendi ſunt, qui vaſa fuerunt gratiæ Dei, & templa Spiritusſancti. Sed cupio & in hoc laboro, vt vnuſquiſque ſic viuat in terra per contemptum rerum omnium huius mundi, vt mors eius pretioſa inueniatur in conſpectu Domini, & mereatur aſſequi ſepulturam iuſti & Sancti.

De pretioſa morte maximè eſt curãdum.

ARTICVLVS QVINTVS.

De myſterio Reſurrectionis IESV *Chriſti. Ac primò de deſcenſu animæ Chriſti ad Inferos.*

Deſcendit ad Inferos, tertia die reſurrexit à mortuis

CATECHESIS XVIII.

CONVENIENTISSIME poſt locũ corporis IESV Chriſti, locus ſubiũgitur animę eius, vt conſtet quò deuenit in triduo mortis: nam de fide eſt, ſtatim atque per mortem ſeparata eſt à corpore, deſcendiſſe ad Inferos, vbi tandiu manſit donec rediret ad corpus. Conueniens autem fuit deſcenſus iſte ad Inferos tribus de cauſis. Prima eſt, quia ſicut venerat vt pœnã noſtram portaret, quod moriendo fecit: ita etiam vt nos eriperet à pœna, quod per deſcenſum ad Inferos fecit. Nam homo per peccatum non ſolùm incurrerat mortem corporis, ſed etiam apud Inferos exilium. Quare ſicut fuit conueniens Chriſtum mori, vt nos à morte liberaret: ita etiam fuit conueniens ipſum ad Inferos deſcendere, vt nos ab illo deſcenſu ad Inferos & exilio formidabili liberaret, vt in Oſee legitur: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero Inferne.* Secunda eſt, quia conueniens erat, vt victo diabolo per paſſionem & ſanguinẽ Crucis, etiam eriperet vinctos eius de domo carceris, & adduceret ſecum qui in eo detinebãtur, vt Zacharias dicit: *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* Et ſicut Apoſt. dicit, expolians principatus & poteſtates, traduxit confidẽter, &c. Tertia eſt, vt ſicut potentiam ſuam oſtendit in terra viuẽdo & moriendo: ita etiã oſtẽderet in Inferno, ipſũ viſitando & illuminando, ſicut dicitur in Pſal. Attollite portas, principes, veſtras. i. principes Inferni deponite potentiam veſtram, qua vſque nunc homines in Inferno detinebatis. Quare? Introibit Rex gloriæ, Dominus fortis & potens, Dominus potẽs in prælio, Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ;

Tribus de cauſis conueniens fuit deſcenſus animæ Christi ad Inferos.

Oſee 13.

Zachar. 9.

Coloſſ. 2.

Pſ. 23.

vt

Phil. 2.

vt in eius nomine, in nomine IESV, ait Apost. omne genu flectatur, cœlestiú, terrestriú, & infernorú.

Diuisio articuli.

1. Pars quæ est de descẽsu Christi, & ad quæ loca Inferni.

Status diuersus existentiú in terra.

1. Cor. 6.

Quamobrem hic sciendum, præsentem articulum duas partes habere. Prima est de illo descensu Christi secúdum animam ad Inferos. Secunda est de Resurrectione ipsius. Itaque núc circa primam partem quærimus ad quæ loca descenderit, & ob quem finem, etiam positis iam suprà allatis & deductis rationibus. Quantum igitur attinet ad loca, imprimis est sciendum, diuersa esse receptacula in Inferis, sicut etiam insinuat Symbolú dicés in plurali, Christum ad Inferos descédisse. Sicut.n. diuersus est status eorum qui decedunt, sic etiam diuersa sunt loca quæ eos recipiunt. Statum viuentium atque existentium in terra diuersum esse videmus. Quidam sunt absque redemptore, absque fide, vt infideles & Pagani, qui vt tales saluari nó possunt. Qui.n. non credit, iam iudicatus est. Ité qui fidem habentes scelera multa faciunt; & isti, sicut primi, qui talia agunt, inquit Apost. regnum Dei non possidebunt. Alij sunt qui in fide ambulát extra damnationem. i. in eo statu positi, in quo placent Deo, quibus nihil est damnationis, quia sunt in Christo IESV, & nó secundú carné ambulát; tamé ex infirmitate naturæ & occasione diuersa tentationum, adhuc multa egent purgatione affectuú. Alij denique sic sunt purgati & dispositi ad fruitionem Dei, vt non indigeant nisi sola dissolutione corporis.

Status diuersus existentiú in Inferis, vnde colligitur diuersitas locorú.

Ita igitur dico respectu existentium in Inferis ad quos Christus descendit; alij prorsus dánati sunt, & ab omni spe salutis & melioris vitæ resecti, vt epulo diues, Iudas, Core, Dathan & Abiró, & ij omnes qui Euangelio non obedierút. Alij sunt qui ibi sunt extra dánationé vtiq; æternã, sed solú ad tépus captiui, igne expiatorio purgádi, qui nondú fuerunt ab omni labe peccatorú suorú abluti. Alij denique tunc detinebantur ibi, solùm quia nondum à Christo cœlum fuerat apertum; cuiusmodi erant animæ sanctorum patrum, ante Christi aduentum, quæ apud Inferos receptaculum habebant, quod sinum Abrahæ appellamus: vbi expectabát redemptionem Israël, regni cœlorum apertionem, nihilque ibi patiebantur mali, præter exilium à gloria.

Deut. 32. Inferior infernus.

Ps. 85.

Isa. 38. Infernus superior.

Igitur, vt videre facile est, iuxta hunc diuersum statum existentium post mortem in Inferis, etiam necesse est diuersa loca quasi receptacula in his constituere. Et certè iam certam Scriptura sacra mentionem facit inferioris Inferni & superioris. Inferioris, in Deuter. vbi sic loquitur Dominus; *Ignis accensus est in furore meo, & ardebit vsque ad Inferni nouissima.* Et Dauid ad Dominum: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, & glorificabo nomen tuú in æternum, quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex Inferno inferiori.* Superioris mentio est apud Isa. vbi Ezechias Rex cóuersus ad Dominum de morte sua loquens, quam certam & proximã esse existimabat, sic ait. *Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas Inferi*, id est, ad Infernum superiorem, & receptacula patrum.

Infernus in quatuor loca diuiditur.

Locus damnatorum.

Locus infantium ob solum peccatum originale damnatorum.

Iuxta ergo duplicem illum Infernum, inferiorem vnum, & superiorem alterum, in quatuor loca seu receptacula Infernum diuidimus. Inferior enim in illa duo potest diuidi, in locum damnatorum, quem propriè & communiter Infernú dicimus, qui locus omnium est infimus, & circa terræ centrum positus, carcer obscurus, horribilis, plenus igne, sulphure, omnique tormentorum genere, & quo in æternú in societate dæmonum excruciantur ij qui in peccato mortali moriuntur. Item in locum infantium qui in solo originali peccato

A mortui sunt, & ob illud Dei visione priuati, quorum pœna tantùm est damni, & non sensus: vnde etiam requirere & habere videntur diuersú locum ab iis qui pro peccatis actualib. & lethalibus torquétur pœna dáni & sensus. En status, en & loca huius inferioris Inferni, & verè inferni, vbi pœna in æternú inuenitur, vbi quidquid est, æternú est.

Locus purgatorius fidelium.

Similiter superior Infernus in duo alia loca diuiditur, videlicet in Purgatorium, qui tertius est, in quo sunt animæ quidem iustorum, sed interim aliqua adhuc ignis pœna expurgandæ, ob defectum perfectæ satisfactionis eorum. Æquissimum enim est vt nihil coinquinatum introëat in cœlum, atque pro leuitate delictorum & satisfactionis obligatione Deo debitæ, animæ B diuinæ iustitiæ in altera vita exhibeant, quod in præsenti non reddiderunt, antequam in conspectu Dei appareant; & sic propter earum iustitiá & sanctitatem extremè à damnatis distent, locumque alterum habeant, & quidem superiorem, quem Purgatorium dicimus: vbi quantum ad grauitaté pœnarum attinet, certissimum est, nullas huius sæculi pœnas, qualescunque sint, cum illis esse conferendas, tam ex parte cognitionis claræ quam habent boni, quod nondum possidét, quàm ex parte sensus, & vehementia ignis qui Dei virtute & potentia in eas agit. O quàm nobis hic in præsenti vtilius esset pœnitentia satisfacere, quàm eam in C futurum reseruare; voluntate, & non ex necessitate Deo debitum reddere!

Limbus patrum.

Præterea adhuc extremus, sed supremus omniú erat locus, qué Limbum patrú dicimus; adeò vt ille Infernus superior in illa duo diuideretur habitacula, Purgatoriú, & Limbú, alio nomine núcupatú sinú Abrahæ, in quo, ante aduentú Christi, fuerunt omnes animæ iustæ nulla purgatione indigentes; sed tamen propter impedimentú naturæ vsque ad Christi mortem velut in carcere detétæ, ac beatitudine priuatæ, quia nondú erat apertú cœlú. Dicitur autê sinus Abrahæ, quia pater est multarum gétium, maximè verò credentium atque fidelium.

Quomodo Christus diuersimodè ad omnia loca Inferni descendit.

His ergo positis, dicimus Christum maximè atque substátialiter ad loca descédisse superioris Inferni, scil. ad Purgatoriú & Limbú patrum, nó au- D tem ad loca inferioris Inferni. i. ad Infernú damnatorú, quia eius præsétia & gratia indigni erát: nisi dicamus tamen descendisse secundú effectum, scil. eorú tam originale quàm actuale dánando peccatú in æternú; & sic quodámodo ad omnia loca descendisse, scil. partim realiter & substantialiter ad loca iustorú, Limbum prorsus exhauriendo, abductis inde patrib. sanctis qui iamdiu redemptionem expectabát; & ex Purgatorio aliquos educédo, cæteris data spe & consolatione breui futuræ libertatis, more Regis qui aliquando visitans carceres, ex illis aliquos vinctos secundum beneplacitum suum liberat & educit, spé donans & consolationé cæteris. Partim denique secundum effectum ad lo- E ca damnatorum, vt diximus, non vt eorum desperationis & status particeps fieret, vt blasphemauit, impieque dixit Caluinus, neque etiam vt ex illis aliquos eriperet, qui non sunt, nec fuerunt, nec vnquam erunt participes sanguinis Crucis eius & mortis; sed vt illos terreret, argueret, ac in eos animaduertédo suá poténtiá exerceret, & demóstraret.

Sic itaque per mortem voluit Christus se victorem mortis & Inferni ostendere, & Dominum vniuersi, seque vt Regem triumphantem de hostibus suis gerere, qui ciuitate capta rebelles punit, vinculis adstringit, effringit carceres,

carceres,& si aliquos ex suis captiuos inuenit, liberat. Hæc omnia fecit Christus in Inferis; egregiéque fraus diaboli in ruinam eius atque interitum conuersa est. Dum enim Diuinitatem in humanitate latentem non considerauit, Christúmque Deum & hominem rapiens auidè ad mortem capere præsumpsit, ipse captus est, sicut piscis escam deuorans absconditum in illa hamo, iuxta illud Osee: *Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus Inferne*; ita vt amplius metuendus non sit hostis. *Nunc iudicium est mundi*, ait Dominus, *nunc princeps huius mundi eiicietur foras; & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Omnia traxit ad se morte sua Christus. Hodie ad Inferos descendit, vt captiuos educat, atque deuicto hoste iam Imperij sui fines perlustret, omniúmque possessionem ineat. Primò, Inferorum, vt iustis qui erant in eis lumen gloriæ suæ communicet, nec amplius sinat permanere in tenebris. Si enim dixit adhuc pendens in Cruce latroni ipsum confitenti; Hodie mecum eris in paradiso: certè & illos patres voluit qui tanto desiderio ipsum expectauerunt, hac lætitia & gloria paradisi cum latrone frui. Ob eum certè finem ad Inferos descendisse probabilissimum est. Secundò, terrarum per Resurrectionem, cùm per quadraginta dies discipulis suis apparens in terra, nihil aliud eis loquebatur quàm de regno Dei, etiam implendo conuersationem suam his verbis; *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Tertiò denique cœlorum per Ascensionem suam ad dexteram patris, secúmque vt victor gloriosus captiuam ducens captiuitatem, vt iuxta Apostoli verba, in nomine IESV omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus IESVS Christus in gloria est Dei patris.

Osee 13. Ioh. 12. Act. 1. Math. 28. Phil. 2.

Tertia die resurrexit à mortuis.

De qualitatibus gloriosis, & quibusdam circunstantiis Resurrectionis IESV Christi.

CATECHESIS XIX.

SI humilitatem suam Christus demonstrauit in morte Crucis, in sepultura corporis, & descensu animæ ad Inferos; ecce gloria Diuinitatis quæ in Resurrectione elucescit, in qua plusquàm in Trãsfiguratione facies eius resplenduit tanquam vnigeniti à Patre: in qua decorem induit & gloriam, qualem decuit naturalem Dei filium, qui ex abundantia suæ charitatis humiliauerat se pro nobis vsque ad formam serui, & similitudinem carnis peccati. Et certè iam ex eo quod naturam nostram assumpserat, eam summa gloria decorari oportebat, (illi enim ab initio debetur ex gratia hypostaticæ vnionis) tamen ex dispẽsatione admirabili propter salutem nostram, huius priuationem portans in terra, eam minimè induit nisi post passionem Crucis; nam etsi in anima potiretur semper visione Dei & gloria, tamen in carne quam assumpsit, & cui participauit, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, ideo nostra circumdatus est infirmitate, quam quidem non deposuit, nisi post passionem Crucis, quando resurrexit coruscans, amictus lumine sicut vestimento, per gloriam Dei patris; & hoc vt sit primatum tenens in omnibus. Et certè primus est qui in cœlum ascendit, primus qui in vtero matris vidit essentiam Dei; vnde etiam primitiæ factus dormientium habet, eique conuenit, vt primatum teneat in gloria Resurrectionis. Quam demum ei conuenire dicimus nõ solùm ratione huius hypostaticæ vnionis cum verbo, sed etiam ipsius infiniti meriti. Infinitum enim per omnia fuit meritum IESV Christi. Primò, ratione infiniti suppositi, quod est verbum, vnde equidem valor actionum eius attenditur: secundò, ratione infinitæ gratiæ in esse gratiæ, quæ in illo erat: tertiò, ratione mirabilium operum quæ pro gloria patris sui fecit, sicut dicebat: *Ego quæ placita sunt ei facio semper.* Quodnam erit ergo tantorum meritorum præmium? Non certè gloria essentialis animæ quã ab instanti conceptionis habuit ante omne meritũ; sed sola accidentaria corporis quæ infinitis eius respondet meritis, talis ac tanta, vt omnem superet mentem, mensuram & cogitationem. Si enim calicem aquæ frigidæ sic Deus munerat iusto; quanta mercede filij sui obsequia compensabit? hæc erit, gloria Resurrectionis, in qua anima Christi quæ ad Inferos descenderat, & suum corpus positum in sepulchro resumpsit, suas ei dotes gloriosas, & iam debitas, etiámque propter vnionem hypostaticam connaturales communicauit.

Christi meritum infinitum per omnia.

Ioh. 8.

Quod vt meliùs intelligatur, & qua demum virtute, eiusmodi reunio animæ Christi cum proprio corpore in Resurrectione facta est, sciendum ac supponendum est, animam in Cruce per mortem separatam à corpore, non fuisse tamen à Diuinitate separatam, quæ vtrique semper, id est, animæ & corpori vnita remansit. Quod enim semel assumpsit Deus, numquam dimisit; vt in exemplo facilè hoc agnosci potest, videlicet in arcu, cuius extremis alligaretur chorda, si arcus frangeretur, chorda semper remaneret in extremis. Ita dico de humanitate Christi, cùm arcus iste in morte ruptus est, Diuinitas velut chorda sacra ambas semper partes retinuit, nec dimisit, animam videlicet & corpus. Quare cùm tempus Resurrectionis aduenit, sufficiens ac necessarium ad ostendendum quod verè homo erat, & verè Deus; propria virtute, id est, Diuinitatis virtute, & non aliena, anima quæ in Inferis erat, rediit ad corpus quod in tumulo iacebat, ipsúmque decorauit omnibus ornamentis & dotibus gloriosis, iis præsertim quatuor, quæ ab omnibus Catholicis agnoscuntur, claritate, impassibilitate, agilitate & subtilitate.

Semper vnita Diuinitas fuit animæ & corpori Christi.

Exemplum.

Qua virtute, & quanta cum gloria resurrexit Christus.

Ecce gloria cum qua resurrexit Christus, vt sit ipse primatum tenens in omnibus. Nam adinstar & per virtutem resurrectionis Christi, debet esse resurrectio mortuorum, id est, fidelium, sicut dicit Apostolus, quod reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. & alibi: Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute; sicut scriptum est, quid? Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem, id est, non tantùm Christus viuit, sed & viuificat alios etiam mortuos. Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Quia certè Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, etiã omnes resurgent mortui.

Resurrectio Christi exemplar est resurrectionis fidelium.

Phil. 3.

1. Cor. 15.

Quomodo conueniebat Christo resurgere in gloria.

Sed interim non immutabuntur omnes, id est, non omnes gloriæ Resurrectionis eius erunt participes, scilicet, claritatis, impassibilitatis, agilitatis, & subtilitatis: sed tantùm ij qui inuenti sunt fideles, & conformes in terra imaginis filij Dei; non qui portauerunt imaginem terreni, sed qui portauerunt imaginem cœlestis. Hoc autem & cum Apostolo dico fratres, quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: neque corruptio incorruptelam, in resurrectione, possidebit. Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.

Circumstantia Resurrectionis. Verùm ad circumstantias huius gloriosæ & diuinæ Resurrectionis redeamus. Diximus Christum resurrexisse ad demonstrandam veritatem Diuinitatis, & non solùm Diuinitatis, sed etiam humanitatis. Vnde prima circunstantia est in tempore, videlicet ad hoc sufficienti, quod triduum fuit, vt expressè signat Symbolum, vbi dicitur quod tertia die resurrexit à mortuis. Nam ad veritatem mortis Christi manifestandam sufficiebat quod vsque ad tertiam diem eius Resurrectio differretur, quia non contingit, quin infra hoc tempus in homine qui mortuus solùm videtur, cùm viuat, appareant aliqua indicia vitæ: per hoc autem quod tertia die resurrexerit, simul Diuinitatis virtus innotescit, cùm ostendit habere in se principium vitæ, vt olim dixit Marthæ: *Ego sum resurrectio & vita*; & sic eam sumpsisse ea libertate qua posuit, sicut iterum aliquando dixit: *Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam.* Ecce in hoc mysterio Diuinitatis manifesta probatio: præterquàm quod adhuc in hoc ternario numero commendatur perfectio Ecclesiæ ac fidei status. Primus fuit ante legem, secundus sub lege, tertius in gratia & prædicatione Euangelij quæ à Christo incipit. *Tertia die resurrexit.*

1. Temporis. *Ioh. 11.* *Ioh. 10.*

2. Diei & horæ. Secunda circumstantia est diei & horæ quibus illa Resurrectio aduenit. Dies fuit prima Sabbathi, id est, prima hebdomadæ, quam nunc propter idem mysterium quod in illa factum est, Dominicam dicimus. In die illo magnum vtique est mysterium. Die Sabbathi ab omni opere quod patrauit Deus, tam creationis quàm reparationis rerum, requieuit. Prima die Sabbathi, id est, hebdomadæ, fecit lucem, & prima Sabbathi Christus lux resurrexit. Prima die ante Sabbathum cœpit Deus facere opus creationis: & prima die post Sabbathum impleuit Christus opus nostræ reparationis; vnde huic consecrata mysterio nomen Dominicæ retinuit, impositum, vt constat ex Apocalypsi, à tempore Apostolorum; sic enim S. Iohannes suas reuelationes scribens, dicit dum in Patmos Insula erat; *Fui in spiritu in Dominica die, & audiui post me vocem magnam tanquam tubæ, dicentis: Quod vides scribe in libro.* Ecce in Scriptura dies quæ Dominica appellatur ob memoriam Resurrectionis. Hora etiam non vacat mysterio, quæ ex communiori, certiorique sententia, in ipsa aurora fuit, vt dicitur in Euangelio; *Surgens autem mane, prima Sabbathi, apparuit primò Mariæ Magdalenæ*: & in Psal. *Exurge gloria mea*, ait pater ad filium, & ille; *Exurgam diluculo.* Diluculum autem seu mane propriè signat tempus auroræ; & consultò, mane & diluculo Christus surrexit, id est, in ipsa aurora, qui est lux mundi. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol Iustitiæ, dicit apud Malachiam Dominus. Lux agnoscatur, ait S. Augustinus, diluculum surrexit. Qui lucem veritatis erat mundo allaturus, in ipso diei exordio resurgere conueniebat.

Apoc. 1. *Marc. 16.* *Psal. 107.* *Malach. 4.*

3. Circumstantia in figuris. Tertia circumstantia est in figuris, veritatem rei, & temporis, atque etiam horæ exprimentibus. Rei, in illo Ieremiæ luteo vase dissipato, & postea refecto. In illo grano frumenti, quod cadens in terram, & mortuum, multum fructum attulit in Euangelio. Rei & temporis, in Iona, qui interpretatur dolens, triduo existente in ventre Ceti, quem etiam pro se in exemplum Iudæis attulit Dominus. Ipsius denique qua resurrexit horæ, in Samsone, qui dormiuit in Gaza ciuitate vsque ad medium noctis, & consurgens inde apprehendit portas cum postibus suis, & sera, & portauit vsque ad verticem montis qui respicit Hebron.

Ierem. 18. *Ioh. 12.* *Ionæ 3.* *Matth. 12.* *Iudic. 16.*

4. Circumstantia in vulnerum cicatricibus. Quarta circunstantia est in vulnerum stigmatibus, quæ in corpore glorioso Christi asseruata fuerunt multas ob rationes. Prima est propter accidentalem gloriam Christi, in quo illa vulnera manserunt in perpetuum victoriæ, triumphíque insigne. Vnde S. Augustinus existimat in omnibus Martyrum corporibus gloriosis futura esse quædam insignia, & vulnerum cicatrices quæ pro Christo sustinuerunt, cum magno decore & accidentali gloria. Secunda est ad fidem confirmandam, quia illa stigmata apertè ostendebant illud corpus quod viuum videbatur, fuisse idem numero quod in Cruce pependerat: vnde etiam à Christo discipulis & Thomæ postea in testimonium veritatis ostensa sunt. Sic autem ea habuit, vt perpetuò retinuerit, secúmque in cœlum attulerit, vt ex illa interrogatione ab Angelis Christo facta ascendenti in cœlum potest colligi. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Et rursus in alio loco: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus? quare rubrum est vestimentum tuum?* Illa autem non attulit solùm, verùm etiam, ex S. Augustino, veniens ad iudicium allaturus est, & inimicis ostensurus ad confusionem, iuxta illud Zachariæ; *Aspicient ad me quem confixerunt.* Sicut iustis ad consolationem sacra tunc pignora videntibus tam charæ salutis.

Rationes diuersæ ob quas Christus cicatrices suas seruauit. 1. 2. *Zach. 13.* *Isa. 63.* *S. Aug. ep. 49.* *Zach. 12.*

Tertia est, vt semper æterno patri vulnera pro nobis suscepta ostenderet; atque intelligeremus Christum ingressum esse in cœlum, vt appareat vultui Dei pro nobis, id est, vt ait S. Cyprian. vt semper reseruatæ in corpore plagæ, salutis humanæ exigant pretium. Et sic pariter excitaremur ad fiduciam in Christum, gratiásque illi agendas, qui pro nobis vulnera suscepta abolere noluit, vt continuò nostræ libertatis pretium Deo patri ostenderet. Ecce vnde confidenter ad Christum recurrimus, vt quod ex nobis deest nobis, ex visceribus IESV Christi, quæ misericordia affluunt, hauriamus: neque enim desunt foramina, per quæ effluant. Lancea latus perforatum est, vt viscera appareant; perfossi sunt pedes atque manus, vt sua nobis gratiarum dona largiatur pleniùs: atque in eum semper intuentes, etiam simus sectatores in vita, & tali exemplo capitis nostri, ad similia mala pro ipso toleranda nos exhibeamus promptiores & fortiores.

S. Cypr. Ser. de S. Iohan. Bapt.

De causis

De causis Resurrectionis IESV *Christi.*

CATECHESIS XX.

Rom. 4. VARIÆ sunt causæ Resurrectionis Domini nostri IESV Christi. Loquens Apostolus de fide Abraham ad Rom. dicit non tantùm propter ipsum scriptum esse, quia reputatum est illi ad iustitiam: sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit IESVM Christum Dominum nostrum à mortuis; qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. In his verbis tangit Apostolus causas Resurrectionis Christi: vnam efficientem, quæ Deus est; alteram finalem, quæ nostra iustificatio est. Quæ igitur & quot causæ Resurrectionis fuerint inquiramus.

Causa multiplex Resurrectionis Christi. 1. 2. Cor. 13. Prima omnium & efficiens Deus est, seu propria & diuina virtus IESV Christi. Ipse non vt homo, sed vt Deus suæ Resurrectionis causa est principalis; *etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei*, dicit Apostolus. Ita vt ipsa Deitas quæ ab vtraque substantia non recessit, quod potestate diuisit, potestate coniunxerit; & sic corpus Christi per verbum quod in ipso erat resurrexit, non aliena virtute, sed propria. *Angeli nullam operam adhibuerunt in Resurrectione Christi.* Vnde licet Angeli qui descenderant de cœlo, apparuerint sedentes super lapidem monumenti, nullum tamen ministerium Christo in hoc Resurrectionis mysterio exhibuerunt, nullam operam, nullámque efficaciam adhibuerunt: sed totum negotium per solam efficientiam IESV Christi peractum est. Sicut enim in conceptione eius, seu Incarnatione, non fuisse conueniens dicimus, vt illi aliqua creatura cooperaretur, nimirum propter dignitatem Christi seruandam: sic nec hic propter plenitudinem Diuinitatis corporaliter in eo, id est, in anima & corpore inhabitantis; tum quia vbi est sufficiens principium proximum alicuius actionis, superfluum esset adhibere extrinsecum, videlicet Angelorum ministerium. Sed ita est in hoc mysterio præsenti, vbi anima Christi semper Diuinitati vnita principium sufficiens erat, sicut ad disponendum corpus, sic ad colligendas omnes partes quæ dispersæ fuerant in tormentis, cuiusmodi erant cutis, capilli, & sanguis: quia virtus illius animæ has omnes actiones, multóque plures complectebatur. Denique resurgentis dignitatem decebat, vt suæ Resurrectionis author esset, & non indigere alterius ope videretur. Præterquàm quod ex se gloriam tantam promeruit, tam ratione passionis quàm tot actionum quas fecit. Multæ aliæ sunt causæ, quas S. Tho. 3. p. q. 53. art. 1. ponit & refert Sanctus Thomas conuenientissimas fini quem Christus resurgendo habuit, & quæ nunc suo ordine cum aliis sequuntur.

2. *Causa Resurrectionis.* Secunda igitur est ad commendationem diuinæ Iustitiæ, ad quam pertinet exaltare illos qui se propter Deum humiliant; sicut probè virgo Luc. 1. de se agnouit dicens; *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Quare, quia Christus Dominus humiliauit se propter charitatem & obedientiam quam Deo patri reddere voluit, vsque ad mortem Crucis, etiam oportuit vt exaltaretur à Deo vsque ad gloriam Resurrectionis, vt ex ipsius persona dicitur in Psal. *Tu cognouisti sessionem meam*, id est, in morte mea, & passione, humilitatem; *& Resurrectionem meam*, id est, in Resurrectione gloriam. Psal. 138.

Tertia est ad fidei nostræ instructionem, quæ multum in Resurrectione Christi confirmata est circa eius Diuinitatem, in fidem cuius interrogatus à Iudæis iam signum Ionæ dederat, vt suprà ostendimus: ideóque Apostolus dixit; *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei*, id est, ex Diuinitate. Præterea cùm vidissent discipuli qui ipsa die, qua Christus resurrexit, ibant in Castellum nomine Emmaus, & nesciebant quod resurrexisset, tertiam diem esse, ex qua hæc omnia Christo acciderant, dubitare cœperunt, dicentes: Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël, & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. Vnde videre est ad instructionem fidei nostræ Resurrectionem Christi fuisse necessariam, sicut optimè Apostolus exinde concludit, dicens: *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.* 3. 2. Cor. 13. Luc. vlt. 1. Cor. 15.

4. Quarta est ad subleuationem spei nostræ, eodem Apostolo dicente: *Si autem Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Optimè equidem ita argumentatur Apostolus, & spem resurrectionis nostræ statuere nititur, quia dum videmus Christum, qui est caput nostrum, resurgere, etiam nos speramus resurrecturos, qui ipsius membra sumus. Adeò vt sanctus Apostolus concludat, nec Christum resurrexisse, si mortui non resurgunt, nósque si in hac tantùm vita in Christo sperantes sumus, miserabiliores esse omnibus hominibus. *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium; quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus: deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt.* Ecce spes resurrectionis nostræ, Resurrectio Christi est. Hanc spem & fidem Iob sanctissimus habebat, qui dicebat: Scio, scilicet per certitudinem fidei, quod Redemptor meus viuit, Christus resurgens à mortuis, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quẽ visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo. Ecce in Iob spes admirabilis, & fides nostræ resurrectionis. Iob. 19.

5. Quinta est ad informationem vitę fidelium; neque enim prodest Christi resurrectio nisi secum resurgamus à vitio, codem Apostolo dicente: Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. Fructus enim Resurrectionis Christi, resurrectio nostra est, & illa duplex. Prima est spiritualis, qua nũc anima resurgit à morte peccati ad vitam gratiæ, quam ideo S. Iohannes primam resurrectionem appellat, dicens: *Beatus & Sanctus qui habet partem in resurrectione prima.* Hæc est de qua rursus Apost. loquitur dicens, quod cùm essemus mortui peccatis, Deus conuiuificauit nos, & conresuscitauit in Christo IESV. & alibi: Christus resur- Rom. 6. *Fructus Resurrectionis Christi, duplex resurrectio.* Apoc. 20. Eph. 2.

resurgens ex mortuis iam non moritur; mors illi vltrà non dominabitur. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo IESV Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes: & membra vestra arma iustitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia. Quid ergo? Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.

Rom.6.

Ecce resurrectio prima. Secunda est corporalis & futura, & quam etiam ob gratiam primæ, ad vitam æternam consequuturi sumus. Sic enim atque ideo vtramque simul coniunxit Apostolus dicens: Nostra autem conuersatio in cœlis est, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominũ nostrum IESVM Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

Phil.3.

6\. Sexta denique est propter complementum nostræ salutis, nimirum iustificationem nostram, vt habetur ad Rom. Resurrexit propter iustificationẽ nostram. Item propter glorificationem nostram in cœlis, vt in alio loco legitur: Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Nũc ergo liberati à peccato, serui autem facti Deo, dicit Apostolus, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.

Rom.4. 1.Cor.15. Rom.6.

Verùm præter illas causas quæ nos respiciunt, dicendum tamen est primò ac propter se, suámque gloriam resurrexisse. Sicut enim verbũ ita propter nostram redemptionem carnem nostram assumpsit, vt tamen primò ac per se incarnari voluerit propter gloriam & excellentiam tanti mysterij, & vt sese perfectissimo modo creaturis communicaret: sic Resurrectio Christi ita fuit à Deo propter nostrum commodum ordinata, vt tamen per se fuerit intenta propter ipsius exaltationem & gloriam. Hoc enim Christo debebatur duabus ex causis. Prima est propter majestatem verbi in illo corpore inhabitantis; propter quod optimè dixit in Actis S. Petrus impossibile fuisse teneri Christum ab Inferno, seu à morte, sic illud Psalmi exponens; ***Quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*** Non enim decebat sanctum illud corpus per ineffabilem coniunctionem ad ipsam sanctitatem per essentiam, vt diu orbaretur vita & coniunctione ad suam animam. Vnde sicut fieri non poterat vt non moreretur, iuxta quod pro salute omnium in mortem offerendum erat; ita etiam fieri non poterat vt maneret extinctum in quo vita erat, per ipsam enim quæ in ipso erat vitam reuixit.

Primò ac propter se Christus resurrexit.

Dupliciter debebatur Christo vt propter se resurgeret. 1.

Act.2. Ps.15.

2\. Secunda est, quia eiusmodi corpori propter gratiam hypostaticæ vnionis, atque etiam animæ gloriam, vita perpetua & gloriosa debebatur. Quod enim aliquando mortale fuerit, ex dispensatione propter salutem nostram factum est: vnde consummata per mortem, eisdem rationibus huic corpori vita gloriosa per se ac propter se debebatur, etiamsi nobis non fuisset vtilis ac necessaria resurrectio ipsius. Quocirca si hanc intrinsecam resurrectionis eius causam perpendamus, certissimũ est quod statim atque redemptionem nostram consummauit per mortem suam, excitandus fuisset, nisi voluisset propter nos solùm differre, vt euidentiùs constaret de veritate mortis. Vnde illa causa & necessitate finita, mox etiam rediit ad vitam, multóq; magis quàm reducatur aqua impedimento sublato ad pristinam frigiditatem. Aqua calorem ab extrinseco recipit, frigus autem natura sua & quasi ab extrinseco habet: hæc est naturalis dispositio quam eius forma requirit. Sic est de corpore Christi, cui in persona verbum vitæ est vnitum, ab extrinseco & ex dispensatione tantùm morti obnoxium fuit; vnde necessitate mortis ablata, statim & quasi ab intrinseco ad vitam est reuocatum, & gloriam sibi connaturalem accepit; primò propter se, quia ratione vnionis, diuinæque etiam prouidentiæ ordinis primò intenti, status iste illi debetur: deinde etiam, vt satis demonstrauimus, propter vtilitatem nostram.

ARTICVLVS SEXTVS.

De mysterio Ascensionis. Ac primò de necessitate, & modo gloriosi reditus IESV *Christi ad Patrem.*

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris.

CATECHESIS XXI.

DVO hic obseruanda sunt pro explicatione, atque intelligẽtia articuli & mysterij Ascensionis IESV Christi. Primum est, omnia alia mysteria ad istud vt ad finem referri: est enim consummatio vniuersorum, & veluti complementum itinerarij eius in terra, sicut Apostolus dicit: ***Ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia***, id est, mysteria. Propterea Christus sæpiùs hoc mysterium retulit in testimonium & motiuum fidei aliorum. Sic Nicodemo, vt probaret necessitatem baptismi, Ioh. 3. Sic discipulis, vt probaret veritatem Eucharistiæ, dicens; *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis vbi erat prius?* cap. 6. Sic cap. 16. & 14. vt probaret missionem Spiritussancti, & præparatas sedes in cœlis. Sic denique Caiphæ, vt suam Diuinitatem probaret, Matth. 26. Ita vt sicut ab Incarnatione initium omnia habuerunt, quæ principium extitit & fundamentum cæterorum: sic in Ascensione omnis vitæ & peregrinationis eius in terra peractum sit negotium. Huius siquidem fide mysterij Christum credimus à morte suscitatum, absoluto redemptionis nostræ omni negotio, corpore & anima in cœlum ascendisse: dicimus, anima & corpore, id est, secundum naturam humanam, quia secundum diuinam vbique præsens est; sicque illum cum Patre & Spiritu sancto æqualem gloriam, summam majestatem, potestatem, atque imperium in omnem creaturam obtinere.

Duo notãda. 1. *Ascensio est complementum itinerarij Christi.*

Secundum quod hic etiam obseruatione dignum existit, est, quod in cæteris quæ præcesserunt mysteriis summa humilitas apparuit, summa abiectio; vt in Natiuitate, Circuncisione, & morte videri potest: nunc verò cuncta sunt in Majestate, & gloria; vt resurgere, in cœlum ascendere, & sedere ad dexteram Dei patris. Hac equidem re nihil maius admirabiliúsque dici potest; vnde Dauid sic exclamat ore prophetico; ***Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!***

2\. *Ascensio supra alia mysteria Christi refulget gloria.*

Ps.8.

terra! quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos. Et in alio loco vniuersum mundum exhortatur ad celebrandum hunc gloriosum triumphum cum gaudio, dicens: *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis, quoniam Dominus excelsus, ascendit Deus in iubilo.*

Psal. 46.

In hoc autem mysterio duplex inuenitur ratio gaudij nostri, tum propter gloriam & triumphum Christi: tum etiam propter vtilitatem nostram quæ exinde prouenit. Sic enim dupliciter Ascensio Christi conueniens fuit & sibi & nobis. Quantum ad primum, Christo conueniens fuit, ex eo quod licet per Ascensionem nullam essentialem gloriam sit adeptus; tamen ad maiorem quamdam decentiam & accidentale gaudium pertinebat, vt corpori ad vitam immortalem suscitato locus tribueretur cœlestis. Christus post resurrectionem suam, vitam immortalem & incorruptibilem inchoauit, vnde locus incorruptionis illi debebatur. Nos autem in loco corruptionis habitamus, scilicet in terra: & cœlum locus est immortalitatis, & ideo conueniens fuit, vt post resurrectionem non amplius remaneret in terris, sed in cœlum ascenderet, & ad patrem suum rediret, sicut aliquando dixit: *Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad patrem.* Pertinet enim ad amicitiam, amici absentiam æquo animo ferre propter bonum eius, & commodum illius proprio præferre. Hæc ratio gaudij maxima est & singularis.

Ascensio Christi gloriã eius decuit.

Ioh. 14.

Sic ergo Christus significabat hunc discessum sibi vtilem fore, & maximè decere statum gloriæ suæ, sicut adhuc debitum merito humilitatis suæ, vnde nobis erat gaudendum. Quod dixerat olim de humili exaltato, verificatur in ipso, qui cùm in forma Dei esset, dicit Apostolus, semetipsũ exinaniuit formam serui accipiens, & humiliauit semetipsum factus obediens, &c. propter quod & Deus exaltauit illum. Hodie exaltauit cùm supra omnes cœlos, & supra omnem creaturam etiam spiritualem ascendit. Supra omnes cœlos; adeò vt totum Christi corpus sit extra vltimam superficiem conuexam cœli empyrei, & nullo contineatur & circumdetur corpore. Et ratio est, quia quanto aliqua corpora amplius & perfectiùs participant de diuina bonitate, etiam tanto sunt superiora omni corporali ordine; vnde corpus gloriosum eleuatur non solùm dignitate, sed etiam loco supra quodcunque corpus naturale. Inter autem corpora gloriosa certissimè constat corpus Christi maiori refulgere gloria; vnde conuenientissimum est illi, quod sit supra omnia alia corpora in alto constitutum, sicut ab Apostolo dictum est, quod ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia.

Phil. 2.

Quomodo Christus supra omnes cœlos ascendisse intelligitur.

Eph. 4.

Verùm etiam super omnem creaturam etiam spiritualem. Et ratio est, quia quanto est res nobilior, etiam tanto altior illi debetur locus; siue ei debeatur per modum contactus spiritalis, sicut spiritualibus substantiis debetur secundum quamdam congruitatem locus cœlestis, qui est locorum supremus, quia illæ substantiæ sunt supremæ in ordine substantiarum. Corpus autem Christi licet considerando conditiones naturæ corporeæ, sit infra spiritales substantias, considerando tamen dignitatem vnionis qua est personaliter vnitum Deo, excellit dignitatem omnium spiritalium substantiarum; & ideo secundum supradictæ congruentiæ rationem, locus illi debetur supra omnem creaturam etiam spiritualem altior; vt, iuxta Apostolum, in nomine IESV omne genu flectatur cœlestium, sicut terrestrium &

Christus super omnem creaturam etiam spiritualem ascẽdit, & quare.

Phil. 2.

A

infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus IESVS Christus in gloria est Dei patris. Quid enim est quod ascendit, nisi quia & descẽdit primùm in inferiores partes terræ? Sic Baptista de eo dixit: *Qui desursum venit, super omnes est.* & rursus: *Qui de cœlo venit, super omnes est.* Et Christus ipse ad Nicodemum in eodem loco: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.*

Eph. 4.

Iohan. 3.

Ecce humilitatis Christi meritum, nempe Ascensio eius in cœlum: rediit eò & ascendit, vnde exiuit; exiuit à Patre & venit in mundum, iterum relinquit mundum, & vadit ad patrem. Pater, venit hora vt ex hoc mundo transeam, nunc au-

B

tem ad te venio. Quare? Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam, & ego ad te venio, id est, propterea redire debeo, negotiis peractis ob quæ me misisti in mundum, consummata videlicet salute hominum. Sic iunior Tobias rediit ad patrem negotiis peractis suæ peregrinationis. Ita & Christum necessarium erat, peractis in terra negotiis nostræ salutis, ad patrem redire à quo exierat.

Ioh. 17.

Tobiæ 10.

Primogenitus omnium Christus inter omnia ad suum rediit principium. Deus omnium quidem rerum principium est ac finis, à quo & ad quem omnia ordinantur & redeunt, & cuius etiam rei in Elementis similitudinem aliquam po-

Omnia ad suum principium redeũt.

C

suit & in cœlis, sicut Sapiens Ecclesiastes dicit: Oritur Sol & occidit, & ad locum suum reuertitur. Omnia flumina intrant in mare, ad locum vnde exeunt, reuertuntur. Vt hic per eiusmodi similitudines agnoscamus vnum esse omnium principium, nempe Deum, à quo & procedunt omnia, & quò omnia redeunt. Vnde etiam Christus qui dicitur omnium primogenitus, ad suum principium reuersus est, videlicet patrem, à quo egressus est; sicut ait: Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem, nunc vado ad eum qui misit me. Sed quibus viis? Audite. Mortis & passionis. *Oportuit*, inquit, *pati Christum, & ita intrare in gloriam*

Eccl. 1.

Ioh. 16.

Tribus viis Christus in cœlum ascẽdit.

D

suam. Resurrectionis, iuxta quam non dedit Sanctum suum videre corruptionem, sed notas habuit vias vitæ, & delectationes in dextera Dei vsque in finem. Denique Ascensionis, per quam eleuata est magnificentia eius super cœlos, sicut legitur in Actis, quod Apostoli intuebantur in cœlum euntem illum; in Euangelio, quod postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei: & in Symbolo Apostolico, ascendit ad cœlos, & sedet ad dexteram Dei Patris.

Act. 1.
Marc. 16.

Hæc autem vox, *ascendit*, significat qua virtute ad cœlos est euectus, scilicet propria, & non aliena, Diuinitatis nimirum vnitæ personaliter

Christus virtute propria ascendit, & quomodo.

E

humanitati Christi, insuper & animæ glorificatæ, quæ in corpus plenum dominium habebat. Vtraque enim causa huius ascensus, & diuini motus, tam principalis, quàm proxima, id est, ex Diuinitate & gloria procedens, Christo intrinseca erat, qui Deus & homo erat, cuius corpori sicut animæ, ratione suppositi, dos agilitatis quodammodo intrinseca & debita fuit, sicut in Isaia cum admiratione ista & interrogatione facta ab Angelis excipitur: Quis est iste qui venit de Edom, id est, rufus, & tinctis vestibus sanguine, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?

Isa. 63.

Quapropter sicut in Christo duplex est natura,

 ita

ita secundum vtramque propria eius virtus atque fortitudo accipi potest. Quod si iam secundum naturam humanam virtutem illam consideremus, etiam potest duplex intelligi & accipi illa virtus Christi. Vna quidem quæ est naturalis, ex principiis naturæ procedens; & tali virtute manifestissimum est Christum in cœlum non ascendisse. Alia verò in humanitate Christi est virtus gloriæ, secundum quam ascendisse dicitur: quia tanta est gloriosi corporis ad animam obedientia, vt vbi spiritus voluerit, ibi protinus corpus fuerit: & ideo ex virtute animæ volentis, corpus Christi in cœlum ascendit. Quia verò corpus gloriosum efficitur participatione animæ, sicut anima fit beata participatione Dei, hinc prima causa & origo Ascensionis Christi in cœlum, est virtus diuina. Christus igitur hodie in cœlum ascendit virtute propria, primò quidem virtute diuina: secundò, virtute ipsius glorificatæ animæ mouentis & eleuãtis corpus super omnes cœlos. Vt ex eo etiam nobis appareat & constet cui naturarum Christi Ascensio conueniat, scilicet humanæ tantùm, & non diuinæ. Quod satis Apostolus explicat, dicens: Quod autẽ ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia. Constat autem quod secundum humanitatem, & non Diuinitatem Christus descendit. Igitur secundum eamdem humanitatem ascendit, & non secundum Diuinitatem, tum quia nihil Diuinitate est altius, tum quia Ascensio est motus localis, qui diuinæ naturæ non competit, quæ est immobilis. Sed quomodo naturæ humanæ ascendere conuenit? ex virtute Diuinitatis quæ tota causa est Ascẽsionis. Ecce quo pacto ad gloriam Christi spectabat in cœlum ascendere post Resurrectionem, & cum comitatu qui ipsius triumphum decebat, vt Apostolus ait; *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem.*

Duplex virtus in natura humana Christi.

Ascẽsio Christi naturæ humanæ conuenit, & nõ diuinæ.

Eph. 4.

Eph. 4.

Verùm quantum etiam spectat ad nostram vtilitatem, valde conueniens & necessarius fuit reditus iste Christi ad patrem. Nam licet propter nostrum commodum oportuerit Ascensionem Christi aliquot diebus differri ad confirmandos homines in fide, tamen post veritatẽ resurrectionis sufficienter confirmatam, ipsum oportuit prouehi in cœlum, vt fieret in nobis maior perfectio fidei, spei & charitatis. Primò fidei, nam fides, iuxta Apostolum, est argumentum non apparentium. Item spei; iuxta quod ipse in Euangelio de reditu suo loquẽs dicebat suis: Vado parare vobis locum, & si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum. Ascendit igitur, sed pandens iter ante nos: ita vt non solùm hodie paradisi possessores firmati simus, sed etiam cœlorum in Christo superna penetrauerimus. Vnde satis cõstat nunc eò spem vocari corporis, quò iam præcessit gloria capitis. Denique charitatis; hoc siquidem modo Christus existens in cœlo, ad desideria & cogitationes cœlestes corda accendit hominum, nósque de terra separans trahit ad se, eáque sapere facit & quærere semper quæ sursum sunt, vbi ipse est in dextera Dei sedens. Vnde etiam Spiritum sanctum suum, qui amor est essentialis & verus, ad nos missurus est, sicut dicebat: *Expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.*

Ascẽsio Christi nobis conueniens & vtilis.

Heb. 11.

Ioh. 14.

S. Leo Serm. de Ascens.

Iohan. 16.

De sessione Christi ad dexteram Dei Patris.

Sedet ad dexterã Dei Patris.

CATECHESIS XXII.

IAM de Ascensione Christi diximus, nunc de sessione eius ad dexteram patris. Pars secunda est articuli. Magna equidem hic dignitas signatur, certúmque quoddam signum proponitur majestatis supremæ, siue de Christo vt Deo, siue vt homine id explicetur. Sciendum enim imprimis est, hanc sessionem, de qua hodie in Ascensione Christi mentio fit, nihil dicere quod situm aut figuram etiam corporis eius significet, sed tantùm possessionem & gloriam majestatis eius. Igitur, si de Christo vt Deo hæc verba interpretemur, & per dexteram intelligamus iuxta S. Damascenum, gloriam Diuinitatis, majestatem Dei, seu æqualitatem patris; sedere nihil aliud erit quàm simul cum patre regnare tanquam supremum Regem & Dominum omnium, eam quietè dignitatem possidere, sicut eamdem pater possidet. Si verò de Christo vt homine explicemus, Christum significant post multos labores, quos propter nos sustinuit, nostrámque salutem, tandem conquieuisse in cœlesti patria, fruẽtem bonis omnibus paternis, & sic iam habitare in cœlesti gloria, sicut dixit suis statim atque resurrexit; *Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Ita vt hic, *sedere*, nihil etiam aliud significet quàm regnare pacificè, seu deuictis hostibus in morte & sanguine Crucis, omnibus præesse tanquam supremum Regem & Iudicem.

Quid significet sessio Christi ad dexteram Patris.

S. Damasc. lib. 4. de fide orth. cap. 1.

Luc. 24.

Vbi autem adiungitur, *ad dexteram Dei patris*, gloria & majestas Diuinitatis intelligitur, ad quam ipsa humanitas Christi, verbo iam vnita, eleuata fuit, vel potiùs omnibus eleuata innotuit. Sicut enim ipsa per hoc Ascensionis mysterium verè ascendit, & in ea dicam, Natura nostra, cuius causa paradisus à Cherubim custodiebatur, & cui dictum fuerat; Terra es, & in terram ibis, iuit in cœlum, super Cherubim & super omnes cœlos ascendit: ita quoque sedit ad dexteram Dei patris, id est, tanta gloria & dignitate præcelluit, vt in eodem solio cum Deo esse meruerit, & eadem cum illo adoratione coli. Iuxta quod Apostolus dicit: Suscitans Pater IESVM Christum à mortuis, constituit illum ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum, & omnia subiecit sub pedibus eius. Constituit ad dexteram suam, id est, æqualem sibi reddidit, non solùm inquantum est Deus, sed etiam inquantum est homo, cui ipsa persona verbi est communicata, & per consequens omnis perfectio Diuinitatis, ipsáque æqualitas Patris: constituit ad dexteram suam. Deus Pater filium suum sibi coæqualem genuit; hominẽ verò in filio sibi æqualem constituit: vt Deus, est genitus æqualis: vt homo, est constitutus æqualis; & hoc ab instanti Incarnationis.

Per dexterã Dei gloria Diuinitatis intelligitur.

Eph. 1.

Quomodo Christus debet intelligi ad dexteram Patris constitutus.

Quare quodammodo hic difficile videtur rationem afferre, qua Christus per Ascensionem dici queat consequutus, vt sederet ad dexteram Dei. Neque enim ascendẽdo in cœlum suã Diuinitatẽ, neque gloriam humanitatis, neque etiam regni majestatem & potentiam, quasi non habuisset antea, est assequutus. Si enim vt verbum est & Dei filius, consideremus, minimè possumus dicere, neque de

de eo vllo pacto potest verificari, per Ascensionem habuisse, vt sederet ad dexteram Dei, qui per solam generationem æternam hoc habuit: est enim eiusdem naturæ, essentiæ, ac proinde consimilis majestatis cum Patre. Neque adhuc si ipsum secundum humanitatem consideremus: nam ratione vnionis hypostaticæ, qua ipsa humanitas est assumpta à verbo in vnitatem diuinæ personæ, hanc peculiarem dignitatem, singularemque excellentiam gloriæ habuit, vt sederet ad dexteram Dei: siue per dexteram Dei æqualitatem intelligamus, exquo enim Deus homo factus est, statim etiam homo Dei filius naturalis inuentus est, & ita æqualis; factumque est vt ipsa humanitas Christi eadem coadoretur adoratione qua Deus colitur: siue per dexteram Dei statum gloriæ intelligamus, seu beatitudinem æternam: ab ipso enim instāti Incarnationis Christus fuit in excellentiori possessione omnium bonorum Patris, & perfectissimè potitus gloria, Diuinitatisque plenitudine & abundantia, ratione hypostaticæ vnionis. Denique siue per dexteram Dei, majestatem regni, quæ in judiciaria est potestate, intelligamus: ipsi enim etiam ante Ascensionem collata est, sicut dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*

Dextera Dei accipitur pro æqualitate Dei.

Pro statu gloriæ.

Pro iudiciaria potestate. Matth. vlt.

Quod igitur per hoc potest intelligi, scilicet, quod Christus per Ascensionem suam consequutus sit, vt sederet ad dexteram Dei, tantùm est quoad manifestationem & claritatem ipsius Diuinitatis & gloriæ, nimirum vt hic homo ab omnibus agnosceretur Dei filius, omni creaturæ tam cœli quàm terræ innotesceret sedens ad dexteram Dei, id est, existens & permanens verus Deus, omnia cum patre gubernans, iuxta illud Apoc. Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & Diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, id est, vt ab omnibus agnoscatur Deus, manifestetur, adoretur. Quare etiam statim, atque immediatè sequitur; Et omnem creaturam quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quę sunt in mari, &c. omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Hæc certè claritas erat, quam olim ipse Christus petebat dicens; *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui, priusquàm mundus fieret, apud te.* Quare? *Ego, inquit, te clarificaui super terram, manifestaui nomen tuum hominibus.* Quod igitur Christus petebat, claritas erat & manifestatio gloriæ & Diuinitatis, vt denique omnibus innotesceret Dei filius; sedens, vt æqualis, ad dexteram Patris. Et hoc est, quod hodie per Ascensionem suam assequutus est, cùm demum (vt humano more loquamur,) denuò possessionem regni sui ac totius orbis cum sacro quodam ac decenti apparatu accipere videri voluit per hunc ingressum in cœlum, tanquam in locum proprium suæ curiæ regiæ, & à Deo destinatum ad regendum. Locus enim terræ potiùs fuit ad laborandum ac seruiendum. Vnde etiam post Ascensionem dicitur sedisse ad dexteram Dei. Optimè sedisse, quia tunc quasi quieuit & cessauit ab operibus viæ, & cœpit tantùm regia potestate vti. Et hoc est quod Sanctus Paulus probè nouit & docuit, cùm ait: *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia*; maximè autem tali modo ac statu locum præcipuum atque dignissimum regni sui & gloriæ implendo, quod est cœlum.

Ascēsio Christi ad dexterā Dei, dicit manifestationem eius gloriæ.

Apoc. 5.

Ioh. 17.

Christus ascēdens in cœlū, locum curiæ, videri voluit accipere possessionem regni sui.

Eph. 4.

Sed dicamus modò quot & quibus gloriosis titulis Christo conuenit, vt in cœlum assumptus, sedeat ad dexteram patris. Primò, quia Rex est & omnium Dominus, verùm & excellens dominium habens à patre, omniū creaturarum, sicut in Actis dicitur, *hic est omnium Dominus*: & ipse in Euangelio loquens de se; *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, id est, vt Rex appareat sedens ad dexteram tuam. Sic Apostolus dixit, quod ipsum pater constituens ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum, omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, id est, ipsum fecit ab omnibus Regem agnosci. Sicut in alio loco idem Apostolus dicit: Ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, vt sit in omnibus primatum tenens. Ecce Rex & Dominus, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, scilicet Diuinitatis, quoniam in ipso condita sunt vniuersa, in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, &c. Ecce igitur quo iure & titulo sedet ad dextram patris, quia Rex est & omnium Dominus.

Tribus modis conuenit Christo sedere ad dexteram Patris.

A Act. 10. Ioh. 17. Eph. 1. Coloss. 1. B

Secundò, quia Iudex; vnde dicit: Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Quia filius hominis, dixit vtique, quia ex humilitate sua, atque etiam ex maiori conuenientia, vt nimirum iudicandi videant Iudicem suum, hanc potestatem meruit. Vnde dixit Apost. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit, &c. Vnde & Sanctus Petrus in Act. Præcepit nobis prædicare populo, & testificari quia ipse est, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum. Sed de hac potestate fusiùs posthac loquuturi sumus.

Ioh. 5. 2. Cor. 5. C Act. 10.

Tertiò denique, quia rursus apud patrem noster est mediator, sicut S. Iohannes dicit; Filioli, hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud patrem IESVM Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Ecce aduersus hæreticos, quo titulo excellentiæ præ aliis mediator est. Quomodo etiam Apostolus dixit, quia ascendit in cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Quare adeamus modò cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

1. Ioh. 2. Heb. 9. Heb. 4. D

Fructus hic est mysterij, fiducia magna erga Christum vt mediatorem nostrum, & qui nobis per seipsum talem promeruit ad Patrem accessum. Item reuerentia vt erga Regem nostrum; & timor tanquam erga Iudicem. Præterea quod ex eo mysterio discimus, est, quomodo cum Christo nunc conuersari debemus, ipsum in spiritu & veritate adorare; & quia suam subtraxit corporalem præsentiam, ipsum sequi, seu illi cor & voluntatem offerre, fide viua omnia eius verba recipientes. Item in rebus terrenis nullam spem habere, & affectionem, sed totam ponere in cœlestibus; nam si Christus est thesaurus noster, ibi, vbi ipse est, cor nostrum esse debet, & non amplius in terra. Peccat in hoc mysterium qui curam suam in rebus terrenis collocat, cùm fidei suæ minimè respondeant opera. Gaudeamus iam Domino, & non vanitati & mundo qui præterit. Gaudeamus, quia qui in cœlo Iudex sedet, naturæ nostræ est particeps. Gaudeamus, quia Rex noster hodie regni sui cœlestis aditum nobis omnibus referauit. Gaudeamus, inquam, quia hodie dicit Apost. *Non in manufacta Sancta* IESVS *introiuit, exempla verorum*, id est, figuras, *sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei*

Fructus Ascēsionis Christi.

E

Quomodo peccat quis in mysterium Ascensionis.

Heb. 9.

NNn 4 *pro*

pro nobis, id est, vt agat pro nobis apud Patrem, A summum Pontificem & mediatorem.

Sacerdotium Christi Sacerdotio legali in multis præfertur. Certè in multis mediator noster Christus supereminet dignitati atque officio summi Pontificis legis. Ille secundum ordinem Aaron Sacerdos erat, qui in Abraham benedictionem acceperat suam à Melchisedech, cui & decimas soluerat: Christus autem Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ad quem spectat vt ad maiorem, benedictionem dare, & decimas recipere. Item summus Sacerdos legalis non in æternum erat: Christus autem in æternum, vt in Psalmo dicitur; *Psal. 109.* *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Vnde etiam docet ex eo Apostolus, probéque demonstrat, in- B troitum Christi in Sancta Sanctorum multo præstantiorem esse ingressu summi Pontificis legis in Sanctuarium Templi; & hoc triplici ratione. *Tribus modis ingressus Christi in cœlū superat introitum summi Pontificis in Sāctuarium Templi.* Prima est, quia istud manu factum erat & terrenum. Sanctuarium autem quod Christus penetrauit, cœlum est empyreum, ipsa habitatio gloriæ & diuinæ majestatis. Secunda, quia summus Pontifex legis ingrediens in Sanctuarium, non nisi ad Angelum Dei, & qui adhuc sub velamine alicuius nubis apparebat, & voce vtebatur humana, accessum habebat: Christus verò super omnes cœlos ascendens sedet ad dexteram Dei patris. Tertia est, quia summus ille Pontifex semel tantùm in anno, & ad breue tempus, in interius Sanctuarium introibat, vt oraret, & offerret incensum Domino: Christus verò paradisi altiora petens, æterni patris receptus est consessu: semel, atque in æternum cœlorum omnium fastigia penetrans, sedet ad dexteram Dei, vt pro nobis continuò meritorum suorum incensum offerat.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

De potestate iudiciaria Christi, & particulari hominum iudicio.

CATECHESIS XXIII.

Duplex Christi Aduētus. DVPLICEM IESV Christi de cœlo Aduentum Scriptura commemorat: vnum salutis & misericordiæ; alterum iudicij & iustitiæ. Primus, & qui iam præteriit, in plenitudine temporum fuit, quando de Spiritu sancto in virgine conceptus, ex ea natus est, & datus est nobis: posterior adhuc in expectatione est, qui & in fine sæculorum tantùm futurus est. De vtroq; loquutus est Propheta dicēs: *Psal. 84.* *Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit.* Nunc autem de isto posteriori & futuro dicendum est nobis, iuxta quod nobis hodie fides proponit IESVM Christum qui ad cœlos ascendit, eundem venturum ad faciendum de cunctis hominibus iudicium; sicut etiam in Actis, duo viri astiterunt in vestibus albis iuxta discipulos eius, cùm intuerentur in cœlum euntem illum, qui & dixerunt: *Act. 1.* Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic IESVS qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Sic veniet, eadem scilicet persona, in eadem majestate & gloria, idem Christus & Dei filius, qui semel venit in vterum virginis, qui ad saluandum nos & erudiendum venit, qui venit pati, & morti pro nobis adiudicari, qui resurrexit, & in cœlum ascendit, & ibi sedet cum gloria ad dexterā Majestatis, id est, Dei, in excelsis. Ipsemet in die nouissimo descendet ad iudicandos omnes homines, rationē exposcens de omnibus cogitationibus, dictis, & operibus, vt vnicuique prēmia vel supplicia decernat. Hinc dies varia ac tremenda sortitur nomina in Scriptura sacra; *Dies Iudicij diuersa habet nomina.* apud Malachiam dicitur dies Domini magnus & horribilis. *Malach. 4.* *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis* apud Sophoniā, dies tribulationis & angustiæ; *Sophon. 1.* sic enim legitur. *Silete à facie Domini Dei; & erit in tempore illo, scrutabor Ierusalem in lucernis. Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est, & velox nimis: vox diei Domini amara; dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ*; addamus cum Ecclesia, dies magna & amara valde. In Apocalypsi, nouissima hora, tempus breuissimum: in Euangelio, dies rationis reddendæ.

Duplex dies Iudicij. Quare nunc sciendum est, duplicem esse illum diem iudicij. Vnum in morte, vbi statim vnusquisque ad tribunal Christi sistetur, villicationis suæ rationem redditurus, eorumque omnium quæ in vita sua gessit. Alterum in consummatione sæculorum, quando omnes in vno & eodem die, vno & eodem loco, stabunt ad tribunal summi Iudicis IESV Christi, vt quid iam de singulis iudicatum est, palàm omnibúsque appareat. De illo sic Psaltes loquitur; *A inuocauit cœlum desursum, & terram di-* C *scernere populum suum.* De illo sic Iob; *Fugite à facie gladij, quia vltor iniquitatum est, & scitote esse iudicium.* O quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit tunc ad videndum eum, quando, sicut Euangelistæ dicunt, omnes videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majestate? *Matth. 24. Luc. 21.* Inde enim venturus est, scilicet quò ascendit, de cœlo venturus est, vbi sedet ad dexteram Dei patris, inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Qui ascendens super omnes cœlos, vt Iudex sedit ad dexteram Dei, venturus est iudicare, vt omnium Iudex constitutus viuorum & mortuorum. Sed quomodo venturus? in eadem majestate, & visibili forma, qua ascendit.

D Verùm quo pacto ac titulo illa iudiciaria potestas conueniat Christo, est videndum. *Duo necessaria vt alicui tribuatur potestas iudicā-di.* Duo enim necessaria videntur, vt alicui detur iudicandi potestas. Primum est, vt talis potestas communi bono necessaria sit vel conueniens. Secundò, vt in eo cui tribuitur, omnes conditiones concurrant necessariæ ad ferendum iustum iudicium, vt scientia, voluntatis rectitudo, infallibilis veritas, iurisdictio, dominium & potestas; atque etiam vt digniori detur illa potestas. Iam verò manifestum est, ad commune bonum vniuersi necessarium esse iudicium bonorum & malorum, præmium & pœnam: prætereà fuisse conueniens, vt per hominem tale iudicium exerceretur. *Conueniens est per hominem iudiciū hominum exerceri ob tres causas.* Primò, ex parte hominum, qui- E bus magis naturale est vt caput habeant homogeneum. Secundò, ex parte Dei, ad cuius spectat bonitatem communicare perfectiones suas creaturis, atque per causas secundas efficere quod per se potest. Tertiò, ex parte verbi incarnati, cui in natura assumpta ratione hypostaticæ vnionis facta est, & debetur, diuinarum omnium perfectionum communicatio.

Propter has igitur rationes conueniens fuit hanc potestatem iudicandi communicari homini, & consequenter ac maximè Christo. *Christū maximè decebat Iudicem esse hominum.* Primò, propter dignitatem suppositi & personæ, quæ Deus est, & quia in eo omnes concurrunt necessariæ perfectiones perfectiùs, quàm in pura creatura, ad hanc

hanc obtinendam exercendamque dignitatem: siquidem in eo sunt in supremo perfectionis ordine & gradu, scientia, voluntatis rectitudo, & potestas. Scientia, cùm ipse sit Sapiētia æterna, in qua est omnis forma & ratio iudicij, adeò vt sicut per ipsum Pater, vt per Sapientiam suam, creauit & ordinauit omnia, sic per eandem iudicaturus sit omnia, sicut ait Dauid; *Deus indicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* Et hoc, vt adhuc intelligeremus, maxima æquitate & sapientia hoc iudicium peragendum, quod à patre committetur Sapientiæ patris, propterea enim ipse dixit; *Pater omne iudicium dedit filio*, & hoc non solùm secundum Diuinitatem per generationem æternam: sed etiam secundum humanitatem, sicut statim adiunxit; *& potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*, id est, secundum quod homo est, vt videlicet in ea carne iudicet, in qua iudicatus est. Item in eo est rectitudo voluntatis, vt ex amore & zelo iustitiæ iudicet, iuxta quod ipsamet æterna & infallibilis est veritas, quæ nec falli, nec fallere potest, sicut aliquando dixit Pilato Iudici: Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Etiam & in eo est potestas, quę quidem ipsi ab ipso initio Incarnationis data est: nā simul cum illa vnione personali, omnes illæ supradictæ diuinæ perfectiones collatæ fuerunt. Vnde minimè poterat ad salutem & redemptionem nostram huiusmodi dignitate aut potestate iudiciaria carere. Vnde dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*

Psal. 71. Ioh. 5. Ioh. 18. Matth. 28.

Secundò conueniens fuit Christo iudicium committi, vt ei qui factus humanitatis nostræ particeps, compati posset, ne iudicium Dei seuerius videretur, Iudexque implacabilis, aut etiam esset suspectus si homo non esset. Hinc enim Apostolus dicit: Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. Quare? Quoniam & ipse circundatus est infirmitate. Ecce vnde ab omni suspicione & querimonia alienum erit iudicium, quod à Christo prodit homine-Deo. Propterea enim S. Bernardus optabat vt de tali Iudice prodiret iudicium suum, cui inest amor, abest error & perturbatio.

Heb. 4. & 5. Lib. de Consid. cap. 4.

Tertiò conueniens fuit ei committi, qui hominum redemptor est & caput, & qui iniustè ab hominibus pro salute omnium iudicatus est. Æquum enim videtur, vt propterea Iudex omnium cunctis appareat, sicut aliquando dixit Petrus Cornelio: Deus præcepit nobis prædicare populo, & testificari quia ipse est qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum.

Act. 10.

Duo requiri ad actū exercendum iudiciaria potestatis.

Hic autem notandum, vt eiusmodi iudiciariæ potestatis actus exerceatur, duo requiri. Primum est discussio causæ vsque ad perfectam cognitionem facti, ad quam in humano iudicio ordinatur & testium, & facti cognitio, quod minimè locum habet in Christo, qui etiam secundum humanitatem per se habet sufficientem omnium cognitionem ad iudicium, vt apud Malachiam dicitur: *Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris*; ac si diceret, ipse ero & testis & Iudex. Secundum est, cognito facto, vnicuique pro meritis prēmium, vel pœnam retribuere, quod totum spectat iudiciariam potestatem Christi, qui ideo Iudex viuorum & mortuorum est à Deo cōstitutus, id est, cui data est potestas omne iudicium facere tam in hac vita quàm in altera. Quare iam omissis iudiciis quæ exercentur in hac vita, tantùm de iis loquimur in pręsenti quę in altera exercētur.

Malach. 3.

Duplex iudicium alterius seu futura vita.

Sciendum est igitur, alterius seu futuræ vitæ duplex esse iudicium: vnum vniuersale, de quo postea; aliud particulare, de quo hic & breuiter aliquid est dicendum. Non enim defuerunt hæretici qui illud particulare reiiciunt, dicentes omnium hominum animas incertas de suo statu permanere vsque in diem iudicij, & consequenter neque recipere pœnam, neque præmium, neque iudicari vsque in diem vniuersalis iudicij.

Probatur iudicium esse particulare.

Interim veritas Catholicā docet, statim in morte futurum hoc particulare iudicium, ita vt vnusquisque tunc sententiam quæ ad ipsum spectat sit recepturus, & de fide sit, iustos qui nihil purgandum habent, statim in morte recipere præmium æternæ beatitudinis, vt Apostolus dicit: Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes; si tamen vestiti, non nudi inueniamur. Animas autem in peccato mortali decedentes statim etiam in gehennam detrudi, vt debitas pœnas luant, sicut refert de diuite Sanctus Lucas: Mortuus est diues, & sepultus est in Inferno. Satis autem manifestum est, præmium & pœnam sine iusta & iuridica retributione non dari, quæ per se tribunal dicit & potestatem iudicij. Vnde Ecclesiasticus filius Sirach ait, quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas, & in fine hominis denudatio operum illius. Sic Ecclesiastes filius Dauid: Cūcta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum illud sit. Sic Paulus Apostolus Christi: Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem iudicium. Vnde S. Chrysost. in Matth. Postquam diem tuum obieris, iudicium & pœna consequetur. Quod dicit aduersus eos qui post mortem locum pœnitentiæ sperant.

2. Cor. 5. Luc. 16. Eccli. 11. Eccle. 12. Heb. 9. S. Chrysost. hom. 37. in Matth.

Omnes in morte statim experiuntur effectum sententia sua atque iudicij.

Igitur certissimum est, in morte vniuscuiusque fieri particulare iudicium, statimque omnes experiri sententiæ suæ effectum; cognoscere damnatos se esse in statu damnationis perpetuò duraturæ: iustos & Sanctos etiam cognoscere certò se esse securos de sua salute: denique adhuc animas quæ sunt in Purgatorio, de suo statu penitus esse certas. Nam supposita fide, quam in via cum exercitio bonorum operum habuerunt, cognoscunt certò se non esse in statu damnatorum, quia nec desperant, nec blasphemant, nec odio Deum prosequuntur. Vnde necessariò intelligunt se esse in statu amicitiæ Dei, purgari tamen oportere, vt ad beatitudinem perueniant. Ecce certitudo iudicij, & quidem proximè futuri; tempus breue est, instat hora, vigilate, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Time homo, time mortem, time iudicium, quia in illo ei pręsentādus es, quem nihil latet, atque in cuius manus horrendum est incidere. Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.

De Iudicio vniuersali.

Iudicare viuos & mortuos.

CATECHESIS XXIV.

Iudicij vniuersalis terminus.

De fide est, post particulare iudicium aliquando vniuersale futurum, in quo Christus Iudex futurus est supremus omnium tam viuorum quàm mortuorum, non amplius priuatim & occultè,

occultè, vt in morte, in qua quoad animam solam judicium exercetur; sed publicè & visibiliter post resumptionē corporum, vt etiā vnusquisq; referat quoad corpus, vel præmium, vel supplicium ob opera quæ gessit in corpore, & hoc per manifestam judicij definitionem, atque sententiam, vt in Euangelio legitur; *Tunc videbunt filium hominis:* & in Apocalypsi, *videbit eum omnis oculus.* Tanti autem ponderis videtur esse huius rei nouissimæ cōsideratio, vt Catechismus Concilij Trid. singulari studio dicat sæpius inculcandum esse populo verbum & recordationem iudicij, quia hæc proposita veritas, mente & fide concepta multum valet ad expellendum ex corde hominis peccatum, iuxta illud Ecclesiastici: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Sic Sancti omnes hoc vti aduersus peccatū consilio solebant. S. Basil. Si quādo te senseris ad vnum prosilire peccatum, ad mentem statim reuoca illud formidabile, nec vlli mortaliū tolerabile Christi iudicium: illud time, & eiusmodi timore eruditus animam inhibe. Ille est timor, quem hodie, si audieritis me, docebo vos, ille timor, qui initium est sapientiæ. Nimis enim timendum esse volo, quia iuxta S. August. melius est vobis non dare securitatem malam. Non dabo, inquit, quod non accipio, timens terreo, securos vos facerem, si securus fierem ego, ignem æternum timeo. Et dum in negotio & exercitio est suarum Confessionum dicit. Non me reuocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis, & futuri iudicij, qui per varias quidem opiniones, numquam tamen recessit de pectore meo. Ecce metus vtilis, & quem ideo ipse Christus Sapiētia æterni patris, nos docere voluit in Euangelio, cùm antequam ad patrem suum rediret, de alio formidabili Aduentu loquutus est nobis, qui futurus est cum generali iudicio, cuius simul signa equidem tremenda declarauit: Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur, & tunc parebit signum filij hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majestate. Vt hinc appareat ipsum in eadem humanitatis gloria venturum in mundum ad iudicandum, qua in cœlum ascendit ad regnandum, sicut Apostolis Angeli dixerunt: *Hic* Iesvs *qui assumptus est à vobis, sic veniet*; inde & in eadem majestate veniet iudicare viuos & mortuos.

Luc. 21. Apoc. 1. Eccli 7. *Vtilis recordatio Iudicij.* S. Basil. in Psal. 33. S. August. in Psal. 80. Lib. 6. Confess. cap. vlt. Matth. 24. Act. 1.

Multiplex causa vltimi Iudicij. Multæ autem ac diuersæ rationes sunt huius nouissimi Aduentus Iesv Christi ad iudicium, tam ex parte Dei, quàm hominum, atque etiam totius vniuersi. *Ex parte Dei.* Ex parte Dei, vt innotescat iustitia eius, quæ numquam nisi in illo iudicio perfectè manifestabitur. In creatione mundi perfectè potentia Dei declarata est, in reparatione amor & sapientia: in iudicio autem perfectè apparebit iustitia, cùm vnicuique ac palàm retribuetur pro meritis, pœna æterna reprobis, gloria æterna iustis. *Ex parte hominum.* Ex parte hominum qui iudicandi sunt, vt integra & perfecta illis retributio fiat, tam secundum corpus quàm secundum animam, sicut inuicem dum erant in mundo communicauerunt factis. Homo non solùm ex anima inuisibili constat, sed etiam ex corpore visibili: vnde quia solùm in morte retributio facta est animæ, non corpori, superest vt in generali iudicio simul fiat vtrique, vt optimè Apostolus docet, cùm dicit: Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit. Et sic hoc iudicio publico augeatur vel præmium accidentarium iustis, cùm de nouo de fructibus bonorum operum suorum gaudebunt quantum ad corpus: vel pœna reprobis, qui amplius confundentur malarum actionum suarum fructus intuentes.

2. Cor. 5.

Ex parte Sanctorum. Quare etiam ex parte Sanctorum hoc generale iudicium conueniens fuit, scilicet, vt palàm fiat & manifestetur omnibus eorum beatitudo & gloria, quorum antè vita incognita erat mundo: tunc enim propter eos, vt Sapientia dicit, peccatores & reprobi videntes turbabuntur, & mirabuntur in subitatione insperatæ eorum salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquādo in derisum, & in similitudinē improperij. Nos insensati vitā illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo cōputati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Quia ergo in illo iudicio fiet consummatio gloriæ Sanctorum, hoc sensu potest dici Christus tunc venturus iudicare viuos, Sancti enim semper viuentes fuerunt, neque eis mors vitam adimit, qui de vita spirituali seu gratiæ qua viuunt in terris, transeunt ad vitam gloriæ quam cum Deo in æternum possident in cœlis. Sic enim atque eodem sensu Venerabilis Beda dicit duos electorum ordines in iudicio esse futuros; vnum iudicantium cum Christo, scilicet eorum, qui propter ipsum omnia reliquerunt, & sequuti sunt eum: alterum iudicandorum ad vitam æternam; cuiusmodi sunt iusti, & fideles amici Iesv Christi, qui etsi omnia non reliquerint, tamen pauperes spiritu fuerunt, bonis suis bene vsi sunt, & iuxta præcepta Euangelij fecerunt sibi amicos de mammona iniquitatis, qui receperunt eos in æterna tabernacula, vt audire meruerunt à iusto Iudice: *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.*

Sap. 5. *Mors vitam non adimit iustis quorū respectu Christus dicitur iudicare viuos.* *Duo electorū ordines futuri in iudicio.* Beda hom. in 19. Lucæ. Matth. 25.

Ex parte impiorum. Ecce quomodo pro gloria Sanctorum conuenit esse vniuersale iudicium, & similiter pro confusione impiorum, vt adhuc illis, omnibúsque appareat quo pacto à via veritatis errauerunt, & ambulauerunt vias difficiles, qui & propriè mortui dicuntur. Quo sensu & quorum respectu Christus potest intelligi & dici venturus in die illo nouissimo iudicare mortuos: sicut dicitur per Psalmistā, quia non resurgent impij in iudicio, videlicet ad vitam; nam illi verè & in æternum mortui sunt. Vnde idem Venerabilis Beda duos adhuc ordines eiusmodi mortuorum, seu reproborum hominum ponit in iudicio futuros. Vnum eorum qui dicuntur infideles, vt sunt Pagani, etiam hæretici, de quibus: *Qui autem non credit, iam iudicatus est.* Alterum eorum qui fide instructi operā fidei exercere contemnunt, de quibus item; *discedite à me maledicti*, &c.

Duo reproborum ordines futuri in iudicio.

Ecce igitur sensus quo Christus potest dici tam ratione bonorum, quàm malorum, in illo vltimo Aduentus sui tempore iudicare viuos & mortuos; quamuis tamen iste videatur esse sensus litteralis, nimirum, per viuos intelligi eos qui tunc temporis inuenientur in terra adhuc superstites & viui: & per mortuos, eos intelligi qui iam defuncti sunt sæculo, sicut Apostolus declarare videtur in ordine quem signat huius iudicij dicens: Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus 1. Thessal. 4.

nubibus obuiam Christo in aëra,& sic semper cum A
Domino erimus. Quia certè futurum est in instanti iudicium, in quo statim assumentur iusti in aëra ad dexteram Dei,& relinquentur in terra impij ad sinistram Dei; illi, scilicet iusti, coronandi gloria in cœlo: isti verò, videlicet impij, cremandi ignibus æternis in Inferno.

Ex parte totius vniuersi. Denique ex parte totius vniuersi hoc generale iudicium conueniens fuit, ad saluandam Dei prouidentiam,& obstruendum os loquentium iniqua, *Iob. 22.* scilicet, Deum circa cardines cœli perambulare,& non considerare nostra. Tunc enim apparebit cur Deus permiserit affligi Sanctos, malos verò prosperam vitam agere; vt laus ab omnibus Dei iustitiæ ac prouidentiæ tribuatur, pro illa iniusta B querela quam etiam Sancti ac simplices efformabant, *Psal. 72.* cum Propheta dicentes: *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns.* & paulo post: *Ecce ipsi peccatores,& abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias. Et dixi: Ergo sine causa iustificaui cor meum,& laui inter innocentes manus meas.* hæc tunc inquam cessabit querela. O quàm multi attoniti erunt! Hęc cessabit querela, vbi perfecta & clara diuinæ prouidentiæ aderit notitia, vbi nihil inultum & sine præmio remanebit, & vbi denique non tantùm priuatim singuli homines iudicabuntur, sed etiam omnes simul & publicè, seu vniuersus orbis per modum vnius integri corporis, iuxta quod peccata C consideranda sunt, non solùm secundum se,& quoad nos, sed etiam in ordine ad alios & gubernationem vniuersi.

Locus iudicij. Sed vbinam, aut quando hæc erunt? De loco Scriptura dicit: *Congregabo omnes gentes,& deducam eas in vallem Iosaphat;*& postea, *quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu.* *Ioël. 3.* Locus apprimè conueniens est. Hæc etenim vallis media est inter môtem Caluariæ & Oliueti, Passionis & Ascensionis Iesv Christi, vt ex vno vindictam sumat de peccatis,& peccatoribus cunctis qui sanguine suo ablui noluerunt,& ex altero consortes gloriæ suæ Ascensionis iustos efficiat. Denique vt ibi ad consolationem bonorum, confusionem autem malorum, demum gloriæ suæ majestatem ostendat, vbi olim summam pro nobis ignominiam sustinuit.

Mar. 13. Malach. 3. Tempus iudicij incognitum. De tempore eadem Scriptura dicit, *de die illo nemo scit.*& alibi: *Quis poterit cogitare diem aduentus eius?* Magno consilio diuina prouidentia sic ordinauit, vt dies iste nobis esset occultus. Primò, vt semper in timore maneamus. Secundò, in expectatione ipsius. *Luc. 17.* Vnde dicit in Euangelio Dominus,& talia nobis exempla proponit: Sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt, fulget: ita erit filius hominis in die sua. Et sicut factum est in diebus Noë: ita erit & in diebus filij hominis. Edebant & bibebant,&c.& venit diluuium,& perdidit omnes. Ita erit & in diebus filij hominis, E qua die & hora non putatis, veniet. Similiter sicut factum est in diebus Loth; edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant. Qua die autem exiit Loth à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cœlo,& omnes perdidit. Secundum hæc erit qua die filius hominis reuelabitur,&c. Qua die non putatis erit ille Domini aduentus, à voluntate ipsius pendet, qua hora non putatis veniet. Vnum hic interim certum est, statim venturum atque implebitur numerus prædestinatorum.

ARTICVLVS OCTAVVS.

De fide in Spiritum sanctum.

Credo in Spiritū sanctū.

Catechesis XXV.

Iam quid de Deo patre & filio eius Iesv Christo credi debeat diximus, nunc verò quid de Spiritu sancto credi debeat est dicendum. Iuxta distinctionem personarum Trinitatis Symbolum in tres partes præcipuas distributum est. Prima attribuitur patri; secunda filio: hæc tertia attribuitur Spiritui sancto, in qua omnia eius beneficia recensentur, vt postea videbimus. Vnde imprimis operæpretium est cum reuerentia animi illā personam agnoscere, quam Spiritum sanctum appellamus: magnam enim varietatem significationis recipit illa vox *Spiritus*, quæ aliquando pro vento accipitur, vt per Psalmistam dicitur: *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* & rursus vbi ad laudandum Deum per eumdem Prophetam excitantur, *ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum quæ faciunt verbum eius.* Aliquando pro anima, vt de Christo dicitur, *clamans voce magna emisit spiritum.* Aliquando pro fortitudine & virtute, vt de seruo Amalecitæ dicitur, cùm comedisset reuersus est spiritus eius. Aliquando pro zelo, vt dixit Christus duobus filiis Zebedæi, filiis tonitrui, nescitis cuius spiritus estis. Denique pro Spiritu sancto, vt hodie in Symbolo intelligitur, vbi etiam hoc nomen adiectiuum, sanctum, ponitur, *Credo in Spiritum sanctum.* Quod de alio non patitur intelligi, quàm de Spiritu qui Deus est.

Varia significatio huius vocis, Spiritus. Psal. 47. Psal. 148. Matth. 27. Luc. 9.

Vbi adhuc iuxta S. Hieron. est animaduertendum, quod vbicunque tam in nouo quàm in veteri Testamento ponitur Spiritus sine additamento, semper accipitur in bonam partem, sicut cùm dicit Apostolus; Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Sæpius autem & frequenter pro ipso D Spiritu sancto, vt in eodem loco. Spiritus testimoniū reddit spiritui nostro quod sumus filij Dei. Itē; Spiritus adiuuat infirmitatē nostrā. & rursus: Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Vbi deniq; cum illo adhuc additamēto ponitur, vel Dei, vel Christi, vel etiam Domini, semper Spiritus sanctus in Scripturis sacris designatur, vt cùm idē dicit Apostolus: Si quis autē Spiritū Christi non habet, hic non est eius.& iterum: Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Nam per Spiritum Christi, Dei,& Domini, semper persona Spiritus sancti intelligitur. Ille est Spiritus sanctus, atque principalis quem sanctè ac præcipuè petebat & orabat Rex & Propheta sanctus di- E cens: Ne proiicias me à facie tua,& Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui,& Spiritu principali confirma me. Quis ergo ille est Spiritus sanctus & principalis? vtique qui Deus est & omnium Dominus, qui à Patre filióque procedit. Sic in Euangelio Christus dixit: Spiritus est Deus,& eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. & alibi: Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à patre Spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

Vbinam & quando vox Spiritus accipitur pro Spiritu sancto. Rom. 8. Rom. 8. Psal. 50. Ioh. 4. Ioh. 15.

Quare Ecclesia examinans hæc omnia constituit, vt expressè diceretur in Symbolo Missæ post fidem in Deum patrem, & Christum eius filium, etiam

Quinque credenda de Spiritu sancto Ecclesia proponit.

etiam illa professio fidei; *Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex patre filioque procedit, qui cum patre & filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas.* Hæc enim quinque de Spiritu sancto credenda sunt. Primò, quod sit Dominus absolutè. Secundò, quod sit etiam omnium viuificans absolutè. Tertiò, quod sit Deus adorandus & conglorificandus. Quartò, quod à patre simul & filio procedit. Quintò, quod ipse sit qui per ora omnium Prophetarum loquutus est. Omnes enim sancti homines Dei inspirati à Spiritu sancto loquuti sunt, nec humana voluntate aliquando allata est prophetia. Sicut adhuc hodie omnis doctrina quæ in Ecclesia proponitur, diuinitus & à Spiritu sancto inspirata est, sicut ipse Christus dixit Apostolis; *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.*

Matth. 10.

Itaque quod hic scire conuenit, imprimis est, Spiritum sanctum eiusdem omnino esse cum patre & filio naturæ, majestatis atque potentiæ, interim proprietate personali distingui ab vtroque. Quamuis enim hoc nomen Spiritus commune sit toti Trinitati, (si quidem Spiritus est Deus) tamen tertiæ personæ per appropriationem attribuitur, & per illud tertia persona intelligitur. Et ratio est, quia cùm prima persona nomen suum proprium & distinctum habeat, nempe patris; secunda item persona, nempe filij, superest vt commune nomen tribus, quod est Spiritussancti, tanquam proprium relinquatur tertiæ personæ, per quod & distinguatur à duabus aliis. Ita Christus cùm mittit suos ad prædicandum ait: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. Sic Sanctus Iohannes; Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, pater, verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Sic Apostolus cùm distinctè sic ait: Gratia Domini nostri IESV Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis, Amen. Sic denique omnes Psalmi in Ecclesia, diuinæque laudes concluduntur, in quibus additur; Gloria patri, & filio, & Spiritui sancto, vt sic sæpiúsque innotescat & adoretur in Trinitate personarum distinctio, & vnitas atque æqualitas Deitatis. Nam in omnibus æqualis est patri & filio Spiritussanctus, qui cum vtroque vnus & idem est Deus. Quod quidem satis indicat hæc vox & forma loquendi; Credo in Spiritum sanctum, sicut antea positum est, Credo in Deum patrem, Credo in IESVM Christũ eius filium. Hoc enim modo credere signat Diuinitatẽ, cui omni spe & perfectissimo amore, vt summo atque incommutabili bono adhærere volumus.

Quomodo nomen Spiritussancti tertiæ personæ attribuatur.

Matth. 28.

1. Ioh. 5.

2. Cor. 13.

Spiritussanctus cum patre & filio vnus Deus.

Vnde & forma loquendi, sicut nomine, Spiritum sanctum constat vnum cum patre & filio Deum esse. Sic Paulus, quem prius dixerat Deum, statim interpretatur esse Spiritum sanctum. Diuisiones, ait, gratiarum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. & post multa alia subiungit: Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens singulis prout vult. Sic S. Petrus in Actis, quem Spiritum sanctum appellat, statim Deum dicit, cùm sic Ananiam arguit; Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri Spiritui sancto? & statim: Non es mentitus hominibus, sed Deo. Ecce Spiritussanctus appellatur, sicuti est, Deus. Ita in Symbolo Sancti Athanasij, Deus est pater, Deus est filius, Deus est Spiritus sanctus. Vnde etiam commemorat Scriptura sancta omnia creata esse à Deo patre, filio, & Spiritu sancto, tanquam ab vno principio: sicut in Genesi legitur: *In principio creauit Deus cœlum & terram, & Spiritus Domini ferebatur super aquas.* & in Psalmis: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

1. Cor. 12.

Act. 5.

Gen. 1.

Quod autem adhuc scire conuenit, est, iam Spiritum sanctum procedere à patre & filio, vt vno principio. In hac enim sunt differentia & distinctione ad inuicem tres personæ Trinitatis, quod pater à nullo procedat, quia principium est sine principio: filius à patre solo; Spiritussanctus verò ab vtroque, sed tanquam ab vno principio, & non tanquam à duobus: hinc vocatur Spiritus vtriusque. Sic in Euangelio dicebat Christus; *Paraclitus autem Spiritussanctus, quem mittet pater in nomine meo.* & rursus: *Paraclitus quem ego mittam vobis à patre.* Spiritus patris; *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris.* Spiritus filij; *Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra,* dicit Apostolus. Igitur communiter appellatur Spiritus patris & filij, vt ab vtroque procedens, & per hanc etiam relationem processionis ab vtroque distinctus. Vnde sicut pater non est filius, nec filius est pater: ita Spiritus sanctus non est pater, nec filius, sed ab vtroque personaliter est distinctus. Totum autem hoc mysterium exemplo intelligi potest, videlicet alicuius ingentis lacus, aut stagni aquarum. Stagnum enim à fluuio oritur, & fluuius à fonte, ita vt lacus ab vtroque producatur fluuio & fonte; alius quidem ab vtroque, sed non aliud: est enim eadem aqua in fonte, fluuio, atque lacu. Ita dico de Spiritu sancto, qui à patre filioque procedit, alius quidem processione sua ab vtroque, sed non aliud, quia eadem est in tribus natura diuina. Quomodo verò hoc sacrosanctæ atq; indiuiduæ Trinitatis mysterium in vnitate diuinæ naturæ impleatur, iam intelligite. Pater vt Deus est & natura spiritus, seipsum intelligendo verbum suum producit, & sic suum in se generat filium. Filius genitus patrem suum amat, sicut mutuò pater filium; vnde simul producunt & spirant amorem, qui est Spiritussanctus, amor personalis, qui procedit ab vtroque simul vt ab vno principio, & quo nũc & semper Deus semetipsum amat, creaturas suas amat, vultque amari ab illis; vnde dixit: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Optimè igni comparatur Spiritussanctus qui ex amore & feruore procedit: vnde adhuc in productione caloris ex igne, vel ex Sole potest conuenienter intelligi mysteriũ Trinitatis. In igne est splẽdor & calor. Similiter Sol lumen producit & feruorem; sed quomodo ex Sole producitur calor? vtiq; ex lumine reflexo. Sic Spiritussanctus qui amor est, procedit ex patris & filij amore mutuo. Hinc ignis consumens dicitur Deus noster, ignis quo etiam Seraphim ardent in amore, scilicet, igne Deo; ignis qui etiam in terram missus est, vt ardeat.

Processio Spiritussancti à patre & filio.

Ioh. 14. & 15.

Matth. 10.

Gal. 4.

Exemplum processionis Spiritussancti à patre filioque.

Mysterium explicatur Trinitatis.

Aliud exemplum.

Deut. 4.

Notandum enim est quod duplex est quodammodo processio Spiritussancti: vna æterna, qua à patre, filioque procedit; altera temporalis, qua ab vtroque tempore accepto ad sanctificationem animæ mittitur. *Misit Deus,* inquit Apostolus, *Spiritum filij sui in corda nostra.* Ita vt sicut Dei filius in medio terræ operatus est salutem nostram: sic ipse in medio cordis nostri quotidie operetur sanctificationem nostram; missusque ad nos tunc propriè dicatur, quando actu tangit, immutat, suisque muneribus ditat corda nostra, quia tunc quidem longè aliter præsens est quàm antè, qui gratia & operatione amoris præsens est, & cum quo etiam eadem veritate, inhabitatione & gratia pater & filius intimè

Duplex processio Spiritussancti.

Gal. 4.

intimè sunt præsentes. Sic enim dicit Christus: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; veniemus, scilicet, Pater, Spiritussanctus, & ego, nó vtique passibus corporis, sed donis, non eundo de loco ad locum, sed subueniendo, illuminando, implendo, & exhibendo nos aliter nunc præsentes ad vtilitatem eius, quàm priùs, quod est accedere, seu ad aliquem venire. Et mansionem apud eum faciemus, more quidem amicorum aduentantium, eligentiumque manere apud eum quem diligunt, vt longo tempore fruantur eo quem multum amant, iuxta illud Prouerbiorum; *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.*

Ioh.14. Prou.8.

De nominibus, proprietatibus & effectibus Spiritussancti.

In Spiritum sanctum.

Catechesis XXVI.

CVm voluisset aliquando Christus de plenitudine gratiæ ac Spiritus, quem accepturi erant credentes in eum, aliquid dicere, diem magnum festiuitatis Iudæorum elegit, quo conuenerant omnes Ierusalem, & ipse ascendit in Templum, vt palam atque manifestè cunctis eructaret abscondita cordis, vt notat Euangelista; In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat IESVS, & clamabat dicens: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, scilicet in Ioële, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia IESVS nondum erat glorificatus. Vbi satis constat hunc Christi sermonem esse de Spiritu sancto dando per ipsum, atque in ipsum credentibus, iuxta verba Prophetæ; Effundam Spiritum meum, (adinstar fluminis) super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri. Effundam, dicit, nondum enim erat datus, quia IESVS nondum erat glorificatus.

Ioh.7. Ioël.2.

Optima illa animaduersio est verborum Christi & ratio, non fuisse datum Spiritum sanctum, nec etiam venturum, nisi post glorificationem ipsius, & recessum ad Patrem. Primò, quia ille Spiritus sanctus mundo dandus non erat nisi per merita ipsius Christi: morte enim sua & passione nobis tale donum acquisiuit.

Quare Spiritussanctus, nisi post glorificationem Christi, mūdo nō est datus.

Secundò, quia Christo succedere debebat in officium consolatoris & Doctoris. Consolatoris id facientis inuisibiliter in Apostolos, atque in omnem Ecclesiam, quod visibiliter Christus: vnde & Paraclitus, id est, consolator est appellatus, sicut ipse dixit eis: Si diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. Et nunc vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, quò vobis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos. Item Doctoris & magistri, docētis in cordibus nostris eadem quæ ipse Christus ore prædicauit, sicut ipse demum dixit discipulis suis: Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paraclitus autem Spiritussanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. & rursus: Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

Spiritussanctus consolator. Iohan.14.& 16. *Spiritussanctus Doctor.* Iohan.14.& 16.

Tertiò, quia ipse est qui testimonium mundo debet perhibere de Christo, scilicet dare vnicuique interius testimonium, quis sit Christus; & facere vt Apostoli prædicarent ipsum per vniuersum mundum omni creaturæ; sic enim ipsemet Dominus ait: Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à patre, Spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Sicut in alio loco dicit; Dabitur vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

Spiritussanctus testimoniū perhibet de Christo. Ioh.15. Matth.10.

Quartò, quia ad eum spectat, exquo Christus venit, iam mundum arguere de peccato, de iustitia, & de iudicio, sicut denuò ait: Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me: de iustitia, quia vado ad patrem, & iam non videbitis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi eiicietur foras.

Spiritussanctus mūdum arguit. Ioh.16.

Quintò denique, quia Christus Spiritui sancto reliquit implendum opus nostræ salutis & iustificationis. Ipse est enim qui dicitur Spiritus sanctificationis & vitæ, & qui testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei, id est, qui ideo venit, vt vniret se spiritui nostro, & quæ Dei sunt, filiosque adoptionis decent & gratiæ, operaretur in nobis. Hæc enim sunt quæ testimonium reddunt nos per Christum adoptari in filios Dei, si acti & moti eius Spiritu, tantùm ea quæ Dei sunt percipiamus. O admirabile donum!

Spiritussanctus implet & perficit opus nostræ iustificationis.

Verùm quo pacto tanti doni virtus amplius à nobis inquiri & agnosci potest? Res diuinæ sicut in se existunt, minimè intellectu creato comprehendi possunt, omnibusque Dei natura semper incognita manet; & si aliqua via & ratio cognitionis superstit, fortassis in varietate nominum, proprietatum, & effectuum esse poterit. Spiritus est Deus, & in spiritu vult adorari, id est, in fide & veritate, & non comprehensione; adoratio Deo conuenit, non humanæ cognitionis elatio. Talis autem est Spiritussanctus, qui Deus est, vnde & mente inattingibilis, sicut sermone est ineffabilis. Quod igitur de eo nosse & loqui possumus, hoc tantùm est per quamdam nominum, proprietatum, & effectuum appropriationem & similitudinem.

Deus incomprehensibilis manet, & similiter Spiritussanctus.

Itaque primò ex variis nominibus quis sit agnoscemus; multa enim sortitur in Scripturis sacris, quorum proprium & magis essentiale est illud ipsum, nempe, Spiritussanctus; eo quod certè talis est in veritate, scilicet, & Spiritus, & sanctus: præterquàm quod adhuc tales quos inhabitat efficit, sanctos, atque spirituales. Ita vt quicunque regenerantur per ipsum, similes sibi suis inspirationibus reddat, vt etiam Spiritus dici possint, dicente Christo: *Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.* Notate similitudinem. Caro es, quia ex carne nasceris: ita dico ex verbis Christi, si ex Spiritu sancto nasceris, non solùm spiritualis, sed etiam quodammodo Spiritussanctus diceris.

Spiritussanctus agnoscitur primò quis sit ex variis nominibus. Ioh.3. *Qui regenerantur ex Spiritu sancto, similes ei fiunt & dicuntur.*

Præter hoc commune nomen, etiam, vt retulimus antè, dicitur Paraclitus, id est, consolator, & Spiritus veritatis. Quæ nomina ab effectibus vsurpat, iuxta quos promittebatur fidelibus. Quantum enim ad nomē Paracliti, illi apprimè est cōueniens, quia quos sua præsentia & gratia replet, etiā in veritate multa consolatione afficit. Primò, propter certitudinē remissionis peccatorum; nam Spiritus est qui viuificat. Secundò, adoptionis filiorum Dei;

Spiritussanctus dicitur consolator. Ioh.6.

Rom.8. nam iuxta Apost. Quicunque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater. Tertiò etiam propter certitudinem gloriæ cœlestis, vt idem Apostolus dicit: Credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. Ephes.1.

Dicitur Spiritus veritatis. Quantum ad nomen Spiritus veritatis, etiam illi conuenit, quia ipse est Spiritus, qui facit nos amare cœlestia & æterna, & terrena despicere, & sic vana & falsa à veris secernere. ***Qui secundum carnem sunt***, ait Apostolus, ***quæ carnis sunt sapiunt: qui verò secundum Spiritum sunt, quæ sunt Spiritus sentiunt.*** Rom.8. Iam intelligite omnes, quia ipse est consolationis & veritatis Spiritus. Ita in habitatione sua nullum consolatione & veritate replebit, nisi priùs vacuum ab omni consolatione terrena, & vanitate inuenerit. Delicata est diuina consolatio, nec datur admittentibus alienam: verum falso compati aut cohabitare non potest. Ad solum Dei Spiritum spectat animam veritate sua consolari; vnde aliud nomen ei superadditur, quod est spiritualis vnctio. *Dicitur spiritualis vnctio.* Est enim Spiritus Dei sicut oleum, cuius est lenire, & illuminare; propterea ergo Paraclitus dictus est, & Spiritus veritatis, iuxta quod fructus eius sunt, gaudium animi, & vbique lumen veritatis. Quæ duo hoc vnicum nomen comprehendit, scilicet, vnctio spiritualis.

Dicitur donum Dei. Sed adhuc aliud nomen inuenio in Euangelio, videlicet, donum Dei, sicut Christus quondam Samaritanæ dicebat: ***Si scires donum Dei***, id est, authorem omnis gratiæ, & fontem aquarum viuentium Spiritum sanctum. Ioh.4. Sic enim exinde tali modo loquendi vtitur Ecclesia, cùm in hymno quem canit de Spiritu sancto, dicit: Qui Paraclitus diceris, donum Dei altissimi, fons viuus: fons vtique viuus, quia vitam in se habet, qua simul cum patre & filio viuit, sicque ipsa diuina vita est. Deinde quia omnis vitæ author est, & viuificans animas quæ peccato mortuæ erant. Denique verè fons à quo gratiæ emanant, & omnia dona Spiritus. *Quãtum donum sit Spiritussanctus.* Verè donum est, quo omnia donantur, Spiritussanctus. Donum est filij, & omnium maximum donorum quæ facta sunt nobis; donum filij par & æquale cum dono patris, quia vtrumque Deus est. Donum patris filius est, & donum filij Spiritussanctus est; filius Deus est, & Deus Spiritussanctus. Ioh.3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret; & sic filius dilexit mundum, vt Spiritum sanctum suum à se sicut à patre procedentem daret. Vnicuique nostrûm, inquit Apostolus, data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Ephes.4. Propter quod dicit, scilicet Scriptura; Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Psal.67. Quæ dona? Ipsum Spiritum sanctum quem misit, qui & donum eius est. Intelligite obsecro, pro humanitatis nostræ dono de terra assumptæ in cœlum, ecce donum de cœlo factum terræ; filius Dei pro nostra carne, nobis Spiritum suum retribuit. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Hinc adhuc aliud ei nomen imponitur, scilicet, Amor Dei, *Dicitur Amor Dei.* & non tantùm quia in Diuinitate eius processio à patre & filio amor est, nexusque vtriusque: sed etiam quia eius missio ad nos amor est, nobisque per ipsum omnia donata sunt. Qui dat suum amorem alteri, etiam omnia censetur tribuere illi. Sic igitur Deus dono amoris sui nobis simul omnia donauit. O admirabile donum!

Proprietates Spiritussancti. Veniamus iam ad proprietates. Prima est, quod statim atque in animam venit, purgat illam à peccatis; vbi enim est gratia, ibi peccatum esse non potest: dies noctem fugat, & gratia peccatum penitus exterminat. 1. Secunda, à seruitute peccati & concupiscentiæ liberat; Lex Spiritus vitæ liberauit me à lege peccati. 2. Ita vt ad bonum amplectendum multum libera remaneat. Sicut enim magna libertate agit Spiritussanctus, non vi, non respectu, aut obligatione vlla creaturæ, sed vbi vult spirat; ita hanc libertatem iis inspirat quos possidet, qua postea non coactè, sed facilè & semper inclinantur ad bonum. Tertia est, quod sibi animam subiiciens etiam imprimit illi efficaciam operandi. 3. Est enim multum efficax gratia & operatio Spiritussancti, cui ianua nulla clausa est, nullusque resistere potest; qui tale in intellectu lumen, & talem in voluntate affectionem imprimit quam vult, quia est Dominus absolutus; facitque etiam vt consentiamus, dicamusque cum Saulo, Domine quid me vis facere? Vnde iam dico talem facilè agnosci animam posse quam Spiritus Dei inhabitat: illa enim omnes difficultates superat, & potenter facit quidquid ad Dei obsequium spectat. Ideo legitur in Actis, ad modum & formam descendisse Spiritus vehementis. Act.2. Primò, Spiritus, vt ex eo innotescat, ipsum esse qui primo homini inspirauit spiraculum vitæ; nunc autem ei inspirare gratiam. Secundò, vehementis, vt etiam innotescat inde, nullam esse potentiam creatam quæ ei possit resistere. Non ei restitit Paulus, non Matthæus, non Magdalena, non Augustinus. Ac denique per ipsum Spiritum vim dari homini, qua etiam cum violentia cœlos rapere possit. Quarta & vltima proprietas est, quod perfectè mentem illustrans, sancteque voluntatem accendens, totum hominem eleuet ad Deum, 4. ita vt nihil cogitare & quærere possit nisi Deum, dicens continuò cum Propheta; ***Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.*** Psal.76.

Ecce in nobis diuinæ virtutes & proprietates Spiritussancti. Iuxta quas etiam discipulis olim apparuit in figura ignis, cuius est consumere & inflammare omnia; vt illa innotesceret proprietas Spiritussancti, cuius est & consumere peccata, & animam accendere in amorem Dei. Vnde & tales consequuntur effectus.

Effectus Spiritussancti. Primus est, quod per inhabitationem suam diuinæ nos efficit consortes naturæ, 1. vt Sanctus Petrus ait quod Deus per Christum maxima & pretiosa nobis promissa donauit; vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ. 2.Petr.1. Promissa patris, & data per Christum, dona sunt Spiritussancti: imò ipsemet Spiritussanctus cum omnibus donis suis, per quem verè consortes efficimur diuinæ naturæ, scilicet tam ob intimam, per illum & eius gratiam, præsentiam Dei in nobis, quàm ob diuinarum eius qualitatum, perfectionumque participationem & veritatem, quibus intimè ei & soli adhæremus.

Secundus est mentis iucunditas, & perfectissimæ pacis possessio: 2. vbi enim adest plenitudo Spiritus, huiusque fluminis impetus lætificat animam ciuitatem Dei, statim extinguitur omnis cupiditas carnis, omnis concupiscentia oculorum, tollitur & omnis superbia vitæ. Qui biberit de fluuio paradisi, ait S. August. restat vt in eo extincta sit sitis huius mundi. Hinc Christus statim atque de Spiritu

Joh. 14. Spiritu sancto suo loquutus est discipulis, promittens se daturum illis, dicit: Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat. Quare? quia, inquit, Paraclitum dabo vobis, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.

ARTICVLVS NONVS.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.

De veritate & statu Ecclesiæ IESV *Christi.*

CATECHESIS XXVII.

FIDELIS Sponsa IESV Christi Ecclesia, omnium à Deo facta & constituta est mysteriorum fidei iudex & magistra. Vnde statim post articulos ad Deum pertinentes, positus est qui spectat ad columnam omnis veritatis, quæ est Ecclesia, cui omnium mysteriorum Christi dispensatio commissa est. Sicut enim vnus author est omnis gratiæ & salutis nostræ Deus: ita vna Ecclesia est, in qua & sola omnem veritatem docet, operatur gratiam, & salutem; in qua est authoritas docendi, & de rebus fidei iudicandi, & extra quam tandem donorum Dei nulli fit communicatio ad salutem. Quapropter quicunque omnia fidei nostræ mysteria profiteretur tenere & credere; vnitatem verò Ecclesiæ non agnosceret, nec crederet, in eaque non esset, nihil ei prodesset. Est enim illa domus, familia & congregatio sancta, quam sibi Deus ab æterno elegit, & desponsauit in fide, sine ruga & macula, pro qua tradidit semetipsum, & cui etiam soli omnia dedit quæ ipsius sunt.

Authoritas & dignitas Ecclesiæ.

Quare hic ante omnia, illam vt immaculatam & legitimam sponsam IESV Christi ab infideli & extranea separamus, quæ hæreticorum est, de qua sic in Psal. *Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo.* Vna est enim Columba mea, dicit Spiritussanctus per Salomonem in persona Christi, vna perfecta mea. Sic designauit Ecclesiam suam Christus. Vna est sponsa eius & virgo. Sic designauit eam Apostolus dicens: Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Hæc virgo casta, Christoque desponsata in congregatione omnium credentium, Ecclesia est. Iam verò multis est insignita nominibus in Scripturis sacris; dicitur enim in Euangelio grex ouium Christi, cuius ipse est ostium, ostiarius & pastor, sicut dicit: Ego cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur. Apostolus corpus Christi vocat, cuius ipse est caput, cùm dicit quod Deus ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius. Et alibi domum Dei vocat, scribens discipulo quomodo oporteat ipsum in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Denique eam vocat S. Aug. populum fidelem per vniuersum orbem dispersum. Neque enim propriè Ecclesia locus est vbi congregatio fit, sed ipsamet congregatio est fidelium. Quare distinctiùs atque vniuersaliùs sic potest definiri Ecclesia, videlicet, congregatio hominum, id est, fidelium consentientium in eamdem fidei

Psal. 25. Cant. 6. 2. Cor. 11. Ecclesiæ variæ nomina. Ioh. 10. Ephes. 1. 1. Tim. 3. S. August. in Ps. 149. Distincta & ampla definitio Ecclesiæ.

A & Euangelij doctrinam, in eumdem Sacramentorum vsum ac ritum, iuxta Sanctorum Patrum consonantiam, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipuè vnius in terris Vicarij IESV Christi, Romani Pontificis.

Sed imprimis sciendum, Ecclesiam duobus modis accipi & considerari. Primò, pro ea quæ in cœlo est, & dicitur triumphans, & est ille cœtus felicissimus Sanctorum, omniumque beatorum spirituum atque Angelorum, quibus suam Deus Diuinitatem exhibet contemplandam, suam humanitatem Christus. Denique illa Sanctorum congregatio qui de mundo, carne, diabolo & peccato triumpharunt, iuxta illud ad Heb. Sancti per fidem B vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, & sic ab omnibus vitæ huius liberi perfruuntur requie æternæ beatitudinis, & diuinis pascunt se laudibus, vt in Psalmo legitur: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

Duobus modis Ecclesia accipitur. Triumphans in cœlo.

Secundò, pro ea accipitur quæ dicitur militans in terra. Quomodo nunc definiuimus cœtum hominum eiusdem Christianæ fidei professione, & eorumdem Sacramentorum communione, sub legitimorum pastorum, vniusque summi Vicarij IESV Christi regimine congregatorum, & in terra perpetuò cum illis immanissimis hostibus, mundo, carne, & Satana militantium. De hac igitur C sanctissima fidelium societate maximè hic sermo est, quam Christus venies in mundum post lapsum hominis, ex vniuerso orbe, ex omni sexu, ætate, & gente euocauit, sicut in Euangelio legitur: *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Neque enim in ea sunt nisi qui à Christo sunt vocati, & eum credentes receperunt.

Militans in terra. Ioh. 1.

Iuxta illam verò definitionem quæ data est, satis apparet quanta fuerint priuilegia quæ Christus Ecclesiæ suæ contulit. Primum enim est, in ea tantùm veram esse notitiam Dei & rerum diuinarum, veram fidem, & sinceram doctrinam, eamque solam directore Spiritu sancto in veritate permanere, quæ columna est & firmamentum veritatis, in D qua & sola est sincera verbi Dei interpretatio, integra explicatio Scripturæ & diuinæ voluntatis. Secundum est, in sola Ecclesia esse verum Dei cultum, sinceram Sacramentorum administrationem, cæremoniasque sanctas. Tertium est, Christum in ea reposuisse suorum laborum & mortis merita, in ea tanquam in Templo suo residere, vbi delicias putat esse cum filiis hominum: in ea sola recipi remissionem peccatorum, gratiam Dei, iustificationem, & sanctificationem; homines denique præmium mereri bonorum operum, ac frui communione Sanctorum.

Priuilegia à Christo collata Ecclesiæ.

Sed rursus tria adhuc de Ecclesia notanda supersunt. Primum est, contra hæreticos visibilem E esse. Primò, quia extenditur per vniuersum orbem. Secundò, quia prodit & manifestat se satis in actionibus suis. Tertiò adhuc in personis atq; pastoribus, in gubernatione & successione ipsorum, in Sacramentorum administratione & prædicatione diuini verbi. Vnde in Euangelio comparatur à Christo vrbi supra montem positæ. Quod satis Caluinum conuincit, qui Ecclesiam inuisibilem facit, & non nisi duas tantùm notas Ecclesiæ admittit, scilicet, Sacramentorum administrationem, & prædicationem verbi Dei. Iam enim ego quærerem ab eo, an ministerium

Tria notãda. 1. Ecclesiam esse visibilẽ. Matth. 5. Caluinus cõuincitur.

verbi Dei & prædicatio inuisibilibus fiat? aut inuisibilia possint subesse regimini? & qui se inuicem cognoscunt sint inuisibiles? aut ciuitas supra montem posita maneat in occulto? Et quidem satis constat quod Christus cum suis Apostolis & discipulis componebat mysticum Ecclesiæ corpus, qui omnes visibiles erant. Neque dicant, fides est inuisibilis, ergo Ecclesia est inuisibilis. Absurda enim illa conclusio est, sicuti esset ista: Anima est inuisibilis, ergo homo est inuisibilis; inepta consequentia.

Similitudo.

Satis igitur de visibilitate Ecclesiæ constat, quæ hominum cœtus est eiusdem fidei Christianæ professione, & eorumdem Sacramentorum communione colligatus sub regimine suorum legitimorum pastorum, & vnius præsertim in terris Christi Vicarij, Romani Pontificis. Romani dixi Pontificis, videlicet Sancti Petri successoris; nam ipse est qui à Christo vniuersæ Ecclesiæ caput est constitutus in multis Scripturæ locis. Primò, Matth. 16. vbi Christus amplissimis verbis eam illi authoritatem promisit, iuxta confessionem eius; *Tu es Christus filius Dei viui*, dicens ei; *Beatus es, & ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum.* &c.

Primaria S. Petri in Ecclesia authoritas.

Matth. 16.

Secundò, Luc. 22. vbi contentione orta inter discipulos, quis eorum videretur esse maior, Christus primùm redarguit eorum ambitionem, vtpote sæcularium Principum potestati ferè similem: suoque exemplo proposito statim modum humilitatis præscribens dicit eis; Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic: sed qui maior est in vobis fiat sicut minor. Non dicit, fiat minor, aut nullus imperabit inter vos, & fiet maior, sed, qui maior est, fiat sicut minor, id est, in mansuetudine & absque superbia imperet, modum in authoritate requirens, & non authoritatem remouens. Vnde statim ostendens cuinam eorum illa primaria authoritas conferretur, scilicet Petro, ait illi: *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*

Luc. 22.

Tertiò, Ioh. 21. vbi Christus Dominus ascensurus in cœlum, vicarium amoris sui erga gregem omnibus Apostolis Petrum antetulit, eique summam authoritatem regendi suam Ecclesiam toties antè promissam attribuit, dicendo ter, *Petre amas me?* &c. *pasce oues meas*, &c. Timor negauit pastorem, amor constituit pastorem, reddita est negationi trinæ trina confessio, ait Sanctus Augustinus, ne minus amori lingua seruiret quàm timori.

Ioh. 21.

S. Aug. tract. 123. in Ioh.

Quartò denique probatur primatus Sancti Petri ex omnibus ab eo gestis. Ipse enim est, vt legitur in Actis, qui post Ascensionem Christi, publicè ad multitudinem ex omni natione congregatam primus concionem habuit. Ipse qui primus omnium in curatione claudi fidem confirmando fulciuit. Ipse qui præ cæteris authoritate vsus est ad condemnationem Ananiæ & Saphiræ vxoris, primumque omnium hæreticorum Simonem Magum ex Ecclesia eiecit; aliaque multa fecit in signum pontificij.

Act. 2. 3. & 5.

Secundum, quod demum de Ecclesia notandum occurrit aduersus hæreticos, est, in ea non solùm prædestinatos & iustos contineri, sed etiam peccatores, modò fidem habeant, vt in multis parabolis constat; sagenæ missæ in mare, & ex omni piscium genere congregantis. Item agri in quo zizania superseminantur. Item areæ in qua frumentum est cum paleis. Sicut similiter Arcæ Noë, quæ non solùm munda animalia, sed etiam immunda complectebatur.

2. Quod de Ecclesia est notandum.

Matth. 13.

Gen. 7.

Tertium denique est, tria hominum genera excludi ab Ecclesia, cuiusmodi sunt infideles qui numquam in Ecclesia fuerunt, hæretici & schismatici, qui sunt transfugæ, & per se ab Ecclesia desciuerunt; vnde in eos adhuc potestatem habet Ecclesia, vt puniat, & anathemate percutiat & condemnet. Denique excommunicati omnes, qui ipsius Ecclesiæ sententia & iudicio ab ea excluduntur & omni communione, donec resipiscant. Quibus ideo, & omnibus extra Ecclesiam positis, nulla est salus; sicut nec illis, qui licet in Ecclesia sint, fidem tamen suam operibus bonis non comprobant. Vt sit secura salus, oportet & in Ecclesia esse, & fidem operibus comprobare. Sic enim de Ecclesia militanti ad triumphantem transitur.

3. Notandum. Tria hominũ genera excluduntur ab Ecclesia.

De proprietatibus & notis Ecclesiæ.

Sanctam Ecclesiam.

CATECHESIS XXVIII.

OPERÆPRETIVM est demonstrare aduersus hæreticos quæ sit vera Ecclesia, sponsa Christi, & illius notas dare, illis inquam obcæcatis mentibus ciuitatem Dei supra montem positam ostendere; aduertant modò, ecce enim quatuor notæ. Prima est, vnam esse Ecclesiam quæ indiuisa à se est. Quæ enim incepit Ecclesia in Abel, eadem in hæc vsque tempora manet, manebitque in æternum, numquam desiit, & numquam in aliam Ecclesiam transiit; siquidem credentium vniuersitas quæ fuit ante legem, & sub lege, tam Dei Ecclesia erat, quàm ea quæ nunc est & militat sub Euangelio Christi, etiamque triumphat in cœlis: vnáque prorsus & eadem est Ecclesia. Sicut enim vnus & idem est homo, qui aliquando erat infantulus, deinde puer, nunc vir, est enim idem filius & hæres patris: eodem modo de Ecclesia dico, quæ, à tempore Adæ vsque in hæc tempora, vna & eadem est, licet ratio cultus & Sacramentorum fuerit diuersa, quia vna semper fuit fides. Vnde sicut homo non est alius à se propter diuersas ætatum qualitates, aut incrementa membrorum; nec alia arbor, quod in ea noui prodeant rami, veteribus resectis: sic nec potest nunc dici alia Ecclesia eam ob rem quod nunc sit alius status eius, alia lex, & alia Sacramenta, quàm olim ante IESV Christi aduentum; atque etiam quod nemo nunc viuat in ea Prophetarum succedentibus Apostolis, iuxta illud Psal. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Neque enim consideranda est vnitas Ecclesiæ secundum locum & tempus, sed ex vnitate fidei est sumenda, & gubernatione eiusdem Spiritussancti, sicut Apostolus dicit, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus & idẽ Spiritus diuidens singulis, &c. Sicut enim humanum corpus, multis constans membris, vnum quid dicitur, eo quod omnia & singula ab vna eademque anima viuificantur, eadem siquidem anima visum dat oculis, & auditum auribus. Ita dico de mystico Christi corpore, quod est Ecclesia, quæ multis

Vnitas Ecclesiæ.

Exemplum.

Vnde sumenda est vnitas Ecclesiæ.

Ephes. 4.

Gal. 3.

multis constans partibus ab vno Spiritu regitur, A sicut Apostolus dicit; *solliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis*: vnum Deum, eumdemque mediatorem Dei & hominum IESVM Christum profitetur, vt iterum Apostolus dicit; *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Rationes autem huius vnitatis nunc distinctè videamus.

Multiplex ratio cur Ecclesia dicatur vna.

Prima est vniuersus consensus omnium fidelium, qui per totum orbem sunt dispersi, in eamdem prorsus fidei, Euangelij, ac Sacramentorum doctrinam & regulam. Quod apud hæreticos minimè vnquam inueniri potest, inter quos nihil est præter diuisionem. Quot capita, tot sententiæ inter eos. Testis sit vniuersa Germania, vbi B tot hæreses, quot sunt prouinciæ, quot ciuitates, quot pagi. Ibi enim subditi dominorum suorum credulitatem sequuntur, vbi adhuc singulis annis nouitatum amatores diuersas religiones amplectuntur, tanta est in illis earum confusio. Vnde quidam olim Princeps Catholicus regionum illarum nomine Georgius dux Saxoniæ, dicere solebat; Scio equidem nunc quid hoc præsenti anno credunt vicini mei, sed quid credent sequenti, nescio, ignoro. Ecce extra Ecclesiam confusio & diuisio. Propterea venerabilis Beda scribens de duabus ciuitatibus, Babylone & Hierusalem, ait hæresim esse Babylonem, in qua vnitas linguarum diuisa est C superbiæ spiritu & mente confusa: Ecclesiam verò esse Hierusalem, in qua varietas linguarum Spiritussancti gratia est vnita. Hinc est quod Babylon confusio dicitur; Hierusalem verò visio pacis, quia in omnibus qui in Ecclesia sunt, & Dei notitiam habent, vna est fides, & eadem pietas vbique terrarum.

Diuersitas & confusio religionis inter hæreticos.

Beda in cap. 5. Marci.

Hæresis Babyloni comparatur.

Ecclesia Hierusalem.

Hic adhuc ratio & causa cur hæresis non stat, dicente Christo: Omne regnum in se diuisum desolabitur, sicut Babylon desolata facta est; & in Osee legitur, *diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Sicut è contra dicendum de Ecclesia, quia vna est, stabit in æternum, quomodo semper firma & sancta permansit, quæ est columna & D firmamentum veritatis. Sic Petro promiserat Christus, in cuius etiam nauim ascendens, turbas docuit, procellis imperauit, piscationem & miracula fecit. Huius etiam mysterij Arca Noë figura erat, quæ tuta à naufragio sola erat, & extra quam nulla erat salus, vt appareat exinde vnam tantùm esse Ecclesiam in qua est salus, in qua sedet, docet, attrahit, & facit miracula Christus.

Osee 10.

Matth. 16.

Luc. 5.

2 Ratio. Vnitas capitis & supremi rectoris.

Secunda ratio. Ecclesia vna dicitur, quia in ea vnus est rector supremus & summus pastor, quem Papam dicimus, qui Petri est successor, cui Christus olim & inferiores & superiores, agnos & oues, gubernandi prouinciam dedit, atque etiam E confirmandi fratres. Sed quando istud compleuit, est notandum; eo vtique tempore quo ipsum expediebat ad patrem redire, & sua visibili præsentia priuare Ecclesiam. Vnde sicut ipse vnicus erat sponsus, & supremus pastor Ecclesiæ, sic post se Petrum reliquit suæ potestatis & amoris erga illam supremum vicarium, qui est, sicut hodie eius successor, caput visibile Ecclesiæ. Vnde Sanctus Hieronymus contra Iouinianum. Vnus, inquit, eligitur, vt capite constituto tollatur schismatis occasio. & ad Damasum Papam. Cum successore piscatoris & discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, (notate hanc formam loquendi) id est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est; si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Ita Sanctus Augustinus. Firmiter tenemus, & minimè dubitamus, omnem hæreticum, licet omnia pietatis & charitatis opera exerceat, periturum, cremandum ignibus sempiternis. Quare? quia vna tantùm Ecclesia est, vna Arca, extra quam nulla est salus.

S. Hieron. contra Iouin. & ad Damasum.

S. Aug. lib. de fide ad Petr.

3 Ratio. Vnio membrorum inter se cum capite.

Tertia ratio cur demum vna dicitur Ecclesia, est, quia vnitas eius non solùm est in capite, sed etiam in vnione & consensione membrorum inter se sub illo & eodem capite, vnde totum corpus efficitur, quod vnum est & perfectum, ouile vnum, & vnus pastor. Quod autem sit illa vnio præcipua membrorum inter se, & cum capite, probat S. Cyprianus, qui sic Ecclesiam definit, scilicet, plebem Sacerdoti adunatam, & gregem pastori suo adhærentem. Adhæreamus igitur mente, fide ac professione pastori nostro, ac Pontifici maximo, & communione adunemur ei tamquam membra supremo capiti, alioquin necesse est vt putescat membrum à capite seiunctum.

S. Cypr. lib. 4. epist. 9.

2. Nota Ecclesiæ. Sanctum dicitur quatuor modis.

Secunda nota & proprietas Ecclesiæ est sanctitas. Sanctum dicitur quatuor modis. Primò, consecratum à Deo: secundò, à sanctitate inhærente: tertiò, ratione doctrinæ: quartò, à firmitate. Et his omnibus modis, aliisque multis Ecclesia sancta dicitur. Sic princeps Ecclesiæ Beatus Petrus aiebat; vos genus electum, plebs sancta. Primò igitur appellatur sancta, quia à Christo suo capite & sponso sanctificatur, quam & in sanguine suo emundauit, sicut dicit Apostolus: *Christus tradidit semetipsum pro Ecclesia, vt illam sanctificaret.* Secundò, quia gubernatur à Spiritu sancto. Tertiò, quia lex & doctrina quæ in ea traditur sancta est, sicut ait Psaltes; *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Quartò, quia in ea sola obtineri potest sanctitas; licet enim multos complectatur peccatores, omnes tamen vocat per remissionem peccatorum, & Sacramentorum vsum ad gratiam sanctitatis. Præterquàm quod quamplurimos in se facit & continet iustos & Sanctos, & nulli, nisi sint in Ecclesia, inueniuntur Sancti.

1.

Ephes. 5.

2.

3.

4.

Producant, quæso, hæretici Sanctos suos, sicut producimus nostros. Nostros ab Abel, ab Abraham, producimus, à Christo Sancto sanctorum, à Petro primo & supremo Ecclesiæ pastore. Vbinam Augustinus, Hieronymus, & tot alij sanctitatem suam adepti sunt? nonne in Ecclesia? & nonne adhuc hodie & quotidie multos profert & illustrissimos? Ante triginta annos Mediolani viuebat sanctissimus ille Antistes & Cardinalis Carolus Borromæus, ante paucos annos in catalogum Sanctorum à Paulo V. Pontifice summo relatus. Ante duodecim annos Valentiæ in Hispania etiam Deus quemdam sanctissimum Sacerdotem, nomine Franciscum Hieronymum, illustrem reddidit miraculis. Satis nota est omnibus huius historiæ veritas. Ecce Ecclesiæ sanctitas.

Hodie adhuc Ecclesia producit exempla sanctitatis.

Quintò deniq; vocatur sancta, eo quod firma est, & super petrā firmiter fundata. Sic enim Latini sanctum appellant & interpretantur quod firmū est, scilicet à verbo *sancire*, quod idē est atq; stabilire & 5.

decernere. Ideoque dicitur Ecclesia sancta, quia A nihil firmius, nihil solidius, nihilque ea inuiolabilius est. *Et portæ Inferi*, ait Christus, *non præualebunt aduersus eam*. Propterea que S. Chrysostomus dicit eam firmiorem esse terra & cœlo, vbi radices suas habet, & sic pariter facilius esse, Solem obtenebrari, quàm Ecclesiam obscurari. Illa est cœlestis & admirabilis terra, quam Deus ab initio fundauit, & de qua sic loquutus est Psaltes: Domine Deus meus magnificatus es vehementer, qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi, (regnum istud omnium sæculorum.) Denique illud Dei castrum, illa fortissima turris, de qua sic in Cant. Terribilis vt castrorum acies ordinata; terribilis Inferno, terribilis diabolo, terribilis potestatibus malignis & cunctis hæresibus. Acies ordinata, in qua nobis est dimicandum ad brauium & coronam immortalitatis, & vt de hac militanti Ecclesia perueniamus ad triumphantem in cœlis.

S. Chrysost. tom. 5.

Psal. 103.

Cant. 6.

CONTINVATIO.

De duabus alijs notis & proprietatibus Ecclesiæ.

Catholicam.

CATECHESIS XXIX.

NOTÆ & proprietates Ecclesiæ veritatem eius ostendunt, sicut radij Solis eius præsentiam; lumina sunt & splendores, quibus vndique & ab omnibus, maximè autem cæcis huius sæculi clarè videri & agnosci potest illa Dei supra montem constituta ciuitas. Quare duas adhuc posteriores quæ supersunt, prioribus adiungemus. Prima igitur, seu tertia ordine nota Ecclesiæ est, quod dicitur Catholica. Sub quo nomine S. August. vniuersalem vocat, quia à Solis ortu, inquit, vsque ad occasum, id est, per vniuersum orbem vnius fidei splendore diffunditur, quod minimè de vlla hæresi dici potest, quæ tanquam concubina tantùm in quibusdam prouinciarum angulis sedere solet, sicut S. August. loquitur. Audite, ait, hæretici quod scriptum est: Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes. Omnes gentes, totus mundus est, ait lib. 4. de Symbol. Ecclesia totum possidet quod à viro accepit in dote. Quæcunque congregatio cuiuslibet hæresis in angulo sedet, concubina est, non matrona. Ecce differentia inter Ecclesiam, & hæresim. Ecclesia quæ mater est, vbique terrarum est, & non definita limitibus, sicut hæresis, quæ vt concubina sedet in angulis, in aliisque terræ partibus aut omnino non est, aut latet.

3. Nota seu proprietas Ecclesiæ.
S. Aug. Ser. 131. de tempore.

Luc. 24.

Lib. 4. de Symbol. cap. 10.

Dicitur autem Græcè Catholica Ecclesia, seu Latinè vniuersalis, quatuor de causis, eo quod nimirum extendat suos palmites ad omnia loca, omnia tempora, omnes nationes, & omnia hominum genera. Primò, ad omnia loca, iuxta quod ait Psaltes: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*; & ipse Christus mandauerat discipulis suis dicens: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*. Sic Apostolus scribens ad Rom. Primum, inquit, gratias ago Deo meo per IESVM Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo. Et hoc, quæso, aduersus hæreticos obseruetur pro Romana Ecclesia.

Quadruplici ratione Ecclesia dicitur Catholica, seu vniuersalis.
Psal. 18.

Marc. 16.
Rom. 1.

Secundò, ad omnia tempora. Certum est enim Adam, Abel, Enoch, Abraham, Loth, &c. fidem habuisse mediatoris; Moysem similiter, & omnes Prophetas: sicut etiam nos habemus, & habituri sunt fideles vsque in finem & consummationem sæculi, sicut Angelus Mariæ dixit; & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Et ipse Christus: Non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.

Luc. 1.
Matth. 25.

Tertiò, ad omnes gentes & nationes, iuxta illud Psal. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Illud Apocal. Redemisti nos Deo B in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione. Denique iuxta illud Apostoli Petri in Act. In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.

Apoc. 5.
Act. 10.

Quartò, ad omnia hominum genera, sicut Apostolus dicit: Omnis qui credit in illum non confundetur; non enim est distinctio Iudæi & Græci, nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. & alibi; Expoliantes vos veterem hominem, induite nouum, vbi non est Gentilis & Iudæus, circuncisio & præputium, barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia & in omnibus C Christus. Induite ergo vos sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, supportantes inuicem, &c.

Rom. 10.

Coloss. 3.

Ecce quomodo extendit se ad omnes & ad omnia vniuersalis & Catholica Ecclesia, & quæ ideo talis est, quia vbiq; & in omnib. quos amplectitur, eadem est fides, lex, doctrina, idemq; Sacramentorũ vsus & consonantia. Quare iam facillimũ est Catholicum ab hæretico aut schismatico secernere; vt si quis dicat quod fides sola sufficit, talis nõ est Catholicus. Quare hoc? quia Ecclesia vniuersalis docet, fidem mortuã esse absque operibus. Dicat alius æqualia esse opera, & non præferri virginitatem matrimonio; ille similiter non est Catholicus. Quare? quia Ecclesia non recipit huiusmodi do- D ctrinã, quæ ex Monacho hæretico processit, videlicet Iouiniano, vt refert S. Augustinus. Alter dicet Sanctos non esse inuocandos; & ille non est Catholicus, quia talem doctrinam non recipit Ecclesia, quæ ab Eustathio & Vigilantio refutatis à Sancto Hieronymo sumpsit originem. Aliquis etiam dicet esse tollendas imagines; & ille non est Catholicus. Quare? quia contrariatur Ecclesia eiusmodi doctrinæ, quæ authorem habuit Fœlicem. Niceno Concilio damnatum. Denique aliquis dicet Missam non esse sacrificium; item non esse Purgatorium, neque orandum pro defunctis; & ille minimè est Catholicus. Quare? quia Ecclesia damnat hanc doctrinam, quæ à Iouiniano oritur, E & ab aliis multis eiusdem farinæ hæreticis nostræ tempestatis. Contrà verò dicimus, hunc & solum esse Catholicum & fidelem, qui credit & tenet omnia, quæ vniuersalis docet Ecclesia.

Modus discernendi Catholicum ab hæretico aut schismatico.

Vltima denique & quarta ordine nota Ecclesiæ est, quod Apostolica sit, id est, ab Apostolis fundata, & ab iis deducta ad nos vsque; in qua eorum doctrina traditur, & est legitima successio pastorũ, atq; Antistitum. Cuiusmodi est Romana, in qua à Sãcto Petro omnium Apostolorum & Antistitum principe, & cui Dominus dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum*, inuenitur talis successio Sic enim

4. Et vltima nota & proprietas Ecclesiæ.

Matth. 16.

S. Iren. lib. 3. cap. 3. enim Sanctus Irenæus enumerat Episcopos Ecclesiæ Romanæ à S. Petro vsque ad Eleutherium, qui suo tempore sedebat, & dicit per hanc successionem confundi hæreticos. Sic Tertul. aduersus eos. Tertull. lib. de præscr. Edant origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit authorem & antecessorem. Hoc enim modo Romana Ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert. Hinc illud Sancti Augustini dictum egregium. S. Aug. contra ep. fundam. Tenet me in Ecclesia, ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum. Ecce vnde vera Ecclesia dignoscitur: extra enim legitimam Episcoporum & Sacerdotum successionem non est Christi Ecclesia, sed Synagoga Satanæ. Potissimáque ratio illa est cur veteres tanti fecerunt continuationem Episcoporum, vt nimirum veritatem Ecclesiæ ostenderent.

Quinam habentur veri & legitimi Episcopi. Item veri Christiani. Verùm est hic adhuc obseruandum, illos solos in Ecclesia veros & legitimos semper habitos Episcopos, qui ab Apostolis per legitimam successionem, & ordinationem descendisse ostenduntur. Omnes enim alij fures sunt & latrones. Itaque sicut in populo veteris Testamenti nulli erant de populo illo Dei, nisi qui à duodecim filiis Iacob, seu Israël descendebant: nulli item Sacerdotes, nisi qui descendebant à Leui per Aaron, vnde tunc idcirco diligentissimè conseruabatur genealogia. Ita dico, in populo noui Testamenti, scilicet Christiano, qui spirituali generatione multiplicatur in Ecclesia, nulli tales sunt, scilicet Christiani, nisi qui per Apostolos, vel eorum successores, aut etiam missos ab eis ad fidem sunt conuersi: & similiter nulli Episcopi, nisi qui eisdem legitimè succedunt, aut eis quos ipsi Apostoli Episcopos fecerunt, aut etiam nunc Apostolica authoritate Episcopi creati sunt. Hæc est Ecclesiæ integritas, hæc antiquitas, hæc nota, atque proprietas singularis, quod sit Apostolica, id est, ab Apostolis per legitimam successionem & ordinationem Sacerdotum & pastorum ortum recipiat & regimen. Huic ergo Ecclesiæ omnes adunemur, vt & in ea aliquando communionis Sanctorum participes reddamur.

ALTERA PARS ARTICVLI.

Sanctorum communionem.

De mutua societate & communione omnium qui sunt in Ecclesia, tam in cœlis quàm in terra.

CATECHESIS XXX.

Quomodo bonorū omnium in Ecclesia communicatio est. LOCVPLETISSIMA est fidelium societas, augustissimáque Sanctorum communio in Ecclesia, in qua Christus IESVS est caput. Hæc pars articuli, Sanctorum communio, mirum in modum explicat quid sit Ecclesia, & quod mutua sit omnium, qui in ea sunt communicatio, societas & vnio in eadem fide, doctrinæ conformitate, Sacramentorum vsu, in mutuis officiis, & participatione meritorum, orationum, satisfactionum, gaudij atque tristitiæ. *Similitudo.* Sicut enim inter corporis membra A mutuam fieri videmus omnium officiorum communicationem, quia etsi membra diuersa sint, vnū tamen corpus efficiunt, in quo singula proprio officio funguntur ad commodum & salutem totius: sic in Ecclesia, vbi licet varia sint hominum genera, quia tamen omnia baptismum receperunt, ideo vnum corpus fiunt, cuius caput est Christus. Vnde etiam fit, vt mutuam communicationem bonorum habeant, omniúmque opera in vtilitatem totius corporis redundent, vtpote quod ab vno eodémque Spiritu sancto animatur & regitur; ex quo pariter fit, vt quidquid gratiæ recipitur, & confertur, omnibus commune fit. Diuisiones gratiarum sunt, vnus autem & idem Spiritus diuidens singulis, B inquit Apostolus. Ecce quo pacto Ecclesia vnū est corpus, quia in ea vnus est Spiritus, qui regit eam: vnus omnium pater qui in ea sunt Deus: vnus omnium Redéptor, Iudex, & mediator Christus. Communis denique bonorum omnium & laborum vsus; sicut hodie in hac parte articuli Sanctorum communionem credimus.

Huius autem mysterij sicut diuersus est sensus, ita etiam diuersam explicationem patitur. *Sanctorum communio diuersimodè explicatur.* Itaque prima est quæ & litteralis videtur, ex Catechismo Concilij Tridentini, nimirum, vt hac communione Sanctorum intelligatur Sacramentorum communio, quorum vsus & fructus, sicut omnium aliarum rerum sanctarum ad vniuersos fideles pertinent, C quibus quidem, maximè autem Sacramentis, Christo coniungimur, & simul omnes eius gratiæ participes efficimur. 1. Explicatio.

Secunda est, quia vnum corpus est Ecclesia, de cuius etiam bono omnia membra participant, vnde accidit vt nobis prosint etiam absentibus preces aliorum & bona opera, sicut nostra illis. Singuli enim vt filij Ecclesiæ fructum & vtilitatem referunt, & non tantùm quæ in terra percipi potest, verùm etiam in cœlis, iuxta illud Psaltis: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* De eaq; cōmunione sancta etiam loquebatur S. Iohannes dum ait; *Societatem habemus ad inuicem.* D Hinc enim mutuis officiis & orationibus fideles sibi inuicem succurrunt, gratias agunt, altérque alterius portat onera: vnde & in plurali numero oramus dicentes; *Da nobis, dimitte nobis,* &c. Vnde sic & loquitur Paulus; *Alter alterius onera portate.* Vnde & in Euangelio sic loquitur Dominus: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* Ecce communio præmij. Similiter etiam videmus frequenter Deum peccata remittere aliorum, atque indulgere in gratiam bonorum. Moyses precatur, Elias pariter, sicut alij multi, & Deus placatur, non punit, miseretur. 2. Ps. 118. 1. Ioh. 1. Matth. 6. Gal. 6. Matth. 10.

Ecce communio Sanctorum. *Alia est vnio Ecclesiæ quā Regni terreni.* Vnde equidem aliam esse vnionem Ecclesiæ, quàm Regni terreni, E satis constat & apparet. Sic enim regni alicuius subditi inter se coniuncti viuunt, vt nihil tamen emolumenti ab inuicem percipiant; nec alter alterius curam gerit. In Ecclesia verò quantumcunque distent membra, non solùm hic in terra, sed etiam in cœlo communionem ad inuicem habent; & vt nihil omittam, ipsæ animæ quæ in Purgatorio existunt, communionis Ecclesiæ fructum percipiunt.

Quare iam exinde magna nobis nascitur obligatio, vt omnes in mutua concordia maneamus, sollicit hanc seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Sumus omnes alter alterius membra sub vno capite, quod est Christus: ergo consentire, & non inuidere debemus, non calumniari, non odisse; sed

è contrà, amare, compati, obsequi, manum & auxilium præbere, quia omnes sumus corpus Christi, & membra de membro, qui debemus ideo singuli functiones habere toti corpori, singulisque aliis membris vtiles.

Num ergo & tu ô Christiane, contra membrum Christi insultabis? & non audis Christum clamantem ad Paulum persequentem membra sua; Saule quid me persequeris? Quid igitur illa communio Ecclesiæ expostulat, quæris? vnitatem. Si amas vnitatem, ait Sanctus Augustinus, nihil non habes; nam etiam tibi habet quisquis in illa aliquid habet. Tolle inuidiam, & tuum est quod habeo, & meum est quod habes; liuor separat, charitas coniungit. In Ecclesia autem quæ vna est, regnare debet hæc vnitas, communicatio omnium, & vt Symbolum dicit, communio Sanctorum: charitas, amor, non liuor & odium. Et certè hinc S. Chrysost. vnum valde notandum dicit, scilicet quod magis nos mouere ad pietatem deberet quod sumus membra Christi, quàm gehenna. Quid quæso, ait, hominem auersaris fidelem, quem Christus, cùm adhuc infidelis esset, non est auersatus? Quid dico? sed illum adhuc inimicum & turpem ita dilexit, vt etiam pro illo mortuus sit. Tu verò formosum iam & admiratione dignum, membrum Christi, imò Dominicum corpus factum contemnis? auersaris? non sentis quid temerè audeas? Caput habet ipsum Christum, & mensam, & sponsum, & vestimentum, & lumen, & vitam. Nam omnia est illi Christus, & audes dicere, auersor? compesce insaniam, & fratrem agnosce. Ecce equidem quid ista Sanctorum communio quæ in Ecclesia est, debet operari in nobis.

Vnitatem officij, seu obsequij postulat communio Ecclesiæ.
S. Augustin. tract. 32. in Ioh.
S. Chrysost. hom. 27. in ep. ad Rom.

3. *Explicatio.* Tertia explicatio est ea quam iam quodammodo attigimus, scilicet, mutua beneficiorum & donorum collatio, quæ fit inter cœlum & terram, inter triumphantem Ecclesiam & militantem: terra mittit orationes in cœlum; & cœlum mittit ad nos dona sua. Figura est in illa scala Iacob quæ super terram posita etiam cœlos tangebat, & per quam ascendentes erant & descendentes. Hinc mittit Ecclesia militans lacrymas, suspiria & pœnitentiæ actus, gaudium dicam sanctæ conuersionis, sicut Christus dixit; *Gaudium erit in cœlo, &c.* & triumphans largitur gratiam, & præparat coronas. Militans mittit mortificationes carnis; & cœlum dona Spiritussancti, &c. Ecce commercium sacrum, & quot quibusve bonis participant qui in Ecclesia sunt. Mittunt iusti fidei, spei, & charitatis actus: & Sancti auxilia sua, Sanctus autem Sanctorum Christus Dominus vnctiones gratiæ suæ, & innumera dona quæ ex immensa liberalitate sua in nos prouenniunt. Ecce quibus, heu! ij bonis priuantur qui extra Ecclesiam sunt & communionem Sanctorum. Cuiusmodi sunt omnes infideles, hæretici, schismatici, & excommunicati: timeant excommunicationem quotquot in Ecclesia sunt, à compage membrorum separari timeant, resipiscant peccatores, citóque ad communionem Sanctorum redeant.

Gen. 28.
Commercium inter cœlum & terram.

ARTICVLVS DECIMVS.

De remissione peccatorũ in Ecclesia.

Remissionem peccatorum.

CATECHESIS XXXI.

Tria præcipua bona quæ Ecclesia communicat.

QVANTA gratia sit quam habemus à Christo, quod in Ecclesia simus, tria magna & A præcipua bona, in articulis subsequentibus contenta, quæ nobis in ea dantur, declarant, nempe remissio peccatorum, carnis resurrectio, & vita æterna. Istorum trium en primum, nempe remissio peccatorum.

Quantum sit bonũ remissio peccatorũ. 1.

Quantum sit hoc peculiare munus, ex contrario colligi potest, quod est peccatum, omnium malorum maximum, omnium causa, & consummatio malorum. Intelligite, nihil peius dici potest quàm inimicum Dei constitui, & Deum hostem habere, qui potest, &c. E contrario, nihil melius quàm in gratia Dei esse, qui author est omnium, & dator. Peccatum autem Deum nobis offensum facit, remissio verò, amicitiæ restituit. Præterea scitis B inter res corporales mortem esse peiorem & horribiliorem, vt vitæ oppositam: è contrario verò vitam plus æstimari rebus cunctis, vt fundamentum omnium bonorum. Et peccatum quid est nisi mors animæ? remissio autem illorum, vita? Ecce quantum bonum est in Ecclesia remissio peccatorum.

Peccatum est mors animæ.

2. Alia item ex parte dignitas huius muneris, & gratiæ colligi potest, nempe, quod sit opus infinitæ Dei potentiæ, nec minus difficile, quàm creare mundum, & mortuos suscitare, imò ex Aug. & Bonauent. etiam quid difficilius, vbi adest reluctans hominis voluntas.

Aug. Bonauent.

Tria sunt genera operationum, ait Bonau. dist. 38. 1. sent. art. 1. q. 1. Quædam, quorum Deus est C sola causa, vt creare, suscitare, &c. Alia, quorum homo sola est causa, vt peccare. Alia, quorum Deus & homo simul sunt causa, vt iustificare, iuxta August. sententiam: Qui te creauit sine te, non te iustificabit sine te. Et si in remissione peccatorum tuorum, Deo resistis, impotentem reddis. Vnde cùm in iustificatione nostra, dependeat aliquo pacto à voluntate nostra, plus laborat in remittendis peccatis, quàm in mundo creando.

Tria genera operationum Deo propria.
Aug.

3. Verùm & tertiam rationem afferamus, vt istius doni magnitudo agnoscatur, videamus quid ad hoc fecerit. Pro cæteris quæ fecit, nutu tantùm, aut sermone opus fuit; pro isto autem beneficio, & tempora, & vitam, & mortem impendit, præter verba, D & opera, sanguinem profudit, ecce pretium. Vnde 1. Pet. 1. Non corruptibilibus, &c. sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi. Ita est, ait Paul. Empti estis pretio magno. His positis, quæ scire iam expedit ex hoc articulo vobis proponemus; hæc tria sunt.

1. Pet. 1.
Paul.
Tria ex hoc art. scienda.

1. Primum est, prædicari omnibus remissionem peccatorum, qui voluerint accipere. Sic Christus paulo ante ascensum in cœlum Luc. 24. Oportebat Christum pati, & resurgere, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma, &c.

Luc. 24.

2. Secundum est, in Ecclesia sola obtineri. Vnde E mox, incipientibus ab Hierosolyma. Extra Hierusalem, & veram Ecclesiam non est salus. Ratio cur in Ecclesia sola obtinetur, est, quia in ea sola est, qui remittit authoritate propria Christus. Apud Isa. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Vnde Matth. 9. istius potestatis actum facit, & ait; Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata, ait paralytico, tolle grabatum, &c. Christus autem tantùm in Ecclesia est. Præterea in Ecclesia sola sunt, qui administrationem istius potestatis acceperunt, Episcopi & Sacerdotes. Sic Petro ait Christus Matth. 16. Tibi dabo claues, &c. & quodcumque ligaueris, &c. Sic postea cap. 18. eidem, & aliis; Quæcumque ligaueritis super terram, erunt

Matth. 9.
Matth. 16. & 18.

Ioh.20. erunt ligata & in cœlo. Sic denique Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, &c. Denique in Ecclesia sola sunt instrumenta istius remissionis peccatorum, & omnis gratiæ, nempe Sacramenta. Sic Baptismus remittit, pœnitentia remittit, Eucharistia, & alia omnia: denique Sacramenta suscipientibus gratiam conferunt.

3. Tertium est, per remissionem peccatorum nos reconciliari Deo & Ecclesiæ. Aliquis autem reconciliatur, quando per Ecclesiæ ministros ritè Sacramenta suscipit. Ritè autem suscipit, quando fide, pœnitentia, & deuotione dispositus illa suscipit, secundum visum, & consuetudinem Ecclesiæ, in qua si permanserit fidelis saluabitur, in cœlo semper permansurus.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

De resurrectione carnis.

Carnis resurrectioni.

CATECHESIS XXXII.

CHRISTVS resurrexit vt nobis spem daret, & fidem resurrectionis nostræ. Vndecimus hic articulus nobis proponit secundum bonorum præcipuorum, quæ in Ecclesia recipiuntur, nempe eorum resurrectionem ad vitam, qui in extremo die, & iudicio inuenientur cum remissione peccatorum. Istud quidem est notandum, omnes quidem, & malos, sicut bonos, quantum ad vitam naturæ resurrecturos, solùm autem bonos ad vitam gloriæ. Quare? quia resurrectio malorum tantùm fiet ad malum, & non ad bonum; hinc appellabitur mors, & non vita: è contrà autem resurrectio bonorum, qui remissione peccatorum suorum vitam æternam meruerunt. Hic autem tria notantur in hoc articulo.

Differentia inter resurrectionem bonorũ & malorum.

Tria in hoc articulo notanda.

1. Primum est, certò futuram talem resurrectionem, in cuius spe omnis fides nostra posita est, ex

1.Cor.15. Paul. 1. Corinth. 15. Si mortuorum resurrectio non est, neque Christus resurrexit; quod si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra. Probatur autem Scripturis, rationibus, exemplis, & similitudinibus. Illustriora Scripturæ testimonia sunt apud Dan. 12. Qui in puluere terræ dormiunt, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium sempiternum. Iob. 19. Credo quod Redemptor meus viuit, & in carne mea videbo, &c. Matth. 22. vbi talis agitur disputatio de resurrectione cum Sadducæis. Denique clarè 1. Thess. 4. Mortui qui in Christo sunt resurgent primi, deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra. Et 1. Cor. 15. Oportet corruptibile hoc induere incorruptioné. Corruptibile hoc, ait, quia hoc ipsum corpus, & idem resurget. Propterea dicitur carnis resurrectio.

Probatur resurrectio ex Scripturis. Dan.12. Iob.19. Matth.22. 1.Thess.4. 1.Cor.15.

Probatur rationibus.

1. Hinc rationes afferimus, & quidem hanc, vt primam, quia cùm animę immortales sint, & habeant, vt pars hominis, naturalem propensionem ad humana corpora, hinc fit vt quandiu separatæ sunt, plenam felicitatem non obtineant. Ex quo sequitur, vt illis ad summam felicitatem nihil desit, corporum suorum reunionem, & resurrectionem, esse necessariam.

2. Secunda ratio est, quia expedit illa associari tributionibus, sicut associata fuerunt in operibus. Hinc Paul. 2. Thess. 1. Gloriamur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra, & fide in omnibus persequutionibus, quas sustinetis, in exemplum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini. (notate ista omnia.) Si tamen (id est, etenim) iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini, requiem nobiscum, in reuelatione Domini IESV de cœlo cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri IESV Christi. hæc omnia Apostolus. 2.Thess.1.

Exempla sunt in iis qui ab Elia, & Elisæo suscitati sunt, in veteri Testamento, & in nouo, in tot aliis, quos Christus Dominus excitauit à morte, sicut & post eum fecerunt Apostoli, & alij permulti Sancti, vt Martinus, &c. *Exempla.*

Similitudines sunt. Prima Christi apud Iohan. desumpta à grano frumenti, quod cadés in terram, & mortuum, resurgit melius. Eandem & Paulus affert 1. Cor. 15. de semine. D. Greg. lib. 4. moral. affert similitudinem lucis, quæ quotidie quasi moriendo oculis subtrahitur, & rursus quasi resurgendo reuocatur. Sic arbusta quæ viriditatem amittunt, & rursus quasi resurgendo reparantur. *Similitudines.* 1.Cor.15. D.Greg.

Hic autem vnum occurrit notandum, cur dicitur carnis resurrectio. Propterea quod hac voce, *carnis*, intelligitur integer homo. Apud Isa. *Omnis caro fœnum.* Apud Iohan. *Verbum caro factum est.* Item vt intelligatur, animam esse immortalem, quę non resurgit, sicut corpus, quod voce *carnis* declaratur. *Notandum, per carnis resurrectionem intelligi hominem.* Ioh.1.

Secundum quod proponitur, est, istam resurrectionem in nouissimo die futuram, in mensura plenitudinis ætatis Christi, (id est, ætate perfecta,) nempe triginta trium annorum. Quia sicut in principio creationis omnia perfecta fuerunt, sic in consummatione, Item in statu omnis perfectionis, ita vt nihil tunc mancum, aut superfluum futurum sit. *2. Ex art. notandum.*

Tertium quod proponitur, est, omnibus quidem fore communem resurrectionem, sed non æqualiter communem. 1. Cor. 15. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Resurgent omnes, ad quid? vt vnusquisque recipiat, prout gessit, in corpore, ita vt qui mala egerunt, eant in supplicium, qui verò bona, in vitam æternam. *3. Notandũ.* 1.Cor.15.

Christus omnis perfectionis author, hanc contulit carni nostræ in resurrectione, vbi finis & consummatio hominis conuenientiam habet cum suo principio. Cùm formatur eius corpus, in creatione, ex puluere formatur, sic in consummatione sæculorum, corpus istud quod in cineres redactum est, ex iisdem cineribus, & puluere reparabitur: hoc erit mirabile, in resurrectione carnis nostræ, cineres dispersi in auras, & vndas, ad vitam redibunt. *Finis & principij hominis conuenientia.*

Vt non videatur hoc difficile, operæpretium est reminisci omnipotentiæ Dei; sic enim ab initio Symboli, propterea diximus omnipotentem esse Deum patrem, vtpote cui omnia possibilia sunt. Si enim absque labore creauit omnia, de nihilo & puluere, ita pari facilitate omnia in puluerem redacta reparabit. Neque est laborandum nobis, quomodo vnaquæque anima suum proprium corpus, suos cineres, & ossa resumet, quomodo in illo instanti nulla confusio erit, sed summus ordo & distinctio rerum. Etenim sicut hortulanus subitò diuersa seminum genera cognoscit, & seiungit super *Exemplum.*

super mensam suam dispersa, nec laborat: ita Deus, A & facilius omnia illa dispersa corpora, & cineres cognoscet, & separabit ab inuicem, in manu, & conspectu cuius omnia sunt, & distinctissima, ita vt solo eius nutu & iussu separentur, & ad pristinum suum statum redeant. Est enim resurrectio, ex Damasc. lib 4. de fide orthod. cap. 28. ad eum statum vnde cecideris, reuocatio. Sic Iob; *In carne mea videbo, & oculi mei conspecturi sunt.* Figura pulchra est Ezech. 37. vbi factus est sermo Domini per Prophetam, ad ossa arida, & ecce accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam.

Damasc. *Definitio resurrectionis.* *Figura.* Ezech. 37.

Verùm qualia tunc futura sunt corpora nostra, & quantum à seipsis different? In creatione sua corruptibilia, & mortalia facta sunt: tunc autem, B nempe in resurrectione, incorruptibilia & immortalia erunt, vbi, dicit Apostolus, nouissima destruetur mors; neque vltrà erit, ait Iohan. Apoc. 21.

Qualia sint futura corpora in resurrectione. Apoc. 21.

Interim inter beatorum, & damnatorum corpora hoc discrimen erit, quod beatorum gaudiis perfruentur æternis; damnatorum verò, suppliciis subiicientur æternis. Et sic diuersimodè communis erit bonis, & malis immortalitas, hac isti gaudebunt, alij verò eadem cruciabuntur, cùm quærent mortem, & non inuenient, cùm optabunt mori, & mors fugiet ab eis, traditis ignibus æternis. O quale discrimen! Isti damnati tenebris inuoluentur, & eorum corpora nigra sicut carbones apparebunt. Iusti autem fulgebunt sicut Sol in regno Dei, & C eorum corpora his quatuor præclaris ornamentis honestabuntur, quæ ex Apostoli doctrina 1. Cor. 15. dotes nuncupantur.

Discrimē inter damnatorū & beatorum corpora. 1. Cor. 15.

Ecce quatuor, impassibilitas, claritas, agilitas, subtilitas. Sic Paul. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Sed de singulis pauca. Primum ornamentum, seu dos est impassibilitas, sic à Patribus dicta, quia incorruptio damnatis est communis, sed non impassibilitas propria dos corporis gloriosi. Vnde incorruptio, de qua primò loquitur Paulus, de impassibilitate intelligitur, &c.

4. Corporis beatifici dotes. *1. Impassibilitas.*

Sequitur secundum ornamentum, seu dos, D quæ dicitur claritas, qua, vt antè diximus iam, corpora Sanctorum fulgebunt sicut Sol, ex Christo Matth. 15 Huius rei veritatem, & testimonium, idem Christus dare nobis voluit in Transfiguratione sua, Matth. 17. sicut figura erat Exod. 34. in facie Moysis, quæ ex colloquio & præsentia Dei ita relucebat, vt in eam filij Israël oculos intendere non possent. Hanc claritatem Paulus 2. loco appellauerat gloriam; Seminatur in ignobilitate, ait, & surget in gloria: ac ideo quia ex gloria animæ redundabit in corpus. Ecce enim vnde. Sed & alia causa erit nempe claritas corporis Christi, dicente E Paulo Phil. 3. *Expectamus Saluatorem qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Differentia autem erit istius claritatis in multis, pro differentia gloriæ, eodem Apostolo dicente 1. Cor. 15. Alia claritas Solis, alia Lunæ, alia stellarum: stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.

2. Claritas. Matth. 15. Matth. 17. Exod. 34. Phil. 3. *Differentia claritatis pro differentia gloriæ.* 1. Cor. 15.

Tertium ornamentum, seu dos vocatur agilitas, qua corpus liberabitur ab onere, & grauitate, qua nunc premitur, & poterit moueri facillimè in quamcumque partem anima voluerit. Vnde tertio loco dicit Paulus, surget in virtute.

3. Agilitas.

Quartum ornamentum, seu dos dicitur subtilitas, eo quod tunc corpus animæ imperio omnino subiicietur, eique corpori omne allud corpus. Hinc ex Paulo dicitur quarto loco surgere spirituale.

4. Subtilitas.

Ecce præclara ornamenta corporis gloriosi, corporis, inquam, quod olim vas gratiæ fuerat, templum Spiritussancti, & immune ab omni corruptione, obscuritate, & onere peccati. Sicut è contrà in iis quorum corpora & membra fuerunt instrumenta peccati, passio erit & tormentum, horror, tenebræ, onus, captiuitas, & ignibus æternis subiectio.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

De vita æterna.

Vitam æternam.

CATECHESIS XXXXIII.

FINIS omnium quæ in Euangelio Christi continentur, vita æterna est, vnde etiā in hoc duodecimo, & vltimo articulo Symboli vltimum omnium bonorum nobis proponitur. Ad rectè viuendum, & procul ab omni labe peccati, multum certè valebat præcedens articulus, si cōsideremus, quantæ diuitiæ resurrectionem consequuntur, maximè autem ille omnium bonorum aggregatione status perfectissimus, qui est vita æterna.

Hac etiam ratione vltimo loco positus est iste articulus, eóque quasi terminari Symbolum voluerunt Patres, vt doceremur omnia tendere ad hanc vitam æternam, in eáque omnes cogitationes nostras defigendas esse. Sic hortabatur Paul. ad Tit. vt ab abnegantes impietatē, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei. Propterea & Iohan. Nolite diligere mundum. Quare? transit enim mundus & concupiscentia eius. Quasi diceret; quod manet diligite, istud est vitæ æterna.

Cur iste sit vltimus articulus.

Quare iam sciendum, tria hunc articulum nobis proponere. Primum est, post hanc vitam aliam esse, vt non existimemus, animam simul cum corpore interire. Secundum, hanc esse longè diuersam ab ea quam ducimus. Tertium, hanc tantùm iustis & fidelibus contingere.

Tria in hoc articulo proponuntur.

Quoad primum, ratione creationis nostræ, & finis, dicimus post hanc vitam aliam esse: non enim creatus est homo, vt hac animali vita & breui viueret, sed vt in Deo in æternum vitam suam possideret. Ecce finis. Sic Magister Sent. lib. 2. cap. 1. Omnis rationalis creatura, inquit, creata est vt Deum cognosceret, cognoscendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur sua Deitate. Ecce vita. Hinc naturalis Dei appetitus in nobis. Aug. Fecisti nos ad te, Domine, & inquietum est, &c. Bern. Animam Dei capacem, quidquid eo minus est, implere non potest. Ad imaginem enim Dei creata, cæteris quidem occupari potest, satiari non potest. Vis ne scire vbi? Audi Psal. Satiabor, ait, cùm apparuerit gloria tua. Sed vbi adhuc, & in quo consistat, audite ipsum Christum Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, &c. Hæc eadem verba videtur interpretari S. Iohan. 1. epist. 3. Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus autem quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Vbi significat in duobus illam vitam consistere. Primò, quod Deum videbimus, qualis in natura sua sit. Secundò, quod veluti

Post hanc vitam sequitur alia vita. Mag. Sent. lib. 2. c. 1. S. Aug. S. Bern. Ioh. 17. 1. Ioh. 3. *Vita æterna in duobus consistit.*

veluti filij eius efficiemur, vbi & naturæ eius, & A omnium bonorum consortes erimus.

2. Notandũ, quã diuersitas sit inter præsentem & futurã vitã. Hinc secundũ notatur, nempe hanc vitam longè esse diuersam ab ea quam ducimus, præcipuè autem in tribus. Primò, quod vita præsens breuissima sit

1. adinstar diei, & spatij breuioris: hæc autem æterna, nullámque finem habitura; vnde Psal. *Annos æternos in mente habui.* Secundò, quod præsens incerta

2. Matth. 25. sit, dicente Christo apud Matth. 25. *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam:* æterna verò certissima, ita vt amitti nequeat gaudium, inquit Christus, quod nemo tollet à vobis. Tertiò, quod hæc præsens sit

3. obnoxia omnibus miseriis, tum corporis, tum animæ, tentationibus, & peccatis: æterna verò non modò sit libera ab omnibus illis malis, sed è contrà, omni genere bonorum sit refertissima, vbi B ipse Deus erit omnia in omnibus, vbi denique anima & corpus perfectionibus diuinis vndique induentur; corpus immortalitate, & aliis dotibus gloriosis, de quibus antea: anima ipsiusmet Diuinitatis essentia; intellectus omni sapientia, & cognitione; voluntas omni bonitate, & amore. Præter hæc, gloria & diuitiæ aderunt, dignitas filiorum Dei, æqualitas Angelis, & in omnia suprema potestas: denique in Deo inenarrabile gaudium.

3. Quibus vita æterna cõtinget. Hinc tertium proponitur, nempe quibus hæc vita beata continget. Dicamus iam, iustis, ac fidelibus, nempe iis qui crediderunt, & fecerunt, Christo obedierunt, & eius Ecclesiæ, & vsque in finem vitæ sic perseuerauerunt, ipso dicente; *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Ecce qui ingrediuntur in vitam æternam, qui merebuntur illam. Est merces, & præsupponit meritum. Vnde Christus; Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

Vitam æternam.

CATECHESIS XXXIV.

Legimus in Actis, quod omnium Iudex Christus constitutus est, vt in fine vnicuique reddat iuxta opera sua. Verissimum est illud Apostoli D

2. Cor. 9. 2. Cor. 9. Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus

Ioh. 14. Inæqualitas præmiorum in cœlo. & metet. Hoc fundatur in verbis veritatis Ioh. 14. vbi ait Christus in domo patris mansiones multas esse. Nota contra hæreticos, minora & maiora præmia esse, iuxta meritorum diuersitatem. Vnusquisque sibi ædificat, sibi emit, in domo patris mansiones multæ sunt. O Christiani, operibus, & meritis

Aug. Exemplum. proportionabitur gloria. Aug. 12. de Ciuit. cap. vlt. dat exemplum patris, qui habens multos filios, & diuersæ ætatis, vnicuique vestem auream daret, sed ætati, & magnitudini cuiusque proportionatam. Hac similitudine nobis demonstrauit, quid similitudinis, & dissimilitudinis futurum sit in gloria. E Omnes auream vestem induent, sed quantitati meritorum proportionatam.

In vita æterna & beata hoc commune erit, quod omnes eadem beatitudine obiectiua & primaria perfruantur, quæ Deus est; omnes enim hoc idem & vnicum obiectum habent, licet tamen sub diuersis rationibus pro differentia meritorum. Et vt

Exemplum. hoc adhuc clariùs intelligatur, Solis exemplum sumamus, qui idem lumen inæqualiter diffundit super diuersas domos, & tantum quantum vnaquæque valet excipere, ita vt plus non possit, &c. Aliud item exemplum est vasis, tantum aquæ excipientis de fonte, quantum est capacitatis in eo.

His exemplis agnoscimus duplicem esse gloriã in vita æterna, seu felicitatem: vnam, quæ dicitur obiectiua, & illa Deus est, qui obiectiuè omnibus proponitur: alteram, quæ dicitur formalis, & illa est respectu subiecti, quod prout capax est, plus vel minus communicationis diuinæ recipit, vnumquodque sufficienter, satis, plenè, tantumque pro capacitate sua minimum, quantum pro sua maximum: & ita respectu obiecti, eadem est omnium felicitas; videbimus eum sicuti est, & similes ei omnes erimus. Duplex gloria.

O quanta felicitas! ô quanta beatitudo! ô quanta vita! oculus non vidit, auris non audiuit, &c. Vultis vobis vno verbo dicam? quia nec verbis, nec mente capi potest, sub hac voce vitæ æternæ comprehenditur ac exprimitur magis, inquantum omnibus quæ nostra sunt, nihil melius arbitramur vita, eáque quæ æterna est.

Quare etsi plurima alia nomina in Scripturis isti beatitudini tribuantur, vt regnum Dei, regnum Christi, regnũ cœlorum, Paradisus, domus Dei & patris, ciuitas sancta, &c. tamen nullum est ex iis quod sic eius magnitudinem exprimat sicut illud, vita æterna, cùm ille status beatorum non sit tam existentium in loco beatifico, quàm viuentium. Varia beatitudinis nomina. Præcipuũ est vita æterna.

Vnde ex opposito, miserorum damnatio, mors dicitur, quia extra Deum sunt, & in ergastulo suppliciorum viuunt, ligatis manibus, & pedibus, in tenebras exteriores missi. Similitudine quadam hic concipi potest, aquæ fluentis, & non currentis. Quæ fluit aqua, vt fontium, dicitur viua aqua, quia mouet se: è contrà quæ non fluit, vt stagni, dicitur aqua mortua, & putrida, vt quæ fluxum non habet, cursum, nec motum. Ita beatorum status, qui quæ in Deo volunt operantur, dicitur vita: è contrà damnatorum, qui captiui tenentur, nec vllam operandi libertatem habent, mors. O statum disparem! Mortis locus est Infernus, vitæ autem Paradisus, & æternæ. Damnatio dicitur mors. Similitudo.

Vita æterna, quæ priuatione omnium malorum, & bonorum omnium adeptione definienda est; ibi enim non esuriunt, neque sitiunt, Apoc. 7. & ibi Deus absterget omnem lacrymam, &c. Apoc. 21. Ibi neque luctus, neque clamor, neque dolor, &c. Ibi è contrà, omnis abundantia suauitatis, & dicetur vnicuique; Intra in gaudium Domini tui. O Domine, quàm dilecta tabernacula tua! concupiscit, & deficit anima mea. Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Sitiuit anima mea ad te Deum fontem viuum, quandonam veniam & apparebo ante faciem Dei mei? quandonam veniam ad hanc vitam æternam? Definitio vitæ æternæ. Apoc. 7. & 21.

O vita æterna! vbi Deus est vita, & omnia. Veni, aiebat, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. Ecce vbi abundantiùs, vbi est omnis vita, & in ipso est vita, & vita est lux hominum, id est, gloria beatorum. Sic dicitur quia in lumine videbimus lumen, id est, in Deo lumine, Deum videbimus lumen nostrum. *Nunc per speculum videmus*, ait Paulus, *tunc autem facie ad faciem*, id est, coniunctissimè. Beatis Deus est vita, & omnia.

O vita æterna! vbi beati quodammodo formam Dei, & naturam induent, quando pro specie & ratione visionis suæ, ipsam Dei essentiam penitissimam habebunt. Vt videantur res corporeæ, quibusdam opus est speciebus, & similitudinibus, quę à rebus istis prosiliunt in oculos, beneficio quarũ fit visio. Non sic in Deo, non sic. O quàm diuersa est à rebus aliis ista Dei communicatio! quia omnis corporeæ molis est expers, & totus spiritus, nec specie, aut lumine exteriori vtitur, vt se communicet; Beati quodãmodo formam Dei induent.

municet; sed hoc facit per seipsum, & impressionem suiipsius essentiæ, ita vt & lumen sit, & species ipsa, impressione essentiæ. Iohan. 14. hoc significare intendebat, dicens: *Si quis diligit me, diligetur*, &c. *& manifestabo ei meipsum*, &c. Quasi diceret, ego ipse ero ei lumen, & ei meipsum imprimam, ita vt fiat postea in eo similitudo mei. Iuxta quod ait Iohan. Similes ei erimus, scilicet cùm, ex Apostolo, reuelata facie gloriam hanc speculantes, in eamdem imaginem transformabimur, quando & impressus, & quasi expressus tunc in nobis apparebit, vbi omnes beati erunt quasi speculum Diuinitatis, & nihil aliud in eis videri poterit quàm Deus; in Deo videbuntur omnes, & Deus in omnibus.

Ioh. 14.

Dei cũ beatis coniunctio. Ansel. *Exemplum.*

B O vita beata! ò vita æterna! vbi fiet talis Dei cum beatis coniunctio, & talis in eis Dei similitudo. Ansel. lib. de simil. cap. 56. exemplum affert ferri admoti igni, & ignem concipientis, quamuis eius substantia non mutetur, videtur tamen esse totum ignis, & quasi transformatũ in naturam ignis; ferrum sic ignitum vrit, accendit, & illuminat. Eodem modo qui admittuntur in illam cœlestem gloriam, statim igne ardent, sed igne Deo, ita vt in Deum omnino transformati videantur. Præcipuum quod est, & apparet in eis, Deus est, vident Deum, & amant, sed in ipso; & quod vident & amant in

A seipsis, & aliis, Deus est, ita vt Deus sit ipsis omnia in omnibus.

O vita æterna! in qua inebriati ab vbertate domus, & torrente voluptatis potati, in laudibus diuinis æternitatem suam consumunt, incessanter dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Nimis honorificati sunt amici tui Deus. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabũt te.

SVMMA OMNIVM articulorum Symboli.

PROFITEMVR vnum esse Deum in essentia, & trinum in personis, nempe, patrem, filium, & Spiritum sanctum.

Præter mysterium diuinæ vnitatis, & sanctæ Trinitatis, tria præcipua Dei optimi maximi erga nos beneficia, creationis, redemptionis, sanctificationis, seu gubernationis Ecclesiæ.

Creatio artic. 1. attribuitur patri. Redemptio filio, artic. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Sanctificatio autem seu gubernatio Ecclesiæ, Spiritui sancto reliquis articulis.

Sic fidei nostræ summa terminatur, seu pars prima.

Finis primæ partis.

SECVN



SECVNDA PARS CATECHISMI.

DE SPE, ET ORATIONE DOMINICA.



PRIMA parte Cathechismi (quem in quatuor præcipuas diuiseramus, nempe fidem, spem, charitatem, & Sacramenta,) loquuti sumus de fide, eiusque Symbolo, vbi quid de Deo, eiusque Ecclesia, credere, & sentire debeamus, explicatum est. Nunc verò hac secunda parte, quid à Deo expectare, & petere debeamus, quidve in omni vita quærere, scire iam oportet. Dator enim munerum est Deus, & bonitatis, ac bonorum omnium fons æternus. Quapropter post fidem nostram, sequitur spes & oratio. August. Enchirid. c. 7. Quod fides credit, spes, & charitas orat.

S. Aug. Enchirid. c. 7.

De Spe.

CATECHESIS XXXV.

DOCTRINA Christi omnes doctrinas Sanctorum præcellit, & sola est quæ norma est omnium virtutum. Inter autem virtutes omnes, tres sunt primariæ, & architectonicæ, omnium dominæ, & illustrissimæ, ortæ à Deo, & in Deum perpetuò tendentes. Hæ sunt quas Doctores Theologicas appellant, fides, spes, charitas, eo quod obiectum illarum Deus est. De his Paulus: *Nunc autem manent, fides, spes, charitas*, &c. Et de his reginis, & amicis, seu familiaribus Dei, nobis est loquendum, quia circa Deum solum omnes Catecheses nostræ versantur. Propterea cùm notitiam, & beneficia Dei vobis aperiebamus, de fide, quæ ipsum contemplatur vt primam veritatem, eiusque mysteriis sermones fecimus. Nunc quia petere à Deo, quæ dare nobis sua bonitate decreuit, & necessarium, & vtile, iam de spe aliquid dicere expedit.

Tres illæ virtutes Theologicæ.

Optimus modus impetrandi quod petimus, est spes impetrandi. Spes enim non confundit, ait

Optimus modus impetrandi quod petimus, est spes.

A Paulus, & Psalm. *In te Domine speraui, non confundar in æternum.* Hinc Christus Matth. 21. Omnia quæcunque petieritis in oratione, credentes, (id est, sperantes) accipietis. Sic Marc. 11. Omnia quæcunque petitis, credite, id est, sperate, quia accipietis, & euenient vobis. Igitur quid sit spes definiendum. Spes est virtus Theologica, diuinitus infusa, per quam certa cum fiducia salutis nostræ, & vitæ æternæ bona expectamus. Sic dicitur Theologica virtus, quia vna est virtutum, quæ versantur circa Deum: illa diuersimodè à fide, & charitate; fides enim vt circa primam veritatem, quæ reuelatis, & reuelandis facit consentire: charitas vt circa

Matth. 21. *Marc. 11.* *Definitio spei.* *Explicatio definitionis.* *Spei differentia à fide, & charitate.*

B summum bonum, & amore dignum: spes autem vt circa bonum promissum, arduum, interim possibile. Sic Diuus Thomas 2. 2. quæstione 17. articulo 6. differentiam ponit inter eas. Fides, ait, facit inhærere Deo, vt principio cognoscendi veritatem; spes vt principio beatitudinis; charitas propter seipsum. Et prima 2. quæstione 40. articulo 1. ponit quatuor conditiones obiecti istius virtutis. Primò quidem quod sit bonum, non enim est spes, propriè loquendo, nisi de bono. Et in hoc à timore differt, qui est de malo. Secundò, vt sit futurum, non enim est spes de præsenti, iam habito: in hoc enim à gaudio differt, quod est de bono præsenti. Tertiò, quod sit aliquid arduum, cum difficultate comparabile, nec enim

D. Thom. *Quatuor conditiones obiecti spei.* 1. 2. 3.

C sperat quis quod est statim in sua potestate. Et in hoc differt à desiderio, quod est propriè de bono absolutè futuro. Quartò, quod illud arduum sit possibile adipisci, nec enim speratur impossibile. Et in hoc differt à desperatione. 4.

Secundò dicitur diuinitus infusa, quia vt fides donum est Dei, nec enim vera spes acquiri potest viribus nostris. Tertiò, per quam expectamus bona æterna, cum fiducia. Quibus verbis duo notantur, & discimus.

Duo notanda in tertia particula definitionis.

Primum est, per spem nos expectare à Deo non qualiacunque bona, vt vitæ huius, quæ vana sunt & caduca, sed vitæ æternæ, & ea in 1.

quibus consistit nostra salus, spiritualia, cœlestia, A diuina, vtpote dona gratiæ & gloriæ. Cætera enim negligit, facitque vt homo non apponat eis cor suum, sed tantùm complectatur ea quæ necessaria sunt, aut conducunt ad vitam æternam. Alterum est, quod cum fiducia talia bona expectantur: fiducia autem illa nascitur multis ex causis.

Vnde nascatur fiducia.

1. Prima est illa omnipotens bonitas Dei, quæ ab æterno præperauit nobis illa bona, & daturum se promisit. 2. *Causa.* Secunda sunt infinita Christi merita, quibus nobis sua sanctissima vita, & morte, hæc omnia gratiæ, & gloriæ dona promeruit. Psalm. *Speret Israël in Domino, quia apud eum misericordia, & copiosa redemptio.* Ecce vbi fundatur spes nostra.
3. Item tertia erunt suffragia Ecclesiæ & triumphantis, & militantis.
4. Quarta denique & postrema, vita bona, & studium bonorum operum: aliàs non datur spei locus. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Ecce enim quibus Deus promisit sua bona, facientibus suam voluntatem, & strenuè laborantibus in vinea sua, & non otiosis. Hinc redditur merces post sero diei, Matth. 20. Hinc Paulus, & cum eo loquitur Christi seruus, cum fiducia; *Cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* (Matth. 20.)

His positis, restat modò, vt inueniamus modum rectè sperandi, & cum spe, seu fiducia, petendi quæ bona sunt. Hæc autem omnia ex oratione Dominica, quam ipsemet Christus composuit, discemus.

De necessitate & vtilitate orationis.

CATECHESIS XXXVI.

CHRISTVS IESVS satis nos docuit excellentiam, & virtutem orationis, cùm ait Marc. 11. Omnia quæcumque petitis, credite, id est, sperate, quia accipietis, & euenient vobis. (Marc. 11.) Vnum est in quo nihil est infirmius homine, quod nascitur destitutus vi propria conseruandæ ac tuendæ vitæ, nascitur penitus inermis, imbecillior certè etiam brutis, quæ secum portant à natiuitate arma sua, tum offensiua, tum defensiua. (*Infirmitas hominis.*) Verùm vnum est, in quo superat omnia, hoc ipsum oratio est, scilicet, cùm ex maiori sua infirmitate, maius robur inde excipit à Deo, in quo, &c. (*Nobilitas hominis.*) Vsque modò non petistis quicquam: petite, & accipietis. Amẽ dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Quasi diceret, petite tantùm, nihil deest vobis.

Quàm necessarius autem nobis sit hic orationis vsus, discimus ex eo quod non tantùm consilij, sed etiam præcepti vi, & obligatione orare tenemur, ex Christo, qui talem nobis imposuit necessitatem. (*Necessitas orationis.*) Luc. 18. *Oportet semper orare, & numquam deficere.* (Luc. 18.) Hinc Ecclesia in tremendis altaribus in ipso orationis Dominicæ prooemio dicit; Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere, Pater noster, &c. Propterea & ipse Christus suis talem præscripsit formam orandi, de qua posthac. Hæc autem orandi necessitas magnas secum affert vtilitates, & fructus, maximè autem quinque, ex Catechismo Concil. Trident. (*Vtilitates orationis.*)

1. Vtilitas. Primus est, quod ita Deo honorem reddimus, nosque ei subiectos esse profitemur, quem agnoscimus authorem bonorum omnium, sicut in eum solum spectamus. Vnde quoddam est religionis argumentum oratio. (*Oratio religionis argumentum.*) Sic Psal. Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum, sacrificium vespertinum. Sed & cuius fructus admonemur aduertere Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, ait Dominus, & eruam te, & honorificabis me. (Ps. 49.)

2. Vtilitas. (S. Aug.) Secundus, Aug. Serm. 226. de tempore, quia cœli clauis est oratio. Ascendit, inquit, precatio, & descendit Dei miseratio, licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam. Ecce vis & vtilitas, omnium rerum impetratio. Petite, dicit Dominus, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Semper enim pias preces audit diuina Majestas. Isa. 58. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet; ecce adsum. & cap. 65. B Erit antequam clament, &c. (Isa. 58. & 65.)

3. Vtilitas. Tertius fructus est, quod oratio exercet omnes animi virtutes, maximè autem fidem. Rom. 10. (Rom. 10.) *Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt?* Ita & charitatem, vbi agnoscẽtes Deum omnium bonorum nostrorum fontem, & largientem illa nobis, statim charitate amplectimur.

4. Vtilitas. Quartus est, quod dum oramus Deum, accipimus statim integritatis & innocentiæ vitæ voluntatem, vt eius mereamur munera, & promptiùs ea consequamur.

5. Vtilitas. Quintus & postremus est, quod iræ diuinæ resistit oratio; nihil est enim quod ita Deum iratum leniat, retardet, ac reuocet à furore. C Sic Exod. 32. ad Moysem precantem Deus loquitur: Dimitte me, &c. (Exod. 32.) Ita & quotidie precibus misericordem experimur, & experiemur vsque in æternum.

De circunstantijs orationis

CATECHESIS XXXVII.

POSTQVAM iuxta verba Christi, necessitatem & vtilitatem Christianæ precationis ostẽdimus, restat, antequã veniamus ad explicationẽ istius partis, quã nos docuit, orationis, vt regulas vniuersales preeũdi præscribamus, dicamusque gradus, & circunstantias quas cõplectitur oratio. D

Gradus & circunstantiæ orationis. Quatuor sunt, aut quinque, nempe, quotuplex orantium genus, quæ petenda, pro quibus orandum, quomodo, & quis orandus. Hæc omnia conformiter Catech. Concil.

Triplex precantium genus. 1. Quoad primum, sciendum tria esse genera precantium. Primum est iustorum, qui freti fide suã, & Dei misericordia, fidenter ad eum confugiunt, cor suum aperiunt, & sperant se consequuturos quod petunt, sicut se totos diuinæ voluntati committunt. Sic ad id nos Psaltes exhortabatur Ps. 61. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra.* (Psalm. 61. & 141.) Ita & idem de se Psal. 141. *Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem* E *meam ante ipsum pronuncio.* Hæc iustorum oratio, quæ maximam vim habet apud Deum, sicut dicit Psaltes. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum,*

2. Genus precantium. Secundũ genus est eorum qui in peccato sunt, fide tamen vt possunt, veniunt ad Deum, vt orent, & misericordiã implorent. Quam tunc certò impetrant cùm compuncti, ac dolore cruciati de peccatis, cognoscũt se esse peccatores, & pœnitẽt, adinstar humilis publicani: hominum. n. oratio suum obtinet locũ apud Deum, imò & misericors Deus venit inuitare tales. Matth. 11. *Venite ad me,* &c. (Matth. 11.)

3. Genus precantium. Tertium genus est eorum qui in peccatis inueterati

rati & obdurati sunt, qui non solùm non sunt pœnitentes, sed adhuc scelera sceleribus accumulant, & tamen non pudet eos sæpe veniam à Deo petere peccatorum, in quibus adhuc volunt perseuerare. Talis est execrabilis coram Deo oratio. Sic Machab. 2. cap. 9. legitur de Antiocho. Ex ista triplici differentia, quibus oratio prosit videre est.

Quæ sint petenda à Deo. Quoad secundum, obseruare debemus petenda; nec enim promiscuè omnia petenda sunt, sed solùm quæ bona sunt, & diuina, vno verbo, quæ licitè optari & debent, & possunt, ne illam Matth. 20. responsionem audiamus; Nescitis quid petatis. Non accipitis, eo quod malè petatis. Si quid petieritis patrem, dabit vobis. Ecce ordo. Primò, & per se Deus petendus est. Secundò, quæ nos cum Deo iungunt, vbi gratia, & gloria intelligitur. Tertiò, necessaria tantùm ad vitam, sed post illa. Salomon; *Tribue tantùm victui meo necessaria.* Sic Paulus: Victum & vestitum habentes, his contenti simus.

Dispositiones ad orationē. Quoad tertium, cum dispositione est orandum. Prima omnium est fiducia in meritis Christi. Iohannis 15. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. Si quid petieritis, ait, in nomine meo; quia ipse est summus deprecator, & propitiatio nostra. 1. Iohan. 2. Vnde & Paulus Hebr. 2. ait, quia ideo debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum. Secunda, humilitas deprecantis. Notissima est illa publicani. Propterea Eccles. 35. dicitur, quia oratio humiliantis se penetrat nubes. Hinc Psalm. 101. Respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum. Tertia, charitas in omnes, & misericordia in delinquentes. Qua enim mensura mensi fuerimus, remetietur & nobis.

Pro quibus sit orandum. Quoad quartum, nempe orandum pro omnibus, sine exceptione gentis, religionis, & inimicitiarum, Ecclesiæ est præceptum. Hinc 1. Timoth. 2. Obsecro fieri orationes pro omnibus hominibus. Interea hic ordo seruari potest. Primò, pro pastoribus, parentibus, Principibus, Rege, pro amicis, inimicis, Ecclesiæ hostibus, hæreticis, denique pro mortuis. Vno verbo dicam, omnibus proderit oratio præterquàm damnatis. Quare antequam peccatoribus, & obduratis mors æterna adueniat, maximè pro iis qui in peccato sunt mortali, preces effundamus ad Deum optimum maximum.

Ad quem dirigenda oratio. Quoad quintum, nempe ad Deum dirigendam esse nostram orationem, sicut nos Christus edocuit, cùm ait; Cùm orabitis sic dicetis, Pater noster, qui es in cœlis. Interea notandum hic, Sanctos non excludi ab illo honore, aliter tamen ipsos implorari, & aliter Deum. Implorantur Sancti, vt ipsi nostri patrocinium suscipiant, & nobis impetrent à Deo cui summopere grati sunt: Deus autem imploratur, & vt à malis liberet, & vt det bona. Hinc diuersa orandi formula. Ad Sanctum; Ora pro nobis. Ad Deum autem; Audi nos, & miserere nobis

(Margin: Mach. 2. c. 9. — Matth. 10. — Ordo seruandus in oratione. — Ioh. 15. — 1. Ioh. 2. — Heb. 2. — 2. Dispositio. — Eccl. 35. — Ps. 101. — 3. Dispositio charitas est. — 1. Timot. 2. — Ordo seruandus.)

De duplici oratione, mentali & vocali.

CATECHESIS XXXVIII.

VNVM adhuc scire restat, antequam explicemus orationem Dominicam, id est, factam à Domino IESV, scilicet, duplicem inueniri orandi modum. Vnus est mentalis, alter vocalis, vterque in Scriptura tum veteri, tum noua obseruatissimus. Mentalis oratio est in corde & spiritu, vocalis in ore. Vtraque gratissima est Deo, vtilitatibusque suis plena, si rectè fiat. Etsi enim potentissima sit apud Deum oratio, nobisque admodum salutaris, & necessaria, tamen nisi rectè fiat, nihil prodest. Bona bene facienda. Quare expedit hanc scire differentiam orationis. Primò igitur de prima, quæ est mentalis. Illa quidem principatum tenet, vt ea sine qua nec vocalis grata est, dicente Christo: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

(Margin: *Duplex orādi modus.* — *1. Et principalis mentalis oratio.*)

Quam audit, vox & cogitatio interna est, & tales quærit cœlestis pater, Iohan. 4. qui adorent eum in spiritu & veritate. Quinam illi? qui intimum suum studium, & feruorem adhibent, & animam suam præparant. Vnde Eccles. 18. Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Tentat certè ille qui cùm loquitur Deo, à precibus animam auertit, nec est præsens Deo, nec sibi: vnde & Christus docet, cùm orare volumus, intrandum esse in cubiculum, & ostium claudendum. Quare, quæso, quare istud? Quia Deus, cordis est Deus, & talem præsentiam cordis quærit, qui ad cor loquitur; Fili, præbe mihi cor tuum. Ego sto ad ostiū, si quis aperuerit, intrabo. Animaduerte hęc ô anima mea, dicebat deuotus imitator Christi, & claude in te sensualitatis tuæ ostia, vt possis audire, quid loquatur Dominus Deus in te: intra in cubiculum, & claude super te ostium, & postea dic; Audiam quid loquatur Dominus meus.

(Margin: Ioh. 4. — Eccl. 18. — *Quis tentet Deum.*)

In oratione mentali anima fruitur diuinis, & inuisibilibus, per suos quinque sensus interiores, sicut per exteriores corpus fruitur rebus corporeis, & visibilibus. Primò, videt anima veritates æternas: Vacate, ait Psaltes, & videte quoniam ego sum Deus; secernitque falsa à veris. Secundò, audit interius verbum Dei stantis & dicentis, aperi; cui etiam debet auditum & applicationem mentis. Tertiò, sentit odorem Dei, iuxta id Cant. *Trahe me post te*, &c. Quartò, Deum gustat, vnde fastidium rerum humanarum, iuxta Psal. & Chrys. Nihil est super terram quod amet, qui Deū in veritate gustat. Quintò denique, Deum tangit, & fit vnus spiritus, vna voluntas cum eo, iuxta Paulum: *Qui adhæret Deo, fit vnus spiritus cum eo.* Vbi vides quomodo anima in oratione habet oculos, aures, adoratum, gustum & tactum.

(Margin: *In oratione mentali anima fruitur diuinis.*)

In ista orationis formula collocutio est Dei ad hominē, & hominis ad Deum, quia interna, cùm nempe anima Deo sibi intimè vnito, cogitationes suas offert, & ille præsentissimus audit vocem. Sic Ps. 16. Tibi dixit cor meū, exquisiuit te facies mea, & exaudisti vocem fletus mei. Sic istius bonæ Annæ matris Samuëlis, vocem intimam, & cordis, & fletus audiebat, & exaudiebat. 1. Reg 1. Sic omnes qui in spiritu adorant. Illa est pro- Ps. 16. 1. Reg. 1.

priè oratio, vbi anima ascensiones suas disponit, id est, vbi ordine grato ad Deum gradus facit, vbi est præparatio, meditatio, oratio, contemplatio, gratiarum actio, oblatio: vbi denique anima cognitione & veritate illustrata, amore accenditur ad Deum. Ecce fructus; apud Psalm. *In meditatione mea exardescet ignis.* Sicut enim ex contactu aciei & lapidis oriuntur scintillæ ignis: ita ex Dei repetita cognitione, ignis deuotionis in anima, & amoris. Ad hanc formam orandi exhortamur omnes, vt aliquot in die temporis interualla insumatis, siquidem hoc modo digniùs postea, & vtiliùs fiet altera, quæ est vocalis oratio, de qua modò.

Fructus orationis mentalis.

Similitudo.

Vocalis oratio sic dicta est, quia in ea verbis exprimimus quod à Deo petimus. Cuius item vsus, & fructus præcipuus est, vt magis ac magis studium animi nostri incendatur, ac religio orantis. Quod quidem accidere non potest, nisi cor cum ore, & mens cum verbis coniungatur, iuxta illud Augustini epist. 121. & Catechis. Conc. Exultante animo lætitia, par etiam est linguam exultare, si quidem, vt ait Christus, ex abundantia cordis os loquitur. Ecce pulchra orationis connexio.

Vocalis oratio quare sic dicta. Fructus eius præcipuus.

August.

Ista autem vocalis etiam duplex est; vna publica, altera priuata. Publica fit certis & statis temporibus in Ecclesiis, ad excitandam populi fidelis religionem: priuata autem omni tempore, pro vniuscuiusque necessitate. Hæc ratio cur Christus Dominus hanc quam Dominicam dicimus, instituit. Habetur triplex attentio necessaria oranti. Prima ad verba, vt ea rectè proferantur. Secunda ad significationem, vt intelligat homo quæ dicit. Tertia ad Deum; & hæc melior est, & præstantissima, vtpote quæ doctis, & indoctis conuenit.

Diuisio vocalis orationis.

Triplex attentio oranti necessaria.

De oratione Dominica.

CATECHESIS XXXIX.

EXPLICATIONEM nunc incipimus orationis, quam nos edocuit Christus. Iam aliquid de vtilitate orandi dictum est, quæ potissimùm in eo est, quod sit oratio quoddam medium, quo homo cum Deo negotia sua tractat, & confert. Quare iam videtur necesse, vt quisque quærat, & teneat modum orandi meliorem, & efficaciorem. Modus iste, ille est quem ipse Christus nos edocuit, & præscripsit Matth. 6. ita vt qui sic non orauerit, non exaudiatur. Sicut enim qui aliquo sermone, aut inciuiliter, aut parum ad mores patrios, & aulicos accommodatè loquitur, non auditur, & parum efficit: ita apud Deum parum, aut nihil obtinet, qui non orat ad modum aulæ cœlestis. Non intelliguntur, qui loquuntur alieno sermone, & non patrio; denique non exauditur, qui non conformiter orat institutioni orandi à Christo præscriptæ.

Modus orandi.

Matth. 6.

Similitudo.

Ideo autem hunc modum rectè loquendi nobis Christus præscripsit, quia primus parens noster Adam cœleste idioma oblitus, cum Eua matre nostra didicerat à serpente linguam Inferorum, ad inueniendas excusationes in peccatis. Vnde & nos malè loqui didicimus, barbarè, incongruè, denique omnium linguarum confusio-

Causa institutionis orationis Dominicæ.

A nem. Inde nata est locutio superba Pharisæi, Luc. 18. qui non fuit ideo exauditus: inde oratio Antiochi repudiata, 2. Malach. 9. & multorum aliorum, quibus adhuc oratio fit in peccatum, quia malè petunt. Denique inde duorum filiorum Zebedæi, & matris eorum inconsiderata precatio, quibus Christus ait; Nescitis quid petatis. Quapropter Christus Dominus noster secundus Adam magis in aula cœlesti versatus, venit nos patria lingua informare, suosque modum orandi optimum docere. Et quidem inueniuntur quamplurimi in Scriptura modi orandi, omnes à Spiritu sancto præscripti, vt in Psalmis & Prophetarum libris; interim nullus est excellentior illo, quem Christus Dominus no-
B bis tradidit, & præscripsit ore proprio, cùm ait; Sic orabitis, Pater noster, &c. Ecce conuenientior orandi formula, cum qua nulla audet se comparare. Quinque aut sex sunt rationes, cur omnes alias superat.

Luc. 18.

2. Mach. 9.

Excellentissimus modus orandi.

Rationes quæ probant excellentiã Dominicæ orationis.

Prima est, quia hanc composuit ipse Dei filius, verbum & sapientia patris, is in quo solo pater sibi complacet, Matthæi 17. Ipsum audite, ait. Certè constat, statim patrem filij verba agnoscere & audire, præsertim si Spiritu filij pronuncientur. 1. Math. 17.

Secunda, quia omnia continet, quæ à Deo sanctè peti possunt. 2.

C Tertia, quia efficaciam habet impetrandi omnia. Primò, ex præcepto sic orandi; neque enim filius potest non adiuuare, quos sic præcepit orare, quique ex ipsius mandato, talem fundunt precationem ante patrem. Secundò, quia ipsemet hoc ipso interpellat apud patrem, & habet se Aduocatum pro nobis: vnde neque pater potest non adiuuare eum qui sic in nomine filij orat, iuxta quod ipse Christus ait; *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis: petite*, nempe sic, *& accipietis.* Quare sic incipit Ecclesia; Præceptis salutaribus moniti, audemus dicere, Pater noster, &c. quasi diceret, non solùm in nomine, sed & eius verbis oran-
D tes vtimur, vt sit efficacior petitio nostra. Hos enim omnes pater honorificat, qui honorificant filium. 3.

Quarta, quia breuissima est, vt citiùs retineatur, faciliùs intelligatur, frequentiùs repetatur. 4.

Quinta, quia quot sunt petitiones in ea, tot sunt iaculatoriæ, & ardentissimæ orationes, quæ separatim in mediis occupationibus ad Deum mitti possunt. 5.

Sexta denique, quia ordinem, quo petenda sunt, continet, vbi omnia distincta sunt. Primò, quæ solùm petenda, & quærenda in hac
E vita. Secundò, à quo petenda expectare debemus. Tertiò, quo ordine, defectu enim huius modi & ordinis, fit plerumque vt non exaudiat Deus; quod è contrà facit, cùm rationem optimam obseruamus, sicut hanc nos edocuit. 6.

Pater noster.

CATECHESIS XL.

NOS Christus docuit modum orandi, vt quæ nobis necessaria sunt ad salutem, à Deo patre impetremus: finis enim orationis est impetratio, seu obtentio postulationis. Ad hoc stude

Finis orationis.

studemus preces nostras esse bene dispositas, & suis omnibus partibus absolutas effundere: curamus propterea, vt initio animum, & affectum audientis nobis conciliemus, quibusdam præmissis verbis beneuolentiæ, & gratitudinis, quibus vti solemus loco proœmij, vt sic confidentiùs accedamus, oremus, impetremus. Nihil horum omisit Christus in hac diuina, quam nobis dedit, ipsum orandi formula, vbi ante petitiones, augustissimum nobis præscripsit proœmium, rationemque fortissimam, & facillimam, ad amorem eius nobis conciliandum, cùm dicimus, Pater noster, &c. Catechismus Concilij explicans Dominicam orationem, ait. Proœmium hoc, si spectes verba, breuissimum est, si res æstimes, grauissimum est, mysteriorumque plenissimum. Ecce, prima vox qua Dei iussu, & institutione vtimur in hac precatione, est, Pater; quæ timorem nobis afferre possent, vt nomina majestatis, creatoris & Domini, omisit: adhibuit autem, quod orantibus, & aliquid à Deo petentibus, amorem fiduciamque conciliat. Quid enim iucundius est Patris nomine, quod indulgentiam sonat & charitatem? hæc ille.

Proœmiū habet oratio Dominica excellentissimum.

Quare prima vox orationis sit, Pater.

Diuisio orationis Dominicæ.

His positis, dicendum hanc orationem constare tribus partibus. Prima præfatiunculam continet: secunda quatuor bonorum genera petenda: tertia tria malorum genera, à quibus liberari petimus. Quoad primã, iam in præfatione nostra. Ecce tantùm tria verba, Pater noster, qui es in cœlis. Illa petitiones antecedunt, tum ob rationes prædictas, tum vt doceant nos, quomodo & quales esse debeant oraturi, in Deum, in proximos, & in seipsos; in Deum, dicendo Patrem, in proximos, vocando nostrum, in seipsos, qui es in cœlis.

Explicatur particula illa, Pater.

Sed quoad primum, in hac voce, Patris, quæso ante omnia conditionis nostræ excellentiam paucis consideremus, & nihil ea indignum committamus. Attẽdite, Deum Patrem dicimus. Et quid intelligimus? eũ qui ab æterno genuit filiũ, sibi consubstantialem, & coæternum, per quẽ & nos sibi in filios adoptauit. Agnosce, ô homo, tuam dignitatem. In veteri lege non legitur hoc fuisse vnquam decretum, vt Deus ab hominibus Pater appellaretur, vtique Dominus, Deus Sabaoth, vlciscens, zelotes, &c. sed nusquam Pater, hoc legi Euangelicæ seruabatur, in qua per Christum à seruitute liberati, filiorum adoptionem accepimus.

In veteri lege Deus nūquam dicitur Pater.

Quare Deū dicamus Patrem. 1. Ratio.

Ideo igitur Deum Patrem nominamus. Primò, vt memores simus huius summi beneficij, quod in veritate filij Dei nominemur, & simus, sicut ait Iohan. titulis creationis, gubernationis, & redemptionis filij sui. Creationis, nobis vt filiis imaginem suam communicando. Gubernationis, omnia nobis ad vitam necessaria prouidendo. Redemptionis filij, nos per eam hæredes regni sui adoptando, vnde ait Paulus ad Hebr. quod non confunditur Christus vocare nos fratres; sicut Rom. 8. dicitur, quod propterea misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra, in quo, &c. Et hæc ratio cur etiam Ephes. 1. dicit; Benedictus Pater Domini nostri IESV Christi, qui prædestinauit nos in filiorum adoptionem per IESVM Christum. Talium autem maximè adoptiuorum Pater dicitur.

Rom. 8.

Ephes. 1.

2. Secundò, sic appellamus, vt dignitatis nostræ memores simus, nihilque ea indignum committamus, & petamus. Hinc Ephes. 5. D. Paulus exhortatur, vt imitatores Dei simus, sicut filij charissimi, sicque nihil præter eius gloriam quæramus; filiorum enim est, parentum commodis ac honori studere.

Ephes. 5.

3. Tertiò, vt memores simus debiti nostri erga talem Patrem, qui tale erga nos Patris officium gerit, vt nullus alius videatur esse nobis Pater, sicut dicebat: *Nolite vobis vocare Patrem super terram, est enim vnus*, &c. Inde monemur, vt quidquid sumus, & habemus, in eius honorem expendamus, nihilque aliud quæramus quàm eius honorem & gloriam. Quare hoc nomine, Patris, ante omnia exiguntur ab orante duæ conditiones. Prima, vt qui orat, peccatum omne deponat, & peccati voluntatem, ne vt hostis oret, sed vt filius reconciliatus. Secunda, vt in fide, spe, charitate, & fiducia, ad Deum, sicut ad Patrem accedat.

Hoc nomine duæ conditiones ab orante exiguntur.

Noster.

CATECHESIS XLI.

SI aliquo iure Deum Patrem nostrum appellare possumus, præsertim ex eo quod Christus filius eius frater noster est. Et quidem in hoc maximè relucet Dei erga nos charitas, quod cùm non potuerit habere nisi vnum filium naturalem, Christum, multos adoptione habere voluit, qui cum filio eiusdem hæreditatis essent participes, vnde & cohæredes effecit. Quæ adoptio est etiam iuxta Sanctum Thomam participata similitudo eternæ filiationis, seu ex Paulo, conformitas imaginis, &c. O in æternum sit benedicta illa diuina charitas! Benedictus Deus & Pater Domini nostri IESV Christi, qui, &c.

S. Thom.

Hæc est ratio cur Deum non solùm Patrem dicimus, sed nostrum, cur etiam & nos dicimur fratres: hoc vinculum est amicitiæ nostræ & affinitatis, qui habemus omnes communem Patrem Deum, qui nos creauit, gubernat, & redemit, eumdemque Spiritum in corda nostra effudit. Hinc dicimus nostrum, non meum. Itaque cùm oramus, monemur hac voce primò, vt antè deponamus inimicitias cum proximo, & amplectamur omnes sincero amore, vt fratres, iuxta illud Christi: Sic faciet Pater meus, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. & Matthæi 5. Si recordatus fueris, &c. relinque munus, &c. Qua enim mensura mensi fueritis, remetietur vobis, &c. Præstanda misericordia, vbi illam imploramus. Vide parabolam serui nequam & ingrati. Chrysost. hom. 27. in Epist. ad Rom. vnum dicit valde notandum. Magis, inquit, deberet nos ad pietatem mouere quod sumus Christi membra, quàm gehenna. Et alibi. Quid quæso dicis? auersaris hominem fidelem, quem Christus, cùm adhuc esset infidelis, non est auersatus? Quid dico, non est auersatus? ita quippe illum dilexit adhuc turpem, & inimicum, vt etiam pro illo mortuus sit: tu verò formosum iam & admiratione dignum, membrum Christi, imò Dominicum corpus factum, auersaris? non sentis quid dicas? non obseruas quid temerè audeas? Caput habet ipsum Christum, mensam, vestimentum, lumen, & vitam: nam omnia illi Christus est, & audes dicere, auersor illum? cohibe insaniam tuam, & agnosce fratrem. hæc ille.

Quare dicatur Deus Pater noster à Christianis, non meus. 1. Ratio.

Quid moneamur hac voce, noster.

Matth. 5.

S. Chrysost.

Quare cùm sic oramus, & Deum Patrem nostrum vocamus, docemur quomodo ante omnia induere debemus misericordiam, vt illam consequamur à Dominò, sicut dicit Apostolus; Estote inuicem benigni, misericordes, induite vos sicut electi Dei, & dilecti, viscera misericordiæ, supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, sicut Dominus donauit vobis. Item Ephes. 4. Estote soliciti seruare vnitatem Spiritus; sicut ex eodem 1. Corinth. 12. sumus singuli alter alterius membra in Christo: membra autē consentire debent, & se inuicem adiuuare, non inuidere, non odisse, quia membra sunt, sed Christi membra, à quo misericordiæ influxum exceptura sunt.

Ephes. 4. *1. Cor. 12.*

2 Ratio cur dicamus Deū Patrem nostrum. Et hæc item ratio, cur secundò Patrem nostrum dicimus, vt agnoscamus hanc orationem esse communem, ac tendere in omnium vtilitatem, & commodum, sicque licet priuatim dicatur, tamen ad communionem Sanctorum pertinere. Vnde legimus, bis à Christo fuisse dictatam, primò publicè in monte, Matth. 6. secundò priuatim, cùm ab vno discipulorum de modo orandi interrogaretur, Luc. 11. Propereaque in Ecclesia fieri, & publicè, & priuatim, & semper cum hac intentione, vt prosit omnium commodo, & vtilitati, Pater noster.

Bis fuit oratio Dominica dictata à Christo. Matth 6. Luc. 11.

3 Ratio. Respectu Dei omnes sumus pares. Noster, vt tertiò recordemur humilitatis nostræ, simul & dignitatis, omnes enim pares sumus, filij eiusdem Patris, licet pauper, licet diues, Rex, & Princeps, non habent maius priuilegium cùm orant quam pauper, & rusticus. Ille, & iste Deum appellant Patrem, Pater noster. Ecce in quo & dignitatis, & humilitatis diuites debent esse memores, & non se extollere supra pauperes. Ecce etiam vnde & pauperes gloriari debent, quod Deum Patrem habeant; sic Franciscus, sic alij: imò magis, cùm vt plerumque dicatur Deus diuites dimittere inanes, respicere autem in orationem humilium, & non spernere preces eorum.

Qui es in cœlis.

CATECHESIS XLII.

HÆc verba Christi mentes nostras penitus de terra eleuant, vt iuxta statum nostræ cōditionis, superna & cœlestia sapiamus, contemplemur cœlum, & ad illud æterni patris nostri domicilium tendentes nos extēdamus. Proprium Dei & essentiale est vbique esse, & omnia implere, essentia; præsentia, potentia; in hoc est omnis ratio immensitatis. Psalm. *Si ascendero in cœlum, tu illic es.* &c. Quare constat inter omnes qui bene sentiunt de Deo, ipsum vbique locorum esse, vbique totum, & non diuisum, aut distributum in partes pro diuersitate locorum. Ego, ait Ierem 23. cœlum & terram impleo, sed non definitus: Gregor. Sic est intus, vt extra sit, sic circumdat, vt penetret, &c. Trismegist. Deus est circulus cuius centrum vbique, & circumferentia nullibi. Omnibus rebus adest vt creans ipsas, vel creatas conseruans, iuxta illud Act. Non longè abest ab vnoquoque nostrûm, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.

Deus est vbique. *Ierem. 23.* *S. Gregor.* *Trismegist.*

Quamuis autem hæc ita sint, interim dicitur sæpe in diuinis Scripturis, habere locum & domicilium in cœlo, sicuti hic, Pater noster qui A es in cœlis. Ratio est, quia nobilissima sunt pars mundi, vtpote qui præstant cæteris, magnitudine, pulchritudine, incorruptione, aliisque excellentiis. Item quia in his maximè gloriam suam dilectis aperit. Regis sumatur exemplum, qui præsens est potentia toti regno, præsentia in regia vrbe & maiori, essentia in domo, vbi magis relucet gloria, & splendor majestatis. Sic de Deo, licet diuersimodè, quia vbique est æqualiter, præsentia, potentia, & essentia; interim prodit hæc omnia in cœlis: vnde dicimus, Pater noster, qui es in cœlis.

Ratio cur Deus dicatur esse in cœlo. *Exemplum.*

Aliæ item rationes sunt, quoad nos, cur Patrem dicimus in cœlis. Prima est, vt orantes memores simus, præter terrenum patrem, nos B æternum habere in cœlis, respectu cuius carnales nullius sunt ponderis. *Aliæ rationes.*

Secunda, vt excitemur ad reuerentiam erga talem Patrem qui habitat in cœlis, intuentes eius diuinitatem, potentiam, & Majestatem infinitam, quæ maximè relucet in opere cœlorum. 2.

Tertia, vt orantes sursum corda nostra eleuemus, sicut ait Apostolus Coloss. 3. Quæ sursum sunt quærite. Sic Dauid; Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Omne enim donum perfectum, ait Iacobus, & omne datum optimum desursum est, descendens à Patre luminum, qui est in cœlis. 3. *Coloss. 3.*

C Inde quarta, vt admoneamur omne patrimonium nostrum, seu hæreditatem paternam repositam esse in cœlis, iuxta illud Beati Petri; Regenerauit nos in spem viuam, & hæreditatem incorruptibilem, conseruatam in cœlis. Vnde contemptus terrenorum & caducorum, & amor æternorum, iuxta illud Christi: Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Scire vultis vbi sit hæreditas vestra, & thesaurus? ecce in cœlis, Pater noster, &c. Inde August. consilium dat de corde nostro. Leua, inquit, in cœlum, ne putrescat in terra. Pater noster, qui es in cœlis. Ecce vbi thesaurus. 4. *August.*

Quinta ratio, vt admoneamur nos hic peregrinos esse in terra, dum viuimus, sicut ait Paulus, D dum viuimus peregrinamur à Domino, ac proinde non habere nos hic ciuitatem permanentem, sed futuram in cœlis. Pater noster, qui es in cœlis. Hinc lacrymæ Regis Dauid; Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Fuerunt mihi lacrymæ, &c. dum dicitur mihi, vbi est Deus tuus? Hæc recordatus sum, & effudi animam, quoniam transibo, &c. Quàm dilecta tabernacula tua! Pater noster, &c. Hinc & Paulus; Conuersatio nostra in cœlis est. Ecce vnde cogitationes nostræ, & affectus in cœlis, ecce vndè cœlestia, & non terrena petere debemus. 5.

Ecce vnde & sexta ratio habetur, nempe, vt ante omnia, quæ talis Patris gloriam decent, pe- E tamus, id est, super omnia, & ante omnia, sicut ordine positum est, laudem eius, gloriam, & honorem quæramus, vt sic semper in nobis, velut in cœlis habitet; cœli enim spirituales Dei, Sancti sunt, & iusti, qui in cunctis operibus suis enarrant gloriam Dei, vt ipsemet Christus dixit. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis est.* 6.

Cœli spirituales Dei, Sancti sunt.

* *
*

Sancti

Sanctificetur nomen tuum.

CATECHESIS XLIII.

VNVM quod summè Christus quæsiuit in terra, & voluit stabilire, manifestatio fuit, & sanctificatio nominis Dei Patris. Iohannis 17. *Ioh. 17.* Pater, manifestaui nomen tuum, notum feci hominibus, quos dedisti mihi, & ipsi acceperunt, &c. Desideriorum nostrorum interpres est oratio, sed desideriorum regula & directrix est charitas, illa est quæ cunctis rebus ordinem imponit. *Desideriorũ regula est charitas.* Paulus, quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Quid igitur ante omnia à nobis exigit charitas? Gloriam Dei, & vt sanctificetur nomen eius. *Charitas quid à nobis primò exigat.*

Videamus modò quàm excellens sit illa Dominica oratio, videamus petitionum ordinem, & quid ante omnia desideret. Ecce, Pater noster, sanctificetur nomen tuum. Deum appellamus Patrem, & propterea tanquam filij primò eius gloriam quærimus. Ordinauit in me charitatem. Iuxta quod ante omnia Deum diligere debemus, ita plus boni, & ante omnia, ei optamus & petimus. Diuus Thomas cum aliis Theologis, *D. Thom. Tres modi maioris dilectionis.* dicit tribus modis aliquid plusquàm aliud posse diligi, & optari, obiectiuè, intensiuè, appretiatiuè. Obiectiuè, cùm in se, & ex natura sua, habet rationem maioris boni & eligibilis. Intensiuè, cùm ex maiori feruore, & vehementia petitur. Appretiatiuè, cùm comparatiuè præfertur. Tribus his modis habet Dei bonum seu gloria, vt ante omnia petatur, vtpote in quo est ratio omnis boni, vt & feruentiùs quæratur, & comparatiuè cuicumque præferatur; etenim nihil ei comparabile. Pater noster, &c. sanctificetur nomen tuum. Gloria filiorum patres. Cunctis tua innotescat majestas. Quare quid intelligatur hac petitione, sciendum est modò.

Primò sciendum, nihil nos petere Deo intrinsecus accedere, quod antea non habuerit: etenim *Non petimus aliquid intrinsecè Deo accedere.* in se est fons omnis sanctitatis, nec hoc habet à nobis, sed à se. Sanctum & terribile nomen eius, ait Psaltes, & iterum; Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Propterea non hoc petimus ab hominibus, *Quid petatur à Deo hac petitione. 1.* qui non sunt sufficientes cogitare, agnoscere, aut laudare Deum, sed ab ipso Deo, vt hanc gratiam donet, & operetur in nobis. Item non petimus vt à nobis sanctificetur, sed absolutè hoc petimus, quia eiusmodi desiderium limitari non debet, sed extendi ad omnes, qui sunt in cœlo, in terra, & sub terra. Inde non minus ad sanctificationem nominis refertur, (sicut in cœlo, & in terra) quàm ad voluntatem; Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, sicut in cœlo, & in terra: ita vt sicut cœlites summo consensu Deum glorificant, & efferunt, sic precemur vt idem contingat orbi terrarum, & omnes gentes Deum agnoscant, & venerentur, eiusque laus, & nomen, in mente, animo, corde, & ore omnium versetur.

2. Quid petimus. Secundò, intelligitur hac petitione, vt Christi Ecclesia agnoscatur, & in omnium veneratione sit, veraque, & vna religio sese per totum orbem diffundat: hoc enim pacto nomen Dei sanctum redditur, id est, celebratur, sicut è contrà minuitur, & blasphematur.

Tertiò, speciatim petitur, vt omnes infideles, & hæretici, relictis tenebris, ad fidei lumen veniant, & Christo se adiungant in fide & operibus. 3.

Quartò, vt Christiani, qui in peccatum prolapsi sunt, & innocentiæ, sicut gratiæ nitorem amiserunt, resipiscant, & pœnitentiam agant, vt ad cor redeant, & in ipsis honorificetur Deus, & sic sanctificetur nomen eius. Etenim actus iustitiæ est pœnitentia, quæ reddit Deo honorem ablatum, & sic sanctificat, & magnum prædicat, sanctum nomen eius; ita & in cœlo gaudium erit. 4.

Quintò denique petimus, vt omnibus hoc lumen det, & gratiam, qua omnia bona, & animi, & corporis, à Deo esse cognoscant, & sic ipsi omnia referant, iuxta illud Iacobi: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est,* &c. Pater sancte, sanctificetur nomen tuum, omnes te ament, agnoscant, laudent, prædicent. 5. *Iacobi 1.*

Nomen tuum.

CATECHESIS XLIV.

CONSIDERANTES verba petitionis huius, quærere possumus, cur dixerit potiù Christus, sanctificetur nomen, quàm laudetur. *Quare dixerit Christus potius sanctificetur, quàm laudetur.* Huius rei ratio est, quia nihil est quod magis æstimet quàm sanctitatem, vnde nulla ei dari potest maior gloria, quàm sanctum dicere. Sic Seraphim, sic quatuor animalia Apocalyp. 5. incessanter clamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth, qui est, qui fuit, & qui futurus est, nempe sanctus. *Apoc. 5. Deus solus est sanctus.* Eadem ratione consideramus, cur dicimus, nomen tuum, non meum, scilicet quia solus est essentialiter sanctus, & in singularitate sanctus. Fortasse inde Ecclesia dicit, quoniam tu solus sanctus; vnde & cæteri sancti sunt tantùm participatione eius sanctitatis. Quare nullus est præter eum, qui tale nomen mereatur sanctitatis. O Pater sancte, de tua sanctitate congratulor, sanctificetur nomen tuum, magnum prædico & sanctum. Inde Psal. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Verùm iam considerandum est, quomodo sanctificaturi sunt, qui sanctificant, & dicunt, sanctificetur, &c. *Quomodo nomen Dei sanctificetur. 1.* Primò, qui sanctè viuunt, & in sanctitate perseuerant. Hæc ratio Apostoli 1. Thes. 4. *1. Thes. 4.* Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione, non in passione desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deum; non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam Spiritum sanctum suum dedit in nobis. Non enim (Rom. 8.) accepistis spiritum seruitutis in timore, sed adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater. *Rom. 8.* Sanctificetur nomen tuum. Ita Christus Iohannis 17. *Ioh. 17.* Pater sancte, sanctifica eos in veritate: quasi diceret, sanctificetur nomen tuum in eis, id est, sancti sint. Ego enim pro eis sanctifico meipsum. Intelligite hoc, ô Christiani, & quid etiam dicat Pater; Sancti estote, sicut ego sanctus sum. Spiritus autem est, qui testimonium dat spiritui nostro, quod sumus filij Dei.

Secundò, sanctificamus cùm credimus ei, & in eum, id est, credendo speramus & amamus: 2.

in hoc enim consistit præcipua eius nominis glorificatio, vt omnes credant omnibus quæ dixerit, & reuelauerit, sperent in omnibus promissis, & omnibus eius mandatis obtemperent, ament, & adorent, intantum vt fidei opera respondeant; & sic glorificent hunc Patrem, qui in cœlis est, vt dicitur Matth. 5. Ita 1. Petr. 2. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum.*

Matth. 5.
1. Petr. 2.

Ecce sanctificatio, & prædicatio diuini nominis, has nobis partes imposuit Deus. Sic luceat lux vestra, &c. Alioquin accidit, vt pro benedictione, etiam maledicatur ipsi Deo, sicut ab Apostolo dictum est; *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.* Rom. 2. Et apud Ezech. 36. sic conqueritur Deus de filiis, qui in causa sunt malè viuendo vt blasphement gentes. *Polluerunt nomen sanctum meum, cùm diceretur de eis, populus Domini iste est.* Ac si dicerent, considerate opera, & ex eis, qualis sit eorum Deus. Qualis enim est vita, ô Christiani, & eorum mores, qui aliquam religionem profitentur, sic de religione ipsa, & eius authore populus iudicare solet. O Domine, quàm multi, qui hoc quotidie dicentes, nempe, sanctificetur nomen tuum, operibus suis sæpius & verbis blasphemant! O blasphemi, ô violatores huius sancti nominis Dei, quid dicitis ad hæc?

Rom. 2.
Ezech. 36.

Qui sint qui blasphemant nomen Dei. Qui sanctificant.

Vultis scire qui blasphemant? peccatores omnes, falsi fideles, etiam hæretici, qui falsam, & non veram de Deo dant agnitionem. Qui autem sanctificant? filij & fideles, qui vbique bene sentiũt & loquuntur de Deo, vt qui tertiò, adinstar Christi filij naturalis Dei, in omnibus, & ante omnia eius gloriam spectant, sicut nos edocuit, & verbo, & opere, & exemplo Iohan. 8. Non quæro gloriam meam, sed honorifico Patrem. Et iterum cap. 17. Pater, manifestaui nomen tuum hominibus, & notum faciam, vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

3.
Ioh. 8. & 17.

Adueniat regnum tuum.

CATECHESIS XLV.

ECCE adhuc vnum, quod suis Christus commendauit in terra, quodque præcepit nobis, vt antè quæreremus regnum Dei Patris. Charitas ordinat, & disponit omnia: vnde postquam in prima petitione, quæ Dei sunt, & ad eius gloriam spectant, rogauimus, nunc petimus, quæ sunt nostræ salutis; Adueniat regnum tuum. Eò referuntur omnia, eò terminatur prædicatio Euangelij, eò pœnitentia, eò fides, spes, charitas, & omnes bonæ actiones, eò vita, eò gratia, eò gloria. Sic exorsus est Iohan. Baptista ad pœnitentiam exhortans Matth. 3. simile initium dedit suæ prædicationi ipse Saluator Matth. 4. Et cap. 5. eò retulit octo vias beatitudinis, quas discipulos in monte docuit. Vnde & Luc. 4. eis qui eum retinere vellent dixit; Et aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum. Missionis eius causam attendite. Ecce finis, & terminus, ecce quò tendit eius aduentus; Adueniat regnum tuum. Ecce quò mors, & passio tendit, quò resurrectio eius, & ascensio. Propterea Actor. 1. dicitur, quia cùm resurrexisset à mortuis, per illos quadraginta dies apparens eis loquebatur de regno Dei. Hinc & iussit Aposto-

Excellentia huius petitionis.
Matth. 3.
Matt. 4. & 5.
Luc. 4.
Act. 1.

A los prædicare, & omnes quærere. Matth. 6. *Quærite primùm regnum Dei.* Quæramus igitur, & dicamus; Adueniat regnum tuum. Ad hoc nati sumus & vocati. Matt. 6.

Varia regna præter regnũ Dei.

Verùm quid hoc nomine intelligatur, sciendum. Quare est notandum, præter Dei regnum alia esse & diuersa, quædam impia, quædam vana, & caduca, alia verò bona & æterna. Inter impia sunt regna peccati, mortis, diaboli, & carnis. De primo Rom. 6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. De secundo Rom. 5. Regnauit mors ab Adam, vsque ad Moysem. De tertio Iob. 4. dicitur, quod diabolus est Rex super omnes filios superbiæ. Et Ioh. 12. Nunc iudicium B est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Sicut alibi: Ecce nunc potestas tenebrarum, &c. De quarto, quando dicitur, quod spiritus est aduersus carnem, & caro aduersus spiritum; regnum autem est, cùm dominatur caro spiritui. Ecce omnia impia regna fugienda & detestanda.

Impia regna.
Rom. 6.
Rom. 5.
Iob. 4.
Ioh. 12.

Regna caduca.

Alia sunt vana, & caduca, vt terrena & temporalia, vtpote Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, &c. quæ licet sanctè administrari possint, vana tamen sunt, sicut ait Apostolus; Quæ videntur, caduca sunt, & omnia, ait Psaltes, sicut vestimentum veterascent: quæ autem non videntur, æterna. C Vnde non vult Christus vt illa quæramus, sed ista, nempe bona æterna. Filij hominum vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Homo cùm interierit non sumet omnia; neque descendet cum eo gloria eius. Relinquent alienis diuitias, & sepulchra eorum, domus illorum in æternum. Ecce regna & ditiones eorum. Huc facit historia conuersionis ad religionem istius magni viri Francisci Borgia ducis Candiæ, viso corpore emortuo, deformi & iam vermibus scaturiente, Isabellæ Imperatricis, Caroli V. vxoris.

Quid agitis filij terræ? O filij hominum agnoscite iam cuius regni participes estis, cœlestis & æterni. Diuus Paulus Coloss. 1. cum gaudio gra- Coloss. 1.
D tias agit Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Secundum quod hodie dicimus; Adueniat regnum, &c. regnum misericordiæ, gratiæ, gloriæ, regnum quod est regnum omnium sæculorum, regnum quod est cœlum, paradisus & gloria, regnum quod est vita, & vita æterna: regnum denique quo in iustis, & beatis regnat Deus sicut in cœlo, & in terra.

Regnum Dei.

De triplici regno Dei.

E CATECHESIS XLVI.

PER Christum sumus omnes filij magni Regis, ciues & hæredes regnorum eius. Iuxta quod Deus author est naturæ, gratiæ, & gloriæ, gaudet etiam titulo trium regnorum, naturæ, gratiæ, & gloriæ; & sic Rex est triplicis coronæ.

Triplex regnum Dei.
Regnum naturæ.

Naturæ regnum illud est, quo omnes creaturas absolutè regit: licet enim aliquando contradictionem sustineat à malis, tamen illos subiicit iustitiæ suæ legibus, & sic regnat super omnes. Ita Mardochæus Esth. 13. *Domine Deus, Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere tuæ voluntati: Dominus enim omnium*

Esth. 13.

omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ. Sic Psalm. A
Ps.94. 94. *In manu eius sunt omnes fines terræ.*

Regnum gratia. Regnum gratiæ illud est, quo maximè bonos regit, & gubernat, illisque absolutè præest. Sic Dauid Psal. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit* (ad seruiendum.) Hoc regnum alio nomine dicitur iustitiæ, & pacis, cùm nempe omnia quæ sunt in homine, interiùs, exteriùsque, ad Dei obsequium, & maiorem gloriam eius concurrunt: ita vt, sicut Apostolus ait de se; Viuo ego, iam non ego, &c. ita illi liceat dicere, regno ego, iam non ego, regnat verò in me Christus. De eo sermo erat Luc. 17. Regnum Dei intra vos est, regnum cordis, in quo Christus per gratiam inhabitat, disponens omnia. Similiter Rom. 14. Regnum B Dei non est esca aut potus, sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto.

Ps.22. Luc.17. Rom.14.

S.Ber. Sic regnare Christum in se exoptabat S. Bern. Sermone de aduentu, cùm dicebat. Veni Domine IESV, & aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, vt regnes & tu in ea. Venit enim auaritia, & vendicat sibi in me sedem, iactantia cupit dominari mihi, superbia vult mihi esse rex, & inuidia, luxuria, ambitio, dicit, ego regnabo. Interim Dominum meum IESVM reclamo, me illi committo, & dico, non habeo Regem nisi IESVM. Veni ergo Domine IESV, & aufer scandala de regno tuo, veni, & disperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu C es ipse Rex meus, & Deus meus. Attollite iam portas, principes, vestras, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste? Dominus virtutum ipse est. Ipse regnabit, dicit Angelus, in domo Iacob in æternũ. Iacob significat qui supplantat: ecce in quo regnabit IESVS, in eo qui supplantat diabolum, &c. qui luctatur cum vitiis, vt non regnet peccatum in suo mortali corpore. De hoc vos oro, cum Apostolo, vt non regnet in vobis, sed potiùs regnet IESVS, hic per gratiam, in cœlo per gloriam.

Regnum gloriæ. Tertium est regnum Dei, nempe gloriæ, vbi Christus plenissimè regnat iam, & regnaturus est in resurrectione futura. Istud est ad quod nos creati, & vocati per gratiam sumus. Istud de quo D Christus; Quærite primùm regnum Dei, pœnitentiam agite, & appropinquabit: de quo; Euge serue bone, intra in gloriam Domini tui: de quo omnibus; Venite benedicti, possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi. Illud etiam est, quod præ cæteris petimus aduenire nobis. Quod enim attinet ad regnum naturæ, venit iam, nec expectatur. Quod etiam ad regnũ gratiæ, item ex parte venit. Istud autem quod est gloriæ, in expectatione est nobis, vnde illud præsertim petimus cùm dicimus; Adueniat regnum tuum. Quare ex August. in Psalm. 118. accidit, vt simul hac petitione petamus à Deo, diem iudicij aduenire, in E quo perfectè regnabit, tum in bonis per gloriam, tum in malis per iustitiam. Sicut enim, inquit, ante aduentum Domini, omnes antiqui patres eò vota sua referebant: ita hodie omnes iusti, ac sancti istum secundum aduentum Domini petunt, qui allaturus est nobis vitam æternam. Certissimè autem nobis adueniet regnum istud, si priùs in nobis regnare fecerimus Christum. Gratia vita æterna; est enim ipsius Saluatoris sententia, Ioh. 4. Gratia, fons aquæ salientis in vitam æternam.

Præcipuè petimus aduenire regnum gloriæ in nobis. August. Iohan.4.

De modis acquirendi regni Dei.

CATECHESIS XLVII.

CHRISTVS IESVS non solùm docuit nos petere regnum Dei, sed etiam quærere modum perueniendi ad illud: neque enim petere satis est, nisi & necessaria adhibeamus ad habendum. Etenim Matthæi 25. quæritur, & non datur. Quinque sunt fatuæ virgines, quæ dicunt; Domine, Domine, aperi nobis, & non aperitur eis. Quare cùm Matt. 6. nobis præcepit Christus, vt quæramus primùm regnum Dei, statim subiunxit, & iustitiam eius: quasi diceret, quia non nisi iustè obtinetur. Hæc est enim regni iustitia, vt ea quæ regni sunt operemur, nempe virtutes, & bonas actiones. Talis est, & solus quærendi, & inueniendi modus. Nemo sic rectè quæsiuit, dicit Aug. & minimè inuenit. Quare qui absque iustitia quæret, frustrabitur, & non inueniet. Matth. 7. audio sententiam ore Dei pronuntiatam: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit,* &c.

Matth.25. Matth.6. August. Matt.7.

Vultis iam scire qui intrabunt? Audite primùm ex Dauide modos omnes. Psalm. 14. ipsemet interrogat Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? & respondet; Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum. Qui facit hæc non mouebitur, ipse intrabit. In vniuersum hos modos, ac vias assumere possumus, nempe, innocentiã, humilitatem, pœnitentiã, mandata, ac in bono perseuerantiã. Hæc enim omnia, actiones iustitiæ sunt.

Qui sint qui intrabunt in regnum Dei. Ps.14. *Modi acquirendi regni Dei.*

1. Innocentia. Ac primò de innocentia. Idem Psal. Domine quis ascendet, &c. Respondet; Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam. Innocens autem ille est, qui gratiam conseruauit: vnde in regno Dei expectat repositam sibi coronam iustitię, iuxta illud Christi; *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.* De mundis etiam corde dicitur, quia Deum videbunt. Quare, qui non sic accepit in vano animam suam, ascendet, & obtinebit regnum Dei. Sed quis ille? inquies. Cassiod. ibi dicit, eum esse, qui se nouit ad diuinitatis intelligentiam fuisse procreatum, ad legem Domini custodiendam, ad cogitationes vitæ æternæ, & quidquid potest supernam gratiam promereri. Vt è contrà, ille in vano accipit, qui putat desideranda, quæ sunt transitoria & caduca.

Cassiod.

2. Humilitas. Secundò de humilitate, inquantum est omnis virtus, & iustitia. Vnde Christus; *Qui se humiliat, exaltabitur.* In cœlo & regno Dei curia non est nisi humilium. Rex est humilis Christus, Regina humilis Maria: ita & omnes domestici. In Apoc. legitur quod viginti quatuor seniores ante Agnum coronas suas deponunt. Superbia omnis ad Inferos detracta est, nec instanti in cœlo subsistere potuit.

3. Pœnitentia. Matth.11. Tertiò de pœnitentia. Christus Matth. 11. *A diebus Iohannis, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Vnde cum eodem Christo Iohãnes; Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cœlorum. Alioquin, ait ibidem Christus, nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis. Alia via non est quàm pœnitentia, & crux. Ita Sancti omnes, de quibus sic dicitur, vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.

4. Obseruatio legis. Quartò, alia item via in Scripturis proponitur, legis,

Matth. 19. & 7. legis, atque mandatorum obseruatio. Matth. 19. vno verbo hoc definit Christus: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Vnde & 7. cap. dixerat: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit, sed qui facit voluntatem patris.

5. Perseuerãtia. Luc. 9. Quintò de perseuerantia. Luc. 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Quasi iterum diceret, quod alibi, qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Sic in Apoc. Tene quod habes, & nemo accipiat coronam tuã; quia quisque coronãdus est si perseueret.

Præter has vias, multum adhuc iuuabit, si terrenis despectis, semper cœlum suspiciamus, ac vbique quæ sursum sunt, sapiamus, vbi Christus est Matth. 13. in dextera Dei sedens. Matth. 13. dicitur quia simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Qui enim semel nouit diuitias Christi, omnia contẽnit cum Paul. Phil. 3. vt lucrifaciat Christum. O Christiani, dicit Isaias cum eodem Paulo 1. Cor. 2. *Quod oculus non vidit, auris nõ audiuit*, &c. Philip. 2. 1. Cor. 2.

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.

CATECHESIS XLVIII.

Conformitas diuinæ volũtati, signum prædestinationis. SIGNVM & nota prædestinationis nostræ est, iuxta Apostolum, conformitas imaginis Christi in nobis. *Quos prædestinauit*, &c. ait Rom. 8. Illa autem conformitas in executione diuinæ voluntatis maximè consistit. De modis perueniendi ad regnum Dei suprà loquebamur; ecce vnus complectens omnes, diuina est voluntas. Quare statim subiũcta est postulato Dei regno, quia ad illud perueniri nusquã potest, nisi fiat sicut in cœlo, & in terra. Quantum sit bonum, ex his intelligi potest, sicuti ex omnibus malis, quæ acciderunt nobis ex illa Dei voluntate neglecta, in primo omnium parẽte. Omnium autem malorum remedium diuina est voluntas. Per inobedientiam vnius, ait Apostolus, peccatores constituti sunt multi, & per obedientiam vnius Christi, omnes iusti. Omne malum obedientia reparat, quod inobedientia inuehit. Itaque quid hac petitione petimus, sciendum. Rom. 8. *Modus est acquirendi regni Dei.* *Quantum sit bonum.*

Diuinæ voluntatis differentia. Primò, constituenda est differentia diuinæ voluntatis iuxta Theologos. Vna est beneplaciti, seu explicita, aut simpliciter voluntas: altera signi. Quantum ad primam, non pendet à nobis vt fiat, quia absolutus est Dominus omnium, sicut scriptum est: Omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra. Et Rom. 9. Voluntati Dei quis resistet? Voluntas eius, potestas eius est. Dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt. *Voluntas beneplaciti.* Rom. 9.

Voluntas signi. Quantum verò ad secundam, quæ dicitur signi, vt fiat dependet à nobis, si quidem illa alia non est quàm lex eius, & consilia. Talis autem dicitur voluntas signi, quia in eius præceptis & consiliis nobis suam voluntatem significat, & quid velit à nobis fieri: hoc autem vt fiat, vel non fiat, in nostro relinquit arbitrio.

Quid in hac petitione postulemus à Deo. 1. Itaque cùm hoc dicimus, primò gratiam petimus & opem, vt fideliter diuinis eius mandatis obtemperemus, eique ad nutum seruiamus in sanctitate, & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ, sicque adimpleamus omnem eius voluntatem, quæ declarata est nobis, notate, in præceptis legis, consi-

A liis Euangelij, inspirationibus Spiritussancti, & Ecclesiæ statutis. 1. Petr. 1. *Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei*, &c. 1. Petr. 1.

Secundò petimus, vt neque voluntatem propriam faciamus, neque voluntatem carnis, quę militat aduersus spiritum; neque Diaboli, quæ militat aduersus Deum; neque mundi, quæ vana est, & militat aduersus cœlum: sed vt vbique, & semper voluntatem Dei faciamus, quia & vita in voluntate eius. Ita Christus viuebat, qui dicebat: Cibus meus est, vt faciam voluntatem patris. Ita & nos hoc pane viuimus; Adam non seruauit hunc cibum, & mortuus est. 2.

B Tertiò petimus, vt in omnibus aduersis, diuinæ voluntati nostram subiiciamus, & penitus in omnibus ei conformemus, scientes omnia gubernari diuina prouidentia, nihilque accidere nobis, quod non sit aut volitum, aut permissum à Deo, ac tandem eius ordinationi perfectissimè subiectum, vtpote qui disponit omnia suauiter, &c. Christus voluntatem patris fecit vsque ad dolores, & mortem Crucis. O felicęs qui hanc diuinam voluntatem semper inspiciunt! Isti sunt filij patris, qui in cœlis est, germani filij eius IESV Christi. Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est. Vnde frater, vnde soror, vnde mater, nisi quia in obedientia est mul- *Christi obedientia.*
C tum ei conformis? Non mea, inquiebat, sed tua voluntas fiat. Ecce quousque monstrat se esse filium patris, vsque ad exinanitionem suæ voluntatis, vt patris voluntatem faciat. Ita & nos filij, & fratres erimus, si cum Paulo dicamus, Domine quid me vis facere? si cum Psalte; Doce me facere voluntatem tuam. Ob eamque causam non confundetur Christus vocare nos fratres, dicens; Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, vt diuinam voluntatem tuam semper faciant, ac inter orandũ tibi dicant, fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. 3.

Sicut in cœlo, & in terra.

D

CATECHESIS XLIX.

REPARATOR noster Christus obedientia sua pacem reddidit mundo, & in eo stabiliuit regnũ Dei patris; Non mea voluntas, inquit, sed tua fiat, sicut in cœlo, & in terra. Quamuis regnum Dei sit vniuersale, omniaque tempora, & loca comprehendat, maximè tamen dicitur regnare in cœlo, quia ibi perfectissimè diuina eius regnat voluntas. Etenim quod facit Deũ regnare, est obeditio, & diuinæ voluntati submissio; in cœlis autem perfectissima est. Quare in oratione petimus, vt fiat sicut in cœlo, & in terra. Perfectissima perfectissimis modis fieri debent; perfectissimum in Deo, absolutissima est eius voluntas: vnde petimus, vt fiat sicut E in cœlo, & in terra. *Deus in cœlo maximè regnat.*

Itaque hac clausula postulamus, vt obedientia nostra ad eam regulam dirigatur, quam seruant in cœlo beati, ita vt quemadmodum illi summa cum voluptate obediunt diuino numini, ita & nos quã libentissimè diuinæ voluntati pareamus. Hic autẽ non est intelligendum, vt accipiatur, in cœlo, secundum æqualitatem, quia nemo ad eorum perfectionem in hac vita peruenire potest, qui sine peccato non viuimus; quod quidem in cœlo minimè est: sed secũdum similitudinem, quæ licet adhuc in effectu, aut ipso opere par esse non possit, in affectu tamen & desiderio esse potest. *Hac petitione quid à Deo postulemus.*

Hæc

In quo consistat similitudo obedientiæ nostræ & beatorum. Hæc autē similitudo his verbis exprimi potest, sincerè, constanter, alacriter, promptè, fideliter, ita vt omnia punctualiter seruentur. Deut. 12. Quæ ego præcipio tibi, hęc facies, nec addas, nec diminuas. Item, ita vt omnem spiritum applices, & conatus, vt dignè obseruetur, id est, vt oculos, pedes, manus, cor, & affectum afferas. Promptè quoad executionem sine mora. Sic de Apostolis dicitur Matth. 4. quod relictis retibus, &c. Sic de Abraham legitur, cùm renunciatum ei fuisset, deserere terram, & filium proprium immolare. Sic de Marco Monacho, apud Cass. qui plus cæteris à Siluano Abbate diligebatur ob promptam obedientiam. Atque in hoc Angelis sumus similes, qui omnes dicuntur administratorij spiritus, & executionis. Alacriter, hilarem enim datorem diligit Deus. Magnus autem ille dator est, qui dat voluntatem: vnde oportet vt bono animo, & alacri eam subiiciat. Bernard. Serenitas in vultu, & dulcedo in sermonibus, decorat obedientiam. Hoc sensu intelligi potest, quod dixit Christus; *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Constanter, manum tuam misisti ad fortia, agendum est instanter, obediendum constanter. Quid enim prodest currere, & ante cursus metam deficere? Sic currite, vt comprehendatis. 1. Corinth. 9. Viam mandatorum tuorum cucurri, nec defeci. Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit. Sincerè, vt dicere possit Deus; In auditu auris obediuit mihi, id est, vt audiuit, adimpleuit sincerè, integrè, purè, non discutiens causas, aut rationes, non quærens quæ beneplacita sunt sibi, sed quæ beneplacita sunt Deo, vt ipse Christus dicebat de se Iohan. 8. A meipso facio nihil, sed quæ beneplacita sunt ei, facio semper. Sic Aug. 10. Conf. Optimus minister tuus est, Domine, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipse voluerit, sed potiùs hoc velle, quod à te audierit.

Deut. 12. Matth. 4. Cass. Bern. 1. Cor. 9. Ioh. 8. Aug.

Ecce quinque modi quibus fit Dei voluntas, sicut in cœlo, & in terra, quibus conformes sumus Angelis, imò & filio Dei, qui perfecta & peracta voluntate patris in terra, propriam abnegauit. Non mea, sed tua voluntas fiat, non sicut ego, sed sicut tu vis. Denique quibus conformes esse petimus omnibus iustis, & piis, qui ex Cypriano in orationem Dominicam, dicuntur cœli Dei, sicut terra mali, in quibus sicut in bonis ipsum regnare precamur, vt sit omnia in omnibus Deus.

Cyp.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Catechesis L.

Optimvm hic ordinem seruauit Christus; post diuinarum rerum petitionem, ecce humanarum sequitur postulatio. Postquam quæ ad animam spectant postulauimus, quæ ad corpus pertinent petimus, postquam gratiam, & veram vitā quæsiuimus, quæ ad illam & naturalem tuendam necessaria videntur quærimus: post æterna tandem quæ temporalia sunt. Sic 1. Corinth. 10. Paulus ait, quæ spectant ad vsus vitæ necessarios, ad Dei gloriam referri oportere, siue enim manducatis, siue bibitis, siue aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite.

1. Cor. 10.

Sciendum autem est, hac petitione antè peti pa- A nem spiritualem, & pòst corporalem: item significari, nos duplicem accepisse vitam; vnam Christianorum propriam, quæ in gratia Dei, & charitate consistit, & dicitur spiritualis: alteram nobis communem cum Ethnicis, & dicitur corporea; proinde hic peti, quæ ad vtramque spectant, sed maximè quæ ad spiritualem.

Quid hac petitione postulemus. Duplex vita.

Huius rei veritatem habemus, & exemplum in Gen. in primo omnium parente, cui dederat Deus duo genera alimenti, vnum corporis, aliud animæ. Primum erat; *De omni ligno paradisi comede.* Secundum est in obedientia, & obseruatione huius præcepti: *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Qua enim hora,* &c. Adam memor tan- B tùm fuit corporis sui, & oblitus est animæ suæ, & neglexit dare illi cibum suum, vnde & illam interemit peccato inobedientiæ. Christus autem qui venit animas saluare, hoc vitæ alimentum retulit, cùm dixit; Cibus meus est, vt faciam voluntatem patris. Quapropter maximè hic hunc cibum & panem petimus, licet etiam alterum postulemus. Sicut enim vtramque vitam à Deo gratuitò, & eius beneuolentia accepimus; sic pro vtraque eius bonitatē postulamus. Igitur vniuersaliùs dicendum, quid per panem intelligamus.

Cibus corporis. Cibus animæ.

Scriptura sacra istius panis diuersam nobis proponit intelligentiam. Primò, illud omne quod C ad vsum vitæ necessarium est, nobis proponitur hoc nomine, vt victus, & vestitus, &c. Hoc modo loquendi vsum fuisse Elisæum videmus 4. Reg. 6. cùm Regem moneret, vt præberet panem militibus Assyriis, quibus dicitur statim magnam copiam ciborum datam fuisse. Ita Prouerb. 30. dicitur à Salomone: *Tribue tantum victui meo necessaria.* Quo sensu D. Paulus 1. Timoth. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.

Quid per particulam, panem, intelligendum. 1. Ad vsum vitæ necessaria. 4. Reg. 6. Prou. 30. 1. Tim. 6.

Secundò, hac voce videmus aliquando, & communiter significari, quæ ad cibum & potū pertinent, quomodo de Christo legimus Luc. 14. qui ingressus est in domum cuiusdam principis Pha- D risæorum Sabbatho, manducare panem; sic apud alios plures, vt Lazarum, &c. Quæ omnia dicit August. tractans illud; *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* Non petimus, inquit, temporalia hæc vt bona nostra, sed tanquam necessaria nostra.

2. Quæ ad cibum pertinēt & potum. Luc. 14. Aug.

Tertiò, hoc nomine panis intelligitur maximè panis supersubstantialis, hic panis, qui Deus est, sacrosanctæ Eucharistiæ panis, panis altaris, panis viuus, & vitæ, panis de cœlo descendens, de quo Iohan. 6. Dicimus autem hunc panem quotidianum, quia hac oratione petimus, vt quotidie disponat nos ad eum sacramentaliter recipiendum, vel saltem spiritualiter eius fructum.

3 Panis Eucharistia. Ioh. 6.

Quartò, intelligitur verbum Dei, quo sensu di- E cebat Christus; *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo,* &c. Quo sensu intelliguntur omnes illuminationes, & mysteriorum intelligentię, etiam Sacramenta, & omnia subsidia animæ, sicut oratio, & gratia, quæ est vita animæ. Hi autem omnes panes dicuntur nostri. Et quidem de primo, & secundo, iuxta quod ait Paulus; *Omnia vestra sunt, vos autem Christi.* De tertio, quia dicitur panis filiorum, sicut & nobis natus, & nobis mortuus, & nobis in mensa appositus, denique in omnes vsus nostros expensus. De quarto, quia doctrina Ecclesiæ nobis est congenita, & propria, non autem aliena, & corrupta sicut hæreticorum. Domine, da nobis hunc panem nostrum.

4. Verbum Dei. Hi omnes panes dicuntur nostri.

Panem

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Catechesis LI.

Sicvt iam explicatione præcedenti ostendimus Christum nos docuisse in hac petitione, non solùm vnum panem, sed multiplicem petere: ita etiam superest, vt paulo fusiùs hæc quatuor explicemus, nostrum, quotidianum, da nobis hodie.

Explicatur particula, nostrum. Iacob. 5. Quantũ ad primũ. Præter sensus iam allatos, nostrũ dicimus, quia licet omnia bona descendant à Deo, iuxta D. Iacobũ, & maximè ille supernus panis, qui Deus est de Deo; interim nostrũ dicimus, quia sicut cætera omnia, sic ille panis in vsum nostrum accommodatus est, & salutem: seu nostrum, quia non tantũ nobis, sed & aliis petimus. Licet. n. differẽter sit Angelis & hominibus, bonis & malis, tamen exponitur omnib. sicut omnia omnib. creata sunt; vnde nostrum, non, meum, dicimus. Christiani, hoc pane nostro vnum corpus efficimur.

Interea si hoc nostrum, intelligatur de pane corporeo, petimus tunc non alienum panem, sed proprium, & nostrum, id est, vt iustè, & non furto, sed labore proprio victũ acquiramus, sicut Paulus dicebat Mileranis Act. 20. Argentum & aurum, & vestem nullius concupiui, ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, ministrauerunt manus istæ. Sic præceptum dederat Deus Adamo, post lapsum; *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Itaque cùm petimus panem, & dicimus nostrum, petimus gratiam, & benedictionem in operibus nostris, & vt in lucro iusto, & licito, nobis opem ferat. *Act. 20.*

Explicatur particula, quotidianũ. Quantum ad secũdum, cur quotidianum: Primò, quia solùm petimus, aut petere debemus quæ sufficiunt, non superflua, & inutilia, cùm in hoc mundo viatores, & peregrini simus. Secũdò, quia quotidie abundantia diuitiarum eius indigemus: licet enim habeamus bona reposita in multos annos, tamen si Deus benedictionem, & munus suũ auerterit, nihil prosunt, etiam ad vnicum punctum vitæ nostræ. Auertente te faciem, omnia turbabuntur, reuertente omnia implebuntur vbertate, bonitate, &c. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Quare quotidianus hic panis dicitur, & petitur, quia quotidie ad vitam necessarius est. Tertiò, quia quæ extraordinaria sunt, & raò dantur, non audemus petere, ea nempe quæ amicorum sunt, sed vt indigni talibus donis, humiliter tantùm ordinaria petimus, & quotidiana, quæ non cessat omnibus horis & momentis nobis dare ille Deus, diues in misericordia & miserationibus. Paulus 2. Cor. 8. *Scitis gratiam Domini nostri* Iesv *Christi,* &c. *2. Cor. 8.*

Quantum ad tertium, da nobis, hac voce agnoscimus, omnia momenta, & subsidia vitæ nostræ à Deo pendere, illum esse, qui donat vitã, & conseruat, &c. Sed da nobis, nobis inquam, vt etiã inimicis prosint, quę petimus bona. Ita pro omnib. petimus panẽ, pet imus vitam, sic vt admoneamur qua charitate debeamus affici erga egenos & pauperes.

Quantum ad quartum, nempe, hodie, propterea hanc particulam adiungimus, vt memores simus diuinæ prouidentiæ, quomodo in ea confidere debemus, animisque nostris anxiam illam curam & solicitudinem eximere, qua torquentur nonnulli pro rebus vitæ huius. Vnde Matth. 6. *Nolite soliciti* *Matth. 6.*

A *esse in crastinum, &c. Sufficit enim diei malitia sua.* Interea ex S. Cypr. Catech. 5. hæc particula, hodie, accipitur pro toto tempore huius vitæ, in quo continuam Dei opem petimus; tamen communiter pro præsenti. Intelligite; omne tempus nostrum, vnum hodie est. Huius rei figura, & exemplum est Exod. 16. vbi non licebat filiis Israel seruare manna in diem crastinum, vt sic diuinæ eius prouidentiæ magis adhærerent; quotidianum enim manna erat. Sic dicimus hodie, & hodie quoad corpus, & hodie quoad animam, quia quotidie debemus dare animæ panem orationis, & quotidie petere panem diuinæ gratiæ. *S. Cypr.* *Figura. Exod. 16.*

B

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Catechesis LII.

In vna re, sicut in cunctis aliis huius orationis dignitatem & excellentiam nos docuit Christus, quod nempe quæ peti possunt, omnia contineat. In quatuor primis petitionibus postulauimus à Deo, vt omne bonum daret nobis, æternum, spirituale, etiam caducum. Hic autem nouam precandi rationem hac petitione quinta ingredimur, cùm C nempe precamur, vt nos liberet ab omni malo præterito, præsenti, & futuro. Hac igitur petitione petimus primò, vt à malo præterito liberemur, quod est peccatum, & debitum nostrum.

Triplici ratione peccatum dicitur debitum. Hic autem peccatum, debitum dicitur tribus rationibus. Prima est, quia qui Deum offendit, obligatus remanet ad satisfaciendum pro iniuria ei illata. Secunda, quia transgreditur legem, quæ cultori promittit mercedem, transgressori pœnam; vnde debitor est. Tertia, quia vnusquisque tenetur vineam animæ suæ excolere, quæ data est vt bonos fructus proferat: vnde cùm aut nullos, aut malos D profert, debitor est erga Deum.

Tribus modis peccatũ debitũ dicitur. D. Thom. Item peccatum adhuc debitum dici potest tribus modis, secundum quod D. Thom. 1. 2. quæst. 71. art. 4. dicit peccatum obiectiuè, committi tribus modis, in Deum, seipsum, & proximum: iste enim triplex ordo inuenitur. Primus diuinæ legis ad Deum: secundus rationis ad nos: tertius charitatis ad proximum. Quando autem peruertitur per peccatum, tribus his modis nos debitores constituit, sicque dicitur debitum. Quare vniuersaliter per debita intelligimus ipsa peccata quæ commisimus, siue in Deum, siue in proximum, siue in nos; ac etiam pœnam ipsam peccatis nostris debitam.

Sensus huius petitionis. E Quare quid hæc sibi verba volunt, & quid hac petitione postulatur, iam intelligite. Primò igitur docetur, vt agnoscamus nos coram Deo peccatores esse, cunctisque debitores, sed maximè ipsi Deo, adeò vt nullo modo soluendo simus, iuxta parabolam istius serui, qui debebat decem millia talenta, Matth. 18. vnde petimus vt omnia remittat. Sic dicebat Dauid; Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, &c. Sic filius eius Salomon; Non est homo iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet. Sic 1. Ioh. 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Sic Ierem. 2. Dixisti: Absque peccato, & innocens ego sum, propterea auertatur *Matth. 18.* *1. Ioh. 1. Ierem. 2.*

auertatur furor tuus à me; & ecce ego iudicio contendã tecũ, eo quod dixeris, non peccaui. Non Domine, nõ, sed peccaui, dimitte nobis debita nostra.

Secundò docetur, vt non tantùm simpliciter hic agnoscamus peccata, sed cum dolore, & consciẽtia propriæ miseriæ, agnoscentes innumerabilia mala, quæ peccatum inuehit in hominem. Psal. 37. *Non est sanitas*, &c. Sed quid plura? quando actu transacto peccati, in æternum remanet reatus, & macula, ô Domine dimitte nobis debita nostra. Ps. 37.

Tertiò docetur hac petitione, vt cum contritione, & dolore, interim spes nobis insit salutis, & misericordiæ, gratiæ, & remissionis, cuius rei duplex est ratio. Vna bonitatis infinitæ Dei, maximè inexplicabilis istius mysterij passionis Christi, qui se nostrum fideiussorem constituit. Altera potestatis traditæ Ecclesiæ, remittendi peccata.

Dicimus autem in plurali numero, debita, quia, vt diximus, omnibus debemus, Deo primùm, postea Angelis, Sanctis, hominibus, maioribus, æqualibus, & inferioribus, &c.

Nostra dicimus, quia verè nostra sunt, nõ aliena. O Christiani, nihil tam nostrum quàm peccatum.

Nobis dicimus, non mihi, quia fraterna charitas postulat, vt de communi proximorum salute soliciti simus, cùm pro nobis oramus. Ita Moyses Exod. 32. *Aut dimitte*, &c. Ita & Paulus Rom. 9. qui optabat anathema esse pro fratribus. Vnde hodie, dimitte nobis, &c. Exod. 32. Rom. 9.

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Catechesis LIII.

Ecce à Christo condemnationis, aut iustificationis nostræ ratio: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*; sicut & nos dimittimus, &c. Ita Dei, aut eius misericordia, in manu nostra est. Sic enim Pater meus cœlestis faciet vobis, ait Christus. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros; hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos Ephes. 4. exhortatur Apost. Deponite vos veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, (vt vltionem accipiatis,) & induite nouum, qui secundum Deum creatus est. Sol non occidat super iracundiam, &c. Ita Coloss. 3. Deponite iram, indignationem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creauit illum, induite vos sicut electi Dei, & dilecti, viscera misericordiæ, supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam: sicut Dominus donauit vobis, ita & vos, scilicet donate. En ratio cur dicimus, sicut & nos, &c. Hæc particula duo dicit. Primum, similitudinem: secundum, conditionẽ. Ephes. 4. Coloss. 3. Diuisio huius petitionis.

Quantum ad primum. Vult hac clausula Deus, vt in remittendo assimilemur illi, suæque imaginis exerceamus conformitatẽ. D. Basil. in Gen. hoc notasse videtur, ex eo quod dum Moyses loquitur de consilio, quod habuit Deus de creando homine, dixit tunc, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem, &c. cùm verò factus est, dicit solùm Moyses; ad imaginem Dei fecit, non autem subtexuit, ad similitudinem. Quare hoc? interrogat Basil. & respondet. Quia quod priore loco statuitur, in ipsa mox creatione obtinuimus, nempe rationis vsum. Quod autem posteriore, vt assequamur, à nostro pendet libero voluntatis arbitrio, nempe vt assimilemur Deo. Penes me hoc esse voluit, vt ad hãc similitudinis gratiam pertingere possem. Sed quomodo? inquies. Audi iam. En ratio ex Basil. Si malitiæ omnis osor fueris, si immemor acceptæ iniuriæ, si fraternæ dilectionis, & concordiæ tenax, si alienę calamitati condolens ex animo, similis Deo inueniere. Iterum audi. Si inimicitias aduersus te exercenti pio cordis affectu remiseris, si qualem Deus se erga te peccatorem exhibet, talem te erga proximum, qui in te delinquit, declararis, ad similitudinem Dei pertinges. Dimitte nobis, sicut & nos, &c. Piæ igitur miserationis viscera assumito, & suauis benignitatis, vt Christum promerearis induere. Tua ex parte est gratia. Quodnam tibi Deus beneficium contulit? nempe imaginem. Quidnam etiam reliquit perficiendum? nẽpe similitudinẽ. hæc ille. D. Basil.

Quantum ad secundum. Hæc clausula ponit cõditionẽ, & talem, vt non velit alia lege nobis Deus ignosci, nisi & proximo ignoscamus. Vnde post finem huius orationis, mox adiecit Christus Mat. 6. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra*. Huc spectat historia Sapricij, & S. Nicephori, apud Metaphrastẽ, & in Breuiario Romano 9. Febru. Item parabola serui nequam, &c. Ecce conditio, mensura, & ratio, sicut & nos dimittimus, &c. Vis tibi aperire thesaurum diuinæ misericordiæ? commiserationis sinum aliis aperi. Ierem. 41. legitur, quod Ismahel inuaserit octoginta viros, quos cùm interficere cœpisset, qui residui erant, dicunt: Si nos vita donaueris, locum ostendemus, in quo thesaurum inuenies; quibus auditis, statim gladium in vaginam posuit. O quis non recondet gladiũ vltionis, oblato sibi propterea diuinæ misericordiæ thesauro? Date, ô Christiani, & dabitur vobis. Matth. 6. Ierem. 41.

Et ne nos inducas in tentationem.

Catechesis LIV.

Nihil est, quod timere amplius debeant Christiani, ex quo Christus Iesvs Dominus noster tentatus est, & vicit inimicum nostrum. Matth. 4. Hac sexta petitione opem postulamus contra futurum malum, sicut in quinta contra præteritum: postulata enim peccatorum venia, ordo vult, sicut Christus, vt ne intremus in tentationem, oremus. Ita Matth. 26. *Orate, vt non intretis in tentationem*; & rationem subdit: *Spiritus enim promptus est, caro autem infirma*. In veritate & praxi istorum verborum quisque videre potest, quãtopere egeat diuina ope, contra istud futurum malum, quod est tentatio, si meminerit suæ imbecillitatis. Proponamus nobis ob oculos Ecclesiæ columnas, quæ antea stabiles contremuerunt, relicto Saluatore, & diffugerunt; Petrum omnium principem dicentem, si oportuerit me mori, &c. Interea voce mulierculæ perterritus, Dominum negauit. Matth. 4. Matth. 26. Necessitas huius petitionis.

O Christiani, memores iam estote, quomodo vndique premimur hostibus, intus, extra, retrò, & antè; & præterea quia ex Eph. 6. non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, &c. aduersus eos qui vi naturæ, & potestate omnia superant, nos autẽ infirmi. Quis igitur opem non expostulet? Vigilate fratres, ait Petrus, quia aduersarius vester diabolus, Eph. 6.

tanquam Leo rugiens circuit quærens quē deuoret, cui resistite fortes in fide,& fiducia ad Deum. Hęc est;& ne nos inducas in tentationem. Quapropter nobis sub præcepto hoc datum est à Christo, vt quotidie diuinum auxilium imploremus aduersus tentationes, maximè obtēta venia peccatorum. Quid enim nobis prodesset, si statim relaberemur in vitia? Melius erat illis, dicit Apostolorum princeps, non agnoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato. Domine, ne nos inducas in tentationem.

2.Pet.2.

Verùm quid hoc nomine tentationis, itémque inductionis ad tentationem, significetur dicendum. Primò igitur quantum attinet ad hoc vocabulum tentationis, sciendum hoc verbum (tentare) tribus modis accipi. Primò communiter, pro periculum facere de aliquo, vt exprimatur veritas. Qui modus tentandi in Deum non cadit; qui omnia scit, sicut dicit Apostolus Heb.4. Omnia nuda,&c. Secundò, pro impellere ad malum, quod diaboli proprium est,& officium, nunquam autem Dei, sicut dicit Iacobus: Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo, &c. Tertiò denique in bonam partem accipitur, pro manifestam facere,& palàm virtutem alterius, vt in exemplum aliis proponatur, & sic ad gloriam Dei cedat. Quo pacto tentare competit Deo. Deut.13. exemplum est; Tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm faciat, vtrùm diligatis eum, an non. Item hoc modo legimus Abraham tentatum fuisse, vt filium immolaret, & sic exemplum obedientiæ daret: sic Tobiam, de quo dicitur; Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te. Sic Iohan.6. Deus Philippum tentauit. Sic iustos omnes, de quibus; Tentauit eos, & inuenit eos dignos se. Hac ratione dicitur Deus nos tentare morbis,& afflictionibus. Iacobi 1. *Beatus vir qui suffert tentationem.*

Triplex tentationis acceptio. 1. Heb.4. 2. 3. Deut.13. Gen.22. Ioh.6. Iacob.1.

Hac itaque petitione non petimus, vt omnino non tentemur: est enim vita hominis tentatio super terram, illáque vt plurimùm vtilis,& fructuosa homini, cùm per eam vires suas agnoscat, humilietur sub potenti Dei manu, approbetur,& decertet pro corona gloriæ. Sed petimus vt in tentatione non deseramur à Deo,& non succumbamus, quod est propriè induci in tentationem, de quo postea. Petimus igitur generatim Dei opem, itémque nominatim & separatim, verbi gratiâ, si tentatio de auaritia est, idem est ac si diceremus cum Psalte: *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.* Si de mendacio, cum eodem; *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque.* Si de vanis; *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.*

Vtilitas tentationis.

Et ne nos inducas in tentationem.

CATECHESIS LV.

VTILITATI nostræ,& saluti ita prouidere voluit Dominus noster IESVS Christus, vt non solùm in oratione contra malum nos armare, & præmunire voluerit, sed etiam contra occasionem mali, cùm sic nos orare iussit; & ne nos inducas in tentationem. Differentiam tentationis notauimus, & quid sit tentare: nunc autem quid sit inducere explicandum.

Diuersimodè dicimus aliquem induci in tentationem. Primò, vno modo qui penitus non conuenit Deo, sed diabolo, cùm nempe dimouemur de statu nostro,& in id ruimus malum, ad quod per

Quadrupliciter inducimur in tentationem. 1.

A tentationem nos impulit hoc modo, vt dicimus, Deus neminem tentat, cùm non sit author mali. Sic intelligendus S. Iacobus, cùm ait: Nemo cùm tentatur, dicat, &c. Diaboli est,& non Dei, hoc modo tentare ad malum.

Secundo autem modo dicimus Deum inducere in tentationem, cùm licet non tentet, tamen non prohibet cùm possit, sed permittit, & sic eius permissio dicitur tentatio. Hoc pacto sinit bonos tentari, quos sua gratia non tamen deserit, interea permittens aliquando excidere, iusto & occulto iudicio, vt postea iustiores resurgant. 2.

Tertio item modo per elargitionem beneficiorum, etiam dum illis abutimur ad perniciem nostram, quomodo Rom.7. *Inuentum est mihi mandatum quod erat ad vitam hoc esse ad mortem.* Sic Luc. 15. tentatio erat prodigo, cùm illi pater dedit substantiam suam, quam postea luxuriosè viuendo dissipauit. Ita certè faciunt multi, qui diuinis abutuntur largitionib. quib. diuina liberalitas tētatio est. 3. Rom.7. Luc.15.

B

Quarto adhuc modo per derelictionē & auersionem. Quo sensu intelligi potest induratio & reprobatio, cùm nempe auertit se Deus. Quo pacto ait Paulus Rom.1. Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum. Ita & Deus dicebat Exod.7. Indurabo cor Pharaonis: indurabo, quia me auertam. Exemplum Solis, qui absentia sua indurat terram. 4. Rom.1. Exod.7.

C Itaque hac particula postulamus, vt nunquam auertat se Deus à nobis, nunquam eius gratia, & liberalitate abutamur, nunquam denique sinat nos vinci à tentatione, sed semper nos sua ope fulciat, vt resistamus, carnem spiritui subiiciamus, mundum, dæmonémque strenuè superemus, scientes ex Apostolo 1.Cor.10. quia nunquam sinet nos tentari supra id quod possumus. Etenim alligata est dæmonum vis, & dependens, nihílque potestatis in nos habent. Iob.1. Ecce, inquit Deus, vniuersa quæ habet, in manu tua sunt, tantùm in eum ne extendas manum tuam: animam eius serua. Quare Aug. solebat dicere. Canis est, ligatus est, latrare potest, mordere non nisi volentem potest. Pro nihilo est totus Infernus, nisi ipse peccato consentias. Sensus huius petitionis. 1.Cor.10. Iob.1. S.Aug.

D

Interea in timore continuo esse debemus, scientes quia omnino non sumus sufficientes ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est, cui propterea dicimus;& ne nos inducas in tentationem. His etenim verbis agnoscimus, cui debemus omnem victoriam nostram,& in quo confidere in tentationibus, & afflictionibus, nempe in solo Deo. Sic Ioseph, sic Susanna, sic Daniel erepti: sic Iob de mundo, de carne, de diabolo triumphauit. Ecce cui debemus fiduciam, Christus est. Apoc.12. cœlestis vox audita est; Facta est salus,& virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, & ipsi vicerunt cum propter sanguinem Agni. Vnde S. Paul.1.Cor. 15. Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum IESVM Christum. Eius beneficio, 1.Reg.2. arcus fortium superatus est,& infirmi accincti sunt robore. Etenim ille est fortior, Luc.11. qui superueniens fortem superauit armatum,& nudauit armis. Vnde iam dicit Iohan. 16. Confidite, ego vici mundum, etiam & principem huius mundi. 1.Iohan.2. Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum. Interea laborandum est, quia non vincitur otio, somno, & libidine, sed vigilia, labore, oratione. Vnde ait, vigilate & orate.

Apoc.12. E 1.Cor.15. 1.Reg.2. Luc.11. Ioh.16. 1.Ioh.2.

Sed

Sed libera nos à malo.

Catechesis LVI.

IN ordine & praxi orationis huius, ostendit Christus, quod summa illa erat sapientia, quæ suauiter disponit omnia, & à fine attingit ad finem, vbi hæc vltima petitio conclusio est aliarum. Catech. Conc. notat Christum exemplo suo confirmasse, quod hic sermone docuit seruandum. Ioh. 17. migraturus è vita sic Deum Patrem rogat, nempe vt suos seruet à malo. Seruari enim à malo, omnium gratiarũ initium & summa est. Vnde S. Cypr. Ser. 6. de oratione Dominica dicit. Cùm id quod ea prece continetur impetrauerimus, nihil remanet quod vltrà adhuc debeat postulari: impetrata enim Dei protectione aduersus malum, contra omnia quæ mundus, & diabolus operantur, securi stamus & tuti. Multa iam postulauimus, sed libera nos à malo, à malo culpæ, à malo pœnæ, ab omni malo.

Ioh. 17.
S. Cypr.

Interea sicut in præcedentibus petiuimus liberari à malo præterito, quod est peccatum, & futuro, quod est tentatio, hic à præsenti malo petimus maximè liberari: vt sic istius orationis videamus excellentiam, quæ in septem petitionibus breuiter continet, quæ desideranda sunt siue ratione boni, siue ratione mali. In quatuor primis, sub quatuor bonorum generibus, omnia complectitur, quæ petimus donari: in tribus vltimis, sub hoc triplici genere mali, præteriti, præsentis, & futuri, omnia mala à quibus item petimus liberari. Ecce excellentia.

Excellentia orationis Dominicæ.

Igitur pro conclusione hic liberationem ab omni malo petimus, siue corporis, siue animi, siue huius vitæ, siue futuræ, quia nostris viribus, & absque diuina ope, ab vllo nos ipsos liberare non possumus.

Hoc autem summopere est hic notandum, quod diuina sapientia nos edocuit petere liberationem à malo in genere, & ad particularia non descendit, vt ægritudinis, paupertatis, contemptus, &c. Ratio esse potest, quia plerumque quæ mala sunt, nobis videntur bona, & è contrà, quæ bona mala, talis est communis hominum error. Apostolus dicit; Qui cupiunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli: & ita de aliis. Sicut è contrà dicit 2. Tim. 3. Omnes qui piè viuere volũt in Christo IESV, persecutionem patiuntur. Quod omnes fugiunt vt malum, & tamen æstimatione Dei, & omnium verè illuminatorum summum est bonũ, sicut habemus Act. 4. quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, exemplo ipsius Christi, Luc. 24. dicentis: Nõne hęc oportuit Christum pati, &c. Ecce diuersa ratio iudicij erga ea quæ mala & bona sunt, ita vt quod peccatoribus pœna esset, & afflictio, iustis sit honor, & dignitas, sicut dicitur de Apostolis, qui digni erant, dicit Scriptura, pro nomine IESV contumeliam pati.

2. Tim. 3.
Act. 4.
Luc. 24.

Quæ omnia cùm ita se habeant ratione nostri, tantúmque decipiamur in opinionibus nostris, ac iudiciis, petimus generatim vt nos liberet à malo, id est, ab omni quod ipse scit nobis esse malum, siue hoc sit prosperum, siue aduersum. Sed libera nos à malo, ab omni malo, à peccato, ab impœnitentia finali, ab Inferno, à priuatione gloriæ, & visionis Dei, &c.

Absolutè peccatum malum est, & ab hoc malo hic petimus liberari, quod & omnium malorum est maximum, & causa cæterorum. Dæmon item malus, quia primus author culpæ, sicut tentator hominum; vnde etiam ab hoc malo petimus liberari. Mors etiam improuisa, malum est, & ab illo item petimus liberari. Infernus malus est, & æternus discessus à Deo, & ab omnibus his petimus hic liberari. Sed libera nos à malo, ab omni malo, Amen. Hæc vox Hebraica est, quæ significat, ita volo, sic cupio, hoc sit ita. Sanctificetur nomen tuum, Amen. Adueniat regnum tuum, Amen. Fiat voluntas tua, &c. Amen. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Amen. Dimitte nobis debita nostra. Amen. Et ne nos inducas in tentationem, Amen. Sed libera nos à malo, Amen.

De salutatione Angelica.

Catechesis LVII.

EXPLICATA oratione Dominica, nobis ab ipso Christo tradita, consentaneum videtur nonnulla dicere de salutatione Angelica. Hoc autem facimus, vnam post aliam dicendo, duabus de causis. Prima est, quia maxima est omnium Christianorum erga beatam virginem deuotio. Secunda, quia post Christum nullum habemus mediatorem, aut mediatricem potentiorem, quàm eius matrem sanctissimam. Vnde cùm diximus orationem, quam nos edocuit, statim nos ad eius matrem conuertimus, vt ipsius intercessione nobis donetur quod petiuimus, nósque ipsa iuuet ad impetrandum. Exemplo eius qui Regem adiens, à chariori amico, & magis merito commendari cupit.

Duæ causæ recitationis salutationis Angelicæ.

Præterea hoc etiam commendationis genus recipit ista salutatio, quod nempe post orationem Dominicam sit excellentior, vtpote quæ à Spiritu sancto facta est, annunciata ab Angelo, & à sancta Elisabeth, & tandem ab vniuersa Ecclesia digesta, & ordinata. En dignitas, & vnde venit. Luc. 1. Missus est Angelus à Deo ad Virginem, & dixit, (nempe à Deo) Aue gratia plena, &c. Similiter Elisabeth repleta Spiritu sancto, exclamauit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Quod superest, Ecclesia composuit & subiungit, nempe, Sancta Maria mater Dei, ora, &c.

Excellentia salutationis Angelicæ.
Luc. 1.

His dictis, veniamus iam ad explicationem. Primò, à salutatione incipimus, dicendo, Aue Maria, &c. Maria congregatio gratiarum. Sic Gen. 1. Moses dixit, quia Deus congregauit aquas in vnum locum, & congregationes aquarum appellauit Maria. Ita de te ô Maria, &c.

Gen. 1.

Aue, quasi absque væ peccati, miseriæ, culpæ, pœnæ; absque væ, quia gratia plena. Simul illam hodie cum Angelo salutemus, Aue, &c. Magnum reuera miraculum, ait S. Chrysost. fuit Beata semper Virgo Maria; quid namque illa sanctius, maius, & illustrius, vllo vnquam tempore inuentum est? Non Prophetæ, non Apostoli, non Angeli, non Seraphim. Hæc sola cœlum & terram amplitudine superauit; hæc eius mater est, qui à patre ante omne principium genitus fuit, &c. Aue igitur mater, cœlum, puella, virgo, thronus, Ecclesiæ nostræ decus, gloria, & firmamentum, &c. Sic illam salutat S. Chrysostomus. Ita & nos illam salutemus, cum omnibus Angelis, & Sanctis, Aue Maria, &c. Aue Virgo virginum, sanctissima, & mulierum fortissima. Illa est fortè, de qua clarè Salomon Prouerb. 31. sub nomine mulieris fortis loquebatur. *Mulierem fortem quis inueniet? Procul*, &c. De cœlo, & de Diuinitate pretium eius, & de plenitudine gratiarum, &c.

S. Chrysost.
S. Chrysost.
Prou. 31.

Mulier fortis, de qua dependet nostra salus, & A reparatio. Vnde Sanctus Bernardus. Meritò ad te, ô Domina, respiciunt oculi vniuersæ creaturæ, in qua & de qua benignissima Dei manus, quidquid creauit, reparauit. Propterea ait Serm. 3. de Natiuit. Totius boni plenitudinem in ea posuit, vt si quid spei in nobis, si quid gratiæ, si quid salutis, ex ea nouerimus redundare. Sic Serm. 89. De plenitudine eius omnes acceperunt, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, Trinitas sancta gloriam, & persona filij carnis nostræ substantiam, vt non sit qui se abscondat à calore eius. Illam igitur cum Angelis salutent homines, quia gratiarum plena est, & illa virgo de qua clariùs lerem. 31. *Nouum fecit Dominus super terram: Mulier circumdabit virum.* Ecce nouum Domini, virgo est gestatura hominem-Deum. Iuxta quod & & clarissimè dixerat Isaias cap. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Hæc admirabilis Virgo Maria erat, quam propterea vt Dominam sic Angelus salutabat, dicens: Aue gratia plena, &c. Et iuxta quod canit Ecclesia, Aue Regina cœlorum, Aue Domina Angelorum, Aue maris stella, Dei mater alma, &c. Sumens illud Aue, Gabrielis ore. Amen.

S. Bern.

Ierem. 31.

B

C

Gratia plena, Dominus tecum.

CATECHESIS LVIII.

CVR quotidie sic Virginem, matrem Domini nostri IESV Christi, salutare & orare debemus, multæ nobis suppetunt rationes. Prima est, vt testemur, nos illam, æquè ac Angelus, Dominam nostram agnoscere, propterea que illam cum fiducia adire. Secunda, vt congratulemur eius gratiæ, qua super omnes honorata est, scientes maximè, quia mirum in modum lætatur sæpius audire hoc nuntium bonum, quod allatum ei fuerat ab Angelo in die Incarnationis verbi, vnde & ipsis Archangeli verbis vtimur. Tertia, vt quotidie Deo pro tanto beneficio gratias agamus. Videtur hoc rationabile, & debitum Deo, nobisque etiam admodum salutare & fructuosum: etenim duplex est fructus, quem nobis videtur afferre illa Angelica salutatio. Prior illa grata, & æquè salutaris Dominicæ Incarnationis memoria: posterior fauor Virginis matris, eiusque apud Deum intercessio.

D

Verùm quid præterea discamus ex hac salutatione, dicamus. Discimus ergo quatuor eximias laudes, & prærogatiuas, in quibus nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Prima est, quod ab Angelo, à cœlo, à Deo vocetur gratia plena. S. Hieronymus adeò illam in Maria gratiæ plenitudinem suspicit, vt dixerit, quia tantùm cæteris per partes gratia præstatur, Mariæ verò tota se infudit plenitudo. Vnde licet Scriptura sacra de multis Sanctis dicat, tam veteris, quàm noui Testamenti, quod gratia pleni fuerint, vt de Simeone, & Prophetis, de Stephano, Baptista, & Apostolis, &c. tamen in comparatione Virginis, illis tantùm per partes data est. Quod vt intelligatur, sciendum, quintuplicem esse plenitudinem gratiæ. Prima est sufficientiæ, & omnibus datur, nemini enim deest Deus, sed vnicuique præstò est. Secunda est abundantiæ, vt Apostolis, Stephano, &c. data est. Tertia vniuersalitatis, vt Ecclesiæ. Quarta excellentiæ, quæ Virgini data est super omnes. Quinta denique superexcellentiæ, quæ in Christo est.

Quatuor Virginis prærogatiuæ.
1.
S. Hieron.
Quintuplex gratiæ plenitudo.

E

Vnde iam dicimus, post plenitudinem gratiæ in Christo, nullam esse maiorem plenitudinem Mariæ, quæ transcendit omnes puras creaturas, iuxta illud Prou. vlt. *Multæ filiæ congregauerunt sibi, tu supergressa es*, &c. Vnde S. Anselm. dixit, quod tantam habuit, quantam pura creatura recipere potuit. Et S. Bern. Sic eius fuit mentis puritas, vt non audeat ei se comparare Angelica dignitas. D. Thomas 3. part. quæst. 27. art. 5. eò venit, vt dixerit. Beata Virgo tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, vt esset propinquissima authori gratiæ. Ecce vnde salutatur gratia plena, ab Angelo.

Prou. vlt.
S. Anselm.
S. Bern.
S. Thom.

Sed quæso aduertamus vnde hic commendatur virgo. Audite: à gratia, non à diuitiis, non à pulchritudine corporis, non à generis sui Regij claritate, & quia filia erat Dauid, sed quia gratia plena; vt agnoscatis quia sola est gratia, quæ nos commendat Deo.

Triplici adhuc ratione vocatur gratia plena, nempe propter tres effectus gratiæ in anima. Prima est, quia delet omnia peccata maculas animæ. Secunda, quia omnibus donis Spiritussancti ornat. Tertia, quia iuuat ad opera bona, & Deo grata. Inde virgo salutata est gratia plena. Primò, quia nullum prorsus in ea fuit peccatum. Secundò, quia in supremo gradu, omnibus virtutibus & donis Spiritussancti ornata fuit. *Tota pulchra es amica mea*, &c. Tertiò, quia opera fecit ita grata Deo, & meritoria, vt verbo humilitatis suæ, Deū attraxerit ad se; *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea* (id est, humilitas odoriferans) *dedit odorem suauitatis*: opera ita grata, vt supra choros Angelorū postea exaltari meruerit.

Triplex effectus gratiæ.

Hinc sequitur secunda laus, Dominus tecum. Tecum ab initio vsque ad finem sæculorum: & ex D. Hieron. tecum in ventre, tecum in corde, tecum in mente, tecum in auxilio, tecum ab æterno. Non minima ista est laus, quod Deum custodem secum semper habuerit, Dominus tecum. Quis Dominus? ille qui super omnia dominium habet, Dominus, qui pater est, qui filius, qui Spiritussanctus. Magnū certè & primarium est illud beneficium. Dicebat Paulus: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Dauid Psal. 26. Si consistant, &c. non timebit cor, quoniam tu mecum es. Et de Virgine quid dicitur? Dominus tecum. Aue igitur gratia plena, Dominus tecum.

2. Laus Virginis.
D. Hieron.
Ps. 26.

Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

CATECHESIS LIX.

DVÆ vltimæ supersunt laudes, datæ ab Angelo Virgini Christum pariturae, in ordine tertia & quarta; Benedicta tu, & benedictus, &c. Tertia igitur laus est, quod benedicta sit in mulieribus. Verè inter mulieres benedicta, quæ culpam mulieris sustulit, & quæ per eam destructa erant, reparauit. Sicut enim iuxta Sanctum Augustinum, mater sceleris nostri pœnam intulit mundo: ita genitrix gratiæ, & Domini nostri, salutem attulit mun

3. Laus Virginis.
S. Aug. Ser. de Nat.

lit mundo; auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit; percussit illa, sanauit ista. Benedicta inter mulieres.

S. Iren. lib. 3. contra Valent. cap. 33. Similiter loquitur contra Valent. S. Irenæus, ostendens quod sicut inobediens Eua facta est & sibi, & vniuerso generi humano, causa mortis: sic Maria habens prædestinatum virum, Christum, tamen virgo obediens & sibi, & vniuerso generi humano, causa facta est salutis. Benedicta tu in mulieribus. Respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ. Quæ illa? Sanctus Augustinus his verbis Serm. de Assumpt. Beatæ Mariæ. (S. Aug. Ser. de Assumpt.) Illa humilitas fuit, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innouauit, aperuit paradisum, mundum purificauit, & omnium animas liberauit. Facta est Mariæ humilitas scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terras. Benedicta tu inter mulieres. Vbi nobis declaratur, (quod & notandum est, ad maiorem eius gratiæ plenitudinem,) quomodo non solùm plena fuit omnibus gratiis, quas habere vna puella posset: sed etiam quæ nuptæ conueniunt, & maximè commendant, vt sic absolutè supergrediatur vniuersas. Benedictio nuptiarum, maxima est fœcunditas, & hæc non defuit virgini, quæ nobis filium vnum peperit præstantiorem vniuersis. Et ecce vnde dicitur benedicta inter mulieres.

Præterea per hunc filium, qui se fecit fratrem nostrum, sicut ipse dicit, *narrabo nomen tuum fratribus meis*; omnium fidelium mater effecta est, non quidem generatione & natura, quia hoc modo vnigeniti mater est, sed adoptione, & amore. Vnde iam meliori titulo, & ratione, quàm Eua, omnium nostrûm mater est, & sic benedicta inter mulieres. Adhuc benedicta, quia aliæ habuerunt, aut virginitatis gloriam solùm absque fœcunditate, aut fœcunditatis benedictionem sine virginitate: hæc autem sola ista duo simul singulari priuilegio coniunxit. Hoc vnum certè est, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, & cur benedicta, &c.

4. Laus Virginis. Quarta iam sequitur & vltima laus, & commendatio; Et benedictus fructus ventris tui. Ecce adhuc vnde dicatur benedicta, & quidem non solùm inter mulieres, sed inter omnes creaturas, non solùm ab eo quod in ea est, sed etiam & magis ab eo quod est fructus ventris sui. Commendatio fructus in arborem regreditur, & laus filij in matrem. Sic Christus, super omnia Deus & homo benedictus, fecit vt mater eius non solùm inter mulieres, sed inter omnes creaturas, tam in terra, quàm in cœlo, esset benedicta, quia mater est Regis regum Dei, & Domini omnium creaturarum. Magna quidem dignitas est, esse Imperatoris matrem, licet mortalis; sed quid, esse Dei immortalis? Quare D. Bernardus super Missus ait. (D. Bern. Ser. 3. super Missus.) O benedicta virgo, ille est benedictus fructus ventris tui, propter quem & tu benedicta in mulieribus. Non enim quia tu benedicta, ideo ille benedictus: sed quia ille benedictus, & præuenit te in benedictionibus dulcedinis suæ, ideo tu benedicta. Fructus arbori, & non arbor fructui benedictionem dedit.

Verè benedictus fructus, in quo benedictæ sunt omnes gentes, benedictus in odore, in sapore, in specie, &c. Huius fragrantiam sentiebat qui dicebat Genes. 27. *Ecce odor filij mei*, &c. (Gen. 27.) De sapore eius gustauerat, qui dicebat: *Quàm magna multitudo dulcedinis, gustate & videte*. Sed & pulchritudinem eius recolebat Psalm. 74. dicens: *Speciosus forma præ*, &c. Heu, si fructus ille mortis, Genes. 3. suauis ad vescendum erat, Scriptura teste, (Gen. 3.) & delectabilis aspectu, quanto magis iste vitæ fructus, de quo, & in quo viuimus in sæcula sæculorum?

Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ.

CATECHESIS LX.

POST laudes, iuxta Angelum, & S. Elisabeth, B. Virgini iam gratia Christi fœcundæ datas, Ecclesia ad eandem Virginem fecit subsequi orationem, vbi præcipuam eius laudem repetit, illam Dei matrem dicendo; Sancta Maria, mater Dei, ora, &c. Hoc autem totum factum est, vt attendentes eius qualitatem, & dignitatem, sciamus quantum ad nos iuuandos potens sit, & parata, nunc & in hora mortis. Vt sciamus item, quia necessitatis tempore illam rogare debemus, fiducialitérque adire. Ideo enim post orationem Dominicam, vt iam diximus, proximè illam adiunximus, quia post Deum, excellentissima est persona, & dignissima, cui omnem honorem & reuerentiam debemus: post Deum, misericordissima, paratissima, & ad nos iuuandos potentissima, velut ipsius Dei mater. Sanctus Bernardus (S. Bern.) Serm. de Nat. eius, nos ad hoc sedulò exhortatur. Altiùs intueamur, inquit, quanto deuotionis affectu eam à nobis voluerit Deus honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, vt si quid spei in nobis, (audiant hoc hæretici) si quid gratiæ; si quid salutis, ex ea nouerimus redundare. Ad patrem verebaris accedere. IESVM dedit tibi mediatorem, quid non apud talem patrem filius talis obtineat? exaudietur vtique pro reuerentia sua. An verò ad ipsum accedere trepidas? Maria hunc tibi fratrem dedit. Forsitan verearis diuinam eius majestatem, & aduocatum vis habere ad ipsum. Ad Mariam iam recurre, non dubium quin exaudiatur pro reuerentia sua: vtique exaudiet filius matrem, & filium pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ; semper hæc inueniet gratiam, & sola est gratia qua egemus, qua saluamur. Quid nos alia concupiscimus? Quæramus ergo gratiam, & per Mariam quæramus.

Ecce apud S. Bern. expressa inuocatio B. Virginis Mariæ, sicut vniuersalis est consuetudo Ecclesiæ. Solum hoc verbum durum est hæreticorum auribus, Sancta Maria ora pro nobis: verùm Sanctis, & omni antiquitati gratissimum. Ita S. Augustinus in suis meditat. (S. Aug.) Sancta & immaculata Virgo mater Dei, Maria mater Christi, pro me intercedere dignare ad eum, cuius sanctum facta es templum. Item Serm. 18. de Sanct. in medio. Admitte preces nostras intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis, fiat impetrabile per te, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, per te speramus

veniam peccatorum; in te beatissima, nostrorum A est expectatio præmiorum. Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, &c. ora pro populo, &c. Ita S. Athanasius, & vniuersalis denique Ecclesia.

S. Athan.

Sed fortè etiam obloquuntur quod cum numero precamur, & multoties Aue dicimus. Sed sciant quia numerus iste, qui rosario & corona includitur, neque est superstitiosus, neque prohibitus à Deo. Infinita eius sapientia, & bonitas disposuit omnia in numero, pondere & mensura. Septies in die laudem Psaltes dicebat Psalm. 118. & Daniel cap. 6. ter in die orabat; & Esdras quater in die, & quater in nocte, lib. 2. c. 9. Vt autem ostendamus, quia in numeris ingentia mysteria sunt, Elisæus dixit Regi Ioas: *Si percussisses quinquies, aut sexies, aut septies, terram iaculo, percussisses Syriam vsque ad consumptionem.* 4. Reg. 13. Ecce in Scriptura sacra numerorum approbatio.

Ps. 118. Dan. 6. 2. Esd. c. 9. 4. Reg. 13.

Si ergo dicendo coronam, multoties repetimus Aue, nonne bene facimus? Opus bonum sæpius iteratum, nonne melius est? Ter, aut quater eleemosynam dare pauperi, nonne melius est quàm semel? Similiter sæpius salutare Virginem, & orare, nonne istud erit ad maiorem filij gloriam, & matris? Propter eandem rationem, ter in die, in Ecclesiis, mane, meridie, & vespere, pulsatur campana, & dicitur Aue, vt in principio, medio, & fine diurnarum actionum, memores simus, quia indigemus supernis auxiliis, proptereáque Virginis opem imploramus.

Sed præterea adhuc, vt trium præcipuorum mysteriorum fidei recordemur, nempe, Incarnationis, Passionis, & Resurrectionis, quibus quotidie honórem reddere debemus, idque per Mariam quæ tantopere particeps illorum effecta est; administrat in Incarnatione, in Passione compatitur, in Resurrectione collætatur, conglorificatur.

B Hæ sunt igitur rationes cur post orationem Dominicam, Virginem sic salutamus & oramus: rationes cur petendo, spem nostram exercemus, actúmque fiduciæ producimus, nunc & in hora mortis nostræ; quia bonum Dominum habemus, & misericordiæ matrem, per quam accessum habemus ad filium, sicut per filium ad patrem, qui non potest non exaudire eos, qui in nomine filij, & meritis matris, veniunt ad se, nunc & in hora mortis. Amen.

Finis secundæ partis.

TERTIA



TERTIA PARS CATECHISMI.

DE CHARITATE, SEV DE PRÆCEPTIS DEI, ET ECCLESIÆ.

Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Iohan. 15.

Catechesis LXI.



QVOD summè Christus postulat à nobis, est vt ipsum amemus, & patris eius mandata seruemus. Quare duabus prioribus explicatis partibus Catechismi, quæ de fide, & spe erant, sequitur nunc tertia, quæ spectat ad charitatem, quę Decalogi, seu pręceptorũ Dei summa perfectio est. Ordinem Theologicum sequuti sumus, iuxta illud 1. Cor. 13. *Nunc autem manent, fides, spes, charitas,* &c. Primò enim egimus de summa fidei in Symbolo: secundò de summa spei in oratione: tertiò iam de summa charitatis in Decalogo, seu præceptis Dei, & Ecclesiæ. 1. Cor. 13.

Hæc virtus omnium est excellentissima: vnde ordine naturæ posterior, sicut dignitate prior, iuxta eundem Apostolum, fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum charitas. Verùm paucis excellentiam videamus.

Charitatis excellentia. Theologicæ, inter omnes virtutes excellentiores sunt: inter autẽ Theologicas ista supereminet. Diuersimodè ab Apostolo sumimus rationem, præter illud 1. Cor. 13. *maior horum charitas.* 1. Tim. 1. dicit; Plenitudo legis dilectio, quia finis præcepti est charitas. Et rursus 1. Cor. 13. clarissimè demonstrat, quia absque charitate nihil prosunt omnia, vbi dicit; *Si distribuero*, &c. Conformiter S. Aug. lib. de doct. Christiana. Charitas sola est, quæ vincit omnia, sine qua nihil valent omnia, & quæ vbicumque fuerit, trahit ad se omnia. Et aliàs, explicans illud Rom. *Plenitudo legis dilectio*, dicit. Dilige, & fac quidquid volueris, quia cum dilectione nemo damnatur, sicut sine dilectione nemo saluatur. (S. Aug. 1. Cor. 13. 1. Tim. 1. S. Aug.)

D. Tho. Verùm cum Angelico Doctore secunda secundæ quæst. 33. art. 6. Theologica ratione vtamur. Illa censetur virtutum præstantissima, quæ propiùs Deum attingit; eiusmodi est charitas, quæ ita

A attingit, vt in ipso sistat. Licet enim ex eo dicantur Theologicæ, quod obiectiuè Deum habeant; tamen non omnes sistunt in Deo simpliciter, sicuti charitas. Etenim duæ primæ ita Deum attingunt, vt ex eo aliquid nobis proueniat, v.g. ex fide cognitio Dei, ex spe adeptio Dei: ita autem charitas, vt ex ea nihil proueniat, nisi ipse Deus. Immediatè tendit in Deum, solàque simpliciter Deum inuenit, & in eo solo tota sistit. Aliæ vt primam veritatem, & difficile bonum contemplantur; hæc autem vt summum bonum acquisitum, & iam amore dignum.

Verùm ex definitionibus excellentiam adhuc clariùs videamus, ponuntur plurimæ. Theologicam dat S. August. lib. 3. de morib. Eccles. cap. 11. *Triplex charitatis definitio.* S. Aug. 1.

B Charitas est virtus, quæ cùm nostra affectio est rectissima, coniungit nos Deo, qua eum diligimus, &c. Et lib. 3. de doct. Christiana. Est motus animi ad fruendum Deo propter ipsum. Secundum quam, moralem tradit D. Tho. 2. 2. quæst. 33. art. 2. Charitas est habitus in anima creatus, quo homo inclinatur in actus omnium virtutum propter Deum, vt illos promptè, & faciliter operetur. 2. D. Thom.

Secundum hanc, specialem dabimus. Est sincera & perfecta dilectio, qua Deus propter se, proximus autem propter Deum diligitur. Ecce ordo. Hæc definitio competit illi, quam adhuc S. Aug. affert lib. de morib. Eccles. Virtus, ait, est ordo amoris, &c. Ecce vera, & specialis virtus, ordinans amorem. Iam autem vbi dicitur sincera, tollitur 3. S. Aug.

C omnis fictio: vbi perfecta, foras mittitur timor. Sed est ordo: nam primò diligitur Deus, & propter se: secundò proximus, & propter Deum. *Explicatio definitionis tertiæ.*

Hoc ordine fertur homo ad omnia opera virtutum, iuxta quod Apostolus 1. Cor. 11. dicebat: Charitas patiens est, &c. Vnde cap. vlt. Omnia opera vestra in charitate fiant. O specialis, sed vniuersalis, & omnium præstantissima virtus! Super omnia charitatem habete, quod est vinculum 1 Cor. 11. & vlt.

culum perfectionis. Tria hæc, maior autem horum charitas.

Sed sciendum quid sit diligere Deum propter se: hoc est, quia bonus est, & nostrum bonum. Inter alia enim motiua duo sunt præcipua: primum infinita eius bonitas, & perfectio; alterum immensa eius charitas, qua prior dilexit nos, sicut dicit Iohan. *Filioli diligamus Deum, quia*, &c. Item quid sit proximum diligere propter Deum: hoc est, quia primò imago Dei est; secundò, quia eius sanguine est redemptus, & sic quia eum Deus amat, & in ipso est. Dicit Chrysost. Caput habet Christum, mensam, vestimentum, vitam, &c. nam omnia illi Christus; vnde amabo, venerabor, &c.

Quare Christus cum primo hoc mandatum coniunxit, & in his duobus totam vim legis posuit, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. proximum autem sicut teipsum. In his duobus vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* Sub proximo intelliguntur Angeli, propinqui, amici, inimici: item anima tua, &c. Virtus est ordo amoris, iuxta quod etiam dicit Sponsa Cant. 2. Ordinauit in me charitatem, Dei propter se, & proximi propter Deum.

Chrysost. Cant. 2.

De Lege.

CATECHESIS LXII.

APOSTOLVS Christi Paulus, scribens ad discipulum Timoth. dicit quia finis præcepti est charitas; & ad Rom. quia plenitudo legis est. Pro certo, quia tota lex amore plena est, tota suauis, iucunda, sicut dicebat Christus: Iugum meum suaue, &c. Lex noua, iuxta D. Tho. 1. 2. quæst. multis, lex gratiæ est, pietatis, veritatis, libertatis, introducens hominem ad vltimum finem, ordinando omnes eius actiones ad Deum, ad se, ad proximum. Lex Dei, ex eodem, quæst. 90. est regula & mensura actuum agendorum, vel omittendorum. Ecce lux, ecce subleuamen onus est animæ, auis pennis simile. Hac ratione Psaltes viam mandatorum cucurrisse dicit, & super aurum & topazion dilexisse, Psal. 118. Mirum est, confecisse hunc Psalmum longissimum, nihil aliud in cunctis versibus resonantem quàm legem, vbi dicit se illam in corde habere, in ore, in manibus, vt ostendat quàm sibi grata sit, & iucunda.

D. Tho. Psal. 118.

Sed vnde tam grata, nisi quia consiliorum Dei, ac diuinarum voluntatum participes efficimur? Quid enim est lex? testimonium & signum diuinæ voluntatis. Vnde & hæc nomina sortitur testimonij, &c. ac inde nostra est dignitas, & excellentia. Deut. 4. Hæc est vestra sapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersi præcepta hæc, dicant: En populus sapiens, & intelligens, (id est, consiliorum Dei, & amicitiæ particeps,) gens magna, &c. Sic Psal. 147. Non fecit taliter omni nationi: iudicia enim sua non manifestauit eis, sicut nobis, qui hæc signa diuinæ charitatis accepimus, & ex altera parte tam leue onus ipsum amandi. Qui enim habet mandata mea, & seruat, hic est qui diligit me; & si quis me diligit, sermonem meum seruabit. O lex amoris! ô præceptum charitatis! Domine, in corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi, dulcia super mel nunc sunt ori meo.

Legis definitio. Deut. 4. Psal. 147.

Interim iis solùm qui cum ea consentiunt, suauis est, grata & amabilis, & non aliis qui aduersantur ei, iis enim graue est iugum. Vnde Christus Matth. 5. aiebat; *Esto consentiens aduersario tuo, dum es in via.* Aduersarius iste, ait S. August. Serm. 1. de verbis Domini, est sermo legis: quod enim magis aduersatur peccatori, lex est. Lex est spiritualis, & peccator carnalis est. Lex quæ sunt spiritus præcipit, & quæ Deo placent, & peccator, quæ sunt carnis. Rom. 7. Video legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Lex mandat suum vnicuique dare, & tu vis aliena rapere. Lex præcipit veniam, & tu quæris vindictam. Lex præcipit continentiam, & tu vis impudicitiam. Lex denique obedientiam præcipit, & tu es rebellis. Quia igitur tu contrarius es legi, inimica tua est, & aduersaria. Vnde conqueritur Iob, quare me posuisti contrarium tibi? Sed si ei consentias, iam non grauis, sed tibi grata est, & suauis.

Matth. 5. S. Aug. Rom. 7.

Verùm antequam fusiùs de ea loquamur, dicamus aliquid de lege in genere, & differentiis eius. Ac primò in genere, Lex est aliquid rationis, iuxta quod sic D. Tho. 1. 2. quæst. 80. art. 1. definit, regula & mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur: dicitur enim lex à ligando, quia obligat. Vbicumque autem est regula & mensura, ibi est ratio, cuius est ordinare omnia. Hæc autem regula inuenitur esse dupliciter in aliquo. Vno modo, sicut in regulante, & sic essentialiter lex in sola ratione est. Altero, sicut in regulato, & sic participatiuè in omnibus est, vt mensura actionum.

Legis definitio ex D. Tho.

Quadruplex legis definitio.

Iam pro secundo ad differentias veniamus. Prima omnium est lex æterna, quæ à S. Aug. multis in locis summa ratio nominatur, sicut ab Angelico Doctore quæst. 81. art. 1. ratio gubernatiua totius vniuersi, in mente diuina existens. Ipsa enim ratio gubernationis rerum, in Deo existens vt in principe vniuersitatis, dicit S. Doctor, legis habet rationem. Sicut enim in quolibet artifice præexistit ratio eorum quæ per artem agenda sunt: sic in Deo supremo omnium artifice ratio æterna præexistit. 1. S. Aug. S. Tho.

Secunda est lex naturalis, quæ est participatio æternæ, & impressio diuini luminis in natura rationali, qua inclinatur ad debitum actum, & finem, & secundum quam bonum, & malum discernimus. Iuxta quod Psal. 4. interrogantibus; *Quis ostendit nobis bona?* respondetur; *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, (id est, rationis naturalis, qua discernimus, &c.) Similiter Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt.* Vbi glossa ordin. Quod si non habent legem scriptam, habent naturalem, qua quilibet intelligit, & sibi conscius est, quid sit bonum, & quid malum. 2. Psal. 4. Rom. 2.

Tertia est humana, id est, præter æternam, & naturalem, quædam lex ab hominibus inuenta, secundum quam in particulari disponuntur, quæ in lege naturæ continentur. hæc S. Tho. Ita Cicero in sua Rhetorica dicebat, quod initium iuris est à natura, deinde quædam in consuetudinem ex vtilitate rationis venerunt, postea res à natura profectas, à consuetudine probatas legum metus, & religio sanxit. Ita ordinabat hæc omnia Tullius. 3. S. Tho. Cicero.

Quarta & vltima, sed penitus necessaria, diuina dicitur. Illa autem est ex S. Tho. per quam homo in supernaturalem suum finem, qui est æterna beatitudo, ordinatur atque dirigitur. Hanc autem præter cæteras dicit esse necessariam quatuor de causis. Prima est, quia cùm per legem dirigatur homo ad actus proprios, tamen in ordine ad vltimum finem, oportuit vt supra naturalem, & humanam legem 4. S. Tho. *Necessitas diuinæ legis causæ quatuor.* 1.

legem, habuerit aliquid directiuum à Deo ad hunc finem suum supernaturalem, (id est, altiori modo dirigeretur ad Deum, quàm naturali, & humano.) Hoc autem est lex diuina, quæ eleuat facultatem nostram super se.

2. Secunda, quia secundum contingentia, & particularia, errare possunt iudicia hominum, nec est certitudo: vnde oportuit legem dari à Deo, directiuam actionum, de qua constaret quod non potest errare.

3. Tertia, quia de interioribus non potest homo iudicare, sicut de exterioribus quæ apparent. Vnde de interioribus legem non potest dare, sed necessarium est, vt ad hoc superueniat lex diuina, cuius est vtraque ordinare, oportet enim vt homo in vtrisque actibus rectus existat.

4. Quarta, nulla lex, præter diuinam, tollere potest omnia peccata. Etenim fit plerumque, vt dum omnia mala auferre volumus, multa bona tollantur, vtilitasque etiam communis boni, & quod necessarium erat ad humanam conuersationem, impediatur. Lex autem diuina omnia penitus peccata prohibet & arcet; vnde necessitas Psal. 18. sub his quatuor causis tangitur, vbi dicitur; Lex Domini immaculata, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Immaculata, quia nullum permittit peccatum. Conuertens animas, quia non solùm exteriores actus, sed maximè interiores dirigit. Testimonium Domini fidele, quia non potest errare, propter certitudinem veritatis, & rectitudinis. Sapientiam præstans paruulis, quia ordinat & dirigit hominem ad finem suum supernaturalem, qui Deus est sapientia summa. (Psal. 18.)

Ecce necessitas, & præstantia diuinæ legis. Vnde postea Psaltes dicere pergit. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos, iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Hæc omnia nomina sub nomine legis continentur. Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum. Propterea seruus tuus custodit ea, & in custodiendis illis retributio multa, nempe vita æterna.

O quis non inueniet suaue eiusmodi iugum, & amore plenissimum? Domine, inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem. O quis non dicet, hæc esse charitatis præcepta? Propterea Domine tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me, da mihi intellectum, vt discam mandata tua. Legem pone mihi Domine, &c.

De vnitate, & diuisione diuinæ legis.

CATECHESIS LXIII.

HÆc est lex Christi quam diuinam dicimus, atque in veterem, & nouam diuidimus. Vna quidem est, si originem, & finem spectemus Deum, à quo, & ad quem: verùm si modum spectemus, ac rationem, duplex est, & diuisa secundum imperfectum, & perfectum.

Differentia legis veteris, & nouæ. Vetus lex secundum statum suum est imperfecta, noua autem perfecta, interim vna & eadem: sicut eundem dicimus hominem, puerum, & virum, in statu tamen diuersum. Hoc modo D. Paulus Gal. 3. (Gal. 3.) A comparat veterem legem statui pueriliſ, existenti sub pædagogo: statum verò nouæ legis, viro perfecto, qui non est amplius sub pædagogo.

Hæc autem perfectio, & imperfectio, ex D. Th. 1. 2. quæst. 81. art. 5. attendi potest secundum tria, quæ ad legem pertinent. Primò, ad legem pertinet, vt ordinetur ad bonum commune; quod quidem duplex esse potest. Vnum terrenum, & sensibile: alterum cœleste, & intellectuale. Ad bonum terrenum ordinabat directè lex vetus: sic Exod. 3. ab ipso initio legis, promittitur terra Chananæorum. Ad bonum autem cœleste noua lex ordinat: vnde Christus statim initio suæ prædicationis, Matth. 4. inuitat ad regnum cœlorum; *Pœnitentiam agite, appropinquauit*, &c. Differentiam vides; B in lege veteri temporalium rerum promissiones sunt, in noua æternarum. (S. Tho. *Tria quæ ad legem pertinent.* 1. Exod. 3. Matth. 4.)

Secundò, ad legem pertinet dirigere humanos actus, secundum ordinem iustitiæ, in quo certè superabundat lex noua veteri, interiores dirigendo, & ordinando. Matth. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum*, &c. Lex vetus prohibebat manum; noua animum. 2. (Matth. 5.)

Tertiò, ad legem pertinet mandatorum obseruatio: hoc autem timore pœnarum vetus lex facit; sicut è contrà noua per amorem, qui infunditur per gratiam in cordibus. Vnde S. Aug. contra Adamantium Manichæi discipulum. Breuis differentia C est legis, & Euangelij, timor & amor, imperfectum & perfectum. Vnde iam dicere possumus, quia nullus status potuit esse perfectior statu nouæ legis, qua immediatè introducitur homo ad vltimum finem, ordinando omnes eius actus interiores ad se, ad proximum, ad Deum. 3. (S. Aug.)

Vnum autem hic quæri potest, cur non fuit data à principio mundi. Respondeo, cum Doctore nostro, quæst. 91. art. 5. non debuisse triplici ratione. Prima, quia lex noua principaliter consistit in gratia Spiritusſancti, quæ dari non debuit abundanter, nisi post impedimentum sublatum peccati, consummata redemptione per Christum. (*Triplex ratio cur ab initio mundi lex noua nõ fuerit data.* 1.)

Secunda ex ipsa perfectione nouæ legis assignari potest. Non enim id quod perfectum est, statim D fit à principio, sed cum ordine successionis, sicut diximus de homine, qui de puero, vir perfectus euadit. 2.

Tertia sumitur ex eo, quod lex noua, lex gratiæ est, vnde oportuit, vt primò relinqueretur homo in eo statu, in quo, cadendo in peccatum suam infirmitatem cognosceret, seque gratia indigere. Propterea præcessit status legis veteris, qui vi sua peccatum non auferebat; vnde imperfecta dicitur, & vetus, sicut noua, perfecta. Vtraque à Deo data; vna à Moyse lata, altera à Christo: vna prædicata à Prophetis, altera ab Apostolis; vtraque vna & eadem, licet diuersa secundum statum. 3.

E His positis, facile est iterum excellentiam eius agnoscere. Primò, quia immediatè à Deo est. Secundò, quia antiquissima. Tertiò, quia item omnium vniuersalissima, vtpote quæ obligat omnes. Quartò, quia in ea dispensari non potest. Quintò, quia est ad salutem necessaria, sicut dixit ipse Christus: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Vnde palàm, & cum solemnitate publicare illam voluit. (*Legis diuinæ excellentia.*)

Primò per Moysem in monte Sinai: deinde per seipsum, & voces Apostolorum, vbique terrarum, vt salui fiant omnes.

A

De Euangelio.

Catechesis LXIV.

August. FINIS legis est Christus. August. quæst. 140. in Exod. Decalogum legum omnium, & diuinorum præceptorum epitomem esse docet. Sic etiam omnium quæ fecit, & loquutus est Christus, summam esse Euangelium nobis constat. Vnde sicut omnia quæ præcepit Deus, ex istis decem præceptis, in duabus tabulis conscriptis, pendere dicuntur: ita hæc ipsa decem præcepta rursus pendere dicimus ex illis duobus præceptis Euangelicis, dilectionis Dei scilicet, & proximi, sicut dixit ipse Christus, *Et in his duobus tota lex pendet, & Prophetæ*. Quare cùm in his decem, & in his duobus, sit summa totius legis, operæpretium est scire, quantum teneamur illa ritè intelligere, & adimplere. Ad quod illud maximum pondus habebit, vimque maximam, si meminerimus, vtriusque legis Deum esse authorem, de cuius sapientia, & æquitate dubitare non possumus, sicut nec infinitam eius potentiam effugere. Quare cùm per Prophetas legem Exod. 20. seruari iuberet sic dicebat, Exod. 20. statim ipso Decalogi exordio: Ego sum Dominus Deus tuus, Iohan. 8. &c. sicut Iohan. 8. cùm in Templo doceret Christus, & interrogaretur quis esset; Tu quis es? respondit. Ego principium qui & loquor vobis. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, quæ audiui à Patre, hæc loquor in mundo. Qui me misit, mecum est. Ecce ergo quis author omnium præceptorum, Deus: sicut etiam omnium finis est charitas Dei, & proximi. His namque admonemur, nec Deum, nec proximum offendere. Quare tam in veteri, quàm in noua lege, in duas partes distributa Exod. 20. fuerunt. Exod. 20. duæ tabulæ sunt, vbi in prima tria sunt præcepta, quæ pertinent ad Deum: & in secunda septem, quæ ad proximum. Sic in noua lege Euangelij hæc duo tantùm præcepta inueniuntur; Matth. 22. Matth. 22. dilectio Dei, & proximi, summa omnium aliorum, sicut dixit Christus. Quare videtur conueniens, ea priùs afferre, & explicare, quàm ea quæ fusiùs in Decalogo ponuntur.

Duo præcepta charitatis. Hæc igitur sunt Matth. 22. cuidam legis doctori ex ipso Christi ore prolata; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophe-Deut. 10. tæ. Sic Deut. 10. Nûc audi Israël, quid Dominus à te petit, nisi vt diligas eum, ac seruias ei? Videamus nunc quæ contineantur in eis, & explicemus.

Explicatur primum præceptum. In primo quatuor sunt. Primum est, quod Deus exigit à nobis, vt diligamus. Et quidem multa alia exigit, vtpote credere, sperare, orare, &c. sed ante omnia maximè diligere, quod & omnium per se S. August. facillimum est, & iucundum. S. Aug. Serm. 47. de Sanctis. Quid quæso dicitur impossibile homini amare, amare inquam creatorem beneficum, &c. Hoc secundum est, nempe quem debeamus diligere, Deus est, sua natura bonus, imò bonitas ipsa, & summum bonum, omnium bonorum fons, & in quo est omnis ratio diligendi. Tertium est modus, ex toto corde, &c. vbi datur intelligi, quod omnem intellectum, memoriam, & voluntatem, generatim omnes vires, & facultates animi, & corporis, cor & animam, esse, ac vitam, ad diuinum amorem impendere debemus. Quartum est, quod dicitur primum & maximum, vt intelligatur, quod est omnium dignissimum, & ante omnia petitum à Deo, super alia Deo gratissimum, & nobis vtilissimum, vnde Colos. 3. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum, &c.* Colos. 3.

Explicatur secundũ præceptum. Verùm post hoc primum & maximum, sequitur aliud etiam simile, quod quidem vocatur secundum, & proximi est; Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ecce duo. Primum est, quis post Deum diligendus. Secundum continet modum, sicut teipsum, id est, commodum eius ames, & quæras, sicut tuum. Sic Iohan. 15. Hoc est præceptum Iohan. 15.

B

meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Istud (sicut) notate: cùm enim nos Christus amauit, nostram, & non suam vtilitatem quæsiuit. Sicut teipsum ait, vt exerceamus erga ipsum humilitatem, patientiam, &c. prout conuenit charitati, de qua 1. Cor. 13. *Charitas patiens est, benigna, non agit perperam, &c.* 1. Cor. 13.

De Decalogo.

Catechesis LXV.

C

DVo præcepta Euangelica, seu charitatis concludens Christus, his verbis mirè amplificat, dicens; In his duobus vniuersa lex pendet, & Prophetę: scilicet quia qui ista duo obseruat, omnem Decalogum implere censetur, legisque ac Prophetarum finem attigisse, summa enim sunt omnium. Hoc sensu dicitur apud D. Paul. Plenitudo legis dilectio: hoc sensu apud Iohan. Qui dicit se Deum nosse, & mandata eius non custodit, mendax est: hoc sensu quod enunciauit Christus; Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Si quis enim diligit me, sermonem meũ seruabit. Igitur quæ sunt mãdata, vt faciamus ea, scire expedit.

D

Omnium summa & epitome Decalogus est, vt diximus, complectens quæ Dei sunt & proximi, intra numerum ac terminos decem præceptorum. Hæc præcepta numero decem, pro numero, ordine, ac diuisione charitatis, efficiunt duas partes, seu in duas tabulas distributa sunt. In prima tria sunt pertinentia ad Dei cultum: in secunda septem ad commune bonum proximi.

Verùm qua majestate hanc legem, ac præcepta filiis suis olim Deus dederit, scire expedit, vt magis æstimemus, ac sciamus, quàm piè colere debeamus. Exod. 19. habemus, quod triduo antequam Exod. 19. scriberentur hæc præcepta in tabulis, & darentur, iussu Dei omnibus dictũ est, vt vestimenta lauarent, vxores non attingerent, &c. quò sanctiores,

E

paratioresque essent ad ea recipienda. Vade ad populum, & sanctifica eos hodie, & cras, lauentque vestimenta sua, & sint parati in tertium diem. Iam aduenerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, micare fulgura, & nubes densissima operire montem, cumque eduxisset Moyses populum in occursum Dei, descendit Deus super montem, eratque omnis mons terribilis, & timuit populus, & stetit ad radices montis, & solus Moyses ascendit, & Dominus in medio nubis, clangorisque buccinarum, loquebatur ad Moysem, & legem dabat scriptam in tabulis. Ecce publicationis solemnitas, ecce cum qua majestate, in conspectu omnis populi, à Deo hæc diuina lex & tam excellens promulgatur.

Sed

Sed vnum est notabile, quia duæ tabulæ erant, in quarum vna tria tantùm præcepta erant, in altera septem: interim ambæ erant æquales, & totæ literis ac scriptura plenæ, quia tria priora præcepta, scripta pluribus verbis, ostendebant grauitatem, & pondus primæ tabulæ, quæ pertinebat ad Deum, supra septem secundæ, quæ ad proximum.

Exod.20. *Deca legis.* Talis autem istorum omnium præceptorum tenor erat, & ordo, Exod. 20. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruitutis.

1. Non habebis Deos alienos coram me.
2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanũ.
3. Memento vt diem Sabbathi sanctifices, &c. Ecce quæ ad Deum spectant, tria sunt.
4. Ecce quæ ad proximum. Honora patrem, & matrem, &c.
5. Non occides.
6. Non mœchaberis.
7. Non furtum facies.
8. Non loqueris falsum testimonium contra proximum tuum.
9. Non concupisces domum proximi, nec vxorem, &c.
10. Non desiderabis bouem, asinum, nec omnia quæ illius sunt. Ecce septem proximi, quæ cum tribus Dei, numero sunt decem.

Quæri autem hic potest, cur tantùm hæc tria tabula prima continebat: secunda verò septem. Hæc ratio est, quia in prima docemur Deum amare corde, lingua, opere. In secunda primò, prodesse proximo reuerentia, & honore. Secundò, non nocere illi in persona, (non occides.) Tertiò, in honore, (non mœchaberis.) Quartò, in bonis, (non furtum facies.) Quintò, & hoc neque verbo, (non loqueris, &c.) Sextò, neque corde, (nõ concupisces vxorem, &c.) Septimò tandem, neque opere, (nec quæ illius sunt.) Ecce septem: ecce legis integritas, ecce quomodo dicitur lex Domini immaculata conuertens animas. Si filij Israël, ô Christiani, Moysi dixerunt, dum Deus illis hæc præcepta daret: Loquere tu nobis, & non Dominus, ne fortè moriamur. Nos hodie è contrà dicimus; Non amplius Moyses, sed tu Domine loquere iam nobis, ne fortè moriamur, verba enim vitæ æternæ habes.

Ego sum Dominus Deus tuus, &c.

CATECHESIS LXVI.

Iohan.17. QVOD ante omnia Christus notum fecit nobis, nomen fuit, & notitia Dei patris. Ioh. 17. Pater, manifestaui nomen tuum hominibus, notum feci, & notum faciam. Vnde? quia illud est principium salutis. Sic ante præcepta sua præmisit Deus quædam verba loco prœmij, & præparationis, ad illorum obseruationem. Illa sunt; Ego sum Dominus Deus, &c. Istud exordium positum est, vt ante omnia semper Deum in mente habeamus; continuò hæc verba, Ego sum Dominus, &c. Sic regius Psaltes in hac solùm memoria delectabatur, dicens; Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum. Et Psal. 94. prædicat omnibus; Ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius. Psal.94.

Hæc admonitio prima multum valet, vt fideles reddamur ad colendam legem, & abstinendum à peccatis. Si enim ego Dominus, vbi honor, vbi timor, vbi amor? Quid nos igitur docent ista verba? legislatorem nostrum Deum esse, & vniuersorum Dominum, cum in quem credere, sperare in omnibus, & super omnes diligere, timere, inuocare, & colere debemus. Præterea hæc verba rationes ostendunt, quibus potuit Deus nobis legem dare, & ad obseruandum obligare. Illæ autem quatuor sunt. *4 Rationibus obligamur ad præceptorum obseruationem.*

Prima est in hoc nomine, Ego Dominus. Si enim Deus est primus & supremus Dominus omnium, proculdubio legibus subditos potest obstringere. 1.

Secunda item in nomine, Deus; hoc enim intelligimus, Dominum hunc supremum esse omnium dominorum: sicut de eo dicitur, quod habet scriptum in vestimento, & femore, Rex regum, & Dominus dominantium. Vnde ius habet obligandi, & coërcendi. 2.

Tertia in hoc pronomine, tuus: quia etsi vt Deus, & Dominus, hoc ius habeat, eique omnem obedientiam debeamus vt serui, tamen adhuc titulo pacti quod iniuimus cum eo, & ipse nobiscũ, in Sacramento baptismi, sicut Israëlitæ in circuncisione: denique adoptionis iure obedire debemus, sicut in nos ius habet; non enim amplius nostri sumus, sed ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius. Audi Israël, Ego sum Dominus Deus tuus. Dicebat tali iure Psaltes: *Elegit nos in hæreditatem sibi.* O dignitas! Dei hæreditas sumus. Psal.32. Beata gens, cuius est Dominus Deus eius, populus quem elegit in hæreditatem sibi. O verè beata gens! ô ius honorificum! Ecce quo iure, & pacto, Dei populus sumus, & ipse est Deus noster. Ierem.31. dicit Dominus: Ero Deus vniuersis cognationibus Israël, & ipsi erunt mihi in populum. Sed statim adhuc vniuersaliùs loquitur. Ecce dies venient, & feriam domui Iacob (id est, Ecclesiæ) nouum fœdus, pactum cum domo Israël post illos dies. Et hoc erit, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam, (loquitur de noua) & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Sic Zach. 8. Erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, in veritate, & iustitia. Et cap. 13. Ipse inuocabit nomen meum, & ego exaudiam eum. Dicam, populus meus es, & ipse, Dominus Deus meus. O dignitas, qua Dei sumus, & ipse ius habet tale in nos! O iugum honoris, quo & nos Deum, Deum nostrum vocare possumus! O Christiani, nihil est tam nostrum hodie sicut Deus. Quid inde à nobis postulat? Audite: vt sine timore nunc de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi, in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. 3. Psal.32. Ierem.31. Zach. 8. & 13.

Quarta & vltima ratio, in hoc ipso, quod ab eo liberati, & redempti sumus de domo seruitutis, sicut ait; Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruitutis. Præter enim prædictas, & tot obligationes, hæc maxima est, vt seruiamus ei, & nobis legem imponat, quod à seruitute diaboli, & peccati nos redemerit, significata per seruitutem Ægypti & Pharaonis, in qua fuerant Israëlitæ, & de qua eos eduxit. Vnde iam amplius nostri non sumus, sed eius qui nos emit, & redemit, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, qui denique suo sanguine sibi nos acquisiuit. Pretiũ ponderat Petrus ep. 1. Non corruptibilibus, &c. sed pretioso sanguine, &c. Hoc ponderat D. Paulus 1. Cor. 6. Empti estis pretio magno, glorificate Deum, seruite ei, &c. sed seruitute, qua liberi estis. Ecce quousque ius habet legem imponendi, legem libertatis, & non amplius seruitutis; 4. 1.Pet.1. 1.Cor.6.

non

non enim estis sub lege, se sub gratia. Nunc enim A seruire Deo, regnare est.

Catechesis LXVII.

Non habebis Deos alienos coram me.

Math.12. EX ore Christi duo sunt maxima mandata in lege, Matth.22. Cuidam legis doctori, interroganti ipsum, & tentanti, Magister quod est mandatum magnum in lege? respondit; Diliges, &c. Hoc est, inquit, primum & maximum. Secundum verò simile huic. Vnde optima est & conueniens B diuisio, & distinctio præceptorum Decalogi: vbi quæ ad Deum pertinent, primum locum obtinent, quæ autem ad proximum, posteriorem; si quidem & ex Dei mandato, proximum diligimus, & eorum quæ proximo pręstamus, etiam causa est Deus: vnde hæc primò ponuntur. Illa autem tria sunt, *Quatuor primi præcepti partes.* quorum primum est; Non habebis Deos alienos, &c. Hoc autem constat tribus aut quatuor partibus. Prima est, pro Deo tenendum esse solum Deum. Secunda, nullum alium, præter eum, pro Deo agnoscendum. Tertia, non facienda idola, seu imagines, quæ pro Diis habeantur. Quarta erit, Deum visitaturum iniquitatem patrum, in filios eorum qui oderunt eum; facturum autem misericordiam in millia, iis qui custodierint præcepta eius.

Iam verò duæ primæ partes continentur sub his verbis; Non habebis Deos alienos coram me: hæc enim eam coniunctam habent sententiam; Me verum Deum coles, (ecce prima pars) & simul Diis alienis cultum non ad hibebis, (ecce secunda.) Orig. Hac ratione Origen.hom.8.super Exod. ponit pro vno eodemque præcepto ista duo; Ego sum Dominus Deus tuus, & non habebis Deos alienos; vbi vnum affirmat, alterum negat. Et hoc maximè credibile est, vbi affirmatiuum comprehenditur sub negatiuo, & negatiuum sub affirmatiuo: tunc enim non sunt diuersa, sed vnum præceptum. Hic autem sub isto, Non habebis Deos alienos; etiam affirmatiuum comprehenditur, Ego sum Dominus, & me verum Deum coles: sicque simul iubet, & prohibet.

Igitur in prima parte continetur hoc affirmatiuum præceptum, quo vult ac iubet Deus, teneri ab omnibus pro solo, & vero Deo, sicuti est verè. Quod quidem fit exercitio trium virtutum Theologicarum, ac religionis. Vnde hac prima parte exigit Deus fidem, spem, charitatem, vocaturque tale præceptum fidei, spei, & charitatis. Propterea sic incipit, & concludit, Ego sum Dominus, &c. Sed ad singulas virtutes veniamus.

Qui habet fidem, & in Deum credit, certum est quia Deum pro Deo habet, & vt talem, solum veneratur, suscipit enim eum tanquam supremam veritatem. Audistis enim aliquando, quid sit Deum credere, Deo, & in Deum. Quare contra hoc præceptum peccant hæretici, qui fide priuati, nec Deum cognoscunt, nec reuerentur.

Qui spem habet in Deum, etiam tenet Deum esse, & solum pro tali reueretur, cùm eum suspiciat vt fidelissimum in promissis, & in dando paratissimum. Quod quidem ad Deum solum pertinet, vnde spes, & fiducia in omnibus nostris necessitatibus, vnde petitio auxilij, vnde eleuatio oculorum, & manuum in montes cœli, sicut dicebat Psaltes; *Leuaui oculos meos in montes*, &c. Quare contra hoc præceptum peccant, qui de misericordia desperant, aut etiam nimiùm confidunt in filiis hominum, in quibus non est salus. In vniuersum peccant, qui somniis, auguriis, maleficiis, & sortilegiis fidem adhibent, cæterisque rebus vanis ac impiis.

Item qui Deum super omnia amant, hi certè tenent Deum pro Deo, quia ipsum colunt vt summum bonum, à quo omnia bona procedunt, & ad quod participandum omnes conditi sumus, quod propterea ante omnia nobis est quærendum. Vnde August. in Solil. Tu es summum bonum, quod nemo rectè quæsiuit, & minimè inuenit: omnis autem rectè quæsiuit, quem tu quærere fecisti. Rectè autem quæritur, cùm principaliter quæritur. Satiabor, inquiebat Psaltes, cùm apparuerit gloria tua. Hoc præcepto tenemur Deum diligere, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus, iuxta S. Matth.22. Hoc est primum & maximum mandatum. Contra hoc autem præceptum peccant, qui creaturam Deo præferunt, & nihil curant peccata committere. August. Math.

Denique qui religionem Christianam profitentur, & iuxta illam Deum supremo cultu, ac honore adorant, ij proculdubio Deum agnoscunt, & solum pro Deo tenent; quia eum honorant vt primum authorem, & principium rerum omnium. C Contra hanc partem peccant idololatræ: item qui inter Christianos, magis hominibus, quàm Deo obediunt: item qui rebus Deo consecratis parum, aut nihil honoris deferunt, vt sunt Templa, vasa sacra, Sacerdotes, & cætera huiusmodi. Addamus & animas sanguine Christi lotas. *Nescitis enim quia templum Dei sanctum est, quod estis vos?*

Non habebis Deos alienos coram me.

Catechesis LXVIII.

D ECCE omnium primum mandatum, in lege, & Euangelio Christi, & maximum ordine & dignitate. Ordine quidem, quia primus est omnium Deus, cui honorem debemus, & obsequium, vtpote qui nos creauit, & adhuc continuò gubernat. Dignitate, quia finis humanæ vitæ, & societatis est Deus. Vnde D. Tho.1.2. quæst.100.art.6. Primò D.Tho. oportuit per præcepta Decalogi hominem ordinare ad Deum: inter ipsa autem quæ ipsum ordinant, primum est quod ei fideliter subdatur, nullam partem cum inimicis habens, iuxta id; Non habebis Deos alienos coram me. Vnde conueniens fuit, vt primo loco traderetur hoc præceptum, quo falsorum Deorum cultus excluderetur. Sicut E enim ad legem pertinet, facere homines bonos, maximè autem ad legem diuinam, ideo primò oportuit iacere fundamentum veræ religionis, per quam homo directè ordinatur ad Deum, & tollitur omne impedimentum. Præcipuum autem est Deorum falsorum cultus, secũdum illud Matth.6. Matth.6. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Vnde hoc excluditur; Non habebis Deos alienos coram me.

Altera ista est pars præcepti, quam secundam diximus, sub ratione negatiui præcepti. Etenim affirmatiuum simul & negatiuum fuit præceptum nostrum, vt diximus, & in se vnum est, & idem penitus, vnum alterum comprehendens: cùm enim dicat;

dicat; Non habebis, &c. idem est ac, me vnum Deum coles. Et cùm dicit, Ego sum Dominus Deus tuus, idem est ac, Non habebis Deos alienos.

Hac ideo loquendi formula vsus est legislator noster, propter cæcitatem multorum, qui & se Deum verum colere profitebantur, & tamen Deorum pluralitatem venerabantur, vt Samaritæ, qui & Deum Israël, & Deos Gentium colebant. Item inter Hebræos multi, qui, vt illis exprobrabat Elias 3. Reg. 18. in duas partes claudicabant. In vniuersum per hæc verba nos admonet Deus, atque exigit à nobis, vt præter ipsum, vnum Deum, nihil aliud cognoscamus vt Deum, & colamus, atque sic nulli creaturæ, quantumuis excellenti, diuinum impendamus honorem.

3. Reg. 18.

Qui sint dij alieni petes? Ij qui natura non sunt dij, sed falsa hominum opinione, & persuasione, vt qui ab Ethnicis habiti sunt, qui Solem, Lunam, homines mortuos, aut etiam qui viuebant, mortales, pro diis colebant: hi omnes in hoc præceptum peccabant, & vocantur idololatræ. Cuiusmodi adhuc sunt, qui magicis artibus, vel diuinatoriis, obseruationibusque superstitiosis, dant operam, & credunt: denique qui honorem diabolo impendunt, soli Deo debitum, eius maleficiis fidem adhibentes. Ecce huius præcepti violatores, idolis seruientes, & præterea omnes, qui expresso, vel tacito pacto cum dæmone, ab ipso petunt auxilium, relicto Deo. Non habebis Deos alienos coram me: coram me, qui potens sum, & paratus tibi omne auxilium præstare. *Venite ad me, qui laboratis*, &c. Oculi mei ad fideles terræ. Ita Psal. 32. De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram. Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius, vt eruat à morte animas eorum. Quare Psal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini. Oculi enim Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: vultus autem Domini super malos, vt perdat de terra memoriam eorum. Iuxtà est Dominus, &c. Vnde & 36. Spera in Domino, & fac bonitatem, (notate bene omnia.) Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Reuela Domino viam tuam, & ipse faciet (scilicet omnia.) Ego sum Dominus Deus tuus; Non habebis Deos alienos coram me. Iniusti peribunt, salus autem iustorum à Domino, adiuuabit eos, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos. quia sperauerunt in eo. Non est alius præter me, &c.

Psal. 32. Psal. 33. Psal. 36.

Interim non est inferendum inde, superuacaneum esse patrocinium Sanctorum, & prohiberi hoc præcepto, vt sequenti Catechesi expressiùs dicemus. Etenim neque illos vt Deos colimus, vt malè calumniantur nostri aduersarij, cùm illos patronos adhibemus; neque Deo nunc iniuriam facimus, sed honorem potiùs maximum, cùm propter reuerentiam non audemus eum adire, nisi per amicos, quos & ipse tot gratiis cumulauit, & prærogatiuis laudis, & honoris. Catechesi sequenti fusiùs hac de re.

De inuocatione Sanctorum.

CATECHESIS LXIX.

NON est sanctitas in Ecclesia, nisi ex plenitudine sanctitatis, & gratiæ Christi: vnde si in

A Sanctis aliqua relucet gloria, & majestas, hoc ad ipsum refertur, à quo talis dignitas emanauit, & de cuius plenitudine acceperunt omnes. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus*, (id est, multum) *nimis confortatus est principatus eorum*. Et sic inuocare Sanctos, non derogat huic primo præcepto, quo solùm prohibetur idololatria, secundum quam cultus soli Deo debitus, quem Græci λατρείαν vocant, in creaturam transfertur. Ecce enim quid sit idololatria. Longè autem est diuersus modus inuocandi, & colendi Deum, ab eo quo inuocamus, & colimus Sanctos. Deum enim colimus, & inuocamus, tanquam vnum, & verum, omnium bonorum fontem & largitorem, conditorem, redemptorem, B &c. Sanctos verò vt eiusdem Dei amicos, & nostros apud eum intercessores.

Diuersus modus colendi Sanctos, & Deum.

S. Tho. 2. 2. quæst. 83. art. 4. optimam dat distinctionem. Offertur Deo soli, vt per ipsum implenda oratio; quia omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam consequendam, quæ solus Deus dat, iuxta Psal. 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Alio modo Sanctis offertur, vt eorum precibus, & meritis sortiatur effectum, iuxta quod dicit S. Aug. Serm. 1. & 2. de Sancto Steph. Multa Deus non concedit, nisi aliorum preces interueniant, ac deprecatoris opera & officium accesserit. Quod exemplis amicorum Iob confirmatur, quorum peccata Deus non condonauit, nisi C ipsius Iob precibus. Iob. 42. Sic de Abimelec sanato precibus Abraham. Gen. 20. sic Deus loquitur Abimelec, qui tulerat Saram vxorem Abrahæ: En morieris propter mulierē, quam tulisti, habet enim virum; nunc ergo redde eam viro suo, quia Propheta est, & orabit pro te, & viues. Et pòst: Orante autem Abraham, sanauit Deus Abimelec. Sic Centurio seniores Iudæorum precatores adhibet, & ad Saluatorem mittit, vt laboranti puero salutem impetrent: sic Chananæa discipulos. Sic denique Stephanus orans pro Paulo, illum obtinet defensorem Ecclesiæ.

S. Thom. Psal. 83. S. Aug. Iob. 42. Gen. 20.

Hæc exempla, cum verbis D. Aug. & vniuersalis doctrina Ecclesiæ, facilè conuincunt hæreticorū D voces, qui impiè dicunt, nos Deo facere iniuriam, cùm Sanctos oramus: facillimum enim est agnoscere, talem inuocationem mandato isti non repugnare, eorumque cultum includere idololatriam.

Quod vt meliùs intelligatur, trium horū nominum notitiam habere expedit, latriæ, duliæ, & hyperduliæ. Latria est supremus cultus Deo soli debitus. Dulia, cultus & honor communis, quo amicos Dei Sanctos prosequimur. Hyperdulia verò cultus magis singularis, quo in sanctitate maiores prosequimur, vt B. Mariam. Vnde cùm honoramus, & inuocamus Sanctos, non cum eo cultu, ac honore, quo Deū honoramus. Aliàs & ipse Iacob Gen. 48. idololatra esset, qui ad instantiā filij sui Ioseph, in-E uocat super nepotes suos Ephraim, & Manassem, nomē patrum suorū Abraham & Isaac. Et quid hoc erat, nisi inuocare Sanctos iam mortuos? Similiter adhuc Angeli benedictionem petit super nepotes. Sed & Loth Gen. 19. Angelū orat, vt saluet ciuitatē Sogor, & exauditus est. Sic Exod. 32. ait Moyses: Domine recordare Abraham, & Isaac, & Israël seruorum tuorum. Sanctos inuocat Moyses super populum. Ita Zach. 1. videmus, Angelū pro populo Iuda orare. Sed quid dicam, quando Gen. 18. video etiam Angelum ab Abraham adorari? Peto iam ab hæreticis, ista adoratio quænam erat? non latria, sed dulia, id est, cultus non supremus, sed cōmunis, scil. illis exhibitus, vt Dei amicis, & familiaribus.

Triplex cultus. Gen. 48. Gen. 19. Exod 32. Zach. 1. Gen. 18.

RRr Fortè

Apoc. 22. Fortè obiicient hæretici, vt communiter solent, A quia Apoc. 22. Angelus noluit adorationem & honorem, quem illi Iohannes præstare volebat. Respondemus, ideo quia tanquam Deo ipsi exhibebat, putabat enim Deum esse. Non ego, sed S. Aug. (S. August.) sic respondet in Gen. quæst. 61. Non moueat nos, quod Angelus in Apocalypsi prohibeat se adorari ab homine, & admoneat, vt Dominus potiùs adoretur. Talis enim apparuerat Angelus, vt pro Deo posset adorari; & ideo fuerat corrigendus adorator. hæc Aug.

Tria in Sanctis consideranda. Verùm vt inuocationem Sanctorum magis confirmemus, tria sunt consideranda in illis. Primum est, esse in gratia Dei: secundum, in perfecta charitate pro nobis: tertium, clarissimam omnium necessitatum nostrarum habere notitiam. De hoc tertio & vltimo, S. Aug. lib. de cura mortuorum, (S. August. *4. Modis Sancti res nostras cognoscunt.*) cum omnibus Theologis, ostendit, quatuor modis res nostras agnoscere. Primò, quia omnia vident in speculo diuinitatis, cuius præsentia gaudent & fruuntur. Secundò, intermissione Angelorum, qui deferunt. Figura est in scala Iacob. Tertiò, relatione animarum hinc migrantium in cœlum. Quartò denique, vt multorum est opinio, propter incredibilem quandam subtilitatem, qua præditus est intellectus glorificatus; ita vt ista inferiora nullo pacto circumspicere prohibeantur: habet enim suos sensus, vt videat, & sciat beatus.

S. August. Ad hoc propositum idem S. August. cap. 100. ad Euodium, visionem narrat admirabilem, quæ accidit cuidam medico Carthaginensi celeberrimo, qui vocabatur Gennadius. Iste multum deditus erat charitati, & eleemosynis, interim de immortalitate animæ incredulus. Sed Deus, qui propter charitatem, eum perdere nolebat, talem ei accidere visionem decreuit, pro conuersione eius. Dum nocte dormiebat, quidam iuuenis formosissimus aspectu, illi apparet, dicens vt sequeretur, & ducit eum in ciuitatem plenam melodia, & gloria, qua totus extra se raptus, interrogat, quid hoc erat. Et respondetur ei, quia dulcis erat beatorum concentus; vnde statim expergefactus, visio euanuit. Sed nocte sequenti, idem iuuenis denuò in somnis apparet, & interrogat, num cognosceret ipsum; cui ille, etiam. Et præterea memor sum ciuitatis quam vidi, & melodiæ, quam audiui. Tunc ab eo iuuenis petit, si hæc viderat, & audierat in somno, an in vigilia. Cui iste, inter somnum, ait, & dum haberem sensus omnes clausos somno. Cui tunc iuuenis sic loquutus est. Scias iam quia sicut dum oculi tui, & omnes sensus erant somno grauati, & clausi, vidisti me, audisti, &c. ita quia post somnum mortis, aliam vitam habebis, & alios sensus, vt cognoscas, &c.

Hæc historia de Sancto August. est, vt ostendatur, quomodo qui in cœlo sunt, etiam quæ in terra sunt, vident. Sed quid opus est alio exemplo, (Luc. 15. & 16.) quàm Luc. 15. & 16. Luc. 15. gaudent Angeli in cœlo de peccatore in terra pœnitentiam agente; ergo vident. Et 16. Abraham in Limbis, nouit optimè quia diues Epulo receperat bona, & abusus fuerat: similiter quia Lazarus malis bene vsus fuerat. Si ergo ex istis omnibus habemus, quia Sancti in cœlo res nostras agnoscunt; & præterea, quia amici Dei, & charitate sunt referti, honoremus eos, inuocemus, &c.

Quomodo inuocatio Sanctorum non tollit mediationem Christi.

Catechesis LXX.

Constat inuocatione Sanctorum non tolli mediationem Christi, sed potiùs Deum summè honorari, in quibus nobis declaratur gratia eius ac suprema bonitas. Sap. 3. Fulgebunt, nationes iudicabunt, & dominabuntur populis. Sap. 5. (Sap. 3. & 5.) B Inter filios Dei computati sunt; ergo intercessores apud ipsum haberi possunt, qui sic honoratur in ipsis. Nimis honorificati sunt amici tui Deus. Sic Moyses Deut. 5. talem se fuisse iactitabat: Ego medius fuit inter Dominum & vos, in tempore illo. Ecce amicus Dei mediator Moyses. (Deut. 5.)

Constat hanc mediationem non facere iniuriam Christo, qui 1. Tim. 2. vocatur vnus mediator Dei & hominum: nec enim Sanctos inuocamus, vt (1. Tim. 2.) fungantur vice Christi, sed vt erga Christum, & per Christum nos adiuuent erga patrem, ille supremus, & solus in potestate suprema, isti inferiores, subalterni, dependentes, interim suo principatu honorificati, ex Psal. & nimis confortatus est prin- C cipatus eorum. Nomen mediatoris analogum est, & per analogiam Christo, & Sanctis conuenit: Christo per excellentiam, Sanctis per dependentiam. Sic apud Iohan. *Habemus aduocatum apud patrem, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Vt talis solus est, sed nō sequitur, non esse alios alio genere; & qui diceret, Parisiis vnus est excellens patronus: ergo nullus est nisi iste; mentiretur, quia licet sit iste excellens, adhuc alij sunt, sed alio genere.

Quis quæso adeò demens est, qui Rege edicente, ne se pro Rege quisquam gerat, aut patiatur affici regio honore, continuò putet nolle Regem, vt suis magistratibus honos deferatur? Omnes Sancti magistratus Dei sunt. Dicamne vnum? Et hoc Christus illis meruit, vt sint, & intercessores, D & iudices, & reges, quia ipse est mediator, & iudex, & rex, sic enim sedet ad dexteram patris. Primò vt rex: secundò vt iudex: tertiò vt mediator. Ita dico, & Sanctis hoc meruit, participes enim effecti sunt omnium bonorum Christi in cœlis, vnde reges sunt. Venite, ait Christus, possidere regnum. Iudices sedebitis & vos iudicantes. Quare ergo non intercessores? imò & multo magis illis conueniet officium mediatoris. Videant hæretici quid ad ista respondeant.

Præterea, non minus viuorum, quàm eorum qui in cœlis sunt, orationes imminuunt gloriam Christi mediatoris. Et tamen D. Paul. Rom. 15. & (Rom. 15. Heb. 13.) Heb. 13. summo studio cupit viuentium precibus E adiuuari, licet vnum patronum habeat Iesvm Christum.

Verùm videamus, in quo stat differentia mediationis Christi, & aliorum. Christus tribus de causis (*Christus tribus de causis vnus mediator.*) dicitur vnus & solus mediator. Primò, ratione naturæ, quia medius est inter Deum & hominem, id 1. quod erat necessarium ad reconciliandum hominem Deo, & sic solus. Frater non redimit, redimet homo, ex D. Basil. non homo purus, sed homo-Deus. (D. Basil.) Quomodo dicitur per Apostolum: Erat Deus in Christo mundum sibi reconcilians.

Secundò, ratione officij, nempe redemptoris; & 2. sic solus, quomodo dicitur Coloss. 1. pacificans per (Col. 1.) sangui

sanguinem Crucis, siue quæ in cœlis, siue quæ in A terris. Sicut 1. Tim. 2. Qui dedit semetipsum redemptionem pro multis, soluens pro debitore creditori. Sic Heb. 9. Christus assistés, (videatur locus.)

1.Tim.2.

Heb.9.

3. Tertiò denique ratione excellentiæ, vtpote qui nullo alio mediatore indiget, vt alij, quomodo Heb. 7. dicitur; Accedit per semetipsum ad Deum, semper viuens, ad interpellandum pro nobis. Et Heb. 4. Habemus Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, IESVM filium Dei. Adeamus ergo, &c. Hoc pacto Sancti differūt à Christo, quia tantùm mediatores sunt, supplices, & intercessionis, & dependentes à Christo. Vnde omnes nostras preces sic semper terminamus; Per Dominum nostrum IESVM Christum.

Heb.7. & 4.

Non facies tibi sculptile, &c.

CATECHESIS LXXI.

Ioh.4.

CHRISTVS æterna veritas patris, Iohan. 4. Samaritanæ loquens de vera adoratione, & cultu Deo debito, dicebat: Mulier crede mihi, quia venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & veritate. Nam pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate adorare oportet. His verbis Christus explicat veritatem diuini cultus, & quid intelligatur hoc præcepto Decalogi; Non facies tibi sculptile. Dixeramus initio, vbi de diuisione primi præcepti, hoc præceptum constare quatuor partibus. Quarum prima erat pro Deo, vnum & solum esse tenendum. Secunda, nullum alium præter eum. Tertia nunc, quæ nostra est, non facienda esse idola, seu imagines, quæ habeantur pro diis, iuxta id; Non facies tibi, &c.

His verbis quid Deus intendat, sciendum nunc. Et duo sunt. Primum est, non absolutè, & simpliciter prohibuisse fieri imagines, sed tantùm in eum finem, ne adoremus. Secundum ex hoc sequitur, nempe idololatriam prohibuisse, quæ nascitur ex honore delato creaturis, siue earum simulachris, tanquam Deo. Quæ quidem idololatria olim his duobus modis, vel tribus committebatur: alij enim ipsas creaturas siue animatas, siue inanimatas, pro diis colebant; alij illarum simulachra, vt vitulum aureum: alij denique fingebant sibi quædam numina, & sic idola habebant, falsorumque deorum simulachra pro diis colebant, & adorabant. Hæc omnia idololatriæ genera valde vsitata erant apud Gentes, & præsertim quæ in circuitu populi Israël erant, vt videre est in literis sacris.

Triplex idololatria.

Quare Deus hoc præceptum expresè instituit, ne more Gentium talia simulachra habeamus, quæ loco numinis adoremus. Quod satis intelligitur, cùm ait; Non facies tibi idolum, aut sculptile. Tibi, ait, id est, in salutem tuam, & à quo auxilium aut redemptionem quæras. Sed clariùs cùm etiam dixit; Non adorabis ea, neque coles, vt Deos: non enim habebis coram me Deos alienos. Quare D. Paulus Rom. 1. sic occasionem sumit improperandi Gentibus, dicens: *Mutauerunt* (id est, transtulerunt) *gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium*; cùm nempe ipsis statuis creaturarum, seu creaturis ipsis, numen & diuinitatem tribuerunt. Sic de Israëlitis Psal. 105. Mutauerunt gloriam suam in similitudi-

Rom.1.

Psal. 105. & 113.

nem vituli comedentis fœnum. Ita & Psal. 113. Simulachra Gentium, &c. opera manuum hominum, os habent, & non loquentur, &c. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis, scilicet qui credunt numen inesse eis.

Nos autem non sic mutamus aut transferimus gloriam Dei, in imagines quæ apud nos sunt, tum Dei, tum Sanctorum, quasi eis tribuamus aliquam diuinitatem. Non, repræsentationes tantùm sunt, neque propter se, sed propter Deum, & Sanctos colimus, quos nobis repræsentant. Sicut non habemus Sanctos in conspectu Dei, tanquam Deos, aut ab illo alienos, sed tanquam illius domesticos, filios electos, & per eius gratiam, gloriamve, naturæ B eius consortes, bonorumque vniuersorum eius hæredes; sic colimus.

Igitur quia non ita deferimus honorem imaginibus nostris, velut idolis, non censentur prohiberi hoc præcepto: imò & ex præcepto Dei, sicut ex præscripto, vsum illarum habemus Exod. 25. vbi Exod 25. Moyses ex mandato Dei legitur fecisse similitudines Angelorum, nempe duos Cherubim aureos, & posuisse in summis partibus propitiatorij, sese inuicem respicientes. Sic & Salomon 3. Reg. 7. in 3.Reg.7. Templo suo multas Cherubim imagines posuit, & ex eo laudem à Deo meruit. Item Moyses serpentem æneum erigit, & ponit pro signo in deserto, vt qui aspicerent in eum percussi sanarentur. Intelligant ista hæretici. Ecce salus ponitur ad aspectum C similitudinis serpentis erecti in altum.

Quid? an sibi contrarius est Deus? permittitne, sed præcipitne imaginum vsum, vt postea prohibeat? Minimè, idola prohibet, non imagines. Quare hæc pars præcepti tria nobis proponit. Primum est, differentiam esse maximam inter idola, & imagines. Idola creaturæ sunt, aut simulachra, quæ falsò pro diis habentur, & coluntur: imagines verò tantùm signa, & memorialia mysteriorum, aut actionum Christi, & Sanctorum eius. Et qui illa deos haberet, Anathema sit, plusquàm enim hæreticus esset.

Sequitur inde secundum & tertium, nempe, hoc D præcepto non absolutè & simpliciter prohiberi imagines, sed tantùm hac de causa, ne adorentur, & pro diis habeantur. Prohibitio enim propter causam facta est, qua sublata, tollitur prohibitio. Ad tertium venimus, nempe, vsum imaginum nostrarum eiusmodi esse debere. Primò, vt nobis reficiant memoriam Christi, & Sanctorum eius: secundò, vt ad imitationem nos prouocent.

Non adorabis ea, neque coles.

CATECHESIS LXXII.

E NON arcet hoc præceptum adorationem Crucis Christi, & sanctarum cultum imaginum in Ecclesia: his namque verbis; Non adorabis ea, neque coles, satis constat, quæ sit differentia inter idola prohibita, & permissum vsum imaginum nostrarum. Adorantur enim idola, & coluntur pro diis, non imagines, quibus tantùm defertur honor per relationem. Imaginum honor relatiuus est & analogus, id est, solùm honorantur per reflexionem rei repræsentatæ ab eis. Ita Conc. Trid. vbi asseritur coli illas non ratione alicuius diuinitatis, quæ in eis sit, sed solùm pro reuerentia quæ fertur rei significatæ per illas. Vultis dicamus? Sunt idiotis paginæ, sunt & doctis adminicula, vt Dei, & Sanctorum sint & memores, & sectatores.

veniam peccatorum ; in te beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, &c. ora pro populo, &c.
S. Athan. Ita S. Athanasius, & vniuersalis denique Ecclesia.

Sed fortè etiam obloquuntur quod cum numero precamur, & multoties Aue dicimus. Sed sciant quia numerus iste, qui rosario & corona includitur, neque est superstitiosus, neque prohibitus à Deo. Infinita eius sapientia, & bonitas disposuit omnia in numero, pondere & mensura. Septies in
Ps. 118. die laudem Psaltes dicebat Psalm. 118. & Daniel
Dan. 6. cap. 6. ter in die orabat : & Esdras quater in die, &
2. Esd. c. 9. quater in nocte, lib. 2. c. 9. Vt autem ostendamus, quia in numeris ingentia mysteria sunt, Elisæus dixit Regi Ioas : *Si percussisses quinquies, aut sexies, aut septies, terram iaculo, percussisses Syriam vsque ad con-*
4. Reg. 13. *sumptionem.* 4. Reg. 13. Ecce in Scriptura sacra numerorum approbatio.

Si ergo dicendo coronam, multoties repetimus Aue, nonne bene facimus ? Opus bonum sæpius iteratum, nonne melius est ? Ter, aut quater eleemosynam dare pauperi, nonne melius est quàm semel? Similiter sæpius salutare Virginem, & orare, A nonne istud erit ad maiorem filij gloriam, & matris? Propter eandem rationem, ter in die, in Ecclesiis, mane, meridie, & vespere, pulsatur campana, & dicitur Aue, vt in principio, medio, & fine diurnarum actionum, memores simus, quia indigemus supernis auxiliis, proptereáque Virginis opem imploramus.

Sed præterea adhuc, vt trium præcipuorum mysteriorum fidei recordemur, nempe, Incarnationis, Passionis, & Resurrectionis, quibus quotidie honórem reddere debemus, idque per Mariam quæ tantopere particeps illorum effecta est; administrat in Incarnatione, in Passione compatitur, in Resurrectione collætatur, conglorificatur.

B Hæ sunt igitur rationes cur post orationem Dominicam, Virginem sic salutamus & oramus: rationes cur petendo, spem nostram exercemus, actúmque fiduciæ producimus, nunc & in hora mortis nostræ; quia bonum Dominum habemus, & misericordiæ matrem, per quam accessum habemus ad filium, sicut per filium ad patrem, qui non potest non exaudire eos, qui in nomine filij, & meritis matris, veniunt ad se, nunc & in hora mortis. Amen.

Finis secundæ partis.

TERTIA



TERTIA PARS CATECHISMI.

DE CHARITATE, SEV DE PRÆCEPTIS DEI, ET ECCLESIÆ.

Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Iohan. 15.

CATECHESIS LXI.



QVod summè Christus postulat à nobis, est vt ipsum amemus, & patris eius mandata seruemus. Quare duabus prioribus explicatis partibus Catechismi, quæ de fide, & spe erant, sequitur nunc tertia, quæ spectat ad charitatem, quę Decalogi, seu pręceptorũ Dei summa perfectio est. Ordinem Theologicum sequuti sumus, iuxta illud 1. Cor. 13. *Nunc autem manent, fides, spes, charitas, &c.* Primò enim egimus de summa fidei in Symbolo: secundò de summa spei in oratione: tertiò iam de summa charitatis in Decalogo, seu præceptis Dei, & Ecclesiæ.

1. Cor. 13.

Hæc virtus omnium est excellentissima: vnde ordine naturæ posterior, sicut dignitate prior, iuxta eundem Apostolum, fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum charitas. Verùm paucis excellentiam videamus.

Charitatis excellentia. S. Aug.

Theologicæ, inter omnes virtutes excellentiores sunt: inter autẽ Theologicas ista supereminet. Diuersimodè ab Apostolo sumimus rationem, præter illud 1. Cor. 13. *maior horum charitas.* 1. Tim. 1. dicit; Plenitudo legis dilectio, quia finis præcepti est charitas. Et rursus 1. Cor. 13. clarissimè demonstrat, quia absque charitate nihil prosunt omnia, vbi dicit; *Si distribuero*, &c. Conformiter S. Aug. lib. de doct. Christiana. Charitas sola est, quæ vincit omnia, sine qua nihil valent omnia, & quæ vbicumque fuerit, trahit ad se omnia. Et aliàs, explicans illud Rom. *Plenitudo legis dilectio*, dicit. Dilige, & fac quidquid volueris, quia cum dilectione nemo damnatur, sicut sine dilectione nemo saluatur.

1. Cor. 13. 1. Tim. 1. S. Aug.

D. Tho.

Verùm cum Angelico Doctore secunda secundæ quæst. 23. art. 6. Theologica ratione vtamur. Illa censetur virtutum præstantissima, quæ propiùs Deum attingit; eiusmodi est charitas, quæ ita A attingit, vt in ipso sistat. Licet enim ex eo dicantur Theologicæ, quod obiectiuè Deum habeant; tamen non omnes sistunt in Deo simpliciter, sicuti charitas. Etenim duæ primæ ita Deum attingunt, vt ex eo aliquid nobis proueniat, v.g. ex fide cognitio Dei, ex spe adeptio Dei: ita autem charitas, vt ex ea nihil proueniat, nisi ipse Deus. Immediatè tendit in Deum, soláque simpliciter Deum inuenit, & in eo solo tota sistit. Aliæ vt primam veritatem, & difficile bonum contemplantur; hæc autem vt summum bonum acquisitum, & iam amore dignum.

Triplex charitatis definitio. S. Aug. 1.

Verùm ex definitionibus excellentiam adhuc clariùs videamus, ponuntur plurimæ. Theologicam dat S. August. lib. 3. de morib. Eccles. cap. 11. B Charitas est virtus, quæ cùm nostra affectio est rectissima, coniungit nos Deo, qua cùm diligimus, &c. Et lib. 3. de doct. Christiana. Est motus animi ad fruendum Deo propter ipsum. 2. Secundum quam, moralem tradit D. Tho. 2. 2. quæst. 23. art. 2. Charitas est habitus in anima creatus, quo homo inclinatur in actus omnium virtutum propter Deum, vt illos promptè, & faciliter operetur.

D. Thom.

3\.

Secundum hanc, specialem dabimus. Est sincera, & perfecta dilectio, qua Deus propter se, proximus autem propter Deum diligitur. Ecce ordo. Hæc definitio competit illi, quam adhuc S. Aug. affert lib. de morib. Eccles. Virtus, ait, est ordo amoris, &c. Ecce vera, & specialis virtus, ordinans amorem. Iam autem vbi dicitur sincera, tollitur C omnis fictio: vbi perfecta, foras mittitur timor. Sed est ordo: nam primò diligitur Deus, & propter se: secundò proximus, & propter Deum.

S. Aug.

Explicatio definitionis tertiæ.

Hoc ordine fertur homo ad omnia opera virtutum, iuxta quod Apostolus 1. Cor. 11. dicebat: Charitas patiens est, &c. Vnde cap. vlt. Omnia opera vestra in charitate fiant. O specialis, sed vniuersalis, & omnium præstantissima virtus! Super omnia charitatem habete, quod est vinculum

1 Cor. 11. & vlt.

culum perfectionis. Tria hæc, maior autem horum charitas. A

Sed sciendum quid sit diligere Deum propter se: hoc est, quia bonus est, & nostrum bonum. Inter alia enim motiua duo sunt præcipua: primum infinita eius bonitas, & perfectio; alterum immensa eius charitas, qua prior dilexit nos, sicut dicit Iohan. *Filioli diligamus Deum, quia*, &c. Item quid sit proximum diligere propter Deum: hoc est, quia primò imago Dei est; secundò, quia eius sanguine est redemptus, & sic quia eum Deus amat, & in ipso est. Dicit Chrysost. Caput habet Christum, mensam, vestimentum, vitam, &c. nam omnia illi Christus; vnde amabo, venerabor, &c. Chrysost.

Quare Christus cum primo hoc mandatum coniunxit, & in his duobus totam vim legis posuit, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. *proximum autem sicut teipsum. In his duobus vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* Sub proximo intelliguntur Angeli, propinqui, amici, inimici: item anima tua, &c. Virtus est ordo amoris, iuxta quod etiam dicit Sponsa Cant. 2. Ordinauit in me charitatem, Dei propter se, & proximi propter Deum. Cant. 2.

De Lege.

CATECHESIS LXII.

APOSTOLVS Christi Paulus, scribens ad discipulum Timoth. dicit quia finis præcepti est charitas; & ad Rom. quia plenitudo legis est. Pro certo, quia tota lex amore plena est, tota suauis, iucunda, sicut dicebat Christus: Iugum meum suaue, &c. Lex noua, iuxta D. Tho. 1. 2. quæst. multis, lex gratiæ est, pietatis, veritatis, libertatis, introducens hominem ad vltimum finem, ordinando omnes eius actiones ad Deum, ad se, ad proximum. Lex Dei, ex eodem, quæst. 90. est regula & mensura actuum agendorum, vel omittendorum. Ecce lux, ecce subleuamen onus est animæ, auis pennis simile. Hac ratione Psaltes viam mandatorum cucurrisse dicit, & super aurum & topazion dilexisse, Psal. 118. Mirum est, confecisse hunc Psalmum longissimum, nihil aliud in cunctis versibus resonantem quàm legem, vbi dicit se illam in corde habere, in ore, in manibus, vt ostendat quàm sibi grata sit, & iucunda. D. Tho. Psal. 118.

Sed vnde tam grata, nisi quia consiliorum Dei, ac diuinarum voluntatum participes efficimur? Quid enim est lex? testimonium & signum diuinæ voluntatis. Vnde & hæc nomina sortitur testimonij, &c. ac inde nostra est dignitas, & excellentia. Deut. 4. Hæc est vestra sapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersi præcepta hæc, dicant: En populus sapiens, & intelligens, (id est, consiliorum Dei, & amicitiæ particeps,) gens magna, &c. Sic Psal. 147. Non fecit taliter omni nationi: iudicia enim sua non manifestauit eis, sicut nobis, qui hæc signa diuinæ charitatis accepimus, & ex altera parte tam leue onus ipsum amandi. Qui enim habet mandata mea, & seruat, hic est qui diligit me; & si quis me diligit, sermonem meum seruabit. O lex amoris! ô præceptum charitatis! Domine, in corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi, dulcia super mel nunc sunt ori meo. Legis definitio. Deut. 4. Psal. 147.

Interim iis solùm qui cum ea consentiunt, suauis est, grata & amabilis, & non aliis qui aduersantur ei, iis enim graue est iugum. Vnde Christus Matth. 5. aiebat; *Esto consentiens aduersario tuo, dum es in via.* Aduersarius iste, ait S. August. Serm. 1. de verbis Domini, est sermo legis: quod enim magis aduersatur peccatori, lex est. Lex est spiritualis, & peccator carnalis est. Lex quæ sunt spiritus præcipit, & quæ Deo placent, & peccator, quæ sunt carnis. Rom. 7. Video legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Lex mandat suum vnicuique dare, & tu vis aliena rapere. Lex præcipit veniam, & tu quæris vindictam. Lex præcipit continentiam, & tu vis impudicitiam. Lex denique obedientiam præcipit, & tu es rebellis. Quia igitur tu contrarius es legi, inimica tua est, & aduersaria. Vnde conqueritur Iob, quare me posuisti contrarium tibi? Sed si ei consentias, iam non grauis, sed tibi grata est, & suauis. Matth. 5. S. Aug. Rom. 7. B

Verùm antequam fusiùs de ea loquamur, dicamus aliquid de lege in genere, & differentiis eius. Ac primò in genere, Lex est aliquid rationis, iuxta quod sic D. Tho. 1. 2. quæst. 80. art. 1. definit, regula & mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur: dicitur enim lex à ligando, quia obligat. Vbicumque autem est regula & mensura, ibi est ratio, cuius est ordinare omnia. Hæc autem regula inuenitur esse dupliciter in aliquo. Vno modo, sicut in regulante, & sic essentialiter lex in sola ratione est. Altero, sicut in regulato, & sic participatiuè in omnibus est, vt mensura actionum. Legis definitio ex D. Tho. C Quadruplex legis differentia.

Iam pro secundo ad differentias veniamus. Prima omnium est lex æterna, quæ à S. Aug. multis in locis summa ratio nominatur, sicut ab Angelico Doctore quæst. 81. art. 1. ratio gubernatiua totius vniuersi, in mente diuina existens. Ipsa enim ratio gubernationis rerum, in Deo existens vt in principe vniuersitatis, dicit S. Doctor, legis habet rationem. Sicut enim in quolibet artifice præexistit ratio eorum quæ per artem agenda sunt: sic in Deo supremo omnium artifice ratio æterna præexistit. 1. S. Aug. S. Tho.

Secunda est lex naturalis, quæ est participatio æternæ, & impressio diuini luminis in natura rationali, qua inclinatur ad debitum actum, & finem, & secundum quam bonum, & malum discernimus. Iuxta quod Psal. 4. interrogantibus; *Quis ostendit nobis bona?* respondetur; *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, (id est, rationis naturalis, qua discernimus, &c.) Similiter Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt.* Vbi glossa ordin. Quod si non habent legem scriptam, habent naturalem, qua quilibet intelligit, & sibi conscius est, quid sit bonum, & quid malum. 2. D Psal. 4. Rom. 2.

Tertia est humana, id est, præter æternam, & naturalem, quædam lex ab hominibus inuenta, secundum quam in particulari disponuntur, quæ in lege naturæ continentur. hæc S. Tho. Ita Cicero in sua Rhetorica dicebat, quod initium iuris est à natura, deinde quædam in consuetudinem ex vtilitate rationis venerunt, postea res à natura profectas, à consuetudine probatas legum metus, & religio sanxit. Ita ordinabat hæc omnia Tullius. 3. S. Tho. Cicero. E

Quarta & vltima, sed penitus necessaria, diuina dicitur. Illa autem est ex S. Tho. per quam homo in supernaturalem suum finem, qui est æterna beatitudo, ordinatur atque dirigitur. Hanc autem præter cæteras dicit esse necessariam quatuor de causis. Prima est, quia cùm per legem dirigatur homo ad actus proprios, tamen in ordine ad vltimum finem, oportuit vt supra naturalem, & humanam legem 4. S. Tho. Necessitatis diuinæ legis causæ quatuor. 1.

legem,habuerit aliquid directiuum à Deo ad hunc finem suum supernaturalem, (id est, altiori modo dirigeretur ad Deum,quàm naturali, & humano.) Hoc autem est lex diuina, quæ eleuat facultatem nostram super se.

2. Secunda,quia secundum contingentia,& particularia, errare possunt iudicia hominum, nec est certitudo : vnde oportuit legem dari à Deo, directiuam actionum,de qua constaret quod non potest errare.

3. Tertia, quia de interioribus non potest homo iudicare,sicut de exterioribus quæ apparent. Vnde de interioribus legem non potest dare, sed necessarium est, vt ad hoc superueniat lex diuina, cuius est vtraque ordinare, oportet enim vt homo in vtrisque actibus rectus existat.

4. Quarta,nulla lex,præter diuinam,tollere potest omnia peccata.Etenim fit plerumque,vt dum omnia mala auferre volumus, multa bona tollantur, vtilitasque etiam communis boni, & quod necessarium erat ad humanam conuersationem, impediatur. Lex autem diuina omnia penitus peccata prohibet & arcet; vnde necessitas Psal.18.sub his quatuor causis tangitur, vbi dicitur; Lex Domini immaculata,conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Immaculata,quia nullum permittit peccatum. Conuertens animas, quia non solùm exteriores actus, sed maximè interiores dirigit. Testimonium Domini fidele, quia non potest errare, propter certitudinem veritatis, & rectitudinis. Sapientiam præstans paruulis, quia ordinat & dirigit hominem ad finem suum supernaturalem, qui Deus est sapientia summa.

Psal.18.

Ecce necessitas,& præstantia diuinæ legis.Vnde postea Psaltes dicere pergit.Iustitiæ Domini rectę, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos, iudicia Domini vera,iustificata in semetipsa. Hæc omnia nomina sub nomine legis continentur. Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum. Propterea seruus tuus custodit ea,& in custodiendis illis retributio multa, nempe vita æterna.

O quis non inueniet suaue eiusmodi iugum,& amore plenissimum?Domine,inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem.O quis non dicet, hæc esse charitatis præcepta? Propterea Domine tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me, da mihi intellectum, vt discam mandata tua.Legem pone mihi Domine,&c.

De vnitate, & diuisione diuinæ legis.

CATECHESIS LXIII.

HÆc est lex Christi quam diuinam dicimus, atque in veterem, & nouam diuidimus. Vna quidem est,si originem,& finem spectemus Deum, à quo,& ad quem : verùm si modum spectemus,ac rationem,duplex est, & diuisa secundum imperfectum,& perfectum.

Differentia legis veteris, & nouæ.

Vetus lex secundum statum suum est imperfecta, noua autem perfecta,interim vna & eadem : sicut eundem dicimus hominem, puerum, & virum, in statu tamen diuersum.Hoc modo D.Paulus Gal.3. comparat veterem legem statui puerili, existenti sub pædagogo: statum verò nouæ legis,viro perfecto,qui non est amplius sub pædagogo.

Gal.3.

Hæc autem perfectio,& imperfectio,ex D.Th. 1.2.quæst. 81. art.5. attendi potest secundum tria, quæ ad legem pertinent. Primò, ad legem pertinet,vt ordinetur ad bonum commune; quod quidem duplex esse potest. Vnum terrenum, & sensibile:alterum cœleste,& intellectuale. Ad bonum terrenum ordinabat directè lex vetus: sic Exod.3. ab ipso initio legis, promittitur terra Chananæorum. Ad bonum autem cœleste noua lex ordinat; vnde Christus statim initio suæ prædicationis, Matth. 4. inuitat ad regnum cœlorum; *Pœnitentiam agite,appropinquauit*, &c. Differentiam vides; in lege veteri temporalium rerum promissiones sunt,in noua æternarum.

S.Tho. *Tria quæ ad legem pertinent.* 1. *Exod.3.* *Matth.4.*

Secundò, ad legem pertinet dirigere humanos actus,secundum ordinem iustitiæ,in quo certè superabundat lex noua veteri, interiores dirigendo,& ordinando. Matth.5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum*, &c. Lex vetus prohibebat manum;noua animum. 2. *Matth.5.*

Tertiò, ad legem pertinet mandatorum obseruatio:hoc autem timore pœnarum vetus lex facit; sicut è contrà noua per amorem, qui infunditur per gratiam in cordibus.Vnde S.Aug.contra Adamantium Manichæi discipulum.Breuis differentia est legis, & Euangelij, timor & amor, imperfectum & perfectum. Vnde iam dicere possumus, quia nullus status potuit esse perfectior statu nouæ legis, qua immediatè introducitur homo ad vltimum finem, ordinando omnes eius actus interiores ad se,ad proximum,ad Deum. 3. *S.Aug.*

Vnum autem hic quæri potest,cur non fuit data à principio mundi. Respondeo, cum Doctore nostro, quæst.91.art.5. non debuisse triplici ratione. Prima, quia lex noua principaliter consistit in gratia Spiritussancti, quæ dari non debuit abundanter,nisi post impedimentum sublatum peccati, consummata redemptione per Christum.

Triplex ratio cur ab initio mundi lex noua nō fuerit data. 1.

Secunda ex ipsa perfectione nouæ legis assignari potest. Non enim id quod perfectum est, statim fit à principio, sed cum ordine successionis, sicut diximus de homine, qui de puero, vir perfectus euadit. 2.

Tertia sumitur ex eo,quod lex noua, lex gratiæ est, vnde oportuit, vt primò relinqueretur homo in eo statu,in quo, cadendo in peccatum suam infirmitatem cognosceret,seque gratia indigere. Propterea præcessit status legis veteris, qui vi sua peccatum non auferebat; vnde imperfecta dicitur, & vetus,sicut noua,perfecta. Vtraque à Deo data;vna à Moyse lata, altera à Christo: vna prædicata à Prophetis,altera ab Apostolis; vtraque vna & eadem,licet diuersa secundum statum. 3

His positis, facile est iterum excellentiam eius agnoscere. Primò, quia immediatè à Deo est. Secundò,quia antiquissima. Tertiò, quia item omnium vniuersalissima, vtpote quæ obligat omnes. Quartò, quia in ea dispensari non potest. Quintò, quia est ad salutem necessaria,sicut dixit ipse Christus:Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Vnde palàm,& cum solemnitate publicare illam voluit.

Legis diuinæ excellentia.

Primò per Moysem in monte Sinai : deinde per seipsum, & voces Apostolorum, vbique terrarum, vt salui fiant omnes.

DE

De Euangelio.

Catechesis LXIV.

August. Finis legis est Christus. August. quæst. 140. in
Exod. Decalogum legum omnium, & diuino-
rum præceptorum epitomem esse docet. Sic etiam
omnium quæ fecit, & loquutus est Christus, sum-
mam esse Euangelium nobis constat. Vnde sicut
omnia quæ præcepit Deus, ex istis decem præce-
ptis, in duabus tabulis conscriptis, pendere dicun-
tur: ita hæc ipsa decem præcepta rursus pendere B
dicimus ex illis duobus præceptis Euangelicis, di-
lectionis Dei scilicet, & proximi, sicut dixit ipse
Christus, *Et in his duobus tota lex pendet, & Prophe-
tæ.* Quare cùm in his decem, & in his duobus, sit
summa totius legis, operæpretium est scire, quan-
tum teneamur illa ritè intelligere, & adimplere.
Ad quod illud maximum pondus habebit, vimque
maximam, si meminerimus, vtriusque legis Deum
esse authorem, de cuius sapientia, & æquitate du-
bitare non possumus, sicut nec infinitam eius po-
tentiam effugere. Quare cùm per Prophetas legem
Exod. 20. seruari iuberet sic dicebat, Exod. 20. statim ipso
Decalogi exordio: Ego sum Dominus Deus tuus,
Iohan. 8. &c. sicut Iohan. 8. cùm in Templo doceret Chri- C
stus, & interrogaretur quis esset; Tu quis es? re-
spondit. Ego principium qui & loquor vobis. Ego
sum qui testimonium perhibeo de meipso, quæ
audiui à Patre, hæc loquor in mundo. Qui me mi-
sit, mecum est. Ecce ergo quis author omnium pre-
ceptorum, Deus: sicut etiam omnium finis est cha-
ritas Dei, & proximi. His namque admonemur,
nec Deum, nec proximum offendere. Quare tam in
veteri, quàm in noua lege, in duas partes distributa
Exod. 20. fuerunt. Exod. 20. duæ tabulæ sunt, vbi in prima
tria sunt præcepta, quæ pertinent ad Deum: & in
secunda septem, quæ ad proximum. Sic in noua lege
Euangelij hæc duo tantùm præcepta inueniuntur;
Matth. 22. Matth. 22. dilectio Dei, & proximi, summa om- D
nium aliorum, sicut dixit Christus. Quare videtur
conueniens, ea priùs afferre, & explicare, quàm ea
quæ fusiùs in Decalogo ponuntur.

Duo præcepta charitatis. Hæc igitur sunt Matth. 22. cuidam legis docto-
ri ex ipso Christi ore prolata; Diliges Dominum
Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima
tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum &
primum mandatum. Secundum autem simile est
huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his
duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophe-
Deut. 10. tæ. Sic Deut. 10. Núc audi Israël, quid Dominus à te
petit, nisi vt diligas eum, ac seruias ei? Videamus
nunc quæ contineantur in eis, & explicemus.

Explicatur primum præceptum. In primo quatuor sunt. Primum est, quod Deus E
exigit à nobis, vt diligamus. Et quidem multa alia
exigit, vtpote credere, sperare, orare, &c. sed ante
omnia maximè diligere, quod & omnium per se
S. August. facillimum est, & iucundum. S. Aug. Serm. 47. de
Sanctis. Quid quæso dicitur impossibile homini
amare, amare inquam creatorem beneficum, &c.
Hoc secundum est, nempe quem debeamus dilige-
re, Deus est, sua natura bonus, imò bonitas ipsa, &
summum bonum, omnium bonorum fons, & in
quo est omnis ratio diligendi. Tertium est modus,
ex toto corde, &c. vbi datur intelligi, quod om-
nem intellectum, memoriam, & voluntatem, ge-
neratim omnes vires, & facultates animi, & corpo-
A ris, cor & animam, esse, ac vitam, ad diuinum amo-
rem impendere debemus. Quartum est, quod dici-
citur primum & maximum, vt intelligatur, quod
est omnium dignissimum, & ante omnia petitum
à Deo, super alia Deo gratissimum, & nobis vtilis-
simum, vnde Colos. 3. *Super omnia autem hac chari-* Colos. 3.
tatem habete, quod est vinculum, &c.

Verùm post hoc primum & maximum, sequi- *Explicatur secundũ præceptum.*
tur aliud etiam simile, quod quidem vocatur secun-
dum, & proximi est; Diliges proximum tuum sicut
teipsum. Ecce duo. Primum est, quis post Deum di-
ligendus. Secundum continet modum, sicut te-
ipsum, id est, commodum eius ames, & quæras,
sicut tuum. Sic Iohan. 15. Hoc est præceptum Iohan. 15.
B meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Istud
(sicut) notate: cùm enim nos Christus amauit, no-
stram, & non suam vtilitatem quæsiuit. Sicut te-
ipsum ait, vt exerceamus erga ipsum humilitatem,
patientiam, &c. prout conuenit charitati, de qua
1. Cor. 11. *Charitas patiens est, benigna, non agit per-* 1. Cor. 13.
peram, &c.

De Decalogo.

Catechesis LXV.

C Dvo præcepta Euangelica, seu charitatis con-
cludens Christus, his verbis mirè amplificat,
dicens; In his duobus vniuersa lex pendet, & Pro-
phetę: scilicet quia qui ista duo obseruat, omnem
Decalogum implere censetur, legisque ac Prophe-
tarum finem attigisse, summa enim sunt omnium.
Hoc sensu dicitur apud D. Paul. Plenitudo legis
dilectio: hoc sensu apud Iohan. Qui dicit se Deum
nosse, & mandata eius non custodit, mendax est:
hoc sensu quod enunciauit Christus; Qui habet
mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Si
quis enim diligit me, sermonem meũ seruabit. Igi-
tur quæ sunt mãdata, vt faciamus ea, scire expedit.

Omnium summa & epitome Decalogus est, vt
D diximus, complectens quæ Dei sunt & proximi,
intra numerum ac terminos decem præceptorum.
Hæc præcepta numero decem, pro numero, ordi-
ne, ac diuisione charitatis, efficiunt duas partes, seu
in duas tabulas distributa sunt. In prima tria sunt
pertinentia ad Dei cultum: in secunda septem ad
commune bonum proximi.

Verùm qua majestate hanc legem, ac præcepta
filiis suis olim Deus dederit, scire expedit, vt magis
æstimemus, ac sciamus, quàm piè colere debea-
mus. Exod. 19. habemus, quod triduo antequam Exod. 19.
scriberentur hæc præcepta in tabulis, & darentur,
iussu Dei omnibus dictum est, vt vestimenta laua-
rent, vxores non attingerent, &c. quò sanctiores,
E paratioresque essent ad ea recipienda. Vade ad po-
pulum, & sanctifica eos hodie, & cras, lauentque
vestimenta sua, & sint parati in tertium diem. Iam
aduenerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, mica-
re fulgura, & nubes densissima operire montem,
cumque eduxisset Moyses populum in occursum
Dei, descendit Deus super montem, eratque omnis
mons terribilis, & timuit populus, & stetit ad ra-
dices montis, & solus Moyses ascendit, & Domi-
nus in medio nubis, clangorisque buccinarum, lo-
quebatur ad Moysem, & legem dabat scriptam in
tabulis. Ecce publicationis solemnitas, ecce cum
qua majestate, in conspectu omnis populi, à Deo
hæc diuina lex & tam excellens promulgatur.

Sed

Sed vnum est notabile, quia duæ tabulæ erant, in quarum vna tria tantùm præcepta erant, in altera septem: interim ambæ erant æquales, & totæ literis ac scriptura plenæ, quia tria priora præcepta, scripta pluribus verbis, ostendebant grauitatem,& pondus primæ tabulæ,quæ pertinebat ad Deum,supra septem secundæ,quæ ad proximum.

Exod. 20. *Deca legis.* Talis autem istorum omnium præceptorum tenor erat, & ordo, Exod. 20. Ego sum Dominus Deus tuus,qui eduxi te de terra Ægypti,& de domo seruitutis.

1. Non habebis Deos alienos coram me.
2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanũ.
3. Memento vt diem Sabbathi sanctifices,&c. Ecce quæ ad Deum spectant,tria sunt.
4. Ecce quæ ad proximum. Honora patrem, & matrem,&c.
5. Non occides.
6. Non mœchaberis.
7. Non furtum facies.
8. Non loqueris falsum testimonium contra proximum tuum.
9. Non concupisces domum proximi, nec vxorem,&c.
10. Non desiderabis bouem, asinum, nec omnia quæ illius sunt. Ecce septem proximi, quæ cum tribus Dei,numero sunt decem.

Quæri autem hic potest,cur tantùm hæc tria tabula prima continebat:secunda verò septem. Hæc ratio est,quia in prima docemur Deum amare corde,lingua,opere. In secunda primò, prodesse proximo reuerentia,& honore. Secundò, non nocere illi in persona, (non occides.) Tertiò, in honore, (non mœchaberis.) Quartò,in bonis,(non furtum facies.) Quintò,& hoc neque verbo,(non loqueris,&c.) Sextò,neque corde,(nõ concupisces vxorem,&c.)Septimò tandem,neque opere, (nec quæ illius sunt.) Ecce septem:ecce legis integritas, ecce quomodo dicitur lex Domini immaculata conuertens animas. Si filij Israël, ô Christiani, Moysi dixerunt,dum Deus illis hæc præcepta daret: Loquere tu nobis, & non Dominus, ne fortè moriamur. Nos hodie è contrà dicimus; Non amplius Moyses,sed tu Domine loquere iam nobis,ne fortè moriamur,verba enim vitæ æternæ habes.

Ego sum Dominus Deus tuus, &c.

CATECHESIS LXVI.

Iohan. 17. QVOD ante omnia Christus notum fecit nobis,nomen fuit,& notitia Dei patris.Ioh. 17. Pater, manifestaui nomen tuum hominibus, notum feci, & notum faciam. Vnde? quia illud est principium salutis. Sic ante præcepta sua præmisit Deus quædam verba loco prooemij, & præparationis,ad illorum obseruationem. Illa sunt; Ego sum Dominus Deus, &c. Istud exordium positum est,vt ante omnia semper Deum in mente habeamus;continuò hæc verba, Ego sum Dominus,&c. Sic regius Psaltes in hac solùm memoria delectabatur,dicens;Renuit consolari anima mea,memor fui Dei,& delectatus sum.Et Psal. 94. prædicat omnibus; Ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius. Psal. 84.

Hæc admonitio prima multum valet, vt fideles reddamur ad colendam legem, & abstinendum à peccatis.Si enim ego Dominus, vbi honor,vbi ti- A mor,vbi amor? Quid nos igitur docent ista verba? legislatorem nostrum Deum esse, & vniuersorum Dominum, eum in quem credere, sperare in omnibus,& super omnes diligere, timere,inuocare,& colere debemus. Præterea hæc verba rationes ostendunt, quibus potuit Deus nobis legem dare, & ad obseruandum obligare. Illæ autem quatuor sunt. *4 Rationibus obligamur ad præceptorum obseruationē.*

1. Prima est in hoc nomine,Ego Dominus.Si enim Deus est primus & supremus Dominus omnium, proculdubio legibus subditos potest obstringere.

2. Secunda item in nomine,Deus;hoc enim intelligimus, Dominum hunc supremum esse omnium dominorum: sicut de eo dicitur,quod habet scri- B ptum in vestimento, & femore, Rex regum, & Dominus dominantium. Vnde ius habet obligandi,& coërcendi.

3. Tertia in hoc pronomine, tuus: quia etsi vt Deus, & Dominus, hoc ius habeat, eique omnem obedientiam debeamus vt serui, tamen adhuc titulo pacti quod iniuimus cum eo, & ipse nobiscũ, in Sacramento baptismi, sicut Israëlitæ in circuncisione:denique adoptionis iure obedire debemus, sicut in nos ius habet;non enim amplius nostri sumus, sed ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius. Audi Israël, Ego sum Dominus Deus tuus. Dicebat tali iure Psaltes: *Elegit nos in hæreditatem sibi.* O dignitas! Dei hæreditas sumus. Psal. 32. C Psal. 32. Beata gens, cuius est Dominus Deus eius, populus quem elegit in hæreditatem sibi. O verè beata gens! ô ius honorificum! Ecce quo iure, & pacto,Dei populus sumus, & ipse est Deus noster. Ierem. 31. dicit Dominus: Ero Deus vniuersis cognationibus Israël,& ipsi erunt mihi in populum. Ierem. 31. Sed statim adhuc vniuersaliùs loquitur. Ecce dies venient, & feriam domui Iacob (id est, Ecclesiæ) nouum fœdus,pactum cum domo Israël post illos dies. Et hoc erit, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam, (loquitur de noua)& ero eis in Deum,& ipsi erunt mihi in populum.Sic Zach. 8. Erunt mihi in populum,& ego ero eis in Deum, in veritate, & iustitia. Et cap. 13. Zach. 8. & 13. Ipse inuocabit nomen meum, & ego exaudiam D eum. Dicam, populus meus es, & ipse, Dominus Deus meus.O dignitas,qua Dei sumus, & ipse ius habet tale in nos! O iugum honoris, quo & nos Deum,Deum nostrum vocare possumus! O Christiani, nihil est tam nostrum hodie sicut Deus. Quid inde à nobis postulat? Audite: vt sine timore nunc de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi, in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

4. Quarta & vltima ratio, in hoc ipso,quod ab eo liberati, & redempti sumus de domo seruitutis, sicut ait; Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti,& de domo seruitutis. Præter enim prædictas, & tot obligationes, hæc maxima E est,vt seruiamus ei,& nobis legem imponat, quod à seruitute diaboli,& peccati nos redemerit,significata per seruitutem Ægypti & Pharaonis, in qua fuerant Israëlitæ, & de qua eos eduxit. Vnde iam amplius nostri non sumus, sed eius qui nos emit, & redemit, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, qui denique suo sanguine sibi nos acquisiuit. Pretiũ ponderat Petrus ep. 1. Non corruptibilibus, 1. Pet. 1. &c. sed pretioso sanguine, &c. Hoc ponderat D. Paulus 1. Cor. 6. Empti estis pretio magno, glo- 1. Cor. 6. rificate Deum, seruite ei, &c. sed seruitute, qua liberi estis. Ecce quousque ius habet legem imponendi, legem libertatis, & non amplius seruitutis; non

non enim estis sub lege, se sub gratia. Nunc enim seruire Deo, regnare est.

CATECHESIS LXVII.

Non habebis Deos alienos coram me.

Matth. 22. EX ore Christi duo sunt maxima mandata in lege, Matth. 22. Cuidam legis doctori, interroganti ipsum, & tentanti, Magister quod est mandatum magnum in lege? respondit; Diliges, &c. Hoc est, inquit, primum & maximum. Secundum verò simile huic. Vnde optima est & conueniens diuisio, & distinctio præceptorum Decalogi: vbi quæ ad Deum pertinent, primum locum obtinent, quæ autem ad proximum, posteriorem; si quidem & ex Dei mandato, proximum diligimus, & eorum quæ proximo prestamus, etiam causa est Deus: vnde hæc primò ponuntur. Illa autem tria sunt, quorum primum est; Non habebis Deos alienos, &c. Hoc autem constat tribus aut quatuor partibus. Prima est, pro Deo tenendum esse solum Deum. Secunda, nullum alium, præter eum, pro Deo agnoscendum. Tertia, non facienda idola, seu imagines, quæ pro Diis habeantur. Quarta erit, Deum visitaturum iniquitatem patrum, in filios eorum qui oderunt eum; facturum autem misericordiam in millia, iis qui custodierint præcepta eius.

Quatuor primi præcepti partes.

Iam verò duæ primæ partes continentur sub his verbis; Non habebis Deos alienos coram me: hæc enim eam coniunctam habent sententiam; Me verum Deum coles, (ecce prima pars) & simul Diis alienis cultum non ad hibebis, (ecce secunda.) Hac ratione Origen. hom. 8. super Exod. ponit pro vno eodemque præcepto ista duo; Ego sum Dominus Deus tuus, & non habebis Deos alienos; vbi vnum affirmat, alterum negat. Et hoc maximè credibile est, vbi affirmatiuum comprehenditur sub negatiuo, & negatiuum sub affirmatiuo: tunc enim non sunt diuersa, sed vnum præceptum. Hic autem sub isto, Non habebis Deos alienos; etiam affirmatiuum comprehenditur, Ego sum Dominus, & me verum Deum coles: sicque simul iubet, & prohibet. Orig.

Igitur in prima parte continetur hoc affirmatiuum præceptum, quo vult ac iubet Deus, teneri ab omnibus pro solo, & vero Deo, sicuti est verè. Quod quidem fit exercitio trium virtutum Theologicarum, ac religionis. Vnde hac prima parte exigit Deus fidem, spem, charitatem, vocaturque tale præceptum fidei, spei, & charitatis. Propterea sic incipit, & concludit, Ego sum Dominus, &c. Sed ad singulas virtutes veniamus.

Qui habet fidem, & in Deum credit, certum est quia Deum pro Deo habet, & vt talem, solum veneratur, suscipit enim eum tanquam supremam veritatem. Audistis enim aliquando, quid sit Deum credere, Deo, & in Deum. Quare contra hoc præceptum peccant hæretici, qui fide priuati, nec Deum cognoscunt, nec reuerentur.

Qui spem habet in Deum, etiam tenet Deum esse, & solum pro tali reueretur, cùm eum suspiciat vt fidelissimum in promissis, & in dando paratissimum. Quod quidem ad Deum solum pertinet, vnde spes, & fiducia in omnibus nostris necessitatibus, vnde petitio auxilij, vnde eleuatio oculorum, & manuum in montes cœli, sicut dice- A bat Psaltes; *Leuaui oculos meos in montes*, &c. Quare contra hoc præceptum peccant, qui de misericordia desperant, aut etiam nimiùm confidunt in filiis hominum, in quibus non est salus. In vniuersum peccant, qui somniis, auguriis, maleficiis, & sortilegiis fidem adhibent, cæterisque rebus vanis ac impiis.

Item qui Deum super omnia amant, hi certè tenent Deum pro Deo, quia ipsum colunt vt summum bonum, à quo omnia bona procedunt, & ad quod participandum omnes conditi sumus, quod propterea ante omnia nobis est quærendum. Vnde August. in Solil. Tu es summum bonum, quod nemo rectè quæsiuit, & minimè inuenit: omnis au- August.
B tem rectè quæsiuit, quem tu quærere fecisti. Rectè autem quæritur, cùm principaliter quæritur. Satiabor, inquiebat Psaltes, cùm apparuerit gloria tua. Hoc præcepto tenemur Deum diligere, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus, iuxta S. Matth. 22. Hoc est primum & maximum mandatum. Contra hoc autem præceptum peccant, qui creaturam Deo præferunt, & nihil curant peccata committere. Matth. 22.

Denique qui religionem Christianam profitentur, & iuxta illam Deum supremo cultu, ac honore adorant, ij proculdubio Deum agnoscunt, & solum pro Deo tenent; quia eum honorant vt primum authorem, & principium rerum omnium.
C Contra hanc partem peccant idololatræ: item qui inter Christianos, magis hominibus, quàm Deo obediunt: item qui rebus Deo consecratis parum, aut nihil honoris deferunt, vt sunt Templa, vasa sacra, Sacerdotes, & cætera huiusmodi. Addamus & animas sanguine Christi lotas. *Nescitis enim quia templum Dei sanctum est, quod estis vos?*

Non habebis Deos alienos coram me.

CATECHESIS LXVIII.

D ECCE omnium primum mandatum, in lege, & Euangelio Christi, & maximum ordine & dignitate. Ordine quidem, quia primus est omnium Deus, cui honorem debemus, & obsequium, vtpote qui nos creauit, & adhuc continuò gubernat. Dignitate, quia finis humanæ vitæ, & societatis est Deus. Vnde D. Tho. 1. 2. quæst. 100. art. 6. Primò D. Tho. oportuit per præcepta Decalogi hominem ordinare ad Deum: inter ipsa autem quæ ipsum ordinant, primum est quod ei fideliter subdatur, nullam partem cum inimicis habens, iuxta id; Non habebis Deos alienos coram me. Vnde conueniens fuit, vt primo loco traderetur hoc præceptum, quo falsorum Deorum cultus excluderetur. Sicut
E enim ad legem pertinet, facere homines bonos, maximè autem ad legem diuinam, ideo primò oportuit iacere fundamentum veræ religionis, per quam homo directè ordinatur ad Deum, & tollitur omne impedimentum. Præcipuum autem est Deorum falsorum cultus, secũdum illud Matth. 6. Matth. 6. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Vnde hoc excluditur; Non habebis Deos alienos coram me.

Altera ista est pars præcepti, quam secundam diximus, sub ratione negatiui præcepti. Etenim affirmatiuum simul & negatiuum fuit præceptum nostrum, vt diximus, & in se vnum est, & idem penitus, vnum alterum comprehendens: cùm enim dicat;

dicat; Non habebis, &c. idem est ac, me vnum Deum coles. Et cùm dicit, Ego sum Dominus Deus tuus, idem est ac, Non habebis Deos alienos.

Hac ideo loquendi formula vsus est legislator noster, propter cæcitatem multorum, qui & se Deum verum colere profitebantur, & tamen Deorum pluralitatem venerabantur, vt Samaritæ, qui & Deum Israël, & Deos Gentium colebant. Item inter Hebræos multi, qui, vt illis exprobrabat Elias 3. Reg. 18. in duas partes claudicabant. In vniuersum per hæc verba nos admonet Deus, atque exigit à nobis, vt præter ipsum, vnum Deum, nihil aliud cognoscamus vt Deum, & colamus, atque sic nulli creaturæ, quantumuis excellenti, diuinum impendamus honorem.

3. Reg. 18.

Qui sint dij alieni petes? Ij qui natura non sunt dij, sed falsa hominum opinione, & persuasione, vt qui ab Ethnicis habiti sunt, qui Solem, Lunam, homines mortuos, aut etiam qui viuebant, mortales, pro diis colebant: hi omnes in hoc præceptum peccabant, & vocantur idololatræ. Cuiusmodi adhuc sunt, qui magicis artibus, vel diuinatoriis, obseruationibusque superstitiosis, dant operam, & credunt: denique qui honorem diabolo impendunt, soli Deo debitum, eius maleficiis fidem adhibentes. Ecce huius præcepti violatores, idolis seruientes, & præterea omnes, qui expresso, vel tacito pacto cum dæmone, ab ipso petunt auxilium, relicto Deo. Non habebis Deos alienos coram me: coram me, qui potens sum, & paratus tibi omne auxilium præstare. *Venite ad me, qui laboratis*, &c. Oculi mei ad fideles terræ. Ita Psal. 32. De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram. Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius, vt eruat à morte animas eorum. Quare Psal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini. Oculi enim Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: vultus autem Domini super malos, vt perdat de terra memoriam eorum. Iuxtà est Dominus, &c. Vnde & 36. Spera in Domino, & fac bonitatem, (notate bene omnia.) Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Reuela Domino viam tuam, & ipse faciet (scilicet omnia.) Ego sum Dominus Deus tuus; Non habebis Deos alienos coram me. Iniusti peribunt, salus autem iustorum à Domino, adiuuabit eos, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos. quia sperauerunt in eo. Non est alius præter me, &c.

Psal. 32. Psal. 33. Psal. 36.

Interim non est inferendum inde, superuacaneum esse patrocinium Sanctorum, & prohiberi hoc præcepto, vt sequenti Catechesi expressiùs dicemus. Etenim neque illos vt Deos colimus, vt malè calumniantur nostri aduersarij, cùm illos patronos adhibemus; neque Deo nunc iniuriam facimus, sed honorem potiùs maximum, cùm propter reuerentiam non audemus eum adire, nisi per amicos, quos & ipse tot gratiis cumulauit, & prærogatiuis laudis, & honoris. Catechesi sequenti fusiùs hac de re.

De inuocatione Sanctorum.

Catechesis LXIX.

Non est sanctitas in Ecclesia, nisi ex plenitudine sanctitatis, & gratiæ Christi: vnde si in Sanctis aliqua relucet gloria, & majestas, hoc ad ipsum refertur, à quo talis dignitas emanauit, & de cuius plenitudine acceperunt omnes. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus*, (id est, multum) *nimis confortatus est principatus eorum*. Et sic inuocare Sanctos, non derogat huic primo præcepto, quo solùm prohibetur idololatria, secundum quam cultus soli Deo debitus, quem Græci λατρείαν vocant, in creaturam transfertur. Ecce enim quid sit idololatria. Longè autem est diuersus modus inuocandi, & colendi Deum, ab eo quo inuocamus, & colimus Sanctos. Deum enim colimus, & inuocamus, tanquam vnum, & verum, omnium bonorum fontem & largitorem, conditorem, redemptorem, &c. Sanctos verò vt eiusdem Dei amicos, & nostros apud eum intercessores.

Diuersus modus colendi Sanctos, & Deum.

S. Tho. 2. 2. quæst. 83. art. 4. optimam dat distinctionem. Offertur Deo soli, vt per ipsum implenda oratio; quia omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam consequendam, quæ solus Deus dat, iuxta Psal. 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Alio modo Sanctis offertur, vt eorum precibus, & meritis sortiatur effectum, iuxta quod dicit S. Aug. Serm. 1. & 2. de Sancto Steph. Multa Deus non concedit, nisi aliorum preces interueniant, ac deprecatoris opera & officium accesserit. Quod exemplis amicorum Iob confirmatur, quorum peccata Deus non condonauit, nisi ipsius Iob precibus. Iob. 42. Sic de Abimelec sanato precibus Abraham. Gen. 20. sic Deus loquitur Abimelec, qui tulerat Saram vxorem Abrahæ: En morieris propter mulierẽ, quam tulisti, habet enim virum; nunc ergo redde eam viro suo, quia Propheta est, & orabit pro te, & viues. Et pòst: Orante autem Abraham, sanauit Deus Abimelec. Sic Centurio seniores Iudæorum precatores adhibet, & ad Saluatorem mittit, vt laboranti puero salutem impetrent: sic Chananæa discipulos. Sic denique Stephanus orans pro Paulo, illum obtinet defensorem Ecclesiæ.

S. Thom. Psal. 83. S. Aug. Iob. 42. Gen. 20.

Hæc exempla, cum verbis D. Aug. & vniuersalis doctrina Ecclesiæ, facilè conuincunt hæreticorũ voces, qui impiè dicunt, nos Deo facere iniuriam, cùm Sanctos oramus: facillimum enim est agnoscere, talem inuocationem mandato isti non repugnare, eorumque cultum includere idololatriam.

Quod vt meliùs intelligatur, trium horũ nominum notitiam habere expedit, latriæ, duliæ, & hyperduliæ. Latria est supremus cultus Deo soli debitus. Dulia, cultus & honor communis, quo amicos Dei Sanctos prosequimur. Hyperdulia verò cultus magis singularis, quo in sanctitate maiores prosequimur, vt B. Mariam. Vnde cùm honoramus, & inuocamus Sanctos, non cum eo cultu, ac honore, quo Deũ honoramus. Aliàs & ipse Iacob Gen. 48. idololatra esset, qui ad instantiã filij sui Ioseph, inuocat super nepotes suos Ephraim, & Manassem, nomẽ patrum suorũ Abraham & Isaac. Et quid hoc erat, nisi inuocare Sanctos iam mortuos? Similiter adhuc Angeli benedictionem petit super nepotes. Sed & Loth Gen. 19. Angelũ orat, vt saluet ciuitatẽ Sogor, & exauditus est. Sic Exod. 32. ait Moyses: Domine recordare Abraham, & Isaac, & Israël seruorum tuorum. Sanctos inuocat Moyses super populum. Ita Zach. 1. videmus, Angelũ pro populo Iuda orare. Sed quid dicam, quando Gen. 18. video etiam Angelum ab Abraham adorari? Peto iam ab hæreticis, ista adoratio quænam erat? non latria, sed dulia, id est, cultus non supremus, sed cõmunis, scil. illis exhibitus, vt Dei amicis, & familiaribus.

Triplex cultus. Gen. 48. Gen. 19. Exod. 32. Zach. 1. Gen. 18.

RR r Fortè

Apoc.22.

A Fortè obiicient hæretici,vt communiter solent, quia Apoc.22. Angelus noluit adorationem & honorem,quem illi Iohannes præstare volebat. Respondemus, ideo quia tanquam Deo ipsi exhibebat,putabat enim Deum esse. Non ego,sed S. Aug. sic respondet in Gen. quæst. 61. Non moueat nos, quod Angelus in Apocalypsi prohibeat se adorari ab homine, & admoneat, vt Dominus potiùs adoretur. Talis enim apparuerat Angelus, vt pro Deo posset adorari; & ideo fuerat corrigendus adorator. hæc Aug.

S.August.

Tria in Sanctis consideranda.

Verùm vt inuocationem Sanctorum magis confirmemus, tria sunt consideranda in illis. Primum est, esse in gratia Dei: secundum, in perfecta charitate pro nobis: tertium,clarissimam omnium necessitatum nostrarum habere notitiam. De hoc tertio & vltimo, S. Aug. lib. de cura mortuorum, cum omnibus Theologis,ostendit, quatuor modis res nostras agnoscere. Primò,quia omnia vident in speculo diuinitatis, cuius præsentia gaudent & fruuntur. Secundò, intermissione Angelorum,qui deferunt. Figura est in scala Iacob. Tertiò,relatione animarum hinc migrantium in cœlum. Quartò denique,vt multorum est opinio,propter incredibilem quandam subtilitatem, qua præditus est intellectus glorificatus; ita vt ista inferiora nullo pacto circumspicere prohibeantur: habet enim suos sensus,vt videat,& sciat beatus.

S.August.

4. Modis Sancti res nostras cognoscunt.

S.August.

Ad hoc propositum idem S. August. cap.100. ad Euodium, visionem narrat admirabilem, quæ accidit cuidam medico Carthaginensi celeberrimo, qui vocabatur Gennadius. Iste multum deditus erat charitati, & eleemosynis, interim de immortalitate animæ incredulus. Sed Deus, qui propter charitatem,eum perdere nolebat, talem ei accidere visionem decreuit, pro conuersione eius. Dum nocte dormiebat, quidam iuuenis formosissimus aspectu,illi apparet, dicens vt sequeretur, & ducit eum in ciuitatem plenam melodia, & gloria,qua totus extra se raptus, interrogat, quid hoc erat. Et respondetur ei,quia dulcis erat beatorum concentus;vnde statim expergefactus, visio euanuit. Sed nocte sequenti, idem iuuenis denuò in somnis apparet, & interrogat, num cognosceret ipsum; cui ille,etiam. Et præterea memor sum ciuitatis quam vidi,& melodiæ,quam audiui. Tunc ab eo iuuenis petit, si hæc viderat, & audierat in somno, an in vigilia. Cui iste, inter somnum, ait, & dum haberem sensus omnes clausos somno. Cui tunc iuuenis sic loquutus est. Scias iam quia sicut dum oculi tui,& omnes sensus erant somno grauati,& clausi, vidisti me,audisti,&c. ita quia post somnum mortis, aliam vitam habebis, & alios sensus, vt cognoscas,&c.

Hæc historia de Sancto August. est,vt ostendatur,quomodo qui in cœlo sunt, etiam quæ in terra sunt, vident. Sed quid opus est alio exemplo, quàm Luc.15.& 16. Luc.15. gaudent Angeli in cœlo de peccatore in terra pœnitentiam agente; ergo vident. Et 16. Abraham in Limbis, nouit optimè quia diues Epulo receperat bona,& abusus fuerat: similiter quia Lazarus malis bene vsus fuerat. Si ergo ex istis omnibus habemus, quia Sancti in cœlo res nostras agnoscunt;& præterea,quia amici Dei,& charitate sunt referti, honoremus eos, inuocemus,&c.

Luc.15.&16.

Quomodo inuocatio Sanctorum non tollit mediationem Christi.

CATECHESIS LXX.

CONSTAT inuocatione Sanctorum non tolli mediationem Christi,sed potiùs Deum summè honorari, in quibus nobis declaratur gratia eius ac suprema bonitas. Sap.3. Fulgebunt, nationes iudicabunt, & dominabuntur populis. Sap.5. B Inter filios Dei computati sunt; ergo intercessores apud ipsum haberi possunt, qui sic honoratur in ipsis. Nimis honorificati sunt amici tui Deus. Sic Moyses Deut.5. talem se fuisse iactitabat: Ego medius fuit inter Dominum & vos,in tempore illo. Ecce amicus Dei mediator Moyses.

Sap.3.& 5.

Deut.5.

Constat hanc mediationem non facere iniuriam Christo,qui 1.Tim.2. vocatur vnus mediator Dei & hominum: nec enim Sanctos inuocamus, vt fungantur vice Christi, sed vt erga Christum, & per Christum nos adiuuent erga patrem, ille supremus,& solus in potestate suprema, isti inferiores,subalterni,dependentes,interim suo principatu honorificati,ex Psal.& nimis confortatus est principatus eorum. C Nomen mediatoris analogum est, & per analogiam Christo, & Sanctis conuenit: Christo per excellentiam, Sanctis per dependentiam. Sic apud Iohan. *Habemus aduocatum apud patrem, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Vt talis solus est,sed nō sequitur,non esse alios alio genere; & qui diceret,Parisiis vnus est excellens patronus: ergo nullus est nisi iste; mentiretur, quia licet sit iste excellens,adhuc alij sunt,sed alio genere.

1.Tim.2.

Quis quæso adeò demens est, qui Rege edicente,ne se pro Rege quisquam gerat, aut patiatur affici regio honore, continuò putet nolle Regem, vt suis magistratibus honos deferatur? Omnes Sancti magistratus Dei sunt. Dicamne vnum? Et hoc Christus illis meruit, vt sint, & intercessores, D & iudices, & reges, quia ipse est mediator, & iudex,& rex,sic enim sedet ad dexteram patris. Primò vt rex: secundò vt iudex: tertiò vt mediator. Ita dico,& Sanctis hoc meruit,participes enim effecti sunt omnium bonorum Christi in cœlis,vnde reges sunt. Venite, ait Christus, possidete regnum. Iudices sedebitis & vos iudicantes. Quare ergo non intercessores? imò & multo magis illis conueniet officium mediatoris. Videant hæretici quid ad ista respondeant.

Præterea, non minus viuorum, quàm eorum qui in cœlis sunt, orationes imminuunt gloriam Christi mediatoris. Et tamen D. Paul. Rom. 15.& Heb.13. summo studio cupit viuentium precibus E adiuuari, licet vnum patronum habeat IESVM Christum.

Rom.15. Heb.13.

Verùm videamus,in quo stat differentia mediationis Christi,& aliorum. Christus tribus de causis dicitur vnus & solus mediator. Primò,ratione naturæ, quia medius est inter Deum & hominem, id quod erat necessarium ad reconciliandum hominem Deo,& sic solus. Frater non redimit, redimet homo, ex D. Basil. non homo purus, sed homo-Deus. Quomodo dicitur per Apostolum: Erat Deus in Christo mundum sibi reconcilians.

Christus tribus de causis vnus mediator.

1.

D.Basil.

Secundò,ratione officij, nempe redemptoris; & sic solus, quomodo dicitur Coloss.1. pacificans per sangui

2. Col.1.

1. Tim. 2. Heb. 9. sanguinem Crucis, siue quæ in cœlis, siue quæ in A terris. Sicut 1. Tim. 2. Qui dedit semetipsum redemptionem pro multis, soluens pro debitore creditori. Sic Heb. 9. Christus assistés, (videatur locus.)

3. Heb. 7. & 4. Tertiò denique ratione excellentiæ, vtpote qui nullo alio mediatore indiget, vt alij, quomodo Heb. 7. dicitur; Accedit per semetipsum ad Deum, semper viuens, ad interpellandum pro nobis. Et Heb. 4. Habemus Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, IESVM filium Dei. Adeamus ergo, &c. Hoc pacto Sancti differūt à Christo, quia tantùm mediatores sunt, supplices, & intercessionis, & dependentes à Christo. Vnde omnes nostras preces sic semper terminamus; Per Dominum nostrum IESVM Christum.

Non facies tibi sculptile, &c.

CATECHESIS LXXI.

Ioh. 4. CHRISTVS æterna veritas patris, Iohan. 4. Samaritanæ loquens de vera adoratione, & cultu Deo debito, dicebat: Mulier crede mihi, quia venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & veritate. Nam pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate adorare oportet. His verbis Christus explicat veritatem diuini cultus, & quid intelligatur hoc præcepto Decalogi; Non facies tibi sculptile. Dixeramus initio, vbi de diuisione primi præcepti, hoc præceptum constare quatuor partibus. Quarum prima erat pro Deo, vnum & solum esse tenendum. Secunda, nullum alium præter eum. Tertia nunc, quæ nostra est, non facienda esse idola, seu imagines, quæ habeantur pro diis, iuxta id; Non facies tibi, &c.

His verbis quid Deus intendat, sciendum nunc. Et duo sunt. Primum est, non absolutè, & simpliciter prohibuisse fieri imagines, sed tantùm in eum finem, ne adoremus. Secundum ex hoc sequitur, nempe idololatriam prohibuisse, quæ nascitur ex honore delato creaturis, siue earum simulachris, tanquam Deo. Quæ quidem idololatria olim his duobus modis, vel tribus committebatur: alij enim ipsas creaturas siue animatas, siue inanimatas, pro diis colebant; alij illarum simulachra, vt vitulum aureum: alij denique fingebant sibi quædam numina, & sic idola habebant, falsorumque deorum simulachra pro diis colebant, & adorabant. Hæc omnia idololatriæ genera valde vsitata erant apud Gentes, & præsertim quæ in circuitu populi Israël erant, vt videre est in literis sacris.

Triplex idololatria.

Quare Deus hoc præceptum expressè instituit, ne more Gentium talia simulachra habeamus, quæ loco numinis adoremus. Quod satis intelligitur, cùm ait; Non facies tibi idolum, aut sculptile. Tibi, ait, id est, in salutem tuam, & à quo auxilium aut redemptionem quæras. Sed clariùs cùm etiam dixit; Non adorabis ea, neque coles, vt Deos: non enim habebis coram me Deos alienos. Quare D. Paulus Rom. 1. sic occasionem sumit improperandi Gentibus, dicens: *Mutauerunt* (id est, transtulerunt) *gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium*; cùm nempe ipsis statuis creaturarum, seu creaturis ipsis, numen & diuinitatem tribuerunt. Sic de Israëlitis Psal. 105. Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Ita & Psal. 113. Simulachra Gentium, &c. opera manuum hominum, os habent, & non loquentur, &c. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis, scilicet qui credunt numen inesse eis.

Rom. 1. Psal. 105. & 113.

Nos autem non sic mutamus aut transferimus gloriam Dei, in imagines quæ apud nos sunt, tum Dei, tum Sanctorum, quasi eis tribuamus aliquam diuinitatem. Non, repræsentationes tantùm sunt, neque propter se, sed propter Deum, & Sanctos colimus, quos nobis repræsentant. Sicut non habemus Sanctos in conspectu Dei, tanquam Deos, aut ab illo alienos, sed tanquam illius domesticos, filios electos, & per eius gratiam, gloriamve, naturæ B eius consortes, bonorumque vniuersorum eius hæredes; sic colimus.

Igitur quia non ita deferimus honorem imaginibus nostris, velut idolis, non censentur prohiberi hoc præcepto: imò & ex præcepto Dei, sicut ex præscripto, vsum illarum habemus Exod. 25. vbi Moyses ex mandato Dei legitur fecisse similitudines Angelorum, nempe duos Cherubim aureos, & posuisse in summis partibus propitiatorij, sese inuicem respicientes. Sic & Salomon 3. Reg. 7. in Templo suo multas Cherubim imagines posuit, & ex eo laudem à Deo meruit. Item Moyses serpentem æneum erigit, & ponit pro signo in deserto, vt qui aspicerent in eum percussi sanarentur. Intelligant ista hæretici. Ecce salus ponitur ad aspectum C similitudinis serpentis erecti in altum. Exod 25. 3. Reg. 7.

Quid? an sibi contrarius est Deus? permittitne, sed præcipitne imaginum vsum, vt postea prohibeat? Minimè, idola prohibet, non imagines. Quare hæc pars præcepti tria nobis proponit. Primum est, differentiam esse maximam inter idola, & imagines. Idola creaturæ sunt, aut simulachra, quæ falsò pro diis habentur, & coluntur: imagines verò tantùm signa, & memorialia mysteriorum, aut actionum Christi, & Sanctorum eius. Et qui illa deos haberet, Anathema sit, plusquàm enim hæreticus esset.

Sequitur inde secundum & tertium, nempe, hoc D præcepto non absolutè & simpliciter prohiberi imagines, sed tantùm hac de causa, ne adorentur, & pro diis habeantur. Prohibitio enim propter causam facta est, qua sublata, tollitur prohibitio. Ad tertium venimus, nempe, vsum imaginum nostrarum eiusmodi esse debere. Primò, vt nobis reficiant memoriam Christi, & Sanctorum eius: secundò, vt ad imitationem nos prouocent.

Non adorabis ea, neque coles.

CATECHESIS LXXII.

E NON arcet hoc præceptum adorationem Crucis Christi, & sanctarum cultum imaginum in Ecclesia: his namque verbis; Non adorabis ea, neque coles, satis constat, quæ sit differentia inter idola prohibita, & permissum vsum imaginum nostrarum. Adorantur enim idola, & coluntur pro diis, non imagines, quibus tantùm defertur honor per relationem. Imaginum honor relatiuus est & analogus, id est, solùm honorantur per reflexionem rei repræsentatæ ab eis. Ita Conc. Trid. vbi asseritur coli illas non ratione alicuius diuinitatis, quæ in eis sit, sed solùm pro reuerentia quæ fertur rei significatæ per illas. Vultis dicamus? Sunt idiotis paginæ, sunt & doctis adminicula, vt Dei, & Sanctorum sint & memores, & sectatores.

Inter omnia Concilia, maximè Nicenum, quod A est septimum inter Oecumenica, celebratum ferè ante 900. annos Imperatore Constantino, & sub Adriano I. Pontifice, imaginum vsum in Ecclesia, contra eos qui damnabant, approbauit, & defendit. Nos item aduersus nostros hæreticos defendemus. Video in Euangelio Christum ipsum non damnasse imaginem Cæsaris sculptam in denario sibi allato, sed propter illam præcepisse, reddere tributum Cæsari. Vult Christus, vt honor deferatur imagini Cæsaris; Cuius est hæc imago? Nostri autem hæretici non deferent honorem imagini Christi & Sanctorum? Sciant ipsi, quale est discrimen inter monetam veram & falsam, tale esse inter B idolum & imaginem. Denarius non tenetur pro Cæsare, est tantùm Cæsaris imago & repræsentatio: ita imago apud nos non pro Deo tenetur, sed est tantùm Dei, aut Sancti eius repræsentatio. Honoris relatio est, non imagini secundum se consideratæ, & secundum materiam suam, aut formam, sed prototypo ipsi, cuius memoria conspicitur, honor impenditur. Vnde sicut Regem iniuria afficeret qui labefactaret imaginem eius, & è contrà: ita de imaginibus sanctis dici potest. Relationis honor est, &c. Ita Concil. Nicenum, afferens verba S. Athanasij. Qui in alicuius typum, aut imaginem ignominiosus est, in illum cuius est typus, iniuriam factam arbitramur. Et omnes Patres, in hoc Cócilio, hanc similitudinem dederunt. Sicut acceptis à C Cæsare literis, osculamur ceram, non quidem ceram, aut figuram sigilli, sed tali osculo, absenti Cæsari honorem deferimus: ita quando coram signo Crucis geniculamur, aut osculum figimus, mens nostra & Christianorum non est, vt lignum illud adoremus, sed quia lignum illud, quasi sigillum quoddam passionis Christi aspicimus, eius admonitione, (notate omnia) salutamus, & adoramus ipsum, qui propter nos crucifixus est. Propterea signum illud in Ecclesiis, in domibus, in foro, in viis publicis passim erigitur, vt memores simus Domini nostri, & saluti feræ passionis eius.

S. Athan.

Videtis inde vsum, & rationem imaginum. Vnde D etiam quantum ad Crucem attinet, dicimus non solùm illam coli; sed præterea etiam adorari, non vt lignum, sed vt Crucem, quia vt sic inseparata est à Christo: non enim consideratur vt simplex Crux, sed vt Crux Christi, cui adoratio debetur; & talis honor relatiuus est. Item vera Crux, in qua Christus pependit, hoc genere adorationis colitur, propter contactum corporis, & sanguinis eius. Vide D. Thomam. Non est ita de aliis imaginibus Christi, sicut de Cruce, vt pote quæ sola ordinata erat instrumentum nostræ redemptionis: vnde semper ipsum Redemptorem refert.

Cruci adoratio debetur.

Quantum spectat ad alias imagines, vt B. Virginis, & Sanctorum, suos etiam habent honores conuenienter personis, & sanctitati, quas nobis repræ- E sentant quo dictum est modo. Non est recens Ecclesiæ ille honos. Quisque scit quæ gratia, & quod miraculum acciderit S. Iohanni Damasceno ex honore quem deferebat imaginibus sanctis, & præsertim B. Mariæ Virginis, & hoc ante 800. annos, vt in eius vita scribit Iohannes Patriarcha Hierosolymitanus. Si iam imaginibus honorem talem deferre debemus; multo etiam magis concludimus Sanctorum ossibus & reliquiis debere deferri, quæ templa fuerunt Spiritussancti. Vnde & pium est ante ea flectere genua, luminaria accendere, orationes fundere, & gratiam per eos à Deo petere.

Ego sum Dominus Zelotes, visitans iniquitatem, &c.

CATECHESIS LXXIII.

QVANTVM sit exosus Deo contemptus cultus sui, satis nobis declarauit zelus Christi Domini in Templo, de quo tam potenter negotiatores eiecit. Hoc non potuit patienter sustinere Christus, eam certè ob causam, quia directè illi gloria tollitur, in quo tanti peccati grauitas magis agnoscitur. Propterea etiam Deus in hoc primo præcepto sic exorsus est, & conclusit; Ego sum Dominus zelotes visitans iniquitatem, &c.

Quarta est & vltima pars primi præcepti, vbi repetit Deus in fine, quod initio loco proœmij, & præparationis ad obseruationem mandatorum, præmiserat; Ego sum Dominus, &c. Ideo vt hac iteratione demonstret, hanc esse sufficientem causam, cur sibi præ omnibus seruitus, & cultus debeatur. Duo autem sunt: pœna proposita iis qui se auertent ab eo, vt aliis obsequium præstent; merces verò iis qui diligent eum, ac verba custodient. Omnis legis finis est, homines ad seruanda præcepta, pœna, & præmio inducere. Hinc ex vna parte minæ, ex altera promissiones; promissiones iustis, minæ præuaricatoribus.

Diuisio huius partis.

Iam de primo capite loquamur; Ego sum Dominus, fortis, zelotes, Deus æmulator, visitás iniquitatem, &c. Ad terrorem eorũ, quos sola præceptio parum mouet, hoc præmittit. Fortem se nominat, vt imprimis agnoscant omnes, neminem posse iram Dei effugere pœnamque propositam. Qui enim hoc sibi persuadet, facilè illud Psal. vsurpat; Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Item ad sustinendum non videt se parem. Isa. 28. Ecce validus & fortis Dominus, sicut impetus grandinis, turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum, inundantium & emissarum super terram spatiosam. Talis est indignatio Dei contra præuaricatores, maximè huius primi mandati, vindex est in fortitudine. Addit, ego zelotes, & æmulator. Hoc ex duobus, ex amore quo prosequitur gloriam suam, & nos. Sic Iohan. 2. Christus eiiciens vendentes; *Zelus domus tuæ comedit me.* & sic 3. Reg. 19. Elias dicebat; *Zelo Zelatus sum pro Domino Deo exercituum.* Et propterea vindictas petebat, quanto magis ipse Deus pro gloria sua? Ierem. 7. Tu noli orare pro populo, quia non exaudiam te, nonne vides quid faciunt isti in ciuitatibus Iuda, & in plateis Hierusalem? Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cœli, & libent diis alienis, & me ad iracúdiam prouocent. Sic Deut. 7. Moyses populo; Et scies quia Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis, & fidelis, custodiens pactum, & misericordiam diligentibus, reddens autem odientibus se statim. Sic Iosue 24. Deus sanctus, & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis. Et si dimiseritis Dominum, & seruieritis diis alienis, conuertet se, & affliget vos atque subuertet.

Isa. 28. Ioh. 2. 3. Reg. 19. Ierem. 7. Deut. 7. Iosue 24.

Sed quis ex isto Dei zelo etiam occasionem non capiet, continendi se in officio, si consideret, & ex amore nostri nimio zelotem esse? Et quis non hoc mirabitur, quod tanta dignitas zelotypiæ amore nos prosequi dignetur? Etenim sciendum, hunc Dei

Dei zelum, amorem esse erga nos: nulla est enim animi perturbatio in Deo, sed tranquillissima iustitia, quæ errantem corrigit animam, illamque punit, vt redeat, adinstar sponsi, qui non sinit socium secum, sed solus, & vnicè vult amari à sponsa. Sic Ierem. 3. Tu fornicata es cum amatoribus multis, reuertere ad me. Conuertimini filij, quia ego vir vester. Et Osee 2. Dicite sorori vestræ, (animæ misericordiam consequutæ) auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua, ne fortè expoliem eam, & statuam eam secundum diem natiuitatis suæ, nudam, & ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam velut terram inuiam & interficiam eam siti. Dixit: Vadam post amatores meos, qui dant mihi panes, & aquas. Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, &c. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius, &c. Et sponsabo te mihi in iustitia, in iudicio, in misericordia, & in fide, & scies quia ego Dominus. In die illa auferam nomina Baalim de ore eius, & vocabit me, Vir meus.

Ierem. 3.

Osee 2.

Ecce quo zelo, & quo amore nos prosequitur Deus, sed tantùm patienter vsque ad illud tempus quo resipiscentiam nostram videt. Nam si sæpius visitati flagellis tam æstuantis amoris, ad eum nos non conuertamus, non adiicit vlrà visitare nos zelo istius amoris, sed penitus nos deserit, zelúmque suum auertit à nobis; vt apud Ezech. 16. Auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius. Quasi diceret, cessare faciam zeli mei iram, zelotypiam, vno verbo, non te amabo amplius, & obliuiscar penitus. Iuxta quod dicebat Psal. *Dimisi eos secundum desideria eorum.* Quod quidem est exterminium vltimum, & irreuocabilis indignationis signum. Quandiu enim nos visitat Deus minis, flagellis, zelum suum, & amorem erga nos ostendit; licet iniquitatem visitet vsque ad quartam generationem. Apud Ierem. Castigaberis Hierusalem, & non discedat à te anima mea.

Ezech. 16.

Interim, ô Christiani, modò de castigatione, & de tentatione faciamus prouentum, conuertamur ad ipsum, & obediamus præceptis eius. Non enim in hac noua lege portabit filius iniquitatem patris, sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Ezech. 18. Retributiones æternitatis personas respiciunt, non communitates.

Ego sum Dominus faciens misericordiam in millia iis qui diligunt me.

Catechesis LXXIV.

Ita proprium est Dei misereri & parcere, vt etiam in Christo filio suo habere voluerit, quod misericordiæ deerat, scilicet compassionem: hoc autem accidit, vt pronior sit adhuc ad gratiæ suæ largitatem.

Duo capita habebat hæc extrema pars præcepti primi, nempe pœnam & præmium. De primo actū præcedenti Catechesi. Nunc de secundo, quod est præmium iis propositum qui diligunt Dominum, & custodiunt præcepta eius. O quàm misericordia superexaltat iudicium! Visitat tantùm iniquitatem patrum vsque ad quartam generationem, (intelligite ista tantùm quoad temporalia, æterna enim, vt diximus, personalia sunt.) Sed si de præmio quæstio est? Audite iam; & faciens misericordiam in A millia iis qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

Ecce, non centuplum tantùm recipitur in terra, sed millia multa. Quid erit in cœlo? vita æterna, & possessio omnium bonorum Dei. Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam. In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in custodiendis illis retributio multa, & in ipsis viuificasti me. Si vis ad vitam ingredi, dicit Christus, serua mandata, Matth. 19. Cætera nihil prosunt ad vitam æternam, absque obseruatione mandatorum; vt Christum cognouisse, discipulum eius fuisse, ipsum audiuisse. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Quæso notate, simpliciter dicit, & sine addito; Si B vis ad vitam ingredi: quasi nemo viuat vlla vita absque obseruatione mandatorum Dei. Interim hæc vita simpliciter & absolutè vita, maximè æterna est, quæ datur pro præmio iis qui, &c. Sic enim de illa quærebat adolescens ille Euangelij, qui sic Dominum interrogabat: Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? cui responsum est; Serua mandata. Sic Iohan. 12. cum scientia, & certitudine dicit: Quæ ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor, & scio quia mandatum eius, vita æterna est.

Matth. 19.

Ioh. 12.

Quare iam cum Ecclesiaste concludam, sicut ipse librum suum concludit, & finem ei imponit, his verbis; *Deum time, & mandata eius obserua, hoc* C *est omnis homo.* Fortasse istius phrasis intelligentiam quæritis, & nos libenter vobis exponimus. Sensus est: In hoc vno constat esse, & bene esse hominis vniuscuiusque, virtus & officium, in hoc est plenitudo legis, & in hoc finis Euangelij: hinc incipiunt, & huc recurrunt omnia Christi consilia. Consiliorum finis præcepta sunt, præceptorum verò charitas. Qui autem in charitate manet, in Deo manet, & Deus in eo. Et hoc omnis homo. Deum igitur time, Deum dilige, & mandata eius obserua, vt opere compleas; hoc est omnis homo. Quæretis modò quomodo sit timendus. Accipite modum. Timendus est, non timore seruili, sed filiali, & adinstar hominum qui ad imaginem, & similitudinem eius creati sunt, qui filij eius sunt, & D per misericordiam eius, & gratiam, diuinæ naturæ consortes facti sunt. Quomodo sit diligendus quæritis? Accipite rationem. Ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus.

Eccle. 12.

Quo modo Deus timendus.

Modus diligendi Deum.

Cor principium est vitæ, & vltimum, fons amoris, & desideriorum, denique omnium functionum origo. Igitur ex toto corde, id est, in omni vita, primò & vltimò, omni studio, & affectu, ita vt si diuitiæ affluant, aut similia, non apponas cor, sed Deo soli. Propterea petit Prou. 23. *Fili, præbe mihi cor tuum.* Concaluit cor meum intra me. Psal. 38. Sic Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, vbi nempe simul cum fide, cor & amor fertur in Deum.

Prou. 23.

Psal. 38.

Rom. 10.

E Anima vita hominis est, secundum quod ait Christus; Qui amat animam suam, perdet, Iohan. 12. & è contra, (id est, vitam.) Ita de Christo dicitur, quod animam posuit pro nobis, id est, vitam. Igitur vult Deus, vt diligamus eum ex tota anima, id est, omni momento vitæ nostræ; ita vt nulla sit exclusa pars vitæ nostræ, atque ætas, ab illa dilectione, & obseruatione mandatorum eius. Secundum hoc, non debemus incipere, ô Christiani, & postea deficere, sicut nec expectare in finem vitæ, & quando nihil poterimus, sed ex tota anima, id est, vita, cuius principium est anima.

Ioh. 12.

A Mens item portio est animæ præcipua, cuius partes sunt, memoria, intellectus, & voluntas: & has omnes vult dirigi in dilectionem, & mandatorum obseruationem. Ex tota mente. Prima vis animæ mens est, cuius actus est veritatis perpetua contemplatio. Secunda, ratio est, cuius actus est veritatis inuestigatio. Tertia, phantasia, cuius actus est collectio eorum quæ sensus porrigunt, & discursus per illa. Et hæc omnia vult dilectio, & mandatorum obseruatio. Ex tota mente, intellectu, ratione, &c.

Iam vltimò ex totis viribus, quia omnia Dei præcepta possibilia sunt, vt leuia, suauia, ex Christo. Hieronym. ad Damas. in Symbol. explicatione. Execramur eorum blasphemias, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo præceptum esse. Aug. Serm. 61. de tempore. Deus nec impossibile aliquid potuit imperare, quia iustus est, nec damnaturus est hominem pro eo quod non potuit, quia pius est. Chrysost. hom. 8. Nequaquam Dominum incuses, haud mandat impossibilia: non grauia, ex 1. Iohan. 5. nec supra nos, ex Moyse Deut. 30. Et præterea amplam mercedem afferentia iis qui custodiunt: iuxta quod ait Dominus; Ego sum Deus zelotes, faciens misericordiam in millia, iis qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

Hieron. August. Chrysost. 1. Ioh. 5. Deut. 30.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

CATECHESIS LXXV.

PRÆCEPTIS salutaribus, diuinisque institutionibus Christi satis monemur, atque informamur, quàm sacra, venerabilis, & augusta nobis esse debeat vsurpatio nominis Dei, cùm in ipsa oratione, quam ad Patrem nos docuit facere, ante omnia voluerit vt diceremus; Sanctificetur nomen tuum, ô Pater, qui es in cœlis. Quare etiam fit, vt in lege, post primum præceptum necessariò sequatur hoc secundum. Nam qui sibi vult honorem reddi, etiam postulat vt non afficiatur iniuria. Et ex hoc sequitur, istud in primo eminenter contineri, imò idem esse in re præceptũ; Ego sum Dominus Deus tuus: &, Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Sic apud Malach. 11. *Filius honorat patrem, & seruus Dominum. Si ergo pater ego sum, & Dominus, vbi est honor meus?*

Malach. 11.

Interim, separatim voluit Deus hoc secundum constituere præceptum, & distinctè præscribere, ob pondus rei, & magnitudinem. Etenim & verecundum est, & horrendum dicere, tot inueniri inter nos, qui adeò perditi sunt, vt quem Angeli incessanter glorificant, blasphemare non vereantur, & quotidie Dei maiestatem impudentissimè, & penè singulis horis, paruifacere, ac minuere audeant. Quis enim (flens dico,) quotidie non videat, ferè omnia iuramentis, imprecationibus, blasphemiis & execrationibus affirmari? hæc vici resonant, plateæ, priuatæque domus, adeò vt nemo ferè vendat aliquid, aut emat, aut negotium gerat, qualecunque sit, qui non millies, etiam in re leuissima, nomen Dei sanctissimum vsurpet, & interponat. O tempora! ô mores! quò vsque impietatis peruenit hoc sæculum miserum? habere sic Deum pro nihilo, & tam parui facere!

Quantum sit graue hoc scelus, & detestabile, graues minæ, huic præcepto adiunctæ Exod. 20. comprobant; Non assumes, &c. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. Isa. 1. Audite cœli, auribus percipe terra, quoniam Dominus loquutus est. Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, dereliquerunt Dominum, & blasphemauerunt Sanctum Israël. Væ genti peccatrici, & filiis sceleratis, super quo percutiam vos vltrà? Quasi diceret: omni genere pœnarum percutiam. Sic Eccl. 28. *Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa.* Et rursus: *Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga.* Et certè hinc B familiis infinita penè oriuntur mala; *& non discedet à domo illius plaga.*

Exod. 20.

Hinc & rationes, cur nos repellat continuò Dominus. Isa. 1. Cùm veneritis ante conspectum meum, & extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, nempe filij mei, sicut ora vestra blasphemiis. Quiescite Christiani sic agere peruersè. Mementote quid quotidie orando ante omnia petatis. Sanctificetur nomen tuum, dicitis: vos autem blasphematis; quiescite peruersa agere. Non solùm tunc blasphemiam committitis, sed & per vos blasphematur nomen meum in Gentibus, dicit Dominus. C Si enim ego pater, & Dominus, vbi honor meus? vbi iura, vbi leges, vbi in terra aduersus eiusmodi peccatum grãde animaduersiones? Non sunt, sed à te peto Domine; nec enim secundum te, talis debet, aut potest manere impunitus. Tempus faciendi, Domine, dissipauerunt legem tuam. Ecce lex tua; Non assumes, &c. & dissipauerunt. Tempus faciendi, Domine. Tibi iustè dicam, cum propheta tuo Ieremia; Induc Domine super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos. Tu autem Domine qui iudicas iustè, & corda probas, videam (nisi resipiscant) vltionem tuam ab eis. Tibi enim reuelaui causam meam. Et recordare quæso, quod steterim hodie in conspectu tuo, vt loquerer D pro eis bonum, & auerterem iram tuam ab eis.

Isa. 1.

Vultis scire finem meæ precationis? Vobis potiùs quàm Deo damnum accidat & confusio, aut desinite à blasphemiis. Quid putatis? hoc præceptum non minus Euangelicum est, quàm legale; & quidem nunc multo magis obligans, quàm tempore legis, vbi etiam verba nouæ plus ponderis, & rigoris videntur habere quàm veteris, vt Mat. 5. *Ego autem dico vobis*, ait Christus, *non iurare omnino, neque per cœlum, &c. Sit autem sermo vester, est, est, non, nõ. Quod his abundãtius est, à malo est.* Similiter apud D. Iacobum in sua Can. vbi addit: *Et hoc, vt non sub iudicio decidatis.* Quibus verbis, sicut illis, quæ legis sunt, de quatuor admonemur, sicut fusiùs dicemus E proxima Catechesi. Primum est, non assumendum nomen Domini in vanum. Secundum, non polluendum nomen Domini. Tertium, non periurandum in nomine Domini. Quartum denique, non iurandum quodcunque iuramentum frustra, neque per cœlum, neque per terram. De his omnibus Catechesi sequenti.

Math. 5.

Non

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

Catechesis LXXVI.

Iam vidimus, non minus esse Euangelij Christi, quàm legis Moysis hoc præceptum, vbi Mat. 5. Christus Dominus dicit: *Ego autē dico vobis, non iurare omnino*. Quare huius præcepti generalis intétio est, vt nusquam vsurpemus, & nobis assumamus nomen Dei, quodcumque sit, in vanum, & frustra. Hæc singula explicanda sunt. (Matth. 5.)

(Explicantur præcepti verba.) Quod attinet ad hæc verba, vsurpare, & assumere sibi, secundùm communem intelligentiam, & Iurisprudentiæ, & Theologiæ, habent hæc duo in se nonnihil vitij; important enim vsum alicuius rei præter ordinem iuris, & debiti: nam qui legitimo iure, re sua vtitur, non vsurpare, & assumere dicitur, iuxta Iurisconsultos. Vnde si hoc fiat erga altissima, & diuina, & hoc in vanum, & frustra, certè non poterit esse absque magno crimine, & piaculo.

Vanum autem dicimus, ex Philosopho, quod nihil in se habet, quod sit honestum & vtile: frustra verò quidquid est præter necessitatem. Vnde iam cùm sine necessitate, honestate, ac vtilitate, Dei nomen assumimus, tale peccatum contra hoc secundum præceptum committimus; Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Sub nomine autem Dei intelligitur, siue nomen naturæ, vt Deus, siue personæ, vt Pater, Christus, &c. siue majestatis, vt omnipotens, siue alicuius rei, per quam redemptio nostra facta est, vt Crux, sanguis Christi, mors, &c. Hæc omnia explicitè Dei nomina sunt. Implicitè verò, cùm per creaturas, & Sanctos, & beatam Virginem, &c. iuramus, quatenus in eis eius sapientia relucet, ac bonitas. Qui enim iurat per cœlum, &c. per Sanctos, Deum inuocat qui relucet in eis.

(Iuramenti definitio.) Ex his quid sit iuramentum discimus. Iuramentum est inuocatio diuini testimonij, in dicti alicuius confirmationem. Huius quatuor sunt species (4. Iuramenti species.) ex casuitis, assertorium, promissorium, comminatorium, execratorium. Assertorium est, quando inuocando Deum, affirmatur, aut negatur aliquid (1.) præsens, aut præteritum. Promissorium, quando sic (2.) futurum affirmatur, vel negatur. Comminatorium, (3.) quando pari inuocatione promittitur malum pœnæ alicui & castigatio. Execratorium, quando similiter (4.) aliquid asseritur, promittitur, vel negatur alteri, cum impositione sibi pœnæ, vt, me puniat Deus, &c. nisi hoc faciam.

His iam positis, sciendum in quo liceat iurare. Etenim quamuis dictum sit à Christo, non iurandum omnino; hoc intelligendum, vbi abusus est, & sicut ex lege dictum est, in vanum Dei nomen assumitur, iuxta id; Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

(Duplex iuramentum.) Quare sciendum, duo esse præcipua iuramenti genera: vnum illicitum; alterum licitum. De illicito primò loquamur, vbi abusus & peccatum grande; postea, nempe Catechesi sequenti, de licito & sacro dicemus. (Species iuramenti illiciti tres.) Istius igitur iuramenti illiciti tres sunt species. Prima est iuratio: secunda, periurium: tertia, blasphemia, quæ secum inuoluit deprecationes, execrationes, &c.

(1. Quid sit iuratio.) Iuratio communiter est cum irreuerentia Dei, aut Sanctorum inuocatio, seu potiùs pollutio diuini amoris, siue in se, siue in creaturis. Quomodo Eccl. 23. Iurationi non assuescat os tuū, multi enim casus in illa. Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis: quoniam non eris immunis ab eis. Sic omnis iurans, & nominans, in toto à peccato non purgabitur. Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga. hæc ille. Et hoc pacto dixit Christus Matth. 5. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cœlum, quia*, &c. (videatur locus:) hoc pacto; Non assumes, &c. nec enim insontem habebit, &c. (Eccl. 23.) (Matth. 5.)

(2. Quid sit periurium.) Periurium definitur, mendacium, aut fallacia iuramento confirmata (id est, diuino testimonio:) grande peccatum, vbi diuina veritas, quæ nec falli, nec fallere potest, adducitur in assertionem falsi. Vbi & illud notādum, semper esse peccatum mortale, iurare falsum, etiam in re leuissima; vt exempli gratiâ, iocosum mendacium iuramento firmatum, vbi præsertim scienter, & sponte profers, aut vbi etiam & iuridicè, & iustè dicere contrarium deberes. Iurare enim mendacium vt tale non debemus, neque pro vita, neque pro totius regni conseruatione. Aliud est in rebus necessariis, & iustis simulare.

Quare iam hi periuri censentur. Primò, qui iurando, mendacium asserunt, quantulumcunque sit. Secundò, qui promittunt iurando, quod non intendunt facere, tunc enim peccant grauiter, & preterea tenentur facere in conscientia, si res promissa bona est, quamuis non habuerint animum se obligandi: valet enim hæc regula iuris ab Isidoro in decretalibus; Quacumque arte verborum quis iuret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit. (hoc bene notetur.) Modò tamen omnia iustè, & legitimè fiant, & promissum vtile sit, & bonum: aliàs si quod iuramento promittitur, malum est, inhonestum, aut noxium, peccat quidem grauiter promittendo, sed non tenetur adimplere, imò nec debet, aut potest, vt habet eadem regula iuris Isidori, lib. 2. Synon. quæ eiusmodi est; In malis promissis rescinde fidem; in turpi voto muta decretum, quod incautè vouisti, ne facias, impia est promissio, quæ scelere adimpletur. Tale erat promissum, & iuramentum Herodis puellæ saltanti, de S. Iohanne. Peccauerat grauiter, & non tenebatur implere, imò & grauiùs adhuc peccauit, cùm propter iusiurandum decollauit. Et tale est pessimum iuramentum, quo etiam promisisti, te facturum hoc, & illud malum. Peccasti, de cætero non teneris, in malis promissis rescinde fidem. Nec enim insontem habebit Dominus eum qui assumpserit, &c. & qui etiam blasphemando nomen Domini polluerit. (Isid.)

(3. Blasphemia definitio.) Tertia est species, nempe blasphemia. Definitur, impietas, seu maledicentia contra Deum, & laudis detractio, ex malo voluntatis affectu. Verè impietas, quia & irreligio est. Maledicentia contra Deū, ô crimen, Deo summè bono dicere malum! Detractio laudis, quia propriè blasphemia est cōtra laudem Dei. Laus enim Dei, aliud nihil est quàm manifestatio excellentiæ eius, cum bono voluntatis affectu. Et hæc vel in corde, & tunc interior est laus: vel in voce, & tunc exterior est. Tunc enim laudare Deum dicimur, cùm sic eius perfectiones ex bono affectu manifestamus, interiùs agnoscimus, & exteriùs admiramur; *Domine Dominus noster*, &c. enunciamus, preces fundimus erga eum, & alios exhortamur, vt benedicant ei. Ecce laus, cui opponitur immediatè blasphemia: quando im-

primis dicunt insipientes in corde suo, non est Deus, de sua prouidentia dubitant, bonitate, sapientia, & potentia. Et hoc modo dici possunt blasphemi omnes hæretici,&c. Secundò, quando voce detestantur Deum, imponunt ei malum, & bonum detrahút. O miseri! tale est peccatum quod irremissibile est,&c. Tertiò, quando etiam nomen, & Crucem, & omnia membra Christi sacrilego ore conculcant,& profanant. Parcite quæso Deo, ô homines, pulueres, & cineres; aliàs tempus veniet, & nunc est, quando iustæ iræ eius in æternum subiecti eritis. Quod auertat Christus. Amen.

Nec enim habebit insontem Dominus eum, &c.

Catechesis LXXVII.

Et lex Dei, & Euangelium Christi satis demóstrant, quia non habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. Omnes autem illæ minæ adiunctæ sunt, vt agnoscamus, quàm graue sit illud peccatum, quod Deo omnē laudem tollit,& gloriam, sicuti est nomen eius in vanum assumere, & blasphemare; itémque Sanctorum nomina,& creaturarum. Nec enim contra Deum solum est blasphemia, & nominis eius pollutio: sed etiam ad Sanctos extenditur & creaturas omnes, vt vasa, & subiecta, in quibus illa Dei bonitas relucet. Quare qui his abutetur, non manebit impunitus, iuxta id; Nec habebit insontem Dominus eum,&c. Sic Deut. 5. Non erit impunitus, qui super re vana nomen eius assumpserit. Videtis in quos,& mala,& minæ incidunt. Etenim si optimè vti sciamus nominibus Dei, Sanctorum, atque creaturarum, eius benedictiones nobis euenient,& non mala: permissio erit iuramenti,& non prohibitio.

Deut. 5.

Similis enim quæstio nostra est illi, qua etiam quæritur, an liceat occidere aliquando, cùm dicat lex, Non occides. Sicut enim in certo casu licet, imò & bonum est, & necessarium, quamuis quacumque ex causa non liceat, vnde prohibitio: ita dico, licet lex prohibeat iurare, & non permittat multis ex causis, vt attulimus; interim licet in certo casu, imò & bonum,& pium, & religiosum est, dicente etiam Scriptura Psal. 62. Laudabuntur omnes, qui iurant in eo. Sic & in Apoc. 10. videmus iurasse Angelum per viuentem, &c. Sic & Psal. 109. dicitur iurasse Dominus; Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, &c. Psalm. 10. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Respondet. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, qui iurat proximo suo, & non decipit. Videamus igitur iuramenti liciti conditiones.

Ps. 62. Apoc. 10. Psal. 109. & 10.

Tres sunt, veritas, iudicium, iustitia. Ita D. Hier. interpretans Ierem. cap. 4. qui easdem sic affert. Iurabis in veritate, & in iudicio, & in iustitia. Ecce quæ debent esse iuramenti comites, vt sit licitum. Primò veritas, si enim desit, fit periurium, quod Leuit. 19. prohibetur; Non peierabis,&c. Secundò iudicium, id est, circumspectio,& ratio, si enim absit, fit mandati præuaricatio; Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Etenim vt excludatur quidquid vanum est,& leue, necesse est adsit iudicium discretionis. Tertiò iustitia, cuius defectu, valde polluitur Dei nomen, contra illud præceptum Leuit. 19. Neque pollues nomen Domini Dei tui. Sed de singulis paulo fusiùs.

Iuramenti liciti conditiones. D. Hier.

Leuit. 19.

Primum itaque locum in iureiurando veritas habere debet, nempe vt quod asseritur, & verum, & tale arbitretur esse, qui iurat, id est, vt in ore iurantis non sit mendacium, aut falsitas,& dolus, sed correspondeat sermo rei,& res sermoni, vnúmque sit in ore,& in mente. Quod vt intelligatur, sciendum esse triplicem veritatem. Prima est, quando quod dicitur, conformatur rei dictæ, vt si quis dicat, frater meus liberalis est, si ita sit, veritas est. Secunda, quando ille ita esse existimat sicut dicit, interim non est ita in re, non censetur dicere mendacium, sed verum. Tertia, quando quod dicit ita est sicut existimat, & tunc est perfecta veritas. Et huic opponitur triplex falsitas. Prima, quādo quod dicitur, non conformatur rei. Secunda, quando nō conformatur menti. Tertia, quando nec rei, nec menti. De his tribus secunda solùm & tertia sunt mendacium: mendacium enim est, cùm homo dicit aliter quàm existimat in corde. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Hæc est igitur prima conditio quæ debet ingredi iuramentum, vt licitum sit, veritas.

1. Conditio iuramenti.

Triplex veritas. 1. 2. 3.

Triplex falsitas.

Secunda est iudicium, id est, discretio, prudentia,& circumspectio, vt non inconsideratè, sed cum iudicio, & ratione fiat talis inuocatio diuinæ maiestatis. Hoc autem tria spectat, pondus rerum, necessitatem, & vtilitatem. Pondus rerum spectatur, quia non debet fieri iusiurandum, nec Deus testis adduci, super re vana, leui, & irreligiosa. Necessitas, quando nimirum aliquis interrogatur iuridicè, & iustè, estque iam aliqua probatio, aut etiam vi excōmunicationis, debet scita reuelare, vbi aliunde nō est iustè impeditus, tunc dicere verum tenetur, & cùm exigitur, etiam iurare: tunc enim religionis est actus. Denique vtilitas spectatur proximi, cui ex charitate patrocinari debemus, eámque veritate iuramenti iuuare.

2. Conditio iuramenti.

Tertia conditio est iustitia, per quam intelligitur æquitas rei, tam ratione sui quàm alterius, vt nempe res de qua iuratur, sit iusta in se, licita,& honesta, nec alicui iniuriosa. Qui enim primò iurat pro aliquo scelere, aut turpitudine, sibimet iniustus est, ac honori suo detrahit, & qui secundò cum damno & iniuria alterius, non iuraret in iustitia. Non enim primò debet iurare homo illud verum, quod reuelare peccatum est; nec item occultū crimen alicuius reuelare, alioquin contra iustitiam peccat,& mortaliter. Sic enim assumit nomen Domini in vanum,& frustra; non autem habebit insontem,&c.

3. Conditio.

Ecce igitur conditiones, quæ reddunt iuramentum licitum, pium & validum, maximè etiam in promissis,& sine quibus nullo modo licet per nomen Dei, aut Sanctorum, aut etiam creaturarum iurare, sicut dixit Christus; *Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cœlum, neq. per terrā,* &c. Vbi distinctione valde opus est; contingit enim multis modis per creaturas iurare. Primò, more Iudæorū, qui existimabant plus ligare, iurare per aurū Templi, quàm per Templum; plus per thronum Dei, quàm per cœlum. Et hoc arguit Christus. Secundò, more Gentium, qui in creaturis aliquid numinis ponebant. Et hoc grande est peccatum & idololatriæ. Tertiò, more quorumdam inter Christianos, qui pluris æstimant iurare per suam salutem, aut Scripturam sacram, quàm per nomen Dei, aut Deum ipsum. Et in his error est, & malum; hos omnes arguit Christus. Quartò verò, more deum

Varij modi iurandi per creaturas.

lium & Sanctorum, qui cùm super positis conditionibus per creaturas ipsas etiam iurant, non quidem tanquam per ipsas, sed tanquam in ipsis testem Deum adhibere vellent. Et hoc cùm opus est, licitum est. Communiter autem fit sermo vester, est, est, non, non. Quod enim his abundantius est, à malo est; sicut qui Dei nomen honorauerit, ex Deo erit.

Memento vt diem Sabbathi sanctifices.

CATECHESIS LXXVIII.

TANTI ponderis erat hoc præceptum apud Iudæos, vt ex Pharisæis quidam redarguentes Christum, quod cæcum à natiuitate, sanasset in Sabbatho, dicerent; Non est hic homo à Deo, qui Sabbathum non custodit, Iohan. 9. Verùm alibi, & sæpius, ipse Dominus noster ostendit illis, quia in Sabbatho opera Dei facere, sanctificare est. Tertium itaque hoc præceptum est veluti præcedentium fructus; neminem enim interiùs colere possumus, quin ipsum aliquo externo cultu veneremur. Hinc præceptorum ordo. Postquam dixit Deus; Ego sum Dominus, non habebis Deos alienos coram me, non assumes nomen Domini, &c. sequitur; Memento vt diem Sabbathi sanctifices. Quanti sit autem ponderis, & obligationis hoc præceptum, hoc primum verbum indicat (Memento,) sic vt non velit Deus illud excidere ex corde nostro. S. Thom. 1.2. quæst. 110. art. 7. rationem affert duplicem. Primò, quia, inquit, est commemoratiuum beneficij præteriti, nempe creationis. Secundò, quia etiam determinationem adiunctã diei habet, quæ non est de lege naturæ, vnde & speciali admonitione indiget. Etenim cum aliis discrepat istud, quod alia omnia naturalia sint, istud verò naturale partim, partim verò non, sed tantùm cæremoniale: vt diem sanctificare Deo, naturale præceptum est, quia ei certo tempore debemus cultum; determinare autem hunc, vel illum diem, non est naturale, sed ex instituto, & cæremonia est. Quod enim erat Sabbathum Iudæis, nobis nunc Dominica est, sicut de hoc rationem dabimus.

Ioh. 9.

S. Thom.

Interim, quanti sit ponderis in se, ac in obseruatione hoc præceptum, ante omnia consideremus ex hoc primo verbo (Memento.) Non videmus Deum vnquam vsum fuisse hoc verbo, nisi pro re magni momenti, & considerationis. Vnum Recordare, habemus in Euangelio, & vnum Memento, in lege. Luc. 16. *Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Recordare, istud est magni momenti. Similiter in lege Memento dixit Dominus, nempe vt diem Sabbathi sanctifices, id est, diem sanctum Domini, sanctis operibus celebres; diuinis etiam officiis consecratus est, Memento, &c. In Deut. 5. legitur, Obserua. Quasi dicat, semper mens tibi sit, & cura, vt celebrem hunc diem habeas; sanctificauit enim eum Dominus, cùm in eo requieuit.

Luc. 16.

Deut. 5.

Quid sit Sabbathum.

Hæc lex primùm Iudæis data est. Vnde sciendum, Sabbathum Hebraicum nomen esse, & Latinè cessationem dici siue quietem, ita vt nihil aliud sit, quàm dies vacationis ab his operibus, in quibus

A solet homo se exercere, vt intendat diuinis. Ecce institutio & ratio. Dies autem illa septima erat Iudæis, incipiendo à Dominica; illisque data hæc lex fuit ob causas quatuor. Prima est ob memoriam illius magni beneficij creationis mundi, vt in ipsa lege habetur; sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & requieuit in die septimo, idcirco benedixit ei. Vnde & voluit coli, & recordari, vt à Gentibus distinguerentur, qui mundum putabant æternum. Ob id apud Ezech. 20. & Exod. 31. signum dicitur Sabbathum. Videte vt Sabbathum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos, vt sciatis quia ego Dominus.

Quadruplex causa institutionis Sabbathi. 1.

Ezech. 20. & Exod. 31.

B Secunda, ob figuram Christi Domini venturi, qui post mortem quieturus erat Sabbatho integro in sepulchro; & ob id in figura Iudæi quiescebant Sabbatho ab omni opere non necessario vitæ. 2.

Tertia, ad quietem corporum, interponendo certum diem, quo & homines, & iumenta ab omni opere quiescerent, sicut ipse quieuerat. 3.

Quarta, vt in tota hebdomada sic operemur, quasi certo die Deo reddenda sit ratio omnium operum, & actionum nostrarum, & hunc totum ad eius famulatum impendamus. Hinc apud Isa. 5. delicatum Domini dicitur, quoniam illi dies sunt quasi deliciæ Domini, & piorum hominum. Ecce cur apud Iudæos Sabbathum; quod & apud nos in C Dominicam translatum est, idque ex traditione Ecclesiastica. 4.

Isa. 5.

Cur autẽ apud Christianos Sabbathum, seu dies cessationis, sit Dominica, hæ sunt rationes. Prima, quia cæremoniæ & figuræ præterierunt, & sicut Circumcisio mutata est in Baptismum: Agnus paschalis in Eucharistiam; ita Sabbatum in Dominicam transiit propter rationes sequentes. Secunda igitur in memoriam nostræ reparationis, quæ die Dominica facta est, vbi quies, vbi vita fuit, vbi est cantatum: Vbi est mors victoria tua? Absorpta est mors in victoria resurgentis. Videtur enim Deus quodammodo bis mundum condidisse, primò creando: secundò reparando. Vnde in memoriam D istius reparationis, simul & glorificationis naturæ nostræ, Dominicam celebramus. Hæc dies notatur Apoc. 1. Ego Iohannes fui in spiritu in Dominica die, &c. Tertia, quia etiam eadie ex Scripturis multi colligunt mundi creationem initium suum habuisse: itemque Christum Dominum incarnatum fuisse. Quarta denique, quia & ea die Spiritussanctus in Apostolos descendit, Ecclesiam consummato opere perfecit. Ecce vnde sanctificare, & vacare operibus spiritus, & non carnis hac die debemus.

4. Causæ mutationis Sabbathi in Dominicam. 1. 2.

Apoc. 1. 3. 4.

E *Non facies omne opus in eo, &c.*

CATECHESIS LXXIX.

NIHIL est iustius, magisque consentaneum rationi, nihil etiam magis religioni conforme, quàm quod Christus in Ecclesia instituit, in hebdomada diem solemnem habere ad vacandum Deo. Hic dies est septimus, quem nunc ex beneplacito Spiritussancti, & Ecclesiæ instituto Dominicum appellamus, ad eumque finem ordinatũ, vt in eo religionis officiis vacemus, cor nostrum à vanis & profanis occupationibus retrahamus, & ad

& ad Deum eleuemus, extendamúsque, per orationes, meditationes, gratiarum actiones, charitatis opera, diuini verbi auscultationem, aliáque similia exercitiá sancta. A

Tria sunt quæ nos ad hoc incitare debent, beneficium, exemplum, sanctificatio. Primò beneficium. Nonne enim iustissimum est, vt certo die, vt est septimus, in hebdomada Deo vacemus, & in eo quiescamus, per actionem gratiarum, & laudem, pro cunctis beneficiis quæ contulit nobis? Qui omnia fecit opere sex dierum, in vsum ac solatium hominis, hominem autem propter se, iuxta illud 1. Cor. 3. Omnia vestra sunt, siue Paulus, &c. siue mundus, siue vita, &c. vos autem Christi. Ex hoc certè & ratio vult & religio, vt Deo hunc demus diem. (1. Cor. 3.) B

Secundò exemplum. Si enim Deus ipse, post consummatum creationis opus, die septimo quieuit in seipso; & nos ad eius exemplum, die septimo debemus in ipso quiescere ab omni opere profano, & seruili: sed in exemplum Dominicæ quietis, ac gloriosæ resurrectionis, post completum opus nostræ reparationis, vacare quieti contemplationis, & operibus charitatis. Eph. 4. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Hac siquidem die de tenebris vita nostra ad lucem reuocata est, vt opera lucis, & vitæ operemur. Abiiciamus ergo opera tenebrarum. Et sic luceat lux vestra, &c. (Ephes. 4.)

Tertiò sanctificatio. Quia & hic dies à Deo sanctificatus est. Sic in lege benedixit Dominus diei Sabbathi, nempe quietis, & sanctificauit eum. Igitur nec in eo quicquam facere debemus, nisi opera sanctitatis, & non profana. Si Templum, quod Deo consecratum est à ministro eius Episcopo, inuiolabile est, & sanctũ, nec patitur in eo fieri, nisi opera sacra, laudes, orationes, sacrificia: quanto sanctior, sacratior, atque inuiolabilior haberi debet dies ille, quem sibi, & nobis consecrauit Sanctus Sanctorum Deus? Non facies, inquit, omne opus in eo, tu & filius & filia, & seruus & ancilla, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas. Non facies omne opus, intelligitur, aut profanum, aut seruile, pro quibus reseruantur alij dies. C D

Duo requisita ad sanctificationem diei Dominicæ. Igitur quæ requirantur ad sanctificandam diem Dominicam, sciendum. Hæc in genere duo sunt, abstinere, & facere: abstinere ab omni opere tunc illicito; facere autem, quæ decent hac die Christianum. Quoad primum, abstinendum est ab opere duplici: seruili, & prohibito ab Ecclesia. Pro declaratione seruilis operis, sciendum tria esse operum genera. Quædam sunt animæ, vt intelligere, videre, legere, studere, &c. hæc non prohibentur. Quædam corporis, sed communia omnibus, vt iter facere, instrumenta pulsare; & hæc etiam non prohibentur. Tertia opera sunt, quæ ex se famulatum quemdam habent mechanicum, vt arare, suere, &c. & alia quæ seruilia dicuntur; hæc sunt propriè, quæ vi legis prohibita sunt, & à quibus abstinendum. E

Quatuor operum seruiliũ genera prohibita. Quæ autem ab Ecclesia prohibita sunt, hæc sunt. Primò, mercatus communis & quotidianus. Secundò, strepitus iudicialis curiæ, & fori, quamuis aliquando, ex concessione Ecclesiæ, diebus festis liceat Iudicibus ruralibus, pro necessitate villicorum, qui aliis diebus suis operibus sunt intenti, interim nunquam die Dominica licet. Tertiò, his diebus prohibetur iuramentum iudiciale, & examen testium, sententia mortis, &c. Quartò denique, praxis, & scriptura notariorum, & tabellionum; vnde peccant qui exercent. Et qui etiam seruant pro festis implere chartas, quas aliis diebus breui tantùm notarunt, hoc aduertant. Ecce à quibus abstinendum.

Quæ autem sunt facienda? Hæc sunt, audire sacrum, audire verbum, ac deuotè interesse diuinis officiis, orare, vacare Deo, ac pietatis, & charitatis operibus, visitare infirmos, subuenire egenti cùm possis, &c. Apud D. Iacobum c. 1. *Religio munda, & immaculata apud Deum, hæc est, visitare pupillos, & viduas*, &c. Quæ de Dominica diximus, de festis dicenda; sed de illis alibi, vbi de Ecclesiasticis præceptis. Memento igitur, vt diem Sabbathi sanctifices, idcirco enim & sanctificauit eum Dominus. Iacob. 1.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, &c.

CATECHESIS LXXX.

OBSERVATIONEM huius quarti præcepti suo nos exemplo Christus edocuit. Luc. 2. Proficiebat IESVS ætate, & sapientia, & gratia apud Deum, & homines. Venit in Nazareth cum parentibus suis, & erat subditus illis. Quod opere docuit, postea adhuc & sermone docuit. Luc. 2.

Quæ à Deo sunt, ordinata sunt, ait D. Paulus. Ordinauit in me charitatem, ait sponsa. Duo sunt in tota lege, in omnibus Prophetis, ac in toto Euangelio, charitatis præcepta. Matth. 22. Primum omnium & maximum est dilectio Dei. Secundum huic simile, dilectio proximi. Quare 1 Iohan. 4. talis colligitur consequentia, quod qui fratrem, id est, proximum, non diligit, etiam Deum non diligat. *Qui non diligit, ait, fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Matth. 22. 1. Ioh. 4.

Quare absolutis præceptis primæ tabulæ, quæ ad Dei honorem, & amorem pertinent, nunc de præceptis secundæ tabulæ tractare oportet, quæ ad honorem, & dilectionem proximi etiam pertinent. In his septem sunt, & ordo in illis. Ait sponsa, Ordinauit in me charitatem. Vnde inter hæc primum omnium, quod & ordine quartum est, est præceptum honorandi parentes, vtpote proximiores. Sic Exod. 20. Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram quam Dominus dabit tibi. Et Eccl. 3. Qui timet Deum, honorat parentes, & quasi Dominis seruiet iis qui se genuerunt. Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem, & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem. Sic Matth. 15. repetiuit Christus; Honora, &c. Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Et apud Valer. Max. lib. 5. cap. 4. legitur, primam naturæ legem esse, diligere parentes. Vnde & quidam legislator interrogatus olim, cur nullam pœnam statuisset ei, qui vel patrem, vel matrem occidisset; respondit, se non putasse tantum impietatis inesse pectoribus humanis, vt quispiam inueniretur, qui auderet occidere eum, per quem initium vitæ accepisset. Lex enim prima naturæ est diligere parentes, adeóque insidet omnium pectoribus, vt etiam animalia eo ducantur instinctu. Exod. 20. Eccl. 3. Val. Max.

Quare D. Paulus triplici ratione obseruationem huius præcepti nobis persuadet, & Coloss. 3. & Ephes. 6. vbi sic repetitur. Prima est Coloss. 3. vbi sic; Filij obedite parentibus per omnia. Ecce ratio; hoc enim placitum est in Domino. Hæc est prima: 1. Coloss. 3. & Ephes. 6.

prima: secunda & tertia Ephes. 6. vbi iterum; Filij A obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim iustum est. En secunda, en & tertia: hoc enim est mandatum primum in promissione; Honora patrem & matrem, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Duo in explicatione huius præcepti obseruanda.

Quare iam ad explicationem huius præcepti, duo nobis sunt obseruanda. Primum est, quinam hic vocentur pater & mater: alterum, quomodo sint honorandi. Quantum ad primum, Doctores omnes (cum quibus etiam & Concilium Coloniense, inuenerunt sub hoc nomine (patris) quatuor genera personarum comprehendi. Primum est parentum, qui nos genuerunt secundum carnem. Secundum eorum qui secundum spiritum, vt B sunt superiores in potestate spirituali, veluti Episcopi, Pastores, &c. Tertium potestatem sæcularem habentium, quales sunt Reges, Principes, ac Domini. Quartum denique potestatem iudiciariam habentium, vel etiam directiuam super nos, vt sunt Magistratus, Magistri, tutores. Omnes isti sub hoc præcepto continentur, quamuis primum locum obtineant veri parentes, & qui tales sunt secundum carnem: cæteri suo ordine. Ordinauit in me charitatem.

1. Quatuor genera personarum, quibus honor debetur.

Charitas in iustitia fundata est, atque ita eius præcepta: vnde sicut iustitia virtus est reddens vnicuique quod suum est. Primò Deo reddit; & tunc est religio, in qua tria præcepta primæ tabulæ fundantur. Secundò parentibus, & dicitur pietas. Tertiò superioribus, & in dignitate constitutis, & dicitur obseruantia. Quartò denique generaliter proximis, quæ eis debentur, & dicitur iustitia. Quare post actus religionis, incipiemus à pietate, quæ respicit parentes.

2\. Igitur quantum ad secundum, debent filij tria parentibus suis ex virtute pietatis, amorem, honorem, obedientiam. Primò amorem, & internum, & exteriorem; ad hoc enim maximè obligantur erga illos, adeò vt qui odio haberet patrem & matrem, & desideraret illis aliquod malum, peccaret mortaliter, & deberet hanc circumstantiam confiteri: quanto magis qui procurant? D Vnde & exteriùs debet illis reddi, subueniendo eorum necessitatibus, in vita, & post mortem. Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius, ait sapiens Eccle. Multum certè nobis amabilia esse debent hæc nomina patris, & matris, nec vnquam illis reddere possumus æquiualens, à quibus esse accepimus. Esto fias Rex, Dux, aut Episcopus, quod es, debes patri tuo, nisi enim esses eius filius, Rex non esses, neque Episcopus.

3. Reg. 2. Vnde secundò illis honor debetur, & reuerentia, non tantùm cæremonialis, sed in operum exhibitione, & veritate, vt legitur de Salomone 3. Reg. 2. qui assurrexit matri venienti, & præterea iuxta E se in gloriæ solio collocauit. Tertiò denique obedientia. Gloria enim patris est, filios habere disciplinatos, & dictis eius obedientes: è contrà, illi confusio filius inobediens. Vnde Apostolus ad Coloss. 3. *Filij obedite parentibus, quia iustum est.* & Ephes. 6. *quia beneplacitum est in Domino.* Obedite in honorem filij Dei, qui sic patrem honorificauit. Ego, inquit, honorifico patrem meum. Quomodo Domine? quia, Iohan. 6. descendi vt faciam voluntatem eius. Sic & matrem honorauit, quando Luc. 2. dicitur, & erat subditus illis. Ecce ideo dixit; Exemplum dedi vobis: honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus, & terram æternam possideas.

Coloss. 3. Ephes. 6. Ioh. 6. Luc. 2.

3. Debita parentum erga filios.

Sed si filij debent parentibus, & parentes etiam debent filiis suis, & maximè tria. Primò, subuenire illis in corporalibus. Secundò, in spiritualibus, vt sint boni, instructi disciplinis & moribus, & Deum timeant, eiúsque præcepta seruent. Tertiò, vt à bono statu, vocationis gratia, & Dei seruitio non auertant, nec retrahant. Sic facientes & filij & parentes vitam æternam possidebunt.

De honore debito aliis superioribus.

CATECHESIS LXXXI.

EXEMPLAR omnis iustitiæ, & obedientiæ Christus est. Interrogatus Matth. 22. num liceret censum dare Cæsari, an non; cognita nequitia interrogantium, ait: Quid me tentatis hypocritæ? ostendite mihi numisma census. Cuius est imago hæc, & superscriptio? Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Nomine parentum etiam in potestate constituti comprehenduntur. Quare multi alij nobis adhuc supersunt, quibus ex vi huius præcepti, sub nomine patris deferre honorem debemus: C maximè verò tres, Prælati & Pastores; Principes & Magistratus; Magistri & tutores: cæteris pro iustitia, & charitate. *Matth. 22.*

Primò quantum ad Prælatos & Pastores, & cæteros huius dignitatis, vt Doctores, Prædicatores, &c. in Scriptura sacra passim hoc nomine honorantur, eóque digniùs, quo digniorem vitam nobis impertiuntur, vt est spiritualis, & gratiæ vita, quam ex Sacramentorum vsu, & ministerio verbi Dei ducimus. Siquidem & per hoc generant in nobis Spiritum Christi, nouámque nos in eo creaturam efficiunt, vnde tanquam maiores nostros, & patres spirituales venerari debemus, eorúmque monitis obtemperare. Sic D. Paulus 1. Corinth. 4. Non vt confundam vos hæc scribo, sed vt filios meos charissimos moneo: nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo IESV per Euangelium ego vos genui. Magnum discrimen ponit inter patres, & pædagogos spirituales. Verè pater Diuus Paulus erat. Gal. 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. Ecce quo titulo & ratione Pastores, cæteríque vocantur patres, & de quibus etiam potissimè illud Deut. 32. dictum videtur; *Interroga patrem tuum*, (Sacerdotem, Doctorem) *& annunciabit tibi: maiores tuos*, (Prælatos & Pastores) *& dicent tibi.* Hoc pacto inter Prophetas, & Patriarchas primi, patres dicebantur. Sic Abraham fidelium pater dicitur & credentium. Sic Elisæus Eliam patrem suum vocabat; Pater mi, pater mi, &c. 4. Reg. 2. Sic & alij Prophetæ Elisæum patrem suum vocabant. Et nos pari ratione maiores nostros, ac in Ecclesia Prophetas, patres nostros dicimus, ac veneramur, tantóque venerabiliores etiam parentibus secundum carnem, quanto dignior est ea vita, quam ipsi seminant in visceribus nostris.

1. Cor. 4. Gal. 4. Deut. 32. 4. Reg. 2.

Tria quæ Prælatis debentur.

1\. Vnde iam eis debemus tria, charitatem, honorem, & obedientiam. Primò charitatem, suppeditando eis, quæ requiruntur ad vsum, & statum vitæ necessarium. D. Paulus 1. Timoth. 5. triplici lege hanc *1. Tim. 5.*

A hâc obligationé demóstrat, naturali, Mosaica, Euangelica. Qui bene præsunt presbyteri, ait, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura, nempe

Deut. 25. lex Deut. 25. Non alligabis os boui trituranti: dignus est enim operarius mercede sua. Sicut etiam & ipse Christus dixit in Euangelio: Qui altario deseruiunt, cum altario participant, &c.

2. Secundò debemus eis honorem, & reuerentiam, vnicuique secundum gradum & meritum sui ministerij. Et hoc quia ex parte Christi iudices nostri sunt, & in nos vt vicarij eius potestatem habent & iurisdictionem. Iohan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Vnde qui vos honorat, & vos recipit, me recipit, & qui vos spernit, me spernit, B & eum qui me misit.

3. Hinc tertiò debemus eis obedientiam, nempe submissionem doctrinæ eorum, atque potestati; claues enim tenent. Hinc Hebr. 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri; vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Vnde etiam licet malè viuant, eorum verbis obedire debemus, ex Matth. 23. super Cathedram Moysi, &c. Itémque eorum potestati, vt cùm iusta de causa legem, edictum, aut excommunicationem denunciant: oportet tunc ostendere, nos esse filios Ecclesiæ: & vbi oportet sedulò est obtemperandum, vt omnibus conciliis Oecumenicis, & Ecclesiæ decretis. C Sic Theodosius Imperator Ambrosio; vnde dictum remansit, si haberemus Ambrosios, haberemus & Theodosios.

Heb. 13. — Matth. 23.

Act. 20. Quare cum D. Paulo Act. 20. dicam; Attendite & vobis, & vniuerso gregi, ò Pastores, in quo vos Spiritussanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Hæc verba Spiritussancti sunt, vt & Pastores & subditi cum attentione videant, quanta eis commissa sit dignitas, atque potentia.

Honor Magistratibus debitus. Quantum iam ad secundum, nempe ad Reges, Duces, Principes, ac Magistratus, certissimum etiam est, sub hoc nomine patris includi omnes, quatenus nos protegunt, & tutantur. D Sic olim Senatores apud Romanos vocabantur patres conscripti. Propterea eis & honorem, & obedientiam debemus, & charitatem. Charitatem, vt subueniamus eis in necessitatibus spiritualibus, precibus & orationibus. Sic D. Paulus 1. Timoth. 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt,* &c. Honorem, inquantum ordinantur à Deo super nos, & ab eo potestatem suam tenent, vnde Paulus Rom. 13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Obedientiam. 1. Petr. 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo* (nempe Deo) E *missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.* Non est enim potestas nisi à Deo, ait Paulus. Sic Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.

1. Tim. 2. — Rom. 13. 1. Petr. 2. — Rom. 13.

Honor Magistris debitus. Quantum ad tertium, etiam debemus honorem deferre Magistris, tutoribus, & his qui curam nostri habent, quia eos loco parentum habemus. Sic de Theodosio Imperatore legimus, qui volebat vt Arcadius eius filius obediret, & honorem deferret Arsenio Magistro suo, tanquam sibi, vt legitur apud Metaphrastem in vita huius sancti viri, & postea tam celebris Anachoretæ Arsenij.

A Denique omnibus, vt proximis debemus semper aliquid, vel ex iustitia, vel ex charitate; ita vt cum omnibus munus iustitiæ, honoris ac amicitiæ seruemus, & pacem, in æternum viuamus longæui in terra, in cœlo æternaliter. Amen.

Non occides, &c.

CATECHESIS LXXXII.

EVANGELIVM Christi, plenitudo legis est. B Matth. 5. refert hoc præceptum Dominus, & prætereа abundantiam eius, & perfectionem, cùm nec etiam permittat irasci fratri suo. Dictum est antiquis, non occides: ego autem dico vobis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater habet aliquid aduersum te, relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, &c. Matth. 5.

Verùm antequam hoc præceptum explicemus, sciendum, duo esse genera præceptorum generaliorum. Vnum est affirmatiuorum, alterum negatiuorum. Et hoc inter illa discrimen est, quod affirmatiua solùm obligant semper, sed non pro semper, C id est, nemo vnquam eximitur ab obligatione eorum, vbi pro loco, & tempore debitis exequi conuenit, non tamen tenetur omni momento temporis. Talia sunt quatuor præcedentia, nempe tria primæ tabulæ, & primum secundæ tabulæ. Negatiuorum verò natura, & conditio hæc est, vt obligent semper, & pro semper, & quoad intentionem, & quoad executionem, & secundum omnes, & loci, & temporis differentias. Illa sunt sex quæ supersunt secundæ tabulæ, quorum primum est, sed ordine quintum, Non occides. *Diuisio præceptorum in negatiua & affirmatiua, & eorū differentia.*

Quàm necessarium sit, hoc præceptum bene intelligi, ex duobus potest colligi. Primum, ex illa magna felicitate, quæ Matth. 5. pacificis homini- D bus proponitur: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Deus enim, pacis Deus est, & quod maximè dare venit mundo, pax fuit, vt cecinerunt Angeli, & sicut petierant patres, non discordiam, non bellum, nisi aduersus peccatum, sicut aliquando dixit; Non veni mittere pacem, sed bellum, bellum vtique quod fundamentum, & firmamentum pacis est. *Necessitas huius præcepti.* Matth. 5.

Secundum est, quod hoc vnum fuit imprimis, quod Deus post diluuium hominibus interdixit. Genes. 9. Sanguinem, ait, requiram animarum vestrarum de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, id est, non parcam bestiæ, neque homini qui effuderit, &c. Vnde etiam & in Euan- E gelio Matth. 5. inter veterum leges, quas explicare voluit, hæc prima fuit; Non occides. Quare & nos hodie ad regulam explicationis eius, etiam explicaturi sumus. Dictum est antiquis, ait Christus; Non occides. Ego autem dico vobis, &c. Gen. 9. Matth. 5.

Sciendum igitur, duplex esse homicidium, & vtrumque hic prohiberi: vnum operis, alterum cordis: vnum manus, actus, alterum animi & voluntatis. Primum dicitur reale homicidium, alterum odium est ad mortem, ad nocendum, ad lædendum. De vtroque autem fit hac lege prohibitio. Ac primò de homicidio reali sciendum quid sit. Ex Iurisprudentia & Theologia, est iniusta, & volun *Duplex homicidium.* *Homicidij definitio.*

voluntaria hominis occisio. Hæc definitio omnes differentias comprehendit. Primò dicitur iniusta, vt excipiantur omnes inflictiones pœnæ, & mortis, quæ ex iustitia fiunt, & publica authoritate, vt Principis & magistratuum, quibus Deus dedit gladium, in vindictam malorum, Rom. 13. Dei minister est, vindex in iram, ei qui malum agit. Etiam & mãdatum Exod. 22. Maleficos non patieris viuere. Item illæ quæ fiunt ex speciali Dei mandato, vt cùm Abraham paratus erat immolare filium suum Isaac, nihil tunc peccati erat, imò multum meriti, sic obediendo diuinæ majestati & voluntati, cuius sunt omnes animæ, Dominus. n. omnium est.

Homicidij definitio.

Rom. 13.

Exod. 22.

Secundò dicitur voluntaria, vt item excipiantur illæ, quæ casu & fortuito, absque deliberatione, & omni culpa accidunt. Vt autem voluntariæ sint, sufficit præter factum, vna ex illis nouem circunstantiis, quas D. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 2. habet, cum omnibus m[illegible] ibus Theologis.

D. Thom.

Iussio, consilium [illegible] assensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Qui præcipit, qui consulit, qui factum probat, qui laudat, vel vt fiat laudat, qui defendit, aut defensionem promittit, qui iuuat ad factum, qui non monet occidendum, vel percutiendum, cùm potest, vel debet, qui non prohibet item cùm possit, & qui veritatem innocentis non manifestat, cùm etiam possit, & debeat, ne damnetur. Hi omnes contra istud præceptum peccant, & in his omnibus voluntaria est alterius læsio aut mors.

Tertiò denique dicitur hominis, quia non prohibetur indifferenter cuiuscumque rei mors, vt cædere arborem, animalia occidere, hæc enim ad vsum nostrum & seruitium sunt, in eaque potestatem habemus; sed dicitur hominis, in cuius vitam nullum ius habemus. Solus Deus est, cuius potestati immediatè subiacet, vtpote qui ad imaginem eius, ac similitudinem creatus est. Et fortè adhuc hæc est ratio præcipua, cur non licet occidere, aut etiam lædere, & calumniari priuata authoritate hominem, quia Dei imago est, & similitudo.

Verùm, si grande est hoc peccatum, quia tunc destruitur Dei opus, & manuum eius, separando animam à corpore, quid erit cùm per peccatum mortale separamus, vel in altero, vel in nobis, gratiam ab anima, & simus animicidæ, animas nostras, & aliorum iugulamus, in easque violentas manus iniicimus? Certè si hoc præcepto prohibetur homini occidere, maximè animam; Non occides animam, Dei imaginem.

Atque hinc de secundo homicidio loqui poterimus; duplex enim posuimus. Vnum reale, manus, & operis; & de illo iam suprà. Alterum cordis, animi, ac voluntatis, quod & odium dicimus; de illo nunc dicendum. Etenim hoc præcepto non minus, iuxta explicationem Christi, prohibetur odium, nempe ad mortem, quàm ipsa inflictio mortis. Dictum est antiquis, ex lege, Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui dixerit racha, reus erit concilio. Qui fatue, reus erit gehennæ ignis. Quæso considerate ordinem. D. August. contra Faustum, tractans hunc locum dicit. Quia non intelligebant Iudæi, homicidium esse nisi interemptionem corporis humani, aperuit Christus, etiam iniquum motum animi ad nocendum fratri, in genere homicidij deputari.

D. Aug.

Sed gradus attendite. Ecce primus, ira tantùm in animo concepta, qui irascitur. Ira animi est motus, in vindictam pronus. Et ecce reus iudicio. Secundus, vox tantùm indignationis, & confusa, racha. Et ecce reus concilio, nihil adhuc læditur. Tertius est tantùm contumelia prolata, & manifesta, fatue. Ecce reus gehennæ ignis. Vbi ostendit Christus, non minus iram, quàm actum iræ, sub hoc contineri præcepto, cùm hanc legem explicans; Non occides, subsequi facit: Ego autem dico, &c.

Gradus homicidij. 1. *Quid sit ira.* 2. 3.

In vniuersum voluit nos docere Christus benignitatem, & patientiam in omnibus: concordiam & pacem fraternam, ex eodem capite 5. Matth. Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, &c. vade priùs reconciliari, &c. Denique inter nos charitatem Christianam: Diligite inimicos vestros, &c. 1. Corinth. 13. *Charitas patiens est, benigna est,* &c. *omnia suffert, omnia sustinet*, &c. Sic facientes, pacem cum Deo habebitis.

1. Cor. 13.

Non mœchaberis.

Catechesis LXXXIII.

Divinorum præceptorum pondus satis ex eo innotescere potest, quod Christus dixerit in illo cap. 5. Matth. postquam de octo beatitudinibus loquutus est: Nolite putare quoniam veni soluere legem, non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, quia iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, &c. Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum. Dico enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra, &c. non intrabitis in regnum cœlorum. Audistis quia dictum est antiquis, Non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit, &c. Audistis quia dictum est, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Vnde quæso tam exacta obseruatio honestatis? quia post vitam nihil charius est homini honore, & fama. Vnde post præceptum non occidendi, sequitur quod adulterium vetat, quo amittitur omnis honos. Et quia nonum, quo etiam vxoris alienę concupiscentia prohibetur, conuenit cum isto sexto, quo prohibetur factum, ne sæpius repetatur idem in tali materia, vtrumque sub vna Catechesi comprehendemus, vtrumque enim sub eandem iniustitiam cadit. Nolumus autem animo pudoris ac modestiæ, multa de vitio tam detestabili dicere, nisi ea quæ ad detestandum, & fugiendum conducunt.

Matth. 5.

Igitur imprimis sciẽdum est, tria esse quæ Deus hoc mandato à nobis exigit. Primum est, nos abstinere ab omni actu, & specie luxuriæ. Secundum, ab eo quod honestati est contrarium. Tertium, nos cum studio, ac omni tempore, tam in corpore, quàm in animo, vitam agere sanctam, pudicam, honestam, qualem denique Christianum decet.

Tria quæ hoc præcepto à nobis Deus exigit.

Quoad primũ, certissimũ est non tantùm legis esse mandatũ, sed etiã Euangelij: sicut. n. Exod. 20. dicitur, Non mœchaberis; ita Matt. 19. Nõ adulterabis. Et certè inter mortalia tam grande & graue est istud, vt in Scriptura sacra, per appropriationẽ, nomen

Exod. 20. Matth. 19.

Tob.4. nomen criminis simpliciter retinuerit. Tob. 4. iste venerandus pater & senex, ad filium suum loquens, sic illi dicebat. Fili, præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire, id est, adulterium. Quasi dixisset, non leue delictum est, sed crimen & enorme scelus: tam graue, vt plus cæteris hoc malum Infernum repleat: tam graue, vt ex Num. 21. habeamus pro eo vna die cecidisse viginti tria millia hominum: tam graue, vt dixerit Apostolus 1. Corinth. 6. Nolite errare, quia neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, &c. regnum Dei possidebunt. & Eph. 5. Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Christi.

Num. 21.
1. Cor. 6.
Eph. 5.

Verùm sciendum quot sint species huius mali, vt vitemus. Septem enumerari solent. Fornicatio soluti cum soluta. Adulterium inter coniugatos, aut vnum illorum. Stuprum cum virgine. Sacrilegium cum personis Deo dicatis, aut etiam aliis, sed in loco sacro. Incestus cum consanguineis, aut affinibus. Raptus, vbi est violentia. Peccatum contra naturam: & huius nefandissimi tres sunt species præcipuæ, mollities in tactibus & osculis impudicis, sodomia, bestialitas. Non plura dicamus, pudor honestus non permittit: & quod diximus, ad necessitatem eorum qui tenentur confiteri diximus, si in aliquod istorum peccatorum inciderint; tales enim circunstantias dicere oportet, sine quo non est remissio.

Eph. 5. Videant quæso, quale sit hoc peccatum. Tale vt Apostolus cum vehementia dicat Eph. 5. nec etiam nominetur in vobis. Tale vt istos omnes excludat à regno Dei 1. Cor. 6. Tale vt etiam S. Iohannes dicat Apoc. vlt. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes. Foris, foris, neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, regnum Dei possidebunt. & 2. Pet. 2. Hi velut irrationabilia pecora, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ.

1. Cor. 6.
Apoc. vlt.
2. Pet. 2.

Sed quid opus est verbis & his testimoniis? Et nunc potiùs vtendum esset gladiis, & ignibus, aduersus eos qui eiusmodi sunt, quàm nostris argumentis, quia nullum maius extensiuè malum est coram Deo, neque in mundo perniciosius, quàm istud, in quod etiam terra & cœlum irascuntur.

Per illud primò violatur ordo naturæ, primitus à Deo institutæ, quando committitur contra legitimum vsum generationis, contra bonum prolis, & peccatur in proprium corpus, & profanatur quod consecratum erat in templum Spiritussancti. D. Paulus: Fugite fornicationem, omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in propriũ corpus peccat. Et quid plura? Nescitis, ait Apostolus, quoniam corpora vestra, membra sunt Christi, membra vestra, templum Spiritussancti, qui in vobis est? Tollens ergo membra Christi, templum Spiritussancti faciam membra meretricis? impudicitiæ receptaculum? absit. Empti estis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro. Videte quæso quàm multa mala ex simplici fornicatione, & maximè Christianorũ: quãto plura ex adulterio?

1. Cor 6

Per illud secundò violatur, & irritum fit Euangelium Christi, qui reuocans matrimonium ad puritatem sui instituti, dixit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*. Tertiò, per illud fit iniuria Sacramento; tollitur enim & sanctitas, & significatio. Quartò, per illud violatur iusiurandum sacrum inter Missæ solemnia interpositum, quo fidem mu- A tuam iurarunt coniuges. Quintò, fit iniuria æterna proli, quæ successione bonorum non potest gaudere, in vindictã criminis paterni. Sextò denique, fit iniuria toti ciuitati, toti regno, quando, vt plerumque, communis pax conturbatur: adeò vt vix vllum sit crimen, & malum, quod non surgat de adulterio. Hinc odia, & bonorum dilapidatio, homicidia, &c.

B Adulterium in carcerem misit castissimum hominum Ioseph: fortissimum virorum Samsonem in Philisthiim manus tradidit: generosissimũ militum Vriam, cũ multis aliis, manibus hostium obiecit: mansuetissimũ Regũ Dauid huius mortis reum effecit, & multorum aliorum: sapientissimum omnium Salomonem obcæcauit, & idololatram reddidit. Denique maiorem inter natos mulierum Iohannem decollari fecit. O omnium principium, & finis malorum! Malum propter quod dicitur Leuit. 20. *Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, & familia, & domus*, &c. Leuit. 20.

Secundum quod à nobis exigit Deus hoc præcepto, & prohibetur, est, vt non solùm ab opere carnis, sed etiam à concupiscentia abstineamus. Matth. 5. Non concupisces. Item vt abstineamus ab eo omni quod aduersatur honestati, & verecundiæ, vt sunt libidinosæ cogitationes, & affectiones, verba inhonesta, cantilenæ, libri vetiti, picturæ, munera, literæ, impudicus corporis habitus, denique quidquid prouocare potest ad libidinem. Matth. 5.

C Tertium denique quod Deus exigit hic à nobis, est vita sãcta, pudica, honesta, & verè Christiana, vt omnibus bonus odor Christi simus, & bonis & malis, & occasiones vitemus, &c. Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis à fornicatione, & sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione.

Non furtum facies, &c.

CATECHESIS LXXXIV.

D DOCET Christus Dominus quod cor hominis, origo est simul desideriorum atque actionum. *De corde*, inquit, *exeunt cogitationes malæ, desideria, furta, adulteria*, &c. Quare etiam hæc duo simul adhuc iunximus præcepta; Non furtum facies: Non desiderabis domum proximi, bouem, nec omnia quæ illius sunt; quia vbi manus prohibetur, ibi etiam mens, cor, & desiderium.

Verùm quàm bonus erga nos Deus sit, hoc iterum præcepto videri potest, qui non contentus vitam, & famam nostram duobus præcedentibus protexisse, etiam nunc bona nostra externa tuetur, prohibitione furti; Non furtum facies. Non est E opus hic interpretatione multa huius præcepti, satis omnibus hac lege naturali notum est; Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Interim & eo iniustiùs violatur, quo malum, licet per se notum, communius est.

Omnia peccata mortalia, dici possunt ac debent Ingentia, quod hominem priuent vita æterna: sed furtum ex se adhuc istud habet, quod ad plura, & maxima mala hominem reducat. De vno exẽplum sumatur, sed omnium impiissimo fure Iuda; sic. n. in Scriptura sacra notatur, fur erat. Ad quod malũ reduxit eũ consuetudo furãdi? ad istud, vt vili pretio traderet filium Dei. Et certè quis non videt adhuc hodie, nullos esse tam paratos, quã latrones, ad effundẽdũ sanguinẽ? Ps. 13. de eiusmodi sanguinariis Ps. 13.

Grauitas furti.
Exemplum.

conque

conquerens Dauid sic dicebat; *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Omnia verba videntur detestari scelus; scelus quod latronibus commune est, vitæ hominis quadrantem præferentibus.

Ex hoc certè quantum sit malum, colligi potest, quod non solùm iustitiam lædit, sed humanitatem, hominéque ipsum posteriore belluis facit: ideóque etiam tales in Inferno locum belluis posteriorem, & inferiorem habebunt. 1. Cor. 6. Nolite errare, neque fures, neque auari, neque raptores regnum Dei possidebunt. Et Eccl. 5. Super furem erit confusio, & pœnitentia; sed talis qualis Iudæ & damnatorum, æterna, & desperata. Quoniam, ait Apost. 1. Thess. 4. de his omnibus vindex est Dominus, ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum.

1. Cor. 6. Eccl. 5. 1. Thess. 4.

Verùm antequam vlteriùs vltionem hanc diuinam prosequamur, quid sit furtum sciendum, & quot etiam species furti hoc præcepto prohibeantur. Primò igitur ex S. Aug. super Exod. lib. 2. q. 79. Furtum est omnis illicita vsurpatio rei alienæ. Hæc definitio conuenit cum illa, quam communiter dant omnes Iurisconsulti, & Theologi morales, nempe, iniusta ablatio rei alienæ inuito domino. Primò dicitur ablatio, quia non simpliciter est acceptio, sed detentio apud se. Secundò, iniusta, id est, contra iustitiam facta. Qua particula multæ res ablatæ non censentur furtum, vt quæ auferuntur ioco, in pœnam, in bonum finem, necessitate vrgente & maxima, vel denique vt suæ, & propriæ, quas alio modo habere non posset ille qui aufert. Vnde tertiò dicitur, rei alienæ. Rem alienam dicimus, vel quæ alterius est, vel quæ etiam in potestate est alterius, vt depositum. Quartò denique, inuito domino, qui enim à sponte dãte, cùm sit dominus, accipit, non dicitur furari, aliàs, & si vna ex illis conditionibus, & circunstantiis adsit, fur est, & latro. His positis, sciendum etiam furtum duplicem continere malitiam in se, nempe violationem iustitiæ, & dolum seu fraudem.

Furti definitiones. S. Aug. *Explicatur definitio.* *Duplex malitia furti.*

1. Primò violationem iustitiæ, cuius est reddere vnicuique quod suum est. Et sic furtum & peccatum contingere potest in vtramque iustitiam, cõmutatiuam, & distributiuam. Commutatiuam, accipiendo, vel retinendo, quod secundum proprietatem alterius est. Distributiuam, retinendo, & non dando alicui, quod ei ex merito debetur.

2. Secundò dolum, cùm occultè, & ex insidiis inuaduntur alterius bona. Duæ sunt malitiæ, quas sibi annexas furtum habet.

Sed ad species veniamus. Summatim omnes ad duas illas vniuersaliores reduci possunt, furtum, aut rapinam. Furtum est vbi fraus, & dolus. Rapina, vbi interuenit violentia, minæ, & concussiones, seu etiam preces, sed armatæ, id est, nisi des, in promptu est extorsio. Et hoc peccatum altero multo grauius est, vbi persona non solùm in rebus suis, sed etiam in se patitur damnum, & læditur omne ius, siue naturæ, siue gentium, siue ciuile, siue humanum, siue diuinum.

Duæ furti species vniuersaliores.

His autem vniuersalioribus submittuntur aliæ multæ particulares, vt sacrilegium, rei sacræ, vel in loco sacro: nimia venditio, & pretium excedens. Est enim in mercatura pretij latitudo, infimum, iustum seu mediocre, & summum, super quod est iniustitia, & obligatio ad restitutionem. Item domestica & fraudulenta famularum, & ancillarum negotiatio. Item receptio, & occultatio rerum furtiuarum; omnes enim isti custodes infidi, publici fures sunt, & eo detestabiliores. Item participes, &

Species furti particulares.

A qui consentiunt, omnes pro furibus habentur, & ad restitutionem tenentur. Item fraudatores creditorum. Item omnis fallacia, & corruptio mercium, siue in substantia, siue in pondere, numero, mensura. Talia in Scriptura sacra maledictioni subiacent. Deut. 25. *Non habebis in sacculo diuersa pondera.* Deut. 25. Leuit. 19. *Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta, & æqua sint pondera.* Leu. 19. Prou. 20. *Abominatio est apud Deum pondus, & pondus: statera dolosa non est bona.* Prou. 20. Item exactio mercedis in notariis, & scriptoribus publicis supra rationem, & præscriptum legis. Addamus & Iudices omnes nummarios, & qui iudicia sua vænalia habent, & pro pecunia causas pauperum

B euertunt: sed potissimùm qui in Ecclesia vænalia beneficia tenent; hi sacrilegi, fures sunt Simonis magi nepotes.

Sed ne omittamus vsurarios notorios, seu publicos fures, qui non solùm dicuntur furari, sed etiam suis vsuris plebem miseram occidere: furum certè genus, quod omni tempore & Deo, & mundo odiosum fuit.

Vsura quid sit intelligere vultis? Ex Catech. Cõcil. Trid. est quidquid præter sortem & caput illud quod datum est, accipitur, siue pecunia sit, siue quod æstimari possit pecunia. Dominus Luc. 6. Mutuum date, nihil inde sperantes. Et Psa. 14. Do-

Definitio vsuræ. Luc. 6. Ps. 14.

C mine quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui ingreditur sine macula, qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Ecce expressè, qui munera super innocentem, miserum, non accepit.

Duplex est vsura, explicita, & mentalis. Explicita, vbi intercedit pactum aliquod apertum de mercede, & lucro pro mutuo, præter sortem principalem. Mentalis verò, vbi tantùm tale lucrum intenditur. In vtraque est peccatum mortale, & obligatio ad restitutionem: quia non solùm præcipitur; Non furtum facies, sed etiam non concupisces, non desiderabis, &c.

Duplex vsura.

D

Non furtum facies, &c.

Catechesis LXXXV.

QVI furantur omnibus supradictis modis, grauiter peccant contra illud cõsilium Christi dicentis: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus: & grauissimè contra præceptum; Non furtum facies. Item auari; sic enim definitur auaritia à Theologis, diuitiarum appetitus voluntarius, & inordinatus: vbi videtur lædi & iustitia, & charitas. Olim Plato dialog. 5. de Repub. illas censebat fore beatas, vbi illud obseruaretur; Omnia amicorum communia. Et opinionem eius Seneca sequutus, iudicabat etiam quietissimè Senec.

E victuros homines in terra, si hæc duo verba tollerentur, Meum, & Tuum. Ego quoque crederem, sed magis ex illa requie cœlesti, in qua, vt ait quidam Doctor sanctus, non auditur istud frigidũ verbum Meum, & Tuũ, quia ibi omnia communia. Et fortè sic per similitudinem perfectionis, in Actis legimus Apostolorum; omnia tunc communia fuisse.

Verùm sicut natura nihil de communitate rerum præcepit, sic etiam nihil prohibuit de proprietate earum: vnde iam illa iure gentium & permissa, & cõfirmata, iniustitia est, vi aut absque consensu, omnia reddere cõmunia, & velle sibi quod alienum est vsurpare. Vnde lex; Non furtum facies,

non concupisces, &c. Quare ad restitutionem tenetur, qui modis suprà enumeratis aliquid furatus est. Neque, ex Diuo Augustino epist. 54. ad Macedonium, remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Abac. 2. *Væ ei qui multiplicat non sua, vsquequò & aggrauat contra se densum lutum?* Lutum densum appellat diuitias, sed maximè alienas, quibus difficillimè expedire se homines possunt, vnde coguntur postea perire, & submergi. Quàm enim pauci sunt, heu! qui licet malè parta, ac iniustè adepta, reddant, aut deserant, vnde postea puniri oportet in æternum, nec inde exire, donec reddant nouissimum quadrantem! Valet enim sententia D. August. Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Facite quæ volueritis opera, & quàm pia volueritis, ante omnia restituendum.

D. Aug.
Abac. 2.

Quare quid sit restitutio, & quid comprehendat, sciendum. Definitur à Theologis, & maximè qui casus conscientiæ tractant, actus iustitiæ commutatiuæ, quo cuique redditur, quod ab eo ablatum, vel acceptum est. Ita & D. Thom. 2. 2. quæstione 61. & 62. Ideò, inquit, actus iustitiæ commutatiuæ est, quia restituere, nihil aliud videtur esse, quàm aliquem statuere in possessionem rei suæ. Partes igitur explicemus, quatuor sunt.

Quid sit restitutio.
D. Thom.

Prima est, actus iustitiæ, & commutatiuæ. Iustitia enim virtus est, quæ hominem dirigit, ne rapiat, quod alterius est, & si rapuerit, vt reddat; & hæc secundum æqualitatem. Vnde iustitia commutatiua. Secunda, quo redditur vnicuique, nempe vel ipsi, vel alteri pertinenti ad ipsum. Tertia, quod ab eo ablatum est. Per hoc intelligitur iniusta acceptio, quæ fit, vel furando, vel rapiendo, aut damnificando, in persona, fama, & rebus aliis. Quarta, vel acceptum est. Per hoc intelligitur iusta acceptio, siue per mutuum, accommodationem, vel contractus.

Explicatio definitionis.

His omnibus modis dicitur restitutio, reddere vnicuique, quod ab eo abstulimus, vel accepimus, siue iniustè, siue iustè. Sub hac autem definitione ea comprehenduntur, quæ ad restitutionem pertinent, quæ his duobus versibus continentur.

Quis, quid restituet, cui, quantum, quomodo, quando,
Ordine, quoue loco, qua causa excusat iniquum.

Ecce nouem. Primò, quis restituere teneatur. Audite iam. Qui rem alienam habet, restituere tenetur, ratione rei, quæ non sua est; & ratione etiam actionis iniuriosæ, si abstulit, licet non amplius teneat illam: vno verbo, qui furatur, & qui est furti particeps, omnis vsurarius, & omnis malæ fidei possessor. Secundò, quid. Rem ipsam, si sit, vel pretium, aut valorem, si alio modo fieri non possit, aut sine manifestatione peccati. Tertiò, cui. Domino, vel hæredibus, vel pauperibus. Per pauperes etiam possunt intelligi omnia pia opera, vt hospitalia, &c. De vno etiam hic moneho, nempe de inuentis taliter esse faciendum. Ex Diuo Augustino Serm. 19. de verb. Apost. Si inuenisti, & non reddidisti, rapuisti. Quartò, quantum: id est, omne, aut omne pretium, ex iudicio prudentis viri. Quintò, quomodo: vel per te, vel per alium, sicut occasio requirit. Sextò, quando: id est, citiùs, promptiùs, & commodiùs, quàm fieri potest; quo enim magis differt, cùm potest, grauiùs peccat, & tenetur ad omnia incommoda. Septimò, quo ordine: nempe cùm non habet,

D. Aug.

A vnde satisfaciat omnibus, ordo est seruandus. Primò, domino est soluendum: secundò, hæredibus: tertiò, pauperibus, &c. Octauò, quo loco: nempe in quo vel expressè, vel tacitè conuenit, vt soluat. Nonò denique nonnullæ sunt causæ, quibus excusatur pro tempore, vt extrema paupertas, cum animo tamen soluendi, vbi commodum erit, præscriptio, possessio bonæ fidei.

Sicut hoc præceptum non solùm spectat iustitiam, sed etiam charitatem: ita etiam non solùm prohibet furtum, & ad restitutionem obligat, sed etiam præcipit liberalitatem, & misericordiam in egentes. His seruatis, gratia Dei,
B & pax cum omnibus erit.

Non loqueris falsum testimonium.

CATECHESIS LXXXVI.

EVANGELIVM Christi, quod lex prohibuit, confirmauit. De hoc præcepto Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18. vbi; Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Nosti ea? Non furtum facies, non falsum testimonium dices, &c. Ex quo
C constat, quàm ad salutem necessaria sit huius obseruatio, ex hoc etiam quod non minus detractio famæ, quàm bonorum, obliget ad restitutionem. Et quidem secundum se, & apud homines, & apud Deum, omnium equidem bonorum humanorum, & externorum, fama tenet principatum. Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum quàm diuitiæ multæ.* Vnde D. Iacob. 3. dicitur: *Si quis in verbo non offenderit, hic perfectus est vir.* O quantum aberramus omnes ab illa via, & regula veritatis!

Matth. 19.
Matth. 10.
Luc. 18.
Prou. 22.
Iacob. 3.

Sciendum verò est, in hoc præcepto, (sicut in præcedentibus) duas esse leges: alteram prohibentem falsum; alteram verò iubentem verum, vbi exigitur. Ephes. 4. sic Apostolus: Deponentes mendacium, loquimini veritatem. Sed quomodo? in charitate, ait, vt crescamus in illo, nempe Christo, per omnia.

Duæ leges in hoc præcepto.
D
Ephes. 4.

Igitur quantum spectat ad prohibitionem falsi, hic prohibetur iniustitia quæ fit verbo contra proximum. Illa autem duplex est, vna extra iudicium, altera in iudicio, & coram Iudice. Et illa multo grauior est altera, ob idque notanter exprimitur in hoc præcepto; Non loqueris falsum testimonium.

De vtraque igitur iniustitia loquuturi, hic quinque genera peccatorum, quæ & lingua, & corde committuntur, & sub falso testimonio continentur, exponemus, nempe, contumeliam, iudicium temerarium, imprecationem, detractionem, & mendacium.

5. Genera peccatorum sub hoc præcepto contenta.
E

De iudicio temerario ante alia loquamur. Qui enim in corde falsò de aliquo iudicat, aut etiam temerariè, sibiipsi falsum testimonium loquitur, & peccat contra istud præceptum. Satis hoc commune est. D. Iacob. cap. 4. Qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. Rom. 14. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis eum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi, &c. Propter quod, Rom. 2. inexcusabilis es, ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas, & peiora. Ecce in iudicio aliorum, nostra

D. Iacob. 4.
Rom. 14.
Rom. 2.

nostra condemnatio. Mirum enim est, si videmus duos simul loqui, & aliud quidquam facere, statim iudicamus de illis, & non videmus in nobis, quæ ingentia mala sunt. Hinc Matth. 7. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Et Iohannis 7. *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Iudicium iustum de nobis primò esse debet, ne in iudicium superbi Pharisæi incidamus, Luc. 18. Mirum certè est, Luc. 7. Venit Iohannes de deserto, aiebat Christus, neque manducans, &c. & dicitis, dæmonium habet: venit filius hominis manducans, &c. & dicitis, homo vorax est, & amicus publicanorum. Nolite secundum faciem iudicare, sed iustum iudiciū iudicate. Ita & D. Paulus 1. Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare, quoad vsq; veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarū, & manifestabit consilia cordium. Quisque sit primus sui iudex.

Matth. 7. Ioh. 7. Luc. 18. & 7. 1. Cor. 4.

Contumelia secunda sequitur, & est omnis sermo iniuriosus, in dedecus proximi, vt ignorans, infamis, fur, & latro, &c. In dedecus, dixi: nam qui aut ioco, aut ad correctionem inferioris diceret, fortè peccatum non esset, nisi veniale; aliàs, & vbi esset scandalum, & infamiæ nota, damnumque in fama notabile, aut in persona, mortale esse potest, & est, vt sæpe. Et vt agnoscant omnes quantum sit hoc peccatum, aduertant quod Matth. 5. dixit Christus: *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis*, &c.

Matth. 5.

Imprecatio item, quæ fit cùm maledicitur proximo, & illi aliquod malum desideratur. Hoc malum commune est parentibus erga filios, quos loco benedictionis, vt plurimum morti, & Inferis deuouent: peccatum certè maximum, si maximè cum odio, & mala voluntate fiat.

Quarta detractio, quæ est auferre famam proximo per verba, cum intentione nocendi. Dixi, per verba, nempe, vel falsò dicendo malum, vel verè, sed occultum. Dixi, cum intentione nocendi; nam cùm quis iuridicè interrogatus veritatem dicit, non censetur detrahere. Ista detractio maximè sub falso testimonio continetur, cùm nempe vel in iudicio, vel extra iudicium, malè, vel falsò de proximis quis loquitur. Est autem proximus, omnis quicunque mecum est eiusdem naturæ, seu, vt verbis Catech. Concil. Trid. vtar, quicunque eget nostra opera, siue propinquus, siue alienus, siue ciuis, siue aduena, siue amicus, siue inimicus.

Quis sit proximus.

Contingit autem multis modis, malè & falsò loqui de proximo, ac detrahere, nempe verbis, & irrisionibus, scriptis, & libellis diffamatoriis, nutibus denique ac signis. Sed & in hoc peccato extensio est delicti, pro diuersitate eorum, quibus detrahitur, maximè si de vita integris, honestis, in dignitate constitutis, & præsertim Ecclesiasticis, & Deo dicatis. Circunstantiæ sunt, quæ peccatum aggrauant, & dicendæ in confessione, & ad restitutionem omnes obligant.

Hoc peccatum adeò est perniciosum, vt ex eo penè infinita oriantur mala in ciuitatibus, dissensiones, inueterata odia, & sæpissime mors, multæque aliæ calamitates. Hoc malum ita horrebat D. August. vt legitur de eo, quod in triclinio suo, seu aula, maioribus litteris, & ante oculos omnium, scribere fecerat hoc distichon.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Hoc malum ita Rex Dauid detestabatur, vt Psal. 100. dicat; Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Vnde & Salomon filius eius, Prouerb. 24. *Cum detractoribus ne commiscearis.* & D. Iacob. c. 4. *Nolite detrahere alterutrum fratres mei, neque detrahentes audire*, &c.

Ps. 100. Prou. 24. Iacob. 4.

Quintò sequitur inde mendacium, quod etiam hoc præcepto prohibetur. Diuus Augustinus osor falsi, sic definiuit: Mendacium est falsæ vocis significatio, cum intentione fallendi. Hoc verò semper malum est, sicut Eccles. dicit capite 7. Noli velle mentiri omne mendacium. Cur dicit omne? Quia triplex est. Iocosum, & hoc absque aliquo peccato esse non potest: si enim reddetur ratio Deo de verbo otioso, multo magis de mendacio, licet iocoso.

Definitio mēdacij. S. Aug. Eccl. 7. *Triplex mēdacium.*

Alterum est officiosum, cùm nempe dicitur falsum, vt prosit alteri, & hoc etiam absque peccato non est. Vanitatem, & verba mendacij longè fac à me Domine, aiebat Sapiens Prou. 30. & Psaltes; Vis videre dies bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua non loquantur dolum.

Prou. 30.

Tertium denique mendacium vocatur perniciosum, seu nociuum, & istud ex suo genere peccatum est damnabile, vtpote prorsus charitati contrarium. Vnde de illo dicitur Sapientiæ 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* & Psal. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium, Domine*; nempe in perniciem, & iacturam aliorum. Sed eos adhuc maximè perdet Dominus, qui mendaciis suis etiam iuramentum adhibent, & testem Deum. Sicut è contrà saluabit omnes timentes se, & qui habent in ore suo veritatem, & in lingua sua non mentiti sunt ei, sicut ait Psalmista: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum. Hic accipiet benedictionem à Domino.

Sap. 1. Ps. 5.

De Præceptis Ecclesiæ.

CATECHESIS LXXXVII.

Ne dimittas legem matris tuæ. Prou. 1.

POST Decalogum, seu præcepta Dei, sequuntur Ecclesiæ matris nostræ, & sponsæ Christi. Audi fili mi disciplinam patris tui; dixit Sapiens. Audiuimus illam in explicatione mãdatorum eius, & vtinam obseruemus, & obliuiscamur nunquam. Et nunc ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.

Hac nostra vltima Catechesi tria sunt notanda. Primum est, præter Decalogi præcepta, alia esse, & seruanda, nempe Ecclesiæ, quæ tale ius habet à Christo Domino, eius sponso, qui hanc ei authoritatem reliquit, (quia vt sponsa, particeps bonorum eius effecta est,) & præterea Spiritum sanctū dedit affuturum in æternum. Cùm venerit, ait, suggeret vobis omnia, &c. 1.

Tria notanda.

Vnde secūdum, nempe nos teneri ea obseruare, non solū vtiliter, sed etiā necessariò, in cōscientia, & sub pœna peccati mortalis, vbi negligētia interueniret, & contēptus. Et hoc duplici ratione. Prima, quia spōsa Christi est, Spiritu sãcto gubernata, & veritatis columna, cuius est dirigere. Secunda, quia mater nostra est, & consequenter ei debemus obedientiã. Sicut enim Deo obedimus, quia ab eo 2.

omne esse accepimus, & Pater noster est: ita Ecclesiæ, à qua nouum esse spirituale accepimus, vt à matre, est obediendum. Dic Ecclesiæ, ait Christus. Et ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo. Qui non obedierit, sit tibi tanquam Ethnicus,&c. D. Aug. Qui non habet Ecclesiam matrem, Deum non habet patrem. Et qui vos spernit, me spernit, qui vos audit, me audit. Hebr. 13. Obedite præpositis vestris, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Ecclesia claues cœli habet, vt præscribat, liget, & soluat. Igitur vt matri debemus ei amorem, & obedientiam. Quis enim non diligat matrem suam, & talem, tam piam, tam sanctam, tamque solicitam pro nobis? Et quis ad obediendum eius monitis, tam sanctis, non se teneri videat? Etiam secundò vt sponsæ Christi, hanc ei reuerentiam debemus. Quis enim non reuereatur Reginam, tam dignam honore? Si modò Christum agnoscat, & amet: honor, sicut contemptus, redit ad Christum.

Aug. Heb. 13.

Tertium est, scire quot sint eius præcepta Multa sunt. Sed hic præcipuè quinque annotabimus, ad quæ cætera reducuntur. Primum est, dies festos celebrare, (sub quo continentur omnes benedictiones sacræ, quæ fiunt, olei, aquæ, cerei, & aliarum rerum. Secundum, audire his diebus sacrum Missæ officium, & consequenter interesse aliis functionibus sacris, & vacare ab omni opere illicito. Tertium, certis diebus ieiunare. Quartum, peccata Sacerdoti confiteri, saltem semel in anno. Quintum recipere similiter sacrosanctam Eucharistiam. De singulis pauca.

Quinque Ecclesiæ præcepta.

Ac de primo. Sensus primi præcepti est, vt eo modo, quo suprà explicatum in tertio præcepto Decalogi, festa ab Ecclesia instituta sanctificemus, nempe vacando ab omni opere, orationi, precibus, cæterisque aliis operibus, denique diuino cultui. Multis autem rationibus sunt instituta. Primò, in memoriam beneficiorum Dei, qualia sunt maximè festa mysteriorum, vnde in singulis festis tunc studiosè est obseruandum, qualia sunt, & quæ tunc beneficia nobis proponuntur, vt in eis meditemur. Secundò, vt excitemur eorum memoria ad laudes & gratiarum actiones. Tertiò etiam, vt imitatione sancta, vitam nostram renouare, ac etiam quantum poterimus, Christo, & Sanctis eius conformare studeamus: propterea enim nobis proponuntur his diebus & dogmata fidei, & morum, lectionesque Euangeliorum, &c. S. Aug. iuxta id lib. 2. contra Faustum cap. 21. etiam ex festis Sanctorum triplicem fructum colligit, seu tres causas reddit. Populus Christianus, inquit, memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, ad incitandam imitationem, (hæc prima:) vt eorum meritis consocietur, (hæc secunda:) atque orationibus adiuuetur, (hæc tertia.) Quis non videat ex his ingens commodum, & rationem maximam festa obseruandi; & quantum vnusquisque teneatur Ecclesiæ gratias agere, quæ illa instituit ad tantam vtilitatem?

Explicatio 1. præcepti. S. Aug.

De secundo, nempe præcepto audiendi sacrum, his diebus festis solùm obligatio est. Vt autem deuotiùs vnusquisque intersit huic tanto sacrificio, paucis hic dicemus, quid sit Missa, & quid repræsentet, quia fusiùs, vbi de Sacramentis, & de Eucharistia tractabimus. Missa igitur, seu sacrificium Altaris, nihil aliud est quàm oblatio corporis, & A sanguinis Christi, pro nobis in Cruce immolati Deo patri. Attendite, quid deuotionis, reuerentiæ, & attentionis requirat.

Explicatio 2. præcepti.

Sed quid adhuc repræsentat, expressiùs scire vultis? Omnem vitam Christi. Breuiter singula deducam. Introitus significat desiderium patrum de aduentu Messiæ. Kyrie, voces eorumdem. Gloria in excelsis, aduentum & natiuitatem Christi. Epistola, prædicationem Iohannis Baptistæ. Euangelium, prædicationem Christi. Credo, cõuersionem Apostolorum. Secretæ, consilia Iudæorum aduersus IESVM. Præfatio cum benedictus Osanna, ingressum solemnem in Hierusalem. Consecratio, B institutionem. Eleuatio hostiæ, exaltationem in Cruce. Fractio, vulnus in latere. Agnus Dei ter, fletum trium Mariarum. Communio, sepulturam. Ite, Missa est, Resurrectionem. Benedictio, Ascensionem, & aduentum Spiritussancti. Ecce quæ mysteria aguntur in Missa, & vnde in ea deuotos nos esse oportet.

De tertio, nempe præcepto ieiunandi, obseruatio abstinentiæ est à carnibus, cum vnica refectione in die, saltem completa, eaque certis temporibus anni ex præscriptione Ecclesiæ, vt Quadragesimæ, quatuor temporum, & vigiliarum festorum solemnium.

Explicatio 3. præcepti.

C Traditio hæc Apostolica est, vt D. Hieron. de Quadragesima docet epist. ad Marcellam. Nos vnam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus, (contra hæreticos hoc notetur.) Item D. Chrysost. hom. 2. in Genes. Ieiunamus à vino, & carnibus abstinentes, non quod hæc tanquam abominationes oderimus, sed quod premium expectamus, vt sensibilia despicientes, spirituali deinceps, ac intellectuali mensa perfruamur, & nunc seminantes in lacrymis, in futuro sæculo in exultatione metamus. hæc ille. Et hæc satis conformia sunt miris fructibus, quos Deus ex ieiunio donat, iuxta præfationem Ecclesiæ in Quadragesima, vbi sic. D Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia. Ecce iugum Ecclesiæ dulce, suaue, & vtile.

S. Hieron. D. Chrys.

De quarto, nempe confessione annua, intentio ista Ecclesiæ est, & præceptum, vt saltem in anno semel, coram proprio Sacerdote, qui est verus noster iudex, & medicus spiritualis, vnusquisque peccata sua humiliter confiteatur. Quis autem est ille proprius Sacerdos? Is est, qui ex proprio officio constitutus est ordinarius minister Sacramenti, vt pastor, Episcopus, vel alius de eius licentia.

Explicatio 4. præcepti.

Hic autem vnum notandum, nempe, licet ex ipso Christo instituta sit sacramentalis confessio, qui dixit: *Quorum remiseritis*, &c. interim ab Eccle- E sia hoc, vel tali tempore fuisse institutam, nempe tempus confitendi ab Ecclesia fuisse præscriptum, sicut & ieiunandi, & communicandi.

Quod quidem est quintum præceptum, nempe, saltem in anno semel, vt in Pascha, sacrosanctum Domini corpus deuotè, & reuerenter sumere Desiderat certè Ecclesia vt pluries, & sæpius ad hanc gratiam accedamus: sed benigna est, & pro prudentia sua conformat se infirmitati nostræ, ac tepiditati; nec vult vti erga nos maiori, & frequentiori coactione, quàm saltem semel in anno. Vt nos admoneat, quia si pluries accedimus, collætabitur, & semper nos amplioribus bonis ditabit.

Finis tertiæ partis.



QVARTA PARS CATECHISMI.

DE SACRAMENTIS.

CATECHESIS LXXXVIII.



OMNIS decor & ornamentum domus Christi, quæ est Ecclesia, sunt Sacramenta, per fontem prophetæ significata, de domo Domini egredientem, & irrigantem torrentem spinarum. Olim omnis decor paradisi fluuius erat diuidens se in flumina sua, & irrigans vniuersam terram. Item Zach. 14. apparet, de illo abundantiæ fonte hunc prophetam loquutum fuisse, cùm dicit: *Fons patens erit domui Dauid, & omnibus habitantibus Hierusalem. Venite ad aquas, & qui non habetis argentum, emite.* In cant. Isa. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Fontes Saluatoris, sunt Sacramenta, diuitiæ Dei, vasa gratiæ, & supellex Ecclesiæ.

Zach. 14.

Isa. 12.

A principio dixeramus ex S. Aug. doctrinam Christianam esse velut ædificium spirituale, quod habebat sua fundamenta, parietes, tectum, & supellectilem. Vnde prima parte egimus de fide, & de articulis eius, quid de Deo, & Ecclesia credendum. Secunda de spe, & his quæ in oratione petenda sunt, & expectanda. Tertia de charitate, & eius præceptis erga Deum, & proximum, quæ est velut ædificij tectum, consummatio, & perfectio. Hac verò parte quarta de supellectili domus agimus, nempe de Sacramentis, quæ media sunt, per quæ Deus nostram salutem operatur, omnesque virtutes nobis infunduntur, quibus coniungimur ipsi: vnde sunt supellex, & ornamentum domus. Primò autem dicemus quid sentiendum in genere de Sacramentis: secundò, quid de singulis in specie.

Triplex acceptio Sacramenti.

Antè sciendum, hoc nomen Sacramenti vniuersaliùs acceptum, significare & dicere omne
1. mysterium, seu omne sanctum, & sacrum occultum, seu secretum. Quomodo ad Ephes. 1. Apostolus vocat Incarnationem Sacramentum
2. voluntatis Dei. Strictiùs pro iuramento accipi,
3. quia & sacrum est. Hic autem Sacramentum accipitur pro signo visibili inuisibilis gratiæ, quæ confertur animæ, quomodo definitur à Theologis, secundum quod & significat, & operatur in nobis.

A Primò igitur in genere suo definitur, visibile signum inuisibilis gratiæ, ad nostram sanctificationem diuinitus institutum: seu secundum Theologos morales, vt Tolet. Cardin. signum sensibile spiritualis animæ sanctificationis, ad cultum veri Dei, à Christo Domino institutum. Hæ definitiones & dignitatem, & necessitatem Sacramentorum nobis exprimunt. Partes singulas explicemus. *Quid sit Sacramentum.*

Primò igitur dicitur signum. Signum vocamus, quod præter sui cognitionem, ducit nos in alterius rei cognitionem. Tale est Sacramentum, quia B præter speciem sui, quam ingerit sensibus, facit etiam aliud in mentem venire, ex S. August. 2. de doct. Christiana: vt in Baptismo, exterior ablutio interiorem animi ablutionem significat, quam & ex Christi instituto efficit, sicut dicit August. tract. 20. in Iohan. Tanta est virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat. *Explicatio definitionis.* S. Aug. S. Aug.

Sanctus Thomas 3. parte quæst. 60. artic. 3. tribus modis diuersis dicit, atque explicat signum esse: rememoratiuum, demonstratiuum, prænunciatiuum. Rememoratiuum Passionis Christi, quæ præcessit: est enim causa, & meritum omnis gra- C tiæ. In Sacramentis autem ipsa operatur Passio, & per illa eius fit nobis applicatio. Demonstratiuum præsentis gratiæ, quæ est forma nostræ iustificationis. Prænunciatiuum futuræ gloriæ: eò enim tendit gratia collata Sacramentis. Ecce quot modis signum. S. Thom.

Secundò dicitur sensibile, id est, externum, corporale, seu quod sensu potest percipi, vt inde ad occultum perueniatur. Connaturale enim homini est, vt per sensibilia veniat ad cognitionem intelligibilium, sicut dicit Apost. *Inuisibilia* D *Dei per ea quæ facta sunt*, &c. Quare cùm res sacræ quæ per Sacramenta significantur, & dantur, sint quædam spiritualia bona, quibus homo sanctificatur, vt gratia, consequens est etiam, vt per res sensibiles significatio Sacramenti impleatur. Per sensibile autem intelligere debemus, vel materiam expositam, vt agnum olim, vel etiam verba, quæ tenent locum formæ.

Tertiò dicitur propterea inuisibilis gratiæ, seu spiritualis animæ sanctificationis. Ecce cuius rei

est signum Sacramentum, & quis illius effectus, gratia, animæque sanctificatio. Anima sanctificatur per gratiam, quam cætera dona comitantur: & hæc omnia operatur Sacramentum, & significat esse in anima. Vnde si quæratis à me eius dignitatem, vim, ac vsus: dicam, vt mundet, sanctificet, ac saluet hominem. Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Atque in hoc est differentia Sacramentorum nouæ legis, à Sacramentis veteris; quod veteris signa quidem tantùm erant gratiæ, sed dandæ per Christum: nouæ verò Sacramenta dant ipsam gratiam. De qua differentia loquens D. August. dicit in Psalm. 73. quod veteris legis Sacramenta promittebant Saluatorem; nouæ autem legis dant salutem. O differentia! ô dignitas!

Ephes. 5.
D. Aug.

De gratia & charactere effectibus Sacramenti.

CATECHESIS LXXXIX.

In duobus consistit ratio Sacramenti.

PROSEQVIMVR explicationem Sacramenti, & dignitatem eius agnoscimus ex effectu, qui est gratia Christi, &c. Maximè autem illa duo sunt, quæ constituunt Sacramentum, significatio & vis actiua: seu in duobus consistit tota & vera Sacramentorum ratio, in significando & vi operandi, seu efficiendi. Sacramentum enim significat gratiam, & eandem virtute Passionis Christi operatur.

Duplex ratio institutionis Sacramenti. D. Ambr. 1.

Secundum hoc apud Patres nonnullas institutionis causas inuenimus. Apud D. Ambros. lib. 5. de Sacramentis cap. 4. ista vna est, nempe, vt nobis præstò esset remedium, & tanquam Euangelici Samaritani medicamentum, ad animarum sanitatem vel recuperandam, vel tuendam: virtute enim gratiæ, quæ ex Passione Christi manat, & quam ille nobis in ara Crucis meruit, per Sacramenta, quasi per alueum quendam, in nos sanitatem deriuari oportet; aliter nemini vlla spes salutis esse poterit.

2. S. Aug.

Apud D. August. lib. 19. contra Faustum cap. 11. vt notæ quædam essent & symbola, quibus fideles ab infidelibus dignoscerentur, & inter sese quodam amicitiæ, & charitatis vinculo connecterentur, siquidem & Sacramentis fidem nostram profitemur, & eorundem etiam communi & mutua professione, quasi nexu inter nos coniuncti, habemus vnde inuicem mutua charitatis, & beneuolentiæ officia exerceamus, omnesque simul ad communem beatitudinem tendamus. Vnus Deus, vna fides, vna lex, vnus etiam, atque idem Sacramentorum vsus.

Duplex effectus Sacramenti.

Hinc accidit quod inter plures effectus qui de Sacramento procedunt, duo sunt præcipui, & quasi vniuersales: vnus communis omnibus, & gratia est: alter tantùm quibusdam specialis, nempe character, qui est potentia spiritualis in anima, & indelebilis, ad ea quæ sunt diuini cultus. Et illa quidem triplex est, secundum quod etiam reperitur tantùm in tribus Sacramentis characterem imprimentibus, vt sunt Ordo, Baptismus, Confirmatio.

Triplex character Sacramenti.

1. Primus character, seu prima potentia est ad conferenda spiritualia, & ministranda. Et hæc
2. reperitur in Sacramento Ordinis. Secunda est ad recipienda spiritualia, & alia Sacramenta. Et hæc reperitur in Sacramento Baptismi, qui est ianua cæterorum. Tertia est ad fortiter agendum 3.
contra hostes fidei, generis humani, tentationes vincendas. Et hæc datur in Confirmatione, per quam homo recipit signum militiæ Christi, & se obligat ad fortiter pugnandum. Et ecce vnde Sacramenta notæ sunt fidelium.

Alter effectus Sacramentorum, & communis omnibus, gratia est; ideoque hunc duplicem effectum generalem habent, iuxta quod ad duo ordinantur, ex D. Thom. 3. part. quæst. 63. art. 1. nempe, & ad remedium contra peccata, & ad perficiendam animam in his quæ pertinent ad cultum Dei.

D. Thom.

Verùm de isto communiori, sed omnium maximo iam loquamur, gratia, dico, omnium Sacramentorum communi effectu. Ab hoc certè effectu summam omnium dignitatem agnoscimus. Gratia, quæ excedit conditionem omnis naturæ creatæ, etiam Angelorum. Gratia, quæ ex D. Thom. est quædam inchoatio gloriæ in nobis. Gratia, quæ ex eodem 1. 2. quæst. 110. art. 3. est participatio diuinæ naturæ. Gratia, quæ etiam dicitur dupliciter, & Dei donum, & Deus donans, quæ vt Deus, est essentia; vt donum, est qualitas, sed qualitas conuertens animas. Gratia est huius naturæ & conditionis, vt hominem deificet, & naturam eius mutet, peccatum omne excludendo, & originale, & actuale; & diuinas in eo qualitates imprimendo, adeò vt nihil nisi bonum desideret, & quærat, nihil nisi quod æternum est, & Deum ipsum. Sed quid dicam, quando & secum Deum ipsum adducit? Hoc enim adhuc ei peculiare est, ratione summæ amicitiæ, quæ tunc inter ipsum Deum, & animam interuenit. Ita Apost. *Diffusa est gratia in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ecce donum gratiæ simul, & Spiritus. Sic de virgine dicitur, quia gratia plena, & Dominus cum ea. Sic Ioh. 14. dicitur; *Si quis diligit me*, (quod per gratiam accidit) *& pater meus diliget eum, & ad eum veniemus*, (in plurali)

D. Thom.
Operationes gratiæ in anima.
Ioh. 14.
S. Aug.

Sanctus Augustinus dicit hoc accidere ratione trium potentiarum animæ, ad cuius sanctificationem S. Trinitas venit. Pater, vt memoriam confirmet: filius, vt intellectum illuminet: Spiritus sanctus, vt voluntatem accendat. Ecce operationes gratiæ, Sacramenti effectus. O dignitas!

Ecce qua ratione definitur Sacramentum, signum visibile inuisibilis gratiæ, ad nostram sanctificationem diuinitus institutum. Hæc vltima pars restat explicanda, nempe, quod sit diuinitus institutum. Et quidem hæc pars maximam adhuc Sacramenti demonstrat dignitatem, quod nempe Deus ipse, Christus Dominus, sit Sacramentorum author. Hæc autem ex eo agnoscimus, quod Sacramenta vasa sint gratiæ; nemo autem est author & donator gratiæ, nisi Christus Dominus, ex Ioh. 1. *Gratia, & veritas per IESVM Christum.*

Quæretis forsitan, quomodo author fuit, & ex eo emanarunt? Respondemus, in Cruce, ex latere eius, & omnibus aliis vulneribus, quando nempe semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundans conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti

De

De Sacramentis in specie. Ac primò de Baptismo.

CATECHESIS XC.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. Iohan. 3.

CHRISTVS IESVS Nicodemo loquens Iohan. 3. satis declarauit necessitatem Baptismi sui, his verbis; *Nisi quis renatus fuerit,* &c. Hic autem præsens tractatus duo membra, seu capita continebat. Istud est secundum, vbi de Sacramentis in specie. Hæc autem sunt numero septem, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, &c. omnia à Christo instituta, & vsque ad nos, Ecclesiæ, & fidelibus ab Apostolis tradita. *Institutio Sacramentorū.* Baptismus Matth. 28. Pœnitentia Iohan. 20. Extrema vnctio Iacobi 5. Ordo 1. Timoth. 4. Matrimonium Ephes. 5. Confirmatio Actor. 8. Eucharistia Matth. 26. Ecce omnia, & numero septem, non tantùm duo, vt blasphemant hæretici. Hoc autem numero septenario omnia definita sunt, neque plura, neque pauciora sunt, secundum Catech. Concil. Trid. ex ratione, similitudine, & translatione naturalis vitæ ad spiritualem.

Homo in vita naturali, & corporis, consideratur, atque perficitur dupliciter. Primò, vt in se est, & quædam particularis persona. Secundò, vt est in ordine ad alios, & pars Communitatis, seu Reipublicæ. His autem modis consideratus, ad viuendum, & vitam conseruandam, etiam cum vtilitate perficitur septem necessariis. Primò, vt in se, & particularis persona, necesse est vt nascatur, crescat & augeatur, alatur, & si in morbum incidat, sanetur: denique post sanitatem, etiam per aliquod regimen, & diætam, infirmitatis reliquiæ reficiantur. Ecce quinque. Secundum est, vt est pars Reipublicæ, necesse est vt sit aliqua præfectura, & dignitas, qua alij præsint & gubernent, alij subsint & gubernentur. Item sit matrimonium, & coniunctio sancta, qua Respublica in sua multitudine conseruetur. Septem sunt quibus perficitur vita corporalis.

Ad hanc similitudinem procedit vita spiritualis. Primò enim renascimur per Baptismum, qui est ianua & initium vitæ qua viuimus in Deo, iuxta illud; *Nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto,* &c. Siquidem & per Christum facti sumus noua creatura in Deo: sumus autem per Baptismum istud initium creaturæ eius. Secundò, indigemus robore gratiæ, vt crescamus. Et hoc fit per Confirmationem, iuxta quod Luc. 14. dicebat Christus; Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. *Luc. 14.* Tertiò, indigemus cibo spirituali quo nutriamur. Et hoc fit per Eucharistiam. Iohannis 6. Caro mea verè est cibus. Quartò, indigemus medicina sanante, si in lethalem morbum peccati incidimus. Et hoc fit per Pœnitentiam; Nisi pœnitentiam habueritis, &c. Quintò, indigemus remedio contra reliquias morbi & peccati, vt tollatur infirmitas & resumantur vires. Et hoc fit per Extremam vnctionem tempore mortis, vt tunc athleta tempore conflictus vngatur fortitudine. Iacobi 5. *Iacob. 5.* Sextò, vt membrum Ecclesiæ, & pars Reipublicæ Christianæ, indigemus superioribus qui regant. Et hoc fit per Ordinem. Septimò denique additur matrimonium, vt ex illa sancta coniunctione, ac legitima, filij qui nascuntur, religiosè, & ad Dei cultum instruantur: & sic regnum Ecclesiæ vsque ad finem mundi perseueret. Ecce quàm sanctè, & ad quid Sacramenta diuinitus instituta sint.

Horum autem primum ordine est Baptismus. *Baptismi definitio.* Sicque communiter definitur: Primum & maximè necessarium nouæ legis Sacramentum, quo quis aqua tingitur in nomine patris, & filij, & Spiritussancti, in remissionem peccatorum. His verbis dignitas exprimitur, simul & necessitas. Dignitas, non quod sit primum ratione dignitatis (Eucharistia enim est,) sed, vt diximus iam, ratione ordinis, quia aliorum est ianua. *Dignitas Baptismi.* Sicut enim per ianuam ingredimur in domum: ita per Baptismum in Ecclesiam, & participationem aliorum. Hoc modo à Patribus vocatur Sacramentum fidei, quia tunc illam profitemur: hoc modo, ex D. Dionys. illuminatio; ab eodem hierar. cœlest. c. 2. p. 1. principium sanctissimorum mandatorum Dei. *D. Dionys.* Necessitas, quia ante omnia alia necessariò suscipi debet, & sine quo nemo saluari potest, ex illo Ioh. 3. *Necessitas. Ioh. 3.* *Nisi quis renatus fuerit, &c. nō potest videre regnū Dei.*

Inter septem Ecclesiæ Sacramenta, tria sunt tantùm absolutè necessaria ad salutem, Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia; sed diuersimodè. Pœnitentia solis relapsis; *Nisi pœnitentiam habueritis, peribitis.* Eucharistia ratione vtentibus. Sed Baptismus omnibus, etiam pueris; vnde plusquàm cætera, Sacramentum est maximè ad salutem necessarium.

Definitiones Baptismi.

CATECHESIS XCI.

IAM incepimus data definitione Baptismi Christi, dignitatem, atque necessitatem declarare: nunc ex iis quæ sequuntur, quanta sit vtilitas innotescet, & maximè ex duobus. *Vtilitas Baptismi.* Primò, quod originale peccatum tollat, maximum omnium: itemque omne aliud actuale in adultis. Secundò, quod regenerationis gratiam animis infundat. Ex hoc certè perspicuum est, quantum excedat veterem lex noua. Sacramenta veteris legis tantùm præfigurabant, & gratiam promittebant: nostra verò dant. Ex hoc apparet, quàm admirabilis sit Deus, qui in sua diuina sapientia modum talem inuenit nobis suam conferendi gratiam, Sacramentáque instituit, vt canales, & aquæductus, quibus in nos virtus, & efficacia passionis eius descendit. Etenim constat solum esse modum, & non esse alium, quo nobis hic thesaurus possit dispensari.

Baptismus itaque primus est, quo Deus mundans nos ab omni macula, statim etiam infundit super nos gratiam, per quam renascimur Deo. *Definitio Baptismi ex Catech. Concil. Trid.* Iuxta id Catech. Concil. Trid. sic definit. Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquā, in verbo. Natura enim nascimur ex Adam filij iræ: per Baptismum autem in Christo renascimur filij misericordiæ. Et certè hæc est potestas, quam dedit hominibus. Iohan. 1. *Ioh. 1. Ephes. 5.* Ista autem definitio trahitur ex Ephes. 5. vbi loquens de Ecclesia dicit Paulus, quod Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret,

ctificaret, mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ, vt exhiberet ipsam sibi gloriosam, & non habentem maculam. Vnde hoc Sacramentum propterea dicitur Baptismus, id est, ablutio, seu lauacrum aquæ, quia lauat.

Altera Baptismi definitio. Mag. Sent.

Atque hinc communis Theologorum definitio, & maximè Magist. Sentent. lib. 3. dist. 3. Baptismus est ablutio corporis exterius facta sub præscripta forma verborum, nempe, In nomine patris, &c. Addemus, quod subintelligitur, nempe, ad ablutionem cordis. Iuxta quod S. Aug. dicit. Tanta est virtus aquæ, vt corpus tagat, & cor abluat, infusione scilicet Spiritussancti, iuxta quod Act. 1. dicebat Christus; Iohannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizamini Spiritu sancto. Et ipse Baptista Iohannes: Ego baptizo in aqua, medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.

S. Aug. Act. 1. Ioh. 1.

Quinque in Sacramento consideranda.

His positis, sciendum est, in Baptismo, sicut in quouis alio Sacramento, quinque esse consideranda, materiam, formam, ministrum, suscipientem, effectum. De duobus primis modò, de cæteris Catechesi sequenti agemus. Primò igitur quantum ad materiam, sciendum est esse duplicem, vnam remotam, alteram proximam. Remota est aqua elementaris. Proxima est ablutio, quæ fit mediante aqua in aliqua parte corporis, conuenientiùs tamen, & meliùs in capite, vbi fieri potest, nec aliud vrget necessitas. Veram igitur materiam, aquam elementarem diximus, siue sit maris, fluuij, fontis, putei, aut pluuialis. Nam qui in vino, lacte, vel aliquo tali liquore, vel etiam in liquoribus herbarum, & florum, vt est aqua rosacea, & similis fictitia, baptizaret, (vt plerumque mos est apud hæreticos) non est Baptismus. Oportet vt sit elementaris aqua.

Duplex materia Baptismi.

Aqua est materia Baptismi, duplicem ob causam.

Cur autem Deus talem materiam instituit huius Sacramenti, duæ sunt rationes, vsus, & significatio. Vsus, quia cùm hoc Sacramentum sit absolutè
1. necessarium, debet habere materiam com-
2. munissimam, vt est aqua. Significatio, quia optimè exprimit Baptismi effectus. Primò lauat ratione suæ humiditatis, ita vt nihil immunditiæ relinquat. Ita Baptismus. Secundò, ratione suæ frigiditatis temperat calores. Ita Baptismus concupiscentiam [illegible] eorum qui ipsum receperunt. Tertiò, ratione suæ raritatis recipit radios Solis. Ita per Baptismum fit aptus homo ad recipienda alia Sacramenta, & gratiam Dei.

Forma Baptismi.

Secundò, quantum ad formam hæc sunt necessaria. Primò, vt verba hæc proferantur; Ego te baptizo in nomine patris, & filij, & Spiritussancti. Secundò, cum intentione faciendi, quod Ecclesia facere intendit. Hanc formam Christus præscripsit Matth. vlt. vbi: *Euntes docete, &c. baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritussancti.*

Matth. vlt.

De suscipiente, ministro, effectu, & diuersitate Baptismi.

CATECHESIS XCII.

OMNIBVS dignitatem confert Christus, quæ ipsius sunt. Quare hic multa sunt, & requisita, & obseruanda pro dignitate, & necessitate Baptismi. Sed hæc tria maximè, optimè scire expedit, (iuxta quod licet in casu necessitatis, vnicuique baptizare.) Primum est, necessariam esse elementarem aquam, & non aliam, qua tangi debeat baptizandus. Secundum est, eo instanti, quo fit infusio, dicendum esse; Ego te baptizo in nomine patris, & filij, & Spiritussancti. Tertium est, necessarium esse ei qui baptizat, vt tunc intentionem habeat baptizandi, id est, conferendi Sacramentum, quod Christus instituit, & consueuit Ecclesia dare quando baptizat. Ante omnia pro necessitate huius Sacramenti, bonum est vt omnes id sciant.

Tria ad Baptismum necessaria.

Duplex minister Baptismi.

Nunc ad cætera veniamus, & dicamus, præter materiam & formam, tertiò ministrum requiri qui conferat. Est autem sciendum duplicem esse. Vnus est officij, & is est Sacerdos, qui & parrochus est, &c. Alter est necessitatis, & is est omnis homo cuiuscunque conditionis sit, sexus, & ætatis, modò sit capax rationis. Et hæc necessitas est maximè obseruanda, vt nihil temerè fiat. Quod si adsit, tunc tria quæ suprà diximus, sunt obseruanda.

Quartò, quantum ad suscipientem, sciendum omnes teneri, iuxta hanc legem Domini Iohan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. Et pueros, & adultos, hæc lex comprehendit. In adultis hæc tria requiruntur vt dispositiones, intentio suscipiendi, fides, dolor de peccatis commissis. In pueris, vt fides parentum, & pia voluntas eos exhibeat Ecclesiæ; nec deberent diu differre, (vt pro leui, & nescio qua causa sæpius accidit) ob longam gratiæ absentiam, qua pueruli animam priuant, & periculum sæpius in æternum amittendæ, cui infantem exponunt. Ecce, in veteri lege non plures quàm dies octo expectabantur, vt circunciderctur puer. Et quid erat circuncisio? tantùm vmbra & figura nostri Sacramenti. Quare à parentibus rationem Deus petet animarum istarum, quæ incuria eorum, & negligentia, vel etiam nimia in tali casu dilatione peribunt, & in æternum Dei gloria manent priuatæ.

Tria in suscipiente adulto necessaria.

Quinque effectus Baptismi.

Verùm ad effectus, qui ordine quinto ponuntur, veniamus. Quinque sunt. Primus est plena peccatorum remissio, originalis in pueris, ac etiam actualis in adultis; vno verbo dicam, omnis culpæ & maculæ purgatio. Sub hac ratione Genesis 6. diluuium erat figura, quo mundus purgatus fuit ab omnibus delictis populi. Item 4. Reg. 5. ablutio Naaman Syri. Item Ioh. 5. vis admirabilis piscinæ probaticæ. 1.

Gen. 6. 4. Reg. 5. Ioh. 5.

Secundus est, etiam totius pœnæ pro peccatis remissio. Si enim quis statim moreretur, euolaret ad cœlum. 2.

Tertius est gratia qua renascimur filij Dei, ac hæredes regni cœlestis. O qualem, & quantam gratiam! Nisi quis renatus fuerit, &c. non potest introire in regnum Dei. O gratiam, qua de filiis iræ, diaboli & peccati, euadimus filij misericordiæ Dei, (vnde in fonte Baptismi pro puero abrenunciatur, vt mos est, Sathanæ) qua non solùm culpa & pœna tollitur, sed etiam nobis transitus datur ad gloriam! Sub hac ratione figura erat transitus ille maris rubri. 1. Pet. 3. 3.

1. Petr. 3.

Inde quartus resultat, quod nimirum per Baptismum filij ac membra Ecclesiæ sumus, & sic meritorum Christi, sicut bonorum, & gratiarum eius, & totius communitatis participes. Est enim ianua & clauis omnium thesaurorum. 4.

Quintus & vltimus effectus sequitur, nempe character indelebilis in anima Christiani: propter characterem enim non reiteratur Baptismus. 5.

Qui

Qui effectus in æternum est mansurus, etiam apud Inferos. Et fortè hoc erit vnum ex grauissimis tormentis, quæ Christiani damnati patientur, quando se tales conspicient, & videbunt. Ecce item, sicut characterem relinquit in Baptismo hoc Sacramentum; sic affinitatem spiritualem inter patrinos, & ipsum baptizatum, ita vt inter ipsos impedimentum sit contrahendi matrimonium. Vnde conueniret non assumere tot patrinos, & matrinas, sed tantùm vnum ex vna parte, & vnam ex altera.

Triplex Baptismus. Restat vt cum isto Baptismo, adhuc duos alios consideremus: vnum qui dicitur sanguinis, alterum flaminis. Sunt enim tres, & multum differentes.
1. Primus fluminis, seu aquæ, de quo est quæstio, & dicitur Sacramentum imprimens characterem.
2. Secundus sanguinis, & dicitur martyrium, quomodo
Luc. 12. Luc. 12. *Baptismo habeo baptizari*, &c. & est eorum qui pro Christo vitam exponunt, & laureolam in cœlo obtinent.
3. Tertius flaminis dicitur, seu Spiritussancti, qui est in contritione, & dolore de peccatis, auferens culpam, & pœnam remittens, pro qualitate doloris.

DE CONFIRMATIONE.

Accipietis virtutem superuenientis Spiritussancti in vos, & eritis mihi testes vsque ad vltimum terræ. Act. 1.

CATECHESIS XCIII.

TOTA fidei nostræ perfectio in confessione Christi est, & testimonio quod perhibemus constanter veritati. Quare post Baptismum, Sacramentum quod sequitur, & maximè necessarium, est Confirmatio, (nimiùm à Christianis neglecta.) Hoc Sacramentum tanti est ponderis, vt absque eo perfectè Christiani esse non possimus, vtpote quo virtutem accipimus vbique profitendi Christum, ex plenitudine, & abundantia Spiritussancti, in eo collata ad hunc effectum, vt ex illo Actor. 1. videre est; *Accipietis virtutem*, &c. Vnde & propriè dicitur Spiritussancti Sacramentum, sicut fert eius definitio, quæ est talis: Nouæ legis Sacramentum, quo baptizati in gratia roborantur, & speciali modo Spiritum sanctum accipiunt, &c.

Act. 1. Quid sit Confirmatio. Eius necessitas. S. Clemens.

Quare Sanctus Clemens Papa epist. 4. ad Iulianum, sic hortabatur omnes vt susciperent. Omnibus, inquit, festinandum est, sine mora renasci Deo, & demum ab Episcopo consignari, (ecce Confirmatio) id est, septiformem gratiam Spiritussancti percipere, cùm alioquin perfectus Christianus nequaquam possit esse is, qui incuria, & voluntate, non autem necessitate compulsus, hoc Sacramentum prætermiserit, vt à Beato Petro accepimus, & cæteri Apostoli præcipiente Domino docuerunt. hæc ille.

S. Vrban. Sic Sanctus Vrbanus in sua decretali. Omnes fideles per impositionem manuum Episcoporum, Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.

S. Cypr. Sic S. Cypr. epist. vlt. Vngi necesse est eum, qui baptizatus sit, vt accepto chrismate, esse vnctus Dei, &

A habere gratiam Christi in se possit. Propterea dictum est in definitione, quod speciali modo datur in ea Spiritussanctus, nimirum vt operibus Christianos nos esse ostendamus, Christumque profiteri ex officio, eius militiæ ascriptos.

Sic de Apostolis legitur, quia post acceptum Spiritum sanctum, ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati, & mori. Talis est gratia, & ad hunc finem data, quæ in hoc Sacramento recipitur, vt pro Christo pugnemus, & superemus generis humani hostes. Hoc significatur, & confertur vnctione olei: quæ &
B robur, & gratiam repræsentat. Christus à plenitudine gratiæ vnctus dicitur oleo lætitiæ, præ consortibus suis: & per imitationem, & participationem Christiani dicimur, maximè autem per virtutem, quæ hoc Sacramento confertur. Vnde & conformiter D. Thom. 3. parte, vbi de Sacramento, vocat Sacramentum plenitudinis gratiæ, iuxta illud Rom. 5. *Diffusa est gratia, & charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum Dei, in quo signati estis*; nimirum, per Confirmationem: quasi diceret, ostendite iam operibus, quia verè, & perfectè
C Christiani estis.

D.Thom. Rom. 5. Eph. 4.

Per Baptismum nascimur pueri innocentes, sed debiles. Per Confirmationem verò euadimus maiores, & viri fortes ad pugnam, adeò vt Confirmatio, sit Baptismi perfectio. S. Pontifex Melchiades tale discrimen ponit epist. ad Episcop. Hispan. In Baptismate homo ad militiam recipitur: & in Confirmatione coarmatur ad pugnam. In fonte Baptismatis Spiritussanctus plenitudinem tribuit ad innocentiam: in Confirmatione perfectionem ad gratiam. In Baptismo regeneramur ad vitam: post Baptismum confirmamur ad pugnam. In Baptismo abluimur: post Baptismum roboramur. Regeneratio per
D se saluat in pace; Confirmatio armat & instruit ad agones. Ecce necessitas, non sumus in militia Christi viri perfecti, nisi per Confirmationem, vbi plenitudo datur Spiritussancti. Diuus Paulus 1. Cor. 13. Cùm essem paruulus, faciebam vt paruulus: cùm autem vir factus sum, euacuaui quæ erant paruuli. Nunc expugno, supero, & omnia possum in eo qui me confortat.

S. Melchiades. 1. Cor. 13.

Cæremoniæ fieri solitæ nos de hac re admonent, olei vnctio, manuum impositio, signum Crucis in fronte, & alapa in maxilla. Olei vnctio, & impositio manuum docent nos quibus viribus, & armis interiùs, exteriúsque munimur, nimirum virtute ex alto, & Christi meritis. Datur signum Crucis in
E fronte, vt recordemur militiæ nostræ, & contra quos hostes dimicandum sit. Dicebat quidam Sanctus, ni fallor, Chrysologus. Nimiùm delicatus es, ô miles Christiane, si te putas sine pugna vincere posse, & absque certamine triumphare. Recordare cuius sis miles, cui nomen dedisti, quid promisisti, &c. Et S. Bern. In mundo velut in stadio certaminis positi sumus, vbi Christus mortuus est. Qui ergo hic liuorem, vel plagam non susceperit, in futuro iudicio miles inglorius apparebit; quia non decet sub spinoso capite nutrire delicatum corpus. hæc ille.

Cæremoniæ, & earum significatio. S. Bern.

Datur item alapa, vt recordemur, quia pro Christo debemus sustinere contumelias: in hoc est triumphus, in hoc victoria. Propterea que in Confirmatione, sicut in Baptismo, imprimitur character,

character, qui est nota militiæ nostræ. Ne simus ergo negligentiores erga tale Sacramentum, sed qui non receperit, citò recipiat, siue puer, siue vir. Semel autem recipitur tantùm, atque etiam solùm ab eo qui rationis vsum habet.

Dignitas Confirmationis. Eius institutio. Tantæ autem est dignitatis, vt non nisi Episcopi conferre queant: tantæ dignitatis, vt plenitudinem Spiritussancti cordibus infundat: tantæ dignitatis, vt vltimum fuerit institutum à Christo, cùm paulo ante Ascensionem Luc. 24. instituit, primùm promittendo Apostolis dicens: Vos autem sedete in ciuitate, quoadvsque induamini virtute ex alto. Accipietis enim virtutem superuenientis Spiritussancti in vos, & eritis mihi testes, &c. Deinde exequendo, nimirum hac speciali missione Spiritussancti in die Pentecostes, vbi tunc confirmati fuerunt Apostoli, & statim profecti prædicauerunt vbique. Simila expetit à nobis per hoc Sacramentum, iuxta quod nobis dicitur cùm confertur (hæc est enim forma;) Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine patris, & filij, & Spiritussancti. Amen. *Luc. 24.* *Forma Confirmationis.*

DE EVCHARISTIA.

CATECHESIS XCIV.

Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, &c. Iohan. 6.

NIHIL sanctius, & ineffabilius est Christo, nihil etiam diuinius est, & augustius sanctissimo & ineffabilissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo continetur Christus. Ordine tertium est, sed dignitate, omnium primum. Cætera præter ipsum, dignitate inuicem decertant, & vnumquodque suis priuilegiis gaudet, propriisque gloriatur excellentiis, alterum alteri se præferens in suis prærogatiuis, & præeminentiis: vt exempli gratiâ, quantum ad necessitatem, potiora seu magis necessaria sunt Baptismus, & Pœnitentia. Vnum enim est absolutè necessarium, Baptisma. Iohan. 3. *Nisi quis*, &c. Alterum ex hypothesi & suppositione peccati, nempe Pœnitentia. Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis*, &c. *Dignitas vniuscuiusque Sacramenti.* *Joh. 3.* *Luc. 13.*

Quantum ad dignitatem ministri & conferentis, digniora sunt Confirmatio, & Ordo, quia solus Episcopus ea conferre potest, & non omnis Sacerdos.

Quantum ad facilitatem, facilius est Extrema vnctio, quia in ea fit remissio peccatorum, absque pœnæ inflictione, & labore pœnitentiæ.

Quantum autem ad significationem, maius est Matrimonium, eo quod repræsentat Christi cum Ecclesia vnionem, ratione suæ diuinæ Incarnationis. Eph. 5. Itémque vnionem Dei cum anima virtute gratiæ. Ecce in quo omnia dignitate sua differunt, & vnumquodque præfert se aliis. *Eph. 5.*

Verùm nullum est, quod se Eucharistiæ Sacramento comparet, vtpote quod Deum ipsum continet; vnde in dignitate, necessitate, facilitate, & significatione omnia quodammodo superat. Quid dignius Christo? quid ad omnem vitam magis necessarium, quàm vitæ verbum? In ipso vita erat, &
A panis vitæ est. Quid facilius ad vitam, quàm vsus, & species panis? Denique quid magis vnionem significans, quàm inhabitatio ipsa, & manducatio? Qui māducat, &c. in me manet, & ego in eo. Ecce non solùm significatio, sed etiam vnio.

Igitur certissimum est, omnium Sacramentorum maximum esse Eucharistiam. Ideoque dicitur absolutè, & per excellentiam, sanctissimum Sacramentum. Diuus Thomas 3. parte quæst. 65. articulo 1. duas potissimùm affert rationes, quibus illa Eucharistiæ dignitas præ cæteris ostenditur. Prima est ex eo quod continetur in Sacramentis. Etenim quod in aliis continetur, est tantùm quædam instrumentalis virtus gratiæ, participata à Christo: omnia enim sunt instrumenta gratiæ. Quod verò continetur in hoc Sacramento Eucharistiæ, ipse est Christus substantialiter, author & fons gratiæ. *D. Tho.* B

Secunda ex eo quod omnia alia Sacramenta ordinantur ad illud sicut ad finem: Ordo ad illius consecrationem: Baptismus ad illius receptionem: Confirmatio ad digniorem, & perfectiorem vsum: Pœnitentia item, &c. Sic Paulus; *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Pœnitentia enim ad illud dignè suscipiendum Sacramentum præparatur homo. Sicut etiam Extrema vnctione, qua nouum robur, & dispositionem ad illud anima sumit. Denique Matrimonium etiam vt finem illud sua sanctificatione attingit, inquantum coniunctionem Christi & Ecclesiæ repræsentat, cuius vnitas ipsa in Sacramento Eucharistiæ est. Propterea, vt ex Ephes. 5. diximus, Paulus sic aiebat de Matrimonio loquens. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*: scilicet in sua significatione magnum est, sicut etiam & cætera in ordine ad illud magna sunt. Vnde absolutè videmus, istud esse per se, simpliciter, & absolutè magnum, maximum, & vt vno verbo dicam, antonomasticè sanctissimum Sacramentum, habens in se, & communicans omnibus aliis sanctitatem. *Eucharistia finis est omnium Sacramentorum.* C *Eph. 5.*

D In hoc maximè eius dignitas est, quod sanctum sit, & sanctissimum, ipsa diuinitate, & humanitate Christi sub speciebus Sacramenti realiter existentibus. Hinc tot, & tam varia orta sunt nomina, vt quod vno vocabulo demonstrari non poterat, eius dignitas & excellentia pluribus exprimeretur. Proprium enim est excellentissimarum naturarum, aut nullum, aut multa, vt exprimantur, nomina excipere: ad modum enim conceptuum, res sua sortiuntur nomina. Sic Deus, qua ratione incomprehensibilis est, ita & ex rei veritate ineffabilis est: sicut qua ratione comprehensibilis (nimirum nostro modo intelligendi) non vnico E conceptu, sed diuersis, pro naturæ suæ perfectione, ita non vnicum nomen recipit, sed innumera, & penè infinita. Qualia sunt Deus, creator, sapiens, immensus, æternus, reparator, gubernator, glorificator, &c. Ita dico, pro perfectione huius Sacramenti, & si comprehendere liceat, oportuit illi dare diuersa nomina, vt sunt Eucharistia, Cœna, Communio, Viaticum, Sacramentum Altaris, Charitatis, sanctissimum Sacramentum, &c. *Varia nomina huius Sacramenti. 1. Nomen.*

Primò vocatur Eucharistia, quam dupliciter Latinè reddere possumus. Primò, bonam gratiam, & quidem rectè, quia panis est vitæ æternæ. *Gratia Dei vita æterna, in Christo* IESV *Domino nostro.* *Rom. 6.*

Rom.

Rom. 6. Et fontem gratiæ continet Christum: vnde & tale est Sacramentum, quod adoretur.
Aug. August. in Psal. 98. Quia Christus in ipsa carne sic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo illam manducat, nisi priùs adorauerit. Secundò, hoc nomen reddere possumus gratiarum actionem, & quidem conuenienter, quia cùm hanc hostiam purissimam immolamus, & sumimus quotidie, gratias agimus Deo pro vniuersis eius beneficiis. Vnde & in ipsa institutione ipse gratias egit, vt & nos in illa haberemus vnde dignas gratiarum actiones patri offerremus.
Ps. 110. Quare & Dauid meminit Psalm. 110. vbi contemplans mysterij huius magnitudinem, & dicens; *Memoriam fecit mirabilium*, &c. antè ait: *Confessio & magnificentia opus eius*, declarans vnde homo haberet, ex quo dignas gratias Deo ageret.

2. Nomen est Cœna. Secundò vocatur Cœna, quia tempore cœnæ hoc à Christo Sacramentum institutum est. Etiam
Iohan. 6. panis, sed viuus & vitæ. Iohan. 6. quia & apparentiam panis retinet, & vim nutriendi animam.

3. Cõmunio. 1. Cor. 10. Tertiò vocatur communio. Quod quidem verbum ex illo Apostoli loco 1. Cor. 10. sumptum est, vbi ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Quod
S. Damasc. quidem S. Damasc. explicans ait. Hoc Sacramentum Christo nos copulans, atque eius carnis, & Deitatis participes efficiens, nos inter nos in eodem Christo conciliat, ac coniungit, & veluti vnum corpus coagmentat.

4. Viaticum. Quartò dicitur Viaticum, tum quia spiritualis cibus est, quo in huius vitæ exilio sustentamur, tum etiam quia nobis viam munit ad æternam gloriam; vnde & in Ecclesiis perpetuò asseruatur, vt ad desiderium nostrum, & necessitatem eo vtamur. Figura erat in illo pane Eliæ dato, vi cuius illam viam grandem conficere debebat, & peruenire vsque ad montem Dei Horeb. Item figura erat in manna deserti. Videatur Viegas in c. 2. Apoc. com. 3. sect. 4.

5. Sacramentum altaris. Quintò dicitur Sacramentum altaris, quia in eo quotidie immolatur, offertur, conficitur, datur & asseruatur, eadémque semper est hostia, quæ pro nobis in altari Crucis semel oblata est: vnde simul est sacrificium & Sacramentum.

6. Sacramentum charitatis. Iohan. 15. Sextò dicitur Sacramẽtum charitatis, quia & in die magno amoris Christi institutum est. Iohan. 15. Sciens horam aduenisse vt transiret de hoc mundo ad patrẽ, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Præterea, quia & in eo omnia signa & effectus suæ infinitæ charitatis continentur. *Memoriam fecit Deus mirabilium suorum. Escam dedit*, &c.

7. Sanctissimum Sacramentum. Septimò denique absolutè & per antonomasiã dicitur sanctissimum Sacramentum: quia sicut in aliis, & in eo sunt signa externa subiecta sensibus, species panis, & vini. Et præterea plusquàm cætera habet significationem, & efficientiam seu efficaciam gratiæ, vtpote quod realiter, & substãtialiter Christum ipsum continet authorem omnis vitæ, & gratiæ: ipsum realiter, & substantialiter confert, & ad gloriam, iis qui dignè accedunt, & communicant.

De ratione, & differentia huius Sacramenti ab aliis.

CATECHESIS XCV.

QVIA hic de Eucharistiæ mysterio agitur, vt de Sacramento omnium quidem primo & ma- A ximo, quod in Ecclesia instituit Christus, ad perfectionem ipsius; sciendum imprimis, quid in eo propriè nomen & rationem Sacramenti teneat. Etenim multa sunt, quæ considerari in eo possunt, vt consecratio, visibilis elementorum species, inuisibilis caro, & sanguis pariter Christi Domini, item perceptio. Quæ omnia vt plerumque sub hoc nomine Sacramenti intelliguntur, sed impropriè, nisi discernamus, & illarum rerum differentiam afferamus.

Etenim quæ propriè hic absolutam & veram huius nominis, nimirum Sacramenti, rationem habent, illæ tantùm sunt panis & vini species, cum corpore & sanguine Domini. Quid est enim Sacra- B mentum? Ex definitione antedicta, est visibile signum inuisibilis gratiæ, ad nostram sanctificationem diuinitus institutum: vnde accidit quod in omni Sacramento, illud quod propriè huius nominis rationem tenet, est signum visibile, id est, aliqua species, seu elementum sensibile, alicuius rei sacræ signum, vt in Baptismo, elementum aquæ, vbi illud verbum accedit; Ego te baptizo, fit Sacramentum, ex D. August. super Iohan. tract. 40. Et sic de aliis. D. Aug.

Ita de Eucharistia, quod habet, & veram retinet rationem Sacramẽti, seu nomẽ, est signum visibile, scilicet species panis & vini, cum corpore & sanguine Christi, vt signum gratiæ nutritionis ad vi- C tam æternam. Quod autem fit maximè in ista tam admirabili consecratione, est conuersio substantiæ in substantiam, panis & vini, in corpus & sanguinem Christi: & quod remanet, est tantùm elementorum species, seu signum visibile, & sensibile, seu, vt clarius dicam, accidentia substantiarum conuersarum adhuc sensibus subiecta.

Quod vt meliùs intelligatur, & simul huius magnitudo mysterij ostendatur, sciendum, hoc Sacramentum ab aliis in duobus differre, ex D. Tho 3. part. q. 78. art. 1. Primum est, quod hoc Sacramentum perficitur in ipsa consecratione materiæ, licet postea nullus fiat vsus, sed in pixide asseruetur. Alia verò Sacramenta in vsu materię consecratæ, seu be- D nedictæ perficiuntur, dum scilicet illa administrari contingit: vt Baptismus Sacramenti tunc naturam adipiscitur, cùm reipsa homo abluitur aqua; & sic de aliis. Ad Eucharistiæ verò perfectionem sufficit ipsa materiæ consecratio.

Secundum est, quod in aliis Sacramentis materiæ consecratio solùm in quadã benedictione consistit, ex qua postea materia consecrata instrumentaliter virtutem quandam spiritualem accipit, sed nulla fit materiæ in aliam naturã mutatio. Etenim Baptismi aqua, aut Chrismatis oleum cùm administrantur, priorem semper aquæ, & olei naturam retinent. In Eucharistia verò consecratio materiæ, in miraculosa conuersione totius sub- E stantiæ consistit, ita vt substantia panis & vini, per consecrationem verè transeat in corporis & sanguinis Domini substantiam, remanentibus tunc solùm speciebus, seu apparentiis panis & vini, quæ sunt illa accidentia subiecta nostris sensibus. Sic Cyril. Hierosol. Catechesi 4. In specie Cyril. Hierosol. panis dat nobis corpus; in specie vini dat nobis sanguinem, (quid ad hoc dicet hæreticus?) vt cùm sumpseris, gustes corpus & sanguinem Christi, factus eiusdem corporis & sanguinis Christi particeps: sic enim efficimur Christiferi. hæc ille.

Sic Greg. Magnus lib 4. dialog. Quis fideliũ ha- Greg. Mag. bere dubiũ possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, & in illo IESV Christi

mysterio summis ima sociati, terrena cælestibus,& vnum quid ex visibilibus & inuisibilibus fieri,(nimirum ex speciebus visibilibus, & corpore & sanguine Christi inuisibilibus vnum Sacramentum fieri?) Siquidem Eucharistia est quid resultans ex his duobus; nimirum ex accidentibus visibilibus, & realitate seu substantia inuisibili carnis & sanguinis Christi simul iunctis.

Tria quæ in Sacramento continentur. Hoc pendet ex tribus quæ in omni Sacramento continentur. Primum est illud quod significat tantùm, & non significatur, vt signum videlicet visibile, seu sensibile, quod propterea dicitur Sacramentum tantùm, quia solùm signum est; vt aqua in Baptismo, oleum in Confirmatione, &c. Secundum est quod significatur tantùm; vt gratia, quæ propterea dicitur res tantùm. Tertium est quod significat, & significatur simul: seu quod simul Sacramentum est seu signum, & res; vt in Baptismo character, item in Confirmatione & Ordine.

Sic de Eucharistia, quod in ea est Sacramentum tantùm, seu quod significat, & non significatur, est species, seu visibile accidens; nostrum enim spirituale alimentum significat. Quod verò est significatũ, seu res tãtùm, est illa gratia. Quod verò est simul Sacramentum & res, seu quod significat, & significatur simul, est corpus Christi, qui est author gratiæ, & panis vitæ, qui sub illis accidentibus continetur, naturis eorum in eius substantiam conuersis. Quod quidem complet & tunc perficit Sacramentum, vt vnum quid ex visibilibus, & inuisibilibus confectum, ex immenso, & exiguo, ex Deo, & ex elementi accidentibus.

O mysterij magnitudinem! Quousque adhuc hodie descendit altissimi humilitas? Nascens nobis inuoluit se pannis: & nobis connascens vilioribus contegit se indumentis, nempe accidentibus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator (IESVS.) Sic de eo Isa. c. 45. cùm in forma hominis ipsum conuersantem cum aliis considerat. *In te est Deus*, aiebat, *& absque te non est Deus: verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator.* Isa. 45.

Ecce adhuc hodie, & in finem mundi magis absconditus: vbinã enim magis abscondit se, aut etiam potuit, quàm in hoc mysterio, in quo & humilitas carnis eius, & gloria simul diuinitatis abscondita est? Certè à mysterio nomen habet, Deus absconditus. Mysteriorum mysterium, & omnia complectens mysteria, in quo limitibus angustis exiguæ hostiæ, omne quod est in cœlo & in terra, continetur. Ecce vnde clamabat Dauid: *Memoriam fecit mirabilium suorum. Escam dedit timentibus se.*

De mirabilibus huius Sacramenti.

CATECHESIS XCVI.

REGIVS Psaltes valde illuminatus erat veritate huius mysterij Christi, cùm tanto cum affectu sic ipsum declarabat dicens: *Memoriam fecit*, &c. *Escam dedit*, &c. Certè multo altiùs quàm in considerationem manna hic procedebat: non enim illa erat esca memoria Dei mirabilium; Eucharistia erat. Quapropter quæ in ea continentur admiranda videamus, & quæ facta. Inter omnia, tria sunt potissimùm consideranda. *In Eucharistia tria consideranda.*

1\. Primum est, illud ipsum Domini corpus, quod natum ex virgine est, sedétque ad dexteram patris, hoc Sacramento contineri. Secundum, nullam in eo prorsus remanere elementorum substantiam. Tertium, accidentia ipsa remanere, quæ subiiciuntur sensibus, & per seipsa constare, seu subsistere, tametsi nulli substantiæ inhæreant. Hæc tria sunt, quæ rursus fusiùs explicanda sunt. 2. 3.

Quantum ad primum, probatur authoritate Scripturæ, Patrum, vniuersalis Ecclesiæ, etiam ratione. Scripturam producamus. Iohan. 6. vbi fit promissio, panem quem daturus est, carnem suam vocat: & paulo pòst subdit; *Nisi manducaueritis carnem filij hominis.* Et rursus: *Caro mea verè est cibus.* His verbis tam claris, satis videtur declarasse illam veritatem. Ita Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. vbi instituit Christus, dicens clarissimè; Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Corpus quod pro vobis tradetur, sanguis qui effundetur. Quæ loca tam perspicua sunt, vt explicationem non admittant. Quapropter doctissimus Hilar. 8. de Trinit. ibi egregiè dixit. De veritate carnis, & sanguinis Christi, cùm ex ipsius Domini professione, & fide nostra, caro eius verè sit cibus, relictus non est ambigendi locus. Sed quid de hac veritate apud Apostolum inueniemus? 1. Corinth. 10. clarissimè ait: *Calix benedictionis, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Quid euidentius his verbis? sicut & illis cap. 11. vbi & narrat mysterium, & grauiter fideles hortatur, vt antequam manducent, se probent. Qui enim manducat indignè, iudicium sibi manducat, non diiudicans corpus Domini. Nihil post hæc dici potest amplius. *1. Mirabile.* Iohan 6. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Hilar. 1. Cor. 10.

Sed Patres proferamus, primúmque S. Ambrosium, & dicamus ei, vt fidem suam proferat. Lib. de iis qui initiantur mysteriis, sic ait. Verum Christi corpus in hoc Sacramento sumitur, sicut verum ex virgine sumptum est. Id certissima fide tenendum. Et alio loco. Ante consecrationem, panis ibi est, post consecrationem, caro Christi est. Et 6. de Sacram. Sicut verus Dei filius est Dominus IESVS Christus, ita vera Christi caro est, quam accipimus. (Notetur quæso hæc distinctissima Ambrosij similitudo.) Ambros.

Post ipsum, discipulum eius & spiritualem filium Augustinum proferamus. Titulum Psalm. 33. exponens, sic ait. Portare se in manibus suis homini impossibile est, solique Christo conuenire potest. Ferebatur enim ille in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait; hoc est corpus meum, ferebat enim corpus illud in manibus suis. Et quid cæteros iuuabit proferre? Sic Hieronymus, sic Damascenus, sic Cyrillus, sic Iustinus, sic Irenæus, & sic omnes. August.

Quare & vniuersalem Ecclesiam proferamus, omnium enim est sententia Conciliorum. Sic & nouissimè simul cum aliis, Lateranensi, Florentino, &c. Tridentinum apertissimè definiuit, ita vt amplioribus testimoniis probare non opus sit. Nisi & vltimò etiam velimus rationem afferre, vt nihil desit, atque etiam pudeat infideles dubitare.

Rationem igitur proferamus. Illa in omnipotentia Dei, & veritate fundatur; in similitudine etiam in natura. Luc. 1. ratio conuincitur Deo dare, quod nec potest intelligere, nec inuestigare. Sic Angelo dicenti de inuestigabili mysterio, quia non est impossibile apud Deum omne verbum, Virgo rationabiliter respondit: Ecce ancilla Domini, &c. Sic Mat. 19. cùm Christus dixisset, quia facile erat Deo, vt intraret Camelus per foramen acus, addidit Luc. 1. Matth. 19.

addidit statim: apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia. Quibus verbis iam ratio conuincitur credere, Deum omnia posse: si omnia, certè & substantiam panis, in substantiam corporis conuertere posse. Quod autem conuerterit nunc, & ipsa adhuc ratio credere conuincitur, in ipsius verbi veritate fundata, neque enim minus Deus est verax, quàm omnipotens. Igitur cùm dixerit, hoc est corpus meum, & verax sit, quis dubitare audeat? Caro mea verè est cibus, accipite & manducate. Quid clarius & expressius his verbis? Et quae ratio non conuincetur hic, si conferat simul & veritatem verbi, & omnipotentiam? Dixit, (cùm nihil erat) & facta sunt omnia. Igitur cùm dixerit, hoc est corpus meum, & factum est, conuersa substantia panis, in substantiam corporis.

Similitudo. Similitudine etiam in natura nostram confirmemus rationem. Quotidie videmus, atque etiam experimur in nobis, quotidiani alimenti, & cibi substantiam conuerti in nostram propriam; hoc natura facit, & vis caloris naturalis, & de veritate verbi Dei dubitabimus, atque de eius omnipotenti efficacia? Sed exemplum vultis conuersionis eiusmodi substantiae? Genes. 19. Deus conuertit mulierem Loth in substantiam salis, id est, substantiam istius mulieris, in substantiam salis. Speciem mulieris retinet, & accidentia, mulier apparet, interim non est amplius mulier, sed verum sal. Ecce exemplum nostrae veritati penitus conforme. Apparet panis, & non est panis, sed veritas, & substantia corporis Christi. Quidnam est hoc?

Exemplum. Gen. 19.

2. Mirabile. Secundum est mirabile, quod accidit, & fit in hoc tam admirabili mysterio, & considerandum proponitur, nempe transubstantiatio, id est, totius substantiae in aliam conuersio, seu transitio substantiae panis & vini, in substantiam corporis & sanguinis Christi: ita vt nihil penitus substantiae illorum remaneat. Haec Ecclesiae doctrina, & sic definitum est in Concilio Tridentino. Verba sunt: Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis & vini, vnà cum corpore Christi, &c. sit Anathema. Sic doctrina Patrum. Ambros. Fortè dicis, meus est panis vsitatus; panis certè ante verba, vbi autem accesserit consecratio, de pane fit Christi caro. Sic Hilar. Illa verba exponens; *Omnia quaecunque voluit Deus fecit.* Quamuis extrinsecus panis, & vinum videatur, verè tamen corpus & sanguis Domini est.

Ambros.

Hilar.

3. Mirabile. Hinc tertium sequitur mirabile, quod adhuc considerandum proponitur, nempe, remanere in eo mysterio accidentia sine vllo subiecto, scilicet species panis, absque vlla substantia panis, & vini, absque substantia vini; sed per se constare & subsistere contra naturam, maximóque miraculo, (sicut etiam omnia in illo miraculosa sunt) vt si videremus albedinem, aut quantitatem sine subiecto vllo: ita enim accidit in hoc Sacramento, vbi eiusmodi sunt accidentia, quae sine subiecto cui inhaereant, per se constant, habéntque in seipsis rationem, & similitudinem subiecti.

D. Thom. Deus autem, ex D. Thom. 3. part. quaest. 75. art. 5. id facit duobus modis, & rationibus. Primò quidem ex diuina eius virtute, à qua vt à prima causa, plus dependent quàm à secunda, vt est illorum subiectum, vnde facit vt illa remaneant, etiam sublatis subiectis. Est enim Deus causa omnis substantiae & accidentis; vnde per suam infinitam virtu-

A tem conseruare potest in esse, etiam subtracta substantia, accidens.

Secundò, ex ratione & rationabili dispositione diuinae eius prouidentiae, quae sic omnia suauiter, & fortiter in eo mysterio disposuit. Vt primò, quia non est consuetum hominibus, sed horribile, carnem hominis comedere, & sanguinem bibere, ideo nobis proposita sunt caro & sanguis sumenda sub speciebus illorum, quae frequentius in vsum hominis veniunt, vt panis, & vini. Ecce suauitas. Secundò, vt dum sic corpus & sanguinem Domini inuisibiliter sumeremus, hoc nobis proficeret ad fidei meritum, quae inuisibilia credenda proponit. Iuxta quod dicit D. Gregor. Fides non habet meritum, vbi ratio humana praebet experimentum. Et D. Paul. qui ait, fidem esse argumentum non apparentium, & sic substantiam rerum sperandarum. Quod maximè nostro mysterio conuenit, quod propterea dicitur ab Ecclesia, in tremendis altaribus, mysterium fidei. Verè mysterium, & fidei mysterium, quod omnia in se mysteria fidei continet, in quo Deus & homo inuisibiliter continetur. Creditis in Deum, & in me iam credite. Fides est argumentum non apparentium. Quod videtis, Deus non est, & homo non est, sed quod in visibili est, Deus, & homo est: videtis accidentia, & sub illis inuisibiliter, sed realiter, & substantialiter Deus est, & homo est, Deus-homo Christus. Idcóque quod adoratis, & sumitis, Deus & homo est, verbum patris, & filius virginis Christus IESVS.

D. Greg.

B

C

De forma, virtute, & efficacia verborum.

CATECHESIS XCVII.

OMNIA Sacramenta (quorũ author Christus,) constant duabus partibus, forma & materia: & nulla facta aliorum mentione, illa duo hic separatim, & diuisim considerabimus. Materia est duplex, panis & vinum; forma autem consistit in verbis consecrationis vtriusque.

D

De materia Eucharistia. Sed quàm bene omnia correspondeant, videre liceat. Et priusquàm de forma vique verborum loquamur, nonnihil de materia dicamus, eiúsque cõuenientiam huic mysterio videamus. Iohan. 6. ex intentione & ratione huius futuri mysterij, panem se dicebat Christus. *Ego sum panis viuus qui de caelo descendi.* Et apud Matth. Marc. & Luc. cùm instituit, panem accepisse dicitur, benedixisse, fregisse, & dixisse: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Similiter calicem accepisse, id est, vinum, gratias egisse, & dixisse: Bibite, hic est enim sanguis meus. Ecce materia mysterij.

Iohan. 6.

E Sed quàm bene mysterio conueniat, cum admiratione contemplemur. Christus debebat esse, sicuti etiam est, vera hominũ vita, sicut dicit Iohan. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum*: non solùm in se, sed etiam & quod factum est in ipso, scilicet humanitas eius, corpus & sanguis; vnde: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat, &c. & iterum: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Igitur quia quod daturus erat in mysterio, debebat animae nostrae praebere alimentum vitae aeternae, iis potissimùm rebus confici voluit, quae vim alendi naturalem habent, vt sunt illa panis, & vini

Iohan. 1.

elementa, quæ consecratione facta, in propriam corporis & sanguinis eius substantiam transeunt, atque in alimentum verum animarum nostrarum. Sed quidnam istud operatur & præstat? Mira vis verborum illorum à Sacerdote, vt à Christo, prolatorum; Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei, &c. in quibus etiam est forma Sacramenti.

De forma Eucharistiæ. Secunda est pars, vbi iam de efficacia verborum istorum loqui debemus, & quomodo efficiũt quod significant, nempe elementorum conuersionem in Domini nostri corpus, & sanguinem; propterea enim forma istius Sacramenti dicuntur. Quia forma ea est, qua illud significatur, quod in Sacraméto efficitur, vt in Baptismo illa verba; Ego te baptizo, & simul efficiunt & significant ablutionem animæ. Item in Pœnitentia illa; Ego te absoluo, statim quæ operantur absolutionem, significant, & ideo dicũtur forma. Ita de hoc Sacramento dicimus; verba Christi prolata, forma sunt, quia nõ minus efficiendi, quàm significandi causa proferuntur. Etenim iuxta institutionem, & præceptum Christi, & dicimus quæ dixit, & facimus quæ fecit, cùm in ipsa mysterij institutione dixit: Hoc facite in meã commemorationem. Quod faciendi præceptum, & ad ea quæ egerat, & ad ea quæ dixerat, refertur. Vnde eadem nobis authoritate collata, sicut ipsemet, & dicimus, & facimus, dicimus quæ dixit, & dicendo agimus quæ egit.

S. Thom. *Differentia aliorum Sacramentorũ, & Eucharistiæ.* Propterea D. Tho. 3. p. q. 78. art. 1. differentiam notat inter alia Sacramenta, & istud; quod aliorum formæ proferuntur ex persona ministri, siue per modum exercentis actum, vt cùm dicitur; Ego te baptizo, vel, Ego te confirmo, te absoluo, &c. Siue per modum imperantis, vt in Sacramento Ordinis dicitur: Accipe Spiritum sanctum, accipe potestatem, &c. Siue per modum deprecantis, sicut cùm in Sacramento Extremæ vnctionis dicitur; Per istam vnctionem, &c. Sed forma istius Sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, vt detur intelligi, quod minister, ait S. Tho. in perfectione huius Sacraméti nihil agit, nisi quod profert verba Christi, illa verba quæ quod dicunt, efficiunt.

D. Chrys. D. Chrysost. hom. 83. in Matt. Verùm & tu laice, cùm Sacerdotem videris offerentem, ne vt Sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manũ inuisibiliter extensam. *D. Ambr.* Etiã & D. Ambros. mirè hoc explicat, elegantique ordine, lib. 4. de Sacram. c. 4. Author Sacramentorum quis est, nisi Dominus IESVS? Sed quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? consecratione. Consecratio quibus verbis, & cuius? Domini IESV; vbi enim venitur vt venerabile conficiatur Sacramentum, iam non suis sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cœlum, facta est terra, & facta sunt maria. Iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo, quàm operatorius sit sermo Christi: & si tanta vis eius est, vt inciperent esse quæ non sunt, quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud mutentur? Ergo vt tibi respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem, dico tibi quod iam est corpus Christi. Dixit, & factum est, &c. hæc ille.

Quomodo cõficiatur corpus Christi. Sed modum quæretis. Audite, & percipite iam. Non per creationem, generationem, aut mutationem substantiæ Christi, vel loci, sed per positionem

A realem sub speciebus, seu transitionem, aut conuersionem, totius substantiæ elementorum, in totam eius substantiam, ratione non minus ineffabili, quàm admirabili.

Diximus, non per creationem. Creatio enim supponit nihilum; hic autem præsupponitur substantia panis, & vini, conuertibilis.

Diximus, non per generationem. Quę communiter mutatio est totius in totum, nullo sensibili remanente, vt eodem subiecto, ex Philosophorum definitione: vel, si viuentium, productio viuentis à viuente, in similitudinem naturæ. Hic autem remanet sensibile, & in similitudinem naturæ, productio non est; præterquàm quod propriè, non denuò B generatur Christus, qui in æternum manet.

Diximus etiam, non per mutationem naturæ, aut loci. Naturæ, quia idem est corpus numero, quod de Virgine sumptum est. Etiam loci, quia non propterea de cœlo, aut dextera patris descendit: sed hic admirabili modo, de nouo, vi verborum ponitur, per productionis genus, quod dicimus Transubstantiationem, id est, conuersionem totius substantiæ panis, & vini, in substantiam corporis & sanguinis Christi, vnitorum diuinitati eius, ita vt hic totus & integer inueniatur Christus. Et sicut concomitanter corpori quod est viuum, iungitur sanguis & anima Christi, & sanguini anima & corpus: sic etiam vtrisque diuinitas, adeò vt to- C tus existat Christus in hoc Sacramento, idem qui in terris visus est, passus est, & resurrexit, ascẽdit ad cœlos, & hodie in æternum sedet ad dexterã patris.

Quæretis quomodo fieri possit, vt simul in cœlo, & in multis hostiis, etiam tam exiguis inueniatur. Respondeamus, infinita eius virtute, & potentia, cui nihil impossibile est. Deus est, & quis intellectus finitus infinitum definire audeat? Mementote quid dixerit Christus, facere posse, quod nec homo potest etiam comprehendere. Idem de hoc mysterio dici potest, quod de Incarnatione dicit ad Voluzian. S. Augustinus epist. 3. Si hic ratio quæritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod D nos fatemur, inuestigare non posse: in talibus rebus, tota ratio facti, est potentia facientis. Matt. 19. Omnia Deo possibilia sunt, & Camelum maximũ animal, per minimum foramen acus intrare; homini autem impossibile est, sicut incomprehensibile. Quæ Dei sunt noli limitare. *S. Aug.* *Matth. 19.*

Scire etiam vultis quomodo sit in cœlo, & in multis hostiis simul? Rationem excipite. Deus est, qui omnia potest, & qui sicut potuit, dixit. Verùm etiam hoc similitudine explicemus. In corpore candem animam videmus, & totam simul esse in qualibet parte corporis; neque cùm crescit corpus, vnam partem deserere, vt repleat alteram, sed illam occupare, sine desertione istius. Hoc natura, & si- E ne miraculo facit; idem virtuti diuinæ attribuamus, atque ita dicamus, Christum non cœlum deserere, vt in hostia inueniatur, sed simul eundem, & totum, in cœlo simul esse, & in hostia. Augustinus homil. in 6. Iohan. Totus erat apud patrem, quando venit in Virginem, impleuit illam, nec recessit ab illa, veniebat in carnem, vt homines illum manducarent, & manebat integer apud patrem, vt Angelos pasceret; inuitabat Dominus seruos, & eis præparat cibum seipsum: hæc ille. Deus est, & potest, dixit, & factum est. Dixit, & non dubitemus, sed potiùs admiremur, etiam eo instanti factum fuisse, quo dictum est. *Similitudo.* *August.*

Vnum

Vnum enim adhuc hic mirabile est, quod talis ac tanta conuersio instantanea est, & non cum successione temporis. Primò, quia in ea non est subiectum, quod successiuè præparetur ad formam, vt aqua, respectu caloris, (hoc enim successionem facit.) Secundò, quia substantia corporis, & sanguinis Christi, ad quam illa terminatur conuersio, non suscipit magis, neque minus, & per consequens successionem, sicut accidit in formis accidentalibus, & iis quæ recipiunt magis, & minus, vt in sanitate, quæ propterea successiuè corpori acquiritur. Tertiò denique, quia efficitur virtute Dei infinita, qui statim, & sine mora, quod vult operatur: sicut Marc. 7. simul atque surdo & muto dixit, Ephetha, statim apertæ sunt aures eius, & solutum est linguæ vinculum. Ita in hoc mysterio, simul atque Sacerdos protulit verba Christi, statim etiam fit, quod veneramur, & adoramus.

De omnibus significatis in hoc mysterio.

Catechesis XCVIII.

Hoc Sacramentum quod Christum continet, diuitiarum cœlestium thesaurus est. Repetere placet quod dixerit Dauid; *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors Dominus. Escam dedit*, &c. Verè memoria est mirabilium Dei hoc Sacramentum. Propterea etiam institutionis tempore dicebat: Hoc facite in meam commemorationem, id est, in mei memoriam, & eorum omnium quæ feci. Etenim & mirabilium memoria est.

Mirabilia quæ Deus fecit, non sunt cœlum, non sunt terra, mare, aut elementa omnia, & omnia quæ in eis sunt. Mirabilia Dei, non sunt Angeli, Archangeli, aut aliquæ virtutes supernæ; non sunt Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Principatus, & Potestates; non sunt homines, aut creaturæ omnes. Mirabilia Dei sunt, homo-Deus, & quę Deus-homo fecit. Et memoriam fecit Deus mirabilium suorum, Sacramentum in quo continetur homo-Deus, & quæ fecit.

Comprehendere vultis? Maiora Deus fecit in homine, quàm in se, in terra, quàm in cœlo, in humilitate, quàm in majestate. Hæc maiora in Sacramento Eucharistiæ omnia sunt; *Memoriam fecit mirabilium suorum*. In homine Deus in terra, ac in humilitate, diuinæ Incarnationis fecit opus, & redemptionis. Deus in homine in plenitudine temporis natus est, in terris visus est, cum hominibus conuersatus, ab hominibus passus, mortuus est, & resurrexit. Hæc sunt potissimùm Dei mirabilia, & quæ fecit, & quorum omnium in Sacramento memoriam fecit Deus. Silere igitur volo in præsentia istorum, cætera opera quæ fecit, & quæ creationis sunt opera, non demirabor; non hominem omnium creaturarum memoriam. Memoriam enim fecit mirabilium suorum misericors Dominus Sacramentum, in quo omnia quæ fecit opera mirabilia, continentur. Quæ illa? Audite, Incarnationis, Natiuitatis, diuinæ conuersationis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis. Hæc sunt quæ continentur. Iam de singulis videamus.

Quorum mysteriorum in Eucharistia memoria cõtineatur.

1. Incarnationis. D. Thom.

Incarnationis primò hic memoria est, veritas & recapitulatio. Veritas. Quid enim est Incarnatio? ipse Christus. Et quid Eucharistia? Ex D. Thom. continuata Incarnatio. Iuxta quod etiam D. Aug. in [...]l. de Sacerdotibus loquens sic ait. O dignitas Sacerdotum, in quorum manibus tanquam in vtero Virginis, verbum Dei incarnatur! Et Ecclesia de mysterio quotidie loquens: O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur! Accipite, ait Christus, hoc est corpus meum. Hæc considerans D. Chrysost. hom. 51. ad populum. Attendamus dilectissimi, quibus facti sumus digni. Parentes quidem aliis sæpe filios tradunt alendos: ego autem, inquit Christus, non ita, sed carnibus meis alo. Volui frater vester fieri, carni propter vos communicaui, & sanguini, & vicissim ipsam carnem, & sanguinem trado.

Chrysost.

Quotquot igitur huius participes corporis efficimur, & sanguinem degustamus, cogitemus quod illum sursum sedentem, & qui ab Angelis adoratur degustamus, videlicet Christum. Incarnationis enim veritas in hoc mysterio est, sicut etiam memoria & recapitulatio quædam. In Incarnatione verbum vnitum est carni vnione admirabili, per operationem Spiritussancti, accedente verbo & consensu Virginis, (hæc quæso distinctè notentur.) Ita in hoc Sacramento, accedentibus verbis consecrationis, à Sacerdote prolatis, per operationem admirabilem Spiritussancti, fit primò conuersio panis, in carnem Christi, &c. Et propterea vnio etiam admirabilis ipsius Christi cum speciebus panis, quod quidem Sacramentum constituit. Item in Incarnatione Deus dicitur absconditus in homine, quomodo apud Isa. 45. dicebatur de eo; *In te est Deus, absque te non est Deus: verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator* (IESVS.) Ita miro modo in hoc mysterio videtur, & dicitur absconditus sub speciebus, & accidentibus. Memoriam hic certè Deus fecit mirabilium suorum.

Isa. 45.

2. Natiuitatis.

Secundò, Natiuitatis eius memoriam etiã hic videamus. Nascendo, veritas de terra orta est (virginali.) Etiam ibi vbi Christus veritas oritur de terra accidentium, conuersione facta substantiæ panis, in proprium eius corpus. Per hoc Sacramentum, Altare item nostrum efficitur Bethleem, domus panis. Altare, sicut præsepe, diuinitate plenum est: ibi erat Christus pannis inuolutus; hic speciebus panis: ibi erant in porticu Angeli collaudantes; hic in atriis Sanctuarij Sacerdotes psallentes: ibi cum Angelis erant & pastores, & Reges adorantes; hic etiam cum eisdem Sacerdotibus Reges adorant, cum subditis.

3. Diuinæ conuersationis.

Sed tertiò memoriam adhuc videte diuinæ eius conuersationis in terra, vbi iam nobiscum est vsque ad consummationem sæculi, Emanuel, nobiscum Deus. Memoriam fecit mirabilium suorũ, &c.

4. Passionis.

Memoriam quartò admirabilium videamus, mirabilis eius Passionis: nam eo tempore, & eo fine, hoc mirabile mysterium instituit, vt apud S. Matt. legitur, & D. Paulum, qui sic accepisse (1. Cor. 11.) à Domino nobis tradidit, nempe, qua nocte tradebatur, panem accepisse. Pro cuius mysterij intelligentia sciendum, duo esse in eo, nempe & Sacramentum, & sacrificium. Vt Sacramentum, continet Christum, & comeditur: vt sacrificium verò, ipsum Christum offert, & immolatur. Dicamne? vt Sacramentum, alimentum est animæ, & causa meriti, iis qui dignè suscipiunt: vt sacrificium verò, hostia est & satisfactio, simúlque Passionis memoria, & cruenti sacrificij in Cruce. Vnde canit Ecclesia: O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis eius! Ecce duo, recipitur, atque offertur:

1. Cor. 11.

Duo sunt in Sacramento Eucharistiæ.

vt Sacramentum recipitur, vt sacrificium offertur, & simul memoria recolitur.

Propterea hic duo summopere notanda sunt. Vnum est Christum adhuc hodie pro nobis, in hoc mysterio, perpetuum Deo patri honorem deferre, vt sacrificium est. Alterum, infinitam sui, & continuam communicationem nobis facere; vt Sacramentum. Memoriam fecit mirabilium suorum Christus.

5. Resurrectionis. Iohan. 6. Quintò adhuc Resurrectionis eius in hoc mysterio memoriam videamus. Ecce Iohan. 6. *Qui manducat meam carnem, &c. habet vitam æternam; & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Vbi causa, & vnde ratio spei eiusmodi? Eucharistia: Resurrectionis enim memoria est. Excipite rursus. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: ita qui manducat me, ipse viuet propter me. Hic est panis qui de cœlo descendit, panis vitæ, & semen resurrectionis. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Hinc Dauid Psal. 42. Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam, id est, renouat. (Psal. 42.)

6. Ascensionis. Verùm sextò & vltimò, Ascensionis Christi, & simul nostræ gloriæ memoriam & mysterium consideremus. Christus virtute propria, & vi humanitatis suæ gloriosæ, ad cœlos ascendit, iterque à terra ad cœlum tam grande conficit: & nos in istius panis virtute ambulamus vsque ad montem Dei Horeb; in illiúsque fortitudine, iter nostrum conficimus, hinc nostrum viaticum est. Psal. 83. Passer inuenit sibi domum, & turtur nidum. Altaria tua, Domine virtutum, Bethleem mea sunt, & domus panis. Sed quid dicam, cùm etiam virtute istius panis, terra nobis fiat cœlum? Ita Chrysost. hom. 24. in Epist. ad Corinth. Dum sumus in hac vita, vt terra nobis fiat cœlum, facit hoc mysterium. Aperi cœli portas, & perspice, quia quod illic omnium maximum est, & maximè honorandum, non solùm hic vides in terra, sed tangis & comedis, eóque accepto domum reuerteris. O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur! (Ps. 83. Chrysost.)

De causis institutionis, vbi de Missa agitur.

Catechesis XCIX.

Tres causæ institutionis. 1. Ex iam prædictis rationes inueniuntur, cur hoc diuinum Sacramentum instituerit Christus, quæ tres sunt præcipuæ. Prima est, vt cœleste animæ nostræ alimentum esset, cibúsque quo spiritualem vitam tueri, & conseruare possemus. Caro mea verè est cibus. Ego sum panis vitæ, & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: vnde qui manducat, habet vitam æternam; & nisi manducaueritis, non habebitis. Quare D. August. hom. 26. in Iohan. Qui vult viuere, habet vnde viuat, & vbi viuat: accedat, credat, incorporetur. Viuere vis de Spiritu Christi? Esto in corpore Christi. Chrysost. Cogita, ô homo, quali sis insignitus honore; quod Angeli non audent liberè intueri, propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur: huic nos vnimur, & efficimur vnum Christi corpus. Cogita quali mensa fruaris; conuiuium est, in quo Christus sumitur ad vitam. Vnus sit nobis dolor, hac esca priuari. hæc ille. Ecce prima ratio & causa, vt sit alimentum vitæ. Vnde & eosdem effectus operatur in anima, quos naturalis panis in corpore, nimirum vitam, augmentum gratiæ, & calorem charitatis, (iis qui dignè suscipiunt.) (S. August. Chrysost.)

2. Secunda, vt Ecclesia perpetuum sacrificium haberet, quo peccata nostra expiarentur, & cœlestis pater sceleribus nostris sæpe grauiter offensus, ab ira ad misericordiam conuerteretur. Hoc sacrificium Missa est, nouæ legis sacrificium. Quod vt intelligatur, sciendum propriè quid sit Missa. Missa igitur, etiam ex Sanctæ Synod. Trident. explicatione, non solùm laudis est, & gratiarum actionis sacrificium, aut commemoratio nuda sacrificij, quod in Cruce factum est; sed etiam verè sacrificium propitiatorium, quo Deus nobis propitius redditur oblatione filij sui: ita vt vnum atque idem sacrificium sit quod in Missa peragitur, & quod in Cruce oblatum est, sicut in Missa, & in Cruce, vna & eadem hostia Christus qui offertur, Heb. 9. semel per proprium sanguinē in Cruce æterna redemptione inuenta, in Altari multoties sine effusione. Si enim aliqua differentia sit, illa est tantùm respectu aut temporis, aut loci, aut modi, non verò hostiæ. Neque enim cruenta, & incruenta hostia, duæ sunt hostiæ, sed vna tantùm, & vnus atque idem Sacerdos est, qui est Christus Dominus, in Altari, sicut in Cruce. (Quid sit Missa.)

Etenim ministri, qui in Altari sacrificium faciũt, non suam, sed Christi personam suscipiunt, cùm eius corpus & sanguinem conficiunt. Et certè id facilè consecrationis verbis ostenditur, cùm in persona Christi dicit Sacerdos; hoc est corpus meum. Sic enim in extrema cœna institutus est ab eo Sacerdos, & minister tanti mysterij, cùm videlicet illud instituens, discipulis ait: Hoc facite in meam commemorationem.

Tempus institutionis Missæ. Quare si quis interrogaret ex quo tempore Missa instituta est & cœpit. Respond. pridie quàm pateretur Christus. Tunc enim Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, se in æternum institutum declarans, corpus & sanguinem suum in vltima cœna, sub speciebus panis & vini, Deo patri obtulit: ibique ordinem Sacerdotum post se instituens, idem munus eis demandauit dicens: Hoc facite, &c. Vnde quod semel instituit, & fecit, quotidie fit, simúlque in altari sacrificio incruento, cruenti in Cruce sacrificij vtiliter memoria recolitur. De hoc Malachias apertissimè loquutus fuerat his verbis: *Ab ortu Solis, vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus.* (Malach. 1.)

Ecce prædictio, & significatio Missæ. Sacrificium nostrum est sacrificium Altaris in omni loco, ab ortu Solis, vsque ad occasum, sacrificium quod vni Deo fit & offertur. Dico, quod vni Deo offertur: neque enim illud prætermittendum quin explicetur, nimirum, quòd licet in memorias Sanctorum, Missas in Ecclesia sæpius celebremus, tamen non illis sacrificium offerre solemus, sed vni Deo offerimus, qui illos coronauit gloria, vt & illi gratias agamus, qui sic illos glorificauit, & beatificauit, & eorum pariter associemur meritis, ac precibus adiuuemur, quorum hic in terra memoriam facimus. Illis dicimus in sacrificio vt orent: Deo autem soli; Tibi Domine hoc sacrificium offerimus.

En igitur ratio & causa institutionis tanti mysterij

sterij, nimirum, vt haberet Ecclesia perpetuum sacrificium, quo Deus redderetur nobis propitius & misericors, & viuis & defunctis in Ecclesia. Hac ratione sacrificium est; vnde in altari Deo offertur: sicut ratione alimenti spiritualis vitæ nostræ, dicitur Sacramentum; vnde in altari manducatur. Huius rei figuram in Agno paschali videre est, qui vt sacrificium, & Sacramentum, à filiis Israël & offerri, & comedi consueuerat. Ita in hoc mysterio offertur vt sacrificium, comeditur vt Sacramentum. Ecce vtilitates, & duæ primæ institutionis eius rationes. Tertia restat.

Figura.

Continuatio tertiæ partis, vbi adhuc de Missa.

CATECHESIS C.

3. Institutionis Eucharistiæ causa.

TERTIA & vltima ratio quæ superest, cur Christus hoc instituit Sacramentum, est, vt principij amoris Dei erga nos continua esset memoria. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: & sic filius, vt seipsum daret, & morti offerret. Hæc omnia continet, & horum memoria est. Quid igitur vult Deus? vt nunquam obliuiscamur beneficium huiusmodi, nec alia cum illo. Vnde ecce memoria est. In veteri Testamento figura erat, in custodia & asseruatione manna. Non solùm enim volebat Deus, vt filij Israël manna manducarent, quod dabat eis, & pluebat de cœlo: sed etiam in memoriam huius beneficij, & liberationis ipsorum de Ægypto, sicut & cæterorum, vt plenum vas asseruarent. Ita Christus non solùm hoc instituit, & dedit ad vitam, sed ad memoriam, voluitque eo fine, & ob necessitatem nostram; vt in Templis asseruaretur.

Figura.

Denique voluit, vt in tremendis altaribus perfecta memoria esset mortis eius, sacrificiumque Missæ, & simul sacrificium esset, & memoria in Cruce peracti sacrificij, scilicet passionis, & totius vitæ eius. Ordinem videamus. Missa in tres diuiditur partes principales. Prima est ab introitu vsque ad oblationem. Secunda ab oblatione vsque ad postcommunionem. Tertia à postcommunione vsque ad finem. In his tribus partibus totius vitæ Christi memoriam ordine videamus.

Missæ tres sunt partes.

Missa commemoratio vitæ Christi.

In prima parte sunt Introitus, Epistola, & Euangelium. Introitus significat ingressum Domini in hunc mundum & Natiuitatem: vnde Sacerdos confessione facta vt præparatione, (nec enim pars Missæ est, sed præparatio) osculatur ante omnia altare, vt denotet vnionem verbi cum carne, & Christi cum Ecclesia, iuxta illud Cantic. *Osculetur me osculo oris sui.* In ipso autem Introitu continentur, & exprimuntur ea quæ & præcesserunt, & in ipso aduentu gesta sunt. Quæ præcesserunt, vt desideria, & clamores Prophetarum, & hoc per repetitionem ipsius Introitus, & Kyrie eleison. Item quæ in ipso gesta sunt aduentu & Natiuitate, nempe laudes Angelorum, & gratiarum actiones, & hoc per psalmodiam; Gloria in excelsis Deo.

Cant. 1.

Post sequitur instructio per Epistolam, & Euangelium, vt intelligatur quia lex, & Euangelium, vetus & nouum Testamentum, de Christo dant testimonium. Interim fit antè collecta & oratio, vt detur intelligi, quomodo populus debet esse collectus, & auxilium petere à Deo, vt mysteria intel-

A ligat. Similiter legitur Euangelium in latere dextro altaris, primumque relinquitur latus, quod sinistrum erat, vt & excellentia denotetur maioris doctrinæ, & quomodo per Euangelium Christi, à læua temporalium, ad dexteram æternorum transferimur, ab vmbris & figuris, ad lucem & veritatem; denique à peccato, ad gratiam.

Item accenduntur lucernæ, & thura dum legitur, vt intelligi detur, quoniam prædicatio Euangelij illuminauit vniuersum mundum, eumque adorauit, & odore Christi repleuit: finito Euangelio, Credo dicitur, vt fides notetur, quæ prædicationem sequuta est. Post Credo, statim sequuntur Secretæ, quæ significant consilia Euangelica, quæ

B perfectiores sequuntur. Hæc sunt quæ tempore Christi, & gesta, & prædicata sunt, quorum in Missa memoria est in prima eius parte. Nunc ad Passionem veniamus, & memoriam eius, quæ in secunda huius sacrificij parte recolitur.

Sequitur oblatio, vbi omnia præparantur, & offeruntur consecranda. Sed & illa omnia in silentio, & submissa voce fiunt, vt notetur silentium Christi, cùm ad occidendum quæreretur à Iudæis: Iohan. 11. Ab illo die, nempe suscitationis Lazari, cogitauerunt Iudæi vt interficerent illum. IESVS ergo iam non in palàm ambulabat apud eos, sed abiit in regionem iuxta desertum, in Ciuitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum disci-

2. Pars Missæ, & eius significatio.

Ioh. 11.

C pulis suis. Ita legitur cap. 7. quod propter metum Iudæorum, nemo palàm loquebatur de illo. Ecce quomodo Missa notat punctualiter omnia.

cap. 7.

Sed quidnam post illud silentium sequitur? Præfatio, quæ voce alta pronunciatur, cum illa iubilatione, Osanna, &c. vt ille magnificus in Hierusalē ingressus significetur. Quo finito Canon sequitur, vsque ad communionē, vbi distinctè omnes partes Passionis repræsentantur: in consecratione, & oblatione, veritas mysterij, & sacrificij: in eleuatione hostię, eleuatio in Cruce: in cōmemorationibus, commendationes, matris discipulo, & animæ propriæ in manus patris: in oratione Dominica, oratio patri in Cruce facta, latronis exauditio, & generis

D humani reconciliatio: in fractione hostiæ, vulnus lateris: in percussione pectoris, cum Cantico Agnus Dei, Centurionis dolor, & fletus Mariarum: denique in communione, sepultura. Ecce quid illa pars secunda significet.

Tertia autem, quæ à postcommunione incipit, & in gaudio decantatur, cum Alleluya, & oratione, in gratiarum actione, Resurrectionem significat: sicut, Ite, Missa est, Ascensionem: benedictio Sacerdotis; Aduentum Spiritussancti: & in fine Euangelium, prædicationem ipsius ab Apostolis per vniuersum orbem. Ecce mysteria, ecce quæ attentionem nostram postulant, & reuerentiam in conspectu tanti mysterij.

3. Pars Missæ, & eius significatio.

E Si sacrificia veteris legis, de quibus & Ps. 39. & 50. scriptum est; *Sacrificium & oblationem noluisti.* & iterum; *Si voluisses sacrificium, dedissem vtique; holocaustis non delectaberis:* interim ita Deo placuerunt, vt Gen. 8. testetur Scriptura Deum accepisse vt gratissima. Quid nobis sperandum de eo, in quo ille ipse immolatur, & offertur, qui Deus est, & de quo bis illa vox de cœlo audita est: Hic est filius meus dilectus? O si vnius Missæ valorem, & dignitatem comprehenderemus! vbi Deus offertur, datur, adoratur.

Ps. 39 & 50.

Gen. 8.

De multiplici vsu & fructu communionis.

CATECHESIS CI.

EX supradictis rationibus, cur Christus Dominus hoc instituerit mysterium, vna erat & prima, vt alimentum esset vitæ nostræ: sub qua etiam ratione Sacramentum est datum manducandum hominibus. Hinc multiplicem eius vsum, & fructũ colligo & considero, Primò quoad vsum, video nunc tria esse hominum genera, qui ad hoc Sacramentum accedunt, vt suscipiant. Alij enim sacramentaliter tantùm recipiunt, vt peccatores, qui in vsu, & manducatione tantùm recipiunt Sacramentum, & non rem seu effectum Sacramenti, nimirum gratiam. Cùm enim impuro ore, sicut corde recipiunt, licet veritatem, non tamen effectum recipiunt. Ij quos Paulus 1. Cor. 11. dicit indignè manducare, & bibere. Ij quos ait iudicium sibi manducare & bibere, nec diiudicare corpus Domini. Ij de quibus sic Aug. Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio non manducat spiritualiter eius carnem, scilicet vt effectum recipiat, licet carnaliter, & visibiliter premat dentibus Sacramenta corporis, & sanguinis. Quare nullus huc peccator, & Iudas accedat, sed si quis sit discipulus, & iustus, veniat: dicit enim Dominus noster, Pascha cum discipulis meis facio.

Triplex vsus Eucharistiæ.

1. Cor. 11.

Vnde ex iustis & discipulis, alij sunt, qui tantùm spiritu, seu spiritualiter suscipiunt, scilicet ij qui viua fide & charitate incensi panem hunc desiderant, & voto comedunt. Etenim tunc eius effectum, nimirum gratiam, recipiunt, quod est spiritualiter recipere. Aug. tract. 36. in Iohan. Panem de altari spiritualiter manducare, est innocentiam ad altare portare.

2. Vsus.

S. August.

3. Alij denique, qui & Sacramento, & spiritu hunc panem recipiunt, seu sacramentaliter, & spiritualiter, nimirum ij qui probati, & nuptiali veste induti, ad hanc diuinam mensam accedunt, vt manducationi panis Angelorum communicent. Propter quod dicebat Apostolus; *Probet seipsum homo*, &c. Nam quod illa manducatio postulat, magna præparatio est. Quæ primò consistit in summa cura & diligentia animi, vt nihil nobis desit integritatis, & innocentiæ: exemplo Christi, qui antequam Apostolis suis hæc diuina corporis, & sanguinis sui Sacramenta daret, eorum pedes lauit, etiamsi mundi essent; & hoc, vt ostenderet quantam tunc diligentiam oportebat afferre.

In quo consistit præparatio ad Eucharistiã suscipiendam.

Secundò consistit, vt mensam à mensa discernamus, hanc sacram à profanis, & diuinum hunc panem à communi. Quod propriè est quod desiderat S. Paulus, nimirum diiudicare corpus Domini, & iuxta hoc probare seipsum. Qui sic animo rectè præparato accedit, amplissimis certè gratiæ ditatur muneribus, ingentesque ex eo percipit vtilitates: sicut è contrà, impræparatus detrimenta maxima. Hoc enim rebus optimis, & salutaribus proprium est, vt si bene dispositus sis, & constitutus, prosint; si verò malè, summopere noceant, etiam vsque ad iacturam vitæ: exemplo cibi, qui in stomachum sanum, & bene affectum iniectus, corpus sustẽtat, & alit, è cõtrà malè affecto perniciosus est.

A Sed exemplum potiùs Arcæ Domini afferamus, quæ inter Israëlitas, & populum Dei, omnis gratiæ & benedictionis occasio erat, inter Philistæos è contrà causa & ratio mortalitatis. Sic accidit de hoc tam admirabili & diuino sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, sicque de vsu diuinissimi huius cibi. Nisi simus populus Dei, & Israël, mortis & iudicij nostri occasio erit; & nisi animum sanum, & bene affectum habuerimus, statim inde pro vita, excipiemus mortem: qui enim manducat indignè, iudicium sibi manducat, non diiudicans, &c. Quod si è contrà probatus, sic edat, omnes statim fructus excipiet. De nonnullis nonnihil dicamus. 1. Reg. 5.

B Primus est vita gratiæ, & gloriæ: principalis enim vt Sacramenti effectus ille est; Ego sum panis vitæ, qui manducat me, viuet propter me. Et iterum: Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam. Vnde dicit S. Hilarius lib. 8. de Trinit. Hæc vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habeamus, victuri per eum ea conditione, qua viuit ille in patre. D. Tho. 3. part. quæst. 70. art. 1. exemplum affert. Sicut, inquit, in mundum visibilis veniens, contulit mundo vitam gratiæ, iuxta illud Iohan. Gratia per IESVM Christum: ita in hominem veniens sacramentaliter, vitam gratiæ operatur, iuxta illud: Qui manducat me, viuet propter me, & consequenter vitam gloriæ. S. Hilar. D. Thom.

C Secundus est vnio cum Christo. Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo. O qualem effectum!

Tertius est ipsa transformatio, iuxta quod & D. Aug. lib. Confess. vocem audiuit sibi dicentem. Cibus sum grandium, cresce, & manducabis; nec tamen tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Sic enim accidit, vt qui dignè & frequenter communicat, interiùs totus in Deum transformetur, & propriè cum illo resurgat, vota eius & desideria Dei sint, verba, & opera. Sed aduertendum, (grandiũ cibus sum) & (cresce,) vt in nobis quid oporteat esse agnoscamus; nimirum vitæ principium, non est enim nisi viuentium cibus, & non mortuorum. Nam sicut corpori mor- D. August.

D tuo nihil prodest naturale alimentum & cibus: ita animæ, quæ spiritu non viuit, & calore gratiæ, nihil hoc vitæ alimentum prodest; nõn nisi in viuentes, & qui crescunt, operatur. Transformationis enim istius quam operatur, fundamentum, spiritus vitæ est, sine quo etiam nullus est fructus.

Quartus est abolitio, & purgatio peccatorum, quæ remanere in anima non patitur. Hinc dicit S. Ambros. quod iste panis quotidianus, sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis, sicut in tremendis altaribus, sanguis qui effunditur in remissionem peccatorum. Figura est 1. Reg. 5. vbi idolum Dagon iacet confractum coram Arca Dei. S. Ambr. 1. Reg. 5.

E Quintus est vis & fortitudo aduersus omnes difficultates, & tentationes. Propterea D. Cypr. refert, quod cùm olim Martyres ad tormenta, & mortem raperentur, mos vetus in Ecclesia erat, vt eis ab Episcopis diuina corporis & sanguinis Sacramenta præberentur, vt sic in salutari certamine roborarentur, & in acerbitate tormentorum non deficerent animo. D. Cypr.

Talis est adhuc hodie virtus Sacramenti. Nemo est qui in aduersis communione non sentiat auxilium. Consilium meum est; tentati estis, aut afflicti, recurrite statim ad diuinum Sacramentum. Cæteros hic fructus eius sileo, quia in genere omnium bonorum thesaurus est.

Quare

A Quare ad dispositionem recipiendi venio, necessariam iis qui & sacramentaliter, & spiritualiter recipere desiderant, id est, realitatem cum effectu Sacramenti, qui vita est, vnio cum Christo, transformatio in ipsum, peccatorum abolitio, & contra omnes aduersitates præsidium. Hoc enim proprium est iustis in Ecclesia qui recipiunt, iuxta triplicem differentiam eorum, qui ad illud hodie accedunt, vt notauimus, & in sua veritate differenter recipiunt. Fuerunt enim quondam qui figuratiuè tantùm receperunt: & ij Israëlitæ erant, qui manna habebant, nostræ figuram & vmbram veritatis. O hæretice, ecce qui in figuris tantùm manducabant, hoc erat in Synagoga. Nunc autem in Ecclesia non est, vbi veritas est. Quicumque enim in Ecclesia recipiunt, in veritate, & realiter recipiunt, licet differenter. Alij tantùm sacramentaliter, vt peccatores: alij tantùm spiritualiter, vt iusti in voto, qui tunc effectum recipiunt: alij verò, qui & sacramentaliter & spiritualiter, vt iidem iusti, qui cum dispositione ad eiusmodi accedunt Sacramentum, vt manducent.

Triplex dispositio. De dispositione igitur loquamur. Triplex est: vna ante communionem: altera in communione; altera post eandem.

1\. Prima dispositio, nempe ante, tria requirit potissimùm. Primum est puritas conscientiæ; *Probet seipsum homo*, &c. Confiteatur, nam peccatum impedit fructum. Secundum est animæ & cordis desiderium: sic enim esurientes, ait B. Virgo, impleuit bonis. Legitur de B. Catharina Genuensi cap. 28. vitæ huius, quod de tribus ei propositis interiùs, duo erant, quæ nunquam velle poterat, nempe peccatum, & mortem Christi pro peccato. Tertium auté quod nunquam recusare poterat, aut non velle, nempe Sacramentum Eucharistiæ. Circa illam enim famem habebat continuam. Hæc optima est dispositio. Paulus vt cum Christo esset, dissolui cupiebat: nos autem esse cum illo absque morte possumus. Quid ergo superest nobis, nisi vt desideremus? Tertium est, vt inuicem reconciliemur Matth. 5. *Si offers munus*, &c. *Matth. 5.*

2\. Secunda dispositio quæ in ipsa communione debet esse, tria item maximè requirit. Primò, fidem viuam, vt cum Thoma, dum tangimus, & suscipimus, dicamus, Dominus & Deus meus. Secundò, spem veram: qui enim spem habet, ait Iohan. sanctificat se. Tertiò, amorem cum humilitate, tam ex consideratione memoriæ Passionis ibi, quàm ratione magnitudinis præsentis beneficij & doni, vt cum Centurione dicamus: Domine non sum dignus; & cum Petro, Domine recede à me, quia homo peccator sum. Verumtamen sicut desiderat Ceruus, &c.

3\. Tertia dispositio est post communionem, quæ adhuc tria postulat. Primum est oblatio nostri, sed cum repræsentatione nostræ paupertatis, vt de omnibus disponat. Secundum est custodia cordis, & omnium sensuum. *Glorificate*, ait Paulus, *& portate Deum in corpore vestro.* Tertium denique est exercitium bonorum operum cum oratione, vt sic in nobis, ac in omnibus glorificetur Pater cœlestis, & bonus odor Christi simus in omni loco.

* * *

DE POENITENTIA.

Nisi pœnitentiam habueritis, omnes peribitis. Luc. 13.

CATECHESIS CII.

De necessitate, significatione & causa pœnitentiæ.

B CHRISTVS Dominus his verbis Luc. 13. pœnitentiæ satis necessitatem declarauit. Vulgata est illa D. Hieron. sententia super Isa. 3. quia secunda est post naufragium tabula. Vt enim nauigantibus, naui confracta, vnum restat seruandæ vitæ remedium, si fortè vnam tabulam de naufragio liceat arripere: ita post amissam innocentiam, nisi ad pœnitentiæ tabulam confugiamus, de salute desperandum est. *D. Hieron.*

Duæ sunt, & solæ ad cœlum viæ, innocentia, aut pœnitentia. Quisque probet, & videat in quanam sit. Domine, inquiebat Psaltes, quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Hæc est generatio quærentium Dominum. Psal. 23. & iterum: Quis ascendet in montem Domini? Innocens manibus, & qui non accepit in vano animam suam, & qui loquitur veritatem in corde suo, & operatur iustitiam, id est, pœnitentiam pro peccato. Apud eundem Prophetam; Innocentes, & recti adhæserunt mihi. Apud Matth. Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cœlorum. Hæc est enim iustitia, quam operari post peccatum debemus. Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, (bene omnia notate) vita viuet. Quomodo cap. 33. Nolo mortem impij, sed vt conuertatur à via sua, & viuat, scilicet vita beata, & æterna: alioquin nisi pœnitentiam egerit, pereat & moriatur necesse est. Luc. 13. Nisi pœnitentiam habueritis, &c. Aut innocentia, aut pœnitentia ad cœlum via est. Hinc est quod Concil. Trident. dicit, non minus necessarium esse ad salutem lapsis post Baptismum, hoc pœnitentiæ Sacramentum, quàm Baptismum ipsum nondum regeneratis. *Duæ ad cœlum viæ. Psal. 14. Psal. 23. Ezech. 18. cap. 33. Luc. 13.*

D. Tho. hoc mirè explicat 3. par. quæst. 84. art. 5. vbi docet aliquid dici necessarium ad salutem dupliciter. Vno modo absolutè, vt id sine quo haberi non potest; eiusmodi est gratia Christi, & Baptismus, sine quo nullus renascitur in Christo, & saluari potest. Alio modo necessarium dicitur ex suppositione, vt pœnitentia, quæ posito peccato, ad salutem necessaria est omnibus. Atque hoc ideo, quia necessarium est, vt impedimentum salutis, quod est peccatum, remoueatur: hoc autem fieri nequit absque illo Sacramento, in quo ex dispositione pœnitentis, & per absolutionem Sacerdotis simul, operatur virtus Passionis Christi. *D. Tho. Dupliciter aliquid est necessariũ ad salutem.*

Ecce necessitas, qua posita, secundò distinguendum est, quæ illa sit pœnitentia, seu in quo consistat, vel quid hoc significetur nomine. Quatuor sunt. Primum est, hoc nomine significari in genere omnem displicentiam & tristitiam animi, de re quæ antea placebat, nulla habita ratione, quod sit bona, *Quatuor hoc nomine pœnitentia significantur.* 1.

bona, vel mala, vt iis accidit quos sola passio gubernat. Et hæc pœnitentia dicitur secundum mundum tristitia, quæ mortem operatur, de qua Paulus
1.Cor.7. 2.Cor.7. *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, sæculi autem tristitia mortem operatur.*

2. Secundum est, hoc nomine virtutem significari, beneficio cuius quod antea placebat peccatum animæ displicet, seque commisisse illud pœnitet doletque: hæc in dolore interno est. Vnde vitium contrarium, impœnitentia dicitur, scilicet quia semper homo in peccatis delectatur, & perseuerat, vt in reprobis & obduratis videre est.

3. Tertium est, significari hoc nomine signum externum doloris, scilicet pœnam, & animaduersionem quam sumit homo de peccatis, vt de illis satisfaciat Deo. Sic dicimus aliquem pœnitentiam agere, qui affligit se ieiuniis, oratione, macerationibus. Hoc sensu dicit
Aug. August. lib. de vera, & falsa pœnitentia cap.8. Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commisisse. Et hac ratione quidam actus iustitiæ est, quam in genere commutatiuo secundum quid ponimus, scilicet inquantum filius, & seruus, patri suo, ac domino satisfacere conatur.

4. Quartum est, hoc nomine Sacramentum ipsum Pœnitentiæ significari, vt à Christo institutum est, ad remissionem peccatorum, confessione & contritione pœnitentis, & absolutione Sacerdotis vt præcipuis partibus constans. Sic apud Iohan.20.
Iohan.20. *Quorum remiseritis peccata,* &c. Propterea ait Dominus; *Accipite Spiritum sanctum.* Nam vbi peccator confessus est, & Sacerdos exteriùs verba pronuntiauit, Deus interiùs ab omni peccato & vinculo, vi verborum istorum absoluit. Hocque modo Pœnitentia est Sacramentum, sub qua ratione hic à nobis sumitur, & consideratur.

Verùm quantum excellens sit hæc virtus, & quanti ponderis hoc Sacramentum, ex multis gradibus, quibus ad illud peruenitur, ex Catech. Concil. Trident. concipitur: ordo enim eiusmodi est.
Gradus quibus ad pœnitentiā peruenitur. Primò, nos ad id præuenit Dei misericordia. Propterea
Ierem.5. Ierem. 5. Conuerte nos ad te Domine, & conuertemur. Secundò, sequitur illustratio fidei,
Hebr.11. qua ad Deum accedimus. Heb.11.

Tertiò, motus quidam, & apprehensio timoris, quo suppliciorum acerbitate proposita, terretur anima, atque à peccato, ad pœnitentiam reuocatur, iuxta illud Sap. *Initium sapientiæ timor Domini.*
Sap.11. Isa.26. Hucque spectare videntur illa Isa.26. verba: Sicut quæ concipit, cùm appropinquauerit ad partum doloris, clamat in doloribus suis; sic facti sumus. Psal. A iudiciis tuis timui, & pericula Inferni inuenerunt me. Ita Abac.3. Audiui, & timui, audiui,
Abac.3. & conturbatus est venter meus, à voce contremuerunt labia mea.

Quartò, accedit spes misericordiæ, qua erecti vitam, & mores emendare constituimus, ex D.Ioh. Qui spem habet sanctificat se. Secundum autem altitudinem cœli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se. Ecce vnde spes & sanctificatio.

Quintò & vltimò, charitas oritur, qua semel corde accenso peccata detestamur, & facimus dignos pœnitentiæ fructus: conterimur corde, confitemur ore, atque opere satisfacimus: sicque reconciliati Deo & Ecclesiæ, quidquid est istius Sacramenti, exequimur vt oportet, & percipimus. Exequimur iniunctionem, & percipimus gratiam.

Ecce quàm vtile est, & necessarium, supposito A peccato: peccatum enim est, quod solum pœnitentiæ causa est, & ratio, sicut illa sola pœnitentia est, quæ peccatorum abolitio est. Peccasti, pœnitentiam age. Pœnitentia iustis posita non est, sed peccatoribus, & iniustis. Vide ergo vt qui indignè, & iniustè peccatum fecisti, dignam, & iustam pœnitentiam facias.

De materia & partibus Pœnitentiæ.

Catechesis CIII.

B INFINITÆ bonitatis Christi est, quod ex peccato oriatur nobis gratiæ occasio: author peccati homo est, author gratiæ Christus. Peccatum materia est pœnitentiæ, pœnitentia peccati remedium. Igitur oportet, vt quod fecimus malum, pœnitentia destruamus. Hoc est remedium, quod ex sua bonitate Christus inuenit, & dedit nobis aduersus peccatum, scilicet Pœnitentiæ Sacramentū.

Quare quid sit hoc peccatum, & quantum malum, ante omnia videndum est, vt hinc etiam huius Sacramenti vtilitatem magis agnoscamus, cuius & illud materia est. Propterea vt cuncta istius horribilis mali mala breui complectar, tria circa illud considerationum genera proponam.

C Primum erit consideratio remedij, scilicet passionis Christi, & consequenter odij, quo ipsum ad mortem vsque est [illegible]quutus. Post D.Bern. hoc considero, Serm.3. de Natiuit. Ex consideratione, inquit, remedij, periculi mei æstimo quantitatem. Sanus mihi videbar, & ecce mittitur filius virginis, & Dei altissimi filius, & iubetur occidi, vt vulneribus meis pretioso sanguinis ipsius balsamo medeatur. Agnosce ô homo, quàm grauia sunt illa vulnera, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari, crucifigi, mori. Hinc odium patet, quod habet aduersus peccatum, quia maluit mori, quàm ipsum viuere. Et certè etiam ex eo quod multum placet dæmoni, vt ex eius tentandi assi-
D duitate patet: ita apparet quàm Deo displiceat, cùm neminem possit odisse, nisi ratione peccati, nec quemquam amare in quo est peccatum. Nam si filium propriū, suscepta similitudine carnis peccati, voluit Deus crucifigi, vt simul peccatum crucifigeretur; quid faciet seruo vilissimo, in quo ipsa est caro peccati? Maximum igitur odium est erga hunc inimicum, cùm Deus filium, & filius seipsum, cum hoc inimico occidi potiùs voluerit, quàm ipsum non occidi. Quid est ergo peccatum? Mors atque odium Christi. Et quid est peccator? Inimicus Dei, & author mortis filij eius, ille qui Deum occidere aggressus, atque adhuc hodie aggreditur, iuxta illud Heb. 6. *rursum crucifigentes* Heb.6.
E *filium Dei.* Ille denique qui Deum suum creaturam faciens, Deum ipsum diuinitate sua spoliare tentat, & ita quantum potest occidere. Quantum ergo, & quàm horribile sit malum, ex hac prima consideratione colligitur.

Grauitas peccati ex tribus colligitur.
1.
D.Bern.

Secunda est consideratio damnorum, seu iacturæ omnium bonorum, iuxta illud Threnor. 2.
1. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius.* Primò, priuat nos beneuolentia Dei, & cura paterna. Ierem.22. Si fuerit Iechonias sicut annulus in dextera mea, inde euellam eum. Sic Isa.59. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Secundò, mortificat

Thren.1.
Ierem.22
Isa.59.

omnia

Ezech. 18. omnia bona opera. Ezech. 18. Si iustus auerterit se, &c. Tertiò, aufert ab homine ornamentum gratiæ, ius ad regnum [illegible], communicationem operum Ecclesiæ, filiat[illegible] [illegible]n Dei; imò & hominem à se ipso, quia & i[illegible] in seruitutem diaboli tradit, & quia melius e[illegible] [illegible]on esse, quàm perpetuò in illo statu esse. Denique ipsa opera bona vertit in mala, vt patet ex communicante in illo statu peccati, qui Deum tunc recipit in sui condemnationem, & iudicium. Ecce in hac secunda consideratione istius horribilis mali, mala omnia.

3. Tertia consideratio est malorum quæ affert, & plagarum omnium quas infligit animæ. Primò enim ipsam animæ substantiam quasi corrumpit, mutatque penitus, [illegible] [illegible]bominabilem reddens. Psal. 52. Corrupti su[illegible] [illegible] abominabiles facti sunt in iniquit[illegible]tibus suis. & Sap. 14. Pariter odio sunt, & abominabiles Deo, impius & impietas eius. Secundò, denigrat. Thren. 4. Denigrata est super carbones facies eorum. Tertiò, excæcat intellectum, vt nesciat discernere inter bonum & malum. Psal. 81. Nescierunt, non intellexerunt, in tenebris ambulant. Sic Sophon. 1. Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt. Sic denique & hanc veritatem experti damnati in tenebris dicunt Sap. 5. Errauimus, & Sol Iustitiæ non illuxit nobis. Quartò, peruertit ac simul deprimit voluntatem, cùm illam applicat malo, malo adhærere facit, ac seruire sensui. Quintò, denique, omnes facultates, superiores, & inferiores, Architectonicas, & ancillarias, totamque Rempublicam hominis captiuat miserrimè, ad obsequendum sibi in cunctis. Ecce quàm miserabiles plagas infligit animæ peccatum.

Psal. 52. Sap. 14. Thren. 4. Psal. 81. Sophon. 1. Sap. 5.

Post plagas sequuntur extrema & nouissima mala, nimirum mors, & extrema damnatio. Omnis mors, corporis, animæ, & vtriusque simul: mors naturæ, gratiæ, & gloriæ, quæ est damnatio. Per peccatum mors, omnis mors. Peccasti? Ecce mortis sententia; Statutum est omnibus hominibus, &c. Gen. 3. Terra es, & in terram ibis. & 2. lib. Reg. Omnes morimur, &c. Peccasti? Ecce: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Peccasti, & peccare non cessas? Ecce quam mortis sententiam cum aliis desperatis audies: Eant maledicti in ignem æternum. Mors depascet eos, æterna mors. Cauete igitur peccatores, ne amplius peccata committatis, quia fortè mors abbreuiabit dies vestros, in annos æternæ mortis. Quod Deus postulat, est, vt citò peccatum relinquatis, & de eo pœnitentiam agatis.

Gen. 3. 2. Reg. 14.

Sed quid sit peccatum quæretis. Diximus iam, & vniuersale malum est, & solum malum, causa & consummatio omnium malorum, quod contra Deum est, contra hominem, & vniuersalem creaturam, quod omni legi, & præcepto contrarium est. Quare sic à Theologis & Canonistis definitur: Recessus à regula diuina voluntarius. Dicitur recessus, quia substantia non est, aut entitas aliqua, sed deuiatio & defectus, seu separatio à regula, vt principio actionis debitæ, & conformis; vnde deformitas, & error: sed à regula diuina, per quam omnia præcepta intelliguntur, tàm supernaturalia, vt illa, de fide habenda, suscipiendis Sacramentis, de adoratione, & aliis eiusmodi: quàm naturalia, vt Decalogi: & humana etiam, vt Prælatorum, & superiorum. Omnia enim illa præcepta diuina dici possunt, & comprehendi sub ista diuina regula, quatenus à Deo sunt siue immediatè, siue mediatè. Natura enim, sicut omnis potestas tam humana, quàm Ecclesiastica, à Deo est, & omnia à Deo dirigit in vltimum finem & debitum: vnde recessus à tali regula in Deo, & constituta à Deo, dicitur peccatum.

Peccati definitio, & explicatio.

Sed additur, voluntarius, quia non omnis recessus est peccatum, nisi qui voluntarius. Peccatum enim, ait D. Aug. ita est voluntarium, vt si non sit, peccatum non sit. Quare quid sit hoc voluntarium, nunc explicandum restat. S. Aug.

Sciendum igitur tria esse requisita, & necessaria, vt aliquid voluntarium dicatur. Primum est, vt à voluntate procedat, siue quia in ipsa est, siue quia ab ipsa imperatur, aut acceptatur. Quod enim non est eiusmodi, voluntarium non est, vt voluntarium sit, necesse est vt acceptet voluntas. Secundum est, vt ex deliberatione procedat, ita vt sit in nostra potestate, vt sit, vel non sit, ad excludẽdos omnes primos motus, & coactiones. Tertium est, vt homo sciat, vel teneatur scire, se agere contra regulam. Ignorantia enim legitima à peccato excusat, & inuoluntarium facit, sicut voluntarium libertas voluntatis nostræ cum notitia, aut etiam ignorantia crassa, & culpabili. His enim conditionibus omne peccatum contrahitur, in operibus, verbis, & cogitationibus, præceptis, & legi Dei contrariis. Iuxta quod D. August. definit peccatum, omne factum, dictum, & concupitum contra legem Dei. Dixit contra, quia per hoc distinguitur peccatum mortale à veniali, quod est tantùm præter, aut non secundum legem, vt dicemus, & distinguemus statim, cùm de diuisione peccatorum agemus.

Tria requiruntur ad voluntarium. 1. 2. 3.

Definitio peccati ex S. August.

Interim ô Domine Iesv, author omnis gratiæ, & luminum Pater, da lumen, & gratiam, vt pondus hoc, & peccatum circumstans nos videamus, simul & deponamus. Si enim iniquitates nostras obseruaueris, quis sustinebit? Da Domine peccata plangere, & dignos pro ipsis pœnitentiæ fructus facere. Amen. Ad diuisionem eorum veniamus.

De peccatorum diuisione.

Catechesis CIV.

Eo tendit pœnitentia, vt nos in amicitiam & gratiam Christi restituat: in eo etiam fructus eius erit, si omnia penitus in nobis peccata deleat. Sicut gratiarum, sic & peccatorum diuisiones sunt, quorum omnium pœnitentia quærit & prosequitur abolitionem. Igitur differentia, & diuisio est multiplex.

Prima est in mortale ex genere suo, & veniale ex genere suo. Mortale dicitur, eo quod occidit animam, sicut ictum ensis dicimus mortalem, ex quo sequitur mors. Veniale autem dicitur, quia licet displiceat Deo, interim facilè veniam obtinet.

1. Diuisio peccati.

Vt optimè intelligatur ista differentia peccatorum, quod iam antè diximus, notandum, nimirum contingere duobus modis à Deo recedere, & obseruatione legis: vno modo sequendo viam contrariam, aut faciendo contra, quomodo dicitur peccatum mortale, quia ex se aufert gratiam, vnde sequitur mors spiritualis. Alio modo contingit iste recessus & deuiatio, sequendo viam diuersam, aut faciendo extra legem, & præter illam: & hoc modo in genere suo, dicitur peccatum veniale; peccatum quidem, quia recessus est à regula, sed veniale, quia ex se non aufert gratiam, licet debilitet. Quos enim benignus Dominus morti adiudicat, tantùm ij sunt, qui contra præcepta eius faciũt, & legem

Duobus modis à Deo receditur. 1. 2.

Psal. 18. & legem: de qua Psaltes; Lex Domini immaculata conuertens animas, præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Præcepta super mel dulcia, & desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum. Præcepta de quibus Christus ait; *Tollite iugum meum super vos, iugum enim meum suaue, & onus meum leue.*

In quo consistat formale peccati. Sciendum autem, in omni actione, aut omissione actionis, illud quod peccatum formaliter constituit, siue mortale, siue veniale, esse priuationem rectitudinis, sicut etiam illud quod in æternum remanet in peccato, vt [...] S. August. Cùm peccatum propter voluptat[...] [c]orporalem facis, transit voluptas, remanet p[eccat]um, transit quod delectat, remanet quod pungat: hæc ille. Ecce quod peccatum constituit, & æternum facit, priuatio est rectitudinis, seu carentia conformitatis actionum nostrarum, ad regulam diuinorum præceptorum.

S. August.

Duo quæ in peccato reperiuntur. In ista autem deordinatione, cùm peccatum mortale est, & penitus contra legem Dei, duo considerantur, auersio à Deo, & conuersio ad creaturam. Qui enim peccat, & præceptũ spernit, aliquo apparenti bono allectus, ob id à Deo se conuertit infinito, vero, & incommutabili bono, ad illud falsum, apparens, & creatum bonum; & sic Deum increatum, & creatorem propter creaturã relinquit perfectè quidem, verè & penitùs, peccato mortali: sicut imperfectè, initiatiue & dispositiuè, veniali. Quod semper Deo summa iniuria est, & grauissima certè cùm mortaliter deseritur, Deumq; suum homo creaturam facit. Hinc conqueritur Deus apud Prophetam. Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer. Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi, &c. Duo mala, inquit, peccando fecit, se auertit, & conuertit. Auersio à Deo fuit, conuersio ad creaturam. Et quid sequitur inde? Ex duobus illis malis duo alia mala maxima, duplexque obligatio ad pœnam, quæ exinde prouenit. Mala sunt, mac[u]la, & reatus, quæ sunt duo præcipui, & miserri[mi pec]cati effectus.

Duo effectus peccati.

1. Macula, quæ pri[uatio] est gratiæ, pulchritudinis animæ, & omnis ornatus eius. O qui deformitatem

2. eius ex tali priuatione videret! Reatus est obligatio ad pœnam æternam peccato debitam. Hæc autem obligatio iuxta illas duas prædictas peccati partes, nimirum, auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturam, etiam duplex est. Vna quæ dicitur damni, quæ pro ratione auersionis à Deo, etiam consistit in priuatione Dei; Discedite à me, &c. Tollatur impius, ne videat, &c.

Duplex obligatio ex peccato.

1.

2. *Obligatio.* Alia dicitur obligatio ad pœnam sensus: quæ ratione conuersionis ad creaturam [...] iustè etiam à creaturis causatur, & infligitur se[...]s. Qualis est pœna illa vniuersa, Inferni, igni[s, &] aliorum tormentorum: Ite maledicti in ignem æternum, vbi erit fletus, &c. Armabit contra insensatos omnem creaturam. & Psal. Pluet super peccatores laquos ignis, & sulphur pars calicis eorum. O qualem effectum, & peccati præmium! Et nonne etiam iustum est, vt qui pro Deo in æternum creaturam dilexit, à creatura torqueatur in æternum?

Quæso in ista duplici peccati pœna, damni & sensus, peccati grauitatem considerate. Sed quid addam, quando etiam & veniale solutioni vtriusque pœnæ subiectum est & obligatum? Quandiu enim remanet culpa venialis, tandiu priuatur anima visione Dei, flammasque patitur, & tormenta ignis, nec soluitur quoad vsque ab omnibus perfectè, & penitus purgata fuerit. Vnde in hoc tantùm differunt damnatorum animæ in Inferno, ab iis quæ in Purgatorio sunt, vt iustorum, quod illæ iacturam Dei, & tormenta in æternum sustinent, cum ira Dei, & desperatione: hæ verò solùm ad tempus in ista priuatione Dei sunt, & tormenta sua in spe, & cum gratia Dei patiuntur, quousque ab omni labe etiam minima purgentur. Hoc enim ea iustitia & misericordia vult & vendicat sibi simplicissima, & pulcherrima quæ in Deo est puritas, cui nihil coinquinatum potest accidere; vnde fit vt minima etiam deformitas & labes diuisionem infinitam faciat inter Deum, & animam, & omnino necesse sit vt purgetur, antequam accedat, & vniatur ei, aliàs separetur in æternum, si peccatum eius mortale sit. Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum, nequando rapiat, & non sit qui eripiat. Hæc sunt quæ nobis dicenda videbantur de hac prima differentia, & diuisione peccati, in mortale, & veniale.

Secunda etiam in communi diuisio dicitur, in peccatum commissionis, & omissionis. Et hoc ratione obiecti, nimirum præceptorum, quorum alia sunt affirmatiua, alia negatiua. Contra negatiua sunt peccata commissionis, vt furari, & occidere, &c. Contra verò affirmatiua, vt plurimum omissionis, vt sacrum non audire, &c. Et in his iuxta modum & rationem inobedientiæ, & præuaricationis, reperitur mortale, & veniale. *2. Diuisio.*

Tertia est diuisio, ratione subiecti quod committit, in peccatum cordis, oris, & operis; vel enim cogitationibus, vel verbis, vel factis peccamus. Quare & de his omnibus ex Scriptura ratio quæretur in Iudicio. Matth. 12. *3. Diuisio.* *Matth. 12.*

Quarta denique differentia, & diuisio est, in peccata secundum eorum species, & illa sunt septem, cum eorum circunstantiis. Quæ postea in particularia diuisa, numero sunt infinita, id est, innumerabilia. Ecce vnde pœnitentiam agere debemus, quoniam iniquitates nostræ supergressæ sunt caput nostrum. Clamemus, ô Domine Deus, citò anticipent nos misericordiæ tuæ, & propitius esto peccatis nostris. Amen. *4. Diuisio.*

De septem peccatis mortalibus. Ac primò de Superbia.

CATECHESIS CV.

Sicut author omnis gratiæ est Christus, sic omnis peccati est destructor. Propterea in hunc mundum venit, vt eum à peccatis purgaret, inde eius dictus est reparator. Sic cùm de reparatione & conuersione Magdalenæ in Euangelio sermo est, refertur quia de illa eiecerat septem dæmonia, id est, septem peccata mortalia & capitalia, sub quibus alia omnia continentur. De his iam in particulari nobis est loquendum, vt cùm ordine, & distinctè fuerint declarata, meliùs vtiliùsque omnes partes pœnitentiæ exerceamus.

Igitur septem sunt quæ vocantur mortalia. Quid mortale sit, diximus, nimirum, quod voluntariè recedit à lege Dei, quod priuat vita seu gratia, & morti adiudicat. Hac ratione illa septem dicuntur mortalia. Mortalia quidem, non quod ex natura sua omnia sint eiusmodi, sed quia radices sunt, & occasiones multorum mortalium, vt dicemus in singulis. Vnum enim videtur esse solum quod

quod ex natura sua mortale sit, nimirum Luxuria: A interim illa omnia septem ratione supradicta etiam vocantur mortalia, seu potiùs capitalia.

De primo igitur, & radice omnium agamus, nempe Superbia. Quid sit quæretis. Primus Dei hostis, & creaturæ, qui Deo gloriam eripere tentauit, & primam creaturam Luciferum de altitudine

S. August. sua deiecit: qui, ex D. Aug. bonis operibus hominũ insidiatur, vt pereant, & quod in manu Dei est nititur auferre, & cum eo diuidit, vt pereat, & non

Superbia definitio. donetur. Ex propria eius definitione, Superbia est inordinatus celsitudinis appetitus. Appetitus quidem, quia non propriè consistit in intellectu, & cognitione, sed in voluntate, desiderio, & ambi-

Explicatio. tione. Celsitudinis dicitur, vbi intelligitur excellentia maior quàm debeatur ei, ad quam interim eleuari præsumit: vnde additur, inordinatus appetitus, quia contra rationem est.

Triplex honoris appetitus. Tripliciter autem ista excellentiæ appetentia prætenditur, in iudicio proprio, aliorum, & in

1. opere. In iudicio proprio, cùm reuera, & in sua propria æstimatione, reputat se supra id, quod verè

2. in se est. In iudicio aliorum, cùm vult ab aliis re-

3. putari maior quàm sit. Tertiò, in opere, cùm ad hoc plus facit, quàm possit, aut deceat.

In triplici casu Superbia mortale peccatum est. Est autem notandum, non semper mortalem esse eiusmodi celsitudinis seu excellentiæ appetentiam, sed sæpius venialem: interim in his tribus

1. casibus semper esse mortalem. Primò, cùm quis ita superbit, vt in contemptum Dei veniat, & quod ab eo habet, à se habere existimat, & desiderat, sic-

Dan. 4. que ab aliis vult æstimari, vt in Daniele legitur de

Isa. 14. Nabuchodonosor cap. 4. & de Lucifero Isai. 14.

Abac. 2. vnde Abac. 2. ebrius dicitur, & insensatus. *Quomodo*, ait, *vinum potantem decipit, sic erit vir superbus.* Nam vt vinum blandè recipitur, & postea facit hominem peruersè credere, stultéque loqui: ita superbia, vt in exemplo allato Nabuchodonosor, & Luciferi videre est, qui peruersa postea, & stulta de se crediderunt, & loquuti sunt vt ebrij: nisi enim tales fuissent, nunquam talia dixissent. Sic de Rege Tyri Ezech. 28. de quo: *Eleuasti cor tuum, & dixisti; Ego sum Deus.*

Psal. 36. In hoc casu grauissimum est peccatum, & dicitur impietas. Psal. 36. Vidi impium superexaltatum: transiui, & ecce non erat. Quia Deus pu-

Iob. 20. nit hoc etiam grauissimè. Iob. 20. Si ascenderit in cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur. Non proferamus exemplum potentius quàm ipsius Luciferi.

2. Secundò, cùm homo ita excellentiam suam appetit, vt propter illam, & potiùs quàm ab illa decidat, paratus sit Dei præceptum transgredi, & non curet mortaliter peccare; talis superbia etiam peccatum mortale est.

3. Tertiò denique, cùm propter illam sequitur notabilis iniuria illata proximo, vt putà, grauis in-

Septem Superbiæ genera. famatio, bonorum iactura, & alia huiusmodi. Huius autem infelicissimæ matris septem sunt filiæ, non minus miseræ, & infelices: ambitio, præsumptio, vana gloria, iactura, hypocrisis, contentio, & inobedientia.

Post notitiam matris, facile est filiarum quali-

1. tates agnoscere. Præsumptio, est velle aliquid, quod supra propriam est potestatem, & virtutem, & meritum, vt exercere aliquam artem, vt Medicinæ, Iuris, cum ignorantia: item vsurpare aliquod officium, tam sæculare, quàm ecclesiasticum, cum incapacitate. Certè si hoc fit cum notabili damno proximi, mortale est. Item cùm aliquis exponit se, suis confidens viribus, aut etiam gratiæ Dei, manifestissimo peccati periculo.

Ambitio versatur maximè circa dignitates, quod vbi fit modo illicito, qui est peccatum mortale, vt 2.
per vsuram, simoniam, homicidium, dolum & fraudem, vel ob aliquem pessimum finem, etiam mortale est, aliàs veniale, in casibus multis.

Vana gloria tota est in appetitu inordinato glo- 3.
riæ, quæ si in aliquo peccato mortali quæritur, aut de eo quod malum est, & indignum gloria, de eóq; etiam quod non habet, ad detrimentum proximi, & contemptum Dei, mortale est peccatum, sicut B veniale tantùm in pluribus exiguis inordinatis complacentiis quæ accidunt; interim tamen semper multum animæ nocet. Chrysost. hom. 4. in cap. Chrysost.
1. Genes. Multa & varia sunt, quæ nos offendunt, maximè autem, ad humanam gloriam spectare, & nescire eam contemnere; hoc enim multorum nobis causa malorum fit, & si quas habemus spirituales diuitias, eas euacuat, & vtilitate quæ ex eis capi potest, nos destituit. Quid igitur hoc damno fuerit perniciosius? quia quidem à nobis auolare facit etiã ea, quæ nos habere putamus. Sic publicano Pharisæus ille factus est minor, eo quod linguæ suæ imperare non potuit, sed per illam, sicut per fenestram aliquam, omnes diuitias suas effudit. Tantum est inanis gloriæ malum: hæc ille.

C Hinc iactantia sequitur, quæ propriè sic describi 4. Filia Superbiæ.
potest: manifestatio excellentiæ propriæ, verbis inordinatè facta, supra id quod vel in se, vel in aliorum existimatione est. Talis autem manifestatio & iactantia sic facta, si de aliquo peccato mortali sit, vel commisso, vel imposito sibi, item si cum iniuria Dei, aut notabili proximi, vt videre est in illo Pharisæo Luc. 18. mortale est peccatum. Item si inde Luc. 19.
decipitur proximus, & ingens patitur damnum, vt potest accidere in iactantibus falsò suas artes & sciẽtias: in quibus propterea remanet obligatio restituendi. Extra hos casus iactantia sæpe nõ est nisi peccatũ veniale: interim semper multum damnum animæ afferens. D. Greg. 8. moral. Qui pro virtute D. Greg.
D quam agit, humanũ fauorem desiderat, rem magni Iob. 6.
meriti, vili pretio vænalẽ portat. Ideo dicitur; Spes hypocritæ perit, & sicut tela aranearũ fiducia eius. Aranea multis laboribus de propriis interioribus facit telam, quæ leui aura frangitur: sic hypocritæ quasi euiscerando seipsos, sua facta ostentant, sed leui verbo totum perdunt. Dicunt damnati Sap. 5. Sap. 5.
Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?

Hinc etiam hypocrisis sequitur quinta filia Su- 5. Filia Superbiæ.
perbiæ, quę nihil aliud est quàm simulatio virtutis, aut quam non vult habere, aut quam nõ habet hypocrita, propterea simulatio est. Hoc quocumque fine & bono fiat, semper est peccatũ, ex Caietano Caietanus.
E 2. 2. quæst. 11. Et ratio est, quia in ea semper est mendacium. D. Hiero. in Isa. cap. 16. ex glos. In compa- D. Hieron.
ratione duorum malorum, leuius est apertè peccare, quàm sanctitatem simulare.

In duobus autẽ casibus mortale est semper. Primus est, cùm est voluntas expressa transgrediendi aliquod præceptum, cum illa hypocrisi, vt apparere castum, & simul voluntatem habere fornicationis: fingere se iustum, & volũtatem habere cõmittendi iniustum. Alter est, cùm propter illam hypocrisim prætenditur talis finis, vt dicere se iustum, & castũ, vt faciliùs decipiat, & consequatur eiusmodi finẽ: item dicere se, aut fingere se sanctũ, & doctũ, ad officium, aut beneficiũ, indignè consequendum.

6. Filia Superbiæ. Post hypocrisim contentio est, seu discordia, quæ veritatis impugnatio est, & contrarietas voluntatum. Sic enim semper in se diuisum est regnum Superbiæ, nec vnquam duo superbi possunt esse in pace.

7. Filia Superbiæ. Denique inobedientia superuenit, quæ est Dei, & omnium præceptorum contemptus, quæ nec Deum, nec hominem reueretur, omnique potestati superiori, ac legi pertinaciter resistit. Ecce quæ filiæ ex tam misera matre Superbia prodierunt. Ecce quæ monstra pœnitentiæ gladio interimere oportet. Interim remedium quæris? Humilia te, ad hoc multum te iuuabit tui nihili consideratio.
Mich. 6. Mich. 6. *Humiliatio tua in medio tui.* Et quia item Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiã.

De peccato Auaritiæ.

CATECHESIS CVI.

PAVLVS Christi Apostolus 2. Cor. 8. nobis dat remedium aduersus Auaritiam, & modum acquirendi
2. Cor. 8. diuitias exemplo Christi. *Scitis*, inquit, *gratiam Domini nostri IESV Christi, quoniam cum diues esset*, &c. Quare Timotheum hortabatur, vt præciperet diuitibus huius sæculi, non sperare in incerto diuitiarum, sed diuites fieri in bonis operibus, & thesaurizare sibi fundamentum bonum, in vitam æternam. Similiter Christus exemplo, & verbo diuitem auarum condemnauit. Matth. 8. &
Matth. 8. & 19. 19. Scribæ volenti eum sequi propter spem lucri, ait: Vulpes foueas habent, &c. filius autem hominis non habet vbi, &c. Et de adolescente diuite, qui tristabatur de diuitiis relinquendis, ait: Quàm difficile est diuitem, scilicet auarum, intrare in regnum cœlorum! Et Mar. 10. bis repetit: Quàm difficile est, qui pecunias habent, quàm difficile est,
Mar. 10. confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire! Quinam sunt isti diuites, & confidentes in pecuniis suis? Auari.

Hoc vitium Auaritiæ, secundum mortale est, & capitale. Sic autem ab omnibus Theologis, post
D. Tho. Auaritia definitio. D. Tho. 2. 2. quæst. 118. art. 1. definitur: Immoderatus amor habendi diuitias. Quod hic Auaritiam facit, & peccatum in Auaritia, est illa immoderata, seu inordinata cupiditas, quæ in tribus maximè inuenitur, in ambiendo, acquirendo, retinendo, seu in affectione, acquisitione, & retentione præter modum: vt si quis nimiùm amat diuitias, aut delectatur in ipsis, ita vt totum cor eis apponat, & non in proximum charitate, & misericordia afficiatur. Secundò, si taliter acquirat, & retineat, vt propterea omnem iustitiam deserat, & legem prætermittat, hoc casu extrema Auaritia est.

D. Tho. Quare in duobus casibus ex D. Tho. art. 5. semper est mortale peccatum. Primò, quando contra iustitiam est, cuiusmodi est furtum, siue per rapinam, siue per vsuram, aut iniusta detentio, per vsurpationem, nisi tunc leuitas sit materiæ, & deliberationis defectus, in habendo, vel retinendo.

Secundò, si sit contra charitatem erga proximum in extrema necessitate, ita vt intantum crescat amor diuitiarum, vt præferatur naturali charitati, & sic non vereatur ille facere contra amorem Dei, & proximi. Vbi enim seruaretur talis amor, & charitas, quæ restaret alterius amoris inordinatio, peccatum tantùm veniale constitueret, quando adhuc illas iustè possideret.

Tria peccatũ Auaritiæ constituentia. Tria enim illa simul, & diuisim, Auaritiam constituunt: præter modum amare diuitias; præter mo-
A dum illas acquirere, & congregare, & præter modum adhuc retinere, nimirum non dando, quando, quomodo, & quibus oportet. Qui eiusmodi est, auarus est, & iniustus detentor. D. Basil. audi Serm. ad diuites versus finem. Est panis famelici, quem tu D. Basil.
tenes: nudi tunica, quam conseruas: indigentis argentum, quod possides. Quocirca tot iniuriaris, (scilicet pauperibus) quot exhibere valeres. Audiant ista, qui in superfluis abundant, & videant si adhuc viscera aliqua misericordiæ habeant in largitionibus, & eleemosynis erga indigentes.

Eleemosyna est opus, quo alterius indigentiæ subuenitur, ex misericordia procedens. Et misericordia alieni mali commiseratio, ad ipsi subue- *Quid sit eleemosyna, & misericordia.*
B niendum inclinans. Vnusquisque videat, si charitate, & misericordia careat, absque qua non introitur in cœlum, vt sæpius dicere solebat S. Episcopus Iohannes Eleemosynarius. Auari, inquit Paulus, raptores, & qui eiusmodi sunt, regnum Dei non possidebunt. Apoc. 22. Foris canes, foris venefici, impudici, homicidæ, & idolis seruientes, & auari. Dum obliti sunt, & misericordiæ ianuam clauserunt, Deus etiam nescit eos, & in æternum misericordia auertit faciem suam ab eis, vt nunquam inueniant illam. Porta clausa est eis; pereant cum argento suo, in quo fiduciam habuerunt, & sit eis in perditionem æternam.

Optimè de auaro vnum dixerat Sapiens Eccl. Eccl. 10.
C 10. Auaro, inquit, nihil est scelestius: & addit, & nihil iniquius, quàm amare pecuniam, hic enim & animam suam vænalem habet. Quæso hæc tria notate. Primum est, nihil est scelestius, quia propter pecuniam auarus paratus est alteri facere quamlibet iniuriam, & sibimet dare omnem molestiam, atque etiam omni damno, & periculo se exponere. Fames auri nemini parcit, sed crudelis est omnibus; nihil scelestius, radix omnium malorum est. 1. Tim. 6. quam quidam appetentes errauerunt à 1. Tim. 6.
fide. D. Tho. art. 8. quæst. supracitatæ, huius infelicissimæ radicis, seu pessimæ matris septem filias D. Tho.
refert ex D. Greg. 31. moral. iuxta quod desiderat, requirit, & retinet bona. Sunt autem huiusmodi, *7. Filiæ Auaritiæ.*
inquietudo, fraus, fallacia, periurium, violentia,
D proditio, & obduratio.

Inquietudo, vt prima filia ex affectu habendi oritur, ingerit enim homini solicitudinem & curas superfluas. Auarus nõ implebitur pecunia, dicit Sapiens, sed semper distrahitur aliis anxietatibus & curis, quomodo augebitur, &c. Rectè D. Gregor. D. Greg.
Auaritia desideratis rebus non extinguitur, sed augetur, & quasi flãma ignis videtur appositis lignis, pro momento reprimi, postea tamen dilatari.

Deinde ex hoc immoderato affectu, vt acquirat, *Reliquæ Auaritiæ filiæ.*
iam sequitur fraus in factis, fallacia in verbis, periurium in iuramentis, vt confirmet falsum; (hæc omnia satis in praxi sunt inter mercatores,) violentia, vt aliena rapiat vi, vel vsuris, si possit, proditio
E in personis; nec enim curat pro vili pretio, etiam personas tradere vt Iudas, qui ex auaritia Dominũ pro triginta argenteis vendidit. Denique in retinẽdo quæ comparauit est obduratio cordis, vt non subueniat indigẽtibus, & miseris. Ex eo enim quod inordinatè vult, & acquirit pecuniam, sic etiam pertinaciter retinet, & contra misericordiam, vt nulli succurrat. D. Bern. lib. 1. de consideratione. D. Bern.
Quid cor durum interrogas? quod nec pietate mollitur, nec commiseratione scinditur, nec mouetur precibus, ingratum est ad beneficia, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura

futura non prouidens. Et vt breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reueretur. Conditionis istius & naturæ est diues auarus, induratum est cor eius: vnde verè Sapiens dixit; nihil scelestius, &c.

Secundum erat, quia & nihil etiam erat iniquius. Certè dicitur iustè auarus, iniquus, quia statera eius omnino est iniqua: plus enim in ea ponderat obolus, aut denarius, aut quadrans, quàm Deus ipse; vt exemplo Iudæ patet. (Et certè parens omnium auarorum ille est.) Iniquitatem auari, & cum Iuda similitudinem videre vultis? Pro obolo auarus peierat sæpius, & animam suam vænalem habet, cuius pretium Christi sanguis est.

Hoc tertium erat, quod in contumeliam, & iniquitatem auari Ecclesiasticus proponebat; hic enim, ait, vænalem habet animam suam. Verùm persequamur ostendere iniustitiam eius, simulque miseriam cum iniquitate. Ex eo certè iniquus est, quod diuitias Deum suum facit, iis enim fidem exhibet, spem, & charitatem, quia credit, si seruierit eis, meliùs ei futurum, quàm si Deo. Item confidit in eis, & super Deum amat, plusque afficitur ad aurum, quàm ad Deum.

Nonne autem eadem ratione est iniustissimus, & iniquissimus? Præponit terram omnibus rebus, etiam Deo, quam Deus ipse pedibus supposuit, ac etiam omnibus creaturis. Vnde in primitiua Ecclesia ad pedes Apostolorum Christiani bona sua deferebant. Isti autem omnibus præponunt, & vili creaturæ totum vitæ suæ seruitium offerunt, quod Deo soli deberent offerre. Certè si idololatra iudicatur, qui duo tantùm grana thuris offert creaturæ, quæ soli Deo deberet offerre: multo magis auarus, qui totum vitæ seruitium impendit creaturæ, & pecuniæ, quod Deo soli esset applicandum. Propterea etiam ab Apostolo dicitur Auaritia idolorum seruitus. Hoc vnum vitium est, quod summopere deplorandum est. Miserum malum est, quod nec ætas, nec infirmitas tollit. O filij hominum, quid amatis, quid colitis, aut quæritis? parum terræ.

D.Bern. D.Bern. Serm. 4. de aduentu. Audite filij Adam, genus auarum, quid vobis cum terrenis diuitiis, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Aurum, & argentum nonne est terra rubra, & alba, quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam? Et sic non veræ diuitiæ, nec item vestræ; si enim vestræ sunt, tollite vobiscum. Sed scio quoniam cùm interierit homo, non sumet omnia, nec etiam descendet cum eo gloria eius. Quænam ergo veræ, & vestræ sunt diuitiæ? Virtutes, quas secum conscientia portat, vt in æternum diues fiat. Similiter quæ gloria vestra? Apostolum audi 2. Cor. 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo. Sic præcipe, ô Timothee, diuitibus huius sæculi, diuites fieri in bonis operibus. Iam incipere vis? Cum prophano Seneca tibi dico. Non pecuniæ adiicias amplius, sed magis cupiditati tuæ detrahe. Imò sacram potiùs Scripturam audi suadentem; Fac tibi amicos de mammona iniquitatis, vt recipiant te in æterna tabernacula.

2.Cor.1.

De peccato Luxuriæ.

CATECHESIS CVII.

TEMPLA Christi sumus, Diuinitatis sacra palatia sumus, & incorruptibilis Dei imaginem portamus: quippe ad imaginem Dei factus est homo, & in similitudinem hominis Deus ipse factus est, vt essemus in eo, dicit S. Leo. Serm. 1. de Nat. noua creatura, & nouum figmentum. Deponamus ergo omnes, ait, veterem hominem cum actibus suis, & adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus, inhonestis, & immunditiæ operibus. 1. Cor. 3. Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus: templũ enim Dei sanctum est, quod estis vos. Nemo se seducat, omnia vestra sunt, vos autem Christi. Et cap. 6. An nescitis quoniam corpora vestra, membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est. Fugite fornicationẽ. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat, (corpus quod est templum Spiritussancti, & membrum Christi.) An nescitis etiam quoniam membra vestra, templum sunt Spiritussancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro. (Christi est, templum Dei sanctum est.) Fugite ergo fornicationem. Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruiẽtes, neque adulteri, aut molles, regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem aliquando fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri IESV Christi, & in Spiritu Dei nostri, & non estis vestri. Empti enim estis pretio magno. Glorificate, & portate Deũ in corpore vestro.

S.Leo. 1.Cor.3. cap.6.

Non possum prætermittere hæc verba, quin adhuc dicam cum S. Leone. Agnosce, ô Christiane, tuam dignitatem, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vitam degeneri conuersatione redire. Memento cuius capitis, & corporis sis membrum: reminiscere quod erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen, & regnum, vt non tenebrarum, sed lucis opera faciamus: vt non amplius in homine opera carnis, sed in Deo opera spiritus faciamus, opera Dei, & regni eius. Memento cuius capitis, & cuius corporis sis membrum. D.Chrys. hæc verba c. 1. Eph. explicans; *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*, hom. 3. sic ait. Reuereamur nostrũ caput, & cogitemus cuius capitis sumus membra, & corpus, cui omnia subiecit. Hoc exemplo nos Angelis oportet esse meliores, & Archangelis maiores, vt qui iis omnibus sumus honore præpositi. Non Angelos apprehẽdit Deus, sed semen Abrahæ, non principatum, non potestatẽ, & vllam aliam virtutem, sed nostram naturam, & supersedere fecit; & quid dico sedere fecit? suum vestimẽtum fecit, nec id solùm, sed eius pedibus subiecit omnia. hæc ille. Et tu ô homo, & Christiane, illud immunditiæ subiicis, & sordidæ voluptati? Et paulo pòst. Reuereamur propinquitatẽ cognationis, & timeamus ne quis appareat indignus, & excidat. Cogita prope quem sedeat tuum caput, & ad

S.Leo. D.Chrys.

cuius dexteram. Eius etiam corpus per te conculcatur à dæmonibus (scilicet cùm te libidini tradis.) Quo non ergo dignus eris supplicio? Si quis pedes Regis canibus obiiciat, an non erit obnoxius extremo supplicio? tu verò totum corpus obiicis feris immanibus, & non horres? hæc ille.

Quænam sunt illæ feræ immanes, nisi brutales passiones carnalis concupiscentiæ, & simul supposita omnia bestiæ infernalis, illud hominum perditorum genus, qui se libidini tradunt? Sic Paulus hoc verbo vsus est Ephes. 4. vbi; *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ.* Verè enim perditorum genus est, & de salute sua omnino desperatorum, vt eorum maximè qui magis Infernum replent. Hoc enim peccatum, quod nec scire, nec nominare inter nos deberemus, vniuersalius in se est, ad damnationem facilius, & in subiectis, & committentibus enormius. Ephes. 4.

Dico vniuersalius: quia homines inficit, cuiuscumque sint conditionis, & ætatis similiter, saltem ex quo discretionis vsum attigerunt; venenum est, & horrendum prodigium in natura.

Dico ad damnationem facilius: quia in isto peccato nihil ferè veniale est, sicut in aliis, sed omnia mortalia sunt, vbi est libertas, & voluntatis consensus. Vnde fit, vt cogitationes, desideria, verba, missiones literarum, aspectus, oscula, tactus, sicut opera ipsa, omnia mortalia sint. Ecce vnde facilè credo, quia peccatum hoc repleat Infernum.

Dico tertiò, nullum esse in personis & iis cum quibus committitur, enormius. Quò enim quæso non venit, & non ascendit humana nequitia, vt libidinem, & illam effrænatam passionem expleat? Quot ex illa audiuntur abominanda flagitia, & quæ honestatis causa non expediret referre, nec nominare?

Non est huius peccati sicut aliorum tantùm vna species, sed sunt multæ, & numero septem, omnes maiori, ac maiori enormitate differentes inter se, & referre illas mihi videtur expediens, quia in Confessione sunt declarandæ, vbi commissæ fuerint, sicut & circunstantiæ.

Septem luxuriæ species. Sunt igitur, fornicatio, cum solutis: stuprum, id est, virginum defloratio: adulterium, cum coniugatis: incestus, cum consanguinea, aut affine, intra quartum gradum: sacrilegium, cum persona Deo dicata, vel per votum castitatis, vel religionis, vel etiam cum altera, in loco sacro: raptus, vbi omnibus supradictis additur violentia: denique septima species, nempe peccatum contra naturam, quod adhuc alia tria præcipua includit, mollitiem, sodomiam, & bestialitatem.

Hæc horreo nominare, vt peccata nimis abominabilia, & nimis iram Dei prouocantia, & vltra quæ non potest ferè ascendere humana nequitia. O quis sciret interim quantum scatet mundus his monstris, & quot præsertim mollitie pereunt, & replent Inferos? Ego flens hoc dico, quot fornicatione, quot adulterio? Et nolite errare amplius, sed ex D. Paulo 1. Cor. 6. discite, quia neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, &c. regnum Dei possidebunt. Sic Ephes. 5. *Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Christi.* Iacob. 4. *Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Dei?* 1. Cor. 6. Ephes. 5. Iacob. 4.

Considerate ô miseri, quia momentaneum est quod delectat, æternum autem quod cruciat. Cùm peccatum propter voluptatem facis, ait August. voluptas transit, remanet peccatum, transit quod delectat, remanet quod pungat. Et Iob. 12. Qui peccatum faciunt, hostes sunt animæ suæ. Sicut Psal. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Ista considerate, cum iactura Dei, in æternum damnari. August. Iob. 12.

Sed adhuc majestatem Dei, & Angelorum, in quorum conspectu abominationes vestras facitis, considerate. In quouis angulo, dicit S. Bern. reuerentiam Angelo tuo exhibe, & tu ne audeas illo præsente, quod me vidente non auderes. In Psal. *Qui habitat.* Sanè illa summa miseria est, pro præsentia famuli & famulæ, vel etiam puerulì, abstineremus ab actu sordido, propter quem quæruntur tenebræ, vt nemo videat nos: & non cogitamus, quia in præsentia Dei sumus, nec erubescimus ante eum & Angelos eius, nos videntes, committere. Stupenda res! Iudex, aut Rex, nos auerteret à peccato minis pœnarũ, aut præmiorum promissis temporalium: & non auertimur pro Deo, & æternis, &c. Quæso attendite ista, & quid Deo debeatis.

Considerate cuius imago estis, & nolite fœdare: cuius templum estis, & nolite profanare, polluere, violare: cuius capitis membra estis, & nolite dare arma iniquitatis peccato. Quid ergo? peccabimus? absit. Scimus enim cum D. Paulo Rom. 6. quia vetus homo noster simul crucifixus est cum Christo, vt destruatur corpus peccati, & non vltrà seruiamus peccato. Non ergo, ait Paulus, regnet amplius peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius: sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato, sed aduersus peccatum arma iustitiæ Deo. 1. Thess. cap. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. (ad quid?) vt abstineatis, ait Paulus, à fornicatione, & vt sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione & honore, & non in passione desiderij, sicut Gentes, quæ Deum ignorant. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. hæc Paulus. Rom. 6. 1. Thess. 4.

Vultis ergo & secundum voluntatem Dei sancti esse? Lauamini, & mundi estote. Qui hæc spernit, ait idem S. Paulus, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis: scilicet, vt & nos ad puritatem & munditiam vos exhortemur, & vos pariter illam habere curetis, vt omnes simul mundo corde, & puris oculis, Deum videre mereamur.

De peccato Iræ.

CATECHESIS CVIII.

NVLLVM est vitium magis contrarium mansuetudini, & patientiæ Christi, quàm ira, animúsque vindictæ. *Discite à me, ait, quia mitis sum.* Isa. 50. Dedi corpus meum percutientibus, genas vellentibus, & non auerti faciem à conspuentibus. Psalm. 37. Inimici mei viuunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, loquuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum, Isa. 50. Psal. 37.

suum, & non habens in ore suo redargutiones. Quoniam ego in flagella paratus sum, in sputa, spinas, clauos, & crucem. *Discite à me quia mitis sum.* Pro malis & peccatis aliorum veniam postulo; Pater ignosce illis, &c. Discite hoc à me.

Non inuenimus, Christum dedisse vnquam documentum, nisi de illis duabus virtutibus, mansuetudine, & humilitate, quia illius virtutes sunt propriæ, & nemo censetur illum imitari, & sequi, nisi mitis sit, & humilis. Superbia de sede sua tentat Deum exturbare; ira autem exturbat. Psal. 75. Factus est in pace locus eius. Magi quærentes non inueniunt eum in ciuitate commota, sed in quiete, & solitudine Bethleem. Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion, in anima dedita contemplationis quietudini, quæ vacat Deo, & illum quærit. Ira enim & passio ipsum expellit, & diabolum introducit, omnis seductionis, & vindictæ principem, sicut etiam omnium superborum est pater.

Ira definitio ex D.Thom. Verùm quid sit illa passio quæretur. Ex D.Tho. 2.2.quæst. 158. art. 1. Ira est appetitus vindictæ, scilicet cùm ex apprehensione mali illati, aut iniuriæ, nascitur volitio simul repellendi, & inferendi aliud malum ei à quo istud malum scitur, aut creditur illatum fuisse. Quod vt bene intelligatur, sciendum eiusmodi passionem ex duabus partibus quæ in nobis sunt, originem trahere, scilicet, ex parte sensitiua, seu animali, & ex rationali, quæ est superior. Homo enim qua parte homo est, duabus partibus constat, anima, & corpore, & facultates retinet, quæ sensum respiciunt & rationem.

Igitur cùm irascitur aliquis, primò ex parte sensus est apprehensio mali, illati, vel inferendi. Secundò, ex illa apprehensione nascitur quædam sanguinis ebullitio seu feruor, aut emotio circa cor. Tertiò, appetitus vindictæ, id est, aut resistendi, aut inferendi aliud malum, quod propriè dicitur ira. Quæ iam si à parte rationali acceptetur, intellectu percepta, exeatque in actum inordinatum, & perniciosum effectum, de passione sola vertitur in peccatum, quomodo hic intelligimus, & apud Psaltem Spiritussanctus intelligebat; *Irascimini, & nolite peccare.* Quod enim in ista passione peccatum facit, non sunt primi motus, sed acceptatio, & consensus liberæ voluntatis, & cùm homo irrationabiliter, & per se, exit extra se, & rationem. Sic enim videtur ira nomen suum ducere ab eundo, quia reuera homo per eam quasi extra se it: vnde dicimus quia rediit ad se, & in mentem, quando placatus est, & non amplius irascitur.

Tres iræ species. Huius pessimæ radicis multæ sunt plantationes, quæ ex ea prodeunt, vt multæ infaustissimæ filiæ ex crudelissima matre, scilicet iracundia, seu
1. ira permanens, quæ dici potest amaritudo, &
2. memoria perpetua illatæ iniuriæ. Furor, qui est
Prou.27. impetus iræ, vbi datur vindictæ occasio. Prouer. 27. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati spiritus ferre quis poterit?*

3. Indignatio sequitur, qua homo alterum à quo malum accepit, sua familiaritate, & colloquio indignum reputat. Vbi sciendum, hanc mortale esse peccatum in his tribus casibus. Primus est, *Quādonam indignatio sit peccatū mortale.* cùm paratus est ille nullo modo eum iuuare, etiam in his in quibus tenetur de præcepto. Secundus, cùm est odium, & contemptus interior contra charitatem. Tertius, cùm ex illa subtractione ab

A amicitia & conuersatione, sequitur ex sua parte notabile scandalum proximi. Denique sciendum quod in omnibus quæ dicimus, vbi iustitia, & charitas offenduntur, & accidit damnum notabile proximi, aut scandalum, mortale peccatum est. Propterea enim illa septem capitalia, mortalia dicuntur, quia multorum mortalium radices sunt, & quasi capita.

Quæ igitur ex isto quarto capitali oriuntur, prosequamur (inter capitalia enim Ira quartum locum tenet.) Post indignationem venit tumor mentis, qui est quædam præsumptio vindictæ sumendæ, quando audet homo insurgere ad illam faciendam, cùm reseruetur Deo, sicque insolen-
B ter, & temerariè partes Dei sumit, qui vindex malorum est, & ait Rom. 12. *Mihi vindicta, & ego retribuam.* *Rom.12.* Propterea etiam dicitur ira hominem obcæcare, & stultum reddere. Hoc diabolus facit, vt meliùs præcipitet ipsum in foueam; coruo similis, qui primò currit ad oculum. Sic noster vetus hostis intendit primò per iram excæcare nos, & rationis auferre oculum, vt postea præcipitet nos, & vitam auferat. Catonem *Cato.* audi;

Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Sed sapientiorem audi Iob. cap. 5. *Virum stultum interficit iracundia.* *Iob.5.* Vnde? quia vult se vindicare de altero, cum periculo animæ propriæ, vult se in-
C terficere, vt interficiat asinum proximi sui, & vt laceret vestem eius, in seipsum ensem retorquet, & adigit in proprium corpus, vitæ, & pœnas luendi periculo se exponens plerumque. Ecce in quantam dementiam nos adducit hæc passio.

Notandum est autem, istas omnes species & *Triplex status iræ.* differentias ad iram non pertinere, nisi adhuc cùm in mente est, & interior in nobis. Tres etiam status habet ista passio. Primus est, cùm concipitur interiùs tantùm, id est, in mente residet, & nondum apparet exteriùs. Secundus, cùm exteriùs aliquo signo manifestatur. Tertius, cùm exit ad opus; in quo propriè vindicta consistit, & est grauissimum peccatum. Matth. 5. illos tres status *Matth.5.*
D nobis significauit Christus Dominus, cùm ad reconciliationem inuitat his verbis: *Qui irascitur fratri suo,* (ecce primus motus, & interior) *reus erit iudicio. Qui dixerit racha,* (vox indignationis est & signum iræ,) *reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue,* (ecce opus & iniuria) *reus erit gehennæ ignis.* Ordinem hunc quæso attendite, & quid sit irasci, & inferre iniuriam fratri suo. Igitur tres iræ status videtis. Primus, qui est interior, & adhuc in mente, opponitur mansuetudini, quæ internos motus ad vindictam cohibet, ne immoderatè insurgant. Secundus autem & tertius, qui sunt in signo, & in opere ma-
E nifestati, opponuntur clementiæ, cuius est animum iam concitatum cohibere, ne exteriùs ad vindictam procedat.

Igitur in primo statu iræ, sunt prædictæ species & differentiæ, scilicet iracundia, indignatio, & tumor mentis, seu præsumptio animi, & audacia.

In secundo sunt etiam istæ tres. Clamor, qui *2. Status iræ tres species.* declarat iram, & manifestat inordinata, & confusa loquutione; ex se quidem venialis, sed qui ob scandalum potest esse mortalis. D.Gregorius 5. *D.Greg.* moral. egregiè hoc explicat hoc modo. Iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur

oculi, & nequaquam recognoſcuntur noti, ore quidem clamorem format, ſed ſenſus quid loquatur ignorat. hæc ille. Deinde contumelia, quæ eſt
2. iniurioſum verbum. Poſtea denique maledictio &
3. blaſphemia, vbi nec Deo etiam parcitur. Ex hoc quæſo peccati grauitatem attendite.

Ira in tertio ſtatu ſpecies. In tertio denique ſtatu, qui opere manifeſtat iram, ſunt iſtæ differentiæ, rixæ, contentiones, proceſſus, iacturæ bonorum, dilapidationes, læſiones corporum, vulnera, mutilationes, & mors. Ecce quò tandem peruenit ira. Quare modò ex verbis Apoſt. ad Epheſ. 4. vobis dicam; Omnis indignatio, & ira tollatur à vobis. Gen. 45. Ioſeph dicebat fratribus ſuis; Ne iraſcamini in via. Nos omnes fratres ſumus, & in via ad Patrem noſtrum, ſed Iudicem, ne ergo iraſcamini in via. Sed ſi offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, &c. Matth. 5. (Eph. 4. Gen. 45. Matth. 5.)

Quæſo vos, Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, ſed reconciliamini inuicem. Iraſcimini, ſed nolite peccare. Si libeat iraſci, aduerſus peccatum oportet, & licet. Interim mementote habere viſcera miſericordiæ, patientiæ, & benignitatis, in omnes, in ſubditos, in æquales, in miſeros, & in eos qui vos offendunt. *Si eſurierit inimicus, ciba illum,* ait Sapiens Prouerb. 25. *& prunas congeres ſuper caput eius* (nempe amoris, quo te amabit.) Stude fratrem tuum lucrari, & dare eum Chriſto; ſtude eum imitari, qui toties tibi indulſit, & benefecit non merenti. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, ait S. Petrus ep. 1. cap. 2. vobis relinquens exemplum, &c. qui cùm malediceretur, non maledicebat, &c. qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus. (Prou. 25. 1. Pet. 2.)

De peccato Gulæ.

CATECHESIS CIX.

QVAM ſit capitale hoc vitium gulæ, ex eo cognoſci poteſt, quod communis noſter hoſtis de eo etiam Chriſtum Dominum tentare in deſerto auſus eſt. Matth. 4. poſt baptiſma in Iordane, cùm ductus fuiſſet in deſertum, & quadraginta diebus & noctibus ieiunaſſet, accedens tentator dixit ei; Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Ex triplici conflictu, iſte primus fuit. Sic in paradiſo, tentatio prima, quæ ex parte ipſius accidit homini, & pernicioſior, de gula ſimiliter fuit. Geneſ. 3. Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex hoc ligno paradiſi? Comedite, nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quia in quocumque die comederitis ex eo, eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum. Vidit igitur mulier quod eſſet bonum ad veſcendum, pulchrum oculis, & aſpectu delectabile; & tulit de fructu, & comedit, deditque viro, & comedit: & aperti ſunt oculi amborum, remorſus in anima, pudor in carne, cognoueruntque ſe eſſe nudos, & abſconderunt ſe à facie Domini. De paradiſo eiecti ſunt; & cum poſteritate ſua, priuati gratia, & gloria. (Matth. 4. Gen. 3.)

Ex hoc certè quàm graue ſit peccatum agnoſcitur. Item quod ex eo maiora mala, & punitiones prodierunt, originale peccatum, diluuium, incendium Sodomæ, &c. Hæc omnia notat D. Chryſoſtom. egregiè hom. 3. in Matth. Incontinentia ventris, Adam expulit ex paradiſo. Diluuium, quod fuit tempore Noë, ipſa fecit, & pœnam Sodomorum, ſecundum illud Ezech. 16. Hæc fuit iniquitas ſororis tuæ Sodomæ, ſaturitas panis, & vini. Huius enim vitij proprium eſt inducere obliuionem Dei. Oſee 13. *Saturati ſunt, & eleuauerunt cor ſuum, & obliti ſunt mei.* Propterea etiam (quod notatu dignum eſt) primum Dei mandatum contra hoc vitium datum eſt homini Gen. 2. vbi; De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis, morieris. De cæteris comedes, non de illo, nam in tranſgreſſione pœna eſt mortis, ſicut in obſeruatione conſeruatio, & æternitas vitæ. (D. Chryſoſt. Ezech. 16. Oſee 13. Gen. 2.)

Deus igitur hoc præceptum nobis ante omnia dare curauit. Primò, ne obliuiſceremur eum; introducit enim obliuionem Dei in mundum. Secundò, ne velociter, & citò omnia malorum genera attrahamus ſuper nos. Propterea Chriſtus Luc. 21. Attendite vobis, ne fortè grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate, & curis huius ſæculi, & ſuperueniat in vos repentina illa dies: tanquam laqueus enim ſuperueniet in omnes qui ſedent ſuper faciem terræ, in deliciis. Sic 1. Theſſ. 5. Cùm dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus. Sic Pſal. 77. Manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis, adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Sic Iob. 21. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Qui dixerunt Deo: Recede à nobis. Quis eſt omnipotens vt ſeruiamus ei? Sed erunt ſicut paleæ ante faciem venti, & ſuperueniet eis inundatio, & dolores eis diuidet Deus furoris ſui. Ecce ſimul Dei obliuio, nata ex crapula, & gula, & inundatio velox malorum omnium. (Luc. 21. 1. Theſſ. 5. Pſal. 77. Iob. 21.)

Multitudinem & diuerſitatem malorum videre vultis? In filiis Iob. cap. 1. conſiderate; cùm filij eius & filiæ comederent & biberent vinum in domo fratris primogeniti, ſicque in orbem tranſirent dies conuiuij, & licet iuſtè & cum benedictione hoc facerent, nuncius venit, qui narrat Iob damna omnia, quomodo poſt iacturam boum, aſinarum, & ouium, itemque ſeruorum omnium qui gladio perierant, repentè adhuc ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, vbi conuiuebant, & oppreſſit illos. (Iob. 1.)

In Baltaſſar conſiderate magis Dan. 5. vbi in medio iſtius grandis conuiuij, digitos videt contra candelabrum, in ſuperficie parietis aulæ ſcribentes iudicium ſuum, mane, thecel, phares. Ex viſione & interpretatione turbatus eſt, & vultus illius immutatus eſt, & Reginæ, & omnium optimatum, & nocte eadem interfectus eſt. Sunt exempla huiuſmodi infinita. Quis abſtulit caput Holoferni? Ebrietas. Iudith 13. Fatigati omnes erant à vino, porrò & Holofernes iacebat in lecto, nimia ebrietate ſopitus, & orans Iudith, quæ ſola in cubiculo erat, dicebat in ſilentio labiorum, & lacrymarum: Confirma me Domine Deus in hac hora. Et pugionem exoluens, apprehendit comam eius, & abſcidit caput eius. Sed heu quid dicam, cùm & in conuiuio videam peti caput iuſti Iohannis Baptiſtæ, & de illo etiam amputando ſententiam dari? (Dan. 5. Iudith 13.)

Non ſunt illa ſola mala, quæ gula ſecum affert, nam & omnia habet. Illa eſt quæ caſtitatem aufert, & puritatem tradit impudicitiæ. Exod. 32. ſedet populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. (Exod. 32.)

Ierem. 5. Luc. 16.

dere. Venter enim cibo, & vino plenus, prodit se luxuriæ. Ierem. 5. Saturaui eos, & mœchati sunt. Item illa est quæ aufert misericordiam. Luc. 16. dicitur quia Epulo splendidus non compatiebatur Lazaro egenti, & petenti de micis mensæ. O quot sunt adhuc hodie, qui sunt de familia, & genere Epulonis, qui erga pauperes Lazaros non afficiuntur misericordia! & hoc quia diditi sunt gulæ, & splendidis conuiuiis. Amos 6. Bibentes vinum in phialis, & vnguento optimo delibuti, nihil compatiuntur super contritione Ioseph, id est, gemitu, & clamore pauperis.

Amos 6.

Denique, vt cætera taceam, illa est gula quæ non curat, & paruipendit, pro siliquis porcorum, amittere fercula lautiora Angelorum, & in æternum delicias mensæ Dei. Huius rei, quæso, & figuram & exemplum videte in Esau, filio Isaac primogenito, pro pane, & lentis edulio vendit fratri suo Iacob primogenita sua. Accepto pane, ait Scriptura, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit, paruipendés, quod primogenita vendidisset. O quot sunt similes illi! Primogeniti sumus, & ex iure illo habemus accubere mensæ patris, & vesci eius pane, pane Dei, pane Deo: & pro siliquis porcorum, & edulio lentis, paruipendimus primogenita nostra vendere, pro vili gula, pretiosam satietatem, pro frustulo panis, infinitatem, & immensitatem deliciarum, & pro inordinato appetitu cibi corruptibilis, omnium bonorum æternorum, & incorruptibilium abundantiam. Sic enim definitur gula, appetitus inordinatus cibi, & potus, &c. Inordinatum dicimus, quia in eo est vitium, & peccatum, vbi scilicet inordinatio est.

Definitio gulæ.

D. Tho. *5. Species gulæ.*

Hæc autem ex D. Tho. 2. 2. quæst. 148. quinque modis committitur. Primò, circa substantiam cibi, & potus, nimirum, cùm præter modum & rationem sunt pretiosa, & curiosa. Secundò, circa quantitatem, cùm quis comedit, & bibit, supra id quo indiget. Tertiò, circa qualitatem, cùm sunt delicati nimis, & exquisiti cibi. Quartò, circa ipsam delectationem gustus, cùm in ea nimis placet. Quintò denique, circa tempus, nimirum, cùm tempore indebito, & vetito sumuntur cibi.

Videamus modò in quibus casibus hoc peccatum sit mortale. Quatuor sunt præcipui. Primus est, quando aliquis ponit summum suum bonum, & quasi vltimum finem, in cibo, & potu, iuxta illud Pauli: cuius Deus venter, nihil aliud quærens, quàm comedere, & bibere. Vt certè in multis accidit, qui parati essent, quodcumque peccatum committere potiùs quàm cibum relinquere, & mensam. Tales mortaliter peccant.

Gula quadrupliciter est peccatum mortale. 1.

2. Secundus est, quando ex appetitu cibi, prætermittit homo, & transgreditur id quod ex præcepto Dei, aut Ecclesiæ facere tenetur; vt qui diebus prohibitis, & ieiunij vescitur carnibus, & non seruat ieiunium cùm potest, & in necessitate contrarij non est, aut legitimè excusatus.

3. Tertius est, quando ex cibo nimio infert sibi notabile damnum corporis, aut alteri, aut quando etiam ex nimio cibo, aut qualitate ciborum timetur probabiliter, aliquod peccatum mortale inde futurum.

4. Quartus etiam est, vbi ex nimia superfluitate, & prodigalitate, datur graue scandalum proximo. Tunc enim tenetur, sub pœna peccati mortalis, à tali gula abstinere. Sic enim dicebat S. Paulus de se, scilicet, se in æternum non manducaturum carnes, si sciret inde fratrem suum scandalum acceptu-

1. Pet. 4. rum. Quare permittite modò, vt illud 1. Pet. 4. vobis dicam: Sufficit præteritum tempus iis qui ambulauerunt in desideriis suis, comessationibus, potationibus, ebrietatibus, luxuriis, & illicitis idolorum cultibus, qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos & mortuos. Fratres, sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Cauete ne vos somnolentos inueniat, otio deditos, scurrilitati, & inanibus verbis vacantes. Gulam enim sequuntur semper istæ familiares, & amicæ, tanquam domesticæ eius, & filiæ, scilicet hebetudo mentis, & somnolentia, ineptia, scurrilitas, loquacitas, quæ dant locum inimico. Cui propterea resistite fortes in fide, oratione, ieiuniis, & aliis pœnitentiæ & iustitiæ operibus.

cap. 5.

De peccato Inuidiæ.

Catechesis CX.

Maximvm & grauissimũ est istud peccatum, quod contrarium est & opponitur excellentissimæ virtuti quæ in Christo fuit, nimirum charitati. Talis est inuidia, quæ de bono alieno tristatur. Cùm D. Iohan. 1. can. cap. 4. de amore patris loquitur sic ait: In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas, quoniam propitiationem misit pro peccatis nostris, non quasi nos dilexerimus, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Similiter de charitate filij sic loquitur cap. 3. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit. Ecce vtriusque & mutuus amor erga nos, patris & filij. Et illa est charitas, cui contraria est, & opponitur inuidia. Ex isto diuino & mutuo amore sanctus Apostolus colligebat, & concludebat sic cap. 4. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Charissimi, cap. 3. & nos debemus pro fratribus animas ponere. Inuidia adhuc opponit se, quæ de bono alieno tristitia est. Ecce quàm graue illa sit peccatum, cùm sit contraria omni charitati, & Dei, & hominum. In hoc etiam, ait S. Iohan. apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli, & manifesti sint filij Dei, & filij diaboli. Omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui autem non diligit, non nouit Deũ, quoniam Deus charitas est, sed ex diabolo natus est, & manet in morte. Hinc est quod inuidia sit propriè character diaboli, quo suos agnoscit, sicut fraterna dilectio filiorum Dei. Nam sicut Iohan. 13. Christus dicebat suis; In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem: ita suis dicit diabolus, in hoc cognoscam, & cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si inuidiam habueritis adinuicem, si vnus de bono alterius tristetur, inuideat, crucietur, si sic estis omnes, discipuli mei eritis, socij, filij, & amici.

1. Ioh. 4.

cap. 3.

1. Ioh. 13.

Verùm quid propriè inuidia sit videamus. D. Thom. 2. 2. quæst. 36. art. 2. docet, tristitiam esse de bonis alienis, illam autem tristitiam contingere quatuor modis. Primò, cùm timetur ex eo aliquod nocumentum, vel damnum, sibi vel aliis, vt qui dolet de electione alicuius in dignitatem, quia inde mortem, aut aliquod malum, sibi aduenire timet. Hæc tristitia de bono alterius, non est propriè inui-

Definitio inuidiæ ex D. Thoma. Quadruplex tristitia de bono alterius. 1.

inuidia, sed passio, aut effectus timoris, & plerumque sine peccato esse potest, vt dicit Greg. 22. moral. Euenire plerumque solet, ait, vt non amissa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rursum eius gloria, sine inuidiæ culpa, contristet, cùm & ruente eo, quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo, plerosque iniustè opprimi formidamus. D.Greg.

2. Secundò, alio modo potest tristari aliquis de bono alterius, non propriè ex eo quod ipse talis habet hoc bonum, sed ex eo quod nobis deest illud. Vnde eiusmodi tristitia vocatur propriè zelus, & non inuidia: & laudabilis est, si sit circa bona honesta, & virtuosa, secundum illud 1. Corinth. 14. Æmulamini spiritualia, charismata bona. Hoc igitur dicitur zelus, seu æmulatio bona: sed si fit de bonis temporalibus, & caducis, cum peccato esse potest, aliquando etiam sine peccato, cùm deest adhærentia. 1.Cor.14.

3. Tertio modo aliquis tristatur de bono temporali alterius, quia eo indignum reputat, vt de malorum prosperitate, quia indigni sunt. Et hæc tristitia vocatur à Theologis, & Philosophis, Nemesis, seu indignatio, quæ propriè non oritur ex bonis honestis, ex quibus aliquis efficitur iustus, sed de diuitiis, & honoribus, & talibus quæ possunt prouenire dignis, & indignis: hæc autem prohibetur, & peccatum est, vbi de eiusmodi bonis tristamur, quia reputamus esse magna, & eos qui accipiunt indignos, quasi illa magis nobis, quàm ipsis optaremus, non attendentes ad æterna, quomodo illud Psaltis intelligitur: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem*, id est, noli imitari eos, & optare quod illis accidit. Sic alibi intelligebatur idem Psaltes dicens: *Penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns*, id est, volui imitari. Talis indignatio, & tristitia de prosperitate malorum, prohibetur, nisi fortè ex iustitia accidat, id est, propter iniustitiam alterius, aut quia violatur iustitia.

4. Quarto denique modo aliquis tristatur de bono alterius, inquantum ab eo exceditur in bonis, & honoribus. Et hoc propriè est inuidia, de qua loquimur, quæ quidem peccatum mortale est, si hoc accidat voluntariè, & propter aliquod ingens & graue bonum, quia de eo dolet, de quo potiùs gaudendum esset: & sic peccat contra charitatem, quæ gaudet de bono proximi. Vtriusque enim, scilicet charitatis, & inuidiæ, idem est obiectum, quod est bonum proximi, de illo charitas gaudet, tristatur inuidia. 1. Cor. 13. Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Vnde 1. Iohan. 3. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Inuidia è contrà odit, tristatur, irritatur, &c. Propterea à Theologis sic definiri solet, tristitia de bono alieno, inquantum est propriæ excellentiæ diminutiuum; hoc autem maximè reperitur inter æquales. 1.Cor.13. 1.Iohan.3. Inuidia definitio.

Huius matris quinque numerantur filiæ, non minus infaustæ: propterea enim dicitur peccatum capitale, quia alia sub se continet, quæ peccata mortalia sunt. Illæ igitur sunt. Odium, quo malum alicui volumus. Susurratio, seu murmur, quo famam auferimus in occulto: detractio, qua in manifesto & palàm. Gaudium in aduersis proximi. afflictio in prosperis. Est enim inuidia, tristitia de bonis proximi, &c. Ecce quorum peccatorum, & ferè semper mortalium, inuidia radix sit.

Circumdatur vndique, & simul excruciatur bono, & malo: bono quod videt in proximo, malo quod est in se. Hoc notat egregiè S. Iohan. 1. can. 3. in Cain, qui ex inuidia, & maligno, occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? ait. Quoniam opera eius maligna erant; fratris autem eius iusta. Sic Gen. 4. legitur, quod cùm respexisset Dominus ad Abel, & ad munera eius, eo quod obtulerat ei de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: non autem ad Cain, nec ad munera illius, quia non sic religiosè fecerat; iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius inuidia, consurgénsque aduersus fratrem suum interfecit. Habet in se malum, & videt in alio bonum. Ecce ira, ecce tristitia, ecce crudelis inuidia, quæ iustum, innocentem, & fratrem occidit; fera pessima est quæ deuorat. 1.Ioh.3. Gen.4.

Sic Gen. 37. appellatur pessima bestia, & deuorans. Fratres Ioseph, propter somnia eius, & reuelationes, quibus dicebat aliis, se magnum Principem in terra futurum, cùm vident eum venientem post illos, cogitauerunt eum occidere; & mutuò loquebantur: Ecce somniator venit, venite, occidamus eum, dicemúsque, fera pessima deuorauit eum. Sed mutato consilio, eadem inuidia vendidit eum Ismaëlitis; & deferentes tunicam eius tinctam sanguine hœdi ad patrem, hanc inuenimus, inquiunt, vide si tunica filij tui sit. Qui cùm eam cognouisset, etiam, ait, tunica filij mei est, fera pessima deuorauit Ioseph. Verè fera pessima, fratrum inuidia, deuorauerat eum voluntate, ac intentione, & ipsos magis veritate. Gen.37.

Optimè inuidia fera pessima & crudelis dicitur, quia reuera nihil est, quod magis ipsum inuidum excruciet & deuoret. Vnde legitur de quodá Confessore, qui solùm tale peccatum confitenti, nullam pœnitentiam voluit iniungere, quia satis mali passus fuerat de tali genere peccati. Sic de Socrate legimus, qui optabat inuidos omnes habere oculos, & aures in omnibus ciuitatibus, & prouinciis, vt de omnium profectibus, & prosperitate torquerentur.

Inuidia est sicut vermis, qui natus in ligno, illud corrodit, & consumit. Sic Prou. 14. *Putredo ossium inuidia*. Et sic in Inferno adhuc illa fera pessima damnatos deuorat, vermis eorum non morietur, inuident, & lacerant se semper de felicitate beatorum, dicentes: Hi sunt quos aliquando, &c. Verè fera pessima, quæ omni bono, & nulli malo se opponit, & contra quam etiam sunt alia vitia. Sed in hoc adhuc verè, & maximè pessima, quod de bonitate Dei doleat, & tristetur, quod alteri se communicat. Christiani, sectamini charitatem, æmulamini spiritualia. 1. Corinth. 14. æmulamini charismata meliora. Prou.14. 1.Cor.14.

Remedia contra hoc vitium sunt. Primò, vt tollamus affectum à rebus terrenis. Gal. 6. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Secundò, vt animum ad gloriam, & hæreditatem eleuemus, vbi omnia ab omnibus in solidum habentur, & possidentur. D. Greg. 5. moral. Qui liuoris peste plenè carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus vna est, & singulis tota, quæ tanto largior est, quanto ad hos percipientium multitudo dilatatur. hæc ille. Tertiò, vt meditemur ea quæ faciunt ad contemptum propriæ gloriæ, & excellentiæ. Quartò denique, meditari, & considerare charitatem Christi, & Angelorum eius, vt eis simus conformes, nos omnes inuicem diligentes. Remedia contra inuidiã. Gal.6. D.Greg.

De pec

De peccato Acediæ.

CATECHESIS CXI.

VLTIMVM ordine vitium septem capitalium, & mortalium, est Acedia, sed primum in contemptu Dei, & laborum Christi. Nullum est quod magis sit contrarium gratiæ eius & promissis, nullum quod opponat se magis vitæ eius, passioni, morti, & meritis. Iohan. 9. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est, quandiu sum in mundo, lux sum mundi, (scilicet vt illuminem.) Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Cui naturâ gloria debetur, operatur; & cui illa accidit vt filio naturali, oportuit pati, & ita intrare in gloriam Dei. His meritis, & modis, nobis pariter acquisiuit illam. A diebus Ioannis, inquit, regnum cœlorum vim patitur. Quid hic statis tota die otiosi? Matth. 20. Ite in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis; alioquin, cap. 15. seruum inutilem eiicite in tenebras exteriores. Audite desides & negligentes, clamat Aug. vos qui speratis in hoc saluari, quod Christiani appellamini, audite, non verba iam, sed opera saluant. Ante obitum, ait Sapiens Eccl. 14. operare iustitiam, quoniam non est apud Inferos inuenire cibum. Propterea dicebat Christus; *Operamini cibum, non qui perit, sed qui permanet* (loquens de operibus bonis.) Cui conformiter Paulus Gal. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum: post hoc enim erit tempus in quo operari non possumus.* Ad opus, & non ad otium vocamur omnes.

Iob. 9. · Matth. 20. · cap. 15. · August. · Eccl. 14. · Gal. 6.

Qui non laborat, frustratur vitam, labores, verba, & promissa Christi. Videatur parabola Matth. 25. patrisfamilias, qui dat sua talenta ad negotium & lucrum, quomodo hos remunerat qui operati sunt, & lucrati, seruum verò malum, & pigrum damnat. Et certè hoc vitium in summam iniuriam hominum verti potest, quod omnes creaturæ, præter hominem, impigrè faciunt suum officium, seu quod illis vtile est. Vnde Prouerb. 6. Vade ad formicam, ô piger (ad eius ignominiam, quod doceatur à viliori, & minimo omnium animali) & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cùm non habeat ducem, neque præceptorem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Certè optimum granum eligit, & multum onerat se, multasque propter illud vias facit, & licet adhuc ductorem non habeat. Tu verò, ô homo, cui nihil ex his deest, otiosus, & piger es?

Matth. 25. · Prou. 6.

Verùm quid sit propriè illa Acedia, videamus. Communiter est tædium quoddam operandi; à quibusdam dicitur torpor mentis, bona inchoare negligentis: iuxta quod etiam Acedia incuriam significat. Iuxta D. Damasc. lib. 2. cap. 14. est quædam tristitia aggrauans, quia scilicet ita animum hominis deprimit, vt nihil ei agere libeat, sicut ea quæ sunt frigida, & non facilè mouentur: propterea volunt nonnulli nomen istud deriuari ab Acido. D. Tho. 2. 2. quæst. 35. art. 3. distinctiùs definiuit tristitiam de bono spirituali, inquantum est bonum diuinum, scilicet vt imperatum à Deo, & faciendum propter Deum. Iuxta id Acedia propriè respicit incuriam & negligentiam bonorum, & mediorum quæ ducunt ad beatitudinem hominis, vt charitatis, præceptorum omnium, Sacramentorum, & bonorum operum. Et inde Theologi hanc commu-

Quid sit Acedia. · D. Damasc. · D. Tho.

A nem definitionem dederunt. Acedia est tristitia de bono spirituali, vt ad ipsum hominem attinet. Quam & sic explicamus. Tristitia est voluntatis nostræ, de bono aliqualiter simul diuino & nostro: interim existimato vt proprio malo, propter adiunctam difficultatem obtinendi illud, proinde afferens incuriam & negligentiam actionum piarum, & salutarium, quia omnia videt laboriosa & difficilia; vult gloriam, & non laborem, vult & non vult piger.

Huius radicis sex sunt plantationes, seu sex filiæ eiusmodi matris, ex D. Greg. 31. moral. Pusillanimitas, quæ non audet exequi præcepta, aut consilia, quia videt ardua. Rancor, seu indignatio, quæ B homines auersatur, & fastidio habet, qui ad illa spiritualia inducunt, & exhortantur, vt sunt Concionatores & Religiosi. Malitia, seu odium, quo & ipsa spiritualia bona longè reiicit, dolétque eiusmodi cognitionem, & Dei vnquam habuisse, & aliquid aliquando impleuisse, & hoc mortale est. Desperatio sequitur, qua diffidit se consequuturum suum finem, & media tenet impossibilia; adhuc est mortale, cùm sit ex pleno consensu voluntatis. Postea torpor venit, qui est otiositas, & somnolentia erga omnia præcepta, quæ obseruare tenetur. Otiositas, qua prætermittit, & negligit. Somnolentia, qua negligenter explet, & custodit cum contemptu; & in vtroque mortale est. Denique men- C tis euagatio accidit, quæ est intentionis defectus, quæ rebus spiritualibus exequendis, & exercendis adhibenda est, vt orationi, &c. & applicatio tota rebus illicitis, & quæ delectent. Ecce quæ mala oriuntur ex Acedia, quæ propriè, vt videtis, tristitia definitur de bonis spiritualibus, vt ad ipsum hominem pertinent. Tristitia verè, & huius sæculi tristitia, de qua 2. Corinth. 7. Tristitia huius sæculi mortem operatur. Illa est Acedia, incuria bonorum spiritualium.

Sex filiæ Acediæ. · D. Greg.

Sciendum autem, vt optimè intelligatur istud, duo esse quæ sub hoc nomine boni spiritualis intelliguntur: & beatitudinem ipsam hominis, quæ in fruitione Dei est; & ea omnia bona quæ vt me- D dia ad ipsam beatitudinem consequendam ordinãtur, vtpote charitatis opera, & virtutum omnium, diuina præcepta, Sacramenta, &c. Rursus sciẽdum, hæc omnia considerari tripliciter. Primò, vt à Deo procedunt omnium bonorum authore, & principio. Secundò, vt sunt in proximis nostris. Tertiò, vt etiam ad nos pertinent, secundum quod videmus, quod charitas etiam inclinat nos ad gaudendum de eiusmodi bonis, vt in Deo sunt, in proximis, & in nobis, diligendo Deum propter se, proximum & nos ipsos propter Deum, scilicet quia per eiusmodi bona consequenter ordinamur ad Deum.

Duo sunt quæ sub nomine boni spiritualis intelliguntur.

Vnde iam tertiò aduertendum, iuxta hanc triplicem spiritualis boni considerationem, posse E etiam triplicem esse in homine de tali bono tristitiam, vnamquamque charitati oppositam, & cõtrariam penitus. Prima est, qua contristatur homo, & dolet de spirituali bono, vt in Deo, & à Deo est, quasi nolens, aut ægrè ferens eius gloriam, & manifestationem. Et hæc tristitia pessima est, ex odio Dei nata, quod grauissimum est omnium peccatorum, & maximè in damnatis reperitur & reprobis in Inferno, qui cum diabolis blasphemant Deum, & in eum furore perpetuo erumpunt. Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum. Ecce peccatum vltimum Inferni, & æternum.

Triplex de bono spirituali tristitia. 1.

Secunda tristitia est, qua homo de tali bono spirituali, vt in proximo est, contristatur, quasi nolens habere 2.

habere ipsum; & dicitur propriè inuidentia fraternæ gratiæ, quæ adhuc grauissimum peccatum est, & vnum ex iis quæ dicuntur contra Spiritum sanctum.

3. Tertia tristitia est illa, quæ Acedia est, scilicet illa qua homini ipsi tale bonum spirituale displicet, qua parte ad ipsum pertinet, quasi dolens & nolens, seu fastidiens se capacem esse talis boni, & per talia media ad id ordinari. Tristatur enim de beatitudine, & cur existit, de diuinis præceptis, de Sacramentis, exhortationibus, consiliis, & eiusmodi aliis spiritualibus bonis, quasi dolens, & ægrè ferens, quod ad ipsum pertineant. Hæc tristitia propriè dicitur Acedia, qua homo, & piger, habet velut nauseam & fastidium rerum spiritualiũ. Sic illud Psal. intelligi potest: *Omnem escam abominata est anima eorum, transierunt in affectum cordis, & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.*

Hæc autem tristitia, aut Acedia nascitur præsertim ex duplici capite: ex nimio rerum temporalium affectu, mundíque huius delectatione, inde enim nascitur fastidium rerum spiritualium, simúlque tristitia, & Acedia. Tolle ergo hunc affectum, & videbis effectum. Afferatur historia optimi, & sancti Episcopi Nonni, qui visa muliere dedita vanis, & superfluis mundi, flere cœpit, & dicere aliis, num videtis quomodo ista vno die ardentiùs & diligentiùs laborat, vt placeat mundo, quàm nos tota vita, vt placeamus Deo? Quid facimus, qui affligimur, & cum fastidio laboramus, vt Deo placeamus? Vultis igitur tristitiam, & Acediam tollere in Dei seruitio? Affectum mundi, & rerum mundi deponite, per hunc enim perditur spiritualium gustus, vnde statim labor, & pœna in illis. Ex quo tanquam ex altero capite nascitur pigritia, nimirum ex terrore laborum, quibus illa spiritualia bona sunt acquirenda: hinc enim pusillanimitas, desperatio, torpor, & in omnibus negligentia prodeunt. O vtinam frigidus esses, aut calidus, ô Christiane, & non tepesceres. Tepiditas ad vomitum prouocat. Exardesce, ô Christiane, in amorem æternorum, & considera quia tibi breue tempus concessum est ad merendum, & perdis, vnde pendet æternitas. In isto momento tuo tuam æternitatem operare.

De partibus pœnitentiæ. Ac primò de contritione.

Catechesis CXII.

PECCATORVM multitudine & grauitate consideratis, habemus vnde pœnitentiam agere debeamus, & ad diuinam Christi gratiam recurrere. Eph. 1. dicebat Apost. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri IESV Christi, qui gratificauit nos in dilecto filio suo, id est, qui fecit nos inuenire omnem gratiam in illo. Peccata nostra diuiserunt nos à Deo, & pœnitentia per IESVM Christum reuocat, antidotum posuit in veneno, & toxico, remedium & salutem in peccatis, nimirum contritionem, & dolorem de peccatis. Quod enim pœnitentiam facit, & Deum lenit, est odium & detestatio peccati. Dauid Psal. 50. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Hæc verba explicans D. Aug. ait. Vnde, inquit, De im placabimus? Offer, sanè in te habes quod offeras. Noli extrinsecus thura comparare, sed dic, in me sunt Deus vota tua quæ reddam laudes tibi. Noli extrinsecus pecus quod mactes inquirere, habes in te quod occidas. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. hæc ille. Hinc Act. 2. turbis dicentibus Petro, quid faciemus? respondet ille; pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. Pœnitentia potest dici fons ille Zach. 13. patens domui Dauid, in ablutionem peccatorum: proprium est enim lacrymarum, purgare animam à peccatis, sicut pœnitentiæ ex iustitia vindictam de illis sumere. Iuxta quod ait D. August. lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 8. Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolet commisisse.

Psal. 50. · D. August. · Act. 2. · Zachar. 13. · D. August.

Hoc posito, iam dicendum quibus modis istam punitionem exequatur, & quot proinde illa partes habeat. Tres sunt, contritio, confessio, & satisfactio; partes quibus illa sumit vindictam de peccatis. Et certè illud conuenientissimè triplici ratione, & subiecti, & obiecti peccatorum, atque offendentis simul, & offensi. Ratione subiecti peccata committuntur mente, verbis, & opere, vnde consentaneum est, vt mens purgetur contritione, verba confessione, opera satisfactione. Item ratione obiecti, quod Deus est infinitæ majestatis, & à nobis offensus, vbi requiritur aliqualis æqualitas iustitiæ vindicantis, & compensatio offensę. Quod in illis pœnitentiæ partibus exercetur, dum quantum potest, spiritu contrito, & humili confessione, simulque satisfactionis operibus, nititur pœnitens compensare delictum, ex cunctis partibus, quibus in Deum commiserat. Denique ratione subiecti simul & obiecti, seu simul offendentis & offensi, hominis & Dei, qui mutuò concurrunt & inuicem ad reconciliationem: iuxta quod pœnitentia non solùm est iustitia vindicatiua, & compensatio offensæ ex iustitia; sed magis reconciliatio amicitiæ, quæ fit dum offendens voluntariè compensat, secundum voluntatem, & arbitrium eius quem offendit. Vnde requiritur primò voluntas compensandi ex parte pœnitentis, quod fit per contritionem. Secundò, ex parte eiusdem submissio tribunali Iustitiæ Dei, id est, quod se subiiciat iudicio, & arbitrio Sacerdotis, qui tenet locum Dei. Quod fit per confessionem delictorum. Tertiò, ex parte ministri, acceptatio pœnæ, seu compensatio, id est, quod compenset omnia secundum arbitrium ministri Dei & Sacerdotis, qui tenet hic locum Dei offensi; & hoc in satisfactione fit. Et sic ponuntur omni ex parte illæ tres partes pœnitentiæ, contritio, confessio, satisfactio.

Hæc doctrina est D. Thom. 3. part. quæst. 90. art. 2. Et iuxta quam Catech. Conc. Trid. hanc pœnitentiæ definitionem dedit: Pœnitentia est veluti quædam delictorum compensatio, ab eius voluntate qui deliquit profecta, ac Dei arbitrio, in quem peccatum commissum est, constituta. Ecce concursus voluntatum, & eius qui offendit, & eius qui offensus est, ad constituendam pœnitentiam, & compensationem delicti faciendam, in quo tres pœnitentiæ partes videre est. Nam in voluntate compensandi, est contritio; vbi autem se subiicit pœnitens arbitrio Sacerdotis loco Dei, est confessio, & satisfactio.

D. Tho. *Definitio pœnitentiæ.*

Quia autem harum trium partium necessarium est

est vim & naturam ostendere, priùs à contritione A incipiendum est.

Varia contritionis definitiones. Contritio diuersas habet definitiones, iuxta multos Patres, qui de contritione, aut potiùs de compunctione cordis, multos libros conscripserunt, vt iuxta S. Chrysost. vocatur compunctio cordis: iuxta D. Aug. dolor remittens peccatum; hæc tangit effectum: iuxta S. Isidor. compunctio & humilitas mẽtis, cum lacrymis veniens de recordatione peccati, & timore iudicij; hæc tangit principium contritionis, recordationem peccati, &c. iuxta S. Greg. humilitas spiritus, annihilans peccatum, inter spem, & timorem; hæc tangit naturam, effectum, & duplex principium. Ecce humilitas, peccati remissio, timor, & spes.

D. Chrys. S. Aug. S. Isidor. S. Greg.

Sed vt ad magis specificam & essentialem ve- B niamus, sic ex D. Tho. additionibus art. 1. definitur, voluntarius animi dolor, pro peccatis assumptus, & puniens quæ dolet commisisse. Patres Conc. Trid. similem dederunt, sed cum adiunctione, vbi sic definierunt. Contritio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Ex qua definitione intelligitur facilè, contritionis vim in eo tantùm positam non esse, vt desinat quis peccare, aut proponat nouum vitæ genus instituere, atque ipsum iam instituat, sed imprimis malè actæ vitæ odium habendum, & suscipiendam esse expiationem. Id nos docent, & confirmant maximè illi sanctorum Patrum clamores, C quos frequentes fuisse in Scripturis legimus, vt Dauidis Psal. 6. Laboraui in gemitu meo. & iterum: Et gemitus meus non est à te absconditus. Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, & defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum; & exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Sic Ezechias Rex Isai. 38. Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum. Domine vim patior, quid dicam? Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba, recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Certè voces eiusmodi magnum anteactæ vitæ odium, & vehementem peccatorum detestationem exprimebant. Istud est, quod ante omnia in contritione præcedere de- D bet, detestatio, & odium peccati.

D. Thom. Psal. 6. Isa. 38.

Secundum est propositum non peccandi amplius, quia parum, & pro nihilo esset pro tempore doluisse, & postea ad causam, & materiam doloris, ad peccatum redire. Quare qui nouissimè de contritione loquuti sunt, hæc superaddiderunt, & vt nihil desit, hanc definitionem dederunt. Contritio est præteriti peccati, vt est Dei offensa, voluntaria, & supra omnia detestatio, cum proposito vitandi futura supra omnia, & commissa confitendi. Hæc quæso omnia distinctè notentur, si veram contritionem habere vultis.

Definitio contritionis.

Explicatio definitionis. Primò est detestatio peccati commissi voluntaria, quia contritio non est actus necessitatis, sed E spontaneus cum auxilio diuinæ gratiæ. Secundò, supra omnia, quia vt contritionem habeamus, necesse est sic peccatum detestari, vt potiùs velimus quodcumque subire malum, quàm peccare, sicque nihil abhorreat magis, quàm Deum offendere.

Tria in quibus relucet Dei bonitas. Propterea tertiò additur, vt est Dei offensa, qui bonus est, & maximus. Ratio enim contritionis maximè in illa suprema bonitate Dei fundatur: illa autem bonitas summopere consistit, & relucet in his tribus. Primò, quia nos creauit ad imaginem suam, capaces gratiæ & gloriæ. Secundò, quia post peccatum, & vt nos liberaret ab eo, vnigenitum suum misit. Tertiò, quia nobis quotidie innumera confert beneficia, inter quæ nos quotidie ad pœnitentiam expectat; Conuertimini, nolo mortem, &c.

Quartò, cum proposito vitandi futura supra omnia; quia in posterum proponere debet se nunquam Deum offensurum, sed potiùs moriturum, quàm vitam suam non emendaturum, & gratiæ Dei futurum.

Quintò additur, cum proposito confitendi commissa; quia nunc in Ecclesia, & lege gratiæ ad pœnitentiam non sufficit de peccatis contritio nisi adsit confessio. Etenim, vt optimè dicit S. August. dolor pœnitentia non est, sed pœnitentiæ comes; vera pœnitentia est contritio, confessioni adiuncta, de qua mox. Prouerb. 28. *Qui abscondit scelera sua non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Vnde sic dicebat Psaltes: Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.

S. Aug. Prou. 28. Psal. 31.

De contritione & dispositione ad Confessionem.

CATECHESIS CXIII.

MAGNA est necessitas & ratio de peccatis nostris conteri, quæ nobis gratiam, amicitiam, & merita Christi aufert. Contritionis non est vna causa & ratio, sed multiplex. Prima est ipsamet necessitas, aut hic pœnitendum, aut in Inferno. Luc. 13. Nisi pœnitentiam habueritis, &c. Luc. 13. Damnati in æternum coactè pœnitent, Sap. 5. quia hic in tempore & voluntariè pœnitere noluerunt. Conteruntur experti dolores mortis in tormentis, quia hic conteri noluerunt, & dolere de peccatis, in benedictionibus dulcedinis, & gratiæ. Non vos fallat error, non potestis fugere pœnitentiam, aut nunc facienda est, quando prodest, & est vtilis; aut certè eo tempore veniet quando amplius non proderit: quia non voluntariè tunc, sed coactè accipietis, & sic cum pœnitentia vestra peribitis, & illam adducetis vobiscum in Infernum. Non vos decipiat error, non vos fallat mundus.

Multæ pœnitentiæ sunt iniquæ, infructuosæ, inutiles, desperatæ, hic in mundo, sicut in Inferno, & nisi bonam feceritis, peribitis. Video in Cain pœnitentiam, sed desperatam, Gen. 4. Maior est Gen. 4. iniquitas mea quàm vt veniam merear. Video pœnitentiã in Iuda Matt. 27. sed desperatã: pœnitentia Matth. 27. ductus laqueo se suspendit. Video in Esau, sed inutilem, Gen. 27. & ad Hebr. 12. Scitote enim, quo- Gen. 27. Heb. 12. niam & postea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est, non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam. Video pœnitentiam in Antiocho 2. Machab. 9. sed 2. Machab. 9. inutilem. Orabat hic scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consequuturus. Sic Prou. Prou. 1. 1. pro omnibus dicitur: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam.

Ecce pœnitentiæ inutiles, & desperatæ, quia coactæ, & tales perseuerant in Inferno. Turbabuntur timore horribili, Sap. 5. & mirabuntur in Sap. 5. subitatione insperatæ salutis, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum. Nisi pœnitentiam hic

hic habueritis voluntariam, bonam, & in vera contritione de peccatis, peribitis. Hæc est prima ratio quæ nos excitat ad dolorem habendum de peccatis, necessitas ipsa.

Secunda, indignitas peccati, & omnia damna, quæ secum affert homini, priuat ipsum beneuolentia, & cura paterna Dei. Ierem. 22. Si fuerit Iechonias sicut annulus in dextera mea, inde euellam eum. (Ierem. 22.) Aufert ab eo ornamentum gratiæ, ius ad gloriam, omniaque bona opera eius mortificat.

Tertia, vtilitas contritionis, quæ animam purgat, & facit vt omnia reuiuiscant. Ioëlis 2. Reddam vobis annos, quos comedit locusta, & ærugo. (Ioëlis 2.)

Quarta adhuc, beneficium nostræ conseruationis, etiam dum Deum offendimus; in ipso enim viuimus, mouemur & sumus, Act. 17. & tamen offendimus. (Act. 17.)

Quinta ratio fundari potest in breuitate vitæ nostræ. Solum vnum momentum temporis habemus, & simul constituti inter statum beatorum, & damnatorum, atque vtriusque æternitatis. Et quis nostrûm quæso iam non teneatur dicere, misericordiæ Domini, quod non sumus consumpti? Thren. 3. (Thren. 3.) Quot sunt qui de medio deliciarum, & in feruore gaudiorum, ad Inferni tormenta in puncto detracti sunt, & dicunt nunc lamentando illud Lament. Ierem. 5. (Ierem. 5.) *Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum risus noster, va nobis quia peccauimus?*

Non est, ô Christiani, communicandum amplius gaudiis mundi huius, nostri est officij potiùs vacare lacrymis, & peccata flere nostra, missa facere gaudia omnia, & dicere nunc cum Tertulliano (Tertull.) lib. de Spectaculis cap. 28. Nostræ cœnæ, nostræ nuptiæ nondum sunt, non possum cum illis discumbere, quia nec illi nobiscum, vicibus disposita res est, nunc illi lætantur, nos conflictamur, affligimur, conterimur, contristamur, & ploramus. Sæculum, inquit Christus, gaudebit, vos tristes eritis. Lugeamus ergo dum Ethnici gaudent, vt cùm lugere cœperint, & nos gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es, ô Christiane, si & in sæculo voluptatem concupiscis, imò nimiùm stultus, si hoc existimas esse voluptatem. hæc ille. Omnis enim contritio, ait Psaltes, & infelicitas in viis eorum. Et Eccl. 21. (Eccl. 21.) Via peccantium complanata lapidibus, & in fine eorum, Inferi, & tenebræ, & pœnæ. Stupa enim collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis. Ecce ad quid reducitur, & in breui omnis eorum voluptas.

Verum gaudium in contritione est cordis, in dolore de peccatis. Psal. 76. (Psal. 76.) Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & consolatus sum. Hoc posito, iam contritionis istius modum quærimus: & simul dicimus illam summam debere esse, & vehementissimam, modum in illa debere esse sine modo. Hac ratione demonstramus, quia cùm perfecta contritio, sit charitatis actio, etiam idem datur contritionis modus, atque charitatis. Vnde sicut Deut. 6. (Deut. 6.) dicitur; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. ita Ioëlis 2. (Ioël. 2.) dicitur, vbi de contritione: Conuertimini ad me de toto corde vestro, & scindite corda vestra, sit vehemens dolor, & ex amore procedat. Sicut enim verus amor non finit vllum peccatum existere, etiam vitæ conseruandæ gratia; sed aliquando patrem, & matrem odisse præcipit, Matth. 10. (Matth. 10.) denique nullum finem, & modum in diligendo præscribit, & tenet, vt S. Bern. dicebat, modum diligendi Deum, esse ipsum diligere sine

A modo. Ita nullus modus præscribitur, & definitur dolori, contritioni, & detestationi peccati; vult vehementiam, & excessum, omniáque quæcumque ex causa peccata excludit, & omnem ignauiam. Audi quid scriptum sit Deut. 4. Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ. (Deut. 4.) Sic Ierem. 29. Quæretis me, & inuenietis cùm quæsieritis ex toto corde vestro, & inueniar à vobis. (Ierem. 29.)

Quare S. Aug. iustè de iis conqueritur, qui magis damnum fortunæ, quàm animæ suæ sentiunt, (S. Aug.) dicens sic. Non sunt in te, ô Christiane, charitatis Christianæ viscera, si luges corpus à quo recessit anima, animam autem à qua recessit Deus, non luges. B Huc etiam pertinent illa verba Christi Mat. 11. (Matth. 11.) *Va tibi CoroZain, va tibi Bethsaida*, (quæ non ploratis, & pœnitentiam agitis) *quia si in Tyro, & Sidone facta essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* In cinere, & cilicio, ad vehementem exprimendum dolorem, sicut in lacrymis suis Dauid, Magdalena, & Apostolorum princeps, declararunt. Hoc vult contritio ex amore procedens. Magdalena lacrymis suis rigabat pedes IESV: interim ait IESVS, remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Ex his iam sumuntur tria requisita, & vt plurimum necessaria ad veram contritionem, ex Catech. Conc. Trid. (*Tria ad contritionem requisita.*) 1. C Primum est, vt omnia in vniuersum, & singula etiam diuisim, vt fieri poterit, cogitemus quæ fecimus peccata, & detestemur. Sic enim Ezechias contritionem suam describit Isa. 38. (Isa. 38.) Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ, id est, sigillatim excutiam, vt de iis ex animo doleam. Sic apud Ezech. 18. legimus: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, &c. vita viuet. (Ezech. 18.) Vbi S. August. hæc verba explicans dicit. (Aug.) Consideret peccator qualitatem criminis, in tẽpore, in varietate, in persona.

2. Hinc ad alterum procedimus, quod est secundum, nimirum, vt contritio confitendi, & satisfaciendi voluntatem coniunctam habeat, aliàs nulla est. Propterea Ezechiel addebat cùm ait: Si impius D egerit pœnitentiam, &c. & fecerit iudicium, & iustitiã, id est, subiiciat se iudicio & tribunali Cõfessionis; omnis enim iustus in principio est accusator sui. Isa. 43. (Isa. 43.) Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris, & pro anima tua, id est, salute animæ, ne confundaris dicere verum. Eccl. 4. (Eccl. 4.) Est enim confusio adducens peccatum, & est adducens gloriam, & gratiam. Vnde sicut ij qui escam indigestam, aut phlegma inclusum in pectore habent, releuantur si vomuerint, aliàs, &c. ita nisi peccata euomuerimus, semper in periculo erimus. Eodem cap. 18. Ezech. (Ezech. 18.) Proiicite à vobis omnes præuaricationes vestras, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Etiam cum satisfactione, quia, vt ait Aug. (Aug.) non remittitur peccatum, E nisi restituatur ablatum.

3. Hinc tertium sequitur necessarium, scilicet vt pœnitens fortiter decernat emendare vitam suam, & illud aggrediatur ex animo. Ad hoc enim tendere, & ducere debet contritio, vt scilicet statum nostrum penitus mutemus. Hoc nos vera contritio docet, sicut dicere docuit B. Catharinam Genuensem à primo instanti suæ conuersionis; Non amplius peccatum in posterum, non mundus amplius, &c. Hoc & Christus docebat nos Ioh. 8. (Ioh. 8. & 5.) cùm diceret mulieri adulteræ: *Vade, & iam noli amplius peccare.* Idem cum paralytico Ioh. 5. diceret: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare*, &c. Hoc denique nos docent illa verba prædicti Prophetæ Ezech. 18. Si impius

impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur, & omnium iniquitatum eius non recordabor. Conuertimini igitur, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas, proiicite à vobis omnes præuaricationes vestras, & facite vobis cor nouũ, & spiritum nouũ.

De Confeßione.

CATECHESIS CXIV.

SI velimus participes fieri sanguinis, & meriti IESV Christi, necesse est post contritionem de peccatis, illa confiteri, & potestati clauium in Ecclesia submittere. 1. Iohan. 1. Sanguis IESV Christi emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, &c. Si autem confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis, & emundet nos ab omni iniquitate. Fidelis & iustus, quoniam quidem eorum remissionem in Confessione promisit, quãdo hanc potestatem Apostolis dedit, eósque Iudices de hac re constituit, Ioh. 20. Accipite Spiritum sanctum. Post Resurrectionem omnibus cógregatis in vnum locum insufflauit dicens: Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Ecce vbi Sacramentum Pœnitentiæ, & Confessionis institutum est, vbi potestas clauium, & iudiciaria Sacerdotibus data est, vbi peccatoribus confitendi necessitas, vbi & confitentibus promissio remissionis facta est, vt ex illo loco 1. Ioh. 1. colligimus: Si confiteamur, fidelis est Deus, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra. Deus enim ad hoc teneri & obligari non poterat ex fidelitate & iustitia, nisi inquantum promisit. Non autem inuenimus alibi promisisse, quàm vbi talem potestatem remittendi Apostolis dedit, & in Ecclesia eorum successoribus. Hoc enim posito, & simul remissionem promisit, & simul ad Confessionem obligauit, inquantum Iudices debent habere notitiam facti, vt remittant, aut retineant. Ecce in Scriptura sacra formalis iniunctio, necessitas, & obligatio manifestissima.

1 Ioh. 1.

Ioh. 20.

Figura Confessionis. Leuit. 5.

Verùm in vtroque Testamento huius rei figuram, & praxim videamus. Leuit. 5. tale erat præceptum: Anima quæ peccauerit per ignorãtiam, offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti, iuxta mensuran, æstimationémque peccati, qui orabit pro eo, quod nesciens fecerit, & dimittetur ei. Ecce, vides quod in hoc ipso quod aliquis iuxta mensuram peccati oblationem faciebat in lege, suum peccatum Sacerdoti, & ministro Dei quodammodo declarabat, & confitebatur, qui pro eo postea oraturus erat vt remitteretur, & secundum hoc dicebatur Prou. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Quia autem nondũ erat data, & instituta potestas clauium, quæ à Passione Christi deriuatur, nondum etiam institutum erat Sacramentum, sed tantùm figura erat, & quodammodo praxis. Sic adhuc Dominus iis qui à lepra in itinere curati fuerant, præceperat vt Sacerdotibus se ostenderent, & eorum iudicium subirẽt. Per hoc certè peccatoris officium declaratur, qui à lepra sua perfectè curari desiderat, dum ostẽdit Christus, ad quos ire necesse sit, & quibus talis sit commissa potestas.

Prou. 28.

Quod & maximè resurrectione Lazari ostendere voluit, Ioh. 11. cùm Apostolis id negotij dedit, vt Lazarum excitatum à mortuis, vinculis, quibus adhuc erat constrictus, soluerent. Vbi certè ostendit iam in Ecclesia, & noua lege Euangelij hanc potestatem soluendi peccatorem vinculis suis, concessam esse Sacerdotibus. Quem locum mirè etiã explanat S. Aug. dicens. Ipsi Sacerdotes plus iam possunt proficere, plus confitentibus parcere, quibus & crimen remittunt. Quæro hic notetur, quod S. Aug. ait, scilicet plus iam posse proficere Sacerdotes, quibus datum est, non mortuum suscitatum, vinculis & sudario soluere, sed crimen remittere, & adhuc mortuum suscitare absolutione, & remissione peccati. Sic enim Dominus Lazarum quem suscitauerat, discipulis obtulit, per ipsos soluendum, ostendens talem potestatẽ soluendi concessam esse Sacerdotibus, ad quos accedunt, & tradunt se eiusmodi Lazari, & peccatores, cum contritione & dolore de peccatis suis.

Ioh. 11.

S. Aug.

Iam vsum videamus. Act. 19. post temeritatem, & seueram punitionem eorum qui malè inuocabant nomen Domini super dæmoniacos, dicitur quod multi credentium timore perterriti, veniebãt confitentes, & annunciantes actus suos. Et vt ostẽdatur quia hic sermo fit de confessione peccatorum, sequitur statim, & immediatè, Multi autẽ eorum, qui fuerant curiosa sectati, cótulerunt libros, & combusserunt coram omnibus. Ecce in Scriptura sacra Confessionis expressa obligatio, & vsus. Quæ vt sic ex D. Greg. est vera peccatorum detestatio, & ex D. Aug per quam latens morbus aperitur, spe veniæ. Spe veniæ quidem, quia iudiciũ hoc multum differt à sæculari, in quo confessioni pœna, & supplicium constituitur; in hoc autem à culpa liberatio, & venia.

Act. 19.

D. Greg.

D. Aug.

Quare hoc posito, sic modò cum Catech. Conc. Trid. Confessionem definiemus, accusationẽ peccatorum, quæ ad Sacramenti genus pertinet, eo fine susceptam, vt veniam virtute clauium impetremus. Accusatio dicitur, vt excludantur hic, qui ostentant scelera sua, & cùm malè fecerint lætantur. Quæ ad Sacramenti genus pertinet, vt etiam excludantur omnes aliæ confessiones, quæ coram Iudicibus fiunt, siue sæcularibus, siue etiam Ecclesiasticis: itémque omnes aliæ spirituales, quæ in Ecclesia fiunt, & publicè, humilitatis & deuotionis causa. Vt virtute clauium veniam impetremus, quia ista Confessio debet fieri proprio Sacerdoti, nempe ei qui iurisdictionem habet, & potestatem ordinariam, vel delegatam, sicut in casu necessitatis potest fieri omni. Propterea S. Paulus ad Titũ 1. dicebat: Huius rei gratiâ reliqui te Cretæ, vt quæ desunt corrigas, & constituas presbyteros per ciuitates, sicut & ego disposui tibi. Ecce iurisdictionis potestas, & ordo, ecce quæ ad sacramentalem confessionem necessaria sunt. Illam autem comitari debent tres præcipuæ circunstantiæ, nimirum vt accusatio illa sit diligẽs, pura & humilis, iuxta quod S Bern. Ser. 17. in Cant. ait. Omne quod remordet conscientiã, confitere humiliter, purè, fideliter. Prima igitur cõditio est, vt sit fidelis, & diligens. Hæc fidelitas, seu diligentia est respectu temporis, & conscientiæ examinis. Temporis, vt de die in diem non differas, sed protinus venenũ mortale proiiciat. Eccl. 5. Ne dicas, miseratio Domini magna est, & miserebitur. Peccaui, & quid mihi accidit triste? Est enim mihi sufficiens vita, & Altissimus patiens redditor. Ne dixeris talia; misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. Deus

Confessionis definitio.

Explicatio definitionis.

ad Tit. 1.

Tres confessionum definitiones S. Bern.

1.

Eccl. 5.

enim vindicans vindicabit. Quare ne tardes conuerti, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. S. Chrysost. hom. 22 in 2. Cor. 10 egregiè hæc omnia explicat dicens: Ne tardes, &c. nescis enim quid parata est superuentura ira. Et ne dicas, erit tempus, quando conuerti licebit; verba enim hæc Deum valde exasperant. Curnam cùm ipse tibi æterna sæcula promisit, tu in præsenti vita, quæ parua & momentanea est, laborare ad pœnitentiam nō vis, sed sic adhuc dissolutus agis, quasi hac quandam aliam breuiorem inquiras? Quotidianæ illæ comessationes, & mensæ, & theatra, satis testantur inexplebilem concupiscentiam. Inebriatus es, & ventri indulsisti, rapuisti, &c. siste iam gradum, verte te in diuersum, & Deo confitere gratiam, quod non in mediis peccatis te abstulit, & ne quæras aliud tibi prorogari tempus, vt malè opereris: multi enim dum malè, & vitiosè viuerent, subitò perierunt, & in manifestam damnationem abierunt, time ne idem tibi accidat. Sed multis, inquis, Deus dedit spatium, vt in vltima senecta confiterentur. Quid igitur, nunquid & tibi dabitur? fortasse dabit, inquis. Cur dicis fortasse? Cogita quid de anima deliberas, & proinde etiam de contrario cogita, & dic, quid autem si non det? hoc, illo certius, & cogitare vtilius. hæc omnia Chrysostomus.

S. Chrysost.

Diligentia ergo debet esse respectu temporis, maximè autem examinis conscientiæ, quia defectu huius conditionis, frequenter nullæ sunt & irritæ confessiones. Examen istud vult preces ad Deum, & mentis applicationem, ad requirendum, in quo, quomodo, quando, vbi, & cum quibus, & quoties peccatum commisimus, in mente, verbo, & opere. Sicut suprà S. Aug. dicebat Ezech explicans Consideret peccator qualitatem criminis, in tempore, in varietate, & persona: hæc est prima conditio, diligētia, fidelitas, integritas, vt omnia prorsus peccata declarētur iuxta species, circumstantias, & numerum, sicut de singulis fusè tractauimus. S. Ambros. Non potest quis à peccato iustificari, nisi peccatum confessus fuerit. Et S. Hieron. in Ecclesiast. Si quem serpens occultè momorderit, & nullo conscio, eum peccati veneno infecerit, si tacuerit, nec vulnus suum fratri aut magistro voluerit confiteri, magister qui habet linguam ad curandum, prodesse non poterit. S. Anton. 2. part. tit. 9. refert de hac re exemplū cuiusdam fœminæ nobilis, quæ de quodam peccato verecundo pœnitens, de mundo transierat ad religionem, vbi cùm diu vixisset in opinione sanctitatis, & electa etiam in Abbatissam, tandem mortua & requisita antè de relatione status sui, apparuit forma horribili, annuncians, quod esset damnata, eo quod nunquam tale peccatum accusasset, propter verecundiam.

S. Aug. — S. Ambr. — S. Anton.

Secunda conditio est puritas & sinceritas, id est, non se excusando, non negando, aut diminuendo, non accusando alios, aut fabulas dicendo, aut historias, seu multa verba artificiosè ordinata, inutilia, & sæpius Dei iram prouocantia; sed sincerè, simpliciter, & cum humilitate, se accusando. *Non declines cor meum in verba malitiæ, &c.*

2. Confessionis conditio.

Hinc tertia conditio, nempe humilitas, quæ requirit cum interiori compunctione, exteriorem confusionem, demissionem vultus, in vestibus modestiam, & in omni actione pudorem, timorem, & animi tristitiam, exemplo publicani Luc 18. vt sic Deum iratum, ad misericordiam, & veniam prouocemus.

3. Conditio. — Luc 18

De satisfactione.

Catechesis CXV.

AD acquirendam, & conseruandam Christi gratiam, non satis est doluisse, & declarasse peccata, nisi satisfaciamus. Ad perfectionem pœnitentiæ, requiruntur simul esse tres partes, & vbi vna defuerit, integra non erit; non sufficit contritio absque Confessione, nec Confessio absque satisfactione. Satisfactio coronat opus.

Contritio, vt dictum est, peccatorum detestatio est super omnia, cum proposito non peccandi amplius, & confitendi. Confessio, non solùm ex reprehensione cordis, interna peccati agnitio, sed & ore manifestatio coram iudice Sacerdote, cum proposito satisfaciendi ex iudicio eius, iniuriæ Deo illatæ. Non solùm enim requiritur vt doleat pœnitēs, sed vt sicut Magdalena venit ad pedes IESV, vt lacrymaretur, & absolutionem suam audiret, ita etiā pœnitēs ad pedes Sacerdotis procumbat, vt se peccatorem ostendat, & confiteatur, iudicio eius se submittat, & postea absolutionem suam audiat, & recipiat, & sic iustificatus exeat, & permaneat. Qui ad satisfactionem venit, manet liber, & securus.

Exemplum pulchrum est, & figura huius rei in liberatione S. Petri de carcere, Act. 12. in quo cùm seruaretur catenis vinctus, & militibus multis custoditus Angelus eum excitat dormientem percusso latere, & cadentibus catenis de manibus, exiens sequebatur Angelum: transeuntes autem primam, & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducebat ad ciuitatem, quæ vltrò etiam aperta est eis. Et exeuntes processerunt, continuòque discedente Angelo, ad se reuersus Petrus dixit; nūc scio verè, quia misit Dominus Angelū suum, & eripuit me de manu Herodis. Ita dico, si volumus perfectè liberari de manu Herodis, & diabolicùm per Angelum, seu per inspiratorem excitati fuimus, vt egrediamur de carcere, & iam catenæ nostræ exciderunt per pœnitentiam, oportet venire ad portam, quæ ferrea est, nempe satisfactionem, quæ ducit ad ciuitatem, & dat libertatem.

Act. 12

Nunc igitur dicamus quid sit satisfactio S. Ansel. lib. cur Deus homo, communem definitionem dat. Satisfactio, inquit, est Deo honorem debitum impendere. Hæc definitio est tam pro ratione beneficij accepti à Deo, quàm respectu peccati commissi in illum. Pro beneficio fit gratiarum actio, laus, &c. & sic satisfacimus. Pro peccato item commisso pœnam aliquam sustinemus, & soluimus. Sic iterum satisfacimus, debitumque honorem Deo reddimus.

Satisfactionis definitiones. S. Ansel. 1.

Distinctiùs, est actus iustitiæ, pœnam pro peccato inferentis: seu, & meliùs, offensæ præteritæ quoad pœnam compensatio. Compēsatio quidem, non secundùm æqualitatem iustitiæ, sed secundum possibilitatem, qua homo reddit Deo, quantum potest, curans peccata præterita punire, & se à futuris præseruare. Hæc autem satisfactio tantùm Sacramenti est pars, cùm ex præcepto Sacerdotis, Deo exhibetur pro peccatis, quia & sponte nostra suscipi, & à Sacerdotibus iniungi, & denuò à nobis ipsis eadem repetita sustineri potest, quocunq; quidem modo suscepta, semper vtilis, & pœnę temporalis ad quam tenemur solutio. Interim illa quæ à Sacerdotibus in hoc tribunali datur, & suscipitur, propriè sacramentalis est, & magis, cæteris partibus,

2. 3. Explicatio definitionis.

satisfacto

satisfactoria,ad debitæ pœnæ solutionem,quia ra- A
tione Sacramenti, magis tunc applicatur operi iniuncto virtus Passionis IESV Christi Domini nostri,vt verbi gratiâ,orationi,ieiunio, mortificationi,eleemosynæ,restitutioni,& similibus iniunctis.

Interim addo,cæteris paribus,quia voluntarium possemus aliquid facere ita feruentes, tantoque cû deuotionis ardore ; tam verò tepidè impositum,vt certè plus esset & valeret,quod aliquis ex deuotione maiori daret,& faceret, quâ quod alter,aut ipse faceret ratione Sacramenti.(Quæso hæc aduertant pœnitentes,& non parui pendant pœnitêtias suas.)

Verùm vt ad explicationem nostram redeamus, diximus satisfactioné,offensæ præteritæ compen-
sationé esse quoad pœnam. Quoad pœnam diximus, B
Duo quę peccatū consequuntur. quia sciendum duo esse,quæ peccatum consequûtur,nimirum maculam, & pœnam,seu reatum pœnæ. Ex quo sequitur, quod quamuis in Sacramento pœnitentiæ semper, & generaliter macula deleatur,propter infusioné gratiæ,semperq; etiam condonetur ibi æternalis pœna,non tamen semper tota tollitur,sed adhuc aliqua temporalis remanet, in hoc mundo,aut in Purgatorio soluenda,vt habemus in Conc.Trid sess.14 c.8. Non enim semper contingit,vt simul cum remissione culpæ,etiam remittat Deus peccati pœnâ certo tépore definitam, quæ debetur peccatis:sed vult ipse vt aliqua subeatur pœna, & pœnitentia soluat aliquid puniendo.

Hoc ex S. Aug. fundatur in duobus, quæ inue- C
niuntur in pœnitentia,nimirum Dei misericordia, & iustitia Misericordia,qua peccata Deus condonat,& pœnas æternas illis debitas : iustitia autem, qua hominem punit pœnis tempore definitis, siue in hoc mundo,siue in alio ; vnde fit vt pœnitentia in hoc mundo suscepta à nobis,& pœna pœnitentiæ punitionem Dei interueniat,& supplicia in nos cõstituta.
1.Cor.11. 1.Cor.11. *Si nos ipsos diiudicaremus,non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem à Domino, corripimur*,scilicet,*vt non cum hoc mundo damnemur.* Quocunque modo Iustitiæ Dei est soluendum.

Exépla egregia sunt in literis sacris,sed maximè Dauidis 2.Reg.12.cui ait Nathan,Dominus tran-
stulit peccatum tuum,adulsit tibi,non morieris,& D
tamé ille pœnas grauissimas spôte subiit,dieiq; & noctes Dei misericordiâ implorat dicens,Amplius laua me,&c.Psal.50. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco , & peccatum meum contra me est semper. Quid dicis Dauid?translatum est,& deletû. Non,inquit,cõtra me est semper,amplius laua me. Quidnam petit ille?Vt non solùm Deus illi crimé condonaret,sed etiam pœnam debitam crimini. Interim cõdonato crimine, non condonat illi pœnâ, sed affligit eum,& morte ex adulterio suscepti filij, & Absalonis,quem vnicè amabat,& aliorum,aliis denique calamitatibus multis. Iustitia Dei quod suum est requirit, vultque vt sibi satisfiat.

Dicent hæretici,Nonne Christus ex misericor- E
dia & iustitia satisfecit?Ita est,ô hæretici,& satisfactio eius est plenissima,& cumulatissima propitia-
1.Iohan.2. tio pro peccatis nostris.1.Ioh.2.Interim vnû mihi deest,scilicet vt isti satisfactioni satisfaciam ego,&
Coloss.1. adimpleam in corpore,cum S.Paulo,quæ mihi desunt passionum Christi.Coloss.1. Post Apostolum ista dico,excipiant & intelligant, vult Christus vt mihi applicem pœnitentia mea eius passionem,& satisfactionem,propterea enim solùm & passus est, & satisfecit,& in hoc solùm etiam passioni eius,& morti honoré reddimus.Pœnitentia enim,& perpessione pœnarum consequimur, vt capitis nostri IESV Christi imaginé, & similitudinem geramus.

Rom.8.*Coheredes Christi sumus,si tamé compatimur.* *Rom.8.*
2.ad Timoth.2. *Si sustinemus, & conregnabimus.* In *2.Tim.2.*
hoc dicimus pœnitentiam esse iustitiam,qua reddimus Christo quod illi debemus : sicut etiam erga nos, & proximos nostros esse debet. Erga nos,vt nobisipsis statû innocentiæ nostræ amissæ,per pœnitentiam & iustitiam reddamus.Etiam erga proximos,vt quæ sua sunt illis restituamus.Pœnitêtia enim iustitia est,& iustitia,ex definitione Iuris,est constans & perpetua voluntas,vnicuique tribuêdi quod suum est,Deo honorem,fidem,spem, charitatem;nobis iudicium, iustitiam, vitæ renouationem : proximis autem nostris honorem,& bonorum restitutionem,si in illis ipsos offendimus.

Restitutionis definitio. Quid enim est restitutio?Ex omnibus Theologis,restitutio est actus iustitiæ, quo cuique redditur,quod iniustè ab eo ablatum, vel acceptum est. Ecce quid restitutio,ita vt omnis iniusta actio,acceptio,& detentio, ad restitutionem obliget,vt inferre damnum alteri, furari,vsuris accipere,& retinere inuito domino quod alterius est, hæc omnia obligant, & nisi restituatur , certissima damnatio est. Constat & stabit in æternû hoc verbum S.Aug. Nunquam remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Quod volueritis facite , sine hoc peribitis. Si autem dignos fructus pœnitentiæ faciatis,& in ieiunio,eleemosyna,& oratione vitam bonam, & sanctam agatis, fructum æternum pœnitentiæ percipietis,qui est gloria æterna.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Hoc facite in meam commemorationem. Matth.26.

Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, &c. Iohan.20.

CATECHESIS CXVI.

SOLVM Sacramentum in quo exercetur persona,& authoritas Christi,est Ordinis Sacramentum : prædicta verba id demonstrant. Propterea prætermissa Extrema vnctione,de qua vltimo loco tractabimus, hoc Sacramentum præmisimus, eo quod cum Sacramentis Eucharistiæ & Pœnitentiæ maximam connexionem habet,de quibus nunc sermonem fecimus,& talem vt absque illo,neque illud confici , neque alterum administrari possit. Verùm & si aliorum Sacramentorum naturam & rationem consideremus, magis etiam istius dignitatem videbimus , cùm etiam inueniamus omnia alia ab isto pendere,quædam vt sint, alia vt administrentur ; alia verò vt cum cæremonia debita,& cultu religioso fiant.

Sacerdotij dignitas. Ex hoc quanta sit sacerdotij excellentia perspicitur,& quanta Sacerdotum nobilitas, vt & sæculares sciant ipsis honorem deferre, & ipsi etiâ seruare, vtpote qui in terra ipsius Dei personâ gerût, potestatem habent conficiendi, & offerendi in altari corpus, & sanguinem Christi , communicandi aliis,in tribunali peccata remittendi, & Christi nomine,legê Dei,& vitæ præcepta homines edocendi,vt voluntatû eius, & consiliorû interpretes, & internuncij.Certè tanta est illorû functio & dignitas,vt nulla maior excogitari possit etiam inter

Augelos:nullus eſt enim qui ſtatu, aut conditione ſua ſtrictiùs vniatur Chriſto,quàm Sacerdos. Sicut etiam inter Chriſtianos, & in Eccleſia, nulli ſunt ſtatu ſuo digniores:verè genus electum, regale ſacerdotium,gens ſancta, (vita, & functione) populus acquiſitionis(Dei,) qui à Chriſto inſtituti ſunt, & ab eo miſſi in vniuerſum mundum, ſicut ipſe à Patre, in opus miniſterij, ait Apoſtolus Epheſ. 4. in conſummationem Sanctorum,& in ædificationem corporis Chriſti.Iohan.20.Sicut miſit me Pater,& ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, &c. Ite in vniuerſum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. Quibus & talem dedit iuriſdictionis poteſtatem in omnes,& præterea illam maximá,& altiſſimam Ordinis,nimirũ conficiẽdi propriũ corpus, &c.Matt.26.Hoc facite in meam cõmemorationẽ.

Ephe. 4.
Ioh. 20.
Matth. 26.

Agnoſcite dignitatem veſtram,ô Sacerdotes. O, inquit S.Auguſt.dignitas Sacerdotum, in quorum manibus, tanquam in vtero Virginis verbum Dei incarnatur. Sed adhuc ô dignitas Sacerdotum, in quorum manibus,tanquam in manibus Dei, clauis cœli inuenitur.Mat.18.Amen dico vobis,quæcũque alligaueritis ſuper terrã, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. [illegible] Sacerdotes conſiderent:hæc enim [illegible] ad tale [illegible] eleuari,aut ſuos [illegible] aut ambitionem [illegible] humanam ſpe,ad illud non [illegible] vt multi [illegible] Alij [illegible] & [illegible] in Eccleſia [illegible] Non [illegible] Presbyteros,& [illegible] ait Dominus. Alij [illegible] ſacrilegium eſt. Alij vt [illegible] vt nullam cogitationem [illegible] Ordinis habeant,niſi opulentum aliquod beneficium [illegible] eis. Quos etiã mercenarios Dominus appellat Iohan.10. 2.Paral. 26. Ozias eſt lepra percuſſus, eo quod ſacerdotale munus [illegible] pœnas ſuæ arrogantiæ, & [illegible] Væ paſtoribus qui paſcebant ſemetipſos,& non greges: nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Vos autem quod craſſum eſt,[illegible] tis,vt occidatis;& quod infirmum & ægrotum eſt, quod [illegible] & abiectum eſt, non quæritis,vt ſanetis, reducatis, & conſolidetis. Viuo ego, dicit Dominus, requiram ſuper paſtores gregem meum de manu eorum. Alios autem ambitio,& cupiditas honorum,ad hunc ordinem ducit, vt præſint, non vt curent,contra quos Apoſtolus Hebr.5. *Non ſumat quiſquam ſibi honorem,ſed qui vocatur à Deo,tanquam Aaron.* Ij autem à Deo vocati exiſtimantur, qui legitimè [illegible] & probitate vitæ,ex ſtudio, & voluntate ſeruiendi Deo,& Eccleſiæ,in omni ſanctitate,& iuſtitia,promoueri ad tale officiũ quærũt.

4. Hominum genera, qui male ad Sacerdotium ſe parant.
Iohan.10.
2. Paral. 26.
Ezech. 34.
Heb. 5.

Sciendum autem,hoc Sacramentum vocari hoc nomine Ordinis, quia in eo multa ſunt officia, & omnia ad cultum diuinum pertinentia, quæ vt ſic ordines vocantur,eo quod ordine ſerantur,& cum diſtinctione ſui muneris, eſtque velut ſeries ordinum,& graduum numero ſeptem. Quatuor ex illis dicuntur minores,alij tres maiores, ſeu ſacri: & ecce omnes, Oſtiarij,Lectores,Exorciſtæ,Acolythi, Subdiaconi, Diaconi,& Sacerdotes:omnes inſtituti,& hoc numero definiti, propter miniſteria quæ neceſſaria ſunt, vel vtilia ad conficiendum Miſſæ ſacrificiũ,& ſacroſanctã Euchariſtiã adminiſtrandã.

7. Gradus Ordinis.

Oſtiarij ſunt,quorũ erat claues Eccleſiæ habere, & introducere ad altare aut excludere quos oportebat.Secundus gradus eſt Lectorum,ad quos pertinet,prima Religionis Chriſtianæ rudimenta fidelibus tradere.Tertius Exorciſtarum,quibus data eſt poteſtas inuocandi Dei nomen in obſeſſos à ſpiritibus immũdis,& energumenos.Quartus eſt Acolythorum, quorum eſt operam dare Subdiaconis, & Diaconis,in miniſterio altaris,& lumina deferre, vrceos cùm celebratur ſacrificium,&c.Iſti quatuor minores dicuntur,ſicut maiores alij tres qui ſequũtur,quia ſacri nimirũ.Subdiaconi,qui Diaconis deſeruiunt in altari,& legunt Epiſtolam. Diaconi,ad quos attinet legere,& prædicare Euangeliũ,& ſunt adhuc velut Epiſcoporũ lingua,& oculi,vt videant, & admoneãt cæteros de ſuo officio.Tandẽ vltimus gradus eſt Sacerdotũ,ad quos attinet res ſacras tractare, & adminiſtrare, vnde dicuntur Sacerdotes, quaſi penitus Deo conſecrati,& ſacris deputati.

Quæſo iſtius Ordinis gradus ſuſpicite,& attendatis quid ſit Sacerdos,vt honoretis.Cũ doctoribus Canoniſtis, & Theologis definimus. Sacerdos eſt, qui cultui veri Dei authoritate diuina,determinatis perſonis cõceſſa,firmiter deputatus eſt.Primò,qui deputatus eſt cultui Dei. Quidnam eſt ille cultus? quædam interior, & exterior reuerentia ſuprema, quæ Deo ſoli ob eius excellentiã exhibetur.In quibus conſiſtit,in ſacrificio,quo dominium eius profitemur,in laudibus,quibus bonitatẽ prædicamus, & in adminiſtratione Sacramentorum,quibus procedere & pendere ab eo ſalutem noſtram confitemur. Ecce cui cultui deputatus eſt Sacerdos. Interim additur,veri Dei, vt omnes profani,& infidelium Sacerdotes excludantur. Secundo dicitur,firmiter deputatus,quia talis eſt in Eccleſia Sacerdos toto vitæ ſuæ tempore. Tertiò additur,authoritate diuinã, perſonis determinatis conceſſa; quia nihil prodeſt ad hoc humana authoritas, vt tempore legis naturæ,ſed diuina requiritur,non conceſſa vni familiæ tantũm,aut communitati,vt Leuiticæ,tempore ſcriptæ legis,ſed [illegible] perſonis, vt ſunt Epiſcopi [illegible] primò à Chriſto in Apoſtolos,& poſtea ab Apoſtolis in Epiſcopos,in quibus [illegible] & tales, qui creare poſſunt Sacerdotes, & dare illis duplicem hanc poteſtatem [illegible] Ordinis, & Iuriſdictionis.Ordinis,vt conficiant verũ Chriſti corpus, & Sacramenta omnia alijs conferant.Iuriſdictionis, vt myſticum corpus eius gubernent, quod eſt Eccleſia, peccata remittant,& retineant abſoluendo, & poteſtate clauium cœlum aperiant.

Quid ſit Sacerdos.
Explicatio definitionis.

O quàm iſti deſtituti ſunt antiquorum Senioribus,etiã legis Moſaicæ Sacerdotibus! Illi nihil niſi ſignificare poterant,& figuras exponere futurorum bonorum, in ſuis authoritatibus,cæremonijs, & ſacrificijs:noſtri verò hac duplici poteſtate gaudent,& veritate,[illegible] quod quotidie immaculatam hoſtiam offerunt,conficiunt Chriſti corpus,& ſanguinem,& homines à peccatis abſoluunt,[illegible] redemptionis æternæ in ore,in manibus. Videant [illegible] hoc cui cultui,& obſequio ſunt deputati. Reges & Principes habent quidem ſuos [illegible] particulares addictos eorũ obſequio [illegible] Sacerdotes. Videant ergo vt [illegible] Principibus,& Regibus præſtent [illegible] meminerint ſe eſſe ſoli cultui Dei deputatos,Deo vacent,& altari,[illegible] populo [illegible] Audiãt quid dicat Apoſtolus Timotheo 2.ad Tim.1. *Admoneo te,vt reſuſcites gratiam Dei,quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis,& dilectionis,& ſobrietatis.* Moneamus [illegible]

2.ad Tim.1.

sui status, cui & quibus rebus vacare debeant, & caueant ne per eos blasphemetur nomen Domini, vanis & sæcularibus seruientes.

Verùm meminerint etiam, & sciant sæculares, cuiuscumque conditionis sint, istam honorare dignitatem regiam, regale sacerdotium, & familiam eius, genus electum. Sciant à quo eliguntur, & ducunt originem, à Christo, qui est & Rex, & Sacerdos in æternum. Dicit ille de his; Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Hoc facite in meam commemorationem. Propterea sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, &c. Qui vos spernit, me spernit, & qui vos audit, me audit.

De potestate Clauium, & de Indulgentiis.

CATECHESIS CXVII.

INVESTIGABILES sunt potentiæ, & inaccessibiles altitudines diuitiarum Christi. Thesaurus eius obsignatus est, & nemo est qui possit eum aperire, nisi ipse, & cui ipse clauem dare voluerit. Apoc. 3. Hæc dicit sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, qui claudit, & nemo aperit; ipsius enim solùm est cœlum aperire, & thesaurum absconditum reuelare. O altitudo diuitiarum Christi, quàm inuestigabiles viæ eius! &c. Verùm nobis hodie faciles factæ sunt, cùm in Ecclesia ipse claues reliquit hominibus. Matth. 16.
Matth. 16. promissiones istæ homini factæ sunt, nimirum Petro, & in eo toti Ecclesiæ: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo*, super te, qui me confessus es, *Ecclesiam meam, & tibi dabo claues*, &c.

Exequutio sequuta est Matth. 18. & Iohan. 20.
Matth. 18. & Ioh. 20. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos (prædicare indulgentiam captiuis, remissionem peccatorum, & annum Domini acceptum.) Propterea accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, &c. Exinde Apostolus 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo vt
1. Cor. 4. ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ Dei. Certè si dispẽsatores diuinorum mysteriorum, sunt Ecclesiæ ministri, ergo debent habere claues. Nemo enim mysteria abscondita, & thesauros aperit, nisi habeat clauem Dauid, à Christo filio Dauid.

In eo Ecclesiæ dignitas est. Moyses pro sua Synagoga, & cuncti populi necessitatibus, sic ad Deũ dicebat Num. 20. Domine Deus, audi clamorem
Num. 20. populi huius, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt satiati cesset murmuratio eorum. Quid respondit Deus? Loquimini ad petram, & illa dabit vobis aquas. Loquimini ad petram, quis loquendi modus? ad petram, in figura, filium meũ. Petra autem erat Christus, ait Apostolus. Ille est qui cùm veniet, thesaurum suum aperiet toti Ecclesiæ. Hæc gratia pro Ecclesia est, non pro Synagoga; hæc gratia non tibi Moyses, sed Petro, petræ & fundamento Ecclesiæ communicanda seruatur. Ipse est cui in ore filij mei, claues regni cœlorum promisi. Loquimini ad petram, ad hanc petram: túc enim temporis thesaurum fontem aquæ viuæ aperiam, & ei dabo claues regni cœlorum. Sic Ioëlis 3.
Ioël. 3. prædictum erat: *Fons de domo Domini egredietur, &*
Zach. 13. *irrigabit torrentem spinarum.* & Zachar. 13. *Fons patẽs erit domui Dauid, & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris.* Vbinam quæso eiusmodi fons, nisi in Ecclesia? & cuius clauibus patens, nisi Petri, & successoris eius in Ecclesia? Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, &c.

Duplicem profectò potestatem adeptus est, quæ ipsum mirificè exaltat super omnes alios homines; etiam super omnes Angelos. Vna est quæ dicitur *Duplex summi Pontificis potestas.* Ordinis, quæ ad ipsum Christi corpus ordinatur, 1.
vt conficiat, offerat, gratiámque eius, & Sacramenta aliis conferat, fontes omnis dulcedinis, & benedictionum. Altera quæ dicitur Iurisdictionis, quæ 2.
ordinatur ad mysticum corpus, scilicet in regimen, & gubernationem ipsius, fideliúmque omnium vtilitatem, vt cùm necesse est, excommunicare possit, & absoluere, dispensare, conferre indulgentias, & leges Ecclesiasticas constituere. Discrimen autem inter vtramque potestatem illud est, quod Ordinis potestas in omni est Sacerdote, quæ nec ab eo auferri potest, scilicet quod possit conficere, & offerre Deo pro populo, verum corpus, & sanguinem Christi filij eius: propter hoc enim recipit qualitatem, & characterem indelebilem in ipsa institutione Sacramenti Ordinis: Iurisdictionis autem potestas est tantùm in primo Sacerdote, in alios verò à summo deriuatur.

Duplex autem inuenitur Iurisdictionis potestas; *Duplex potestas Iurisdictionis.*
vna quæ dicitur ordinaria, altera delegata. Ordinaria in eo est, cui illa competit ex suo officio, vt in- 1.
dulgentiæ dispensatio est ordinaria Papæ, & tunc temporis ad illum est recurrendum: excommunicatio est ordinaria Episcopi, potestas absoluendi est etiam ordinaria parrochi. Delegata verò est in 2.
eo, cui non ex officio, sed ex commissione superioris competit. vt si Papa concedat Episcopo, quæ illius propriè sunt, vt dispensandi in votis, &c. Si Episcopus det Sacerdoti simplici Iurisdictionem; itémque parrochus semel approbato, eandem absoluendi à peccatis potestatem, tunc in eiusmodi Sacerdote delegata est Iurisdictionis hæc potestas. Hic est ordo eximius, qui in hierarchia Ecclesiæ sanctissimè obseruatur.

Quæ cùm ita sint, iam sciendum, talem Iurisdictionis potestatem dici propriè clauem regni cœlestis. Verùm hæc clauis adhuc dupliciter consideratur: vna dicitur scientiæ, altera potestatis. Per primam Sacerdos habet potestatem docendi in Ecclesia, & examinandi in tribunali Confessionis, iuxta illud Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam,* Malach. 2.
& legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Per alteram verò, quæ maximè Iurisdictionis est, potest etiam iudicare & absoluere à peccatis, & sic cœlum aperire. Sicut misit me Pater, ego mitto vos. Ite, prædicate, accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, &c.

His positis, ex illis verbis ostendamus modò antiquitatem, & authoritatem indulgentiarum in Ecclesia, & quomodo summus Pontifex illas possit concedere. 2. Cor. 2. Apostolus cuidam Corinthio 2. Cor. 2.
aliquid pœnæ remittit; ergo multo magis summus Pontifex potest. Quod quidem vobis certissimum erit, si priùs indulgentiæ definitionem dederimus. Indulgentia est liberalitas diuina, quam exercet *Indulgentiæ definitiones.*
Deus ministerio, & interpositione sui Vicarij erga 1.
fideles, remittendo eis pœnam temporalem, vel totam, vel partem, quam pro peccatis tenebantur pati, siue in hoc mundo, siue in Purgatorio.

Hæc est indulgentiæ definitio, quæ magis elu- 2.
cidabitur explicatione illius datæ à Canonistis, quæ talis est. Indulgentia, inquiunt Canonistæ, est

remiſſio pœnæ temporalis, pro actualibus pecca-
tis debitæ, extra Sacramentum facta, ex theſauri Ec-
cleſiaſtici diſpenſatione. Alterá cũ illa explicemus.
Primò dicitur remiſſio, quia quædam relaxatio,
Explicatio definitionis.
& condonatio eſt reſpectu illius cui fit. Notandum
enim in indulgentiis interuenire miſericordiam,
ſimul & iuſtitiam, cùm pro ſolutione datur vni ſa-
tisfactio alterius. Hinc dicit S. Tho. 4. Sent. diſt. 20.
S. Tho.
indulgentiam non tam eſſe remiſſionem, quàm
commutationem pœnæ, quia ibi vnius pœna mu-
tatur in pœnam alterius, ſatisfactio aut pœna
Chriſti, aut alicuius martyris, in ſatisfactionem &
pœnam peccatoris.
Propterea dicitur ſecundò, pœnæ, quia per in-
dulgentiam non remittitur culpa, ſed tantùm pœ-
na culpæ debita Eſt enim Sacramentum Pœniten-
tiæ quod tollit culpam & peccatum. Quare ſi pe-
tatis modò quid ad indulgentiam acquirendam
requiratur. Dico, vt homo in gratia ſit, & pecca-
ta confiteatur, ſimúlque adimpleat quæ iubet in-
dulgentia. Quæ quidem ſicut tollit pœnam, ita
præſupponit pœnitentiam, quæ tollit peccatum,
& culpam, & ſimul pœnam æternalem. Eſt enim
indulgentia tantùm remiſſio pœnæ temporalis,
quæ reſtrictio propterea addita eſt.
Itémque tertiò additum eſt, extra Sacramentum
facta, quia Sacramentum etiam aliquando pœnam
remittit, & tamen non dicitur indulgentia. Item,
pro actualibus peccatis, nam pro originali peccato
pœna nata, & inflicta, vt morbus, & mors, &c. non
tollitur per indulgentiam, ſed quæ tollitur pœna
eſt temporalis, pro peccatis actualibus.
Quartò denique additur, ex diſpenſatione the-
ſauri Eccleſiaſtici: quia in Eccleſia ſola eſt, vbi in-
dulgentiæ, & remiſſiones conceduntur, quæ de
theſauris Chriſti extrahantur, quorũ illa vt ipſius
Sponſa clauem habet, & cuſtodiam; quod quidem
adhuc ſequenti Catecheſi ſupereſt demonſtrandũ.

CONTINVATIO.

CATECHESIS CXVIII.

AD intelligentiam & explicationem ſpiritua-
lis theſauri, quo Chriſtus ſuam dotauit Ec-
cleſiam, tria ſcire oportet. Primò, quid ſit ille the-
ſaurus. Secundò, cuinam committatur. Tertiò, qui-
bus & quam ob cauſam diſpenſetur.
Quantum ad primum, theſaurus iſte nihil aliud
Quid ſit theſaurus Eccleſiæ.
eſt, quàm omnes ſatisfactiones Chriſti, & omnium
Sanctorum ſimul, à primo Abel, vſque ad vltimum
in Eccleſia repoſitæ & conſeruatæ. Conſeruatio
iſta, & congregatio, dicitur Eccleſiæ theſaurus, qui
quidem eſt infinitus, quia vna ſola Chriſti actio eſt
infinita Pro quo ſimiliter eſt notandum, bona ope-
Duo in operibus iuſtorũ reperiuntur.
ra vniuſcuiuſque iuſti, & in gratia exiſtentis duo
habere. Vnum, quod ſint vitæ æternæ meritoria,
& præterea in hoc mundo augmenti gratiæ: nam
per bonum opus meretur vt illi augeatur gratia,
poſt mortem autem vt ei detur gloria, iuxta men-
ſuram gratiæ. Alterum eſt, quod illa etiam opera
ſatisfactoria ſint pro pœnis temporalibus debitis
peccatis (ſupponimus enim iam per gratiam cul-
pam remitti, & pœnam æternam,) vnde fit quod
pro quantitate operum etiam minuitur quantitas
iſtius temporalis pœnæ debitæ.
Videtis igitur in opere iuſti, & meritum, & ſa-
tisfactionem. Hoc autem diſcrimẽ eſt inter vtrum-
que, quod meritum vnius non poteſt dari alteri, ſi-
cut dari poteſt ſatisfactio, id eſt, iuſtus non poteſt

A per ſua opera mereri alteri gratiam, & gloriam, ſi-
cut meretur ſibi, quia merita perſonalia ſunt, & ſo-
lùm fuit vnus qui hoc potuit, nempe Chriſtus, per
quem gratia facta eſt, ait S. Iohan. & qui etiam ſic
habitauit in nobis plenus gratiæ & veritatis. Quod
autem iuſtus poteſt, illud eſt, nimirum pro altero,
ſicut pro ſe, quoad pœnam ſatisfac[illegible] nempe de-
bitum pœnæ ſoluere, & pati loco [illegible], ieiunare,
orare, &c.
Quo poſito, & diſtinctione facta inter meri-
tum, & ſatisfactionem, quæ ex ſe alteri dari poteſt;
ſcimus iam multos iuſtos, & innocentes, maiora
feciſſe opera, & ampliora, quàm neceſſe fuiſſet pro
pœna peccatis eorum debita; vnde in his ſatisfa-
B ctio redundat, quæ aliis communicari poteſt. Hoc
ex Iob. 6. videamus. *Vtinam*, inquit, *appenderentur* Iob. 6.
*peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam pa-
tior, in ſtatera. Quaſi arena maris hæc grauior appare-
ret.* Ecce in Iob redundantia operum, & afflictio-
nis ſuper peccata ſua, quæ & ſatisfactoria eſt. Pe-
ritne illa? minimè. Quibuſnam igitur prodeſt? no-
bis omnibus qui illa indigemus. Idem, ſed pleniùs
certè, ſed diuiniùs ex capite noſtro Chriſto habe-
mus, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt do-
lus in ore eius, qui omnibus impanidè innocen-
tiam ſuam expoſuit, interim pati voluit, & cuius
opera ſatisfactoria fuerunt pro peccatis noſtris in-
finitis. Idem de Virgine, quæ nullum vnquam pec-
C catum habuit, & tamen eius opera maiora fuerunt
omnibus aliis iuſtorum operibus. Idem habemus
de Patriarchis & Prophetis; idem de Apoſtolis, de
Martyribus, Confeſſoribus, Virginibus, & vno ver-
bo, omnibus aliis iuſtis, quorum omnium bona
opera, & ſatisfactiones, quas dicimus ſupereroga-
torias, id eſt, ampliores, & abundantiores quàm pro
pœna ſoluenda debitæ ſint, hunc theſaurum infi-
nitum Eccleſiæ conficiunt.
Vnde ſi iã quæratur cuinam cõmittitur. Reſpõ-
Cui cõmittatur theſaurus Eccleſiæ.
deo quoad hoc ſecundum, quod rectori iſtius Ec-
cleſiæ committitur, maximè autem ſupremo, qui
eſt Papa, Pontifex maximus, ſucceſſor Petri, &
Vicarius Chriſti. Super hanc petram, ait Chriſtus,
D ſuper hanc confeſſionem, & hunc qui me confite-
tur, ædificabo Eccleſiam, & tibi dabo claues re-
gni cælorum. Quodcumque ſolueris, &c Beatus es
Simon Bar-Iona, & clauiger cœli. Vnde dicimus
quod ei vt capiti, & Apoſtolorum principi, data
eſt huius theſauri vniuerſa diſpenſatio, plenaque
poteſtas, ſicut etiam poſt ipſum cæteris Apoſtolis;
ſed illi vt ordinaria, aliis vt extraordinaria. Illi
enim Mat. 16. dictum fuit primo; Dabo tibi claues: Matth. 16.
ſicut pòſt omnibus aliis Matt. 18. Quæcumque ſol- Matth. 18.
ueritis, &c. Vnde fit vt qui in Eccleſia ſucceſſor eſt
Petri, vt Papa, ordinariam habeat authoritatem,
poteſtatem, & totius theſauri Eccleſiaſtici diſpen-
ſationem, quia illi, ſicut Petro datæ ſunt claues, vt
E cùm voluerit, & neceſſarium fuerit, aperiat: ille
enim ſolus eſt ſupremus diſpenſator.
Quare etiam poteſt, ſicut generale Concilium,
concedere Iubilæa, & indulgentias plenarias, &
perpetuas in toto mundo. Epiſcopi quidem in ſua
diœceſi aliquas poſſunt dare, ſed limitatas, quadra-
ginta dierum, aut in dedicatione Templi, vnius an-
ni. Sed ſummus Pontifex dare poteſt plenarias, &
perpetuas. Hinc iuxta neceſſitates, conceſſiones Iu-
bilæorum: & certis adhuc temporibus in Eccleſia
vſus & ſtatuta obſeruatio, vt olim centeſimo quo-
que, & pòſt quinquageſimo quoque anno: nunc au-
tem vigeſimoquinto quoque anno, in ſignum &
declarationem libertatis, & gratiæ vniuerſalis,
quæ

quæ nunc ab Ecclesia offertur fidelibus suis & filius, eo quod verè per Christum sponsum suum liberati fuerint, & in libertatem adducti.

Vnde deriuetur nomen Iubilæi.

Hoc nomen Hebraicum est, & primò significat cornu Arietis, quo Iudæi in signum alicuius liberationis solebant sonare, appellantes talem diem Iubilæum, à cornu Arietis, idque obseruabant in memoriam liberationis Isaac, cuius loco Dominus obtulit Arietem, quem sacrificauit Abraham loco filij. Vnde Leuit. 25. in illo quinquagesimo anno, quem Dominus præscripserat, & in quo tanta, & tam vniuersalis fiebat liberatio, vt tunc possessiones venditæ ad dominos suos redirent, & serui in suam libertatem, præceptum erat vt buccina clangerent, istiusque cornu sonitu vterentur, ob idque vocabatur ille annus Iubilæus. *Sanctificabis annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ, ipse est enim Iubilæus.* Ita apud nos ille annus, vel tempus, quo nobis remittitur, non solùm culpa per Sacramentum & gratiam, sed etiam tota pœna per indulgentiam, Iubilæum vocatur, quia ratio est summæ exultationis, in hoc quod qui est summus dispensator omnium bonorum domus Dei, & qui habet claues, tam liberaliter omnes thesauros aperit. Ab eadem autem authoritate, & ab eodem capite etiam procedunt omnes aliæ indulgentiæ minores, & magis limitatæ, quarum beneficio & gratia frequentiùs vtimur, & fruimur, pro ratione maioris pietatis, & deuotionis, & ad quarum numerum adhuc referri possunt illæ quæ in medallijs, imaginibus, & rosarijs conceduntur.

Leuit. 25.

Quibus prosint indulgentiæ.

Hinc ad id quod est tertiò notandum procedimus, scilicet quibusnam prodest indulgentia, & potest fieri istius thesauri dispensatio. Respondeo, tam mortuis adhuc in Purgatorio degentibus, quàm viuis in terra, ex determinatione Concil. Trid. sess. vlt. ita vt qui contrarium diceret, & repugnaret Ecclesiæ, quæ sæpius mortuis indulgentias applicat, censeretur hæreticus. Nam adhuc oppugnaret rationem, etiam ex Scriptura sumptam 2. Machab. 12. quæ dicit; *Sanctũ est & salubre pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* id est, pœnis. Si enim oratio, & bona opera iusti illis prodesse possunt, multo magis satisfactio, & opera Ecclesię matris, quæ pro illis Deo offeruntur per modum suffragij: sic enim illis indulgentia prodest, cùm scilicet viui in opere, & ex applicatione thesauri Ecclesiæ suffragantur ipsis, & pro ipsis Deo offerunt liberationis pretium. Demus exemplum; sit aliquis in carcere ob debitum detentus, & amicus ex liberalitate publica pretium afferat, sumptum ex thesauro publico, certè eũ liberat à carcere per modũ adiutorij, afferendo sc. & offerendo ex thesauro publico, id quod ille tenebatur ex proprio soluere. Ita est de indulgentiis pro mortuis adhuc debitoribus Iustitiæ Dei, & in carcere Purgatorij detentis, qui à viuis ex liberalitate publica thesauri Ecclesiæ liberantur à suis pœnis, & debitis, per modum adiutorij & suffragij, cùm scilicet ipsi viui pro mortuis faciunt illud opus, quod in consequutione indulgentiarum imponitur, & sic vt amici tale opus eis applicant, eosque adiuuant offerentes Deo pretium liberationis eorum. Ecce igitur quomodo prosint mortuis, nempe applicantes eis opus quod fecerunt, & meritum indulgentiæ.

2. Mach. 12.

Quomodo prosint indulgentiæ mortuis.

Exemplum.

Quomodo indulgentiæ prosint viuis.

Sed nunc de viuis agamus. In hoc certè quoad indulgentiam à mortuis differunt, quod Ecclesia pro mortuis indulgentias concedit, vt supplex, & per modum adiuuantis, & pretium offerentis. Non ita est respectu viuorum, erga quos iuridicè se ha-

A bet, erga quos potestatem habet, & iurisdictionem, quorum denique Iudex est, vnde quando illis indulgentias concedit, liberat eos à pœnis debitis peccato, iuxta quod fertur in indulgentiis: & hoc per modum absolutionis, quia tunc vt Iudex liberat, & non tantùm vt amicus adiuuans, & pretium offerens, sed vt Iudex, & iurisdictionem habeñs in eos, iuxta quod talem accepit à Deo Matth. 16. 18. & Iohan. 20. Vnde cùm remittit totam pœnam ei qui est adhuc in terra, nihil restat amplius soluendum in Purgatorio: & similiter cùm partem pœnæ, & temporalem, videlicet mille, aut bis mille annorum, plurium, aut pauciorum, tunc etiam tantum pœnæ remittitur, quantum ex Iustitia Dei in B terra eo toto tempore sustinere deberet, & ei remitteretur, si tanto tẽpore pœniteret; & sic consequenter tantum pœnæ in Purgatorio huic correspondentis in intensione, & vehementia pœnæ, ei remittitur.

Matth. 16. 18. Iohan. 20.

Propterea dixi in Purgatorio remitti pœnam temporali, & huius mundi in vehementia correspondentem, quia reuera non est par, & similis iuxta extensionem temporis, & durationis, sed certè adæquata, & correspondens in intensione, in vehementia, & grauitate dolorum, quia ibi, scilicet in Purgatorio, dolores sunt purè dolores, & pœnæ, purè pœnæ: non autem sic in terra, vbi in pœnis tanta est remissio, atque etiam interpositio aliarum C rerum. Vnde fit, vt vna hora pœnæ Purgatorij, aut etiam semihora, excedat bis mille annos, & amplius, pœnarum istius mundi. Fortè semiquadrans horæ, vel certè momentum in hoc igne purissimo, & purificantissimo, pœnam vehementiorem infligit, & sic in intensione maiorem, quàm facere possit hic in terra, spatium, extensio, & duratio mille, & bis mille annorum in tormentis, pœnis, & doloribus, vt isti sunt, qui non sunt puri dolores.

Quæso ista omnes intelligant, ad explicandum quod sæpe ponitur in indulgentiis, de pœnarum remissione, quomodo pœna vnius horæ, aut semihoræ in Purgatorio, cùm remittitur, præualet D innumeris annis pœnarum quas in terra pro peccatis teneremur soluere, si tandiu viuere possemus. Aduertant Christiani, quod olim in Ecclesia pro vno peccato mortali dabatur pœna septem annorum, aut etiam plurium. O quot in die vno committuntur! Et quot anni non sufficerent ad expianda illa, quæ etiam in vna hora sæpius committuntur! O quot sæcula nimis breuia essent, ad dignè pœnitendum, & illa puniendum, vt oportet, peccata, quæ spatio vnius diei, vnius noctis perpetrantur!

Propterea, ô Christiani, exhórtamur vos, ne in vacuum gratiam Dei & indulgentiarum recipiatis. Curate, & diligentes estote, vt iniunctionibus E earum cum omni studio, & dispositione satisfaciatis. Causa indulgentiarum est venia peccatorum, &c. relaxatio est, & condonatio pœnarum. Ecce causa pia, multum vtilis, & necessaria. Thesaurus iste gratiarum aperitur, vt vobis parcat Deus, misericordiam suam largiatur, & non vos affligat amplius, denique cesset vindictam sumere de peccatis vestris.

Ratio iam & modus, quo illis potestis frui, earumque beneficiis, & priuilegiis, est, si in gratia estis, si pœnitentiam egeritis, si peccata confiteamini, si culpam tollatis & maculam, vt Deus tollat pœnam, & donet veniam.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, &c. Sacramentum hoc magnum est, &c. Gen. 2. Matth. 19. Ephes. 5.

CATECHESIS CXIX.

OPTIME dici potest, magnum Sacramentum esse matrimonium, quod Christi cum Ecclesia vnionem repræsentat. Vtrumque Testamentum illud approbat satis, & antiquitate primum omnium est. Verba superiùs allata Gen. 2. Matth. 19. Eph. 5. testantur hæc omnia. Laborare multum in inuestiganda ratione instituti eius, superuacaneum videtur. Natura simul, & gratia hic fecerunt, quod facere debuerunt, & eas decebat instituere. Deus ipse sicut aliorum, istius Sacramenti author, & institutor fuit. Ipse est, qui post creationem hominis dixit; faciamus ei adiutorium simile sibi, & adducens postea Euam ad Adam, quam tulerat de costis eius, eis benedixit dicēs: Crescite & multiplicamini. Quod Deus coniunxit, Matth. 19. ipse ait, homo non separet. Relinquet homo patrem, &c. & adhærebit vxori suæ, & erūt duo in carne vna. Hoc Sacramentum magnum est, ego autem dico (Apostolus Eph. 5.) in Christo, & in Ecclesia. Post hæc dicere adhuc sufficiat, quod Iohan. 2. Christus ipse Dominus miraculo, sicut sua præsentia cohonestauit celebritatem nuptiarum, vt approbaret illas. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater IESV ibi; vocatus est autem & IESVS, &c.

Matth. 19.

Eph. 5. Ioh. 2.

Vt autem cum ordine de hoc Sacramento loquamur, notandum duobus modis considerari posse, seu duplicem habere rationem. Prima est matrimonij: secunda Sacramenti. Iuxta hanc duplicem rationem dupliciter definitur. Primo modo, quatenus matrimonium, habet tantùm rationem vnionis, & coniunctionis naturalis duorum, ad officiū naturæ, vitæque communem vsum pertinentis, & sic definitur. Matrimonium est viri & mulieris maritalis coniunctio, inter legitimas personas, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Hæc communis Theologorum definitio est, & in Catech. Concil. Trident. allata, quam sic explicamus.

Matrimonij 2. modis cōsiderari potest. 1. Vt matrimonium.

Duplex matrimonij definitio. 1.

Coniunctio est maritalis, vt intelligatur, non esse quamcumque vnionem, aut consensum tantùm voluntatum, & spirituum, externamque etiam ad mutuum officium, & obsequium verbis expressam pactionem: sed esse obligationem, & vinculum, quod ex tali pactione & consensu efficitur, ad commune bonum, vsumque naturæ, & vitæ.

Explicatio definitionis.

Quare additur, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens, ad declarandam naturam, & conditionem huius vinculi, & nexus indissolubilis, quo vir & vxor ad mutuum obsequium colligantur. Vnde videtur quod natura & ratio matrimonij, in illo vinculo consistit & nexu, qui hoc coniunctionis vocabulo significatus est.

Verùm sequitur, inter legitimas personas, scilicet quæ legitimè inire possunt matrimonium, seu se inuicem coniungere absque impedimēto. Nam qui legibus, & canonibus, à nuptiarum coniunctione omnino exclusi sunt, ij matrimonium inire non possunt, & si ineant, irritum est. Præcipuæ au-

Impedimēta matrimonij.

A tem exclusiones, seu impedimenta fere legibus sunt, ætatis defectus, & naturæ, (notandum quod defectus ætatis est in puero ante decimum quartum annum; in puella autem ante duodecimum annum:) consanguinitas & affinitas, seu propinquitas, quæ intra quartum gradum reperitur: item cognationes spirituales, & alia impedimenta eiusmodi, vinculaque omnia Ordinis, & Religionis, aliaque etiam omnia ciuilia & humana, quæ omnem ad hoc libertatem tollunt: item raptus, & violentiæ, defectus cōsensus, testium, & parrochi, &c.

Quare hodie omnia clandestina matrimonia, quæ non fiunt ante duos, vel tres testes, cum parrocho, ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. nulla sunt,
B nullamque efficaciam habent. Et similiter qui cum talibus supradictis impedimentis, ante dispensationem habitam, etiamque cum spe certa habendi, contrahunt, peccant mortaliter, & nullum est eorum matrimonium; ita vt etiam pòst, habita dispēsatione, opus sit de nouo contrahere, quia semper manet impedimentum, donec actu sit facta dispēsatio, tenenturque eiusmodi omnia declarare summo Pontifici. Sed quid eiusmodi contrahentibus dicam? quod idem Conc. Trid. sess. 24. cap. 5. statuit, tales carere spe dispensationis; huius sunt verba. Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe consequendæ dispensationis careat, idq; multo
C magis in eo locum habeat, qui non tantùm contrahere, sed etiam consummare matrimonium ausus fuerit: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cuius salubria præcepta temerè contempsit. Quæso hæc notentur, vt non tam facilè audeant præcepta transgredi.

His explicatis, docendum est modò quibus de causis institutum est matrimonium. Respondeo tribus. Prima est, societatis instinctus, & amor, & spes mutui auxilij, vt scilicet alter alterius ope adiutus, vitæ incommoda faciliùs ferre possit. Gen. 2 Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. Ædificauit propterea Dominus costam quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam in vxorem. Secunda, ne-
D cessitas & desiderium prolis, aut procreationis. Gen. 1. creatis benedixit eis: Crescite & multiplicamini, & replete terrā. Vnde cap. 4 dicitur, Adam cognouit vxorem suam, quæ concepit, & peperit Cain dicens: Possedi hominem per Deum. Rursumque peperit fratrem suum Abel. Sed quæso hoc notetur ex Scriptura, quia Adam non cognouit vxorem suam nisi post peccatum, vt ostendatur, quia statim post illud nata est libido, & carnis voluptas. Hinc etiam fortasse natus est eis Cain primus reproborum, quia primus filius erat peccati, scilicet ex peccato natus, sicut primus in peccato conceptus: post quem Abel natus est, primus filiorum prædestinatorum Adæ, & ex legitimo & vero
E matrimonio procreatorum.

Tribus de causis institutum est matrimonium.

1. Gen. 2.

2. Gen. 1.

Hinc tertia causa institutionis eius, scilicet, supposito peccato & rebellione carnis, necessitas aduersus peccatum, & vt remedium ad [illegible] peccata carnis. Qui sic, & ob vnam ex [illegible] causis matrimonium suscipiunt, bene [illegible], quamuis tribulationibus non careant [illegible], vt docet Apostolus 1. Cor. 7. Qui verò [illegible], & tantùm hoc faciunt, vt libidinem [illegible] expleant, peccant, & grauiter. Cauete, & hoc attendite [illegible], nihil fœdius est, & [illegible], quam vxorem suam amare, non vt [illegible], sed vt adulteram. [illegible] tales qui in hoc sanctissimo vinculo viuunt

3.

A uiuunt magis pecorum more, quàm hominum, Deus grauissimè animaduertit, sæpiusque eorum peccata vlciscitur, vel in bonis, vel in liberis, vel etiam in ipsis. Tob.6.& 7. memorabile exemplum est, & pro his terrendis qui profanant matrimonium, & instruendis his, qui illud contrahere volunt. Ecce septem viri, qui moriuntur vnus post alterum, eadē nocte qua putant se iungere Saræ, castę filiæ Raguelis, dæmoniū illos omnes occidit. Quare Angelus admonet Tobiam, qui illam in vxorem ducere debebat, & ait: Audi me, & ostendam tibi qui sunt quibus præualere potest dæmonium. Ij namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus, &c. habet potestatem dæmonium super eos. Tu autem cùm acceperis eam, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus vacabis, & tunc accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, vt in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris. Sic cap. 8. fecerunt Tobias, & Sara orantes simul, & dicentes: his tribus noctibus Deo iungimur, filij quippe Sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi sicut Gentes, quæ Deum ignorant. O verba digna Sanctis! digna & Christianis!

(Tob.6.& 7.)

Quibusnam putatis dæmonium præualere? Iis certè qui iunguntur sicut Gentes, quæ Deum ignorant, qui in matrimonio non seruant Dei gratiam, & sanctitatem violant. Hoc dixisse satis est. Meminisse eos conuenit, quod dicit Apost. 1. Cor. 7. Qui habent vxores, tāquam non habentes sint: & quod similiter huc dicit S. Hieron. Sapiēs vir iudicio debet amare coniugē, nō affectu, id est, iudicio regere affectum, ne affectus tollat iudicium, & rationem; castus & sanctus debet esse amor. Sæpius recordabitur istius verbi Angeli ad Tobiam, accipies vxorem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, vt in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris. Præcipua enim ratio institutionis matrimonij iste est finis, nimirum amor, & procuratio filiorum, qui notitiæ Dei, & amoris sint capaces, & possint institui aliquando discipulus Christianis ad seruiendum ei in omni sanctitate, & iustitia. Vnde etiam constat quàm grauissimum sit illorum scelus in matrimonio, qui quocumque modo impediunt conceptum, vel etiam partum abigunt; dici potest, quod impia homicidarum conspiratio est.

(1. Cor. 7. — D. Hieron.)

His explicatis, potest adhuc matrimonium diuiniùs considerari, vt etiam semper sanctiùs contrahatur, & tractetur, scilicet sub ratione Sacramenti, & magis iuxta repræsentationē eius Eph. 5. Sic antè notauimus posse considerari duobus modis, vt matrimonium, & vt Sacramentum; vt matrimonium nuper definiuimus & explicauimus: nunc autem vt Sacramentum, & breuiter.

(*2. Consideratio matrimonij vt Sacramenti.* Eph. 5.)

Sacramentum matrimonij, viri & mulieris maritalis coniunctio est, repræsentans vnionem Christi cum Ecclesia, beneficio diuinæ eius Incarnationis. Ecce quàm magnum est Sacramentum. Definitioni primæ tantùm signum addidimus. Vnde Sacramentum magnum, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Sacramentum magnum, vbi vir comparatur Christo, & mulier Ecclesiæ, vbi per similitudinem, vir est caput mulieris, sicut Christus Ecclesiæ. Videant quæso matrimonio iuncti, quomodo sanctè in hoc Sacramento se gerere debeant.

(*2. Definitio.*)

Propterea etiam tres producit effectus. Primus est, quod gratiā cōfert, vt vir & vxor sanctissimè, & spiritualiter se ament, dicam comparatiuè? vt Christus amat Ecclesiam. Ephes. 5. *Viri diligite vxores, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* & 1. Pet. 3. *Mulieres subditæ sint viris suis.* Interim viri illas ament vt socias, sic enim Adam Euam appellauit sociam suam Gen. 3.

(*Tres matrimonij effectus.* 1. — Eph. 5. 1. Pet. 3. Gen. 3.)

2. Secundus effectus gratia est, vt sciant bene educare filios, & timorem Dei illos edocere, in quo est summa parentum laus & gloria, intantum vt Psal. 127. dicat Dauid; Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, &c. Quare Eccl. 7. Filij tibi sunt? erudi illos, &c. & plerumque etiam parentes saluabuntur per filios, aut damnabuntur.

(Psal. 127. Eccl. 7.)

B 3. Tertius effectus est illud indissolubile matrimonij vinculum, quod nunquam dissolui potest, sicut non est possibile quod vnquam dissoluatur vinculum quod est inter Christum, & Ecclesiam suam. Ecce in quo maximè est Sacramentum, quia signum Incarnationis. Ecce tres magni effectus, quos illud efficit Sacramentum magnum.

Interim adhuc maior est virginitas, ex ore Christi, & ex ore eius Apostoli. Christus de illa Matth. 19. loquens sic ait: *Qui potest capere, capiat.* Apostolus verò satis ostendit quomodo illam præfert matrimonio 1. Cor. 7. Rationes addamus. Matrimonium humanum est, virginitas Angelica est, matrimonium est iuxta naturam, virginitas est supra C naturam. Quid dicam? etiam viduitas ipsa melior est matrimonio; testem habeo S. Paulum 1. Cor. 7. & virginitas præfertur omnibus. Sed quid dicam, cùm & in matrimonio ipsa seruari possit virginitas, & in multis seruata sit? Maria & Ioseph virgines fuerunt, & post ipsos multi matrimonio iuncti, seruata perpetua virginitate, immaculati manserunt. Sic Eleazarus, & eius Delphina Comites Prouinciæ, sic & multi alij, etiam Reges cum illis. Hoc tempus breue est, ait Apostolus, reliquum est, vt qui habent vxores, sint tanquam non habentes. Volo vos sine solicitudine esse, præterit enim figura huius mundi. Qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, & quomodo placeat vxori, & D diuisus est: sic mulier nupta, &c. Qui autem sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, & quomodo placeat Deo: sic virgo, & mulier innupta, cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore, & spiritu.

(*Virginitas maior est matrimonio.* Matth. 19. 1. Cor. 7.)

DE EXTREMA VNCTIONE, ET de nouissimis hominis.

Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine E *Domini, &c.* Iacobi 5.

CATECHESIS CXX.

NIHIL est in Ecclesia, quod non testetur erga nos summam Christi prouidentiam. Nascentibus nobis Sacramentum dedit Baptisma, quo aditum habemus ad veram vitam; viuentibus multa alia, quibus in ea subsistimus: & iam incipientibus de hac mortali vita ad immortalem decedere, nobis vnum instituit, scilicet Extremæ vnctionis Sacramentum, quo expeditiorem ad cœlum viam haberemus. Hæc est cura, hæc prouidentia summi & optimi Patris nostri & Dei IESV Christi.

Institutio Extremæ vnctionis. Mar.6.

Sacramenti huius institutio, vel adumbratio videtur esse Mar.6. vbi Christus misit discipulos suos binos, & binos ante faciem suam, de quibus scriptum est: *Et exeuntes prædicabat*, &c. *& vngebant oleo multos ægrotos, & sanabantur.* Promulgatio est S. Iacobi cap. 5. vbi: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Ex his verbis S. Iacobi videmus, quid sit Extrema vnctio.

Definitio.

Sacramentum est infirmorum, seu, vt à maioribus nostris dictum est, Sacramentum Exeuntium, ob hoc institutum à Christo, vt animam in sua infirmitate, & transmigratione corroboret. Materia eius oleum est, vt repræsentet, quod in anima efficit, id quod oleum in corpore, scilicet dolores, & tristitias spiritus lenit, recreat, sanitatem restituit, lumenque affert. Forma eius solemnis illa oratio, & precatio est, quam Sacerdos ad singulas vnctiones adhibet.

Vnum autem hic notandum, scilicet, nullum Sacramentum esse quod pluribus precibus conficiatur. Et rectè quidem, quia eo potissimùm tempore debent fideles orationibus adiuuari, qui conflictantur, & ad Deum vadunt rationem reddituri. Dicitur autem Extrema vnctio, quia omnium extrema est & nouissima vnctionum quæ dantur in Ecclesia. Quia prima vnctio datur in Baptismo: secunda in Confirmatione: tertia in Ordine; & illa quarta, quæ vltima est, in infirmitatibus, & morbis. Potest etiam dici Extrema, quia in fine vitæ confertur. Hinc vocatur, vt diximus, Sacramentum Exeuntium.

Tres Extremæ vnctionis effectus.

Potest iam quæri, quinam sint eius effectus. Respondeo, tres. 1. Primus est, quod peccata venialia remittit, & etiam mortalia non confessa, quorum nõ recordatus infirmus, quorum interim pœnitet, & confiteretur si memoriam haberet. Propterea ante illud, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta administrari debent. Extrema enim vnctio solùm instituta est pro delendis reliquiis, & viribus animæ administrandis. Hinc est, quod omnes illæ partes corporis, quæ velut sensuum instrumenta sunt & peccatorum, illæ inquam tantùmodo vnguntur.

2. Secundus effectus est, quod animam confortat aduersus hostium insultus, eique dat virtutem, & gratiam, vt eludat artificium dæmonis insidiantis, vt plerumque, sicut dicitur, calcaneo, & extremitati vitæ, spe quam exhibet diuinæ misericordiæ.

Sap.4. Dicitur Sap.4. Venient tunc in cogitationem peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum. Quasi diceret, vrgebit, & coangustabit eos grauissima conscientiæ eorum accusatio: sed alleuiabit huius Sacramenti gratia, præsertim si in spe & fide accipitur, & cum dispositione præcedentium Sacramentorum. Psal.17. Ps. 17. *Circundederunt me dolores Inferni, præoccupauerunt me laquei mortis.*

3. Tertius effectus est, etiam sanitatem corpori restituere, cùm hæc ad salutem animæ est necessaria, si cum tali dispositione recipitur, scilicet, si cum fide sanitatem nostram committimus virtuti Dei, remediis Ecclesiæ, & cœlestium Medicorum. Vnde Marc.6. Marc.6. Apostoli exeuntes prædicabant pœnitentiam, & vngebant oleo multos ægrotos, & sanabantur. Vnde si iam ægroti id minus assequuntur, non est defectu huius Sacramenti, sed defectu fidei, & dispositionis, dicente S. Matth. cap. 13. non fecisse Dominum multas virtutes apud suos, propter Matth.13. incredulitatem eorum. Ecce tres effectus, quos applicatione olei, & orationis super infirmum, Extrema vnctio efficit.

Singuli notantur ex verbis S. Iacobi. Quare multi multum errant, vituperandique sunt, & grauiter peccant, qui non inducunt presbyteros ad vnctionem, nisi cùm ægrotus iam incipit carere sensibus, cùm omnis spes salutis, & vitæ amissa est, solentque tunc vngendi ægroti tempus obseruare. Errant, peccant, & ægroto maximum damnum afferunt.

Tempus administrandi huius Sacramenti est, cùm iudicant Medici morbum esse periculosum, parumque & nihil prodesse humana remedia, sed ad diuina recurrendum. Tunc enim cùm adhuc in ægroto viget ratio, mensque est integra, fideque & religiosa erga Deú voluntate vti potest, sacro oleo est liniendus, tumque ei applicanda illa Extrema vnctio propter effectus supradictos.

Verùm cuiusnam extremi debemus reminisci, cùm de Extrema vnctione loquimur? Certè Extrema dicitur, quia secum habet coniunctum extremum diem vitæ nostræ. Sacramentum illud est, quod omnibus proponit necessitatem mortis, & quod non potest illius supremi diei, & nouissimorum nostrorum memoriam non habere coniunctam. *Memorare nouissima tua*, aiebat Sapiēs Eccl.7. Eccl.7. *& in æternum non peccabis.* O homo, nunc tractando, & tu sermones de hoc extremo Sacramento excipiendo, memorare nouissima, memorare hæc extrema, quia tibi moriendum, ad Iudicium veniendum, & in æternum ad Inferos eundum, aut ad Dei regnum. O Christiane, qui diuinis doctrinis instructus es, & disciplinis, memorare tua nouissima, ad quid creatus es, & quomodo viuere debeas, vt bene moriaris. Viue, ô Christiane, Christianis legibus, & disciplinis, vt Christianus moriaris. Considera immortalitatem quæ sequitur mortem, & mortem considera, vt omnia contemnas; facilè enim contemnit omnia, ait S. Hieron. qui se semper cogitat moriturum. D. Hieron.

Post mortem, considera Iudicium, vt vitam rectè instituas, & gubernes, neque otiosè, & iniquè transigas; quia tunc de cunctis rebus rationem redditurus es, etiam de minimo verbo. Matth. 12. Matth.12. Ei repræsentandus es, ait S. Bern. tract. de nouissimis, S. Bern. in cuius manus horrendum est incidere, & eo examinante, quem nihil latet; siquidem si inuenta fuerit in te iniquitas, alienandus es ab vniuersitate pacis, quietis, & gloriæ, & segregandus in æternum à numero beatorum. Et S. Aug. tract. de catech. rudib. S. Aug. Vbi omnes pios ab impiis segregabit, non tantùm his qui in eum credere omnino noluerint, sed etiã qui frustra, & infructuosè crediderint in eum, illis daturus regnum æternum, his autem pœnam æternam cum diabolis.

Quare post Iudicium, considera etiam Infernum, vt nunquam pecces; eò enim peccata descendunt. Iob. 24. Iob.24. Vsque ad Inferos peccatum illius. En illius locus, & sepulchrum, ibique permanet & durat in æternum: itemque peccator, qui morte deuorabitur, & nunquam consummabitur, qui cruciabitur in æternum, & vt ait S. Cypr. sine fine tortoris, S. Cypr. sine exitu damnationis, sine solatio mortis. Fuge frater, ait etiam S. Aug. vbi nec tortores desinunt, S. Aug. nec torti moriuntur, quibus & sine fine mors est, non posse in cruciatibus mori. Nulla certè maior, & peior est mors, quàm vbi non moritur mors: sed quod animæ natura, per id quod immortalis creata est, sine qualicumque vita esse non potest,

summa

summa eius mors est, alienatio à vita Dei in æternitate supplicij. hæc ille. Memorare ô homo nouissima tua, & in æternum non peccabis.

Quare post Infernum, considera vltimò gloriam beatorum, vt sic in terra studeas vitam agere Sanctorum, vitam innocentem & penitus Christianam. Quanta sit illa gloria, quantum mereatur, quibusque modis, & pretiis comparari debeat, considera & excipe.

1 Cor. 2. 1 Ioh. 3. Ioh. 12. Luc. 22. Apoc. 3. 1. Pet. 5. Sap. 5.

Quanta sit, primò colligi potest ex illis Scripturæ verbis. 1. Cor. 2. Oculus non vidit, &c. 1. Ioh. 3. Cùm apparuerit, similes ei erimus, &c. ex Euang. eiusdem cap. 12. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam. Sic Luc. 22. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater, &c. Sic Apoc. 3. Dabo ei sedere mecum in throno meo. Sic 1. Pet. 5. percipient immarcescibilem gloriæ coronam. Sic Sap. 5. accipient regnum decoris, &c. Et ratio horum omnium est, quia fideles sunt & erunt semper sponsæ, & filij Dei, quibus hæc omnia debentur.

Secundò etiam quanta sit illa gloria in cœlo, colligi potest ex honore, quem etiam in terra vult Deus impendi corporibus, & panniculis Sanctorum, qualis certè non exhibetur maximis Principibus mundi huius. Quid ergo erit in cœlis? Oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascendit, &c.

Rom. 8. 2. Cor. 4.

Quantum iam illa gloria mereatur, etiam colligi potest ex illis Scripturæ verbis, Rom. 8. Non sunt condignæ passiones, &c. 2. Cor. 4. Quod in præsenti momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, super modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus quidem quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, sed quæ non videntur, æterna.

Quibus modis & pretiis cōparari debeat, videre est primò ex eo quod tam charè eam Deus vendidit amicissimis, vt matri, discipulis, &c. & ipse eam emit ignominia, & pretio Crucis; oportuit Christum pati. Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me. Ecce pretium, & modus, Crux est, & victoria Crucis. Apoc. 3. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo, in throno eius. Sic enim imitati sunt Sancti omnes, de quibus Ecclesia; Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, & adepti sunt repromissiones.

Apoc. 3.

Hinc secundò efficacior modus, nimirum imitatio, & conformitas Christi. Rom. 8. *Quos vocauit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus; nihil enim damnationis est ijs qui sunt in Christo IESV, qui non secundum carnem ambulant*, sed Christianè viuunt. His debetur corona & merces, quia vicerunt, his gloria, & hæreditas, quia cohæredes Christi sunt. O merces! ô corona! ô gloria! ô hæreditas! quæ prouenit ex visione sanctissimæ Trinitatis Isa. 33. Regem in decore suo videbunt: videbunt naturam suam ad esse Dei eleuatam: videbunt hunc hominem-Deum. Gloria quæ prouenit ex nobili, & amicabili societate Sanctorum. Quis intellectus, ait Sanctus Gregorius hom. 37. capere sufficit, illa supernæ ciuitatis quanta sint gaudia, Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere? Ad hæc audita inardescit animus, iamque cupit illic assistere, vbi se sperat sine fine gaudere.

Rom. 8. Isa. 33. S. Greg.

Gloria quæ adhuc prouenit ex recordatione periculorum, quæ euaserunt, & præsentia simul bonorum, quæ possident, vbi, vt ait idem S. Greg. nullo mortis metu afficiuntur, & incorruptionis perpetuæ munere lætantur. Gloria denique, quæ prouenit ex omnibus simul, & corporis, & animæ gloriosis dotibus. Corporis, ex claritate. Matth. 13. *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum*. Ex subtilitate. 1 Cor. 15. *Seminatur corpus animale, surget spirituale*. Item ex impassibilitate, *seminatur enim in corruptione, surget autem in incorruptione*. Itemque ex agilitate, *seminatur in infirmitate, surget in virtute*; & vt ait Isa. cap. 40. Current, & non laborabunt. Ecce corporis dotes.

Matth. 13. 1. Cor. 15.

Animæ autem illæ sunt, visio, amor, delectatio. O quàm gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei! Vnā ex his stolis iam habent Sancti in gloria, scilicet vident, amant, delectantur, expectant alteram, scilicet gloriam corporis, quia ex Isa. 61. duplicia in terra sua possidebunt. O Domine, quàm magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te! Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc, &c. Cœlestis ciuitas, ait S. Bern. mansio secura, patria continens totum quod delectat, populus sine murmure, incolæ quieti, homines nullam indigentiam habentes, ô quàm gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei! Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Amen.

Animæ dotes in beatitudine. Isa. 61.

Laus Deo, & B. Virgini Deiparæ.

F I N I S.

Nonnulla errata sic corrigantur.

Pagina 5 columna 2 litera B. intentiones. lege, *intentionis.*
Pag. 17. c. 1. l. D. nõ separabit. l. *nos separabit.* c. 2. l. B. ex sermonibus, adde, *Christi.* l. D. amate. l. *amante.*
Item, in confessio. l. *in confesso.*
Pag. 25. c. 1. l. C. intima. l. *infima.*
Pag. 30. c. 1. l. D. dulce flumen. l. *dulces fluminis.*
Pag. 45. c. 1. l. A. doloribus. l. *caloribus.*
Pag. 61. c. 1. l. C. hominis verò, l. *bonum.*
Pag. 82. c. 1. l. E. exrit. l. *erroris.*
Pag. 83. c. 2. l. C. anteeũ dicebat. l. *ante eum. Dicebat.*
Pag. 107. c. 2. l. B. totus Theologiæ. l. *totius.*
Pag. 128. c. 2. l. B. sub hæc lege. l. *sub hac.*
Ibidem manifestuus. l. *manifestamus.*
Pag. 248. c. 1. l. E. in enim. l. *in eo enim.*
Pag. 273. c. 1. l. C. canite tu Sion. l. *canite tuba in Sion.*
Pag. 298. c. 1. l. E. edules. l. *edulio.*
Pag. 331. c. 2. l. A. replet. l. *replent.*
Pag. 333. c. 2. l. A. crinile. l. *crinale.*
Pag. 372. c. 1. l. B. compatitur. l. *compatiuntur.* c. 2. l. A. error. l. *terror.*
Pag. 400. c. 2. l. D. pugnare. l. *purgare.*
Pag. 418. c. 1. l. B. maledictius, l. *maledictis.*
Pag. 424. c. 2. l. E. sed etiam in patre. l. *de patre.*
Pag. 466. c. 1. l. B. fluctantem. l. *fluctuantem.*
Ibidem, c. 2. l. D. plagus. l. *pelagus.*
Pag. 467. c. 2. l. D. debebatur irrigari. l. *debebat irrigari.*
Pag. 472. c. 1. l. A. cum Deo in Christo. l. *cum Christo in Deo.*
Pag. 489. c. 2. l. C. vtique non conuenit illi. l. *vtique conuenit illi.*
Pag. 498. c. 1. l. E. aterrorsum. l. *retrorsum.*
Pag. 570. c. 2. l. D. & Diuinitatis sua præteritas in nobis. l. *& Diuinitatis suæ præsentia in nobis.*
Pag. 579. c. 1. l. D. in conuertit. l. *in se conuertit.*
Pag. 654. c. 1. l. C. patribus nostri. l. *nostris.* l. E. apertio. l. *apertio.* c. 2. l. B. cum clara visionem. l. *visione.*
Pag. 687. c. 2. l. B. fortita esse. l. *fortitam esse.*
Pag. 712. c. 1. l. E. fulsiuit. l. *fulsit.*
Pag. 725. c. 1. l. B. in vteri lege. l. *in veteri.*
Pag. 746. c. 2. l. B. ego medius fuit. l. *fui.*
Pag. 799. c. 2. l. B. pœnam temporali. l. *pœnam, pœna temporali.*

Cætera Lector facilè sua industria emendabit.



INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

QVÆ IN HOC OPERE EXPLICANTVR, AVT OBITER ELVCIDANTVR.

Prior numerus paginam, secundus columnam indicat: littera addita intercolumnaribus litteris respondent.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Genesi.

Ex Exodo.

Ex Leuitico.

Ex Numeris.

Ex Deuteronomio.

Ex libro Iudicum.

Ex I. Regum.

Ex II. Regum.

Ex IV. Regum.

Ex libro Iob.

Cogita

127. Labo

Ex

Ex Isaia.

Ex Ieremia.

Ex Threnis.

Ex Ezechiele.

Ex Daniele.

Ex Osee.

Ex Ioële.

Ex Amos.

Ex Michæa.

Ex Abacuc.

3. Egref

Ex Sophonia.

Ex Zacharia.

Ex Malachia.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Cùm

Ex Marco.

Ex Luca.

Ex Iohanne.

Ex Actis Apostolorum.

Ex Epist. ad Romanos.

Ex I. ad Corinthios.

Ex II. ad Corinthios.

Ex Epist. ad Galatas.

3. Qui





INDEX RERVM MEMORABILIVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR, SERIE ALPHABETICA DIGESTVS.

Prior numerus paginam, secundus columnam indicat: litteræ additæ respondent litteris intercolumnaribus.

Ex Sophonia.

Ex Zacharia.

Ex Malachia.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Cùm

Ex Marco.

Ex Luca.

Ex Iohanne.

Ex Actis Apostolorum.

Ex Epist. ad Romanos.

Ex I. ad Corinthios.

Ex II. ad Corinthios.

Ex Epist. ad Galatas.

INDEX



INDEX
RERVM MEMORABILIVM
QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR,
SERIE ALPHABETICA DIGESTVS.

Prior numerus paginam, secundus columnam indicat: litteræ additæ respondent litteris intercolumnaribus.

Anima.

Antichristus.

Apostoli.

Aqua.

Arca.

Ascensio.

Attentio.

Athei.

Auaritia.

B

Baptismus.

Beatitudo.

Benedictio, Benedicere.

Benefi

Christus

Christi

Conuersio.

Coronatio, Corona.

Corpus.

Correctio.

Cor.

Creare, Creatio, Creatura.

Crux.

Deus

Eleemo

Eleemosyna.

Eleemosyna quid sit. 782.b.2
Eleemosyna duplex, corporalis & spiritualis. 206.a
Vtriusque quot sint species. ibid.
Eleemosynæ laudes. 216.c
Et tribuitur multiplicatio panum. ibid.e
Eleemosynæ spirituales in tribus præferuntur corporalibus. 206.c

Elementa.

Elementa secundum substantiam suam minimè corrumpuntur. 15.c
Elementorum conuersionem in Domini nostri corpus, & sanguinem, efficiunt hæc verba à Sacerdote vt à Christo, prolata; *Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei*, &c. in quibus etiam est forma Sacramenti. 774.a

Elias; Elisæus.

Elias figura & testis Christi locupletissimus. 184.a
Elias & Moyses quare Christo apparuerint. 183.a.2
Elisæus fuit figura Christi, & quomodo. 145.b.2
Nullus inter Prophetas in pluribus expressiùs eum repræsentauit. ibid.
Emblema conueniens epitaphio Christi. 355.a.2

Emanatio.

Emanatio in diuinis etiam Spiritui sancto conuenit. 12.d
Emanationes diuinæ per Incarnationem honoratæ. 146.b.2

Emanuel.

Emanuelis nomen quomodo contineat quod Iesus nomen comprehendit. 152.c.2
Ephrata quare vertitur abundans & fertilis. 30.a.2
in Epiphania Domini quot gratias receperunt Magi. 155.c

Episcopus, Episcopatus.

inter Episcopum & Presbyterum quænam detur distinctio. 191.c.2
Episcopi & Sacerdotes quo sensu vocantur Angeli. 61.d.2
Episcopatus non interrupta successio, est nota essentialis Ecclesiæ. 191.c.2

Epitaphium.

Epithaphium super sepulchrum Christi. 265. c. 355. c. 2
Epulo diues cur in tormentis dicitur esse pluraliter, & non in tormento singulariter. 195.c.2
Esse per essentiam soli Deo conuenit. 602.b.2

Eua.

Eua quando mundum perdidit & corrupit, virgo erat. 63.c.2
Euæ & Mariæ antithesis. 688.e
Euæ maledictionem tollit gratia B. Mariæ. 73.a
inter Euam & Mariam comparatio. 72.a.97.c.2

Euangelium.

Euangelium Christi in quo discrepat à nouella hæreticorum loquacitate. 167.c.2
Euangelium Christi hominibus duo annunciat. 307. c.2
Euangelium à lege Moysis in quinque differt. 154.c
Euangelium suum S. Iohannes quare exorditur à generatione Christi æterna. 109.a.2
Euangelium fundatur super missionem Christi. 210.b
Euangelij & legis differentia quæ sit. 741.c.2
Euangelij temporibus frequentiores fuère dæmonum possessiones. 201.d.2
ab Euangelio Iudicij cur Ecclesia exorditur tempus Aduentus. 108.b
in Euangelio Dei tria notantur opera. 321.b

Eucharistia.

Eucharistia memoria mirabilium Dei. 217.b.2
Eucharistia iure dicitur mysterium vitæ. 556.d
Eucharistia dilectionis & passionis Christi causam & effectum continet. 556.b.2
Eucharistia est extensio Incarnationis, & quomodo de illa, sicut de aliis mysteriis Dei est humiliter loquendum. 559.b
Eucharistia maximum opus ex parte amoris. 251. d.2
Eucharistia est fidei mysterium, qua opus est vt intelligatur. ibid.e.2
Eucharistia puteus altus. 560.e.2
Eucharistia opus dignum mente, potentia & manibus Christi. 251.b.2
Eucharistia dispositionem requirit. 87.b.2
Et quantam. 568.b
Eucharistia est finis, & complementum legalium. 563.d.2
Eucharistia omnem nostram continet perfectionem. 565.b
Eucharistia præseruat à peccato. 567.b
Eucharistia quare à Christo instituta. 103.a.2
Eucharistia finis omnium Sacramentorum. 768. b.2
Eucharistia dat felicitatem hominibus ante tempus. 572.c
Eucharistia memoria omnium operum & communicationum Dei. 571.e
Eucharistia continet figuram priuilegij hominum supra Angelos. 570.c.2
in Eucharistia vitam gratiæ operatur Christus. 569.e
Eucharistiæ dignitas ratione figurarum. 564.d
Eucharistia complementum perfectionis. 570.b.2
Eucharistiæ materia quæ sit. 775.d.2
in Eucharistiæ Sacramento multa consideranda. 769. a.3
Ab aliis in duobus differt. ibid.e
Eucharistiæ Sacramentum Incarnationem includit. 572.d
Eucharistiæ necessitas vnde. 554.e.2
Eucharistiæ, & baptismi differentia. 555.a
ad Eucharistiæ Sacramentum quatuor hominum genera accedere diuersis modis dicuntur. 569.c.2
Eucharistiæ elogia. 565.d.2
Eucharistiæ Sacramenti manducatio visibilis in quo differt ab inuisibili. 570.d
Eucharistiæ susceptæ fructus. 776.b.2
Eucharistiæ de veritate notanda verba S. Cyrilli Hierosolymitani. 568.b.2
Eucharistiæ ex Sacramento dignitatem suam sumit Ecclesia. 563.e
Eucharistiæ Sacramentum quomodo dicitur Cœna. 561.d
Eucharistiæ ex parte, & ex parte confessionis obligatur homo ad præparationem dignam communionis

Digitized by Google

Examen.

Excellentia.

Exitus.

Extrema vnctio.

Ezechiel.

F

Facies.

Fœmina.

Falsitas.

Familia.

Felicitas.

Festum.

Fidelis.

in Fla

Glorificatio.

Gratia.

Gremium.

H

Habitatio.

Hæresis.

Hæretici.

Hæretico

Honor.

Hortus.

Humanitas.

Humilitas, Humilis.

Hypostasis.

I

Iacob.

Iactantia.

Idioma.

Ieiunium.

Ieiunij

Iob.

S. Iohannes.

Ionas.

Iosephus.

Ira.

Iudas.

Iudæi.

Iudex, Iudicare.

Iudicium.

Lazari

Magistri

Menda

in Mun

Mysterium.

Nabuchodonozor.

Nauicula.

Natiuitas.

Natura.

Nazarenus, Nazareth.

Necessarium, Necessitas.

Nihilum.

Noë.

Nomen.

Notitia.

Numerus.

Nuptiæ.

O

Obedientia.

Obiectum.

Oblatio.

Oculus.

Odium.

Officium.

Patris

Patientia.

S. Paulus.

Paupertas, Pauper.

Pax.

Peccatum.

Peccator.

Pedes.

Perfectio.

Periurium.

Persecutio.

Perse

in Redem

à Resur

Res.

Rex.

Reuelatio.

Reuerentia.

Rota.

Rubus.

S

Sabbathum.

Sacramentum.

Sacerdos.

Sacerdotium.

Sacrilegium.

Sacrificium.

Sanguinis

Tribulationes

Via.

Viaticum.

Vinea.

Virga.

B.Virgo.

Dei demonstratur. 554.d.675.c.2

Vniuersi.

...uersi generalitas in Incarnatione perficitur. 58.c.2
...iuersalitatis gratiæ plenitudo Ecclesiæ data est. 736. a. 2.
...num tripliciter dicitur aliquid. 190.a

Vocatio.

Vocatio hominis duplex. 304.d
Vocationis nostræ excellentia ad seruitium Christi, in quibus ostenditur. 233.b.2
in Vocatione Apostolorum quale mysterium. 615.d.2

Voluntas.

Voluntas Dei quinque modis fit, sicut in cælo, & in terra, & qui sint. 731.c
Voluntas Dei est via qua itur ad cælum. 376.c.2
Voluntas diuina quibus modis refertur ad præsentia & futura. 223.d
Voluntas absolutissima Dei, est perfectissimum in Deo. 730.d.2
Voluntas in Deo quotuplex. 304.e
Voluntas Dei est ipsum posse, & ipsum facere. 97.c
Voluntas Dei triplex, in mandatis, consilijs, & inspirationibus. 237 d.2
Voluntas Patris quæ fuerit, & quæ obedientia filij. 49.c.2
Voluntatis primus motus ad aliquid, est amor. 151.b
Voluntatis nostræ motum requirit Deus. 290.c 2
in Voluntatis actu completiuè consistit beatitudo subiectiua. 151.a
Voluntatis diuinæ differentia iuxta Theologos. 730.d
à Voluntatis libero arbitrio pendet, vt assimilemur Deo. 733.a.2
Voluntatis nostræ & cooperationis necessitas ad iustificationem demonstratur. 141.d
Voluntatis diuinæ obseruatio omnes alias ad cælum perueniendi vias includit. 40.c
Voluntatis bonæ homines quinam. 49.a
Voluntatis diuinæ quinque signa. 225.d
Voluntati diuinæ submissio Deum regnare facit. 730. d.2
Voluntati diuinæ conformitas, signum est prædestinationis. 730.c
Voluntatem hominum Christus exigit. 312.c
Voluntatem Dei implendo, cælum acquiritur. 376.c.2
ex Voluntate Dei quatuor implenda in nobis. 225.a
Voluntate beneplaciti, & voluntate signi vult Deus salutem omnium. 185.d
ad Voluntarium tria requiruntur. 779.a.2
Voluptatum aqua tres defectus habet. 313.c

Votum.

Votum virginitatis prima fecit B. Virgo. 64.d.2
Votum Virginis maximè Christum impulit ad veniendum, accelerauitque. 19.c.2. Eius voti descriptio. ibid.d
Vota Virginis B. amore Deum vulnerarunt. 21.a.2
Vota diuitum multum dissimilia à votis pauperum. 455.b.2
Vota hominum de Saluatore mittendo Deus impleuit. 40.b

Vox.

Vox pœnitentiæ est confessio. 94.d.e
Vox Domini confringentis cedros, Iohannes Baptista. 94.d.2
Vox clamantis quàm conuenienter Iohannes præcursor Christi appelletur. 94.b
Vocis definitio. 34.a.2
Vocis elegans comparatio cum Incarnatione. 29.b.2
inter Vocem & lucernam quanta conuenientia. 128. b.2
Voces damnatorum quales. e.2
Vrim & Thummim diuersæ proferuntur explicationes. 159.b

Vsura.

Vsuræ definitio. 789.b.2. Quotuplex sit. ibid.c
Vtilitas Catechismi quanta. 624.c

Vulnus.

Vulnera Christi respicienda, dum aliqua turpis cogitatio pulsat. 445.c.2
Vulnerum & cicatricum in Christo triplex genus. 445.b
Vulnerum cicatrices cur Christus voluit post Resurrectionem suam in carne sua remanere. 359.e

Z

Zacharias.

Zacharias & Daniel quare viso Angelo turbati sunt. 76.e.2

Zelus.

Zelus Eliæ qualis quo se opposuit Dei misericordiæ. 397.a.b. & seq.

Zizania.

Zizania à tritico separantur. 468.a
Zizaniorum superseminationis causæ. 467.a

FINIS INDICVM.

Google

Sanguinis

Sapientia.

Satisfacere, Satisfactio.

Scala.

Scientia.

Scriptura.

Scutum.

Sedere, Sedes.

Senator.

Sepulchrum.

Sepultura.

Seraphim.

Serpens.

Seruitus, Seruus.

Signum.

Simeon.

Diuinita

Terra.

Testamentum.

Testimonium.

Testes.

Theologi.

Thesaurus.

S.Thomas.

Titulus.

Tormentum.

Tradere, Traditio.

Transfiguratio.

Transitus.

Transubstantiatio.

Tribulatio.

Via.

Viaticum.

Vinea.

Virga.

B.Virgo.

Vnitas

FINIS INDICVM.